image
not
available

# THEOLOGIA POLEMICA,

SEU

# VINDICIÆ ECCLESIÆ CATHOLICO-ROMANÆ,

CUJUS

PRÆROGATIVÆ, MUNIA, LEGES, DOGMATA, RITUS,

Asseruntur & propugnantur

CONTRA

JUDÆOS, SCHISMATICOS, HÆRETICOS, ATHEOS,

*Quorum Errores evincuntur & expugnantur,*

AUCTORE

ADM. RDO. DOCTISSIMO ET EXIMIO PATRE,

D. CAJETANO FELICE VERANI,

CLERICO REGULARI, SS. THEOL. AC JURIS CAN. PROFESSORE EMERITO.

*OPUS POSTHUMUM.*

## TOMUS SECUNDUS.

Cum facultate Superiorum.

---

*AUGUSTÆ VINDELICORUM,*

Sumptibus GEORGII SCHLÜTER & MARTINI HAPPACH.

ANNO. MDCCXIX.

# LICENTIA ORDINARII.

*Nos* JOANNES FRANCISCUS, *DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Frisingensis, Sac. Rom. Imp. Princeps.*

CUm opus, inſcriptum: Theologia Polemica in tres Tomos diviſa, à R. P. D. CAJETANO FELICE VERANI p. m. Congregationis Clericorum Regularium S. Cajetani, quondam Theologo conſcriptum, à Patribus ejusdem Congregationis reviſum, approbatúmque fuerit, ut illud prælo quoque ſubjiciatur facultatem damus per præſentes. In cujus fidem haſce per Vicarium noſtrum in Pontificalibus & ſpiritualibus Generalem juſſimus ſubſcribi, ac Sigillo noſtro roborari. Friſingæ d. 17. Junii Anno 1717.

(L.S.) JO. SIGISMUNDUS Epiſcopus Bellinen. ſuff. & Vicarius Generalis &c.

# FACULTAS ORDINIS.

HOc opus, inſcriptum: Theologia Polemica, in tres Tomos diviſa, à R. P. D. CAJETANO FELICE VERANI p. m. noſtræ Congregationis Theologo compoſitum, & juxta aſſertionem Patrum, quibus id commiſſum fuerat, approbatum, ut Typis mandetur, quo ad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes litteras manu propria ſubſcripſimus, & ſolito noſtro Sigillo firmavimus. Romæ die tertii Menſis Aprilis, 1717.

(L.S.)

D. PHILIPPUS MARIA TRIGONA, Conſultor Cler. Reg.

D. ANTONIUS MARIA FERRARIUS, Conſultor Cler. Reg.

D. JOSEPHUS MARIA del PEZZO, Conſultor Cler. Reg.

D. PETRUS ab Eccleſia C. R. Secretarius Generalis.



# INDEX
*Librorum & Capitum.*

## LIBER PRIMUS.
### De Conciliis Ecclesiæ militantis.



## LIBER SECUNDUS.
### De verbo Dei scripto, & tradito, cui innititur Ecclesia in dirimendis controversiis fidei, & de Judice controversiarum.

# LIBER TERTIUS.

## De traditionibus divinis, & ecclesiasticis in particulari.



# LIBER QUARTUS.

## De sacris Imaginibus, earumque cultu, & invocatione Sanctorum.

# LIBER QUINTUS.

## De Limbo parvulorum decedentium cum Originali, Inferno, Purgatorio, Suffragiis, & Indulgentiis.



# LIBER SEXTUS.

## De divina gratia, ejusque partitione.

# LIBER SEPTIMUS.

## De statu Religioso, & cælibatu.



LIBER



# LIBER PRIMUS
## De Conciliis Ecclesiæ Militantis.

*Tomus Secundus*

Theologiæ Polemicæ D. Cajetani Felicis Verani Clerici Regis.



Erpendimus in libris primi Tomi hujus operis essentiam, naturam, proprietates, notas, prærogativas Ecclesiæ Militantis in terris, disseruimus de illius Institutore, ac principali Gubernatore JEsu Christo, ejusque Vicario, quem supremum Pastorem suarum ovium constituit, seu de Romano Pontifice, Judice in terris supremo controversiarum, quæ circa fidem possint oriri, cujus propterea authoritas debuit infallibilis esse ex speciali assistentia Spiritus Sancti, ut posset dubia quæque solvere, & controversias dirimere. Supererat agendum de eâdem Ecclesia ut congregata in Conciliis, & expendenda ejus Authoritas, potestas, ejusq; legitima definitio: Etenim Conciliis Oecumenicis magnam inesse authoritatem, magnamque deberi venerationem, Ecclesia suo professa est exemplo, quæ suis sub initiis passim in subortis controversiis dirimendis concilia generalia convocavit, quatenus controversiæ diligentius à totius Christianitatis Episcopis examinarentur, ac dirimerentur: Non quod Conciliis generalibus plus inesset authoritatis, quàm soli Romano Pontifici; siquidem tota authoritas, & infallibilitas à Romano Pontifice derivatur in Concilium, quod sine capite nihil ex se potest: Christus enim non Concilio, sed Petro ejusque Successoribus canonicè electis dixit: *Super hanc Petram* (denotando dignitatem Pontificiam, seu officium supremi Pastoris) *ædificabo Ecclesiam meam*, Matth. 18. & Joan. 21. *Pasce oves meas*; non dixit has vel illas, sed meas, seu omnes, nemine excepto. Hanc in Pontifice majorem authoritatem, hanc præeminentiam supra concilia generalia testantur sacræ Scripturæ, fassa sunt ipsamet Concilia generalia, confirmavit continua Ecclesiæ praxis, docuerunt St. Patres conspirantes in unam eandemque sententiam. Non inficimur magnæ Concilia esse authoritatis, non tamen quæ sacris Scripturis, vel summo Pontifici æquetur, comparativè ad authoritatem Scripturarum & Romani Pontificis est minor, cum ab hoc in illa derivetur. Agemus igitur de causis intrinsecis & extrinsecis Conciliorum, seu de illarum Materia, Forma, Fine, Causa efficiente. De Conciliis plura habentur in Decreto Gratiani, Ivonis, Burchardi, Martini Bracharensis: Ut etiam aliqua in operibus St. Hilarii, lib. de Synodis, Isidori lib. 6. Etymolog. cap. 16. Bedæ lib. de sex ætatibus. Photii lib. de septem Synodis, Thomas Waldensis lib. de doctrinal. fidei c. 26. & 27. Joannes de Turrecremata lib. 3 Summæ de Ecclesia. Joannes Gerson in tractatibus variis de potestate Ecclesiæ, & Conciliorum, Dionysius Carthusianus in libris tribus de Conciliis, Joannes Eckius in Enchiridio. Jodocus Clichtonæus in Defensione Concilii Senonensis, Jodocus Tiletanus in defensione Concilii Tridentini, Joannes Cochlæus in libro de Conciliis, Joannes Roffensis contra articulum Lutheri 28. & 29. Albertus Pighius lib. 6. Hierarchiæ Ecclesiasticæ, Cardinalis Hosius in explanatione Symboli, cap. 24. Petrus à Soto in defensione suæ Confessionis contra Brentium, Melchior Canus, lib. 2. de locis Theologicis. Cajetanus in Opusculis. Jacobatius in opere de Conciliis. Hugo in opere, cui titulus Synodia Hugonia, Alphonsus à Castro lib. 4. de Hæresibus. Guilielmus Lindanus lib. 3. cap 7. Panopliæ Evangelicæ, Bellarminus lib. 1. de Conciliis & Ecclesia, Joannes Cabassutius in notitia Conciliorum, & alii plures.

 Caput I.

# CAPUT I.

## Quid sit Concilium Generale, & quæ Conditiones ad ipsum. Indicantur quatuor prima Oecumenica Concilia, & eorum Historiæ.



NOmine Concilii, quatenus ad præsens pertinet institutum intelligitur conventus Præsulum, ac Pastorum Ecclesiarum legitima auctoritate indictus, seu à Romano Pontifice congregatus in designato loco, ad majora fidei & Religionis examinanda & finienda negotia unà cum Capite seu Rom. Pontifice, à quo definienda in Concilio approbentur & confirmentur, quia sine Pontifice Concilium est acceptatum sine capite, & emortuum, quia sine vigore absq; authoritate, nec habet rationem Concilii, sed conciliabuli omni destituti authoritate, quodque nullam vim obtinet ad obligandos fideles, neque ad definiendas res Fidei & Religionis. Sicut Magistratus sæculares ob publicas Civium necessitates, ac totius Reipublicæ commoda convocare solent comitia generalia; perinde cum fidei, quæ omnium Christianorum commune est bonum, periculum aliquod, vel bellum imminet, tunc convocantur à supremo dominici gregis Pastore, seu Romano Pontifice Episcopi & Sacerdotes in locum unum commodiorem, ut fieri potest ad deliberandum de negotiis fidei quæ occurrunt, vel pertinent ad Religionem, scilicet ad agendum de fide, ad declarandum, quæ sint de fide, vel ad instituenda, quæ pertinent ad cultum præstandum Deo, & Sanctis, vel ad meram reformationem. Sicut in corpore humano ex conflictu contrariarum qualitatum, ac humorum corruptione, ac intemperie insurgunt ægritudines, quæ interdum stabulantur lethales; perinde in corpore mystico Ecclesiæ, ubi non corpora, sed animæ morbos contrahunt ob contrarias opiniones, quarum aliæ necesse est dissentiant à veritate, à vera fidei regula, sintque lethales veluti ægritudines, quæ in perniciem ovium Christi grassantur, ac veluti morbi epidemici dilatantur, integras inficientes provincias & regna; quodque deterius ab infectis ægritudine amentur morbi, & pharmaca sint iisdem horrori; ut enim ait Apostolus: *Oportuit hæreses esse*; ideo data est potestas supremo Pastori adhibendi opportuna remedia, ne Christi oves hanc contrahentes ægritudinem periclitentur; ideoque veluti ad consultandum vocantur spirituales Medici, seu Episcopi & Sacerdotes, ut simul conveniant ad judicandum de morbo irrepente per varias Christi oves, & ea adhibenda remedia, quæ visa fuerint opportuniora. Sicut ad Medicum spectat è corporibus per adhibita pharmaca morbos excutere, peccantes humores corrigere, ardores febriles extinguere; ita ad Pastores Ecclesiarum morbos propellere ab ovibus, quarum regimen fuit iisdem concreditum; alioquin *si sal evanuerit*, ait Christus, *in quo salietur?* Quæ verba expendens Augustinus, *lib. 1. de serm. Domini in monte*, ait: *Si vos, per quos condiendi sunt quodammodo populi, metu persecutionum temporalium amiseritis regnum cælorum; qui erunt homines, per quos à nobis error auferatur, cum nos elegerit Deus, per quos errorem auferet cæterorum?* Quòd, si tota Ecclesia in iis, quæ fidem spectant, errare non potest, ita multò minus omnes Doctores simul congregati in Concilio universali unà cum capite approbante, & confirmante, errori erunt obnoxii, cæteroquin Magistri à Discipulis edoceri oporteret, & Pastores ab ovibus regi, quo nihil absurdius.

Conciliorum tres dantur species; alia enim sunt œcumenica, seu universalia, quæ congregantur authoritate summi Pontificis, & in quæ interveniunt præcipui Ecclesiæ Prælati seu Episcopi per totum orbem, ac superiores Antistites, quamvis non sit necesse, ut omnes prorsus, & singuli intersint; sufficit enim, si Pontifex magnam eorum partem evocet, ac congreget, ut notat Canus *lib. 5. de locis Theolog. cap. 5.* & Joannes à Turrecremata, *lib. 1. de Ecclesia cap. 16.* Imò solet Romanus Pontifex præter Episcopos alias graves personas Ecclesiasticas, cujusmodi sunt Religiosorum Ordinum Generales delegare, ut in Concilio sententiam dicant, quamvis Episcopi non sint; imò adhibentur etiam alii docti viri ecclesiastici, ad eum finem, ut de rebus tractandis disserant. Non verò Laici, quamvis Sacrarum Litterarum periti, aversantur Concilio universali; id enim est rationi omnino dissonum, ut, ubi agitur de discernendis doctrinæ pascuis salutaribus à noxiis judicium ea de re ipsis ovibus committatur, cùm ad solos Pastores pertineat discernere, quæ pascua sint ovibus proficua. Hinc D. Paulus officium Pastoris & Doctoris conjunxit, ad Ephes. 4. *Alios dedit Pastores, & Doctores*, & ipse Dominus per Jeremiam, cap. 3. ait; *Dabo Pastores, & pascent vos scientiâ & doctrinâ*, & in Deuter. cap. 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, venies ad Sacerdotes Levitici generis*, non mittuntur in difficultatibus occurrentibus circa finem & Religionem ad Doctores Laicos, quamvis Legis peritos, sed ad Sacerdotes, seu Ecclesiasticos Pastores, quia ad ipsos pertinet judicare de doctrinæ pascuis salutaribus. Præter Concilia hæc generalia, moris semper fuit in Ecclesia, ut etiam Provincialia congregarentur authoritate Metropolitani, vel Primatis evocantis Episcopos totius Provinciæ vel Regni, ut velint Concilio Provinciali interesse: Sed solent Metropolitani facultatem ad id petere à Romano Pontifice, cui etiam aperiunt difficultates occurrentes, ob quas opus sit congregare Collegia Provincialia, vel ad arcendas corruptelas, mores reformandos, vel etiam ad errores irrepentes delendos, neq; hujusmodi provincialia concilia ullā præseferunt authoritatem, nisi approbentur & confirmentur à summo Pontifice, à quo reliqui Prælati dependent, uti membra à capite. Concilia Episcopalia sunt, quæ authoritate Episcopi convocantis Sacerdotis suæ Diœcesis congregantur. Interdum Concilia Nationalia vocantur etiam universalia, quo pacto Concilium Romanum sub Symmacho dicitur generale. Symmachus Concilio Generali præsidens, & tamen certum est, non interfuisse, nisi solos Episcopos Italiæ. In Concilio Toletano III. cap. 18. etiam dicitur: *Præcipit hæc sancta & universalis Synodus*, tametsi certum sit non adfuisse, nisi solos Episcopos Hispaniæ, rursus Concilium IV. Carthaginense dicitur universale ac generale, quamvis non interfuerint nisi soli Episcopi Africæ: Quamobrem dicuntur hæc Concilia Generalia & univer-

univerſalia quatenus talia ſunt in eo Regno, non verò abſolutè & reſpectu totius Eccleſiæ, alioquin ſatius à Gratiano, *diſt.* 3. *can. porrò* vocantur Provincialia, eò quâ certis Provinciis contineantur, non autem ad omnes Chriſtianos pertineant, nec ad totam Eccleſiam ut Concilia abſolutè Generalia, & univerſalia. Ad conſtituendum enim Concilium univerſale reſpectu omnium fidelium aliquæ requiruntur conditiones, quarum prima eſt, ut ex Summi Pontificis mandato, & expreſſa approbatione inſtituatur, & Patres, ſeu Præſules Eccleſiarum ab eodem convocentur in Concilium, ut habetur *cap.* 12. *& ſequent. d.* 17. & id conſtat, fuiſſe religiosè obſervatum in primis quatuor Conciliis, quæ St. Gregorius in eadem habuit veneratione, perinde ac ſi eſſent quatuor Evangelia, *c. ſicut. d.* 15. Etenim de Concilio Nicæno I. conſtat ex præfatione ad Canones ejuſdem Concilii & præfatione ad ipſum Concilium ex St. Iſidoro, & Epiſtola ſynodali ad Sylveſtrum Papam lib. 4. Concilii Nicæni, & habetur *Tom.* 1. *Concil.* Secunda conditio, ut ſummus Pontifex per ſe immediatè vel per ſuos Legatos interſit Concilio Generali, *cap.* 2. *&* 6. *d.* 17. quo pacto Concilio Nicæno nomine Sylveſtri Papæ interfuerunt Ozius Epiſcopus Cordubenſis, Macharius Epiſcopus Hieroſolymitanus, Victor & Vincentius Presbyteri Romani, ut conſtat ex Epiſtola Synodali ejuſdem Concilii, & habetur *Tom.* 1. *Concilior.* Concilio Conſtantinopolitano I. non interfuit quidem, nec per ſe, nec per ſuos Legatos Damaſus Papa, eò, quia evocaverit Romam Patres ad aliud Concilium, ut liquet ex Epiſtola ad Damaſum ab iiſdem directa, & actis Concilii Conſtantinopolitani inſerta. Verum confirmatum fuit à Damaſo, & ejus juſſu indictum imperante Theodoſio, ut colligitur ex ſexta Synodo Conſtantinopolitana. Act. 18. poſt ſubſcriptiones Patrum, ut refert Baronius ad Annum 381. Concilio Epheſino præſedit Cæleſtinus Papa, non per ſe immediatè, ſed per ſuum Legatum St. Cyrillum, ut liquet ex Epiſtola Cæleſtini ad Cyrillum, quæ habetur Tom. 1. Concilior. in Concilio Epheſino cap. 16. & tres alios Legatos miſſos ad idem Concilium, ſcilicet Arcadium, Projectum & Philippum, quæ ob marinas tempeſtates, ventorumq; procellas jactati itinera remorarunt, & tantùm ſub finem Concilii Epheſum appulerunt, ut legimus *in Tom.* 2. *Concil. cap.* 13. *Concil. Epheſ.* Rurſus Concilio Chalcedonenſi præfuit Leo Papa non immediatè per ſe, ſed per ſuos Legatos, Paſcaſium, Lucentium, Bonifacium & Lucilium, ut patet *Act.* 3. *ejuſdem Concil.* Tertia conditio eſt, ut evocatio Epiſcoporum ſit Generalis; adeo, ut omnes Epiſcopi, Archi-Epiſcopi, Patriarchæ & Prælati Eccleſiaſtici univerſim invitentur ad Concilium Generale ex quacunque orbis parte, & nemo, qui voluerit intereſſe, excludatur, alioquin non eſſet Concilium Generale, quòd ſi aliqui non excluſi nolint intereſſe, vel ob infirmitatem, vel ætatem provectam, vel alia de cauſa non propterea deſinit eſſe Concilium Generale, quia non ex defectu Concilii, nec vocantis ad Concilium, ſed ob particularia incommoda, quibus nolunt ineſſe, ſe ipſos excludunt, non verò à Concilio excluduntur. Quod ſi ad Concilium Provinciale ab Archi-Epiſcopo Metropolitano omnes Epiſcopi totius Regni vocandi ſunt, *d.* 18. *per totum.* Perinde etiam ad Concilium univerſale Epiſcopi totius orbis ratio eſt, quia Summus Pontifex eſt univerſalis Epiſcopus totius Eccleſiæ propagatæ per totum mundum, & *d.* 25. *in fin.* dicitur Archi-Epiſcopus orbis, & ejus Provincia eſt totus mundus, conſequenter debet omnes Epiſcopos & Prælatos Eccleſiarum per totum mundum convocare ad Concilium Generale. Rurſus, quia quæ in Conciliis Generalibus tractantur, & definiuntur, pertinent ad univerſalem Eccleſiam, & omnes fideles, & juxta regulam Juris in 6. quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, cauſa fidei, ac Religionis omnes tangit, conſequenter ab omnibus vocatis debet approbari: Quòd ſi noluerint comparere, tunc authoritas definiendi eſt penes præſentes, qui Concilio interſunt, ut deſumitur ex promiſſione Chriſti, Matth. 18. *Ubi ſunt duo vel tres in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum.* Quamobrem non numerus Epiſcoporum conſtituit Concilium Generale, ſed jus omnibus conceſſum accedendi ad Concilium, & ſufficit, ſi ex majore parte Provinciarum Chriſtianarum aliqui advenerint, omnes enim convenire cenſetur moraliter impoſſibile, neque Chriſtus ad id voluit omnes & ſingulos obligare. Hinc Concilio Conſtantinopolitano, quod Generale fuit, tantùm interfuerunt Epiſcopi centum quinquaginta, & Concilio Carthaginenſi, quod fuit Nationale, tempore D. Auguſtini, interfuerunt Epiſcopi 217. unde non numerus Epiſcoporum, ſed jus omnibus conceſſum conſtituit Concilium Generale.

Concilia Generalia approbata 18. hactenus numerantur, quorum primum fuit Nicænum coactum Anno Domini 327. & duravit uſque Annum 330. qui fuit Annus 15. Sylveſtri Papæ, & vigeſimus Conſtantini Imperatoris, & interfuerunt huic Concilio primo Oecumenico Epiſcopi 378. è quibus fuerunt Patriarchæ, Alexandrinus, Alexander, Antioch. Euſtratius, Hieroſol. Matthæſius & Conſtantinopolitanus Metrophanes, licèt hi duo poſtremi non fuerint eo tempore Patriarchæ, ſed poſtea tali fuerint dignitate inſigniti, & aliqui velint Metrophanem non per ſe, ſed per Legatum Alexandrum, qui poſtea ei ſucceſſit in Epiſcopatu, velint interfuiſſe, ut refert Metaphraſtes in orat. de rebus geſtis apud Nicæam, & in tali Concilio duæ præſertim fuerunt controverſiæ definitæ una de die Paſchatis, & altera de Divinitate Chriſti adverſus Hæreſim Arianorum, huic Concilio cauſam dedit Hæreſes Ariana. Fuit Arius Presbyter Alexandrinus, qui novam in mundum peſtem invexit, negavit Filium Die Patri eſſe coæqualem, conſubſtantialem, coæternum, ſed eum aſſeruit à Patre de nihilo in tempore creatum, cui hæreſi, ſe oppoſuit inprimis Alexander Epiſcopus Alexandrinus, qui præmonitum Arium renuentem reſipiſcere, ſeque corrigere, anathemate percuſſit, quæ cauſa fuit, ut Arius ad Euſebium Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopum confugerit, quem ſuæ Hæreſis ſocium & fautorem habuit unà cum Paulino Tyri, Patrophilo Scythopoleos, Mari Chalcedonis, Theoni Nicææ, alioque Euſebio Nicomediæ, cujus magna erat apud Conſtantinum Auguſtum gratia, & authoritas, & totam Meletianorum factionem ſua infecit hæreſi Arius, adeò ut inſolentiùs Ariani indies tumultuaverint: Alexander verò Encyclicas epiſtolas ad univerſam Eccleſiam ſcripſit, & præſertim ad Sylveſtrum Papam Romæ, quem præmonitum voluit ingraveſcentis peſtis per totum Orientem. Sylveſter Oſium doctiſſimum ac religioſiſſimum virum Cordubæ Epiſcopum delegavit ad Conſtantinum, & ad Alexandrum, ut omni

ſtudio curaret perverſa errorum gramina eradica-
re. Cum Oſius appuliſſet Conſtantinopoli Con-
ſtantinus à Sylveſtro Papa Epiſtolam accepit : Im-
perator originem turbarum in Alexandrum reje-
cit,fuerat enim præoccupatus Imperator ab Epiſco-
po Nicomedienſi, qui dixerat quæſtionem circa
Dei Filium levem eſſe, neque ad fidem Catholi-
cam ullo modo pertinere, quod quàm falſum ſit,
ex eo ſtatim dignoſcitur, quia ſumma Chriſtianæ
fidei, præſertim in Chriſti divinitate conſiſtit.
Oſius digreſſus à Conſtantino Alexandriam ſuum
proſecutus eſt iter, in qua urbe Concilium indixit,
cujus meminit Athanaſius Apologia 2. quodque
vocat Generale, cujus etiam meminit Socrates *lib.*3.
*c.* 5. ex quorum relatu clarè conſtat,diſcuſſam fuiſſe
Arii, & Meletianorum cauſam; ut & damnatum
Sabellii dogma negantis diſtinctionem Divinarum
Perſonarum. Subjungit Athanaſius in eadem Syn-
odo, Colluthum Presbyterum Alexandrinum, qui
cùm Epiſcopo non concordabat, ab Oſio redactum
fuiſſe in ordinem. Sed Ariani nihili facientes au-
thoritatem Concilii Alexandrini quamque peſtem
latius propagarent, non amplius levem cenſuerunt
eſſe quæſtionem de Divinitate Filii Dei, ſed eam
exiſtimârunt eſſe controverſiam magni momenti,
ad quam dirimendam Sylveſter Papa unà cum Con-
ſtantino Auguſto Concilium Oecumenicum Nicææ
in Bithynia indixit. Imperator inſigne ſpecimen
Religionis daturus miſit in omnem partem curſo-
res cum Litteris invitatoriis directis ad Epiſcopos,
ut venirent ad Synodum ad promovendam Eccleſiæ
Pacem, Dei cultum, & fidei integritatem, vecturas
etiam pro itinere, omnéſque expenſas pro victu,
pro comitatu, & Clericis ac familiaribus exhibuit.
Unde Nicæam ex diverſis Orbis terrarum partibus,
318. Epiſcopi convenerunt, cui Concilio præſe-
derunt Romanæ Sedis Legati Oſius Cordubæ E-
piſcopus, Victor, & Vincentius Presbyteri Roma-
ni, qui ſederunt ante Patriarchas, & primi ſub-
ſcripſerunt. Præter quatuor Patriarchas interfue-
runt alii Præſules quà Doctrina,qua ſanctitate toto
orbe clariſſimi, inter quos Nicolaus in Miræ Lycia
Epiſcopus, Paphnucius Thebarum Ægypti, Pota-
pon Eracleæ Ægypti Spiridion, Tremitunti, Cy-
pri, Paulus Neocæſareæ Ephroteſiæ, Jacobus Ni-
ſibis in Meſopotamia, qui mortuos ad vitam revo-
cavit, Alexander Conſtantinopolis, cujus precibus
poſtea Arius fœda & inopina morte conſumptus
fuit, Aroſtanes quoque in Armenia ſuperiore Epi-
ſcopus & demum S. Athanaſius tunc Eccleſiæ Ale-
xandrinæ Diaconus, quem Comitem Alexander
Patriarcha Alexandrinus ſibi delegerat, cujus eru-
ditio in illo Concilio contra Arianos maximè eni-
tuit, & ob id eorundem odium inextinguibile con-
tra ſe excitavit. Hi omnes vel ſanctitate fuerunt
inſignes vel martyrio glorioſi. Verùm ex parte
Arianorum interfuerunt etiam perverſiſſimi homi-
nes ſcilicet Euſebius Cæſarienſis, & alius Euſebius
Nicomedienſis, Paulinus Tyri, Theonis Nicææ,
Menophantes Epheſi, Patrophilus Scythopolis,
& alii fautores Arianæ hæreſis, qui calumnioſis ac-
cuſationibus, libelliſque famoſis Antiſtites Ortho-
doxos fuerunt inſectati apud Imperatorem, qui
tamen porrectos ſibi libellos non ſolùm legere de-
trectavit, ſed etiam flammis abſumendos tradidit,
& dignam illam Imperatoris ſententiam protulit,
ſcilicet Epiſcopos à ſolo Deo judicandos eſſe, &
ſe ipſorum judicio in iis, quæ ad ſalutem animæ per-
tinent, ſubditum eſſe, ita referunt Gregorius Pa-
pa *lib.* 4. *Epiſt.* 75. *ad Mauritium.* Rufinus *lib.* 1.
*c.* 2. Sozomenus *lib.* 1. *c.* 16. Cúmque Patres in
Conclio Nicæno ſtatuiſſent, nil eſſe innovandum
in Eccleſia, ſed incorrupta ſervanda omnia, quæ ha-
ctenus tradiderunt Apoſtoli, & Sancti Patres, le-
cta fuerunt Arii ſcripta, nec non Euſebii Nico-
medienſis Epiſtola : Dogmata Arii fuerunt à Pa-
tribus cum execratione rejecta, & conclamatum
fuit à Concilio, Filium eſſe Patri coëſſentialem,
æternum, neque ex nihilo creatum; ſed ex Pa-
tris ſubſtantia genitum, quodque in ſuo Symbolo
Synodus profeſſa eſt, eum eſſe genitum, non factum
ConſubſtantialemPatri. Deum verum de Deo vero.
Cum in concilio Patres diſputarent Imperator at-
tentiſſimè auſcultabat, rumores ſubnaſcentes ſo-
piebat, ſingulos ſuaviter alloquebatur, ſuumque
ſenſum modeſtè indicabat, ut refert Euſebius *lib.* 3.
*in vita Conſtantini c.* 13. adeo ut formulæ fidei
ſubſcripſerint omnes Patres tum Catholici, tum
Ariani, ſed iſti, ut Principi placerent, & ne à ſuis
excluderentur Epiſcopatibus. Euſebius verò Ni-
comedienſis, Theonis Nicænſis Epiſcopi, quia
plus aliis repugnârunt, per Concilii ſententiam è
ſuis fuerunt Epiſcopatibus excluſi, & Nicomediæ
Amphion, & Nicææ Chreſtus ſubſiſtuti. Sed Eu-
ſebius & Theonis ſuas recuperaturi ſedes tandem
& ipſi Concilio ſubſcripſerunt, cumque pro ipſis
intercеſſiſſet Conſtantinus, fuerunt in priſtinum
gradum à Concilio reſtituti, ut narrat Socrates *lib.*
1. *c.* 5. & 10. & ex Synodali decreto Arius à com-
munione fidelium divulſus eſt, & à Conſtantino in
exilium pulſus, quamvis ob diſſimulatam reſipi-
ſcentiam revocatus poſtliminio fuerit, ea tamen
conditione, ne Alexandriam ingrederetur.

Secunda Synodus Generalis fuit Conſtantino-
politana, quæ celebrata fuit adverſus Macedonium
negantem Spiritus Sancti divinitatem Theodoſio
Seniore Imperatore, ac Damaſo ſummo Pontifice
interfuerunt huic Concilio ex diverſis Provinciis
Epiſcopi 181. è quibus Patriarchæ fuerunt Necta-
rius Conſtantinopolitanus, Timotheus Alexandri-
nus, Meletius Antiochenus, & Cyrillus Hiero-
ſolymitanus. Circa tempus hujus inchoati Con-
cilii non conveniunt Hiſtorici; Proſper in Chroni-
co vult initium illius fuiſſe in conſulatu Gratiani,
& Theodoſii Auguſtorum ſeu anno 283. vel anno
ſequenti, ut narrat Socrates *lib.* 5. *Hiſtor. cap.* 8. Sed
juxta Conſpectum Onuphrii anno 381. Pſellus in
lib. de 7. Synodis ponit intervallum annorum 56.
inter primam, & ſecundam Synodum. Animadver-
tendum eſt in hoc Concilio neminem adfuiſſe ex
Provinciis Occidentalibus : ſiquidem Damaſus Pa-
pa in hoc Concilio neminem adeſſe ex Provinciis
Occidentalibus voluit, quia Romæ coëgerat Syno-
dum Occidentalium, atque in eum locum invitave-
rat Epiſcopos, qui Conſtantinopolim convenerant,
ut hoc modo Romæ celebraretur Concilium pleniſ-
ſimum, & verè univerſale ex Eccleſiis Orientalibus, &
Occidentalibus; verùm quia Patres Occidentales ju-
ſtis de cauſis venire non potuerunt, Damaſus accepit
excuſationem eorum, & animis, ac ſententiis duæ illæ
Synodi conjunctæ ſunt, ac ſi una ac eadem fuiſſent, ac
propter hanc conjunctionem habita eſt Conſtanti-
nopolitana una ex Oecumenicis, & legitimis Syno-
dis, ut refert Theodoretus lib. 5. Hiſtor. cap. 9. &
10. Tres potiſſimum ob cauſas coacta fuit hæc Syn-
odus, quarum prima fuit, ut Nicæna fides à pluri-
bus oppugnata, & tot jactata procellis, ac tot pſeu-
do-Synodis reprobata, firmiùs contra Arianos ſtabi-
liretur. 2. ut Macedonii hæreſis negans Spiritus
Sancti divinitatem, profligaretur, ac prorſus dele-
retur.

retur. 3. ut Ecclesiæ Constantinopolis præsunt orthodoxus præficeretur, cum antea Ariani Episcopi sedem illam occupaverint, ut Eusebius, Macedonius, Eudoxius Demophilus, alter alteri succedendo. Eodem fermè tempore celebrata fuit in Italiæ finibus Synodus Aquileiensis, cui præfuit Valerianus Antistes Aquileiensis, quæ est Carnorum seu Carniolæ Metropolis sita ad Timavum amnem Italiæ olim contra Barbarorum è septemrione incursus validissimum propugnaculum ab Hunnis deinde Duce Attila oppugnata, & eversa nunc ob aeris intemperiem, ac circumjacentes paludes viduata civibus, ac planè deserta: Valeriano in hoc Synodo proximus assedit Ambrosius Mediolanensis, interfuit huic Synodo Philastrius Brixiensis Episcopus vitæ Sanctitate ex scriptis libris toto orbe notus: ut etiam Justus Lugdunensis Episcopus, & plures alii præsules ex Italia, Gallia, & Africa: in hac Synodo damnata fuit hæresis Arianorum, & Episcopi Ariani Palladius, & Secundinus Sacerdotii officio, & exercitio privati: Sed soluta Aquileiensi Synodo etiam cœpit Damasus Romæ, in qua Romanus Pontifex per se noluit præsidere; & reprobata fuit Synodus Ariminensis, quam antea Liberius Papa damnaverat, ut refert, Damasus in sua epistola ad Episcopos Illyrici, in qua hæc memorata digna leguntur: *Neque enim præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum; quando constat, neque Romanum Episcopum, cujus ante omnia decebat eos expectare decretum; neque Vincentium qui tantis annis Episcopatum inviolabiliter custodivit, neque alios talibus præbuisse consensum.* Ex quibus liquet, Concilia quantumvis generalia, ac legitima Romani Pontificis authoritate congregata, adhuc carere certa in suis decretis authoritate, & fide donec fuerint ejus approbatione communita, & ab eodem confirmata. Etenim Concilium Ariminense fuisse œcumenium nemo dubitavit: sed hoc Concilium generale fuit legitima authoritate indictum, & Arimini congregatum, cum Liberius Romanus Pontifex illud coegerit miseritque ad illud suo de latere Legatos; & nihilominus certum est, hoc Concilium generale legitimè indictum, cui etiam interfuerunt Legati Pontificis, gravissimè errasse in fide; neque fuisse à Pontifice Romano approbatum, neque confirmatum quoad illa decreta, quæ fidei Catholicæ adversabantur; consequenter fuisse nullius authoritatis, nullúsque valoris: pari pacto tametsi Synodus Constantinopolitana fuerit itidem Oecumenica, & generalis, & orthodoxa, ut etiam Synodus Chalcedonensis, attamen aliquot utriusque Concilii generalis decreta omni caruerunt authoritate, quia Damasus Synodum Constantinopolitanam, & Leo Papa Chalcedonensem noluerunt approbare. Hinc Damasus Papa in Epistola directa ad Stephanum & Concilium Africanum scribit. *Nam ut nobis Synodum sine ejus* (loquitur de Romana Cathedra) *authoritate fieri non est Catholicum, nec Episcopus nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica vocatione congregata, definitè damnari potest, neque ulla unquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolica authoritate.* Hoc idem scripserat Julius Papa ad Episcopos Orientales, & adfert Pontifex hanc Epistolam Athanasius Apolog. 2. ubi asserit Pontifex, hoc fuisse ab Apostolis traditum, & declaratum in Oecumenica Synodo Nicæna, scilicet non posse ullam convocari Synodum inconsulto, & inviso Romano Pontifice; & ante Nicænam Synodum Marcellus Papa, & Martyr Epist. ad Episcopos Antiochenæ Provinciæ scribit: Primò, ut possit quilibet Episcopus appellare ad Romanum Pontificem; Secundò ut nulla celebretur Synodus absque consensu, & mandtao Romani Pontificis; Tertiò ut nullus Episcopus nisi in legitima Synodo per Apostolicæ Sedis authoritatem convocata, cujuscunque criminis accusatur, judicetur. Hinc notum est in Synodo Chalcedonensi Oecumenica, caput accusationis contra Dioscorum Patriarcham Alexandrinum fuisse, quia Synodum convocaverit inconsulto Romano Pontifice, quod fieri non debuit, nec unquam alias factum fuerit. Hinc Theologi, & Canonistæ duas eruunt exceptiones hujus regulæ non convocandi Synodum Oecumenicam absque authoritate, approbatione, & mandato Romani Pontificis, quarum prima est, in casu, quo Papa fieret ipse infidelis, & Hæreticus, quia tunc ad Ecclesiam pertinet convocare Concilium, & de capite Ecclesiæ eligendo statuere: hoc titulo Baronius asserit, legitima fuisse instructum authoritate Clerum Romanum, quando Concilium Synœsanum convocavit adversus Marcellinum Romanum Pontificem, quia cum iste metu persecutionis, & mortis sub Diocletiano thus idolis adolevit, quæ & coluit, cum enim Pontifex incidisset in idololatriam pertinuit ad Ecclesiam Concilium congregare, & examinare causam, & modum consulendi Ecclesiæ de capite. Secunda exceptio convocandi Concilium Generale absque authoritate Pontificis est in casu Schismatis, si utrinque dubium esset, quisnam ex pluribus electis Pontificibus sit legitimus, ut contigit in Conciliis Pisano in Italia, & Constantiensi in Germania ubi ob ortum Schisma, & dubium Pontificem Ecclesia inconsulto Pontifice Concilia congregavit, in quibus depositis Pontificibus dubiis alios de novo creârunt, scilicet Pisanum Alexandrum V. & Constantiense Martinum V.

Verùm ut revertamur ad secundum Concilium Oecumenicum Constantinopolitanum plures in illo fuerunt Canones statuti, in quorum primo approbatur, & confirmatur Nicæna fides de Verbi Divini cum Patre Consubstantialitate, simulque damnantur dogmata nefaria Macedonii, & Eunomii, qui negârunt Spiritum Sanctum DEum esse, cumque asserentes creaturam Filii, ac diversæ, & inferioris à Filio substantiæ. Execrantur itidem ac proscribuntur hæreses Photini dicentis Christum tantùm hominem esse; & non DEum, & etiam hæresim Sabellii unicam in Deo Personam asserentis, tribus tantùm nominibus pro suarum diversitate operationum significatam, adeo ut una, ac eadem Persona ratione creationis dicatur Pater, & quia mundum redemit, Filius, & quia animas sanctificat per infusionem gratiæ, Spiritus Sanctus. Rursus execratur etiam, & reprobatur hæresis Apollinaris Laodiceni, negantis in Christo animam humanam, & asserentis ejus vices Verbum gerere in corpore assumpto. In Canone secundo statuit ne, ultra propriarum Ecclesiarum fines Episcopi divagentur, nisi à locorum Episcopis rogati ordinationes faciant, & id habetur *in cap. Episcopi, qui extra Diœcesin. 9. q. 2.* hoc idem etiam statuerant Apostoli in can. 24. quo jubentur deponi Episcopi, qui intra alienos fines Sacros ordines contulerunt, ut etiam jubentur excludi Clerici, qui ordinati sunt. Rursus Concilium Antiochenum sedente Papa Julio in *Can.* 22. qui citatur à Gratiano *cap. Episcopum non debere. 9. q. 2.* hoc idem statuit, ut & Concilium Tridentinum *Sess. 6. de Reformation. c. 5. can. 3.* Et quia in Synodo Constantinopolitana Can. 3. fuerat Statutum, ut Episcopus Constantinopolitanus

nus haberet priores honoris partes post Romanum Episcopum, eò quòd Constantinopolis sit nova Roma: hunc Canonem Damasus in Concilio Romano reprobavit & delevit, eò quia editus fuerit ex mera ambitione, ac præjudicaret Sedibus Patriarchalibus à Nicæna Synodo confirmatis novamq; invehebat authoritatem, quæ favore Imperatoris morantis Constantinopoli contra Romanũ Pontificem supremum Pastorem totius Dominici Gregis à Christo in Persona Petri constitutus insolentius insurgeret, ut postea contigit orto Schismate, è quo veluti è putido fonte plures scaturierunt hæresum corrupti rivuli, qui totum Orientem infecerunt. Eundem ambitiosum ausum renovarunt Græci in Synodo Chalcedonensi, cui tamen se statim opposuit Leo Magnus, & conatum illum irritum effecit, ac vanum, ut habetur in Epistola 51. ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum, & in Epistola 52. ad Martianum Augustum, & Epist. 53. ad Pulcheriam Augustam, ubi hunc tertium Canonem indicat scribens: *Frustra quorundam Episcoporum profertur consensus, cui tot annorum series negavit effectum*: quinimo etiam Justiniani Imperatoris prodivit novena 130. quæ Græcæ ambitioni ac vanitati non modicè favit; ait enim Imperator: *Sancimus secundùm ipsorum fines, Sanctissimum veteris Roma Papam primum esse omnium Sacerdotum: Beatissimum vero Archi-Episcopum Constantinopolis nova Roma secundùm Ordinem obtinere post Sanctissimum Apostolicum thronum veteris Roma.* Hanc Imperatoris novellam Græci Episcopi statim inseruerunt *libro* 5. *Basilicon. cap.* 3. sed Novella Justiniani nullum obtinuit robur, nullamque authoritatem, eò quia emanavit à laica potestate, quæ nequit se extendere ad Ecclesiasticos, neque se immiscere in rebus Ecclesiæ, quapropter hæc & alia id genus decreta emanata à Laica potestate in personas Ecclesiasticas fuerunt statim à supremo Ecclesiæ Judice reprobata: & quia Pseudo-Synodus Trullana sub altero Justiniano similem edidit Canonem, eum reprobarunt summi Pontifices cum Trullana Synodo, præsertim Damasus, Leo Magnus, Gregorius Magnus *lib. 6. Epist.* 31. ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum, ut etiam Nicolaus I. Epist. ad Michaelem Imperatorem, cui initium: *Proposueramus*, ut etiam Leo Papa IX. Epist. ad alterum Michaelem Imperatorem. Sed gradus ille secundus tandem à legitima potestate concessus fuit Episcopis Constantinopolitanis per decretum Innocentii III. in Concilio Generali Lateranensi, quod refertur in cap. Antiqua de privileg. & revera Episcopus Constantinopolitanus per plura sæcula fuit tantum suffraganeus Metropolitani Episcopi Heracleæ, ut testatur Balsamon. In quarto Canone declaratur irrita promotio Maximi Cynici ad Episcopatum Constantinopolitanum, ut etiam invalidã omnes Ordinationes ab ipso factæ, & Synodus declarat maximum Syndicum nunquam fuisse, neque esse Episcopum. In sexto Canone Synodus prohibet, admitti accusationes contra Episcopum ab eo intentatas, qui vel hæresi est infectus, vel anathemate percussus, vel condemnatus vel infamis, nisi prius se bene purgaverit, labèmque extersetit infamiæ. Quinimò in eodem Canone VI. statuitur, ut in accusatione Episcopi possit à Provinciali Episcoporum Synodali judicio recurri ad majorem Synodum. Diœcesis Episcoporum moris fuit, ut in remotioribus regionibus, maximè in Oriente, cognitio de Episcoporum delictis ad judicium referretur Episcoporum in Synodis. Limites enim, & gradus Episcopatuum varii erant, ut & Synodi ab Episcopis convocandæ. Primò erat gradus Episcoporum, qui subiiciebantur alicui Metropolitano, & isti non aliis præerant, quàm inferioribus Clericis, & Laicis, nec aliam potuerunt Synodum cogere, quàm subditorum Clericorum: & horum Episcoporum ditio, quæ nostris temporibus Diœcesis vocatur, olim parœcia dicebatur. Secundus gradus Episcoporum erat Metropolitanorum, quorum potestas, & jurisdictio in omnem Provinciam complectentem Episcopatus protendi consueverat, & hi Episcopi Synodos Provinciales Suffraganeorum Episcoporum indicere poterant ex tota Provincia. Tertius Gradus comprehendebat Episcopos, qui pluribus Ecclesiasticis Provinciis præficiebantur, & hi Episcopi nuncupabantur Patriarchæ, vel Primates, quorum ditiones, ac præfecturæ vocabantur Diœceses, & inde Congregatæ Synodi dicebantur Diœcesanæ in quas ex pluribus Provinciis conveniebant Episcopi. Supra Primates constituti erant Patriarchæ, qui Archi-Episcopi etiam vocabantur. Patriarcharum ac Primatum Concilia à Græcis Diœcesana, à Latinis Generalia vocabantur, quamdiu nullum Oecumenicum apud Latinos fuerat Concilium celebratum. Convocatio Synodorum Oecumenicarum ad solum pertinet Romanorum Pontificem, qui cum sit supremus Pastor totius Dominici gregis, tantum illi inest summa per omnem Ecclesiam toto orbe diffusam potestas, & illi uni cæteri omnes Patriarchæ subiiciebantur.

Cæterum in hac Constantinopolitana Synodo Episcopi parum soliciti de conservanda justitia, & promovendis Ecclesiæ commodis propriis indulgentes affectibus, plures concitaverunt perturbationes, & multa egerunt Episcopis indecora, & Ecclesiasticis indigna, quæ describit Gregorius Nazianzenus in Carmine de vita sua, ubi fatetur plura in hoc Concilio, cui interfuit, fuisse indigna passum: siquidem depulto invasore Maximo fuerat Gregorius Nazianzenus ad Episcopatum Constantinopolitanum promotus non solùm consensu totius Concilii, verùm etiam communi applausu, ac totius populi acclamationibus ob insignem pietatem & doctrinam, adeo ut pro tam insigni electione Theodosius Augustus aggratulatus fuerat universo Concilio, & nihilominus hæc eadem Synodus non post paucos dies eundem Gregorium repulit, despexit, & loco meritissimi viri indignissimè dejecti suffectus fuit vir indignus, & incapax, scilicet Nectarius nondum Christianus, sed adhuc Catechumenus.

Tertia Synodus Oecumenica fuit Ephesina, coacta sub Theodosio Juniore Imperatore, & Cælestino I. summo Pontifice Ephesi, quæ est minoris Asiæ Metropolis. Causa, & occasio hujus Synodi congregandæ fuit Nestorius Hæresiarcha. Convenerunt Episcopi ducenti, ex quibus Patriarchæ fuerunt Cyrillus Alexandrinus, qui locum etiam obtinuit Romani Pontificis, cujus fuit Legatus de latere: Joannes Antiochenus, & Juvenalis Hierosolymitanus, quamvis Joannes, quia se adhuc in itinere constituto Concilii decretum factum fuerat, initio dissentiere cœpit à Cyrillo, cui postea reconciliatus fuit, & idem senserunt. Nestorius igitur, qui occasionem præbuit Synodi congregandæ, novam invenit Hæresim, quâ Christum in duas personas dividebat, scilicet humanam & divinam, & asserebat Mariam Virginem genuisse personam hu-

manam

manam à divina prorsus discretam, & quia hæc hæresis statim per plures Orientis Provincias cœpit propagari, gravissimas in Ecclesia excitavit turbas. Nestorio Episcopo Constantinopolitano se inconcussa pectoris firmitate animique adamantina constantia se opposuit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, quem Nestorius epistolis primùm urbanissimis adnixus est à præconcepta sententia dimovere, sed quia fides tam enormiter læderetur, Cyrillus acriùs cœpit in Nestoriũ invehere, quinimò & ipse Joannes Patriarcha Antiochenus sub initium se Nestorio opposuit, sed postea contra fas omne Nestorio adhærens, cujus hæresim contra Cyrillum acerrimè propugnavit. Hinc Nestorius firmius in suum animum fixit hæresim, quæ latiùs in totum Orientem grassari cœpit, cumque Cyrillus per epistolas monuisset Cœlestinum Romanum Pontificem de his, quæ in Oriente contigerant, Cœlestinus Romæ plurium Episcoporum Concilium coegit, in quo damnatus fuit error Nestorii, eique decem indulgenter dies, intra quos, nisi errorem publicè ejuraverit, à notificato eidem Concilii decreto dignitate Episcopali destitueretur, ac anathemate percussus à reliquis fidelibus resecaretur, & horum executio Cyrillo committitur, cui Cœlestinus Papa officium Legati Sedis Apostolicæ, & suas vices, ac potestatem demandaverat. Cyrillus, Romano obtemperaturus Pontifici, Alexandriæ Synodum Episcoporum sibi subditorum congregavit, in quâ duodecim contra Nestorianam hæresim ac impietatem anathematismi cusi & excusi sunt: Quinimò quatuor etiam ad Nestorium Episcopos delegavit cum litteris synodalibus, qui eum commonerent, ut resipisceret, alioquin se sciret anathemate percussum. Sed Nestorius missos Episcopos à se repulit, & majori impietate desæviit in fideles quosque, cumque procellæ sævirent atrociores in Ecclesiis, interpellatus fuit Theodosius Augustus ad sedandos subortos fluctus. Hinc Theodosius Synodum Ephesi Oecumenicam indixit, ad quam misit Irenæum & Candidianum familiaritate conjunctissimos Nestorio, in quem ipse Theodosius etiam erat animi propensioris. Cùm enim Cyrillus increbrescente Nestorii hæresi computâsset libros Nestorii directos ad Theodosium, Eudociam & Pulcheriam, cœpit Theodosius Nestorio patrocinari. Itaque Concilium Ephesi aperitur Anno Christi 431. ubi ter citatus Nestorius ad se purgandum, & recusans ex pervicacia mentis se sistere, adductis probationibus, & sedulo examine perpensis libris & literis, aliisque scriptis à toto Concilio declaratur Hæreticus, & privatur Episcopatu. Quinto die appulit ad Concilium Joannes cum suis Episcopis, quos inter eruditionis & eloquentiæ laude præcellebat Theodoritus Cyri in Palestina Episcopus. Isti conquesti, quòd non fuerint diutiùs expectati à Concilio, & suis privatis affectibus indulgentes, aliam excitant in Ecclesiam procellam, convocantes in eadem civitate aliam Synodum, in quâ acta legitimi Concilii rescinduntur, & cæca perciti cupiditate ulciscendi Cyrillum Patriarcham Alexandrinum & Memnonem Ephesinum damnant, ut contaminatos hæresi Apollinaris, removentes animam intellectualem à Christo, ut ejus vicem teneret divina persona Verbi, tametsi tam perniciosum dogma nunquam in mentem Patrum Ephesinorum venisset. Aucupari voluerunt falsissimum hunc prætextum non alio fine, nisi ut inde viam sibi aperirent insectandi adversarios, quamvis sine ulla specie justitiæ. Cùm Antiochenæ factionis Episcopis junguntur Candidianus & Irenæus, qui intercipientes dolosè litteras ex legitima Synodo profectas pluribus calumniis per proprias falsas litteras Imperatorem, & Aulæ Proceres contra Patres Orthodoxos spargunt, quibus exosos faciunt, adeò, ut ex mandato Theodosii Imperatoris Cyrillus, & Memnon ille Alexandrinus Patriarcha, & iste Episcopus Ephesinus detrusi fuerint in carceres, verùm id non fuit impedimento, quin legitima Synodus Oecumenica suo pergeret officio fungi, cùm adhuc constaret plus quàm ducentis Episcopis. Verùm contigit, ut legitimi Concilii litteræ plenæ istarum querelarum per Virum fidelem sub ementito mendici habitu arundine inclusæ deferrentur ad Theodosium, & ejus sororem Pulcheriam Virginem eximiæ pietatis & prudentiæ, aliasque spectatæ virtutis personas. Hinc Theodosius compertâ rei veritate benevolũ se tandem exhibet sacræ Synodo, & acta per Candidianum & Irenæum revocat, & admissis legitimæ Synodi decretis, Nestorium in pristinum monasterium Antiochenum, in quo monasticam vitam antea professus fuerat, remittit, sed, ne Monachos aliosque falsâ doctrinâ perverteret, Oasin relegat, ubi exul infelicem vitam calamitosissimo exitu clausit, cujus blasphema lingua statim corrumpi & vermibus scatere cœpit, ejus libri conquisiti flammis fuerunt assumpti, & scripta igni tradita. Demum interveniente Theodosio cum Simeone Stilita, Viro celeberrimo, pax inter Cyrillum & Joannem cæterosque Orientales invecta fuit, & animi reconciliati in integrum restituti libenter legitimo Concilio acquieverunt. Celebratum fuit hoc Concilium Anno Domini 434. juxta Pselum ponentem solum intervallum Annorum 40. inter secundam & tertiam Synodum, sed juxta Onophrium adnotantem hanc Synodum celebratam Anno Domini 430. Consulibus Theodosio & Valentiniano contigit Anno 431. quæ sententia videtur communior. Vincentius Lyrinensis in lib. de profan. Voc. novitatibus prope fin. ita loquitur: *Ante triennium fermè in Asia apud Ephesum celebratum Concilium est Viris clarissimis Basso Antiochoque Consulibus*, vixit autem Vincentius fermè eodem tempore, quo hæc Synodus coacta fuit.

Quarta Synodus Oecumenica fuit Chalcedonensis. Expulso è cathedra Constantinopolitana Nestorio Hæresiarcha, Maximinianus sedem illam occupavit, rexitque, cui successit Proclus, & huic Flavianus, qui, cum Synodum Episcoporum triginta imperante Theodosio Juniore Constantinopoli celebraret, Eusebius Dorylæi Episcopus oblato libello exposuit Synodo, Eutychetem Presbyterum, & Archimandritam celeberrimi Monasterii in urbe regia prætextu declinandi errorem Nestorii, ambas Christi naturas ita confudisse, ut in unum mutuâ commissione coaluisse diceret. Concilium lecto libello ter Legatos misit ad Eutychetem, ut compareret, seque erroribus purgaret. Verum Eutyches à Concilio citatus vanis & fictitiis excusationibus tergiversatur, ac detrectat sesistere coram Concilio. Verùm tertia citatione, ne incurreret aliquam anathematis sententiam, inducias septem dierum petiit, ut suam confirmaret valetudinem, quam fingebat. Verùm intra id tempus Chrysaphio Eunucho, qui præ cæteris favore gaudebat, & gratia Imperatoris, & Eutycheti amicitiâ conjunctus erat, à quo de sacro fonte elevatus fuerat, suam causam impensè commendavit. Eunuchus patrocinium suscepit Eutychetis, & Theodosio suadet, ut Florentium Patritium cum potestate jubeat Synodo interesse.

Manda-

Mandatum Theodosii detulit ad Synodum manus Silentiarius, cum quo Eutyches etiam comparuit cum suis Monachis, Prætorianorum militum satellitio stipatus, arrogantiâ tumidus, pervicaciâ infractus. In hisce rerum angustiis Patres gratulabundi Florentium excipiunt, seque multum debere Theodosio fatentur, eò quia tanto Viro Oecumenicam Synodum præmunivisset. Eutyches suæ sententiæ exponit sensum Synodo, à quâ admonetur, ne contra receptam in Ecclesia fidem quidquam innovet, & abjurato errore reverteretur ad Ecclesiæ unitatem. Sed Eutyches in sua persistens contumacia tandē sacerdotio, & Monasterii præfectura destituitur, subscribentibus sententiam triginta Episcopis, & viginti tribus Abbatibus, sed Eutyches à Concilio condemnatus acriùs cœpit contra Synodum furere, quam libellis scriptisque per compita & fora Civitatis affixis, proscindit, novasque in suum favorem factiones excitat, quinimò ad Leonem Romanum Pontificem per litteras conqueritur, quòd Nestoriana hæresis per Flavianum Constantinopoli revixerit, & indies incrementum subiret; seque fidem Ephesinam, quâ par est constantiâ prædicantem fuisse, Nestorianorum factione oppressum, sui præfecturâ Monasterii spoliatū, anathemate percussum, quamvis non auditum, & id, cum appellaret ad Sedem Apostolicam. Huic Leo Papa litteras rescripsit plenas benevolentiâ, sed cùm Papa accepisset postea Flaviani litteras cum omnibus Synodalibus actibus, damnationem Eutychis approbavit, qui exclusus hoc effugio à Romano Pontifice & à Synodo, tandem provocavit ad tribunal Theodosii; qui persuasus à Chrysaphio novam Synodum indixit, & Eutychiani Monachi hinc inde concursant, & tumultuantur plures ex aula & plebe partibus Hæresiarchæ addicti, lætantur, gaudentque, quòd nova congregetur Synodus, quæ tamen exploratis prioris Synodi actis hanc approbavit & confirmavit, & Flaviani sinceritas clarior splenduit, ut & Eutychis perversitas luculentiùs toti Orienti innotuit, qui ad aliquod subsidium trahendum pro desperata sua causa dissidium inter Episcopos serere incipit. Dioscorum olim Magni Cyrilli Alexandrini Diaconum, & nunc in Alexandrino Patriarchatu indignissimum Successorem, hominem nequam, nebulonem pluribus sceleribus inquinatum, Chrysaphii clientem, & Flaviano ob sedium æmulationem, morumque contrarietatem infensum in suas facilè partes allexit, traxitque sub specie propugnandæ fidei contra Nestorianos. Agit per Literas cum Theodosio Dioscorus, qui persuadet, novam indicere Oecumenicam Synodum, eò quòd tot insurrexerint contra Eutychem Episcopi, ut videantur suborta dissidia non posse componi, neque difficultates dirimi, nisi per Concilium generale. Obstitit Flavianus huic suggestioni, ut & Leo Papa, qui per literas directas ad Theodosium & alios reclamavit; sed Chrysaphii & Dioscori persuasiones plus habuerunt roboris ad flectendum animum Imperatoris ad indicendum novam Synodum, quàm Pontificiæ epistolæ ad illum retrahendum Theodosium, qui consentiente tamen Pontifice novam Synodum Oecumenicam indixit Ephesi celebrandam post Annos novendecim à prima Synodo Ephesina, ad quam Leo suos direxit Legatos duobus instructos epistolis, una ad Synodum, altera ad Flavianum, quibus Catholicam fidem Pontifex contra errores Eutychis dilucidè explicat. Hinc docemur, quòd, quamvis Imperatores vel Reges congregent Concilia ecclesiastica, non tamen illius sunt valoris, quia, cùm sint Principes sæculares, carent potestate indicendi Synodos Oecumenicas, adeo ut pertineat ad solum Romanum Pontificem annuere, ut congregentur, neque ex eo, quòd Pontifex suos mittat de Latere Legatos, adhuc quæ in Synodo sanciuntur, nullius sunt valoris, donec à Romano Pontifice examinentur, & suâ muniantur approbatione. Ad hanc igitur novam Synodum Ephesinam convenerunt Dioscorus Alexandrinus, Domnus Antiochenus Successor illius Joannis, qui priori Ephesinæ Synodo præfractè se opposuerat, Juvenalis Jerosolymitanus, & Flavianus Constantinopolitanus. Theodosius ad hanc Synodum Barsumam Archimandritam, qui nomine totius Ordinis Monastici interesset, Imperatoria etiam munitus authoritate, quâ Antistites insectaretur, qui Eutychem damnârunt. Eique adjunxit Comitem Elpidium, hujus novæ Synodi defensorem seu conservatorem, cui etiam injunxit Imperator, ut Episcopis, à quibus fuerat Eutyches damnatus, omnem judicandi potestatem adimeret, hisce iniquis auspiciis, ac præmissis violentiis coacta fuit Elphesi hæc secunda Synodus, in quâ ante omnia jubet Epidius de actis Constantinopolitanæ Synodi sub Flaviano examen haberi, cui se opponunt Legati Apostolici, qui primi omnium litteras postulant recitari Leonis. Ad hæc tumultuant Eutychiani, & præ omnibus obstrepit Eutyches, asserens Legatos Pontificios omni non carere suspicione, dixitque esse Flaviano addictos, & apud eum pransos, excitatque adversus eos suos Asseclas, sitque ingens tumultus, & unanimes Eutychiani denegant Pontificiis Legatis primatum in sedendo, quem sibi Dioscorus usurpat, quæ causa fuit, ut è Synodo Legati discederent, qui tamen paulò post revocantur. Sed valida trecentorum Monachorum manus plures armatos milites secum trahens in Synodum irrumpit. Horrendis vociferationibus implentur omnia, verberibus etiam afficiuntur Orthodoxi Episcopi, qui indignè tractantur, Notarii dirè vexantur, quibus etiam digiti effringuntur, & Synodi tabulæ disrumpuntur. Flaviano silentium indicitur, & ejus Asseclæ in carceres intruduntur, adeo, ut solus Dioscorus se hujus Synodi caput asserat, & soli ejus Asseclæ sibi usurpant omne judicium hujus causæ, ejicientes è suo Episcopatu Domnum Antiochenum, & Theodoritum Cyri, & Ibam Edessæ, quamvis uterque abesset. Alii, qui interfuerunt Episcopi partim metu adacti, partim sponte Eutychiani puris & albis membranis subscribunt, tametsi quid in iis esset scribendum, iisdem non constaret. Legati Apostolici clam evaserunt ex illo Concilio, postquam frustra reclamârunt. Et quia Flavianus appellavit ad Apostolicum Tribunal, Dioscorus ex Episcopo Carnifex factus tam atrocibus eum excepit verberibus, ut toto corpore contusus, & fractus vulneribus in exilium deportatus post triduum ita excessit, in cujus locum statim subrogatus Anatolius Diaconus, qui erat Apochrysarius Dioscori. Harum calamitatum accepto nuntio explicari nequit, quanto animi dolore Leo Flaviani audierit necem, & Episcoporum Catholicorum depositiones, vincula, exilia, prostratam & pessundatam religionem, & veluti triumphum agentem hæresim, non sine jubilo totius Orientis. Hinc Pontifex hanc secundam Ephesinam Synodum statim Romæ rescindit, damnavitque, non ut Concilium, sed ut latrocinium, & Dioscorum, qui huic incendio flammas adjecit, & Eutychem anathemate percussit, & litteras statim ad Theodosium ejus-

que

quæ sororem Pulcheriam direxit, verùm etiam cum plerisque Italiæ Episcopis obviavit Valentiniano Augusto, qui cum Reginis Galla Placidia Matre, & uxore Eudoxia Romam religionis causâ ad invisenda Apostolorum limina veniebat, quibus Pontifex miserrimum religionis Statum in Oriente aperuit, non siccis oculis, propterea suis precibus obtinuit, ut Valentinianus & Regino Theodosio per litteras suaderent, ut miseratus calamitosum Ecclesiæ statum curaret novo, & legitimo, liberoque Concilio examini subdi, quæ per militum violentiam, & Monachorum insolentiam gesta erant Ephesi. Intentio Leonis erat, ut nova Synodus in Italia indiceretur ubi cum majori libertate poterant Episcopi suam proferre sententiam, sed Theodosius ab Hæreticis præoccupatus flecti noluit Valentiniani & Augustarum precibus. Quinimò per edicta ubique promulgata Ephesinum Conciliabulum Nicænæ Synodo jussit æquari, sed non multò post ipse morte præventus cessit è vita. Et Leo, quod à Theodosio impetrare non valuit, à suo Successore Martiano Principe pietate & religione commendato obtinuit, cui approbante Senatu se ipsam nuptui dedit Pulcheria, eâ tamen lege, ut sibi virginem esse liceret. Acceptis igitur Leonis litteris, Marcianus suadente Pulcheriâ, Synodum generalem Chalcedone indixit, distantem tantum stadiis septem ab urbe regia eo fine, ut illi commodè possit interesse, suamque authoritatem impertiri, ut Factiosi, qui antea tot turbas, & tumultus excitarunt, in officio continerentur. Ad Leonis petitionem explorata in primis fuit Anatolii fides, & admissa ejus publica fidei professio, quâ damnavit Eutychetis errores, & Dioscori perfidiam, & Imperator Marcianus superstites Episcopos, quos Synodus Ephesina expulerat, revocavit, ut ad legitimam Synodum convenirent. Hisce melioribus auspiciis apertum fuit quartum Oecumenicum Concilium Chalcedone, quæ urbs est Bithyniæ Bosphoro è regione Constantinopolis adjacens intra templum St. Virginis, & Martyris Euphemiæ.

Igitur Anno Christi 451. ut communior fert opinio juxta Sigebertum datur initium quarto Concilio Oecumenico Chalcedonensi, præsidentibus Leonis Romani Pontificis Legatis Pascasino Lybibetano, Lucentio Asculano, Juliano Coënsi Episcopo, & Bonifacio Presbytero. Secundus post Apostolicos Legatos sedit Anatolius Episcopus Constantinopolitanus; tertius Dioscorus Episcopus Alexandrinus; quartus Maximus Episcopus Antiochenus; quintus Juvenalis Jerosolymitaus, & alii deinceps. Principes à Marciano missi, ut Concilio interessent, in medio consederunt ante cancellos Altaris. Sed Legati Apostolici ante omnia obtestati sunt, non decere Dioscorum Alexandrinum utpote reum, qui præcedentes tumultus & dissidia excitaverat, inter Episcopos sedere ut Judicem, cùm judicandus esset ut reus. Eusebius Dorylæi libellum exhibet contra Dioscorum refertum sceleribus, ac delictis ab ipso patratis in Concilio Ephesino. Mox leguntur acta Synodorum Constantinopoli sub Flaviano, & Ephesi sub Dioscoro, fremúntque Patres contra Dioscorum, auditis ejus sceleribus. Dicitur Dioscorus omnia refundere in Patres Concilii Ephesini, asseritque ipsis invitis, & inconsultis nil à se fuisse intentatum, sed Patres institerunt ei objicientes vim illatam per introductos milites: Hinc convictus enormium scelerum Dioscorus de gradu & sessione in Synodo dejicitur, & præsertim, quia ausus fuerit Synodum convocare sine authoritate Apostolicæ Sedis, quod antea à nullo fuerat intentatum, & adduxerunt epistolam St. Marcelli Papæ Martyris ad Episcopos Antiochenæ Provinciæ; quibus scribit esse Canonem Apostolorum, ut non possint Concilia celebrari sine consensu Romani Pontificis, quod etiam testatur Julius Papa epistolâ ad Orientales Episcopos, quam referunt Anastasius *Apolog.* 2. Socrates *lib.* 2. *cap.* 13. Sozomenus, Nicephorus *lib.* 9. *cap.* 5.

In secunda actione recitantur symbola Nicænum, & Constantinopolitanum, & leguntur litteræ Cyrilli ad Nestorium, & Joannem Antiochenum, ut & illæ Leonis Papæ ad Flavianum, & epistola Leonis perlecta eidem Patres plauserunt, acclamârunt Petrum per Leonem fuisse locutum, & Dioscorus, qui se subduxerat, citatur ut reus, qui sibi flagitiorum conscius refugit se actionibus secundæ & tertiæ sistere, sed post tertiam compellationem recusans venire, accusatur & judicatur absens. Proferuntur etiam Alexandrinorum testimonia de vastatis agris, incensis ædibus, conculcatis segetibus, violatis Virginibus, fœdatis connubiis per ejusdem Satellites & Ministros: Hæc ob scelera, & ob causas tot turbulentiarum ac tumultuum, ac demùm propter tot violentias adhibitas in Eutychis causa damnatus fuit à sacra Synodo, & dignitate privatus. Alíisque Episcopis Ephesinis petentibus humiliter veniam post editam ab eis convenientem fidei confessionem Synodus Chalcedonensis indulsit. Iba Edessæ, & Theodoritus Cyri Episcopi restituuntur pristinis suis Ecclesiis ac dignitatibus, quibus destituti fuerant à Synodo Ephesina, & fides unanimi consensu Patrum fuit confirmata juxta regulam scriptam à Leone Romano Pontifice in sua epistola, & declaratum Christum Dominum JEsum ex duabus distinctis naturis, divina & humana inconfusis, & impermistis constare divinitate Patri æqualem, & consubstantialem humanitate nobis similem per omnia, excepto peccato. Negaverat enim Eutyches, Christum ex Virgine carnem traxisse, contra Apostolum ad Roman. 1. ubi scribit: *Qui factus est ex sanguine David secundùm carnem*, & contra illud ad Hebr. 2. Quòd non Angelos, & minùs corpus cœleste, sed semen Abrahæ apprehendit Christus, qui post resurrectionem carnem & ossa se habere asseruit. Luc. 24. Et contra illud Apost. 1. Corinth. 15. Marcianus itaque Imperator rebus jam Synodo pacificè constitutis ad sacrum Concilium accessit, cujus Actioni sextæ interfuit cum Martiano etiam Pulcheria Augusta de Ecclesia optimè merita. Peracta tandem Actione 15. soluta est Synodus Oecumenica Chalcedonensis, ex qua recesserunt Comites, & Senatus, ut & Legati Apostolici. Sed Anatolius clam congregatis Orientalibus præter Ægypti Episcopos nondum creato Alexandrino in locum exclusi Dioscori Canones tres adulterinos & obreptitios edidit, quorum primo constituebatur primatus & concedebatur Episcopo Constantinopolitano, eò, quià hæc civitas sedes esset Imperatoris, ac secunda Roma insistendo sanctioni Synodi Oecumenicæ coactæ Constantinopoli sub Theodosio seniore, & æqualia privilegia cum veteris Romæ Episcopo possideret, & secundum propterea dignitatis locum immediatè post Romanum Pontificem eidem debere. Rursus conveniens esse, ut Constantinopolitanæ Ecclesiæ utpote Patriarchali debere subjici omnes Metrodolitas per Pontum, Asiam & Thraciam. Tertio asserebat fuisse à Synodo concessum Episcopis Ægypti, ut possent protrahere, ac differre subscribere sacræ Synodo, donec Alexandriæ creatus Episcopus esset, eò, quia talis esset apud ipsos consuetudo, ne quidquam incon-

inconsulto Alexandriæ Antistite in causâ communi agerent, & subscriberent. Verùm cum fraus Anatolii Legatis Apostolicis innotuisset, novam, ac decimam sextam obtinuerunt iniri sessionem, in quâ reclamârunt contra Canones subreptitios, & contrarios Nicænæ Synodo, ac contra normam legitimorum Conciliorum furtim editos. Manifestârunt insuper Leonis Papæ commonitorium, in quo inter alia capitula illis mandaverat, ut sanctorum Patrum Constitutionem probatam nulla paterentur temeritate violari, servantes omnia inserta monitorio.

Cæterùm Canon tertius Chalcedonensis Clericis interdicit conducere alienas possessiones lucri causâ & aliena negotia gerere, ut & sæcularibus negotiis se immiscere, exceptâ piâ causâ viduarum & pupillorum, & consonat Apostolorum Canon septimus, ubi habetur: *Clerici curas sæculares non assumant.* Canon quartus Chalcedonensis damnat Monachos concursantes temerè per Civitates, cui similis est etiam Canon 42. Synodi Quini-sextæ jubetur coërceri ab Episcopis Eremitas subjectionis jugo solutos, & vagos. Canon sextus vetat, quemquam ordinari Clericum, nisi cum deputatione ministerii ad certam Ecclesiam. Canon nonus observatu est dignus, ex qua parte statuit, ut, qui adversus Metropolitem agat querelam, liberum ei sit judicia experiri, vel apud Primatem, vel apud Patriarcham, qui eminebat supra Exarchos & Primates, ita tamen, ut quæ inferioris gradus Episcopus in proprios subditos competebat potestas, & jurisdictio nil pateretur detrimenti ex Præsulum superioris gradus authoritate, salva tamen appellatione & jure, quo pacto Ormista Pontifex Romanus epist. 1. ad Remigium Remensium Episcopum directa, ita illi vires suas per universum Clodophæi Regnum committit, ut expresè fuit protestatus, nil velie detractum de pristinis Metropolitanorum singulorum in suas Provincias juribus, & hoc idem etiam fuit protestatus St. Gregorius Papa, cùm jus suum commisit Virgilio Arelatensium Episcopo. In Canone 10. prohibet Synodus Calcedonensis Clericum ordinari in duabus simul Ecclesiis, ut etiam ab una in aliam transire, quòd si inanis gloriæ causa, vel avaritiæ cupiditate id faciat, statuit esse à secunda Ecclesia removendum, & ad priorem reducendum. In Can. II. cavet, ne litteras commendatitias pauperibus peregrinantibus Episcopi concedant, sed tantùm pacificas; ac reservent commendatitias solis honorabilibus personis, quarum virtus perspecta & explorata est. Canone 14. inhibet nuptias cum persona infideli, & hæretica, nisi promittat conversionem ad fidem Catholicam; idque prohibitum etiam fuit in Synodo Laodicena, *Can.* 10. ubi dicitur: *Non oportet cum omni Hæretico matrimonium contrahere, vel dare filios aut filias, sed magis accipere, si se Christianos futuros polliceantur.* Hoc idem sancivit Concilium Agathense, Can. 67. inquiens: *Non oportet cum omnibus Hæreticis miscere connubia, & vel filios vel filias dare, sed potius accipere, si tamen profiteantur Christianos futuros se esse & Catholicos*: et refertur in Decreto Gratiani *c. Non oportet cum omnibus* 28. *quæst.* 1. Rursus Synodus Chalcedonensis Can. 15. prohibet Diaconissam ordinari ante Annum quadragesimum; quòd, si eadem post susceptam manuum impositionem alicui viro nupserit, eam anathematizat simul cum viro, qui ei copulatur. Notandum diversas fuisse manuum impositiones in collatione Sacramenti Confirmationis & Ordinis, ut & ad preces solemnes supra pœnitentes, ad absolvendos ac reconciliandos pœnitentes, ad consecrandas Virgines aut Diaconissas, quæ insigne virginitatis non suscipiebant ante quadragesimum ætatis annum; & denique ab exorcistis super energumenos: Moris enim fuit, quò super his omnibus haberetur manuum impositio juxta Concilium Carthaginense quartum, can. 90. Rursus Synodus Chalcedonensis can. 16. sanxit, non licere Virginibus Deo consecratis cum Monachis nuptias inire, & contravenientes percutit anathemate. Can. 19. Jubet, singulis Annis Provinciales Synodos bis convocari, quod etiam statuit Concilium Nicænum can. 5. Rursus Synodus Chalcedonensis can. 20. inhibet Episcopis suscipere Clericum alterius Episcopi sub pœna privationis Communionis, adeo, ut tam suscipiens, quàm susceptus Clericus Communione privantur, quod etiam statutum fuit in Concilio Nicæno can. 15. Rursus Can. 24. prohibet, Monasteria semel ab Episcopo consecrata fieri imposterum sæcularia; & Can. 25. sancit, Episcopos esse intra trimestre ab electione consecrandos, excepto casu inevitabilis necessitatis; hoc idem etiam statuit Concilium Tridentinum, sess. 23. cap. 2. Rursus vult Canon Chalcedonensis Synodi proventus Ecclesiæ viduatæ suo Pastore integros & intactos conservari penes Oeconomum ejusdem Ecclesiæ: Per Ecclesiam viduatam intelligit, quæ, tametsi electum ac confirmatum habeat Episcopum, non tamen consecratum, quia defectu Consecrationis non inservit Ecclesiæ. Hoc idem etiam declarat Pelagius Pontifex, *dist.* 100. *cap. quoniam.* Et Innocentius III. *cap. Inter temporalia de consecrat.* ubi ait: *Illa dicitur Ecclesia viduata, quæ, licèt Episcopum habet, inutilem tamen habet, non quasi sponsum non habeat, sed quia sponsus ejus nondum sit consecratus.* Synodus verò Quini-sexta Can. 35. qui refertur in Decreto Gratiani 12. *quæst.* 2. *cap. Non liceat.* statuit: Integras Ecclesiæ viduatæ fructus esse Successori Episcopo statim ab ejus ordinatione, seu consecratione persolvendos, quod etiam decrevit St. Gregorius Papa, *lib.* 2. *epist.* 25. *& sequent.* & *lib.* 3. *epist.* 11. Verùm in Galliis ex vetusta consuetudine, quæ Regaliorum jus dicitur, omnes reditus fructusque Cathedralium Ecclesiarum, & Abbatiarum nec quidem exceptis Præbendis vacantibus, quarum conferendarum potestatem haberet Episcopus, transeunt jure Regaliorum ad Dominium Regis, donec Episcopi & Abbates de novo provisi, Regi fidelitatem juramento obstrinxerint. Solet autem Rex hos omnes reditus donare Sacello Parisiensi. Solet etiam eodem jure Regaliorum disponere de Præbendis eo tempore vacantibus in favorem cujuscunque, prout Regi magis libuerit, adeo, ut si vacante Episcopatu, vacet Præbenda aliqua, ad Regem pertineat eam conferre cuilibet Ecclesiastico, prout ipsi magis libuerit. Sunt tamen in Francia aliquot Ecclesiæ, quæ ab hac servitute eximuntur, ut refert Renatus Chopinus, lib. 1. de sacra Politia Annorum 1137. & 1206. & 1208.

## Caput II.

# CAPUT II.

## De Aliis Conciliis Generalibus Occidentalibus cum suis historiis.

PRæter quatuor prærecensita Oecumenica Concilia, quæ in Ecclesia semper habita fuerunt in tanta authoritate, ut æquiparata fuerint veluti quatuor Evangeliis, fuerunt plura alia universalia Concilia coacta contra Hæreticos ad eorundem coërcendam audaciam, & sedandos tumultus: & quamvis Synodi Ephesinæ, & Chalcedonensis Nestorianam perfidiam, & impietatem Eutychianam prostraverint, non tamen radicitus extirpârunt: siquidem incendium, quod Nestoriani, & Eutychiani in Oriente accenderant, sopitum quidem fuit in præfatis Conciliis, non tamen penitus extinctum, pertinax enim malitia in animis Eutychianorum venenum hæreseos semper fovit, & nova factionum molimina in dies enutrivit. Cùm jam dudum confutati essent errores Origenis, multis tamen in locis repullulârunt, & innumera propemodum dissidia per totum Orientem excitabantur. Eutychiani, qui imperante Marciano piissimo Principe ex metu potius, quàm ex vera resipiscentia tacuerunt, post illius obitum in tantam proruperunt audaciam, ut per totam ferme Asiam, & finitimas Europæ Regiones cœperit iterum Eutychiana hæresis grassari, trésque Orientis Patriarchas contaminavit, Alexandrinum, Antiochenum, & Constantinopolitanum. Timotheus enim audito Marciani obitu, licet Chalcedonensem fidem ex Imperatoris metu propugnaverit, hoc nunc excusso, caput extulit, & Dioscoro adhæsit, cujus factionis duces fuerunt Ælurus, & Petrus Moggus, hi, ut refert Liberatus cap. 15. catervis stipati Hæreticorum Proterium Alexandrinum Episcopum, qui ex Chalcedonensi decreto in locum deturbati ab ea sede Dioscori subrogatus fuerat, tanto impetu fuerunt aggressi, ut eum in Baptisterio latitantem jugulaverint, pluribus vulneribus confoderint & interemptum flammis injecerint, donec in cineres totum corpus fuerit solutum, quos postea vento discipârunt. Ægerrimè hoc tulit Leo Augustus, qui Marciano successerat. Eodem tempore insolescebant Alexandriæ Eutychiani tumultum excitantibus Timotheo Æluro, qui post Alexandrini Episcopi cruentam cædem Catholicorum strages, ac horrendas interneciones, ubique per Orientem spargebant, & Petrum Moggum in Sede Alexandrina collocârunt. Antiochiæ itidem insurrexerunt Hæreticorum Sectæ authore Petro Cnapheo, qui Eutychetis hæresi addidit Theopaschitarum errores. Hinc excitata adversus Episcopum Antiochenum Hæreticorum calumniæ è sua ejecerunt sede, quam ipse violentus occupavit, quam postea elapsis aliquot annis alter Eutychianæ Sectæ propugnator, & propagator occupavit favore Imperatoris Anastasii, qui sublato è vivis Zenone Leonis Successore Romanum regebat imperium. Severus igitur occupata sede Synodum Chalcedonensem publicè anathematizavit, & Ordothoxos ad necem insecutus est, ac trecentos Monachos crudelissimè tortos interemit, Ecclesias Catholicorum Spoliavit, & omnia fidelium cruore fœdavit, ac cadaveribus funestavit. Neque minores furias passa est Ecclesia Constantinopolitana primo sub Acacio, qui Petrum Moggum in Alexandrino Episcopatu retinendo omni industria defendit, cui & opem tulit. Sed præter hæresin Eutychianam grassabatur etiam in Oriente pestis Nestoriana, quam fovebant Scripta quædam edita à tribus Authoribus, quorum primus fuit Theodorus Episcopus Mopsuestiæ, qui ante Synodum Ephesinam adversus Hæreticos Eunomium, & Apollinarem ita scripserat, ut unam Christi Personam, & Deum carne indutum, & Mariam fuisse Dei Matrem palam negaverit. Nestoriani igitur interdictis per Imperatoris edicta Nestorii libris, ne deesset, unde populi pestem Nestorianum ad se traherent, scripta Theodori ex industria evulgârunt, non tantùm Græco idiomate, sed etiam Syriaco, Persico, & Armeno, ut latiùs divulgarentur, & pestiferi errores longè propagarentur. Secundus fuit Theodoritus Episcopus Cyri, qui duodecim capitibus Ephesinæ fidei scriptis à Cyrillo Alexandrino totidem opposuerat, quibus Ephesinam fidem censuris aculeatis non modicè vulneravit. Tertius Author Ibas fuit, Edesenæ Civitatis Episcopus, qui scripta ad Marim Persam Epistola redarguit Rabulam decessorem suum, eò quòd immeritò Mopsuestenum, quem optimè de Ecclesia meritum, & strenuissimum Hæreticorum debellatorem asserit, anathemate percusserit, ac damnaverit. Rursus Dioscorus ejusque in Ephesino Conciliabulo Asseclæ Edesenum Ibam duas Christi naturas prædicantem adversus Eutychem acriter insectati sunt, veluti ab Ephesina Synodo discrepantem, & in carcerem etiam detruserunt, condemnarunt, ac deposuerunt, sed Ibas ab iis appellavit ad Synodum Chalcedonensem, quæ Ibam Nestoris dogmata non negantem communione fidelium restituit, ac pristinæ dignitati. Nestorianis, & Eutychianis alia se adjunxit in Oriente calamitas ex duobus Monachis monasterii Novæ Lauræ, seu S. Sabæ in Palestina, fuerunt hi Monachi Mommus, & Leontius Bysantinus, qui collectos ex Originis voluminibus maximos quosque errores, eos per totum Orientem disseminârunt, quorum summa erat: ante corpus animam extitisse in cœlo, & ibi plura patrâsse peccata. Cœlum, solem, & lunam, quæ Cœlis supernatant, aquas esse quasdam animatas, & rationabiles virtutes. In resurrectione Corporum hominum rotunda, & orbiculata excitatum iri. Omnium damnatorum dæmonum hominúmque tormenta finem habitura. Impios homines, ac dæmones in priorem suum à creatione statum esse restituendos. Pro dæmonum salute Christum iterum passurum, ac crucifigendum esse à malignis qui, in cœlis sunt Spiritibus.

Hi igitur errores, ne propagarentur, ac ulterius serperent, suppliciter id postulantibus Monachis quibusdam Hierosolymitanis, & cum ipsis etiam Pelagio Diacono Apochrysario Vigilii Papæ, & Menna Patriarcha Constantinopolitano Justinianus Imperator non solum Eutychianos, verum etiam Origenistas severo coërcuit edicto, quod Vigilii Romani Pontificis suffragio comprobatum fuit: in hoc enim asseritur ex Origenis libris Arium, Manetem, ac fere omnes reliquos Hæreticos tanquam immanes feras ex antris prosilientes Dominicum gregem devastâsse. Hocce decretum ægrè tulit Cæsareæ Cappadocum Antistes, Theodorus, qui Origeni erat addictissimus, & Secta Acephalus, sed revera quædam fuit propago Eutychianæ hæresis.

Theodorus igitur, ut Origeni, & Acephalis suppetias statim ferret, Justiniano Imperatori, cujus gaudebat favore, suadet, ne se tot curis, & laboribus premeret, ac oneraret in Acepholis insectandis & Synodo Chalcedonense propugnanda, ac tuenda, eò quia excitatus tumultus, & suborta dissidia facilè possent componi, & sopiri, si Mopsuesteni Theodori libros, & Ibæ Epistolam & Theodori capitula publico edicto damnaret, eò quia non aliam ob causam cum Eutyche sentiant populi, quamvis in varias disecti sectas, & partes. Hisce detersis tribus maculis facilè omnes suscepturos Chalcedonensem Synodum. Hæc mendacissimè & vaferrimè suggessit Theodorus Justiniano in eum finem, ut fides Synodi Chalcedonensis abrogaretur, cujus Canones ne legerentur suasit Imperatori, eò quia si de singulis, quæ recitantur, definiendum esset, res in immensum abirent. Hæc cùm innotuissent Vigilio Papæ Theodorum hæc monentem scriptis litteris graviter reprehendit, sed Justinianus missis in omnem partem litteris Episcopos ad trium præfatorum capitum inhibitionem instanter urget, & quidam Imperatori obtemperârunt, alii verò metuentes, ne Chalcedonensi Concilio injuria per fraudem fieret, rem non aliter quàm totius orbis deliberatione responderunt esse judicandum, non verò privatorum aliquorum sententiis & horum sententia Imperatorem movit, ut consentiente Romano Pontifice alia Synodus Constantinopoli indiceretur, quæ congregata fuit anno Christi 553. & inter Oecumenicas Synodos enumeratur quinta, cui interfuerunt Eutychius Episcopus Constantinopolitanus, qui Mennæ successerat, Apollinarius Alexandrinus, Domnus Antiochenus tres quoque qui absentis Eustochii Episcopi Hierosolymitani vices gererent, & omnes simul fuerunt centum & sexaginta Episcopi. Sed Vigilius Romanus Pontifex, qui sine causa multum in universam Ecclesiam discriminis suspicabatur ex machinatione, quam Theodorus Cæsariensis conceperat, non aliter in hanc convocationem consensit, quàm quia Justiniani præpotentiæ obsistere citra Ecclesiæ grave aliquod periculum & damnum non poterat, non judicavit per se, nec per suos Legatos huic Synodo assistere, quamvis tempore moraretur Constantinopoli accitus à Justiniano, ne sua præsentia per sæcularem potestatem adigeretur ad aliquid, quod ipsi Ecclesiæ esset detrimento, ratus sine Pontificis Romani approbatione Synodum non posse quidquam validum, ac legitimum decernere, perinde satius censuit expectandum totius rei exitum, maximè quia nondum Occidentis Episcopi Constantinopoli appulerint, à quibus sinceriorem sibi poterat fidem spondere, ac certiorem in eorum animis collocare fiduciam, quæ Vigilii prudentia in hisce circumstantiis, ac Catholicæ fidei periculis commendata postea fuit universim ab omnibus. Verùm Vigilius rogatus ab Imperatore, ut ad Concilium accederet, eique præsideret, ipse obstitit, sed Imperator tres Patriarchas, & septendecim Episcopos ad ipsum misit, qui nomine Imperatoris eum invitarent: & hisce non sufficientibus missi ad eum etiam sunt tres Patritii cum pluribus simul Episcopis, qui legatione Concilii functi sunt: sed nullis precibus Vigilius Romanus Pontifex adduci potuit à Prædecessorum suorum consuetudine recedere, qui nunquam in Oecumenicis Synodis sederant; hac enim excusatione Pontifex se tuebatur. Pollicitus tamen fuit consensum in rebus ipsis, quæ sacro approbante Concilio pro dignitate Ecclesiæ statuendæ essent, huic promissioni acquievit Imperator, & Patres in Secretario Synodum quintam Generalem auspicantur, in qua actum prius fuit de Theodoro Mopsuesteno, cujus productis, & examinatis libris anathema in ejus doctrinam & personam dictum fuit; & definitum, producto hac in re Augustini testimonio, Hæreticos etiam post mortem posse condemnari, & anathemate percuti, seu privari fidelium suffragiis in pœnam delictorum, præsertim quæ contra Ecclesiam, & Christi fidem commiserunt. Lecta postea fuit epistola Ibæ, quam etiam ut rectæ fidei dissonam Patres censurâ notarunt, & ultra legi in Concilio prohibuerunt, ut etiam damnarunt decretum Theodoriti. Hisce peractis quatuordecim ediderunt Canones, quibus fides Catholica adversus Nestorium, Acephalos, & alios Eutychis, & Severi Sectarios declarata, & confirmata est. Actum etiam fuit de Origenis Didimi, & Evagrii erroribus, quos Patres etiam unanimes detestati sunt. Circa errores Origenis irrepsit aliqua confusio, quia ficut duo fuerunt Origenes, ut ait Augustinus *lib. de hæres.* hæref. 42. & 43. ita duæ recensentur Origenistarum Sectæ. Alii enim sunt Origenistæ, qui nefanda perpetrant, & alii qui denominantur ab Origene Doctore clarissimo, qui fere super totam Bibliam scripsit, & de quo in Cantica loquens Hieronymus ait: Origenes cùm in expositione Scripturæ Sanctæ omnes vincat, se ipsum in Canticis Canticorum vincit. Origenes super epistolam ad Rom. 1. non adhæsit errori Arii de existentia Filii Dei. Arius enim ait: quod tempus erat, quando Dei filius non erat, quod reprobat Origenes, primò exponens illud ad Rom. 1. *Qui factus est ex semine David secundùm carnem*, ait enim Origenes *factus est autem sine dubio, quod priùs non erat secundum carnem: secundùm autem Spiritum* (seu secundùm Deitatem, qua Deus est Spiritus) *prius erat, & non erat tempus, quando non erat.* Ex quo claret Origenem prævidisse Christum secundùm humanitatem factum quidem fuisse in tempore, sed secundùm divinitatem ante tempus semper, & ab æterno fuisse. Secundò ex eo rejicit errorem Arii, inquiens: *Observandum est enim, quia non dicit, qui prædestinatus Filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis, sed dicit, qui destinatus est Filius Dei in virtute.* Quamvis enim in Latinis Codicibus tantùm inveniatur prædestinatus, attamen ait Origenes, quod ad interpretationis veritatem ponitur destinatus. *Destinatur enim ille, qui est, & prædestinatur ille, qui nondum est; sicut ait Apostolus: Quos autem præscivit, illos & prædestinavit, præscirì ergo, & prædestinari possunt illi, qui nondum sunt; ille autem qui est, semper est, non prædestinatur, sed destinatur. Hac dicta sunt à nobis propter eos, qui contra unigenitum Filium Dei impiè loquuntur, ignorantes differentiam destinati, & prædestinati, Filius autem Dei semper fuit ab æterno, & non fuit tempus, quando non fuit secundùm substantiam Deitatis.* Ex quibus constat ab Origene fuisse Arii errorem rejectum, & damnatum, quod etiam præstitit expedens illud Matth. 1. *Cùm esset desponsata Maria Mater JEsu.* Ait enim Origenes: *Mater ejus Mater immaculata, Mater incorrupta, Mater intacta: Mater ejus, cujus? ejus Mater Domini unigeniti, & Regis omnium blasmatoris, & Creatoris omnium. Illius qui in cælis est sine Matre, & in terris sine Patre: Ipsius, qui in cœlis cum divinitate est in sinu Patris, & in terris secundùm corporis susceptionem est in sinu Matris.* Ex quibus satis apertè claret, Originem asseruisse, Christum esse Deum,

**Deum, & Dei Filium** Omnium Creatorem, & non Creatorem ut putavit Arius, esse verum hominem verum Filium Mariæ Virginis. Verùm quamvis in hoc articulo non erraverit Origenes in pluribus tamen aliis negari non potest, quin à vera Catholica fide deflexerit, quapropter Gelasius Papa asseruit in nulla authoritate esse habenda Origenis scripta, quæ propterea damnavit, & Theophilus Alexandrinus Patriarcha scripsit Episcopis Palestinis se recepisse quosdam in Ægypti, qui ex Origenis dogmatibus pestifera, quæ dam introduxerunt in Ecclesiis, ut deciperent corda simplicium, quales exterminandos, & expellendos mandat Anastasius Papa, qui diligentiam Theophili in Domino commendat. Hoc idem Palestinis Episcopis, ac Cypriis scribit Theophilus, quosdam in monasteriis Origenis hæresin serere, & membra sibi truncare ferro, ut Religiosi, & humiles existimentur, quos dicit vitandos, hoc idem etiam Theophilus scribit Sancto Epiphanio Episcopo, ut Origenes nominatim cum sua nefanda hæresi damnetur, ejusque Sectatores Anathematizentur, hoc idem etiam Epiphanius Episcopus in Cypro scribit ad S. Hieronymum, ut insurgat cum suis juxta litteras missas per Theophilum ad cæteros fideles contra hæresin Origenis, quæ sata per Orientis tractus in Alexandrino præsertim germinabat, & rogat Hieronymum, ut cum suis Catholicis hæc prava semina eradicent, ut tanta nequitia totaliter deleatur, & hæc pestis aboleatur, & Ecclesia in recta fide persistat, & Domino JEsu Christo inserviat: D. Hieronymus Theophilo Episcopo scribit, ei etiam suadens, ut potestativè statim insurgat contra hanc hæresim, ne Ecclesia Alexandrina coinquinetur, sed incorrupta perseveret in vera fide, ac imitetur Romanæ Ecclesiæ fidem, cujus fides à Christo Domino commendatur Matth. 16. Et in alia Epistola Hieronymus ipsam commendat, eò quia viriliter manum posuerit ad fortia, ac portaverit vexillum contra errorem Origenis, cui Theophilus plenus lætitia gratias agit, & ipse Hieronymus in Epistola ad Pammachium, & Marcellam ait: quod stabiliverat *scribere librum contra Origenis nefaria scriptorum documenta.* S. Augustinus itidem *lib. 9. de civit. Dei cap.* 23. admiratus Origenem fuisse lapsum in errores contra fidem, ait: *Sed multo est mirandum amplius, quod etiam quidam, qui unum nobiscum credunt omnium rerum esse principium, illámque naturam, quæ non est, quod Deus est, nisi ab illo conditore esse non posse, noluerunt tamen certam causam fabricandi mundi tam bonam, ac simplicem bene ac simpliciter credere, ut Deus bonus conderet bona, & essent & post Deum quæ non essent, quod Deus, bona tamen quæ non faceret, nisi bonus Deus: sed animas dicunt non quidem partes Dei, sed factas à Deo peccâsse, & à conditore recedendo, & diversis progressibus pro diversitate peccatorum à cælo usque ad terras diversa corpora quasi vincula meruisse, & habent esse mundum, eámque causam mundi fuisse faciendi, ut non conderentur bona, sed ut mala cohiberentur:* Quamobrem ab erroribus in fide non potest Origenes excusari juxta Sanctos Patres. Et in libris, quos vocat *Periarchon*, seu de principiis, hæc scribit: *Ubi plus quam dici potest, miror hominem in Ecclesiasticis litteris tam doctum & exercitatum non attendisse, primum, quantum hoc esset contrarium scripturæ hujusmodi tantæ authoritatis intentioni, quæ per omnia opera Dei subjungens: & vidit, quod bonum est, completíque omnibus inferens: Et vidit Deus cuncta quæ fecit, esse bona valde, nullam aliam causam faciendi mundi intelligi voluit, nisi ut bona fierent à bono Deo. Ubi si nemo peccasset tantummodo naturis etiam bonis esset mundus ornatus, & plenus, nec quia peccatum est, ideo cuncta sunt impleta peccatis, cum bonorum longè major nunc in cælestibus sua natura ordinem servaret: nec mala voluntas, quia natura ordinem servare noluit, & ideo justi Dei legem omnia benè ordinantis effugit.*

Ad Origenis evellendos errores expurgandum e zizaniis Orientem Theophilus, Alexandrinus Episcopus, ex sibi subditis Episcopis Synodum cœpit, damnavitque Origenis libros ut pluribus infectos hæresibus: non enim in uno tantùm vel altero, sed quasi in singulis inspersæ legerentur hæreses, & non solùm Origenis libros damnavit, verùm etiam ejus fautores exclusit à comunione fidelium, de quibus omnibus, & singulis Theophilus per epistolas monuit Anastasium Romanum Pontificem, qui acceptis, ac lectis litteris Theophili eodem anno Origenem, & Origenistas publica sententia hæreseos damnavit, ut testatur S. Hieronymus Epist. 71. ad Theophilum, & Epistol. 78. ad Pammachium verùm cœtus quidam Monachorum Ægypti ex tota illa Regione à Theophilo eiicitur, qui cum in Palestinam fuissent profecti, inde pariter depulsi Constantinopolim ad Joannem Chrysostomum confugerunt, qui eos benignè suscepit, suppeditans iisdem victum, seque Mediatorem fore spopondit, ut cum Theophilo reconcilientur; verùm quia nullas ab eodem formatas secum detulerunt, noluit Chrysostomus, donec plenior causæ cognitio haberetur, Monachos illos ad Sacramentorum Ecclesiæ communionem admittere, quamvis illis non inhibuerit preces in Ecclesia fundere, ut scribit Sozomenus *lib. 8. cap.* 13. Diù etiam se opposuit Chrysostomus, ne Monachi illi Ægypto profugi libellos accusationum contra Theophilum Arcadio Imperatori sisterent; sed quia nulla amplius spes affulgeret se reconciliandi cum Theophilo, non amplius distulerunt, quamvis obstaret Chrysostomus libellum Arcadio contra Theophilum offerre, adeo gravibus refertum accusationibus, ut Theophilus in capitis discrimen adduceretur. Cumque oblatus Imperatori libellus innotuisset Theophilo, & Epiphanio Constantiæ Cypri Episcopo ambobus infensissimis Origeni, ejúsque Sectatoribus in suspicionem devenerunt libellum illum suadente Chrysostomo exhibitum fuisse Imperatori, & ipsum propterea Chrysostomum Origenis errorum esse fautorem, quamvis falsa in utraque opinione fuerunt delusi. Interea suadente Theophilo Epiphanius suasoriam ad Chrysostomum direxit Epistolam, qua ei suadebat, ut omni studio, & solicitudine peteret ab Imperatore, ut Constantinopoli Synodus Oecumenica cogeretur, ad delendos Origenis erroris, & coërcendos Origenistas, sicut ab Anastasio Papa fuerat Romæ factum, & etiam Alexandriæ à Theophilo: sed respondit Chrysostomus Epiphanio, Ægyptios Monachos acriter se conqueri falsis impeti criminationibus. Ad aliud de Synodo Constantinopoli cogenda, respondit, Origenistarum errores à nulla hactenus fuisse Synodo damnatos, & propterea consultius sibi videri cautiùs esse procedendum circa libros Origenis, ne majores tumultus inde in Ecclesiis excitentur, & schisma ex tali concertatione oriatur, quod esset error pejor priore; siquidem libri Origenis magni fierent à Viris pientissimis, & usui essent sanctissimis Ecclesiæ Patribus, ac Doctoribus, apud quos Origenes in magna esset veneratione. Sed Epiphanius respon-

sis hisce non acquievit, & suadente Theophilo profectus est Constantinopolim, ubi cùm appulisset, Chrysostomus perhumaniter eum amplexus est, & etiam rogavit, ut unà Ecclesiâ, & eâdem domo secum uteretur; sed Epiphanius hæc humanitatis officia recusavit, negavitque se ullatenus cum ipso habiturum commercium, donec Origenis libros apertè damnaret, Monachosque Origenistas expelleret. Sed Epiphanius post aliquot disputationes cum Clericis Episcopis, qui id temporis Constantinopoli immorabantur, & quos non potuit à Chrysostomo sejungere, nec ad suas trahere partes: Admonitus ab aliquibus Clericis, ut sibi caveret, eò, quia periculum immineret, si fortassis tumultus aliquis & seditio fieret in urbe regia, cujus ipse excitator foret, eò, quia plebs tota Chrysostomo adhæreret: Destitit ab inceptis, & quavis disruptâ morâ mare iterum trajecit, & in Cyprum enavigavit, hinc digresso Constantinopoli Epiphanio Theophilus Alexandrinus citatur ab Arcadio ad comparendum in urbe regia, ut se purgaret ab accusationibus, quibus à monachis Ægyptiis impetebatur. Paruit Theophilus, seque ad inter accinxit, & in itinere plures secum adduxit Episcopos habens in animo, adversus Chrysostomum Synodum cogere in ipsius Diœcesi, eò, quia ipsi innotesceret Eudoxiam Augustam infensam esse Chrysostomo sanctissimo Præsuli, eò, quia in suis Concionibus pluries publicè eam redargueret: Et casu contigit, ut eo tempore Chrysostomus pro Concione attulerit verba, 3. Reg. 18. & suam exordiretur Concionem: *Congregate ad me Sacerdotes dedecoris, qui comedunt mensam Jezabel*, quæ verba perversè fuerunt interpretati, qui sancto Præsuli adversabantur, & Imperatricem monuerunt, quæ acrius in ipsius perniciem accensa, cœpit contra Chrysostomum debacchari, eò, quia conviciandi studio verba illa protulisset in publica Concione, ut etiam contra Episcopos Theophilum, Severianum, Asacium & Antiochum, qui impensis Imperatricis Constantinopoli alebantur. Eudoxia igitur irarum impotens, unà cum præfatis Episcopis Concilium indicit ad Quercum, ita enim vocabatur suburbium Chalcedonis, locus, qui parum distaret ab urbe regia. Præsedit huic Concilio Theophilus, & eò citatur tanquam reus Chrysostomus, & quia non comparuit, damnatur absens, & Sede ac Dignitate deponitur; quinimo postulante etiam Pseudo-Synodo, & urgente Eudoxiâ, mittitur Chrysostomus ab Arcadio in exilium, Monachi verò ab Ægypto depulsi cùm supplices veniam rogassent, iterum reconciliantur cum Theophilo, & qui gravissimorum criminum accusatus citatus fuerat, judicandus in urbe regia, non solùm urbem illam cum triumphali comitatu intravit, verùm etiam honoribus aulicis cumulatus fuit, & Synodum, ut ipse conceperat, in ipsa Diœcesi St. Chrysostomi indixit, in qua cùm debuisset comparere ut reus, sedit ut Judex.

Refert Socrates, Theophilum, cùm frequenter pervolveret Origenis scripta, consuevisse similia dicere, prato omnibus florum & herbarum generibus arridente, eò, quia plura bona & salubria posset ex libris illis decerpere, & missa facere, quæ mala inerant, & hæreses perversè alerent. Gelasius Romanus Pontifex pariter Anastasii vestigiis insistens, sui prædecessoris in Concilio Romano de Origene ita pronuntiavit: *Origenes non nulla opuscula, quæ vix beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus, reliqua autem omnia cum Authore suo dicimus esse renuenda*. Ita Gelasius fuit locutus, qui Anno 492. electus Pontifex Romæ sedit annis circiter 60. antequam hæc Oecumenica Synodus quinta indiceretur, quæ tamen origo fuit plurium dissidiorum inter Catholicos, ac seminarium dissensionum; tametsi circa fidei definitiones omnes Catholici convenirent, in his tamen, quæ circa facta & personas versabantur, acerrimè dissenserunt, & altercati fuerunt, præsertim quia possit summus Pontifex cum suis Consiliariis vel etiam cum Generali Concilio errare in Controversiis facti particularibus, quæ dependent ex informatione & testimoniis hominum, qui plerumque solent fallere, & ipsos falli. Secundò, quia summus Pontifex, ut privatus Doctor errare possit etiam in quæstionibus juris universalibus, tam fidei, quàm morum, idque ex ignorantia, perinde ac alius privatus Doctor, ut notat Bellarminus, *lib. 3. de Roman. Pontif. cap. 2.* Hanc Synodum plenam fuisse jurgiis, & dissidiis testantur, plures Scriptores, & Cassiodorum hanc Synodum non probâsse, conjicit Baronius ad Annum 556. num. 2. quia, cùm cæteras recenseat Oecumenicas Synodos istius non meminerit, sicut St. Gregorius Papa visus est aliquando præstitisse, asserendo se quatuor Oecumenicis Conciliis parem cum quatuor Evangeliis venerationem deferre. In quinto verò Concilio non de fide, sed de personis actum fuisse. Et Baronius admonet quintam hanc Synodum malis initiis, & malâ intentione auspicatam nihil attulisse Ecclesiæ, nisi innumeras dissensiones, tumultus, vexationes, clades & schismata, & tyrannidem imperii sæcularis contra personas Ecclesiasticas, & addit, per hanc Synodum non fuisse conversos Hæreticos, sed pervicaciores extitisse in suis erroribus. Et addit, hanc Synodum per sæcularem potestatem fuisse indictam, & celebratam nullo præsente Apostolico Legato, consequenter fuisse Concilium illegitimum & nullius authoritatis, quamvis damnati fuerint errores Origenis.

Præcipui errores Origenis fuerunt primò, quia docuit, animas, & Angelos malos à suis ergastulis tandem liberari post plura temporis curricula, & posuit alternationes ac circuitus sine cessatione beatitudinis & miseriæ, & statutis sæculorum intervallis à beatitudinibus ad miserias, & è diverso itus & reditus interminabiles, quos non immeritò Ecclesia reprobavit; hinc Origenistæ asserentes Angelos, & animas ante mundi creationem peccâsse, errârunt, quia apertè contradixerunt Scripturæ, Genes. 1. ubi dicitur, quòd, cùm Deus singula condidisset, vidit, quod essent bona, & omnia valde bona, adeo ut ante mundi creationem nullibi legantur esse mala, nec peccata, non enim Angeli peccârunt ante mundi creationem, cùm fuerint ipsi unà cum mundo simul creati, nec potuerint peccare, antequam essent, neque primi homines peccârunt nisi post mundum conditum, cùm Deus primos homines condiderit in Paradiso terrestri, & Angelos in cœlo, quæ loca non destinabantur ad pœnam, sed ad gloriam, neque sustinent peccatum, nec peccatores; quapropter Lucifer, qui manè oriebatur, quando similis Altissimo fieri voluit, de cœlo fuit depulsus, & in infernum detractus, & primi parentes è terrestri paradiso exclusi Genes. 4. quapropter ante peccatum mundus erat conditus fontes saliebant, terra germinavit, splenduit cœlum, fuerunt arbores, ligna, & fructus, alioquin Eva seducta à serpente de pomo vetito non comedisset. Secundò errârunt Origenistæ asserentes plantas, & arbores aliam animam habere præter vege-

vegetativam, ut & animalia præter sensitivam: Siquidem solæ animæ rationales habentes voluntarium, sunt capaces virtutis, & peccati; propterea derisorium est, in Philosophia asserere, quòd in corporibus inanimatis, plantis, & irrationalibus brutis sint animæ peccatrices. Tertiò errârunt asserentes, animas esse in corporibus quasi in vinculis, & carceribus intrusas, quia inde essent in statu violento, & contra naturalem inclinationem, quod falsum & erroneum, quia anima rationalis naturaliter est in corpore cùm uniatur eidem naturaliter ad perficiendum hominem coalescentem ex corpore & anima: Quapropter definitur anima esse actus corporis Organici, Physici, impotentia vitam habentis, ex quo clarè infertur, non esse animam in corpore, ut in carcere, in quo detineatur violenter, sed ut in naturali comparte hominis; quapropter Genes. 1. dicitur: Quòd Deus formaverit hominem de limo terræ, quantùm ad corpus, & spiraverit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus sit homo in animam viventem, eò, quia homo, ut homo sit, necesse est coalescat ex corpore, & anima rationali, quam solùs Deus creat, & creando infundit in corpus, ut homo naturaliter vivat, ex quibus constat, animam non inesse corpori ad pœnam, sed adesse naturale perfectum hominis. Rursus hæreticum est asserere animam Christi fuisse in corpore, ut in carcere in pœnam peccati, cùm de fide sit, Christum non peccâsse, Isaiæ 53. *Ipse peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Quamobrem anima Christi fuit in corpore, in quo Christus peccata nostra tulit, & iniquitates nostras portavit, in quo propter ea vulneratus fuit, seu peccata nostra portavit in suo corpore in quo mortuus fuit, non verò in anima, quæ mori non potuit, corpus enim fuit mortuum, & sepultum, & resurrexit, Matth. 27. & 28. Ex quo apertè constat, animas non in corpore propter peccatum, tum, quia 1. Corinth. 15. ait Apostolus: Nos resurgemus & immutabimur, scilicet ob gloriam, ut simus beati in animo & corpore, quòd, si corpus esset carcer animæ, & hæc in pœnam peccati eidem esset alligata corpus in augmentum gloriæ non resurgeret; alioquin anima pœnosum carcerem secum traheret, & ei esset potiùs causa tristitiæ quàm gaudii. Quartò errârunt etiam Origenistæ, eò, quia asseruerunt, Angelos malos à suis pœnis aliquando esse liberandos, quod est hæreticum, quia de fide est, Dæmones pœnâ æternâ, seu interminabili sine fine esse puniendos, ut etiam homines malos post mortem damnandos, & nunquam à suppliciis liberandos; quapropter Christus, cùm venerit judicaturus homines in fine mundi, dicet: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus,* vocat ignem æternum, quia supplicia damnatorum nunquam cessabunt. Quamobrem Episcopi Palestini contra Origenem scripserunt, ac ejus Asseclas: *Neque enim audivimus unquam docentes, quod Christi regnum aliquando sit terminandum. Absit hoc à fidelibus auribus. Gabriel Archangelo loquente ad Mariam de eo, qui nasciturus erat, regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis: Nec audivimus, quod Diabolus cunctis peccatorum vitiis ac vinculis liberatus revertetur ad pristinam dignitatem, quam habebat, antequam caderet, ita ut & ipse post sub unum Dei Patris redigatur imperium. Qui enim ita credunt, ituri sunt in tenebras, quæ præparatæ sunt Diabolo & Angelis ejus. Et si qui sunt, qui in suis tractatibus tradiderunt, quod Filius nobis comparatus sit veritas, Patri collatus mendacium, & quod est,* inquiunt, *Petrus & Paulus ad Salvatorem, hoc est, unigenitus Filius & Deus Verbum comparatus Patri. Et ut breviter nostram sententiam declaremus (neque enim necesse est eadem rursus iterare) qui cunque hæc prædicant, quæ beatitudo tua damnata significat, & quæ discordant ab ea fide, quam pro sacrosancta Patres nostri in urbe Nicæa conscripserunt, & ipsi, & dogmata ipsorum sint Ecclesiæ anathema.* Hi igitur errores erunt ab Ecclesia, ut hæresin olentes damnati, & mirum est, ait Augustinus, quòd tam doctus & exercitatus homo in sacris litteris, qui tot scripsit libros, ut Hieronymus testetur, se sex millia ejus volumina legisse, in tot hæreticos errores fuerit prolapsus. Adscribitur tamen ab aliquibus Origeni epistola, in quâ ipse se excusat, quod errores sibi impositos nunquam cogitaverit, neque dixerit verbo, neque scripserit, sed per infidos, malosque homines fuerint suis additi libris, & veluti in bono semine per inimicum hominem superseminati, sed difficile videtur creditu, illam epistolam fuisse Origenis, cû tot homines pientissimi, doctissimi & sanctitate toto orbe celeberrimi, ut Hieronym. Augustin. Anastasius Papa, Theophilus Patriarcha, & tot alii Episcopi voluerint insurgere contra errores Origenis, nisi certi fuissent, eum errores illos scripsisse, ac docuisse, hinc Hieronymus de Origene ait, quod ubi scripsit bene, nemo scripsit meliùs, sed ubi malè, nemo deteriùs. Legitur etiam Planctus Origenis, quem Hieronymus de Græco transtulit in Latinum, quo lamentabiliter dolet, se tales errores scripsisse, & facti eum pœnitet, ac super erratis misericordiam postulat. Hinc existimant plures, Origenem ante mortem resipuisse mediante Dei gratiâ, quæ veram compunctionem & dolorem ei fuit impertita, incipit enim planctus Origenis: *In afflictione & dolore animi mei incipio loqui*; & in fine ait: *Recipiar rursus in gaudium Dei mei, & merear regnum ejus orationibus & deprecationibus sanctorum, & petitione condolentis mihi Ecclesiæ: Quia tibi est gloria cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.*

Sanctæ Synodi Oecumenicæ occasionem dedit Eutychiana hæresis, quæ tametsi sub Marciano Augusto sopita fuerit, & per Synodum Chalcedonensem veluti cinere sepulta, non tamen penitus extincta fuit cum imperantibus postea Zenone & Anastasio Principibus hæreticis excussis cineribus revixerit, ac incendium præcedente atrocius ac immanius excitaverit. Sedebat tunc temporis Constantinopoli Acacius, homo subdolus ac vafer, cujus hortatu Zeno Imperator Joannem Talaidam Episcopatu Alexandriæ dejecit, cui subrogavit Petrum Moggum insignem sectæ Eutychianæ fautorem. Rursus Acacii suasu novam etiam edixit fidei formulam Anno 482. ea conceptam calliditate, & dictatam vafritie, ut in eam Catholici simul, & Hæretici omnibus suppressis de fidei controversia consentire possent. Vocavitque hanc formulam *henoticon*, seu edictum reconciliatorium, sed in eodem latebat tacita abrogatio Concilii Chalcedonensis cui propterea totis viribus se opposuit Felix Papa III. qui coacto Romæ Concilio simúlque missis Constantinopolim Legatis, Vitali & Misseno, Episcopis, atque Felice Romanæ Ecclesiæ Defensore Acacium citavit ad tribunal Romani Pontificis, & Moggum Alexandria depulit. Verum ex his tribus Legatis Pontificiis duo, scilicet Vitalis & Missenus, Episcopi partibus Acacii seducti, cum ipso & Moggo communicârunt, & Felix, quia in officio constans stetit, in carcerem detruditur, quòd cum innotuisset

ſet Felici Papæ, ambos Legatos Epiſcopos exauthoravit, & Acacium anathematizavit, qui temerariam rependens vicem, nomen Felicis Papæ ex tabulis Eccleſiaſticis delevit, ut refert Liberatus cap. 17. & ſequent. Petrus vero Moggus Pſeudo-Patriarcha Alexandrinus poſt receptum Zenonis reconciliatorium edictum non ſolum Catholicos omnes alienos à ſe voluit, verùm etiam Eutychianos plures, qui neque Catholicæ partis eſſent, neque cum ipſo Moggo convenirent, eſſentque propterea Acephali, ſeu ſine capite, quia non haberent, quem ſequerentur, negantes duas naturas in Chriſto. Hinc ex hæreſi Eutychiana veluti ex putidiſſima cloaca diverſæ exortæ ſunt Sectæ, veluti propagines Acephalorum, Theopaſchitarum, quorum Author fuit Cnapheus his, qui per ſeditionem ejecto Martyrio Epiſcopo ſedem Antiochenam invaſit imperante Zenone, & Triſagio *Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis*, addidit, *qui paſſus eſt pro nobis*: pullularunt itidem Severiani, à Severo nuncupati, qui pariter Antiochenam ſedem imperante Anaſtaſio poſt depulſum ex eo Flavianum conſtantiſſimum in Catholica profeſſione invaſit: Jeroſolymitanum Epiſcopum aliosque plerosque Orthodoxos Prælatos è ſuis depulit ſedibus. Ex eadem cloaca Eutychiana hæreſi ſcaturierunt etiam Theodoſiani, quos commemorat Joannes Damaſcenus nuncupatiâ Theodoſio Alexandrino, & alias plures Sectæ hæreſin redolentes Eutychetis, & præ cæteris Sectis incrementum ſubierunt Jacobitæ ferme per totum orientem diffuſi, & propagati, ita vocati à Jacobo quodam Syro, ut refert Anaſtaſius Synaita *in lib.* cui titulus. *Dux vitæ.* Demortui Zenonis Imperatoris regimen Imperii ſuſcepit Anaſtaſius ex Acephalorum conſortio, pertinaciſſimus edicti reconciliatorii propugnator, ſimulque Manicheis addictus. Huic autem ſucceſſit Juſtinus, qui pro Chalcedonenſi Concilio ſtetit, & Severum ab Antiochena ſede, quam invaſerat, excluſit, qui in rabiem actus, & in Ægyptû profugus, latiùs ibi ſuæ hæreſis Venenum evomuit, poſtea ſub Juſtinii Nepote, & Succeſſore Juſtiniano, cujus uxor Theodora Eutychetis ſectam fovebat, ab hac muliere Eutychiana protectus Severus munitus favore Imperatricis Romanam Eccleſiam pluribus vexavit cladibus, & Orothodoxos perſecutus eſt, quamvis ſubſequentibus Imperatoribus, Juſtino Secundo, Liberio, Mauritio, & Phoca ſedatis Hæreticorum tumultibus priſtinæ ſuæ tranquillitati fuerit Eccleſia reſtituta; & pace poſita, iterum tamen imperante Heraclio Phocæ Succeſſore nova exorſa procella totam turbavit Eccleſiam & tumultuum fluctus iterum orthodoxos exagitarunt non ſine plurium naufragio; Hinc horrendæ procellæ cauſam dedit Heraclii patrocinium, quo viſus fuerat hæreſi Monothelitarum faviſſe. Quia Chosroas Perſarum Rex ſub ultimis Phocæ Imperii temporibus Ægyptum, & Africam armorum vi occupaſſet, & Hieroſolymæ plura Chriſtianorum millia ferro & flammis interemiſſet, Heraclius Succeſſor Phocæ Dei monitu exercitum collegit, quo tres Duces Chosroæ una cum tribus exercitibus Perſarum fregit, adegitque Chosroam, ad præcipitem fugam Tigrim fluvium verſus. Hoc Perſico bello feliciſſime functo, Victor, & triumphis onuſtus revertitur Heraclius, ſed Hieropolim pertranſiens Athanaſius Jacobitarum Patriarcha tum honoris tum officii gratia Imperatorem è bello redeuntem convenit, cui Heraclius ſuaſit, ut ejurato Eutycheris dogmate, vellet decretis Synodi Chalcedonenſis obſequi, & acquieſcere. Reſpondit Athanaſius ſe libenter admiſſurum duas in Chriſto naturas, niſi in illo dogmate involveretur voluntatum, duplicitas, ac diſtinctio voluntatum, & operationum. Juſſit Heraclius difficultatem Athanaſii dijudicari ab eodem Athanaſio, & Cyro ſibi fidiſſimo Phaſidis Lazorum Metropolitano, & Sergio Epiſcopo Conſtantinopolitano à quibus unanimi conſpiratione concluſum fuit diſtinctas quidem eſſe in Chriſto duas naturas, divinam & humanam, juxa decretum Chalcedonenſis Synodi, ſed utriusque naturæ unam tantùm eſſe voluntatem, unam operationem divinam tamen, & nullo modo humanam, perinde ac in Chriſto licèt ſint duæ naturæ, unica tamen eſt Perſona, & hæc divina in duabus naturis diſtinctis, tunc Heraclius acquieſcens perniciosiſſimo ac hæretico huic dogmati edictum juſſit publicari anno 639. quod Ecthesis voluit nuncupari, quo juſſit hanc unicæ unitatis profeſſionem ſub graviſſima pœnarum interminatione à cunctis per Orientalis Imperii Provincias ſuſcipi. Sed mortuo Heraclio ſucceſſit Conſtantinus in imperio, ejus Filius natu major, qui ex integro Catholicus erat: ſed ab ejus Noverca Marthina quarto exinde menſe veneno occiditur, ut ejus filius, quem ex Heraclio ſuſceperat, nomine Heracleon ad imperialem thronum promoveretur. Verum à Senatu, & populo ſtatim ſceptro privatur Imperii, & ad Solium provehunt Conſtantem ſuperſtitem filium Conſtantini qui Avo Heraclio quàm Patri ſimilior novum edidit circa fidei profeſſionem edictum, quod Romam tranſmiſit ad Martinum ſummum Pontificem, ut eidem cum reliquis Epiſcopis ſubſcriberet, illudque vocavit typum ob annexam formulam fidei ei dictatam à Paulo Hæretico, qui Sergio & Pyrrho Monothelitis ſucceſſerat in ſedem Patriarchalem Conſtantinopolis, quorum & hæreſin profitebatur, adeo ut fuerit & ipſe Monothelita. Martinus Papa Conſtantis typum cum legiſſet, plurium ſtatim Epiſcoporum Occidentis coegit Concilium in Baſilica Salvatoris, quæ & Lateranenſis dicitur, anno Chriſti 649. ubi Patres lecto typo Conſtantis Imperatoris, quo revocabatur, & delebatur ecthesis Heraclii, & ſub velo communis pacis, & Eccleſiaſticæ concordiæ latebat virus, eò quia ſub graviſſimis pœnis prohibebatur utraque aſſertio tam unius naturæ in Chriſto quàm duarum voluntatum, & operationum, quod perinde erat, ac promovere hæreſin Monothelitarum. Unde Synodus Lateranenſis laudârunt quidem Principis bonam intentionem in procuranda Eccleſiæ tranquillitate, ſed propoſitum pacis remedium non poſſe à Synodo approbari, ſine graviſſima læſione Catholicæ veritatis, & fidei, aſſerentes duas in Chriſto voluntates, & operationes juxta definitionem Synodi Chalcedonenſis quæ, utrique naturæ divinæ, & humanæ in Chriſto ſuam attribuit voluntatem, & operationem. Quamvis utriusque naturæ operationes in una tantùm radicentur perſona divina; ubi enim natura humana eſt, ibi & ejus voluntas, ac operatio, ſitque propterea Chriſtus unicum tantùm ſuppoſitum, ſed utramque terminans naturam divinam, & humanam, adeo ut ſit perfectè Deus, & perfectè homo; etenim Chriſtum habere veram naturam divinam & eſſe perfectè Deum, ex utroque teſtamento clarè deducitur Iſaiæ. 9. *Parvulus natus eſt nobis*, & poſtea ſubjungit; *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis.* & cap. 35. ait: *Ecce, Virgo concipiet, & pariet, & vocabitur nomen ejus Emanuel, quod eſt, nobiſcum Deus*; & David. Pſal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; hæc enim loca

etiam

etiam ipsi Judæi apud Eugubinum asserunt debere intelligi de solo Christo, adeo ut contra Judæos constet, Christum Dominum non solùm fuisse verum hominem, sed etiam verum Deum. Et contra Hæreticos hæc eadem veritas evincitur ex novo Testamento, Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus.* Joan. 21. *Dominus meus, & Deus meus*, & D. Paulus loquens de Christo scribit ad Colos. *In eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, ex quibus constat duas in Christo fuisse naturas, divinam & humanam, æquè post unionem distinctas, & integras, impermistas, & inconfusas, perinde acsi unitæ non essent, adeo ut nulla in iis ratione unionis facta fuerit confusio, nec permistio, nec conversio nec compositio, adeo ut quælibet natura suam habuerit voluntatē ppropriā & operationē, fuerintq; propterea in Christo duæ voluntates & operationes, ut colligitur ex scripturis, Joan. 5. *Non quæro voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.* Matth 26. *Non sicut ego volo, sed sicut Tu.* Luc. 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat:* Ex quibus apertè colligitur, Christum habuisse propriam voluntatem humanam distinctam à voluntate divina: Siquidem ex Scripturis constat, Christum timuisse, fuisse admiratum, flevisse præ dolore, obedivisse æterno Patri, & tandem satisfecisse pro peccatis nostris; hi enim actus sunt operationes voluntatis humanæ, proinde ex Scripturis constat, fuisse in Christo non solùm voluntatem creatam, sed etiam operationes ejusdem voluntatis, quod vel ipsa ratio suadet; quia, cùm in Christo natura humana fuerit integra, & omnino perfecta, eò, quia fuerit integer & perfectus homo, debuit etiam dari voluntas humana, & ejus operatio, alioquin non fuisset perfectus homo, quia, ubi natura humana est integra & perfecta, ibi debent necessariò reperiri omnes potentiæ eidem connaturales, & omnes earundem operationes; alioquin si, ubi sunt duæ naturæ, ibi non essent duæ operationes eidem correspondentes non rectè colligeretur unitas naturæ divinæ, ex unione operationis, sed hanc naturæ divinæ unitatem colligi ex unitate operationis, asseritur in sexta Synodo, *Act.* 10. Ergo ex eo, quod natura humana fuerit in Christo perfecta, rectè infertur habuisse suam propriam voluntatem, & operationem humanam, quia repugnat naturam creatam constitui volentem, & intelligentem per intellectionem, & volitionem increatam: Sin autem humanitas Christi non haberet propriam operationem, fieret volens & intelligens per intellectionem, & volitionem increatam, quod dici nequit; quia vivere perinde est, ac immanenter aliquid producere in se ipso etiam in statu perfecto; est enim vita actio ad terminum, & de ratione actus vitalis est manere in eodem principio, à quo elicitur, adeo, ut si Deus poneret meam intellectionem in intellectu alterius, à quo non eliceretur, minimè mea intellectio illum constitueret intelligentem.

Cumque rescripsisset Martinus, in Christo juxta definitionem Chalcedonensis Synodi esse duas naturas, duas voluntates, & operationes, & non esse justum, ut fidei Oracula simul cum Hæreticis dogmatibus indiscriminatim supprimantur, cùm scriptum sit in Genes. *Nunquid perdes justum cum impio, & erit justus sic impius.* Ideo non posse Patres Occidentis, neque Romanam sedem promulgato typo assentiri, tametsi ecthesis Heraclii in eadem abolea-tur. Hac suscepta responsione furens Imperator per delegatum à se Theodorum Caliopam mandat, Martinum sanctissimum Pontificem Constantinopolim adduci, quem postea in Chersonesum deportari jussit, ubi ærumnis ac calamitatibus oppressus, gloriosum consummavit martyrium. Rursus Imperator Maximum Monachum eximium propugnatorem Orthodoxæ fidei, sanctitate & eruditione clarissimum lingua & manu mutilavit, & pariter in exilium relegavit. Interim Imperator Romam proficiscitur, cujus opes, & præcipua ornamenta, cum diripuisset, ex urbe digressus, & in Siciliam profectus, ibi in Balneo interemptus est, & in Imperio Orientali ei successit Constantinus, cognomento Pogonatus, ejus filius, sed Patri omnino dissimilis, eò, quia justitiæ & religionis amantissimus, qui propterea paternam maculam insigni pietate delevit. Epistolas statim direxit ad Domnum Romanum Pontificem, & hoc defuncto ad Agathonem, ejus Successorem, quibus Pontifici suadebat cogere novam Synodum Oecumenicam Constantinopoli, ad restituendas Ecclesiæ ruinas, per plures exortas hæreses. Cui libenter annuit Agatho Papa, qui propterea Episcoporum Synodum Romæ convocavit ex centum & viginti Episcopis, in qua res fidei sedulò discussæ, & maturè stabilitæ fuerunt, ut planior ac securior ad Oecumenicam Synodum via muniretur, misitque Constantinopolim quatuor Legatos Apostolicos cum litteris, quibus recta fides luculentis divinæ Scripturæ, & sanctorum Patrum sententiis, ac traditionibus Apostolicis explicaretur: Et præter quatuor Agathonis Legatos etiam Romana Synodus alios quatuor misit Legatos, cum quibus Anno Christi 680. inchoata fuit lacra Oecumenica Synodus in palatii Imperialis Secretario, cui nomen erat Trulo; hoc enim vocabulum eo tempore usurpabatur pro fornice in sublimi porrecto, & concamerato, quem Itali vocant Cuppulam, juxta Cadinum & Anastasium. Sacræ Synodi voluit Constantinus personaliter interesse, ut Patres audiret, dissidia componeret, tumultus sedaret, & cum Imperatore interfuerunt etiam plures palatii Proceres. Macharius Antiochenus cœpit Monotelitarum hæresim propugnare, sed sacra Synodus, postquam illum solidissimis argumentis, & Scripturarum testimoniis ad sanem mentem trahere conata esset; eum tandem ut pertinacem in sua hæresi anathemate perculit, & dignitate spoliavit, suffecitque in ejus sedem Theophanem, Virum Orthodoxum, & insignis pietatis, & ipse Macharius monasterio inclusus est, & Patres unanimi assensu Catholicam formulam fidei ediderunt, quâ geminas Christi voluntates, atque operationes, divinam unam & alteram humanam, distinctas & inconfusas profitentur. Humanam autem voluntatem non solùm divinæ non obluctantem, sed ei per omnia subjectam & obsequentem. Huic formulæ subscripserunt omnium primi Delegati ab Agathone Papa privatim, deinde Patriarchæ Orientis, & tertiò Legati à Romana Synodo missi, & postea reliqui Episcopi, & ultimo loco Constantinus Augustus, qui Patribus gratias egit, & vicissim Imperatori piissimo optimo apprecati sunt fausta, & prospera omnia, & miserunt ad Agathonem acta Concilii Generalis Constantinopolitani, ut authoritate Apostolica roborarentur. Accessit etiam edictum Constantini, quo per omnes Romani Imperii Provincias jussit sextam Synodum Oecumenicam ab omnibus amplecti, & ejus sanctiones exactè observari.

Septima Synodus Oecumenica coacta fuit Nicææ, Anno octavo Constantini, & Irenes, ut referunt Paulus Diaconus, lib. 23. rerum Romanar. & Cedrenus in Compend. Historiar. Hujus Synodi causam

causam dedit Leo Isauricus Imperator ad persuasionem Constantini Episcopi Natoliæ & Besaræ, qui licèt Christianis ortus parentibus, captivus adductus in Syriam Machumetanam, ibi hauserat impietatem; suasu istius Leo Imperator execrabile bellum movit in sacras imagines, quas publico edicto in Ecclesiis, aliisque locis publicis & privatis amoveri jussit. Contigit autem, quòd, cùm pervetustæ religionis imaginem Salvatoris, quæ ad æneam urbis januam à fidelibus populis colebatur, satellites ferro deturbarent, adeo qui aderat populus egit in furias, & tota Civitas fuerit commota, & armati populi accurrentes Satellites, ac apparitores trucidaverint, quo audito truculentiùs infremuit Leo, qui accersitis militibus totam urbem rapinis, cladibus ac feralibus suppliciis infestat, & cruentat, præ cæteris aggreditur etiam doctissimum, ac venerandum Præfectum Collegii Studitarum, ejusque duodecim Contubernales, Viros sapientissimos, ad quos ut ad Oraculum in dubiis divinarum ac humanarum disciplinarum recurri consueverant Nobiles, & ignobiles, & quos etiam ipse Imperator frequenter soleret consulere. Hos Leo in primis privatis Colloquiis studuit ad suam partem rrahere, adhibitis etiam blanditiis, & promissis præmiis, sed Viri in fidei veritate propugnanda constantissimi irritas effecerunt persuasiones, & promissiones Imperatoris, qui actus in furias eosdem cum ædibus magnificentissimis, in quibus convivebant, simul cum copiosissima Bibliotheca flammis nocte una absumpsit, & vovis sceleribus priora accumulans sanctorum etiam cultum abolere nititar, eorumque loculos persodere, & sacra Lypsana Cineresque sanctorum Corporum contemptim ventis dare. Has Leonis tragœdias narrat Nicephorus, Zonaras, & Cedrenus in Leone Isaurico, qui etiam furere non destitit in Patriarcham Germanum, Virum sanctissimum, qui omni studio surgentem impietatem compescere adnixus semper fuerat, ac fideles confirmare in fidei Orthodoxæ constantia; Leo enim Germanum privatis colloquiis frustra tentatum ex Sede Patriarchali ejecit, & urbe exegit, cujus loco Anastasium Iconoclastam subrogavit. Joannem quoque Damascenum, piarum imaginum strenuum propugnatorem, per litteras transmissas ad Principem Damasci, accusavit de proditione, quasi vellet civitatem perdere, quâ de causâ manus jussu Principis barbari innocenti amputata fuit, sed ei præcisam manum invocata Beata Virgo insigni miraculo restituit. Cùm hujusmodi tragœdiæ à Leone Isaurico ad aures pervenirent Gregorii Papæ, hic boni ac solliciti Pastoris munere fungens per litteras enixè rogavit Leonem, ut à cœptis nefariis desisteret; sed crescente ejus rabie cum à strage Catholicorum, & abolitione sacrarum imaginum nollet desistere, floccique faceret Romani Pontificis exhortationes, & preces, tandem ab eodem anathemate fuit percussus, & simul Italiam ab ejus dominio subtraxit, inhibuitque Italis, ut consueta tributa imposterum ei non solverent: Ad quæ majori percitus rabie Leo Isauricus, ea quâ potuit, majori diligentia, ingentem maritimam classem composuit, ut æquè Pontificis, ac totius Italiæ exitium moliretur. Verùm ex divinâ dispositione classem cum omni bellico apparatu ad Adriaticum littus exorta tempestas allisit, & pluribus aliis calamitatibus ejus insolentiam Deus compescuit; siquidem per totum Imperium Orientale Urbes fame, penuriâ, peste, & horrendis terrarum motibus exagitatæ fuerunt, & Constantinopoli ædes æquè publicæ ac privatæ per Annum integrum continuis fermè successionibus corruerunt, & ipsa Urbis mænia fuerunt solo æquata, & tandem ipse Leo Isauricus diris excruciatus torminibus infelicem animam ad inferos evomuit. Leoni Isaurico successit in Imperio Constantinus, ejus Filius, cognomento Copronymus, qui ex profluvio excrementorum, quo sacrum lavacrum fœdavit, cùm à Germano Antistite Constantinopolitano baptizaretur, præsagium dedit, sanctam Christi Ecclesiam ab ipso fœdatum iri: Neque eventus fuit contrarius; magis enim deditus artibus, ac Cacodæmonum invocationibus, orthodoxos similis Patri vexare ac persequi non destitit.

Sed non imperialibus flagitis & crudelitatibus in Catholicos commoti populi Constantino Copronymo rebellant, quem è sede Imperatoria expellunt, ejusque affinem Artabasdum Curopalaten, qui adversus Copronymum exercitum conduxerat, Imperatorem salutant Orientis, & Baresen tot malorum, scelerumque incentorem pluribus inflictis vulneribus trucidarunt, sacrasque imagines suis pristinis restituunt locis. Verum Copronymus ea qua potuit celeritate comparato exercitu, Constantinopolim terra, marique cingit obsidione, quam paucis delapsis diebus compellit ad deditionem; Curopalati effodit oculos, ejusque filios interficit, ne aliquis ex illa progenie superstes foret Patri. In cives perduelles crudelissimè desævit, nulli parcens ætati, sexui, neque personarum conditioni, quorum plures præcisis ferro manibus, variisque tortos suppliciis, ut diutius experirentur se mori immanitate plusquam Neroniana interemit, & quos non potuit ferro occidere, bonis fortunæ spoliavit, quorum pecuniis militum solvit stipendia. Imò nec ipsi pepercit Pseudo-Patriarchæ Anastasio, quamvis & ipse Monotelita esset, & ejusdem cum Copronymo hæresis fautor, hunc enim asello præposterè impositum flagellis per urbis plateas, fora, & compita cæsum in sedem Patriarchalem jussit iterum reponi. Excitati in oriente tumultus, & tot peractæ tragœdiæ in perniciem Religionis, & in contemptum sacrarum imaginum causam dedere Romanis Pontificibus varia in occidente indicendi concilia, ut imminens religionis exitium impediretur, & exortæ procellæ sedarentur, & tranquillitati pristinæ restitueretur Ecclesia. Copronymus siquidem Constantinopoli concilium coegerat, cui interfuerunt trecenti & triginta Episcopi, qui in sacras imagines conclamarunt, earumdem subscribentes abolitioni. Erupit statim ex illo concilio Constantinus Pseudo-Patriarcha urbis regiæ, qui antea professione Monachus fuerat, & Imperatoris stipatus Satellitio perinde ac Megera ex Erebo emersa percurrit plateas, forum, Ecclesias, monasteria utriusque sexus, è quibus sacras omnes diripit imagines, & quas videt in pariete pictas abradit, murosque ipsos solo æquat millenas discindens in partes; ædes etiam ingreditur privatorum, & quotquot supererant sacræ imagines in foro tradit flammis, earumque possessores verberibus affligit, cruentorque, vel in carceres detrudit. Sanctorum etiam Sacra Lipsana unà cum simulacris, vel statuis ligneis, auro, vel argento illitis effigies exhibentibus Sanctorum, & libris eorundem gesta, & vitas narrantibus excitatis per fora rogis incendit, & Copronymus ipse Senatores aliquos viros præstantissimos in medio foro jussit verberibus ad necem excipi, non ab aliud ab iis-

dem

dem patratum delictum, niſi quia avita Religione ſacras coluerint imagines; vel eas domi occultaverint, ne flammis extraderentur. Monachos etiam, & Sanctimoniales juſſit per plateas raptari, ſuppliciis torqueri, & varia poſt tormenta, & ſupplicia interfici; & qui ſuperfuerunt Monachi, pallio, & cucullo ſpoliavit, coegitque in inceſtuoſas nuptias, ad ſacrilega matrimonia ineunda, & ſordidis artibus ſibi neceſſaria ad victum, & veſtitum ſibi comparandum; Monaſteriis militibus diſtributis, & prædiis fiſco addictis. Sed Conſtantem Pſeudo-Patriarcham regiæ urbis tot calamitatum & Sacrilegiorum incentorem divina Nemeſis ulciſcitur. Cum deteſtandum Copronymi Arcanum de abroganda Chriſto divinitate aliis evulgaſſet, actus in rabiem Imperator juſſit per urbis plateas, & fora eum flagellari, & tandem in foredidiſſimo loco interimi? Neque divina ultio Copronymi fuit oblita, ejus enim pedes ardentibus anthracibus intumuerunt, & tanto ardore omnia totius corporis membræ ſtuarunt, ut acerbiſſimis torqueretur doloribus, & infelix vociferaretur, ſe igne cruciari inextinguibili ob laceratas ignique extraditas Deiparæ Virginis ſacras imagines, violatum ejus cultum, ac deletum illius nomen; cumque ipſum ſacrilegi ſceleris pœnituiſſet, ac propterea eam juſſiſſet iterum coli; ſera tamen fuit pœnitentia, neque à Deo recepta, ſed acerbiſſimo & horrendo interitu in gehennam tot patrata ſcelera eum præcipitem egerunt; Sancti enim ex cleſerunt è cœlo, quorum ipſe imagines delevit in terris: Succeſſit Copronymo in orientis Imperio Leo ejus filius, qui ſub initium Catholicum ſe eſſe ſimulavit, donec ſe in throno ſtabiliret citra periculum populi rebellantis, ubi autem ſe firmatum credidit in apertam poſtea hæreſim prorupit, quam & Sacrilegio fœdavit. Cum enim eſſet gemmarum appetens; auream coronam carbunculis irradiantem, ac aliarum gemmarum vario genere illuminatam, quam Mauritius olim Deiparæ in majori Baſilica dedicaverat, inde detractam ſibi uſurpavit, ſuoque impoſuit capiti; ex quo ſtatim venenati eruperunt carbunculi, qui ardentem febrim accendentes in ſanguine brevi ipſum interemerunt. Cumque ſuperiorem ſibi filium nomine Conſtantinum reliquiſſet ex Irene conjuge ſuſceptum, hic jure hæreditario ſucceſſit Leoni Patri in Imperio, ſed quia decennis adhuc puer erat; Irene mater regimen ſuſcepit Imperii ſub Conſtantino filio. Fuerat Irene veræ orthodoxæ religioni ſemper addicta, primumque ejus ſtudium fuit ſedare procellas hæreticorum, quibus Eccleſia per totum orientem fluctuabat non abſque plurium animarum naufragio. Regiam urbem multiplici anathemate involutam, & ab Eccleſiis divulſam, iterum ſedi Apoſtolicæ copulavit. Quia vero Paulus abdicato Patriarchatu regiæ urbis ſe in monaſterium occluſit ad ſpontaneam agendam pœnitentiam, & cauſam hujus abdicationis dixerit eſſe ſciſcitantibus, quia Copronymi Conciliabulo, ejuſque decreto contra venerandas Sanctorum imagines ſuam adjecerit ſubſcriptionem, ratus propterea non poſſe æterna evadere ſupplicia, niſi patratum à ſe delictum diuturna elueret pœnitentia. Hac permoti reſponſione Irene, & Conſtantinus filius de optimo Patriarcha eligendo, qui ſincere eſſet Catholicus, ab omni hæreſis ſuſpicione liber, Tharaſium virum virtutum culturâ inſignem promovendum curârunt, & quamvis ipſe hoc graviſſimum onus ſuſcipere detrectaret, urgentibus tamen Irenes, & Conſtantini precibus tandem ceſſit, dummodo pollicerentur, ut ex conſenſu Romani Pontificis novum Concilium Oecumenicum indicendum curarent. Idque cum promiſiſſet Irenes, ſuſcipit ſtatim Tharaſius litteras ad Hadrianum Romanum Pontificem, quibus de ſacrarum imaginum cultu piè, ac doctè diſſeruit. Scripſerunt itidem Conſtan[illegible]inus, & Irene rogantes Romanum Pontificem, [illegible] novum Concilium vellet indicere, & ad illud [illegible], ut moris ſemper fuit, Legatos mittere. Le[illegible] Adrianus Papa ſumma plenus lætitia tum Thara[illegible], tum Conſtantini, & Irenes Epiſtolas ad ſe directas, miſitque ſtatim Petrum Archi-Presbyterum Eccleſiæ Sancti Petri, & Petrum Abbatem Sanctæ Sabbæ, quibus injunxit, ut ſuo nomine Synodo præſideret. Verum quia Conſtantinopoli hæreſis ita invaluit, ut magis graſſaretur, quàm aliis in locis, & tumultus timerentur excitari ab Iconomachis, qui viribus & numero Orthodoxos ſuperabant;

Selecta fuit Nicæa, quæ Civitas Metropolis eſt Bythiniæ toto orbe clariſſima ob primam Oecumenicam Synodum, in qua ſecunda Oecumenica hæc Synodus celebraretur; cui interfuerunt cum Taraſio Viro religioſiſſimo, & Regni Patriarcha, duo Monachi, Joannes & Thomas, locum tenentes Sedium Patriarchalium Orientis, hîque Anno Chriſti 781. juxta Paulum Diaconum, vel 786. ſi fidem præſtamus Cedreno, vel 779. juxta Pſellum, qui enumerat Annos 60. inter ſextam & ſeptimam Synodum, vel juxta communiorem ſententiam Anno 787. coacta fuit Nicææ hæc Synodus Oecumenica, cui interfuerunt 350. Epiſcopi. Producti ſtatim ab initio fuerunt libelli ſupplices, quibus plures Epiſcopi veniam expoſcebant, eò, quia Copronymi Synodum approbaverint, & præ cæteris Gregorius Neocæſarienſis, qui in Pſeudo-Synodo quaſi præſederat, fueratque veluti Anteſignanus, cumque utrinque agitata fuiſſet ſententia, mitior prævaluit, quâ cunctis condonatum eſt, ac permiſſum, ut quiſque ſuum gradum retineret ac dignitatem. Gratiis actis ab Epiſcopis, qui ſupplicârunt, legi cœpit Adriani epiſtola, cui honorificè omnes acclamârunt; poſtea ex Sanctorum Eccleſiæ Doctorum libris depromptas graviſſimas ſententias & exempla, quibus religioſa imaginum veneratio aſſeritur tanquam à ſanctiſſimis Patribus tradita, & ab exordiis Eccleſiæ continuata Chriſtianorū ſæculorum ſerie recepta, ac plurimis firmata miraculis juſſerunt Legati Apoſtolici alta voce in publica Synodo legi; inde unanimi Patrum conſenſu, & ſuffragiis ſancitum fuit, ut Eccleſiis aliiſque honeſtis locis Chriſti Domini, & Sanctorum imagines reſtituerentur ad piam memoriam, & virtutum imitationem excitandam, eò, quia non ipſæ imagines, vel lignea, ænea, argentea, aurea ſimulacra colerentur, ut ſunt colores, vel quia conflantur ex metallis, aut ſculpuntur ex ligno, vel lapide, ſed quia repræſentant ipſos Sanctos, qui invocantur à fidelibus, & intercedunt apud Deum, adeo ut honor delatus ſacris imaginibus ad prototypum & exemplar referatur ſeu ad ipſos Sanctos, quos imagines repræſentant, donanturque in cælo æterna beatitate, ſtatutum itidem per decretum fuit, ut fideles debitâ veneratione Sanctorum Reliquias proſequerentur, & hiſce decretis contradicentes anathemate percutiuntur, & hæretici declarantur. Hiſce ſtatutis juſſerunt Patres in medium proferri imaginem Salvatoris, ut ab omnibus ſuppliciter procumbentibus adoraretur. Rurſus, ne quid negligeretur examinari, producta fuit Co-

pronymi Synodus, quæ sedulo examine discussa ejus vanissimæ rationes validissimis argumentis eversæ fuerunt, & testimonia sacrarum Scripturarum, quibus idola gentium redarguuntur sana, & verâ interpretatione explicata, conclusum fuit, nihil idola gentium cum sanctis imaginibus habere commune, & damnata fuit communi consensu Pseudo-Synodus Copronymi, & anathemate percussi Anastasius, Constantinus Niceta, Pseudo-Patriarchæ urbis Regiæ. Tandem Oecumenica Synodus Canones viginti duos promulgavit, quibus ritè peractis Tarasius per litteras omnia in Synodo gesta aperuit Adriano Romano Pontifici, qui non solùm Apostolicâ authoritate Synodum munivit, ac approbavit, sed ulteriùs per scriptam ad Carolum Magnum epistolam eam defendit ab Æmulorum criminationibus. In hac Synodo præ cæteris testimoniis Sanctorũ adducta, & recitata etiam fuit Joannis Thessalonicensis Episcopi sententia, quâ asserit, sanctos Dei Angelos, & Sanctorum animas, figuris corporeis sufficienter repræsentari, eò, quia Catholica Ecclesia, utrisque corporeas substantias attribuat tenuissimas, scilicet igneas, vel aëreas; idq; adnititur confirmare testimonio Davidis, & Apostoli, *qui facit Angelos suos, spiritus & ministros suos flammam ignis.* Ut etiam authoritate Athanasii, Basilii, Methodii, & aliorum. Quod verò dicat, hunc esse sensum Ecclesiæ, non ita intelligitur, quasi id definitum sit ab Ecclesia, sed quia plures in Ecclesia Doctores id asserant, & id temporis hæc sententia visa sit prævaluisse, non solùm apud Græcos, verum etiam apud Latinos, cùm eam asserant Hilarius in Matth. Augustinus *lib.* 3. *de Genes. ad litter. cap.* 10. & *lib.* 3. *de Trinit. cap.* 11. & *in Psal.* 85. & 145. ut etiam *lib.* 2. *de Civitate Dei*, *cap.* 23. & in *Enchirid. cap.* 59. adeo ut asserat Vasquez tract. de Angelis. Augustinum non dubitasse, Angelos esse corporeos, sed tantùm, an eorum corpora possint detrectari, quod etiam docuit Cassianus Collat. 7. cap. 13. Et videtur in hanc sententiam propendere D. Bernardus, *serm* 5. *in Cant.* ubi Angelis aëreum corpus assignat, ut etiam *lib.* 5. *de considerat.* cui visus est adhæsisse Rupertus Abbas, *lib.* 1. *de Trinit. cap.* 11. Eandem sententiam ex Græcis præter recensitos videntur asserere Athanasius, Basilius, Joannes Thessalicensis, Origenes *lib.* 1. *Periarchon.* Elias Cretensis ad Orat. 1. Nazianzeni. Et plures alii tam Græci, quàm Latini, qui docuerunt, Angelos cum mulieribus habuisse consuetudinem, ex iis progenitos fuisse Gigantes, in quam sententiam visi sunt inclinasse Justinus Irenæus, Clemens Alexandrinus, Eusebius Cæsariensis, Tertullianus, Lactantius, & alii asserentes in Angelis, & hominum animis esse spiritualem substantiam, quatenus hæc substantissima, tenuissimá, & subtilissima longè distans à concretis crassioribus corporibus, quòd sit omnis materiæ expers. Illis enim primis temporibus apud sanctos Patres prævaluerat Platonis Philosophia constituentis Dæmones elementales, & animas igneæ substantiæ, sed hæc Philosophia antiquata postea fuit, & Aristotelis doctrina *lib.* 12. *Metaph. cap.* 6. 7. 8. ubi docet, intelligentias esse ab omni materia segregatas, & à quantitate separatas, recepta fuit à Doctoribus Scholasticis Sacræ Theologiæ, quam sententiam vel maximè suadet apud Orthodoxos ipsa visio divinæ essentiæ. 1. Joan. 3. *Videbimus eum sicuti est*, ad hanc autem Visionem non potest ullam habere aptitudinem, nec remotam, nec supernaturalem substantiam materialis, & corporea quamvis tenuissima, adeo ut censeatur impossibile, posse oculum corporeum elevari ad intuitivam divinæ Essentiæ intuitionem, eò, quia facultas corporea, & materialis ferretur extra suum specificativum, & objectum, & proinde esset, & non esset facultas corporea, in quo involvitur luculenta contradictio: Hinc Magister Sententiarum D. Thomas, & alii Theologi asserunt, Angelos, & animas rationales hominum esse purè spirituales, nihilque corporei in se includere; cui sententiæ etiam favent verba Concilii Lateranensis sub Innocentio III. & leguntur in *cap. firmiter de sum. Trinit. DEUS utramque de nihilo condidit naturam spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam, deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.* Et quamvis probabile videatur, mentem Concilii Lateranensis non fuisse hanc rem definire de fide, non tamen temeritatis notam declinaret, qui assereret, Angelos esse corporeos. Ecclesia enim progressu temporis pleniùs semper fuit illustrata; quapropter in Cantico describitur instar surgentis auroræ, eò, quia per lucis incrementa semper fiat clarior, ac illustrior. Hinc Vincentius Lyrinensis adversus Hæreticos Commonitione 1. cap. 27. ait: *Crescat igitur, oportet, & multùm, vehementerque proficiat, tam singulorum, quàm omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiæ ætatum, ac sæculorum gradibus intelligentia, scientia & sapientia.*

Octava Synodus Oecumenica fuit Constantinopoli coacta, cujus historiam narrat Nicetas David Paphlago, Scriptor illius temporis, in vita St. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani, atq; aliqua subjiciam fragmenta. Nicephorus Orientis Imperator filiam suam Procopiam dederat in matrimonium Michaëli Curopalati; ex ea nati fuerant Nicetas, & alii filii Michaëlis, cumque Nicephorus mortalitatem exuisset, seu decessisset è vivis, Michaël omnium consensu acclamatur Orientis Imperator; fuitque Princeps virtutum ornamentis, præsertim religione, pietate, justitiâ & misericordiâ spectabilis; sed non nisi biennio imperavit, quia Leo Armenus, cui Michael sui exercitûs præfecturam concrediderat, perduellis contra suum Imperatorem, & Principem Benefactorem arma direxit, è solio expulit, & occupata illius sede, Michaëlem unà cum uxore & liberis in diversas relegat exules insulas, includítque in Monasteriis, filios mares jussit demasculari, ne aliis generandis filiis fierent apti; Nicetæ in monasterio detonso Ignatii nomen imponitur. Leo Armenus eadem tyrannide, artibus dolosis, quibus in Imperium se intrusit, illud administravit. Sopitam Iconoclastarum hæresin enormi Ecclesiasticorum clade excitavit, nostum accendit incendium Orthodoxis exitiale; etenim non minori furens rabie, quàm Leo Isauricus, à quo primùm fuerat hæc hæresis asserta, & propagata. Sed vix exacto septennio à divina Nemesi ulciscitur interemptus à Michaële Balbo, pariter Iconoclasta, cui post annos 8. succedit Theophilus, paternæ impietatis æmulus, qui per aliquot annos Imperio potitus, illud transmisit ad filium Michaëlem, sub tutela Theodoræ matris fœminæ orthodoxæ, ac religiosæ, animoque virili, quæ statim per viros pios, ac religiosos curavit filium catholicá religione imbui, ac cultum sacrarum imaginum, deletum ab Iconoclastis, iterum instaurari. Ad hunc finem Methodium, Virum sanctissimum, quem in fide Orthodoxá Michaël Balbus in exilio ablegaverat, revocavit, & in urbe regia Patriarcham constituit, quo officio sanctè perfuncto per quadriennium, evolavit in cælum. Defuncto Methodio operâ Theodoræ, revocatur è monasterio Ignatius, filius Michaëlis Curopalatis, qui Patriarcha eligitur urbis regiæ, quo præsule iterum orthodoxi vires resumpserunt, & Ecclesia Orienta-

lis

lis religione, ac fidei sinceritate, ut & morum probitate resplenduit. Sed hanc Ecclesiæ Orientalis malaciam ambitio Cæsaris Bardæ, Fratris Theodoræ, nova turbavit procella: Suasit hic Imperatori, ut matrem excluderet à regimine Imperii, eamq; ne factionem congregaret, monasterio includeret; inde ex vecordia, & indoneitate Michaëlis spem concepit, fore ut potestas omnis Imperii in se unum transferretur. Erat Bardas Ignatio Patriarchæ infensissimus, eò, quia cum plures eum monuissent, ut à stupri consuetudine cum propria nata se abstineret, quod publico erat toti populo scandalo, & desistere noluisset, ad sacram Eucharistiæ Synaxim ipso solemni die accedere prohibuerit. Contigit etiam, ut suam Bardæ Michaël Imperator operâ addicens accersito Ignatio Patriarcha ei injunxit, ut Theodorâ, quamvis reluctante, & invitâ attonderet, ac monasterio includeret, & cùm exequi noluisset rem, utpote indignam, & adversantem justitiæ, indignatus Bardas accusavit Ignatium apud Imperatorem reum læsæ Majestatis, & simul ad Insulam relegavit, & Photium in ejus sedem intrusit, quamvis vir esset Laicus. Fuit Photius nobili sanguine natus, dignitate Prothospatharius, sed vafer, ambitiosus, ac versatilis, ingenio acutus, & promptus, pluribus imbutus scientiis, & ornatus disciplinis, adeo, ut ingenio facilè reliquos sui ævi superaverit; has tamen animi dotes non modicè fumus obscuravit ambitionis, inauditâ sævitie adinventis calumniis, ac immanibus corporis suppliciis Ignatium regiæ stirpis, vitæ sanctitate commendatissimum, ætate jam provectum vexavit, ac torsit, quamdiu Bardas vixit, qui justu Michaëlis interimitur à Basilio Macedone Protostatore; & interfector adsciscitur in Imperii societatem; nec diu cum collega vixit Imperii Moderator Michaël, multo enim vino madidus, ac temulentus, post aliquod menses interficitur, nec eadem Imperii sedes duos potuisset capere, Solus igitur imperio potitur Basilius, sicut religionis orthodoxæ, ac justitiæ amans semper fuerat, de mediis statim cogitavit promovendi religionem vecordiâ Michaëlis collapsam, & veluti conculcatam humi jacentem in luctu & squalore. Inprimis depulso è sede Patriarchali Photio, qui in eam intrusus fuerat, revocavit Ignatium, quem suæ pristinæ restituit sedi, eâq; de causâ Synodum Oecumenicam octavam in Oriente indixit Constantinopoli, assentiente Adriano Papâ II. Successore Nicolai I. qui per suos Legatos Donatum, & Stephanum Episcopos, & Martinum Diaconum præsedit St. Synodo, An. Ch. 869. Anno tertio ejusdem Basilii, ut innuitur Act. 1. ejusdem Synodi, cui interfuerunt Episcopi 383. Basilius jam Photium è sede Patriarchali depulerat, ac in monasterium intruserat, & Ignatium solemni pompâ, ingentiq; populi lætitiâ ab exilio reducem susceperat, ac in pristinam Patriarchalem collocaverat sedem. In hac octava Synodo citatur in primis ut reus Photius, qui de propriis delictis interrogatus, & ut se purgaret etiam rogatus, nil aliud respondit, nisi illud Davidicum : *Posui ori meo custodiam,* cui tantùm addidit, & quod sequitur, vos ipsi legitote, intelligens, *cum consisteret peccator adversum me.* Instant Legati, ut se purget, alioquin per obstinatum silentium minimè evasurum damnationem; quibus tunc ille: Neque JEsus tacendo effugit damnationẽ. Iterum à Synodo blandè rogatur, ut se justificet circa ei objecta, respondit toti Concilio : Justificationes meæ non sunt de hoc mundo. Suadetur, ut saltem resipiscat, & pœnitentiæ indicia exhibeat; sed ille pertinaciter tacet, & à præsentia sacræ Synodi se subducit. Photius jam antea in Concilio Episcoporum à Nicolao Papa damnatus fuerat, ut violentus invasor Ecclesiæ Patriarchalis regiæ urbis, & anathemate percussus. Hinc Photius coactò conciliabulo in id devenit arrogantiæ ac temeritatis, ut ausus fuerit anathema retorquere in Nicolaum Romanũ Pontificem; quinimo literas itidem scripsit Synodicas, quas direxit ad Ludovicum Franciæ Regem, ejusque uxorem Ingelbertam, quam rogavit, ut vellet marito Regi persuadere; ut vi ab urbe Romana Nicolaum Papam pelleret, eò, quia per Catholicam Oecumenicam Synodum depositus esset è Pontificiâ dignitate, & procul in exilium relegaret. Verùm hæ literæ interceptæ lectæ fuerunt in octava Oecumenica Synodo, & impudentia Photii iterum damnata. In hac Synodo Legati Regis Franciæ, ut & Legati Michaëlis Bulgarorum Principis non interfuerunt, nisi nonæ actioni. Non solùm à Nicolao Papa, verùm etiam ab Adriano Pontifice in aliâ Synodo condemnatus fuit Photius, ac anathematizatur. Refert Nicetas in vitâ Ignatii defuncti in communi opinione sanctitatis, damnationi Photii ab Oecumenicæ Synodi patribus subscriptũ fuisse calamis, non solùm atramento imbutis, verùm etiam Christi sanguine tinctis, ad incutiendum majorem terrorem. Eodem pacto testatur Theophanes, scilicet subscriptione permixto atramento cum tremendo sanguine JEsu Christi à Theodoro Papa fuisse signatam Pyrrhi Monothelitæ relapsi damnationem.

Hæc 8va Synodus aliquot edidit Canones, in quorum primo sanxit, servandas ac retinendas esse Apostolicas traditiones non scriptas, perinde ac divinas Scripturas; & allegatur illud D. Pauli ad Thessal. *State, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Traditionibus parem esse fidem adhibendam, ac divinis Scripturis, docent communiter Patres Græci & Latini. In 2da Canone statuit, Salvatoris Nostri Effigiem eadem cum sacris Evangeliis veneratione colendam esse; & adjungit imagines Deiparæ ac Sanctorum esse colendas, ut etiam effigies Angelorum. In 4to Canone declarat sacra Oecumenica Synodus, Photium nunquam fuisse Episcopum; cùm Apostolus scribat ad Timotheum, fieri non posse ex Neophyto Episcopum, quod in St. Canone explicat tam de Neophyto in Ordine Clericorum, quàm de Neophyto in Christi fide; hoc idem declarat de Sacerdotibus, quos Photius ordinaverat: Et Can. 4. in editione Anastasii addit, Ecclesias à Photio consecratas, esse iterum consecrandas. Can. 5. prohibet, ne quis promoveatur ad ordines Ecclesiasticos, nisi annum in officio Lectoris expleverit; in officio Subdiaconi duos; Diaconi tres, Sacerdotii quatuor. Sed Concilium Tridentinum sess. 23. c. 11. constituit annum interstitii, & ministerii à susceptione ultimi ex minoribus ordinibus ad Subdiaconatum, & alterum annũ ad Diaconatum, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat. Can. 11. anathemate percutit asserentes dari in uno, ac eodem homine plures animas distinctas, quæ fuit hæresis Manichæorum asserentium in homine præter animam rationalem etiam sensitivam, ut distinctam, contra quos D. Augustinus scripsit librum de duabus animabus, unde Aristoteles l. 1. de Anima text. 66. & 91. docet, unam tantùm in homine dari animam rationalem, quæ virtualiter, & eminenter est etiam vegetativa, & sensitiva: Ratio itidem hoc suadet, quia cum forma sit, quæ dat esse & constituit unum per se; si plures essent in homine formæ substantiales, totales, quales essent anima rationalis, & sensitiva; homo non esset quid unum per se, sed aggregatum ex pluribus per se, ut sunt plures homines simul, plures arbores, plures lapides. Ratio itidem Theologica huic suffragatur veritati; quia Christus assumpsit omnia, quæ pertinent ad integritatem hominis, proinde verbum divinum in Christo simul fuisset homo, brutum & planta. Præterea in triduo necis Christi animæ, vegetativa & sensitiva periissent, quod dici nequit: Quia verbum, quod semel assumpsit nunquam dimisit. Alios quoq; sanxit & evulgavit Canones.

# CAPUT III.

## De Conciliis Generalibus in Occidente.

TAmetsi in octava Occumenica Synodo can. 22. sancitum fuerit, nemini Principum, & Magnatum licere se in genere in Episcoporum electionibus, aut promotionibus, eò quia id ad solum Spiritus Sancti consilium referri debeat. Aliqui tamen Imperatores Occidentis divitiarum plus æquo cupidi jura Episcopatuum, Abbatiarum, ac cæterorum beneficiorum Ecclesiæ conferendorum sibi asseruerunt, ac fœdissimo mercatu Ecclesiasticas dignitates venales exhibuerunt, quod causæ fuit, ut indignissimi viri sine merito, absque virtute ad illas promoverentur, & inde perniciosissima oriretur morum corruptela. Huic in Ecclesia malo ut occurrerent Romani Pontifices, præsertim Gregorius Septimus antea Idelbrandus nuncupatur sategerunt. Contigit ut defuncto Damaso secundo Henricus Imperator quem Itali secundum Germani tertium dicunt, delegerit Papam Brunonem Tulliensem Episcopum, quem etiam Pontificali purpura ornatum à se dimiserit, ut coram Cardinalium consessu se sisteret suscipiendum, & consecrandum in Romanum Pontificem: cumque per Galliam proficisceretur, fortuitò Idelbrandus illi obviavit, qui & eum reprehendit, quod nec dum à Romano Clero electus se pro summo Pontifice auderet ventitare; ac si licitum foret Principi Laico ad supremam Ecclesiasticarum dignitatum quemlibet ad libitum promovere, & potestas spiritualis subiiceretur temporali, & Ecclesiastica Laicali. Addidit Idelbrandus optimum fore consilium, si diceret, se præstitisse assensum, ne imperator causam inde summeret succensendi Ecclesiæ, & jura Ecclesiastica detrimentum paterentur. Bruno ejus suasioni se flexit, purpuram deposuit, & assumpto secum Idelbrando iter suum fuit Romam versus prosecutus, ubi opera ejusdem Idelbrandi electus fuit summus Pontifex sub nomine Leonis noni, fuitque eximia vitæ Sanctitate spectabilis, de quo scribit Leo Ostiensis, quòd quamdiu Romæ remoratus est omni tempore tribus per hebdomadem diebus à Lateranensi Ecclesia usque ad S. Petrum privato vestitu, nudisque pedibus, cum duobus, aut tribus Clericis noctu psallendo, & fervidè orando perrexerit, seu iter peregerit quatuor circiter milliarium Italicorum. Mox defuncto Leone eligitur Victor secundus à Clero; sed paulo post suum claudit diem ultimum Henricus, & in id Victor Papa incubuit studii, ut ejus filius Henricus vix quinquennis eligeretur imperator, qui cum adolevisset, Ecclesiæ Romanæ hostis fuit infensissimus. Mortuo Victori subrogatur Stephanus, quem excepit à Romano Clero sublectus Nicolaus secundus, quem rogante Clero Henricus tertius approbavit.

Nicolaus igitur secundus ut pluribus invectis occurreret in Ecclesia corruptelis in Laterano Sanctionem edidit, quam refert Gratianus dist. 23. c. in nomine Domini, qua præcipit, Romanum Pontificem eligi à Clero & populo, ita tamen, ut præsint Cardinales Episcopi, adhibitis aliis Cardinalibus Clericis, & ita reliquus cum populo Clerus ad consensum novæ Electionis accedat: postea subdit salvo debito honore, & reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui in præsentia Rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente speratur, sicut jam sibi concessimus, & successoribus illius, qui ab hac Apostolica Sede personaliter jus hoc impetraverint. Nicolao II. successit Alexander II. Alexandro Idelbrandus dictus Gregorius septimus in Etruria humili loco natus, ex patre fabro, ingenii tamen, & virtutum laude comendatissimus. Hujus electionem legitimis suffragiis Romæ peractam Henricus approbavit, & electum Pontificem debita fuit veneratione prosequutus sub initiis sui Pontificatûs; postea enim mutato Consilio atrocissimè eum divexavit, cui & Guibertum Ravennæ Episcopum opposuit Pseudo-Papam, qui Ecclesiam plurimum afflixit sub legitimis Pontificibus Gregorio septimo, Victore tertio, & Urbano secundo, neque destitit suam matrem Ecclesiam dilacerare, donec sub Paschali secundo vivere cessaverit. Sed Gregorius VII. in Concilio Episcoporum Laterani coacto anathemate percussit Henricum III. Imperatorem, & subditos ei populos Sacramento solvit subjectionis: quæ sententia iterata fuit contra ejus filium Henricum IV. à Successoribus Gregorii VII. Causæ, cur Romanus Pontifex Imperatorem, & ejus filium anathematizaverit, plures fuerunt, quarum prima fuit usurpatio dignitatum, ac prælaturarum Ecclesiæ, quas titulo investituræ consueverant Imperatores conferre. Secunda, quia Simoniacè pro iisdem investituris pretium exigebant pecuniarum. Tertia fuit aperta rebellio, & invectum in Ecclesia schisma, eò quia armis, & factionibus Antipapas obtruderent. Henricus IV. paternæ nequitiæ non minus ac hæreditatis particeps, tametsi sub initiis Paschalem II. fuerit in Vaticano veneratus, & ab eo coronam Imperii acceperit, mutato postea consilio ex improviso jussit eum capi, & in carcerem detrudi, neque prius fuit in pristinam libertatem assertus, quàm Imperator extorserit præreptas sibi ejúsque Patri Prælaturarum investituras. Verùm Paschalis recuperata libertate Concilium coëgit in Laterano, quo revocavit concessionem extortam per violentiam ab Imperatore, quem etiam sacris omnibus interdixit. Defuncto Paschali Gelasius II. eligitur in Pontificem Romanum, quem tamen Henricus adducto exercitu è Pontificia sede vi expulit, & Burdinum Pracarensem Archi-Episcopum ejus loco suffecit, & vi armorum in Petri Sedem obtrusit, adegítque pulsum Gelasium è Sede Pontificia in Galliam confugere, ubi diem suum extremum clausit; & tunc unanimi Cardinalium consensu tam eorum, qui Gelasium commitati fuerant, & adhuc in Gallia versabantur, quàm eorum, qui in Italia morabantur, eligitur Pontifex Guido Viennensis Archi-Episcopus, cui Calixti II. nomen indictum est. Hic quavis disrupta mora Concilium in Gallia coëgit, quo Henrico Imperatori, & Burdino Antipapæ Anathema dixit. Inde Romam profectus Burdinum monasterio inclusit; & Adalbertum Archi-Episcopum Moguntinum suum constituit Legatum per totam Germaniam, qui suo strenuè defungens munere Episcopos, & Principes Germanicæ & propugnandam Ecclesiam in legitimas partes pellexit, & validissimum congregavit exercitum ex Germanis militibus, qui cùm non procul ab Henrici copiis fuissent castra metati, parati pugnare contra Henricum, ex Dei providentia obtigit ut communicatis hinc inde Consiliis duodecim ex utroque exercitu deligerentur viri, qui de pace in-

eunda

cunda ſedulo agerent, & ſimul convenirent pro extirpando exitiali ſchismate, & ut Henricus Legatos ſuos ad Pontificem mitteret, qui ſupplices rogarent pro pace, quæ poſt tot tumultus generalis Concilii firmaretur decreto: & quia Henricus cogitavit ſe à ſuis deſertum iri, ſi pacem inire detrectaret cum Romano Pontifice, ac timeret, ne ſua ſpoliaretur ditione, ſuum etiam præſtitit conſenſum. Nil potuit jucundius Caliſto obtingere, nil utilius Eccleſiæ evenire, quàm ut extincto tam diuturno Schiſmate, ſedatiſque bellis, quæ per tot annos arſerant in Italia, & Germania, ſpes tandem deſideratiſſimæ pacis eluceret, & Imperatores ad Eccleſiæ unitatem reverterentur.

Nonum igitur Generale Concilium, & primum in Occidente indictum fuit Romæ in Laterano anno 1122. in quo ſancita partis conditiones fuerunt. Primò ut Imperator liberas Clericis, & Monachis ſineret Epiſcoporum, & Abbatum electiones, & reſtitueret quæcunque ablata hactenus Eccleſiis fuerunt, æquè ab ipſo ac à ſuo Patre, & utriusque Miniſtris & Fautoribus. Secundo Pontifex conceſſit Henrico, & ejus Succeſſoribus, ut Epiſcopi & Abbates electi in terris Imperii Regalia ab Imperatoribus ſumere tenerentur, ſine tamen pecuniaria contributione, & ſecluſa omni ſimoniæ labe. Proviſum itidem fuit de ſuppeditandis auxiliis Eccleſiis Orientalibus adverſus Saracenos Chriſtianos ubique ad necem inſequentes, & renovatæ fuerunt remiſſiones peccatorum ab Urbano II. olim fidelibus indultæ, qui cruces in veſtibus ſumpſiſſent, opemque Chriſtianis, quos Saraceni divexabant, opprimebantque, tuliſſent, qua ratione inſtitutæ iterum fuerunt Cruciatæ pro recuperanda terra ſancta, rurſus declaratæ fuerunt irritæ ordinationes, quas fecit Burdinus, & Pſeudo-Epiſcopi per eundem ordinati à die, qua publico Eccleſiæ Romanæ judicio damnatus fuerat. Prohibitum itidem fuit, ne impoſterum Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, & Monachi concubinas haberent, nec matrimonia contraherent, & contracta juſſit disjungi, & ad pœnitentiam adigi qui contraxerant, juxta Canonum præſcripta. In id nequitiæ Clerus eo tempore devenerat, ut Sacerdotes Connubia paſſim inirent, convocatis affinibus, & amicis de dote, & nuptialibus donationibus, ſimilibusque conventionibus paciſcerentur, & conventa publicis tabulis conſcriberent. Et quia Leo Papa IX. aliique Romani Pontifices has ſacrilegas nuptias, ac nefanda matrimonia diſtrictè prohibuerant, inde contigit, ut Clericis hiſce vinculis ligati vel nuptiarum appetentes Antipapis adhærerent, à quibus ſacrilegæ hæ ſpuricitiæ approbabantur, ut Clerici faciliùs iiſdem adhærerent, quamobrem Concilium hoc nonum Generale has ſacrilegas nuptias inhibuit, in quas etiam invehitur Cardinalis Petrus Damiani, qui floruit tempore Leonis IX. Nicolai II. & hujus Concilii indicti, in cujus ſecundo canone ſancitur: *Nullus in Præpoſitum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum niſi Presbyter, nullus in Archidiaconum niſi Diaconus eligatur.* Et hunc Canonem innovavit etiam Innocentius II. & uterque Canon legitur in decreto *diſt. 60. cap. nullus* & in *cap. Innovamus.* Verùm Concilium Tridentinum Seſſ. 22. de Reform. *cap. 4.* indulget annum, intra cujus ſpatium, qui dignitates Eccleſiaſticas, vel beneficia poſſident, tenentur ad illum Ordinem promoveri, quem dignitates vel beneficia exigunt, & eandem Sanctionem ediderat antea ſub Clemente V. Concilium Viennenſe, & hic indultus annus exordium ſumit à die ſumptæ poſſeſſionis, dummodo proviſus eam ſua fraude & culpa non diſtulerit.

Vita functo Honorio II. Caliſti ſucceſſore major pars Cardinalium legitimè elegerunt in Pontificem Innocentium II. Verùm reliqua pars elegit Petrum Leonis Pſeudo-Papam, qui ſe Anacletum ſecundum vocavit. Imminente ex graviſſima ægritùdine Honorii obitu convenerant inter ſe Cardinales, ut cùm primum exceſſiſſet, ſimul omnes ad S. Marcum convenirent, ut Succeſſorem communi conſilio eligerent. Sed alii Cardinales, qui familiaritate & aſſiduitate proximius adhæſerant Honorio, ut narrat Sugerius Abbas S. Dionyſii in vita Ludovici VI. Regis Galliæ, cùm primùm Honorius deceſſit, antequam ejus obitus populo promulgaretur, non auſi ad S. Marcum metu populi contumultuantis convenire abſque ulla mora Innocentium elegerunt, Cardinalem Diaconum tituli S. Angeli. Reliqui verò Cardinales, & Epiſcopi, qui cum majori Procerum ac Romanorum civium parte adhærebant Petro Leonis Presbytero Cardinali tituli Sanctæ Mariæ trans Tyberim ad Sanctum Marcum, eodem prorſus die, quo Honorius occubuit unà convenientes ipſum Petrum Leonis elegerunt in Romanum Pontificem, qui cognatorum, affiniúmque potentia Procerum, & clientum multitudine, ac ingenti divitiarum copia munitus ædes Frangipanum, ad quas Innocentius ſe receperat, militari obſidione vallavit. Sed inde repulſus præcipuarum Eccleſiarum Romanæ urbis theſauros, ac vaſa expilavit, ut hiſce congeſtis divitiis ſuas partes promoveret, quinimò etiam ſibi adjunxit Rogerium Ducem Calabriæ, Apuliæ, & Siciliæ, cui Pontifex titulum Regis indulſit. Hinc incrementa in dies ſuſcipiente factione Petri Leonis, Innocenius adigitur Roma diſcedere, & in Galliam ſe recipere; ubi ferunt Regem Ludovicum VI. cognomento Craſſum ſe Pontificis pedibus proſtraviſſe ac honorificentiſſimè excepiſſe. Florebat tunc temporis ſanctitate ac doctrina toto orbe celebris S. Bernardus, qui huic ſchiſmati extinguendo plurimum deſudavit, ac utiliſſimam operam præſtitit præſertim apud Reges Franciæ, & Angliæ, ut etiam apud Lotarium Imperatorem, qui etiam promiſerat, velle ſe Innocentium verum Romanum Pontificem cum ſuo exercitu Romam ducere, quod & fideliter præſtitit, & Innocentius Eccleſiarum Gallicanarum in ſui ſubſidium ſuſcepta collatitia pecunia ex Gallia Romam revertitur, cui ſe comitem cum ſuo exercitu junxit Lotarius, qui Romam uſq; eum duxit, & ubi coronam Imperii ab ipſo Innocentio ſuſcepit, revertitur in Germaniam, relicto Romæ pro Innocentii tutela milite præſidiario. Neque ſolum ſchiſma eo tempore Eccleſiam dilaceravit, ſed hæreſes, & ſeditiones, quas Petrus Abailardus, & Arnaldus Prixianus excitaverant, non modicè eandem turbârunt, ac in varias diviſerunt factiones, quæ omnia cauſa fuerunt Innocentio Pontifici hoc aliud Concilium Generale convocandi in Laterano, quod fuit inter Concilia Generalia decimum, & in Occidente ſecundum, hæc Synodus duo circa excommunicatos ſanxit Canone 3. ne excommunicatus à ſuo Prælato ab alio Prælato poſſit abſolvi, quod etiam ſtatuerat Concilium Nicænum Generale canone 5. ſub Sylveſtro, & Lateranenſe canone 9. ſub Caliſto. Rurſus decrevit, ut communicantes ſcienter cum excommunicato innodentur eadem cenſura, quod tamen poſteriora jura dupliciter mitigârunt. Primò ut communicantes ſcienter cum excommunicatis minorem tantum incurrant excommunicationem. Secundò,

cundò, quod hanc minorem excommunicationem non incurrant, nisi communicantes cum excommunicatis publicè & nominatim denuntiatis, vel cum manifestis Clericorum percussoribus. Hi Canones emanârunt in Concilio Constantiensi à Martino V. in eodem Concilio electo Pontifice. In decimo Canone prohibet decimas Ecclesiarum à Laicis possideri, & possessas jubentur possessores statim restituere. In fine ejus Concilii Innocentius jubet Petrum Abailardum, & Arnaldum de Prixia Authores dogmatum Hæreticorum includi in locis religiosis separatim, & eorum libros in publico foro tradi flammis.

Undecimum Generale Concilium & in Occidente tertium initum fuit Romæ in Laterano cui pro reformatione Ecclesiæ & ad extinguendas hæreses Waldensium coacta fuit in Laterano, cui interfuerunt Episcopi trecenti. Mortuo Adriano III. electus fuit à viginti & uno Cardinalibus in Romanum Pontificem Alexander III. anno 1159. Sed à tribus tantùm Cardinalibus electus fuit Octavianus Romanus, qui fuerat Friderici Ænobarbi studiosus, quique duodeviginti annos molestissimo bello Alexandrum verum Pontificem divexavit Italis in partes divisis, quarum una legitimo adhærebat Pontifici, & alii Imperatori, & Anti-Papæ, sed bello tandem victus Fridericus, & desertus à majori parte suorum tunc resipuit, & se Venetiis ad Alexandri pedes abjecit, à quo solutus anathemate fuit. Hisce igitur sedatis bellorum motibus Alexander Generale Concilium congregavit in Laterano ad impedienda schismata, & ne imposterum Ecclesia similibus esset calamitatibus obnoxia, & simul Ecclesia reformaretur, & Waldensium errores prorsus delerentur, quamobrem 1179. vel ut volunt alii 1180. initium fuit datum huic Concilio, in quo statutum fuit, ut imposterum nemo posset esse Romanus Pontifex, qui à duabus saltem Cardinalium Electorum partibus non fuit electus; addens per hoc nihil sacris Canonibus præjudicari, qui in aliis electionibus atque deliberationibus exigunt consensum majoris & sanioris partis, quatenus cum his recurri possit ad Superiorem, si dubium inde oriatur, & quia hic recursus in electione summi Pontificis haberi non potest, ideo ex tribus partibus duas imposterum esse necessarias Pontifex declaravit ad impedienda schismata. Canone secundo declaravit irritas, & nullius valoris ordinationes Anti-Papæ Octaviani, & aliorum per eum ordinatorum, ut etiam omnia alia per eosdem gesta. Simile statuerat Concilium Lateranum sub Innocentio II. circa ordinationes factas à Petro Leonis Pseudo-Pontifice, ut etiam aliud Lateranense Concilium sub Calisto II. Canone 6. in quo etiam irritæ declarantur ordinationes factæ à Burdino Pseudo-Papa Canone 3. statuit, ut sacerdos non ordinetur Episcopus, nisi expleto trigesimo ætatis anno, nec Parochus nisi completo vigesimo quinto, & minor hac ætate virtute hujus Canonis non potest assumi, ut sit Archi-Diaconus, nec habeat aliquam dignitatem in Ecclesia vel beneficium, cui sit annexa cura animarum: quæ sanctio innovata etiam fuit in Tridentina Synodo *Sess.* 24. *cap.* 2. *de Reform.* & hic Lateranus Canon refertur etiam in *cap. Cum in cunctis de elect.* Statuitur etiam, ut electus & confirmatus Episcopus & missus in possessionem bonorum sui Episcopatus statim privetur omnibus suis beneficiis, quæ antea habuit & ex tunc intelliguntur vacare. Statuitur etiam tempus, quo Electus Episcopus teneatur consecrari. Can. 5. cogitur Episcopus necessaria ad sustentationem suppeditare Clero, quem sine sufficienti Patrimonio vel titulo ad Sacrum Ordinem promoverat, & hic Canon refertur *in cap. non licet de Prebend.* In Ecclesia primitiva nemo promovebatur ad Ordines, nisi simul alicujus Ecclesiæ, vel monasterii adscriberetur Ministerio, ut habetur can. 6. Concilii Chalcedonensis. Et tunc adscriptio Clerici ad certam Ecclesiam vocabatur intitulatio, & ipsa Ecclesia titulus. Sed quia progressu temporis multitudo Clericorum excrevit taliter, ut non posset quisque ex ordinandis adscribi alicui Ecclesiæ, ea consuetudo cessavit, & jura inceperunt requirere patrimonium in ordinandis, ut possent se sustentare, ne Clerici adigerentur emendicare. Concilium itidem Tridentinum hos Canones instauravit *Sess.* 23. *cap.* 16. non tamen obligat Ecclesias ad suppeditanda stipendia Clericis iisdem adscriptis, nisi ratione beneficii. Can. 6. prohibet, ne Prælati per sententiam excommunicent vel suspendant quemquam, nisi præmissa præmonitione, & ne ullus Religiosus à Capituli vel proprii Superioris regulari disciplina vel correctione præsumat appellare, & hic Canon inseritur Decretalibus *in cap. Ad nostram, & cap. Reprehensibilis de appellat.* Quod verò spectat ad præmonitiones, juvat observare; has tantum requiri, quando decernitur censura circa præsens delictum cum contumacia conjunctum; secus quæ circa futurum delictum sive à jure, sive ab homine decernuntur, non requiritur alia juris forma, quàm ut promulgentur. Rursus Can. 8. prohibentur dari vel promitti beneficia, & ministeria Ecclesiastica, antequam vacent, ne videatur quis sui proximi mortem desiderare, in cujus locum, & beneficium se credit successurum. Rursus sanxit, ut Præbendæ Ecclesiasticæ, sive beneficia sive officia, non diu vacent, sed infra sex menses conferantur personis dignis; & si Episcopus, ubi ad ipsum spectat, conferre distulerit, per Capitulum ordinetur; quòd si ad Capitulum pertinuerit, & neglexerit intra tale tempus conferre beneficium, Episcopus cum Consilio hominum Religiosorum id exequatur; quòd si omnes neglexerint, ad Metropolitanum devolvitur jus beneficium illud conferendi; quod etiam extenditur ad beneficia obnoxia Patronorum nominationibus.

In hoc Concilio etiam anathemate feriuntur Cathari, & Patareni Hæretici, quorum errores propagabantur per Vasconiam, Albegesium, Tolosam, & finitimas Regiones. Renovarunt Cathari errores Novatianorum. Mundi, & puri dici voluerunt; viduas, si ad secundas nuptias transierunt, vocabant adulteras. Profitebantur duos esse Deos, alterum bonum, qui sola invisibilia condidit; alterum malum, à quo Cœli, terra, humanum genus, elementa, & reliqua omnia visibilia creata sunt. Omnes itidem veteris testamenti libros aversabantur, solis exceptis testimoniis, quæ novi testamenti firmantur authoritate, & plures alios propagabant errores; quapropter Pontifex fideles cohortatur ad sacrum bellum contra illos, & thesauros etiam aperit indulgentiarum. Eo tempore, seu anno 1180. Alia exorta est hæresis Waldensium. Fuit enim Civis quidam Lugdunensis, nomine Waldensis, qui divitiis affluens, ut pauper fieret, & Christum sequeretur, ac Evangelicam perfectionem servaret, se ex prava intelligentia scripturarum subtraxit ab obedientia Ecclesiæ, & plures brevi habuit, qui eidem adhærerent, quique sub pallio vitæ & paupertatis Apostolorum, ac perfectionis evangelicæ zizania disseminabant in Ecclesia contra frumentum veritatis, & fautores hujus sectæ pauperes dicebantur de Lugduno. Traxit Cacodæmon ad se homines istos, qui

sanam

sanam doctrinam non sustinentes ad sua desideria, coacervabant sibi magistros prurientes auribus, qui à veritate auditum averterent, & ad fabulas converterentur, quos propterea monet Apostolus devitandos. Primus Waldensium error fuit, quòd ipsis crederent, non subesse deberi Romano Pontifici, nec aliis Ecclesiæ Romanæ Prælatis, nec teneri iisdem obedire, in quo errârunt, negantes Romanã Ecclesiam esse caput omnium fidelium Dominam, Matrem, & Magistram, cum Christus dixerit Petro, & nomine Petri ejus Successoribus Lucæ 22. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Adeo ut in directione & confirmatione fidei Petro, & Petri successoribus standum sit, & obediendum, hinc Augustinus lib. de quæstionibus veteris & novi testamenti quæst. 79. expendens illud Matthæi 17. *Da eis pro me, & pro te,* & quærens, cur pro se, & Petro tantùm Salvator jusserit didragmam solvi ait: *Salvator autem cum pro se, & Petro dare jubet, pro omnibus solvisse videtur, quia sicut in Salvatore erant omnes causa magisterii, ita & post Salvatorem in Petro omnes continentur* quia ipsum constituit caput, & Pastorem sui gregis, cum dixit, *rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, tu autem aliquando conversus confirma fratres tuos,* ex quo liquet, in Petro, ut in capite post Christum, contineri omnes fideles. Hinc dixit Petro, *pasce oves meas,* adeo ut desinant esse oves Christi, qui nolunt supremo Ecclesiæ Pastori obedire, quia ait Christus, Joan. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Et Luc. 10. loquens de Ecclesia ejúsque Pastoribus ait: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Unde Waldenses, quia non obediunt Romano Pontifici, quem spernunt, nec ejus oves audiunt, non sunt oves Christi, & non solùm Pontificem, sed etiam Christum spernunt, & contemnunt. Secundus error fuit, quia asseruerunt omne juramentum indistinctè esse illicitum, eò quia Matth. 5. dicat: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino: sit sermo vester est, est; non, non: quod autem abundantius his est, à malo est.* Et Jacobus ait cap. 5. *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque neque per terram, neque per aliud quodcunque juramentum, sit autem sermo vester est est, non non: ut sub judicio decidatis.* Sed errarunt ex prava scripturarum intelligentia, quia Deus non exigit, ut homo peccet, dicens per suum Prophetam Regium, *nolite peccare,* atqui Deus præcipit, & exigit juramenta sibi reddi, cùm dictum fuerit antiquis, *non perjurabis* Levit. 19. *Reddes autem Domino juramenta tua,* ergo si Deus prohibet transgressionem juramenti tanquam malum dicens: *non perjurabis,* & idem præcipiat reddere juramenta, sequitur necessariò, juramentum non esse malum, quia prohibendo transgressionem juramenti præcipit observationem juramenti, hinc Numer. 30. *Si quis se constrinxerit juramento, non faciat irritum verbum suum, sed omne quod promisit, implebit.* Ergo juramentum, cujus impletio præcipitur, non est peccatum, cum Deus non præcipiat peccatum impleri, non enim Deus est author mali culpæ. Propterea nequit Deus peccato se polluere, cùm alios à peccatis purget, atqui legitur subinde jurâsse, Genes. 9. *Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii.* Si statuit pactum, juravit, ut exponitur per Isaiam cap. 44. *Sicut in diebus Noë istud mihi est, qui juravi, ne inducerem aquas diluvii ultra super terram, sic juravi, ut non irascar tibi,* & Genes. 22. ait Deus Abrahæ: *Per memetipsum juravi, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti unigenito tuo propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Exodi 23. *Induxisti in terram, quam juravi Abraham.* Et Deuteron. 26. dicitur Josuæ: *Tu introduces populum istum in terram, quam daturum se Patribus eorum juravit Dominus.* Juramentum igitur non est per se malum, nec peccatum, estque invocatio nominis Dei in alicujus dicti confirmationem, unde si serventur conditiones, est licitum, est enim juramentum quadruplex: Assertorium, quo aliquid præsens, vel præteritum affirmatur, aut negatur. Promissorium, quo aliquid jurejurando promittitur. Comminatorium, quo promittitur malum pœnæ. Et Execratorium, quo aliquid sive promittendo sive asserendo affirmatur vel negatur, apponendo sibi pœnam. Ut Juramentum licitum sit, tres desiderantur conditiones servandæ: Veritas, Justitia, Necessitas. Veritas mendacio opposita, quæque ad juramentum requiritur, est, quòd homo, cùm jurat, dicat, quod revera in se sentit, sive in re ita sit, sive non. Secunda conditio est Justitia, quia agere contra justitiam semper est malum. Tertia est necessitas, quia invocare nomen Dei in confirmationem alicujus sine urgente necessitate, est in vanum illud quasi sumere seu sine debita reverentia. Tertius error fuit, quia putârunt, eos, qui de sua essent secta, posse falsum jurare ad evadendam mortem, & etiam ne alios complices prodant, quod ex eo deprehenditur falsum, quia cum asserant, jurare esse prohibitum præcepto Evangelico, velint postea, posse id dispensari ab homine, quasi præcepta Evangelica humanæ subjacerent potestati, ac dispensationi, & inferior posset infirmare legem superioris. Præterea dispensatio intelligitur fieri de eo, quod pro tunc positis talibus circumstantiis est licitum, ad id enim dispensatur, ut licitè fieri possit; & nullo modo fieri potest licitum, ut quis juret falsum scienter, quia ita jurare, est illicite jurare contra Dei præceptum. Hierem. 4. *Vivit Dominus, jurabis in veritate, in judicio, & justitia.* Quamobrem nunquam licitum est scienter jurare falsum, quia tunc irreverentia, imò blasphemia irrogatur Deo, qui in tali juramento testis adducitur falsitatis, quod impium, & blasphemum est, unde in juramentum falsi scienter nulla potest dispensatio cadere. Idque vel ex eo liquet, quia scienter jurans falsum mentitur, quia dicit contra mentem, cum sciat contrarium esse verum, & quod jurat falsum, atqui mendacium pro nullo eventu potest licitum esse, Levit. 19. *Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum,* quia Sapien. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam.* Hinc Apostolus ad Colos. 3. *Nolite mentiri invicem.* Quod si pro nullo eventu potest quis licitè mentiri, multo minus licitum erit mendaciter jurare, maximè in causa fidei, quæ consistit in veritate & excludit mendacium; quapropter Sancti Martyres, ad tuendam propriam vitam, non fuerunt mentiti, sed in veritate confessi sunt Christum, & se Christianos esse, & unusquisque eorum potuit cum Apostolo 1. Corinth. 2. dicere: *Veritatem dico, & non mentior,* veris enim fidelibus ait Christus Matth. 11. *Nolitetimere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius eum timete, qui potest mittere animam in gehennam.* Quartus Waldensium error erat omne judicium à Deo esse prohibitum, & peccatum, & divino adversari præcepto, quod aliquis Judex ex quacunque causa judicet aliquem

quem, eumque damnet ad quamcunque pœnam sive supplicium corporis sive pœnam sanguinis, seu mortis, eo quia Christus dixerit: *Nolite judicare, & non judicabimini.* Et in decalogo præcipiat: *Non occides,* quæ duo testimonia malè ab ipsis intelligebantur: Siquidem *nolite judicare* intelligitur temerè, & malè de proximo, & illud *non occides,* intelligitur, quòd non debeamus occidere innocentem, & eum qui mortem non meretur, alioquin Deus, qui præcipit non occidere, etiam præcipit punire & corrigere delinquentes, & ut juxta mensuram delicti sit plagarum modus Deuter. 22. Imò & Deuter. 16. præcepit dicens: *Judices, & Magistri in omnibus partis tuis constituentur, ut judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent,* hinc alloquens Judicem Proverb. 18. ait: Non accipies personam; quia accipere personam impii in judicio non est bonum, imò malum, & injustum; & rursus: Non accipies munera, quæ excæcant oculos sapientum; sed justo quod justum est, exequeris. Præterea quia Deus dedit judicialia præcepta, per quæ in judiciis punirentur malefactores, ait enim Exodi 21. *Qui percussit hominem volens occidere, morte moriatur, & si quis percusserit Patrem, vel matrem morte moriatur,* & plura alia similia judicia injunxit. Neque lex Evangelica condemnat justum Judicem, si jubeat malefactorem justè punire: quia tum, si malefactor puniatur ex causa justa ad mortem, Judex non agit contra præceptum, *non occides,* quia, ut asserit Augustinus 9. de Civit. Dei Cap. 27. Duo hominum genera excusantur à transgressione hujus præcepti, scilicet, qui justa bella gerunt, & qui ut Judices & Ministri secundùm rectam legem hominum condemnant ad mortem, & Carnifices, qui sunt executores justitiæ, hi enim non transgrediuntur illud præceptum negativum, non occides, hinc in testamento veteri plures Duces, & Reges justa bella gesserunt, & plures ex inimicis interfecerunt, vel gerentes personam publicæ potestatis secundùm ejus leges justissimæ rationis imperio delinquentes punierunt. Quia tametsi de illata sibi injuria non sit expetenda satisfactio libidine vindictæ & odio injuriam irrogantis, ad correctionem tamen peti potest in judicio, & Judex servato ordine juris, & rectæ rationis tenetur judicare & justitiam exercere, ut unicuique reddat, prout egit sive bonum, sive malum: quo pacto D. Petrus justè judicavit condemnavitque Ananiam, & Saphiram ad mortem, eò quia fraudantes de pretio divenditi agri mentiti sunt Spiritui Sancto non fuit transgressus illud præceptum negativum *Non occides,* ut nec D. Paulus, cùm Corinthium judicavit, ac tradidit Sathanæ ad interitum carnis, ut Spiritus salvus fieret. 1. Corinth. 5. Unde Augustinus 1. de Serm. Domini in monte Cap. 17. ait: *Magni autem & Sancti viri nonnulla peccata morte punierunt, qui non temerè judicabant: quibus Deus tale judicium dederat, ut viventibus utilis timor incuteretur, & ipsis qui puniebantur, mors non noceret: sed peccatum quod augeri poterat, si viverent, minueretur. Inde est, quod Elias multos interfecit propria manu,* & subdit Augustinus: *Iste modus Christianus est, ut accepta injuria non surgat in odium, sed infirmitati misericors paratus sit animus plura perpeti; nec tamen correctionem negligat, qua consilio, vel authoritate, vel potestate uti potest.* Ratio itidem naturalis id suadet, ut homines inter se convivant in pace, cùm sit homo animal politicum, & civile, debet cùm aliis pacificè, & tranquillè vivere, unde Aristoteles 8. Ethic. ait: Legislatorem debere in id vel maximè intendere, ut pax, & concordia in Republica promoveatur, & promota conservetur, ut concives amicabiliter & pacificè convivant: & non possunt hunc finem exequi sine justitia per quam unicuique reddatur, quod suum est, & juxta opera sua, & per quam boni præserventur à molestiis, & injuriis, & mali compescantur à delictis patrandis per inflictas pœnas juxta mensuram delictorum. Quamobrem in Lege Evangelica judicium, & occidere graviter delinquentes ad timorem incutiendum aliis, ne similia agant, non est contra præceptum Christi, non enim Salvator prohibet rectum, & justum judicium, quo reddatur unicuique, quod suum est, hoc enim pertinet ad veritatem justitiæ, quæ præcipitur, & non prohibetur, Sapien. 1. *Diligite justitiam, qui judicatis terram:* quinimo isti non solùm non peccant, sed exercentes justitiam præmiantur, & beatitudine donantur, unde David: *Beati, qui faciunt judicium, & justitiam omni tempore,* hoc est, tempore legis naturæ, tempore legis veteris, tempore legis Evangelicæ, & novæ. Job enim in lege naturæ ait Job. 31. *Non contempsi subire judicium.* Et in lege veteri dicitur Levit. 24. *Æquum judicium sit inter vos.* & Psal. 71. *Rectè judicate, Filii hominum,* & in Lege Evangelica ait Christus Joan. 7. *Nolite judicare secundùm faciem, sed verum judicium judicate:* quod si præcipit verum judicium judicare, sequitur contra Waldenses, in lege Evangelica non omne judicium esse peccatum.

Errarunt etiam Waldenses circa Sacramentum Pœnitentiæ, asserentes authoritatem absolvendi, & confessiones Sacramentales audiendi à nullo haberi posse, nisi à solo Deo, & hanc facultatem non tradi sacerdotibus, sed puris Laicis de eorundem Secta, adeo ut ipsi soli possent confessiones audire Sacramentales, & absolvere à peccatis, quod est contra scripturas novi testamenti, ubi solis sacerdotibus tribuitur potestas solvendi, & ligandi; etenim Christus Matth. 16. Petro & ejus Successoribus dixit: *Tibi dabo claves Regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis,* & tunc temporis non extiterunt Waldenses, nec Petrus, nec ejus Successores fuerunt unquam de illorum Secta. Præterea Joan. 20. Non aliis nisi Apostolis, & Discipulis dixit Christus: *Pax vobis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Apostoli autem, & Discipuli, in quos insufflavit, fuerunt sacerdotes, & non Laici, & hoc idem in ordinatione Sacerdotum observat Ecclesia Catholica, quæ non errat, dicente Christo Luc. 22. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, tu autem aliquando conversus confirma fratres tuos,* rogans autem Christus pro Petro, rogavit pro Ecclesia, ut non deficeret fides vera in ea. Plures alios errores evulgârunt Waldenses ex prava intelligentia scripturarum, qui facilè fuerunt ab Ecclesia rejecti.

Duodecimum Concilium Generale fuit iterum Lateranense, & in occidente quartum sub Innocentio III, qui pro recuperanda Palæstina, & purgandis aliquibus erroribus Abbatis Joachimi irrepserunt, ad suscitandam expeditionem militarem contra Saracenos factum fuit hoc Concilium; pluribus enim sæ-

culis

culis Saraceni nemine obsistente sacra Judex loca quæ vulgo Palæstina dicitur, occupaverant ad annum scilicet usque 1099. quo Godofredus Bullonius sacri Belli Dux Jerosolymam obsidione vallavit, expugnavit, occupavitque, & ipse suffragiis sociorum primus Jerosolymarum Rex fuit proclamatus. Victi fuerunt Saraceni non à Sara Abrahami uxore, ut quidam fuerunt arbitrati, sed à Saracha Arabiæ Metropoli, qui junctis viribus finitimas, Regiones Ægyptum, Palæstinam, & totam Syriam occupârunt, adeo ut ad eorum insolentiam compessendam necessum fuerit ex Occidente pluries exercitus in Orientem transmittere, & ad primam expeditionem suscitandam persuasus fuit Urbanus II. Romanus Pontifex à quodam Petro Eremita Gallo, qui ejusdem urgendæ causa ex Judæa à se lustrata in occidentem reversus fuerat, & Urbanus II. Concilium ad Claromontem Arvernorum Oppidum convocavit anno 95. supra millesimum, quo veluti classico exciti Latini arma alacres sumpserunt, & in Asiam trajecerunt. Alexium Comnenum Imperatorem Constantinopolitanum sibi obsistentem cruenta, & horribili clade Græcorum prostrarunt, & Nicæam in Bythinia Antiochiam in Syria & alias plures munitissimas urbes expugnârunt, & ipsam demum Jerosolymam obsidione cinxerunt, & occupârunt. Postea anno 1144. sub Eugenio Papa III. suadente, & exhortante S. Bernardo Clarevallensi Abbate Christiani Occidentales alteram in Orientem militarem expeditionem adorti sunt, unà cum Conrado III. Germanorum Imperatore, & Ludovico VII. Francorum Rege, postquam Saraceni Edessam orientis urbem armis occupârunt. Verùm Latinorum exercitus perfidia Manuelis Comneni Imperatoris Græcorum magna ex parte periit, & inde contigit à Saladinæ Babylonis & Ægypti Sultano, seu Rege, & Calipha, seu Pontifice, expugnari & occupari anno 1187. hujus urbis lapsum cum audisset Imperator Occidentis Fridericus Ænobarbus ut Ecclesiæ à se illata damna compensaret, statim surrexit cum validissimo Latinorum exercitu, & in Orientem trajecit, ubi plura fortissimè gessit præsertim in Thracia, in Asia, contra obsistentem sibi Isaicum Angelum Imperatorem Orientis: & in Asia plures regulos prostravit, ac plurimas eorum civitates occupavit, ut narrat Pius II. Papa in descriptione Asiæ cap. 44. Sed cùm in minori Armenia degeret, & ad mitigandos æstus amnem abluendi corporis causa fuisset ingressus, gurgite absorptus disparuit, & tota militaris expeditio ex Occidente in Orientem frustrata fuit suo fine. Et quamvis postea Philippus Galliarum, & Richardus Angliæ Reges aliam contra Saladinum militarem expeditionem suscepissent, non tamen eum collegerunt fructum in Oriente, quem speraverant; Richardus enim Anglus Cypri appulsus littoribus Isaico Comneno Græco qui hanc Insulam Græcorum Imperio avulsam per tyrannidem usurpaverat, bello eripuit, & Guidoni Lusiniano dedit, postquam cessisset omni jure regni Jerosolymitani sibi debiti, quod jus in Richardum transtulit. Verùm post annos octaginta, & octo miserabili casu regnum Jerosolymitanum ad Machumetanorum revertitur potestatem, Urbano III. Pontifice, eò quia ultimus Christianorum Regum Guido Lusinianus à Saladino victus una cum urbe Regnum perdidit, donec Innocentius III. Romanus Pontifex doctrina, & virtutum cultura laudatissimus assumtus ad Pontificatum animum adjecerit ad terræ Sanctæ recuperationem, cui stimulos suppeditavit memorabilis victoria, qua Latini sacro bello fœderati Græcorum exercitum prostrârunt, & Constantinopoli potiti fuerunt, ubi Imperatorem Græciæ salutârunt Balduinum Flandriæ Comitem sub pontificatu ejusdem innocentiæ, qui ex felici successu acriori stimulo sensit se accendi ad Generale Concilium indicendum pro propaganda Christiana Religione in partes Orientales, à quibus defecerat, quapropter, ut scribit Historicus Vrspergensis, insignis illius ætatis scriptor, anno 1215. coacta fuit hæc Generalis Synodus Romæ in Ecclesia Lateranensi mense Novembri, cui præsedit Innocentius Papa III. sui Pontificatus anno 18. & cui interfuerunt Episcopi quadringenti, & duodecim, ut etiam Patriarchæ, Constantinopolitanus & Hierosolymitanus; Alexandrinus & Antiochenus, quia per non potuerunt interesse, siquidem hic gravi morbo detinebatur domi, & ille, quia in Caliphæ ditione suam habebat sedem, satius judicavit illam non deserere, sed suos ad Concilium ambo Patriarchæ miserunt Apocrysarios. Interfuerunt etiam Imperatorum Orientis, & Occidentis Legati, ut etiam multorum Regum, & Principum. Et verè in hoc Concilio Generali vel maximè enituit sollicitudo Innocentii III. in promovenda Religione Catholica, & in dirigendis rebus pertinentibus ad ordinem & disciplinam Ecclesiasticam, & post edita 70. capita subjicitur decretum, pro sacra in Palæstinam expeditione, & de pace inter Christianos componenda saltem per quadriennium, quo firmarentur induciæ. In primo capite declaratur fides Catholica his verbis: *Deus sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque condidit creaturam, spiritualem, & corpoream*, & hæc fides habetur in Nicæna Synodo 2. Act. 5. cap. 2. Damnatur error Abbatis Joachimi, qui adversus Petrum Lombardum Magistrum sententiarum librum ediderat, quo notâ infamiæ & hæretici eum deturpat, eò quia in libris sententiarum scribat, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum esse unam quandam rem, quæ non sit generans, nec genita, nec procedens, ex qua propositione Abbas Joachimus infert, Petrum Lombardum asseruisse non Trinitatem in Deo, sed quaternitatem, eò quia tribus singularibus personis addiderit quartam rem, siquidem Abbas Joachimus asserebat quidem in Trinitate unitatem, non tamen illam propriam, & essentialem, qua tres personæ sunt eadem simplicissima res, sed ponebat unitatem collectitiam, & similitudinariam perinde ac multi homines dicuntur unus populus, quod credebat se evincere ex textu scripturæ distortè intellecto Joan. 17. *Volo Pater, ut ipsi in nobis unum sint, sicut & nos unum sumus*: & sicuti homines sunt plures & quid unum unitate collectitia, & similitudinaria, eodem pacto asserebat de unitate divinarum personarum in Deo, unde Concilium definivit cum Petro Lombardo contra Abbatem Joachimum, tres divinas personas esse unam simplicissimam rem ac divinitatem, adeo ut æquè Pater, ac Filius, & Spiritus Sanctus, sint hæc eadem simplicissima res, & Deus, sintque propterea in Deo tres personæ unus Deus, adeo ut personæ non distinguantur in re, sed tantùm in puris relationibus. In quinto capite Concilium memorat privilegia Sedium Patriarchalium, & declarat, post Romanam secundam sedem esse Constantinopolitanam, tertiam Alexandrinam, quartam Antiochenam, & quintam Hierosolymitanam, & ut postquam Patriarchæ Orientales pallium à Romano Pontifice acceperint, liceat eis subditis suæ obedientiæ Episcopis pallium concedere,

cedere, dummodo priùs recipiant ab iisdem fidei Catholicæ professionem, & sponsionem unionis, & obedientiæ pro Romana Ecclesia. Concedit etiam iisdem alia plura privilegia, quæ referuntur in hoc Concilio. Can. 11. Innocentius III. confirmat, & corroborat decretum Concilii Lateranensis. Can. 18. sub Alexandro III. circa præceptorialem præbendam in singulis Cathedralibus exigendam, & eam extendit ad alias Ecclesias potentes eandem præbendam præstare, & addit, Præceptorem esse ab Episcopo unà cum Capitulo eligendum. Et Tridentinum Concilium hoc idem confirmat *sess. 5. de Resur. cap. 1. Can. 11.* consulit Monasteriorum reformationi per Provincialia capitula singulis trienniis convocanda, & per frequentes, ac sedulas irritationes Can. 14. coercet incontinentiam Clericorum, ut etiam eorum crapulam can. 15. compescit, ac Clericum ebrium declarat incurrere antiquas pœnas Concilii Agathensis, ubi Clerici lapsi in ebrietatem vel anathemate percutiebantur, vel flagellis cædebantur. Canon. 16. Concilium hoc Generale præscribit Clericorum modestiam, & iisdem inhibet sæculares negotiationes, aleas, taxillorum lusus, quinimo etiam prohibet iisdem interesse, & prohibet gestari annulum ab iis Clericis, qui non sunt Episcopi. Item statuit tonsuram, & vestes, & alia exteriora omnia componit ad modestiam. Can. 18. ait *Districtè præcipimus in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiosè celebrent pariter & devotè.* Loquitur Concilium de Clericis, & Monachis adstrictis officio divino, & hic Canon legitur in *cap. Dolentes de celebrat. Missar.* ubi Glossa illam vocem *studiosè* exponit, quantum ad officium oris sine syncopa, *devotè* autem quantum ad officium cordis. Can. 21. stabilit tempus expiandi conscientiam, & sumendi sacram synaxin, & decernit confessionem Sacramentalem saltem semel faciendam esse in anno proprio Sacerdoti, & Sacram Eucharistiam in Paschate sumendam nisi sacerdos ipse ex rationabili causa judicaverit id, differendum ad aliud tempus, & qui secus fecerit, prohibetur vivens ab ingressu Ecclesiæ, mortuus privatur Ecclesiastica sepultura. Rursus districtè præcipit servari sigillum confessionis, & secretum. Can. 22. præcipit, ut Medici vocati ad ægrotos sub pœna interdicti ab Ecclesiæ ingressu teneantur eos monere, ut in primis vocentur Medici animarum, & saluti earum consulatur, postea corporum. Can. 24. de Electionibus, quas præcipit fieri uno ex his tribus modis, scilicet Scrutinio, compromisso, & communi inspiratione, & ut ille sit electus, in quem major, & sanior Capituli pars consenserit, & hic Canon legitur *in cap. quia propter de elect. & cap. 25.* statuit eligentes per potestatis sæcularis abusum ab officiis, & beneficiis triennio suspendi, & privari potestate eligendi, & electum, si consentiat hujusmodi electioni, fieri ineligibilem & commodo factæ electionis privari. Can. 26. statuit, ut facta electione is, ad quem pertinet electum confirmare, diligenter examinet electionis processum, ac personam electi; qui si reperiatur indignus, eum admitti prohibet, & inseritur *cap. nihil est de elect.* Can. 29. districtè prohibet ab uno Clerico plures præbendas curatas, vel personatas, vel alia beneficia etiam curæ animarum nullatenus annexa in una eademque Ecclesia possideri; & si id fiat, statim privatur secundo beneficio, quod ipso jure vacat; quod si provisus utrumque retinere contenderit, privatur utroque. Is verò, ad quem jus conferendi spectat, si intra sex menses possidere neglexerit, tenebitur tantumdem refarcire in utilitatem vacantis Ecclesiæ, quantum eo tempore vacationis Ecclesiæ fuerit de illius fructibus, atque emolumentis perceptum: & collatio vacantis beneficii devolvitur ad Superiorem. Reservat tamen sibi Ecclesia jus dispensandi ad plura beneficia, simul ab eodem Clerico retinenda; & hic Canon inseritur cap. de multa. de Præbend. hac idem statuitur in Tridentino Consilio sess. 7. cap. 2. & sess. 24. cap. 17. Alios evulgavit Canones comprehensos in eodem Concilio.

Concilium Generale tertium decimum, in occidente quintum, contra Imperatorem Fridericum coactum fuit Lugduni in Gallia. Tametsi Fridericus secundus Henrici IV. Imperatoris filius, & Friderici Ænobarbi nepos, amplissimis fuerit ab Ecclesia ac Sede Apostolica cumulatus beneficiis; quamvis à tenera ætate parentibus orbatus, bellisque civilibus divexatus tanta Charitate in sui tutela fuerit ab Innocentio III. susceptus, ut ipsius opera evaserit hostium insidias, ac eorum conatus eluserit, quibus nitebantur aperta vi eum materno regno Apuliæ, & Siciliæ spoliare; quin & ad imperium occidentis & viam straverit, fueritque Imperator electus. Fridericus pro hisce sibi his Apostolica Sede impertitis beneficiis non solum nullas retulit gratias: sed arma etiam, quæ ex emisso voto ad Sacra Palæstinæ vota impendere tenebatur, contra Romanos Pontifices convertit; graves in primis cum Honorio Innocentii III. Successore simultates gessit, quas postea contra Gregorium nonum prosequutus est, donec monente Pontifice, ac urgente, militares copias in Syriam eduxerit. Ubi absque ullo conflictu, sine ulla sanguinis fusione Jerosolymam à Saracenorum Calipha recepit specie tamen tenus, inita turpi cum illo pactione restitutionis; hinc relicto Jerosolymæ tenui præsidio rediergit in occidentem, ubi armorum violentia plures occupat Romanæ Ecclesiæ terras, quas præsidiis munit; móxque potiori Piceni, Latiique parte occupata Romam obsidione cingit, & quotquot Romanorum in suam devenerunt potestatem, gladio vel laqueo interemit; & totam Italiam in duas discidiit, factiones Gibellinorũ, quos suis partibus addixit, & Guelforum, qui partes Pontificis propugnabant: hinc innumeræ cædes, pagorum direptiones, domorum incendia, captivitates, homicidia, & barbaricæ immanitates grassabantur; plures etiam in aliis Provinciis calamitates Saracenorum exercitus æquè in oriente ac occidente invexerunt. Imò & Constantinopolitano imperio ultimum imminebat excidium, cum reliquiæ Christianorum ibi superstites non valerent impetum coërcere Saracenorum, conspirantibus etiam in ipsos finitimis Græcis, sedi Apostolicæ rebellibus, & nulla necessarii subsidii spes præluceret ob occidentales Provincias à Friderico ferro & flamma vastatas. Hisce malis aliud funestius magisque exitiale incubuit. Gens enim Tartarorum captâ priùs, ac direptâ utraque Armenia, vastatisque, quæ inter Maria Euxinum, & Caspium interjacent, Provinciis, Georgianorum, Megrelinorum veterem Iberiam, & Colchon inhabitantium, & inde universam Moscoviam, Lithuaniam, Poloniam, Transylvaniam, Moldaviam, Valachiam, Hungariam, Moraviam, Bohemiam, & plures alias iis finitimas Provincias oppleverunt cruentis cladibus, incendiis, ac inauditis crudelitatibus Duce Tartarorum Batone,

tone, circa annum à nato Salvatore 1241. Affligebat itidem Romanum Pontificem collapsa Ecclesiasticorum disciplina, morúmque Christianorum invecta corruptio in deteriora dietim labentium vitia, cui malo causam dederant diuturna, & crebra in Ecclesia schismata, quibus malis ut aliquod remedium adhiberet Gregorius nonus, Concilium Generale Romæ indixit, sed cum plurimi ex Galliis, Hispaniisque Antistites Genuensium triremibus vecti huc properarent, in maritimam classem Friderici inciderunt, & captivi unà cum aliquibus Cardinalibus ad Fridericum adducti ab eodem in vincula conjiciuntur, & in carceres detruduntur; quod adeo ægrè tulit Gregorius nonus, ut concepto morbo intra paucos dies excesserit, & exuta mortalitate, ad immortalem evolavit in cœlis gloriam. Huic Gregorio successit Celestinus, qui nonnisi paucis diebus superstes vixit Gregorio. Cælestino sequitur Innocentius IV. patria Genuensis ex illustri Fliscorum gente. Vix assumptus ad Pontificatum omne adhibuit Studium, omnemque diligentiam, ut Fridericum induceret ad pacem cum Ecclesia, & Christi fidelibus ineundam, ejúsque arma contra infideles pro recuperanda terra Sancta à Saracenis occupata convertenda, eique æquissimas pacis conditiones obtulit, quas Fridericus erecto supercilio rejecit, nec quidquam audire voluit de ineunda pace cum Sede Apostolica, neque de bello contra infideles gerendo. Tum Pontifex plures adhibuit monitiones, quibus paternè ei suadebat, ut saltem vellet desistere à divexandis Ecclesiæ subditis, ac fovenda Gibelinorum factione contra Guelfos; sed ad has monitiones, imò & preces acrius exarsit furore. Tum Pontifex cum aliud ei medium non suppeteret, quo posset in ordinem Fridericum trahere, ut luctuosis Ecclesiæ, ac Italiæ calamitatibus occurreret, clam navigio navigavit in Galliam, ubi regnabat S. Ludovicus, cum quo collatis consiliis, Pontifex Lugduni Generale indixit Concilium, in quo ut reus citatur Fridericus Imperator ad suam causam dicendam, sed Fridericus comparere detrectavit, suos tamen misit Legatos, hos inter Thadæum, virum industrium, qui suo nomine respouderet: sed causa Imperatoris Friderici sedulo & maturo examine explorata, Innocentius ex sententia totius Generalis Concilii solemni ritu eum extinctis inversis facibus exclusit à communione reliquorum fidelium, anathemate percussit, spoliavit Imperatoris dignitate, regnóque Apuliæ, & Siciliæ abdicavit; & tunc Germania tota à Friderico excluso à communione fidelium defecit; injunxitque Pontifex Electoribus Imperii, alium eligere novum Imperatorem; & electus fuit Imperator Henricus Thuringiæ, & Hassiæ Landgravius; & quia post biennium excessit vita functus, huic per legitimam electionem sufficitur Vuillelmus Hollandiæ Comes: interea exemplo Germanorum Lombardi in Italia à Friderico deficiunt, cui etiam rebellant, qui ejus partes mordicus tuebantur, & potior pars eidem adhærentium ab ejus so subtrahit obedientia, adeo, ut Fridericus desertus à suis, spoliatus imperio, destitutus viribus adactus fuerit se præcipiti fugæ dare, concessitque in Apuliam, ubi miserè obiit.

Fuerunt in hoc Generali Concilio plures constituti Canones pertinentes ad restaurationem collapsæ disciplinæ Ecclesiasticæ. Renovata itidem fuit Sacra Christianorum confœderatio contra Saracenos, & infideles pro recuperanda terra Sancta, & fuit designatus Supremus Christiani exercitus Præfectus S. Ludovicus Gallorum Rex, qui per se voluit exercitum ducere. Actum itidem fuit de suppetiis, & auxiliis mittendis Imperatori Græcorum: siquidem cum Isacius Imperator annos novem, & menses octo imperâsset in Oriente ab Alexio Angelo fratre suo per insidias, & perfidiam excæcatus est, regnóque spoliatus. Isacins genuerat Irenem, quæ nupsit Philippo Imperatori Germanorum, & filium quoque Alexium cognomine, sed Angelus paternam ulturus injuriam profugit ad Philippum, cujus cohortatione etiam Veneti Duce Dandulo cum Balduino Flandriæ Comite, aliisque Principibus bellum ineunt contra Alexium Tyrannum, qui nomen Comneni sibi usurpaverat, quem capta Constantinopoli in fugam adigunt, & Isacium cæcum in imperium reducunt assignato illi socio, & Coadjutore proprio filio Alexio. Hisce prosperè actis dum Latinorum classis ad littus urbis Regiæ staret in anchoris, parata ad proficiscendum contra Saracenos, Alexius Ducas cognomento Murzuphlus cives contra Imperatorem per seditionem concitat, & data sibi opportunitate Alexium Angelum in carcerem detrudit arrogans sibi imperii insignia. Hinc Latinorum classis ultura iterum Constantinopolim obsidione cingit, & expugnat, & Murzuphlus captus ex præcelsæ turris fastigio præceps dejicitur, & tunc Balduinus Belga suffragiis Latinorum Principum eligitur Imperator Orientis Anno 1204. Sedente Romæ Innocentio III. & tunc imperii Græcorum Provinciæ in plurium dominia divisa sunt; Venetis enim tributa fuit Eubœa, & omnes maris Egæi Insulæ, & Cretæ Regnum. Bonifacio Montisferrati Marchioni concessum fuit regnum Thessalonicæ, & Godefredo Ducatus Athenarum una cum principatu Achaiæ datus fuit. Græci verò Principes Asiæ Provincias certatim occupârunt, & inter se diviserunt. Theodorus Lascaris occupavit dominium Nicææ in Bithynia. Hic Princeps armis strenuus Turcas cruenta clade profligavit, quorum Sultanum in acie sua manu peremit. Andronici quondam invasoris imperii ex filio Manuele Nepotes David, & Alexius connexi suas itidem partes nacti sunt. David Oenium, & Synopem civitates Ponti, & Trapezuntem cum novo titulo imperii: & Alexius Eracleam Ponti, & Paphlagoniam sibi usurpavit, sicque imperium Orientis in plura partitum dominia cœpit viribus destitui, ac deficere. Latini Constantinopolim servârunt per annos 58. hoc est, ab ipso Balduino I. usque ad Balduinum II. qui huic Generali Concilio interfuit, & sedit ad dextram Innocentii, ad cujus sinistram alii Principes Laici anno 1245. Sed dilapsis annis sexdecim Constantinopolis dolo Michaelis palæologi à Græcis intercipitur, qui sibi, & suis posteris Imperium Orientis asseruit anno 1261. adeo, ut inchoatum à Balduino Latinorum imperium in Oriente desierit in altero Balduino, sicut auspicatum à Magno Constantino Constantinopolis imperium desiit in Constantino palæologo, à quo ad Turcas devolutum fuit, qui tyrannicè etiamnum occupant imperium Orientis, & Ægyptum, Palæstinam, ac totam terram Sanctam. Hoc igitur Concilium Generale Lugdunense pacis fœdera, vel saltem inducias per quadriennium inter Principes Christianos procuravit, indixitque publicas, & privatas supplicationes, ut omnes Christiani vellent subsidia necessaria ministrare pro Sacra ista contra infide-

les belli expeditione : & potior pars pecuniarum eruta fuit ex proventibus Ecclesiarum. Providit etiam Cruce signatorum militum securitati, quorum personas, & facultates intactas esse jussit, & susceptas sub S. Petri tutela. In hoc eodem Concilio, ut superiùs innuimus, concessus etiam fuit Cardinalibus pileus ruberum. Canones hujus Concilii ferè omnes comprehenduntur in lib. 6. Decretalium.

Concilium quartumdecimum Generale, & in Occidente Sextum, ac Lugdunense Secundum indictum fuit Lugduni contra errorem Græcorum tempore Gregorii X. & Rudolphi Imperatoris. Cum Apostolica sedes post obitum Clementis IV. vacâsset tribus & triginta mensibus, ob dissidia orta inter Cardinales, qui minimè inter se conveniebant pro eligendo novo Pontifice, tandem vel tœdio affecti, vel incommodis adacti convenerunt, & summus Pontifex non fieret per electionem, & secreta suffragia, sed per compromissum, ut unanimes compromiserunt in Sanctum Bonaventuram tunc Ordinis Minorum Generalem, qui in Conclavi pro excipiendis confessionibus aderat, sed hic nullum in novum Pontificem Cardinalem proposuit ex iis, qui ibi aderant, sed nominavit Tibaldum Leodii Archi-Diaconum, virum vitæ Sanctitate, & doctrina insignem, qui tunc temporis in Syria causa belli sacri morabatur, & cum huic nominationi Cardinales acquieverint, transmissæ statim in Orientem fuerunt litteræ, quibus denuntiarunt ejus electionem in Pontificem. Hic asserto sibi Gregorii X. nomine omnem adhibuit diligentiam, nulli pepercit labori, ut nova subsidia Christianis in Syria militantibus suppeditarentur, & ut Græci, quibus Michael Palæologus excluso Balduino imperabat, ad communionem & Apostolicæ sedis unitatem revocarentur. Et ut depravati Christianorum mores corrigerentur, ac obviaretur, ne imposterum Apostolica Sedes diutius vacaret. Ad hunc finem per singulas Christiani orbis partes Epistolas direxit ad Episcopos, & Principes ad Sacrum indicendum Concilium Lugduni celebrandum exacto biennio, misit itidem Legatos ad Imperatorem Orientis Palæologum, ut una eum suis Græcis ad concordiam cum Romana Ecclesia reduceretur, & simul invitaret Græcos Episcopos, ut venirent ad Concilium Generale, quod incepit anno 1274. Lugduni, cui interfuerunt Patriarchæ Constantinopolitanus, Antiochenus, & alii ex diversis orbis Christiani partibus quingenti Episcopi, & in hoc Concilio S. Bonaventura Episcopus Albanensis eruditione, & morum sanctitate insignis ultimum suum clausit diem in terris, æterna donandus beatitate in cœlis. S. itidem Thomas Aquinas vocatus & ipse ad hoc Concilium, dum eo proficisceretur in Monasterio Fossænovæ gravi morbo correptus etiam ipse ex mortali ad immortalem vitam avolavit. Adfuit huic Concilio Jacobus Arragoniæ Rex, ut etiam Oratores ac Legati cæterorum Regum, & Principum. Absoluta sessione tertia intermissi sunt Legati Imperatoris Orientis Michaelis Palæologi, quos Gregorius X. unà cum universa Synodo cum gaudio honorificè excepit, lectæ statim fuerunt litteræ Imperatoris, & Episcoporum Orientis, quibus Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ fidem una cum Processione Spiritus S. à Patre, & Filio, & primatum Romanæ sedis cum in iisdem agnovissent Patres Latini, admissæ & approbatæ fuerunt, & Legati Græci nomine Michaelis observantiam, & subjectionem Romano Pontifici exhibuerunt. Interfuerunt itidem Oratores Tartarorum ad ineundas pacis cum Christianis conventiones, ex quibus unus baptizari voluit, & fidem Christi confiteri. Demum præcinente summo Pontifice cantatum fuit à Cardinalibus, & reliquis Latinis Patribus Symbolum Constantinopolitanum cum consueta additione Processionis Spiritus Sancti à Patre, Filioque; & idem Symbolum à Patriarcha Constantinopolitano, ac cæteris Patribus Græcis fuit itidem Græcè decantatum, cum eadem additione bis repetita. Rursus pro subsidiis ministrandis militibus Christianis militantibus in Syria contra infideles Gregorius toto suffragante Concilio decimas Ecclesiarum destinavit, adeo ut potior pars hujus subsidii ab Ecclesiis suppeditata fuerit. Deinde ad impediendam diuturnam vacationem Apostolicæ Sedis insignis statuta fuit Sanctio de ritu servando in Electione Pontificis. De clausura conclavis eligentium Cardinalium, de interdicta quacunque communicatione privata sive per litteras sive per internuntios de omnimoda pactionum, conventionum, pollicitationum, juramentorum circa futuram Electionem diremptione, ut habetur *in cap. ubi periculum de Elect. in 6.*

Concilium quintumdecimum Generale, & in Occidente septimum, fuit Viennense contra varias hæreses tempore Clementis V. & Henrici VII. Imperatoris. Versabantur tunc temporis Hierosolymis milites votis adstricti religiosis, qui cum prope templum immorarentur Templarii nuncupati fuerunt, quorum officium erat Christianæ ditionis affines armis tueri, latrocinia & incursiones infidelium coercere, Christianos peregrinantes ad loca sacra protegere, quibus officiis sub initium laudabilem navarunt operam, sed postea divitiis affluentes & moribus in deteriora mutatis ad id prolapsi sunt nequitiæ, & occulta cum Saracenis & Turcis fœdera inirent in perniciem Christianorum, seque nefandæ libidinis flagitiis fædarunt nocturnis in conventibus, in quibus ut fertur cæsarum infantium nefarias victimas Idolis litabant, sacrilegos exercebant concubitus, quæ scelera cum innumeris per diversas Provincias editis processibus, suadentibus Principibus Christianis, postquam Concilium hocce ex toto Christianorum orbe collectum sedulo examine maturè consideravit, accusationes contra Templarios judicavit exploratas esse & veras, & ita certas, ut cumulatæ sufficerent ad propagati Ordinis per omnes propemodum Christiani orbis partes damnationem, & extinctionem, sicque unanimis summi Pontificis cum Patribus hujus Concilii, & Regibus ac Principibus promulgata fuit damnatio, & extinctio hujus Ordinis militum. Præter Templariorum abusus, alii etiam irrepserunt per Germaniam errores Begardorum, & Beguinarum Sectæ, dogmatizantes. 1. Posse homines in hac vita mortali tam sublimem assequi gradum perfectionis, ut neque peccare ullatenus possint, nec ulterius in gratia progredi. Secundo nequè jejunare, neque aliam exercere corporis & animi mactationem, & asperitatem amplius deere, qui illum perfectionis gradum attigerunt. 3. Non posse obligari mandatis neque legibus Ecclesiasticis, eò quia in summa libertate filiorum Dei essent constituti. 4. Migrantes ex hac vita posse eadem potiri felicitate, qua nulla in cœlo futura sit major. 5. Perfectam, & consummatam felicitatem ex natura & hominis arbitrio ita pendere, ut nullo sit opus gloriæ

lumi-

lumine infuso. 6. Hominis imperfecti esse virtutum exercitationem, quam longè à se abdicat, qui perfectus est. 7. Libidinum actus, ad quos natura ipsa incitat, nullam involvere culpam. 8. In templis, cum à sacerdote elevatur in missis, vel exponitur Christi Corpus, minimè debere virum perfectum genua flectere, nec aliud venerationis signum exhibere, quia sic agentes de illo sublimi contemplationis fastigio se demittunt. Idverò illis solenne & consultum erat, ut omni se libidinum genere fœdarent. Hi igitur errores ut prorsus delerentur, Clemens V. hanc Oecumenicam Synodum indixit Viennæ in Gallia anno 1311. regnante in Galliis Philippo, cognomine Pulchro, ubi damnatæ fuerunt impuræ Begardarum & Beguinarum sectæ, ut etiam secta Fraticellorum, seu Dulcinistarum, cujus author fuit quidam, nomine Dulcinus, qui concubinam Margaritam ex se gravidam, de Spiritu St. concepisse, asserebat. Sectatores Dulcini perinde ac Begardi & Beguinæ in locis abditis promiscuos exercebant concubitus. Visionem beatificam post ultimum judicium differri asserebant. Damnati itidem in eodem Concilio fuerunt errores Petri Joannis, negantis animam rationalem esse formam corporis, & in Baptismo nullam infundi gratiam, & latus Christi adhuc viventis fuisse lanceâ perfossum. Horum damnatio habetur ex hac Synodo in *Clement. 1. de sum. Trinit. & in Clement. ad Nostrum de Heret.* In hoc igitur Generali Concilio abolitus fuit Ordo Templariorum quorum opes addictæ fuerunt Hospitalariis militibus St. Joannis, qui nunc equites Melitenses nuncupantur.

Concilium Generale decimum Sextum, & Octavum in Occidente fuit Bisanum, ex quo enim Clemens V. Sedem Pontificiam Avenione in Provincia collocaverat, hæserunt ibi Pontifices summis annis super septuaginta successivè, donec Gregorius XI. Romam remeaverit, quo tamen Romæ defuncto anno 1378. Cardinales majori ex parte Galli cum omnes unà convenirent, ut conclave ingrederentur, populus Romanus veritus, ne sedes Pontificia iterum in Galliam transferretur concitato Romæ tumultu ab ipsis petiit, etiam sub minis ultimi excidii, si secus facerent, ut non alium in Pontificem eligerent quàm Italum. Postquam igitur se in conclavi Cardinales clauserunt, populus in urbe præeunte urbis Magistratu effractis Conclavis repagulis se intromisit, minitans se incensurum conclave una cum Cardinalibus, ex quo populari tumultu perterriti Electores nulla habita personæ discussione elegerunt, ut refert Caconus, festinanter Bartholomæum Prignanum Barii in Apulia Episcopum, neque Cardinalem neque præsentem, elegerunt in summum Pontificem, qui Romam accitus statim Severum reformatorem Cardinalium, & verbis & rebus se incepit ostendere, quos propterea sibi infensos constituit, adeò ut præter unicum Cardinalem reliqui diversarum nationum sub specie vitandi æstivos calores Anagniam primum deinde, Fundos secesserint, ubi Conventu facto electionem Bartholomæi in summum Pontificem, qui nomen sibi sumpserat Urbani VI. irritam declarant, eò quia extorta fuerit ex gravissimo metu absque examine personæ, & sine præviis requisitis. Et elegerunt alium summum Pontificem, Robertum scilicet ex gente Comitum Genevæ Episcopum Cameracensem & Cardinalem, qui Clemens VII. dici voluit, promovente hoc negotium Joanna Regina Neapolitana cum Othone suo marito. Urbanus Romæ mansit, & Clemens VII. Avenione sedem fixit. Urbanus regnum Neapolitanum in Carolum Dyrrachinum Joannæ consanguineum transtulit, à quo arctissimè obsessa Joanna, & ad sui deditionem compulsa laqueo periit. Neque utroque Pontifice mortuo mortuum pariter fuit schisma: siquidem extincto Urbano successit Bonifacius IX. & huic Innocentius VII. & post hanc Gregorius XII. Clemens verò Successorem habuit Petrum de Luna Hispanum, qui Benedictus XIII. vocari voluit, quod nomen ultra 30. annos, quibus suppervixit apud suos semper retinuit, nec alio nomine vocari voluit, quàm Papa Benedictus XIII. Hisce dissidiis sectæ Ecclesiæ in plures partes periculum imminebat, ne schisma Pontificum ex utraque parte sine fine propagaretur, ad quod periculum cavendum utriusque partis Cardinales & Principes tandem convenerunt Pisis in Etruria, ubi cum sine successu, & fructu pluries cohortati fuerint Gregorium, & Benedictum, ut uterque conveniret pro Ecclesiæ unitate, & pace, quòd si aliud non superetet remedium, saltem Ecclesiæ quietem, & salutem fidelium propriæ temporali gloriolæ præferentes se ambo Pontificatu abdicarent, & sacro Cardinalium Collegio, vel etiam Concilio Generali totum negotium pacis conciliandæ cederent. Cum igitur Pisis convenissent ex diversis Provinciis una cum Cardinalibus Episcopi & Legati Principum, ambo de Papatu contendentes, vel potiùs inter se mutuo colludentes, ter citatos non comparentes Patres Concilii indignos Pontificia dignitate declarant, ac spoliandos larva Pontificatûs, & permittunt Cardinalibus, ut ingressi conclave soli novum eligant Papam. Cardinales igitur numero 24. seorsim secedentes eligunt Pontificem virum meritissimum Petrum Cretensem Cardinalem tituli Sanctorum Apostolorum ex Ordine Minorum S. Francisci, Archi-Episcopum Mediolanensem, eximium Theologum, qui Alexander V. nominari voluit. In hoc Pisano Concilio tres interfuerunt Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, cum 300. Episcopis, pluribus Abbatibus, ac Doctoribus. Verum S. Antoninus in hoc Concilium, quod contigit anno 1409. invehit, eò quia non fuerit à Papa indictum, sed potius à Gregorio XII. reprobatum. Alii tamen validitatem Concilii Pisani ex eo defendunt, quia ambo Pontifices fuerint enixè rogati, & interpellati, & comparere detrectârunt præferentes propriam gloriolam utilitati totius Catholicæ Ecclesiæ. Sed quidquid sit, an hoc Concilium Pisanum legitimum fuerit, nec ne, non tamen inde scissura Ecclesiæ resarcita fuit ob pervicacem ambitionem utriusque præcedentis Pontificis Gregorii XII. & Benedicti XIII. qui antea mutuò infensi simul conspirabant, ut quisque suam tueretur dignitatem, qua potiebatur, sicque in communi causa colludebant, unde Concilium Pisanum, quod abolitionem schismatis intendebat, nil aliud effecit, quàm duobus Pontificibus viventibus addere tertium, & scissuras schismatum producere enormiores. Sed mox defuncto Alexandro V. electo in Concilio Pisano ei subrogatur Joannnes XXIII. qui simul contendebat cum aliis duobus Pontificibus Gregorio & Benedicto; authoritas tamen Benedicti in dies decrescebat apud suos, & ab ipso se subtraxerat Galliæ Rex, unde ex Liguria, ubi diu fuit immoratus, in Hispaniam secessit, ubi favore Ferdinandi Regis

Ara-

Aragonum sustentabatur. In hoc Ecclesiæ discrimine ex divina Providentia contigit, ut Sigismundus Rex Romanorum, & Imperator ad reconcilianda dissidia Ecclesiæ Legatos destinaverit, & Italiam, Galliam, Angliam, & Hispaniam peragraverit, ut novum Concilium indiceretur ad invecta schismata extinguenda. Egerat per litteras Sigismundus cum Ferdinando Rege, ut Nicææ in Provincia Norbonensi ambo convenirent, & simul Benedictus XIII. & quia Ferdinandus causa infirmæ valetudinis ab hoc itinere se excusaverit, Imperator ad Aragonensem se contulit, qui ubi Perpiniani immoratur, Benedictus unà cum Ferdinando adventavit, accepta securitatis suæ à Ferdinando & Sigismundo fide. Hic ab utroque Principe enixim rogatus, ut exemplum Collegarum sequeretur, & studio communis utilitatis Ecclesiæ manus vellet porrigere, seque judicio Synodi Constantiensis à Joanne, & Gregorio indictæ, & tunc temporis congregatæ vellet se submittere, adhuc Benedictus sua recensendo jura, quæ pluribus verborum ambagibus amplificavit, se inexorabilem præstitit, quamvis Ferdinandus protestaretur, se imposterum nil præsidii daturum, hinc Benedictus timore correptus de aliqua vi sibi inferenda clam dilabitur ad Coliberis portum, in quo duas habebat expeditas naves triremes, quibus è portu solvens ad Peniscolam vellificavit Spaniæ citerioris oppidum, quod majore sui parte mari alluitur, & in quo arcem possidebat munitionibus, ac propugnaculis, militumque præsidio, & copioso commeatu tutam, & in illam clausus reliquum vitæ exegit, cum Pontificiis insignibus.

# CAPUT IV.

## De Concilio Generali Constantiensi, aliisque in Occidente Conciliis Generalibus, quibus adduntur Concilia, & Canones Apostolorum.

EX electione Clementis VII. in Romanum Pontificem vivente adhuc Urbano VI. cujus electionem Cardinales arbitrati fuerant esse irritam ob metum iisdem incussum à populo Romano minitante flammis comburere conclave unà cum Cardinalibus, nisi isti Pontificem essent electuri natione Italum; & Cardinales satisfacturi populo elegissent Episcopum Barensem Neapolitanum, ac postea eos pœnituisset talis electionis, specie declinandi Romanos æstus Anagniam primum, postea Fundos secesserunt, ubi conventu facto, declarant electionem Urbani fexti irritam, utpote metu cadente in constantem virum extortam, elegerunt adhuc Romæ vivente Urbano Romanum Pontificem Robertum ex prosapia Comitum Genevæ, Episcopum Cameracensem, & Cardinalem, qui post suam electionem Clemens septimus voluit nominari, ex qua electione diuturnum, & obstinatissimum schisma ortum fuit, quo nullum majus, duriùsque ob pertinaciam electorum infrangibilem dilaceravit, & divexavit Ecclesiam neque ante mortem Benedicti XIII. seu annis novem supra quadraginta potuit extingui, incerto orbe Christiano, cui obedire deberet capiti; & cujus supremi Pastoris vocem audire, cui obsequeretur: etenim Urbano VI. Successerunt Bonifacius IX. Innocentius VII. Gregorius XII. Alexander V. & Joannes XXIII. Clementi septimo successit Benedictus XIII. dictus antea Petrus de Luna Hispanus, qui apud sibi adhærentes Pontificatum retinuit ultra triginta annos, neque unquam adduci potuit, ut pro quiete se Pontificatu abdicaret, neque preces Sigismundi Imperatoris ad id eum flectere valuerunt, & quamvis Benedictus, qui Clementi successerat primò in conclavi, deinde post de se factam electionem solemni se juramento obstrinxerit de abdicanda Pontificia dignitate si publicæ Ecclesiæ quieti id interesset; & idem juramentum emissum itidem fuisset à Gregorio XII. ea adjecta conditione, si Benedictus XIII. cederet; neuter tamen cessit, sed uterque pertinacissimè retinuit Pontificatum, alter expectans alteriùs priùs cessionem, præferens quieti Ecclesiæ proprium umbratilem honorem; cumque fideles nescirent, quisnam ex his duobus esset verus, ac legitimus Pontifex, Cardinales Pisis in Thuscia Synodum congregârunt, in qua ad comparendum utrumque Pontificem dubium citârunt, ut eorum causa examinaretur, ac tandem dignosci posset, quisnam ex ipsis esset legitimus Pontifex, cui fideles ut supremo Domini gregis Pastori obsequerentur, neuter voluit comparere, & Synodus utrumque exclusit ut dubium, ac incertum Pontificem, examinato priùs, an Concilio Generali inesset facultas utrumque deponendi; super quo respondit Universitas Bononiensis his verbis: *Quia stante dubio inextricabili Papatûs propter dubia facti, & juris, provisio spectat ad Concilium Generale.* Et Patres Concilii Pisani Sess. 15 Mense Junio, die quintâ communiter dixerunt: *Visis, & diligenter inspectis omnibus, & singulis productis, probatis ac agitatis, habitáque priùs inter se ipsos, & demum cum copiosa Magistrorum multitudine in sacra Theologia, atque utriusque Juris Doctorum pluries diligenti collatione, tandem deliberatione maturâ in prædictos, tanquam de Papatu colludentes, Schismaticos, & veros hæreticos sententiam depositionis pronunciat.* Cumque Concilium elegisset alium Pontificem, & duo primi adhuc noluerint acquiescere, nec se Pontificatu abdicare; non fuit schisma extinctum, sed uberiori flamma adauctum, & multiplicantur in Ecclesia Pontifices dubii. Excessit enim Alexander electus Pontifex in Concilio Pisano, cui successit Balthasar Cossa, Legatus Bononiensis, qui Joannes XXIII. appellari voluit. Ad has difficultates extricandas, & pacem, ac tranquillitatem Ecclesiæ dandam operâ Sigismundi Imperatoris fuit ab Ecclesiâ aliud Generale Concilium indictum Constantiæ in Germania.

Cons

Concilium igitur Constantiense generale XVII. & in occidente IX. solemni pompa celebrari cæpit Constantiæ, quæ civitas est Helvetiæ finitima, prima sessio habita fuit die 16. Novembris ANNO MCCCCXIV. in qua nihil actum fuit de schismate delendo, nec de unione Ecclesiæ. Sed die decima nona Novembris ad valvas ædium Augustinianorum appensa visa sunt stemmata, ac insignia Gregorii Papæ dubii, quæ sequenti nocte jussu, ut creditur, Joannis ablata sunt, hinc ingens natum inter Patres dissidium, ac opinionum pugna: alii enim auferri, & alii sustineri censentes: Omnium demum sententia post varias altercationes fuit, ut si Gregorius adfuisset, possent permitti, non ita cum abest, & non constet esse legitimum pontificem. Die 24. Decembris Sigismundus Imperator Constantiam ingreditur, cum ingenti antistitum, ac Principum multitudine, adeo ut una die triginta equorum millia numerata sint Constantiæ, solum Archiepiscopum Moguntinum thorace & rubro holoserico indutum, ferróque ad latus pendente sexcenti equites comitati sunt, ut inde conjicias, quænam fuerit illius temporis consuetudo. Patriarchæ interfuerunt quatuor, Cardinales 29. Archiepiscopi 47. Episcopi 300. Anno 1415. mense Januario Joanni Dominico Gregorii Legato permissum à Patribus fuit, ut ornatus pileo, ac vestitu Cardinalitio Constantiam ingrederetur, quamvis obluctaretur Joannes XXIII. Antipapa; mense Februario Cardinalis S. Marci libellum sparsit, quo plura narrabantur contra Joannis authoritatem, inter alios errores, quòd assereret, indubitatum Pontificem, & nulla hæresi contaminatum cogi posse ad se abdicandum Pontificatu. Die 2. Martii Joannes promittit se Papatu abdicaturum, dummodo Gregorius, & Benedictus Pontifices item dubii idem præstent; die 13. Martii per plures alios sequentes Patres plurimum laborarunt, ut Joannes Procuratorem constitueret, qui ejusdem nomine, quando, & ubi Concilio videretur, Pontificatui renuntiaret, ægrè tulit Joannes, qui adigeretur ante Gregorium, & Benedictum se Pontificatu abdicare, unde ne id contingeret pluribus tergiversationibus Patres delusit, cumque se amplius tueri non posset, Schaffhusam nocte intempesta aufugit, inde Friburgum in Briscovia, postea Brisacum, & missi fuerunt à Concilio legati, qui reditum persuaderent. Die 23. Mart. Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis in Synodo peroravit, & plura contra Pontificis authoritatem disseruit, & inde nata fuit quæstio de superioritate Concilii Generalis supra Pontificem, & Joannes Galliæ oratoribus amarè conquestus, quòd Gerson tam audacter primatum supremi Pastoris in ovili Christi oppugnaverit; idque causæ fuit, cur Galli cum Cardinalibus collatis sententiis se decretis opposuerint contra sedis Apostolicæ authoritatem edendis & ipse rex ægrè tulerit Joannis depositionem à Concilio factam; hæc omnia narrantur in duobus Manuscriptis Regerti Constantiensis, & referunt Schelstrate in tractatu de Decretis Concilii Constantiensis, Cardinalis Cameracensis conclus. 3. & 6. & alii scriptores illius temporis. Die 26. Martii habita fuit ante meridiem tertia sessio, cui duo tantum adfuerunt Cardinales Cameracensis, & Florentinus. Fuit illa declaratum per recessum Joannis, dissolutum non esse Concilium Constantiense, sed neque dissolvi debere donec Schisma sit totaliter deletum per novam legitimam, & canonicam electionem Pontificis veri, certi supremi capitis, & Pastoris totius dominici gregis; hæc Cardinales Alliacensis, & Zabarella non alia ratione permiserunt, nisi ut à Joanne rata haberentur, & confirmarentur. Sed Joannes vicinam timens Constantiam Schaffusa aufugit. Turbati Patres indixerunt quartam sessionem, quâ statuerunt; primò, quod concilium Constantiense potestatem habeat immediatè à Deo, cui etiam Papa teneatur obedire in his quæ pertinent ad Fidem, extirpationem schismatis, & reformationem ecclesiæ in capite, & in membris. Secundo quod cogi possit si contumaciter obedire contempserit. Tertiò alia plura proposita fuerunt, quæ nationi Italicæ displicuerunt, & Collegiò Cardinalium non fuerunt oblata ad deliberandum. Huic sessioni noluerunt Cardinales, nec oratores Gallici interesse, nec eam approbare nisi omitterentur verba illa *Pontificem cogi posse*, & in primo decreto delerentur verba illa *de Reformanda ecclesia in capite & in membris* quod sequenti die à Patribus communiter approbatum, ut fuit præfata verba ab utroque decreto delerentur, annuente præsertim Sigismundo Imperatore; quia verò Cardinalis Florentinus, cui injunctum fuerat munus legendi decreta sessionum, cum pervenisset ad verba illa *de reformanda ecclesia in capite, & in membris*, noluit ea legere, quia non fuerant antea à Nationibus deleta, ut Patres Concilii decreverant, & decretum abrupit; & professus est præfata verba esse falsa, & addita præter communem deliberationem, ut etiam falsa alia pertinentia ad authoritatem Pontificis, quæ Concilio Generali subjiciebatur.

Notat Abbas Panormitanus Cardinales monuisse Nationes, ut ad tempus suspenderent materias illas, quæ non modicas præseferebant difficultates, & maturam exigebant deliberationem, & id etiam habetur in Regesto Concilii Constantiensis, in tribus manuscriptis Codicibus, quorum verba recitat Schelstrate in Actis Concilii Constantiensis, & in Tractatu de sensu, & authoritate decretorum, & revera verba illa: *Papam iis, quæ ad reformandam Ecclesiam in capite, & membris pertinent, concilio subjectum esse*, in Sess. 4. fuisse omissa, ex eo clarè colligitur, quòd ferè in omnibus Codicibus manuscriptis asservatis in Bibliothecis Romana, Viennensi, Parisiensi, & aliis non reperiuntur, ut nec in tribus Codicibus manuscriptis comprehendentibus acta Concilii Constantiensis. Et Gobelinus, qui tempore Concilii Constantiensis scripsit, notat in decreto Sess. 4. *Papam teneri obedire Concilio in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem Schismatis*, illas voces *ad fidem* primò fuisse appositas à Petro Crabbè in sua editione anno 1538. ex qua in alias postea editiones derivatæ fuerunt, nam in editionibus antiquioribus, scilicet Hagenoviensi anno 1500. Mediolanensi anno 1511. Parisiensi anno 1524. & Coloniensi anno 1530. nulla fit mentio de verbis illis, nec de Papæ authoritate, quæ subjiciatur universali Concilio, cui teneatur obedire in his, quæ pertinent ad fidem; bene tamen reperitur, quod teneatur obedire in iis, quæ pertinent ad extirpationem schismatis, quia cùm Schisma in Ecclesia supponat plures Pontifices dubios ac incertos, adeo ut fideles nesciant, cuinam ut supremo Pastori Dominici Gregis teneantur obsequi, tunc ad Concilium generale ex pura necessitate, cum aliud non supersit remedium cognoscendi, quisnam fuerit legitimè electus, pertinet, Pontifices dubios, & incertos declarare non esse Pontifices, eò quia verus Pontifex debeat certus esse & omnibus notus ut Christi oves, seu fideles debitum possint ei obsequium præstare, ut in Concilio Pisano ex universitatibus Parisiensi, & Bononiensi decisum fuit, quia stante dubio inextricabili Papatus propter dubia facti & juris provisio spectat ad Concilium, quod propterea tenetur

eligere novum Pontificem, qui sit per legitimam, & Canonicam electionem verus, & certus Pontifex, seu supremus Pastor totius Dominici gregis. Post quartam Sessionem cœpit præparari materia pro quinta, seu decretum, quo asserebatur Pontificem Generali Concilio in rebus fidei, morúmque reformatione subjectum esse, & ab isto cogi posse ad obediendum & quia hoc decretum summi erat momenti, poteratque pejori Schismati fomitem exhibere longissimo & accurato indiguit examine, priusquam materia stabiliretur, unde Patres in hac Sessione nil aliud statuerunt, quàm aliquos deputare, qui cum Cardinale Florentino conferrent: is enim fuit, qui in Sessione quarta fortiter se opposuit verbis illis Papam teneri obedire Concilio in his, quæ pertinent ad reformandam Ecclesiam in capite, & membris, & quæ pertinent ad fidem, & extirpationem Schismatis. Verùm deputati perinde ac si ageretur de re levi, ac nullius momenti rem paucis absolverunt, ut habetur in Regesto Concilii Constantiensis in tribus manuscriptis apud Schelstrate. *fol.* 42. *Tractat. de sensu, & authoritate Concil. Constant.* Et inter alia multa die 2. Aprilis statuerunt ut proxima Sessione omnes articuli, & clausulæ concordatæ per Nationes in ultima Sessione prætermissæ expedirentur ut habetur in Regesto Concilii, ubi etiam habetur, quod leve, & quasi perfunctorium fuerit examen illud, quo tanti ponderis argumentum examinabatur, habentur enim hæc verba in gestis Concilii Constantiensis: *Post Sessionem quartam fuit per Cardinalem Florentinum cum deputatis aliqualiter disputatum, finaliter Concilium noluit ex integro dictas definitiones in alia Sessione pronuntiare.* Ubi dignum notatu, quod nonnisi inter paucos, & privatos, & extra Sessionem sine initis suffragiis, seu non conciliariter per modum potius altercationis, quàm maturæ discussionis fuisse *aliqualiter* scilicet leviter, cursim, & quasi perfunctoriè argumentum tanti momenti discussum, & conclusum. Cum igitur Cardinales in Sessione 5. noverint decretum illud non fuisse maturè discussum neque examinatum, illud non approbârunt, & satius censuerunt abstinere à Sessione. Sed cum considerarent sine publica offensa imò & imminente periculo, ne Concilium solveretur adire Sessionem statuerunt: protestati tamen in ædibus palatii Constantiensis ubi sumebant infulas non animo decreto illi consentiendi, sed causa tantùm vitandi scandali se adfuturos Sessioni illi, quod etiam Oratores Gallici, qui Cardinalibus se adjunxerant, professi fuerunt, ut habetur in Regesto Concilii Constant. Cum igitur Sessio ageretur, & decreta legi deberent publicè à Cardinale Florentino recusavit iste decretum illud legere, eò quia unà cum sacro Collegio nondum maturè, & conciliariter examinatum fuisset. Sed Posnaniensis Episcopus vices Florentini agens legit ipse à Nationibus statuta, quæ à Cardinalibus approbata non fuerunt, nec à Concilio eò quia decreta illa Sessionis 5. nec conciliariter, nec cum matura perpensione, ac deliberatione, ut res tanti momenti exigebat vulgata fuerunt ubi enim de potestate Pontificia agitur, & de jure supremi in Ecclesia Pastoris, si priùs non examinentur scripturæ non audiantur sancti Patres, non conferatur cum aliis Conciliis, sed ex abrupto & cursim res concludere non est procedere humano modo cum prævio maturo examine consequenter non potuerunt Patres similibus decretis assentiri neque assensum præstiterunt verbis illis in limine Sessionis prolatis, *declaramus Concilio immediatam à Deo potestatem esse, cui Pontifex subdi, cui obedire teneatur*, subjicere enim Pastorem ovibus Judicem subditis adversabatur sacris Scripturis recto regimini, & naturali rationi dictanti superiorem à subdito non dependere, & eo ipso quod Pontifex verus, & certus est supremus Pastor totius Dominici gregis, cum dixerit Christus Petro, & ejus successoribus *Pasce oves meas*, non poterant Patres ullo pacto assentiri decretis à Nationibus statutis. Aliud est loqui de Pontifice certo, & legitimè electo, & aliud de Pontifice dubio tempore Schismatis, quia supremus Pastor debet esse certus, & notus ovibus, & quia Pontifices dubii non sunt certi, nec ovibus innotescunt, ideo non sunt Pontifices, & subjiciuntur tempore schismatis Concilio Generali ad quod pertinet tunc providere de vero & legitimo Pastore. Notandum est tempore Synodi Constantiensis circa Concilii supremam authoritatem varias extitisse Doctorum sententias, quarum prima fuit, Pontifices dubios nec tempore schismatis posse à Concilio judicari, cui sententiæ adhæsit Benedictus XIII. ut refert S. Antoninus *Tom.* 3. *Chron. tit.* 22. §. 3. huic sententiæ adhæsit etiam Gregorius XII. & plures alii doctrina, & sanctitate illustres, unde cum in Concilio Pisano utrique, scilicet Gregorio, & Benedicto adempta sit dignitas Pontificia, eorum sequaces negabant id jure factum fuisse, nec ullam inesse Concilio in Christi Vicarios potestatem, & arbitrabantur ne schismatis quidem tempore Concilio Generali licitum esse Pontifices dubios judicare, & deponere. Sententia aliorum erat, nullum Pontificem ne schismatis quidem tempore posse à Concilio judicari, nisi ob solum crimen hæresis. Huic sententiæ adhæsit Concilium Pisanum, quod propterea non prius Benedictum, & Gregorium deponere voluerunt, nisi prius accusati & convicti fuerint de crimine hæreticæ pravitatis, ut habetur in actis Concilii Pisani à Notariis ipsius conscriptis in duobus manuscriptis Codicibus. Tertia sententia erat Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis, qui Pontificem tempore schismatis subjacere Concilio asseruit, & ab eo posse judicari, ac deponi, quam sententiam in scriptis porrexit Patribus Conciliis Constantiensis, à quorum pluribus approbata fuit. Idque causæ fuit, cur huic sententiæ examinandæ non multum fuerit laboratum, eò quia jam antea innotuerit, & examinata, ac discussa fuerit. Quarta sententia Cardinalis Zabarellæ asserentis posse tempore schismatis novum eligi Pontificem, sed negavit ante factam electionem novi Pontificis agi posse de reformatione in capite, & membris, unde sententiam asserentium, tempore schismatis de Pontificis electione, non de morum reformatione agi oportere, fuisse celebrem & in Concilio potiorem. Quinta sententia fuit Joannis Gersonis, qui Pontifices non solùm tempore schismatis, sed etiam extra schisma, tametsi certi sint, & non dubii, semper & absolutè subjecit Concilio, & ab eo posse judicari asseruit. Et Martino id neganti tractatum illum opposuit, cui titulus, *an, & quomodo appellare liceat.* Verum huic Gersonis sententiæ nunquam Concilium acquievit, nec poterat acquiescere, cùm sit contra scripturas & lumen naturæ, quod Pastor subjiciatur ovibus, ideoque Concilium in decretis quartæ. & quintæ Sessionis semper apposuit verba illa: *In his, quæ pertinent ad extirpationem dicti schismatis*, quia tunc, cum Pontifices sicut dubii, & fideles nesciant, quis eorum sit verus Pontifex, tunc neuter est Pontifex, quia verus Pontifex debet esse certus, ac certè innotescere ovibus, proinde tempore schismatis Pontifices dubii, quia non sunt veri Pontifices, subjiciuntur

Conci-

Concilio, à quo propterea judicari possunt, ideoque Patres semper posuerunt verba illa: *Pro extirpatione dicti schismatis*, quibus verbis satis apertè constat Concilium Constantiense non approbâsse sententiam Joannis Gersonis asserentis absolutam subjectionem quovis tempore, cùm Patres nonnisi limitatè & in casu excepto tempore schismatis, & Pontificis dubii illum subjecerunt Concilio Generali.

Cæterum id Concilium Constantiense utilitatis contulit Ecclesiæ, quod abrogata tribus Pontificibus dignitate, novoque creato Pontifice Odone Columna Cardinali tituli Sancti Georgii in Velabro, qui sibi Martini V. nomen indidit, pacem & tranquillitatem Ecclesiæ in terris militanti restituit. In hac autem legitima, & canonica electione novi Pontificis ex Decreto sacri Concilii consentientibus Cardinalibus forma hæc servata fuit, ut Cardinales non soli, sed adjunctis etiam sex Legatis singularum quinque Nationum, quos in ipso Concilio sibi delegerunt, scilicet Natio Itala, Gallica, Germanica, Anglica, & Hispana, qui Legati omnes pro hac sola vice ad resecandos omnes schismatis prætextus conclave ingrederentur, & simul cum Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus novum eligerent Pontificem, quod præstitum fuit, & Cardinales unà cum Legatis elegerunt in novum Pontificem Martinum V. cui electo omnes Nationum Cardinales, & Prælati alii Ecclesiastici unanimi consensu se submisserunt, præter Benedictum, à quo nemo quidquam formidabat, & ab omnibus haberetur contemtui, & in sua arce detineretur veluti in carcere occlusus. Synodus Constantiensis inchoata fuit anno Christi 1314. & absoluta ac dirempta anno 1318. Gregorius XII. ante solutum Concilium obiit, & Johannes XXIII. quamvis præsedisset Synodo primis sessionibus postea clam se subduxit, & in Oppidum Ducis Austriæ implorata ejus ope se recepit, quæ causa fuit Synodo in ipsum acrius agendi, & accusatus reus plurium criminum, quorum fuit multis probationibus, & testimoniis servato juris ordine convictus, eum à pontificatu deposuerunt, quam sententiam ipse approbavit, neque distulit se pontificia dignitate abdicare, postquam Sigismundus Imperator eum ex fuga receptum ad Concilium reduxit, ubi cum in custodia jussu Concilii detineretur, ne quid moliretur contra quietem Ecclesiæ, Johannes custodibus vel elusis, vel corruptis è carcere dilabitur, & ad novum Pontificem Martinum V. Florentiæ tunc degentem confugit, seque ad ejus pedes abiecit, à quo perbenignè exceptus ei concessit, ut libertate, gradu Cardinalatus, aliisque honoribus, & Ecclesiasticis proventibus potiretur. Sed Benedictus Antipapa integrum ferè septennium Concilio supervixit, & in suis latebris ad extremum usque Spiritum se voluit pro summo Pontifice gerere, adeò ut à sua non legitima electione in Pontificem totos triginta annos umbratilem suam dignitatem non absque ingenti Ecclesiæ damno retinuerit, scilicet usque ad Constantiense Concilium per annos 40. perduravit in Ecclesia schisma, quòd si recenseantur anni, quibus Petrus de Luna seu Benedictus XIII. superstes vixit Concilio, anni fluxerunt 50.

Altera causa congregandæ Synodi Constantiensis fuit Hussitarum hæresis, quæ per totam Bohemiam grassabatur. Fuit Johannes Huss sacerdos Bohemus, qui libros & errores Johannis Wicleffi Angli per totam Bohemiam disseminavit, qui in plura creverunt zizania. Novis etiam adjunctis erroribus, quos sacra Synodus execrata fuit, & ipse Johannes Huss flammis interimendus traditus: & sequenti anno simile supplicium tulit Hieronymus Pragensis earundem hæresum propugnator accerrimus. Præ ceteris Hussitarum hæresibus in Concilio Constantiensi damnatis hæ recensentur, quia assererent hostiam consecratam esse merè naturalem panem, Christi autem corpus non esse in Eucharistia aliter concipiendum quàm figurativa locutione. Confessionem auricularem nil aliud esse quàm hominum purum inventum, Papam Romanum esse verum Antichristum, non verò Regem aut Principem ullum, neque Episcopum, neque Magistratum, neque sacerdotem, esse nisi nomine tenus. Posse ac debere quemcunque tyrannum à quovis subdito interfici. Impium inventum esse, & evangelio contradicens communionem in solo pane excluso calice. Et demum Ecclesiam non constare nisi ex solis Prædestinatis. Hos errores innovarunt postea Lutherani, & alii Hæretici, qui eandem crambem recoxerunt. Cæterum in Concilio Constantiensi damnati fuerunt, & *sessione* 13. recepta etiam consuetudo communicandi populum sub sola panis specie, & aliter fieri vetat sub pœna excommunicationis incurrendæ; quam prohibitionem postea innovavit Concilium Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 2. Et hic verificatur, quod D. Augustinus lib. 2. de Baptismo cap. 3. dixerat, *scilicet ipsa plenaria Concilia sæpe priora à posterioribus emendantur, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat.* Quod Augustini effatum non aliter intelligi debet, quam in rebus disciplinæ, vel facti aut personarum, non verò in definitionibus circa fidem, quia hæ sunt in Ecclesia immutabiles, ut declarat Gelasius Papa de *consecrat. dist.* 1. *cap. comperimus.* ubi habetur: Statuimus, ut singuli sub utraque specie communicare teneantur. Cui decreto videntur Manichæi occasionem dedisse, quos Romæ sub Gelasio repullulasse refert Anastasius in Gelasio. Manichæi cum execrarentur vinum, prohibuerunt sub specie vini communicare, quibus se opposuit Gelasius. Certum est fideles sub Ecclesiæ initiis consuevisse communicare vel sub una tantùm, vel sub utraque specie, ac in potestate Ecclesiæ fuisse recipere communionem modo sub una, & modo sub utraque specie, prout magis congruum visum eidem fuit ad evellendos, & confutandos errores Hæreticorum ut ex Conciliis, & Sanctis Patribus constat; hinc S. Leo Papa serm. 4. in 4. observari præcipit in synaxibus Manichæos quatenus indiscriminatim cum fidelibus in sacro pane communicabant, sed à vivifico semper calice abstinebant, unde liberum fuit Ecclesiæ præcipere communionem sub una vel sub utraque specie. Quia Nestorius docuit fideles sub speciebus panis sumere tantum corpus Christi sine sanguine, & sub speciebus vini solum sanguinem sine corpore, Ecclesia in Concilio Ephesino ad hanc eradicandam hæresim, quamvis fideles antea communicaverint sub utraque specie, præcepit ut imposterum sub specie tantùm panis communicarent, ut crederent totam Christi humanitatem seu corpus cum sanguine sumi sub una tantùm specie panis, quia cum Verbum divinum, quod semel assumpsit, nunquam dimiserit, si sub specie panis reperitur cum corpore, necesse est, sit ibi etiam cum sanguine, tum quia Apostoli in ultima cœna communicantes sub specie panis non sumpserunt Christi corpus sine sanguine, non enim sumpserunt Christi corpus mortuum, seu Christi cadaver, sed corpus vivum, consequenter cum sanguine, sed fideles nunc communicantes sumunt idem corpus Christi, quod in ultima cœna sumpserunt Apostoli, proinde sumunt corpus vivum cum sanguine cum corpus humanum sine sanguine non vivat,

unde hæc Nestorii hæresis occasionem exhibuit Ecclesiæ præcipiendi fidelibus communionem sub sola specie panis. Econverso, quia Manichæi asseruerunt, Christum non habuisse verum corpus humanum, sed tantum phantasticum, Ecclesia ad extingendam hanc hæresin præcepit fidelibus communionem sub utraque specie, ut crederent se sumere verum ac reale corpus, verum ac realem sanguinem. Et Gelasius *cap. Comperimus de consec. dist.* 2. vocat sacrilegos communicantes sub sola specie panis, quia cum Manichæi crederent à se sumi corpus phantasticum Christi, hæc communio à Gelasio in hoc sensu dicitur sacrilega.

Concilium Florentinum inter generalia decimum octavum in occidente X. coactum fuit ob errores Græcorum iterum excitatos: cum primus omnium docuisset Nestorius, Spiritum S. à solo Patre procedere, huic hæresi concordavit Theodoritus, qui patrocinium suscepit Nestorii in suis censuris contra Cyrilli anathematismos; quamvis potior causa disceptationis non in hoc consisteret, sed in persona Christi, dignitate, ac nomine Deiparæ; ideo visum fuit Patribus Ephesi congregatis, & Chalcedone, reliqua huc minime spectantia examinare; rursus postquam Photius in sedem Patriarchalem se violenter intrusisset, ac à Nicolao I. à fidelium fuisset communione resectus, ac anathemate perculsus; candem recoxit hæreseos crambem in suis encyclicis literis plenis blasphemiarum, ac conviciorum contra sedem Apostolicam. Per Photii mortem mortua etiam visa fuit hæresis, quam tamen non mortuam, sed tantum sopitam tunc fuisse sub Photii cineribus comprobavit Joannes Hierosolymitanus Monachus tempore Leonis Papæ III. & Caroli Magni, quam etiam id temporis damnavit Concilium Aquisgranense: & quo efficacius hæc hæresis eradicaretur, placuit Patribus Concilii Constantinopolitani symbolo Apostolorum adjicere *filioque*, seu de Spiritu S. qui à Patre Filioque procedit. Ecclesia siquidem, quæ unicum potuit componere, ac promulgare symbolum ad novas hæreses propulsandas, potuit etiam per unius, vel alterius verbi additionem hæresin extinguere se noviter efferentem. Græci tamen ab ecclesia Latina divulsi schismate contra Romanam Ecclesiam sibi invisam anathema dicere ausi sunt. Quod verò ad processionem Spiritus Sancti à Patre, & Filio Leo sextus cognomine sapiens Orientis Imperator, Basilii Macedonis Filius, & Photio pseudo-Patriarchæ coætaneus epistolam scripserat ad Omarum Saracenorum regem de veritate Fidei Christianæ, in qua exponens fidem de Sanctissima Trinitate, profitetur diversis verbis, Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere; quamvis ab hac fide totus postea Oriens discesserit, licet in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. convenerint Græci cum Latinis in eadem Fide, palamque fuerint professi Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere, quam fidem totius vitæ suæ cursu tenuit Michael Palæologus Imperator, à qua iterum tota Græcia descivit. Eugenius igitur IV. Romanus Pontifex, ut intellexit Joannem Palæologum Græcorum Imperatorem, & Josephum Patriarcham Constantinopolitanum expetere unitatem Apostolicæ Ecclesiæ, eos per literas cohortatus est, ut Orientalium Concilium Ferrariæ indiceretur, ad quod etiam Patres vocavit, qui ad Basileense Concilium tunc temporis convenerant, quorum conventum suo diplomate ante abrogaverat; Adeò ut plures ex illis Patribus deseruerint Basileense Concilium seu potius Conciliabulum, & Ferrariam venerint; Aliis pertinaciter Basileæ hærentibus. Joannes igitur Palæologus una cum amplissimo comitatu Episcoporum Orientalium ab Eugenio, & Sacra Synodo susceptus est ingenti Latinorum gaudio. Præter Patriarcham Constantinopolitanum interfuerunt huic Concilio Legati Patriarchæ Alexandrini, Antiocheni, & Jerosolymitani.

Anno igitur 1437. apertum fuit Ferrariæ Concilium generale, & ab initio instituta fuit longa disceptatio Latinos inter & Græcos de processione Spiritus S. & de additione facta Symbolo, *Filioque procedit*. Postea de Sacrificio in azymo aut fermentato, de Purgatorio, de præsenti Sanctorum in cœlo felicitate, & de primatu Romani Episcopi; de quibus quæstionibus ita sigillatim in concilio disputatum est, ut seni ex Latinis, & totidem ex Græcis selecti fuerint, qui in medio consistentes coram Patribus unus proponeret, & alius responderet, aderat utrinque interpres, qui quæcunque sive Græcè sive Latinè dicerentur alterius linguæ parti explicaret. Aderant pariter utrinque Græci, & Latini Notarii scribentes singuli, quæ proprio idiomate dicerentur: Hæ disceptationes per annum integrum detinuerunt Patres Ferrariæ; cum verò Ferrariæ suspicio esset epidemicæ luis; Synodus hæc generalis translata fuit Florentiam, ubi quatuor etiam continuis mensibus fuerunt disceptationes productæ, adducti Sanctorum Patrum, & Conciliorum codices Græci & Latini, ac diligenter explorati, & disceptationes à Notariis scriptæ relectæ coram cœtu Patrum; hisce peractis Græci in Latinorum accesserunt consensum, & communi utrinque gaudio, & gratulatione Ecclesia Græca juncta fuit Latinæ. Notatu dignum, quòd Josephus Patriarcha Constantinopolitanus, cum paulo ante concilii finem ultimum suum clausisset diem, schedulam reliquit, in qua adhuc vivens scripserat se Romani Præsulis primatum fateri, & fidem Romanæ Ecclesiæ profiteri, & amplecti. Cœterum si unus excipiatur Marcus Ephesinus metropolitanus, reliqui omnes Græci, & Latini unanimi consensu celeberrimæ huic unioni Ecclesiæ Græcæ & Latinæ subscripserunt, fuitque decretum editum ac promulgatum anno 1439. quo Græcè & Latinè proclamatum fuit, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, ut ab uno principio æternaliter, & unica utriusque spiratione, & ut hæc fides omnibus innotesceret ut necessaria ad salutem, consultius fuit, ut symbolo adderentur verba illa *Filióque procedit*. Secundo sive in azymo, sive in fermentato pane triticeo Christi Corpus ritè confici posse. Tertiò esse aliquem Purgatorii locum, in quo animæ fidelium in Christi gratia decedentium, quæque necdum dignis pœnitentiæ operibus pro culpis patratis de integro, & ex æquo satisfecerunt, cruciatibus ad tempus expurgantur, & illas viventium suffragiis adjuvari. Eorum autem animas, qui nullam à suo Baptismo culpam contraxerunt, vel contractas condigna pœnitentia eluerunt, statim post mortem cœlesti donari beatitudine. Quartò Romanum Pontificem esse verum legitimum in militanti Ecclesia Christi Vicarium, ac primum supremumque pastorem Dominici gregis. Hisce peractis, ac dirempto concilio, Armenorum legati Florentiam ingressi fidem ac subjectionem Romanæ Ecclesiæ præstiterunt, & iisdem Eugenius literas dedit, quibus circa Sacramenta Ecclesiæ plenius instruerentur, qui ex Græcis in hoc Concilio strenuam navarunt operam, ac promoverunt unionem Ecclesiæ Græcæ cum Latina, fuerunt Josephus Patriarcha, Bessarion Nicænus Episcopus, Isidorus Archi-Episcopus Thessalonicensis, qui præclaris editis libris, confutavit libros Marci Ephesini, quibus hanc synodum oppugnavit,

Verùm

Verùm post Patrum in Græciam reditum, gens illa Græcorum diuturnæ dissensionis consuetudine, tum inveterato Latini nominis odio, ac ingenita sibi præsumptione stimulata in pristino maluit schismate persistere, quàm veræ fidei veritati cum Latinis adhærere; Sed hanc Græcorum perfidiam Deus non permisit impunem, siquidem post paucos annos ultus est Deus armis ac invasione Mahumeti secundi Turcarum Tyranni Græcorum infidelitatem, & pertinaciam: Mahumetes enim validissimo exercitu imperante in Oriente Constantino Palæologo fratre Joannis Palæologi Constantinopolim expugnavit, & anno 1453. ipso Spiritus sancti festo occupavit fecitque vi amorum sui juris, ut ante triennium ipsis prædixerat Nicolaus Papa V.

Concilium Basileense generale XIX, in Occidente IX. Inchoatum fuit paulo ante Florentinum seu anno 1431. initio legitimum fuit, quia indictum auctoritate Martini V. Sed postea ab ejus successore Eugenio revocatum fuit, & ex tunc evasit illegitimum. Nihilominus ex Patribus Basileensibus plures remanserunt Basileæ, ut inceptam synodum non obstante pontificia revocatione continuarent, & quamvis sanctionem pragmaticam à Concilio Basileensi editam Carolus VIII. Rex Francorum in suo regno servari jusserit, eo titulo, quia resecaret invectos per ambitionem ecclesiasticorum laxitates & abusus coërceret, & ad pristinam sanctitatem, ac puritatem mores revocaret clericorum; in aliis tamen noluit Rex obsequi decretis illius Synodi, in qua electus fuit Felix V. qui ut pacem, & tranquillitatem ecclesiæ daret, sponte dignitate pontificia se abdicavit, quam Nicolao Papæ V. Eugenii Successori renuntiavit, qui eidem Cardinalis, & per omnem ipsius temporalem ditionem Legati Apostolici contulit dignitatem.

Concilium Generale Lateranense inter generalia XX. & in Occidente X. indictum fuit à Papa Julio secundo, & auspicatum anno 1512. ut schismati occurreret invecto à Concilio Pisano, sed accelerata morte præoccupatus Julius, Leo X. in ejus locum suffectus est, qui inchoatum Concilium in Laterano congregatum prosequitur, in quo initam cum Francisco Francorum rege conventionem in locum ejuratæ ab eodem pragmaticæ sanctionis subrogatam approbavit nomine Concordati, quo vetera electionum jura circa Episcopatus, & Abbatias annullantur, & Regibus Galliarum ad ista, quæ vocantur beneficia Consistorialia, nominationes indulgentur, & exinde abrogatis in Gallia electionibus juxta canones ad vacantes episcopatus, & Abbatias Rex Clericum nominat, qui instituitur Episcopus vel Abbas ecclesiæ vacantis; & rursus Leo X. in eodem Concilio Lateranensi concessit jura regaliorum; seu ut proventus ecclesiarum pro eo tempore, quo vacant, pertineant ad regem, ut illos impendat in ornatum sanctæ Capellæ, vel restaurandis aliis Ecclesiis, vel in alia opera pia, & vicissim annatarum jura Fisco Apostolico restituuntur. In sessione 5. hujus Concilii omnium Patrum consensu approbata, & recepta fuit constitutio Julii Papæ, qua declaratur irrita, & nullius valoris Romani Pontificis electio simoniaca, & electus in Pontificem omni privatur Pontificia dignitate, & authoritate; Et Cardinales per simoniam eligentes pœnas incurrunt canonicæ depositionis, & irregularitatis, & quidem ipso facto absque alia sententia. Videtur tamen contra hanc sanctionem aliqua oriri difficultas, quia dato, quòd electus Papa, & Cardinales Electores forent Simoniæ rei, quis in hoc casu consurgeret contra illos actus? Ad quem judicem fieret provocatio, cum non sit in Ecclesia supra Pontificem judex ullus major. Quòd si pars Cardinalium simoniaca labe infectorum revera esset rea, & alia pars Cardinalium litem intentaret, imò & novum inter se Pontificem eligeret: quis posset ortam exinde litem dirimere, præsertim si pars simoniæ rea vellet pervicaciter inficiari fuisse electionem illam simoniacam, & vellet à se infamiam amoliri? Quid in hoc casu fieret, quis judicaret electionem fuisse simoniacam, cum utrinque partes circa hoc litem instituant; una affirmet, & altera neget? An non satius in hoc casu videretur, qualemcunque promotum, & semel electum potius tolerare, quàm schismati januam aperire, ac permittere ut altera pars Cardinalium, quæ aliam accusat simoniæ, eligeret alium Pontificem, ex qua electione procul dubio schisma oriretur in Ecclesia? in hoc casu certè pari prudentia, & cautione uti deberent Cardinales, qua olim Ecclesia Felicem & Vigilium in sede Pontificali toleravit, ne schisma oriretur in Ecclesia: multa enim facta tenent, quæ fieri prohibentur.

Sessione nona plura fuerunt sancita in hoc Concilio circa ordinem, & disciplinam. In his ut Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quos Synodus declarat cæteris omnibus Ecclesiæ dignitatibus præcellere, post summum Pontificem famulitio mensa, supellectili, vestitu non fastum ac pompam, sed modestiam, & frugalitatem studeant exhibere, & ut domus Cardinalis patens hospitium, portus, & refugium, proborum maximè & doctorum virorum, & pauperum nobilium, ac honestarum personarum esse debeat. Hoc idem jam dudum ordinaverat etiam Concilium Carthaginense 4. Can. 15. ubi statuit, ut Episcopi supellectili paupere, mensaque, & victu vili, & frugali utantur, & hoc idem firmavit etiam plenius Concilium Tridentinum *Sess. 21. cap. 5. in decret. Reformat.* Imò non solùm luxum hoc Concilium inhibet Cardinalium famulitio, mensæ, & supellectili, verum etiam ipsius summi Pontificis, cujus ædes, famuli, mensa & domestica supellex ab omni luxu abhorreat, ait enim Concilium in præfata Sessione 9. *Quæ omnia & singula in nostris, & cujuscunque Romani Pontificis pro tempore existentis familiaribus, ac etiam curialibus locum habere volumus. Hoc uno tantùm excepto, quod dicti nostri & Romanorum Pontificum familiares rubri coloris vestimenta gestare possint pro decentia, & consuetudine dignitatis Pontificalis.* Quòd si dicas Concilium quantumvis generale non posse leges præscribere Papæ, eò quia inferior non habeat potestatem in superiorem & Concilium quantumvis generale semper subest summo Pontifici ut capiti, consequenter non potest illi leges præscribere, alioquin inferior haberet potestatem in superiorem. Sed contra quia duplex debet potestas distingui coactiva una, altera directiva, quarum prima imperium connotat, & ex parte decernentis requirit jurisdictionem, & authoritatem, & hæc potestas non convenit Concilio Generali in Pontificem, quia si par in parem non habet imperium à fortiori, neque inferior in superiorem. Potestas verò directiva circa bonos mores & congruentem disciplinæ ordinem non includit imperium, sed simplicem decernit directionem, & habet locum inter pares, imò & congruit nonnunquam inferiori erga superiorem, perinde ac fraterna, & discreta correctio; unde Concilium generale potest uti erga summos Pontifices hac potestate directiva, ut etiam Pontifex existens erga suos Successores, non verò potestate coactiva. Neque hæc Synodus prima fuit, quæ hac potestate directiva in

Pontifices usa fuerit: Siquidem tertia Romana Synodus sub Symmacho Pontifice hac eadem fuit potestate usa, his verbis: *Non liceat Papæ prædium ecclesiæ alienare aliquo modo pro aliqua necessitate, nec in usumfructum prædia dare, nisi tantummodò domos, quæ in quibuslibet urbibus non modica impensa sustentantur. Liceat etiam quibusdam ecclesiasticis personis contradicere & cum fructibus alienata reposcere. Quod non modo in Apostolica servandum est Ecclesia, verùm etiam universis Ecclesiis per Provincias.* Et id habetur in *cap. Non liceat Papæ.* 12. *quæst* 2. & S. Gregorius Papa etiam in alio Concilio Romano, cujus ipse meminit lib. 4. epist. 88. statuit, Ne imposterum Romani Episcopi pueros sæculares ad ministeria cubiculi, sed solùm Clericos electos aut Monachos admittant. Concilium itidem Generale Lateranense sub Innocentio III. can. 37. sanxit per litteras Apostolicas non posse quemquam trahi ultra duas diætas extra suam diœcesim ad aliquod judicium, & legitur *cap. Nonnulli de rescriptis,* & hoc idem confirmatur ab Honorio III. *cap. Olim. de except.* Quinimò Bonifacius VIII. has litteras Apostolicas restrinxit ad unicam tantùm diætam extra limites diœcesis. *cap. statutum* §. *verò. de rescript. in* 6. Et Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 19. usum abolet mandatorum Apostolicorum de providendo, & Expectativarum à suprema sede manantium, & *sess.* 25. *cap.* 9 §. *insuper.* prohibet fieri authoritate Apostolica uniones beneficiorum liberorum ad beneficia juris patronatus, & prohibet executiones harum concessionum, si posthac ab Apostolica sede indulgeantur etiam cum expressa clausula derogatoria hujus constitutionis, & *ibid. cap. ji.* prohibet fieri etiam Apostolicæ sedis authoritate alia tria genera concessionum, quæ ibi exprimuntur.

Quamvis Princeps sit solutus legibus civilibus, debet tamen secundùm leges vivere, *leg. Princeps. ff. de legib.* hinc S. Gregorius Papa lib. 5. epist. 112. ait: *Justitia & rationis ordo suadet, ut qui sua à Successoribus desiderat mandata servari, decessoris sui procul dubio voluntatem, & statuta custodiat,* & lib. 12. epist. 31. ait: *Si ea destruerem, quæ Antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor esse justè comprobarer,* & ratio petitur ex ipso officio summi Pontificis, quod cum versetur circa exactum regimen Ecclesiæ sibi concreditæ, perfectionem, & disciplinam cujus rationem apud cœlestem Judicem reddet exactissimam; oritur igitur in ipso obligatio ea servandi, quæ ad majorem recti regiminis Eccl. perfectionem conducunt. Rursus in eadem *Sess.* 9. statuitur, ut quilibet habens beneficium cum cura, vel sine cura, si intra sex ab obtento beneficio menses divinum officium cessante omni legitimo impedimento non recitaverit beneficii fructus non faciat suos pro rata omissionis, & temporis, sed illos tanquam injustè acceptos vel in fabricas beneficii, vel in pauperum eleemosynas erogare teneatur. Sin verò in ea officii omissione post legitimam admonitionem perseveraverit, privetur ipso beneficio. Et additur etiam ratio, quia beneficium datur propter officium, cui Sanctioni aliam adjunxit Pius Papa V. qui statuit, eum, qui tempore priorum sex mensium officium non recitaverit, à beneficii possessione excludendum, tametsi oneri restituendi non sit obnoxius, dummodo sit reus lethalis culpæ, quoties officium prætermisit. Qui verò aliquo die unam vel alteram officii horam omiserit, tenetur restituere fructus beneficii juxta mensuram officii omissi; quòd si omnes officii horas omiserit, tenetur omnes beneficii fructus respondentes tali diei restituere, partitis scilicet omnibus anni fructibus in totidem æquales partes, quot sunt in anno dies. Omittens matutinum tenetur ad dimidium fructuum illius diei restituendum, & qui reliquas omnes partes omiserit, tenetur ad restituendum alterum dimidium, & qui harum horarum unam tantùm omiserit, tenetur sextam fructuum partem restituere. Rursus si beneficiarius Choro addictus interfuerit choro, & non recitaverit officium, quamvis statuta loci, vel fundatio, vel consuetudo inolita id indulgeret, & ut sola corporis præsentia requiratur; nihilominus declarat, eum qui præsens in choro non recitaverit esse mortalis delicti reum, & obligationi esse adstrictum restituendi fructus, & distributiones. Demum statuit, quemcunque pensiones aut alia ecclesiastica emolumenta titulo Clerici percipientem obligari ad recitandum officium Beatæ Virginis, quod si non recitet, sit obstrictus ad restituendos fructus perceptos.

Sess. 10. idem Concilium Lateranense declarat montes pietatis esse licitos, nec ullatenus usurarios, quia instituuntur, ut miserorum indigentiæ per pecuniam iisdem mutuatam subveniri possit, hac tamen lege, ut mutuum sumentes obligentur præter mutuatam sortem aliud quid exolvere pro ejusdem fundationum conservatione, ac expensis ad id necessariis, quia qui sentit commodum, debet sentire & onus necessarium annexum illi commodo, dummodo nullum intendatur ex tali mutuo lucrum, & anathematizat eos, qui contra hanc declarationem prædicare, aut verbis vel scriptis refragari ausi fuerint. Alii tamen melius fore, si census aliqui ad id assignentur, ut ministrorum hujusmodi montium satisfiat impensis, & ita fiat, ut pauperes ab his impensis vel in totum, vel saltem in partem releventur. Sess. 11. Plures prohibentur defectus & abusus, in quos concionando officii sui immemores fuerunt Concionatores prolapsi, eòquia munus Concionatoris sit ad culturam virtutum, ad studia pietatis populum allicere, & trahere, & ad fugam vitiorum compellere, argumentorum efficacia; Siquidem eo tempore ad propriam ostentationem, ut viderentur eruditi, & ingeniosi Conciones suas adaptabant prurientibus auribus à veritate quidem se avertentes, errores enim contra Sacram Doctrinam serebant, scripturas depravabant, & detorquebant ad vanas interpretationes à Sanctis Patribus, & probata intelligentia Ecclesiæ alienas, vel iisdem etiam contrarias. Conficta miracula enarrabant contra Romanos Pontifices, & ire Ecclesiarum Præsules temerè & audacter invehebantur, quæ omnia districtè prohibentur in præfata Sess. 11. ut etiam approbantur in eadem concordata cum Rege Francorum, ut possit ad Regni dignitates Consistoriales nominare providendos, & ut graduati Clerici reliquis omnibus in collatione præbendarum præferantur, quæ certis, ac designatis mensibus in eodem Regno vacaverint. Et ipsa pragmatica Sanctio totaliter deletur, cujus loco sufficitur Concordatum. Et demum damnantur Basileensia decreta adversantia potestati Romani Pontificis. Sess. 12. statuitur expeditio contra Turcas, ad quam promovendam decimæ ad triennium imponuntur Ecclesiarum fructibus, monasteriorum, ac beneficiorum toto Christiano Orbe consistentium. Postremo peractis Deo gratiis dirimitur Concilium Lateranense.

Concilium Tridentinum generale XXI. & in occidente XI. ex pluribus causis, quæ fusè in Bulla indictionis à Paulo III. indicatæ, convocatum fuit, inchoatum quidem sub eodem Paulo Anno 1545. sed per occasiones Bellorum inter Princi-

pes

pes Christianos præsertim Carolum V. Imperatorem, & Franciscum I. Gallorum Regem, per nonnihil temporis interruptum fuit, sed postea resumptum sub Pio IV. suum obtinuit finem anno 1563. adeo ut à suo initio ad finem octodecim fluxerint anni. Præcipuæ causæ indicendi hanc Synodum fuerunt hæreses Lutheranorum, Sacramentariorum, & vitiati Ecclesiasticorum mores, qui reformatione indiguerunt, ut etiam nimia sacræ disciplinæ relaxatio, his enim malis remedium aliquod adhibitura Ecclesia hanc Sacram Synodum instituit, quæ maxima cura, ac solicitudine providit pluribus erroribus, & laxitatibus in disciplina ecclesiastica, damnavitque errores Lutheranorum, Sacramentariorum, Calvinistarum, & aliarum hujus furfuris Sectarum. Numerum Patrum, qui huic Concilio interfuerunt, recenset Villalpandus disput. 5. de Concil. Trident. inquiens: *Adsunt sex Cardinales, quatuor Legati, Patriarchæ tres, Archiepiscopi 32. Episcopi 228. Abbates quinque, Generales Ordinum Ministri septem, Episcoporum Procuratores plurimi.* In hoc Concilio *Sess.* 4. recensentur singuli Sacræ scripturæ libri, & statuunt Patres, ut Sacri libri sumantur cum suis partibus, prout in veteri vulgata editione habentur, & in ecclesia catholica consueverunt legi. *Sess.* 5. *cap.* 1. *de reformat.* statuitur, ut Episcopi, aliique locorum Ordinarii sacram scripturam per se ipsos in suis Ecclesiis interpretentur, & exponant, si fuerint idonei, vel sin minus per substitutum provisum debitis stipendiis, & ut in Ecclesiis tenues habentibus proventus provideatur saltem ex Concilio Episcopi, & Capituli Magister, qui Clericos, & pauperes Scholares gratis grammaticam doceat. Injungitur etiam, ut in monasteriis lectio sacræ scripturæ habeatur. Rursus declaratur, Verbi Dei prædicationem esse præcipuum Episcoporum munus, ideoque *cap.* 2. ait: *Archipresbyteri quoque plebani, & quicunque Parochiales, vel alias curam animarum habentes per se vel per alios idoneos homines, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua & eorum capacitate pascant, salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessum est ad salutem & annuntiando eis cum brevitate, & facilitate Sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi valeant.* Sess. 6. obligat Episcopos ad residendum in propriis ecclesiis, adeo ut si per sex continuos menses sine justa causa vel impedimento à suis Ecclesiis abfuerint, quarta fructus unius anni parte Ecclesiæ, & pauperibus locis applicanda mulctentur. Quam pœnam idem Concilium *sess.* 23. *cap.* 1. amplificat cum additamento pœnæ, *ut qui ad summum tres menses in uno anno sint legitima, & valde urgente causa, sive continuos, sive interpolatos Episcopus etiam Cardinalis non resederit in sua Ecclesia præter reatum peccati mortalis quo adstringitur, nullatenus possit fructus suos pro rata suæ absentiæ facere; sed teneatur eos fabrica Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare*, & *sess.* 6. *cap.* 2. præcipitur Episcopis, ut opportunis remediis compellant Beneficiarios ad Ecclesiarum residentiam, si beneficia illam exigant. Et *cap.* 3. *ejusdem sess.* 6. præcipit *Regulares Ordinum quantumvis exemptorum, aut privilegiatorum extra monasterium degentes, si deliquerint, jubet à locorum Ordinariis tanquam sedis Apostolicæ Legatis visitari, inquiri, corrigi, & puniri.* Et Concilium Lugdunense sub Innocentio IV. quod citatur *in cap. Volentes de privil. in* 6. ait: Regulares ratione delicti extra claustra commissi subjici jurisdictioni Ordinariorum. Rursus *cap. Quanto. de Officiis Judic. Ordin.* statuitur, ut Ordinarius suppleat per se Abbatis negligentiam circa vagos, & fugitivos Monachos. Plura alia sanciuntur, quæ habentur in sessionibus ejusdem Concilii. Cæterum Tridentina Synodus ad hunc præcipuè finem indicta fuit, ut provideret, ne Ecclesia detrimenta pateretur ex ortis Sectis Lutheranorum, Zvvinglianorum, Calvinistarum & Anabaptistarum, ut constat ex Bulla Indictionis eidem præfixa. Novatores, Sectarii duplicem circa sacros libros invenerant errorem, quorum primus fuit, quia aliquot de sacrarum scripturarum Canonicis libris expungebant, ut libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici & Machabæorum; Deinde alios integros quidem admittebant, non tamen, ut in Latina vulgata editione habentur, sed tantùm ut in Hebraicis hodiernis voluminibus leguntur, in quibus permultæ sunt partes, quæ supplentur in receptis ab Ecclesia Latinis Bibliis; quas partes Hæretici supprimunt in suis Bibliis, & quibus utuntur tam Latinis quàm vernaculis translationibus, & huic secundo errori providerunt Patres per verba illa cum omnibus suis partibus.

Ad Concilia Apostolorum quod attinet, certum est pluries fuisse congregatos, ut initis Consiliis difficultates solverent, quæ in ipso Ecclesiæ exordio oriebantur, legimus enim Matth. 16. congregatos fuisse Apostolos, ut à fermento caverent Pharisæorum, & Saducæorum, deinde Christus ipse, qui præsedit gravissimam omnium quæstionum proponit quæstionem definiendam scilicet *quem dicunt homines esse filium hominis*? Et postea *quem vos me esse dicitis*? Et Petrus definivit ut Papa futurus infallibiliter, ac infallibilem recepturus promissionem. Postea cum Christus ascendisset in cœlum & suum in terris reliquisset Vicarium Petrum, seu supremum suæ militantis Ecclesiæ Pastorem, cui & injunxit ut suas pasceret oves quatuor fuerunt Hierosolymitana Concilia ab Apostolis coacta: Primum contigit anno Christi 34. Apostolis in cœnaculo Joannis Marci congregatis. Angebatur Petrus, quomodo posset numerum complere Apostolorum credens non sibi tantùm oves esse concreditas, sed etiam ipsos subordinatos sibi Pastores gregis esse commissos, adeo ut ad ipsum spectaret providere de Pastoribus minoribus, sibique subordinatis, ideoque, quia ab hoc numero defecerat Judas proditor, proposuit Petrus causam electionis Matthiæ in locum Proditoris peractæ in forma scrutinii, & præmissa oratione dederunt sortes, & cecidit sors super Matthiam. Secundum Concilium fuit in causa electionis septem Diaconorum Act. 6. quo tempore Petrus Principes Apostolorum consecravit Jacobum Alphæi Hierosolymorum Episcopum præsentibus Joanne, & Jacobo Zebedæi, hinc mos statim ab initio Ecclesiæ anno Christi 34. inolevit, ut non minus quàm à tribus Episcopus consecraretur. Tertium Concilium fuit in causa symboli Apostolorum componendi Anno Christi 44. antequam Apostoli per mundum universum dispergerentur causa propagandi Evangelium, ut scilicet unam & eandem omnes haberent formam prædicationis, & quisque Apostolus suam tesseram non dissimilem animis. Quartum Concilium fuit indictum Anno 51. in causa Legalium abrogandorum, & Actor. 19. Paulus, & Barnabas sententiam Concilii describerunt, & Petrus de vocatione gentium plura disseruit, & Concilii definitio missa est ad cœteras Ecclesias per Paulum, & Barnabam.

Rursus

Rurſus orta & excitata Antiochiæ ſingulari quæſtione inter Judæos Chriſtianos, & gentiles, qui fidem Chriſti ſuſceperant, an iſti ad circumciſionem, & ad Judaiſmum prius ſuſcipiendum tenerentur, quàm novæ legis initiarentur inſtituto: hæc quæſtio delata per deputatos Paulum, & Barnabam fuit ad Apoſtolos reliquos, & Seniores, qui tunc Hieroſolymis verſabantur, & inſtitutum fuit Concilium quod in Eccleſia dicitur primum, eò quia expresſiùs ſpeciem præſeferret veri Concilii: ait Lucas Actor. 15. *Convenerunt Apoſtoli, & Seniores, videre de verbo hoc*, quibus verbis ſignificatur vera forma Concilii œcumenici, quam Eccleſia cum ſit Apoſtolica, imitari tenetur pro ſtabiliendis fidei dogmatibus, quæ poſſunt controverti, & ad condendos canones circa mores, & ritus. Inde mos inolevit congregandi in eccleſia concilia, perinde ac in provinciis & regnis Comitia; poſuit enim Deus mundo, & eccleſiæ terminos pacis, qui non debent præteriri; & quemadmodum ſolent principes, & magiſtratus in republica indicere conventus, quoties neceſſitas poſtulat ad ſedandas controverſias, ac publicum bonum ſtabiliendum; perinde in rebus fidei aſſerendis debent Prælati eccleſiarum unà convenire, ut ſimul collatis ſententiis quæſtiones dirimant, & quæ circa fidei dogmata inſurgunt difficultates, eas examinent, ac ſolvant, doceantque fideles ſidei veritatem; hoc in eccleſia eſſe præſtandum monuit Chriſtus, Matth. 18. *Ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Hæcque eſt primo origa Conciliorum, quæ in eccleſia, quoties neceſſitas exigit, indicuntur.

Quod veró ad canones ſpectat Apoſtolorum, hos S. Clemens Papa collegit, & unà congeſſit, ſuntque veluti regulæ, ac conſtitutiones factæ ab Apoſtolis Antiochiæ, ut teſtantur plures Sancti Patres, qui poſt Apocalypſim, Joannis primam iiſdem dederunt authoritatem; Suntque 1. Epiſcopus à duobus vel tribus Epiſcopis ordinetur. 2. Ab uno Epiſcopo Diaconus, & cœteri clerici ordinentur. 3. Nihil præter ordinationem Domini in ſacrificio offeratur. 4. Cum S. Oblatio celebratur offerri licet ad luminaria, & thymiamata. 5. Primitiæ omnium Epiſcopo, & Presbyteris domum mittantur non ſuper altare, qui eas inter clericos dividant. 6. Uxorem propriam non abjiciat, ſcilicet quaſi ſoluto matrimonii vinculo, ſecedant tamen ab eis, ut Synodus quarta generalis habet can. 12. 7. Curas ſeculares non aſſumant. 8. Paſcha ante vernale æquinoctium non celebretur cum Judæis. 9. Omnes de clero in miſſis communicent. 10. Fideles non exeant eccleſia niſi communicaverint. 11. Cum Excommunicato loquens ſit excommunicatus. 12. Item cum eodem orans. 13. Excommunicatus non ſuſcipiatur in alia eccleſia ſine commendatitiis. 14. Epiſcopo liceat de una ad alteram tranſire eccleſiam ob majorem profectum animarum. 15. Presbyteris non liceat propriam relinquere eccleſiam 16. qui eos ſuſceperit, excommunicetur. 17. Bigamo non liceat gradum eccleſiaſticum ſuſcipere. 18. Viduam ducenti itemnon liceat. 19. Ducens viduam fratris, aut filiam, fieri Clericus nequeat. 20. Clericus fidejuſſionibus inſerviens abjiciatur. 21. Eunuchus per inſidias, aut perſecutionem, aut naturam factus, fieri Epiſcopus poſſit. 22. Se ipſum abſcindens, Clericus non fiat. 23. Clericus ſe eunuchizans abjiciatur. 24. Laicus ſe caſtrans triennio excommunicetur. 25. Epiſcopus fornicator deponatur. 26. Itemque clericus, 23. Soli Cantores, ac Lectores nubere poſſint. 28. Epiſcopus aut Presbyter peccantes fideles non verberent. 29. Gradu Clericali depoſitus, ſi exerceat miniſterium Ordinis, excommunicetur. 30. Ordinatus Simoniacè dejicciatur, ordinans excommunicetur. 31. Per ſæculares intrans in Eccleſiaſticam dignitatem deponatur. 32. Presbyter ſeorſum conventus agens deponatur. 33. Ab abſtento abſtineant omnes, ne recipiatur, niſi mortuo excommunicante. 34. Nec Epiſcopus ſine Commendatitiis in aliena Eccleſia recipiatur. 35. Plurium Epiſcoporum ſit unus Metropolitanus, cui omnes pareant. 36. Epiſcopo non liceat aliena in Provincia ordinare. 37. Proprium non recipiens Epiſcopum excommunicetur. 38. Bis quoque anno Concilia celebrentur. 39. Epiſcopo non liceat ex bonis Eccleſiæ aliquid donare parentibus. 40. Epiſcopi bona ſint à bonis Eccleſiæ diviſa. 41. Temporalium æquè ac ſpiritualium cura ad Epiſcopum pertineat. 42. Ebrioſus in Clero excommunicetur. 43. Item Lector, aut Cantor. 44. Item Uſurarius in Clero. 45. Item orans cum Hæreticis. 46. Baptiſmum ab Hereticis ſumens. 47. Baptizatum rebaptizans deponatur. 48. Dimittens uxorem, ducensque aliam excommunicetur. 49. In baptiſmo trina fuit mentio. 50. Abſtinens carnibus non ob aliud bonum excommunicetur. 51. Presbyter non recipiens pœnitentem, deponatur. 52. In feſtis abſtinens carnibus ob abominationem, deponatur. 53. Clericus in caupona cibum ſumens deponatur. 54. Item Epiſcopum calumnians Clericus. 55. Calumniator Clerici excommunicetur. 56. Exprobrans alteri defectum corporis inculpabilem excommunicetur. 57. Epiſcopus aut Presbyter negligens in erudiendo Clero, ſegregetur, ſe non corrigens deponatnr. 58. In neceſſitate iidem Clericos alant. 59. Pravos libros bono ſub titulo extrudens deponatur. 60. Accuſatio delicti contra fidem non recipiatur in Clero, 61. Negans Chriſtum ex metu, ejiciàtur. 62. Comedens de ſuffocato, indicetur. 63. Cùm Hæreticis orans deponatur, 64. Clericus percuſſor deponatur: Laicus excommunicetur. 65. Item qui in Sabbatho aut Dominico jejunârit. 66. Violator Virginis eam ducat. 67. Bis ordinati deponantur. 68. Clericus non obſervans quadrageſimam deponatur. 69. Cum Judæis jejunare non liceat. 70. Ethnicis aut Judæis dans luminaria excommunicetur. 71. Surripiens oleum aut ceram ex templo excommunicetur. 72. Item vaſa ſacra in uſum profanum ſumens. 73. Contra Epiſcopum procedatur eum vocando, vocatus tertio non comparens, damnetur. 74. Delatio contra Epiſcopum non accipiatur à Judæo, nec ab uno ſolo. 75. Epiſcopus non conferat conſanguineis bona Eccleſiæ. 76. Monoculus aut claudus, ſi dignus ſit, fieri Epiſcopus poſſit. 77. At non fiat mutus, ſurdus, cæcus, corpore læſus. 78. Dæmoniacus nec fiat Clericus, nec oret cum Chriſtianis. 79. Neophytus non fiat Epiſcopus. 80. Epiſcopus ſe negotiis ſæcularibus non implicet. 81. Servus non fiat Clericus niſi manumiſſus. 82. Epiſcopus militiæ vacans deponatur. 83. Convitians Imperatorem aut Magiſtratum Clericus deponatur: Laicus excommunicetur. 84. Libri qui ſint Canonici. In ſequentibus Conciliis dictorum Canonum quorundam fieri contigit ſeu declarationes, ſeu in accedente mutationes pro variatione tempnrum, locorum, &c.

CAP.

# CAPUT V.

## De Utilitate Conciliorum, & an sint de Jure Divino Naturali.

PLerique cum Alberto Pigchio de Hierarchia Ecclesiastica lib. 6. asserunt Concilia universalia non esse nisi juris humani, & alii cum Bellarmino censent esse juris divini, sed satius videtur dicendum esse de jure divino, & Naturali, quia sicut, ut scribit Apostolus ad Corinth. I. *Oportet hæreses esse*, & Christus Matth. 18. asserat: *Oportet ut veniant scandala*; Ita necesse est ut constituatur aliquod judicium, & cathedra, ubi aliquis supremus Judex auditis sententiis seniorum, ac aliorum virorum sapientum controversias dirimat, hæreses damnet, & scandala removeat, ac impediat: hoc autem in Conciliis præstatur præsertim Oecumenicis, quibus intersunt viri toto orbe doctissimi, qui omnes suam exponunt sententiam, & sua habent suffragia, auditis enim sententiis, quamvis summa decidendi authoritas sit in Pontifice, hic tamen unà cum concilio controversias dirimit, hæreses abolet, mores fidelium corrigit, & scandala, si quæ sunt, impedit. Tametsi Authoritas decidendi controversias circa fidem sit penes Romanum Pontificem Christi in militante Ecclesia Vicarium, ac legitimum Petri successorem; Debet tamen in causis fidei non præcipitare, nec inconsulto agere, nec suo tantùm judicio fidere, sed maxima qua potest industria debet multorum consilio rem examinare, & postea expletis omnibus humanæ diligentiæ numeris per sententiam, controversiam dirimere tanquam Judex docens ex cathedra. Si enim ipsa Pontificis Romani authoritas impugnetur ab Hæreticis, tunc solus non posset iisdem satisfacere, quia esset pars, circa quam agitur controversia, ideoque praxis quovis tempore semper habuit in Ecclesia, ut in rebus arduis ac magni momenti Concilia indicerentur, in quibus quisque suam diceret sententiam, ex quo Sancti Patres intulerunt necessitatem indicendi Concilia, ut D. Augustinus *lib. 4. contra duas Epistolas Pelagianor. cap. 12.* S. Isidorus *in Præfat. Concil.* S. Cyprianus *lib. 2. Epist. I. ad Stephanum & Concilium Toletanum XI. in ipsa præfatione & extat in Tom. I. Concilior.* Hoc ipsum etiam docuit Innocentius III. *cap. 3. dist. 20.* ubi ait: *Si omnibus inspectis hujus quæstionis qualitas non lucidè investigatur, seniores Provinciæ congrega, & eos interroga; Faciliùs namque invenitur, quod à pluribus senioribus quæritur: Verus enim Repromissor. Dominus ait: Si duo vel tres ex vobis convenerunt super terram in nomine meo, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo.* Et Cœlestinus III. in cap 21. de offic & potest. Jud. deleg. ait: *Illa fuit antiqua Apostolicæ sedis provisio, ut hujusmodi causarum recognitiones, duobus quàm uni, tribus quàm duobus libentiùs delegaret, cùm sicut canones attestantur, integrum sit judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur.* Interdum enim contingunt casus, qui necessariò exigunt Concilium Universale, ut cum plures simul eliguntur Pontifices supremi, quorum neuter est certus, nec constat quis, eorum sit legitimus, & cui debeant fideles obedire, hujus luculentissimum documentum dedit Concilium Constantiense cum enim per annos triginta continuâsset schisma in Ecclesia, & plures fuissent Pontifices electi, & eorum nullus vellet se Pontificatu abdicare, neque constaret, quis esset legitimè electus, & ingens inter fideles facta fuisset confusio necessum fuit indicere Concilium Generale Constantiense, cujus beneficio fuit schisma illud diuturnum tandem extinctum.

Hinc si Concilia subinde sunt in Ecclesia necessaria, sequitur esse de jure divino, & naturali inst tuta, adeo ut ipse naturalis instinctus in controversiis, ac difficultatibus maximi momenti, & à quarum decisione dependet bonum commune, non dirimantur nisi auditis plurium sententiis, & opinionibus, idque nos voluit Deus ipse edocere vel in ipsa mundi creatione, cum enim hominem condidit, qui cæteris debuit præesse animalibus, quasi ne videretur solus tanti pretii, tantique impendii rem producere, & hominem creare, non dixit: fiat homo, sicut antea dixerat: *fiat lux & facta est lux*, sed veluti in Concilio pluribus initis suffragiis dixit in plurali: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram* Genes. I. ut inde discamus in rebus magni momenti aliorum sententias audire, & consilia inire. Quo pacto in lege Moysis ad id constitutus fuit Senatus, qui constaret ex septuaginta viris partim sacerdotibus, & partim ex qualibet Tribu primariis Viris præsidente semper omnibus istis summo Pontifice, ut causæ graviores deciderentur per plurium suffragia, & difficultates quæ circa legem oirirentur auditis prius omnium sententiis dirimerentur. In hoc enim Concilio Sanedrim illæ præsertim causæ decidebantur, quæ apud inferiores Judices finiri non poterant, & tenebantur tunc subditi sententiæ ab hoc Senatu emanatæ totaliter acquiescere sub pœna capitis; neque ab hoc Senatu, seu Concilio provocari poterat ad aliud tribunal. Deuter. cap. 21. v. 5. *Accedentque Sacerdotes Filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus, ut ministrent ei, & ad verbum eorum omne negotium, & quidquid mundum, vel immundum est, finietur.* Rursus Deuter. 17. v. 8. *Si difficile & ambiguum apud se judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & judicium intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venietque ad Sacerdotes Leviticî generis & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram, neque ad sinistram, qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille.* Ubi summus Pontifex eligendus ex Levitico genere, seu ex Tribu Levi, quæ Deo emancipata erat, Judex dicitur, eò quia ad ipsum solum auditis prius Seniorum Sententiis ac totius Concilii judicio pertineret sententiam proferre, dirimere, adeo ut vim nullam præsetulerit Concilium sine summo Pontifice. Hinc etiam Caiphas, qui tempore passionis Christi fuit Pontifex, sententiam dixit in Christum Joan. 11. v. 50. & teste Josepho lib. 20. cap. 8. Ananus Pontifex in Jacobum fratrem Domini sententiam dixit, quia in lege veteri Sacerdotes non solùm in causis sacris, sed etiam in civilibus Judices fuerunt constituti, unde Ezechiel. cap. 44. v. 24. loquens de supremis Sacerdotibus ait: *Populum meum docebunt, quid sit inter Sanctum, & pollutum, & inter mundum, & immun-*

*immundum ostendit eis*, *& cum fuerit controversia*, *stabunt in judiciis meis*, *& judicabunt.*

Quinimò hanc necessitatem Conciliorum, & in iisdem audiendis sententias plurium, etiam ipsi Ethnici agnoverunt, qui solo naturæ instinctu in rebus difficilioribus & magni momenti, ex quibus dependeret Reipublicæ utilitas, vel incommodum, nonnisi per indicta Concilia res illas per difficiles concludebant. Hinc apud Romanos tanta fuit Augurum dignitas, eò quia sacra procurarent, ut de iisdem dixerit Cicero lib. 2. de legib. *Quaque augur injusta*, *nefasta*, *vitiosa*, *dira dixerit*, *irrita infectaque sunto*, *quique non paruerit capitale esto*, & de Pontifice Maximo Romanorum ait Zosimus apud Dempsterum lib. 3. antiq. cap. 21. *Unus Pontificum omnium supremus erat*, *qui & maximus dicebatur quod maximarum rerum*, *quæ ad sacra*, *& religionem pertinent*. *Judex esset*, *& vindex contumaciæ privatorum*, *& Magistratuum*. *Festus etiam ait*: *Pontificem Maximum Judicem*, *& arbitrum esse rerum divinarum*, *ac humanarum*. Non solùm Ethnici Romani verùm etiam aliæ gentes hanc necessitatem dependendi in rebus præsertim Sacris à sententiis Sacerdotum, & præsertim Summi Pontificis noverunt, ait enim Cæsar lib. 6. Belli Gallici loquens de Gallorum Sacerdotibus, qui Druidæ vocabantur: *Illi rebus divinis intersunt*, *sacrificia publica*, *& privata procurant*, *religiones interpretantur*, *de omnibus fere controversiis publicis*, *privatisque constituunt*, *& si quod est admissum facinus*, *si cædes facta*, *si de hæreditate*, *si de finibus controversia est*, *iidem decernunt*, *præmia pœnasque constituunt*; *si quis aut privatus*, *aut publicus eorum decreto non stetit*, *sacrificiis interdicunt*: *hæc pœna apud eos est gravissima*, *quibus ita interdictum*, *ii numero impiorum ac sceleratorum habentur*; *iis omnes decedunt*: *aditum illorum sermonemque defugiunt*; *neque iis petentibus jus redditur*, *neque honos ullus communicatur*; *his autem omnibus Druidibus præest unus*, *qui summam inter eos habet authoritatem*. *Ii certo omni tempore in finibus Carnutum*, *quæ regio totius Galliæ media habetur*, *considunt in loco consecrato*, *ut omnes undique si controversias habent*, *conveniant*, *eorumque judiciis*, *decretisque parent*, *neque tributa unà cum reliquis pendunt*, *omniumque rerum habent immunitatem*. Vides, quomodo moris fuerit apud Druidas se congregare in loco uno sacro ad controversias de religione dirimendas auditis prius omnium sententiis, & judiciis; quod etiam solo naturæ lumini ducti præstitisse Persas narrat Eusebius in Chronico, ut etiam Athenienses, & Areopagitas asserit Josephus *lib. 14. Antiquit. cap. 19.* & de Sacerdotibus Ægyptiis ait Strabo lib. 17. *de Merojetarum moribus in Meroie olim primum ordinem sacerdotes obtinebant*, *qui tantam authoritatem habebant ut nonnunquam misso nuntio mortem Regis imperarent*, *& pro eo alium constituebant*. Unde nulli dubium, quin solo naturæ instinctu omnes gentes noverint in rebus dubiis arduisque esse recurrendum ad pluriumopem, & consilia, ut de iisdem prudenter deliberetur, adeo ut in rebus hisce deliberandis sit Concilium jure divino, & naturali, quæ in necessariis non deficiunt, instituendum.

Non tamen quoties aliqua insurgit difficultas, vel oritur hæresis, convocandum semper est Concilium Generale ad controversiam dirimendam ad hæresim evellendam, ne ulterius repat; quia apud Romanum Pontificem adest authoritas judicandi de Hæreticis. Papa enim docens ex cathedra definit res fidei, ut alias ostendimus, & constat plures hæreses absque ullius Concilii Generalis authoritate à Romano Pontifice fuisse damnatas, ut fuerunt hæreses Joviniani, Vigilantii, Priscilliani, pro quibus extinguendis non leguntur fuisse coacta Concilia saltem Generalia, & Innocentius X. Jansenii hæreticas propositiones damnavit, & ut tales docuit ex cathedra sine Concilio ullo Generali, unde tametsi Conciliorum convocationes sint de jure divino naturali, non tamen ut semper & in quocunque casu semper fiant, sed tantùm quando necessitas exigit, & non potest aliter controversia dirimi, etenim per plures annos post Apostolos non leguntur fuisse Concilia Generalia convocata, & tamen eo tempore irrepserunt hæreses, quòd si Ecclesia sine Conciliis Generalibus eo tempore permansit incolumis, sic etiam potuisset perseverare per plures alios annos, tametsi plures fuissent hæreses, multa grassarentur vitia, & abusus, non enim hæc omnia valuissent Ecclesiam Catholicam tametsi destitutam præsidio Generalium Conciliorum opprimere.

Nihilominus quamvis Romanus Pontifex possit docens ex cathedra definire, ac declarare fidei dogmata, suaviùs tamen procedit, quando in rebus difficilioribus, & ex quibus totius Ecclesiæ dependet utilitas, & commodum Concilium indicit Generale, cui intersint omnium nationum Episcopi, & Theologi, quia tunc quælibet natio in suis Prælatis sua exhibet suffragia, & consensu omnium controversiæ dirimuntur, hæreses extirpantur, & depravati mores corriguntur; faciliùs inclinantur populi ad obediendum, quando per suffragia quasi sua quisque comparuit in Synodo, & suam prodit sententiam, hic enim modus statuendi res communes Ecclesiæ, ac pascendi dominicum gregem est suavior. Id cùm novisset Petrus, cui Dominici gregis demandata fuerat jura quamvis se solo potuisset ortam controversiam de Legalibus dirimere, nihilominus satiùs existimavit per convocationem Concilii id præstare, ut suaviori modo. Non enim controversia illa delata fuit ad solam sacram scripturam tanquam communem Judicem utriusque partis, sed ad Apostolos in Concilio Hierosolymitano congregatos, qui nullum scripturæ testimonium produxerunt, quod directè ad circumcisionem, de qua erat controversia, pertineret; sed ex directione, & assistentia Spiritus Sancti sententiam pronunciarunt Actorum 15. vers. 28. *Visum est Spiritui Sancto & nobis*. Respondent tamen Hæretici Spiritum Sanctum in illo Concilio immediatè illuminasse Apostolos, quibus propterea scripturæ judicium non fuit necessarium; secus dicendum de aliis Conciliis postea celebratis in quibus Episcopi congregati fuerunt non per se immediate directi & illuminati à Spiritu S. sed tantùm mediatè seu mediante Scriptura, ac proinde judicium scripturæ fuit semper illis necessarium. Nam quamvis scripturæ judicium sequantur Patres semper tamen immediatè reguntur, & illuminantur à Spiritu Sancto, quomodo scripturæ sint intelligendæ, illis enim manifestat verum scripturarum sensum. Cæterum tria sunt Conciliorum Genera, de quibus Gratianus *dist.* 18. primi generis sunt Concilia Diœcesana, quæ congregantur ab Episcopo, & quibus interveniunt Clerus, & in iisdem non tractantur res fidei quæque ad universam Ecclesiam pertineant, quia in iisdem non adest nisi solus Episcopus, qui habeat jurisdictionem. Secundi generis sunt Concilia regionalia, seu unicus Regionis, vel nationis, aut integræ Provinciæ, & hæc Concilia indicuntur per Metropolitanum, vel Patriarcham, & iis interveniunt omnes

Episcopi

Episcopi illius Regni, Regionis, vel Provinciæ, qui subjiciuntur Metropolitano. Et hæc Concilia interdum vocantur universalia generalia, ut liquet ex Conciliis Romanis sub Symmacho, ubi Pontifex dicitur præsens Concilio Generali, tametsi huic soli Episcopi Italiæ interfuerint. Rursus in Concilio Toletano III. cap. 18. quod fuit tantùm Regionale Concilium habetur: Præcipit hoc sancta, & Universalis Synodus, tametsi soli Hispaniæ Episcopi adfuerint. Hoc idem etiam dicitur de Concilio quarto Carthagiensi, quod etiam dicitur generale, tametsi fuerit tantùm Regionale. Quando igitur hujusmodi Concilia Provincialia vel Regionalia dicuntur generalia non sunt absolutè talia in quavis parte orbis Christiani, sed tantùm in illo particulari Regno. Tertii generis Concilia Generalia sunt, quæ ab Augustino dicuntur plenaria quatenus iisdem interveniunt ex qualibet parte orbis Christiani Episcopi, & Prælati, & hæc Concilia dicuntur simpliciter & absolutè universalia, & Oecumenica, seu totius Christiani orbis, quia tunc Judices sedent omnes Episcopi Ecclesiæ Catholicæ, & nullus ab iis excludi potest ob causam particularem, in iis autem Conciliis Oecumenicis nemo jure præsidet nisi summus Pontifex, vel ejus Legati nomine ipsius, & decreta horum Conciliorum, si muniantur approbatione Romani Pontificis ligant, & obligant omnes fideles.

Concilium igitur ab Apostolis coactum Jerosolymis fuit plenarium, & universale, ut illud vocat Cœlestinus Papa in Epistola ad Concilium Ephesinum, ubi illud dicit *frequentissimam congregationem*, & Irenæus lib. 3. advers. Hæret. cap. 12. ait: *Universam Ecclesiam convenisse in unum propter controversiam illam Legalium.* Regulæ ab Apostolis in hoc Concilio invectæ normam exhibuerunt, quâ in ecclesia reliqua concilia generalia indicerentur, ac fierent; si enim singulas perpendamus circumstantias, facilè deprehendemus, reliqua quæ fuerunt habita in ecclesia concilia generalia ab hac disciplinam, ac modum desumpsisse. Etenim occasionem congregandi hoc concilium dederat hæresis Judaizantium; adeout nova hæresis, quæ nunquam judicata fuerat, quæque incipiebat propagari non absque animarum gravi detrimento dederit occasionem indicendi hanc primam generalem Synodum. Secundò hanc Synodum scimus fuisse à D. Petro utpote gerente in militante ecclesia vices Christi convocatam. Tertiò eundem Petrum præsedisse authoritate, ac fuisse caput illius concilii, adeout loquente Petro tacuerit omnis multitudo, Act. 15. vers. 12. *tacuit omnis multitudo.* Quartò intervenisse huic concilio quatuor personarum genera, scilicet Apostoli, Presbyteri, seu Seniores; disceptatores, & tandem plebs ipsa; hi omnes loquente Petro tacuerunt, Act. 15. v. 12. *tacuit omnis multitudo*, seu quotquot aderant; & hanc multitudinem Lucas vocat ecclesiam coalescentes ex omnibus fidelibus ecclesiasticis, & Laicis, quam propterea discernit ab Apostolis, & Senioribus, quia in ecclesia Episcopi, & Sacerdotes distinguuntur à Laicis, de disceptatoribus dicitur v. 5. *Surrexerunt quidam de heresi Pharisæorum, cumque magna conquisitio facta fuerit.* Unde in illo Apostolorum Concilio auditi fuerunt, qui Paulo, & Barnabæ adversabantur; siquidem ob eandem controversiam dicuntur, v. 2. Ascendisse Jerosolymam. Quintò certum est Apostolos, & Seniores seu Presbyteros, qui tunc ibidem erant, ac Episcopi, vel ecclesiarum Prælati solos sedisse ut Judices & alios, qui intererant nullam judicii partem habuisse, ut liquet ex v. 2. ubi habetur, quòd contendentes ascenderint ad Apostolos ac seniores, hac super quæstione, & v. 5. *Convenerunt Apostoli & seniores videre de verbo hoc*, seu ut simul consultarent, ac statuerent, quid credendum esset. Sextò hanc quæstionem post auditas sententias Apostolorum, & Seniorum Petrus surrexit, ac sententiam suam decisivam protulit, ac simul totam quæstionem terminavit, ut habetur Act. 15. v. 7. *Surgens Petrus dixit ad eos, credimus salvari per gratiam Christi, & tacuit multitudo*, seu acquievit, & v. 41. Apostolus Jacobus Petri sententiam corroborat, quippe erat Episcopus Hierosolymorum, in qua urbe Concilium hoc fuerat indictum, qua propter decebat eum primum post Petrum loqui.

Unde falsum est, quod ait Calvinus, & censent alii Hæretici, Jacobum, ut Hierosolymorum Episcopum huic præsedisse Concilio, & veluti digniorem Petro definitivam pronunciâsse sententiam, cum certum sit ex scripturis, eam priùs à Petro fuisse prolatam, & Jacobum tantum eandem corroborâsse, cui tamen addidit paucula, ut Judæis, qui aderant, & quorum erat ipse Episcopus, satisfaceret, & gentibus recèns conversis reconciliaret. Septimò certum est Spiritum sanctum huic concilio suam tulisse opem, ac profuisse, imò & direxisse, ne erraret in dirimenda quæstione, unde eodem cap. 15. Act. v. 28. dixit Petrus *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Idque causæ, cur in omnibus postea Generalibus Conciliis Ecclesia isidem fuerit usa verbis in dirimendis quæstionibus, & dicat Sancta Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata. Octavò fuerunt etiam in hoc primo Concilio missi viri prudentes, ac pietate insignes ad nuntiandum verbum DEI, & decreta Ecclesiæ, ut colligitur ex eod. cap. 15. v. 25. *Placuit nobis eligere viros, & mittere ad vos cum Barnaba, & Paulo.*

Ex hisce omnibus enucleatis circumstantiis Sancti Patres inferunt, Petrum esse caput Apostolorum, & totius Ecclesiæ Catholicæ, ut & ejus legitimos successores & ad ipsos tanquam supremos dominici gregis Pastores pertinere Concilia generalia indicere, & congregare, ut etiam viros pios, prudentes, & doctos mittere ad annuntiandum DEI Verbum Gentibus eásque trahendi ad Religionem Catholicam; & Concilia generalia cum capite, seu summo Pontifice, à quo approbentur, non esse errori obnoxia, adeo ut scripserit S. Gregorius lib. 1. epist. 14. *Sicut S. Evangelii quatuor libros, ita quatuor Concilia, Nicanum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense suscipere, & venerari me fateor*, & Justinianus Imperator in Authent. collat. 9. de ecclesf. tit. cap. 1. ait: *Sancimus vicem legum obtinere Sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ à Sanctis quatuor Conciliis exposita sunt, aut firmata, prædictarum quatuor Synodorum dogmata sicut sanctas scripturas accipimus, & regulas sicut leges observamus.* Non tamen inde sequitur authoritatem Conciliorum esse eandem cum authoritate sacræ scripturæ, nec majore, sicut objiciunt Hæretici recentiores Catholicis; Calvinus siquidem lib. 4. Instit. cap. 9. §. 14. ait: *Catholicos subjicere in eum modum DEI oracula hominum censura, ut ideo rata sint, quia placuerit hominibus, quod blasphemia est indigna, quæ commemoretur.* Sed hoc non est Catholicorum blasphemia, sed Hæreticorum impostura, quia Catholici non subjiciunt scripturam sacram Conciliis generalibus, sed præferunt, & anteponunt. Neque urget, quòd Catholici subinde dicant scripturam pendere ab Ecclesia, & à Concilio Oecumenico, quia inde non docent authorita-

tem Concilii esse majorem authoritate scripturæ, secundum se, sed tantùm quod scripturæ dependeant ab Ecclesia, & à Concilio generali, quoad explicationem fidei & quoad nos, si enim aliqua insurgat difficultas circa textum sacræ scripturæ, non pertinet ad quemlibet explicare, quo sensu intelligi debet, sed id pertinet ad supremum Pastorem docentem ex cathedra, vel ad Concilium generale simul cum capite seu Romano Pontifice à quo approbetur, ac confirmetur, quia tunc ob assistentiam Spiritus S. in explicandis scripturis sacris, non est errori obnoxium Concilium.

Cœterum inter textus sacræ scripturæ, & decreta Conciliorum multiplex adest discrimen, primò quia sacra scriptura est verbum Dei immediatè revelatum à Deo, vel scriptum Deo dictante, habetur enim 2. Petri 1. *Spiritu Sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines*, & Apostolus 2. ad Timoth. 3. *Omnis scriptura divinitus inspirata*, quod tamen non debet ita intelligi, ut scriptores Sacri novas semper habuerint revelationes, & ea scripserint, quæ antea ignorârunt: siquidem constat, Evangelistas Matthæum, & Joannem ea de Christo scripsisse, quæ ipse oculis propriis viderunt, & auribus à Christo audierunt, Marcum, & Lucam ea, quæ audierunt ab Apostolis, & aliis testibus, oculatis, ut fatetur S. Lucas initio sui evangelii, ubi ait: *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt*. Quamobrem scriptores sacri dicuntur habuisse immediatam revelationem, & scripsisse ipsius Dei verba, quia vel nova quædam, & antea eis incognita revelabantur à Deo, juxta illud Davidis Psal. 50. *Incerta, & occulta sapientia tuæ manifestasti mihi*, vel quia Deus immediatè inspirabat, vel movebat scriptores, ad ea scribenda, quæ viderant, & audierant, quos propterea dirigebat, ne errores scriberent: quo pacto à secretis Principis, tametsi antea sciverit, quæ in Principe dictantur, adhuc dicitur immediatè scribere, quæ à Principe dictantur, adhuc dicitur immediatè scribere, quæ à Principe dictantur: perinde Evangelistæ Deo inspirante, & dirigente scripserunt, quæ ipsi viderant propriis oculis, & à Christo audierint. Secus Concilia Generalia non habent immediatas revelationes, neque illas scribunt, neque audiunt propriis auribus verba Dei quæ scribant, sed tantùm declarant, quodnam sit verbum Dei scriptum, & traditum, & in dubiis explicant, quomodo intelligi debeat; & ex Dei verbo suos per ratiocinationem inferunt conclusiones. Quamobrem Concilia generalia quamvis definiant, quinam libri sint Canonici, & divini, non faciunt eos infallibilis esse veritatis, sed tantum declarant esse tales, & non alios: sic cum Concilium Nicænum definivit personam Christi esse consubstantialem Patri, deduxit hanc conclusionem ex sacris scripturis, in quibus diserrè continetur unum esse Deum, & Patrem esse Deum, ac Filium esse Deum, quod si quæ sunt eadem uni tertio, sunt quid unum inter se, ut naturæ lumen ostendit, sequitur necessariò Patrem, & Filium esse ejusdem substantiæ, ac divinitatis. Pari pacto cum Sexta Synodus Oecumenica definivit, in Christo esse duas voluntates, divinam & humanam, id intulit ex scripturis in, quibus habetur Christum esse perfectum DEUM, consequenter illi inesse divinam voluntatem, & rursus esse perfectum hominem, qui cum constet ex intellectu, & voluntate, si humana careret voluntate, non esset perfectus homo, quia aliquid eidem deesset. quod ad perficiendum hominem desideraretur. Differt etiam Concilium generale à scriptura Sacra, quia Evangelistæ non debuerunt multum laborare in suis edendis libris, totus enim eorum labor fuit scribere, vel dictare, si vaticinia edebant, vel revocare ad memoriam quæ viderant, & audierant, & verba cogitarent, quibus ea scriberent; secus Patres in Conciliis Oecumenicis debent rem ipsam diligentissimè investigare, discutere, & examinare, & conclusiones disputando, legendo, cogitando inferre, quapropter Actor. 15. legimus, in primo Concilio non modicam fuisse inquisitionem factam, unde dixerunt Patres Concilii: *Visum est Spiritui* S. *& nobis*, seu adjuvante Spiritu Sancto nostram industriam, & diligentiam; secus Scriptores Sacri tribuunt tantùm Deo, quæ scribunt, idque causæ, cur sæpe repetant illud Prophetæ: *dicit Dominus*, quia quæ Deus ipsis inspirat, scribunt. Tertiò quia in scripturis Sacris nullus potest error irrepere tam circa fidem, quàm circa mores, & sive asseratur aliquid generale, ac universali ecclesiæ commune, sive aliquid particulare, quod pertineat ad unum tantùm hominem, siquidem æque est certum de fide, sine divina gratia neminem salvari, quàm Petrum, vel Paulum sine ope Spiritus S. seu Dei gratia non posse æternam salutem consequi, secus Concilia in judiciis particularibus sunt errori obnoxia, ut etiam in statuendis præceptis morum, quæ uni tantùm vel alteri particulari civitati, vel Provinciæ proponuntur. Unde quidquid sacra scriptura asserit sive particulare, sive generale est certissimum de fide ut quòd Stephanus cum lapideretur viderit cœlos apertos, & Jesum stantem à dextris virtutis Patris. Hinc quartò differunt Concilia Oecumenica à Scripturis, quia in istis non solùm sententiæ, sed etiam verba omnia, & singula ad fidem pertinent, credimus enim nullum in scripturis sacris verbum esse supervacaneum, aut non rectè positum secus in Conciliis potior pars verborùm, & Actorum ad fidem non pertinet non enim sunt de fide divina argumenta, quæ adducuntur, ad aliquid inferendum, neque disputationes quæ præmittuntur ad aliquid explicandum; sed tantùm simpliciter ipsa decreta, quæ sanciuntur, neque omnia à Conciliis sancita sunt semper de fide divina, sed ea tantùm, quæ proponuntur, ut de fide credenda, siquidem nonnunquam Concilia definiunt aliquid non ut certum de fide, sed ut probabile, quoties enim Concilia generalia cum capite proponunt aliquid ut credendum de fide, tunc id explicant, & asserunt credentes contrarium esse habendos Hæreticos vel anathematizant, & cum nihil horum asserunt, non censentur decreta esse credenda de fide. Præterea quia in ipsis decretis de fide non ipsa verba sunt de fide, sed verborum sensus. Quintò quia scriptura ad suam authenticandam authoritatem non indiget approbatione Pontificis, sed tantùm ut innotescat, quòd sit authoritas Sacræ Scripturæ, secus Concilia quamvis legitimè generalia non sunt infallibilia, nec rata nisi à Pontifice confirmentur, & sua approbatione corroborentur. Quòd si dicas Gratianum dist. 19. can. In canonicis asserere epistolas Pontificum decretales esse numerandas inter canonicas scripturas, & *dist.* 20. *can. decretales*, asserere Conciliorum canones ejusdem authoritatis cum epistolis decretalibus consequenter Canones Conciliorum esse numerandos inter scripturas canonicas, quæ propterea non sunt præferendæ Conciliis, præsertim cum S. Gregorius *lib.* 1. *epist.* 24. asserat, se venerari quatuor prima Concilia generalia, ut quatuor evangeliorum libros. Contra est, quia Gratianus in hoc fuit deceptus, quia ex depravato Codice, ut notat Bellarminus *lib.* 2. *cap.*

12. tri-

12. tribuit Augustino canonem illum, *lib. 2. doctrin. Christ. cap.* 8. quem Canonem alii Codices Augustini non habent, sed potiùs contrarium, quia Augustinus non asserit, epistolas esse scripturam Canonicam, quas Apostolica sedes dare, vel accipere solet, sed asserit judicium de scripturis Sacris pertinere ad Ecclesias, & ad eas maximè, quæ meruerunt, sedes Apostolicas, & epistolas accipere, cujusmodi est Romana Ecclesia in qua sedit Petrus, & in quam scripsit Paulus. Propterea Gratianus non asserit decreta Pontificum esse propriè Sacras Scripturas canonicas cujusmodi sunt Evangelia vel Psalmi; sed tantùm esse scripturas, quæ eatenus sacræ vocantur, ut à profanis distinguantur imò dicuntur etiam esse scripturæ canonicæ ad eas distinguendas à scriptis Sacris Sanctorum Patrum, quæ non sunt canonica, seu regulæ, quia non habent authoritatem obligandi. Ad S. Gregorium quod attinet respondetur S. Doctorem similitudinem tantùm exhibuisse, non verò æqualitatem. Deinde D. Gregorius non comparat Concilia illa quatuor prima Oecumenica cum sacris evangeliis in omnibus, sed tantùm in ipsa certitudine eorum, quæ leguntur in sacris scripturis & definiuntur in Conciliis Generalibus, quia cum tam scripturæ sacræ, quàm decreta definita de fidei Conciliis Generalibus cum capite sint infallibilis veritatis æquè certa dici possunt.

Quòd verò ad utilitatem pertinet Conciliorum ire inficias non possumus à Conciliis Generalibus plurima bona derivari in Ecclesiam, siquidem in dirimendis controversiis, quæ oriuntur circa fidei articulos satius discutiuntur à pluribus, quàm ab uno tantùm, vel altero, plura enim videntur à pluribus oculis, quàm ab uno tantùm; hinc ab ipso Ecclesiæ exordio semper moris fuit, ut Concilia indicerentur generalia, quoties hæreses irreperent, schismata orirentur, mores fidelium corrumperentur, & quamvis non semper Hæretici resipuerint, & mores in omnibus fuerint emendati, adhuc per Concilia fuerunt impedimenta injecta quibus inhibitum fuit, ne malum fusiùs propagaretur. Hæc etiam utilitas ex Conciliis Generalibus insurgit, quia cum vocentur ex toto terrarum orbe Pastores, facilè exponuntur, quæ ad majorem profectum conducunt in singulis Provinciis; Pastores enim unius Provinciæ ea proponunt, & simul cum aliis aliarum Provinciarum simul examinantur, & de remediis obfuturis applicandis totum Concilium decernit, ac statuit; non enim quod prodest uni Provinciæ hoc idem utile est omnibus aliis Provinciis, quia sicut mores sunt diversi, & instituta varia ita varia debent remedia esse, ut suum sortiantur effectum, hæcque utilitas est tanta ut Christus ipse dixerit Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*: Cæterum insunt etiam sua incommoda præsertim, si Concilia Oecumenica frequenter indicantur quia non expedit semel decisa & tot miraculorum Martyrum, ac Confessorum testimoniis confirmata in dubium iterum, & examen vocare, hinc Ammianus Marcellinus lib. 21. ait: *Christianam religionem absolutam & simplicem Aulæ superstitione confundens; in qua scrutanda perplexus quamquam componendi gratia excitavit dissidia plurima, quæ progressa fusius aluit concertatio verborum, ut catervis antistitum jumentis publicis ultro citroque discurrentibus per Synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad suum conatur trahere arbitrium rei vehicularia succideret nervos*. Et Gregorius Nazianzenus epist. ad Procopium ait: *Nunquam sine periculo & offensione Sacerdotum haberi conventus*, quia raro est multitudo sine opinionum varietate, & cum quisque in proprio sensu abundet, difficile est, ut velit alteri cedere, hinc oriuntur dissidia, quæ in rebus maximè fidei sunt perniciosissima, quia fides nec opiniones admittit, neque dubia locum in ipsa habent.

# CAP. VI.

## Ad quem pertineat convocare Concilia, & ob quas causas sint indicenda.

NOn loquimur de Conciliis Diœcesanis, quia hæc convocare ad solum Episcopum Diœcesis convenire certum est apud omnes. Neque sermo est de Concilio Provinciali, seu Nationali, quia hoc congregare pertinet ad Primatem, vel Patriarcham, ut concedunt omnes cum D. Augustino epist. 217. ad Volusianum. Quæstio igitur tantum est de Concilio generali, & Oecumenico. Catholici asserunt communiter congregare ejusmodi Concilia pertinere ad solum supremum Pastorem totius Dominici gregis, seu ad Romanum Pontificem. Hæretici verò hanc authoritatem tribuunt Imperatori.

Dicendum est, indicere in Ecclesia Concilia Generalia ad solum spectare Romanum Pontificem, id enim probatur ex sacris scripturis, Matth. 18. habetur Concilium legitimum debere in nomine Christi congregari; sed in nomine Christi perinde est, ac authoritate Christi, ex quo sequitur ab eo tantùm posse Concilium Generale congregari, cui à Christo data est authoritas pascendi suum gregem; atqui hæc authoritas soli Petro, ut suas vices gerenti in ecclesia militari, data fuit Joan. 21. *pasce oves meas*, & nomine Petri utpote brevi morituri suis Successoribus legitimè electis, cum enim post mortem Petri erant oves perseveraturæ exigebant Pastorem, à quo dirigerentur, & pascerentur, hic autem Pastor supremus est solus Romanus Pontifex, ad quem propterea pertinet in nomine Christi Concilium universale in Ecclesia indicere, hoc significat illud in nomine Christi scilicet authoritatem, hinc Christus Marc. ult. ait: *In nomine meo dæmonia ejicient*, quatenus eis meam impertias authoritatem, qua erunt dæmonia ejecturi à corporibus obsessis, & Joan. 5. ait: *Ego veni in nomine Patris mei*, seu cum eadem potestate, & authoritate, & Actor. 4. habetur: *In qua virtute, aut in quo nomine hoc fecistis*, ex quibus liquet, in nomine perinde esse ac in virtute; & hanc authoritatem fuisse soli Petro concessam Joan. 21. *Pasce oves meas*, & nomine Petri, ejus Successoribus legitimè electis, ex quibus clarè constat solum Romanum Pontificem habere potestatem pascendi omnes & singulas Christi oves, & ex officio legitimè eas congregandi. Sancti Patres hoc idem communiter asserunt, etenim Gelasius Papa in tomo de Vinculo anathematis, & in epist. 13. ait: *Secundùm scripturas & traditionem Majorum, & secundùm canones, & regulas Ecclesiæ ab Ecclesia universali Synodum admitti, quam fieri sedes Apostolica delegavit, & factam firmavit.* Et S. Leo Papa serm. 3. in Anniverſ. suæ assumpt. ait: *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum Gentium vocationi & omnibus Apo-*

*stolis cunctis Ecclesiæ Patribus proponatur, ut quamvis in populo, Dei multi sacerdotes sint, & multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit, & Christus.* Quòd si officium Pastoris est oves congregare dirigere, & pascere, sequitur officium supremi Pastoris totius dominici gregis esse omnes Christi oves simul in Concilio Generali congregare, & pascere sanâ Doctrinâ; atqui Imperator non est supremus Pastor Dominici Gregis, quia Christus non dixit Tiberio Imperatori ut pasceret suas oves, sed soli Petro, cui injunxit, ut vices suas in militante Ecclesia gereret. Cum enim Christus in cœlum ascendit, non injunxit regimen suæ Ecclesiæ ulli Principi Laico, nec Tiberio Cæsari, qui tunc Imperator erat Romanorum, sed soli Petro, cui dixit *pasce oves meas*, ex quibus contra Hæreticos liquet congregare in Ecclesia Concilia Generalia non pertinere ad Imperatorem, sed ad solum Romanum Pontificem; Imperator enim per baptismum est ovis Christi, & ut talis subjicitur Pastori, hoc est in Spiritualibus non verò pastor ovi.

Ratio etiam hoc idem evincit, quia ad eum pertinet convocare plenarium, seu universale Concilium, & in eo præsidere, cui ex officio incumbit promovere bonum, & emolumentum totius militantis Ecclesiæ. Sed qui ex officio tenetur consulere bono, ac utilitati universalis ecclesiæ est Romanus Pontifex; quia cum reliquis particularibus episcopis insit obligatio gerendi curam propriarum ecclesiarum in particulari, ad eosdem non spectat diversæ toti ecclesiæ providere; sed hoc officium proprium solius Romani Pontificis, qui cum sit Pastor supremus totius Dominici Gregis, ad ipsum incumbit procurare bonum commune totius ecclesiæ catholicæ, seu universalis. Cuilibet pastori incumbit officium pascendi proprium gregem eidem concreditum, alioquin si illum non pasceret, non esset pastor; sed Romanus Pontifex est pastor totius dominici gregis; ergo ipsi incumbit pascere omnes fideles qui sunt Christi oves, pascit autem doctrina, & dirigit per observantiam canonum, qui in conciliis generalibus conduntur; cum enim episcopi omnes, seu pastores particulares conveniant in concilium eos pascere, ac regere convenit soli Romano Pontifici; sunt enim particulares pastores & ipsi oves Christi ergo debent à Romano Pontifice in concilio generali pasci. Dixit enim Christus Joan. 21. D. Petro, & ejus successoribus, *pasce oves meas*, scilicet omnes, quotquot sunt oves Christi absque ulla restrictione; cum igitur omnes Christi oves pascantur per canones, qui in conciliis generalibus eduntur, sequitur ad solum supremum Pastorem, seu Romanum Pontificem pertinere concilia generalia convocare, & iisdem pascere universum Dominicum gregem. Præterea is debet ex officio concilium generale judicare, cui ex officio tenetur judices concilio insidentes constituere; sed is est solus Romanus Pontifex: Siquidem soli episcopi in concilio generali sunt episcopi; & constituere, ac confirmare Episcopos ad solum pertinet Romanum Pontificem; consequenter ad ipsum solum spectat concilium universale convocare, & indices agnoscere, ac recipere: idque causæ, cur in concilio Chalcedonensi nollent Ægyptii Theodoretum sedere, quem pseudo-synodus Ephesina excluserat à communione fidelium, nisi iterum à Leone Papa in communionem reciperetur, ut refertur in act. 1. ejusdem concilii.

Rursus concilium indicere ad eum pertinet, qui potest subditos cogere, quique supremam habet potestatem, quo pacto princeps potest in civilibus suos cogere subditos pro bono publico ad observantiam legum, quos sancit, & ad ipsum pertinet senatum vel concilium instituere ex hominibus sapientibus, quorum auditis sententiis leges sancit conducentes ad promotionem, vel conservationem boni publici, & subditos obligat ad earundem observantiam; & præter principem, cui insit hæc suprema potestas potest senatum constituere, & leges sancire, quibus populus obligetur: atqui in ecclesiasticis hæc suprema potestas, ac superioritas in ecclesia militante est tantum in summo Pontifice, qui vices Christi gerit, cui propterea concreditæ sunt claves ligandi legibus fideles, & eosdem absolvendi à peccatis, solvendi à vinculis, quibus detinentur extra viam æternæ salutis; ergo ad solum Romanum Pontificem pertinet concilium generale indicere, & in ipso canones, seu regulas, ac leges condere juxta quas subditi operentur, ut æternam consequantur salutem. Sicut ad solum supremum principem sæcularem pertinet senatum vel concilium compositum ex doctoribus sæcularibus instituere, & auditis eorum sententiis, & consiliis leges condere, quæ dirigantur ab bonum publicum vel promovendum, vel conservandum; & subditos adigere ad earundem observantiam: ita ad supremum principem ac superiorem in spiritualibus & ecclesiasticis spectat senatum seu concilium generale indicere, congregare & viris ecclesiasticis doctrina & pietate insignibus cujusmodi sunt Episcopi ac Prælati aliique doctores ecclesiastici, & auditis eorum sententiis canones condere, vel ab ipso concilio statuta approbare, ac confirmare, quod perinde est, ac eosdem canones condere; quia tunc tantum suum sortiuntur valorem, vimque habent obligandi, cum muniuntur Pontificis Romani confirmatione. Potestas Imperatoris non est spiritualis sed civilis & temporalis; neque se extendit ad omnes christi ecclesias, quæ sunt in toto Christiano orbe, sed coarctatur intra limites proprii imperii, ultra quos non potest leges condere. Non enim Imperator in occidente potest leges condere, quibus obliget subditos Imperatoris Sinarum; vel alterius in oriente principis. Sed Potestas summi Pontificis Christi vicarii extenditur per omnes ecclesias & subditos si sint fideles omnium principum in oriente, occidente, meridie & Aquilone, quia eo ipso quod per baptismum fuerunt ecclesiam ingressi, sunt oves Christi ac ad supremum pastorem pertinet, omnes & singulos Christi anos pascere Joann. 21. *Pasce oves meas*, scilicet omnes absque ulla restrictione; unde latius patet dominium spirituale Petri, & ejus successoris Romani Pontificis quàm temporale Imperatoris, qui cum non posuit omnes, & singulas ecclesias per totum universum cogere, ac sibi subjicere, ad ipsum non pertinet Concilium Generale indicere, & canones condere, quibus omnes & singulas per totum mundum Ecclesias obligent: ergo solus Romanus Pontifex seu Christi in militante Ecclesia Vicarius potest Concilium generale indicere, & canones, qui in ipso conduntur, approbare, & simul ad eorundem observantiam directam ad bonum commune fidelium obligare. Hinc Marcellus, Papa in epist. ad Episc. Antioch. scribit, esse canonem Apostolorum, quod præter sententiam Romani Pontificis celebrari non possint Concilia; & hunc canonem Concilium primum Nicænum renovavit, ut refertur in Synodo Alexandrina *in epist. ad Felicem*, & Julius 1. *in Epist. ad Episcop. orient.* cujus meminit Socrates, *lib. 2. cap.* 13. Sozomenus *lib.* 3. *cap.* 9. Nicephorus *lib. 9. cap.* 5. Si igitur sine consensu Romani Pontificis non possint validè Con-

Concilia convocari, sequitur necessariò, ad ipsum solum pertinere indicere in Ecclesia Concilia generalia.

Neque illius est momenti quod respondet Calvinus ex præcitato canone tantum haberi Romanum Pontificem debuisse vocari, eò quia esset unus ex præcipuis Patriarchis. Nam si hoc esset, debuisset canon fieri, ne præter consensum omnium Patriarcharum præsertim Alexandrini, & Antiocheni, ac Romani Concilium generale in Ecclesia indiceretur: Siquidem omnes Patriarchæ quoad dignitatem Patriarchalem sunt æquales in sententia Calvini: atqui nulla fit mentio in illo canone Patriarchæ Alexandrini, vel Antiochenis neque alterius, sed tantùm Romani Pontificis, qui propterea non ut Patriarcha, sed ut supremus Pastor Dominici gregis, & ut vices gerens Christi in Ecclesia militante indicit Concilia generalia ob promovendum, vel conservandum bonum commune totius Ecclesiæ. Hinc usus invaluit, ut Concilia generalia à solo Romano Pontifice congregentur, adeo ut totum suum valorem, & authoritatem sortiantur Concilia generalia ex authoritate Romani Pontificis, à quo tantum possunt indici, & confirmari, adeo ut Concilia indicta ab alio, quàm à Romano Pontifice nullius sint in Ecclesia authoritatis, quinimò tametsi indicta fuerint à Romano Pontifice, nisi ab eodem approbata, & confirmata fuerint, nullam præseferunt authoritatem, nec valorem, hinc illa tantùm Concilia suum in ecclesia habent valorem quæ fuerunt à Romano Pontifice congregata, & ab eodem approbata, etenim Concilium Nicænum, quod fuit generale, non alio nomine quam Sylvestri Papæ indictum fuit.

Et sic legimus Concilia omnia generalia semper fuisse indicta à solo Romano Pontifice, qui vel per seipsum immediatè, vel per suos Legatos iisdem præsedit, & canones in iisdem conditos approbavit, & confirmavit; in concilio enim Sardicensi præfuit Hosius Episcopus Cordubensis nomine Pontificis, Constantinopolitano Episcopi fatentur ex mandato Damasi se venisse, ut notat Theodoretus *lib. 5. histor. cap. 9.* Ephesino Vicarii Cœlestini Papæ interfuerunt Chalcedonensi præfuerunt Legati Leonis Papæ, *quo Authore* ut loquitur Martianus Imperator, *coactum est*, & Dioscorus Episcopus Alexandrinus sessione inter Episcopos exclusus fuit per Vicarios Leonis summi Pontificis. Dicitur enim in Actione 1. *Subrepsit & Synodum ausus, & facere sine authoritate sedis Apostolicæ, quod nunquam ritè factum est, nec fieri licuit.* Unde Concilia quæ sine Authorithate Romani Pontificis congregantur non sunt in Ecclesia Concilia, sed Coeciliabula nullius authoritatis absq; ullo valore qua propter Conciliabulum fuit Ephesinum II. eò quia ut refert liberatus *in Breviario cap.* 12. fuerit congregatum sine consensu Romani Pontificis, nec in illo federint Pontificii Legati, eò quod à Dioscoro fuerit iisdem præcedentia denegata, nec fuerit lecta ad Flavianum epistola in Eutychetis damnatione à S. Leone Papa scripta, & fuerit etiam occultata epistola ejusdem Leonis directa ad ipsam Synodum per suos Legatos. Quod si absque authoritate, & consensu Romani Pontificis quæ in Ecclesia congregantur Concilia, nullius sunt authoritatis, nullumque præseferunt valorem, sequitur Concilia generalia indicere ad solum Romanum Pontificem pertinere.

Quòd si Concilia Provincialia indicuntur à Metropolitano, & Nationalia à Primate, vel Patriarcha, ut ab initio indicuntur, sequitur Concilia generalia non ab Imperatore, sed tantùm à summo Pontifice indici posse, etenim si Imperator posset generalia Concilia indicere, posset etiam in suo regno Rex, in suo Ducatu Dux, & ita de aliis Principibus Concilia Regalia, vel Provincialia indicere, quia ut se habet Imperator in ordine ad Concilium generale ita etiam Rex, & Dux ad Concilium Regale vel Provinciale, ergo si Concilia Provincialia non convocantur à Principe Politico illius Provinciæ, vel Ducatus, sed ab Ecclesiastico superiore aliis, in eadem Provincia, vel Ducatu, ita Concilia generalia non possunt cogi ab Imperatore, quamvis ejus Dominium temporale se extenderet per totum universum orbem, sed à supremo Pastore Ecclesiastico; cui à Christo concredita est cura, pascendi suum gregem, seu omnes suas oves, quæ sunt fideles per totum universum mundum, est enim Romanus Pontifex totius orbis Christiani Ecclesiasticus Princeps, qui propterea potest omnes fideles cogere, eò quia eidem subjicitur totum Christi ovile, seu tota Ecclesia Catholica, seu universalis; hinc ait S. Leo Papa serm. 1. de S. Petro, & Paulo: *per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta* (Roma) *latiùs præsidet religione divina, quam dominatione terrena.* Cæterum ex Imperatoribus nullus hactenus fuit qui, totum Universum totamque Ecclesiam sibi subjecerit etiam quoad actiones actiones civiles Pontifex autē quoad actiones Spirituales universalem Ecclesiam subjectam habet, quamvis enim Imperatores latissimè dominarentur tempore S. Leonis Papæ, non tamen tunc sibi subjectas habebant omnes Ecclesias et m quoad actiones civiles. Hinc Leo Papa epist. ad Turbium 93. cap. 17. ait: *Dedimus litteras ad fratres, & Coepiscopos nostros ejusque Concilium Synodi generalis indiximus.* Pelagius II. epist. 1. ad Oriental. scribit: *Generalium Synodorum convocandi authoritas Apostolicæ sedi Beati Petri singulari privilegio tradita est.* Et Sixtus III. qui Leonem, & Pelagium præcesserat, in epist. ad Orient. ait. *Valentinianus Augustus nostra authoritate Synodum convocavit.* Ex quo liquet non pertinere ad Imperatorem congregare Concilium in suo imperio nisi authoritate fulciatur Romani Pontificis, cujus nomine Imperator Concilium congreget, & non proprio, quia tunc ipse Pontifex Concilīū congregat mediante Imperatore ejus Ministro, quod enim per alium quis facit, de se facere videtur. Et Adrianus II. in epist. ad Basilium Imperatorem, quæ lecta fuit in octava Synodo Act. I. ait: *Volumus per tuæ pietatis industriam Constantinopoli numerosum convocare Concilium.* Et Valentinianus Imperator cum ab Episcopis rogaretur, ut permitteret eis Concilium celebrare respondit apud Sozomenum lib. 6. cap. 7. *Mihi qui cum in sorte plebis fas non est talia curiosius perscrutari sacerdotes, quibus ista curæ sunt quocunque voluerint loco conveniant.* Hoc idem clarè etiam ostenditur ex epistola Julii, quam Socrates adfert; siquidem in ea epistola Julius reprehendit Orientales, quòd sine suo consensu ausi fuerint Antiochiæ Concilium congregare, & adferens causam cur merito eos reprehendat, adfert antiquissimum canonem Apostolicum, quo statuitur præter sententiam Romani Pontificis non posse Concilia celebrari, hunc enim Canonem Apostolicum esse asserit Marcellus Papa in epistola ad Episcop. Antioch. Provin. Ergo vel Canon Apostolicus debet intelligi de celebratione Concilii, vel Julius non rectè reprehendisset Orientales. Concilium Chalcedonense hoc idem asseruit dum exclusit Dioscorum Alexandrinum à sedibus Episcoporum, eò quia

quia ausus fuerit sine authoritate Apostolicæ sedis Synodū congregare, quod nunquam licuit, nunquam factum fuit. Et quid simile habetur in Concilio VII. generali action. 6. ubi irritum fuit judicatum Concilium Constantinopolitanum, eò quia sine consensu Romani Pontificis indictum fuerit ab Imperatore. Hisce additur etiam Concilium Romanum IV. sub Symmacho, in quo cum Rex Theodoricus fateretur se Synodum convocâsse ut causa Symmachi Papæ judicaretur, responderunt statim Patres Concilium ecclesiasticum non à Rege sæculari esse indicendum. sed à Romano Pontifice quamvis accusetur ut reus; & quia Rex respondit ex voluntate, & consensu Pontificis fuisse à se Concilium convocatum non tamen Patres acquieverunt, priusquam Rex litteras Pontificis proferret, & Pontifex præsens testaretur, ita esse.

Sed ajunt Novatores, prima in Ecclesia Concilia generalia fuisse ab Imperatoribus indicta non à Papis congregata, & afferunt Ruffinum lib. I. Histor. cap. 1. ubi loquens de Concilio Nicæno I. ait: *Tum Constantinus apud urbem Nicæam Episcopale Concilium convocat.* Theodoretum *lib. 5. histor. cap.* 9. ubi expressè asserit Concilium generale Constantinopolitanum I. non à Pontifice Romano fuisse indictum, sed à Theodosio Seniore congregatum. Evagrium qui *lib. 1. cap. 2. histor.* refert Concilium generale Ephesinum I. à Theodosio Juniore fuisse convocatum, imò citant ipsum S. Leonem *epist.* 43. ubi asserit Concilium Chalcedonense fuisse à Martiano Imperatore impetratum, adeo ut Romanus Pontifex debuerit Imperatorem rogare, ut vellet Concilium Chalcedonense convocare. Citant etiam Theodoretum *lib. 2. cap.* 4. ubi refert Concilium Sardicense ab Imperatore Constantio fuisse indictum. Idque firmant, eò quia S. Leo *epistol.* 24. quam direxit ad Theodosium Augustum rogat Imperatorem, ut jubeat intra Italiam convocare Concilium Provinciale, & Magdeburgenses adferunt testimonium Liberii Papæ, qui apud Theodoretum *lib. cap.* 16. declaravit esse in potestate Imperatoris indicere, & congregare Concilia imò adferunt etiam testimonium S. Hieronymi lib. 2. Apolog. contra Ruffinum Antagonistam ubi loquens de Synodo ait Hieronymus: *Dic quis Imperator hanc Synodum jusserit convocari?* tum quia ex quo cæperunt esse Imperatores Christiani inceperunt etiam Concilia generalia indici, ergo quia pertinuit ad Imperatores Concilia generalia indicere, & congregare, alioquin Pontifices Romani ante Constantinum Imperatorem Christianum indixissent Concilia generalia & tamen non leguntur primis illis trecentis annis fuisse Concilia generalia indicta & congregata.

Sed contra & mirum sanè, quod Hæretici rejicientes traditiones Majorum fundent suum argumentum in pura, & mera traditione absque ullo scripturæ testimonio. Respuunt igitur traditiones, quando ipsos convincunt erroris, & easdem concedunt, & amplectuntur, si iisdem aliquid possint prodesse contra authoritatem Romani Pontificis, cum tamen nulla ex præfatis traditionibus quidquam imminuat de authoritate Pontificis in totam Ecclesiam catholicam & in ordine ad Concilia generalia in eadem congreganda. Deinde dato, & non concesso, quod Imperatores propria authoritate aliquot indixerint, ac congregaverint Concilia generalia adhuc possemus opponere consuetudinem consuetudini, ut respondet Bellarminus *lib. 1. de Concil. cap.* 13. quia si Imperatores quatuor vel quinque generalia Concilia congregarunt propriâ authoritate, quod tamen falsum est, adhuc Pontifices vera, & propria authoritate longè plura indixerunt, & congregarunt, quod Hæretici non diffitentur.

Respondetur autem ad objecta ab Hæreticis, nunquam contigisse, ut Imperator sæcularis Concilium generale Catholicum propria sola authoritate sine consensu Romani Pontificis indixerit. Etenim de Concilio Nicæno constat ex sexta Synodo Act. 18. Constantinum, & Sylvestrum simul Synodum illam Nicænam I. indixisse, & congregâsse, quatenus Sylvester Papa prius indixit propria authoritate Concilium illud Nicænum, & ut suam exhiberet opem Imperator, rogatum voluit Constantinum, cui suam authoritatem etiam dedit, ac communicavit, ut Patres Orientales invitaret, ac congregaret ad Oecumenicam illam Synodum Nicææ in Bythinia celebrandam, unde non Constantinus propria authoritate, sed Sylvester prius indixit tale Concilium, & postea suam authoritatem Constantino communicavit, ut mediante illius opera Episcopi invitarentur, & congregarentur in Concilio; Imperator enim iisdem suppeditavit necessaria pro comeatu, & congrua sustentatione suasu Sylvestri Papæ. Damasus itidem in Pontificali ait: cum Sylvestri consensu habitum fuisse Nicææ Concilium. Imò & ipse Ruffinus lib. 10. histor. cap. 1. refert Constantinum ex sententia sacerdotum indixisse Concilium. Quod si Imperator exegit consensum sacerdotum à fortiori Romani Pontificis, qui Princeps & caput est omnium Sacerdotum. Quod verò Acatholici asserunt de Concilio Constantinopolitano I. falsum itidem est Theodosium Imperatorem propria authoritate illud indixisse refert enim Theodoretus Theodosium nonnisi per authoritatem sibi datam à Damaso Romano Pontifice invitâsse, & Congregâsse ad Concilium Patres Orientales, quatenus prius indictum fuerat tale Concilium à Damaso Papa, qui per litteras directas ad Theodosium, & per alias etiam missas ad Episcopos Orientales Concilium indixit: & ita testantur Episcopi congregati in illo Concilio in Epistola, quam direxerunt ad Damasum Papam, & quam refert Theodoretus *lib. 5. Histor. cap.* 9. ubi ajunt: *Mandato litterarum superiore anno à vestra Reverentia ad Sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum ad iter duntaxat Constantinopolin usque faciendum nos preparavimus.* Notatu dignum est illud *duntaxat*, quia Episcopi Orientales ad solum mandatum Imperatoris non se movissent, sed quia mandatum Romani Pontificis legerunt in litteris directis ad Theodosium, tunc paruerunt Romano Pontifici, ex quibus satis clare liquet Theodosium propria authoritate non indixisse, nec congregasse Concilium illud Oecumenicum, sed tantum ex mandato Damasi Papæ, adeo ut Imperator fuerit tantum Executor mandati, quod eidem injunxit Pontifex indicentis Concilium illud ob bonum commune totius Ecclesiæ catholicæ. Quod verò ad Concilium Ephesinum I. attinet, certum est hanc Synodum non fuisse indictam & congregatam nisi authoritate Cœlestini Papæ ut refert D. Prosper in Chronico, ubi ait: Synodum Ephesinam factam fuisse industria Cyrilli & authoritate Cælestini Papæ, & Evagrius *lib. 1. cap.* 4. hoc idem asserit, & colligitur etiam ex epistola Cœlestini ad Cyrillum quæ habetur inter opera Cyrilli, & ex Phocio libro de septem Synodis asserente Cyrillum profectum fuisse ad Concilium, ut Legatum Apostolicæ sedis. Quòd si Cyrillus in Concilio illo præsedit, ut Legatus Pontificis non fuit Concilium illud indictum, nec congregatum sine consensu Pontificis, alioquin non injunxisset Cyrillo, ut in illo præsideret tanquam ejus Legatus.

Quod

Quod asserebatur de Concilio Chalcedonensi, etiam constat ex epistola Martiani Imperatoris ad Leonem Papam antequam indiceretur Concilium Chalcedonense, in illo enim Imperator enixim rogat Pontificem, ut ipse veniat, & præsens assistat Concilio, vel si nolit venire per litteras significet, quid agi velit: & in fine concludit ex mandato ipsius Leonis Papæ se scripturum ad omnes Episcopos, ut conveniant ad certum locum, *& quæ Christianorum Religioni atque catholicæ fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundùm ecclesiasticas regulas definivit sua dispositione declarent.* Habetur etiam inter epistolas pertinentes ad Concilium Chalcedonense, quæ epistola Episcoporum ad Leonem Imperatorem, ubi ajunt: *In Chalcedonensium Civitate multi Sancti Episcopi convenerunt per jussionem Romani Pontificis, qui verè caput est Episcoporum.* Quod si Patres Orientales venerunt in illud Concilium ex mandato Leonis Papæ jam non jussu Imperatoris, sed jussu Romani Pontificis se congregarunt, & Concilium illud constituerunt, tum quia etiam Gelasius in epistola ad Episcopos Dardaniæ asserit solam Apostolicam sedem jussisse Synodum Chalcedonensem fieri, quod si sola Apostolica sedes tale Concilium indixit jam non Imperator sed solus Romanus Papa illam indixit, & congregavit, quia illa vox *sola* excludit omnem aliam authoritatem non solùm sæcularem, & imperatoriam, sed etiam Episcopalem, & Patriarchalem, adeo ut sola Apostolicæ sedis seu Romani Pontificis authotitate possint indici, & congregari Concilia generalia. Quòd etiam Concilium Sardicense fuerit à Julio Papa indictum constat ex Socrate *lib. 2. cap.* 16. ubi refert Episcopos Orientales culpam suæ absentiæ à Concilio Sardicensi in Julium Romanum Pontificem contulisse, eò quia nimis perbreve tempus iisdem præscriptum fuerit, ex quo constat non ab Imperatore, sed à Julio Pontifice indictum fuisse Concilium illud quia Concilia non ab Imperatore, sed à Romano Pontifice à supremo Pastore dominici gregis suam habet authoritatem, ut expressè scribit S. Athanasius epist. ad solitariam vitam agentes inquiens, *quando unquam judicium Ecclesiæ ab Imperatore authoritatem habuit.*

Quamobrem si quæ Concilia generalia fuerunt sub initiis Ecclesiæ indicta ab Imperatoribus id non nisi ex Pontificum consensu, & authoritate iisdem facta contigit: & quidem ex justissimis causis, quia sub illis primis temporibus lex Imperialis vigebat, qua omnia collegia, & frequentes hominum conventus facti sine Imperatoris consensu prohiberentur ob seditiones, quæ inde in populo oriri possent *l. Conventicula Codic. de Episcopis, & Presbyt.* tum quia Concilia Orientalia eo tempore non poterant celebrari nisi in aliqua civitate subjecta Imperatori, & convenientia saltem exigebat, ut illius consensus etiam adesset, præsertim cum Patres tunc temporis congregarentur sumptibus publicis præsertim quoad transvectiones Episcoporum ad locum Concilii, qui sumptus non erant exigui cum Patres non trajicerent mare, sed veherentur equis aut vehiculis civitatum absque dispendio Ecclesiarum, ut liquet ex lib. 3. in vita Constantini, quin imò Eusebius refert sumptibus Imperatoris omnibus Episcopis toto tempore Concilii fuisse suppeditata necessaria ad victum vestitum pharmaca, & alia quibus indiguerunt, quo facilius Patres allicerentur, ut venirent ad Concilium.

Ad confirmationem ex testimonio Nili, respondetur S. Leonem non supplicâsse Theodosio Augusto ut juberet intra Italiam convocare Concilium Provinciale, sed tantum ipsum monuisse, & rogâsse ut vellet Episcopos Orientales non impedire, ut venirent ad Concilium. Cæterum Synodus jam erat indicta, & congregata, antequam Leo epistolam illam mitteret ad Theodosium, quia inscriptio illius epistolæ est, *Leo Episcopus, & Sancta Synodus, quæ in urbe Roma convenit Theodosio,* unde non authoritate Theodosii, sed Romanii Pontificis indictum fuit Concilium illud, ad quod cùm invitâsset Patres Orientales Leo scripsit unà cum Synodo ad Theodosium, ut non prohiberet Patres venire ad Concilium. Hinc falsum est, quod Magdeburgenses asserunt, Liberium concessisse Imperatori facultatem indicendi Concilium, eò quia agnoverit illam potestatem esse propriam Imperatoris, quia in toto illo dialogo Liberii cum Imperatore nulla fit mentio præsentis quæstionis, unde Liberius tantùm petiit ab Imperatore Ariano Catholicis infesto, ut non impediret fieri Concilium. Neque D. Hieronymus hanc authoritatem cognovit in Imperatore, sed tantùm ad convincendum falsitatis Ruffinum dixisse nullam tunc temporis convocari Synodum sine Imperatore quia cum celebrarentur in civitatibus Imperatoris, requirebatur semper eorum consensus ut permitteret in illis congregari. Sicut etiam nunc si concilium in aliqua Regni Galliæ civitate indicatur, & congregetur conveniens est ut Romanus Pontifex tale indicens concilium Regem præmoneat ut velit in suo regno illud permittere, præsertim si prohibuerit conventus populi in illo fieri. Hæc que causa est, cur Patres interdum apposuerint fronti actuum concilii: *Sanctissimum, & œcumenicum concilium convocamus, & auctoritate religiosissimi Imperatoris* hoc est permissione eo quia in loco sui imperii congregaretur, & jubente Imperatore canones in consilio œcumenico editi ut ab omnibus sui imperii subditis executioni mandarentur, & eorum observantia promoveretur. Concilium igitur generale prius à Romano Pontifice indicebatur, à quo etiam per literas & nuntios invitabantur omnes Episcopi. Postea supplicabatur Imperatori, ut vellet permittere conventum, seu concilium congregari in hac vel illa suæ ditionis civitate, ac favere episcopis, & Patribus venientibus ad concilium, ac iisdem suppeditare necessaria pro commeatu, atque eos invitaret.

Quamobrem duplex fieri consueverat convocatio una quoad spiritualia, & alia quoad temporalia; illa includebat indicere, & congregare concilium, & in illo statuere quæ conducere videbantur ad promotionem, vel conservationem boni spiritualis ecclesiastici, vel ad extirpandos errores, extinguendas hæreses, moresque fidelium instituendos. Convocatio temporalis comprehendebat exhibitionem necessariorum pro vectura, itinere, congrua sustentatione Patrum, & permissionem ut in tali urbe sui imperii fieret conventus: & hæc convocatio fiebat ab Imperatore, cui etiam Pontifex Romanus supplicabat, ut vellet hoc pacto indictum à se concilium convocare, seu invitare Patres sui Imperii eisque suppeditare necessaria pro itinere, & subsistentia: & hæc ut executioni mandarentur ad Imperatorem pertinebant, qui dicebatur convocare, seu invitare Patres ad concilium, illi exhibendo necessaria commoda: igitur concilia generalia ad hoc ut essent executoria temporaliter & accessus convocatorum securus debuerunt convocari ab Imperatore, qui potuisset prohibere, ac impedire ne conventus fieret in suis ditionibus; quapropter Romanus Pontifex qui concilium indixerat supplicabat Imperatori, ut vellet permittere concilium fieri in suis ditionibus, & illud convocare seu invitare Patres, illisque suppeditare necessaria pro itinere, commeatu, & sustentatione: hinc in conciliis congre-

gandis utraque potestas, & convocatio intervenie-bat, spiritualis Romani Pontificis, & temporalis Imperatoris: illa necessaria erat, ut concilium esset legitimum, & per approbationem, & confirmationem Pontificis infallibilem haberet authoritatem: hæc ut omnia ad concilium temporalia requisita executioni mandarentur; & ne ministri Imperii, qui legibus tenebantur politicis non impedirent quoscunque conventus, non ponerent obicem patribus venientibus ad concilium. Tum quia conductus, & convictus vel ex visco imperiali, aut contributione publici æris ne gravarentur ecclesiæ, fieri consueverat, consequenter necesse erat, ut pro hisce temporalibus sumptibus Papa supplicaret Imperatori quatenus vel temporaliter convocare concilium generale seu vellet temporalia suppeditare.

Liquet igitur ad solum Pontificem Romanum, ut supremum Dominici gregis pastorem pertinere concilia generalia indicere, ac congregare. Sed dices quid ergo agendum esset si concilium esset necessarium ecclesiæ, & nollet illud indicere? Respondet Turrecremata, hunc casum moraliter non esse possibilem; quia non videtur verosimile dari Pontificem adeo improbum, qui si videat, ecclesiam corruentem, & quam possit commodè à lapsu impedire nolit manum admovere, seu opem ferre ne cadat, seu nolit in tali casu concilium generale celebrari, si aperte illi innotescat, concilium tunc necessarium esse ad conservationem ecclesiæ. Quòd si Pontifex esset adeo pravus ut potius vellet ecclesiam everti quàm concilium convocare ad imminentia ejus pericula avertenda; tunc ad Deum pertineret remedia vel ponere, vel suggerere quæ essent impedimento lapsui ecclesiæ: quia sicut Deus suam in terris militantem instituit ecclesiam, quam vult perreveraturam usque ad finem sæculi ita ad ipsum spectaret media suppeditare, ut juxta suam sponsionem perseveraret ecclesia: proinde in dato casu, vel mentem mutaret Pontificis, vel eum mori permitteret. Quòd si ne utrum horum contingeret; posset Pontifex suspectus haberi de hæresi; quia ut habetur *dist. 83 can. error*. Qui errori manifesto non resistit cum possit & debeat eum approbare censetur. Et Pontifex si sit hæreticus, vel schismaticus non est amplius caput ecclesiæ, cum per hæresim vel schisma separetur ab ecclesia, cujus memmbra eidem sunt unita: quoties autem Ecclesia est sine capite pertinet ad Cardinales eligere verum, ac legitimum Pontificem qui non sit suspectus de hæresi, nec dubius, nec schismaticus, quo pacto in consilio Constantiensi cum plures tunc temporis essent plures Pontifices dubii Cardinales & legerunt alium Pontificem, qui non esset dubius, sed certus, ac legitimus. Non tamen Concilium sine vero, ac legitimo Pontifice potest quæstiones fidei definire, sed tantum post electionem veri Pontificis unà cum Papa electo potest id præstare: quia præcipua authoritas est in capite successore Petri, & Christi Vicario, quia Christus non concilio sed Petro & in persona Petri suis successoribus injunxit, ut confirmaret fratres suos; ideoque pro ipso etiam oravit ne ejus fides deficeret. Luc. 22. Unde in tali casu indicitur ex necessitate concilium imperfectum pro sola electione veri Pontificis, qui post suam legitimam, & canonicam electionem perficit concilium quod approbat. Ecclesia enim habet jus providendi sibi de capite, quamvis sine capite non possit statuere de pluribus, neque dirimere quæstiones fidei de quibus tantum potest cum capite; & hoc concilium imperfectum indici potest à Cardinalibus unà congregatis, vel etiam ab Episcopis convenientibus in unum locum.

Quod attinet ad causas generalis Synodi indicendæ sex solent assignari principaliores; quarum prima est si recens aliqua irrepat hæresis, quà mores vel inficiantur vel corrumpantur fidelium; tunc ad illam eradicandam, ac totaliter extinguendam concilium generale potest à supremo pastore seu Romano Pontifice indici, ac congregari, ob hanc causam constat fuisse in oriente coacta septem priora concilia generalia, quibus Patres veluti agmine facto irruerunt contra hæresim Arii, Novati, Eutychetis, & aliarum hæresum. Secunda causa est schisma inter Romanos Pontifices quia eo ipso quod Papa est schismaticus separatur à corpore ecclesiæ cujus propterea non est amplius caput, quia hoc debet necessario uniri corpori, ac influere in singula corporis membra quod non præstat caput separatum à reliquis corporis membris, propterea pertinet ad ecclesiam sibi providere de capite sine quo non posset subsistere, nec conservari; & quælibet res innata propensione inclinat ad promovendam propriam subsistentiam, & conservationem, ob hanc causam coacta fuerunt plura Concilia tempore Cornelii Damasi, Symmachi Innocentii II, Alexandri III, & coacta etiam fuerunt Concilia Generalia Pisanum. & Constantiense temporibus Gregorii XII, & Benedicti XIII. quorum neuter unquam adduci potuit, ut alteri cedere vellet, ac renunciare priùs Pontificatui; cum uterque esset dubius ad ecclesiam pertinuit providere sibi de capite certo per legitimam electionem, cum aliud medium suppeti non potuit ad diuturnum Schisma extinguendum. Tertia causa est resistentia communi inimico totius Ecclesiæ, & ob hanc causam constat coacta fuisse Concilia generalia ab Urbano II. Calixto II. Eugenio III. & aliis Pontificibus pro bello parando contra Saracenos Christianorum hostes. Et non solùm ad resistendum hostibus in fidelibus indicuntur Concilia generalia, verùm etiam ad violentiam compescendam Imperatorum Christianorum si contra Ecclesiam arma moveant & filii contra matrem pugnent, quo pacto ad deponendos Imperatores pluries coacta fuerunt Concilia generalia à Gregorio III. contra Leonem Isauricum à Gregorio VII. contra Henricum, ab Innocentio IV contra Fridericum II. qui in Concilio Lugdunensi fuit anathemate percussus & dignitate Imperatoria spoliatus, ac soluti omnes subditi ab obedientia eidem præstanda. Quarta causa est suspicio hæresis in Romano Pontifice, si fortè accideret, vel etiam Tyrannis incorrigibilis: tunc enim deberet congregari Concilium generale, vel ad eligendum alium Pontificem vacuum ab omni suspicione, quique esset certo Catholicus vel ad eum monendum si revera videretur incorrigibilis, quia ut dicitur in Octava Synodo act. 6. can 21. debent generalia Concilia, si quædam controversia, vel ambiguitas facta fuerit de Sacta Romana Ecclesia de proposita quæstione reverenter sciscitari, & solutionem accipere, aut proficere aut profectum facere; non tamen audacter sententiam dicere contra summos Seniores Romæ Pontifices, Ob hanc causam constat Sinuessæ coactum fuisse Concilium in causa S. Marcellini in quem Patres Sinuessani Concilii voluerunt sententiam proferre asserentes primam sedem à nemine judicari, sed à se ipsa esse judicandam. Constat etiam ob eandem causam plura Romæ coacta Concilia in causa Damasi Sixti III. Symmachi Leonis III. & IV. ex quibus nullus legitur à Concilio damnatus, eò quia inferior potestatem non habeat sententiam proferendi in superiorem, ut est Papa respectu Concilii etiam Generalis. Hinc Marcellinus sibi

sibi ipsi coram Concilio pœnitentiam injunxit; & reliqui Pontifices accusati in Concilio se purgârunt, & in nullum fuit sententia prolata. Quanta causa est, si dubitetur de legitima electione summi Pontificis, quia tunc esset Papa dubius, consequenter esset indicendum Concilium generale, ut alia fieret electio certa, & canonica, quæque omnem excluderet dubitationem, quia cum Ecclesia sit corpus mysticum certum & visibile necesse est, ejus caput sit ibidem certum, & visibile. Hinc si Cardinales in hoc casu nollent per canonicam, & legitimam electionem Papam certum eligere, vel etiam si omnes Cardinales epidemica peste, vel alio casu decederent, tunc electio ad Concilium generale spectaret coactum ex Episcopis, aliisque Prælatis ecclesiasticis, & quamvis non videatur id aliquando posse contingere, si tamen contingeret, ad Concilium universale pertineret sibi providere de capite certo per canonicam, & legitimam electionem. Sexta tandem principalis causa indicendi Concilium generale est reformatio morum fidelium, & eradicatio vitiorum in Ecclesiam irrepentium in fidelium perniciem: quamvis enim solus Pontifex posset in isto casu leges sancire, quibus tota Ecclesia prosciberetur: longè tamen consultius esset & suavius, si hæc reformatio generalis morum, & vitiorum eradicatio fieret cum approbatione totius Concilii generalis, & ob hanc causam experimur omnia Concilia generalia canones edidisse, seu regulas moribus reformandis fidelium accommodatas.

# CAP. VII.

## De Convocandis ad Concilium, & quo in illo fungantur officio Episcopi, & quis præsideat?

QUia Concilia generalia repræsentant totam Ecclesiam, in qua quatuor continentur hominum genera, ut Clerici, Laici, & ex Clericis Prælati, & non Prælati, ut etiam ex laicis Principes & privati, ideo oritur dubium, quinam ex istis sint ad Concilium convocandi. Hæretici volunt ex omni genere hominum eos debere ad Concilium convocari, qui doctrina, & eruditione cæteris prosunt; & omnes debere Judices esse, ac sua exhibere suffragia decisiva, ita docuit Lutherus *lib. de concil. part.* 2, *pag.* 264. ubi asserit: ex omnibus locis debere congregari ad trecentos homines doctos in sacra scriptura. Rursus Protestantes in eo libro, quem inscripserunt: *Causa, cur Electores & cæteri confessioni Augustanæ addicti ad Concilium Tridentinum non accedant.* Postquam asseruerint primam causam esse, quia Concilium fuerat indictum à Romano Pontifice, & aliam causam volunt esse, quia in Tridentino non habuerunt suffragium nisi Cardinales, Episcopi, Abbates, & generales Ordinum, cum debuissent omnes viri docti etiam laici suffragium decisivum habuisse: Hoc idem etiam asserit Carolus Molinæus in suo tractatu de Concilio Tridentino non recipiendo §. 24. ut etiam Magdeburgenses *Centuria I. lib.* 2. *cap.* 9. *fol.* 548. ubi enucleant historiam Concilii Apostolorum Actor. 15. & asserunt, in eo Concilio postquam prolatæ fuerunt sententiæ, fuisse postea suffragia collata à tota Ecclesia, & communi omnium, qui aderant judicio definitum, hominem justificari sola fide sine operibus, quod falsum est, quia in illo Concilio tantùm de abrogandis legalibus actum fuit & non de justificatione per solam fidem sine operibus. Rursus asserunt Concilium Ecclesiæ non debere constare nisi ex verè piis, & electis, ut docet Brenzius in confessione Wirttenbergensi cap. de Conciliis. Postquam enim dixisset, Concilia debere cedere scripturis addit etiam rationem, quia de solis scripturis, certi sumus, quænam sint, & quòd sint infallibilis veritatis; non ita de Conciliis, eò quia non quilibet hominum cœtus sit vera Ecclesia, sicut nec omnium est una ac eadem fides, neque omnes sunt electi, & prædestinati. Vera tamen Catholicorum sententia solos Prælatos Majores, eosque omnes, id est, Episcopos in Conciliis generalibus, & Provincialibus habere jus suffragii decisivi ordinariè; & ex privilegio, & nunc inolita consuetudine etiam Cardinales, Abbates, & Generales Ordinum, tametsi charactere episcopali non sint insigniti, ex Presbyteris autem & aliis Clericis minoribus aliquos tantùm vocari, qui sint viri docti, & in disputationibus, aliisque ministeriis sint Concilio utilitati, & auxilio. Et Principes sæculares tantùm vocari, ut Concilium sua authoritate, & præpotentia defendant, & ut sint testes, & conscii decretorum, quæ à Concilio eduntur, ac eorum transgressores, & contumaces pœnis puniant temporalibus. Ex privatis verò Laicis ii tantùm vocantur ad Concilium, qui eidem necessarii sunt ad aliquod obeundum ministerium. Hoc totum colligitur ex personis, quæ interfuerunt Concilio Tridentino. Quamobrem falsa est Hæreticorum sententia, quæ per se ipsam corruit, ac destruitur, affirmat enim aliquod esse Concilium, & nullum esse, siquidem sententia illa necesse est, ponat aliquod Concilium, cum explicet, ex quibus hominibus debeat Concilium illud constare: & rursus asserit, nullum esse Concilium, cum dicat, ex solis electis debere constare: siquidem de essentia Concilii est, ut homines constituentes Concilium inter se congregentur, conjungantur, & in unum coëant; & electi in hoc mundo non possunt inter se conjungi, cum nemo sciat, quinam sint hujusmodi electi, neque prædestinati; unde negarent omne Concilium. Quod verò ad Concilium generale non sint convocanda omnia personarum genera, neque omnes eruditi sint Judices habeàntque suffragium decisivum, ut docuit Lutherus, ex eo ostenditur facile, quia sacra scriptura definit, quæ in Conciliis credenda sint, & agenda; hæc autem pertinent ad Pastores, quorum propriè est pascere, est idem pascere oves, seu fideles, ac eos docere viam salutis & fidei veritatem, adeo ut teneantur credere, quæ in Conciliis generalibus docentur esse credenda. Quod verò docere fideles perinde sit ac eos pascere, quod ad solos pertinet Pastores, liquet ex Jerem. 3. *Dabo vobis Pastores secundùm cor meum, & pascent vos scientia,* &

*& doctrinâ*, hoc est docebunt vos veritatem, quam debeatis credere, & juncta illam vestras dirigere actiones. Hoc idem etiam adstruit Apostolos ad Ephes. 4. scribens *Alios autem Pastores & Doctores*, ubi nectit simul nomen Pastoris cum nomine Doctoris, quia proprium est Pastorum docere, ut scribit Augustinus *Epistol. 59. ad Paulinum* & addens rationem subdit: Quia proprium est Pastorum docere: sed Pastores fidelium non sunt Laici, imò neque Ecclesiastici quicunque sed soli Episcopi, ut expressè habetur Actor. 20. *Attendite vobis & universæ gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Hinc Christus Joan. 21. dixit soli Petro, quem constituit supremum Pastorem totius sui gregis *Pasce oves meas*, ex quibus clarè constat docere, seu condere canones, & declarare propositiones pertinentes ad fidem esse proprium non omnium, qui intersunt, sed tantùm Pastorum, seu Episcoporum, & ex privilegio, ac inolita consuetudine Cardinalium, & Generalium Ordinum, ut etiam Abbatum, quamvis Episcopi non sint. Cùm igitur Laici non sint Pastores, neque Ecclesiastici, sequitur ad ipsos non pertinere habere in Conciliis Generalibus suffragium decisivum. Idque suadetur ex praxi & consuetudine Conciliorum quæ hactenus in Ecclesia indicta, & celebrata fuerunt præsertim tempore Victoris Papæ super quæstione Paschatis, de quo ait Eusebius *lib. 5. Histor. cap. 23. Ob quam causam Conventus Episcoporum, & Concilia per singulas quasque Provincias convocantur*, ubi non meminit eruditorum, sed Episcoporum, & asserit ex istis congregata fuisse Concilia generalia, ut etiam docent sancti Patres præsertim Cyprianus in *initio epistolæ ad Julianum*, Hilarius *lib. de Synodis*, Hieronymus *lib. 2. Apolog. contra Ruffinum*, Ambrosius *epist. 22.* Leo *epist. 16.* Augustinus *epist. 119.* imò etiam Theodosius Junior in *epist. ad Ephes. Synod.* quæ habetur in 1. *Tom. ejusd. Concil. cap. 32.* ait: *Illicitum est eum, qui non sit in ordine Sanctissimorum Episcoporum ecclesiasticis immisceri tractatibus.* Tantum enim absuit, ut Laici quamvis doctissimi, & omni eruditione ornatissimi habuerint in Conciliis generalibus suffragium decisivum, ut vel ipse Imperator quamvis laicus noverit, quàm illicitum, ac indecens sit laicos se immiscere tractatibus Ecclesiasticis, & multo magis velle per suffragia decisiva ecclesiasticos canones statuere, quæ enim ad Ecclesiasticum forum pertinent ad solos ecclesiasticos spectat catractare, ac statuere, Laicis enim quamvis eruditissimi sunt semper extra forum ecclesiasticum, consequenter nequeunt in eodem habere suffragium decisivum.

Hoc idem etiam noverat Pulcheria Imperatrix in epistola ad strategum Bythiniæ, quæ habetur ante Concilium Chalcedonense jussit enim ut Clerici, Monachi, & Laici etiam adhibita vi excluderentur à Concilio iis paucis exceptis quos Episcopi secum duxerant. Rursus in Concilio Chalcedonensi Act. 1. cum ad Martinum Archimandritam mitteretur, ut subscriberet, respondit, id non faciam, quia subscribere Concilium generale ad solos pertinet Episcopos; & in eodem Concilio, quia pro defendendo Dioscoro Monachi & Laici fuissent illud ingressi; Patres sæpe reclamarunt, & jusserunt superfluos mitti foras, eò quia Concilium sit tantùm Episcoporum, & non laicorum, vel Monachorum. Hinc Ecclesiæ praxis nos docet in Conciliis hactenus celebratis canones à solis Episcopis factos fuisse, ut & ab iisdem damnatas hæreses omnes quotquot irrepserunt, & leges sancitas, quæ fideles omnes obligarent, idque liquet ex subscriptionibus: siquidem ubique inveniuntur soli Episcopi subscripti exceptis paucis Generalibus, quibus etiam Imperator subscripsit alia tamen forma, quàm Episcopi, quia isti subscripserunt ut Judices definientes Imperatores verò tantùm ut executores quatenus consentiebant iisdem sancitis regulis, & legibus, seque obligabant ut à suis subditis servarentur. Pauca etiam fuerunt ea generalia Concilia in quibus præter Episcopos, & Cardinales Abbates, & Ordinum Generales se subscripserint, idque ex speciali privilegio, cùm non essent Episcopali charactere insigniti. Reliqui verò qui Concilio interfuerunt, quamvis doctissimi nunquam leguntur Concilio subscripsisse, quia hujusmodi homines admittuntur ad Concilia pro consultatione non decisione; & Concilium Basileense ubi admissi fuerunt Presbyteri ad suffragium decisivum contra morem & consuetudinem Ecclesiæ, non fuit legitimum, nec approbatum à summo Pontifice.

Ratio etiam id videtur dictare, quia negotia intra aliquem ordinem debent tractari ab iis peritis ejusdem Ordinis negotia enim pertinentia ad mercaturam tantùm à Mercatoribus habentibus praxim in iisdem tractatur, & judicantur, & perperam accerserentur Sutores, vel Pistores ad eadem tractanda, & judicanda, quia non sunt intra propriam sphæram, & artem: atqui negotia quæ in Conciliis generalibus tractantur, sunt ecclesiastica, & publica, quæ pertinent ad totam universalem Ecclesiam, ergo de iisdem tractare, & judicare ad solas personas ecclesiasticas, & publicas, cujusmodi sunt Episcopi tantùm pertinet. Cum igitur Laici quamvis doctissimi, & omnigena eruditione ornatissimi sint, quia tamen non sunt Ecclesiastici, neque in Ecclesia personæ publicæ, seu non insigniuntur Episcopali charactere, neque sunt Pastores animarum ad ipsos non pertinet se im miscere negotiis ecclesiasticis, neque ad illa habere suffragia decisiva. Tum quia si omnes Laici eruditi, ac docti essent admittendi vix, posset dari Concilium ullum generale quia difficulter posset fieri ut omnes viri docti, & eruditi per universam ecclesiam convocari possent in unum locum, quia si in una Provincia sint decem, vel duodecim Episcopi, seu Pastores animarum, sunt in eadem supra mille viri docti, & eruditi, qui omnes deberent convocari ad Concilium generale, quod in praxi difficillimum esset & vix, Concilium posset celebrari ob tam ingentem multitudinem: & si convocarentur procul dubio plures assent in Concilio inferiores quàm superiores, proinde major sententia, seu pluralitas suffragiorum vinceret illam Episcoporum, qui numero essent longe minores consequenter in Ecclesia regerentur superiores ab inferioribus, quod absurdum est, cum rerum ordo exigat, ut inferiores dirigantur, & gubernentur per superiores, quo pacto corpora cœlestia influunt in sublunaria, quæ ab illis reguntur. Præterea si omnes viri docti, & eruditi, ut censent Hæretici convocandi essent ad Concilium generale, sequeretur etiam hoc aliud inconveniens, quia quilibet Princeps, in cujus ditione Concilium congregaretur definire posset, quidquid ipsi magis placeret, quia facile eidem obtingeret accersere ad se omnes suæ ditionis viros doctos, & eruditione celebres in Concilium illos introducere ut juxta propria vota suffragerentur in Concilio. Hoc idem etiam præstare possent Principes absentes qui per nuntios vel litteras possent doctos quosque, & eruditos viros sibi subditos præmonere ne in Concilio quid aliud subscriberent, vel promoverent nisi hæc vel illa, quæ princeps ipse desideraret. Obji-

Objiciunt tamen Acatholici primum Concilium coactum, & celebratum ab Apostolis Actor. 15. ubi dicuntur admissi non solum Apostoli, & Ecclesiastici, sed etiam Laici, idque probant, quia Act. 15. dicitur: *Tunc placuit Apostolis, & Senioribus cum omni Ecclesia*; ex quo inferunt laicos fuisse admissos in Concilio illo & sua habuisse suffragia decisiva perinde ac Apostolos & Seniores, quia omnis Ecclesia coalescit ex ecclesiasticis, & laicis; est enim Ecclesia Cœtus fidelium sub uno capite supremo, cui omnes fideles obediunt. Sed contra, quia tametsi in Concilio illo fuerint admissi unà cum Apostolis etiam Seniores, seu Sacerdotes, & Laici non tamen eodem modo, quia soli Apostoli utpote Pastores constituti à Christo suffragia habuerunt decisiva; Presbyteri verò tantùm interfuerunt consultativè sine suffragio decisivo, & laici approbativè, quatenus isti, quæ Apostoli decisivè statuerunt, & Presbyteri consultatoriè approbârunt, laici, in eadem consenserint saltem consensu tacito. Textus igitur Act. 15. expresiè asserit præter Apostolos nullos alios dixisse sententias, & per suffragia decisiva statuisse quidquam neque potest melior scripturæ interpres acciri, quàm ipsa consuetudo Ecclesiæ, quæ in omnibus postea Conciliis hoc idem religiosissimè servavit, ut soli Episcopi suffragia haberent decisiva quamvis iisdem interfuerint plures alii Clerici vel Laici, hoc idem etiam factum fuisse in primo illo Concilio Apostolorum ex eo infertur, quia ecclesia catholica ad normam illius sua postea indixerit, & congregaverit Concilia; non enim videtur probabile, quod Ecclesia universa sub primis illis temporibus ab Apostolorum exemplo, & traditione discesserit. Præterea, quòd in illo Concilio vocati fuerint tantùm Apostoli, & Presbyteri ex eo posset evinci, quia Actor. 15. dicitur: *Convenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc*, id est agere, & judicare de orta illa quæstione circa legalia, & ibi nulla fit mentio plebis. Quòd verò Apostoli, & Seniores fuerint simul locuti de controversia illa, ob quam indictum fuit Concilium, conjicitur ex verbis illis: *Et cum magna disquisitio fieret:* adeò ut Apostoli, & Seniores simul disputarent, ut exactius controversia examinaretur, cæterum absoluta disputatione solos Apostolos sententias definitivas dixisse ex eo patet, quia soli Apostoli scilicet Petrus, Paulus, Barnabas, & Jacobus introducuntur à Luca loquentes; & quòd nulli alii fuerint suffragati decisivè etiam colligitur ex continuatione textus, quia post Petri sententiam subditur: *Tacuit autem omnis multitudo, & audiebat Paulum, & Barnabam*, postea subditur: *Et postquam tacuerunt*, nimirum Paulus, & Barnabas, *respondit Jacobus dicens*: & postea absoluta Jacobi oratione additur: *Tunc placuit Apostolis.* Ex toto hoc contextu deprehenditur in illo Concilio Hierosolymitano Actor. 15. Solos Apostolos sententiam dixisse decisivam post præmissas disputationes cum Senioribus, unde claret, quàm falsum sit, quod asserunt Acatholici, omnes qui aderant suam dixisse sententiam decisivam eo innixi fundamento, quia ibi dicatur: *Placuit Apostolis, & Senioribus cum omni Ecclesia*; quia illud *Placuit* intelligitur de consensu placito, qui debet dari ab iis omnibus, qui sunt in Concilio, hinc in operibus Cypriani legimus Concilio Carthaginensi interfuisse cum Episcopis Afris plures Presbyteros Diaconos, & Laicos, & solos Episcopos protulisse sententias decisivas non alios, qui aderant. Neque obstat quod Actor. 15. dicatur: *vel omni ecclesia*, quæ constat ex omnibus fidelibus, sive sint Episcopi, sive Presbyteri, sive Clerici & Laici. Quia multipliciter potest unum ab alio repræsentari, sed præ ceteris modis, ille est optimus, quo per principes repræsentantur populi alicujus nationis; ut enim in comitiis generalibus plurium Statuum congregari solent Consules, vel Domini civitatum; perinde in comitiis generalibus ecclesiæ congregantur omnes Episcopi, quorum quilibet personam gerit suæ ecclesiæ, quam repræsentat, qua de causa ait S. Cyprianus lib. 4. epist. 9. ecclesiam esse in episcopo, quatenus iste repræsentat ecclesiam; & in hoc sensu dicitur omni ecclesiæ placuisse statuta per concilium, quatenus conciliis generalibus intersunt omnes Episcopi qui invitantur ad ipsa ut repræsentent proprias ecclesias, quæ nomine suarum ecclesiarum dicuntur assentiri statutis in conciliis. Sed dices si episcopi in conciliis generalibus repræsentant suas ecclesias, in quarum nomine agunt, sequitur ecclesias in Conciliis idem agere ac Episcopos, sed Episcopi agunt decisivè, ergo etiam eorum ecclesiæ; sed ecclesiæ sunt cætus fidelium seu plebs sub tali capite, seu episcopo; ergo plebs agit in conciliis decisivè. Contra est negatur consequentia; quia episcopi in concilio dupliciter possunt considerari primo ut episcopi seu ut personæ ecclesiasticæ insignitæ charactere episcopali, & sub hac ratione habent suffragium decisivum, & sunt judices decidentes, ac judicantes res spectantes ad fidem, & bonos mores. Secundò possunt considerari ut repræsentant propriam plebem & tunc terminativè in obliquo, seu ipsa plebs concurrit tantum approbativè, quatenus approbat quod per suum episcopum decisum fuit in concilio generali; hinc episcopus secundum diversa dicitur agere decisivè, & approbativè; in recto seu ut est episcopus agit decisivè, in obliquo, & terminativè, vel connotativè, quatenus connotat suam plebem agit, seu concurrit approbativè.

Sed instant, quia communi causa communibus suffragiis, communibusque auxilis juvanda est; quod enim ad communem pertinet utilitatem, communi debet operâ promoveri. Sed causa fidei est communis omnibus fidelibus non enim eadem fides minus ad laicos pertinet quàm ad clericos; ergo ad concilia generalia non solùm Clerici, sed etiam Laici convocandi sunt. Sed contra distinguitur major communis causa juvari debet communi operâ proportionaliter ad homines qui sunt de tali communitate conceditur; æqualiter, & eodem prorsus modo negatur major, & sub eadem distinctione minoris negatur consequentia. Quia tametsi causa fidei sit communis Clericis, & Laicis, & omnes debeant pro illius conservatione, & defensione suam præstare operam non tamen eodem modo; clerici enim, & Episcopi utpote Pastores Laicorum concurrunt decisivè; Laici verò veluti discipuli tantùm approbativè, quatenus ad discipulos pertinet approbare, quæ ab ipsorum magistris docentur. Neque obstat si dicas Nicolaum I. in epistola ad Michaelem quæ habetur dist. 96. can. *Ubinam.* asserere, ad Imperatorem pertinere, concilio generali interesse, ait enim Pontifex: *Ubinam legistis Imperatores antecessores vestros Synodalibus conventibus interfuisse, nisi forte in quibusdam, ubi de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis, quæ non solum ad clericos, verum etiam ad laicos, ad omnes omnino pertinet Christianos?* vult Pontifex ad concilium generale in quo agitur de fide debere Imperatorem, quamvis Laicum intervenire, & assignans causam, ait, quia fides est æquè communis Clericis ac Laicis; ergo Laici, cum agitur de fide,

fide, ut de causa communi debent conciliis generalibus interesse. Sed contra quia ex eo, quod fides sit causa communis, non sequitur Imperatorem Laicum debere concilio generali interesse ut Judex; sed tantùm ut defensor, ac propugnator ejusdem fidei; quo pacto etiam alii Laici fideles debent causam communem fidei defendere, non judicando, sed pugnando contra infideles nitentes fidem evertere, vel extinguere; sicut fides est communis, ita ad omnes fideles spectat causam communem propugnare, ac defendere.

Objiciunt secundò Hæretici; persæpe sententia unius Laici prævalet sententiis plurium Clericorum, eo quia potioribus nitatur rationibus, vel magis fundetur in sacris scripturis, quarum authoritas præferenda est cuilibet rationi, & argumento, quod nititur authoritate humana; ergo à Conciliis Generalibus non sunt Laici excludendi. Antecedens constat etiam ex Gratiano 36. *quæst.* 2. *can. ult.* ubi legimus Hieronymi authoritatem scriptura sacra munitam toti concilio generali præjudicasse. Præterea hoc idem docetur à Panormitano *in cap. Significasti de electione.* & à Joanne Gersone part. 1. de examinatione doctrinarum; ubi ait unius privati sententiam præponendam esse sententiæ Papæ, si ille privatus moneatur melioribus rationibus, & authoritatibus testamenti veteris, & novi. Præterea ratio, cur episcopi præcipuè convocentur ad concilium generale, est, quia existimantur esse cæteris doctiores; sed plures Laici inveniuntur doctiores episcopis, ergo sunt à fortiori Laici saltem doctiores convocandi ad suffragia decisiva in conciliis generalibus. Sed contra, quia tametsi sententia unius Laici privati possit anteponi, ac præferri sententiæ Concilii Generalis ante definitionem, & dum controversia adhuc discutitur, & examinatur, non tamen potest præferri, & pluris fieri post definitionem Concilii Generalis approbati, ac confirmati à Romano Pontifice, quia tunc sententia Concilii Generalis ex assistentia Spiritus Sancti est infallibilis, quia non permittit totam ecclesiam errare in rebus fidei, & iis, quæ pertinent ad morum reformationem. Ratio discriminis est, quia quamdiu controversia discutitur, & examinatur in ipsa dissertatione, non authoritas, sed eruditio personæ attenditur; post decisionem autem munitam approbatione, & confirmatione Pontificum non amplius eruditio attenditur privatæ personæ, sed authoritas totius ecclesiæ repræsentatæ in concilio generali, & quam Spiritus Sanctus non finit errare, præsertim in rebus fidei.

Ad illud petitum ex Gratiano respondetur, Gratianum ibi non loqui de Concilio Generali, sed tantum de particulari, antequam muniatur approbatione Romani Pontificis, quia ante approbationem Concilium præsertim particulare est obnoxium errori, qui per Romanum Pontificem ut supremum Judicem corrigitur. Neque D. Hieronymus invenitur in suis operibus dixisse sententiam unius Laici esse præferendam toti Concilio Generali, ac illi præjudicâsse, quapropter falsò tribuitur ab Hæreticis illa propositio. Tantùm Hieronymus ait: secundùm legem veterem licuisse Raptori ducere in uxorem mulierem à se raptam, si Pater ejus consentiat, secus Concilium statuit, ut non obstante lege illa veteri, quæ judicialis fuit, & nunc Christianos non obligat, non liceat raptori in uxorem ducere puellam, quam rapuit. Ad alia petita ex Panormitano & Joanne Gersone respondetur eos tantùm fuisse locutos sub conditione, perinde ac Apostolus, cum scripsit ad Gal. *si nos aut Angelus de cœlo evangelizet. &c.* & sicut ex hac conditionali non legitime infertur, quod Apostoli, & Angeli potuerint evangelizare aliquid contrarium evangelio Christi, perinde ex eo, quod Panormitanus & Gerson dicant, licere unicuique resistere Concilio, aut Papæ, si eum errare videat; non inde ritè infertur, Concilia, & Papam absolutè posse errare, ac propterea privatos homines laicos esse, præsertim doctiores, convocandos ad concilium generale, & quia interdum sententia unius privati laici melioribus fulciatur rationibus, ac firmiùs innitatur scripturarum authoritati, ac posse post decisionem controversiæ sententiam totius Concilii emendare.

Ad confirmationem respondetur, Episcopos convocari ad Concilium Generale propter doctrinam, sed non solùm, verùm etiam propter authoritatem judicandi, quam ut Pastores ecclesiæ habent in dirimendis fidei controversiis; unde non convocantur Episcopi eò, quia simpliciter sint docti, sed quia sunt etiam Pastores ovium Christi & personæ publicæ seu Principes habentes ecclesiasticam jurisdictionem; hæc enim jurisdictio in Judice tam laico, quam ecclesiastico requiritur, ut possit judicium ferre; & quia privati laici tametsi doctrina, & eruditione polleant, hanc non habent jurisdictionem, ideo non possunt in Concilio suffragia decisiva sicut Episcopi ferre, non enim Episcopi quamvis doctissimi judicant in Conciliis Generalibus, ut Doctores simpliciter, sed ut Pastores, & personæ publicæ habentes ecclesiasticam jurisdictionem; sicut etiam in Judicibus sæcularibus requiritur quidem jurisprudentia, & probitas, & non licet privato homini doctiori deturbare Judicem de sua sede; possunt quidem laici disputare cum Judicibus, non tamen suffragia decisiva in controversiis fidei ferre; legimus enim in Concilio Nicæno plures fuisse ex doctioribus Laicis ad Concilium accersitos causa discutiendi controversias; sed actis Concilii non interfuerunt; siquidem extra Concilium tantùm habuerunt disceptationes cum Episcopis, qui aderant. Duplex habetur judicium, publicum unum, aliud privatum, illud esse, quod à publico fertur Judice cum obligatione in subditis, ut eidem acquiescant. Privatum est illa Sententia, quam quisque eligit, ut veram absque obligatione, ut alii eidem acquiescant, non enim hæc sententia quemquam obligat. Judicium publicum nunquam concessum fuit laicis in rebus fidei; quod si aliquando id concessum fuit hominibus sanctis ac pietate, & doctrinâ insignibus, idque contigit ex indulgentia & pro illa vice tantùm, eò quia aliter fieri non poterat; alioquin tenentur populi judicio stare Pastorum suorum; quòd si controversia sit cum Hæreticis, qui multos seducunt, tunc congruum est publicas disceptationes coram populo cum iisdem inire, & permittere etiam Laicis doctioribus disputationes instituere contra errores Hæreticorum.

Objiciunt tertiò asserentes Concilium esse tantùm quandam inquisitionem, & solùm Christum ac verbum illius scriptum, non traditum habere suffragium decisivum, ex quo inferunt in Conciliis Generalibus non esse habendam rationem ad numerum suffragiorum, sed tantùm ad unicum suffragium

fragium situm in Sacra Scriptura, quæ toti Concilio est semper præferenda, ex quo deducunt licitum esse cuilibet examinare Concilia eaque recipepere, vel rejicere; hac de causa Lutherani, & alii Protestantes detrectarunt interesse Concilio Tridentino, quia noluerunt controversias fidei pluralitate suffragiorum definiri, sed ex solo Dei verbo scripto. Sed contra quia consessus Episcoporum non est pura, & simplex inquisitio, sed decisio judicialis imponens obligationem, ut liquet ex scripturis Deuter. VI. ubi habentes dubia jubentur recurrere ad Concilia Sacerdotum & detrectantes obedire eorum sententiæ morte plectuntur. Matth. 18. *Si ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus*; atqui nulli potest dubium esse, quin legitimum Concilium sit vera ecclesia, hinc 3. Actor. 15. & 16. habetur: *Paulus pertransiens civitates varias præcipiebat eis custodire decreta Concilii Jerosolymorum*; atqui certum est hoc concilium non per allatas scripturas sed per suffragia Apostolorum controversiam resolvisse, quæ tunc circa legalia agitabatur; non enim quæstio erat, ut asserunt Hæretici an sola fides justificaret; sed an circumcisio, & legales cæremoniæ essent necessariæ recens conversis ad fidem Christi, de qua controversia nil habebatur in scriptura. Et sententia non fuit Discipulis ad examinandum tradita, sed iisdem simpliciter injunctum fuit, ut obedirent, qua propter asserentes à privato homine posse Concilia examinari apertè contradicunt scripturæ, & non obedientes anathemati subjiciuntur.

Quod si quæras, quot Episcopi requirantur ad constituendum generale Concilium, vel enim desiderantur omnes Episcopi totius orbis Christiani, vel tantùm aliqui; si dicatur primum sequitur nullum hactenus fuisse Concilium Generale, imò neque videtur imposterum futurum, eò quia videtur moraliter impossibile, ut omnes & singuli possint intervenire Concilio Generali, cùm semper aliqui vel extremo senio confecti, vel ægritudine aliqua laborantes non possint incommoda itinerum subire; sin autem non omnes sunt necessarii, sed aliqui tantùm sufficiunt, non videtur major ratio de aliquibus, quàm de aliis. Verùm hæc quæstio ex sola dependet praxi & consuetudine Ecclesiæ, & ex illis Conciliis Generalibus, quæ omnium consensu susceptа fuerunt ut talia; quamvis enim plures semper defuerint Episcopi, adhuc habita sunt generalia, quia omnes ex qualibet orbis Christiani parte fuerunt convocati, ut venirent, quòd postea aliqui ob senium vel ægritudinem aut alia de causa non comparuerint, id non provenit ex defectu Concilii, sed ex aliquo impedimento extrinseco, quod per accidens se habet. Ut Concilium sit generale sufficit, si concurrant conditiones per quas constituitur generale, quorum prima est, ut innotescat omnibus, ac præcipuis Provinciis Christianis, & constat hanc conditionem semper fuisse servatam, hinc septima Synodus, Act. 6. eatenus judicavit Concilium Constantinopolitanum contra imagines Sacras non fuisse Generale eo quia sonus ejus non exierit in omnem terram, seu non fuit Concilium promulgatum in omnibus præcipuis Christianis Provinciis. Secunda conditio est, ut omnes, & singuli Episcopi per totum Christianum orbem convocentur ad Concilium adeo ut nullus excludatur modo constet eum non esse excommunicatum, & verè esse Episcopum. Tertia ut adsint per se, vel per alios quatuor præcipui Patriarchæ præter summum Pontificem scilicet Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, quia istis subjiciuntur alii Episcopi in propria Provincia, & sunt supra simplices Episcopos, idque constat ex usu, & praxi Ecclesiæ, & ex septima Synodo Act. 6. ubi Concilium Constantinopolitanum contra imagines non fuit Generale, quia caruit Patriarchis; & in Octava Synodo Actor. 9. Patres cum ingenti gaudio receperunt Vicarium Patriarchæ Alexandrini, eò quia si defuisset, Synodus illa non fuisset plena, neque Generalis. Verùm hæc tertia conditio non omnino est necessaria, sed tantùm ad melius esse, nam tertia Synodus absente Patriarcha Antiocheno, ejusque Vicario, seu Legato damnavit Nestorium Constantinopolitanum; & Synodus Chalcedonensis quæ Generalis fuit sine Patriarcha Alexandrino omnia fere conclusit; & post Schisma Græcorum, hi Patriarchæ non sunt amplius necessarii, ut intersint Conciliis Generalibus, quia Hæretici sunt vel certè Schismatici. Quarta conditio est, ut saltem ex majori parte Christianarum Provinciarum aliqui interveniant. Quòd si Concilium congregetur in Oriente, sufficit, si ex Provinciis omnibus Orientalibus plures conveniant Episcopi & ex toto Occidente mittantur aliqui à summo Pontifice qui suppleant aliorum locum; è converso si celebretur in Occidente sufficit, si conveniant ex omnibus Provinciis Occidentis plures Episcopi, & ex Oriente pauci aliqui suppleturi loca aliorum hinc in Concilio Nicæno I. ex Occidente tantùm interfuerunt duo Presbyteri missi ex Italia unus Episcopus ex Gallia, unus ex Hispania, unus ex Africa. Imò in Concilio II. & III. nulli interfuerunt ex Occidente, & tantùm Pontifices Damasus, & Cœlestinus Concilia illa approbârunt, & confirmârunt nomine suo, & aliorum Episcoporum Occidentis quos ipsi Romæ collegerant. Rursus in Concilio IV. Generali solùm fuerunt Legati Leonis Papæ, & præterea misit ipse consensum aliorum Episcoporum, Hispaniæ, Galliæ & Italiæ qui coactis Conciliis Provincialibus suam ad Leonem scripserunt sententiam, ut habetur in Tom. Concilior. E converso ad Concilia Occidentis ut fuit Lateranense sub Innocentio III. Lugdunense sub Gregorio X. Viennense sub Clemente V. & Tridentinum sub Paulo III. & Pio, venerunt Episcopi frequentiores ex toto Occidente, & ex Oriente non nisi pauci tantùm; hinc potest contingere, ut interdum Concilia nationalia sint numero suffragiorum longè ampliora Generalibus eò quia numerus Episcoporum prævaleat in Provincialibus, sed tunc quoad authoritatem sunt semper minora, quia Concilium Generale semper prævalet authoritati nationali, vel Provinciali, hinc Concilio II. tantùm interfuerunt Episcopi centum, & quinquaginta ex variis Provinciis & Nationibus; cum Concilio Carthaginensi nationali ex sola Africa interfuerint Episcopi ducenti & septendecim, ut refert Prosper in Chronico anni 420.

Circa

Circa Patriarchas juvat adnotare, tempore S. Augustini tres tantùm fuisse, qui vel per se, vel per deputatos interrant Conciliis Generalibus, & sedes Patriarchales fuisse tantum Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam, quæ à S. Gregorio vocantur una quasi Petri sedes; quia cùm Ecclesia initium suum habuisset in Asia, Petrus sedem elegit in Capitali Urbe Orientis, quæ tunc erat Antiochia, in qua urbe per septem annos sedit, & Successorem stabilivit, qui post mortem Apostolorum fuit caput ecclesiasticæ jurisdictionis Asiæ Orientalis, hæcque causa fuit, cur in Concilio Chalcedonensi Patriarcha Antiochenus vocaverit sedem suam, sedem Petri urbis magnæ Antiochiensium, & fundata fuit hæc sedes Patriarchalis Anno Christi 39. & Caji Imperatoris Anno 1. Septennio dilapso Petrus Romam petiit, quæ tunc caput erat Occidentis, & mundi Domina, & ibi Romanam sedem fundavit anno Christi 45. Kalend. Februarii & ibi sedit per annos 25. donec sub Nerone gloriosum consummaret Martyrium. Quemadmodum stabilita sede Romana Petrus Antiochenæ providit, ita memor Ecclesiarum, quas in Ponto, Galatia, Cappadocia & Asia minori, & Bythinia erexerat suam primam ad eam scripsit epistolam, & Marcum, quem in evangelio genuerat, & ut filium spiritualem diligebat misit eodem anno Alexandriam, quæ tunc erat velut quoddam orbis theatrum, ad quod ex Asia, Africa, & Europa gentes convenirent, ut in eadem civitate suo nomine ecclesiam & sedem fundaret, quam ob urbis prærogativas, & quod esset caput Ægypti voluit primum post Romanā sedem locum habere, ut scribit Gelasius, hinc tres habitæ sunt Patriarchales sedes Romana, Alexandrina, Antiochena. Quòd verò Romana sedes cæteris præesset id factum est, ut explicat Innocentius, quia Petrus ecclesiam Antiochenam nonnisi per transitum habuit Romanam verò absolutè stabiliter, & constanter usque ad mortem, hinc sedes Antiochena cessit Romæ primatum. Rursus Episcopus Hierosolymitanus habuit à Concilio Nicæno præcedentiam super Archiepiscopum Cæsareæ qui erat Metropolitanus Palæstinæ, & jurisdictionem etiam exercebat in Jerosolymitanam Concilium enim Chalcedonense assignavit Juvenali tres Palæstinæ pro territorio Patriarchatus, hinc qui antea tantùm honoris causa vocabatur Patriarcha, titulum juris cum nomine habuit, quod factum fuit, quia titulo antiquitatis ecclesia Jerosolymitana mater erat omnium ecclesiarum, verùm anno Christi 381. in Concilio Constantinopolitano sub Damaso Papa, & Theodosio II. Imperatore editus fuit canon iste *Constantinopolitanæ Civitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum propter quod sit nova Roma*, hæc enim urbs ob sedem Imperatoris habebatur altera Roma proinde Episcopus habuit primatum post Romanum Pontificem supra reliquas Patriarchales sedes, & primus qui hoc titulo insignitus fuit vocabatur Nectarius Prædecessor S. Joannis Chrysostomi. Quòd verò præsentia immediata vel mediata Patriarchæ multum faciat ad Concilium Generale patet ex praxi & usu Ecclesiæ, ut paulò superius innuimus.

Cæterum ex Conciliis generalibus aliqua sunt talia de facto, & alia tantùm de jure. Illa dicuntur in quibus conveniunt quotquot habent successionem characteris episcopalis, quamvis ii steterint in corpore ecclesiæ, vel ob hæresim, vel schisma fuerint ab ea exclusi. Generalia de jure sunt illa in quibus congregantur Episcopi quia debent unitati corporis ecclesiæ, seu communionem habent cum Romano Pontifice, & hisce debetur jus judicandi, & decidendi de rebus fidei, adeo ut ad ipsos pertineat in Concilio Generali de jure una cum capite fidei controversias dirimere, ut præstitit Concilium Sardicense, cui non interfuêre Episcopi Patriarchatus Antiocheni, eò quia Ariana hæresi infecti, & Nicænum II. cui non intervenerunt Cophti id est naturales Ægyptii, & Æthiopes, eò quia essent Eutychiani. Quòd si dicas illa non esse legitima Concilia in quibus Episcopi, qui solam characteris successionem habent, admittuntur, & per hæresim vel schisma exclusi de corpore Ecclesiæ sunt consequenter non possunt admitti in Concilium contra est quia Ecclesia ad hunc effectum dirimendi & decidendi controversias fidei per suam charitatem, & dilectionem eos admittit, adeo ut pro tempore Concilii eos rehabilitet, & restituat in jurisdictionem & exercitium ordinis episcopalis; proinde Spiritus Sanctus suam impertit Concilio assistentiam quando partes disjunctæ in unionem conspirant Ecclesiæ, quæ una est; id enim præstitit Innocentius III. in Concilio Lateranensi in quo simul cum Papa interfuerunt Patriarchæ Constant. & Hierosol. & Legati Alexandrini, & Antiocheni & ex omnibus Græcæ, & Latinæ Ecclesiæ partibus Episcopi, & Archiepiscopi 470. Tametsi aliqui eorum essent Schismatici imò & Hæretici nihilominus pro tempore illius Concilii Lateranensis fuerunt à Romano Pontifice restituti pristinæ jurisdictioni, ut & ipsi suffragia haberent decisiva. Rursus in Concilio Florentino sub Eugenio IV. cui etiam interfuerunt Græci cum suo Imperatore, & Patriarcha, & aliorum trium Legati, fuerunt plures Episcopi Schismatici restituti pristinæ jurisdictioni ut possent decisivè suffragari.

Si quæras quo fungantur officio Episcopi in Conciliis Generalibus. Respondetur Episcopos in conciliis non esse simplices consultores, seu consiliarios, sed veros, & proprios judices, quia concilia habent veram, ac propriam formam judicii; & in vero judicio qui sententiam dicit est verus Judex; cui reus tenetur acquiescere sive damnetur, sive absolvatur; sed in conciliis generalibus episcopi propriam dicunt sententiam, ergo propriè sunt judices, quorum sententiæ si approbentur, ac confirmentur à Papa standum est. Hinc Deuter. 17. qui dubia habent jubentur recurrere ad Concilia Sacerdotum: *& qui non obedierint eorum sententiæ morte condemnentur*; & Matth. 18. *Si ecclesiam non audierit sit tibi veluti Ethnicus & publicanus*; quamvis textus iste varias admittat explicationes: attamen quia concilium generale legitimè congregatum authoritate Romani Pontificis, vel maximè repræsentat universalem ecclesiam, imò & dicitur ecclesia simul in unum locum congregata; propriè itidem nomine ecclesiæ Matth. 18. intelligitur concilium generale, cujus sententiæ tenentur propterea fideles acquiescere, cum Christus jusserit, ut audiamus ecclesiam, ac acquiescamus ejus sententiæ. Præterea quoque D. Paulus Act. 15. & 16. pertransiens civitates varias præcipiebat eis custodire dogmata, quæ fuerant ab Apostolis statuta in Concilio Hierosolymitano; de quo tria sunt notatu digna: Primò quia in illo Apostolorum Concilio, quod ecclesiæ fuit postea norma cæterorum non ex Sacris Scripturis fuit controversia de Legalibus definita, sed ex pluralitate suffragiorum; non enim quæstio erat, an sola fides justificet, ut arbitrantur Acatholici; sed an circumcisio & reliquæ legales cæremoniæ essent necessariæ gentilibus recèns conversis ad fidem

Catho-

catholicam; idque colligitur ex occasione Synodi, de qua ita loquitur S. Lucas Actor. 15. *Surrexerunt quidam de haresi Pharisaeorum, qui crediderunt dicentes; quia oportet circumcidi eos, pracipere quoque servare legem Moysi. Conveneruntque Apostoli & Seniores videre de verbo hoc*; seu judicare de orta hac controversia. Colligitur etiam ex ipsa epistola Concilii, qua nihil aliud mandatur, nisi abstinentia à sanguine, & suffocato, & immolatis, & gentiles recens conversi ad fidem Christi liberentur ab omnibus aliis Judaicis caeremoniis. Secundum dignum notatu est, quod sententia Apostolorum non fuit permissa examini discipulorum; sed simpliciter fuit illis injunctum ut obedirent, & acquiescerent Apostolorum sententiae ut judicio jam absoluto ut constat Actor. 15. & 16. unde haeretici censentes concilia generalia posse examinari ad unoquoque privato adversantur sacris scripturis. Tertium quia definitio Concilii Apostolici vera fuit, & obligavit in conscientia, idque colligitur ex Actor. 16. ubi Lucas vocat decisiones Apostolorum dogmata, & praecepta, quae obligant in conscientia.

Praeterea ex eo evincitur concilia generalia habere formam veri judicii, & non tantum inquisitionis, quia anathemate feriunt non obtemperantes decretis concilii, declarant propositiones esse haereticas, vocant sua decreta canones, seu regulas, quibus tenentur fideles suas regulare operationes, & quibus episcopus se subscribit, dicens: *ego NN. definiens subscripsi*. Et in Concilio Chalcedonensi Act. 4. quia decem Episcopi Aegyptii noluerunt acquiescere majori suffragiorum parti fuerunt à Concilio haeretici judicati; ex quibus satis apertè constat, concilia generalia habere formam judicii, & Episcopos in iisdem sedere ut judices. Tum quia si in conciliis generalibus controversiae fidei non dirimerentur per sententias in forma judicii, & per secreta suffragia juxta cujusque proprium judicium, sed tantum per inquisitionem, & disputationes, ut putant haeretici; non solum episcopi sententiam dicerent, sed etiam alii Doctores, qui disputationes instituerent; imò isti soli deberent sententiam ferre; quia disputare non est proprium episcoporum, sed hominum eruditorum, & doctorum, quia ipsi propriè dicuntur controversiam examinare, ac veritatem inquirere; sed in conciliis non viri eruditi, ac disputantes sententiam ferunt, sed soli Episcopi qui sedent ut judices, & auditis disputationibus judicant de controversiis propositis; perinde ac in Senatu sedent Senatores ut judices, audiunt Advocatos utriusque partis, & postea judicant, feruntque sententiam. Ergo in conciliis controversiae definiuntur non testimoniis sacrae scripturae non per inquisitionem, sed per suffragia episcoporum, seu sententias, & judicia eorundem adeo ut sacrae scripturae testimonia, & inquisitio se habeant antecedenter ad judicium.

Objiciunt tamen Acatholici exemplum Paphnutii, qui apud Socratem lib. 1. cap. 8. Sozomenum lib. 1. cap. 22. toti concilio Nicaeno volenti prohibere Sacerdotibus usum uxorum, & matrimonium inire, solus liberè toti restitit concilio, cui etiam praevaluit; ait enim Lutherus art. 115. ex quingentis, *Res est insana quòd Concilia concludere, & statuere volunt, quid credendum sit, cum saepe nullus vir ibi sit, qui divinum Spiritum vel modicum olfecerit, sicut contigit in Concilio Nicaeno, ubi tractabant, & volebant leges condere super statu ecclesiastico, ne esset in matrimonio, ibi jam omnes erant falsi; tunc procedebat unus tantùm homo Paphnutius, & refutavit hoc totum, dixitque; non ita hoc non est Christianum, tunc totum Concilium oportuit ab ista conclusione desistere.* Sed contra primò quia plures negant hanc de Paphnutio resistentiam toti Nicaeno Concilio, eò quia illius non meminerint Eusebius, Athanasius, Epiphanius Ruffinus, & alii antiquiores qui historiam illius Nicaenae Synodi exactè scripserunt. Secundò dato etiam, at non concesso, quòd Paphnutius restiterit Concilio Nicaeno, id tamen contigit ante ipsam definitionem Concilii, cum controversia adhuc disputaretur, ut fatentur Socrates, Sozomenus, non verò post Concilii definitionem proinde Paphnutius non redarguit falsitatis Patres illius Concilii. Tertiò quia Paphnutius pro sua sententia non allegavit ullam sacram scripturam sed tantùm sua propria authoritate suam protulit sententiam, quod sententiae adversatur Haereticorum, qui volunt controversias in Conciliis sola dirimi authoritate sacrae scripturae. Quartò quia Paphnutius tantùm desideravit non interdici usum matrimonii iis, qui illud jam contraxerant, & hortatus fuit Nicaenam Synodum, ut severè interdiceret Sacerdotibus, & Monachis, ne post sacram ordinationem vel professionem in religione uxores ducerent, ut testantur Socrates, & Sozomenus; Haeretici verò adducentes in proprium favorem Paphnutium citatum à Socrate, & Sozomeno, nolunt acquiescere ejus sententiae de uxoribus non ducendis à Sacerdotibus & Monachis. Demum certum est Concilium Nicaenum contrarium decrevisse ei, quod Haeretici referunt ex Paphnutio siquidem can. 3. decrevit, ne in Domibus Sacerdotum sint ullae foeminae praeter matrem, Sororem, vel amitam, quapropter Epiphanius haeresi 59. asserit esse contra canones ut Sacerdos, Diaconus, vel Subdiaconus utatur matrimonio, & liberos generet, unde falsò asserit Lutherus *lib. de Conciliis par. 1.* dicens: Concilium Nicaenum prohibuisse Sacerdotibus usum uxorum, ac se non intelligere Spiritum Sanctum in eo Concilio, cum & castrationem prohibeat, & contubernium foeminarum.

Dices: Si Episcopi in Conciliis Generalibus sederent ut Judices non verò ut Inquisitores inde sequeretur in Pontifice obligatio sequendi in decretis condendis majorem partem Episcoporum, sed hoc est falsum, quia Damasus irritavit acta Concilii Ariminensis, in quo major pars Episcoporum consenserat parti Arianorum, ut constat ex epistola Damasi ad Episcopos Illyrici; & Leo Papa irritavit quoddam decretum Concilii Chalcedonensis, cui etiam major pars Concilii consensum praestiterat, ut testatur ipse Leo epistola 53. & sequent. Sed contra quia tametsi forsan nunquam contigerit, ut in Conciliis Generalibus Pontifex sit secutus minorem suffragiorum partem, quando nulla contigit fraus, nullus dolus nec ullus irrepserit error; quando tamen adest fraus, vel violentia aliqua impediens libertatem Suffragiorum, tunc ad Romanum Pontificem pertinet majorem Suffragiorum partem irritam declarare & illegitimam propter dolum & fraudem, & ad ipsum pertinet non approbare, nec confirmare tale Concilium, quod propterea sine authoritate, & approbatione Pontificis nullius est valoris. Concilium autem Ariminense ideo fuit destitutum

stitutum Pontificia approbatione, quia non caruit fraude, ut enim testatur Ruffinus lib. 10. cap. 21. in Concilio Ariminensi fuerunt Patres Catholici, & Latini decepti à Græcis verborum obscuritate, & ambiguitate, & in Concilio Chalcedonensi irrepsit fraus ut liquet ex Act. 16. ejusdem Concilii, ubi Legati Romani Pontificis conquneruntur quod in eorum absentia fuerit fraudulenter decretum illud editum absque eorundem consensu, & suffragio. Præses igitur in Concilio Generali debet sequi in formandis decretis majorem partem suffragiorum, si non contigerit dolus, neque fraus, & omnia Patrum suffragia fuerint libera Pontifex tamen non ut præses sed ut supremus Pastor totius dominici gregis non tenetur sequi majorem partem suffragiorum, quia Pastor non debet à suis ovibus trahi, & duci, sed Pastor tenetur oves ducere per vias rectas, in quibus nullum immineat periculum, & pascua sunt salubria, & ovibus utilia, unde potest Romanus Pontifex non approbare Concilia universalia, si fuerit aliqua suspicio fraudis, vel doli, vel immineat aliquod periculum, quo fideles possint detrimentum aliquod pati. Est enim officium Romani Pontificis confirmare, & dirigere fratres suos, ut iisdem Spiritus Sanctus assistat, ne errent, non enim Pontifex ut Pastor supremus totius dominici gregis, & ut docens ex cathedra est errori obnoxius ob Christi sponsionem Luc. 22. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando confirma fratres tuos.*

Si quæras quisnam in Conciliis Generalibus debeat præsidere? Respondetur id pertinere ad Romanum Pontificem, adeo ut hic debeat vel immediatè per se, vel mediatè per suos Legatos, ut supremus Judex præsidere in Conciliis Generalibus, & moderari omnia perinde ac caput debet reliquis membris corporis præeminere, ac in illa influere. Idque evincitur primò ex sacris scripturis, quia Romanus Pontifex est Pastor, & Pater universæ Ecclesiæ adeo ut Episcopi, & Principis respectu illius sint oves, dixit enim Christus Joan. 21. Petro & nomine Petri pro tempore ejus legitimo successore, *pasce agnos, pasce oves meas* non dixit pasce oves has vel illas, sed indeterminatè oves meas, seu omnes quæ ad me pertinent; & omnes fideles sive Ecclesiastici sive laici, sive Principes, sive privati, sive mares, vel fœminæ pertinent ad ovile Christi, suntque ejus oves ob susceptum baptismum, consequentur pertinet ad Summum Pontificem omnes pascere sive Episcopi sunt, sive simplices Sacerdotes, & Clerici, ac propterea ut Pastor supremus debet in Conciliis Generalibus præsidere, vel per se immediatè vel per suos Legatos mediatè. Hinc Actor. 15. Petrus utpote supremus Pastor à Deo constitutus præsedit, & prælocutus est in Concilio & ejus sententiam ut scribit D. Hieronymus *epist. 11. ad Augustinum* reliqui omnes fuerunt secuti, & eidem obsecuti, quia soli Petro dixit Christus: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando confirma fratres tuos.* Unde officium confirmandi fratres in Conciliis Generalibus ad solum Romanum Pontificem verum, ac legitimum Petri Successorem pertinet, qui propterea debet in Conciliis Generalibus, vel per se immediatè, vel mediatè per suos Legatos præsidere; hinc in primo Concilio Generali Nicæno I. Sylvester Papa præsedit mediatè per suos Legatos Hosium, Vitum, & Vincentium Presbyteros, qui ante omnes subscripserunt; Hosius autem tunc temporis fuit simplex Episcopus Cordubensis, cui præerant Patriarchæ, sed quia vices gerebat Romani Pontificis cæteris omnibus præsedit, & primas subscripsit non ut Episcopus Cordubensis, sed ut Legatus, & vices gerens Pontificis Romani cujus personam, & dignitatem repræsentabat. Rursus in primo Concilio Constantinopolitano Oecumenico non interfuit nec per se immediatè Pontifex, nec mediatè per suos Legatos, quia licèt convocâsset illud Concilium intendebat tamen, ut ex eo loco Episcopi congregati Romam venirent, ut ipse Occidentalium Episcopos congregaret, & Romæ celebraretur plenius Concilium ex Episcopis Orientalibus, & Occidentalibus; quia verò Orientales se excusârunt, & sententiis se conjunxerant Occidentalibus, fuit tale Concilium præsidente Papa per se immediatè celebratum, & si Episcopi Orientales etiam venissent etiam præsedisset, ut liquet ex epistola Concilii Constantinopolitani ad Damasum, ut oves suum cognoscerent supremum Pastorem. In Concilio Ephesino Cyrillus Alexandrinus ut Legatus Cœlestini Papæ præsedit, ut habent acta ejusdem Concilii. Demum in Concilio Chalcedonense præsederunt ut Legati Romani Pontificis Paschasinus, & Lucentius Episcopi, Bonifacius, & Basilius Presbyteri, omnes enim quatuor à Leone Papa fuerunt delegati, ut in Concilio illo nomine Pontificis præsiderent, & ut liquet ex historia ejusdem Concilio Legati Pontificii præsederunt primi, fuerunt primi locuti, & subscripserunt primi.

Et quamvis in 1. actione Martianus Imperator sederit primo loco non tamen ut Judex, ut ipse testatus est in oratione ad Synodum, sed tantùm ad defendendas ac propugnandas decisiones Concilii, ut sub eodem titulo interfuerat Concilio Nicæno I. Constantinus Imperator, scilicet ut sederet tumultus, & fidem tueretur, unde sederunt quidem primi Imperatores, sed non præsidebant, quia non sederunt ut Judices, sed ut defensores Concilii; Hinc quàm falsum sit, quod respondet Calvinus Legatos Pontificis in hoc Concilio præsedisse quidem sed ex privilegio Imperatoris, quod Leo Papa extorserat, quia ex litteris Concilii datis ad Leonem Papam apparet, Leonem Papam præsedisse ut Judicem, licèt non immediatè per se, sed mediatè per suos Legatos; ait enim Concilium in illa epistola: *Præsidebat tu Concilio sicut caput membris.* In sexto Concilio, quod fuit tertium Constantinopolitanum ex Zonara habemus Agathonem Papam præsedisse per suos Legatos, qui in omnibus, ac singulis actionibus primi omnium nominantur, loquuntur, & subscribunt canones Concilii. In septimo Concilio generali, quod fuerit Nicænum II. Adrianus Papa præsedit per suos Legatos & in octavo, quod fuit Constantinopolitanum IV. Adrianus II. præsuit etiam immediatè per suos Legatos quorum primus ita subscripsit: *Ego Donatus Dei gratia Episcopus Ostiensis locum obtinens Domini mei Adriani universalis Papæ huic Sanctæ & universali Synodo præsidens omnia quæ superius leguntur promulgari, & manu propria subscripsi.* Sub finem Concilii venit Basilius Imperator qui longa oratione protestatus est non adesse, ut se immisceat judiciis Ecclesiasticis cum id non pertineat ad ullum laicum, & postea se subscripsit post Patriarchas ut non Judex definiens, sed Princeps laicus consentiens, eò quia vellet ipse per

suas

ſuas ditiones exigere obſervantiam à ſuis ſubditis eorum quæ in Concilio fuerunt ſtatuta, unde ex praxi & continuo uſu Eccleſiæ Romanus Pontifex ſemper præſedit Conciliis Generalibus vel immediatè per ſe, vel mediatè per ſuos Legatos.

Ratio itidem naturalis id ſuadet, quia Eccleſia univerſalis eſt Chriſti ovile in quo oves Chriſti comprehenduntur, ſed ovili & ovibus præeſt rector, ſeu Paſtor, à quo oves ducuntur, reguntur, & paſcuntur; ſed quælibet Epiſcoporum cœtus, vel collectio comprehenditur in Chriſti ovili, conſequenter debet ſubjici totius ovilis Paſtori ſupremo, à quo ducatur, & regatur per vias ſalutis, & paſcatur per doctrinam utilem, & ducatur ad æternam beatitatem, unde ex eo, quod Pontifex fuerit à Chriſto conſtitutus in perſona D. Petri ſupremus Paſtor Dominici Gregis debet in Conciliis præſidere cæteris omnibus, cum ipſe ſit Paſtor ſupremus omnium. Præterea quia Concilia ad eum finem congregantur, ut controverſiæ dubiæ dirimantur fidei certitudo ſtet firmior, ac illuſtrius clareſcat, atqui ad id requiritur indefectibilitas fidei quam Chriſtus exauditus pro ſua reverentia ſoli Petro ſpopondit, & ejus Succeſſori pro tempore legitimè electo: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, unde ſi Romani Pontificis officium eſt confirmare fratres, debet iiſdem præeſſe, ac Conciliis Generalibus præſidere.

Calvinus tamen & alii Sectarii quinque enumerant Concilia, in quibus Romanus Pontifex non præfuit, quorum primum dicunt fuiſſe Nicænum, cui præfuit Athanaſius. Quintum Generale, cui præfuit Menas, Epheſinum II. cui præfuit Dioſcorus, Carthaginenſe VI. cui præfuit Aurelius tametſi interfuiſſent Legati Pontificis, & tandem Aquilegenſe, cui non Damaſus, ſed Ambroſius præſedit. Sed reſpondetur ad primum falſum eſſe Sylveſtrum Papam non præſediſſe mediatè per ſuos Legatos, neque in Concilio illo Nicæno potuit Athanaſius præſediſſe; quia tunc Athanaſius Diaconus tantum erat, & nondum Alexandrinus Epiſcopus creatus conſequenter non potuit præeſſe reliquis Epiſcopis niſi fuiſſet inverſus totus Ordo. Athanaſius igitur nonniſi quinque menſibus poſt Concilium Nicænum fuit conſecratus Epiſcopus Alexandrinus, ut referunt Epiphanius, Socrates, Sozomenus, & ipſemet Athanaſius in Apolog. 2. Ad Menæ præſidentiam quod attinet, id omnino falsò aſſeritur, ut conſtat ex Actis ejuſdem Concilii, Menas enim quinque annis antequam Concilium congregaretur defunctas fuerat, ut ſcribit Victor de Tunis ſcriptor illius ſæculi inquiens ſub Eutycho Menæ Succeſſore celebratum fuiſſe Concilium illud. Quod verò attinet ad Dioſcorum, qui dicitur præſediſſe in Concilio Epheſino, reſpondetur, id contigiſſe per violentiam adhibitam per excitatos tumultus, & ſeditiones, neque quæ acta fuerunt eo tempore, quo præſedit Dioſcorus ullam habuerunt authoritatem quia ſtatuta ſine capite, & ſine authoritate ſupremi Paſtoris, neque tunc interfuerunt Legati Pontificis ob occupatam à Dioſcoro ſedem. Ad quartum, quod dicebatur de Concilio Carthaginenſi VI. cui præfuit Aurelius, tametſi adeſſent Legati Pontificis, reſpondetur tale Concilium fuiſſe tantùm Provinciale non verò generale totius Eccleſiæ, quia ſicut in Conciliis Provincialibus debet præſideret Archiepiſcopus, vel primas illius Provinciæ ita Concilio univerſali totius Eccleſiæ debet præſidere ſupremus Paſtor totius dominici gregis qui eſt Romanus Pontifex vel per ſe immediatè vel per ſuos Legatos mediatè; concedimus enim in Conciliis Provincialibus, vel Nationalibus qualia ſunt omnia Carthaginenſia deberi præſidentiam Archiepiſcopo, vel Primati ejus loci. Non enim Legati Pontificis miſſi fuerunt ad Concilium illud Carthaginenſe ut præſiderent, ſed tantùm ut aliqua tractarent nomine Romanæ eccleſiæ. Ad quintum de Concilio Aquilegenſe falſum eſt, fuiſſe generale, quia in illo tantùm interfuerunt trecenti Epiſcopi, & non fuerunt convocati omnes Epiſcopi Orientis, & Occidentis, quod requiritur ut Concilium ſit generale, idque diſertis verbis fatentur Patres, qui interfuerunt Concilio illi ſiquidem in epiſtola ad Imperatorem fatentur non fuiſſe concilium congregare Generale, ſed ſufficiſſe Provinciale, ad id, pro quo vocati erant. Præterea falſum eſt Ambroſium præſediſſe in Concilio illo Aquilejenſi; nam primus omnium nominatur Valerianus Epiſcopus Aquilejenſis, ſecundus Ambroſius Mediolanenſis, idque argumento eſt, Valeriano datum fuiſſe primum locum. Neque obſtat, quòd in Concilio illo ſolus Ambroſius dicatur diſputâſſe cum Hæreticis, quia munus diſputandi non pertinet ad Præſidem ſed ad Epiſcopum doctiorem.

Objiciunt ſecundò Hæretici, quia Judices in Spiritualibus olim fuerunt Reges & Principes, ut Moyſes, Joſuë, David, Salomon, Ezechias, Joſias, ergo ſi Principibus competit judicium ferre in Spiritualibus Imperator in Conciliis Oecumenicis debet præſidere, ut Judex & Suffragium deciſionum habere. Tum quia Deus concredidit cuſtodiam legis divinæ Principibus laicis, ait enim Apoſtolus ad Roman. 13. loquens de Principe laico: *Si male egeris, time non enim ſine cauſa gladium portat, Dei enim Miniſter eſt*, ergo ſi Principis laici eſt judicare de lege Dei quomodo ſit obſervanda, & ejus trangreſſores punire, ſequitur ipſos eſſe veros Judices etiam in Spiritualibus conſequenter deberi iiſdem præſidentiam in Conciliis. Sed contra, quia præfati Principes fuerunt etiam Prophetæ quibus Deus aliqua extraordinaria commiſit, quæ ad officium videbantur Sacerdotum ſpectare; quo pacto Salomon ex Dei inſtinctu amovità pontificia dignitate Abiatar, cui ſubrogavit Sadoch. 3. Reg. 2. ſed id non præſtitit ut Princeps ſimpliciter laicus, ſed ut Propheta, ex divino inſtinctu, idque colligitur ex cauſa, quæ ibi additur. *Ut impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper domum Heli in Silo.* Verùm propter hæc extraordinaria deleri non debet lex illa generalis Deuter. 17. qua omnes in dubiis circa legem jubentur recurrere ad Sacerdotes, præterea quia Malach. 2. dicitur: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Cæterum alii Reges Synagogæ nunquam ſe negotiis Sacerdotalibus immiſcuerunt, & quoties id attentarunt, divinam fuerunt ultionem experti; liquet dè optimo Rege Joſaphat, qui 2. Paral. cap. 19. diſtinguit officia, inquiens: *Amarias Sacerdos, & Pontifex in omnibus, quæ ad Deum pertinent præſidebit.* Oſias cum Sacerdotis officium ſibi uſurpavit incenſum adolendo, 1. *Paral.* 26. à Deo percuſſus fuit leprâ usque ad mortem. Reges enim & Imperatores ſunt legis divinæ cuſtodes, ac defenſores non interpretes, proinde ad ipſos tantùm pertinet jubere ſubditos ut Sancita in conciliis generalibus obſervent, & eam

fidem profiteantur, quam concilia generalia docent; & hæreticos ab ecclesia judicatos coerceant pœnis temporalibus, ut docet D. Augustinus epist. 48.

Objiciunt tertiò, quia, ut narrat Zonara in vita Constantini, ad petitionem Helenæ, quæ satagebat pertrahere Constantinum filium à fide Christi ad Judaismum Sylvester disputavit cum Judæis quorum quibusdam Senatoribus tanquam judicibus, ex mandato Constantini; ergo Sylvester in illa dissertatione non fuit supremus Judex, sed sententiæ, ac judicio stetit Senatorum. Sed contra, quia hæc narratis videtur incerta, & à plerisque dicitur addita vitæ Constantini, quam Zonara compilavit; quia omnes antiquissimi Scriptores commendant, ac laudant Helenam ut imperatricem addictissimam fidei Jesu Christi, quam per totum Imperium propagavit, & summo studio promovit; unde videtur vero simile voluisse Constantinum jam à Sylvestro miraculosè mundatum à lepra, & ad Christi fidem conversum, ad Judaismum pertrahere; unde vel ipsi Hæretici Magdeburgenses cent. 4. col. 694. negant hoc à Zonara narratum de Helena, & Sylvestro: Et ex Chronico Eusebii colligitur esse inventum fabulosum; quia anno 325. lignum crucis fuisse Jerosolymis in monte Calvariæ ab ipsa Helena inventum, & in summa veneratione habitum; & Marianus Scotus refert illam disputationem contigisse anno Christi 327. operâ Helenæ tunc Christum persequentis quod esse nequit, cum biennio antea repererit Christi crucem, cujus cultum per totum orbem nitebatur propagare. Præterea esto præfata narratio vera esset; non tamen inde sequitur, Romanum Pontificem non debere in conciliis generalibus præsidere. Posset enim facilè responderi Sylvestrum in illa disputatione egisse personam privati doctoris, & ut talem potuisse se subjicere judicio aliorum, qui à Zonara vocantur Senatores; sed in Conciliis agit personam supremi Pastoris totius Dominici Gregis, ac supremi Judicis, & Doctoris docentis ex cathedra, qui, ex Christi promissione, non est errori obnoxius & cum sit caput totius ecclesiæ catholicæ repræsentatæ in concilio generali debet reliquis membris præeminere, est enim de ratione capitis ut præemineat, in influat in reliqua corporis membra, non verò ut subsit; alioquin in conciliis generalibus Pastor dependeret, ac regeretur ab ovibus, non oves à Pastore. Romanus Pontifex si consideretur ut doctor privatus est errori obnoxius, & post alterius subjici judicio; non ita ut Christi Vicarius, supremus Pastor totius Dominici Gregis, & primarius Judex, & magister docens ex cathedra, ut contingit in conciliis, quibus præsidet.

Objiciunt quartò ex Optato Milevitano, & D. Augustino, qui plerisque in locis scribunt, Donatistas in causa Cæciliani petiisse judices non à Romano Pontifice, sed ab Imperatore, qui cum eis constituisset Romanum Pontificem cum aliis episcopis, Donatistæ noluerunt acquiescere eorum judicio, à quo appellârunt, & ab Imperatore acceperunt alios judices in Galliis; & cum iterum appellassent, tandem Imperator per se voluit fidei controversiam dirimere, ac esse in causa illa Judex; ex quo inferunt hæretici in causis episcoporum, & in controversiis fidei supremum Judicem esse Imperatorem. Sed contra, quia hæretici adferunt in argumentum sui erroris, quæ acta fuerunt ab aliis hæreticis, quod perinde est ac probare unum errorem, per alium errorem. Quod enim Donatistæ in causa Cæciliani petierint Imperatorem Laicum habere judicem prout dubio errârunt; hinc Augustinus epist. 48. scribit meritò reprehendi Donatistas, quod apud Imperatorem accusaverint Cæcilianum, cum potius ipsos apud Judices transmarinos convincere debuissent; & subdit meliùs Imperatorem egisse cum Donatistas misit ad judicium Milthiadis Romani Episcopi, quia sicut Laicus est extra forum ecclesiasticum, ita Imperator Laicus nequit esse competens Judex ecclesiasticorum, neque rerum pertinentium ad ecclesiam, & fidem. Hinc Optatus lib. 1. contra Permenianum refert Imperatorem contra Donatistas ad ipsum appellantes exclamasse: *O rabida furoris audacia, sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Et D. Augustinus epist. 162. ait: *Qua in re, quemadmodum detestetur illos Constantinus, audivistis, atque utinam, ut eis ipse cessit, ut de illa causa post episcopos judicaret, à Sanctis Antistitibus veniam postea petiturus, sic & illi aliquando cederent veritati*; ægre tulit Constantinus Donatistas in controversiis fidei ad ipsum provocasse, ac debuisse post episcopos suum ferre judicium ad compescendum furorem Donatistarum, ac eorum frangendam pertinaciam, cum cognoscerent ab omnibus condemnari. Cognovit etiam Constantinus à se non potuisse controversiam illam Donatistarum judicari; sed tantum sperâsse, fore, ut Episcopi essent illis veniam daturi, à quibus esset ipse petiturus; hanc fuisse mentem Constantini liquet ex Ruffino lib. 10. histor. c. 2. ubi asseruit se debuisse ab episcopis judicari, non verò judicare in fidei controversiis.

Objiciunt quintò, quia ut referunt Socrates *lib. 5. cap. 10.* & Sozomenus *lib. 7. cap. 12.* Imperator Theodosius jussit ut singuli Principes variarum religionum scilicet Catholici, Ariani, Eunomiani adferrent ad se scriptam formulam fidei suæ, quod cùm præstitissent Imperator enixim Deum oravit, ut vellet mentem suam dirigere in veræ fidei electione, & postea lectis omnibus Confessionibus solam religionem Catholicam approbavit, & jussit eam per totum suum imperium servari, ex quo inferunt Acatholici judicare de controversiis fidei pertinere ad Imperatorem cum Theodosius post fusas ad Deum preces judicaverit Catholicam religionem esse veram, ac cæteris præferendam. Sed contra, quia Theodosius ex Socrate & Sozomeno non suscepit ullam novam controversiam à se judicandam, & definiendam, neque se Judicem constituit in controversiis fidei, idque ex eo est probatu facile, quia quæstio jam definita fuerat in Concilio Nicæno, quod ipse mordicus semper defendit ac propugnavit, posuitque semper servari, adeò ut recusaverit baptizari ab Episcopo Thessalonicensi nisi priùs intellexisset eum Nicænæ fidei adhærere, ut disertis verbis refert Socrates *lib. 5. cap. 6.* unde Theodosius non potuit dubitare de fide Catholica, hinc Ambrosius epist. 32. scribit non pertinere ad Imperatores in controversiis fidei judicare, & id probat testimoniis Constantini Valentiniani junioris, & Theodosii, qui noluerunt se immiscere controversiis fidei neque de iisdem judicium ferre, cum noverint Principes laicos non esse Judices competentes in rebus pertinentibus ad Ecclesiam. Quamobrem Ambrosius in Concilio Aquilejensi asserit Imperatorem Theodosium reliquisse omnino liberum Sacerdotibus judicium de controversiis fidei unde Theodosius nihil judicavit in causa fidei, sed tantùm voluit legere Sectariorum confessiones ut ipsis satisfaceret, & ne videretur eos inauditos ab Imperatore damnatum iri à

Sacer-

Sacerdotibus. Cæterum quòd Socrates dicat Theodoſium à Deo per fuſas preces poſtulâſſe, ut ejus mentem dirigeret in electione veræ fidei, falſum omnino eſt, quia ipſe Socrates affirmat Imperatorem ſecreto orâſſe, & ſubmiſſa voce, vel tantùm mentaliter, unde oon potuit ipſi innoteſcere ad quem finem oraverit, nec quid in tali oratione petierit à Deo. Secundò quià ſi oraſſet, ut narrat Socrates ad eum finem, ut Deus dirigeret ſuam mentem in electione veræ fidei, & quænam eſſet præferenda Ariana vel Catholica procul dubio dubitaſſet num catholica fides eſſet vera, ſicque dubitando de fide ita ſuas fundendo preces peccâſſet peccato infidelitatis: atqui certum eſt Theodoſium in hoc facto non peccaſſe, quia omnes ſcriptores eum commendant, aſſerentes laudabiliter egiſſe. Oravit igitur Imperator non ut à Deo dirigeretur in electione veræ fidei, ſed ut Hæretici à Deo illuminarentur & ad veram fidem converterentur.

Objiciunt ſexto ex Theodoreto *lib.* 5. *c.* 23. ubi narrat, quòd cùm Romani Pontifices detrectarent Flavianum eſſe Epiſcopum Antiochenum Theodoſius Imperator oppoſitum judicavit, juſſitque Flavianum eſſe Epiſcopum Antiochenum. Verum hæc objectio potius corroborat, noſtram aſſertiionem, quia oſtendit primatum Romani Pontificis, quia jure noluit Flavianum eſſe Epiſcopum Antiochenum, adeo ut jus eligendi talem Epiſcopum pertinuerit ad ſolum Romanum Pontificem. Quòd verò Imperator Theodoſius voluerit Flavianum Epiſcopum inſtitui Antiochenum, id ex præpotentiâ humaniâ, & violentia, quam ſubinde ſolent Principes laici adhibere in eccleſiaſticos, præſtitit non verò ex juſtitia, idque ex eo evincitur, quia ut narrat Socrates *lib.* 5. *c.* 5. id temporis fuit ſchiſma in Eccleſia Antiochena, in qua duo erant Epiſcopi Meletius, & Paulinus; & placuit populo Antiocheno, ut ambo ſimul ſederent in eadem ſede, ſed cum alter ſuum clauſiſſet extremum diem, & alter ſolus Epiſcopus ſuperſtes eſſet, non nemine ſuccedente Epiſcopo defuncto adhuc mortuo Meletio in ejus locum ſuffectus fuit Flavianus tametſi viveret adhuc Paulinus, & Populus jurejurando ſe obſtrinixiſſet de non eligendo alio Epiſcopo, & poſtea contra juramentum egiſſet, ideo Romanus Pontifex Damaſus ſe oppoſuit, ne Flavianus eſſet Epiſcopus, ut ſchiſma tolleretur ab illa Eccleſia, & quia talis electio erat illicita ob non ſervatum juramentum, hinc D. Ambroſius epiſt. 78. quam direxit ad Theophilum Alexandrinum hac de re, ait: *Scribit Sanctitas tua Flavianum ad Imperialium reſcriptorum ſuffragia remeaviſſe: fruſtra ergo tantorum ſacerdotum fuſus labor; iterum ad hujus ſaculi judicia revertendum*, & nonnullis interiectis ſubdit: *Sanè referendum arbitramur ad Sanctum fratrem noſtrum ſacerdotem Romanæ Eccleſiæ.* Rurſus certum eſt, D. Joannem Chryſoſtomum non à Flaviano fuiſſe Antiochiæ, ſed ab Evagrio ſucceſſore Paulini ordinatum Presbyterum, ut refert Socrates *lib.* 6. *c.* 3. Neque Chryſoſtomus permiſiſſet, ſe ordinari ab Evagrio, ſi cenſuiſſet Flavianum eſſe verum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum. Tum quia Theophilus Alexandrinus Epiſcopus referente Socrate *lib.* 5. *c.* 15. Romanum Pontificem per ſuum Legatum rogavit, ut Flaviano commiſſum peccatum dimitteret; & hoc idem etiam præſtitiſſe Chryſoſtomum, ac rogâſſe Romanum Pontificem pro Flaviano refert Sozomenus *lib.* 8. *cap.* 3. ex quibus clarè infertur Flavianum peccâſſe, & ſuum ſuperiorem, ac Judicem non fuiſſe Theodoſium, Imperatorem, ſed Romanum Pontificem. Hinc etiam D. Hieronymus epiſt. ad Damaſum de nomine hypoſtaſis loquens de eodem Schiſmate in Eccleſia Antiochena poſtulat à Pontifice, cuinam eorum Epiſcoporum communicare debeat, & apertè fatetur, ſe illi communicaturum, qui cum Romano Pontifice conjunctus fuerit. Rurſus circa hanc propoſitionem Flaviani ad Epiſcopatum Antiochenum adhuc vivente Paulino in eadem ſede redarguunt Theodoſium tres Romani Pontifices doctrinâ, & ſanctitate inſignes Damaſus, Syricius, & Anaſtaſius, ut narrat Theodoretus *lib.* 5. *cap.* 23. eò quia voluerit Imperator non delere, ſed fovere ſchisma in Eccleſia Antiochena. & ſcripſerunt ad eum pertinere armorum vi opprimere Tyrannos, qui contra ſe inſurgerent non verò ſe immiſcere rebus Eccleſiaſticis hanc objurgationem nunquam Pontifices adhibuiſſent in Imperatorem, niſi eum graviter errâſſe noviſſent, & tamen ob eandem objurgationem Imperator non ſuccenſuit Romanis Pontificibus, quin potius Flavianum bis Romam navigare juſſerit, ut coram Pontifice ſe purgaret, quem ut refert Theodoretus non de juſtitia, & jure, & de potentia, & violentia ad Epiſcopatum Antiochenum promoverat: neque Epiſcopi Occidentis, & Ægypti voluerunt Flaviano communicare donec Evagrio jam mortuo Romanus Pontifex delictum Flaviano condonaverit, ac promiſerit, ſe Legatos ejus admiſſurum.

# CAP. VIII.

## An Concilia Generalia ſint erroribus obnoxia in iis rebus, quæ ad fidem ſpectant.

Dicendum eſt Concilia generalia per ſe ſimpliciter non habere authoritate infallibilem & eſſe erroribus obnoxia in definiendis rebus fidei. Ex eo evincitur, hoc aſſertum, quia plura Concilia Generalia, quia in Controverſiis fidei de facto errarunt, fuerunt reprobata, ut primum generale quod opinione Arianorum fuit Antiochenum coactum anno 345. Quinti Conſtantii Imperatoris anni ut refert Socrates *lib.* 2. *cap.* 5. & cum ipſo etiam Sozomenus *lib.* 3. *cap.* 5. & in quos damnatu fuit S. Athanaſius, & quaſi everſa Nicæni I. Concilii fides. quia verò Concilium Antiochenum à plerisque ſolet cum aliis confundi, juvat obſervare, ſex fuiſſe Concilia Antiochiæ coacta. Primum, & ſecundum contra Paulum Samoſatenum tempore Dionyſii Papæ anno Chriſti 269. ut refert Euſebius *lib.* 7. *hiſtor. cap.* 23. *& ſequent.* Tertium fuit Arianorum temporo Julii I. anno 345. Quartum fuit Macedoniano-

dianorum pro sua hæresi coactum anno 367. tempore Liberii Papæ ut refert Hieronymus in Chronico. Quintum fuit Catholicum Provinciale, cui interfuerunt Episcopi 30. cujus canones viginti quinque habentur in Tom. 1. Conciliorum & hoc Concilium juxta Sozomenum *lib. 6. cap.* 4. celebratum fuit tempore Joviniani & Liberii. Sextum tandem Concilium inseritur Act. 14. Concilii Chalcedonensis, unde Concilium Antiochenum reprobatum fuit tertium Arianorum. Secundum Concilium generale itidem reprobatum fuit Mediolanense, cui interfuerunt supra 300. Episcopos anno 354. tempore ejusdem Constantii, in quo etiam obliquæ, ut ait Ruffinus *lib.* 10. *cap.* 20. Fides Catholica damnata fuit prævalentibus Episcopis Arianis, ut narrat Socrates *lib.* 2. *cap.* 29. Tertium fuit Ariminense sub Constantio Imperatore anno 363. coactum Arimini, cui interfuerunt circiter 600. Episcopi ex Oriente, & Occidente in quo ut ait Hieronymus in Chronico sublatum est de Symbolo Homousion, seu sublatum, quod Filius esset Consubstantialis Patri, & conqueritur Hieronymus, quod totus orbis visus sit Arianus esse; fuit autem hoc Concilium Ariminense pars quædam Seleuciensis in Oriente, ut refert Augustinus *lib. 3. contra Maximinum cap.* 14. Ambrosius *epistola* 32. Ruffinus *lib.* 10. *cap.* 21. Quartum Concilium generale, quod erravit, fuit secundum Ephesinum tempore Theodosii Junioris anno 449. in quo ab adhærentibus Dioscoro occisus fuit Flavianus Episcopus Constantinopolitanus, & Legati Romani Pontificis fugati, ac hæresis Eutychiana confirmata. Tametsi hæc Synodus Oecumenica inducta ab initio fuerit à Leone Papa, qui suos ad ipsum etiam misit Legatos. Reprobata postea fuit ab eodem Leone in epistola ad Clerum & Populum Constantinopolitanum, & ad Theodosium juniorem, ac Pulcheriam, ut habetur in Breviario Liberati cap. 12. & in Evagrio *lib.* 1. *cap.* 9. *&* 10. Quamvis enim Concilium generale indicatur, & congregetur authoritate Romani Pontificis, qui mediate per suos Legatos eidem præsideat, adhuc tamen non habet authoritatem infallibilem, & potest errare, ut contigit in Concilio hoc Ephesino II. in quo post fugatos Romani Pontificis Legatos hæresis Eutychiana confirmata fuit. Quintum generale Concilium quod erravit, fuit Constantinopolitanum sub Leone Isaurico, contra sacras imagines anno 730. & fuit tertius decimus Imperii Leonis huic tamen Concilio excepto Sancto Germano, qui eidem non consensit, & ob id à sua sede Constantinopolitana dejectus fuit, nullus alius interfuit Patriarcha, & Concilium statim à Leone Papa fuit reprobatum, eò quia erraverit, negando cultum imaginibus Christi Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum, idque causa fuit, cur Leo prohibuerit Italis consueta tributa Leoni exhibere, & imperium occidentis sejunxerit ab illo Orientis. Sextum Concilium generale quod etiam erravit, fuit Constantinopolitanum sub Constantino Cporonymo anno 755. cui interfuerunt Episcopi 338. sed sine ullo Patriarcha excepto Pseudo-Episcopo Constantinopolitano. In hoc enim Concilio definitum etiam fuit, esse abolendas Salvatoris ejusque Matris, & Sanctorum omnium imagines, quod Concilium reprobatum fuit in septima Synodo, ac sexta. De hoc Concilio plura narrat Paulus Diaconus *lib.* 21., *&* 22. *rer. Romanar.* ut etiam Zonara in suis annalibus. Juvat tamen observare falso hanc Synodum ab aliquibus vocari tertiam Ephesinam; nam omnes antiqui scriptores eam vocant Constantinopolitanam, & clarissimè liquet ex ipso Concilio, quod legitur insertum in septima Synodo act. 6. & fortassis æquivocatio oriri potuit ex eo, quia huic profanæ Synodo præsedit Theodosius Episcopus Ephesinus. Ab ipso enim præsidente fortassis vocatum fuit Concilium Ephesinum. Septimum Concilium generale, quod erravit, fuit Bisanum coactum Bisis in Etruria anno 1511. ab Imperatore & Rege Galliæ ac aliquibus Cardinalibus contra Julium secundum, quo tamen reprobatum postea fuit in Concilio Lateranensi sub eodem Julio *sess.* 2. *&* 3. Pro Octavo potest etiam recenseri Concilium Wittenbergense, quod à Lutheranis Generale dicitur, cui præsedit Lutherus anno 1536. & interfuerunt Pastores, seu Parochi Lutherani 300. quod Concilium nonnisi errores, ac hæreses docuit apertè repugnantes sacris scripturis, & traditionibus.

Fuerunt etiam aliqua Concilia partim approbata, & partim reprobata, eò quia pluribus propositionibus de fide aliquos miscuerint errores inter quæ numeratur Concilium Sardicense coactum anno Christi 351. tempore Constantii Imperatoris, & Julii I. Romani Pontificis & interfuerunt Episcopi 376. ex quibus 300. Episcopi Occidentales fidem Catholicam confirmarunt, quam explicat Hilarius lib. de Synodis. reliqui verò 76. Episcopi Orientales subscripserant fidem Arianam, ut refert Theodoretus *lib.* 2. *cap.* 7. *&* 8. & cum ipso Socrates *lib.* 2. *cap.* 16. Sozomenus *lib.* 3. *hist. cap.* 10. *&* 11. hoc enim Concilium quod generale fuit Romanus Pontifex approbavit, prout Canones fuerunt conformes fidei Catholicæ & Episcopi Occidentales eam subscripserunt, reprobavit verò prout olebat hæresim Arianam, quam subscripserunt Episcopi Orientales. Secundum Syrmiense coactum annis quinque post Sardicense scilicet anno 356. Sedente Romæ Liberio Pontifice, & imperante Constantio; duæ enim hac Synodo fuerunt fidei formulæ dissentientes inter se productæ, una composita fuit Græcè à Marco Arethusio, qui postea sub Juliano gloriosum martyrium consummavit, & ea videtur esse, quam Hilarius in libro de Synodis explicat ut Catholicam. Alia composita fuit latinè plena erroribus contra fidem quam Hilarius reprendit in libro de Synodis post initium. In hoc Concilio Photini hæresis damnata est, & hanc sententiam condemnationis omnes Ecclesiæ approbaverunt, ut narrat Socrates *lib.* 4. *cap.* 34. *& sequent.* & cum ipso etiam Sozomenus *lib.* 4. *cap.* 5. *&* 6. Tertium Concilium fuit Quinisextum in quo habentur Canones Trulani. Observandum est ex Tharasio disputante in Septima Synodo actione 4. Sex tam Synodum quæ imperante Constantino IV. celebrata fuit nonnullos canones produxisse & post annos aliquot imperante Justiniano Episcopos fuisse reversos Constantinopolim, & in palatio Cæsaris in ea concamerata aula, quæ Trulum dicitur, seu Cupula edidisse centum, & duos canones, qui à loco, in quo editi fuerunt, vocantur Trulani, & hoc Concilium à Balsamone nuncupatur Quinisextum, eò quia non sit Synodus quinta nec sexta, sed tantùm addidit canones quintæ, & Sextæ Synodi, adeo ut participaverit de utraque Synodo quatenus utrique canones addidit. Quo verò tempore hæc Synodus qui-

quinisexta coacta fuit non videtur ita certum ob varias Authorum opiniones. Theophanes antiquus historicus, quem citat Turianus in lib. de sexta Synodo asserit, celebratam fuisse anno 27. à dissolutione sextæ Synodi scilicet anno 2. Imperii Justiniani instaurati, Tharasius verò in septima Synodo Act. 4. & Epiphanius in eadem Synodo Act. 6. tom. 1. censent post quinque annos à dissolutione Concilii fuisse hos canones editos, quæ sententia videtur probabilior, verùm quod ad rem nostram pertinet, hi canones non omnes approbati fuerunt, sed plures reprobati, eò quia in illis condendis non interfuerit summus Pontifex nec per se immediatè, nec per suos Legatos mediatè, quos propterea Sergius Papa, qui tunc sedebat, reprobavit, hanc erraticam Synodum ut eam vocat Beda in lib. de sex ætatibus partim verò fuerunt approbati, quia tametsi ex se nullam habuerint authoritatem fuerunt tamen aliqui approbati non solùm à Pontifice, sed etiam ab aliis legitimis Conciliis qualis fuit canon. 82. in quo statuitur esse imagines Salvatoris, Beatæ Virginis & Sanctorum omnium pingendas & à fidelibus colendas. Quartum fuit Francofurtiense coactum anno 794. ut placet Reginoni lib. 2. Adriano I. Pontifice, & Carolo Magno Rege Francorum, quod Concilium ab Adriano approbatum fuit quoad illam partem, in qua definitur, quòd Christus non sit Filius Dei adoptivus, sed naturalis. Quoad alia verò quæ non sunt consona fidei reprobatur. Quintum recensetur Constantiense, cui interfuerunt Patres fere mille ex quibus Episcopi supra trecentos, & inchoatum fuit sub Joanne XXIII. anno 1414. & absolutum anno 1418. sub Martino V. & Sigismundo Imperatore. Hoc enim Concilium quoad primas sessiones ubi definivit Concilium esse supra Papam reprobatum fuit in Concilio Florentino, & Lateranensi ultimo, quantum verò ad ultimas Sessiones, & ea omnia, quæ approbavit Martinus V. ab omnibus Catholicis fuerunt recepta. Sextum fuit Basileense inchoatum anno 1431. & continuatum Basileæ, postea Lausannæ usque ad annum 1449. quo tempore cessit Nicolao V. Pontifici tam Concilium, quàm Papa ipse Felix creatus ab ipso Concilio. Hujus enim Concilii nil habetur ratum, & approbatum nisi quædam dispositiones circa beneficia ecclesiastica, quæ à Concilio factæ fuerant, & quas gratia partis, & unitatis Nicolaus V. approbavit. Cæterum hoc Concilium reprobatur in Concilio Lateranensi ultimo *Sess.* 11. ex quibus clarè deprehenditur Concilia etiam generalia quamvis indicta à Romano Pontifice esse erroribus obnoxia donec approbata, & confirmata ab eodem Pontifice fuerint.

Hujus veritatis extant etiam plurima testimonia non solùm Pontificum, sed etiam Conciliorum ac aliorum Patrum; eo enim ipso, quod Romanus Pontifex est supremus totius Ecclesiæ Pastor ad ipsum pertinet pascere sana doctrinâ dominicum gregem, seu omnes fideles, & definire quæ ab ipsis credi fide divina debeant, ut asserunt Alexander Papa I. *epistol.* 1. Sixtus I. *epist.* 2. Anicetus *epist.* 1. Zepherinus *epist.* 1. Calixtus *epist.* 1. & alii plures Romani Pontifices qui fuerunt illustres Sanctitate, & Martyrii gloria, adeo ut non possit suspicio irrepere ambitionis causa id asseruisse. Concilia etiam hoc idem asserunt, præsertim septimum, & octavum generale *act.* 6. *Tom.* 1. & *act.* 1. & 7. Rursus in pluribus Romanis Conciliis sub Symmacho, & Damaso hoc idem definitum fuit, ut etiam in Concilio Florentino in decreto super unione Jacobin. & præ cæteris in Concilio Nicæno sub Sylvestro Papa Constantinopolitano sub Damaso Ephesino sub Cœlestino, Chalcedonense sub Leone, quæ omnia à Romano Pontifice approbata, & confirmata fuerunt, quia ut ait Paschalis Papa epist. ad Archiepiscopum Panormitanum, & refertur de elect. cap. significâsti: *Omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ authoritatem facta sunt, & robur acceperunt.* Ratio itidem ex eo desumitur, quia primaria in ecclesia authoritas fuit à Christo non Concilio, sed soli Petro collata Matth. 16. *Vos autem quem me esse dicitis?* tametsi Christus loquatur, ac interroget omnes Apostolos, solus tamen Petrus nomine cæterorum, & ut ait D. Chrysostomus homil. 55. in Matth. *os omnium Apostolorum, & vertex totius consortii*, respondit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, cui vicissim Christus: *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram erit solutum & in cœlis*, quibus verbis expressè asseritur totam authoritatem in ecclesia esse in Romano Pontifice sine quo Concilia sunt errori obnoxia, cum enim hæc quæstio sit facti non potest exactius ostendi, nec probari, quàm ex ipsis scripturis, & verbis Christi, quorum singula expendenda sunt. Dicitur *Beatus es Simon Barjona*, quia sicut ex illo numero Apostolorum solus Petrus responderat, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, ita Christus prætermissis cæteris nomine proprio eum vocat, indicato etiam nomine parentis, ut inde intelligeremus ad quem propriè & singulariter promissio fieret: Subjungitur *quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est*, quibus verbis declaravit quantam habitura esset certitudinem doctrina fidei quæ à Petro tradenda erat ex præcipua authoritate, quam deinde illi promittit, non enim sensu qui persæpe fallit carnis & sanguinis, sed cœlestis Patris inspiratione fides de Christo, atque adeo de aliis omnibus mysteriis, quæ ad Christum omnia revocantur, concipienda à Petro erat, atque explicanda. Subdit: *Et ego dico tibi*, quia ut ait D. Hieronymus, *mercedem recepit vera confessio*, & D. Cyrillus lib. 4. dial. de Trin. cum Herm. ait: *Tam vera sententia remunerationem Petrus reportavit*, seu prærogativam aliquam singularem; Christus enim pollicetur præmium illius verissimæ confessionis, quam ipse solus præ aliis de Christo fecerat. Subdit *quia tu es Petrus*; hæc nominis mutatio Simonis in Petrum judicium est promissæ in omnes fideles auctoritatis, ut desumitur ex analogia in aliis scripturæ locis; ubi enim similis commutatio nominis divinitus facta perhibetur, signem fuit alicujus singularis dignitatis ei impertitæ, cui fuit nomen immutatum, ut liquet in Abraham Sara, & Jacob: Hinc D. Chrysostomus homil. 18. in Joan. *Ipse Deus est, qui nomina aptè imponit. Qui Abram Abraham, & Sarai Saram, & Jacob Israel vocavit. Multis à nativitate nomina imposuit, ut Isaac, & Samson, & iis, quorum nomina Isaias, & Osee, quibusdam quam acceperant à parentibus appellationem mutavit, ut prædictis, & Jesu. Mos etiam antiquitus erat à rebus nomina imponi. Quod & Elias fecit. Hac autem non temerè fit: sed ut ea appellatio imponatur, quæ sit divini beneficii*

*per-*

*Perpetuum monumentum, & memoria per prædicta nomina audstorum animis imprimatur.* Hanc novam dignitatem à Christo collatam Petro in nova nominis impositione confirmat ipsum nomen ei impositum, Petrus, Hebraicè, ac Syriace perinde est ac Cephas, quod nomen significat saxum firmum ac stabile, aptum magno ponderi sustinendo. Cum igitur Petrus esset soliditate cœlestis doctrinæ, ac firmitate fidei sustentaturus totum ecclesiæ catholicæ ædificium aptissimo vocabulo Cephas, seu saxum firmum, ac prædurum vocatur: scilicet ait S. Ambrosius sem. 47. de fide Petri, *saxum immobile, quod totius operis Christiani molem atque compagem contineret*: Imò hanc nominis appellationem multo antea Christus Petro promiserat, cum Petrus ab Andrea fuit ad Christum adductus. Tunc *intuitus eum Jesus dixit: Tu es Simon filius Jona. Tu vocaberis Cephas quod interpretatur Petrus* ut ait Evangelista Joan. I. & quia imposuerat Christus Petro hoc nomen Cephas, quod firmissimum, ac durissimum significat saxum ideo subjungit, *& super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam.* Cum Christus Syriacè loqueretur non fuit usus duobus illis vocabulis Petrus, & Petra. Sed tantùm unico *Cephas* quod latinè significat saxum, & sensus est: *tu es saxum, & super hoc saxum ædificabo ecclesiam meam* quia erat Petrus futurus fundamentum, cui post Christum innititur ecclesia ideoque debuit esse firmissimum in fide, & doctrina; Ideò Christus æternum Patrem rogavit, ut nunquam Petrus in se, & suis successoribus docentibus ex cathedra fideles in ecclesia nunquam deficeret in fide; *ergo rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua; & tu aliquando confirma fratres tuos*; & quia in concilio generali repræsentatur tota ecclesia catholica ad solum Romanum Pontificem pertinet confirmare fratres, seu approbare, vel non quæ in conciliis conduntur decreta; quia Christus non rogavit Patrem ne concilium generale sine capite deficeret in fide; sed pro solo Petro, quem constituit fundamentum suæ in terris militantis ecclesiæ, cum stare debuisset ecclesia usque ad consummationem sæculi; debuit ejus fundamentum esse firmissimum in fide, cum deficiente fundamento totum corruat ædificium; ideo Christus pro Petro speciatim rogavit, ne deficeret in fide, cui propterea injunxit ut confirmaret fratres præsertim in conciliis generalibus; *& tu aliquando confirma fratres tuos*, quia sine hac Petri approbatione, & confirmatione concilia etiam generalia sunt erroribus obnoxia; si enim essent sine capite infallibilia non indigerent approbari, & confirmari a successoribus D. Petri, seu Romanis Pontificibus, & Christus non injunxisset Petro & nomine ipsius Romano Pontifici confirmare fratres, quia fratres in concilio generali non indigerent tali approbatione, & confirmatione.

Hinc subdit, *& Tibi dabo claves regni cœlorum,* quibus verbis exprimit supremum in ecclesia authoritatem quam illi impertiebat in ordine ad constituendum de iis rebus, quæ ad salutem fidelium pertinerent, claves enim regni cælorum hanc potestatem significant eò quia usu multiplici clavium cælum fidelibus aperitur, vel clauditur, etenim doctrinam fidei fidelibus explicare iisdem peccata condonare leges salutares sancire, & quæ spectant ad cultum divinum constituere, & aliis plerisque modis saluti consulere fidelium perinde est ac januam cœli iisdem aperire, & aditum ad æternam beatitudinem recludere. Econverso quando justa de causa non remittuntur peccata, quando alicujus doctrina condemnatur mores redarguuntur, quando quis anathemate percutitur, & à communione fidelium excluditur perinde est ac cælum claudere. Cum igitur soli Petro Christus concrediderit claves regni cælorum, supremam eidem impertitur authoritatem approbandi vel non approbandi, confirmandi, & non confirmandi, quæ in ecclesia, seu in Conciliis generalibus repræsentantibus universalem ecclesiam à Patribus in iisdem congregatis statuuntur quapropter, Concilia generalia ut infallibilia sint, & non errent indigent approbari, & confirmari authoritate Romani Pontificis non enim reliquis Apostolicis dedit vel promisit Christus claves regni cælorum sicuti Petro, licèt enim Matth 18. & Joan. 20. Christus iisdem attribuat aliquam authoritatem in usu clavium, ut scilicet clauderent cælum aut aperirent in absolvendis, vel retinendis peccatis non tamen claves ipsas, seu summam potestatem id omni ratione præstandi illis concessit, nec promisit; quia soli Petrò promissæ, & tributæ fuerunt claves regni cælorum, est enim discrimen inter Petrum, & reliquos Apostolos in ordine ad potestatem clavium quia ut notat Augustinus ad utilitatem Ecclesiæ principatus ejus authoritatis Petro tributus est, ac propterea Ecclesiam ipsum repræsentasse, cum ei à Christo diceretur: *Et tibi dabo clares regni cælorum,* ait enim Augustinus in Psal. 118. *Quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, neque tamen habent illustrem intellectum nisi cum referuntur ad ecclesiam cujus ille cognoscitur in figura gestasse personam propter primatum, quem in Discipulis habuit.* Hanc præeminentiam authoritatis clavium in Petro agnoverunt Hieronymus, & Cyprianus, ait enim ille lib. 1. contra Jovinian. circ. med. *Inter duodecim unum eligi, ut capite constituto Schismatis tollatur occasio.* Ex quo liquet solum Petrum habuisse primatum præ reliquis Apostolis, & ipsi soli collatam fuisse plenariam potestatem clavium, ut etiam fatetur D. Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ propè init. inquiens: *Primatum Petro dari, ut una Christi Ecclesia, & una cathedra monstretur.* Quod si in Ecclesia primaria authoritas est in solo Romano Pontifice vero Petri successore, & Ecclesia repræsentatur in Concilio generali, sequitur in eodem præsidere solum Romanum Pontificem vel immediatè per se, vel mediatè per suos Legatos, & ad ipsum solum pertinere sedere in cathedra, seu docere, approbare, & confirmare quæ in Conciliis generalibus statuuntur in ordine ad fidem & bonos mores instituendos in fidelibus. Præterea in sacris scripturis nomine clavium solet summa potestas designari Isaiæ 22. ait Dominus de Eliachin summo sacerdote, qui typum Christi gessit *dabo clavem domûs David super humerum ejus, & aperiet, & non erit, qui claudet, & claudet & non erit, qui aperiet.* Neque quid aliud hæc clavis significat. quam potestatem in domo David, seu in ecclesia, ut quod ab ea rectè ac legitimè constitutum sit ratum apud omnes & firmum esse debeat, nec posuit à quoquam refundi. Hoc enim est aperire & neminem claudere, claudere, & neminem aperire, scilicet quod Romanus Pontifex in gene-

Generalibus Conciliis approbaverit, & confirmaverit, nullus possit reprobare, & quæ ipse damnaverit, nemo sit, qui possit illud approbare, & non damnare, hæc enim est illa clavis, seu summa potestas in Ecclesia, quæ dicitur regnum cœlorum, hinc Apocal.7 ait Joan. Apostolus: *Sanctus ille, & verus, qui habet clavem David, & qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* Hinc subdit: *Et porta inferi non prævalebunt adversus eam.* Neque putes, quid aliud esse has portas inferi, quam Hæreticos impugnantes Ecclesiam, & fidei Articulos; ait enim Epiphanius in Ancorato post init. *Porta inferorum sunt hareses, & Haresiarcha. Juxta omnem enim modum in ipso Petro firmata est fides, qui accepit claves regni cælorum.* Propterea quæ Romanus Pontifex verus Petri successor in Conciliis Generalibus approbat, & confirmat non possunt portæ inferi seu Hæretici contra eadem prævalere. Si igitur sola potestas suprema confirmandi fratres in Conciliis Generalibus, ac ea, quæ per ipsos statuta sunt soli Petro, & ejus legitimo Successori pro tempore tributa est, sequitur evidenter Concilia generalia, seu Fratres in ipsis indigere confirmari in his, quæ statuunt, & decernunt circa fidem, & mores à Romano Pontifice, propterea non esse ante Pontificiam approbationem, & confirmationem infallibilia, sed erroribus obnoxia, alioquin si essent infallibilia, non indigerent confirmari à Christi Vicario, neque Christus dixisset Petro. *Et tu aliquando conversus confirma Fratres tuos.* Per fratres intelliguntur Episcopi, qui propterea à Romano Pontifice vocantur fratres, & isti confirmantur in fide, quando in Conciliis generalibus approbantur, & confirmantur, quæ ab iisdem statuuntur circa fides, & mores fidelium. Est enim ita supra Petrum, seu Romanum Pontificem pro tempore Petri successorem Ecclesiam fundata, ut possit opera Petri contra omnes hæreses, & vim omnem inferorum firma stare citra lapsus periculum, hæc enim authoritas Petro tributa fuit à Christo, ut posset in qualibet fidei controversia certo docere, quod verissimum est, & quæ essent fidelibus in cultu, & moribus magis salutaria, ut ea constitueret ad utilitatem totius Ecclesiæ. Quòd enim Christus subjunxerit: *Et porta inferi non prævalebunt adversus eam*, debet id referri ad antecedentia, ut inde intelligamus præstantiam illius potestatis, & infallibilitatem illius authoritatis, quam Christus Petro pollicebatur, cùm ei promisit, se super illum fundaturum suam Ecclesiam, eique traditurum claves regni cœlorum. Unde sequitur: *Et quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis*, non enim significat quovis modo posse eum solvere, & ligare, sed ut habentem supremam authoritatem clavium regni cœlorum absolutam, & plenam, ut ex antecedentibus colligitur. Hoc enim pacto reliqui Apostoli non dicuntur accepisse eandem authoritatem clavium à Christo, quia authoritas clavium collata aliis Apostolis fuit limitata ad ipsos, neque erat Successoribus communicanda, & licèt eis collata fuerit à Christo, adhuc cum subordinatione ad Petrum cui primaria, & summa authoritas collata fuit, quæ transiret in successores.

Hinc falsum est, quod objiciunt Hæretici, quidquid hîc Petro promissum est, aliis etiam Apostolis fuisse tributum: siquidem Apocal. 21. omnes dicuntur fundamenta, & Matth. 18. Christus omnibus dixit. *quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*, & illud etiam dictum fuit omnibus: *Ite, ego mitto vos, quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* Hoc etiam nituntur confirmare authoritate Sanctorum Patrum, qui pares omnes Apostolos fuisse testantur, ait Cyprianus de unitate Ecclesiæ. Hoc erant utique cæteri Apostoli, quod erat Petrus pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, & asserunt hoc idem affirmari à D. Hieronymo lib. 1. contra Jovinianum, & à Leone Papa Epist. ad Anastasium. Secundò quia licèt Petro Christus videatur peculiariter promisisse claves regni cœlorum, ajunt, id non valere ad confirmandum illius principatum, quia non ipsi Petro peculiariter, sed Ecclesiæ cujus figuram Petrus præferebat fuisse promissas, & datas claves Nam contra est, quia ad hanc objectionem de æqualitate omnium Apostolorum jam pridem abundè satisfecerunt Cajetanus in *Tractat. de compar. Papa, & Concil. cap.*3. Melchior Canus *lib. 6. de locis Theolog. cap. ult.* Dominicus Sotus *in 4. sent. Dis.* 10. *q.* 1. *act.* 2. *&* 3. Ad majorem tamen claritatem respondemus ad prærogativam Apostolatus duo pertinuisse, quorum primum fuit, quod omnes Apostoli ab ipso Christo proximè authoritate Ecclesiastici ministerii acceperunt, & ab eo fuerint missi sicut ipse missus erat à Patre. Alterum fuit, quod eandem authoritatem ita à Christo acceperunt, ut non tantùm in hac vel illa orbis parte, sed ubique terrarum possent ritè, ac legitimè fungi muneribus Ecclesiasticis, & ubique docere populos, promulgare evangelium Matth. 18. *Euntes docete omnes gentes, & prædicate evangelium omni creaturæ.* Et in hisce duobus omnes Apostoli pares fuerunt in munere Apostolatûs exercendo. Et hæc duo tantùm, in quibus fuerunt pares, indicantur testimoniis, quæ nobis objiciuntur ab Hæreticis desumptis ex scripturis, vel sanctis Patribus.

Cæterùm aliæ duæ dantur prærogativæ, quibus authoritas Petri præeminet supra authoritatem à Christo tributam reliquis Apostolis. Petrus enim non reduplicativè, ut Apostolus, sed ut fundamentum particulare, & primarium post Christum, ac caput Ecclesiæ, & ut Pastor supremus ovium Christi, & ut cœli Janitor à Christo constitutus, cæteri enim Apostoli dicuntur quidem fundamenta Ecclesiæ non tamen primaria post Christum sed cum subordinatione ad fundamentum primarium post Christum, neque sunt supremi Pastores, licèt tributa fuerit eis potestas promulgandi evangelium omni creaturæ, quia hæc authoritas in universo orbe in cæteris Apostolis fuit limitata ad ipsos tantùm per extraordinarium quasi privilegium, & illis è vita decedentibus dignitas etiam talis Apostolatus cessavit, neque derivanda erat ad ullos ex eorum Successoribus, secus hæc authoritas Divo Petro concessa fuit, ut ordinaria, & duratura in suis Successoribus, quia universæ Ecclesiæ duraturæ usque ad consummationem sæculi est fundamentum non enim potuit hoc fundamentum perpetuo durare, nisi per Successores legitimos Petri, esset ipse brevi moriturus. Quamobrem hæc authoritas concessa fuit Petro, ut ordinaria, & duratura in suis Successoribus: reliquis verò Apostolis fuit extraordinaria, & limitata in personis aliorum Apostolorum, adeo ut ipsis è vita decedentibus etiam ipsa dignitas Apostolatûs desineret, quod tamen non ita intelligitur, ut nulla prorsus authoritas Apostolatus pervenerit ad Episcopos, *qui sunt*, ut explicat Anacletus Papa (*dist.* 31. *can. In novo*) *Apostolorum successores*, siquidem Episcopi in suis Ecclesiis exercent functiones Apostolorum,

lorum, & eorum authoritas ſicut in Apoſtolis perſeverat uſque ad mortem, eſtque adeo perpetuum illud Dei in Eccleſia beneficium, quo inter cæteros miniſtros ei attribuuntur Apoſtoli ad conſummationem Sanctorum, ut ait D. Paulus ad Epheſ. 4. Cæterum etiam authoritas Epiſcoporum eſt limitata quoad locum, ſeu intra limites ſuæ Diœceſis, & ſubordinata Romano Pontificis, qui eſt ſupremus Paſtor totius Dominici gregis. Alia prærogativa, qua D. Petrus aliis antecelluit Apoſtolis, eſt, quia tametſi poteſtatem acceperit, hanc tamen etiam in ipſos Apoſtolos potuit exercere, non verò Apoſtoli in Petrum, quia ſemel quod à Chriſto fuit ſolus Petrus, conſtitutus ſupremus Paſtor totius ſui ovilis Joan. 21. *Paſce oves meas*, ſcilicet indeterminatè, illimitatè omnes nulla excepta, & ad Chriſti ovile pertinuerunt reliqui Apoſtoli, qui pariter erant oves Chriſti, ſequitur Petrus, ut ſupremus Paſtor potuiſſe poteſtatem aliquam in ipſos exercere, quia proprium Paſtoris eſt regere & paſcere oves, proinde Petrus potuerit regere alios Apoſtolos, eóſque confirmare in fide authoritativè, ac illis præſcribere modum & locum, ut miniſterio fungerentur Apoſtolico, prout id magis videretur conducere ad pleniorem Eccleſiæ utilitatem, unde Cajetanus loc. cit. ait: *Reliquos Apoſtolos quatenus Apoſtolos fuiſſe quidem D. Petro pares, tamen qua ratione oves Chriſti erant, fuiſſe Petro ſubjectos.* Neque hanc præeminentiam Petri præ cæteris Apoſtolis iverunt inficias Sancti Patres, ait enim Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ non longè ab initio, *pari conſortio præditos reliquos Apoſtolos fuiſſe, & honoris, & poteſtatis*: ſed poſtea ſubdit: *ſed exordium ab unitate proficiſcitur, Petro primatus datus, ut una Chriſti Eccleſia, & una cathedra monſtretur.* Ecce, quomodo Cyprianus in paritate Apoſtolatus fateatur Petri primatum. Et D. Hieronymus lib. 1. contra Jovin. circa medium ait: *Super Petrum fundatur Eccleſia, & licet id ipſum in alio loco ſuper Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex æquo* (quod attinet ad prærogativam Apoſtolatus tantum) *ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* Expreſsè fatetur Hieronymus Petrum ultra dignitatem Apoſtolatus fuiſſe à Chriſto conſtitutum caput omnium Apoſtolorum, ut occaſio ſchiſmatis tolleretur: ſiquidem niſi unum conſtituiſſet caput cæterorum, omnes Apoſtoli fuiſſent capita, & Diſcipuli unius Apoſtoli, ſuo capiti tantum obtemperâſſent, eique fuiſſent obſecuti, ſicque ſchiſma fuiſſet procul dubio in Eccleſia, ad quod avertendum Chriſtus ultra dignitatem Apoſtolatus tributam D. Petro, & reliquis Apoſtolis illum conſtituit caput reliquorum, & ſupremum Paſtorem totius dominici gregis, ad quem pertinuerunt etiam reliqui Apoſtoli, quapropter ſcripſit D. Leo Papa Epiſt. ad Anaſtaſium Epiſcopum Tharſenſem *Inter beatiſſimos Apoſtolos in pari honoris conſortio fuit quædam diſcretio poteſtatis. Et cùm omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt, ut cæteris emineret*, & ipſe Anacletus, ubi pari etiam conſortio honorem & poteſtatem Apoſtolicam reliquos accepiſſe Apoſtolos dixerit: Adhuc aſſerit diſt. 21. in novo, & clariùs epiſt. 3. à Petro poſt Chriſtum in novo teſtamento ſacerdotalem ordinem cœpiſſe, & ipſum Apoſtolos reliquos habuiſſe pro Principe. Quinimò non ex Doctoribus, qui aſſerant etiam in hoc reliquos Apoſtolos fuiſſe inferiores Petro, & quod à Chriſto acceperint Apoſtolici muneris authoritatem per ipſum Petrum adeo, ut ſolus Petrus immediatè acceperit à Chriſto authoritatem Apoſtolatus, & reliqui Apoſtoli nonniſi mediatè per Petrum, ita enim cenſet Joannes à Turrecremata, id etiam videtur probare ex Anacleto diſt. 67. can. Porro. ubi aſſerit. *Jacobum fratrem Domini fuiſſe ordinatum Epiſcopum Hieroſolymitanum à Petro, & Joanne, & altero Jacobo.* Verùm hæc ſententia eſt minus communis, & non neceſſaria ad aſſerendum primatum Petri. Ad aliud, quod objiciebant Sectarii claves regni cœlorum fuiſſe promiſſas, & datas Petro in perſona Eccleſiæ, id videtur contra ipſos magis eſſe, quia ut ait D. Auguſtinus, eatenus Petrus in perſona Eccleſiæ claves accepit, quia non ut privata perſona, neque ut qualiſcunque alius Eccleſiæ Miniſter, ſed ut Eccleſiæ totius Præfectus, qui ſingulariter totam Eccleſiam repræſentaverit, eas accepit ad utilitatem ejuſdem.

Poſſet etiam evinci ſuprema authoritas infallibilis Romani Pontificis in Conciliis generalibus, & quoties docet ex Cathedra ex textu Lucæ 22. ubi Chriſtus exorta contentione inter Diſcipulos, quis earum videretur eſſe major, eorum ambitionem, ut corpeſceret, & ſuperbiam coërceret, eò quia ſimilis videretur ambitioni Principum ſæcularium, præſcribit iiſdem modum humilitatis exercendæ inquiens: *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur: vos autem non ſic, ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut Miniſtrator. Nam quis major eſt, qui recumbit atque miniſtrat? nonne qui recumbit? ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.* Hiſce prolatis imperat Petro uſum illius primariæ authoritatis in confirmandis in fide fratribus: ſatis profecto indicavit eum ipſum Petrum eſſe, cui per verba antecedentia modum in ſupremo dignitatis gradu tenendum propoſuerat, ait enim ad ipſum ſolum: *Simon, ecce Sathanas expedivit vos, ut cribraret ſicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuas.* In hoc textu Luc. 22. quatuor ſunt conſideranda Primum fuit, quòd in illa Diſcipulorum contentione Chriſtus non negaverit, aliquem in Eccleſia fuiſſe futurum reliquis ſuperiorem, quin potius videtur id affirmare, cùm dixit, *qui major eſt*, quia jam erat in Chriſto decretum præficiendi Petrum reliquis Apoſtolis, ideo ſubjungit *in vobis*, & tunc monet, ut conſtitutus in ſummo gradu dignitatis Eccleſiaſticæ non imitetur ſuperbiam, & ambitionem mundanorum Principum, ſed ſui Magiſtri moderationem, & ſubmiſſionem, cum dixerit: *Ego enim ſum inter vos ſicut qui miniſtrat.* Secundò indicat, quis ſit qui major futurus eſt, ſcilicet Petrus, pro cujus fide ad communem aliorum utilitatem orat, ut ſit firma, & conſtans nulli obnoxia errori, & hac doctrina fidei præcipit Petro, ut confirmet fratres ſuos, & *Tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, utitur verbo confirmandi, quod authoritatem in docendo ſignificat. Tertiò quòd Petrus fuerit major cæteris à Chriſto ſignificatur non quidem in vitæ ſanctimonia vel virtutum cultura, ſed in officii authoritate, ex eo enim quòd illi præceperit confirmare fratres, ſatis apertè indicat ejus majoritatem ſupra reliquos, & præeminentiam, confirmare enim aliquos in officio, vel ſtatu, pertinet ad ſuperiorem, unde Chriſtus monuit, ut qui major futurus eſſet, fieret virtute humilitatis, & ſubmiſſio-

missionis sicut minor. Quartò quia sermo Christi fuit directus ad ipsos Apostolos, quapropter loquebatur de authoritate & præstantia Apostolatus, ut qui inter Apostolos futurus erat major, ad exemplum Magistri studeret humilitati, & submissioni. Hinc pulchrè D. Leo Papa d. Serm. 3. de die anniverf. assumpt. suæ: *Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis & divinæ protectionis auxilio pariter indigebant; quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere. Et tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit, in Petro ergo omnium fortitudo munitur. & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Cum itaque dilectissimi tantum nobis videamus præsidium divinitus institutum justè in Ducis nostri meritis, & dignitate lætamur gratias agentes Redemptori nostro, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ Principem fecit.* Et D. Ambrosius in præl. 43. ait: *Petrus Ecclesiæ præponitur: itaque ante significat Dominus, quid sit illud, quod postea eum pastorem elegit Dominici gregis: Nam huic dixit. Tu autem conversus confirma fratres tuas.* Ait Petrum à Christo fuisse præpositum Ecclesiæ electum, hoc est, superiorem cæteris, qui sunt in Ecclesia; Idque ex eo ostenditur, quia cum constituerit supremum Pastorem suarum ovium Joan. 21. *Petre, amas me? Pasce oves meas*, hæc est sana doctrina, & recta fides pone fideles totius Ecclesiæ; ex eo enim, quod dicat *oves meas*, omnes includit, nullam excipit ovem, propterea ad ipsum pertinet docere omnes fideles, & ducere per semitas æternæ salutis; Ideoque illi injungitur, ut aliquando confirmet fratres suos: per fratres Episcopi intelliguntur in Conciliis Generalibus simul congregati, qui cum pertineant ad Christi ovile, sintque & ipsi oves Christi ad Romanum Pontificem, ut ad supremum Pastorem spectat, Episcopos ut oves Christi ponere etiam in Conciliis Generalibus per approbationem, vel rejectionem decretorum, ac canonum, qui ibi conduntur, quod est confirmare fratres, in editis statutis juxta rectas fidei regulas.

Idque solet etiam evinci ex illo Joan. 21. ubi Evangelista ait: *Erant Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filii Zebedæi; & alii ex Discipulis ejus duo &c. Et dicit Simoni Petro JEsus: Simon Joannis diligis me plus his? dicit ei: etiam Domine; tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos: dicit ei iterum: Simon Joannis diligis me? ait illi, etiam Domine; Tu scis, quia amo te. Dicit ei, pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Joannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò: amas me; & dicit ei: Domine tu omnia scis, & scis, quia amo te. Dicit ei: pasce oves meas.* Petro igitur collata fuit primaria authoritas regendi universam Ecclesiam, quæ authoritas cæteris Apostolis non fuit tributa; cum soli Petro præ cæteris Apostolis, qui aderant, injunctum fuit munus pascendi agnos, & oves pertinentes ad Christi ovile, scilicet omnes, cum nulla excipiatur, & indeterminatè sine ulla restrictione dictum fuerit Petro; *Pasce oves meas*: quod si reliqui omnes Apostoli fuerunt oves Christi, ac pertinuerunt ad ejus ovile, procul dubio debuerunt pasci à Petro, cujus propterea authoritas fuit primaria in Ecclesia, quæ soli Petro tributa fuit à Christo. Hinc in Concilio Hierosolymitano ad dirimendam controversiam ortam circa legalia, solus Petrus indixit Concilium, & in ipso sententiam dixit, cui reliqui acquieverunt, & hoc fuit poscere Christi oves, & confirmare fratres. Quòd si Concilia Generalia indigent approbari, & confirmari à Petri Successore canonicè electo, sequitur non esse infallibilia, sed errore obnoxia, alioquin non indigeret approbari, & confirmari à Romano Pontifice; id enim approbatur, quod cum potuerit esse erratum, deprehenditur sine errore, & probatur rectum: ergo Concilia Generalia sine capite, seu antequam approbentur, & confirmentur à Romano Pontifice non sunt infallibilia, & possunt errare, ut de facto plura recensentur, quæ errarunt. Ergo infallibilitas in Conciliis Generalibus derivatur ab approbatione, & confirmatione Romani Pontificis, & ab ejusdem primaria authoritate, quæ ut primaria in Ecclesia ei à Christo tributa fuit, ut ex variis circumstantiis ostenditur: ait enim *Simon Joannis amas me plus his?* De præstantiori virtute charitatis eum præ cæteris præsentibus interrogat, quia præ cæteris eum voluit præstantiori, ac majori præmunire authoritate. Rursus dicit ei *pasce oves meas*, seu ut Græcè legitur, *rege oves meas* nempe illi soli regimen commisit totius militantis Ecclesiæ; suas omnes nemine excepto concredidit oves, quarum supremum instituit pastorem, ut eas pasceret salutis doctrina. Notandum, quòd duabus primis vicibus illi injunxit, ut pasceret suos agnos, *pasce agnos meos*: & tertia vice oves, *pasce oves meas*, id interest discriminis inter agnos, & oves, quod illi utpote tenelli, & adhuc imperfecti pascuntur lacte, afficiuntur dulcedine, oves verò herbis aluntur, & gramine, quia jam adultæ, & perfectæ, ut discerent in Ecclesia Pastores imperfectos blandè, ac suaviter trahere ad studia virtutum, ac scirent eorundem compati infirmitatibus. Vel ut explicat D. Ambrosius in Lucam lib. 10. cap. 24. Commisit Christus Petro curam omnium Ecclesiæ ordinum, ut regeret non solùm vulgares, atque imperfectiores fideles, qui sunt veluti agni adhuc lactentes, & veluti parvuli lacte pascendi, verùm etiam perfectas seu Pastores ipsos Ecclesiarum, qui veluti oves matres sunt cæterorum: omnes enim fideles sive agni imperfecti, sive oves perfectæ; seu æquè laici, ac Ecclesiastici, æquè subditi, ac Principes Christiani, & Episcopi omnes pascuntur pabulo sanæ doctrinæ ab uno supremo Pastore Romano Pontifice legitimo Petri Successore: ex hac trina interrogatione circa amorem, & trino præcepto pascendi agnos, & oves suas infert D. Ambrosius supremam authoritatem in Ecclesia supra reliquos omnes Petro, & ejus Successoribus tributam ait ipse loc. cit. *Tertiò Dominus interrogavit: Et jam non agnos lacte pascendos, ut primò neque oviculas, ut secundo, sed oves pascere jubetur perfectiores, ut perfectior gubernaret.* Præterea notatu dignum est, quod Christus non distinxerit neque exceperit ullas oves, sed absolute dixerit Petro, *pasce oves meas*, ut significaret, curam totius sui ovilis soli Petro demandásse ejusque officium esse *pascere omnes oves* cujuscunque sint conditionis sexus, dignitatis & nobilitatis, & alienum esse à suo ovili, quicunque Petrum Pastorem non agnoscerent, ut explicat D. Bernardus lib. 2. de considerat. ad Eugenium, adeo ut neque Apostolos à Petri cura exemerit, eò quia & ipsi oves Christi fuerunt. Verùm consideranda

lorum, & eorum authoritas sicut in Apostolis perseverat usque ad mortem, estque adeo perpetuum illud Dei in Ecclesia beneficium, quo inter cæteros ministros ei attribuuntur Apostoli ad consummationem Sanctorum, ut ait D. Paulus ad Ephes. 4. Cæterum etiam authoritas Episcoporum est limitata quoad locum, seu intra limites suæ Diœcesis, & subordinata Romano Pontificis, qui est supremus Pastor totius Dominici gregis. Alia prærogativa, qua D. Petrus aliis antecelluit Apostolis, est, quia tametsi potestatem acceperit, hanc tamen etiam in ipsos Apostolos potuit exercere, non verò Apostoli in Petrum, quia semel quod à Christo fuit solus Petrus, constitutus supremus Pastor totius sui ovilis Joan. 21. *Pasce oves meas*, scilicet indeterminatè, illimitatè omnes nulla excepta, & ad Christi ovile pertinuerunt reliqui Apostoli, qui pariter erant oves Christi, sequitur Petrus, ut supremus Pastor potuisse potestatem aliquam in ipsos exercere, quia proprium Pastoris est regere & pascere oves, proinde Petrus potuerit regere alios Apostolos, eósque confirmare in fide authoritativè, ac illis præscribere modum & locum, ut ministerio fungerentur Apostolico, prout id magis videretur conducere ad pleniorem Ecclesiæ utilitatem, unde Cajetanus loc. cit. ait: *Reliquos Apostolos quatenus Apostolos fuisse quidem D. Petro pares, tamen qua ratione oves Christi erant, fuisse Petro subjectos.* Neque hanc præeminentiam Petri præ cæteris Apostolis iverunt inficias Sancti Patres, ait enim Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ non longè ab initio, *pari consortio praditos reliquos Apostolos fuisse, & honoris, & potestatis*: sed postea subdit: *sed exordium ab unitate proficiscitur, Petro primatus datus, ut una Christi Ecclesia, & una cathedra monstretur.* Ecce, quomodo Cyprianus in paritate Apostolatus fateatur Petri primatum. Et D. Hieronymus lib. 1. contra Jovin. circa medium ait: *Super Petrum fundatur Ecclesia, & licet id ipsum in alio loco super Apostolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant, & ex aquo* (quod attinet ad prærogativam Apostolatus tantum) *super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.* Expressè fatetur Hieronymus Petrum ultra dignitatem Apostolatus fuisse à Christo constitutum caput omnium Apostolorum, ut occasio schismatis tolleretur: siquidem nisi unum constituisset caput cæterorum, omnes Apostoli fuissent capita, & Discipuli unius Apostoli, suo capiti tantum obtemperâssent, eique fuissent obsecuti, sicque schisma fuisset procul dubio in Ecclesia, ad quod avertendum Christus ultra dignitatem Apostolatus tributam D. Petro, & reliquis Apostolis illum constituit caput reliquorum, & supremum Pastorem totius dominici gregis, ad quem pertinuerunt etiam reliqui Apostoli, quapropter scripsit D. Leo Papa Epist. ad Anastasium Episcopum Tharsensem *Inter beatissimos Apostolos in pari honoris consortio fuit quadam discretio potestatis. Et cùm omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cateris emineret*, & ipse Anacletus, ubi pari etiam consortio honorem & potestatem Apostolicam reliquos accepisse Apostolos dixerit: Adhuc asserit dist. 21. in novo, & clariùs epist. 3. à Petro post Christum in novo testamento sacerdotalem ordinem cœpisse, & ipsum Apostolos reliquos habuisse pro Principe. Quinimò non ex Doctoribus, qui asserant etiam in hoc reliquos Apostolos fuisse inferiores Petro, & quod à Christo acceperint Apostolici muneris authoritatem per ipsum Petrum adeo, ut solus Petrus immediatè acceperit à Christo authoritatem Apostolatus, & reliqui Apostoli nonnisi mediatè per Petrum, ita enim censet Joannes à Turecremata, id etiam videtur probare ex Anacleto dist. 67. can. Porro. ubi asserit. *Jacobum fratrem Domini fuisse ordinatum Episcopum Hierosolymitanum à Petro, & Joanne, & altero Jacobo.* Verùm hæc sententia est minus communis, & non necessaria ad asserendum primatum Petri. Ad aliud, quod objiciebant Sectarii claves regni cœlorum fuisse promissas, & datas Petro in persona Ecclesiæ, id videtur contra ipsos magis esse, quia ut ait D. Augustinus, eatenus Petrus in persona Ecclesiæ claves accepit, quia non ut privata persona, neque ut qualiscunque alius Ecclesiæ Minister, sed ut Ecclesiæ totius Præfectus, qui singulariter totam Ecclesiam repræsentaverit, eas accepit ad utilitatem ejusdem.

Posset etiam evinci suprema authoritas infallibilis Romani Pontificis in Conciliis generalibus, & quoties docet ex Cathedra ex textu Lucæ 22. ubi Christus exorta contentione inter Discipulos, quis earum videretur esse major, eorum ambitionem, ut corpesceret, & superbiam coërceret, eò quia similis videretur ambitioni Principum sæcularium, præscribit iisdem modum humilitatis exercendæ inquiens: *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui pracessor est, sicut Ministrator. Nam quis major est, qui recumbit atque ministrat? nonne qui recumbit? ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Hisce prolatis imperat Petro usum illius primariæ authoritatis in confirmandis in fide fratribus: satis profectò indicavit eum ipsum Petrum esse, cui per verba antecedentia modum in supremo dignitatis gradu tenendum proposuerat, ait enim ad ipsum solum: *Simon, ecce Sathanas expedivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuas.* In hoc textu Luc. 22. quatuor sunt consideranda Primum fuit, quòd in illa Discipulorum contentione Christus non negaverit, aliquem in Ecclesia fuisse futurum reliquis superiorem, quin potius videtur id affirmare, cùm dixit, *qui major est*, quia jam erat in Christo decretum præficiendi Petrum reliquis Apostolis, ideo subjungit *in vobis*, & tunc monet, ut constitutus in summo gradu dignitatis Ecclesiasticæ non imitetur superbiam, & ambitionem mundanorum Principum, sed sui Magistri moderationem, & submissionem, cum dixerit: *Ego enim sum inter vos sicut qui ministrat.* Secundò indicat, quis sit qui major futurus est, scilicet Petrus, pro cujus fide ad communem aliorum utilitatem orat, ut sit firma, & constans nulli obnoxia errori, & hac doctrina fidei præcipit Petro, ut confirmet fratres suos, & *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, utitur verbo confirmandi, quod authoritatem in docendo significat. Tertiò quòd Petrus fuerit major cæteris à Christo significatur non quidem in vitæ sanctimonia vel virtutum cultura, sed in officii authoritate, ex eo enim quòd illi præceperit confirmare fratres, satis apertè indicat ejus majoritatem supra reliquos, & præeminentiam, confirmare enim aliquos in officio, vel statu, pertinet ad superiorem, unde Christus monuit, ut qui major futurus esset, fieret virtute humilitatis, & submissio-

missionis sicut minor. Quartò quia sermo Christi fuit directus ad ipsos Apostolos, quapropter loquebatur de authoritate & præstantiâ Apostolatus, ut qui inter Apostolos futurus erat major, ad exemplum Magistri studeret humilitati, & submissioni. Hinc pulchrè D. Leo Papa d. Serm. 3. de die anniverſ. assumpt. suæ: *Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis & divinæ protectionis auxilio pariter indigebant; quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere. Et tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit, in Petro ergo omnium fortitudo munitur. & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Cum itaque dilectissimi tantum nobis videamus præsidium divinitus institutum justè in Ducis nostri meritis, & dignitate lætamur gratias agentes Redemptori nostro, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ Principem fecit.* Et D. Ambrosius in præl. 43. ait: *Petrus Ecclesiæ præponitur: itaque ante significat Dominus, quid sit illud, quod postea eum pastorem elegit Dominici gregis: Nam huic dixit. Tu autem conversus confirma fratres tuas.* Ait Petrum à Christo fuisse præpositum Ecclesiæ electum, hoc est, superiorem cæteris, qui sunt in Ecclesia; Idque ex eo ostenditur, quia cum constituerit supremum Pastorem suarum ovium Joan. 21. *Petre, amas me? Pasce oves meas*, hæc est sana doctrina, & recta fides pone fideles totius Ecclesiæ; ex eo enim, quod dicat *oves meas*, omnes includit, nullam excipit ovem, propterea ad ipsum pertinet docere omnes fideles, & ducere per semitas æternæ salutis; Ideoque illi in jungitur, ut aliquando confirmet fratres suos: per fratres Episcopi intelliguntur in Conciliis Generalibus simul congregati, qui cum pertineant ad Christi ovile, sintque & ipsi oves Christi ad Romanum Pontificem, ut ad supremum Pastorem spectat, Episcopos ut oves Christi ponere etiam in Conciliis Generalibus per approbationem, vel rejectionem decretorum, ac canonum, qui ibi conduntur, quod est confirmare fratres, in editis statutis juxta rectas fidei regulas.

Idque solet etiam evinci ex illo Joan. 21. ubi Evangelista ait; *Erant Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilea, & filii Zebedai; & alii ex Discipulis ejus duo &c. Et dicit Simoni Petro JEsus: Simon Joannis diligis me plus his? dicit ei: etiam Domine; tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos: dicit ei iterum: Simon Joannis diligis me? ait illi, etiam Domine; Tu scis, quia amo te. Dicit ei, pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Joannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò: amas me; & dicit ei: Domine tu omnia scis, & scis, quia amo te. Dicit ei: pasce oves meas.* Petro igitur collata fuit primaria authoritas regendi universam Ecclesiam, quæ authoritas cæteris Apostolis non fuit tributa; cum soli Petro præ cæteris Apostolis, qui aderant, injunctum fuit munus pascendi agnos, & oves pertinentes ad Christi ovile, scilicet omnes, cum nulla excipiatur, & indeterminatè sine ulla restrictione dictum fuerit Petro: *Pasce oves meas*: quod si reliqui omnes Apostoli fuerunt oves Christi, ac pertinuerunt ad ejus ovile, procul dubio debuerunt pasci à Petro, cujus propterea authoritas fuit primaria in Ecclesia, quæ soli Petro tributa fuit à Christo. Hinc in Concilio Hierosolymitano ad dirimendam controversiam ortam circa legalia, solus Petrus indixit Concilium, & in ipso sententiam dixit, cui reliqui acquieverunt, & hoc fuit poscere Christi oves, & confirmare fratres. Quòd si Concilia Generalia indigent approbari, & confirmari à Petri Successore canonicè electo, sequitur non esse infallibilia, sed errore obnoxia, alioquin non indigeret approbari, & confirmari à Romano Pontifice; id enim approbatur, quod cum potuerit esse erratum, deprehenditur sine errore, & probatur rectum: ergo Concilia Generalia sine capite, seu antequam approbentur, & confirmentur à Romano Pontifice non sunt infallibilia, & possunt errare, ut de facto plura recensentur, quæ errarunt. Ergo infallibilitas in Conciliis Generalibus derivatur ab approbatione, & confirmatione Romani Pontificis, & ab ejusdem primaria authoritate, quæ ut primaria in Ecclesia ei à Christo tributa fuit, ut ex variis circumstantiis ostenditur: ait enim *Simon Joannis amas me plus his?* De præstantiori virtute charitatis eum præ cæteris præsentibus interrogat, quia præ cæteris eum voluit præstantiori, ac majori præmunire authoritate. Rursus dicit ei *pasce oves meas*, seu ut Græcè legitur, *rege oves meas* nempe illi soli regimen commisit totius militantis Ecclesiæ; suas omnes nemine excepto concredidit oves, quarum supremum instituit pastorem, ut eas pasceret salutis doctrina. Notandum, quòd duabus primis vicibus illi injunxit, ut pasceret suos agnos, *pasce agnos meos*: & tertia vice oves, *pasce oves meas*, id interest discriminis inter agnos, & oves, quod illi utpote tenelli, & adhuc imperfecti pascuntur lacte, afficiuntur dulcedine, oves verò herbis aluntur, & gramine, quia jam adultæ, & perfectæ, ut discerent in Ecclesia Pastores imperfectos blandè, ac suaviter trahere ad studia virtutum, ac scirent eorundem compati infirmitatibus. Vel ut explicat D. Ambrosius in Lucam lib. 10. cap. 24. Commisit Christus Petro curam omnium Ecclesiæ ordinum, ut regeret non solùm vulgares, atque imperfectiores fideles, qui sunt veluti agni adhuc lactentes, & veluti parvuli lacte pascendi, verùm etiam perfectas seu Pastores ipsos Ecclesiarum, qui veluti oves matres sunt cæterorum: omnes enim fideles sive agni imperfecti, sive oves perfectæ; seu æquè laici, ac Ecclesiastici, æquè subditi, ac Principes Christiani, & Episcopi omnes pascuntur pabulo sanæ doctrinæ ab uno supremo Pastore Romano Pontifice legitimo Petri Successore: ex hac trina interrogatione circa amorem, & trino præcepto pascendi agnos, & oves suas infert D. Ambrosius supremam authoritatem in Ecclesia supra reliquos omnes Petro, & ejus Successoribus tributam ait ipse loc. cit. *Tertiò Dominus interrogavit: Et jam non agnos lacte pascendos, ut primò neque oviculas, ut secundò, sed oves pascere jubetur perfectiores, ut perfectior gubernaret.* Præterea notatu dignum est, quod Christus non distinxerit neque exceperit ullas oves, sed absolute dixerit Petro, *pasce oves meas*, ut significaret, curam totius sui ovilis soli Petro demandâsse ejusque officium esse *pascere omnes oves* cujuscunque sint conditionis sexus, dignitatis & nobilitatis, & alienum esse à suo ovili, quicunque Petrum Pastorem non agnoscerent, ut explicat D. Bernardus lib. 2. de considerat. ad Eugenium, adeo ut neque Apostolos à Petri cura exemerit, eò quia & ipsi oves Christi fuerunt. Verùm consideranda

est vis & energia illius verbi *pasce*: siquidem indicatur summa authoritas in utilitatem subditorum, qui à suo Pastore pascuntur, & reguntur; verbum enim pascere utrumque significat, regere, & pascere doctrinâ; juxta consuetudinem sacræ scripturæ, hinc D. Chrysostomus homil. ult. in Joan. ait: *Cæteris omissis solum Petrum alloquitur, curam ei committens fratrum suorum.* Et postea subdit: *Interrogat Discipulum Magister, num ab eo ametur? non quo id ipse edoceatur, verùm ut nos doceat, quanta curæ sit sibi gregis hujus præfectura*, & paucis interjectis subdit: *Illum authoritate præditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longè præcellere: Petre enim ait, amas me plusquam hi omnes?* Et cum novisset plus cæteris à Petro amari, supra cæteros primatum in tota Ecclesia & per mundum universum ei concessit, ac sui ovilis in militanti Ecclesia supremum Pastorem substituit, ad quem solum pertineret Ecclesiam etiam in Conciliis Generalibus repræsentatam regere, ducere, & confirmare, adeò ut cùm hæc authoritas regendi, & confirmandi in fide Ecclesiam demandata fuerit soli Petro, & ejus Successoribus canonicè electis sequitur in Conciliis totam infallibilitatem dimanare à sola authoritate Romani Pontificis, sine quo possunt Concilia errare, donec approbentur, & confirmentur à Romano Pontifice, quia Christus pro ipso non pro Concilio rogavit Patrem, ut non deficeret in fide: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Hinc Concilia Generalia donec approbentur, & confirmentur à Romano Pontifice sunt semper erroribus obnoxia, & possunt errare, sicut de facto plura errârunt, ut initio hujus capitis ostendimus, ratio itidem ex hactenus dictis eruitur, quia cum Petrus fuerit à Christo institutus supremus Pastor totius sui ovilis, & primaria authoritas in omnes suas oves fuerit ei concessa ad ipsum solum pertinet fidei controversias cum authoritate infallibili dirimere, quia in ipso tantum est in Ecclesia suprema post Christum potestas Spiritualis; nam Christi promissiones, quibus pollicitus est Ecclesiæ omnem cognitionem veritatis, satis adimplentur, si omnes controversiæ fidei per supremam in Ecclesia potestatem, quæ solo inest Romano Pontifici cum infallibili authoritate, definiri possunt: cum igitur hæc primaria authoritas infallibilis non fuerit à Christo concessa Concilio Generali, sed soli Petro, quem constituit supremum Pastorem totius sui ovilis: *Pasce oves meas*, & rogaverit Patrem, ne unquam deficeret in fide; *Ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua*, ad ipsum solum pertinet infallibili authoritate definire, quæ pertinent ad fidem, ut sit in Ecclesia omnis cognitio veritatis. Deus enim sicut non deficit in necessariis, ita nec illius providentia abundat in superfluis, & supervacaneis: Unde Concilium quamvis Generale sine Romano Pontifice cum non habeat à Christo hanc primariam authoritatem infallibilem definiendi quæ pertinent ad fidem. Sequitur esse erroribus obnoxia, quamdiu non accesserit authoritas infallibilis, & primaria in Ecclesia Romani Pontificis approbantis, & confirmantis statuta in Conciliis Generalibus, adeo ut tota Infallibilitas non à Concilio, sed à primaria authoritate Ecclesiastica, quæ inest summo Pontifici, derivetur in Concilium. Idque ex eo firmari potest, quia infallibilis definitio fidei universam obligat Ecclesiam, seu omnes omnino fideles; atqui ea tantum authoritas potest totam Ecclesiam obligare, quæ est in Ecclesia primaria, & se extendit ad omnes & singulos fideles: hæc autem authoritas tantùm inest Romano Pontifici canonicè electo, ut Successori Divi Petri, quia ipse solus est supremus Pastor omnium fidelium constitutus à Christo, *pasce oves meas*; cum enim per binas vices ei injunxisset, ut pasceret agnos suos, tertiò postea injungit, ut pasceret oves suas scilicet omnes, nullâ exceptâ, ut ejus authoritas intelligeretur extendi super omnes sive laicos imbecilles, & imperfectos repræsentatos per agnos sive Ecclesiasticos Doctores, Episcopos, qui significantur per oves perfectas & adultas, quæ sunt matres agnorum: cum igitur munus pascendi oves non fuerit demandatum Concilio Generali, nec ei tradita primaria potestas in militante Ecclesia, sed soli Petro & ejus Successoribus canonicè electis, sequitur, ad solum Petrum pertinere cum authoritate infallibili definire, quæ pertinent ad fidem, adeo ut Concilia sine hac authoritate infallibili Romani Pontificis semper sint erroribus obnoxia. Præterea quia infallibilem definitionem fidei etiam ille debet recipere, qui habet in Ecclesia supremam potestatem, adeo ut Romanus Pontifex, cui inest hæc suprema & infallibilis authoritas, teneatur recipere, & credere de fide, quæ ab ipso cum authoritate infallibili, vel docente è cathedra, vel approbante, & confirmante in Conciliis approbantur, & confirmantur: sed absurdum est asserere, superiorem teneri recipere, & exequi illud decretum, quod ipse non edidit, nec aliquis se superior fecit, sed quod ab inferiore, & subdito fuit emanatum; & cum Patres in Concilio Generali sint omnes inferiores Romano Pontifice cui subjiciuntur, non possunt sine illo dirimere controversias de fide, nec quidquam definire de fide, quod obliget ad illud credendum, & recipiendum ipsum Romanum Pontificem, alioquin inferior posset obligare suum superiorem: ergo Concilium sine infallibili authoritate Romani Pontificis non potest quidquam definire de fide neque controversias in materia fidei dirimere, quæ vim habeant infallibilem, & obligent universam Ecclesiam, & ipsum summum Pontificem, semel enim, quod definitio alicujus propositionis est de fide, necessario obligat ad illam credendam de fide omnes, etiam Romanum Pontificem, propterea debet provenire ab habente authoritatem omnino infallibilem, ut non possit in definiendis rebus fidei errare: hæc autem authoritas suprema à Christo soli Petro concessa fuit, quando ei injunctum fuit, ut indefinitè pasceret suas oves; tunc enim institutus fuit supremus Pastor omnium fidelium & primaria authoritas in sua militanti Ecclesia ei soli concessa. Quòd verò hæc authoritas sit infallibilis in solo Romano Pontifice, vel docente ex cathedra, vel approbante & confirmante in Concilijs Generalibus, ex eo constat, quia Christus non pro Concilio, sed pro solo Petro rogavit Patrem, ut non deficeret ejus fides: *Ego rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua*, & ideo, quia hæc primaria authoritas tributa Petro & ejus Successoribus, non potest errare in fide, & est infallibilis, iujunctum ei fuit, ut confirmaret fratres, seu approbaret, & confirmaret, quæ in Conciliis Generalibus sibi visa fuerint utilia ad bonos mores instituendos, & ad utilitatem fidelium, *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

CAP. IX.

# CAPUT IX.

## Satisfit objectionibus Adversariorum.

QUi præferunt authoritatem Concilii generalis Romano Pontifici, pluribus nituntur argumentis, quorum primum est, quia Concilium universale repræsentat totam Ecclesiam, ut definitum fuit à Martino V. in fine Concilii Constantiensis, quatenus Concilium generale vicem gerit totius Ecclesiæ Catholicæ, quæ non potest alio meliori modo congregari, nisi in Conciliis generalibus, ubi omnes Episcopi simul conveniunt nomine suorum subditorum, seu fidelium suæ diœcesis, tunc enim omnes fideles in suis Prælatis dicuntur simul convenire: atqui universalis Ecclesia non est errori obnoxia, nec potest errare, quia ab Apostolo Ecclesia dicitur columna veritatis, quatenus stat firma in veritate, ergo universale Concilium cum sit tota Ecclesia Catholica, in definiendis Controversiis fidei, non potest errare, tametsi non adsit Romanus Pontifex, alioquin non esset columna veritatis. Firmari etiam potest, quia quando generali Concilio intersunt Legati Pontificis nihil videtur deesse, quo minus Concilium tunc habeat authoritatem totius Ecclesiæ, ergo tunc non est necessaria approbatio, & confirmatio Romani Pontificis. Sed contradistinguitur major, Concilium universale repræsentat totam Ecclesiam, si sit cum suo capite, conceditur; si sit acephalum, seu sine capite, negatur major, & sub eadem distinctione minoris negatur consequentia, quia seclusio Pontifice Concilium non repræsentat perfectè totam Ecclesiam perinde ac corpus humanum sine capite non repræsentat perfectè humanum corpus, quia ad perfectionem corporis requiritur caput, quod est pars nobilior, & reliquis præstantior, consequenter Concilium, quamvis generale, sine capite, seu sine authoritate infallibili Romani Pontificis potest errare, proinde indiget ejus authoritate infallibili, qua approbetur, & confirmetur ut in ipsum derivetur authoritas infallibilis. Ad confirmationem respondetur cum distinctione, si adsint Legati Romani Pontificis, & sequantur ejus instructionem ac conceptam ab ipso Pontifice tunc, quia Legati agunt juxta instructionem Pontificis, & cum authoritate illius Concilium errare non potest, quia approbatur, & confirmatur à Romano Pontifice, à quo derivatur instructio Legatorum: Sin autem talem instructionem Legati non acceperunt à Pontifice, vel quam acceperunt, non fuerunt secuti, tunc Concilium generale, quamvis eidem intersint Legati Pontificis est errori obnoxium, quia Legati non censentur agere, nec gerere vices Pontificis, cujus instructionem non sequuntur, consequenter neque illis inest authoritas infallibilis Pontificis, quæ infallibilitatem refundat in statuta à Concilio generali. Quinimo est difficultas, num Romanus Pontifex potestatem sibi à Christo concessam ad definiendas infallibiliter res fidei, possit aliis delegare, & plures, præsertim Turrecremata *lib. 3. de Eccles. cap.* 68. & Canus *lib.* 5. *de locis Theolog. cap.* 5. docent Pontificem non posse suis Legatis delegare potestatem sibi à Christo tributam ad infallibiliter dirimendas fidei controversias, eò quia hæc potestas sit personalis, & annexa essentialiter soli supremo Pastori totius Dominici ovilis, unde quamvis Conciliis Generalibus intersint Legati Pontificis, quamdiu statuta, & decreta à Concilio Generali non fuerint approbata, & confirmata à Romano Pontifice, non potest constare esse rata, quia Concilium Generale suam desumit infallibilitatem à sua suprema authoritate infallibili in militante Ecclesia, & hæc authoritas primaria infallibilis inest soli Romano Pontifici.

Dices, si infallibilitas Concilii Generalis dependeret ab authoritate infallibili Romani Pontificis, sequeretur, quòd supervacanea essent Concilia in Ecclesia Catholica, ac frustra cogerentur, quia æquè certò ab ipso Pontifice solo possent controversiæ fidei dirimi, ac à toto Concilio definiri; atqui omnes Sancti Patres conveniunt, ut Concilia generalia sint Ecclesiæ utilia, imò & interdum necessaria, ergo omni infallibilitas Conciliorum non dependet à Pontifice, sed Concilia generalia independenter ab ipso possunt dirimere controversias fidei, ac eas definire: sed contra negatur sequela, quia tametsi sola authoritas infallibilis sit in Romano Pontifice, non tamen inde sequitur, supervacanea esse in militante Ecclesia Concilia generalia, quia quò major in illis sit inquisitio veritatis, & ex plurium sententia definitur aliquid de fide una cum authoritate primaria Pontificis, tunc definita sunt majoris momenti, ac ponderis apud fideles, agnoscentes ferè omnes viros doctos, Episcopos, & Prælatos ita judicâsse, cum Romano Pontifice controversiam illam fuisse de fide definitam, hinc Augustinus Epistol. 118. scribit: *Saluberrima in Ecclesia Conciliorum authoritas.* Vocat authoritatem Conciliorum saluberrimam, quia fideles magis tunc acquiescunt, & ratum esse facilius censent, quod tanto studio & adhibita diligentia, tantòque Doctorum consensu fuit definitum: & tunc Hæreticorum pertinacia magis confunditur, cùm noverint omnes Episcopos, & Doctores una cum capite Romano Pontifice unanimes definire controversiam de fide.

Secundum Argumentum desumunt ex eo, quòd Christus Matth. 18. dixerit: *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: ergo multò magis, ubi in Conciliis generalibus congregantur ex universo orbe Episcopi ad dirimendas controversias de fide consequenter tametsi non adsit Romanus Pontifex, si reliqui adfuerint Episcopi, & Prælati congregati in nomine Christi, ibi in medio eorum est Christus, qui non permittit eos errare in dirimendis controversiis fidei. Sed contra negatur inde sequi, Concilia generalia sine capite seu independenter à Romano Pontifice habere authoritatem infallibilem: quia ad infallibilem certitudinem alicujus sententiæ, vel definitionis, in quam plures in nomine Christi consentiunt non debet allegatus textus Matth. 18. accommodari; sed tantùm ad efficaciam consensionis plurium ad id impetrandum, quod unanimiter in Christi nomine petitur, si ad eorundem salutem videatur id magis expedire. Alioquin non solùm ex illo textu probaretur, quòd sine assensu Pontificis esset infallibilis definitio Concilii generalis, sed etiam Provincialis, imò etiam Episcopalis, & aliorum quorumcumque, dummodò essent duo, vel tres, qui in nomine Christi convenirent ad aliquid statuendum, quod minimè verum est; per illa enim verba Christi, *ubi fuerint duo vel*

*vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum ego in medio eorum,* tantùm indicant orationem plurium ſimul majorem habere efficaciam habere ad impetrandum, quod petitur à Deo, ſi magis conduxerit ad eorum ſalutem. Quòd ſi non ad quamlibet congregationem fidelium ſimul orantium, ſed ad ſola Concilia generalia velimus textum deſumptum ex Matth. 18. dirigere, reſpondetur, Patribus Concilii generalis Chriſtum ſemper ſua providentia adeſſe, ut eorum doctrina, ac definitio, ſi fuerit juxta regulas fidei, per Romanum Pontificem approbetur, & confirmetur; ſin verò à regulis fidei deflectat, emendetur, vel deleatur; unde quamvis Chriſtus dicatur eſſe, ubi Patres ſin Conciliis generalibus ſunt ſimul congregati, non ſequitur, Concilia generalia ſine capite eſſe infallibilia. Præterea poſſet reſponderi, illa verba Matth. ſupponere, quod plures ſimul congregentur in nomine Chriſti recto ordine, cum capite, conſequenter ſemper ſupponunt authoritatem Romani Pontificis, quæ ſi abſit, illi congregati poſſunt errare.

Tertiùm Argumentum eſt, quia Patres Concilii Generalis non ſedent in Concilio ut ſimplices inſpectores & inquiſitores, ſed ut veri Judices propriam ſententiam proferentes, ac judicantes de controverſiis fidei, quas dirimunt: ſiquidem Patres illi dicunt: *Ita ſtatuit Sancta Synodus, & qui aliud dixerit, anathema ſit*: ergo infallibiliter pronuntiant, & judicant de fidei controverſiis, idque ex eo evincitur, quia Eccleſia univerſa tenetur eos audire, ſi ut Judices in univerſali Concilio ſententias ſuas pronuntiant, ſed ſi infallibiliter non pronuntiarent, tota Eccleſia ipſos audiendo poſſet errare, imò cùm teneatur eos audire, teneretur cum ipſis errare, quod abſurdum eſt. Tum quia, ſi ut Judices pronuntiant de fide, ſequitur ex authoritate divina eos pronuntiare, quia humana authoritas non videtur per ſe tantum valere, ut fidei materiam ipſa poſſit determinare, ac controverſias fidei dirimere: quòd ſi Patres Concilii generalis ſuas proferunt ſententias authoritate Divina, jam ſequitur eos infallibiliter iſtas pronuntiare, quia ab authoritate Divina non poteſt falſitas prodire. Quod ſi Patres per ſe non definiunt infallibiliter, ſequitur ipſos non ſedere in Conciliis ut Judices controverſiarum fidei, ſed potiùs ut Conſiliarios Pontificis, quorum officium eſſet proponere Pontifici, quid videatur eſſe definiendum. Cum igitur Patres in Concilio generali non ſedeant ut Conſiliarii, nec ut Inquiſitores, ſed ut Judices, ſequitur eos infallibiliter judicare, ac definire fidei controverſias, independenter à Romano Pontifice.

Sed contra reſpondetur, Patres in Concilio generali ſedere quidem ut Judices, non tamen inde ſequi ipſos infallibiliter per ſe definire; non enim Judex neceſſe eſt, ſit infallibilis authoritatis adeo, ut nulli ſit errori obnoxius, niſi ſit ſupremus, cui à Deo authoritas infallibilis ſit tributa, ita ut ab ipſo non poſſit ulterius provocari: hanc autem authoritatem ſupremam in Eccleſia, & infallibilem Chriſtus ſoli Petro, & ſuis ſucceſſoribus canonicè electis conceſſit, non tamen ut ſunt perſonæ privatæ, ſed ut funguntur munere ſupremi Paſtoris, quia tunc, ſive doceant ex Cathedra, ſive definiant in Conciliis generalibus, approbent, & confirment, ſunt authoritatis infallibilis: & quia hæc eadem authoritas ſuprema & infallibilis non fuit à Chriſto tributa aliis Apoſtolis, ſequitur, quod nec etiam Patribus & Epiſcopis, qui congregantur in Conciliis, in quibus quamvis ſedeant ut Judices, non tamen eorum authoritas eſt infallibilis, neque independenter à Romano Pontifice poſſunt quidquam de finire de fide, defectu authoritatis infallibilis.

Ad id quod addebatur, Eccleſiam univerſam teneri eos audire, reſpondetur id verum eſſe, ſi ſimul cum capite, ſeu Romano Pontifice definierint, ſecus verò ſi ſeorſim ab illo, donec acceſſerit authoritas Pontificia, quæ approbet & confirmet ſtatuta, & decreta Concilii, quia tunc authoritas infallibilis Pontificis per approbationem, & confirmationem derivatur in Concilium, propterea ſemel quod adfuerit Pontificis confirmatio, univerſa Eccleſia tenetur ſtatuta à Patribus in Concilio generali recipere. Rurſus hæc Patrum authoritas per quam pronuntiant aliquid de fide, non eſt propriè divina, ut ſupponebatur in objectione, quia hæc habetur ex ſpeciali aſſiſtentia Spiritus Sancti ad definiendum, ſed eſt humana, Eccleſiaſtica, derivata quidem à divina, & conceſſa illis à Pontifice, ut ipſi poſſint ritè & ex ordine ad totius bonum Eccleſiæ judicare de rebus fidei, ac obligare totam Eccleſiam ad credendum, ſi eorundem judicium fuerit Pontificis approbatione confirmatum, quia, ut diximus, Chriſtus non pro Concilio, ſed pro ſolo Petro, & ejus Succeſſoribus Canonicè electis rogavit, ut non deficeret in fide: *Ego pro te, Petre, rogavi, ne deficeret fides tua.* Propterea ipſi injunxit, ut fratres confirmaret, *& tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, Epiſcopi autem congregati in Concilio generali dicuntur à Romano Pontifice fratres, quorum judicia propterea indigent confirmari, & approbari à Romano Pontifice. Cæterum ut dependenter à ſententia Romani Pontificis definiant res fidei, ſatis eſt ipſis authoritas Eccleſiaſtica, ad quam exercendam per ſe non habent opus ſpeciali aſſiſtentia infallibili divina Spiritus Sancti.

Quartum eſt, quia Patres Concilii Generalis aſſerunt, ſe in Spiritu S. eſſe legitimè congregatos, & hoc ſtatuunt ſub pœna anathematis, ſi quis credere detrectet: atqui ſi infallibiliter per ſe non definirent arroganter id ab iiſdem diceretur. Ne igitur arrogantiæ notâ inurantur, aſſerendum eſt, ipſos authoritate infallibili definire controverſias fidei. Sed contra, quia in Spiritu Sancto legitimè congregari Concilium, aliud non eſt, quàm omnino placere Deo, ut ex reſcripto Pontificis conveniant Patres ad decernendum, & eis proinde Spiritum Sanctum aſſiſtere, ut per authoritatem poſtea infallibilem Romani Pontificis approbantis, vel confirmantis, vel emendantis eorum decreta infallibiliter de veritate edoceantur. Quòd verò Patres in Concilio Generali ſtatuant, ſub anathemate, id agunt, ut, quantum eſt in ſe, adſtringant fideles ad eorundem obſervantiam, & quia ſperant futuram Pontificis approbationem, & confirmationem, qua corroborata decreta, & ſtatuta vim obtinent verè, & propriè obligandi fideles, hinc olim moris fuit, ut Concilia, niſi prius accepiſſent Sedis Apoſtolicæ decretum, controverſias fidei non definirent, ut oſtendit Turrecrementa *lib. 3. de Eccleſ. cap.* 33. eò quia Concilium ſuam deſumat infallibilitatem ab approbatione, & confirmatione Romatificis, cui ſoli tradita eſt à Chriſto primaria in militante Eccleſia authoritas infallibilis in definiendis rebus fidei, cum pro ipſo tantùm Patrem æternum rogaverit, ne deficeret in fide.

Quintum argumentum deſumitur ex eo, quia ſuprema poteſtas clavium non Pontifici, ſed ipſi Eccleſiæ propriè collata fuit à Chriſto: atqui

Con-

Concilium universale est ipsa Ecclesia universalis, quia in ipso congregantur omnes Episcopi, & Prælati Ecclesiarum particularium, ergo potestas clavium collata fuit non Papæ, sed Concilio Generali vices gerenti totius Ecclesiæ, quod potest infallibiliter definire absque Romano Pontifice, idque multipliciter probari potest. Primò authoritate Augustini, qui persæpe asserit, datas esse claves illas Ecclesiæ, eò quia datæ sunt D. Petro, ut repræsentanti Ecclesiam. Secundò quia in Evangelio Matthæi Apostolis repræsentantibus Ecclesiam absque ulla exceptione dixit Christus, *quodcunque ligaveritis super terram, erit ligatum, & in cælis, & quodcunque solveritis super terram, erit solutum & in cælis,* quapropter videtur Ecclesia in omnes, etiam in Pontificem, habere hanc potestatem ligandi, & solvendi. Tertiò quia in eodem Matthæi evangelio 18. Christus omnem illum, qui frater censeri potest, subjecit Ecclesiæ, adeóque ipsum Petrum, cum dixerit: *Si peccaverit in te frater tuus &c.* Et postea, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Quartò quia etiam ipsum Petrum remittit ibi ad Ecclesiam, quia non minus illis quam reliquis discipulis præcipit, ut dicant Ecclesiæ, ait enim absolutè, *Dic Ecclesiæ,* hinc Petrus postea interrogat Magistrum, *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Quintò quia Ecclesia potest Concilium congregare sine Pontifice, quando Pontifex non sine controversia, & dubio habetur pro Pontifice, sicut contigit tempore Concilii Constantiensis, ut etiam si Pontifex esset Hæreticus, in istis enim casibus potest Ecclesia congregare Concilium universale, ut sibi provideat de capite. Sextò quia cum Pontifex non sit nisi unus homo, qui perinde videretur errare posse, ac alius homo, consentaneum fuerat, ut Ecclesiæ authoritas daretur etiam in ipsum Pontificem, ut si quis fortassis peccaret, ab Ecclesia posset corrigi. Septimò quia id definitum fuit in Concilio Constantiensi sess. 5. Cujus Concilii decreta pertinentia ad fidem confirmavit Martinus V. Octavò hoc idem etiam in Basileensi Concilio actum fuit: neque videtur obstare, quod Pontifex à Christo acceperit primatum in Ecclesia, quia hanc primariam authoritatem habet respectu singularum personarum, vel etiam respectu quarumcunque Provinciarum, non verò respectu totius Ecclesiæ, ut est unum quoddam corpus ex omnibus suis partibus simul conjunctum, adeoque respectu universalis Concilii, quod vicem gerit totius Ecclesiæ. Nonò quia alioquin Christus non bene providisset suæ Ecclesiæ, si hæc adigeretur obsequi Pontifici impio pluribusque vitiis coinquinato, ac tyrannidem exercenti, si Ecclesia in illum nullam haberet potestatem.

Hæc sunt potiora argumenta, quibus nituntur, qui Concilium Generale præferunt authoritati Pontificis, & propugnant à sententia Pontificis posse provocari ad Concilium Generale, quæ sententia, quam falsa sit, jam ostendimus in præcedente libro de Romano Pontifice, & iterum ostendemus. Quamobrem falsum est Christum non Pontifici propriè, sed universali Ecclesiæ dedisse claves ligandi, & solvendi, id enim pugnat cum primatu D. Petri, & cum communi veterum Patrum sententia; siquidem hæc quæstio initium tantùm duxit in Ecclesia in illo pertinacissimo schismate, quod post mortem Gregorii XI. anno 1378. Ecclesiam afflixit usque ad annum 1417. quo tempore Romanam sedem occupârunt tres Pontifices, nescientibus fidelibus cui, ut vero & legitimo Christi Vicario obedire deberent: tunc enim plurimum cœperunt Doctores mente volvere, ut possent Pontificiæ authoritati limites aliquos præfigere, ne tot discordiis discissa Ecclesia ulterius damnum pateretur, anno 1394. ope Caroli VI. Francorum Regis Parisiis coactum fuit, quo Petrus de Luna Hispanus Pseudo-Pontifex, & vocatus Benedictus XIII. Papatu ejectus noluit ipse cedere, nec se Pontificia dignitate abdicare. Et non multò post anno 1409. ut schisma extingueretur aliud Concilium Pisis à Cardinalibus indictum fuit, qui datis ad varias Provincias litteris Patres ad Concilium invitârunt. Et litteris additæ fuerunt conclusiones quædam conceptæ ab universitatibus Parisiensi, & Bononiensi, quæ continebant: Teneri Gregorium, & Benedictum Pseudo-Pontifices ex debito charitatis, & pastoralis officii jure, quod habebant ad Pontificatum, cedere, ne in tanto Ecclesiæ squalore, & fidelium clade plus dignitati suæ quàm publico bono studere viderentur; idque à fortiori ea ratione, quòd voto, & juramento se obligaverint; si recusarent, hoc ipso tanquam schismatis Authores, hæresisque suspecti, & tot malorum, ac scandalorum, & contentionum duces sub Concilii Generalis, & Ecclesiæ judicium, & potestatem caderent, ac ab eapossent Pontificia dignitate spoliari: & teneri fideles omnes ab eorum obedientia, & cultu cessare, ne si obedire alterutri pergant in schisma consentire videantur. Leguntur hujusmodi conclusiones apud Severinum Binium *Tom. 3. Concilior. part. 2. in notis ad Concil. Pisan.* ubi cum Patres convenissent, citârunt Benedictum, & Gregorium in Concilium Pisanum, & quia comparere detrectârunt eos declarârunt exclusos à Pontificatu veluti hæresis labe infectos, & notoriè schismaticos, & à Cardinalibus electus fuit Pontifex Petrus de Candia, cui Alexandri VI. nomen imponitur, sed non propterea deletum fuit schisma, sed magis adauctum, hinc Concilio Pisano subrogatum fuit Constantiense anno 1414. quo diuturno schismati finis tandem impositus fuit, & sess. 4. & 5. definitum, Concilium universale in casu schismatis dubio Pontifici imperare, ac leges & pœnas statuere posse: & hoc idem repetitum fuit, & confirmatum anno 1439. in Concilio Basileensi sess. 13. & eo tempore cœpit hæc quæstio de superioritate Concilii universalis supra Pontificem agitari, & superioritatem Concilii propugnârunt postea hæretici, præsertim Lutherus, qui emersit anno 1517. qui variis erroribus Ecclesiam turbavit, & totam propemodum Germaniam evertit, & quia Leo X. Papa misit Cardinalem Cajetanum Augustam Vindelicorum, ut Lutherum convinceret, & ad ordinem reduceret, cœpit Lutherus ab hoc Judice tanquam suspecto, imò etiam à Papa ut malè conscio, ad Papam meliùs edoctum, deinde à Papa ad Concilium provocare. Quia verò hoc postea audivit indictum, & vidit coactum Tridenti, cœpit de Concilio ad scripturam, & ab hac ad Spiritum, & instinctum privatum, hoc est, ad se ipsum appellare & librum scripsit, cujus summa est, nihil opus esse Conciliis, ubi Canones Concilii Nicæni vocat fœnum, stramen, stipulas. Venerunt Tridentum ad Concilium Oratores Ducis Saxoniæ, qui inter alia quarto loco postulârunt, ut Patres in illo Concilio congregati ante omnia declararent Pontificem in iis, quæ ad fidem, moresque pertinent, Concilio subesse, & plures postea cœperunt à sententia Romani Pontificis provocare ad futurum Concilium; hinc acrius cœpit hæc

hæc quæstio agitari, cum antea semper Sanctorum Patrum sententia fuerit, cui fideles adhæserunt, authoritatem Romani Pontificis præferendam esse Conciliis Generalibus.

Hinc ut satisfaciamus objectionibus, ad primam respondetur, sententiam D. Augustini non esse, Petrum accepisse singulariter claves in persona Ecclesiæ, quasi non Petro, sed Ecclesiæ traditæ fuerint, sed personaliter asserit Augustinus esse traditas soli Petro, cui collata fuit primaria dignitas in Ecclesia. Cum enim Christus solum Petrum constituerit supremum Pastorem sui ovilis, ipsi soli tradidit claves Ecclesiæ ut capiti, & Principi ejusdem.

Ad secundam respondet Cajetanus *tract. de authorit. Pont. & consil. cap. 9.* illam potestatem datam esse Apostolis, ut eam quidem exercerent in quibuscunque sibi subjectis. Petrus autem nulli alteri ex Apostolis erat subjectus, cum ipse habuerit supremam potestatem, ut evicimus, quamvis etiam Pontifex teneatur lege divina id credere, quod in materia fidei definit, ut etiam illius Successores, adeo ut semel ab uno Pontifice definitum de fide non possit ab eodem nec ab alio Successore revocari: Sed omnes teneantur semper id credere de fide divina: ergo Petrus non nomine Ecclesiæ, quasi fuerit minister illius, cui instruiret, ut inferior; sed ut supremus dominici ovilis Pastor, seu in persona propria, non ut privata, sed ut publica accepit claves aperiendi, vel claudendi januam ad æternam salutem. Insuper respondet Cajetanus, potestatem clavium fuisse itidem à Christo datam Apostolis, ut eam exercerent in propriis suis subjectis. Sed Papa nulli alteri subjicitur humanæ potestati; quia habet supremam potestatem in omnes & singulas Christi oves, seu in omnes fideles, qui in spiritualibus ei subjiciuntur: unde potestas clavium in D. Petro distinguebatur à potestate clavium à Christo reliquis Apostolis tributa, quia in Petro fuit suprema, & universalissima, quæ se extenderet in omnes fideles, imò & ipsos Apostolos, cum etiam ipsi fuerint oves Christi, ac pertinuerint ad ovile Christi, cujus supremus Pastor erat solus Petrus: secus potestas tributa reliquis Apostolis non fuit suprema, sed subordinata Potestati datæ Petro; neque fuit universalissima quia non se extendebat ad Petrum; alioquin subjiceretur reliquis Apostolis: unde fuit limitata intra proprios subditos.

Hinc ad tertiam respondetur, ibi Sermonem esse de fratribus subjectis, quia nomine Ecclesiæ intelligitur etiam quicumque Prælatus, qui peccantem possit anathemate percutere, & quem possimus facilè adire; hanc responsionem confirmat Cajetanus authoritate SS. Patrum: atqui Prælatus non habet potestatem, nisi in proprios subditos, qui suæ subjiciuntur jurisdictioni; & hisce subjectis fratribus intelligitur locus ille productus in objectione: & quia Romanus Pontifex nulli humanæ potestati subjicitur, non potest ibi sermo esse de Romano Pontifice.

Ad quartam, Christum ibi non cum persona Petri, ut futurus erat summus Ecclesiæ Pastor, loquutum fuisse; sed doctrinam tradidisse in communi pro omnibus fidelibus, qui Ecclesiæ Prælati aliquando futuri essent, & qui propterea repræsentabantur ab illo Apostolorum collegio, cum quibus Christus Sermonem illum instituerat.

Ad quintam respondetur, in productis casibus posse quidem Ecclesiam indicere, ac congregare Concilium, non tamen potestate primaria, & ordinaria ad omnia, sicut habet Romanus Pontifex; sed tantùm authoritate, ac potestate quadam imperfecta, quam habet in illis tantum casibus: seu Ecclesia habet potestatem non absolutam congregandi Concilium Generale; sed tantum conditionatam, si Pontifex sit dubius, schismaticus, vel hæreticus; tunc enim pertinet ad Ecclesiam sibi providere de capite certo; & si sit manifestè hæreticus, habet potestatem declarandi ipsum à Christo ob manifestam hæresim fuisse depositum, & potest ut in sede vacante eligere alium Pontificem: hanc Ecclesiæ potestatem Cajetanus vocat ministerialem; quia si propriè velimus loqui, non Ecclesia constituit Pontificem, sed tantum determinat personam, & quasi illam offert Christo, ut ab ipso accipiat supremam potestatem regendi Ecclesiam Catholicam; propterea Pontifex dicitur creari à Deo; quia cum Ecclesia non habeat in se hanc supremam potestatem regendi, cum ipsa non sit supremus Pastor, sed ovile comprehendens omnes Christi oves, non potest hanc supremam authoritatem, ac potestatem regendi, ac pascendi Christi oves alicui dare, cum nemo det, quod in se non habet; inde sequitur, quod semel determinata, & veluti exhibita Christi Personâ, Christus eidem confert hanc supremam potestatem regendi universalem Ecclesiam; sicut Christus hanc potestatem contulit soli Petro, cui injunxit pascere suas oves; Joan. 21. *Pasce oves meas.* Ita ejus pro tempore Successor canonicè electus eandem accipit à Deo. Cæterùm eo ipso, quòd Pontifex labitur in manifestam hæresim, per se intelligitur cadere Pontificia dignitate; adeo ut Ecclesia in tali casu neque ministerialiter dicatur deponere Pontificem; sed tantùm efficaciter declarare, ipsum esse à Christo depositum, ac spoliatum dignitate Pontificia.

Ad sextam respondetur, dupliciter posse Pontificem considerari, primò ut est privatus Doctor, & ut talis perinde ac quilibet alius Doctor est errori obnoxius; secundò ut Doctor publicus docens Ecclesiam ex cathedra, & sub hac consideratione est authoritatis infallibilis, neque potest errare in definiendis controversiis fidei, & statuendis, quæ pertinent ad bonos mores fidelium. Nam in veteri lege celebre fuit Oraculum Vrim, & Thummim, quod in ambiguis obscurisque rebus summum Sacerdotem edocebat, & ab eodem ad pectus gestabatur, non privatæ, & domesticæ vesti, sed Pontificali, & solemni inscriptum erat, *Exodi* 28. Deus enim hoc Symbolo ostendere voluit, in judicandis causis ambiguis ad summum quidem Sacerdotem pertinere, controversias circa fidem bonosque mores dirimere, non tamen semper, & ubique, sed cum Pontificem agit, quia tunc, & non aliter, Deus specialiter ei assistit ne erret: qua de causa nunquam Sacerdotes ad consulendum oraculum consueverant accedere, nec ab eo responsum accipere, nisi prius induissent Ephod, ut patet ex 1. Reg. 23. & 30. quæ vestis erat auro texta, variisque serico distincta coloribus, cui Oraculum aspiciebatur insertum. Hinc Christus Matth. 23. non ob aliam causam jussit scribas & Pharisæos audiri, & eorum doctrinam servari,

servari, nisi quia super cathedram Mosis, & Prophetarum sederunt; quasi tota radix & origo eorum in docendo dependeret è cathedra, quam publicè docentes insedebant; veterum quoad privatas opiniones certum est, Pharisæos multa docuisse impia, legique naturali omnino contraria Matth. 23. Hinc D. Augustinus contra Donatistas distinguens Cathedram à persona ait errorem personalem posse quidem cadere in Pontificem, ut privatam personam, non verò errorem cathedræ. Neque minus potest Christus assistere ipsi per se Pontifici, quàm toti Ecclesiæ, ne erret: sed toti Ecclesiæ assistit, quatenus assistit semper suo Vicario, ne in regenda Ecclesia erret. Unde non decuit, ut Christus Vicarii sui curam alteri concrederet, quàm Romano Pontifici, quem sui constituerat in militante Ecclesia Vicarium.

Ad septimam petitam è Concilio Constantiensi; Respondetur tunc Pontifices fuisse dubios, & Schismaticos, proinde pertinuisse ad Ecclesiam convocare Concilium Generale, ut superius ostendimus: neque in illo Concilio Martinus V. quid aliud approbavit, quàm quod fuerat de fide determinatum *conciliariter*, seu adhibita prius disputatione, ac præmissa sententiarum collatione rectè, & sedatè, ut fieri solet in Conciliis. Unde ea tantùm approbavit, quæ à Concilio cum capite statuta fuerunt de fide; non vero quæ à solo Concilio sine capite. Quod verò asserebatur de Concilio Basileensi, hoc nunquam fuit à Papa confirmatum, tametsi ante schisma habitum fuerit pro legitimo.

Ad octavam respondetur, primatum Petri in Ecclesia esse respectu totius Ecclesiæ Catholicæ, ac comprehendere, ac sibi subjicere omnes, & singulas Ecclesias particulares, quotquot sunt per totum orbem: quia Christus Joan. 21. D. Petro injunxit curam omnium fidelium, cum eum constituit Pastorem supremum suarum ovium, *Pasce oves meas*, absque ulla restrictione, sine limitatione, scilicet omnes nulla excepta; quod si primatus Petri relucet in hoc officio Supremi Pastoris; sequitur manifestè ejus primatum se extendere ad universam Ecclesiam Catholicam, consequenter ad omnes, & singulas Ecclesias; idque ex eo etiam evincitur, quia hoc nomen *Ecclesia* est collectivum comprehendens omnes, & singulas Ecclesias; perinde ac nomen ovile: unde potestas à Christo tradita Petro in suam in terris militantem Ecclesiam intelligi debet de Ecclesia tota universali, ut communiter semper intellexerunt Sancti Patres: non enim est potestas supra Ecclesias unius tantùm regni, vel Imperii; notandum quippe est discrimen, quod est inter potestatem Ecclesiasticam à Christo tributam Petro, ut suo Vicario, ac suis Successoribus canonicè electis, & potestatem cujuspiam alterius Monarchæ, seu principis sæcularis. Princeps siquidem sæcularis suam potestatem accipit à populi communitate, cui præest, nec potest extendi, nisi ad ipsam specialim sumptam: sed Petrus à Christo supremam accepit potestatem in Ecclesiam, non verò ab ipsa Ecclesiæ communitate: & sicut potestas Christi est in totam Ecclesiam non solum divisim sumptam, sed etiam conjunctim; & eadem Christi potestas fuit communicata Petro, & ejus successoribus canonicè electis, sequitur Romanum Pontificem habere primatum, & supremam potestatem, in totam universalem Ecclesiam, non solùm divisim, sed etiam conjunctim spectatam.

Ad nonam respondetur, quòd tametsi Ecclesia non habeat potestatem coërcitivam in Romanum Pontificem moribus corruptum, vitiis coinquinatum; non tamen divinæ providentiæ alia deessent remedia, quibus impediret, ne Ecclesiæ noceret: non enim Deus permitteret, talem Pontificem aliquid efficere, quod esset in totius Ecclesiæ perniciem; quia sicut Deus assistit Romano Pontifici, ut publico Doctori ne erret circa fidei definitiones, ita eidem assisteret, nequid ageret in damnum totius Ecclesiæ. Præterea quamvis ab Ecclesia coërceri non posset; moneri tamen posset, ut memor sui officii, mores emendaret, vitiis non indulgeret. Rursus Ecclesia enixum Deum in hoc casu rogaret, ut opem ferret suæ Ecclesiæ.

Cæterum in definiendis controversiis fidei habenda est ratio ad communem Doctorum sententiam; quia quod unanimi consensu Patres, & Doctores tradunt circa religionem, verum esse ac credendum, ut verum censeri debet: sunt enim Patres, & Doctores à Deo dati Ecclesiæ, ut scribit D. Paulus ad Ephes. 4. non ut circumferantur omni vento Doctrinæ; sed ut textus scripturarum captu difficiles explicent; & veritatem fideles doceant. Hinc juvat argumentari: quod omnes Patres, & Doctores unanimi consensu tradunt; id potest imò & debet Ecclesia sibi persuadere à veritate non deflectere, cum ipsi teste Apostolo, non circumferantur omni vento; sed veritatem inquirant, cui adhæreant: sed quod universa Ecclesia potest, & debet credere, id infallibiliter est verum; quia universa non potest errare in credendo ob assistentiam Spiritus Sancti, qua de causa dicitur ab Apostolo columna veritatis: ergo quod omnes Patres, & Doctores in Ecclesia unanimi consensu tradunt est verum, ac credendum ut tale. Id enim SS. Patres, & Doctores sunt in Ecclesia, quod oculi in humano corpore; sed quod oculus videt, vel non videt, id totus homo videt, vel non videt; seu meritò censetur corpus hominis videre, vel non videre: eodem pacto quod SS. Patres, & Doctores unanimi consensu tradunt in Ecclesia, cujus dicuntur esse oculi; id tota Ecclesia sentire censenda est. Sed Ecclesia universa non potest sentire, nisi verum ob assistentiam Spiritus Sancti, qui non sinit totam Ecclesiam errare; ergo quod Patres, & omnes Ecclesiæ Doctores unanimi consensu tradunt, est verum, & ab Ecclesia credendum, quòd si petas, quinam sint dicendi Patres, & Doctores Ecclesiæ? Respondetur, SS. Patres, & Doctores eos intelligi, qui ab initio Ecclesiæ, seu tempore Apostolorum fuerunt à fidelibus in opinione Sanctitatis, ac summæ Doctrinæ habiti, & quos propterea variis ætatibus Ecclesia venerata est ob sanctitatem, & magni æstimavit ob Doctrinam, habuitque ut magistros, in quocunque sæculo vixerint, quamvis etiam nobis non præsentes, quod enim hi omnes unanimi consensu, tradunt in Ecclesia, censendum est verum, & à Spiritu Sancto profectum: proinde eò certiùs apud nos esse debet, quò minus videtur, fieri humanitus potuisse, ut tot ac tanti viri cultura virtutum illustres erraverint, præsertim cum tam variis locis, & temporibus floruerint, & in unam eandemque sententiam convenerint, ut notat D. Augustinus *lib. 1. 2. contra Julianum*: & de his loquitur D. Hieronymus expendens verba Apostoli ad Philemonem, *audiens fidem quam habes in Domino Jesu, & in omnes Sanctos*, ait ipse, *non est in Deum perfecta fides illa, quæ infidelitate erga ipsius Ministros extenuatur*. Et ad eosdem accommodat illud Eccles. 12. *Verba sapientum sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi; quæ per Magistrorum Concilium data sunt à Pastore uno: illis omnibus, fili mi, ne requiras.*

Quamobrem merito in Pontificum, & Conciliorum deliberationibus, quando aliquid definitur, concors Patrum ſententia ſemper inquiritur, eò quia veriſſima ſit habita. Cæterum cum dicimus concordem ſententiam omnium Doctorum eſſe in Eccleſia veram, intelligimus de Doctoribus Catholicis, qui unoquoque floruerunt in Eccleſia, ſiquidem Eccleſia quovis tempore ſemper fuit corpus myſticum perfectum, & omnibus ſuis numeris abſolutum, & quod propterea, quovis tempore ſuos habuit oculos ſuumque Spiritum, quo viveret, & oculi ſunt Doctores; & Sancti Patres, qui quovis tempore ſemper in Eccleſia floruerunt, & per Spiritum intelligitur aſſiſtentia Spiritus Sancti non ſinentis Eccleſiam univerſalem errare in fide. Quod ſi Eccleſiæ oculi dicuntur Sancti Patres, & Doctores, quorum conditio eſt, ut nunquam omnes circa religionem poſſint errare, ſequitur, quod quovis tempore fuerint in Eccleſia Doctores, qui à S. Spiritu dirigerentur, et veritatem docerent fideles, & ab erroribus eosdem averterent.

Imò habenda eſt etiam ratio in fidei definitionibus communis fidelium conſensûs, quia cum Eccleſia nil aliud ſit, quàm cætus omnium fidelium cum uno Sacerdote ſeu Romano Pontifice, cui obediunt, cum Spiritus S. aſſiſtat univerſali Eccleſiæ, ne erret in fide, procul dubio aſſiſtit cœtui omnium fidelium, quorum propterea communis conſenſus eſt verus, cum non ſinat Spiritus Sanctus omnes fideles errare: neque inde ſequitur, quòd debeat Romanus Pontifex ad quamlibet controverſiam de fide dirimendam inquirere omnium fidelium ſententiam, quia id fieri nequit, imò tametſi poſſet fieri, adhuc non expediret, quia plura de fide definiuntur, quæ captum vulgarium fidelium longè ſuperant: unde quando dicitur, quod habenda ſit ratio ad communem fidelium conſenſum, ſenſus eſt, quòd ſi de re aliqua in materia religionis controverſa conſtaret fidelium omnium concordem eſſe ſententiam, vel ex praxi alicujus cultus communiter apud Chriſtianos populos recepta, vel ex ſcandalo, & offenſione communi, quæ ex aliqua opinione oritur, tunc poſſit Romanus Pontifex illa niti, ut cenſuit Thomas Waldenſis lib. 2. de doctrina fidei cap. 20. inquiens, *Eccleſiam, cujus eſt determinare Doctrinam fidei, teſtimonium omnium fidelium non excludere, ſed includere, tametſi non ſoleant interrogari, quò minus commode valeant ſententiam explicare ſuam*: quia tunc authoritas Romani Pontificis approbans, & confirmans fidelium omnium communem opinionem refundit in eandem infallibilitatem, cum Chriſtus rogaverit æternum Patrem, ne Petri fides deficeret: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua,* & poſtea eidem injungit, ut confirmet fratres ſuos: *Et tu aliquando confirma fratres tuos,* adeo, ut tota infallibillitas in Eccleſia ſive repræſentata in Concilio generali, ſive ſeorſim à Concilio derivetur à capite, ſeu Romano Pontifice vero Petri Succeſſore: alioquin eſt Eccleſia in Concilio generali repræſentata errori obnoxia, ut ſub Liberio Pontifice anno 359. erravit Synodus Ariminenſis, tametſi eidem interfuerint Legati Apoſtolici, & Epiſcopi ſupra 400. ſiquidem Græci ſpecioſo velamine pacis componendæ ita allexerunt Catholicos, ac ita dolosè proceſſerunt, ut expuncta voce Conſubſtantiali Filium Patri tantùm ſimilem dixerint, non verò ejusdem cum Patre ſubſtantiæ, & Deitatis, tunc ait D. Hieronymus dedita à Catholicis veluti arce fidei, & Religionis damnatio Nicænæ Synodi conclamata fuit, & totus ingemiſcens orbis ſe Arianum eſſe miratus eſt: unde Liberius Papa noluit Concilium in tam enormem errorem lapſum approbare, nec confirmare, tametſi ſub initium miſerit ad illud ſuos Legatos, inter quos unus fuit Vincentius Epiſcopus Capuanus, adeo ut Pontifex ob hanc denegatam approbationem fuerit in exilium deportatus, ex quo clarè liquet infallibilitatem non ineſſe Concilio Generali, ſed ſoli Petro, ejúſque Succeſſori pro tempore, quia Chriſtus non pro Concilio, ſed tantùm pro Petro, ut Paſtore totius Dominici gregis rogavit æternum Patrem, ne deficeret in fide: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*, & poſtea ſubjungit, ut aliquando non verò ſemper, ſcilicet quoties deprehenderit Concilium generale non erràſſe in dirimendis fidei controverſiis, illud confirmare, *& tu aliquando confirma fratres tuos*, dicit aliquando, quia ſi deprehenderit Concilium erràſſe, non debet illud approbare, nec confirmare, tametſi debeat exilium pati, & perſecutiones.

Huc pertinet audire epiſtolam Damaſi, & Romanæ Synodi apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. ubi habetur: *Numerum Epiſcoporum, qui erant Arimini congregati, præjudicii vim habere non debere, præſertim cum formula illa compoſita ſit, neque Epiſcopo Romano, cujus ſententia præ cæteris omnibus erat expectanda, neque Vincentio, neque aliis ei conſentientibus, cum illi ipſi, qui in fraudem illecti à veritate deflexiſſe viſi eſſent, poſt ad meliorem mentem denuò traducti, planè teſtarentur hanc formulam ſibi magnopere diſplicere.* Quod etiam refert Sozomenus *lib. 4. cap.* 18. Scimus etiam erràſſe ſecundam Synodum Oecumenicam Conſtantinopolitanam coactam anno 381. cui interfuerunt Patres 150. quando contra præſcriptum Nicænæ Synodi, & cura Eccleſiæ Alexandrinæ primatum poſt Romanum Pontificem detulit Patriarchæ Conſtantinopolitano abſente, & inaudito Timotheo Alexandrino, quem Canonem Romana ſedes nunquam ratum habuit, eò quia pugnaverit cum Concilio Nicæno cujus decreta à Romano Pontifice approbata, & confirmata fuerunt, & quamvis hic error non fuerit in materia fidei, fuit tamen in materia juſtitiæ, qui propterea pertinuit ad Romanum Pontificem, eum corrigere, & emendare, quia in nulla fidei, vel juſtitiæ cauſa inferior jus dicit Superiori. Errârunt itidem plura alia Concilia Oecumenica, quæ ubi à directione Romani Pontificis deflexerunt, in varios impegerunt errores, ut oſtendimus in capite præcedenti: idque cauſæ fuit, ut Sacri Canones ſancirent nullam eſſe Conciliorum authoritatem, quæ à Romano Pontifice non fuit approbata, & confirmata: hæc autem confirmatio non eſſet neceſſaria, ſi Concilia generalia independenter ab approbatione Romani Pontificis eſſent infallibilia, quia tunc non indigerent corrigi ab alio, ac emendari, quia non indigerent correctione: ſed quia poſſunt errare, & non ſunt infallibilia, ideo indigent approbari, & confirmari à Romano Pontifice, ut habetur in epiſt. 1. S. Julii Papæ, cujus meminit Sozomenus *lib.* 3. *cap.* 7. & legitur in *Tom.* 1. *Concil. Ipſi verò primæ ſedis Eccleſiæ convocandarum Generalium Synodorum jura, & judicia Epiſcoporum ſingulari privilegio evangelicis, & Apoſtolicis, atque Canonicis conceſſa ſunt inſtitutis, quia ſemper majores cauſæ ad ſedem Apoſtolicam multis authoritatibus referri præcepta ſunt. Nec ullo modo poteſt major à minori judicari. I-*

*pſa*

*ipsa namque omnibus major & prælata est Ecclesiis, quæ non solummodo Canonum & Sanctorum Patrum decretis, sed Domini Salvatoris nostri voce singularem obtinuit principatum. Tu es, inquit Petrus &c. Porrò dudum à Sanctis Apostolis Successoribusque eorum in privatis antiquis decretum fuerat statutis, quæ hactenus sancta, & universalis tenet Ecclesia, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari, quoniam Sanctam Romanam Ecclesiam primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt. Et sicut Beatus Petrus primus fuit omnium Apostolorum, ita & hæc Ecclesia ipsius nomine consecrata Domino instituente, prima & caput sit cæterarum, & ad eam quasi ad matrem, atque apicem omnes majores Ecclesiæ causæ, & judicia Episcoporum recurrant, ejusque justa sententia terminum sumant, nec extra Romanum quidquam ex his debere decerni Pontificem.* Nicolaus Papa I. in Epist. ad Mediolanenses, quæ habetur in cap. omnes d. 22. *Qui autem Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur: hic procul dubio in hæresin labitur, & cum ille vocetur injustus, hic est procul dubio dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui adversus illam agit, quæ mater est fidei, & ille contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis prætulisse cognoscitur. Unde & ipse S. Ambrosius se in omnibus sequi Magistram Sanctam Romanam profitetur Ecclesiam.* Et Julius Papa in cap. Regul. d. 17. & pluribus aliis sequentibus ait: *Regula vestra nullas habet vires, nec habere poterit, quoniam nec ab Orthodoxis hoc Concilium actum est, nec Romanæ Ecclesiæ Legatus interfuit, Canonibus præcipientibus, sine ejus authoritate Concilia fieri non debere. Nec ullum ratum est, aut erit unquam Concilium, quod non fultum fuerit ejus authoritate.*

Et ratio est, quia in solo Romano Pontifice residet primatus totius Ecclesiæ Catholicæ, proinde ad ipsum pertinet, ut supremum Judicem, judicare alios etiam Concilium Generale, non verò ab ullo alio judicari in militante Ecclesia, hinc Patres Concilii Romani sub Sylvestro Pontifice, & Constantino Imperatore num. 244. declararunt *Romanam sedem à nemine, ne quidem toto Clero, judicari posse: ab ipsa verò judicari omnes*, cui adhæserunt Patres Concilii Sinuessani uumero 180. cum dixerunt, *non posse alterius ore, sed suo tantùm Papam judicari illum reum, illum Judicem fuisse*, & rationem addiderunt Patres Concilii Nicæni I. numero 318. ubi asseruerunt: *Papam esse Vicarium Christi super omnes populos, & universam Ecclesiam Catholicam*, eo ipso, quod est Christi Vicarius & super omnes fideles ad ipsum pertinet regere, & judicare fideles omnes, non verò à fidelibus debet ipse regi, ac judicari, hinc Bonifacius Martyr cap. Si Papa dist. 40. ait: *Papæ judicio omnes subjacere, & ipsum nullius, exceptâ hæresi*, & Gelasius Papa *in cap. Nemo. cap. Cuncta 9. quæst. 3.* & habetur Tom. I. Concil. ait: *Ex præscripto Canonum ab omnibus posse ad Romanam sedem appellare: sed ab ista nullam esse provocationem, ejusque sententias nullius examini, aut judicio submitti*, quod etiam asseruit S. Symmachus apud Ennodium, ubi ait: *Successores D. Petri zelo tantum suam debere innocentiam juxtà & præter Deum sine Judice esse.* Hinc SS. Patres unanimi consensu hoc idem docuerunt. S. Cyrillus lib. Thesaur. Tom. 2. *Sicut Christo à Patre omnis potestas, & nulli alteri data est, sic Petro, ejusque Successoribus supremam Ecclesiæ curam, & nulli alteri commissam.* S. Athanasius Epist. ad Felicem XII. Papam: *Majores suos dogmata, & ordinationes à sede Romana accepisse, ad eamque quasi ad matrem recurrisse ejus uberibus nutriendos: Canonibus quippe sancitum esse, ut absque Romano Pontifice in majoribus causis decerni nihil debeat.* Episcopi Africani in Epist. ad Damasum Papam, quæ habetur Tom. I. Concil. scribunt: *Ad Romanam sedem omnia è longinquis etiam remotisque locis negotia majoris momenti deferenda esse, ejusque arbitrio finiri oportere.* S. Cyprianus lib. 1. Epist. 3. sub initium ait: *Hæreses, & schismata ex eo nasci, quod non uni sacerdoti, qui vice Christi Judicem agit, universa fraternitas obtemperet.* Rursus Patres Concilii Oecumenici Sardicensis sub Julio Romano Pontifice numero 300. cap. 4. & 7. in actis ejusdem aiunt, *à Synodo condemnatos posse Romanam sedem appellare, hujusque arbitrio sedere, velit ipsa causa cognoscere, an Judices in partibus delegare.* Patres Concilii Chalcedonensis Oecumenici sub Leone Papa numero 630. ex actis ejusdem Concilii Act. 1. 3. 16. aiunt: *Imperari sibi à Pontifice Romano, legesque dari & fidei formam præscribi patiuntur, & obediunt*, quia voluerunt Romanum Pontificem supremum esse in Ecclesia Judicem, ac supremum totius ovilis Pastoris, quem oves Christi, cujusmodi sunt Patres in Concilio Generali congregati, tenentur sequi, ac ei obedire. Patres Concilii Nicæni II. numero 350. sub Adriano Papa Act. 6. ejusdem Concilii aiunt: *Execrabilem, profanam, & adulterinam esse septimam Synodum Constantinopolitanam, quia non habuit Cooperarium Romanum Pontificem, neque illius sacerdotes, neque per Vicarium, neque per Provinciales litteras, quemadmodum fieri in Synodis debet.* Hinc Anastasius Patriarcha Jerosolymitanus Epist. ad Felicem Papam scribit: Antiquis regulis sancitum esse, ut quidquid, quamvis in remotis Provinciis, ageretur, non prius tractandum esset, quam ad notitiam Almæ sedis esset deductum, ut juxta ejus authoritatem aut firmaretur aut infirmaretur.

# CAPUT X.

## An Concilia Generalia à Pontifice approbata & confirmata sint infallibilia?

OStendimus Concilia, quamvis Generalia, imò & convocata à Romano Pontifice, antequam ab eodem approbentur, & confirmentur esse erroni obnoxia, & de facto plura erràsse, ut Ariminense anno 359. Constantinopolitanum II. anno 381. Chalcedonense IV. sub Leone I. & Martiano Imperatore anno 451. Constantinopolitanum Quinisextum sub Sergio Pontifice, & Justiniano Juniore Augusto, & plura alia. Nunc quæritur, an post approbationem, & confirmationem Romani Pontificis, sint omnino infallibilia, vel possint errare. Calvinus *lib. 4. Institut. cap. 9. §. 8. & in*

*minori Instit. cap.* 8. §. 165. *& sequent.* Lutherus *art.* 28. *&* 29. & *in lib. de Conciliis.* Brenzius in Confessione Wirtenbergensi cap. de Conciliis, & alii recentiores Sectarii in ea sunt falsa opinione, ut putent nullum esse Concilium, tametsi approbatum, & confirmatum à Romano Pontifice quod errare non possit, ac sit fallibile. Catholici tamen unanimi consensu semper docuerunt, & docent, Concilia Generalia indicta authoritate Pontificis, & ab ipso approbata, & confirmata, esse infallibilia, & non posse errare, neque in dirimendis fidei controversiis, neque in tradendis morum præceptis communibus toti Ecclesiæ, unde

Dicendum est Concilia Generalia à summo Pontifice indicta, approbata, & confirmata esse infallibilia, & non posse errare in fide, nec in moribus, & hanc assertionem esse de fide, eo quia fundetur in sacris scripturis. Probatur, quia Matth. 28. ait Christus: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum,* & quamvis Calvinus nihili faciat hunc textum ad probandam infallibilitatem Concilii Generalis approbati, & confirmati à Romano Pontifice, eò quia inde probaretur, etiam Concilium duorum hominum, vel trium fidelium non posse errare, & esse infallibile, quia Christus tantum recenset duos, vel tres congregatos in ejus nomine, unde si duo vel tres fideles in nomine Christi congregarentur ad aliquam controversiam dirimendam, sequeretur eorum judicium fore infallibile, quod nemo dixerit. Nam contra est, quia ex verbis sequentibus, & præcedentibus apertè colligitur, de qua congregatione fuerit Christus locutus. Dixerat enim antea Christus de homine, qui noluit resipiscere, nec corrigi: *Dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus, & Publicanus,* & ne quis Ecclesiam sive congregationem Prælatorum contemnendam putaret, statim addidit: *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis,* unde Christus fuit locutus de sua Ecclesia congregata in Concilio una cum capite, non enim fuerit locutus de Ecclesia acephala, & sine capite, sed de corpore mystico, & perfecto Ecclesiæ, ad cujus perfectionem requiritur caput, quod præemineat reliquis corporis membris, præterea dixit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus, & Publicanus,* quia Ecclesia unà cum suo capite approbante, & confirmante est authoritatis infallibilis ob assistentiam specialem Dei, quam ut significaret, subdidit verba illa: *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in medio illorum sum.* Et est argumentum à minori ad majus, quia si Christus est in medio duorum, vel trium, qui in nomine ejus congregantur, quatenus obtinent, quod ab ipso petunt, si petitum ad eorundem salutem conduxerit, ut quando petunt lumen ad cognitionem veritatis, quam sequantur, & ad ea cognoscenda, quæ iisdem necessaria sunt, & utilia ad assecutionem veritatis, quanto magis, si omnes Episcopi, & Prælati Ecclesiastici congregentur in Concilio Generali in nomine Christi unà cum capite Romano Pontifice ad dirimendas controversias fidei erit in medio eorum Christus, seu eos diriget ne errent. Quamobrem dixit Christus Matth. 28. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo illic sum in medio eorum,* seu illis meam suppeditabo directionem, & exhibebo opem, indicavit, quod sive pauci, sive multi, sive privati sive Episcopi sint, qui congregantur in nomine Christi, omnes habeant Christum præsentem, assistentem, adjuvantem, & dirigentem juxta proportionem, adeo ut si congregentur pauci, & privati fideles in nomine Christi, eos adjuvet in rebus parvis, ac privatis. Sin verò congregentur Episcopi ex toto Christiano orbe, & Prælati Ecclesiastici ad dirimendas controversias fidei, vel ad definiendas res magni momenti, tunc Christus adest in medio eorum, seu eos dirigit, illuminat, & inspirat, quid agere debeant, ne errent, ut explicant Patres Concilii Chalcedonensis in Epistola ad Leonem Papam, quæ habetur post finem tertiæ actionis ejusdem Concilii.

Præterea eo ipso quod Pontifex seu verus, ac legitimus Petri Successor immediatè assistit Concilio Generali ab ipso indicto, vel mediatè per suos Legatos, si semel quæ statuta sunt in eodem approbet, & confirmet post prævium maturum examen, non possunt non esse infallibilia, quia hanc infallibilitatem desumit Concilium ab ipsa approbatione, & confirmatione Romani Pontificis, cujus authoritas tunc est infallibilis, quia docet, ut Judex supremus ac publicus totius Ecclesiæ Catholicæ, & ut docens ex cathedra, cui assistit speciali lumine Spiritus Sanctus, ne erret. Hinc Christus Joan. 16. ait: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem,* neque id dictum fuit solis Apostolis, verùm etiam eorum Successoribus, quia cap. 14. Christus asserit Spiritum Sanctum mansurum cum Apostolis non ad tempus tantùm, & quamdiu vixerint, sed in æternum, & cum Apostoli non essent duraturi, in militante Ecclesia & in vita mortali in æternum, sed brevi erant morituri per gloriosum consummatum Martyrium, ideo cum Apostolis, & ejus Successoribus erit Spiritus Sanctus in æternum mansuru: atqui Spiritus Sanctus non docet omnem veritatem Episcopos seorsim existentes, tametsi dicantur Successores Apostolorum quoad regimen animarum in suis propriis Diœcesibus; sed ut sunt congregati in Conciliis Generalibus unà cum capite, quia cum sit in Ecclesia aliqua prima cathedra, per quam nos Deus docet, hæc cathedra est illa summi Pontificis præsertim in Conciliis Generalibus, post auditas Patrum sententias, ubi Pontifex suam profert approbando, vel reprobando, quæ in Concilio definita sunt, quia si hæc cathedra non esset infallibilis, cum universam docet, & Pontifex in Concilio suam profert sententiam, non possent verificari verba promissionis Christi, quibus Joan. 16. nos docet, quòd Spiritus Sanctus erit nos illuminaturus, & docturus omnem veritatem, *& Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem,* quod cum novissent Apostoli Act. 15. dixerunt in dirimenda controversia de legalibus Act. 15. *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Quòd si Concilium Apostolorum, ex quo formam acceperunt omnia alia Concilia asserit decreta sua esse decreta Spiritus Sancti, quatenus ab ipso fuerunt Patres illuminati, ut proferrent, quæ Spiritus Sanctus suggerebat: hoc idem poterunt asserere reliqua Concilia authoritate Pontificis indicta, approbata, & confirmata quoad ea, quæ pertinent ad regulas fidei & rectè operandi. Quòd si Concilio Apostolorum adfuit Spiritus S. cujus assistentia erat necessaria pro conservatione Ecclesiæ, hæc eadem assistentia non erat minus necessarla in aliis Conciliis Generalibus, præsertim cum iisdem ageretur de controversiis fidei, & evellendis hæresum zizaniis è vinea Ecclesiæ.

Proba-

Probatur Secundò, quia Ecclesia Christi in terris militans non est minoris conditionis, quàm fuerit in veteri lege Synagoga, atqui hoc privilegium assistentiæ divinæ Synagogæ concessum fuerat, ne erraret in judiciis, & dirimendis controversiis, consequenter in militante Christi Ecclesia hæc eadem Dei assistentia concedenda est Conciliis generalibus approbatis ac confirmatis à Romano Pontifice. Major est certa, quia plures hæreses impugnant militantem in terris Christi Ecclesiam, quàm olim hostes adversarentur Synagogæ, und magis indiguit hoc privilegio divinæ assistentiæ, ne erraret in dirimendis fidei controversiis Ecclesia, quàm olim Synagoga. Minor ostenditur ex illo Deuter. 17. ubi habetur de Synagoga, *si difficile atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter causam & causam, lepram & lepram, & Judicum intra portas tuas verba videris variare: surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniésque ad Sacerdotem Levitici generis, ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quærésque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur.* Ad hunc textum respiciens Josaphat Rex alloquens Sacerdotes ait: Paralip. 2. cap. 19. *omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, ubicunque quæstio de lege, & de mandato, de cæremoniis, de justificationibus, ostendetis eis, ut non peccent in Dominum, Amasias autem Sacerdos & Pontifex vester in his, quæ ad eum pertinent, præsidebit.* Causæ Legales duplicis fuerunt generis; aliæ enim erant Sacræ, & cæremoniales, sed de Religione, fide, sacrificiis, Lepra &c. & istæ ad judicium pertinebant Sacerdotale. Aliæ erant judiciales, scilicet de homicidio, de sanguine, & aliæ hujusmodi, quas Magistratus Laicus dirimebat, qui per singulas urbes erat distributus, & ad faciliorem ad eum accessum in portis jus, dicebat, ut scilicet ab omnibus, etiam exteris, liber pateret accessus, ut habetur Deuter. 16. n. 8. Sin verò lis esset ambigua, ut ab inferiori, & obvio cuique Magistratu definiri non posset, tunc controversia deferenda erat Jerosolymam, ubi à Concilio Sacerdotum, & præsertim summo Pontifice dirimebatur. Omnes enim causæ, etiam Judiciales, non explicabantur nisi juxta legem, cujus interpres erat summus Pontifex, cui in hoc casu non solùm Sacræ, sed etiam civiles causæ committebantur, ut colligitur ex *Deuter.* 21. *v.* 5. *Ezechiel.* 44. *v.* 24. & hoc idem referunt Josephus lib. 2. contra Appionem, & Philo *lib.* 3. *de vita Moysis*: & semel à summo Pontifice lata sententia Judex sæcularis eam exequebatur, & qui detrectaret Pontificis imperio obedire, extremo supplicio mulctabatur, ut notant Lyranus, Cajetanus, Oleaster, Signorius, & alii plures.

Quapropter juvat argumentari, vel summi Sacerdotis sententia erat infallibilis, ac irreformabilis, non. Si primum, sequitur, multo magis esse in militante Ecclesia sententiam Summi Pontificis docentis ex Cathedra, & ut supremi Judicis in Ecclesia esse infallibilem, & irreformabilem, quia privilegium, & assistentia divina concessa Synagogæ militanti Ecclesiæ deneganda non est, cùm sit longè nobilior, ac præstantior Synagoga, & summus Pontifex verus Petri Successor vices in vita gerat Christi, idque vel maximè, quia cum Ecclesia propagetur per totum propemodum orbem, ubi plures hæreses illam impugnant, & plures Adversarii eam impetunt, magis indiguit supremo Judice, qui esset infallibilis authoritatis in dirimendis controversiis, ac dissidiis componendis. Quòd si summi Sacerdotis sententia non erat infallibilis, sed potuerit reformari; debuisset ab illa admitti provocatio ad alium Judicem superiorem, atqui hæc provocatio omnino prohibetur, cum non adfuerit alius Judex superior, & non acquiescentes sententiæ pronuntiatæ à summo Sacerdote, extremo supplicio mulctabantur, quod tamen injustum fuisset, & iniquum, si sententia summi Sacerdotis fuisset fallibilis, & reformabilis, siquidem dignus morte non est, qui in rebus fidei dubiam, ac incertam sententiam non sequitur, quia fides debet esse omnino certa, & omnem excludere dubietatem, unde nonnisi injustè fuisset ultimo supplicio mulctatus qui à Judice reformabili, & sententia dubia appellâsset ad aliud tribunal.

Quod si dicas, summi Sacerdotis sententiam fuisse quidem certam, & irreformabilem, non tamen ut provenientem à summo Sacerdote, sed ut ex Concilii suffragiis latam, eò quia saltem textus non loquatur de uno Pontifice, sed de pluribus, ut notat Sigonius *lib.* 6. *de Republica Hebræ. cap.* 7. Sed contra quia Concilium illud non erat generale, fuit enim Concilium Sanhedrin & tantùm constitit ex 70. viris, unde ex textu non deducitur fuisse Concilium universale, præsertim cum plures ex eodem Concilio non fuerint Sacerdotes, unde ex hoc loco non potest argumentum adduci in favorem Concilii Generalis. Rursus dato, & non concesso, quòd fuerit Concilium Generale, eidem tamen summi Pontificis sententia non erat alligata, siquidem de solo summo Sacerdote dicitur: *qui autem superbiens noluerit obedire imperio Sacerdotis, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, morte morietur*, ergo quia infallibilitas sententiæ oriebatur à summo Sacerdote, non verò à Concilio, quia non mulctatur extremo supplicio, qui detrectat obtemperare Concilio, sed qui superbiens nolit obedire imperio Sacerdotis, qui propterea solus Rationale, & Oraculum Urim ad pectus stabat cum illa inscriptione; *Judicium, & veritas*: Tum quia summus Sacerdos in rebus dubiis solus, & sine Concilio oraculum consulebat. 1. *Reg.* 23. & 30.

Præterea tametsi concederemus in veteri lege summi Sacerdotis sententiam fuisse Concilio Sanhedrim alligatam, non tamen hoc idem adstrui posset de Christi Ecclesia, quæ cum toto terrarum orbe propagata sit, Concilium genrale nonnisi rarissimè convocari potest, & tunc non sine gravissimis totius Ecclesiæ incommodis, quæ cum fuissent à Christo prævisa non Concilio generali, sed soli Petro & ejus Successoribus canonicè electis regimen concredidit suæ militantis in terris Ecclesiæ, & qui propterea sine Concilio generali docens ex Cathedra esset authoritatis infallibilis, ac posset hæreses damnare, ac haberi pro Hæreticis ejus sententiæ non obtemperantes, ut docet D. Augustinus *Epist.* 162. & *in Psal. contra partem Donati*, & S. Leo Epist. 87. ad Episcopos Viennensis Provinciæ.

Demum si Romanus Pontifex ex se sit authoritatis infallibilis, quoties docet ex Cathedra extra Concilium, ejus authoritas eò magis erit infallibilis in Concilio Generali; quia ibi etiam docet ex cathedra quatenus Controversiæ fidei antequam dirimantur, sedulo examine discutiuntur à Patribus, adeo ut infallibilitas Concilii generalis eidem derivetur ab infallibilitate summi Pontificis, hinc Christus non Concilio generali hanc authoritatem infallibilem

lem dedit, sed soli Petro pro quo tantum rogavit, ne deficeret in fide, Luc. 22. *Simon, Simon, ecce, Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua*, quibus verbis dat ipsi authoritatem infallibilem, & irreformabilem, & postea ei injungit, ui eadem approbet, & confirmet, quæ fratres statuerunt in Concilio generali, si sint consona regulis fidei, vel proborum morum, unde subjungit, & *tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, hæc autem Christi verba specialiter fuerunt ad Petrum directa, tametsi Sathanas omnes Apostolos expetiverit, non tamen Christus dixit, ego pro vobis omnibus rogavi, sed conversus ad Petrum solùm dixit, *ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua*, ut innueret, se postulâsse Perro privilegium aliquod speciale, neque Petro tantùm, sed etiam ejus Successoribus Canonicè electis, quia Petrus erat brevi moriturus usque ad sæculi consummationem perstitura.

Tum quia sicut ex omnium Catholicorum sententia aliæ promissiones Petro factæ etiam ad ejus Successores pertinent, ita etiam ista, ut communiter explicant S. S. Patres & Concilia, adeo ut temerarium sit non ita textum Luc. 22. intelligere, quamvis etiam pro perseverantia Petri in gratia, & pro ipsa Ecclesia Christus oraverit; specialiter tamen pro Petro, & ejus Successoribus, simul, ne in fide deficerent, seu docerent aliquid contra ipsam, quo pacto speciale aliquod privilegium Petro, & ejus Successoribus canonicè electis impetravit ex communi Sanctorum Patrum consensu Augustini *lib. de correptione, & grat. cap.* 18. S. Chrysostomi *homil.* 83. *in Matth.* Theophil. *in cap.* 22. *Luc.* Bernardi *Epist.* 190. *ad Innocen.* S. Gregorii Magni *lib.* 6. *Epist.* 37. *ad Eulogium*, & ita sentiunt reliqui Sancti Patres & Concilia Oecumenica, præsertim Constantinopol. *Act.* 4. & habetur *Tom.* 3. *Concil.* Quod si Romani Pontificis docentis è cathedra sententia in materia fidei non esset infallibilis, & irreformabilis, posset illi error fidei subesse, proinde ejus fides posset deficere, & non esset verum, quòd Christus impetraverit ei hoc speciale privilegium, ne in docendo ejus fides deficeret. Quòd si in docendo ex cathedra fides Petri non potuit deficere, ex speciali privilegio ei à Christo impetrato, à fortiori neque in Concilio Generali approbans, ac confirmans ibi statuta à Patribus, potest à fide deficere, cum ibi etiam judicet ut supremus in Ecclesia Judex, ac primus dominici ovilis Pastor. Quòd si dicas hoc privilegium fuisse à Christo tantùm Petro impetratum, quod ad ejus Successores non debet extendi, cum Christus non meminerit Successorum Petri. Nam, ut dixi, id est contra communem explicationem, ac sententiam Sanctorum Patrum unanimi consensu asserentium hoc privilegium non Petro tantùm, utpote brevi morituro, sed ejus sedi, & consequenter Successoribus fuisse impetratum, idque infertur ex ipsis Christi verbis, quia Christus hoc donum perpetuæ, ac indefectibilis fidei contulit Petro in utilitatem Ecclesiæ, ut scilicet Petrus eam confirmaret contra Diabolicos insultus, & subortas hæreses: hæc autem ratio non pro Petro tantùm, sed pro ejus etiam Successoribus æquè militat, imò multò magis pro Successoribus cùm Ecclesia post mortem Petri acrius fuerit impugnata ab Hæreticis. Si dicas hanc promissionem factam Petro principaliter dirigi in Ecclesiam repræsentatam in Concilio Generali. Contra est, quia verba Christi sunt adeo clara, ut in solum Petrum dirigantur, nulla facta mentione de Ecclesia repræsentata in Concilio generali, unde ita respondere est Sacras Scripturas retorquere in sensum improprium. Si dicas ex textu Evangelii Luc. 22. non haberi, quod judicium Pontificis docentis extra Concilium sit infallibile. Respondetur, quòd cùm Christus nullam omnino Concilii mentionem fecerit, multo minus infallibilitatem Petri eidem adstrinxit, quapropter gratis, & sinè fundamento hanc limitationem ab Adversariis opponi. Præterea non esset contra nostram assertionem, sed illam potiùs corroboraret, asserimus enim Concilia generalia à Romano Pontifice approbata, & confirmata esse infallibilia.

Probatur etiam, quia Petro, & ejus Successoribus Matth. 16. & Joan. ult. dicitur: Quod sit Petra & fundamentum Ecclesiæ, contra quam portæ inferi non erunt prævalituræ, ait enim Christus Matth. 16. *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Quòd si portæ inferi non erunt prævalituræ contra Ecclesiam, sequitur hanc in credendo, & docendo esse infallibilem, alioquin si posset errare, portæ inferi prævalerent. Tum quia Matth. ult. Christus alloquens Ecclesiam, & Prælatos ejusdem in Concilio generali congregatos cum capite, ait: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem Seculi.* Quòd si Christi assistentia non erit defutura Ecclesiæ in dirimendis controversiis fidei, sequitur, hanc non posse in credendo, & docendo errare, alioquin Christus illi non assisteret, cùm permitteret eam errare: unde ex hisce textibus clarè ostenditur, Ecclesiam repræsentatam in Concilio generali cum suo capite, seu Romano Pontifice approbante, & confirmante Canones à Patribus editos esse infallibilem, hinc Apostolus 1. Timot. 3. scribit: *Et Ecclesia Dei vivi est columna, & firmamentum veritatis.* Quòd si est firmamentum veritatis, non potest errare, & est infallibilis, consequenter Concilia generalia cum capite ab eodem approbata, & confirmata sunt infallibilia: siquidem tota authoritas Ecclesiæ formaliter non est nisi in Episcopis & aliis Ecclesiasticis Prælatis, perinde ac visus totius corporis est tantùm formaliter in capite, unde perinde est Ecclesiam non posse errare in dirimendis controversiis fidei, ac Episcopos non posse errare: sed Episcopi seorsim à Concilio generali possunt errare, consequenter, ne errent, necesse est, congregentur in Concilio generali una cum capite, seu Romano Pontifice, à quo approbentur, & confirmentur statuta Concilii, tum quia Concilium generale repræsentat Ecclesiam universam, ac habet consensum universalis Ecclesiæ, quapropter si Ecclesia non potest errare, neque Concilium generale legitimum & approbatum, ac confirmatum à capite.

Quòd Ecclesia tota repræsentetur per Concilium generale, ad quod vocantur, & congregantur omnes Episcopi, ex eo evincitur, quia in quovis Regno vel Republica, & in quovis Religiosorum sacro Ordine, quæ in Comitiis generalibus statuuntur, dicuntur statui à toto Regno vel Republica, vel Sacro Ordine, quia cùm non possint omnes, & singuli simul interrogari, & conveniri, sufficit, si convocentur, qui sunt præstantiores, quique à populo mittuntur ad comitia nomine illius populi, à quo mittuntur, quo pacto 3. Reg. cap. 8. tota Ecclesia Israel vocatur cratus Principum, qui cum Salomone convenerant, quatenus Principes convenerant nomine totius populi Ecclesiæ Israel, non enim fieri poterat, ut omnes & singuli Israeli-

tæ

tæ essent in uno eodémque templo simul, neque templum potuisset tot centena millia hominum simul capere: hinc ab initio illius capitis Octavi legimus convenisse ad Reges Sacerdotes, & capita singularum Tribuum, quia repræsentabant universum populum, ergo etiam in Conciliis generalibus Episcopi, & Prælati Ecclesiastici, cujuscunque Diœcesis repræsentant populum suæ propriæ Diœcesis, consequenter quæ stabiliuntur, ac definiuntur in Conciliis generalibus, hæc censentur definiri à tota universali Ecclesia repræsentata in Concilio generali, adeo ut asserens contrarium non careat suspicione hæresis, idque causæ, cur Martinus V. in fine Concilii Constantiensis jusserit, interrogari suspectos de hæresi, an non credant Concilium generale repræsentare Ecclesiam universam, hinc Sancti Patres præsertim Cyprianus *lib. 4. Epist. 9.* asserentes Ecclesiam esse in Episcopo, intelligunt sine dubio in omnibus Episcopis esse omnes Ecclesias, & omnes Ecclesias particulares copulativè constituere unam Ecclesiam Catholicam, seu universalem, cujus fundamentum est Romanus Pontifex Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Quòd si portæ inferi non sint prævalituræ, unquam Romanus Pontifex ut fundamentum Ecclesiæ, seu ut fungens munere Pontificis, seu Pastoris publici in docendo, & definiendo, quæ pertinent ad fidem, & Religionem non est errori obnoxius, consequenter, quæ in Concilio generali statuuntur, si ab ipso approbentur, & confirmentur, sunt infallibilia, quia tunc fungitur munere supremi Pastoris, & pascit, seu docet oves Christi, seu fideles: hinc Christus cum interrogasset Petrum, an ipsum amaret plus cæteris, Joan. ult. *Petre amas me plus his?* postea explorato illius amore ei injunxit officium supremi Pastoris: *Pasce oves meas*, scilicet omnes nulla excepta, & cum Episcopi & Prælati Ecclesiastici in Concilio generali pertineant ad ovile Christi sintque ejus oves, indigent etiam ipsi pasci, seu doceri, ac confirmari à supremo Pastore, quorum propterea statuta tunc incipiunt esse infallibilia cum approbantur, & confirmantur à Romano Pontifice, quia tunc supremus Pastor communicat illis infallibilitatem, eidem impetratam à Christo, cum rogavit Patrem, ut non deficeret fides Petri, *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Luc. 22. *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos:* si enim fides Petri & ejus Successoris canonicè electi non potest deficere ex Christi promissione in fide, neque poterit deficere in approbandis, & confirmandis decretis Concilii generalis, alioquin, si aliquod decretum approbaret, & confirmaret, quod esset erroneum, ipse deficeret in fide, ut fungens munere supremi Doctoris, & Pastoris contra Christi promissionem.

Præterea si Petrus & ejus Successor est fidei Petra, oportet illum, cum Ecclesiam docet cum potestate, & publicè non posse concuti in fide, & multò minus frangi, alioquin non esset Petra firmissima, sed vitrum fragile, non fundamentum stabile, sed arena mobilis, nec Petrus quidquam supra alios Doctores, & Episcopos accepisset, quando Christus eum selegit, ut Petram, & fundamentum Ecclesiæ, si perinde ac reliqui Episcopi posset impingere, everti, & errores docere, sed si Petri, & omnium Episcoporum in credendo, & docendo, quæ sunt fidei, par est conditio, non fuisset ratio, cur etiam reliqui Apostoli non essent Petræ, & fundamenta Ecclesiæ, quia Petrus non haberet majorem titulum; quàm illi; quòd si Petri, & aliorum Episcoporum non est in fide par conditio, debet Petro, & ejus Successoribus canonicè electis plus tribui, quàm reliquis Episcopis: hoc autem, quod Petro, & ejus Successoribus præ reliquis Episcopis tribuitur, est quod Petrus solus ejusque Successores docentes è Cathedra, & approbantes, ac confirmantes statuta in Conciliis generalibus non possint contra fidem errare, cum reliqui Episcopi possint impingere, & de facto plures hæreses ortæ fuerint ab Episcopis, & ab iisdem propagatæ, & ideo soli Petro dixit Christus, *Et super hanc Petram*, denotando Pontificiam dignitatem, & officium supremi Pastoris, *ædificabo Ecclesiam meam*, cum enim Petrus esset brevi moriturus, non potuit ejus persona sola esse fundamentum Ecclesiæ, quia tamdiu debet fundamentum persistere, quamdiu manet Ecclesia; & hoc propterea fundamentum erit mansurum una cum Ecclesia usque ad consummationem Sæculi in officio supremi Pastoris, & dignitate summi Pontificis.

Quòd si dicas, Petrum Ecclesiam repræsentâsse, & illam promissionem non tam factam fuisse Petro, quàm ipsi Ecclesiæ, imò propter Ecclesiam factam fuisse Petro, qui propterea dictus est Petrus, & super hanc Petram ædificata Ecclesia, quia sicut soliditas fundamenti est soliditas ædificii, ita fides promissa Petro est fides Ecclesiæ, quam Petrus repræsentat, seu Romanus Pontifex Ecclesiam toto orbe propagatam, hinc summus Sacerdos in lege veteri totum terrarum orbem vesti Pontificiæ inscriptum gestabat, juxta illud Sapient. 18. *In veste Poderis totus orbis terrarum*, ut etiam testatur Epiphanius lib. de lapidibus & gemmis idem Pontifex tempore Salomonis Regis præludens illi Petrinæ firmitati, & constantiæ, quam Christus Vicario suo promisit, præter gemmas rationalis, adamantem deferebat binis incinctum Smaragdis ad pectus, qui Deo placato serena luce perfundebatur, & Deo accincto vindictæ sanguineus fulgebat. Sed contra, quia si soliditas Petræ tota dicatur esse in ipsa Ecclesia repræsentata per Petrum, ipso exclusio id repugnat Evangelio Matth. 16. ubi Christus non ad Ecclesiam, sed ad solum Petrum fuit locutus, & soli Petro pollicitus firmitatem Petræ, & ut esset fundamentum Ecclesiæ, per quod voluit Petrum distinguere ab aliis, & illum solum, non alios designare, ut esset petra, & fundamentum Ecclesiæ, nec ibi ulla fit mentio Concilii repræsentantis Ecclesiam. Quòd si hæc promissio facta fuisset Ecclesiæ, & non Petro, sensus esset absurdissimus, esset enim iste: Tu es Petrus, & super Ecclesiam, quam repræsentas, ædificabo Ecclesiam meam, unde Ecclesia sibi ipsi esset fundamentum, vel duæ essent Ecclesiæ, quarum una esset fundamentum alterius, quo nil potest absurdius excogitari, quamobrem cum Christus dixit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Sensus est, Petrum fuisse à Christo electum fundamentum suæ Ecclesiæ militantis in terris, non quòd sola, & simplex persona Petri deberet esse hoc fundamentum, sed persona Petri ut characterizata dignitate summi Pastoris Dominici gregis, & ut affecta dignitate Pontificia, quia persona Petri erat brevi moritura, & cùm Ecclesia esset perseveratura usque ad consummationem Sæculi, debet etiam ejus fundamentum seu Pontificia dignitas, & officium supremi Pastoris perseverare in Ecclesia, quia defician-

ficiente fundamento corruit ædificium, propterea subjungit: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, quia hoc fundamentum, vel officium supremi Pastoris est stabile, ut concuti, nec minùs frangi possit, quia Christus oravit pro Petro, & ejus Successoribus canonicè electis, ne fungendo officio fundamenti Ecclesiæ, & supremi Pastoris docendo fideles ex cathedra, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, non erraret: propterea Luc. 22. ait Christus alloquens Petrum, *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. Quòd si non potest Petrus deficere in fide, sequitur evidenter Concilium à Papa approbatum, & confirmatum non posse errare, alioquin in tali approbatione, & confirmatione erraret in fide Summus Pontifex contra Christi assertionem.

Probatur ulteriùs assertum, quia Romanus Pontifex, quoties docet è cathedra, est indubiæ, ac infallibilis authoritatis, adeò ut errare non possit in fide Luc. 22. ubi Christus pro Petro ejusque Successoribus se rogâsse dicit, ne pro ullo eventu ejus fides deficiat: *Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quæ verba specialiter diriguntur ad solum Petrum, tametsi Sathan omnes Apostolos expetiverit, non enim Christus ait; Ego rogavi pro vobis, sed pro te, innuens se privilegium aliquod speciale Petro postulâsse, unde hæc authoritas infallibilis impetrata fuit à Christo soli Petro ejúsque Successoribus, ut fungentibus munere, & officio supremi Pastoris, quapropter Joan. ult. injunxit Petro, & ejus successori, ut pasceret oves suas, *pasce oves meas*, seu doceas, quæ pertinent ad salutem, ex quo liquet, Romanum Pontificem ex Christi promissione docentem ex Cathedra non posse deficere, in fide: atqui summus Pontifex in Conciliis generalibus dum approbat, & confirmat statuta à Patribus, tunc vel maximè docet è cathedra, quia ut Pontifex dicatur docere ex cathedra, & absque ullo errandi periculo, non oportet illum certo alicui medio, aut consultationi alligari, alioquin frustranea, & inefficax esset in summo Pontifice talis authoritas, etenim cujus error damnatus esset, posset semper objicere, se fuisse illegitimè damnatum, eò quia non sufficientem præmisisset consultationem, vel adhibuisset Consultores sibi suspectos, imò & sibi contrarios, vel imperitos aut odio ductos, vel contraria opinione præoccupatos, vel partium studiis addictos, hæc enim omnia objiciunt Hæretici Tridentino Concilio sufficit igitur, si Romanus Pontifex in rebus fidei definiendis non temerè processerit, sed prævium præmiserit examen precésque Deo fuderit, tunc enim Deo curæ est, non permittere, ut erret in fide: sicut ad illius providentiam spectat non permittere, ut sententiam ferat absque sufficienti examine, & prudentia, qui enim finem constituit, etiam media fini necessaria suppeditat, alioquin frustra Deuter. 17. fuissent jussi Israëlitæ Sacerdotis imperio obtemperare sub pœna mortis, si summi Sacerdotis sententia non fuisset infallibilis, quia semper potuisset, à subditis opponi fuisse latam sine sufficienti examine, vel aliquid defuisse, ratione cujus defecisset à justitia, idque causæ, cur Concilium Tridentinum *Sess. 25. de refor. cap. ult. in fin.* Prudentiæ, & discretioni Romani Pontificis committatur, quem velit modum adhibere in rebus ambiguis definiendis ait Concilium: *Quòd si in his recipiendis difficultas aliqua oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem, aut definitionem postulant; præter alia remedia in hoc Concilio constituta confidit Sacra Synodus, Beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis præsertim Provinciis, unde difficultas orta est iis, quos eodem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilii Generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quacunque ratione ei visum fuerit, Provinciarum necessitatibus pro Dei gloria, & Ecclesiæ tranquillitati consulatur.*

In Conciliis Generalibus autem nulli est dubium, quin fidei controversiæ sedulo discutiantur examine, ac hinc inde proferantur sententiæ, quibus auditis, & intellectis Romanus Pontifex habet omnia necessaria, ut controversias fidei docendo ex cathedra definiat approbando, & confirmando, quæ circa easdem controversias fuerunt à Concilio statuta, & tunc dicitur Romanus Pontifex, ut docens ex cathedra impertiri infallibilitatem Concilio generali. Potest dupliciter Pontifex considerari, ut persona privata, & ut publica solemniter authoritativè ex potestate Pontificia docens è cathedra, neque hæc distinctio est novum inventum, ut putant Hæretici, sed est antiquissima, etenim in lege veteri celebre fuit oraculum illud Vrim, & Thummim, quod in ambiguis, & obscuris rebus summum Sacerdotem edocebat, & ab eodem appensum pectori, gestabatur non privatæ, & domesticæ vesti, sed Pontificali, & solemni, Exodi 28. qua ratione voluit Deus ostendere, munus Ecclesiam instruendi, & in causis ambiguis judicandi, ad summum Sacerdotem pertinere, non tamen semper, & ubique, sed tantùm quando munere fungitur summi Pontificis, ac agit supremum Pastorem; tunc enim, & non alias Deus illum illuminat, ne fallat, aut fallatur in definiendis fidei controversiis, de quibus est aliqua difficultas, idque causæ fuit, cur Sacerdotes nunquam ad consulendum orac. 'um accesserint, & ab eo responsum acceperint, nisi priùs *Ephod* induissent, ut patet 1. *Reg.* 23. & 30. erat *Ephod* vestis auro intexta variisque ex serico distincta coloribus, cui oraculum insertum erat, unde Pontifex, quoties ut Pontifex seu supremus Pastor aliquid definit circa fidem vel bonos mores è cathedra, non permittit Deus eum errare in fide, sed eum illuminat, ut in dirimendis fidei controversiis, ut etiam in approbandis & confirmandis Concilii generalis statutis, & decretis, ne erret, unde quamvis Pontifex ut persona privata posset errare, imò & deficere in fide, non tamen ut persona publica docens è cathedra solemniter authoritativè, & ex potestate Pontificia, quia tunc ad Deum pertinet illum illuminare, ac dirigere, ne erret in fide, alioquin tota Ecclesia deficeret, contra promissionem factam à Christo, hinc Matth. 23. jubet Christus Scribas, & Pharisæos audiri, ac eorum doctrinam observari non ob aliam causam, nisi quia supra cathedram Moysis, & Prophetarum sederunt, quasi tota origo eorum in docendo fuerit authoritas cathedræ quam publicè docentes insedebant. Cæterum si Scribæ, & Pharisæi considerentur, ut personæ privatæ, certum est: plura ipsos docuisse impia, & lege divina, ac naturali prorsus contraria, ut habetur Matth. 23. Ita perinde si consideretur Romanus Pontifex, ut publicè docens è cathedra omnes fideles, adeo illuminatur, ac dirigitur à Deo, ut non possit totam Ecclesiam fallere, nec ipsum deficere à fide.

Hinc

Hinc ſexta Synodus Conſtantinopolitana epiſtolam Agathonis Papæ non ſolum approbat, ſed ſummis etiam excipit laudibus, & in illa non tam Agathonem quàm Petrum locutum fuiſſe aſſerit *Seſſ.* 8. *&* *Seſſ.* 18. fatetur cathedram Petri, & ejus Succeſſores omnis hæreſis expertes eſſe, & nihilominus *Seſſ.* 13. aſſerit Honorium I. Romanum Pontificem hæreſis labe fuiſſe infectum, quem propterea damnat, ex quo clarè evincit noſtram diſtinctionem, qua conſideratur Romanus Pontifex, ut privata perſona, quæ poteſt errare, ac deficere in fide, & ut publica, & ſolemniter authoritativè ex Pontificia poteſtate docens ex cathedra, quando enim docet ex privata opinione, poteſt Romanus Pontifex ut quilibet alius privatus Doctor errare, non verò, ut publica docens ex cathedra ſolemniter authoritativè ex Pontificia dignitate, quia tunc Deus illum illuminat, & dirigit, ne erret. Hinc etiam D. Auguſtinus diſputans contra Donatiſtas, epiſt. 165. diſtinguit cathedram Romani Pontificis à perſona, ſeu diſtinguit errorem perſonalem à cathedrali, & hunc negat in Petri Succeſſores cadere, quamvis errori perſonali ſint obnoxii, quinimò etiam Apoſtolus Paulus ex ſymbolo noſtræ Religionis fatetur Eccleſiam Catholicam eſſe Sanctam ſine ruga abſque macula, quamvis conſtet plures eidem ineſſe peccatores, & *Joan.* 1. dicatur, *qui dicit ſe abſque peccato eſſe mendax eſt.*

Quòd ſi quæras, quomodo Eccleſia ſit tota ſine ruga, & macula, ac tota Pulchra, reſpondetur, quia non ſolùm privatæ perſonæ in Eccleſia ſpectandæ ſunt, verùm etiam publica illius forma, quæ ad omnes pertinet fideles, ſeu attendi etiam debent leges, doctrina, Sacramenta, quæ omnia ſancta ſunt, omnémque excludit peccati maculam: ſicut igitur Eccleſia dupliciter conſideratur, ut comprehendens privatas perſonas, & ut includens publicam formam ſpectantem ad omnes fideles, cujuſmodi ſunt leges, Doctrina, & Sacramenta, & ſecundum hanc formam eſt ſine macula, & abſque ruga, cum ut comprehendens peccatores ſit plena rugis, & maculis, & poſſit deficere à morum rectitudine, & etiam à fide, cum plures Catholici, & hereſiarchæ, ut Lutherus, Calvinus, Zvvinglius, & alii ejusdem furfuris plures defecerunt, perinde Romanus Pontifex ut perſona privata poteſt deficere in morum honeſtate, imò etiam in fide, non verò ut perſona publica ſolemniter authoritativè, & ex Pontificia poteſtate docens è cathedra, quia, ut diximus, tunc ad Deum pertinet, eum dirigere, ac illuminare, ne erret in fide, cum ad id rogaverit æternum Patrem, Luc. 22. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando confirma fratres tuos.*

Stat igitur Romanum Pontificem approbantem, & confirmantem Concilia generalia non poſſe errare, & tunc iisdem communicare infallibilitatem. Hinc S. Leo Papa ad Epiſcopos Viennenſes epiſt. 78. ſcribit: *Hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, ut in baptiſmo Petro principaliter collocaret, ut ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet, ut exortem ſe, myſterii intelligeret eſſe divim, qui auſus fuiſſet, ſe à Petri ſoliditate dividere.* Et S. Auguſtinus ſerm. de cathedra ait: *Petra ergo pro devotione Petrus dicitur, eò quòd primus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, & molem contineat.*

Probari etiam ſolet noſtrum aſſertum authoritate Sanctorum Patrum aſſerentium ſententiam Concilii generalis in cauſa fidei, eſſe ultimum Eccleſiæ judicium, à quo appellari non poſſit, neque ullo modo irritari, vel retractari, quod tamen intelligendum eſt de Conciliis generalibus, à quo approbentur, & confirmentur, alioquin iniquum eſſet adigere Chriſtianos, ut non provocent ab eo judicio, quod errori eſt obnoxium, & poteſt fallere: hinc Athanaſius epiſt. ad Epictetum quam recitat Epiphanius hæreſi 77. miratur, quomodo illi audeat quæſtionem movere, de rebus jam in Nicæno Concilio definitis, cum non poſſint decreta Conciliorum ſemel à Papa approbata, & confirmata mutari, quapropter D. Auguſtinus epiſt. 162. ait: Ultimum judicium Eccleſiæ eſſe Generale Concilium cum capite, à quo confirmetur, & S. Leo epiſt. 5. ad Martianum petit, ut ſemel definita in Conciliis Generalibus non retractentur, quod & ſanxit Martianus Imperator *L. Nemo Cod. de ſumma Trinit. & fide Cathol.*

Et ratio eſt, quia ſummus Pontifex non poteſt errare, nec deficere à fide, quando agit ut Pontifex: & quando in Conciliis generalibus approbat, & confirmat, quæ in illis fuerunt à Patribus ſtatuta, tunc definit, & confirmat, ut ſummus Pontifex docens ex cathedra, non verò ut perſona privata, proinde Concilium ita approbatum, & confirmatum eſt infallibile. Audiendus eſt D. Bernardus epiſt. 190. ubi ſcribit: *Habemus in Francia novam de veteri Magiſtro Theologum, qui ab ineunte ætate ſua in arte Dialectica luſit, & nunc in ſcripturis Sanctis inſanit. Olim damnata, & ſopita dogmata tam ſua videlicet, quàm aliena ſuſcitare conatur inſuper, & nova addit, qui dum omnium, quæ ſunt in cœlo ſurſum, & quæ in terra deorſum, nihil præter ſolum neſcio quid neſcire dignatur, ponit in cœlum os ſuum, & ſcrutatus alta Dei, rediensque ad nos refert verba ineffabilia, quæ non liceat homini loqui.* Et infra ſubdit: *Ego Prophetas, & Apoſtolos audio, obedio evangelio ſecundum Petrum, tu nobis novum condis evangelium? Quintum Eccleſia Evangeliſtam non recipit. Quid lex? quid Propheta? quid Apoſtoli? quid Apoſtolici viri nobis aliud evangelizant? quàm quod ſolus tu negas, Deum videlicet factum hominem, ut hominem liberaret? Et ſi Angelus de cœlo aliud nobis evangelizaverit, anathema ſit. Sed qui venerunt poſt Apoſtolos Doctores non recipis, homo qui ſuper omnes docentes te, intellexiſti. Denique non erubeſcis dicere, quod adverſum te omnes ſentiant, cum ab invicem non diſſentiant. Fruſtra igitur illorum tibi fidem doctrinamque proponerem, quos jam proſcripſiſti.* Vult D. Bernardus eſſe ſtandum iis, quæ à Romano Pontifice docente è cathedra ſivè in Conciliis generalibus ſive extra, & è Sanctis Patribus docentur. Unde S. Ambroſius *epiſt.* 11. ad Ageruchiam ſcribit; in omnibus Romanæ Eccleſiæ formam & typum ſequimur. S. Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. ait: *Poſt iſta adhuc inſuper Pſeudo-Epiſcopo ſibi ab Hæreticis conſtituto navigare audent, & ad Petri cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis, & profanis litteras ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos (quorum fides Apoſtolo prædicante laudata eſt) ad quos perfidia non poſſit habere acceſſum.* S. Irenæus lib. 3. cap. 3. adverſus hæreſes ait: *Quoniam igitur valdè longum eſſet*

omnium his Ecclesiarum enumerare Successiones, maxi-
ma, & antiquissima, ac ab omnibus cognita à gloriosis-
simis duobus Apostolis Petro, & Paulo fundata Ec-
clesiæ, eam quam habet ab Apostolis, & annuntiatam
omnibus fidem per successiones Episcoporum ad nos us-
que pervenientem judicantes confundimus omnes,
qui quoquo modo vel per sui placentiam, vel vanam
gloriam, vel per cæcitatem, & sententiam malam
præter quam oportet colligunt. Ad hanc enim Ec-
clesiam propter potentiorem principalitatem necesse
est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt ubi-
que fideles, in qua abhis, qui sunt undique conserva-
ta est ea, quæ ab Apostolis traditio. ait expresè Ire-
næus, oportere omnem Ecclesiam in rebus fidei cum
Ecclesia Romana, seu sede D. Petri convenire per
fidem, & Doctrinam Successorum Petri confundi
omnes Hæreticos, eò quia hæc sedes authoritatis
sit infallibilis, & in ea conservatam semper fuisse
Apostolicam fidem, & traditionem, quæ infallibi-
litatem arguunt Romani Pontificis docentis è cathe-
dra.

D. Augustinus contra Julianum Pelagianum lib.
1. cap. 4. Puto eam tibi partem orbis sufficere de-
bere, in qua primum Apostolorum suorum voluit
Dominus gloriosissimo martyrio coronari. Eccle-
siæ præsidentem beatum Innocentium si audire vo-
luisses, jam tunc periculosam juventutem tuam
Pelagianis laqueis exuisses. Nihil enim potuit vir
ille Sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi
quòd antiquitus Apostolica sedes, & Romana cum
cæteris tenet perseveranter Ecclesia. Huic vide
quid respondeas, qui cum Irenæo, Cypriano, Hilario,
Ambrosio considet, & si posterior tempore, prior lo-
co. & epist. 157. scribit: In verbis Apostolicæ
sedis tam antiqua atque fundata certa, & clara
est Catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare Chri-
stiano, & lib. 2. contra duas epist. Pelagianor. cap. 3.
Per Papæ rescriptum causa Pelagianorum finita est,
totoque orbe post ejus damnationem damnati sunt,
ac litteris Innocentii tota de hac re dubitatio sub-
lata est: quia scilicet authoritas Romani Pontificis
docentis è cathedra in dirimendis controversiis fi-
dei infallibilis est, & non potest errare, alioquin
si foret errori obnoxia, non fuisset de illa Pelagia-
norum quæstione tota dubitatio sublata, quia ad-
huc potuisset dubitatio pectora pulsare fidelium, num
in illa definitione forsan Romanus Pontifex errâs-
set. Et S. Innocentius I. in epist. responsoria ad
legationem Patrum Africanorum scribit: Patres
ttes olim non humana, sed divina decreverunt sen-
tentia, ut quidquid in disjunctis, remotisque Pro-
vinciis ageretur non prius ducerent definiendum,
quam ad illius sedis notitiam perveniret, ubi tota
ejus authoritate justáque fuerit pronuntiatio, confir-
maretur. Et postea subdit: Scientes, quod per omnes
Provincias de Apostolico fonte petentibus responsa
semper emanent, præsertim quoties fidei ratio ventila-
tur: quod arbitror omnes fratres, & Coepiscopos
nostros nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis, & ho-
noris authorem referre debere, vel ut nunc retulit ve-
stra dilectio, quod per totum mundum possit omnibus
Ecclesiis in commune prodesse. Hinc D. Hierony-
mus epist. 8. Ad Demetriadem cap. 9. scribit: Et
quia vereor imò rumore cognovi in quibusdam adhuc
vivere, ac pullulare venenata plantaria, illud te pro
charitatis affectu præmonendum puto, ut S. Innocentii
qui Apostolicæ cathedræ, & supra dicti viri successor, &
filius est, teneas fidem, neque peregrinam quamvis tibi
procedens callidaque videaris, doctrinam recipias.

Rursus contra Ruffinum lib. 3. cap. 5. ait: Et ta-
men miror, quomodo probaverit Italia quod Roma
contempsit: Episcopi susceperint, quod sedes Apo-
stolica condemnavit: & cap. 6. ait: Innocentem te
vocas, ad cujus interpretationem Roma contremuit:
absentem qui accusatus respondere non audes, &
tantum Romanæ urbis judicium fugis, ut magis ob-
sidionem Barbaricam, quàm pacatæ urbis velis
sententiam sustinere. S. Cyrillus Alexandrinus epist.
ad Cœlestinum Papam scribit: Quamvis hæc ita
se habeant, non prius tamen Nestorii communionem
confidenter deserere ausi fuimus, quam hæc ipsa pie-
tati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hic sen-
tias, declarare, quo liquido nobis constet, communi-
carene nos cum Nestorio oporteat, an verò liberè ei-
dem denuntiare, neminem cum eo communicare, qui
ejusmodi erroneam doctrinam favet, & prædi-
cat.

Dubitavit S. Cyrillus, an licitum foret commu-
nicare cum Nestorio, antequam ejus causa definita
fuisset per Romanum Pontificem, sedemque Apo-
stolicam, eò quia censuerit solam authoritatem
Pontificis docentis è cathedra esse authoritatis in-
fallibiliter, & verum juxta fidem, quod ab ipsa
definitur, Theodoretus Cyri Episcopus epist. ad
Leonem Papam scribit: Est enim ipsa sedes Ro-
mana amplissima, splendidissima, & orbi præsidet.
Præterea ipsa principatum imperatorium profudit,
& nomen suum, id est, Romanum cum iis, qui in di-
tione ejus sunt, communicavit. Fides verò præcipuè
eam ornat, testis est Paulus, qui clarissima voce ait:
Fides vestra annuntiatur in universo mundo &c.
Ego vero suffragium Sedis Apostolicæ expecto, &
supplex oro, atque obsecro Sanctitatem vestram, ut
ea me tribunal vestrum justum ac rectum appellan-
tem defendat, ac protegat, jubeátque, ut ad vos
accurram, & Doctrinam meam vestigiis Apostoli-
cis institutentem ostendam; vestram sententiam ex-
pecto: quòd si sententiæ eorum, qui condemnarunt,
acquiescere jusseritis, acquiescam nullus deinceps
futurus molestus, quia potius expectabo incorru-
ptum Dei, & Salvatoris nostri tribunal. S. Gre-
gorius Magnus lib. 4. epist. 52. ait: Si quam verò
contentionem, quod longè faciat divina potentia de
fidei causa evenire contigerit, aut negotium emer-
serit, cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui
magnitudine judicio sedis Apostolicæ indigeat; exa-
minata diligentius veritate relatione sua ad nostram
studeat perducere notitiam, quatenus à nobis valeat
congrua sine dubio; sententia terminari; ait: Con-
troversiam à sede Apostolica sine dubio terminari,
quia cùm sit ejus authoritas infallibilis, & non pos-
sit errare in dirimendis controversiis fidei, sequi-
tur definitionem Sedis Apostolicæ omnem exclu-
dere dubitationem. S. Chrysologus epist. ad Eu-
tych. In omnibus hortamur te, frater honorabi-
lis, ut his quæ à beatissimo Papa Romanæ civitatis
proscripta sunt, obedienter attendas: quoniam bea-
tus Petrus, quia in propria sede, & vivit, & præ-
sidet præstat quærentibus fidei veritatem. Nos
enim pro studio pacis, & fidei extra consensum Ro-
manæ civitatis Episcopi causas audire non possu-
mus. Noluit S. Petrus Chrysologus causam Eu-
tychetis cognoscere, nec illi se immiscere, eò
quia esset controversia fidei, quam dirimere ad so-
lum Romanum pertinet Pontificem, sedentem in
cathedra Petri, eò quia hæc sola sedes sit in-
fallibilis authoritatis, & quod ab illa definitur, id
sit certum de fide tenendum.

Pa-

Patres Concilii Milevitani Epist. ad Innocentium, cujus etiam meminit D. Augustinus Epist. 92. scribunt: *Multò plures, qui Pelagii sensus diligentius indagare potuerunt, adversus eum pro Christi gratia & Catholicæ fidei veritate confligunt, præcipuè Sanctus Filius tuus Frater, & Compresbyter noster Hieronymus. Sed arbitramur (adjuvante misericordia Domini Nostri Jesu Christi qui te regere consulentem, & orantem exaudire dignatur) authoritati Sanctitatis tuæ de Sanctarum Scripturarum authoritate deprompta facilius eos (qui tam perversa, & perniciosa sentiunt) esse cessuros.* Et ita communiter, ac unanimi consensu sentiunt Sancti Patres. Quòd si Romanus Pontifex ut docens ex Cathedra in dirimendis, ac judicandis controversiis fidei est authoritatis infallibilis, & non potest errare, sequitur evidenter Concilia Generalia approbata, & confirmata à Romano Pontifice esse infallibilia, ac immunia à quolibet errore in fide, alioquin si munita approbatione, & confirmatione Apostolicæ Sedis aliquem continerent errorem in fide, hic etiam imputaretur Romano Pontifici, qui illum approbavit, & confirmavit, approbare autem errorem in fide perinde est, ac errare in fide, quòd non potest cadere in Romanum Pontificem docentem ex Cathedra, & approbantem, ac confirmantem decreta Concilii Generalis.

Ratio itidem naturalis hanc authoritatem infallibilem in Romano Pontifice docente ex cathedra & approbante, & confirmante Concilia Generalia plenè suadet: siquidem si negaretur hæc infallibilitas in controversiis dirimendis fidei, sequeretur nullum Ecclesiæ inesse Judicem controversiarum. Præterea Ecclesiam esse veluti navem fluctibus agitatam sine clavo, & gubernatore in incertum huc illucque vagantem, & undas trajicientem, quæ non posset non impingere in scopulos, & naufragium pati, sicque nulla esset in Ecclesia certa veritas, & omnes controversiæ, ac dubia scripturarum deberent dirimi ex sententia instinctus hominis privati, ut putant Lutherani, hinc Concilia Generalia cum suo capite possent errare, & nullum esset in Ecclesia firmum judicium, quo controversiæ dirimerentur diffidia sententiarum componerentur, ac unitas in Ecclesia servaretur: & quia Concilia Generalia nonnisi difficulter & cum gravi incommodo post multum temporis defluxum convocantur, & personæ convocari non possunt, omnia judicarentur juxta cujusvis privati hominis enthusiasmum, sicque nihil certi haberetur de iis, quæ credenda essent de fide; quòd si Concilia Generalia etiam convocentur, adhuc si authoritas Romani Pontificis non esset infallibilis in approbandis, & confirmandis, quæ à Conciliis statuuntur, adhuc plura essent incerta ac vocarentur in dubium, nimirum an talia Concilia fuerint universalia, & legitimè celebrata, an quæ ibi fuerunt statuta, fuerint hæc conciliariter, seu præmisso examine, & diligente inquisitione ac pluribus suffragiis decreta: secus eo ipso quòd muniuntur Romani Pontificis authoritate infallibili, à qua approbentur, & confirmentur, hæc infallibilitas redundat in Concilia Generalia, quorum propterea decreta sunt & ipsa infallibilia: Neque sine hac authoritate infallibili in supremo Judice controversiarum seu Romano Pontifice difficulter posset quidquam certi definiri in Conciliis Generalibus, quæ propterea possent semper revocari in dubium omnes hæreses ab iisdem damnatæ, Posset enim asserere Arius, Nicænam Synodum errasse, cum definivit, Filium esse ejusdem prorsus substantiæ, & Deitatis cum Patre, & ita Macedonius erroris posset redarguere Concilium Oecumenicum Constantinopolitanum; Nestorius Ephesinum, Eutyches Chalcedonense à quibus eorum hæreses fuerunt condemnatæ. Præterea si Episcopi unius Nationis Catholicæ detrectarent ad Concilium venire, vel à Concilio discederent post allegatas causas, quæ semper fingi possunt, & nunquam desunt, Generalitas Concilii semper posset impugnari, sicque Ecclesia continuis controversiis agitaretur, & Concilia Generalia semper essent incerta, quia semper possent oppugnari, quod non fuerint Generalia defectu hujus vel illius conditionis, ut nos edocet experientia in multis Conciliis, præsertim Francofurtensi sub Carolo Magno, Pisano, Constantiensi, Basileensi, Florentino, & Lateranensi. Quòd si Concilium non approbaretur ut Generale, & impediretur, ne dirimeret fidei controversias, & solveretur, quis tunc finem controversiis imponeret? quis si Patres inter se se dissiderent, eos componeret? ex his omnibus etiam constat necessitas admittendi in Ecclesia Judicem aliquem controversiarum, qui sit authoritatis infallibilis, qui in Conciliis dissidentes Patrum sententias componat, fidei controversias dirimat, & Ecclesiam totam tranquilla in statione constituat.

Quod si Romanus Pontifex docens ex cathedra, seu fungens munere supremi Judicis controversiarum posset errare, non posset fideles in fide nutantes confirmare, cum tamen Christus injunxerit Petro, ut confirmaret fratres suos, eo quia æternum Patrem rogaverit, ne ipse deficeret in fide: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando confirma fratres tuos.* Præterea si Concilia approbata & confirmata à Romano Pontifice essent errori obnoxia, nulla haberetur certitudo de pluribus sacræ scripturæ libris siquidem de Epistola ad Hebræ. 2. Petri 2. & 3. Joannis, de Epistola Jacobi & Judæ, & de Apocalypsi, quos libros etiam Calvinistæ recipiunt, tamdiu fuit in Ecclesia dubitatum, donec à Concilio fuerit declaratum esse scripturas Canonicas. Præterea si Concilia approbata non essent infallibilis authoritatis, nihil in fide statuere possent, quia destituta approbatione, & confirmatione Pontificis pluries errârunt, ut superius ostendimus de Conciliis Ariminensi, Ephesino, & aliis, quæ propterea non fuerunt approbata, neque confirmata à Romano Pontifice, qui si posset errare in approbandis, & confirmandis Conciliis Generalibus, nil certi ab ipsis, nec in Ecclesia haberi posset, & maximè quando agitur de quæstione facti, qualis est illa, an Concilium fuerit Generale, legitimum, & legitimè processerit, quia Ecclesia non tenetur recipere Concilium, nisi constet esse legitimum, & universale, & in hoc casu, si non daretur Judex qui in dirimendis controversiis esset authoritatis infallibilis, sequeretur, neminem posse in Ecclesia hanc facti quæstionem judicare.

Præterea si Concilia approbata, & confirmata à Papa possent errare, sequeretur, quod omnia Concilia Generalia hactenus approbata & confirmata à Papa adhuc sint errori obnoxia, & dubia quæ in iisdem fuerunt statuta; & quod omnia intolerabilem errorem admiserint; ac propterea nullius essent authoritatis, nulli esset iisdem fides præ-

præstanda ob intolerabilem errorem, quem docuerunt: siquidem est error intolerabilis, præponere aliquid credendum ut fidei articulum, de quo non constat, an sit verum, vel falsum: & certum est, pleraque Concilia Oecumenica, ut Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense, quæ sunt quatuor principaliora Concilia, & quæ à D. Gregorio habita sunt in veneratione, perinde ac quatuor Evangelia edidisse nova Symbola fidei vel certe novas sententias, quas voluerunt haberi à fidelibus ut articulos fidei: sed nullus est qui dixerit, quatuor illa Concilia errorem docuisse intolerabilem, ac nulla esse fide digna, in nulla habenda æstimatione, nulloque honore; cum Sancti Patres illa in eodem habuerint honore, ut quatuor Evangelia, & ipsi Hæretici ea cum honore suscipiant, & personæ in testimonium veræ doctrinæ citent.

Probatur secundò, quia ut fatentur omnes Philosophi, Deus quamvis sit rerum omnium prima ac præstantissima causa omnipotens, quæque propterea nullius consortio aut præsidio indigeat; operatur nihilominus ad extra una cum causis secundis juxta eorum naturas, & inditas sibi proprietates, ac propensiones, quibus se accommodat, adeo ut per ignem, non per nivem calefaciat, per lucem, non per colores aërem illustret, per sonos, non per sapores aures pascat, coloribus oculos recreet, saporibus palatum illiciat, levibus sursum motum suppeditet, & gravibus deorsum, & juxta has omnes diversas naturas una ac eadem causa prima operetur, ac earum proprietatibus se accommodet, & quæ singulorum naturis congruunt, tribuat, non quæ iisdem adversantur. Hæc enim est divinæ providentiæ ingenium molientis omnia in ordine, pondere, & mensura omnia disponere, ac dirigere in suos fines fortiter, & suaviter, juxta, & non contra earundem naturales propensiones. Cum igitur Deus Divum Petrum, ejusque legitimum Successorem pro tempore constituerit caput, Pastorem, & Magistrum non solùm omnium Ecclesiarum in particulari, sed etiam ipsius Ecclesiæ universalis, ut definitum fuit in pluribus Conciliis Generalibus, præsertim Lugdunensi I. *cap. unic. de homicid.* Lugdunensi II. *cap. unic. de Summ. Trinit. in* 6. Constantiensi *Sess.* 8. *art.* 37. *& Sess.* 15. *& sess. ult.* Florentino *sess. ult.* Lateranensi *sess.* 11. oportuit hanc prærogativam infallibilitatis, ut ei indulgeret, ut de facto ei indulsit, cum dixit Petro Luc. 22. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Quòd si fides Petri non potuit deficere, seu non potuit ipse errare contra fidem, procul dubio fuit infallibilis, & certa de fide ejus sententia, quoties eam profert è cathedra vel in Concilio Generali, quod approbat, & confirmat.

Neque urget, quod respondent Hæretici, hanc infallibilitatem non fuisse concessam Petro, sed Ecclesiæ repræsentatæ in Petro, nam idest expressè contra verba Evangelii, ubi Christus non meminit Ecclesiæ, sed solius Petri quem alloquitur, & pro ipso rogat, ne ejus fides deficiat: unde hæc infallibilitas non Ecclesiæ, sed soli Petro, ut capiti Ecclesiæ tributa fuit, & ratione capitis, non verò ratione sui est Ecclesia infallibilis, & columna veritatis.

Præterea hæc infallibilitas tribui debuit vel Ecclesiæ soli vel Pontifici soli, vel utrique simul, vel neutri, hoc ultimum non dices, alioquin in Ecclesia nil certi haberemus, & Christiana fides in opinionem fallibilem mutaretur: si utrique tributa fuit, scilicet Pontifici, & Ecclesiæ ratione capitis, sequitur, hanc infallibilitatem fuisse à Christo impetratam Petro ejusque Successori pro tempore seu Romano Pontifici. Sin verò tributa fuerit Ecclesiæ, seu Concilio Generali, & non Petro, seu summo in Ecclesia Pontifici, jam sequitur hoc inconveniens, Deum plus doctrinæ, & certitudinis fuisse impertitum Discipulis, quàm Magistro, & qui noluit oves posse errare, voluit Pastorem posse errare, quod est implicatorium, quia cum oves sequantur Pastorem, si pastor erret, necesse est & ipsas oves errare, alioquin non sequerentur Pastorem. Rursus Romanus Pontifex est firmum fundamentum Ecclesiæ Catholicæ, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: sin autem hanc infallibilitatem indulsisset Deus soli Ecclesiæ, seu Concilio Generali, non verò Romano Pontifici, jam voluisset ædificium firmius, ac stabilius esse fundamento, cùm illud lapsui non sit obnoxium & fundamentum frangi, & cadere possit, quòd est contra naturam fundamenti, contra rationem Magistri, contra conditionem Pastoris, cùm enim Christus Joan. ult. non Ecclesiæ, non Concilio Generali, sed soli Petro dixerit, *pasce oves meas*, quem propterea supremum Pastorem constituit totius sui ovilis, seu totius Ecclesiæ Catholicæ, ut pasceret, suas oves scilicet omnes nulla excepta, & absque ulla restrictione, seu doceret, & confirmaret omnes fideles, & omnes Episcopi, & Prælati Ecclesiastici pertineant ad oves Christi, ac comprehendantur in ejus ovili, pasci debent, seu doceri à supremo Pastore, seu Romano Pontifice, & si hæc infallibilitas tributa fuisset Ecclesiæ, seu Concilio Generali, & non Petro, non Pastor oves, sed oves Pastorem pascerent, regerent, ac docerent, quo nil absurdius, propterea inde sequeretur Papam esse errori obnoxium, & Concilium Generale non posse errare, proinde non oporteret, ut acta Concilii Generalis à Papa confirmarentur, sed potius acta Pontificis à Concilio essent confirmanda, quod adversatur experientiæ, & praxi perpetuæ Ecclesiæ, in qua à primo ejus exordio usque nunc semper acta Conciliorum Generalium approbata, & confirmata fuerunt à Romano Pontifice, adeo ut ante hanc approbationem, & confirmationem potuerint errare, & de facto plura errârunt, quæ propterea non fuerunt approbata, nec confirmata à Romano Pontifice, ut superius fusè ostendimus, & plura adduximus Concilia Generalia, quæ errârunt, ergo hæc infallibilitas non Ecclesiæ, seu Concilio Generali, sed soli Petro, ut capiti totius Ecclesiæ tributa fuit, ut confirmaret fratres in fide, Luc. 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Probatur tertiò, quia quæ fieri possunt, aliquando facta sunt, quia Deus utpote sapientissimus artifex rerum, nullam indidit potentiam iisdem, quæ perpetuo otio marcesceret, ac frustranea esset, & non aliquando in actum erumperet, ac suam virtutem proderet, hinc nulla in cœlis, aut terris reperitur potentia, quæ aliquando suam non exercuerit virtutem, & ideo, quia potest ignis calefacere, nullus reperitur ignis, qui aliquando non calefecerit, quia gravia indito sibi naturali pondere habent potentiam tendendi deorsum, & quiescendi in centro, nullum est grave, quod si reperiatur extra centrum, sitque liberum à quo-

vis

vis impedimento non feratur deorsum. Nulla est planta, cui si indita sit potentia producendi fructus, eos aliquando non produxerit, vel si perpetua sterilitate laboraverit, id fuit, quia caruit potentiâ, sicut è converso, quæ nunquam in aliqua specie facta sunt, creduntur fieri non posse, & jure negamus ea fieri posse, alioquin sequeretur Sapientissimum rerum Artificem Deum potentias, ac proprietates iisdem indidisse omnino frustraneas, quæque in actum nunquam prodirent. Hinc Philosophi eatenus arguunt, cœlum non esse corruptionis obnoxium, quia à tot sæculis, seu ab initio fuit à Deo cœlum conditum, nulla unquam fuit corruptio observata: ergo eodem pacto, quia Ecclesia Romana à sua origine, quam habuit à D. Petro, nunquam defecit in fide, numquam aliqua hæresis nota fuit deturpata, jure infertur, ratione sui capitis seu Romani Pontificis esse infallibilem, quatenus Romanus Pontifex nunquam deficit in fide, infallibilitas enim capitis refunditur in membra, quæ propterea ratione capitis dicuntur infallibilia, & Episcopos, ac Prælatos Ecclesiasticos in Conciliis Generalibus approbatis, & confirmatis à Romano Pontifice dicimus condidisse decreta infallibilia: sicut enim nonnisi imprudenter quis assereret ea fieri posse, quæ nunquam facta sunt, ita quæ fieri possunt, prudenter asserimus aliquando fuisse facta: atqui nunquam contigit, quòd in cathedra Romana sederit, qui esset hæresis labe contaminatus, ergo prudenter asserimus, sedentem in Romana Cathedra non posse deficere in fide, & simul sedere, quia semel quod à fide deficit, definit esse caput Ecclesiæ, unde quamdiu Romanus Pontifex sedet in Petri cathedra, non deficit à fide, estque infallibilis authoritatis: è converso reliquos Patriarchales cathedras inferimus esse infallibiles, ac posse deficere à fide, eò quia in iisdem sederint Patriarchæ hæresi infecti, etenim in cathedra Constantinopolitana sederunt Macedonius, Nestorius, Sergius Hæresiarchæ. In Alexandrina Gregorius, & Lucius Ariani, ut etiam Dioscorus Eutcyhianus, Cyrus Monothelita. In Antiochena Paulus Samosatenus, Petrus Eutychianus, Macarius, Monothelita. In Hierosolymitana Joannes Origenista, Irenæus, & Hilarius Ariani, inde inferimus has cathedras fallibiles esse, & erroribus obnoxias, & solam Romanam Cathedram esse infallibilem, eò quia nunquam defecerit à fide, nec ulla eam hæresis hactenus occupaverit, quam propterea D. Hieronymus Epist. ad Damasum vocat, *Fontem signatum, hortum conclusum, & apud quam solam incorrupta Patrum servatur hæreditas.*

Tametsi fuerit Romana Cathedra ab Ethnicis, Hæreticis, ac Schismaticis armis, dolis, & suppliciis pluries oppugnata, nunquam tamen expugnata, tametsi Wandali, Gothi, Græci pluries toto impetu in eam irruerint, nunquam tamen cecidit, sed invicta stetit, imo & invulnerata vicit, cum fuerint tandem conclamati ii, à quibus infestabatur. Quod persecutiones non toleravit sub Nerone, & Diocletiano, quot procellas non sustinuit sub Leone Isaurico & Juliano Apostata, & tamen in nullum unquam impegit scopolum, nullum fuit passa naufragium, quia *portæ inferi non prævalebunt adversus illam.* Hinc Isaiæ 50. *Pro eo, quod fuisti derelicta, & odio habita, & non erat, qui per te transiret, ponant te in superbiam Sæculorum gaudium in generationem & generationem, & suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis, & scies, quia ego Dominus salvans te, & Redemptor tuus: & venient ad te curvi filii eorum, qui detrahebant tibi, & vocabunt te civitatem Domini.* Præviderat Isaias hanc infallibilitatem Romanæ Cathedræ, quoties Romanus Pontifex in ea doceret fideles, & ideo vocat eam civitatem Domini, quia nunquam defecit à fide. Præterea quia hoc privilegium infallibilis doctrinæ ex duplici tantùm capite concedi vel negari potest Romano Pontifici, scilicet vel ex voluntate Dei declarata per scripturas, vel ex bono regimine Ecclesiæ, atqui ex utroque titulo adigimur hanc infallibilitatem Romano Pontifici, asserere, quia sacræ scripturæ iisdem verbis, quibus asserit Ecclesiam errare non posse, iisdem asserit, Romanum Pontificem non posse errare in fide, quoties docet è Cathedra vel approbat, & confirmat, quæ à Patribus fuerunt in Conciliis Generalibus statuta, etenim si Apostolos scribens 1. ad Timoth. 3. vocat Ecclesiam columnam veritatis, inquiens: *Columna, & firmamentum est veritatis*, hoc idem pari jure dicitur de Petro, qui vocatur fundamentum Ecclesiæ, cui claves Regni cœlorum traditæ sunt: si Ecclesiæ infallibilitas asseritur in scripturis: qui Ecclesiam non audit, habendus est instar Ethnici, & Publicani, etiam de Petro hoc idem asseritur, quia Christus rogavit, ne deficeret in fide, & cui soli præcepit pascere oves suas. Luc. 22. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Joan. ult. *si amas me, pasce oves meas*: vel igitur verba scripturæ infallibilitatem non evincunt, nec probant etiam illam Petri ejusque Successorum in Romana Cathedra, imò si infallibilitas Ecclesiæ tribuitur, hæc nonnisi ratione capitis in ipsam derivatur, non enim cum Ecclesia dicitur infallibilis, intelligitur Ecclesia acephala, & imperfecta, vel mutilata sine capite, sed intelligitur de Ecclesia perfecta in suo corpore mystico, hoc est, cum suo capite suisque membris omnibus, & quia caput, seu Romanus Pontifex est authoritatis infallibilis, sicut caput influit in reliqua membra, ita hæc infallibilitas è capite redundat in membra Ecclesiæ, seu in Concilium Generale repræsentans Ecclesiam universalem: quia ad rectum Ecclesiæ regimen pertinet magisque conducit, quod ejus caput infallibilis sit authoritatis, cujus propterea doctrina nulli sit obnoxia errori, quàm si sit caput fallibile, & ejus doctrina admittat falsitatem: siquidem authoritas infallibilis in capite omnibus prodest, & nulli obest, & è contra ejus fallibilitas omnibus nocet, & nemine prodest, quapropter hoc privilegium infallibilitatis congruum erat, ut capiti tribueretur, & ratione capitis in reliqua membra derivaretur.

Probatur quartò, quia asserentes Romanum Pontificem in dirimendis etiam è Cathedra controversiis fidei esse fallibilem, ac posse errare, non id asserunt tantum disceptationis causâ, sed ut hanc falsam opinionem ad mores & praxim deducant, quapropter si Pontifex aliquid definiat, quod suis dogmatibus adversetur, & laxitatem morum coërceat, statim inficiantur Pontificiam definitionem esse de fide, quia Pontifex quamvis doceat è Cathedra, semper est fallibilis, ac potest errare, secus quæ sunt de fide debent omnino certa esse, & non allegari personæ fallibili, ex quo falso principio plures oriuntur corruptelæ. Primò quia quilibet audet Pontificem judicare, seque constituere ejus Judicem, & damnare, quos ille absolvit, & è converso absolvere, quos damnat: sicque

quæ inferior præest superiori, & subditus judicat Judicem. Secundò, quia quas summi Pontifices damnant opiniones, morum laxitatibus indulgentes, vel etiam hæresim olentes, vel religioni infestas, ac perniciosas, eas adhuc amplectuntur, & docent, ut consonas honestati, & ad praxim deducunt, non sine ingenti fidelium confusione, secus asserentes Romanum Pontificem docentem è cathedra, ut etiam approbantem, & confirmantem, statuta à Patribus in Conciliis generalibus esse authoritatis infallibilis, statim Pontificiæ definitioni, ac declarationi acquiescunt, & regimen Ecclesiæ fine confusione optatum suum obtinet finem, unde sola opinandi libertas, & quæ plurimum regimini Ecclesiæ nocet, quod si contra Principum leges & imperia, hæc opinandi libertas, & operandi Rempublicam, & statum politicum perderet, quantò magis regimen Ecclesiæ, quæ ex morum, fideique integritate constat. Hinc Gregorius IV. Epist. ad Episcopos Galliæ, Germaniæ, Europæ, & per universas Provincias constitutos ait in cap. præceptis. dist. 12. *Præceptis Apostolicis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam, quæ à Sancta Romana Ecclesia, & Apostolica authoritate jussa sunt, salutiferè impleantur, si ejusdem Sanctæ Ecclesiæ, quæ est caput vestrum communionem habere desideratis.* Et D. Hieronymus Epist. ad Damasum quæ habetur in cap. Quoniam. 24. quæst. 1. *Ego nullum præmium nisi Christum secutus, beatitudini tuæ, hoc est, cathedræ Petri communione consortior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio: quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio: quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* S. Leo IX. Epist. ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum, quam recitat Baronius ad annum 1054. numero 14. *Quid hoc monstri est, frater Charissime? Romana Ecclesia caput & mater Ecclesiarum, membra, & filias non habet, & quomodo potest dici caput, aut mater? Credimus enim, propter quod & loquimur, atque constanter profitemur: Romana Ecclesia adeo non est sola, vel sicut tu putas, una; ut in toto orbe terrarum, quæcunque natio dissentit superbè ab ea non sit jam dicenda, vel habenda Ecclesia aliqua, sed omnino nulla, quin potius Conciliabulum Hæreticorum, aut conventiculum schismaticorum, & Synagoga Sathanæ.*

# CAPUT XI.

## An Concilia Provincialia, & particularia à Romano Pontifice approbata, & confirmata sint infallibilia, & satisfit objectionibus contra Concilia etiam Generalia.

EX eo, quòd evicerimus, Concilia generalia approbata, & confirmata à Romano Pontifice esse infallibilia; asserimus etiam Concilia particularia, si à summo Pontifice approbata, & confirmata fuerint, etiam ipsa authoritatem secum trahere infallibilem, quamvis non desint, qui putent, Concilia particularia etiam approbata non esse infallibilia, eò quia aliqua Concilia particularia visa fuerint errasse: siquidem Cornelius Papa unà cùm Episcopis Italiæ in Concilio Nationali, seu particulari statuit, non esse Hæreticos rebaptizandos, cùm tamen contrarium senserit S. Cyprianus, ac mordicus propugnaverit debere Hæreticos rebaptizari, ut ipse fatetur *in Epist. ad Pompejum*, ubi Stephanum Papam redarguit erroris, eò quia & ipse definierit Hæreticos non esse rebaptizandos; atqui S. Cyprianus semper fuit verus, & Sanctus Catholicus, & pro Christi fide gloriosum consummavit martyrium, ergo si S. Cyprianus non erravit in fide, Concilia particularia, seu Nationalia, quamvis approbata, & confirmata à Romano Pontifice sunt errori obnoxia. Verùm id non obstat, quia S. Cyprianus tantùm suam dixit opinionem, non verò contumax fuit, neque asseruit, Romanum Pontificem docentem è cathedra obnoxium esse errori, cæterum cùm primum Romanus Pontifex è cathedra docuit, Hæreticos semel ritè baptizatos, seu cum vera ac legitima forma, & physica ablutione aquæ naturalis non esse amplius rebaptizandos, eò quia baptismus imprimat characterem indelebilem, tunc S. Cyprianus acquievit.

Ratio igitur, cur Concilia particularia à Pontifice approbata, & confirmata non sint errori obnoxia, sed infallibilia, petitur ex eo, quòd Romanus Pontifex docens è cathedra fideles, non possit errare. Luc. 22. *Simon, Simon, ecce, Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi, pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; ergo si Christus rogavit pro Simone Petro, ne ejus fides deficeret, & jusserit eum aliquando confirmare fratres suos, sequitur, Concilia particularia approbata, & confirmata à Romano Pontifice esse infallibilia, quia tunc Pontifex docet è cathedra quatenus præmisso examine, ac Doctorum disputatione circa controversias fidei, vel definitiones pertinentes ad bonos mores, & auditis utrinque sententiis postea ut Pastor supremus totius Dominici gregis approbat, & confirmat à Patribus ibi statuta, quod est fratres confirmare, & docere è cathedra, quia Christus præfatis verbis duo fuit Petro impertitus privilegia, unum, ut ipse non posset pro ullo eventu docens è cathedra docere aliquid contra fidem, ut in ejus sede nunquam inveniretur, qui aliquid doceret contra veram fidem: aliud, ut ipse non posset unquam veram fidem amittere, quamtumvis à Diabolo tentaretur, quod est quid amplius, quàm triplex donum perseverantiæ, siquidem dicitur perseverare usque in finem, qui tametsi interdum cadat, tamen statim resurgit, & in fine deprehenditur fidelis: Petro autem Dominus impetravit, ut non posset unquam cadere, quod ad fidem attinet, & de hoc privilegio ait Augustinus *lib. de corrept. & gratia cap. 8. Quando rogavit, ut non deficeret fides ejus, rogavit, ut haberet in fide liberrimam, fortissimam ac invictissimam perseverantissimam voluntatem.* Et Chrysostomus homil. 83. in Matth. ait: *Non dixit, non negabis, sed ut non deficiat fides tua, cura enim ipsius, & favore factum est, ne omnino Petri fides evanesceret.* Et Theophilactus in cap. 22. Luc. ait: *Quamvis brevi tempore concutiendus sis, habes recondita semina fidei, etiamsi folia*

*folia abjecerit Spiritus invadentis, radix tamen vivet, & non deficiet fides tua.* Quòd si Petrus negando Christum amisit confessionem fidei, quæ ore fit, eò quia verba folia significent, fide tamen, quâ corde creditur ad justitiam, non amisit.

De privilegio primo habentur etiam testimonia Patrum; etenim Lucius I. Papa & Martyr in Epist. 1. ad Episcop. Hispaniæ, & Galliæ: *Ecclesia Romana Apostolica est, & Mater omnium Ecclesiarum, quæ à tramita Apostolicæ traditionis nunquam erràsse probatur, neque hæresis novitatibus depravata succubuit secundum ipsius Domini pollicitationem dicentis, ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Et Felix I. in Epist. ad Benignum de Romana Ecclesia ait: *Ut in exordio normam fidei Christianæ percepit ab Authoribus suis Apostolorum Christi Principibus illibata manet, juxta illud ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Leo I. itidem Serm. 3. de assumpt. sua ad Pontificatum ait: *Specialis cura Petri à Domino suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur tanquam aliorum statui certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis cæteris conferatur.* Quòd si firmitas in fide, quæ per Christum Petro tribuitur, seu à Christo rogante Patrem fuit Petro impertita, hæc eadem per Petrum Apostolis cæteris confertur; sequitur hanc infallibilitatem, seu firmitatem in fide inesse soli Petro, ut capiti totius Ecclesiæ & per Petrum derivari in Ecclesiam, & Concilium generale, vel Nationale, adeo ut sit Ecclesia columna veritatis, & non possit errare sumpta cum capite seu Romano Pontifice, cui Christus impetravit, ne unquam deficeret in fide, quoties doceret è cathedra. Quod etiam significavit Agatho Papa in Epist. ad Constantinum Imperatorem, quæ lecta fuit in sexta Synodo Act. 4. & postea Act. 8. ab omnibus probata ubi ait: *Hæc est veræ fidei regula, quam & in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam erràsse probatur, nec hæreticis novitatibus unquam depravata succubuit, quia dictum est Petro: Simon, Simon, ecce, Sathanas expetivit vos, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Hinc Dominus fidem Petri non defecturum promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores, confidenter fecisse semper cunctis est agnitum.* Nicolaus I. etiam in Epist. ad Michaelem scribit: *Privilegia hujus sedis perpetua sunt divinitus radicata, atque plantata; impingi possunt, transferri non possunt, trahi possunt, evelli non possunt. Quæ ante imperium vestrum fuerunt, permanent, Deo gratia hactenus illibata, manebunt post vos, & quousque Christianum nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt, nam & in cætera is, per quem nobis præcipuè ista sunt privilegia collata; Tu aliquando conversus (audivit à Domino) confirma fratres tuos.* Et Leo IX. Epist. ad Petrum Antiochenum scribit: *Nimirum solus est, pro quo ne deficeret fides ejus Dominus, & Salvator asseruit, se rogasse dicens: rogavi pro te, ut non deficiat fides tua &c, quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius,* & reliqui Patres ex verbis Christi Luc. 22. unanimi consensu inferunt, Christum impetràsse suis precibus hanc authoritatem infallibilem Petro docenti è cathedra, adeo ut talis non possit errare, quatenus Deus ei assistit, impertitur suum lumen, confert suam gratiam, ut verum doceat fideles juxta regulas honestatis & fidei: atqui quoties Romanus Pontifex approbat, & confirmat, quæ Patres in Concilio Nationali statuerunt, vel definiverunt circa fidei controversias, docetè cathedra, quia approbat, seu definit præmisso necessario examine, & mediante prævia disputatione circa controversiam dirimendam, & auditis utrinque sententiis, Patrúmque suffragiis dirimit ipse à Deo illuminatus, & corroboratus assistentiâ Spiritus S. easdem controversias approbando, & confirmando statuta à Patribus ergo Concilia Provincialia, ac nationalia approbata, & confirmata à Romano Pontifice, non sunt errori obnoxia, alioquin erraret in fide ipse Romanus Pontifex approbans, & confirmans Concilia, quia & ipse approbaret, & confirmaret, quod à Patribus Concilii statutum fuerat contra fidem, sicque vera non essent verba Christi Luc. 22. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, quia de facto deficeret in fide, quia approbaret aliquid contra fidem, quod etiam confirmaret: eatenus Christus injunxit Petro confirmare fratres in Concilio sive generali, sive Nationali, quia ei à Patre impetraverat authoritatem infallibilem, ne deficeret in fide.

Sed dices Romana Ecclesia nondum erat fundata, neque erat, quando Christus promisit Petro non defecturam ejus fidem, qua propter nec ullam Romanæ sedis habuit mentionem unde posset colligi, Christum promisisse quidquam Romanæ sedi, cùm hæc nondum fuerit. Secundò, quia si id quod dixit Petro: *Ego rogavi pro te*, esset intelligendum, quòd rogaverit, ne fides Romanæ sed, unquam deficeret in Successoribus Petri, etiam illud, *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, deberet intelligi de Successoribus Petri, quapropter deberent omnes Successores Petri prius cum Petro aliquando Christum negare, & postea converti; Sed contra ad primum respondetur, Christum dici rogâsse pro Romana Sede, quia rogavit pro Petro, & simul Successoribus, quorum sedes erat Romæ stabilienda; non enim rogavit Christus pro Petro, ut erat persona privata tantùm, sed ut futurus erat supremus Pastor totius Dominici gregi, & supremus Judex infallibilis authoritatis in ordine ad dirimendas controversias fidei, & docendos fideles; & quia hic Judex supremus sedere debuit in Romana sede, ideo dicitur Christus rogasse in hoc sensu pro Romana sede, quia rogavit pro Petro, & suis Successoribus docentibus è cathedra, seu è sede Romana. Ad secundùm respondetur, verba Christi Luc. 22. *Et tu conversus confirma fratres tuos*, non referri ad pœnitentiam Petri post trinam negationem Magistri, sed ad tentationes aliorum, sitque sensus, quia tibi impetravi, ut fides tua non deficeret, ideo quando videris aliquos dubitantes in controversiis fidei, ac nutantes, ad eos conversus illos confirma; hic enim sensus est Sanctorum Patrum, eò quia Christus nondum prædixerat Petrum casurum, sed paulò post erat prædicturus, & non videtur consonum, quòd priùs prædicatur conversio, quàm aversio, prius resurrectio, quàm lapsus: quando igitur in Conciliis etiam Nationalibus videt Romanus Pontifex Patres in controversiis fidei vacil-

lantes,

lantes, ad ipsum pertinent præmissis disputationibus, agnito diligenti examine, & auditis Patrum sententiis, ac suffragiis eos confirmare approbando, & confirmando ibi statuta juxta lumen, quod Romanus Pontifex ex assistentia Spiritus S. accipit à Deo: ergo Concilia tametsi nationalia sint, & non Oecumenica, si semel approbata, & confirmata fuerint à Romano Pontifice, sunt infallibilia.

Probatur secundò ex promissione Christi facta Petro Matth. 16. *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Ut enim explicant unanimi consensu sancti Patres ad litteram, hæc Petra, & fundamentum Ecclesiæ dicitur Petrus, ut supremus Pastor Dominici ovilis, & summus Rector Ecclesiæ universalis, proinde quilibet ejus successor est Petra, & fundamentum Ecclesiæ: neque ex alio titulo Romanus Pontifex petra & fundamentum dicitur Ecclesiæ, nisi ob constantiam, & soliditatem, ac firmitatem in fide, quia si petra est, non frangitur ut vitrum, neque circumfertur omni vento doctrinæ, unde Romanus Pontifex, quatenus est Petra seu Rector Ecclesiæ universalis, non errat in fide: atqui quando approbat, & confirmat Concilia Nationalia in Controversiis fidei, ea approbat, & confirmat, non ut persona privata, sed ut Rector Ecclesiæ, ut supremus Pastor Dominici ovilis, ut primarius Doctor docens è cathedra, consequenter non potest tunc errare, alioquin si statuta à Concilio Nationali essent contra fidem, & in iis statuendis Patres errassent in fide, etiam Petrus ea approbando, & confirmando cum iisdem Patribus erraret in fide, & non esset Petra constans & solida, sed vitrum fragile, consequenter, si Romanus Pontifex docens ex cathedra ex promissione Christi & in privilegio ei impetrato non potest deficere in fide, sequitur non posse errare in approbandis, & confirmandis Conciliis Nationalibus circa definitiones, controversiarum fidei. Hoc idem firmari potest ex ratione fundamenti sustentantis ædificium, quod nullo pacto corruere potest, quod si tale est ædificium, ut non possit corruere, sequitur à fortiori, ejus fundamentum adeo esse constans, & solidum, ut ruere non possit, quia non potest intelligi fundamentum destrui, quin ædificium corruat, quia non fundamentum à domo, sed domus à fundamento accipit firmitatem: atqui adversarii asserunt, Christum non orasse pro Petro, sed pro Ecclesia in persona Petri, adeo ut velint hoc privilegium infallibilitatis fuisse à Christo impetratum Ecclesiæ significatæ nomine Petri: quòd si hoc concederetur, adhuc consequens esset, hoc privilegium infallibilitatis fuisse etiam Petro impetratum: siquidem Petrus est fundamentum Ecclesiæ Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebant adversus eam*, quia si fundamentum ruat, necesse est etiam ædificium corruat: & si ædificium non potest cadere, à fortiori neque fundamentum destrui potest.

Hinc Chrysostomus expendens verba Matth. 16. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam* ait: Solum Deum potuisse hoc facere, ut Ecclesia super unum Piscatorem, ac ignobilem virum fundata non caderet, tot irruentibus tempestatibus. Et Cyrillus apud D. Thomam in catena in Matth. 16. ait: *Secundum hanc promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, & hæretica circumventione manet immaculata.* D. Hieronymus Epist. ad Damasum de nomine hypostasis, postquam dixisset, super istam petram ædificatam Ecclesiam scio, subdit: *Obsecro, ut mihi litteris tuis sive tacendarum, sive dicendarum trium hypostasium detur authoritas, non timebo tres hypostases dicere, si jubetis.* Asserit enim se tutè secuturum sententiam Pontificis, quia noverat super illum Ecclesiam esse fundatam, nec posse fieri, ut Ecclesiæ fundamentum cadat, seu erret in fide. Gelasius Papa Epist. ad Anastasium Imperatorem hoc idem adstruens scribit: *Hoc est, quòd Apostolica sedes magnoperè cavet, ut quoniam mundi radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur: nam si (quòd Deus avertat, & quod fieri non posse confidimus, tale aliquid proveniret, unde cuiquam resistere auderemus errori?* ubi Gelasius asserit, non posse Apostolicam Sedem errare, eò quia ejus prædicatio, & confessio sit radix mundi, quæ si erraret, totus mundus etiam erraret. Posita igitur infallibilitate Romani Pontificis docentis è cathedra, sequitur Concilia Nationalia à Pontifice approbata & confirmata esse itidem infallibilia, alioquin si continerent errores in fide, & hos Pontifex approbaret, & confirmaret, diceretur etiam ipse errare in fide. Quod est contra Christi promissionem.

Præterea si hæc Concilia Nationalia approbata, & confirmata à Pontifice possent errare, sequeretur plures hæreses, quæ damnatæ fuerunt à solis Conciliis Nationalibus iterum posse revocari in dubium, ut hæreses Pelagianorum damnatæ in Conciliis Nationalibus Africæ, hæreses Semipelagianorum damnatæ in Conciliis I. & II. Arausicano, quæ etiam fuerunt particularia, imò hæreses Priscilianistarum, & Joviniani damnatæ fuerunt in Conciliis Nationalibur, unde plurima in Ecclesiis orirentur incommoda, si Concilia Nationalia approbata & confirmata à Romano Pontifice possent errare; ne igitur hæc sequantur incommoda, asseramus Romanum, Pontificem docentem è cathedra non posse errare, & Concilia Nationalia approbata, & confirmata ab illo esse infallibilia, quia tunc Pontifex in illa approbatione propriè docet è cathedra præmisso diligenti examine controversiæ per varias disputationes, & auditis prius Patrum sententiis, & suffragiis, tunc enim à Deo illuminatur, ne erret in approbandis & confirmandis decretis à Patribus editis. Tum quia hactenus non potest assignari ullum Concilium Nationale approbatum, & confirmatum à Romano Pontifice, quod erraverit. Hinc in septima Synodo Act. 3. & in octava Synodo Act. ult. Can. I. Patres unanimi consensu asserunt se venerari, & recipere etiam localium Conciliorum decreta, eò quia si approbata fuerint à Romano Pontifice suam habeant infallibilitatem, & in eadem septima Synodo hujusmodi decreta dicuntur divinitùs inspirata.

Sed contra hanc infallibilitatem Conciliorum generalium, & particularium plura objiciuntur. Calvinus enim *lib. 4. Instit. cap. 9. §. 3.* respondet assignata loca veteris testamenti adducta pro infallibilitate Conciliorum non favere tali infallibilitati, quia in iisdem locis Pastores & Sacerdotes, imò etiam Prophetæ reprehenduntur non solùm improbitatis, sed etiam ignorantiæ, & erroris, Isaiæ 56. *Speculatores ejus cæci omnes, neque quidquam noverunt omnes, canes muti, nec valent latrare, jacentes dormiunt, amant dormitionem, & Pastores ipsi nihil sciunt, nec intelligunt.* Rursus Oseæ 9. *Speculator Ephraim cum Deo, laqueus aucupis odium domo Dei.*

Item

Item illud Jeremiæ. 6. *A Propheta usque ad Sacerdotem quisque sectatur mendacium.* & cap. 14. *Prophetæ mendacium prophetant in nomine meo.* Et demum illud Ezechiel. 22. *Conjuratio Prophetarum in medio ejus, sicut Leo rugiens, & qui rapit prædam, Sacerdotes ejus violarunt legem meam, & profanaverunt Sancta mea.* Respondetur autem in præcitatis scripturæ locis fieri transitum à sensu distributivo ad collativum, moris enim est in Sacris scripturis, ut propter aliquos male operantes omnes reprehendantur, ut etiam ex eo, quòd aliqui bene agant in uno hominum cœtu, omnes laudentur, ut vehementior sit vituperatio, ac major laudatio, magisque erubescant perperam operantes, & ad virtutum studia addantur incitamenta bene agentibus, quod verò id frequens sit in scripturis, liquet, quia Apostolus ad Philipp. scribens ait. cap. 2. *Omnes quærunt, quæ sua sunt, non, quæ Jesu Christi*, & nihilominus cap. 1. dixerat quosdam ex contentione, quosdam ex charitate Christum annuntiare, & cap. 3. ait: *Imitatores mei estote, & observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram, multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem flens dico inimicos crucis Christi.* Sicut ergo ex eo, quòd quidam quærerent, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, ait Apostolus, *omnes quærunt quæ sua sunt*, sumens omnes pro aliquibus inter Philippenses, & rursus ex eo, quod aliqui ex charitate Christum annuntiarent, & procederent juxta Apostoli regulam, hi digni habiti sunt, quos Philippenses imitarentur, ita liquet, moris esse in Sacris scripturis, ut à sensu distributivo fiat transitus ad collectivum, unde ex allatis scripturis non adigimur inferre omnes Pastores, & Sacerdotes, ac Prophetas veteris legis aliquo tempore fuisse simul omnes mendaces, vitiis corruptos, ac pluribus patratis sceleribus notatos, sed tantùm quod ex illis pluribus aliqui fuerint, quæ malè egerint, ac proinde digni, ut reprehenderentur.

Præterea aliud est Pastores, & Prophetas seorsim populum decipere, & errores docere; & aliud Episcopos, & Doctores simul congregatos in Concilio unà cum capite, seu Romano Pontifice approbante, & confirmante, quæ à Patribus post præmissas disputationes, ac prævium examen controversiarum fuerunt statuta, posse populos decipere, & errare in controversiis fidei dirimendis: quamvis omnes Episcopi seorsim, & per se sint obnoxii erroribus, possintque falli, & fallere alios, non tamen si simul omnes Episcopi sint congregati in Concilio, & publica authoritate dirimant controversias fidei una cum capite, quia cum Romanus Pontifex tunc definiendo, & confirmando definita à Patribus in Concilio doceat, ut supremus Pastor, & summus Doctor authoritativè ex cathedra non potest errare, estque authoritatis infallibilis, & hæc infallibilitas capitis derivatur in membra seu in totum Concilium, quod propterea dicitur in hoc sensu non esse errori obnoxium. Insuper non omnia, quæ contra legis Sacerdotes dicta sunt in scripturis referri debent ad Sacerdotes legis Evangelicæ, unde est dispar ratio, & discrimen de lege veteri, & Evangelica, non enim legimus Christum dixisse de Synagoga, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, neque quod de Ecclesia scripsit Apostolus 1. ad Timoth. 3. ubi eam vocat *Columnam, & firmamentum veritatis*, nullibi enim dicitur, quod Synagoga sit talis columna. Neque Christus rogavit æternum Patrem pro Caipha, ut perseveraret in fide, sed pro solo Petro Luc. 22. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando confirma fratres tuos.*

Objiciunt secundò Hæretici cum Calvino *lib. 4. Institut. cap. 9. §. 4.* Illud 2. Petri 2. ubi dicitur, quod sicut in testamento veteri fuerunt Pseudo-Prophetæ, ita & in lege Evangelica erunt falsi Doctores promoventes sectas perditionis Actor 20. *Scio, quod post discessum meum intrabunt in vos lupi rapaces non parcentes gregi, & ex vobis ipsis erunt, qui loquentur perversa, ut abducant Discipulos post se*, quod etiam confirmat Christus Matth. 24. *Et multi Pseudo-Prophetæ surgent, & seducent multos.* Respondetur in hisce textibus nullam fieri de Conciliis mentionem, sed solùm de Doctoribus corrumpentibus Sacras scripturas, & fallentes populos, ac excitantes sectas perditionis, hi enim dicuntur lupi rapaces non parcentes gregi, eò quia oves Christi seu fideles trahunt falsis Doctrinis in perditionem, cujusmodi fuerunt hæresiarchæ, Calvinus, Lutherus, & alii plures, de quibus dixerat Christus, *& multi Pseudo-Prophetæ surgent, & seducent multos*, docentes, & prædicantes falsa, quæque sensuum laxitati, ac indulgentiæ vitiorum viam sternunt. Unde præcitatis scripturis Christus, & Apostoli Petrus, & Paulus ad amussim describunt Hæreticos sub nomine falsorum Prophetarum, qui sanam Doctrinæ scripturam impugnant, & novas sectas introducunt, & Discipulos post se abducunt, faciuntque sibi nomen in terris, ut sub terris in gehenna acriùs torqueantur, unde scriptura in præcitatis textibus non meminit Conciliorum, neque Episcoporum, sed tantum pravorum Doctorum, & Pseudo-Prophetarum, à quorum Doctrinis nos monet, ut caveamus.

Objicit tertiò Calvinus, Leonem, qui epist. 53. ad Anatolium & 54. ad Martianum, & 55. ad Pulcheriam, in quibus agnoscit, ut legitimam Chalcedonensem Synodum, & tamen eidem tribuit ambitionem, & inconsultam temeritatem, ex quo intulit Calvinus, talem Synodum potuisse errare, cum ambitio, & inconsulta temeritas facilè in errores impingere faciat. Sed contra, quia, tametsi in Patribus Concilii Generalis aliqua irreperet ambitio, & nonnulli etiam inconsulta temeritate raperentur, non tamen inde sequitur, omnes Patres notari hac ambitione, hac inconsulta temeritate. Præterea aliud est notari ambitione, & aliud in dirimendis controversiis fidei errore post præmissas disputationes, & post prævium examen, & auditas à Pontifice utrinque sententias, si definita à Patribus approbet, & confirmet; quia licèt ante Pontificiam confirmationem possint errare, præsertim in disputationibus, quibus adducuntur & examinantur contrariæ sententiæ, imò tametsi errarent etiam aliqui in ferendis suffragiis, non tamen omnes, sed potior pars esset pro veritate fidei, & accedente approbatione, & in confirmatione Romani Pontificis, ibi statuta sunt infallibilia, quia Christus oravit pro Petro, & ejus Successoribus canonicè electis, ne erraret in tali approbatione, & confirmatione, Deus enim tunc Pontificem illuminat, ne erret contra fidem, & Spiritus S. ei assistit, ne tota Ecclesiæ, quæ columna est veritatis, ruat in errores. Præterea quamvis legitima Synodus Generalis possit errare in his, quæ non agit legitimè, & de facto plures Synodi erraverint, quæ propterea, non fuerunt à Romano Pontifice approbata, non tamen errant legitima Concilia in his, quæ agunt legitimè, & consiliariè, seu præmissis disputationibus.

bus, & prævio ſedulo examine definiunt, & tale fuit Concilium Chalcedonenſe, in eo reprehenditur à Leone, etenim, ut patet ex ultima actione ejusdem Concilii decretum fuerat editum, quòd Epiſcopus Constantinopolitanus præferretur Alexandrino, & Antiocheno, hoc enim decretum reprobavit Leo Papa, eo quia dolosè editum in abſentia Legatorum Romani Pontificis, & contrarium erat conſtitutioni Concilii Nicæni.

Objiciunt quarto, S. Gregorium Nazianzenum eò, quia in Epiſt. ad Procopium ſcribat; Ego ſi vera ſcribere oportet, ita animo affectus ſum, ut omnia Epiſcoporum Concilia fugiam, quoniam nullius Concilii finem lætum, fauſtumque vidi, nec quod depulſionem malorum potius, quàm acceſſionem, & incrementum habuerit. Hinc Iſidorus apud Gratianum d. 50. can. Domino Sancto, aſſerit; Concilia inter ſe diſſidere, & tunc ſtandum potiùs eſſe antiquioribus, quæ tamen regula contraria eſt Auguſtino præponenti Concilia priora poſterioribus, ex quibus conſtat Concilia inter ſe pugnare, conſequenter aliqua errare. Sed respondetur Nazianzenum nullo modo aſſerere Concilia legitimè congregata, approbata, & confirmata à Romano Pontifice, eſſe fallibilia, ac poſſe errare; ibi enim conqueritur, quod ſuo tempore nullum Concilium fieri potuerit, quod ex omni parte eſſet legitimum, ideoque ſcribens ad Procopium ait, Ita animo ſe affectum eſſe, ut omnia Epiſcoporum Concilia fugiat, eò quia nullius Concilii finem lætum, & fauſtum videat; vixit enim D. Gregorius Nazianzenus eo tempore medio inter ptimum Concilium, & ſecundum Generale, quo tempore plura fuerunt Epiſcoporum Concilia coacta, & quia tunc plures graſſarentur in oriente hæreſes, quibus plures favebant Epiſcopi, ideo hujuſmodi Concilia infauſtum ſemper habuerunt exitum, ut Concilium Seleucienſe, Tirenſe, Ariminenſe, Mediolanenſe, & Sirmienſe, ſicque cum D. Gregorius eo tempore tot vidiſſet infauſta Concilia, cum vocaretur, & ipſe à Procopio nomine Imperatoris ad quoddam Concilium tunc indicendum in Oriente, duas adfert excuſationes in illa epiſtola reſponſoria, quarum prima fuit, quia ita animo affectus eſſet, ut deſperaret, ſe legitimum Concilium eo tempore inter tot opinionum diverſitates, & graſſantes hæreſes viſurum. Altera excuſatio fuit, quia tunc morbo graviſſimo detineretur, ac brevi ſe moriturum exiſtimaret. Cæterum D. Gregorius apertè aſſerit legitima Concilia approbata, & confirmata à Romano Pontifice eſſe infallibilia, idque ex eo evincitur facilè, quia ipſe Gregorius plurimum commendaverit primam Synodum Oecumenicam Nicænam, quam deprædicavit, ut ſanctam, & æternæ veritatis: ut etiam templum, in quo ipſe Constantinopoli conciones haberet ad populum per authonomaſiam reſurrectio vocaretur, eò quia ibi reſurrexerit opera Gregorii fides Nicæna per Arianos antea veluti extincta, ut refert hiſtoria tripartita lib. 9. cap. 9. Ad aliud quod addebatur ex Iſidoro aſſerente inter Concilia inter ſe diſſidentia ſtandum eſſe antiquioribus, reſpondetur Iſidorum fuiſſe locutum de Conciliis, quorum non erat certa antoritas, eo quia non fuerint à Pontifice expreſsè approbata, & confirmata; ut enim ſuperiùs diximus, Concilia tametſi generalia, antequam approbentur, & confirmentur à Romano Pontifice non ſolùm poſſunt inter ſe diſſidere, ſed etiam errare, & de facto, ut oſtendimus, plura errârunt, neque D. Iſidoro adverſatur Auguſtinus, quia Iſidorus loquitur expreſsè de doctrina fidei, & Auguſtinus de quæſtionibus facti, & præceptis morum.

Objiciunt quintò D. Auguſtinum, qui lib. contra Maximinum cap. 14. ait: *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tanquam prædicaturus proferre Concilium, nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris*, ex quo inferunt Auguſtinum aſſerere non eſſe ſtandum Nicænæ Synodo, eò quia Concilia tametſi generalia poſſint errare. Sed contra reſpondetur, D. Auguſtinum non aſſerere, Maximinum non teneri ullo modo authoritate Nicænæ Synodi, neque ſignificare ſe tali Concilio fidem non habere, cum ſciret Nicænam Synodum eſſe infallibilem, & Sanctam approbatam, & confirmatam à Romano Pontifice, cujus authoritas eſt infallibilis, ſed tantùm voluit, præſcindendum eſſe in illa diſputatione cum Maximino, ab utroque Concilio, quia Auguſtino tunc non videbatur opportunum, tempus impedire in diſputando, an Concilium Nicænum eſſet legitimum, & Ariminenſe illegitimum, eò quia id dirimere tunc non erat ad rem, & per ſe ſatis clarum eſſet Nicænam Synodum fuiſſe legitimam, eò quia approbata, & confirmata à Romano Pontifice & Ariminenſe Conc. non fuerit approbatum, ſed reprobatum, quapropter ne teneret tempus, & negligeret meliora argumenta deſumpta ex Sacris ſcripturis, ideo dixit; *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tanquam præjudicatum proferre Concilium; nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris*: hoc eſt, nolo, nunc teneamur Conciliorum authoritatibus, neque de eorundem legitimatione diſputemus, ſed omiſſa authoritate Conciliorum nobis incumbit explicare Sacras ſcripturas, & inde argumenta eruere, quæ veritatem convincant: Cæterum, quòd Auguſtinus cenſuerit Nicænam Synodum confirmatam à Romano Pontifice eſſe authoritatis infallibilis, ac oportere omnes ei acquieſcere ex eo liquet, quia paulò antea dixerat: *Hoc eſt illud Homouſion, quod in Concilio Nicæno adverſus, Hæreticos Arianos à Catholicis Patribus veritatis authoritate, & authoritatis veritate confirmatum eſt*, quibus verbis ſatis apertè ſignificat Nicænam Synodum, in qua definitum fuit, Filium eſſe Homouſion Patri ſeu ejusdem ſubſtantiæ, ac Deitatis cum Patre, eſſe authoritatis infallibilis, hanc enim infallibilitatem exprimunt verba Auguſtini, quia veritas authoritatis nil aliud eſt, niſi vera & certa authoritas.

Sed Hæretici adferunt contra infallibilitatem Concilii iterum D. Auguſtinum lib. 2. de Baptiſmo cap. 3. ubi Auguſtinus aſſerit Concilia plenaria priora à poſterioribus emendari, & cum Auguſtinus non loquatur de plenariis impropriè, ſeu de Provincialibus, ſed de generalibus, dicunt ex eo conſtare, quia paulò ante dixerit Concilia Regionalia ſeu totius Regni, ſeu Provincialia debere cedere plenariis, unde loquitur de Conciliis generalibus, quorum priora debent emendari per poſteriora, illud autem emendatur, & corrigitur, quod erat erratum, ex quo inferunt, Concilia priora plenaria ſeu generalia ex Auguſtino errâſſe, ac debere per poſteriora emendari. Sed contra quia plura fuerunt Concilia plenaria, ſeu generalia, quæ errârunt, antequam approbarentur, & confirmarentur à Pontifice, à quo propterea fuerunt reprobata, & hæc Concilia plenaria, & priora, ait Auguſtinus, eſſe emendanda per alia Concilia generalia, quæ ſint legitima approbata, & confirmata à Romano Pontifice, quo pacto Concilium Epheſinum II. fuit emendatum à Concilio Chalcedonenſi, quod fuerat poſterius.

Quòd

Quòd si duas non distinxisse inter Concilia plenaria legitima, & illegitima, proinde fuisse locutum de solis legitimis respondetur etiam Concilia Generalia legitima posse corrigi per posteriora in quæstionibus facti non juris, quia in quæstionibus facti non est dubium quin Concilium etiam Generale possit errare: quod verò Augustinus fuerit locutus de Conciliis in quæstionibus facti, ex eo conjicitur, quia præcipua quæstio Catholicorum cum Donatistis erat de Cæciliano, an libros sacros tradidisset hostibus fidei, an non, quæ quæstio certè non, est juris, sed tantum facti, & in eadem potuit Concilium ob falsos testes vel defectum sincere informationis errare. Præterea si contendant Hæretici, Augustinum fuisse locutum de quæstionibus generatim sumptis, præscindendo à quæstionibus facti, & juris, ac dixisse Concilia priora emendari per posteriora, respondetur id verum esse, quoad præcepta morum, non vero quoad dogmata fidei, ratio est, quia dogmata fidei semper manentur eadem, nec ullam possunt varietatem subire ex circumstantiis extrinsecis, cùm sint per se infallibilia, secus præcepta morum mutantur juxta temporum, locorum, ac personarum mutationes, & hujusmodi mutationes ab Augustino dicuntur emendationes, quia non antea præcepta morum statuta in Conciliis Generalibus essent mala, sed licet fuerint bona eo tempore, quæ fuerunt instituta, postea ex mutatione circumstantiarum cœperunt mala fieri, & hæc solutio firmatur ex verbis Augustini asserentis tunc emendari Concilia, quando experimento aliquo innotescit, quod antea erat occultum: sed experimento non innotescunt quæstiones juris, sed tantum facti.

Objiciunt sexto, quia de facto Concilium Judæorum, cui præsedit Pontifex Caipha erravit, quia in ipso anathemate fuerunt percussi, qui asseruerunt JEsum esse Christum Joan. 9. & postea Christus fuit judicatus reus mortis, in quo judicio etiam erravit, quia fuit innocens Joan. 11. Mar. 14.

Huic objectioni respondent aliqui Concilium illud, cui præsedit Caiphas Pontifex potuisse errare, eò quia agebatur tunc de quæstione facti non juris, & quam Concilium illud judicavit, scilicet, an JEsus esset dignus morte vel non. Sed hæc responsio non satisfacit, quia tametsi concedamus præfatam quæstionem fuisse facti, involvebat nihilominus quæstionem juris, & quidem de fide gravissimam, an scilicet JESUS esset verus Messias, & Dei Filius, ac verus Deus, ideo enim Judæi eum morte damnârunt, eò quia se verum Deum fecerit, propterea Concilium illud unà cum præside Caipha enormissimè erravit etiam in quæstione juris, etenim quia Christus fassus fuit se Filium Dei esse, judicavit Concilium ipsum blasphemâsse; & ideo blasphemâsse, quia sibi attribuit Filiationem Dei, quod ipsi convenire non posse autumârunt, sicque errârunt in quæstione juris.

Alii respondent Concilium illud Judæorum unà cum Pontifice Caipha errâsse errore propriæ mentis, non verò in sententia quam protulit, eò quia asserunt Christum verè fuisse reum mortis, voluntariè tamen, eò quia peccata nostra susceperat in se ipso purganda: & expediebat eum mori pro populo, qua de causa Joannes cap. 11. ait: Caipham prophetâsse. Verùm quamvis verba Pontificis Caiphæ possint sine errore interpretari, non tamen omnia possunt purgari ab errore præsertim, cum dixit de Christo, *blasphemavit, quid adhuc egemus testibus*, hisce verbis certè Caiphas non prophetavit, sed in horrendam blasphemiam erupit, quia voluit destituere JEsum Dei filiatione, quod perinde est ac blasphemare, seu negare in Christo præcipuum prædicatum, quod illi conveniebat ratione personæ divinæ.

Hinc alii respondent, eatenus Concilium illud Judæorum una cum Pontifice Caipha impegisse in errores & blasphemias, quia non processit juxta regulas legitimi judicii, nec per legitimam inquisitionem veritatis, sed potius per tumultuariam conspirationem, & per subornatos falsos testes, qui Christum falsò accusarunt quod tunc satis exploratum erat, adeo ut etiam ipsi Pilato innotuerit, quod per invidiam summi Pontifices eum tradidissent, ut morte condemnaretur, Matth. 27. Et hæc responsio præferenda est reliquis prioribus, adhuc tamen videtur non pertinere ad inferiorem judicare, an superior legitimè in judicio processerit, nec ne, nisi fortassis manifestissimus, ac intolerabilis irreperet error. Quamobrem exactius respondetur objectioni, si dicamus Concilia Generalia Judæorum non fuisse erroribus obnoxia ante Christi adventum, sed cum primum fuit in terris natus, jam incepisse aliam legem, & judacam cecidisse à sua authoritate. Hinc præsente Christo Caipham in illo Concilio non potuisse præsidere, ut summum Pontificem, quia summus Pontifex militantis in terris Ecclesiæ erat Christus: qui præsente, & non approbante, nec confirmante Concilium Judæorum potuit hoc errare in utraque quæstione facti, & juris, imò Concilium Judæorum, si propriè loquamur, non fuit Concilium, sed potius Conciliabulum seditionis, & Caipham non potuisse præsidere ut Pontificem, quia unus tantum tunc fuit verus Pontifex in militante in terris Ecclesia, scilicet Christus, unde non mirum, si Concilium illud Judæorum erraverit in utraque quæstione facti & juris.

Objiciunt septimo Concilium Apostolorum de quo habetur Actor. 7. ait enim Lutherus in assert. act. 29. Jacobum in eo Concilio emendâsse sententiam Petri, qui judicaverat, non esse gentes cogendos ad legalia, quæ sententia bona, & vera fuit, quam etiam approbat, & defendit Paulus in tota sua Epistola ad Galatas, consequenter si Petri sententia vera fuit, illa Jacobi non potuit non esse falsa, & tamen tota Synodus illi adhæsit, quia jussit gentes abstinere à sanguine, & suffocato, quod perinde fuit ac judaizare.

Huic objectioni solent variè respondere, non enim desunt, qui negent, illud Concilium quidquam præcepisse de abstinentia ab esu sanguinis, & suffocatorum animalium, etenim Irenæus, qui floruit in ipso Ecclesiæ exordio *lib. 3. cap. 12.* quamvis his adferat, & expendat textum hujus Concilii nusquam tamen meminit suffocati, & nomine sanguinis intelligit homicidium. Rursus Cyprianus *lib. 3. ad Quirinum circa finem* expresse ait: Apostolos tantum præcepisse, ut gentes recenter conversæ ad fidem Christi abstinerent ab idololatriæ, fornicatione, & homicidio. Et Chrysostomus per suffocatum nil aliud intelligit, quam homicidium, cui adhærent plures alii Patres. Verùm quia in omnibus ferè Codicibus Græcis, & Latinis legimus, præcepisse gentes abstinere à sanguine, & suffocato, per suffocatum non videtur esse intelligendum homicidium, ut ait Tertullianus *in Apolog. cap. 9*, Tum quia constat

ſtat ex Concilio Gangrenſi can. 2. Per plures annos ſervatum fuiſſe in Eccleſia hoc præceptum, in cujus obſervantiam Chriſtiani abſtinebant ab eſu ſanguinis, & ſuffocatorum animalium. Tum quia nulla aderat ratio, cur Apoſtoli debuiſſent homicidium prohibere, cum jam lege decalogi, & naturali prohibitum eſſet tantum quædam prohibuerunt, de quibus gentes dubitârunt, an eſſent peccata, & homicidium eſſe peccatum, ipſum lumen naturale gentes omnes docebat, & exploratum propterea omnibus erat.

Unde reſpondent alii, Apoſtolos in illo Concilio inprimis prohibuiſſe fornicationem, eò quia gentibus non videbatur peccatum eſſe, ſi utrinque eſſet liber conſenſus, & præſertim, quia nullis legibus tunc ſimplex fornicatio puniebatur, quapropter cenſuerunt Apoſtoli eam in primis prohibere; poſtea præceperunt abſtinentiam ab imolatis ſimulacrorum, ſanguine, ſuffocato, & hæc prohibitio à tali eſu voluerunt eſſe præceptum Apoſtolicum injunctum fidelibus ad eum finem, ut commodius, & facilius Eccleſia ex Judæis, & gentilibus coaleſceret, quia illis ſub initiis non potuiſſent Judæi tolerare gentilium conſortium, ſi eos vidiſſent comedentes carnes immolatitias ſanguinem & ſuffocatum, à quibus Judæi vel maximè abhorrebant. Cæterum cum primum Eccleſia crevit ex Judæis, & gentibus converſis ad Chriſti fidem, & finis legis ceſſaverat, lex etiam ipſa Apoſtolica, quia ſuum jam obtinuerat finem, etiam ipſa ceſſavit, ut pulchrè ediſſerit D. Auguſtinus lib. 32. contra Fauſtum cap. 13. ubi ait: *Si hoc tunc Apoſtoli preceperunt, ut ab animalium ſanguine abſtinerent Chriſtiani, ne præfocatis carnibus veſcerentur, elegiſſe mihi videntur pro tempore rem facilem, & nequaquam obſervantibus oneroſam, in qua cum Iſraelitis etiam Gentes propter angularem illum lapidem duos parietes in ſe condentem, aliquid communiter obſervarent.* Et infra: *Tranſacto verò illo tempore, quo illi duo parietes, unus ex circumſione, alter ex præputio venientes, quamvis in angulari lapide concordarent, tamen ſuis quibuſdam proprietatibus diſtinctius eminebant & ubi Eccleſia Gentium talis effecta eſt, ut in ea nullus Iſraelita carnalis appareat, quis jam hoc Chriſtianus obſervat, ut turdos, vel minutiores aviculas non attingat, niſi quarum ſanguis effuſus eſt: aut leporem non edat, ſi manu à cervice percuſſus nullo cruento vulnere occiſus eſt? Et qui fortè pauci adhuc tangere iſta formidant, à cæteris irridentur.* Quapropter ex ſententia Auguſtini Jacobus non emendavit ſententiam Petri, nec Concilium in ullum impegit errorem, quia antequam res definiretur, putavit Jacobus opportunum eſſe, ſi Petri ſententiæ adderetur hoc præceptum poſitivum ad tempus, donec duo parietes, ut ait Auguſtinus unus ex circumciſione & alter ex præputio venientes, ſeu gentiles, & Judæi in uno angulari lapide, qui fuit Chriſtus, ſimul concordarent, & ex utroque pariete conſurgeret militans in terris Chriſti Eccleſia: hiſce ſtatutis in tali Concilio, & ſententiæ Petri addito præcepto poſitivo, quod ſuggerere voluit Jacobus, poſtea communi conſenſu tota controverſia definita fuit, ut ſcribit Hieronymus in Epiſt. ad Auguſtinum, eſtque undecima inter Epiſtolas Auguſtini, ubi aſſerit, Jacobum, & non omnes alios, quotquot inerant Concilio illi, Petri ſententiæ acquieviſſe.

Objiciunt octavo, Nicænam Synodum I. de qua Lutherus *tit. de Concil. part.* 1, ait ſe non intelligere, quomodo potuerit Spiritus Sanctus aſſiſtere, & lumen ſuum impertiri Patribus hujus Concilii, eo quia in illius Actis legantur contradictoria: ſiquidem in uno canone dicit non eſſe idoneos ad ſacerdotium eos, qui ſe caſtraverunt, & in alio canone prohibet, ne ſacerdotes habeant uxores, & poſtea concludit, an verò nihil aliud eſt negotii Spiritui Sancto in Conciliis, quam ut impoſſibilibus, periculoſis, non neceſſariis legibus ſuos Miniſtros obſtringat, & oneret? Rurſus Lutherus ait Nicænam Synodum erraſſe, eò quia damnaverit militiam, quam tamen conſtat ex approbatione Joannis Baptiſtæ eſſe licitam viro Chriſtiano, ut habetur Luc. 3. citat Lutherus canonem 11. Concilii, ubi hæc leguntur: *Qui verò per Dei gratiam vocati primo quidem oſtenderunt fidem ſuam depoſito militiæ cingulo, poſt hæc autem ad proprium vomitum reverſi ſunt, ut & pecunias darent, & ambirent redire rurſum ad militiam, iſti decem annis ſint inter pœnitentes, poſtquam triennio fuerint inter audientes, id eſt, Catechumenos.* Ex quibus infert Nicænam Synodum quamvis approbatam & confirmatam à Sylveſtro Papa erraſſe.

Sed contra, quia Concilium nullibi erravit, ſed Hæretici tantùm in illa Synodo vituperant, quæ omni tempore ſemper Eccleſia Catholica approbavit, diſplicet enim ipſis injunctam viris Eccleſiaſticis, & ſacerdotio initiatis legem continentiæ, & obſervantiam cœlibatus, & quia hoc idem ipſis diſplicet, & nollent hanc legem fuiſſe ſancitam à Sacroſancto Concilio illo Generali, ideò cum non poſſint aliter ſancitam legem negare, malunt clamare erraſſe Concilium: quod in uno canone declaravit, eos qui ſe caſtraverunt, non eſſe idoneos ad Sacerdotium, eò quia decet tantum miniſterium peragi ab hominibus integris, & non mutilatis, unde hoc canone non cenſuit Concilium eos non debere Sacerdotes eſſe, qui uxores non habent, ſed tantùm voluit non habentes uxores, & ſervantes cœlibatum eſſe integros in corpore, ut decenter valeant ſacerdotio fungi. In altero autem canone expreſsè definit, Sacerdotes debere cælibes eſſe, & ſine uxoribus, in quibus nulla apparet contradictio, nulla impoſſibilitas, nullumque periculum. Ad aliud, quod attinet ad militiam, reſpondetur, Nicænam illam Synodum non prohibuiſſe militiam, ſed tantum malitiam militum, qui ſemel depoſito cingulo, ut fideles eſſent Chriſto, ob pecuniam cingulum reſumebant, & Chriſtum deſerentes idolis ſerviebant, quamobrem Nicæna Synodus tantum prohibuit militiam, quatenus Symbolum erat, ac ſignum idololatriæ. Pro quo juvat obſervare antiquitus cingulum militiæ fuiſſe ſignum magni honoris, & etiam commodi ob plura privilegia militibus conceſſa, & propter ea Imperatores illos antiquos Ethnicos tempore perſecutionis conſueviſſe cingulo militiæ ſpoliare, & eos exauctorare, qui Chriſtiani eſſe deprehendebantur, & ſimul detrectabant fidem Chriſti deſerere, ut narrat Euſebius *lib. 8. hiſtor. cap.* 4. ubi aſſerit: Initium perſecutionis Diocletiani incepiſſe à Chriſtianis, quibus militia negabatur, niſi idolis immolarent, & *lib. 9. cap.* 8. refert Licinium quoque initio ſuæ perſecutionis Chriſtianos ſuo expuliſſe è palatio, & cingulo militiæ ſpoliâſſe. Hoc idem etiam refert Ruffinus *lib. 10. hiſtor. cap.* 32. ubi de Juliano ait: Jubet cingulum militiæ non dari niſi immolantibus: & lib. 11. cap. 2. ait:

Valen-

Valentinianum à Deo recepisse imperium, quia pro ejus fide tempore Juliani militiæ cingulum sprevit: cùm igitur id temporis Christiani milites ob Christi fidem militiæ cingulum contemnerent, ac abjicerent, malentes potius sine honore, quàm sine fide vivere: postea seducente diabolo dimissum cingulum iterum ambiebant, parati fidem negare, est idolis immolare, id Concilio causæ fuit severè procedendi contra hos transfugas à Christi fide, ut referunt Theodorus, & Zonora, & etiam Ruffinus, qui lib. 10. histor. cap. 6. recensens Canones Nicænæ Synodi expressè ponit hæc verba: *Qui propter confessionem militiam abjecerant.* Et hunc esse verum sensum Nicænæ Synodi clarè colligitur ex toto canone, qui est de lapsis, unde iis, qui ob metum vitæ aut opum amittendarum lapsi fuerant negando fidem, Nicæna Synodus injungit pœnam decem annorum, iis verò, qui militiam ambierant, quam pro fide contempserant, injungit tredecim annorum pœnitentiam, eò quia gravius lapsi fuerant, priores enim simpliciter negaverant, & isti post gratiam confessionis, in quo major est culpa erga Deum.

Objiciunt nono, Concilium Romanum sub Stephano VII. quòd irritavit omnia Acta Formosi Papæ sui Prædecessoris, & in illo Concilio præsedit ipse Stephanus Romanus Pontifex, & hujus Concilii acta fuisse postea irritata, & annullata ut falsa à Concilio Ravenate sub Joanne IX. qui unà cum Concilio approbavit acta Formosi, & reprobavit illa Stephani in Concilio Romano, ex quibus inferunt, Concilium etiam præsente Romano Pontifice, approbante, & confirmante esse errori obnoxium. Legatur Sigisbertus in Chronico anni 903. & Matthæus Palmerius in Chronico anni 899. Verùm nil inde concluditur contra nostram assertionem, respondemus enim quæstionem illam fuisse facti, non juris, scilicet an Formosus fuisset verus ac legitimus Papa, & quia Stephanus non bene informatus censuit eum non fuisse legitimum Papam, ideo ejus acta irritavit, sed quia postea Joannes re melius examinata contrarium invenit, ideo correxit errorem in quæstione facti prioris Concilii, quia ex Augustino in hisce quæstionibus facti priora Concilia emendantur à posterioribus, eò quia posteriora melius investigant de rei veritate, & si deprehenderint priora Concilia fuisse à testibus malè informata, corrigunt priora.

Objiciunt decimo S. Cyprianum Episcopum, & Martyrem, qui in Africa in Concilio, cui interfuerunt Episcopi octoginta, statuit Hæreticos esse rebaptizandos contra Stephani Papæ expressam definitionem, quinimo in eundem Stephanum non sine aliquo vulnere charitatis visus est invexisse, ut liquet in illius Epistola ad Pompejum: definivit igitur S. Cyprianus in Concilio illo Africano contra definitionem Stephani Papæ, Hæreticos esse rebaptizandos: atqui sententia Cypriani non potuit falsa esse, alioquin fuisset ipse Hæreticos, & in hæresi mortuus, quem tamen Ecclesia semper ut S. Martyrem coluit. Sed contra respondetur, tale Concilium Africanum non potuisse dirimere controversias fidei, quia à Romano Pontifice non fuit indictum nec approbatum, nec confirmatum. Quod vero ad sententiam Cypriani attinet, observanda est origo dissensionum inter Cyprianum Martyrem, & Stephanum Papam. Novatus in Africa Episcopus gravium flagitiorum accusatus Romam concessit, ubi sicut erat homo ingenii turbidissimi, & vir natus dissidiis serendis, &, ut ait Cyprianus, *curiosus, ut proderet, adulator ut falleret, nunquam fidelis, ut diligeret, pix & ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo & tempestas ad cienda fidei naufragia,* Novatus igitur, cum primum Romam appulit, schisma excitavit, Clerumque Romanum in plures factiones divisit, & ipse ex his unam ad se traxit, à qua Cornelio legitimo Pontifici opponitur, & satagit, ut à paucis Episcopis Pontifex renuntietur; & schismati additæ etiam fuerunt hæreses: siquidem Novatianus negabat lapsos, quamvis ipsos sui erroris pœniteret recipi debere, hinc se & suos Catharos, seu mundos appellabat, gestabat enim ipse candidam vestem in signum sanctitatis, & quod nollet peccatoribus immisceri, & eos qui à Catholicis baptismum accepissent, iterum baptizari juberet, eo quia immundi essent, & indigni, ut suis Catharis jungerentur: hinc originem suam habuerunt Cypriani errores, & lites cum Stephano Papa, negabat enim baptismum ab Hæreticis collatum validum esse, propterea necessario repetendum, & etiam quia Hæretici essent extra Ecclesiam, & extra Ecclesiam non haberi veram fidem, nec vera Sacramenta, quæ veræ fidei sunt sigilla. Ad hunc errorem corroborandum, & firmandum tria in Africa fuerunt Concilia celebrata, in quibus Cypriani potissimum authoritate damnatus fuit Hæreticorum baptismus, qui rebaptizari jussi sunt. Ex Concilio Carthaginensi, cui interfuerunt Episcopi 87. datæ fuerunt litteræ ad Stephanum Papam, quibus statuta in Concilio illo manifestârunt, quibus lectis reprobavit Stephanus acta illa Concilii Carthaginensis, quæ etiam rescidit verbis illis: *Si quis à quacunque hæresi ad Ecclesiam venerit* nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam. Audita hac Romani Pontificis sententia totus exarsit Cyprianus, & non ferens sententiam Concilii à Papa damnari, armavit calamum in Stephanum, & scripsit *Epistolam illam* 74. plenam aculeis, ira, & flammis, ad Pompejum Sabratensem Episcopum, in qua Sanctitatis, & martyrii oblitus, humani nihil à se alienum fuisse ostendit. Ante Cyprianum hunc de rebaptizandis Hæreticis errorem invenerant Montanistæ, & Tertullianus pluresque in Oriente Synodi, præsertim Iconiensis, ad quam convenerat Firmilianus Cæsareæ Episcopus, confirmarunt, ut liquet ex *Epist.* 75. Cypriani, & refert Eusebius lib. 7. cap. 4. ut etiam Philastrius *de heres. cap.* 50. Verùm contra tot hominum turbas propugnantes errorem prævaluit tamen, ac triumphavit veritas, & omnes per Orientem, & Occidentem Catholici sententiæ adhæserunt Stephani Pontificis, & sententia Cypriani in Occidente damnata est in Concilio Arelatensi I. can. 8. & in Oriente in Concilio Nicæno can. 19. ait enim D. Hieronymus *lib. contra Luciferianos*: Nicæna Synodus omnes Hæreticos excepit, exceptis Discipulis Pauli Samosateni: Imo & ipsi etiam propugnatores ac defensores sententiæ Cypriani eam postea cœteris acrius impugnârunt, & definitionem Stephani propugnârunt, ac nervosè defenderunt, imo & ipsum Cyprianum postea mutâsse sententiam, ac se retractâsse putat Augustinus Epist. 48. ad Vincentium; & idem habet *lib. 2. contra Donatistas.*

Hoc tamen unum est certum inter Cyprianum, & Stephanum fuisse orta dissidia, ac pugnas initas, eo tamen moderamine, ut neuter alterum hæresis damnaret: de Cypriano constat ex Epistola Synodica ad Stephanum Papam, & de Stephano ex Augustino *lib. 2. contra Donatistas cap. ult. & contra Cresconium lib. 3. cap. 1. & 2.* unde quam-

 vis

qui duxit ſine dote talem fœminam verè eſſet uxoratus, & non poſſet vivente illa aliam ducere.

Reſpondetur Leonem Papam ſcribentem ad Ruſticũ Narbonenſem nomen concubinæ aliter intellexiſſe, quàm illud acceperint Patres Concilii, ſiquidem Leo vocat concubinam eam, quæ aſſumitur ad conſortium thori ſine mutuo conſenſu perpetuo vivendi: & Concilium Toletanum ſumit concubinam eam, quæ dicitur cum eo conſenſu, ſed non publicè, nec ſolemniter, neque per publica inſtrumenta, ſed privatim ſine ulla ſolemnitate expreſſo; ſicut nunc hujuſmodi matrimonia privata vocantur matrimonia conſcientiæ, quatenus non decet, nec eſt conveniens virum ducere fœminam conditione perquam imparem viro, & longè inferiorem, & ne vir privetur tali fœmina, omiſſis ſolemnitatibus illam ducit in uxorem, ut poſſit ſine Dei offenſa uti matrimonio, quod tamen ne ſit clandeſtinum prohibitum in Concilio Tridentino, contrahitur in facie Eccleſiæ coram Parocho, & duobus vel tribus teſtibus, ſed privatim abſque ulla ſolemnitate.

Sed inſtant, quia ſi Leo fuit author Concilii Toletani I. non debuiſſet abſolutè negare, concubinam dici poſſe uxorem. Contra, quia Leo Papa non fuit Author totius illius Concilii, ſed tantùm ultimi Canonis, ſiquidem ab initio dicitur hoc Concilium fuiſſe congregatum tempore Honorii, & Arcadii Imperatorum, quo tempore Leo nondum fuerat aſſumptus ad Pontificatum, fuit enim electus tantùm tempore Theodoſii Junioris, ſcilicet 33. annis poſt mortem Arcadii; ut patet ex Chronico Proſperi. Cæterum in ultimo capite ponitur quædam explicatio fidei, quæ dicitur emanata juſſu Leonis Papæ, quod non poſſet verum eſſe, niſi dicamus ante aſſumptionem Leonis ad Pontificatum fuiſſe inchoatum Concilium illud Toletanum, & quaſi ad finem deductum, poſtea tempore Leonis factam fuiſſe illam fidei explicationem, & annexam eidem Concilio, unde S. Leo non confirmavit, niſi ultimum illum Canonem ſuo tempore factum.

Objiciunt quartò decimò Concilium Laodicænum, quod ſtatuit, ut ſecundùm indulgentiam ii reſtituantur communioni, qui ſecundis nuptiis juncti fuerunt, ex quo inferunt, Concilium antea abſtuliſſe communionem iis, qui ad ſecundas nuptias tranſierant, & poſtea iiſdem condonâſſe peccatum, ac reſtituiſſe communioni, id enim ſignificat ſecundùm indulgentiam, atqui id eſt contra Apoſtolum, permittentem uxores ducere iis, qui non poſſunt ſe continere, adeo ut mortua uxore prima poſſit ſine peccato aliam ducere, eò quia meliùs ſit nubere, quàm uri.

Reſpondet plures Concilium tantùm fuiſſe locutum de iis, qui in ſecundo matrimonio adhibuerunt ſolemnitatem, non enim fuit prohibitus tranſitus ad ſecundas nuptias, ſi vir mortua uxore non poſſit ſe continere, ſed fuerunt prohibitæ ſolemnitates. Reſpondetur ſecundò Concilium non errâſſe, tametſi intellexerit de ſecundo matrimonio, ſed potiùs correxiſſe errorem; etenim non defuerunt Epiſcopi, qui ex zelo negaverint communionem bigamis, quorum errorem correxit Conciliũ jubendo bigamos eſſe communioni reſtituendos, & quod hic fuerit ſenſus Concilii Laodicæni, ex eo liquet, quia initio Canonis vocat nuptias Bigamorum liberas, & legitimas, unde quæſtio erat de nuptiis Bigamorum. Neque obſtat, quod Concilium addiderit verba illa deſumpta ex Apoſtolo *ſecundùm indulgentiam*, ait enim Paulus 1. *Corinth.* 7. uſum conjugii ſe non imperare, ſed indulgere, & ſicut D. Paulus, cum ait ſe indulgere uſum conjugii, non ſignificat ſe condonare peccatum, ſed ſe permittere minus bonum, quamvis optaret majus bonum ab illis teneri: perinde Concilium Laodicænum aſſerit ſe indulgere ſecundas nuptias, ſeu concedere cum Apoſtolo minus bonum, quamvis cuperet magis eligi viduitatem, quæ eſt excellentius bonum, quia cœlibatus ſemper præfertur conjugio.

Objiciunt quinto decimo ſecundam Oecumenicam Synodum, in cujus quinto canone ajunt, duos comprehendi errores pugnantes cum Decretis aliorum Conciliorum, quorum primus eſt, quòd primatus Eccleſiæ tribuatur Romano Pontifici: & alter poſt Romanum Pontificem occupet ſecundum locum Epiſcopus Conſtantin o olitanus, & hos duos errores fuiſſe innovatos in Concilio Chalcedonenſi act. ult. ex his duobus primus error pugnat cum Concilio Nicæno, in cujus Canone ſeptimo primatus Eccleſiæ tribuitur Epiſcopo Hieroſolymitano, & cum Concilio III. Carthaginenſi cap. 26. ubi ſtatuitur, quòd nemo debeat vocari Princeps Sacerdotum, nec ſummus Sacerdos; Secundus error etiam pugnat cum Concilio Nicæno canone 6. ubi ſecundus locus poſt Romanum Pontificem non tribuitur Epiſcopo Conſtantinopolitano, ſed Alexandrino, & tertius Antiocheno, quem Canonem pluries citat Leo I. *in epiſt. 53. & aliis ſequentibus.* Sed contra, quia propriè non eſt error, neque pugnat cum ullo Concilio, quod autem pugnet cum Concilio Nicæno, id nullum faceſſit negotium, quia ibi Epiſcopo Jeroſolymitano non tribuitur primatus totius Eccleſiæ, ſed aliquis honor, quinimò in illo Concilio Nicæno ſedes Jeroſolymitana non ſolùm ſubjicitur Sedi Romanæ, & Alexandrinæ, & Antiochenæ; verùm etiam Cæſarienſi, quæ tunc temporis fuit in Palæſtina ſedes Metropolitana, ut conſtat ex *can. 6. & 7.* ejuſdem Concilii, & ex Leone I. in citatis ſuis epiſtolis, ut etiam ex D. Hieronymo in epiſt. quam direxit ad Pammachium de erroribus Joannis Jeroſolymitani. Quod autem additur de Concilio Carthaginenſi, id non facit ad rem, quia illud Concilium fuit tantùm Nationale, nec habuit authoritatem ferendi leges in univerſam Eccleſiam, ſed tantùm per Provincias Africæ conſequenter non potuit prohibere, ne Romanus Pontifex vocaretur Princeps Sacerdotum, & ſummus Sacerdos, ſed tantùm prohibuit, ne ullus ex Metropolitanis Africæ nomen hoc ſummi Sacerdotis ſibi arrogaret, nec diceretur Princeps Sacerdotum, eò quòd hoc nomen tantùm conveniat Romano Pontifici canonicè electo, quia is tantùm eſt Princeps omnium Sacerdotum.

Quòd verò ad ſecundùm pertinet errorem, neque iſte propriè dici poteſt error, quia decretum illud de præcedentia inter Patriarchas Orientales, & de honore Sedium, ſicut à Concilio Nicæno conditum fuit, ita potuit ab alio ſimili Concilio mutari, verumtamen, quia abſque juſta cauſa mutabatur à Concilio Conſtantinopolitano, & poſtea à Chalcedonenſi, ideo Pontifices Romani Damaſus, & Leo Decretum illud noluerunt approbare, neque permiſerunt tunc temporis executioni mandari, ut conſtat ex Leone epiſt. 53. ad Anatolium, ubi loquens de decreto Concilii Conſtantinopolitani ait: *Fruſtra quorundam Epiſcoporum confertur conſenſus, cui tot annorum ſeries negavit effectum.* Et in epiſt. 55. ad Pulcheriam Auguſtam loquens de decreto Concilii Chalcedonenſis ait: *Conſenſiones Epiſcoporum canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes in irritum mittimus, & per authoritatem beati Petri Apoſtoli generali prorſus definitione caſſamus.*

Objiciunt ſexto decimò plures Canones ſextæ Synodi in quibus continentur errores, & nihilominus fuerunt approbati ab Adriano I. in epiſtol. ad Tharaſium, quæ eſt in 2. Act. 7. Synodi ubi ait *hos*

*Canones divinè, & legaliter prædicatos esse.* Rursus Nicolaus I. epist. ad Michaelem, imò, & Innocentius III. cap. à multis de ætate ordinandorum, & septima Synodus *Art.* 2.3.4.5.&6. approbant, & utuntur hisce Canonibus, in quibus tamen irrepserunt errores; siquidem can. 2. approbatur, & recipitur Concilium Africanum sub Cypriano, quod fuit de rebaptizandis Hæreticis, quod erroneum fuisse ostendit Augustinus in septem libris de baptismo. Rursus can. 72. irritantur, ac judicantur esse solvenda conjugia, quæ Catholici contrahunt cum Hæreticis, qui etiam est expressus error, quia tametsi peccet Catholicus ducens uxorem hæreticam, & è contra, matrimonium tamen est Sacramentum ob characterem baptismi, quem Hæreticus retinet, adeoque tale conjugium est insolubile.

Respondetur, licet hi duo præcitati Canones, imò etiam alii plures includant errorem, id tamen nullum facessere negotium contra nostram assertionem; ratio est, quia hi Canones non fuerunt editi ab ullo legitimo, & approbato Concilio, probat enim Tharasius in 6. Synodo Act. 4. Hos canones non fuisse editos à Sexta Synodo, quæ indicta fuit tempore Agathonis, & Constantini, sed post plures, & plures annos, tempore scilicet Justiniani Imperatoris, cui Concilio non adfuit Romanus Pontifex, nec immediatè per se, nec mediatè per suos Legatos; neque hoc Concilium unquam fuit à Pontifice approbatum, ac confirmatum, sed expressè reprobatum, ut refert Beda in lib. de sex ætatibus in Justiniano, & Paulus Diaconus in vita Justiniani.

Ad id quod addebatur de Adriano, qui commendaverit hos Canones, respondetur, Adrianum tantùm recitâsse sententiam Tharasii, & illam non revellere, eò quia Canon 82. de picturis utilis erat Ecclesiæ eo tempore, & pro quæstione, de qua erat disceptatio.

Ad Nicolaum respondetur, ejus verba potiùs favere nostræ assertioni, quia asserit à se citari Canonem illum Græcorum, perinde ac Paulus citavit versa Ethnicorum Poëtarum.

Ad Innocentium quod attinet, certum est, illum nihil de hisce Canonibus definire, sed tantùm citare unũ existis: quòd verò eum Canonem citaverit nomine sextæ Synodi, id fecit, quia communiter vocentur Canones Sextæ Synodi, tametsi revera non sint.

Ad septimam Synodum respondetur semper citari hos Canones à privatis hominibus in eadem Synodo, non verò definiri, & approbari à tota Synodo, quia definitio Concilii habeatur act. 7. tantùm in qua nulla fit mentio horum Canonum. Solent etiam ab Hæreticis citari plura alia Concilia Oecumenica, & Nationalia, quæ secundùm illorum opinionem errores definiverunt, ad quas objectiones refellendas examinandum, primò est, num Concilia ab Hæreticis citata indicta fuerint, & congregata à Romano Pontifice, vel non: & si fuerint indicta, an postea fuerint approbata, & confirmata, plura enim fuerunt celebrata Concilia, quæ nec à Romano Pontifice fuerunt indicta, nec approbata, proinde non fuerunt legitima, neque ullius authoritatis. Secundò an Pontifex interfuerit, vel præsederit per se immediatè; vel per suos Legatos mediate in iisdem Conciliis, quia sine authoritate infallibili Romani Pontificis nulla derivatur in Concilia infallibilitas. Tertiò, an Concilia, licèt indicta fuerint authoritate Romani Pontificis, illisque interfuerint Legati Pontificis, fuerint postea approbata, & confirmata à Pontifice? quia per hanc approbationem tantùm infallibilitas derivatur in Concilia, etenim in Concilio generali Ariminensi interfuerunt Legati Pontificis, & nihilominus Concilium crassissimè erravit, quia non fuit à Pontifice approbatum. Quartò an afflicti errores veri sint, quia Hæretici, quæ iisdem non placent, vel suæ doctrinæ repugnant, errores vocant. Quintò considerandum est, Concilia, tametsi generalia, posse in quæstionibus facti, non juris errare. Sextò in allegatis debet itidem seriò examinari tenor historiæ, & circumstantiæ loci, & temporis, quia hujusmodi circumstantiæ consueverunt decreta variare. Consideranda itidem est nominum communis usurpatio.

Objiciunt decimo septimo in quovis cœtu multitudinis sæpe contingit meliorem partem vincii à majori, proinde in Conciliis Ecclesiæ, ubi omnia definiuntur per plura suffragia, facilè potest contingere aliquis error. Sed contra, quia licèt in cœtibus ordinariis hominum aliquando possit contingere, ut major pars vincat meliorem, non tamen id contingit in Concilio generali Ecclesiæ præsente, approbante, & confirmante Romano Pontifice. Ratio est, quia in hisce Conciliis Ecclesiæ Spiritus S. præsidet, & Christus est in medio Patrum, qui in nomine ipsius ibi congregantur; Spiritus enim sanctus inspirat Patribus veritatem, eósque illuminat, ne errent in dirimendis controversiis fidei. Tum quia Christus rogavit Patrem pro Petro ejúsque Successore pro tempore canonicè electo, ne erret in approbandis, & confirmandis controversiis fidei. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando confirma fratres tuos*, hoc est, aliquando Concilia dirimunt controversias fidei, & tu noveris esse juxta regulas fidei, tunc enim jubetur Pontifex à Christo confirmare fratres, quia infallibilitas Petri, vel Romani Pontificis redundat in Concilium, etenim Luc. 22. ubi Christus pro Petro ejúsque Successoribus rogasse se dicit, ne unquam illorum fides deficiat, ait: *Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, ubi specialiter notandum est, Christum hæc verba ad solum Petrum direxisse, tametsi Sathan omnes Apostolos expetiverit, non enim dicit ego rogavi pro vobis, sed pro te, significans se privilegium aliquod speciale impetrâsse soli Petro, neque Petro tantùm, sed etiam suis Successoribus, cum Petrus esset brevi moriturus, & Ecclesia usque ad consummationem sæculi perseveratura, & quia semper impetitur à Sathana, indigebat semper confirmari, & corroborari, ne deficeret in fide; sicut enim ex communi sententia Catholicorum, aliæ promissiones factæ Petro ad ejus Successores transierunt, sic etiam ista, neque aliter Concilia, & Patres hunc textum Luc. 22. intellexerunt, adeo ut temerarium sit non ita talem textum intelligere: quamvis enim Christus oraverit pro perseverantia Petri in gratia, & pro ipsa Ecclesia, specialiter tamen pro Petro, & ejus Successoribus, ne in fide deficerent, atqui si, quæ in Conciliis fuerunt statuta à Patribus, essent erronea & contra fidem, & hæc approbarentur, & confirmarentur à summo Pontifice, utique & ipse etiam erraret, ac deficeret in fide ea approbando, quæ sunt contra fidem; approbare enim hæresim perinde est, ac eam fateri eisque adhærere, quod est hæreticum.

Neque obstat, si dicas Pontifices posse in alia peccata incidere, ut simoniæ, avaritiæ, superbiæ, consequenter etiam in hæresim, quia hæc plerumque ex illis consequitur. Sed contra, quia tametsi Pontifex

vis uterque ſuccenſuerit alteri, neuter tamen alterum hæreſis notâ infecit. Ratio eſt, quia hæc quæſtio nondum fuerat à Romana ſede definita, proinde ut ſcribit S. Auguſtinus *lib. 5. contra Donatum cap. 25.* Cypriani error non fuit hæreſi notatus, ut etiam refert Euſebius *lib. 7. cap. 4.* ubi ait Stephanum tantum minatum fuiſſe excommunicationem repetentibus baptiſmum. Hoc idem etiam conſtat ex ipſa Stephani Papæ ad Carthaginenſe Concilium ſententia, quam ibi refert Euſebius, ubi Pontifex tantùm aſſerit: *Nihil ab antiquis traditionibus quoad Hæreticos, qui reſipiſcunt, redeuntque ad Eccleſiam, innovandum eſſe:* unde non redarguit Cyprianum erroris notati hæreſi, & Euſebius lib. 7. cap. 3. ait: *Stephanus nihil novi, aut alieni à traditione ex temporibus Apoſtolorum derivata moliendum ratus, hac de re vehementer commotus fuit,* hinc conſtat Cyprianum tametſi contra Stephanum propugnaret, Hæreticos eſſe rebaptizandos, non tamen ipſum Hæreticum eſſe, quia Stephanus nihil adhuc è cathedra definierat, nec opinionem ſuam ad fidem pertinere aſſeruerat, neque contrariam ad hære ſim; unde cum pendente lite nil ſit innovandum, non potuit Cyprianus cenſeri Hæreticus, quia hæc declaratio dependet ex deciſione litis.

Præterea quia eo tempore non ſatis exploratum fuerat, an Romanus Pontifex poſſet extra Concilium errare, utrinque videbatur pugna probabilis, verùm quia Cyprianus, ut inferior, ſubiiciebatur Romano Pontifici, cujus ſententiæ tenebatur acquieſcere, ab omni culpa non poteſt excuſari; cum ſe oppoſuerit Romano Pontifici, ut poſtea ipſe rei eventus & Eccleſiæ authoritas declaravit, hæc enim ſententiam Cypriani poſtea hæreticam declaravit: & Patres Cyprianum quamvis culturâ virtutum inſignem, & ſanctitate toto orbe clarum, imò & martyrio glorioſum intemperantiæ damnârunt, dixeritque propterea S. Auguſtinus lib. 1. contra Donatiſtas cap. 18. *hanc Cypriani culpam, falce martyrii fuiſſe purgatam.* Errorem, quem nimio ardore propugnavit, proprio ſanguine poſtea delevit, & flammas, quas fovit contra Stephanum proprio cruore extinxit. Igitur Concilium illud Africanum eatenus erravit definiens Hæreticos eſſe rebaptizandos, quia nondum fuerat à Romano Pontifice à Stephano Papa approbatum, & confirmatum. Quòd ſi affectu inordinato correpti cadunt ſancti, timeant, ne frangantur, qui vitri naturam contraxerunt; neque omittenda hîc ſunt verba Lyrinenſis contra hæreſes cap. 9. ubi ait: *Intelligebat ergo vir ſanctus & prudens* (Stephanus Papa) *nihil aliud ratione pietatis admittere, niſi ut omnia, quæ fide à Patribus ſuſcepta forent, eadem fide filiis conſignarentur, noſque religionem, non quà vellemus, ducere, ſed potiùs quà illa duceret, ſequi oportere. Idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & gravitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à Majoribus accepta ſervare. Quis ergo tunc univerſi negotii exitus? quis utique niſi uſitatus, & ſolitus? retenta eſt ſcilicet antiquitas, & exploſa novitas. Sed forte tunc ipſi Novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt? Imò verò tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus aſſertorum numerus, tanta veri ſimilitudo, tanta divinæ legis Oracula; ſed planè novo, ac malo more intellecta; ut mihi illa conſpiratio nullo modo deſtrui poſſe videatur, niſi ſolam tanti moliminis cauſam ipſa illa ſuſcepta, ipſa defenſa, ipſa laudata novitatis profeſſio deſtituiſſet. Poſtremò ipſius Africani Concilii ſive decreti quæ vires? donante Deo, nulla: ſed univerſa tanquam ſomnia, tanquam fabula, tanquam ſuperflua, abolita, antiquata, calcata ſunt.*

Objiciunt undecimo ſextam Synodum, quæ fuit ſecunda Nicæna, quam Calvinus *lib. 1. Inſtit. cap. 11. §. 14. & ſequent.* & *lib. 4. cap. 9. §. 9.* & Magdeburgenſes *Centur. 8. cap. 9.* aſſerunt pugnare cum duobus Conciliis, uno priore Conſtantinopolitano coacto ſub Conſtantino Copronymo, & altero poſteriore Francofurtenſi celebrato ſub Carolo Magno, adeo ut ſive ſequamur regulam S. Auguſtini lib. 2. de baptiſ. cap. 3. quod priora Concilia debeant à poſterioribus emendari, ſive regulam S. Iſidori apud Gratianum diſt. 50. can. Domino Sancto, ubi vult antiquiora Concilia eſſe præferenda recentioribus, ſemper dicendum eſt, ſeptimam Synodum Oecumenicam erráſſe, quamvis approbatam, & confirmatam à Romano Pontifice; etenim ſeptimam Synodum pugnare cum Concilio Conſtantinopolitano antiquiore ex eo liquet, quia Act. 6. ubi Patres fatentur tempore ſuperioris Imperatoris definitum fuiſſe in Conſtantinopolitano Concilio, imagines Sanctorum non eſſe ullo modo colendos. Quod itidem pugnet cum Concilio Francofurienſi poſteriori, cui interfuerunt Legati Romani Pontificis, fatentur adverſarii ex Adone Aimonio Abbate Urſpergenſi, & pluribus aliis hiſtoricis, qui loquentes de temporibus Caroli, & Adriani aſſerunt in Synodo Francofurtenſi damnatam fuiſſe ſeptimam Synodum Græcorum. Idque firmant ex quatuor libris Caroli Magni in lucem editis anno 1549. in quibus Imperator totis viribus pugnat coutra imagines, & ſeptimã Synodum; atqui hi libri fuerunt à Concilio Francofurtienſi approbati, ergo ſeptima Synodus, pugnat contra hæc duo Concilia, unum prius, & aliud poſterius celebratum.

Reſpondetur, ſeptimam Synodum, quæ fuit ſecunda Nicæna, cum nullo legitimo Concilio pugnare, nam couſtat Concilium Conſtantinopolitanum priùs celebratum ſub Conſtantino Copronymo Imperatore non fuiſſe legitimum ullo modo, neque generale. Et quidem non fuit legitimum, quia eidem non iuterfuit Romanus Pontifex, nec per ſe immediatè, nec mediatè per ſuos Legatos, ut fatentur Zonaras, Cedrenus in vita Conſtantini Copronymi, & non diffitentur Magdeburgenſes *centur. 8. cap. 9. col. 551.* atqui ſine authoritate Romani Pontificis non poſſunt Oecumenica Concilia indici, neque celebrari juxta regulam Nicæni Synodi, quæ refertur à Socrate *lib. 2. cap. 13.* Imò Concilium illud Conſtantinopolitanum coactum ſub Conſtantino Copronymo contra ſacras imagines non ſolum non fuit approbatum, vel confirmatum à Romano Pontifice, ſed omnino reprobatum, ac deletum, conſequenter non fuit legitimum, neque ullius authoritatis. Nec fuit generale, quia non convenerunt ad illud alii tres præcipui Patriarchæ Orientales, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, ut referunt Zonaras, Cedrenus, & fatentur etiam Magdeburgenſes, & pauci duntaxat interfuerunt Epiſcopi ex Aquilone, ut fatentur omnes Hiſtorici Græci, & Latini.

Concilium Francofurtienſe quod attinet, reſpondetur, hoc Concilium, neque fuiſſe approbatum ab Adriano Romano Pontifice, conſequenter & ipſum nullius eſſe authoritatis; aiunt enim vel ipſis adverſarii Centuriatores *centur. 8. cap. 9. col. 9. col. 639.* Synodo Francofurtienſi non conſenſiſſe, ſed repugnâſſe Adrianum, & ejus Legatos, atqui Concilium, cui repugnat Pontifex, non poteſt legitimum eſſe, neque infallibilis authoritatis, cum tota authoritas infallibilis ab approbatione, & confirmatione Pontificis derivetur

in

in Concilium. Plura enim fuerunt Concilia generalia celebrata, quæ crassissime errârunt in fide, ut Concilium Ariminense ante approbationem, & confirmationem Romani Pontificis, hinc nulla Synodus hactenus habita est ut legitima, cujus decretis, ac statutis Romanus Pontifex repugnaverit.

Præterea ex libris Carolinis constat, Concilium Francofurtiense statuisse ac definivisse, judicium ultimum controversiarum pertinere ad Romanum Pontificem, & hoc argumento eatenus rejicit septimam Synodum, quia Patres Francofurtienses putârunt fuisse indictam, & celebratam sine authoritate Romani hinc Pontificis, notant Magdeburgenses, Synodum Francofurtiensem se ipsam destruere. Insuper notant Magdeburgenses, in Concilio Francofurtiensi non fuisse definitum, ut templa, & Ecclesiæ Sacris spoliarentur imaginibus, sed tantùm ut in ijsdem non adorentur, ex quo deprehenditur falsum, quod asseritur in Apologia Anglorum, quæ docet in Concilio Francofurtiensi statutum fuisse, ut imagines omnino delerentur; quinimò contrarium potiùs statuit, si fidem præstemus libris ipsis Carolinis, & Magdeburgensibus, Concilium enim Francofurtiense anathemate percussit eos, qui imagines è templis, & Ecclesiis ausi fuerint auferre, vel delere. Quòd si Concilium decrevisset sacras imagines evelli è templis, ac deleri, id procul dubio fuisset executioni demandatum, neque fuisset, qui Carolo Magno, & Patribus Concilii ausus fuisset obsistere: cùm igitur constet, sacras imagines remansisse ut antea in templis, & Ecclesiis, ut referunt Historici illius temporis, sequitur Concilium Francofurtiense tale decretum de tollendis sacris imaginibus non condidisse: & tametsi scriptores videantur variare circa Concilium hoc Francofurtiense, probabilior tamen, & communior sententia asserit Concilium Francofurtiense non statuisse auferendas esse, vel delendas è sacris templis & Ecclesiis Sanctorum imagines, & qui asserunt ab hoc Concilio fuisse tale decretum conditum, respondent per errorem, & materialiter tantùm id contigisse, perinde ac olim Synodus Ariminensis damnavit vocem illam Homousion, qua in divinis Filius significabatur esse ejusdem prorsus substantiæ, & divinitatis cum Patre, sicque plures excusant Concilium hoc Francofurtiense.

Juvat annotare antiquos Authores, qui negârunt imagines Sanctorum esse adorandas, & id fuisse statutum in Conciliis, per illud *adorandos* intellexisse adoratione, qua adoramus Deum cultu latriæ, eò quia cum Sancti omnes sint creaturæ, sunt quidem adorandi, sed cultu longè inferiori, scilicet duliæ, & Deipara, quia supra reliquos Sanctos cultu hyperduliæ. Cæterum antiqui illi Scriptores non denegârunt sacris imaginibus omnem omnino cultum; Ado enim in chronico anni 696. refert Romæ in die exaltationis sanctæ Crucis ab universo populo osculari Crucem, & adorari, & in Chronico anni 717. vocat imaginem venerandam, quam Philippicus Hæreticus abstulerat, & Theodosius Catholicus Imperator restituerat. Et Rheginus lib. 1. Chronici vocat scelus illam deturbationem imaginum factam per Leonem Iconoclasten; Joann. Aventinus Bavarus lib. 4. Annalium refert, Carolo Magno Imperatore imaginem in ejus templo omnis populi venerationi expositam fuisse ipso præsente. Abbas Urspergensis in Chronico invehitur in Leonem Isauricum, & Constantinum Copronymū, eò quia jusserint imagines sacras ab Ecclesiis, & templis auferri, vel in iisdem deleri, propterea vocat ambos Imperatores impios, & præcursores Antichristi; econversò pluribus laudibus excipit, & commendat Gregorium Papam, qui Imperatorem anathemate percussit, eò quia ausus fuerit imperare, ut sacræ imagines tollerentur è templis & Ecclesiis, & absolvit subditos in Occidente à consuetis tributis eidem solvendis.

Objiciunt duodecimò Concilium Romanum sub Nicolao I. Romano Pontifice, quod aiunt enormiter erràsse, eò quia definitum in eo fuerit in Sacramento Eucharistiæ sumendo non solùm tractari, & frangi manibus Sacerdotum, & dantibus fidelium atteri Sacramentum Corporis Christi, seu species illas panis; verùm etiam ipsum verum, & reale Christi Corpus, ut patet ex canone: Ego Berengarius de consec. dist. 2. atqui hæc definitio continet manifestum errorem contra gloriosam resurrectionem Christi, cujus corpus non est amplius possibile, nec morti obnoxium, ut ait Apostolus ad Roman. 6. *Christus resurgens à mortuis jam non moritur*, sin autem ipsum verum, & reale Christi Corpus manibus frangitur, & dente teritur, sequitur, quòd corrumpatur, ac fit iterum morti obnoxium.

Respondetur in Concilio illo Romano sub Nicolao II. non fuisse quæstionem de Christi vero & reali corpore, ut est in se distinctum ab ipsis speciebus, & an frangeretur manibus, & dentibus tereretur: certum enim semper in Ecclesia fuit, Christi Corpus nunc esse incorruptibile, & non posse manibus frangi, neque dente teri, nisi in ipso Sacramento, seu in signo sensibili, & in speciebus panis, adeo ut dicatur tantùm frangi, & teri, cum species panis manibus Sacerdotum franguntur, & dentibus teruntur. Quæstio igitur fuit, an signum sensibile, quod frangitur, & teritur sit nudum, & simplex signum, an verò præter sensibiles panis species contineat verum, ac reale Christi Corpus, quod una cum speciebus, & signis sensibilibus sumatur à fidelibus: & quia Berengarius asseruerat esse tantùm nudum signum, ideo Concilium Romanum sub Nicolao II. constituit formam abjurationis hujus erroris; voluitque eum dicere non solum Sacramentum, sed verum Christi Corpus frangi, & teri non quidem in se, sed in speciebus sensibilibus, & in signo seu Sacramento; adeo ut sensus sit, quòd non teratur, nec frangatur nudum signum, sed etiam ut habens conjunctum. Christi Corpus ibi præsens, & existens, quod etiam dicitur frangi manibus, & teri non quidem in se, sed in signo sensibili, seu in signo Sacramenti.

Objiciunt tertio decimo Concilium Toletanum I. in cujus canone 17. asseritur posse eum ad communionem admitti, qui concubinam alit, dummodo non sit ipse uxoratus, & dicunt hoc Concilium fuisse jussu Leonis I. Papæ congregatum, & celebratum, ut dicitur *cap. 21.*

Sed contra quia nomine concubinæ Concilium illud Toletanum non intellexit fœminam solutam vinculo matrimoniali, & omnino liberam, sed intellexit uxorem ductam à viro sine dote, & externa solemnitate, ut notat Gratianus *distinct. 34. can. omnibus.* est que etiam conforme juri civili, ut constat ex novella 18. Justiniani; eodem pacto quo Genef. 25. Agar, & Cethura dicuntur Concubinæ Abrahæ, tametsi veræ fuerint uxores.

Sed instant, quia Leo Papa, qui indixit hoc Concilium in Epist. 92. ad Rusticum Narbonensem cap. 4. loquens de uxore concubina dicit: Concubinam non esse verè uxorem, neque conjunctionem cum illa esse Sacramentum matrimonii, propterea eam mulierem, quæ nubit viro habenti concubinam, non peccare, quia non nubit homini conjugato, & adferens causam, ait, quia vir habens concubinam non potest vocari conjugatus, ergo perperam à Gratiano per concubinam intelligitur uxor ducta sine dote, & externa solemnitate, quia vir, qui

vis uterque succensuerit alteri, neuter tamen alterum hæresis notâ infecit. Ratio est, quia hæc quæstio nondum fuerat à Romana sede definita, proinde ut scribit S. Augustinus *lib.* 5. *contra Donatum cap.* 25. Cypriani error non fuit hæresi notatus, ut etiam refert Eusebius *lib.* 7. *cap.* 4. ubi ait Stephanum tantum minatum fuisse excommunicationem repetentibus baptismum. Hoc idem etiam constat ex ipsa Stephani Papæ ad Carthaginense Concilium sententia, quam ibi refert Eusebius, ubi Pontifex tantùm asserit: *Nihil ab antiquis traditionibus quoad Hæreticos, qui resipiscunt, redeuntque ad Ecclesiam, innovandum esse*: unde non redarguit Cyprianum erroris notati hæresi, & Eusebius lib. 7. cap. 3. ait: *Stephanus nihil novi, aut alieni à traditione ex temporibus Apostolorum derivata moliendum ratus, hac de re vehementer commotus fuit*, hinc constat Cyprianum tametsi contra Stephanum propugnaret, Hæreticos esse rebaptizandos, non tamen ipsum Hæreticum esse, quia Stephanus nihil adhuc è cathedra definierat, nec opinionem suam ad fidem pertinere asseruerat, neque contrariam ad hæresim; unde cum pendente lite nil sit innovandum, non potuit Cyprianus censeri Hæreticus, quia hæc declaratio dependet ex decisione litis.

Præterea quia eo tempore non satis exploratum fuerat, an Romanus Pontifex posset extra Concilium errare, utrinque videbatur pugna probabilis, verùm quia Cyprianus, ut inferior, subiiciebatur Romano Pontifici, cujus sententiæ tenebatur acquiescere, ab omni culpa non potest excusari; cum se opposuerit Romano Pontifici, ut postea ipse rei eventus & Ecclesiæ authoritas declaravit, hæc enim sententiam Cypriani postea hæreticam declaravit; & Patres Cyprianum quamvis culturâ virtutum insignem, & sanctitate toto orbe clarum, imò & martyrio gloriosum intemperantiæ damnârunt, dixeritque propterea S. Augustinus lib. 1. contra Donatistas cap. 18. *hanc Cypriani culpam, falce martyrii fuisse purgatam.* Errorem, quem nimio ardore propugnavit, proprio sanguine postea delevit, & flammas, quas fovit contra Stephanum proprio cruore extinxit. Igitur Concilium illud Africanum eatenus erravit definiens Hæreticos esse rebaptizandos, quia nondum fuerat à Romano Pontifice à Stephano Papa approbatum, & confirmatum. Quòd si affectu inordinato correpti cadunt sancti, timeant, ne frangantur, qui vitri naturam contraxerunt; neque omittenda hic sunt verba Lyrinensis contra hæreses cap. 9. ubi ait: *Intelligebat ergo vir sanctus & prudens* (Stephanus Papa) *nihil aliud ratione pietatis admittere, nisi ut omnia, quæ fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur, neque religionem, non qua vellemus, ducere, sed potiùs qua illa duceret, sequi oportere. Idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à Majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? quis utique nisi usitatus, & solitus? retenta est scilicet antiquitas, & explosa novitas. Sed forte tunc ipsi Novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt? Imò verò tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus assertorum numerus, tanta veri similitudo, tanta divinæ legis Oracula; sed planè novo, ac malo more intellecta; ut mihi illa conspiratio nullo modo destrui posse videatur; nisi solam tanti moliminis causam ipsa illa suscepta, ipsa defensa, ipsa laudata novitatis professio destituisset. Postremò ipsius Africani Concilii sive decreti quæ vires? donante Deo, nulla: sed universa tanquam somnia, tanquam fabulæ, tanquam superflua, abolita, antiquata, calcata sunt.*

Objiciunt undecimo sextam Synodum, quæ fuit secunda Nicæna, quam Calvinus *lib.* 1. *Instit. cap.* 11. §. 14. *& sequent.* & *lib.* 4. *cap.* 9. §. 9. & Magdeburgenses *Centur.* 8. *cap.* 9. asserunt pugnare cum duobus Conciliis, uno priore Constantinopolitano coacto sub Constantino Copronymo, & altero posteriore Francofurtensi celebrato sub Carolo Magno, adeo ut sive sequamur regulam S. Augustini lib. 2. de baptis. cap. 3. quod priora Concilia debeant à posterioribus emendari, sive regulam S. Isidori apud Gratianum dist. 50. can. Domino Sancto, ubi vult antiquiora Concilia esse præferenda recentioribus, semper dicendum est, septimam Synodum Oecumenicam errâsse, quamvis approbatam, & confirmatam à Romano Pontifice; etenim septimam Synodum pugnare cum Concilio Constantinopolitano antiquiore ex eo liquet, quia Act. 6. ubi Patres fatentur tempore superioris Imperatoris definitum fuisse in Constantinopolitano Concilio, imagines Sanctorum non esse ullo modo colendos. Quod itidem pugnet cum Concilio Francofurtensi posteriori, cui interfuerunt Legati Romani Pontificis, fatentur adversarii ex Adone Aimonio Abbate Urspergensi, & pluribus aliis historicis, qui loquentes de temporibus Caroli, & Adriani asserunt in Synodo Francofurtensi damnatam fuisse septimam Synodum Græcorum. Idque firmant ex quatuor libris Caroli Magni in lucem editis anno 1549. in quibus Imperator totis viribus pugnat contra imagines, & septimâ Synodum; atqui hi libri fuerunt à Concilio Francofurtensi approbati, ergo septima Synodus, pugnat contra hæc duo Concilia, unum prius, & aliud posterius celebratum.

Respondetur, septimam Synodum, quæ fuit secunda Nicæna, cum nullo legitimo Concilio pugnare, nam constat Concilium Constantinopolitanum priùs celebratum sub Constantino Copronymo Imperatore non fuisse legitimum ullo modo, neque generale. Et quidem non fuit legitimum, quia eidem non interfuit Romanus Pontifex, nec per se immediatè, nec mediatè per suos Legatos, ut fatentur Zonaras, Cedrenus in vita Constantini Copronymi, & non diffitentur Magdeburgenses *centur.* 8. *cap.* 9. *col.* 551. atqui sine authoritate Romani Pontificis non possunt Oecumenica Concilia indici, neque celebrari juxta regulam Nicæni Synodi, quæ refertur à Socrate *lib.* 2. *cap.* 13. Imò Concilium illud Constantinopolitanum coactum sub Constantino Copronymo contra sacras imagines non solum non fuit approbatum, vel confirmatum à Romano Pontifice, sed omnino reprobatum, ac deletum, consequenter non fuit legitimum, neque ullius authoritatis. Nec fuit generale, quia non convenerunt ad illud alii tres præcipui Patriarchæ Orientales, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, ut referunt Zonaras, Cedrenus, & fatentur etiam Magdeburgenses, & pauci duntaxat interfuerunt Episcopi ex Aquilone, ut fatentur omnes Historici Græci, & Latini.

Concilium Francofurtiense quod attinet, respondetur, hoc Concilium, neque fuisse approbatum ab Adriano Romano Pontifice, consequenter & ipsum nullius esse authoritatis; aiunt enim vel ipsis adversarii Centuriatores *centur.* 8. *cap.* 9. *col.* 9. *col.* 639. Synodo Francofurtensi non consensisse, sed repugnâsse Adrianum, & ejus Legatos, atqui Concilium, cui repugnat Pontifex, non potest legitimum esse, neque infallibilis authoritatis, cum tota authoritas infallibilis ab approbatione, & confirmatione Pontificis derivetur in

in Concilium. Plura enim fuerunt Concilia generalia celebrata, quæ crassissime errârunt in fide, ut Concilium Ariminense ante approbationem, & confirmationem Romani Pontificis, hinc nulla Synodus hactenus habita est ut legitima, cujus decretis, ac statutis Romanus Pontifex repugnaverit.

Præterea ex libris Carolinis constat, Concilium Francofurtiense statuisse ac definivisse, judicium ultimum controversiarum pertinere ad Romanum Pontificem, & hoc argumento eatenus rejicit septimam Synodum, quia Patres Francofurtienses putârunt fuisse indictam, & celebratam sine authoritate Romani hinc Pontificis, notant Magdeburgenses, Synodum Francofurtiensem se ipsam destruere. Insuper notant Magdeburgenses, in Concilio Francofurtiensi non fuisse definitum, ut templa, & Ecclesiæ Sacris spoliarentur imaginibus, sed tantùm ut in ijsdem non adorentur, ex quo deprehenditur falsum, quod asseritur in Apologia Anglorum, quæ docet in Concilio Francofurtiensi statutum fuisse, ut imagines omnino delerentur: quinimò contrarium potiùs statuit, si fidem præstemus libris ipsis Carolinis, & Magdeburgensibus, Concilium enim Francofurtiense anathemate percussit eos, qui imagines è templis, & Ecclesiis ausi fuerint auferre, vel delere. Quòd si Concilium decrevisset sacras imagines evelli è templis, ac deleri, id procul dubio fuisset executioni demandatum, neque fuisset, qui Carolo Magno, & Patribus Concilii ausus fuisset obsistere: cùm igitur constet, sacras imagines remansisse ut antea in templis, & Ecclesiis, ut referunt Historici illius temporis, sequitur Concilium Francofurtiense tale decretum de tollendis sacris imaginibus non condidisse: & tametsi scriptores videantur variare circa Concilium hoc Francofurtiense, probabilior tamen, & communior sententia asserit Concilium Francofurtiense non statuisse auferendas esse, vel delendas è sacris templis & Ecclesiis Sanctorum imagines, & qui asserunt ab hoc Concilio fuisse tale decretum conditum, respondent per errorem, & materialiter tantùm id contigisse, perinde ac olim Synodus Ariminensis damnavit vocem illam Homousion, qua in divinis Filius significabatur esse ejusdem prorsus substantiæ, & divinitatis cum Patre, sicque plures excusant Concilium hoc Francofurtiense.

Juvat annotare antiquos Authores, qui negârunt imagines Sanctorum esse adorandas, & id fuisse statutum in Conciliis, per illud *adorandos* intellexisse adoratione, qua adoramus Deum cultu latriæ, eò quia cum Sancti omnes sint creaturæ, sunt quidem adorandi, sed cultu longè inferiori, scilicet duliæ, & Deipara, quia supra reliquos Sanctos cultu hyperduliæ. Cæterum antiqui illi Scriptores non denegârunt sacris imaginibus omnem omnino cultum; Ado enim in chronico anni 696. refert Romæ in die exaltationis sanctæ Crucis ab universo populo osculari Crucem, & adorari, & in Chronico anni 717. vocat imaginem venerandam, quam Philippicus Hæreticus abstulerat, & Theodosius Catholicus Imperator restituerat. Et Rheginus lib. 1. Chronici vocat scelus illam deturbationem imaginum factam per Leonem Iconoclasten; Joann. Aventinus Bavarus lib. 4. Annalium refert, Carolo Magno Imperatore imaginem in ejus templo omnis populi venerationi expositam fuisse ipso præsente. Abbas Urspergensis in Chronico invehitur in Leonem Isauricum, & Constantinum Copronymũ, eò quia jusserint imagines sacras ab Ecclesiis, & templis auferri, vel in iisdem deleri, propterea vocat ambos Imperatores impios, & præcursores Antichristi; econversò pluribus laudibus excipit, & commendat Gregorium Papam, qui Imperatorem anathemate percussit, eò quia ausus fuerit imperare, ut sacræ imagines tollerentur è templis & Ecclesiis, & absolvit subditos in Occidente à consuetis tributis eidem solvendis.

Objiciunt duodecimò Concilium Romanum sub Nicolao I. Romano Pontifice, quod aiunt enormiter errâsse, eò quia definitum in eo fuerit in Sacramento Eucharistiæ sumendo non solùm tractari, & frangi manibus Sacerdotum, & dantibus fidelium atteri Sacramentum Corporis Christi, seu species illas panis; verùm etiam ipsum verum, & reale Christi Corpus, ut patet ex canone: Ego Berengarius. de consec. dist. 2. atqui hæc definitio continet manifestum errorem contra gloriosam resurrectionem Christi, cujus corpus non est amplius possibile, nec morti obnoxium, ut ait Apostolus ad Roman. 6. *Christus resurgens à mortuis jam non moritur*, sin autem ipsum verum, & reale Christi Corpus manibus frangitur, & dente teritur, sequitur, quòd corrumpatur, ac sit iterum morti obnoxium.

Respondetur in Concilio illo Romano sub Nicolao II. non fuisse quæstionem de Christi vero & reali corpore, ut est in se distinctum ab ipsis speciebus, & an frangeretur manibus, & dentibus tereretur: certum enim semper in Ecclesia fuit, Christi Corpus nunc esse incorruptibile, & non posse manibus frangi, neque dente teri, nisi in ipso Sacramento, seu in signo sensibili, & in speciebus panis, adeo ut dicatur tantùm frangi, & teri, cum species panis manibus Sacerdotum franguntur, & dentibus teruntur. Quæstio igitur fuit, an signum sensibile, quod frangitur, & teritur sit nudum, & simplex signum, an verò præter sensibiles panis species contineat verum, ac reale Christi Corpus, quod una cum speciebus, & signis sensibilibus sumatur à fidelibus: & quia Berengarius asseruerat esse tantùm nudum signum, ideo Concilium Romanum sub Nicolao II. constituit formam abjurationis hujus erroris; voluitque eum dicere non solum Sacramentum, sed verum Christi Corpus frangi, & teri non quidem in se, sed in speciebus sensibilibus, & in signo seu Sacramento; adeo ut sensus sit, quòd non teratur, nec frangatur nudum signum, sed etiam ut habens conjunctum. Christi Corpus ibi præsens, & existens, quod etiam dicitur frangi manibus, & teri non quidem in se, sed in signo sensibili, seu in signo Sacramenti.

Objiciunt tertio decimo Concilium Toletanum I. in cujus canone 17. asseritur posse eum ad communionem admitti, qui concubinam alit, dummodo non sit ipse uxoratus, & dicunt hoc Concilium fuisse jussu Leonis I. Papæ congregatum, & celebratum, ut dicitur *cap.* 21.

Sed contra quia nomine concubinæ Concilium illud Toletanum non intellexit fœminam solutam vinculo matrimoniali, & omnino liberam, sed intellexit uxorem ductam à viro sine dote, & externa solemnitate, ut notat Gratianus *distinct.* 34. *can. omnibus*. est que etiam conforme juri civili, ut constat ex novella 18. Justiniani; eodem pacto quo Genes. 25. Agar, & Cethura dicuntur Concubinæ Abrahæ, tametsi veræ fuerint uxores.

Sed instant, quia Leo Papa, qui indixit hoc Concilium in Epist. 92. ad Rusticum Narbonensem cap. 4. loquens de uxore concubina dicit: Concubinam non esse vere uxorem, neque conjunctionem cum illa esse Sacramentum matrimonii, propterea eam mulierem, quæ nubit viro habenti concubinam, non peccare, quia non nubit homini conjugato, & adferens causam, ait, quia vir habens concubinam non potest vocari conjugatus, ergo perperam à Gratiano per concubinam intelligitur uxor ducta sine dote, & externa solemnitate, quia vir,

qui

vis uterque ſuccenſuerit alteri, neuter tamen alterum hæreſis notâ infecit. Ratio eſt, quia hæc quæſtio nondum fuerat à Romana ſede definita, proinde ut ſcribit S. Auguſtinus *lib. 5. contra Donatum cap. 25.* Cypriani error non fuit hæreſi notatus, ut etiam refert Euſebius *lib. 7. cap. 4.* ubi ait Stephanum tantum minatum fuiſſe excommunicationem repetentibus baptiſmum. Hoc idem etiam conſtat ex ipſa Stephani Papæ ad Carthaginenſe Concilium ſententia, quam ibi refert Euſebius, ubi Pontifex tantùm aſſerit: *Nihil ab antiquis traditionibus quoad Hæreticos, qui reſipiſcunt, redeuntque ad Eccleſiam, innovandum eſſe:* unde non redarguit Cyprianum erroris notati hæreſi, & Euſebius lib. 7. cap. 3. ait: *Stephanus nihil novi, aut alieni à traditione ex temporibus Apoſtolorum derivata moliendum ratus, hac de re vehementer commotus fuit*, hinc conſtat Cyprianum tametſi contra Stephanum propugnaret, Hæreticos eſſe rebaptizandos, non tamen ipſum Hæreticum eſſe, quia Stephanus nihil adhuc è cathedra definierat, nec opinionem ſuam ad fidem pertinere aſſeruerat, neque contrariam ad hæreſim; unde cum pendente lite nil ſit innovandum, non potuit Cyprianus cenſeri Hæreticus, quia hæc declaratio dependet ex deciſione litis.

Præterea quia eo tempore non ſatis exploratum fuerat, an Romanus Pontifex poſſet extra Concilium errare, utrinque videbatur pugna probabilis, verùm quia Cyprianus, ut inferior, ſubiiciebatur Romano Pontifici, cujus ſententiæ tenebatur acquieſcere, ab omni culpa non poteſt excuſari; cum ſe oppoſuerit Romano Pontifici, ut poſtea ipſe rei eventus & Eccleſiæ authoritas declaravit, hæc enim ſententiam Cypriani poſtea hæreticam declaravit; & Patres Cyprianum quamvis culturâ virtutum inſignem, & ſanctitate toto orbe clarum, imò & martyrio glorioſum intemperantiæ damnârunt, dixeritque propterea S. Auguſtinus lib. 1. contra Donatiſtas cap. 18. *hanc Cypriani culpam, falce martyrii fuiſſe purgatam.* Errorem, quem nimio ardore propugnavit, proprio ſanguine poſtea delevit, & flammas, quas fovit contra Stephanum proprio cruore extinxit. Igitur Concilium illud Africanum eatenus erravit definiens Hæreticos eſſe rebaptizandos, quia nondum fuerat à Romano Pontifice à Stephano Papa approbatum, & confirmatum. Quòd ſi affectu inordinato correpti cadunt ſancti, timeant, ne frangantur, qui vitri naturam contraxerunt; neque omittenda hîc ſunt verba Lyrinenſis contra hæreſes cap. 9. ubi ait: *Intelligebat ergo vir ſanctus & prudens* (Stephanus Papa) *nihil aliud ratione pietatis admittere, niſi ut omnia, quæ fide à Patribus ſuſcepta forent, eadem fide filiis conſignarentur, noſque religionem, non qua vellemus, ducere, ſed potiùs qua illa duceret, ſequi oportere. Idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & gravitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à Majoribus accepta ſervare. Quis ergo tunc univerſi negotii exitus? quis utique niſi uſitatus, & ſolitus? retenta eſt ſcilicet antiquitas, & exploſa novitas. Sed forte tunc ipſi Novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt? Imò verò tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus aſſertorum numerus, tanta veri ſimilitudo, tanta divinæ legis Oracula; ſed planè novo, ac malo more intellecta; ut mihi illa conſpiratio nullo modo deſtrui poſſe videatur, niſi ſolam tanti moliminis cauſam ipſa illa ſuſcepta, ipſa defenſa, ipſa laudata novitatis profeſſio deſtituiſſet. Poſtremò ipſius Africani Concilii ſive decreti quæ vires? donante Deo, nulla: ſed univerſa tanquam ſomnia, tanquam fabula, tanquam ſuperflua, abolita, antiquata, calcata ſunt.*

Objiciunt undecimo ſextam Synodum, quæ fuit ſecunda Nicæna, quam Calvinus *lib. 1. Inſtit. cap. 11. §. 14. & ſequent.* & *lib. 4. cap. 9. §. 9.* & Magdeburgenſes *Centur. 8. cap. 9.* aſſerunt pugnare cum duobus Conciliis, uno priore Conſtantinopolitano coacto ſub Conſtantino Copronymo, & altero poſteriore Francofurtenſi celebrato ſub Carolo Magno, adeo ut ſive ſequamur regulam S. Auguſtini lib. 2. de baptiſ. cap. 3. quod priora Concilia debeant à poſterioribus emendari, ſive regulam S. Iſidori apud Gratianum diſt. 50. can. Domino Sancto, ubi vult antiquiora Concilia eſſe præferenda recentioribus, ſemper dicendum eſt, ſeptimam Synodum Oecumenicam erràſſe, quamvis approbatam, & confirmatam à Romano Pontifice; etenim ſeptimam Synodum pugnare cum Concilio Conſtantinopolitano antiquiore ex eo liquet, quia Act. 6. ubi Patres fatentur tempore ſuperioris Imperatoris definitum fuiſſe in Conſtantinopolitano Concilio, imagines Sanctorum non eſſe ullo modo colendos. Quod itidem pugnet cum Concilio Francofurienſi poſteriori, cui interfuerunt Legati Romani Pontificis, fatentur adverſarii ex Adone Aimonio Abbate Urſpergenſi, & pluribus aliis hiſtoricis, qui loquentes de temporibus Caroli, & Adriani aſſerunt in Synodo Francofurtenſi damnatam fuiſſe ſeptimam Synodum Græcorum. Idque firmant ex quatuor libris Caroli Magni in lucem editis anno 1549. in quibus Imperator totis viribus pugnat coutra imagines, & ſeptimã Synodum; atqui hi libri fuerunt à Concilio Francofurtienſi approbati, ergo ſeptima Synodus, pugnat contra hæc duo Concilia, unum prius, & aliud poſterius celebratum.

Reſpondetur, ſeptimam Synodum, quæ fuit ſecunda Nicæna, cum nullo legitimo Concilio pugnare, nam couſtat Concilium Conſtantinopolitanum priùs celebratum ſub Conſtantino Copronymo Imperatore non fuiſſe legitimum ullo modo, neque generale. Et quidem non fuit legitimum, quia eidem non iuterfuit Romanus Pontifex, nec per ſe immediatè, nec mediatè per ſuos Legatos, ut fatentur Zonaras, Cedrenus in vita Conſtantini Copronymi, & non diffitentur Magdeburgenſes *centur. 8. cap. 9. col.* 551. atqui ſine authoritate Romani Pontificis non poſſunt Oecumenica Concilia indici, neque celebrari juxta regulam Nicæni Synodi, quæ refertur à Socrate *lib. 2. cap.* 13. Imò Concilium illud Conſtantinopolitanum coactum ſub Conſtantino Copronymo contra ſacras imagines non ſolum non fuit approbatum, vel confirmatum à Romano Pontifice, ſed omnino reprobatum, ac deletum, conſequenter non fuit legitimum, neque ullius authoritatis. Nec fuit generale, quia non convenerunt ad illud alii tres præcipui Patriarchæ Orientales, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, ut referunt Zonaras, Cedrenus, & fatentur etiam Magdeburgenſes, & pauci duntaxat interfuerunt Epiſcopi ex Aquilone, ut fatentur omnes Hiſtorici Græci, & Latini.

Concilium Francofurtienſe quod attinet, reſpondetur, hoc Concilium neque fuiſſe approbatum ab Adriano Romano Pontifice, conſequenter & ipſum nullius eſſe authoritatis; aiunt enim vel ipſis adverſarii Centuriatores *centur. 8. cap. 9. col. 9. col.* 639. Synodo Francofurtienſi non conſenſiſſe, ſed repugnâſſe Adrianum, & ejus Legatos, atqui Concilium, cui repugnat Pontifex, non poteſt legitimum eſſe, neque infallibilis authoritatis, cum tota authoritas infallibilis ab approbatione, & confirmatione Pontificis derivetur

in

in Concilium. Plura enim fuerunt Concilia generalia celebrata, quæ crassissime errârunt in fide, ut Concilium Ariminense ante approbationem, & confirmationem Romani Pontificis, hinc nulla Synodus hactenus habita est ut legitima, cujus decretis, ac statutis Romanus Pontifex repugnaverit.

Præterea ex libris Carolinis constat, Concilium Francofurtiense statuisse ac definivisse, judicium ultimum controversiarum pertinere ad Romanum Pontificem, & hoc argumento eatenus rejicit septimam Synodum, quia Patres Francofurtienses putârunt fuisse indictam, & celebratam sine authoritate Romani hinc Pontificis, notant Magdeburgenses, Synodum Francofurtiensem se ipsam destruere. Insuper notant Magdeburgenses, in Concilio Francofurtiensi non fuisse definitum, ut templa, & Ecclesiæ Sacris spoliarentur imaginibus, sed tantùm ut in iisdem non adorentur, ex quo deprehenditur falsum, quod asseritur in Apologia Anglorum, quæ docet in Concilio Francofurtiensi statutum fuisse, ut imagines omnino delerentur: quinimò contrarium potiùs statuit, si fidem præstemus libris ipsis Carolinis, & Magdeburgensibus, Concilium enim Francofurtiense anathemate percussit eos, qui imagines è templis, & Ecclesiis ausi fuerint auferre, vel delere. Quòd si Concilium decrevisset sacras imagines evelli è templis, ac deleri, id procul dubio fuisset executioni demandatum, neque fuisset, qui Carolo Magno, & Patribus Concilii ausus fuisset obsistere: cùm igitur constet, sacras imagines remansisse ut antea in templis, & Ecclesiis, ut referunt Historici illius temporis, sequitur Concilium Francofurtiense tale decretum de tollendis sacris imaginibus non condidisse: & tametsi scriptores videantur variare circa Concilium hoc Francofurtiense, probabilior tamen, & communior sententia asserit Concilium Francofurtiense non statuisse auferendas esse, vel delendas è sacris templis & Ecclesiis Sanctorum imagines, & qui asserunt ab hoc Concilio fuisse tale decretum conditum, respondent per errorem, & materialiter tantùm id contigisse, perinde ac olim Synodus Ariminensis damnavit vocem illam Homousion, qua in divinis Filius significabatur esse ejusdem prorsus substantiæ, & divinitatis cum Patre, sicque plures excusant Concilium hoc Francofurtiense.

Juvat annotare antiquos Authores, qui negârunt imagines Sanctorum esse adorandas, & id fuisse statutum in Conciliis, per illud *adorandos* intellexisse adoratione, qua adoramus Deum cultu latriæ, eò quia cum Sancti omnes sint creaturæ, sunt quidem adorandi, sed cultu longè inferiori, scilicet duliæ, & Deipara, quia supra reliquos Sanctos cultu hyperduliæ. Cæterum antiqui illi Scriptores non denegârunt sacris imaginibus omnem omnino cultum; Ado enim in chronico anni 696. refert Romæ in die exaltationis sanctæ Crucis ab universo populo osculari Crucem, & adorari, & in Chronico anni 717. vocat imaginem venerandam, quam Philippicus Hæreticus abstulerat, & Theodosius Catholicus Imperator restituerat. Et Rheginus lib. 1. Chronici vocat scelus illam deturbationem imaginum factam per Leonem Iconoclasten; Joann. Aventinus Bavarus lib. 4. Annalium refert, Carolo Magno Imperatore imaginem in ejus templo omnis populi venerationi expositam fuisse ipso præsente. Abbas Urspergensis in Chronico invehitur in Leonem Isauricum, & Constantinum Copronymū, eò quia jusserint imagines sacras ab Ecclesiis, & templis auferri, vel in iisdem deleri, propterea vocat ambos Imperatores impios, & præcursores Antichristi; econversò pluribus laudibus excipit, & commendat Gregorium Papam, qui Imperatorem anathemate percussit, eò quia ausus fuerit imperare, ut sacræ imagines tollerentur è templis & Ecclesiis, & absolvit subditos in Occidente à consuetis tributis eidem solvendis.

Objiciunt duodecimò Concilium Romanum sub Nicolao I. Romano Pontifice, quod aiunt enormiter erràsse, eò quia definitum in eo fuerit in Sacramento Eucharistiæ sumendo non solùm tractari, & frangi manibus Sacerdotum, & dantibus fidelium atteri Sacramentum Corporis Christi, seu species illas panis; verùm etiam ipsum verum, & reale Christi Corpus, ut patet ex canone: Ego Berengarius. de consec. dist. 2. atqui hæc definitio continet manifestum errorem contra gloriosam resurrectionem Christi, cujus corpus non est amplius passibile, nec morti obnoxium, ut ait Apostolus ad Roman. 6. *Christus resurgens à mortuis jam non moritur*, sin autem ipsum verum, & reale Christi Corpus manibus frangitur, & dente teritur, sequitur, quòd corrumpatur, ac sit iterum morti obnoxium.

Respondetur in Concilio illo Romano sub Nicolao II. non fuisse quæstionem de Christi vero & reali corpore, ut est in se distinctum ab ipsis speciebus, & an frangeretur manibus, & dentibus tereretur: certum enim semper in Ecclesia fuit, Christi Corpus nunc esse incorruptibile, & non posse manibus frangi, neque dente teri, nisi in ipso Sacramento, seu in signo sensibili, & in speciebus panis, adeo ut dicatur tantùm frangi, & teri, cum species panis manibus Sacerdotum franguntur, & dentibus teruntur. Quæstio igitur fuit, an signum sensibile, quod frangitur, & teritur sit nudum, & simplex signum, an verò præter sensibiles panis species contineat verum, ac reale Christi Corpus, quod una cum speciebus, & signis sensibilibus sumatur à fidelibus: & quia Berengarius asseruerat esse tantùm nudum signum, ideo Concilium Romanum sub Nicolao II. constituit formam abjurationis hujus erroris; voluitque eum dicere non solum Sacramentum, sed verum Christi Corpus frangi, & teri non quidem in se, sed in speciebus sensibilibus, & in signo seu Sacramento; adeo ut sensus sit, quòd non teratur, nec frangatur nudum signum, sed etiam ut habens conjunctum. Christi Corpus ibi præsens, & existens, quod etiam dicitur frangi manibus, & teri non quidem in se, sed in signo sensibili, seu in signo Sacramenti.

Objiciunt tertio decimo Concilium Toletanum I. in cujus canone 17. asseritur posse eum ad communionem admitti, qui concubinam alit, dummodo non sit ipse uxoratus, & dicunt hoc Concilium fuisse jussu Leonis I. Papæ congregatum, & celebratum, ut dicitur *cap. 21.*

Sed contra quia nomine concubinæ Concilium illud Toletanum non intellexit fœminam solutam vinculo matrimoniali, & omnino liberam, sed intellexit uxorem ductam à viro sine dote, & externa solemnitate, ut notat Gratianus *distinct. 34. can. omnibus.* est que etiam conforme juri civili, ut constat ex novella 18. Justiniani; eodem pacto quo Genes. 25. Agar, & Cethura dicuntur Concubinæ Abrahæ, tametsi veræ fuerint uxores.

Sed instant, quia Leo Papa, qui indixit hoc Concilium in Epist. 92. ad Rusticum Narbonensem cap. 4. loquens de uxore concubina dicit: Concubinam non esse vere uxorem, neque conjunctionem cum illa esse Sacramentum matrimonii, propterea eam mulierem, quæ nubit viro habenti concubinam, non peccare, quia non nubit homini conjugato, & afferens causam, ait, quia vir habens concubinam non potest vocari conjugatus, ergo perperam à Gratiano per concubinam intelligitur uxor ducta sine dote, & externa solemnitate, quia vir,

vis uterque succensuerit alteri, neuter tamen alterum hæresis notâ infecit. Ratio est, quia hæc quæstio nondum fuerat à Romana sede definita, proinde ut scribit S. Augustinus *lib. 5. contra Donatum cap. 25.* Cypriani error non fuit hæresi notatus, ut etiam refert Eusebius *lib. 7. cap. 4.* ubi ait Stephanum tantum minatum fuisse excommunicationem repetentibus baptismum. Hoc idem etiam constat ex ipsa Stephani Papæ ad Carthaginense Concilium sententia, quam ibi refert Eusebius, ubi Pontifex tantùm asserit: *Nihil ab antiquis traditionibus quoad Hæreticos, qui resipiscunt, redeuntque ad Ecclesiam, innovandum esse:* unde non redarguit Cyprianum erroris notati hæresi, & Eusebius lib. 7. cap. 3. ait: *Stephanus nihil novi, aut alieni à traditione ex temporibus Apostolorum derivata moliendum ratus, hac de re vehementer commotus fuit,* hinc constat Cyprianum tametsi contra Stephanum propugnaret, Hæreticos esse rebaptizandos, non tamen ipsum Hæreticum esse, quia Stephanus nihil adhuc è cathedra definierat, nec opinionem suam ad fidem pertinere asseruerat, neque contrariam ad hære sim; unde cum pendente lite nil sit innovandum, non potuit Cyprianus censeri Hæreticus, quia hæc declaratio dependet ex decisione litis.

Præterea quia eo tempore non satis exploratum fuerat, an Romanus Pontifex posset extra Concilium errare, utrinque videbatur pugna probabilis, verùm quia Cyprianus, ut inferior, subiiciebatur Romano Pontifici, cujus sententiæ tenebatur acquiescere, ab omni culpa non potest excusari; cum se opposuerit Romano Pontifici, ut postea ipse rei eventus & Ecclesiæ authoritas declaravit, hæc enim sententiam Cypriani postea hæreticam declaravit: & Patres Cyprianum quamvis culturâ virtutum insignem, & sanctitate toto orbe clarum, imò & martyrio gloriosum intemperantiæ damnârunt, dixeritque propterea S. Augustinus lib. 1. contra Donatistas cap. 18. *hanc Cypriani culpam, falce martyrii fuisse purgatam.* Errorem, quem nimio ardore propugnavit, proprio sanguine postea delevit, & flammas, quas fovit contra Stephanum proprio cruore extinxit. Igitur Concilium illud Africanum eatenus erravit definiens Hæreticos esse rebaptizandos, quia nondum fuerat à Romano Pontifice à Stephano Papa approbatum, & confirmatum. Quòd si affectu inordinato correpti cadunt sancti, timeant, ne frangantur, qui vitri naturam contraxerunt; neque omittenda hîc sunt verba Lyrinensis contra hæreses cap. 9. ubi ait: *Intelligebat ergo vir sanctus & prudens* (Stephanus Papa) *nihil aliud ratione pietatis admittere, nisi ut omnia, quæ fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur, nosque religionem, non qua vellemus, ducere, sed potiùs qua illa duceret, sequi oportere. Idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à Majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? quis utique nisi usitatus, & solitus? retenta est scilicet antiquitas, & explosa novitas. Sed forte tunc ipsi Novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt? Imò verò tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus assertorum numerus, tanta veri similitudo, tanta divinæ legis Oracula; sed planè novo, ac malo more intellecta; ut mihi illa conspiratio nullo modo destrui posse videatur, nisi solam tanti moliminis causam ipsa illa suscepta, ipsa defensa, ipsa laudata novitatis professio destituisset. Postremò ipsius Africani Concilii sive decreti quæ vires? donante Deo, nulla: sed universa tanquam somnia, tanquam fabula, tanquam superflua, abolita, antiquata, calcata sunt.*

Objiciunt undecimo sextam Synodum, quæ fuit secunda Nicæna, quam Calvinus *lib. 1. Instit. cap. 11. §. 14. & sequent.* & *lib. 4. cap. 9. §. 9.* & Magdeburgenses *Centur. 8. cap. 9.* asserunt pugnare cum duobus Conciliis, uno priore Constantinopolitano coacto sub Constantino Copronymo, & altero posteriore Francofurtensi celebrato sub Carolo Magno, adeo ut sive sequamur regulam S. Augustini lib. 2. de baptis. cap. 3. quod priora Concilia debeant à posterioribus emendari, sive regulam S. Isidori apud Gratianum dist. 50. can. Domino Sancto, ubi vult antiquiora Concilia esse præferenda recentioribus, semper dicendum est, septimam Synodum Oecumenicam errâsse, quamvis approbatam, & confirmatam à Romano Pontifice; etenim septimam Synodum pugnare cum Concilio Constantinopolitano antiquiore ex eo liquet, quia Act. 6. ubi Patres fatentur tempore superioris Imperatoris definitum fuisse in Constantinopolitano Concilio, imagines Sanctorum non esse ullo modo colendos. Quod itidem pugnet cum Concilio Francofuriensi posteriori, cui interfuerunt Legati Romani Pontificis, fatentur adversarii ex Adone Aimonio Abbate Urspergensi, & pluribus aliis historicis, qui loquentes de temporibus Caroli, & Adriani asserunt in Synodo Francofurtensi damnatam fuisse septimam Synodum Græcorum. Idque firmant ex quatuor libris Caroli Magni in lucem editis anno 1549. in quibus Imperator totis viribus pugnat coutra imagines, & septimā Synodum; atqui hi libri fuerunt à Concilio Francofurtiensi approbati, ergo septima Synodus, pugnat contra hæc duo Concilia, unum prius, & aliud posterius celebratum.

Respondetur, septimam Synodum, quæ fuit secunda Nicæna, cum nullo legitimo Concilio pugnare, nam coustat Concilium Constantinopolitanum priùs celebratum sub Constantino Copronymo Imperatore non fuisse legitimum ullo modo, neque generale. Et quidem non fuit legitimum, quia eidem non iuterfuit Romanus Pontifex, nec per se immediatè, nec mediatè per suos Legatos, ut fatentur Zonaras, Cedrenus in vita Constantini Copronymi, & non diffitentur Magdeburgenses *centur. 8. cap. 9. col. 551.* atqui sine authoritate Romani Pontificis non possunt Oecumenica Concilia indici, neque celebrari juxta regulam Nicæni Synodi, quæ refertur à Socrate *lib. 2. cap. 13.* Imò Concilium illud Constantinopolitanum coactum sub Constantino Copronymo contra sacras imagines non solum non fuit approbatum, vel confirmatum à Romano Pontifice, sed omnino reprobatum, ac deletum, consequenter non fuit legitimum, neque ullius authoritatis. Nec fuit generale, quia non convenerunt ad illud alii tres præcipui Patriarchæ Orientales, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, ut referunt Zonaras, Cedrenus, & fatentur etiam Magdeburgenses, & pauci duntaxat interfuerunt Episcopi ex Aquilone, ut fatentur omnes Historici Græci, & Latini.

Concilium Francofurtiense quod attinet, respondetur, hoc Concilium, neque fuisse approbatum ab Adriano Romano Pontifice, consequenter & ipsum nullius esse authoritatis; aiunt enim vel ipsis adversarii Centuriatores *centur. 8. cap. 9. col. 9. col. 639.* Synodo Francofurtiensi non consensisse, sed repugnâsse Adrianum, & ejus Legatos, atqui Concilium, cui repugnat Pontifex, non potest legitimum esse, neque infallibilis authoritatis, cum tota authoritas infallibilis ab approbatione, & confirmatione Pontificis derivetur

in

in Concilium. Plura enim fuerunt Concilia generalia celebrata, quæ craſſiſſime errârunt in fide, ut Concilium Ariminenſe ante approbationem, & confirmationem Romani Pontificis, hinc nulla Synodus hactenus habita eſt ut legitima, cujus decretis, ac ſtatutis Romanus Pontifex repugnaverit.

Præterea ex libris Carolinis conſtat, Concilium Francofurtienſe ſtatuiſſe ac definiviſſe, judicium ultimum controverſiarum pertinere ad Romanum Pontificem, & hoc argumento eatenus rejicit ſeptimam Synodum, quia Patres Francofurtienſes putârunt fuiſſe indictam,& celebratam ſine authoritate Romani hinc Pontificis,notant Magdeburgenſes, Synodum Francofurtienſem ſe ipſam deſtruere. Inſuper notant Magdeburgenſes, in Concilio Francofurtienſi non fuiſſe definitum, ut templa, & Eccleſiæ Sacris ſpoliarentur imaginibus, ſed tantùm ut in ijsdem non adorentur, ex quo deprehenditur falſum, quod aſſeritur in Apologia Anglorum, quæ docet in Concilio Francofurtienſi ſtatutum fuiſſe, ut imagines omnino delerentur: quinimò contrarium potiùs ſtatuit, ſi fidem præſtemus libris ipſis Carolinis, & Magdeburgenſibus, Concilium enim Francofurtienſe anathemate percuſſit eos, qui imagines è templis, & Eccleſiis auſi fuerint auferre, vel delere. Quòd ſi Concilium decreviſſet ſacras imagines evelli è templis, ac deleri, id procul dubio fuiſſet executioni demandatum, neque fuiſſet, qui Carolo Magno, & Patribus Concilii auſus fuiſſet obſiſtere: cùm igitur conſtet, ſacras imagines remanſiſſe ut antea in templis, & Eccleſiis, ut referunt Hiſtorici illius temporis, ſequitur Concilium Francofurtienſe tale decretum de tollendis ſacris imaginibus non condidiſſe: & tametſi ſcriptores videantur variare circa Concilium hoc Francofurtienſe, probabilior tamen, & communior ſententia aſſerit Concilium Francofurtienſe non ſtatuiſſe auferendas eſſe, vel delendas è ſacris templis & Eccleſiis Sanctorum imagines, & qui aſſerunt ab hoc Concilio fuiſſe tale decretum conditum,reſpondent per errorem, & materialiter tantùm id contigiſſe, perinde ac olim Synodus Ariminenſis damnavit vocem illam Homouſion, qua in divinis Filius ſignificabatur eſſe ejuſdem prorſus ſubſtantiæ, & divinitatis cum Patre, ſicque plures excuſant Concilium hoc Francofurtienſe.

Juvat annotare antiquos Authores, qui negârunt imagines Sanctorum eſſe adorandas, & id fuiſſe ſtatutum in Conciliis, per illud *adorandos* intellexiſſe adoratione, qua adoramus Deum cultu latriæ, eò quia cum Sancti omnes ſint creaturæ, ſunt quidem adorandi, ſed cultu longè inferiori, ſcilicet duliæ, & Deipara, quia ſupra reliquos Sanctos cultu hyperduliæ. Cæterum antiqui illi Scriptores non denegârunt ſacris imaginibus omnem omnino cultum; Ado enim in chronico anni 696. refert Romæ in die exaltationis ſanctæ Crucis ab univerſo populo oſculari Crucem, & adorari, & in Chronico anni 717. vocat imaginem venerandam, quam Philippicus Hæreticus abſtulerat, & Theodoſius Catholicus Imperator reſtituerat. Et Rheginus lib. 1. Chronici vocat ſcelus illam deturbationem imaginum factam per Leonem Iconoclaſten; Joann. Aventinus Bavarus lib. 4. Annalium refert, Carolo Magno Imperatore imaginem in ejus templo omnis populi venerationi expoſitam fuiſſe ipſo præſente. Abbas Urſpergenſis in Chronico invehitur in Leonem Iſauricum, & Conſtantinum Copronymũ, eò quia juſſerint imagines ſacras ab Eccleſiis, & templis auferri, vel in iiſdem deleri, propterea vocat ambos Imperatores impios, & præcurſores Antichriſti; econversò pluribus laudibus excipit, & commendat Gregorium Papam, qui Imperatorem anathemate percuſſit, eò quia auſus fuerit imperare, ut ſacræ imagines tollerentur è templis & Eccleſiis, & abſolvit ſubditos in Occidente à conſuetis tributis eidem ſolvendis.

Objiciunt duodecimò Concilium Romanum ſub Nicolao I. Romano Pontifice, quod aiunt enormiter erráſſe, eò quia definitum in eo fuerit in Sacramento Euchariſtiæ ſumendo non ſolùm tractari, & frangi manibus Sacerdotum, & dantibus fidelium atteri Sacramentum Corporis Chriſti, ſeu ſpecies illas panis; verùm etiam ipſum verum, & reale Chriſti Corpus, ut patet ex canone: Ego Berengarius. de conſec. diſt. 2. atqui hæc definitio continet manifeſtum errorem contra glorioſam reſurrectionem Chriſti, cujus corpus non eſt amplius paſſibile, nec morti obnoxium, ut ait Apoſtolus ad Roman. 6. *Chriſtus reſurgens à mortuis jam non moritur*, ſin autem ipſum verum, & reale Chriſti Corpus manibus frangitur, & dente teritur, ſequitur, quòd corrumpatur, ac ſit iterum morti obnoxium.

Reſpondetur in Concilio illo Romano ſub Nicolao II. non fuiſſe quæſtionem de Chriſti vero & reali corpore, ut eſt in ſe diſtinctum ab ipſis ſpeciebus, & an frangeretur manibus, & dentibus tereretur: certum enim ſemper in Eccleſia fuit, Chriſti Corpus nunc eſſe incorruptibile, & non poſſe manibus frangi, neque dente teri, niſi in ipſo Sacramento, ſeu in ſigno ſenſibili, & in ſpeciebus panis, adeo ut dicatur tantùm frangi, & teri, cum ſpecies panis manibus Sacerdotum franguntur, & dentibus teruntur. Quæſtio igitur fuit, an ſignum ſenſibile, quod frangitur, & teritur ſit nudum, & ſimplex ſignum, an verò præter ſenſibiles panis ſpecies contineat verum, ac reale Chriſti Corpus, quod una cum ſpeciebus, & ſignis ſenſibilibus ſumatur à fidelibus: & quia Berengarius aſſeruerat eſſe tantùm nudum ſignum, ideo Concilium Romanum ſub Nicolao II. conſtituit formam abjurationis hujus erroris; voluítque eum dicere non ſolum Sacramentum, ſed verum Chriſti Corpus frangi, & teri non quidem in ſe, ſed in ſpeciebus ſenſibilibus, & in ſigno ſeu Sacramento; adeo ut ſenſus ſit, quòd non teratur, nec frangatur nudum ſignum, ſed etiam ut habens conjunctum. Chriſti Corpus ibi præſens, & exiſtens, quod etiam dicitur frangi manibus, & teri non quidem in ſe, ſed in ſigno ſenſibili, ſeu in ſigno Sacramenti.

Objiciunt tertio decimo Concilium Toletanum I. in cujus canone 17. aſſeritur poſſe eum ad communionem admitti, qui concubinam alit, dum̃odo non ſit ipſe uxoratus, & dicunt hoc Concilium fuiſſe juſſu Leonis I. Papæ congregatum, & celebratum, ut dicitur *cap.* 21.

Sed contra quia nomine concubinæ Concilium illud Toletanum non intellexit fœminam ſolutam vinculo matrimoniali, & omnino liberam, ſed intellexit uxorem ductam à viro ſine dote, & externa ſolemnitate, ut notat Gratianus *diſtinct.* 34. *can. omnibus.* eſt que etiam conforme juri civili, ut conſtat ex novella 18. Juſtiniani; eodem pacto quo Geneſ. 25. Agar, & Cethura dicuntur Concubinæ Abrahæ, tametſi veræ fuerint uxores.

Sed inſtant, quia Leo Papa, qui indixit hoc Concilium in Epiſt. 92. ad Ruſticum Narbonenſem cap. 4. loquens de uxore concubina dicit: Concubinam non eſſe vere uxorem, neque conjunctionem cum illa eſſe Sacramentum matrimonii, propterea eam mulierem, quæ nubit viro habenti concubinam, non peccare, quia non nubit homini conjugato, & adferens cauſam, ait, quia vir habens concubinam non poteſt vocari conjugatus, ergo perperam à Gratiano per concubinam intelligitur uxor ducta ſine dote, & externa ſolemnitate, quia vir,

qui

qui duxit sine dote talem fœminam verè esset uxoratus, & non posset vivente illa aliam ducere.

Respondetur Leonem Papam scribentem ad Rusticū Narbonensem nomen concubinæ aliter intellexisse, quàm illud acceperint Patres Concilii, siquidem Leo vocat concubinam eam, quæ assumitur ad consortium thori sine mutuo consensu perpetuo vivendi: & Concilium Toletanum sumit concubinam eam, quæ dicitur cum eo consensu, sed non publicè, nec solemniter, neque per publica instrumenta, sed privatim sine ulla solemnitate expresso; sicut nunc hujusmodi matrimonia privata vocantur matrimonia conscientiæ, quatenus non decet, nec est conveniens virum ducere fœminam conditione perquam imparem viro, & longè inferiorem, & ne vir privetur tali fœmina, omissis solemnitatibus illam ducit in uxorem, ut possit sine Dei offensa uti matrimonio, quod tamen ne sit clandestinum prohibitum in Concilio Tridentino, contrahitur in facie Ecclesiæ coram Parocho, & duobus vel tribus testibus, sed privatim absque ulla solemnitate.

Sed instant, quia si Leo fuit author Concilii Toletani I. non debuisset absolutè negare, concubinam dici posse uxorem. Contra, quia Leo Papa non fuit Author totius illius Concilii, sed tantùm ultimi Canonis, siquidem ab initio dicitur hoc Concilium fuisse congregatum tempore Honorii, & Arcadii Imperatorum, quo tempore Leo nondum fuerat assumptus ad Pontificatum, fuit enim electus tantùm tempore Theodosii Junioris, scilicet 33. annis post mortem Arcadii; ut patet ex Chronico Prosperi. Cæterum in ultimo capite ponitur quædam explicatio fidei, quæ dicitur emanata jussu Leonis Papæ, quod non posset verum esse, nisi dicamus ante assumptionem Leonis ad Pontificatum fuisse inchoatum Concilium illud Toletanum, & quasi ad finem deductum, postea tempore Leonis factam fuisse illam fidei explicationem, & annexam eidem Concilio, unde S. Leo non confirmavit, nisi ultimum illum Canonem suo tempore factum.

Objiciunt quartò decimò Concilium Laodicænum, quod statuit, ut secundùm indulgentiam ii restituantur communioni, qui secundis nuptiis juncti fuerunt, ex quo inferunt, Concilium antea abstulisse communionem iis, qui ad secundas nuptias transierant, & postea iisdem condonâsse peccatum, ac restituisse communioni, id enim significat secundùm indulgentiam, atqui id est contra Apostolum, permittentem uxores ducere iis, qui non possunt se continere, adeo ut mortua uxore prima possit sine peccato aliam ducere, eò quia meliùs sit nubere, quàm uri.

Respondet plures Concilium tantùm fuisse locutum de iis, qui in secundo matrimonio adhibuerunt solemnitatem, non enim fuit prohibitus transitus ad secundas nuptias, si vir mortua uxore non possit se continere, sed fuerunt prohibitæ solemnitates. Respondetur secundò Concilium non errâsse, tametsi intellexerit de secundo matrimonio, sed potiùs correxisse errorem; etenim non defuerunt Episcopi, qui ex zelo negaverint communionem bigamis, quorum errorem correxit Conciliū jubendo bigamos esse communioni restituendos, & quod hic fuerit sensus Concilii Laodicæni, ex eo liquet, quia initio Canonis vocat nuptias Bigamorum liberas, & legitimas, unde quæstio erat de nuptiis Bigamorum. Neque obstat, quod Concilium addiderit verba illa desumpta ex Apostolo *secundùm indulgentiam*, ait enim Paulus 1. *Corinth.* 7. usum conjugii se non imperare, sed indulgere, & sicut D. Paulus, cum ait se indulgere usum conjugii, non significat se condonare peccatum, sed se permittere minus bonum, quamvis optaret majus bonum ab illis teneri: perinde Concilium Laodicænum asserit se indulgere secundas nuptias, seu concedere cum Apostolo minus bonum, quamvis cuperet magis eligi viduitatem, quæ est excellentius bonum, quia cœlibatus semper præfertur conjugio.

Objiciunt quinto decimo secundam Oecumenicam Synodum, in cujus quinto canone ajunt, duos comprehendi errores pugnantes cum Decretis aliorum Conciliorum, quorum primus est, quòd primatus Ecclesiæ tribuatur Romano Pontifici: & alter post Romanum Pontificem occupet secundum locum Episcopus Constantin o olitanus, & hos duos errores fuisse innovatos in Concilio Chalcedonensi act. ult. ex his duobus primus error pugnat cum Concilio Nicæno, in cujus Canone septimo primatus Ecclesiæ tribuitur Episcopo Hierosolymitano, & cum Concilio III. Carthaginensi cap. 26. ubi statuitur, quòd nemo debeat vocari Princeps Sacerdotum, nec summus Sacerdos: Secundus error etiam pugnat cum Concilio Nicæno canone 6. ubi secundus locus post Romanum Pontificem non tribuitur Episcopo Constantinopolitano, sed Alexandrino, & tertius Antiocheno, quem Canonem pluries citat Leo I. *in epist. 53. & aliis sequentibus.* Sed contra, quia propriè non est error, neque pugnat cum ullo Concilio, quod autem pugnet cum Concilio Nicæno, id nullum facessit negotium, quia ibi Episcopo Jerosolymitano non tribuitur primatus totius Ecclesiæ, sed aliquis honor, quinimò in illo Concilio Nicæno sedes Jerosolymitana non solùm subjicitur Sedi Romanæ, & Alexandrinæ, & Antiochenæ; verùm etiam Cæsariensi, quæ tunc temporis fuit in Palæstina sedes Metropolitana, ut constat ex *can. 6. & 7.* ejusdem Concilii, & ex Leone I. in citatis suis epistolis, ut etiam ex D. Hieronymo in epist. quam direxit ad Pammachium de erroribus Joannis Jerosolymitani. Quod autem additur de Concilio Carthaginensi, id non facit ad rem, quia illud Concilium fuit tantùm Nationale, nec habuit authoritatem ferendi leges in universam Ecclesiam, sed tantùm per Provincias Africæ consequenter non potuit prohibere, ne Romanus Pontifex vocaretur Princeps Sacerdotum, & summus Sacerdos, sed tantùm prohibuit, ne ullus ex Metropolitanis Africæ nomen hoc summi Sacerdotis sibi arrogaret, nec diceretur Princeps Sacerdotum, eò quòd hoc nomen tantùm conveniat Romano Pontifici canonicè electo, quia is tantùm est Princeps omnium Sacerdotum.

Quòd verò ad secundùm pertinet errorem, neque iste propriè dici potest error, quia decretum illud de præcedentia inter Patriarchas Orientales, & de honore Sedium, sicut à Concilio Nicæno conditum fuit, ita potuit ab alio simili Concilio mutari, verumtamen, quia absque justa causa mutabatur à Concilio Constantinopolitano, & postea à Chalcedonensi, ideo Pontifices Romani Damasus, & Leo Decretum illud noluerunt approbare, neque permiserunt tunc temporis executioni mandari, ut constat ex Leone epist. 53. ad Anatolium, ubi loquens de decreto Concilii Constantinopolitani ait: *Frustra quorundam Episcoporum confertur consensus, cui tot annorum series negavit effectum.* Et in epist. 55. ad Pulcheriam Augustam loquens de decreto Concilii Chalcedonensis ait: *Consensiones Episcoporum canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes in irritum mittimus, & per authoritatem beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.*

Objiciunt sexto decimò plures Canones sextæ Synodi in quibus continentur errores, & nihilominus fuerunt approbati ab Adriano I. in epistol. ad Tharasium, quæ est in 2. Act. 7. Synodi ubi ait *hos*

*Cano-*

*Canones divinè, & legaliter prædicatos esse.* Rursus Nicolaus I. epist. ad Michaelem, imò, & Innocentius III. cap. à multis de ætate ordinandorum, & septima Synodus *Art.* 2. 3. 4. 5. & 6. approbant, & utuntur hisce Canonibus, in quibus tamen irrepserunt errores; siquidem can. 2. approbatur, & recipitur Concilium Africanum sub Cypriano, quod fuit de rebaptizandis Hæreticis, quod erroneum fuisse ostendit Augustinus in septem libris de baptismo. Rursus can. 72. irritantur, ac judicantur esse solvenda conjugia, quæ Catholici contrahunt cum Hæreticis, qui etiam est expressus error, quia tametsi peccet Catholicus ducens uxorem hæreticam, & è contra, matrimonium tamen est Sacramentum ob characterem baptismi, quem Hæreticus retinet, adeoque tale conjugium est insolubile.

Respondetur, licet hi duo præcitati Canones, imò etiam alii plures includant errorem, id tamen nullum facessere negotium contra nostram assertionem; ratio est, quia hi Canones non fuerunt editi ab ullo legitimo, & approbato Concilio, probat enim Tharasius in 6. Synodo Act. 4. Hos canones non fuisse editos à Sexta Synodo, quæ indicta fuit tempore Agathonis, & Constantini, sed post plures, & plures annos, tempore scilicet Justiniani Imperatoris, cui Concilio non adfuit Romanus Pontifex, nec immediatè per se, nec mediatè per suos Legatos; neque hoc Concilium unquam fuit à Pontifice approbatum, ac confirmatum, sed expressè reprobatum, ut refert Beda in lib. de sex ætatibus in Justiniano, & Paulus Diaconus in vita Justiniani.

Ad id quod addebatur de Adriano, qui commendaverit hos Canones, respondetur, Adrianum tantùm recitâsse sententiam Tharasii, & illam non revellere, eò quia Canon 82. de picturis utilis erat Ecclesiæ eo tempore, & pro quæstione, de qua erat disceptatio.

Ad Nicolaum respondetur, ejus verba potiùs favere nostræ assertioni, quia asserit à se citari Canonem illum Græcorum, perinde ac Paulus citavit verba Ethnicorum Poëtarum.

Ad Innocentium quod attinet, certum est, illum nihil de hisce Canonibus definire, sed tantùm citare unũ exstitis: quòd verò eum Canonem citaverit nomine sextæ Synodi, id fecit, quia communiter vocentur Canones Sextæ Synodi, tametsi revera non sint.

Ad septimam Synodum respondetur semper citari hos Canones à privatis hominibus in eadem Synodo, non verò definiri, & approbari à tota Synodo, quia definitio Concilii habeatur act. 7. tantùm in qua nulla fit mentio horum Canonum. Solent etiam ab Hæreticis citari plura alia Concilia Oecumenica, & Nationalia, quæ secundùm illorum opinionem errores definiverunt, ad quas objectiones refellendas examinandum, primò est, num Concilia ab Hæreticis citata indicta fuerint, & congregata à Romano Pontifice, vel non: & si fuerint indicta, an postea fuerint approbata, & confirmata, plura enim fuerunt celebrata Concilia, quæ nec à Romano Pontifice fuerunt indicta, nec approbata, proinde non fuerunt legitima, neque ullius authoritatis. Secundò an Pontifex interfuerit, vel præsederit per se immediatè; vel per suos Legatos mediate in iisdem Conciliis, quia sine authoritate infallibili Romani Pontificis nulla derivatur in Concilia infallibilitas. Tertiò, an Concilia, licèt indicta fuerint authoritate Romani Pontificis, illisque interfuerint Legati Pontificis, fuerint postea approbata, & confirmata à Pontifice? quia per hanc approbationem tantùm infallibilitas derivatur in Concilia, etenim in Concilio generali Ariminensi interfuerunt Legati Pontificis, & nihilominus Concilium crassissimè erravit, quia non fuit à Pontifice approbatum. Quartò an afflicti errores veri sint, quia Hæretici, quæ iisdem non placent, vel suæ doctrinæ repugnant, errores vocant. Quintò considerandum est, Concilia, tametsi generalia, posse in quæstionibus facti, non juris errare. Sextò in allegatis debet itidem seriò examinari tenor historiæ, & circumstantiæ loci, & temporis, quia hujusmodi circumstantiæ consueverunt decreta variare. Consideranda itidem est nominum communis usurpatio.

Objiciunt decimo septimo in quovis cœtu multitudinis sæpe contingit meliorem partem vincii à majori, proinde in Conciliis Ecclesiæ, ubi omnia definiuntur per plura suffragia, facilè potest contingere aliquis error. Sed contra, quia licèt in cœtibus ordinariis hominum aliquando possit contingere, ut major pars vincat meliorem, non tamen id contingit in Concilio generali Ecclesiæ præsente, approbante, & confirmante Romano Pontifice. Ratio est, quia in hisce Conciliis Ecclesiæ Spiritus S. præsidet, & Christus est in medio Patrum, qui in nomine ipsius ibi congregantur; Spiritus enim sanctus inspirat Patribus veritatem, eósque illuminat, ne errent in dirimendis controversiis fidei. Tum quia Christus rogavit Patrem pro Petro ejúsque Successore pro tempore canonicè electo, ne erret in approbandis, & confirmandis controversiis fidei. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando confirma fratres tuos*, hoc est, aliquando Concilia dirimunt controversias fidei, & tu noveris esse juxta regulas fidei, tunc enim jubetur Pontifex à Christo confirmare fratres, quia infallibilitas Petri, vel Romani Pontificis redundat in Concilium, etenim Luc. 22. ubi Christus pro Petro ejúsque Successoribus rogasse se dicit, ne unquam illorum fides deficiat, ait: *Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, ubi specialiter notandum est, Christum hæc verba ad solum Petrum direxisse, tametsi Sathan omnes Apostolos expetiverit, non enim dicit ego rogavi pro vobis, sed pro te, significans se privilegium aliquod speciale impetrâsse soli Petro, neque Petro tantùm, sed etiam suis Successoribus, cum Petrus esset brevi moriturus, & Ecclesia usque ad consummationem sæculi perseveratura, & quia semper impetitur à Sathana, indigebat semper confirmari, & corroborari, ne deficeret in fide; sicut enim ex communi sententia Catholicorum, aliæ promissiones factæ Petro ad ejus Successores transierunt, sic etiam ista, neque aliter Concilia, & Patres hunc textum Luc. 22. intellexerunt, adeo ut temerarium sit non ita talem textum intelligere: quamvis enim Christus oraverit pro perseverantia Petri in gratia, & pro ipsa Ecclesia, specialiter tamen pro Petro, & ejus Successoribus, ne in fide deficerent, atqui si, quæ in Conciliis fuerunt statuta à Patribus, essent erronea & contra fidem, & hæc approbarentur, & confirmarentur à summo Pontifice, utique & ipse etiam erraret, ac deficeret in fide ea approbando, quæ sunt contra fidem; approbare enim hæresim perinde est, ac eam fateri eique adhærere, quod est hæreticum.

Neque obstat, si dicas Pontifices posse in alia peccata incidere, ut simoniæ, avaritiæ, superbiæ, consequenter etiam in hæresim, quia hæc plerumque ex illis consequitur. Sed contra, quia tametsi Pontifex

ut est privatus Doctor, sit erroribus obnoxius, & possit in hæresim cadere, non tamen ut est Doctor publicus, & supremus in Ecclesia docens ex cathedra, quia tunc doceret errorem totam Ecclesiam, quæ proinde non esset columna & firmamentum veritatis: quòd si quæras, cur possit Pontifex peccare; & non deficere in fide? respondetur, quia Christus Luc. 22. tantùm rogavit, ut non deficeret ejus fides, non verò ut non possit incidere in alia peccata, quia Christus in hac fide Petri militantem in terris Ecclesiam fundavit: neque Christus dixit: Quæ faciunt facite. & quæ credunt credite, sed quæ dicunt facite, quia oportet doctrinam incorruptam esse.

Quòd si instes, Petrum ipsum bis gravissimè errâsse; nam Matth. 26. Christum negavit, & ad Galat. 2. coëgit gentes judaizare, quapropter à D. Paulo reprehensus graviter fuit, quòd si Petrus errare potuit, à fortiori etiam Petri Successor. Sed contra respondent plures, Petrum ore tantùm, non corde Christum negâsse, & quidem eo tempore, quando nondum electus fuerat à Christo summus Pontifex militantis suæ Ecclesiæ in terris, siquidem primatus Ecclesiæ fuit illi promissus, Matth. 16. ante passionem, sed collatus post resurrectionem, Joan. ult. *Petre, amas me plus his, pasce oves meas*, tunc enim illum constituit supremum Pastorem totius ovilis, unde illa Petri negatio externa fuit culpa Piscatoris, non delictum supremi Pastoris; nunquam enim Petrus docuit, nec definivit Christum esse negandum, unde non fuit error cathedræ, nec doctrinæ, sed tantùm personæ privatæ.

Ad alium errorem, quo Petrus dicitur adegisse gentes judaizare, ibi adducitur factum incertum, ex quo nil certi potest deduci; Patres enim Græci, & ex Latinis Hieronymus epist. 89. ad Augustinum nullam in Petro errorem agnoscunt, sed omnia ex composito, & simulatè, non seriò inter Petrum, & Paulum asserunt actum fuisse, ut simul Judæos, & Gentiles traherent ad fidem Catholicam, ac unirent duos parietes præputii & circumcisionis in uno lapide angulari Christo Jesu, ut explicant Hieronymus epist. 89. ad Augustinum, Chrysostomus, Theophylactus Oecumenicus ad Galat. 2. Cassianus collat. 17. hi enim omnes, & alii plures sancti Patres Petrum accusant, cumque simulatè tantùm à D. Paulo asserunt redargutum fuisse, alioquin multo majori reprehensione fuisset Paulus dignus, cùm legales cæremonias multò sæpiùs, & accuratiùs, quàm Petrus adhibuit: siquidem ut Judæis placeret, Timotheum natum ex patria Gentili circumcidit Actor. 16. & caput Nazareorum more totondit Act. 18. Hierosolymis cum Judæis se purificavit Actor. 31. & demum Judæus Judæis factus est. 1. ad Corinth. unde nisi simulatè redarguisset, Petrum ad eum finem, ut simul gentiles, & Judæi ad fidem traherentur, non tam indignè tulisset, neque damnâsset in Petro, quæ multò sæpiùs ipse usurpaverat; hæc est Patrum Græcorum sententia, cui adhæret ex Latinis Hieronymus epist. 89. Patres verò Latini, si qui sunt, qui asserant, Petrum errâsse, non tamen dicunt in ipsa re substantiæ, sed tantùm in modo, & loci & temporis circumstantiis, ita enim à Gentilibus secesserat, ut eorum cibis voluerit omnino abstinere, & totus cum Judæis esse, ut authoritate, & exemplo, quod pro lege fideles habebant, quàm plurimos in errores inscius induceret, quòd crederent necessariò à Gentilium cibis, quos tanto studio Petrus vitabat, abstinendum esse, ac utendum judaicis ritibus.

Præterea quidquid sit de hoc errore, hoc unum est certum, Petrum tunc non errâsse doctrina, sed ad summum exemplo, non enim legitur Petrum docuisse judaizandum esse, sed tantùm exemplo, quod omnes venerabantur, & pluribus occasio erat errandi, quod reprehendit Paulus, extra tamen disputationem. Dicitur Petrus coëgisse Gentes judaizare non jussu, sed exemplo cui Gentes tantùm tribuebant, ut pro imperio haberent, ut explicat Tertullianus *lib. de Præscript.* hinc constat Petrum, & ejus Successorem, ut privatam personam, esse quidem errori obnoxiam, non verò ut publicum Doctorem, & supremum in Ecclesia Pastorem docentem è cathedra præmisso sedulo examine controversiarum, & auditis disputationibus ac sententiis Patrum, sequitur, quòd in hoc cœtu Episcoporum major pars, si erret, non possit meliorem vincere.

Objiciunt decimò octavò, tametsi Concilia legitimè congregata authoritate Pontificia non possint errare ob assistentiam Spiritus Sancti, & infallibilitatem capitis derivatam in membram, non tamen nobis potest innotescere, quænam sint Concilia legitima, siquidem Concilium legitimum debet coalescere ex Episcopis fidelibus, & nemo potest scire, an Episcopi convenientes in Concilium sint verè fideles, & verè ordinati. Quis enim potest scire, an revera habeant veram fidem, cum possint illam exterius tantùm simulare. Tum quia ex fide Historicorum, quæ non est infallibilis novimus facta Concilia ad normam legum Ecclesiasticarum, & Concilia fuisse transacta, unde nonnisi ex fide Historicorum nobis constare potest, fuisse hæc vel illa in Conciliis statuta. Consequenter eorum decreta semper sunt nobis dubia, & incerta.

Sed contra, quia non est necesse, ut nobis evidenter constet evidentia intrinseca, Episcopos convenientes ad Concilium habere veram fidem verámque ordinationem: sufficit enim, si nobis non constet contrarium, tametsi corde, & animo essent Hæretici, si tamen sola externa professione sint Catholici, Deus non permitteret, ut in formandis decretis fidei errarent, si illis assisteret Summus Pontifex approbans eadem decreta, quia Spiritus Sanctus assistit Conciliis istis, non tam ob ipsa Concilia, quàm propter universalem Ecclesiam, quæ divino præcepto tenetur Episcoporum sententiam non examinare, sed venerari.

Quamobrem, ne Ecclesia universa erraret, ad divinam providentiam pertineret etiam fictos Episcopos dirigere, ne errarent in definiendis controversiis fidei, & formandis decretis, proponendis toti Ecclesiæ. Ut igitur aliquis Episcoporum cœtus ac conventus sit legitimus, requiritur tantùm, ut Episcopi illi conveniant, qui Episcopi veri, & Catholici habentur, & præsident in Ecclesiis, quidquid sit de iis, quæ latent in eorum cordibus.

Ad ultimum de fide Historicorum circa Concilia respondet Vega in Concilium Tridentinum lib. 3. cap. 39. Concilium esse legitimum, credendum esse fide divina, non quia id asseratur ab historicis; sed quia Concilium hoc definivit: solent enim Concilia ab initio actorum definire suum conventum esse legitimum, & congregatum in Spiritu Sancto.

Verùm hæc solutio non videtur satisfacere difficultati, quia sub Ecclesiæ initiis, & per plura subsequentia sæcula non consueverunt Concilia etiam generalla testificari, suum conventum fuisse legitimum, & in Spiritu Sancto congregatum; quæ fuerunt in Ecclesia ultima celebrata Concilia, tantùm hanc præmiserunt attestationem, ut legitur in Conciliis Constantiensi, Basileensi, Lateranensi, & Triden-

Tridentino; & alia nonnulla; & hoc non per decretum aliquod, quo intendant obligare fideles ad id credendum fide divina, quia nullibi legitur hoc decretum, nec canon ullus, qui hoc declaret de fide, vel qui definiat, illud Concilium esse legitimum, à quo canones illi conditi sunt. Præterea vel nobis constat, aliunde Concilium aliquod fuisse legitimum; vel nobis non constat? Si primum frustraneè conditur tale decretum, cum jam nobis constet esse de fide: si nobis non constat, possumus de tali decreto dubitare: si enim dubio, an fuerit legitimum, antequam definiatur per decretum, illud esse legitimum; adest etiam locus dubitandi, an erraverit in condendo tale decretum emanatum à Concilio, de quo dubitamus, an fuerit legitimum. Respondetur igitur tale Concilium apparere legitimum, ac esse tale iis, qui sunt præsentes, quia vident convenisse Episcopos, & alios Prælatos convocatos authoritate legitimi Pastoris, seu Romani Pontificis, & convenisse ex variis, ac dissitis Provinciis. Absentibus autem ac posteris id tantum constare fide humana Historicorum, qui unanimi consensu id testantur; adeo ut hæc notitia, quamvis humana sit certissima, quæque evidentiæ naturali possit æquiparari; quia tamen omnes asserunt dari Londinum, est mihi naturaliter accidens dari Londinum: Et quia ex fide Catholica habemus Concilia legitime congregata, & approbata à Romano Pontifice non posse errare; & ex fide certissima humana seu evidentia naturali habeamus Concilium Tridentinum fuisse legitime congregatum, & approbatum, sequitur, quod teneamur credere fide divina decreta condita à Concilio Tridentino.

# CAPUT XII.

## An Concilium Generale sit supra Papam?

Præsens quæstio cœpit in Ecclesia agitari ex occasione diuturni, ac molestissimi Schismatis, post mortem enim Gregorii IX. anno 1378. Cardinales elegerunt Urbanum VI. Sed quia ejus timuerunt rigorem, ac reformationem, post tertium ab ejus electione mensem prætextu declinandi æstivos calores Anagniam dissimulanter, & inde Fundias digressi freti authoritate Joannæ Reginæ Neapolitanæ fategerunt Electionem Urbani probare invalidam ob vim illatam, eo quia Clerus, & Romanus populus tunc Romæ tumultuaverit, & Fundis elegerunt in Pontificem, Robertum Cardinalem Gebenensem, qui Clemens VII. vocari voluit & Avenione sedit cum Urbanus perseveraret Romæ sedere, & tunc ob hanc secundam Pontificis electionem adhuc vivente Urbano VI. incepit in Ecclesia molestissimum illud schisma, quod per quadraginta annos unionem Ecclesiæ in plures partes discidit: siquidem fuerunt simul tres Pontifices, Benedictus XIII. Gregorius XII. qui ante suam electionem voverat, se abdicaturum Pontificiam dignitatem, si Benedictus etiam eidem renuntiaret, sed quia neuter Pontifex de tollendo schismate cogitabat, Cardinales Pisis in Hetruria Concilium indixerunt, in quo utrumque Pontificem Benedictum & Gregorium ad tollendum schisma deposuerunt, & Alexandrum V. in Pontificem verum ac legitimum elegerunt, cui post decem menses mortuo subrogarunt Joannem XXIII. antea dictum Balthasarem Cossa Neapolitanum, sed non propterea extinctum fuit in Ecclesia schisma, cum persisterent in sua dignitate Benedictus XIII. & Gregorius XII. fuerintque propterea in Ecclesia tres simul Pontifices; & schisma, quod incepit, post mortem Gregorii IX. anno 1378. perseveravit dilacerare Ecclesiam, ac gravissimis molestiis illam divexare usque ad annum 1417. tunc enim cœperunt serio Principes Christiani una cum Cardinalibus, seu Ecclesia tota Catholica cogitare modum coercendi Pontificiam authoritatem, eamque intra proprios limites detinendi, cum ambitione plurium Pontificum Ecclesia, & fideles plurimum paterentur detrimenti. Hinc anno 1394. agente Carolo VI. Francorum Rege Concilium Parisiis congregatum fuit, quo Petrus de Luna dictus Benedictus XIII. natione Aragonius Papatu ejectus est, ut notat Spondanus ad hunc annum, sed sine effectu, quia Benedictus XIII. noluit se Pontificatu abdicare, idque causæ fuit, cur ad extinguendum schisma aliud fuerit à Cardinalibus indictum Pisis Concilium; Ubi promulgatæ fuerunt quædam conclusiones emanatæ ab Universitatibus Parisiensi & Bononiensi, quarum hæc erat summa; scilicet teneri Gregorium & Benedictum ex debito Charitatis pastoralis cedere juri, quod habebant ad Pontificatum, ne in tanto Ecclesiæ squalore, ac discrimine, & Fidelium clade plus dignitati suæ, quam publico bono studere viderentur, idque multo magis, eo quia se voto, & juramento obligaverint: quod si recusarent, hoc ipso tanquam schismatis authores hæresisque suspecti, & tot malorum, ac scandalorum, & contentionum duces sub Concilii, & Ecclesiæ judicium, & potestatem caderent, à qua possent Pontificia dignitate destitui: teneri etiam fideles omnes ab eorum obedientia, cultuque cessare, ne si obedire alterutri pergant, in schisma consentire videantur. Extant hæ conclusiones apud Theodoricum de Niem *lib. 3. schismatis cap. 38.* & habentur apud Severinum Binium *Tom. 3. Concilior. part. 2. in notis ad Concilium Pisanum.* Patres enim in hoc Concilio citatis Gregorio, & Benedicto, & non comparentibus, sententiam in ipsos dicunt, privantque dignitate Pontificia, eo quia essent Pontifices dubii, notoriè schismatici, & de hæresi suspecti, & Patres illi elegerunt in legitimum Pontificem Petrum de Candia Minoritam, qui nomen sibi Alexandri VI. imposuit; hæc tamen Electio excitatas schismatis flammas non extinxit, sed auxit cum adhuc tres essent in Ecclesia Pontifices, nolerintque cedere, Benedictus XIII. & Gregorius XII. atque post paucos menses ultimum suum Alexandro claudente diem eidem subrogatus fuerit Joannes XXIII. qui deleturus schisma in Ecclesia indixit aliud Concilium Generale Constantiæ anno 1414. quod tres annos duravit. Postquam autem ab hoc ipso clam decessisset Joannes XXIII. Papa, & Concilium sine capite remansisset, & Benedictus, ac Gregorius recusassent venire ad Concilium, sede Apostolica per biennium vacante, cœperunt tunc Patres excitare, & agitare quæstionem, an Concilium posset invitum Pontificem judicare, ac declarare destitutum Pontificia dignitate; quæ controversia uberiores flammas concepit in Concilio Basileensi, quia cum Eugenius Papa IV. Concilium Basileense inchoatum anno 1431. dissolvere, ac impedire vellet, ne ulterius progrederetur, cœperunt Patres dubitare, & postea quæstionem agitare, an tenerentur Pontifici obedire, vel potius Pontifex ipsis,

ipsi, seu Concilio Generali? & quia iisdem notum erat per Concilium Constantiense fuisse depositos duos Pontifices Joannem XXIII. & Benedictum XIII. & ita impositum fuisse finem diuturno schismati, cœperunt & Patres Basileenses metuere, ne si Papa non teneretur Concilio obedire, iterum schisma renovaretur, ideo plures in eam iverunt sententiam, quod Concilium censendum sit esse supra Pontificem. Et hæc quidem sententia cupientes viam præcludere schismati novum ipsi inchoâssent, cum elegerunt novum Pontificem Felicem V. nisi hic maluisset Pontificem abdicare, quàm schisma permittere in Ecclesia.

Et quamvis hæc quæstio visa fuerit in Concilio Florentino definita anno 1438. ut etiam in Lateranensi ultimo celebrato anno 1512. in quibus definitum fuit, Papam esse supra Concilium, quia tamen Florentinum Concilium non ita clarè, & expresè hoc definivit, & de Concilio Lateranensi nonnulli adhuc dubitaverint, an vere fuerit Generale, ideo controversia etiamnum ab aliquibus Catholicis videretur agitari, cui adhæserunt Novatores asserentes Concilium esse supra Papam, & omnium primus ex Hæreticis fuit Lutherus, qui emersit anno 1517. variisque erroribus Ecclesiam turbavit. Et plures postea tum in Gallia tum in Germania etiam ex Catholicis cœperunt provocare à sententia Papæ ad Concilium Generale, eo quia ipsis non fuerit visa secundum justitiam Pontificis sententia, vel quia suspicati fuerint fuisse Pontificem præoccupatum ab æmulis, & affectu aliquo speciali ductum: hinc pro diversis etiam animorum affectibus diversæ quoque fuerunt causæ submittendi Pontificem Concilio, qui enim publicum Ecclesiæ bonum, & Religionem tantum spectarunt, contenti fuerunt, solùm in causa schismatis, ac dubii Pontificis, ac schismatici notorie præferre Concilium, ut præstiterunt Patres in Conciliis Pisano, & Constantiensi. Quibus verò non ita cordi fuit publicum Ecclesiæ bonum; cui prætulerunt proprium privatum commodum Concilium etiam extra publicam causam schismatis præposuerunt Romano Pontifici, illis præsertim innitentes politicis arcanis, quibus in extremis, & imminentibus malis dilatio remedium aliquod videtur suppeditare, avertente mora periculum, vel saltem differente ac tempus concedente maturius cogitandi.

Asserendum est, Concilium etiam Generale extra schisma subjici Romano Pontifici certo, & non posse provocari à sententia Papæ ad Concilium. Dupliciter potest summus Pontifex comparari cum Concilio. Primo ut consideretur solus Papa verus, & indubitatus, & Concilium Generale, cui præsit Papa per se immediate, vel per suos Legatos mediate, adeo ut in Concilio nil definiatur sine consensu, & approbatione Papæ. Altero modo, si consideretur solus Papa ex una parte verus & legitimus, & ex altera solum Concilium Generale sine capite, seu cui Papa nec per se immediate nec per suos Legatos mediatè præsit: intelligitur autem Pontifex non præsidere per suos Legatos tametsi isti missi fuerint à Papa, si agant contra Papæ voluntatem, quia tunc non sunt verè ejus Legati, & quæstio procedit principaliter in hoc secundo casu; an Concilium sine capite sit supra Papam, & provocari possit à sententia Papæ ad Concilium Generale? Et circa hanc controversiam tres extant sententiæ, quas refert Bellarminus *lib. 2. de Concil. cap.* 14. Prima docet Concilium esse supra Pontificem, & hæc communis est inter Hæreticos, & ex Catholicis videntur huic adhærere Cardinalis Cameracensis, Joannes Gerson, Jacobus Almainus, Nicolaus Cusanus, Panormitanus, Tostatus, quæ sententia ut intelligatur, sciendum est, duo esse fundamenta hujus opinionis, quorum primum est, Papam non esse propriè caput Ecclesiæ Universalis simul congregatæ, quod diversimodè intelligitur ab Hæreticis, & Catholicis, illi enim nolunt Papam nullo modo esse caput totius Ecclesiæ Catholicæ, sed tantum suæ particularis Ecclesiæ Catholici verò docent, Papam esse caput, & Pastorem omnium Christianorum, omniumque Ecclesiarum si seorsim, & divisim sumantur, non verò si simul, & copulativè congregentur in Concilio Generali, quia tunc volunt Ecclesiam accipere quasi formam quandam corporis, & totam potestatem, quæ divisa ac sparsa in variis membris fuerat, simul uniri in Concilio Generali, adeo comparare Papam cum cæteris Christianis, & Ecclesiis seorsum sumptis sit comparare membrum nobilissimum, & primum in corpore Ecclesiæ cum aliis minus nobilibus: comparare autem Papam cum Concilio Universali, perinde sit comparare partem cum suo toto, & in hoc sensu, sicut totum est majus sua parte, ita dicunt Concilium Generale esse supra Papam, & tunc esse comparationem minoris cum majori.

Ne verò dicamus Concilium sine Papa esse corpus acephalum imperfectum, ac mutilatum sine capite addunt secundum fundamentum, quo asserunt supremam Ecclesiasticam potestatem esse tam in Concilio, quàm in Papa, hoc solo discrimine, quòd in Concilio sit principalius immediatius ac firmius, seu immobilius, docent enim Christum immediatè tradidisse Ecclesiæ omnem potestatem solvendi, & ligandi, & cum Ecclesia semper perseveret immobiliter, aiunt, in ea semper manere hanc potestatem, sed quia non potest Ecclesia semper manere congregata neque exercere per se hanc potestatem, aiunt Christum instituisse summum Pontificem, ut instrumenmentum generale ad omnes actiones Ecclesiæ, & in eo posuisse hanc summam potestatem, quam exerceret nomine Ecclesiæ, unde ex sententia plurium potestas hæc immediate, formaliter, & subjective est in Ecclesia, & instrumentaliter in Pontificem, & in hoc sensu explicant, quomodo mortuo Papa morte naturali vel civili, vel etiam deposito ut schismatico, vel ut dubio, Concilium non sit corpus acephalum, imperfectum, & mutilatum, sed perfectum, & caput Concilii, tunc dicunt esse potestatem illam summam immediate formaliter, & subjective tributam Ecclesiæ, & ob hanc potestatem posse Concilium Universale definire controversias fidei, sancire leges, concedere indulgentias, ex quibus etiam inferunt Concilium esse supra Papam, & posse ipsum judicare, & demum aiunt quærere, an Papa sit major Concilio, perinde esse, ac quærere, an pars sit major suo toto.

Tertium fundamentum est, quia putant Papam esse in Ecclesia id, quod est Dux Venetiarum in Republica Veneta, vel Genuensis in Republica Genuensi, ubi constat, hos esse supra singulos Magistratus ac supra singulos Senatores, non tamen supra totum Senatum collectivè sumptum, quia quando moritur Dux, certum est totam authoritatem etiam ducalem inesse Senatui.

Hisce non obstantibus sententia communior tum veterum, tum recentiorum Theologorum, & Canonistarum est, Papam esse supra Concilium, & non posse provocari à sententia Papæ ad Concilium Generale, eo quia Papa non possit se subjicere sententiæ Concilii coacte, nec obnoxius est ulli humano judicio, sed soli Deo, cui debet obedientiam.

Pro-

Probatur assertum ex illo Matth. 16. ubi cum Christo rogante Apostolos: *Vos autem quem me esse dicitis*, respondisset Petrus; *tu es Christus Filius Dei*, tunc subdidit Christus; *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, ubi juvat observare, quod cum Christus interrogasset omnes Discipulos ibi congregatos, & dixerit in plurali: *Vos autem, quem me esse dicitis*, reliquos Apostolos tacuisse, ac si hæsitâssent, quid respondere debuissent, & solùm Petrum excussâ quavis dubitatione statim respondisse: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, quamvis enim reliqui Apostoli Christi miraculis ac verbis fuissent pluries edocti de illius divina filiatione, adhuc tamen nonnisi tenuem, rudem, ac velut confusum de hac re conceptum efformarunt, nescientes, qua ratione Christus esset filius Dei, an per æternam generationem, consubstantialem, aut alio modo. Petrus verò, quia clarius, distinctiùs, ac subtilius à Deo illuminatus, & edoctus, alios quasi adhuc ancipites præoccupat, & animosè absque ulla hæsitatione fatetur Christum esse filium Dei unigenitum æterno Patri consubstantialem, & æternum, ob quam expeditam responsionem meruit à Christo laudari: *beatus es Simon Barjona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Ex hisce verbis censent plures consuetudinem dimanâsse vocandi Romanum Pontificem Petri Successorem Beatissimum Patrem: pergit Christus alloquens Petrum, quem antea proprio nomine Simonem dixerat: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ubi solus Petrus nominatur Petra Ecclesiæ, quia ejus Pastor, rector supremus, ac Universalis à Christo constituitur, adeo ut sicut est supremus Pastor, ita sit etiam firmissimum fundamentum ejusdem: siquidem *Cepha* Syriacè perinde est, ac Petra durissima, unde subdit: *Et super hanc Cepham ædificabo Ecclesiam*, & versio Armenica habet; *tu es rupes, & super hanc rupem ædificabo Ecclesiam meam*, ut etiam Æthyopica, *Tu es rupes, & super hanc rupem fabricabo domum Christianam*, & Arabica: *Tu es saxum, & super hoc Saxum ædificabo Ecclesiam meam.* Ægyptiaca, *Tu es hic Petrus, fundabo Ecclesiam meam super hanc Petram.* Persica, *Tu es Sanac* (scilicet Petra) *& super hanc Sanac ædificabo Ecclesiam meam.* Rursus paraphrasis Persica, *Tu es Sanac*, id est, fundamentum, & Judex, quia Christus Petrum elegerat, ut esset supremus Judex controversiarum fidei, & fundamentum totius Ecclesiastici ædificii, hinc omnes Sancti Patres Græci, & Latini vocant Petrum veram petram, seu fundamentum Ecclesiæ, ut Concilium V. Chalcedonense *Act.* 13. Anacletus *Epistol.* 3. *cap.* 3. Leo Papa *in anniversf. suæ assumpt.* Hilarius *lib.* 6. *de Trinit.* Basilius *lib.* 2. *de Spiritu* S. Hieronymus in hunc locum Matth. 16. & *lib.* 1. *contra Jovinianum*, Augustinus *serm.* 11. *cap.* 24. Neque obstat ipsum *lib.* 1. *retract. cap.* 21. cum aliis Patribus nomine Petræ, de qua loquitur Christus, intelligisse fidem, & confessionem Petri, & ipsum Christum, cui ut firmissimæ petræ, ac lapidi angulari Ecclesia innititur, quia id est veritati omnino consonum, & non pugnat cum explicatione litterali, quia fides & confessio Petri est quidem fundamentum Ecclesiæ, sed in abstracto, seu est ratio, ob quam Petrus & ejus Successores sunt Pastores supremi, & universales totius Ecclesiæ Catholicæ, à quibus dependet Ecclesiæ firmitas, & in vera doctrina innititur supremo Pontifici docenti ex cathedra, ut supremo Judici controversiarum. Christus autem magis propriè, ac principalius dicitur petra, quia quidquid soliditatis, ac firmitatis inest Petro ejus Successoribus, id totum in ipsos derivatur ex meritis gratia & providentia Christi, quia primarium, ac principale fundamentum totius Ecclesiæ est Christus verus fundator ejusdem: Petrus verò & ejus Successores tantùm vices gerunt Christi, cujus propterea Romanus Pontifex est tantùm in militanti Ecclesia Vicarius, quidquid autem potestatis, & authoritatis inest Vicario, id multò plenius, & excellentius est in principali, quapropter est communis Theologorum sententia cum D. Thoma potestatem excellentiæ, quæ fuit in Christo, dum Sacramenta constituit in Ecclesia, non fuisse communicatam Petro, nec consequenter ejus Successoribus.

Rursus expendenda sunt alia verba, quæ sequuntur Matth. 16. *Et tibi dabo claves Regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*: per claves significari summam potestatem tum ordinis tum jurisdictionis in totam Ecclesiam, asserunt communiter Sancti Patres, & habetur Isaiæ cap. 22. Apocal. 3. cui etiam consonat communis usus, & modus loquendi, cui enim concreduntur claves domus traditur etiam potestas eandem claudendi, & aperiendi, ad eum enim finem traduntur claves, atqui hæc clavium promissio specialiter tantùm Petro facta fuit, & postea data, Joan. ult. post Christi resurrectionem, & ut sine ulla ambiguitate crederetur hæc potestas clavium data soli Petro, voluit exprimere proprium ejus nomen, imò etiam Petri pro nomine demonstrativo, & dictione copulativa inquiens: *Beatus es Simon filius Jona, & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & tibi dabo claves Regni cœlorum*: non poterant circumstantiæ exactiùs describi ad significandam propriam personam Petri, cui facta fuit clavium promissio, neque Notarius ut nomen proprium fert alicujus personæ in publico instrumento exprimeret, posset distinctius notare circumstantias. Et licet Matth. 18. & Joan. 20. etiam reliquis Apostolis collata fuerit potestas ligandi, solvendi, & remittendi peccata, nunquam tamen concreditæ fuerunt claves Regni cœlorum, ut inde intelligeremus potestatem ligandi, & solvendi ad Episcopos quidem, & alios Sacerdotes pertinere, sed tantùm limitatè & pro determinatis Ecclesiis intra limites propriæ Diœcesis, claves autem totius Regni cœlorum, seu ligandi, & solvendi per totam universalem Ecclesiam Catholicam soli Petro, ejúsque Successoribus concreditas fuisse: aliud enim est claves thesauri possidere, & aliud pecuniam ex thesauro habere, primum indicat plenitudinem potestatis in thesaurum, & hoc tantùm portionem potestatis, perinde aliud est, claves habere Regni cœlorum, & aliud potestatem ligandi, & solvendi, quia hoc secundum partem tantùm, & primũ totum significat, ut pulchrè explicat S. Hilarius expendens supra citata verba Matth. 16. inquiens: *O beatus cœli Janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur: cujus terrestre judicium præjudicata authoritas sit in cœlo, ut quæ in terris, aut ligata sint, aut soluta statuti ejusdem conditionem obtineant & in cœlo.* Quòd si soli Petro, & ejus Successoribus canonicè electis, non verò Concilio trá-

traditæ sunt claves Regni cœlorum, sequitur majorem potestatem aperiendi, & claudendi esse penes Pontificem, quam Concilium, nec posse Concilium aperire, quod Pontifex clauserit, neque claudere, quod ipse aperuerit, quia nemo potest sine clavibus aperire, & claudere.

Quòd si adversarii dicant, Concilium etiam habere claves in Pontificem, debent assignare, unde & à quo acceperit Concilium hujusmodi claves, in Evangelio enim legimus, soli Petro, & ejus Successoribus concreditas fuisse claves Regni cœlorum, Matth. 16. *Et tibi dabo claves Regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Quod si non Ecclesiæ, sed Petro fuerunt traditæ claves, quas exerceret in Ecclesia, ita à fortiori non fuerunt traditæ Concilio, sed Romano Pontifici, ut eas exerceret in Concilio approbando, quæ sunt juxta fidem, & reprobando, quæ eidem adversantur; non enim Concilium est majus Ecclesiâ, quam repræsentat, sicut Prorex non est major Rege, quem repræsentat, & cujus vices gerit: ergo si Papæ traditæ sunt claves Regni cœlorum, ut illas exerceat in Ecclesia, à fortiori poterit etiam easdem in Concilio exercere, cum major sit Ecclesia, quàm Concilium generale, quod tantùm repræsentat Ecclesiam.

Probatur secundò hæc Concilii generalis minoritas respectu Romani Pontificis, & dependentia ab illo, ex eo quod Christus Petrum alloquens Luc. 22. *Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit, ut cribraret vos sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, quibus verbis duæ significantur prærogativæ impertitæ Petro, & ejus Successoribus canonicè electis, quarum prima est, quia Christus specialiter pro illo orat, & providet, ne illius fides deficiat, quia cum jam destinatus esset fundamentum Ecclesiæ, & Pastor totius Dominici ovilis, major illi cura impenditur: siquidem illius error in fidei doctrina esset omnium fidelium error; prima enim cathedra si erret, non potest in terris ab alia corrigi, quia non datur alia, quæ sit major. Neque major fuisset cura, & solicitudo in Christo pro Petro, quàm pro reliquis Apostolis à Sathana expetitis, nisi à Petro magis, quàm ab aliis Apostolis, Ecclesia dependeret: enixius igitur rogavit æternum Patrem pro Petro, licèt Sathanas omnes expetiverit Apostolos, quia solus Petrus futurus erat supremus in Ecclesia Pastor ovium Christi, ac supremus Judex pro dirimendis fidei controversiis, proinde si ipse erraret, omnes Christi oves, quæ tenentur sequi Pastorem, errarent, atqui Patres, qui in Concilio generali repræsentant Ecclesiam universalem, sunt & ipsi oves Christi, & tenentur sequi Pastorem iisdem destinatum à Christo, consequenter dependet Concilium generale repræsentans Ecclesiam ab ipso Romano Pontifice, non Pontifex à Concilio.

Secunda prærogativa præfatis Christi verbis expressa, est, ut fideles omnes conservet, ac confirmet, consequenter etiam Concilia, quia Patres, qui intersunt Concilio, pertinent & ipsi ad Christi ovile, suntque Christi oves, & subjiciuntur supremo Ecclesiæ, seu ovilis Christi Pastori; & sicut oves subjiciuntur & obediunt Pastori, non pastor ovibus, ita Patres in Concilio generali, si sint oves Christi, debent subjici Romano Pontifici ut supremo Pastori Dominici Gregis: consequenter pertinet ad summum Pontificem sua auctoritate congregare Concilia generalia, & congregata, si non legitimè procedant, corrigere, vel etiam dissolvere, ut præstiterunt Romani Pontifices in Conciliis Ephesino se[illegible] Ariminensi, Basileensi, vel, si rectè procedant, [illegible] firmare, & iisdem authoritatem impertiri in[illegible] lem. Confirmare enim ad eum pertinet, qui [illegible] ris est authoritatis, ac potestatis, qua ratione ele[illegible] ones, alienationes, testamenta nonnisi à superio[illegible] confirmantur, huc accersendus S. Leo Papa serm[illegible] suæ assumptionis, ubi ait: *Quoniam diabolus, [illegible] exagitare, omnes elidere cupiebat, tamen speci[illegible] à domino Petri cura eligitur, & pro fide Petri pr[illegible] prie supplicatur, tanquam aliorum status cert[illegible] futurus, si mens principis victa non fuerit. In [illegible] tro ergo omnium fortitudo munitur &c.* Quia [illegible] lus Petrus futurus erat totius Dominici Gregis [illegible] premus Pastor, satis fuit, si mens superioris n[illegible] posset deficere, nec errare, quia cum oves sequan[illegible] Pastoris ductum, si hic non erret, per rectos tram[illegible] tes incedent & oves: si ipsum Patres, qui genera[illegible] Concilio intersunt, simul in unum congregati, per[illegible] tinent ad oves Christi, tenentur & ipsi sequi supre[illegible] mum in militante Ecclesia pastorem, & ab i[illegible] propterea debent edoceri, & confirmari, quod [illegible] junctum fuit Petro, postquam Christus ei impe[illegible] vit à Patre æterno authoritatis infallibilitatem. Lu[illegible] 22. *Ego autem rogavi pro te, Petre, ut non defic[illegible] fides sua; & tu aliquando conversus confirma fra[illegible] tres tuos.* Episcopi in Concilio generali congreg[illegible] à Romano Pontifice vocantur fratres, quos propter[illegible] ea tenetur aliquando confirmare, quando in Con[illegible] cilio generali congregati, ea statuunt, quæ confor[illegible] sunt Sacris Scripturis, & bonis moribus; quod [illegible] injunctum fuit à Christo Petro confirmare fratres [illegible] & Concilium generale; debet necessariò authorita[illegible] Petri esse major, & supra Concilium: hinc B. Theo[illegible] dorus Studites in Epistola, quam direxit ad Pascha[illegible] lem Papam ait: *Audi Apostolicum caput, Pastor omnium Christi à Deo electe, Claviger Regni cœlorum, Petra fidei, super quam ædificata est Ecclesia Catholica. Huc ades ab Occidente, tibi namque di[illegible] xit Christus DEus noster: Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Cum igitur hoc duplex pri[illegible] vilegium fuerit Petro concessum, & impetratum [illegible] Christo ob bonum Ecclesiæ, & ut fratres suos con[illegible] firmaret à Sathana impugnatos, & hæc impugna[illegible] semper duret; oportuit ut & privilegium confir[illegible] mandi perseveret in successore Petri, in Christi Vi[illegible] cario, ac supremo Pastore Dominici Gregis, ad que[illegible] propterea etiamnum pertinet confirmare fratres [illegible] quia Patres in concilio generali sunt verè Christi oves [illegible] pertinet ad Romanum Pontificem eas confirmare.

Tertiò evinitur eadem assertio ex textu Joan. ult. *Cum prandisset, dicit Simoni Petro JEsus: Simon Joannis diligis me plus his? dicit ei, etiam Domine, tu scis, quia amo te: Dicit ei pasce agnos meos. Dicit ei iterum. Simon Joannis diligis me? ait illi: eti[illegible] am Domine, tu scis, quia amo te. Dicit: Pasce agnos meos. Dicit ei Tertio, Simon Joannis amas me? contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me? [illegible] ei dixit ei, Domine, tu omnia nosti, & quia amo te. Dixit ei, Pasce oves meas.* In hisce verbis est nota[illegible] dignum, illa verba: *Pasce oves meas* dirigi ad solum Petrum: cui cum Matthæi 18. promisisset officium supremi Pastoris, & Matth. 16. supremam jurisdictionem significatam per claves; hoc idem nunc præstat actualiter, quia solum Petrum Christus alloquitur; solum examinat de illius amore; & solus responsum accipit: *Pasce oves meas*, adeo ut reliquos Apostolos à summa, & monarchica potestate excludat, & inter oves Petro concreditas collocet, ut à Petro Doctrina pascerentur: erant enim præsentes Jacobus, Joannes, Thomas, quibus unum

Pe-

Petrum prætulit, cui officium injunxit pascendi suas oves, consequenter, & reliquos Apostolos, cum & ipsi fuerint oves Christi, cum enim Petrus reliquos Apostolos amore vicerit: *Simon Joannis diligis me plus his? etiam tu scis Domine, quia amo te*; ita enim vicit potestate, ac pascendi cura; & ita unanimi consensu docent Sancti Patres. Etenim per illam vocem *pasce* summam potestatem ac supremam curam pascendi dominicum gregem fuisse Petro commissam sentiunt Sancti Patres. Officium autem supremi Pastoris non tantum est oves pascere, sed etiam eas ducere, reducere, compellere, abigere, defendere à lupis, mederi, tondere, secare: proprie tamen pascere oves perinde est ex usitata phrasi scripturæ, ac jurisdictionem in eas exercere, iisdem præsidere; ac illas regere, ac gubernare, ut liquet ex textu Isaiæ 44. v. 28. *Qui dico Cyro, Pastor meus es tu*; unde Rex, quia populos regit, & jurisdictionem in ipsos exercet, dicitur Pastor; & functiones hujus mystici Pastoris describuntur Ezechielis 34. & David Psal. 2. *Reges eos in virga ferrea*, ubi textus græcus legit: *Pasces eos in timore*: eodem pacto Matth. 2. ubi textus latinus habet: *Exiet mihi dux, qui regat populum meum Israel*; Græcus legit: *qui pascat*. Deinde cum Christus absque ulla restrictione injungat Petro generatim, ut pascat suas oves *pasce oves meas* indicat injunctum ipsi officium pascendi omnes oves nemine excepta, cum nullas in specie notet, nec excipiat, omnes comprehendit, cum non sit major ratio de istis, quàm de illis, ut notat S. Leo Papa Serm. 3. de sua Assumpt. ubi ait: *de toto mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi sint Sacerdotes, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus proprie, quos principaliter regit & Christus; magnum, & mirabile dilectissimi, huic viro consortium potentiæ sua tribuit divina dignatio, & si quid commune cum eo cæteris noluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit.* Et Ezechiel videtur hoc prædixisse cap. 34. *Et suscitabo super eas Pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David, ipse pascet eas, & ipse erit eis in Pastorem.* Et Christus hæc idem expresse confirmat Joan. 10. *Ego sum Pastor bonus, & alias oves habeo, & fiet unum ovile, & unus Pastor*; hæc omnia tanquam de principali, & primario Pastore dicuntur de Christo, & de Petro, ejusque Successoribus, ut de Vicario principalis, ac primarii Pastoris, quia sicut ovile est perpetuum, ita oportuit, ut etiam Pastor foret in terris perpetuus & visibilis, ut sensu perciperetur ab ovibus, quæ ab ipso defenderentur à lupis inhiantibus earundem perniciei: & licet Christus absque visibili Pastore potuisset oves suas pascere, ac regere; non enim Deus ad producendos effectus ad extra indiget auxilio ullius creaturæ; sicut potuit se solo mundum condere, ita potuit se solo creaturas rationales illuminare, ac docere vias æternæ salutis, gratiam suam, & fidem elargiri; id tamen Deus solet præstare; & vult creaturas per alias creaturas regi, edoceri; Hinc quia voluit juxta ordines suæ providentiæ, ut oves seu fideles sui ovilis, seu Ecclesiæ regerentur, ac pascerentur per supremum Pastorem visibilem; & Christus non semper esset in terris visibiliter mansurus; & Petrus etiam esset brevi moriturus, ideo ne suas oves perseveraturas successivè in suo ovili, seu Ecclesia usque ad consummationem sæculi relinqueret sine Pastore: hoc officium sui vicariatus, seu supremi Pastoris ita concessit D. Petro Joan. 21. cum ei injunxit, ut suas pasceret oves, ut transiret in suos Successores canonicè electos, ut nunquam oves suo destituerentur visibili in terris Pastore.

Juvat nunc argumentari, illi in Ecclesia inest primaria authoritas, estque supra Concilium, cui à Christo injunctum est officium supremi Pastoris, ac Judicis, ut vices gereret in militante Ecclesia ipsius Christi: atqui hæc suprema potestas & officium supremi Pastoris vices gerentis Christi in Ecclesia militante non Concilio Generali, sed soli Petro tradita fuit à Christo, Joan. ult. *Petre, amas me plus his, pasce oves meas*, non Concilium interrogavit, er, si Christus amaret, non omnes Apostolos simul congregatos, sed ex Apostolis solum Petrum cujus amorem cognovisset, ei soli injunxit officium supremi Pastoris, & ut esset in militante Ecclesia, ejus Vicarius, & non solum Petro hoc injunxit officium, sed etiam suis Successoribus canonice electis cum enim Petrus esset brevi moriturus, & Christi ovile perseveraturum usque ad consummationem sæculi, ne oves remanerent sine Pastore, debuit & Pastor perseverare, visibiliter in Ecclesia, sed non potuit perseverare in Petro, qui brevi erat moriturus, ergo perseverat in suis Successoribus canonicè electis; & sicut, oves non regunt, sed reguntur, non pascunt Pastorem, sed pascuntur; non eum ducunt, sed ducuntur ab eo; non sunt supra Pastorem, sed eidem subjiciuntur, & ei obediunt, ita summus Pastor, seu Romanus Pontifex non est infra, sed supra Concilium, non judicatur, nec regitur à Concilio, sed ipse judicat, approbat, confirmat, vel reprobat ipsum Concilium, quamvis Generale, sicut reprobavit Ariminense, & plura alia, quæ Paulo superius innuimus, ergo evidenter constat Romanum Pontificem esse supra Concilium. Minor & consequentia tenent, major ostenditur, quia eo ipso quod Christus constituit suum Vicarium in regimine militantis Ecclesiæ Petrum, & suos Successores canonicè electos, sequitur eidem dedisse supremam authoritatem, adeo ut nulla in Ecclesia sive in Conciliis congregata, sive extra Concilia sit potestas superior illa Romani Pontificis, alioquin non esset suprema, quia supra illam daretur alia prior.

Tum quia si Christus visibiliter regeret Ecclesiam, & adhuc viveret in terris, procul dubio ejus potestas esset suprema, & supra omne Concilium Generale, sed Romanus Pontifex vicem gerit ejusdem Christi, & utitur eadem prorsus authoritate ipsius Christi; est enim de ratione Vicarii, uti eâdem potestate sui Principalis, quia hic suam authoritatem tunc concedit Vicario, ut possit illa uti, quemadmodum prorex utitur eadem authoritate, quæ Regi inest, ergo Concilium non est supra, sed infra Romanum Pontificem.

Tum quia vel Episcopi, qui congregati constituunt Concilium Generale, sunt oves Christi, aut ovile; vel sunt Pastores universæ Ecclesiæ, adeo ut licet seorsim, & sejunctim sint Pastores Ecclesiarum particularium, & quisque in sua propria Diœcesi tantum, simul congregati, & uniti sumpti in Concilio Generali, sunt Pastores universæ Ecclesiæ, proinde Concilium Generale sit supremus Pastor dominici ovilis, ac totius Ecclesiæ: si dicantur esse oves aut ovile: ergo supra se necesse est habeant unum visibilem Pastorem, cui subsint, obediant, & quem sequantur, & hic Pastor non potest alius esse nisi Romanus Pontifex verus Petri Successor, nisi dicantur esse oves sine Pastore; quo pacto non essent oves Christi, quia Christus suis ovibus Pastorem dedit D. Petrum, ejusque Successores, Joan. ult. *Pasce oves meas*: hoc est, quotquot sunt meæ, tibi injungo officium

ficium eas pascendi, quia tu earum es Pastor; & quas non pascis, non sunt meæ oves.

Si dicatur Episcopos ex se seorsim, & singillatim esse oves Christi, non vero conjunctim in Concilio Generali, quia tunc constituunt Concilium Universale, quod est supremus Pastor in Christi ovili seu Ecclesia. Contra est, quia sunt plures Pastores, quomodo possunt constituere unum Pastorem, & si constituunt unum Pastorem, quomodo omnes Christi oves fuerunt à Christo Petro datæ, *pasce oves meas*, id est, omnes quotquot sunt meæ, & si tot oves excipiuntur à cura Petri, quot sunt Episcopi in Concilio Generali congregati, quomodo omnes pascuntur à Petro, seu Romano Pontifice, si tot oves, quot sunt Episcopi congregati in Concilio Generali pascunt, & judicant Romanum Pontificem, seu supremum Pastorem.

Dices Episcopos in Concilio posse dupliciter considerari, singillatim, quatenus sunt plures personæ distinctæ, & ut simul unitæ constituunt unum corpus mysticum, seu Concilium Generale, & sub prima consideratione esse ex Christi ovili, nec posse ab illo se eximere, ut autem constituunt Concilium Generale, pertinent ad Pastorem supremum, quem constituunt, & repræsentant.

Sed contra, quia neque si considerentur secundo modo, ut constituunt Concilium Generale, possunt esse Pastores totius Dominici gregis, quia ille tantùm est verus & supremus Pastor, cui Christus officium supremi Pastoris injunxit, hoc autem officium non injunxit Concilio, neque Episcopis in Concilio congregatis, ut constituunt unum corpus mysticum, sed soli Petro, cui post trinam interrogationem, an Christum amaret, postea ei injunxit pascere suas oves: *Petre, amas me? pasce oves meas.* Quod verò hoc officium pascendi oves Christi injunctum fuerit proprie Petro, liquet ex verbis Christi, ait enim: *Simon Joannis diligis me plus his*, non solum proprio nomine eum vocat, sed etiam exprimit nomen Patris, ne ullum suboriretur dubium suspicandi hoc officium, non fuisse soli Petro concessum. Ergo solus Petrus & ejus Successores canonicè electi, non verò Concilium est Pastor, alioquin non posset intelligi, quomodo tot Pastores, quot sunt Episcopi in Concilio essent unus Pastor. Tum quia vel Concilium hanc potestatem pascendi ipsum Pastorem, seu Romanum Pontificem accepit à Christo vel non, si non accepit, ergo non habet; si accepit debet ostendi quando, & quo loco illam potestatem acceperit, & quis ex Evangelistis, & in quo loco dicat Concilium accepisse à Christo hanc potestatem, nullibi enim reperitur, Christum dixisse Concilio Generali, pasce Petrum, & ejus Successores; quod si non debent Jurisconsulti loqui sine lege, multo minus Theologi in hisce controversiis absque Evangelio. Rursus nullibi in scripturis reperitur, quod Episcopi ut simul congregati in Concilio Generali, & unitim sumpti, seu collective constituant supremum Pastorem, non enim in re tanti momenti, perinde ac in quæstione aliqua Philosophica ingenii exercendi causâ debet distinctio excogitari ad enervandam veritatem clarè expressam in sacris scripturis, & præsertim, quæ repugnet verbis sacræ scripturæ; etenim ex Sanctis Patribus, & communi omnium sensu Pastoris officium est, oves non tantum palantes, vagasque, verùm etiam collectas custodire, & pascere, ergo tametsi Episcopi considerentur, ut congregati in Concilio, & simul collective sumpti, adhuc sunt oves Christi, consequenter subjiciuntur supremo Pastori seu Romano Pontifici.

Præterea quia si hæc distinctio de Episcopis seorsim, & simul sumptis aliquid haberet momenti, probaret etiam singulos Episcopos esse minores & subjici Sacerdotibus simul in Concilio Diœcesano congregatis; quia tametsi Episcopus sit major quovis sacerdote in sua diœcesi seorsim sumpto, si tamen omnes simul congregentur in Synodo Diœcesana, posset hæc Synodus vocari Pastor totius Diœcesis, & ab eo posset pari pacto Episcopus judicari, & leges accipere ab eadem Synodo Diœcesana, quod est absurdum; sicut enim se habet Episcopus ad Sacerdotes, perinde Pontifex ad Episcopos.

Insuper quando Christus commisit Petro officium supremi Pastoris, & ut suas oves pasceret, tunc id actualiter præstitit, quod antea promiserat Matth. 18. Sed promiserat supra Petrum non Ecclesias tantum particulares ædificare, sed totam, & universalem Ecclesiam; Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni cœlorum; quando enim Pontifex mittit suum Legatum à latere in aliquam Provinciam, tunc ei subjicit fideles omnes, quotquot sunt in eadem Provincia sive considerentur seorsim, sive conjunctim, adeo ut nulla in Concilio illius Provinciæ sit potestas in Legatum Pontificis. Præterea ex eo, quod omnes, quotquot sunt in Regno, subjiciuntur Regi, sequitur, quod totum regnum, seu quotquot sunt subditi, etiam collectivè sumpti subjiciantur Regi, tenenturque eidem obsequi; ridiculum enim esset asserere singulos unius exercitus milites subjici Imperatori, & non totum exercitum. Plura alia possent afferri exempla, quæ ostendunt absurditatem illius distinctionis adhibitæ ab Adversariis, ut evincant Concilium esse supra Romanum Pontificem, cum è converso Concilium Generale subjiciatur Romano Pontifici, ut communiter docent Sancti Patres, hinc D. Bernardus lib. 3. de considerat. cap. 7. alloquens Romanum Pontificem ait: *Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii cœli Janitores, & gregum Pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent sibi adsignatos greges singuli singulos, tibi universi crediti uni unus: nec modo ovium, sed & Pastorum tu es unus omnium Pastor, unde illud probem, quæris? ex verbo Domini, cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorũ sunt absolutè, & indiscretè omnes commissæ oves, si me amas Petre, pasce oves meas. Quas? illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi Regni? oves meas inquit, cui non planum non designasse aliquas, sed assignas se omnes? nihil excipitur ubi distinguitur nihil. Et forte præsentes cæteri Condiscipuli erant cum committens uni unitatem omnibus commendaret in uno grege, & uno Pastore secundum illud, una est columba mea, perfecta mea. Ubi unitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed divisionem recedentes ab unitate, inde est, quod alii singuli singulas sortiti sunt plebes scienter Sacramentum. Denique Jacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ una contentus est Jerosolyma Petro universitatem cedens, pulchrè vero ibi positus est suscitare semen defuncti fratris, ubi occisus est ille, nam dictus est frater Domini. Porro cedente Domini fratre quis se alter ingerat Petri prærogativa? ergo juxta canones tuos alii in partem sollicitudinis; tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus; tua extenditur, & in ipsos qui potestatem super alios acceperunt.*

CAP. XIII.

# CAP. XIII.

## Minoritas Concilii Generalis respectu Papæ evincitur ex ipsismet Conciliis Oecumenicis.

PRobatur hæceadem assertio ex ipsis Conciliis testificationibus majoritatem Pontificis super ipsa; etenim Anno Domini 324. & Constantini Magni 19. Romæ in thermis Traiani celebrata fuit Synodus à Sylvestro Papa, cui interfuit Imperator recens lustrali Baptismi aqua ablutus, ut etiam ejus Mater Helena, & ex Episcopis Græcis, & Latinis 284. in quo Concilio cap. ult. definitum fuit, *Romanum Pontificem, omnium mortalium Judicem, à Nomine judicari posse. Imò ne quidem à Clero simul congregato*, seu à Concilio Generali, quia Clerus nonnisi in Concilio Generali colligitur ad judicium ferendum; hoc autem decreto manifestè afferitur, Concilium generale subesse Romano Pontifici, ut supremo Dominici Gregis Pastori, ecce, quomodo ab initio Ecclesiæ ubi Martyrum sanguis adhuc fundebatur, & persecutiones sæviebant in fideles, seu eo tempore, quo nulla aderat adulationis suspicio, neque dominatûs libido pulsabat pectora Ecclesiasticorum Concilium compactum ex Episcopis Græcis, & Latinis hanc veritatem declaravit, ait enim cap. ult. *Nemo dijudicet primam sedem, quoniam omnes sedes à prima sede justitiam desiderant temperari. Neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo Judex judicabitur*, & hunc canonem subscripserunt 204. Episcopi, & 45. Presbyteri, & quinque Diaconi, & Augustus Constantinus, ejusque Mater Helena, & Sylvester Papa hunc canonem in Urbe Roma fixit, & omnibus Episcopis aspersit 3. Kalend. Junii, & habetur Tom. 1. Concil. & meminit hujus Canonis Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperatorem.

Anno 325. Indicta fuit prima Nicæna Synodus Oecumenica, quæ protracta fuit in annum tertium, cui interfuerunt Episcopi trecenti & octodecim sanctitate, & doctrina illustres, & præsederunt nomine Sylvestri Papæ Romani Pontificis ejus Legati, Osius Episcopus Cordubensis, Victor & Vincentius.

Romani Presbyteri, cui etiam adfuit Constantinus Imperator. Causa indicendæ hujus Synodi hæresis fuit Ariana, quæ per totum orientem grassabatur, & etiam error Quartadecimanorum, qui vestigiis hærentes Judæorum Pascha non die Dominico, sed Luna decima quarta in quamcunque diem incidisset, celebrari censuerunt, & in hoc Concilio plura fuisse à viris sanctis patrata miracula referunt Historici illius temporis, & Nicephorus lib. 8. cap. 23. mortuis ante subscriptionem duobus Episcopis Chrysantho, & Musonio ad illorum sepulchrum volumen canonum delatum fuisse, ut si à Patribus sancita Deo cordi essent, Ipsi quoque subscriberent: & ne fraus aliqua fieret libro, fuerunt sigilla apposita; interim Patres per totam noctem preces Deo fuderunt, ut si sancita in tali Concilio essent juxta ejus voluntatem, permitteret, juberetque binos illos Episcopos mortuos subscribere, quæ reliqui Episcopi subscripserunt. Quidni sequenti die intactis deprehensis sigillis subscriptio defunctorum inventa est hisce verbis: *Chrysanthus & Musonius quamvis è corpore translati, manu tamen propria nos quoque libello subscribimus:* narrat hanc historiolam etiam Gregorius Presbyter Cæsariensis in orat. de magna Nicæna Synodo apud Lipomanum Tom. 6. & legitur etiam in Actis Concilii Nicæni *Tom.* 1. *Concil. lib.* 4. hinc liquet hanc primam Nicænam Synodum & legitimam fuisse à Romano Pontifice indictam, cui etiam mediatè per suos Legatos præsedit, & à Deo per miracula approbatam imò & Patres Epistolam Synodalem direxerunt ad Sylvestrum Papam, cui etiam transmiserunt acta Concilii & rogârunt, ut indicto Romæ Concilio ea confirmaret, censuerunt enim Patres Nicænæ Synodi à Romano Pontifice, ut supremo Pastore, debere Synodum authoritatem suam infallibilem expectare Epistola sic habet: *Beatissimo Papæ Urbis Romæ, Osius Episcopus Cordubensis, & Matarius Episcopus &c. quoniam omnia corroborata divinis mysteriis Ecclesiastica utilitatis quæ ad robur pertinent sanctæ Ecclesiæ Catholicæ explanata, & de Græco reddita scribere consitemur: nunc itaque ad vestræ sedis argumentum accurrimus roborari. Itaque censeat vestra Apostolica doctrina Episcopos totius vestræ Apostolicæ Urbis in unum convenire, vestramque habere Concilium ut firmetur nostra sanctimonia gradusque fixos, vel textus ordinationis, tua sanctimoniæ nostra possit habere regula. Quidquid autem constituimus in Concilio Nicæno, precamur vestri oris consortio confirmetur.* Lectis Romæ, & exactè examinatis actis Nicænæ Synodi Sylvester Papa Concilium Romanum indixit, cui interfuerunt Episcopi Latini ex Occidente, qui iterum una cum Sylvestro examinârunt Nicænæ Synodi acta, & Romanus Pontifex ea approbavit, & confirmavit, & anathemate percussit credentes aliter, quàm explanatum fuerit in Nicæna Synodo, ut constat ex Concilio Romano posito post Nicænam Synodum Tom. 1. Concil. Inter canones igitur Nicænæ Synodi 19. & 29. sic habet: *Non debent præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari. Omnes Episcopi qui in quibusdam gravioribus pulsantur, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam appellent sedem, & ad eam quasi ad matrem confugiant, ut ab ea, sicut semper fuit, fulciantur, defendantur, & liberentur, cujus dispositioni omnes majores Ecclesiasticas causas antiqua Apostolorum eorumque successorum, atque canonum authoritas reservavit.* Unde Concilium Oecumenicum expressè fatetur, posse Episcopos à sententia Concilii appellare ad Romanum Pontificem, ut supremum judicem in controversiis fidei. Canones primæ Nicænæ Synodi esse legitimos, & antiquati notissimos, liquet ex epistolis 1. & 2. lib. 1. quas direxit ad Synodum Antiochenam, & ex Epistola Liberii successoris Julii ad Athanasium, aliosque Episcopos Alexandriæ congregatos.

Neque dicas præfatum canonem non reperiri in viginti à Ruffino collectis etenim certum est, Nicænos Canones fuisse septuaginta, ut constat ex Epistola S. Athanasii ad Marcum, qui in Pontificatu successit Sylvestro, & etiam in responsoria ejusdem Marci ad Athanasium, ut etiam ex epistola 2. Julii I. ad Synodum Antiochenam, ex quibus liquet, Ruffinum non collegisse omnes canones Nicænæ Synodi, unde ex eo, quòd non reperiantur in viginti ab ipso collectis inde non sequitur

sequitur non fuisse editos à Nicæna Synodo.

Quod si Prima Nicæna Synodus definit, Romanum Pontificem esse super omnes populos & cunctam Ecclesiam Christianam formaliter à fortiori definit esse supra Concilium generale, quod nonnisi repræsentativè dicitur esse Ecclesia universalis & si respondeant adversarii totam potestatem & authoritatem papalem inesse Concilio universali etiam ut distincto à Papa, inde sequeretur Concilium non indigere approbatione nec confirmatione Romani Pontificis ut infallibilis esset authoritatis, unde non esset opus ut tam anxiè, tantoque apparatu Concilia generalia rogarent, & peterent confirmari à Romano Pontifice, minor enim non confirmat voluntatem & præceptum majoris, sed è contra major, & superior approbat, & confirmat acta inferioris; confirmatio enim arguit in confirmante superioritatem, ut constat in omnibus electionibus, alienationibus, & testamentis, quæ ut valida sint, indigent confirmari à superiori ergo ex eo, quòd Concilium generale, ut suam habeat authoritatem debeat à Romano Pontifice confirmari, & quotquot Concilia generalia non fuerunt approbata, nec confirmata à Romano Pontifice nullius fuerunt authoritatis sequitur Concilium non esse supra sed infra Pontificem. Quod verò Pontificiæ confirmationes non fuerint tantum particulares, & ad melius esse, sed planè necessariæ & authoritativæ, patet ex ipso contextu *in cap. regula dist.* 17. ubi Julius Papa in epist. pro Athanasio ad Orientales centum est viginti novem Episcopos ait: *Regula vestra nullas habet vires, nec habere potest, quoniam nec ab Orthodoxis Episcopis hoc Concilium actum est, nec Romanæ Ecclesiæ Legatus interfuit, canonibus præcipientibus sine ejus authoritate Concilia fieri non debere, nec ullum ratum est, nec erit unquam Concilium quod non fultum fuerit ejus authoritate.*

Hoc idem asserit Leo II. epist. ad Constantinum quæ habetur ad finem sextæ Synodi generalis; ex quibus constat fuisse invalida, & illegitima ea omnia generalia Concilia, quæ authoritate Romani Pontificis non fuerunt convocata, neque confirmata; hinc Osius Romani Pontificis Legatus ex sententia Sylvestri Papæ in prima Nicæna Synodo omnia Arianæ hæresis capita prætruncavit, & damnavit, ut refert Athanasius in epist. ad solitariam vitam agentes: & tunc recitato symbolo, quod postea ab hoc Concilium Nicænum nuncupatum est, & expressa consubstantialitate Filii cum Patre hæresis Ariana damnata fuit, scilicet à Romano Pontifice per suos Legatos ex quibus semper magis constat Concilium generale non esse supra sed infra Romanum Pontificem, quia dat normam, & authoritatem Concilio præfigit limites, intra quos contineri debeat, quæ omnia superioritatem indicant, hinc exclamat sanctus Hilarius in Matth. can. 16. *O beatus cœli janitor cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata authoritas sit in cœlo.* Quod si præjudicata authoritas Papæ est in cælis, multò magis in Concilio.

Hanc inferioritatem Concilii Oecumenici respectu Romani Pontificis exploratam etiam habet ac fatetur secunda Synodus Oecumenica, quæ fuit prima Constantinopolitana à Damaso Papa indicta sub Theodosio Magno Imperatore, cui interfuerunt Episcopi Orthodoxi 150. Ariani & Macedoniani 26. ut refert Nicephorus in histor. Eccles. causa hujus Synodi indicendæ præcipua fuit, in Nicæna confirmaretur, & ut Macedoniani authoritate hujus Concilii in ordinem reducerentur. Hanc Synodum fuisse authoritate Damasi Papæ convocatam refert Baronius ad hunc annum in gestis Damasi, & patet etiam ex Damasi epistola apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. & lib. 5. cap. 9. & rursus hanc eandem œcumenicam Synodum fuisse confirmatam authoritate Damasi quoad ea, quæ ad fidem pertinent, refert Phocius in libello de septem Synodis. In hac igitur Synodo ex pluribus capitibus apparet, Concilium generale non esse supra, sed infra Romanum Pontificem. Primò ex canone 5. in quo post Romanum Pontificem primus locus tribuebatur Episcopo Constantinopolitano contra privilegium Episcopi Alexandrini quem propterea canonem Romanus Pontifex non approbavit, nec confirmavit, sed expresè reprobavit, ut legitur in epistol. 53. Leonis I. Papæ ad Pulcheriam Augustam, & Marcianum Imperatorem, & habetur in actis Chalcedonensis tom. 2. Concil. quamvis post plura sæcula publicæ pacis causæ Innocentius III. hoc privilegium concesserit Patriarchæ Constantinopolitano, ut habetur *cap. antiquæ de privileg.* Quod si Pontifex reprobavit, & rejecit canonem editum à Concilio generali, necesse est, fateamur authoritatem Papæ non esse infra, sed supra Concilium, & hoc Papæ subjici, alioquin non potuisset Papa corrigere semel constitutum à Concilio generali; hinc in fine hujus Concilii habetur Damasus ad examinanda Constantinopolitanæ Synodi acta pro Ecclesiæ Romanæ more, & authoritate Romæ Concilium indixerat, ad quod & Orientales evocati Legatos cum purgatione miserunt.

Neque videri debet quid novi, cum etiam in Nicæna prima Synodo hoc idem contigerit, ut acta Concilii examinarentur priùs à Pontifice, & postea confirmarentur, ut habetur in præcitata Epistola Synodali ejusdem Concilii. Quod si Pontifex examinat acta Concilii ut illa confirmet, & sua authoritas in ipsa redundet, sequitur Concilium esse infra non supra Pontificem: siquidem ad inferiores, & subditos non pertinet examinare leges superioris, ut eas admittat, vel repellat, sed ad ipsos pertinet simpliciter observare leges à superiore sancitas. Rursus si Romanus Pontifex examinat prius acta Conciliorum generalium, antequam ea confirmet; supponit Concilia posse errare in definiendis controversiis fidei ad eum enim finem acta Conciliorum examinantur, ut si qui irrepserunt errores, corrigi possint, quæ enim certa sunt, & infallibilia, non est opus examinentur, ergo Concilium non est supra, sed infra Papam, cujus examen est decretorium, & ultimum nulli obnoxium errori alioquin indigeret, & ipsum à Concilio examinari, & iterum Concilium à Papa, sicque procederetur in infinitum. Tum quia acta Synodalia indigent necessariò examinari, & approbari, adeo ut ante examen & approbationem nullius sint authoritatis, ut habetur in Concilio Romano in libello Synodico apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. ubi habetur: *siquidem numerus Episcoporum, qui erant Arimini præjudicii vim habere non debet, præsertim cum formula illa neque Episcopo Romano, cujus sententia præ cœteris omnibus expectanda erat, neque Vincentio, nec aliis eidem consentientibus, itaque vestra integritas manifestè videt, hanc fidem solam, qua authoritate*

*Aposto-*

*Apostolica Nicae stabilita est* , *perpetuò tenendam esse*. Præterea quia Damasus Papa prævenit judicium Concilii Constantinopolitani , & prædamnavit hæreses Sabellii , Macedonii & Eunomii , quod non fecisset, si Concilium esset supra Romanum Pontificem , ut constat ex libello data ad Paulinum Episcopum in quo anathematizat eorum hæreses , & hic libellus habetur tom. 1. Concil. ante Concilium Constantinopolitanum. Jussit deinde suam sententiam & censuram per omnes Orientales Ecclesias promulgari:& publicari,ergo Concilium est infra non supra Papam, alioquin hic non potuisset in dirimendis controversiis fidei concilii sententiam prævenire, neque definitio ab ipso emanata cum dogmatis obtinuisset, vim sit de ratione dogmatis fidei omne dubium excludere.

Tertia ibidem Oecumenica Synodus Ephesi coacta eam Concilii generalis minoritatem, ac inferioritatem respectu Romani Pontificis fatetur. Causa hujus Ephesinæ Synodi indicendæ fuit hæresis Nestorii Episcopi Constantinopolitani,qui negabat Virginem Mariam esse vocandam Deiparam, eò quia asserebat duas in Christo esse hypostases seu personas , & negabat Deum uniri humanitati secundùm substantiam , sed tantum secundùm dignitatem, & authoritatem ac propterea docuerit Beatam Virginem peperisse filium naturâ purum hominem, sed dignitate , & authoritate divinum interfuerunt huic Ephesinæ Synodo Episcopi supra ducentos, imò ut refert Cyrillus epist. 34. quasi trecenti, & indicta fuit authoritate Cœlestini I.summi Pontificis suasu Theodosii junioris, ut ex actis constat. Adfuerunt Concilio Imperatoris Theodosii legati Irenæus,& Candidianus Comites , non tamen, ut suffragium ferrent nomine Imperatoris,nec proprio in fidei controversiis dirimendis, sed ut violentias, & fraudes impedirent, ut scripsit ipse Theodosius Imperator ad Patres Ephesinæ Synodi , quæ epistola habetur in actis *Tom*, 1. *Concil. cap.* 32. & huic Concilio præsedit Romanus Pontifex mediatè seu mediante suo legato qui fuit Cyrillus Episcopus Alexandrinus, qui & mitram Pontificiam, & titulum judicis universi orbis à Cœlestino accepit, cujus personam gerebat, ut refert Nicephorus *lib.* 14. *cap.* 34. Addidit Cœlestinus alios etiam Legatos Arcadium , & projectum Episcopos , & Philippum S. R. Ecclesiæ Presbyterum qui ultimus ante legatos Episcopos Synodo subscripsit , eò quia esset Legatus à latere Romani Pontificis , qui cœteris solet præcedere , ut fuit definitum in Concilio Sardicensi cap. 7. alii verò repræsentarunt totum Patriarchatum Romanum totamque Ecclesiam Occidentalem , ut narrat Spondanus ad annum 431. num. 13. In hoc enim Concilio damnatæ fuerunt hæreses Nestorii , & Pelagii , & quidem Nestoriana tanto populorum gaudio, & plausu, ut Patres Concilio egressi veluti in triumpho ducerentur, & tunc salutationi Angelicæ additæ fuerunt verba illa: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis* , & Nestorio in exilium misso Pulcheria Virgo Augusta amplissimum templum Deiparæ jussit extrui , & ad omnem elegantiam ornari.

Plura in hoc Concilio contigerunt , quibus Concilium deprehenditur esse infra,non supra Romanum Pontificem. Primò quia Cœlestinus non expectata Patrum sententia Nestorium ejusque opiniones , ut hæreticas prædamnavit , idque ad imitationem beati Petri , qui in confessione divinitatis verbi divini in electione S. Matthiæ in abrogatione Legi Mosaicæ prævenit aliorum Apostolorum suffragia Matth. 16. Actor. 1. Act. 15. Secundo quia eidem Concilio regulam præscripsit,juxta quam deberent de controversiis fidei judicare , & non aliter : quatenus cum ipse jam damnasset ut hæreticum Nestorium , ejusque doctrinam falsam , & hæreticam , deberent Patres in Concilio ut talem eam judicare , & Nestorium proclamare ut hæreticum. Quod Romanus Pontifex non fuisset supra Concilium , & hoc illi subjiceretur, non potuisset has leges Concilio imponere , nec Patres coarctare ad ita judicandum , & dirimendam controversiam , adeo ut non possit Nestorius ampliùs absolvi , eo quia jam fuerit à Papa judicatus cujus authoritas est infallibilis , si doceat è cathedra omnes fideles ; quod præscripserit has leges Concilio habetur in actis Concilii Ephesini 2. c. 15. Rursus Romanus Pontifex in eadem Synodo dicitur caput totius Concilii , & Patres membra ejusdem : Legatus siquidem Apostolicus absoluto Concilio gratias agens Patribus dixit : *quod sanctis suis vocibus , piisque praconiis sancta Ecclesia membra sancto suo capiti se exhibuerint* : caput autem non est infra , sed supra reliqua corporis membra.

Præterea in eadem Ephesina Synodo damnata itidem fuit hæresis Pelagiana juxta commentaria , quæ Romæ à Cœlestino Papa fuerant scripta, & ab eodem ad Synodum transmissa , ut Patres non aliter judicarent , quàm Papa in iisdem suam expresserit sententiam , ut habet tom. 4. Concil. in Concilio Ephesino cap. 13. & in Epistola Synodali apud Cyrillum 12. & ut refert Evagrius lib. 1. histor. cap. 4. ipsummet Concilium ex mandato Cœlestini Papæ hæc protulit verba: *Tum Ecclesia canonibus , tum epistola sanctissimi Patris nostri Cœlestini episcopi Ecclesia Romana necessario compulsi , idque non sine crebris lacrymis ad hanc severam sententiam contra eum pronunciandam venimus*, notanda sunt verba illa *necessario compulsi* , quia cum Patres novissent authoritatem infallibilem Romani Pontificis in dirimendis controversiis fidei , non potuerunt ullo modo defendere , neque absolvere, quem ut hæreticum Romanus Pontifex docens è Cathedra omnes fideles jam damnaverat. Hinc Gennadius de Scriptor. Eccles. cap. 54. testatur *Cœlestinum Papam decreta Synodi adversus Nestorium dictasse , volumenque descriptum ad orientis , & Occidentis Ecclesias dedisse*. Demum quia Romanus Pontifex in hac generali Synodo voluit suum legatum appellari summum orbis universi judicem , proinde etiam ipsius Concilii ut refert Nicephorus lib. 14. capit. 34. Quod si Legatus Pontificis est judex Concilii , multo magis ipse Pontifex erit supra Concilium , & judex ejusdem.

Quarta Oecumenica Synodus primò Nicæam indicta , postea Chalcedone habita authoritate Leonis Papæ ad preces Marciani Imperatoris anno 441. hanc eandem Romani Pontificis superioritatem in totam Ecclesiam formaliter sumptam , & in Concilium repræsentativè etiam confitetur, seque Romano Pontifici subjicit tota Synodus , cui interfuerunt sedis Apostolicæ quinque Legati, Paschasinus, Lucentius, Bonifacius, Basilius , & Julianus, & Episcopi 630. quinimò interdum etiam interfuit Marcianus Impera-

Imperator,& Pulcheria Augusta non ut se immiscerent controversiis fidei, sed ut Concilio faverent, turbulentias removerent, ac tranquillitatem promoverent. Huic Concilio indicendo causam dederunt hæresis Euthychiana, & Dioscorus Alexandrinus Episcopus. Eutyches enim, dum adversus Nestorium non ratione neque scripturarum authoritate, sed cæco quodam impetu ageretur, in aliam impegit hæresim, qua docuit, in Christo non fuisse duas naturas, sed unam tantùm humanitate consummata, & Deum ex Maria Virgine instar radii ex pellucida chrystallo elapsum potius, quàm natum, ubi enim Nestorius docuit Beatissimam Virginem peperisse Filium naturâ purum hominem, & tantum authoritate divinum, è converso Eutyches voluit, in Christo non fuisse duas naturas, & Beatam Virginem solum Deum peperisse, sed ex ipsa fuisse elapsum instar radii ex pellucida Chrystallo. Dioscorus etiam non solùm Eutychianam hæresin in secunda Ephesina Synodo confirmaverat, verùm etiam temerario ausu anathematizavit Romanum Pontificem. Hinc Synodus Chalcedonensis, utrique malo opportunum exhibitura alexipharmacum hæresin Eutychetis damnavit, & Dioscori audaciam coercuit. Fuit hæc Chalcedonensis Synodus approbata, & confirmata à Leone Romano Pontifice, ut constat ex subscriptionibus Legatorum, & epistolis, ejusdem Synodi 57. & sequentib. quæ leguntur tom. 2. Concil. ante Concilium Chalcedonense.

Quod verò Oecumenica Synodus se subjecerit Romano Pontifici, quem ut superiorem, ac supremum Pastorem totius Ecclesiæ, & Concilii generalis fuit reverita, ex eo patet: quia voluit Synodus hæc formam sibi à Papa præscriptam sequi & jussui Pontificis parere. Scripserat Pontifex ad Synodum, Eutychetem, & Dioscorum jam fuisse à se Romæ prædamnatos, proinde Patres Concilii deberent, & ipsos damnare, & proscribere, quod absque ulla difficultate præstiterunt, scientes authoritatem Romani Pontificis docentis fideles è cathedra esse veritatis infallibilis, cui tenentur omnes fideles, & Concilia generalia acquiescere; & ne videamur sine fundamento loqui, proderit adferre fragmentum ejusdem Epistolæ Leonis ad Concilium Chalcedonense & est Epistola 45. ubi scribit: *Fraternitas vestra me Synodo existimet præsidere, qui nunc in Vicariis meis adsum, & jam dudum in fidei Catholicæ prædicatione non desum, ut, qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare, quid cupiamus. Unde fratres charissimi rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam non liceat defendi, quod non liceat credi, cum secundùm evangelicas authoritates, secundùm Propheticas voces, Apostolicámque doctrinam plenissimè & lucidissimè per literas, quas ad beatæ memoriæ Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Incarnationis Domini nostri pia & sincera confessio.* Ubi Leo Papa ut caput & supra Concilium injungit eidem leges ut Patres rejiciant audaciam disputandi de controversiis jam à Romana sede decisis, eò quia non licet propugnare, quod ipse ut Hæreticum damnavit, & quid sentiendum sit de Verbi Divini Incarnatione jam ipse Leo declaraverat: proinde teneri Synodum eidem acquiescere: quæ omnia procul dubio majoritatem in Pontifice supra Concilium Oecumenicum declarant, adeo ut constet, Concilium quantumvis universale non esse supra, sed infra Romanum Pontificem Christi Vicarium in militante Ecclesia.

Rursus Concilium subjici Romano Pontifici, constat ex alia epistola 33. ejusdem Leonis Papæ ad Pulcheriam Augustam, ubi ait: *Simplex enim est, atque absolutum, quod possunt, ut remoto longarum disputationum labore Cyrilli Alexandrini Episcopi epistola, quam ad Nestorium miserat acquiescat, & epistolæ mea, qua ad Flavianum Episcopum est directa, consentiat, quia & mea, & sanctorum Patrum de incarnatione Domini concors per omnia, & una confessio est, quam si quis existimaverit non sequendam, ipse se à compage Catholicæ unitatis abscindet, cum tamen nos, ut in integrum omnia revocentur, optemus.* Iterum præcipit, ut Oecumenica Synodus consentiat, ut acquiescat sententiæ Romani Pontificis de dominica incarnatione, eò quia per omnia concors sit sententiæ Sanctorum Patrum, quòd si quis tantæ fuerit audaciæ, ut velit in Concilio eam impugnare, vel illi non acquiescere, sciat, se à Catholica Ecclesia, & fide abscindere seque extra fidelium communionem constituere. Eodē tenore scripsit Leo ad Marcianum Imperatorem *epist.* 40. & 41. & omnes hæ epistolæ habentur, & leguntur in actis Concilii Chalcedonensis *tom. 2. Concilior.*

Quòd verò Synodus Chalcedonensis legem sibi à Leone Romano Pontifice præscriptam habuerit in veneratione, & in omnibus acquieverit ejus mandatis, ac leges sibi præscriptas servaverit, liquet ex ipsa Synodo, quæ actione 2. in fin. communi Patrum consensu dixit: *Hæc Patrum fides: hæc Apostolorum fides: omnes ita credimus, Orthodoxi ita credimus. Anathema qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est.* Ecce, quomodo Patres Oecumenicæ Synodi se subjiciant Romano Pontifici, cujus sententiam, ut infallibilem, & Apostolorum fidem sequuntur, unde non Concilium est supra Papam, sed Papa supra Concilium, cui præscribit leges, & præcipit, quomodo in dirimendis fidei controversiis debeant se gerere: & Act. 1. Ejusdem Concilii Paschasinus Romani Pontificis Legatus ita fuit locutus: *Beatissimi, atque Apostolici viri Papæ urbis Romæ quæ est caput omnium Ecclesiarum præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc nos observare necesse est.* Imperat Romanus Pontifex per suum legatum Concilio Generali ut non permittat Dioscorum Archi-Episcopum Alexandrinorum sedere in Concilio cum aliis Patribus, neque suffragari, sed tantum intromittatur, ut possit à Patribus audiri: sin autem Concilium Generale esset supra Pontificem, non posset Papa ei dem imperare.

Rursus Lucentius ut Vicarius sedis Apostolicæ hoc idem repetere voluit inquiens: *Non patimur. tantam incuriam, nec vobis fieri, nec nobis, ut iste sedeat, qui judicandus advenit. quia Synodum ausus est facere sine authoritate sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, quod nunquam factum est.* Dioscorus, quia pati non potuit se à Romano Pontifice hæresis nota fuisse inustum, ex suis Episcopis Suffraganeis aliisque finitimis Concilium coëgerat in Oriente, in quo anathemate Romanum Pontificem percussit, eúmque à communione fidelium exclusit, & ideo citatus fuit ut reus à Concilio Chalcedonensi, ut causam suam diceret, non verò ut sederet cum reliquis Patribus, idque ex mandato Leonis Papæ. Et Synodus obedivit, & omnia quæ fuerunt ipsi à Pontifice injuncta servavit, vocatus enim Dioscorus in medio consedit suam dicturus causam, ut habetur in illa actione 1. Concilii, & expressè refertur ab Evagrio Lib. 2. cap. 4. ubi ait: *Concilio aderant Paschasinus & Lucentius Episcop. Leonis Vicarii, Dioscorus item Alexandriæ Episcopus, quorum numero adjuncti erant Senatores primarii, quibus dixerunt Vicarii Leonis, Dioscorum non debere cum illis in Concilio*

*lis considere, istud enim suum Episcopum Leonem mandasse, quod si minimè observarent, se ab Ecclesia discessuros, quæ cum dixissent, & Dioscorus de sententia senatus in medio consessu statueretur, &c.* nimirum præscripserat Leo Pontifex formam quæ Synodus deberet se gerere cum Dioscoro, jussitque Patres hæc, & alia fieri, & plura alia omitti, quod perinde est, ac leges Concilio præscribere, proinde Concilium quantumvis generale subjicitur Papæ, estque infra non supra illum; perinde, ac subditi, qui à suo Principe leges accipiunt, eidem subjiciuntur.

Rursus Patres illius Chalcedonensis Synodi Oecumenicæ apertè testati sunt, se filios esse Romani Pontificis, & hunc esse caput totius Concilii, etenim *act.* 16. in relatione Concilii ad Leonem ita loquuntur Patres. *Rogamus igitur, & tuis decretis nostrorum honores judicium; & sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & summitas tua filiis, quod decet, adimpleat,* ubi Patres vocant Romanum Pontificem caput totius Concilii seque vocant filios, qui tenentur Patri obedire: de ratione enim capitis est, præeminere reliquis membris, quæ influxum accipiunt à capite, & de ratione Patris est præesse filiis, & illos docere instruere, ut etiam de ratione filiorum obedire Patri ex quibus constat Synodum Chalcedonensem generalem cognovisse ut caput totius Concilii Romanum Pontificem, quem propterea ait. 1. 2. & 3. vocat caput universalis Ecclesiæ, & custodem vineæ universæ Christi, quæ omnia superioritatem Pontificis in ipsum Concilium indicant, ut etiam constet ex sententia in Dioscorum Alexandrinum Episcopum lata, & quæ habetur actione 3. Concilii Chalcedonensis: siquidem interrogante Paschasino Legato Leonis Patres Concilii qua pœnam dignum censerent Dioscorum toties contumacem, responderunt: *Petimus vestram sanctitatem, qui habetis locum sanctissimi Papæ Leonis promulgare in eum, & regulis insitam contra eum proferre sententiam, omnes enim, & tota universalis Synodus concors efficitur vestræ sanctitatis sententiæ,* se subjecit Synodus Chalcedonensis Occumenica Romano Pontifici, ut capiti, & supremo judici totius Ecclesiæ Catholicæ, & Concilio generali, & rogavit, ut sententiam ipse diceret in Dioscorum, eò quia sententia Papæ esset sententia totius Concilii quia Patres nil aliud cupiunt, quàm sententiæ Pontificis se conformare. Cumque Patres desiderarent concordare cum Romano Pontifice tunc Legatus Apostolicus dixit: *Sanctissimus, & Beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo per nos, & per præsentem sanctam synodum unà cum ter beatissimo Petro Apostolo, qui est petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ nudavit Dioscorum tam Episcopatus dignitate, quàm anni sacerdotali ministerio.* Et huic sententiæ statim tota synodus consensit, eique acquievit, & Dioscorum habuerunt, ut spoliatum dignitate episcopali, imò & quovis alio sacerdotali ministerio. Sin autem Concilium non fuisset infra, sed supra Pontificem non expectâsset sententiam Pontificis, neque eidem acquievisset, sed ipsa Synodus sententiam dixisset contra Dioscorum, quia pertinet ad judicem reos judicare, & sententiam in ipsos dicere, unde si Synodus Oecumenica Chalcedonensis voluit, ut ipse Romanus Pontifex sententiam ferret in Dioscorum jam declaravit non Concilium, sed Romanum Pontificem esse judicem in controversiis fidei.

Recitantur etiam actione 3. hujus Concilii Epistolæ quædam, quarum omnium initium est istud: *sanctissimo & beatissimo universali Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & sancto universali Concilio:* unde si Concilium pluries vocat Romanum Pontificem Patriarcham universalem magnæ Romæ jam fatetur esse Patriarcham etiam ipsius Concilii alioquin non esset Patriarcha universalis.

Præterea sess. 6. quia definitio Catholicæ fidei visa fuit minus perfecta legatis Apostolicæ sedis, & veluti insufficiens ad Eutychetis hæresin damnandam ab iisdem rejecta fuit, neque permissa ut actis insereretur, & quamvis tota synodus, exceptis Romanis & paucis ex oriente Episcopis, eandem formulam definitionis approbasset, imò & importunè insisteret, ut eadem reciperetur, & ab omnibus subscriberetur: Legati tamen Leonis Pontificis contestati sunt, nisi alia, & plenior forma redderetur, & quæ Leonis Papæ Epistolæ esset totaliter uniformis, se statim discessuros è Synodo. Patres igitur auditis Legatis Papæ annuerunt eorum petitioni & obediverunt Romano Pontifici, & novam fidei professionem ediderunt, quo ad unguem responderet epistolæ Leonis, & fuit, quæ habetur act. 6. in actis Concilii Chalcedonensis act. 5. *Omnes Reverendissimi Episcopi præter Romanos, & aliquos Orientales clamaverunt: definitionibus placet: hæc fides Patrum: qui aliter sapit, anathema sit, Paschasinus, & Lucentius Episcopi Vicarii sedis Apostolicæ dixerunt, si non consentiunt Epistolæ Apostolicæ & beatissimi viri Papæ Leonis jubete nobis rescriptam dari, ut revertamur. Episcopi clamaverunt altera definitio non sit, qui contradicunt, Romam ambulent, Magnificentissimi, & gloriosissimi Judices dixerunt: quem sequimini Leonem an Dioscorum? Reverendissimi Episcopi clamaverunt, ut Leo sic credimus, Leo rectè exposuit. Magnificentissimi & gloriosissimi judices dixerunt: ergo addite definitioni secundum judicium sanctissimi Patris nostri Leonis duas esse naturas unitas in Christo inconvertibiliter, inseparabiliter, & inconfusè.* Tum Patres adhæserunt omnes Romano Pontifici, & addiderunt definitioni fidei juxta præscriptum Leonis Papæ duas esse naturas unitas in Christo divinam, & humanam inconvertibiliter, inseparabiliter, & inconfusè unde quia sic judicavit Romanus Pontifex, ut judex supremus totius Ecclesiæ Catholicæ ita & Patres Concilii definiverunt, & duas naturas fuerunt in Christo confessi divinam, & humanam, quia Concilium utpote infra Romanum Pontificem, cui subjicitur, debuit sententiæ supremi judicis in militante Ecclesia acquiescere, ex quo etiam clarissimè apparet, authoritatem Pontificis sibi subjicere Concilium, si enim Concilium generale Chalcedonense non credidisset, Leonem Papam esse supra Concilium & supremum in Ecclesia judicem, à cujus sententia non possit provocari ad Concilium generale hoc Synodus Chalcedonensis, semel prolatam sententiam non immutâsset, sed ut veram eam propugnâsset, & sententiam Leonis Papæ impugnâsset, sed quia credit se teneri acquiescere sententiæ Romani Pontificis, cujus authoritas in dirimendis fidei controversiis, est authoritatis infallibilis, Luc. 22. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos,* ideo Patres Concilii prolatam à se sententiam, & definitionem immutarunt, & correxerunt, ut totaliter responderet sententiæ Leonis Romani Pontificis.

Demum in hac eadem Chalcedonensi synodo act. 15. can. 20. statuitur, ut Archiepiscopo Constantinopolitano post Romanum Pontificem detur secundus locus, qui alias Alexandrino debebatur, idque exemplo œcumenicæ synodi Constantinopolitanæ, in qua idem sancitum fuerat, ad instantiam Anatolii Archiepiscopi Constantinopolitani, cui Imperator tunc favebat, & Patres ne Augusto displicerent ambitioni Anatolii & ipsi

& ipsi faverunt, sed Legati Apostolici statim protestati sunt in contrarium, & jusserunt canonem illum ex mandatis Leonis expungi & deleri, ut habetur act. 16. ejusdem Concilii, ubi hæc leguntur: *Lucentius Vicarius sedis Apostolicæ dixit: sedes Apostolica quæ nobis præcepit præsentibus, humiliari non debet, ideo quæcunque in præjudicium canonum hesterna die gesta sunt nobis absentibus sublimitatem vestram petimus, ut circumduci jubeat extra aliàs contradictio nostra his gestis inhæreat, ut noverimus, quid Apostolico viro universalis Ecclesiæ Papæ referre debeamus, ut ipse aut de suæ sedis injuria, aut de canonum eversione possit ferre sententiam.* Hoc idem etiam constat ex epistola Sancti Leonis 59. ad synodum Chalcedonensem quæ legitur in actis ejusdem, & ex epistola ad Anatolium. Unde Leo Papa dixerit hanc synodum cui in omnibus legem præscripsit, quomodo deberet se gerere circa Eutychetem, & Dioscorum; quapropter non Concilium Pontifici, sed Pontifex Concilio legem præscripsit. quod Concilium non permisisset, si majoritatem aliquam sibi inesse supra Pontificem novisset.

Hæc sunt quatuor primaria Concilia Occumenica, quæ Patres veluti quatuor Evangelia habuerunt in veneratione, quæque omnia se Romano Pontifici subjiciunt, & ejus supremam authoritatem supra Concilia Oecumenica fatentur. Neque desunt plura alia Concilia quæ hoc idem fateantur, ut secunda synodus Constantinopolitana coacta anno 553. sedente Vigilio Papa & imperante Justiniano, & cui interfuerunt Episcopi. 565. & quia variè scribunt de hac Synodo, quæ multorum dolis variè fuit turbata, proderit originem altius repetere, etenim anno 538. Constantinopoli in cœtu multorum orientis, & Occidentis Episcoporum agente Pelagio Romanæ Ecclesiæ Legato Origenes, ejusque libri pluribus fœdati erroribus omnium votis quibus adhæsit Justinianus Cæsar, damnati fuerunt. Displicuit hæc sententia Theodoro Cæsareæ Episcopo Origenis amico, & acerbè doluit, quòd in tantum virum, Origenem sanctitate & doctrinâ illustrem conclamatum fuerit, & à Pelagio antiquo æmulo insultatum sibi crederet, & quia Theodorus esset in Cæsaris gratiâ ei persuadet, ut juberet Theodorum Mopsvestenum Ibam, & Edessenum, & Cyrum Episcopos publico edicto damnari, eò quia Nestorianæ hæresi adhærerent, tametsi postea pœnitentes Chalcedonense Concilium absolvisset; hoc enim dolo ipsum Chalcedonense receptum iri, & acephalos in gratiam, & fidem reversuros. Justinianus suasu Theodoræ conjugis, quam tenerrimè diligebat, edictum promulgavit, & ecce, ingens statim excitatur inter Catholicos incendium, quia cum non de fide, sed de personis certamen esset, lis inter Catholicos excitata fuit. Vigilius Papa, & multi in occidente Patres se statim opposuerunt, asserentes, non posse ab Imperatore vita functos damnari, quos Concilium chalcedonense absolverat, sed Justinianus, cum novisset rem totam pendere à Vigilio Papa, non destitit, quin prius Pontificem haberet Constantinopoli, qui sub veris initium eo appulit, ubi Catholici in plures scindebantur discordias, quorum alii decretum Justiniani defenderent, & alii damnarent. Vigilius Concilium indixit, & in Justiniani sententiam, quam priùs impugnaverat, se flexit, & edito libello etiam defendit, qua ratione Occidentales se ab ipso cœperunt avertere, & eum notare inconstantiæ & animo imbecillem. Vigilius indicto silentio ut res tota examinaretur in Concilio proximè futuro, Theodoram Augustam hæresi infectam sacris interdicit; cum verò animadvertisset Vigilius arma, & satellites contra ipsum parari in Ecclesiam D. Petri, hinc thessalonicam fugit, neque tutum invenit asylum, cum enim arripuisset aram sacram versus ipsum irruerunt satellites, à quibus pluribus fuit in faciem verberibus cæsus. Scribit Procopius lib. 3. de Gottico adeo naturam ipsam fuisse tantum scelus aversatam, ut terræ succussionibus, ac motibus hiatu, & æstu, rabieque maris in terram occurrentis quàm plurimæ civitates vel solo æquatæ, vel oppressæ, vel haustæ fuerint. Sardinia itidem, & Corsica à Barbaris occupatæ fuerunt. Tandem anno 553. Synodus II. Constantinopolitana inter œcumenicas quinta indicitur, cui interfuerunt Eutychius Episcopus Constantinopolitanus qui Mennæ successerat, Apollinaris Alexandrinus, Domnus Antiochenus, tres quoque qui absentis Eustochii Jerosolymitani Episcopi vices agerent, omnesque simul fuerunt centum sexaginta Episcopi. Sed Vigilius Papa non sine causa multum discriminis in universam Ecclesiam ex ista machinatione, quàm Theodori Cæsariensis fraudulenta mens pepererat, suspicabatur, & pertimescebat, non aliter in hanc convocationem consenserat, quam quia Justiniani potentiæ obsistere citra ipsius Ecclesiæ grave periculum & damnum non posset, non judicavit per se, nec per suos Legatos huic Synodo assistere, quamvis Constantinopoli moraretur, ne sua præsentia per Cæsaris potestatem adigeretur ad aliquid, quod ipsi Ecclesiæ esset dedecori, ac detrimento, sed ratus satius esse expectare, quid hæc Synodus statueret, maximè cum abessent Occidentis Episcopi à quibus Papa sinceriorem poterat sibi fidem polliceri, ac certiorem in eorum animis fiduciam collocare, ac sibi integrum semper esset approbare, vel reprobare, quæ fuissent à Synodo statuta. Verum Synodus ut Vigilius ad concilium veniret, eique præsideret, misit ad Pontificem viginti Episcoporum splendidam legationem, qui illum ad Synodum invitarent, sed Vigilius se excusavit, & impedimentum adduxit valetudinis: sed iterata fuit legatio, & missi cum Bellisario sex alii Exconsules, & Patritii, quibus inducias se petere dixit Vigilius, ut scripto sententiam suam firmius exprimeret: unde sine Pontifice absque ejus Legatis inita fuit Synodus, & aliquot sessiones peractæ, in quibus contra tria capitula egerunt, actum inprimis fuit de Theodoro mopsvesteno, cujus libris productis & examinatis anathema conclamatum est in ipsum, & ejus doctrinam, & etiam definitum, ut refert Augustinus, Hæreticos etiam post mortem condemnari posse. Postea ad examen vocarunt epistolam Ibæ, quam ut à recta fide deflectentem Patres censura notarunt, & ultra legi prohibuerunt, & demum decretum ediderunt in capitulo Theodoreti. Hisce peractis editi sunt canones 14. quibus Catholica fides contra Nestorium, Acephalos aliosque Eutychis, & Severi sectarios explicata est.

Ex historia hujus synodi quæ magis tragœdiæ, quàm Synodi œcumenicæ speciem præsetulit, plura sunt notatu digna ex quibus clarè apparet majoritas Pontificis supra Concilium generale, quamvis enim hæc Synodus sine Pontifice, & absque ejus legatis legitima non esset habenda, donec approbatio Pontificia, & Ecclesiæ consensus accederet, ac proinde à Venetis huic Concilio oppositum fuerit Aquileense, & omnes Episcopi Occidentales, & Boreales, contra illam reclamaverint, ut scribit Beatus Gregorius lib. 2. epist. 36. & fusius refert Baronius tom. 7. ad annum Christi 553. quæ causa fuit, ut plures qui de Synodis scripserunt, hanc quintam prætererint, ut Patres Concilii Bracarensis II. in præfatione, & Cassiodorus primo instit. 11. & 17. ubi hujus Synodi non meminit; nihilominus plura fuerunt peracta, quæ Romanæ sedis authoritatem supra Concilium ostendunt, ut splendidissima

illa

illa legatio, quam Concilium adornavit ad Vigilium Papam, primo ex viginti Episcopis, deinde tredecim cum sex aliis Exconsulibus, & Patriciis, inter quos erat Bellizarius totius Cæsareani exercitûs Præfectus. Secundò quia collat. 7. semper conata fuerit Synodus ostendere, se non aliter definire controversias fidei, quam juxta Vigilii sententiam, ut constat ex sententia definitiva à Concilio pronunciata, quià scilicet Patribus illis notum erat, Christum, Luc. 22. non pro Concilio, sed pro Petro orâsse Patrem, ne deficeret in fide in dirimendis, ac definiendis controversiis fidei: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, ideoque non errarent in Synodo, in id incubuerunt studii, ut juxta mentem Vigilii definirent controversias contra Nestorianos, Eutychianos, & alios. Hinc Synodus professa fuit: se Romanorum Pontificum de fide epistolas æque ac quatuor Concilia observare, & amplecti, neque causa fuit examinare capitula, nisi prius per Eutychium Constantinopolitanum Episcopum Romani Pontificis obtinuisset consensum.

Juvat adjicere ipsa acta 5. Synodi collat. 1. post epistolam Justiniani, ubi Patriarcha sic Vigilio Papæ scribit: *Scientes, quantorum bonorum causa est pax Dei, ideo festinantes unitatem conservare ad Apostolicam sedem vestræ beatitudini manifestum facimus, quod servamus fidem à Christo Apostolis traditam, & à Sanctis Patribus maximè in sanctis quatuor Synodis explanatam. Suscipimus & epistolas Præsulum Romanæ sedis Apostolicæ. Et ideo petimus præsidente nobis vestra beatitudine de tribus capitulis quæri & conferri.* Respondit Vigilius Papa, *annuimus, ut de tribus capitulis facto regulari conventu mediis sacrosanctis evangeliis collatio habeatur, & finis detur placidus Deo.* Quòd si petas, cur Concilium invito Vigilio Pontifice, & contra ejus sententiam scripto testatam definiverit & definitionem, Ecclesia receperit, respondetur, quia quæstio non vertebatur circa fidem, sed tãtùm circa personas & excitata fuit instinctu Theodori, ut in Romanos vindicaret Originem hæreseos damnatum, ideoque ab Orthodoxis in Africa, Illyrico, Hibernia, & partibus aliis Occidentalibus sententia Concilii irrita, & nulla habita fuit, eo quia tunc temporis Ecclesia discordiis discinderetur, bellis arderet, & aliis calamitatibus protrita jaceret: & quia pluries declaraverat Vigilius tria capitula condemnare, ut constat ex epistola Justiniani ad Synodum, & collat. 7. potuit Synodus primæ sententiæ adhærere, quam Vigilius postea approbavit, ut refert Evagrius *lib. 4. cap. 37.* Cæterum Justinianus eò, quia falcem injecerit in alienam messem exitum habuit infelicem, ait enim Procopius lib. 3. de bello Gottico, quod cum in adultam noctem corona Episcoporum septus examinandis Christianorum sacris incumberet, omissa interim armorum cura, Gotti Italiam occupârunt, everterunt, & Justinianum Imperatorem tributo vectigalem fecerunt: Et ipse cum antea esset gloriosissimus religionis, & fidei arbiter, in hæresin incorruptibilium lapsus grassabatur pœna exilii in Episcopos, qui sibi adversarentur. Verum dum hæc agit, sub mediam noctem ex tempore mortalitatem exuit, licet non desint, qui asserant Deum ei indulsisse tantum temporis, ut pœnitentiæ signa dare potuerit. Ita nempe tametsi Princeps fuisset bello, & litteris gloriosissimus, cum primùm tamen rebus se immiscuit ecclesiasticis divinam expertus est ultionem 2. Reg. cap. 6. *Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, eo quod extendisset manum ad arcam Dei, & tenuisset eam.*

Hanc eandem authoritatem Romani Pontificis supra Concilium generale confessa etiam fuit Synodus Constantinopolitana VI. Oecumenica occasione Eutychianæ hæresis coacta, tametsi hæc hæresis sub Marciano Augusto repressa, & per Synodum Chalcedonensem prostrata, postea tamen imperantibus Zenone, & Anastasio principibus Hæreticis veluti Lernæa hydra visa sit in nova capita pullulâsse. Sedebat in Patriarchatu Constantinopolitano homo vafer, mirusque artifex simulationum Acacius, cujus hortatu Zeno Imperator Joannem Tailaidam Episcopatu Alexandriæ expulit, ejusque in locum restituit Moggum insignem sectæ illius Hæreticum. Imò ejusdem Acacii suasu novam edixit fidei formulam, anno 482. ea tamen vafritie conceptam, ut in eam simul Hæretici, & Catholici suppressis verbis, quæ fidei controversiam respiciebant, consentire possent, sed in eadem formula latebat tacita Concilii Chalcedonensis abrogatio, cui propterea invicta constantia, ut par erat, se opposuit Felix Papa III. qui coacto Romæ Concilio, & simul missis Constantinopolin Legatis cum mandato, & commonitorio, ut Acacium citarent ad Romani Pontificis tribunal; & Moggum expellerent è sede Alexandrina. Verum ex tribus Legatis Pontificiis duo artibus Acacii seducti consenserunt in Acacium, & Moggum, quos propterea Romanus Pontifex episcopatu spoliavit, & Acacium anathemate percussit, & refert Libertus cap. 17. & 18, Petrus Moggus Pseudopatriarcha Alexandrinus non solùm Catholicos omnes sibi aversos habuit, sed Eutychianos, quàm plures, qui neque Catholicæ partis essent, neque cum propriæ partis Episcopo convenirent, Acephali fuerunt nuncupati, seu sine capite.

Hinc impuri Eutychetis hæresis in diversas sectas quasi in propagines derivavit, ut Acephalorum, Theopaschidarum, Severianorum, & aliorum, qui non cessârunt Ecclesiam affligere, ac vexare, donec anno 680. tertia Constantinopolitana Synodus, quæ fuit sexta Oecumenica, cœpit celebrari Constantinopoli in Palatii imperialis Secretario, cui nomen erat Trulla, quod eo tempore usurpabatur pro fornice in sublimi exporrecto, & concamerato, ut ex Cadino, & Anastasio deducitur. Huic Concilio interfuerunt Constantinus Imperator, & Palatii Proceres. Macarius Antiochenus Monotelita suæ hæresi disputanda patrocinatus in Synodo fuit, sed postquam sacra Synodus illum solidissimis argumentis ad sanam mentem reducere incassum satagisset, ejus pertinaciam anathemate percutit, ac dignitate destituit, suffecitque in ejus sedem Theophanem virum spectatæ religionis, & ipse Macarius monasterio inclusus fuit. Numerus Episcoporum, qui interfuerunt huic Synodo videtur incertus, quidam enim 280. numerant, alii 170. hoc tamen certum, hanc Synodum authoritate Agathonis Papæ ad preces Constantini Pogonati indictam fuisse, ut clarè constat ex epistolis ejusdem Papæ ad Synodum directis, & leguntur in 3. Tom. Concilior. in 4. Act. 6. Synodi. Legati missi à Summo Pontifice fuerunt Theodorus, Gregorius, Joannes, & Constantinus, & ab Ecclesia Occidentali alii quatuor, & damna-

damnata in hac Synodo fuit hæresis Monotelitarum, qui duas in Christo naturas, sed unam tantum voluntatem, unamque operationem statuebant, & nominatim fuerunt anathemate percussi Sergius, Pyrrhus, Petrus, & Paulus, Archiepiscopi Constantinopolitani.

Plura ab hoc Concilio generali producta fuerunt argumenta ad probandam superioritatem Romani Pontificis in Concilium, quamvis Oecumenicum; siquidem Constantinus Imperator in epistolis datis ad Dominum Pontificem Romanum hunc præfigit titulum: *Sanctissimo, & Beatissimo Archiepiscopo antiquæ nostræ Romæ, & Universali Papæ.* Vocat Papam universalem, eò quia sit supremus Pastor totius Dominici gregis, seu omnium fidelium, consequenter & Episcoporum, qui congregantur in Concilio generali, cum & ipsi pertineant ad oves Christi. Et in epistola Synodali ad Agathonem, quæ habetur in fine actionis 18. Patres illum vocant *universalem Principem Pastorum*, quia Episcopi, qui in Concilio Generali congregantur, sunt particulares Pastores, quilibet in propria diœcesi, quorum omnium Princeps universalis est Romanus Pontifex, ex quibus Pater Synodum confessam fuisse authoritatem Romani Pontificis esse supra Concilium Generale, & hoc infra, non supra Pontificem.

Secundò quia Summus Pontifex non expectavit sententiam Concilii veluti superioris, neque se illis submisit, sed potiùs exemplo Leonis in Ephesino, & Chalcedonensi Conciliis regulam illis præscripsit juxta quam tenerentur credere, & definire, & illis prohibet à sententia Romani Pontificis, vel latum unguem deflectere, cuius mandato Concilium paruit, ut liquet ex epistola ad Augustos, ubi hæc habet: *Testimonia aliquorum SS. Patrum, quos hæc Apostolica Christi Ecclesia suscipit, cum eorum libris tradidimus, ut ex his duntaxat satisfacere studeant, quid hæc Spiritualis Mater eorum, ac à Deo propagati imperii, Apostolica Christi Ecclesia credat, & prædicet. Licentiam proinde eis dedimus, ut apud tranquillissimum vestrum imperium, dum jusserit ejus clementia satisfaciendi, in quantum eis duntaxat injunctum est, ut nihil profectò præsumant augere, minuere, vel mutare, sed traditionem hujus Apostolicæ sedis, ut à prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta, sinceriter enarrare. &c.* Et infra: *Ut autem vestræ divinitùs instructæ pietati, quid Apostolica nostra fides contineat, breviter intimemus, quam percepimus per Apostolicam, Apostolicorùmque Pontificum traditionem, & Sanctarum quinque generalium Synodorum, per quas fundamenta Catholicæ Ecclesiæ firmata sunt. &c.* Et infra. *Hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquàm à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cujus authoritatem utpote Apostolorum omnium Principis semper omnis Catholica Christi Ecclesia (NB) & universales Synodi fideliter amplectantes in cunctis secuta sunt. Omnesque venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi, per quam & probatissima Ecclesiæ Christi luminaria claruerunt, & sancti quidem Doctores Orthodoxi venerati atque secuti sunt, Hæretici autem falsis criminationibus ac derogationum odiis insecuti.* Et infra: *Hæc est enim vera fidei regula, quam defendit hæc spiritualis Mater vestri tranquillissimi Imperii, Apostolica Christi Ecclesia tenuit, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errâsse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab authoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata finetenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris pollicitationem, quæ suorum Discipulorum Principi facta est; ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, ut aliquando conversus confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quod Apostolici Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum.*

Rursus in epistola Constantini ad Leonem Imperator approbat posse Patres provocare à sententia Concilii Generalis ad Romanum Pontificem: ait Imperator, scribens ad Leonem: *Ipsi autem* (scilicet Macarius, & alii damnati à Synodo œcumenica) *scriptis, precibus Serenitatem nostram communiter omnes deprecati sunt, ut se ad vestram Beatitudinem mitteremus, sic igitur fecimus, eosque ad vos misimus, vestro paterno judicio omnem ipsorum causam permittentes*; Appellatio autem nunquam fit à majori ad minus tribunal, sed à minori ad majus: ergo ex eo quòd Imperator, & Synodus Oecumenica permiserint damnatos à Synodo posse ad Romanum Pontificem provocare, concedunt, Romanum Pontificem esse judicem superiorem, & Synodum Oecumenicam ei subesse; est enim satis explorati juris, majorem esse illum, ad quem appellatur eo, à quo appellatur: Judex enim ad quem semper corrigit, rescindit, & jurisdictionem suspendit Judicis à quo, cui imperat executionem sententiæ, quæ omnia nequeunt fieri, nisi à majore & superiore, ut docent omnes Juris periti.

Quod verò moris semper in ecclesia fuerit, ut à Synodo Generali provocaretur ad Summum Pontificem, liquet: Quia Gelasius Papa 1. Epist. 13. ad Episcopos Dardaniæ scribit: *Sedes B. Petri Apostoli jus habet resolvendi, utpote, quæ de omni ecclesia jus habeat judicandi, nec cuiquam de ejus liceat judicare judicio, si quid ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus*: Si igitur potest quilibet à Synodo Generali provocare ad Romanum Pontificem; non vero à sententia hujus ad Synodum sequitur, tribunal Pontificis esse supra tribunal Concilii Generalis; proinde pertinere ad Romanum Pontificem corrigere, approbare, confirmare acta Concilii Generalis. Et hunc appellandi modum esse in ecclesia antiquissimum S. Leo Papa epist. 87. ad Episcopos Gothiæ, quæ habetur tom. 2. Concilior. ante Concilium Chalcedonense, cujus fragmentum placet hic subjicere: *Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat Apostolicam sedem, pro sui reverentia, à vestræ etiam provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & pro diversarum (quemadmodum vetus consuetudo poscebat) appellatione causarum aut retractata, aut confirmata fuisse judicia, adeo ut servata unitate Spiritus in vinculo pacis, commeantibus hinc inde literis, quod sanctè agebatur, perpetuæ proficeret charitati, quam sollicitudo nostra, non sua quærens, sed quæ sunt Christi, dignitatem divinitus datam nec ecclesiis, nec Ecclesiarum Sacerdotibus abrogabat. Sed hunc tramitem semper inter majores nostros, & bene tantum, & salubriter constitutum, Hilarius ecclesiarum statum, & concordiam Sacerdotum novis præsumptionibus turbaturus, excessit.* Si igitur à Concilio generali ad Papam datur provocatio, sequitur tribunal Pontificis esse supra Concilium, cum appellatio non fiat nisi à minori, ad majorem judicem. S. Leo Papa epist. 23. ad Theodosium Augustum, Flavianum Patriarcham Constantinopolitanum à Concilio Ephesino 2. quod fuit generale, appellantem ad sedem Apostolicam recipit, rogátque Imperatorem, ut appellanti deferat. Leo

duas

duas Imperatori exposuit causas ob quas acta Concilii Ephesini 2. sint rescindenda; prima fuit, quod in Concilio omnia violenter, & cum tumultu peracta fuerint: secunda quia Flavianus Apostolicam sedem appellaverat, & Flavianus, quod poterat, non excepit de nullitate sententiæ, sed supposuit etiam validitate sententiæ maluit appellare, usurus videlicet certo, ac indubitato jure, & exceptionem omnem superantem, cujusmodi est judicium Apostolicæ seddis Eodem pacto Theodoretus in eodem Ephesino Concilio damnatus ad Leonem Papam appellavit, ut constat ex epist. 113. quam ad Leonem dedit. Hinc S. Bernardus lib. 3. de consideral. c. 2. *Appellatur de toto mundo ad te, id quidem in testimonium primatus sui* nil validius primatum Romani Pontificis supra Concilium generale evincit, quàm ipsa appellatio à Concilio ad Papam, cum hæc provocatio non possit fieri, nisi ab inferiori judice ad superiorem, tendit enim appellatio ad confirmationem vel correctionem prioris sententiæ; & confirmare, vel corripere sententiam judicis non potest, nisi alius judex superior, cujus authoritas sit major ac habent jurisdictionem in judicem inferiorem, quia qui judicantur, subjiciuntur sententiæ judicis. Non enim par in parem habet authoritatem nec inferior in superiorem, sed tantùm superior in inferiorem, & judicium ferre in aliquem est perinde ac authoritatem in eundem exercere, præterea quia finis appellationis & effectus est, ut sententia inferioris mutetur, & rescindatur: Sed Romanus Pontifex persæpe mutat, quæ à Concilio generali statuta sunt *cap. de non debet de affinitat. & Consanguinis cap. statutum de rescript. in* 6. hinc Zepherinus *can. ad Romanam*, 8. *cap.* 2. *quæst.*6. ait: *Ad Romanam Ecclesiam ab omnibus maxime tamen ab oppressis appellandum est, & concurrendum quasi ad Matrem, ut ejus uberibus nutriantur, authoritate defendantur, & à suis oppressionibus releventur: quia non potest, nec debet mater oblivisci filium suum.* Sixtus Papa *can. si quis* 2. *quæst.* 6. *Si quis vestrum pulsatus fuerit in aliqua adversitate licenter hanc sanctam, & Apostolicam sedem appellet, & ad eam quasi ad caput suffugium habeat, ne ipse innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur.* Julius Papa in cap. ideo 2. quæst. 6. *Ideo huic sanctæ sedi præfata privilegia specialiter sunt concessa tam de congregandis Conciliis, & judiciis, ac restitutionibus Episcoporum, quam de summis Ecclesiarum negotiis ut ab eo omnes oppressi auxilium, & injustè damnati restitutionem sumant: & talia ab improbis ne præsumantur absque ultione nec exerceantur absque damnatione.* Marcellus ad Episcopos Antiochenæ Provinciæ in cap. Ad Romanam 6. quæst. 6. *Ad Romanam Ecclesiam omnes Episcopi qui voluerint vel quibus necesse fuerit, quasi ad caput suffugere eámque appellare debent, ut inde accipiant tuitionem atque consecrationem. Quod omnibus minimè convenit denegare Episcopis: sed absque ulla custodia aut excommunicatione, vel damnatione vel expoliatione liberè ire concedatur.*

Si dicas Patres Concilii VI. Carthaginensis sub Bonifacio I. Anno 419. celebrati graviter fuisse conquestus de appellationibus ad Romanum Pontificem interpositis, neque in illas, quamvis urgeret Legatus Apostolicus consentire voluisse, & canonem Concilii Nicæni, quem pro se Zosimus allegaverat nunquam pro legitimo agnovisse.

Contra est, quia inde non sequitur, non posse appellari à Concilio ad Romanum Pontificem, cum quis putat se gravatum fuisse à Patribus Concilii, quia cum primatus totius Ecclesiæ datus fuerit soli Petro ejusque successoribus canonicè electis, sitque propterea Romanus Pontifex supremus totius dominici gregis Pastor ad ipsum pertinet doctrina sana pascere oves, seu fideles omnes, ac tueri, ne ullum patiantur detrimentum consequenter si fideles putent se gravatos à Concilio generali, nil obstat, quin ad supremum Pastorem possint appellare, ut ab ipso defendantur, & à gravamine releventur. Cæterum Patres Concilii Carthaginensis VI. ideo fuerunt conquesti de appellationibus ad Romanum Pontificem interpositis, quia delegati Apostolici in prosequendis appellationibus nimia utebantur asperitate, quæ sola causam dedit querelis, cum non tam judices agerent auditis partibus, quàm executores meliori causa damnata, ut refert D. Augustinus epist. 261. non igitur Patres Carthaginenses negarunt jus appellandi ad Apostolicam sedem, cum scirent hoc jus Pontificem appellandi fundatum esse in primatu à Christo Petro, & ejus successoribus, & usu totius Orbis confirmatum, sed tantùm optârunt tempore rigorem Legatorum erat ut constat ex Epistola ipsius Concilii Africani ad Bonifacium *cap.* 101. quæ habetur Tom. 1. Concilior. & ex Concilio Carthaginensi III. can. 10. & ex Epistola Stephani Archiepiscopi, & trium Conciliorum Africæ ad Damasum Papam; & ex Damasi Epistola responsoria quæ omnia reperiuntur in *Tom.* 1. *Concilior.* ad Concil. Carthaginens. & in præfat. ad Concil. VI. Carthag. ut etiam refert Baronius ad annum 419. ubi etiam notat canonem à Zosimo citatum fuisse Concilii Oecumenici Sardicensis, quod cum Nicæno unum censebatur, eò quia fuerit ad Nicæni confirmationem indictum, unde non est mirum, si Patres Concilii Carthaginensis Canonem à Zosimo citatum noluerint inter Nicænos à Ruffino collectos recipere, & collectio illa Ruffini teste S. Athanasio, qui Nicænæ Synodo interfuit, depravata erat, in quo plures canones omiserat.

Quòd si dicas à sententia summi Pontificis fuisse pluries appellatum à Principibus, Rebuspublicis ad Concilium generale, ut constat ex historiis, respondetur, Principes appellasse à sententia Pontificis ad Concilium generale, non ut ad tribunal superius, & ut ad judicem Papæ, à quo sententia papalis rescindi posset, sed ut melius ac plenius informaretur Papa, siquidem in quæstionibus facti subinde possunt Romani Pontifices non bene informari à testibus, adeo ut post dictam senteutiam possit melius informari ad explorandam, & cognoscendam facti veritatem. Tum quia etiam in materia fidei, & morum, possunt adeo graves nasci quæstiones, & tantæ difficultatis, ut Concilium universale omnium Nationum videatur necessarium, sine quo non censeatur Papa sufficienter instructus, & informatus, ut possit ad sententiam definitivam procedere, maximè si definitio in facto aliquo fundetur pro quo casu vocandi, & intelligendi sunt Patres, quia sancti Patres asserunt tunc necessarium esse Concilium generale, ut scribit sanctus Augustinus *lib.* 4. *contra* 2. *epistolas Pelagianor.* c. 12. *& lib.* 1. *de Baptis. contra Donatistas c.* 7. Unde appellationes Papæ ad futurum Concilium ad eum tantùm finem factæ fuerunt, ut Romanus Pontifex in quæstione fundata in facto exactius informaretur à Patribus. Cœterum appellationes ad futurum concilium vel futurum legitimum Papam, novæ sunt in Ecclesia, & sacris repugnant canonibus, quia vel Concilium generale est legitimum indictum authoritate Papæ, & ab eo confirmatum, & tunc sententia Concilii est, quam Papa approbat, & perinde ac sententia Papæ, unde à sententia

Papæ, appellaretur ad Papam: Sin verò Concilium non ſit indictum authoritate Papæ nec ab illo confirmatum, ſicut Concilium eſt illegitimum & nullius authoritatis, ita etiam ſententia lata.

Præterea ſi à ſententia Papæ provocetur ad Concilium generale, quod indicatur authoritate Papæ, tunc appellatio tantum ad eum finem fieret, & ſententia Papæ eluderetur, quia ſi ſententia Concilii eſſet uniformis ſententiæ à Papa latæ, poſſet ſtatim opponi Concilio, quòd Patres fuerint partiales, & non Judices, ut præſtitit Fridericus II. Imperator qui ad Concilium provocaverat. Præterea facile eſſet Principi Concilium generale impedire ne fieret, vel ad longiſſimum tempus illud remorari, ut interim vel Papa vita excederet, vel cauſa faciem mutaret.

Tum quia appellationes ad futurum Concilium videntur cum natura ipſius appellationis pugnare, quia ut diximus appellatio nequit fieri niſi à minori ad majorem judicem *can. anteriorem 2. quæſt. 6. cap. cum inferior, de majoritate l. 4. ff. de recept.* atqui Concilium quod nondum eſt, non eſt majus Papa, & ſit incertum, an, & quando futurum ſit: incertitudo enim omnis actum vitiat, & impedit, ne ullum valeat effectum producere, *l. cum 17. ff. de in diem. addict. l. cum poſt* 69. §. 1. *l. gener. ff. de jure dot. l. ita ſtipulatus.* 115. *ff. de V. O.* & inauditum eſt aliquando fuiſſe appellatum ad judicem nondum exiſtentem, & nondum natum, ſed naſciturum. Præterea cum appellatio quædam ſit ſpecies defenſionis, & juris naturalis omnibus æquè debet concedi, & non magis Principibus, quàm privatis perſonis *cap. ſuper 17. de appellat. cap. cum appellationibus eod. in 6. l. 4. §. item ff. de appellat.* Hinc quilibet ſemper poſſet appellare à ſententia ſummi Pontificis ad futurum Concilium, quod propterea ſemper deberet exiſtere, & Patres detineri in Concilio perinde, ac in carcere, ne unquam inde diſcederent, ut præſtò ſemper eſſent, & parati ad audiendas appellationes, quod fieri nequit, niſi omnes Eccleſiæ ſuis ſemper deſtituantur Particularibus Paſtoribus quales ſunt Epiſcopi, qui propterea non niſi nominaliter eſſent Paſtores ſuarum ovium, quia ipſas non poſſent doctrina paſcere, neque per rectas ſalutis vias ducere. Cum ſemper deberent adeſſe à ſuis Diœceſibus, & detineri in Concilio generali.

Alia etiam fuerunt Concilia generalia, quæ hanc Romani Pontificis ſuperioritatem ſupra Concilium univerſale faſſa fuerunt, ut ſeptima Oecumenica Synodus indicta Conſtantinopoli anno 786. Quamvis ob Prætorianos milites omnia turbantes, & ſus deque vertentes Patres conſultius cenſuerunt illud Nicæam transferri, unde & Nicæni II. nomen accepit. Indictum fuit hoc Concilium authoritate Adriani I. Romani Pontificis ad preces Conſtantini Imperatoris, & Irenes conjugis, ut conſtat ex litteris Imperatoris directis ad Adrianum, & leguntur apud Athanaſium in præambulis ad hoc Concilium, cui interfuerunt 350. Epiſcopi, & Legati miſſi ab Adriano Papa, qni numero fuerunt quatuor: cauſa hujus Synodi convocandæ hæreſis fuit Iconoclaſtarum, qui jam dudum ſacris ſe oppoſuerant imaginibus, quas deletas, & eraſas è templis aliiſque privatis locis volebant.

Origo hujus hæreſis duo fuerunt Hebræi impoſtores qui mentiti futurorum præſcientiam, quam interdum aut caſu, aut malis artibus adepti fuerant Izeto Arabum Regi promiſerant diu, & feliciter regnaturum ſi edicto publico, & ſtatutis pœnis Chriſtianos arceret à cultu ſacrarum imaginum, Izetus rei amplioris amans, ac divitiarum appetens edictum propoſuit, quod etiam pœnis, & ſuppliciis armavit. Verum vix edictum contra ſacras imagines promulgatum fuerat, Izetus vanè deluſus miſerè periit, & Impoſtores Judæi ad necem quæſiti in Iſauriam confugerunt, ubi cum æſtuante Syrio ad fontem procumberent calorem temperaturi, ſit illis obvius juvenis quidam, qui jumento, quod agebat, onere levato Hebræis ſe junxit, prandio ſe refecturus cum ipſis qui adoleſcentem diu, & ſtupentibus ſimiles intuiti, cum obſervaſſent præter florem juventæ formam etiam quodam majeſtatis radio perfulgidam, imperium illi prædicunt, ea tamen conditione, ut juramento promitteret, ſe voti competem, quod peterent facturum eſſe: fides tanti vaticinii à juvene pleno gaudio promiſſa ſtatim fuit, & in proxima B. Theodori æde juramento firmata. Poſt aliquot menſes militia adſcribitur, & per omnes gradus virtute, & fortuna, provectus imperium aſſequitur electione Theodoſii Auguſti, qui mundi, & imperii regendi pertæſus dignitate ſe abdicavit Imperatoris, & in monaſterium ſe clauſit. Juvenis ille cui Hebræi imperium prædixerant mutavit ſtatim nomen Canonis in illud Leonis, & à Patria Leo Iſaurius vocari voluit. Adſunt ſtatim Hebræi augures, & præmium vaticinii expoſcunt, nec aliud, quàm ut Chriſtianos à cultu ſactarum imaginum arceret, & imagines illas aboleret: hoc ſi faceret, perpetuas illi victorias fore, ac vitam diuturnam, ac ſupra votum felicem: Leo ex priori vaticinio credidit poſterius fore verificandum remque diu meditatus hæſit anceps ob metum populi, ſed victus ſpe victoriarum tandem edictum promulgavit, bellumque ſacris imaginibus toto imperio denuntiat, pœnis ac ſuppliciis urget, ut deleantur, & graviſſimam in Catholicos movet perſecutionem. Exagitavit hæc procella Eccleſiam Orientalem per plures annos ſub Imperio Leonis, & Copronymi donec Conſtantino, & Irene rerum potitis & pax reſtituta imperio ſeptimum Concilium Oecumenicum indici authoritate Pontificia curarunt.

Hæc igitur Iconoclaſtarum hæreſis cauſa fuit, ut hæc ſecunda Nicæna Synodus quæ fuit ſeptima generalis Nicææ, quæ Metropolis eſt Bithyniæ celebraretur, & plura in hoc Concilio edita fuerunt, quæ primatum oſtendunt Romani Pontificis, & authoritatem ſupra Concilium generale; ſiquidem declarat Synodus hæc generalis poſt definitiones ſummorum Pontificum nullam amplius de ſacris imaginibus dari poſſe locum dubitandi, dixit poſt definitionem, quia antequam Concilium confirmetur à Papa non eſt infallibilis authoritatis, ſed tantùm poſt ejus definitionem; ſecundò quia declarat à Romano Pontifice deberi leges præſcribi, quibus Patres Concilii ſe gerant. Tertiò quia perhibet limites figere authoritati Romani Pontificis. Quartò quia primarii Patres Concilii debeant interrogari, an epiſtolam dogmaticam Adriani recipiant; & plura alia ſtatuuntur, quæ authoritatem Romani Pontificis ſupra Concilium generale ſatis apertè oſtendunt. Etenim act. 2. Legati Apoſtolici poſt lectam dogmaticam epiſtolam Adriani alloquentes Patriarcham Conſtantinopolitanum Tharaſium dixerunt: *Petrus, & Petrus piiſſimi Presbyteri, & locum tenentes ſanctiſſimi Papæ veteris Romæ Adriani dixerunt: Dic nobis beatiſſime Patriarcha Regiæ Urbis Tharaſius: conſentitne litteris Sanctiſſimi Papæ veteris Romæ, an minus?* Reſpondit Tharaſius: *Cui Chriſti lumen circumfulſit quique nos per Evangelium generavit Paulus verè divinus Apoſtolus Romanis ſcribens: & ſtudium ſinceræ fidei eorum erga Deum verum noſtrum exoſculatus ſic inquit: fides veſtra prædicatur in univerſo orbe hoc: Hoc teſtimonium & nos inſequi par eſt, & temerarium repugnare arbitramur. Quamobrem*

*Adria-*

*Adrianus veteris Romæ Primas, & Testatorum Principum successor clarè & verè cum ad Imperatores nostros, tum ad nostram mediocritatem mihi scripsisse videtur, constabilivitque, & rectam esse declaravit Catholicæ Ecclesiæ antequam traditionem. Ob id nos per scripturam inquirendo, & argumentando, & demonstrando exquirentes, & Patrum quoque præceptis imbuti sic confessi sumus: Confitemur, & confitebimur, concordamus, & vim litterarum lectarum confirmamus, & imaginum picturas secundùm priscam Patrum nostrorum traditionem recipimus, & has desiderio nostro adoramus, ut in nomine Christi Dei nostri, & intemeratæ Dominæ nostræ Deiparæ Virginis, sanctorumque Angelorum, & omnium Sanctorum factas, sed apertis verbis testamur, nos duntaxat in unum Deum verum Latriam (hoc est cultum) fidem nostram referre, ac reponere.* Hisce à Tharasio prolatis sancta Oecumenica Synodus respondit: *Universa sancta Synodus sic docet.* Et paulo post *iidem Legati sacram Synodum eodem modo interrogant*, dicentes: *Petrus, & Patres Deum amantissimi Presbyteri Legati Apostolicæ Cathedræ dixerunt: dicat nobis sacra Synodus: num recipiat Sanctissimi Papæ veteris Romæ litteras an minus?* respondit sacra Synodus: *sequimur, & recipimus, & probamus.* Et in epistolis à Monachis Palæstinæ ad Tharasium datis quas ex Anastasio Baronius recitat ad annum 785. num. 47. circa finem: *Hoc autem subtilius est considerandum etiam ab ipsa sacra, ac venerabili sexta Synodo in qua nullus eorum qui per idem tempus in partibus Episcopi erant, convenisse repertus propter nefariorum hominum dominatum: sed nullum ex hoc sancta adhæsit Synodo præjudicium, neque secuta est prohibitio aliqua statuendi & manifesta faciendi recta dogmata pietatis, præcipue cum sanctissimus Apostolicus Papa Romanus concordaverit, & in ea inventus sit per Apochrysarios suos.* Ex eo igitur, quòd hæc generalis Nicæna Synodus II. Leges acceperit à Romano Pontifice, quomodo Patres debeant se gerere, & se omnino conformaverint epistolæ dogmaticæ Adriani Papæ, ne quidquam voluerint definire nisi juxta definitiones Romani Pontificis, cujus authoritatem asseruerunt nullo posse limite coarctari, satis apertè constat Nicænam Synodum agnovisse superioritatem in Romano Pontifice, & ipsum declararunt esse supra Concilium generale.

Rursus appellationem debere fieri à Concilio generali ad Romanum Pontificem non è contra, eo evincitur, quia non Concilium, sed Romanus Pontifex est in militante Ecclesia Christi Vicarius, adeo ut à nemine negari possit, Romanum Pontificem esse proximum, & immediatum Christi Vicarium, ac propterea supremam habere in Christi Ecclesiam potestatem, sitque propterea contraria opinio hæresis damnata in Concilio generali Constantiensi confirmato à Romano Pontifice sess. 8. art. 27. ubi inter alios Wiclefi errores damnatur etiam iste: *Papa non est immediatus, & proximus Vicarius Christi, & Apostolorum*, & sess. 45. in Bulla Martini v. quâ Concilium Constantiense fuit confirmatum inter alios articulos, de quibus suspecti de hæresi examinandi sunt, etiam ponitur iste: *Utrum credat, quod Papa canonicè electus qui pro tempore fuit, ejus nomine proprio expresso sit Successor Beati Petri habens supremam authoritatem in Ecclesia Dei.* Et in Concilio Nicæno can. 39. inter 80. Arabicos, qui habentur Tom. 1. Concilior. post acta Concilii Nicæni habetur: *Ille, qui tenet sedem Romæ, caput est, & Princeps omnium Patriarcharum quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam, & quicunque contradixerit à Synodo excommunicatur.* Unde valet argumentari: Romanus Pontifex canonicè electus, ut fuit definitum in Concilio Constantiensi *sess.* 8. *art.* 37. est immediatus & proximus Vicarius Christi, habens supremam authoritatem in Ecclesia Dei; atqui in Concilio Nicæno canone 39. definitur, quòd Vicarius Christi sit super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam & quicunque contradixerit, à Synodo excommunicatur, ergo si Concilium generale est Ecclesia Christiana sequitur manifestè Romanum Pontificem, ut Christi Vicarium esse super ipsum Concilium, cum definitum sit in Concilio Nicæno esse super cunctam Ecclesiam Christianam, imò à fortiori sequitur, esse supra Concilium generale, quod non nisi repræsentativè dicitur Ecclesia Christiana; hinc ex hoc titulo Vicarii satis apertè inferimus majorem esse Pontificis, quàm Concilii authoritatem, & nullo pacto Pontificem Romanum Concilio subesse. Tum quia Vicarius Principis & Episcopi unum ac idem tribunal habet cum Principe, & Episcopo, adeo ut à nullo Principe vel Episcopo inferiori judicari possit, hinc antiquitus à Præfecto Prætorii non dabatur appellatio, *l. unic. de sent. Præfect. Prætor.*

Præterea si Papa superiorem aliquem in militante Ecclesia haberet, utique Concilium Constantiense errâsset, cum dixit supremam in Christi Ecclesia potestatem penes Pontificem esse, quia si alteri subesset, non posset ipse supremus esse, nec supremam habere potestatem, & posset ab alio doceri, & judicari, & contrarium definivit de Summo Pontifice Concilium Constantiense. Rursus definit idem Concilium Papam esse proximum, & immediatum Vicarium Christi vel igitur hæc vicaria potestas proximè, & immediatè à Christo tradita est soli Papæ, vel etiam Concilio Generali: si utrique ergo duo adsunt in Ecclesia immediati proximi, & supremi Christi Vicarii, quod hactenus in Ecclesia inauditum fuit. Quòd si non tradita fuit hæc Vicaria potestas Concilio, sed soli Petro, cum eidem injunxit, ut suas pasceret oves: *Simon Petrus amas me, pasce oves meas*, sequitur, solum Petrum & ejus Successorem canonicè electum esse proximum, & immediatum Christi Vicarium in militante sua Ecclesia, consequenter Romanum Pontificem esse supra Concilium, & ad ipsum pertinere, docere, & judicare totam Christianam Ecclesiam, consequenter etiam ipsum Concilium Universale, adeo ut à sententia Papæ non possit appellari ad Concilium Generale, quia nullus fidelis, potest se subtrahere à jurisdictione Christi, nec ab ejus tribunali, consequenter, neque à potestate jurisdictione, & tribunali ejus Vicarii in militante Ecclesia, cum sit unum ac idem tribunal Christi, ac ejus Vicarii, sicut est idem tribunal Episcopi, & Vicarii, ergo si in nullo casu potest se quis eximere à potestate, & jurisdictione Romani Pontificis, alioquin non esset amplius ovis Christi consequenter nec Christianus cum Christus in quoscunque fideles dederit potestatem & jurisdictionem illis verbis, *pasce oves meas*, non has vel illas, non hujus vel illius regionis, sed generatim oves meas, id est omnes, qui generatim per baptismum professi fuerunt Christi fidem: sin autem daretur appellatio à Romano Pontifice ut Christi Vicario ad Concilium General. posset quis se subtrahere à jurisdictione, & potestate Romani Pontificis, quia in causa appellationis ap-

pellans eximitur à potestate, & jurisdictione ejus à quo appellat, & ponitur sub jurisdictione alterius judicis ad quem appellat. Tum quia per appellationem appellans recedit ab obedientia, & communione ejus à quo appellat: sed nulli Christiano quamvis sublimi dignitate insignito licet recedere ab obedientia summi Pontificis, & communione ejus sedis, quia ut ait Hieronymus epist. ad Damasum; *Quisquis extra hanc domum agnum comederit, profanus est: si qui in arca Noe non fuerit peribit regnante diluvio*, ergo sicut non licet ulli Christiano se subtrahere ab obedientia summi Pontificis, ita nec licebit ab ejus sententia appellare ad Concilium generale.

Rursus quia à Monarchico judicio utpote supremo, quodque non habet in terris judicem superiorem, non potest dari provocatio: & Romanus Pontifex est supremus in militante Ecclesia Monarcha, ad quem propterea ita pertinet quascunque lites, & controversias dirimere, ut non possit amplius ab ejus tribunali ad aliud provocari.

Probari etiam potest nostrum assertum, ex eo, quod summus Pontifex à nemine præter solum Deum judicari possit: si enim à Concilio generali non potest judicari sequitur in nullo casu posse eidem subjici, consequenter Concilium esse infra, non supra Pontificem, non enim auditum unquam fuit Romanum Pontificem fuisse à Concilio judicatum, etenim anno 303. cum Romæ Vulcanalia celebrarentur, Marcellinus Papa ab Imperatoribus Diocletiano, & Maximiniano minis primum, deinde blanditiis evictus ut thus Festæ adoleret, cujus delicti à viris Christianis 72. in Synodo 300. Patrum quæ Sinuessæ in cripta Cleopatrensi convenerant, convictus fuit, & cum nemo ausus fuisset in Pontificem sententiam proferre, omnes unanimi consensu dixerunt, ut sibi jus diceret, & se ipsum absolveret vel condemnaret: tunc Marcellinus in terram fusus velato capite, cinereque conspersus primus sententiam in se ipsum dixit: *Peccavi coram vobis, & non possum esse in ordine Sacerdotum, quoniam avaritia corrupit me auro.* In hac igitur Synodo pronuntiatum fuit sub illis Ecclesiæ initiis Romanum Pontificem judicari à Concilio non posse; dixit enim Synodus Sinuessana: *cunctorum judicio tu eris Judex: ex te damnaberis, & justificaberis: tu enim Judex tu reus*: & infra Petrus Episcopus dixit: *Loquere Pontifex, & judica causam tuam*, & non nullis interjectis: *Collige in sinum tuum causam tuam. Te enim non condemnamus Præsul, quoniam ex ore tuo justificaberis, & ore tuo condemnaberis.* Et postea *Melchiades Episcopus subscripsit primus in ejus damnatione, quoniam, & ipse clara voce dicebat: Juste ore suo condemnatus est, ore suo suscepit anathema, quoniam ore suo condemnatus est: nemo enim unquam judicavit Pontificem, quoniam prima sedes non judicabitur à quoquam*, habentur acta Sinuessanæ Synodi Tom. 1. Concilior. Et Marcellini exemplum adfert Nicolaus I. in celebri sua epistola ad Michaëlem Imperatorem, quæ lecta est in Synodo Oecumenica 8. act. 6.

Rursus Anno 324. postquam Constantinus Lustrali Baptismi aqua ablutus fuit Romæ indicta fuit à Sylvestro Papa Synodus, cui interfuerunt Episcopi 284. in Thermis Traiani præsente Constantino & Matre Helena, in qua Valentiniana, & Sabelliana hæresis damnata fuit, & habetur hæc Synodus Tom. 1. Concilior. in cujus 20. capite habet: *Nemo enim dijudicet primam sedem, quoniam omnes sedes à prima sede justitiam desiderant temperari; neque ab Augusto; neque ab omni Clero, neque à Regibus neque à populo Judex judicabitur.* Quòd si Romanus Pontifex non potest judicari ab omni Clero, sequitur, quòd nec etiam à Concilio generali, quod repræsentat omnem Clerum.

Rursus Romæ anno 433. celebratum est in Basilica Heleniana in atrio Sessoriano Concilium in causa Sixti III. Papæ, qui conflatâ illi ab Anicio Basso Exconsule calumniâ, & Mariano Patritio, stupri cum sacra Virgine accusabatur: adfuit etiam Valentinianus Augustus cui cum dictum à Patribus fuisset: *Non licere adversus Pontificem dare sententiam, surrexit idem protinus Imperator & in arbitrio Papæ tribuit judicare suam causam*: Verba sunt Nicolai Papæ in epistola ad Michaëlem Imperatorem, quæ legitur Tom. 3. Concilior.

Rursus anno 502. sub Symmacho Papa indicta fuit Synodus in Porticu Basilicæ S. Petri, quæ vulgò Palmaria vocabatur: Occasio indicendi hanc Synodum fuit, quia provectò ad Pontificatum Symmacho aliquorum senatorum studiis, & pecunia oppositus fuerat Laurentius Antipapa, à quo cum calumniis Symmachus infamaretur, destinatus à Theodorico Italiæ Rege visitator, qui in vitam & mores Symmachi inquireret, hic tempore cedens passus est, & in Synodo Palmaria centum & quindecim Episcoporum, dilutis oppositis ei delictis, innocentiam suam probavit, quod etiam repetere voluit sequenti anno in alia Romana Synodo in qua Ennodio injunctum fuit, ut scripta Apologia schismaticorum criminationes refelleret, quod tanta ab illo eloquentia factum fuit, ut omnium laudes promereretur, legitur hæc Apologia Tom. 2. Concil. ubi nervosè ostendit primam sedem non posse abjudicari.

Anno 449. coacta fuit secunda Synodus Ephesina sub Theodosio II. Imperatore, & Leone Pontifice maximò cui interfuerunt Episcopi 128. præseditque Dioscorus Patriarcha Alexandrinus, à Leone missi sunt, quatuor Legati Renatus, & Hilarius Cardinales, Julianus Episcopus Puteolanus, & Dulsitius, in hoc autem Concilio dolo, & vatrisie Chrysanthi Eunuchi in aula Theodosii præpotentis minis, & armis extorta fuerunt Patrum suffragia, quibus Eutyches absolutus fuit, & Flaccianus Patriarcha Constantinopolitanus damnatus, & paullo post in exilium missus ærumnis, ac miseriis è vita decessit, & legati Pontificis injuriis gravati, ac fugati deseruent conventum illum, cui præsedit Dioscorus, qui ad id devenit temeritatis, & audaciæ, ut Alexandriæ indixerit Concilium paucorum tamen Episcoporum, quos metu ad suam traxerat partem, & in Leonem Pontificem sententiam dixerit anathematis, quæ scelera à Dioscoro patrata refert Nicolaus I. in celebri sua epistola ad Michaëlem Imperatorem sed Leo Papa totam Ephesinam Synodum, & omnia illius acta damnavit, ut constat ex illius epistolis 22. 23. 24. 25. quæ leguntur 2. Tom. Concil.

Quòd si dicas, hanc secundam Ephesinam Synodum fuisse illegitimam compulsis Patribus ad subscribenda acta per incussum metum, minásque prolatas; consequenter licet Papa sit supra Concilium illegitimum, non inde inferri potest, esse itidem super Concilium universale legitimum.

Sed

Sed contra, quia catenus fuit illegitimum, quia non præsederunt legati Pontificis, quia non fuit à Papa confirmatum; confirmari aliquid non potest nisi à superiore conferente authoritatem rei confirmatæ, consequenter ex hoc claré deducitur, Concilium esse infra Papam, cum indigeat ejus authoritate indici, ejusque confirmatione legitimari. Hinc quia Concilium eatenus ex legitimum, quatenus indictum authoritate Papæ, & ab eo approbatum, & confirmatum; sequitur esse Papam etiam supra Concilia generalia legitima, cum hæc suam habeant authoritatem à Papa, à cujus approbatione, & confirmatione dependent.

Rursus anno 868. in Synodo Romana sub Hadriano II. in causa Photii Pontifex ita fuit prælocutus: *Romanum Pontificem de omnium ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus, de eo verò quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum; sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solum licitum est minoribus majorum suorum motibus resistere, vel pravos suos sensus liberè respuere: Quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam, de eo, quamlibet fas fuerit, proferre sententiam, nisi ejusdem primæ sedis Pontificis consensus præcessisset*: & hæc verba lecta, & approbata fuerunt in octava Synodo Oecumenica Act. 7. Quod si dicas, Pontifices egisse in propria causa, proinde fuisse sibi contrarios. Respondetur, Pontifices non pro sua propria causa fuisse loquutos, sed pro causa Dei, fuæque in terris ecclesiæ militantis. Præterea si Papæ loquenti in iis, quæ concernunt totam ecclesiam, consequenter etiam se ipsos credi non debet, cui credemus? quis huic controversiæ erit finem impositurus? cum & ipsum Concilium definiret in propria causa, si in suum favorem controversiam dirimeret? ideo credimus Papæ loquenti, quem præferimus Concilio Generali, quia Christus non pro hoc, sed pro Petro æternum Patrem rogavit Luc. 22. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Fratres sunt Patres in Concilio Generali congregati, quorum decreta confirmare, injungitur Petro non potenti deficere in fide, & quia confirmare pertinet ad superiorem; sequitur Papam esse supra Concilium Generale, & ejus authoritatem esse majorem.

Si instes, Petrum fuisse graviter à Paulo objurgatum. Contra est; quia inferior potest monere, imò, & objurgare suum superiorem, si malè agat; non verò judicare, quia monere, & objurgare non supponunt jurisdictionem in objurgante, momente, exhortante; bene tamen in judicante: quicunque male agit, redargui potest à quovis etiam inferiore; non verò judicari nisi ab habente jurisdictionem: Sic Nathan Davidem Regem, & Prophetam adulterii redarguit; non verò judicavit: Concionatores redarguunt omnes peccatores, proinde etiam principes, & reges si sint de illorum numero, quos tamen non judicant.

Si dicas Honorium Papam fuisse judicatum, & condemnatum à Sexta Synodo. Respondetur, Honorium fuisse Hæreticum, ut superius diximus, & ut talem non fuisse caput ecclesiæ, quia non fuit membrum illius; hæretici non sunt membra ecclesiæ, quia non accipiunt influxum à capite, cum quo non communicant, ut neque schismatici, quia sejunguntur à reliquo corpore; vel si hæretici dicuntur propter baptismum membra Ecclesiæ, sunt membra putrida rescindenda à reliquo corpore, ne illud corrumpat. Quòd si Honorius non fuit hæreticus; non potuit à Synodo judicari, & sententia damnationis fuit irrita ac invalida.

Si dicas, Sextam Synodum Oecumenicam can. 53. & 55. præcepisse Papæ, ut permitteret matrimonii usum Sacerdotibus, & abrogaret jejunium Sabbathi. Respondetur, hanc Synodum fuisse illegitimam, nulliusque authoritatis, consequenter non potuisse quidquam statuere, neque præcipere. Fuit enim hæc Synodus celebrata anno Christi 692. Constantinopoli ab Episcopis Orientalibus, & *Penthectin* dicta, seu Quini-Sexta, eo prætextu, ut quæ Quintæ, & Sextæ Synodo deessent, suppleret, & vocata etiam fuit Synodus Trullana à loco in modum trullæ, seu cupulæ concamerato; interfuerunt quidem Patres 227. Sed à sede Apostolica nullus, qui ejus nomine præsideret, propterea à Sergio Papa damnata fuit, ut refert Beda de sexta ætate in Justiniano minore; Et Anastasius in Sergio.

Si dicas de facto plura posse produci exempla, quibus per sententiam Principum Pontifices Romani fuerunt indicati, & condemnati ad pœnam subeundam: etenim Constantius Liberium Papam, Justinianus Sylverium, & Vigilium in exilium egerunt. Otto I. Joannem XII. deposuit Leone VIII. substituto. Henricus III. Gregorium VI. in ordinem redegit, jussitque Clementem II. Pontificem eligi. Quòd si Principes sæculares potuerunt jus dicere in Romanos Pontifices, à fortiori concilia generalia ecclesiastica, cum constent ex solis Sacerdotibus, qui suffragia ferunt. Sed contra quia ex notissima regula juris non exemplis, sed legibus judicandum est, quia exempla, & facta hominum alia sunt bona, quæ sequi honestum; alia mala, quæ destinanda sunt: unde priùs ostendi debet, exempla esse bona, & juxta leges, quàm ad aliquid probandum assumantur ut argumenta. Nihil est adeo malum, quod aliquo exemplo careat. Cæterum ut respondeamus productis exemplis: Constantius, & Justinianus nullo jure usi fuerunt, sed summa injuria, cum ille Liberium, hic Sylverium, & Vigilium miserunt in exilium, ut ex historiis exploratum est omnibus. Otto I. Joannem XII. hominem flagitiis magis, quàm dignitate maximum, exclusit è Petri cathedra ex majori zelo, quàm æquitate, belli legibus peritior, quàm juris: erravit igitur Otto ex nimio zelo.

Si dicas, ipsos Pontifices se subjecisse sententiæ, ac judicio aliorum, siquidem in c. si quis 42. c. 2. q. 7. ait Gregorius Papa: *Si quis super his nos arguere voluerit, veniat ad sedem Apostolicam, ut ibi ante confessionem B. Petri meum justè decertet, quatenus inibi unus ex nobis sententiam suscipiat suam.* Sed contra, quia inde non sequitur dari judicem supra Papam, qui in ipsum exerceat jurisdictionem: sed tantum quod Papa certus suæ innocentiæ non solum Concilii Generalis, sed etiam Principum sæcularium possit examen, & judicium admittere, ut innocentia clarior splendeat: non ut illis se, suámque dignitatem submittant: sed tantum ut purum factum examinetur: exemplo Christi, qui cum in forma Dei esset exinanivit semetipsum; Hinc Gratianus *c. testes 2. quæst. 7*: ait. *Aliud est quod de rigore cogimur servare disciplinæ; Aliud quod admittitur ex perfectionis consideratione. Christus ad se arguendum Judæos admisit perfectione humilitatis, non severitate juris. Si enim rigore legis essent admissi, hac authoritate criminosi, ac infames in accusatione religiosorum essent recipiendi, cum essent sceleratissimi, qui de Christi nece tractantes, innocentem condemnare vrlebant. Hoc enim exemplo Prælati non coguntur recipere subditos in accusatione sui, sed permittuntur. Item Paulus*

 Petrum

*Petrum reprehendit, qui Princeps Apostolorum erat. Unde datur intelligi, quòd subditi possunt reprehendere Pralatas suos, si reprehensibiles fuerint.*

Ratio itidem evincit, Concilium esse infra, non supra Romanum Pontificem, eique subesse, non præesse: quia, cum Christus suam dilexerit militantem in terris ecclesiam, quam suam voluit esse sponsam, *desponsabo te mihi*, ei optimè consultum voluit, propterea eâ gubernari regiminis forma, quæ perfectior esset, magisque conduceret ad ejus promovendam utilitatem: hæc autem forma regiminis non est Aristocratica, neque Democratica, quia hæ formæ comprehendunt plures, qui simul gubernent; sed est Monarchica, quâ unus tantum cæteris omnibus præest, quos regit, & gubernat: ergo si Christus voluit suam ecclesiam optima gubernari regiminis forma, regimen suæ ecclesiæ non concilio Generali coalescenti ex pluribus, sed soli Romano Pontifici commisit. Quos Deus amat, iis suam communicat bonitatem, & quos plus amat, plus iisdem impertitur boni: non enim Dei amor sterilescit intra corticem, sed se prodit exterius vernans in florem, maturescens in fructum.

Quòd verò regimen monarchicum sit cæteris perfectius, ex eo liquet, quia unus supremus gubernator semper præsto est, opemque statim ferre potest; mala ne oriantur, impedire, & orta coërcere, ne fusius serpant, vel radicitus evellere, aut extinguere: Ubi verò res dependet à pluribus, vel loco dissitis, vel qui moribus sint diversi, ac contrarii, vel sententiis discrepantes difficulter unanimes conveniunt, nec facilè invenitur, qui propriæ velit opinioni cedere, ut se accommodet suo collegæ; è converso unus facilè sibi obstrictos imperio, & potestate ad exequenda semel destinata impelli & adigit: ubi verò multi pari potestate imperant, in factiones ut plurimum scinduntur populi sibi, & reipublicæ noxii; sub uno capite magis ordinatè res disponuntur, ac melius diriguntur ad optati finis assecutionem; cum ex multitudine facilius oriatur confusio. Legat, cui otium permiserit, quæ hactenus fuerunt Concilia Oecumenica celebrata, exploratum ei statim erit, quot de loco, de modo, de rebus ipsis ortæ fuerint difficultates, quot natæ lites, quot sententiæ discrepantes, quot controversiæ agitatæ, quæ dirimi non potuissent, nisi unus adfuisset supremus judex, qui præsedisset, & sua definitione finem litibus imposuisset. Is semper fuit Romanus Pontifex, qui vel per se immediatè, vel per suos Legatos mediatè Conciliis Generalibus præsedit, & ibi acta approbavit, confirmavit, & authoritatem fuit statutis à Concilio impertitus.

In ecclesiæ igitur commodum congruum fuerat, ut Christus uni tantùm concrederet suæ in terris militantis ecclesiæ supremum regimen, cujus authoritas esset infallibilis, quoties doceret in Conciliis, vel extra Concilia è cathedra sub uno Principe regnum stat firmius, floret lætius, viget diuturnius: faciliùs inter multos & pares fovetur invidia, ex qua æmulationes, ac bella civilia excitantur, & populi in factiones discissi nonnisi perniciem reipublicæ moliuntur; etenim ut aliena spectamus, quæ communia sunt, & ideo ea negligimus quasi non nostra: vix unum reperies, qui non magis doleat furtum domi suæ factum, quamvis mediocre, quàm de hostili incursione in patriam; quia hoc malum commune est, illud proprium. Quòd si percurramus regnorum ac rerum publicarum historias, deprehendemus Monarchias fuisse rebus publicis potentiores, ac diuturniores, & regimen Monarchicum pace belloque florentius, quam Aristocraticum, Democraticum, ergo cum Deus constituerit Ecclesiam militantem in terris suam sponsam, quàm maximè dilexit, ut unitatem pacemque in illa commendaverit, non debuit nisi Monarchicum ei regimen dari: sin autem Concilium Generale, & non Romanus Pontifex Ecclesiam reget, non esset ejus regimen monarchicum, quia plures, quotquot sunt in Concilio Generali, eam gubernarent: quamvis igitur monarchicum regimen suis etiam quandoque laboret defectibus, suisque denigretur maculis, sua experiatur detrimenta, ut rerum humanarum fert conditio, hæc tamen damna longè pauciora, & minora sunt, si regimen sit apud unum tantùm quam penes multos, quoties enim Concilia Generalia non fuerunt directa ab uno tantùm Romano Pontifice, plures fuerunt invectæ confusiones, quæ omnia sus deque everterunt, ut contigit in Conciliis Generalibus, quæ quo fuerunt numerosiora, eò majores fuerunt confusiones, & scandala, ut in Conciliis Occumenicis Antiocheno, Ariminensi, Ephesino II. Constantinopolitano sub Leone Isaurico, & alio sub Copronymo, Pisano Basileensi, quæ tametsi Patribus doctrinâ, & pietate clarissimis abundaret, quia tamen à Romano Pontifice non ducebantur, sed potius contra hujus voluntatem canones sanciverunt, & leges statuerunt, nonnisi incommoda, turbulentias, & hæreses in Ecclesia excitârunt, cum è contra Concilia Generalia authoritate Romani Pontificis congregata, & quibus ipse Pontifex præsedit vel per se immediatè, vel per suos Legatos mediatè, & a eo approbata, & confirmata fuerint omnium fidelium semper veneratione, & cultu suscepta fuerunt, ac servata. Huic D. Thomas *1. part. quæst. 103. art. 3.* ait: *Optima est gubernatio, quæ fit per unum, cujus ratio est: quia gubernatio nihil aliud est, quàm directio gubernatorum ad finem, qui semper est aliquid bonum. Unitas autem pertinet ad rationem bonitatis. Probatur per hoc quòd sicut omnes desiderant bonum, ita desiderant unitatem, sine qua esse non possunt. Nam unum, quodque in tantum est, in quantum unum est. Unde videmus, quòd res repugnant suæ divisioni, quantum possunt, & quod dissolutio unius, cujusque rei provenit ex defectu illius rei. Et ideo id ad quod tendit intentio multitudinem gubernantis, est unitas sive pax. Unitatis autem causa est per unum. Manifestum est enim, quòd plures multa unire, & concordare non possunt nisi ipsi aliquo modo uniantur. Illud autem quod est per se unum, potest esse unitati convenientius quam multi uniti, unde multitudo melius gubernatur per unum quàm per plures.* Hinc animalia quæque five humi repentia, sive pedibus ambulantia, sive alis per aëra volitantia ab uno tantùm regi cupiunt, ac dirigi, ut notavit Hieronymus epist. 4. *Multa animalia & ferarum greges ductores sequuntur suos: in apibus Principes sunt, grues unum sequuntur ordine litterato. Imperator unus Judex unus Provincia. Roma ut condita est duos simul fratres Reges habere non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebecca utero Esau, & Jacob bella gesserunt. Singuli Ecclesiarum Episcopi singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis Ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur, in navi unus gubernator, in domo unus Dominus, & in quovis grandi exercitu unius signum expectatur. Et ne plura replicando fastidium legenti faciam, per*

*hæc omnia ad illud tenditur oratio, ut doceam te non tuo arbitrio dimittendum, sed vivere sub unius disciplina Patris consortioque multorum.* Quotquot igitur in mundo sunt res conditæ sub quavis sua specie ab una dirigi, & gubernari cupiunt, quæ cæteris præmineat, imo & mundus totus non nisi per regimen unius subsistit, cujus gubernatio proinde est optima, quia ab uno tantùm gubernante, ut eleganter animadvertit S. Athanasius orat. contra gentes, ubi ait: *Non igitur pugnantia, & contraria ex ipsa natura in unum non coalescerent, nisi præstantior aliquis esset & Dominus, qui ea conjungeret, cui & ipsa elementa tanquam ancillæ Domino suo obsequenter cedant, & obtemperent. Non enim singula ad suam ipsorum naturam respectantia cum aliis repugnant, sed eum, qui ea ita coagmentavit Dominum agnoscentia concordiam inter se fovent, & naturaliter quidem inter se contraria, gubernatoris tamen voluntate in amicitiam conciliantur.* Et pauló ante dixerat: *Qui cernens contrarias inter se naturas coaptatas tamē esse, & concordem harmoniam tenere. veluti quis* videns ignem frigido, & siccum humido commixtum esse, atque hæc sibi invicem non resistere, sed unum quasi corpus absolvere, non secum cogitet, foris, & seorsim esse eum ab istis, qui ista *in hunc modum conjunxerit?* Et post multa in eandem rem: *Quis animadverto in dissimilibus contrarisque parem similémque ordinem ex illis conflari non animo ratiocinetur unam esse vim potentiámque, quæ ista dispenset, & gubernet, pro cujus arbitrio omnia ita rite in eo statu perseverant? ipsa enim per se nunquam vel cōstiterint, vel apparuerint, ob mutuam quæ illis est naturæ discordiam.*

Alia ratio ex eo petitur, quia cum authoritas Romani Pontificis versetur, præsertim circa decisiones dogmatum, & controversias fidei veramque scripturarum intellectionem, & leges generales obligantes omnes fideles, non potuit voluntate hominum institui, sed voluntate Dei deponentis suam authoritatem, & potestatem in alium, qui vices suas in militante Ecclesia gereret. Vel igitur hæc authoritas & potestas deposita fuit in Concilium generale, quod constituerit suum Vicarium, vel tantùm in Petrum, ejusque successores, canonicè electos, seu Romanos Pontifices? atqui primum dici nequit, quia non potest assignari, à quo Concilium ex scripturis acceperit hanc authoritatem, nec quando, nec ubi, quia scriptura de Conciliis tacet, Patres nihil dicunt, & traditio Ecclesiæ, & usus rerum est omnino contrarius: nullibi enim in scripturis legitur, Christum dixisse Concilio generali, *tibi dabo claves regni Cœlorum*, nunquam ad Concilium direxit verba illa, *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, nunquam Concilio dixisse, *si amas me, pasce oves meas*: hæc enim omnia soli Petro ejusque successoribus pro tempore Christus dixit. Soli enim Petro concredidit claves regni cœlorum, soli Petro dixit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Solum Petrum interrogavit, si ipsum amaret, *Si amas me, pasce oves meas*, & pro solo Petro rogavit, ut non deficeret ejus fides, Luc. 22. *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*: Si ergo solus Petrus fuit à Christo constitutus supremus Pastor suarum ovium absque ulla, restrictione nulla excepta, sed illi injunctum ut pasceret, quotquot sunt oves Christi, ex quarum numero sunt etiam Patres in Concilio generali congregati, sequitur ad Romanum Pontificem verum Petri successorem pertinere pascere doctrinâ Patres illos, consequenter docere, & præesse ut Magistrum toti Concilio, illudque approbare, & confirmare vel reprobare, & non semper approbare, cum Christus impetrata suis precibus Petro, & ejus successoribus authoritate infallibili injunxerit, *ut aliquando confirmaret fratres suos*, scilicet quando Patres in Concilio rectè statuerunt, & processerunt ordinatè juxta normam iisdem præscriptam à Romano Pontifice. Cum igitur Concilio Generali non fuerit à Christo injunctum, ut pasceret suas oves, non potest supremi Pastoris officium gerere, nec consequenter infallibilem authoritatem habere sine Romano Pontifice: Quòd si non est Pastor supremus, pertinet ad ovile, & ad oves Christi, consequenter est infra, non supra Pastorem neque pascit, regitque, sed ab illo pascitur, & regitur.

Præterea si hæc authoritas infallibilis in dirimendis controversiis fidei non inesset Romano Pontificit, qui propterea subesset Concilio, possétque errare in definiendis rebus fidei, & hæc authoritas infallibilis inesset toti Concilio: ex hoc falso supposito, si contingeret quæstionem oriri circa dogma aliquod fidei, cuinam in hoc casu deberent fideles acquiescere? non Romano Pontifici, quia hic dicitur posse errare, & falli, & nemo certo illud credit, cui potest falsum subesse. Si dicatur teneri tunc fideles acquiescere Concilio generali, statim oritur difficultas, unde constet esse universale, unde quòd sit legitimum, quomodo probari poterit Patrum suffragia non fuisse metu extorta, vel præmio dolis, & adulatione partium in partem alteram retractam, ut in Concilio Ariminensi, in quo Patrum suffragia dolo fuerunt in contrariam partem extorta? Quòd si canones, & acta Concilii fuerint corrupta, & immutata, ut in octava Synodo, quis poterit eos corrigere, & veritatem tueri? quis poterit cognoscere, an revera Patres in ferendis suffragiis liberè se gesserint, propter has, & plures alias difficultates, quæ possent insurgere contra libertatem, & legitimitatem Concilii vix posset certa fides eidem præstari, qua propter extra Concilium tale debet esse aliquis Judex controversiarum, qui sit supra Concilium, & authoritatis infallibilis, à quo controversiæ fidei dirimantur, & fideles ejus definitioni plenè acquiescant: hic autem à Christo fuit constitutus D. Petrus, cui demandavit officium pascenei suas oves, & pro quo rogavit Patrem, ut nunquam deficeret in fide, quamdiu doceret è cathedra omnes fideles, vel definiret in Concilio generali, & quia Petrus erat brevi moriturus, & oves Christi perseveraturæ, in ovili seu Ecclesia usque ad consummationem sæculi, ne oves remanerent sine Pastore, hanc eandem authoritatem ita tradidit Petro, ut ad suos transiret successores canonicè electos.

Quòd verò hæc authoritas infallibilis soli Romano Pontifici insit ex eo itidem firmari potest, quia quotquot in Pontificem ejus authoritatem surrexerunt, ceciderunt depressi. Exemplum statim fit obvium in Veteri Testamento Numer. 16. ubi legitur: *Ecce, care Filius Isaac, & Dathan atque Abiron surrexerunt contra Moysem, & Aaron, aliique Filiorum Israel ducenti & quinquaginta viri Proceres Synagogæ, & qui tempore Concilii per nomina vocabantur: cumque stetissent contra Moysem, & Aaron dixerunt: sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus, cur elevamini super populum Domini? quod cùm audisset Moyses, cecidit in faciem pronus locutusque est ad Core, & omnem multitudinem: multum erigimini filii Levi: num parum vobis est, quod separavit vos Deus Israel ab omni*

*nomini populo, ut vobis etiam Sacerdotium vindicetis? & omnis globus tuus stet contra Dominum? quid enim est Aaron, ut murmuretis contra eum? confestim igitur, ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum; & operiens os suum devoravit illos, sed & ignis egressus à Domino interfecit ducentos, & quinquaginta viros, qui offerebant incensum.*

Quidni etiam in Christi Ecclesia hæc reperiuntur exempla anno 449. in Synodo Ephesina, quæ habetur Tom. 2. Concilior. & quam Liberatus universalem vocat cap. 12. ausi fuerunt Patres contra sententiam, & voluntatem Legatorum sedis Apostolicæ, Theodoretum, Ibam, & Cyrillum Episcopos damnare, eosque & præsertim *S.* Isaurianum, ad Romanum Pontificem provocantem, episcopatu spoliare: imò & Dioscorus in Synodo Alexandrina in ipsum Pontificem sententiam dicare: sed eo infelici eventu, ut referente Liberato cap. 12. Ecclesia Orientalis diuturno, ac pertinacissimo schismate scinderetur, adhærentibus aliis Dioscoro, & aliis Flaviano, & perseveravit perniciosissimum schisma etiam mortuo Dioscoro usque in annum 594. rursus anno 863. Photius Patriarcha in Constantinopolitana Synodo ausus fuit anathemate percutere Nicolaum Pontificem, sed illius Concilii exitus infelicissimus fuit, & primam suppeditavit radicem discordiarum inter Latinam & Græcam Ecclesiam, & adeo crevit Græcorum aversio in Latinos, ut imperium simul, & fidem amiserint. Eodem anno Patres Metensis Concilii contra præceptum Nicolai Papæ, corruptis pecunia Legatis sedis Apostolicæ, matrimonium Lotharii Regis cum pellice VValtrada confirmant, abdicata Teutperga legitima conjuge, sed inde perpetua illi Synodo infamia adhæsit, ut per contemptum prostibulum diceretur.

Alia ratio, cur Concilium non sit supra, sed infra Romanum Pontificem, cui propterea subjiciatur, ex eo itidem desumitur, quia Concilium Generale non est formaliter ipsa Ecclesia universalis, sed eam tantùm repræsentat, proinde ac Legatus repræsentat Principem, à quo missus est, & Vicarius suum principalem: unde si Concilium non est formaliter Ecclesia, sed tantùm repræsentativè, sequitur non esse majoris authoritatis, quàm ipsas Ecclesias; sicut imago & Legatus Principis non potest authoritate Principem superare; atqui Romanus Pontifex est supra Ecclesiam universalem, à qua judicari non potest, cum illius sit Magister, & Pastor à Christo constitutus, ergo absurdum est asserere Magistrum à Discipulis edoceri, & Pastorem ab ovibus regi: unde si Pontifex sua potestate abuteretur, salva tamen fide, & religione, & corruptis esset moribus, hæ causæ non sufficerent, ut desineret esse Magister, & Pastor, & ut ejus potestas transiret in ecclesiam, & Concilium, quinimò in illo casu adhuc audiendus esset Pontifex, & quæ doceret, ea facienda, licet quæ facit, non imitanda, ut ait Christus *Matth.* 23. hinc 1. *Petri* monemur magistratibus non tantùm modestis, sed etiam discolis obedire, ergo si Romanus Pontifex verus Petri successor est fundamentum, Ecclesiæ *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* est claviger regni cœlorum: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque solveris super terram erit solutum & in cœlis, & quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis*, & si est supremus Pastor totius dominici gregis, Joan. ult. *Si amas me, pasce oves meas,* sequitur Concilium, cùm pertineat ad oves Christi, regi, duci, ac doceri à Romano Pontifice, cui propterea præest, ut Pastor, Caput, & Magister, non singularum tantùm Ecclesiarum seorsim, sed etiam ipsius Ecclesiæ universalis, sequitur majoris esse authoritatis, quàm tota Ecclesia, & multò magis quàm Concilium Generale, quod tantùm repræsentat Ecclesiam, nisi velis plus authoritatis inesse Vicario, quàm suo principali: quando autem Christus dixit Petro: *Pasce oves meas*, hæc propositio directa fuit in solum Petrum principaliter, non verò in Concilium, vel ecclesiam; alioquin cum dixit Petro: *super te fundabo ecclesiam meam*, quatenus Petrus tunc repræsentabat Ecclesiam, sensus esset, super te, ô Ecclesia, fundabo Ecclesiam meam. Qui sensus absurdus est: & in aliis etiam Christi locutionibus, quibus promisit claves Petro, si tunc Petrus repræsentasset Ecclesiam, sensus esset: Tibi, o Ecclesia, dabo claves Ecclesiæ, ut etiam cum dixit: *pasce oves meas*: tu Ecclesia pasce Ecclesiam meam, qui omnes sensus quàm sint absurdi, nemo non videt.

Potest etiam alia ratio assignari, cur Concilium Generale non sit supra, sed infra Romanum Pontificem, quia si asserant, hanc potestatem in eum finem fuisse traditam Concilio Generali, ut Pontifex dubius, & in schismate electus, aut in hæresin lapsus posset in ordinem redigi, jam hi duo casus ex necessitate sunt excepti, quia tunc alius non superest modus consulendi Ecclesiæ, ut suum habeat caput, cum enim nullus tunc adsit Pontifex, pertinet ad Ecclesiam repræsentatam in Concilio Generali, sibi providere, sed inde non sequitur, Concilium Generale ullam habere authoritatem supra Romanum Pontificem legitimum, quia eo ipso, quod Pontifex est Hæreticus, desinit esse caput Ecclesiæ: & etiam Pontifex dubius, & in schismate electus, non habetur ut Pontifex, qui hic debet esse certus, consequenter, cùm in duobus allatis casibus nullus habeatur verus Pontifex, ad Ecclesiam pertinet sibi providere de vero, certo, ac indubitato Pontifice; perinde ac mortuo Pontifice sede vacante pertinet ad Cardinales in Conclavi novum Pontificem eligere; Quòd si Romanus Pontifex perditissimis esset moribus Christi Vicario indignis, qui tamen personam tantùm coinquinarent, non verò in apertam Ecclesiæ perniciem tenderent, tunc, si alius Pontifex esset legitimè electus, non pertineret ad Concilium Generale ullam in ipsum exercere superioritatem, non enim ob privata & domestica vitia Principes gradu dejiciuntur, alioquin majestas regnantis subditorum exponeretur calumniis, criminationibus, ac libidini, & vix esset Princeps, in quem plebs male affecta non grassaretur falsis accusationibus, & calumniis, hinc Princeps esset scopus invidiæ, & odii subditorum. Quòd si prætextu criminum, ac scelerum, quæ in Principe notantur, liceret subditis in eum grassari, nullus esset Princeps tutus, nullus in throno securus sederet, plura semper imaginaria objicerentur delicta majestate semper dubia, & lapsui proxima, cui periculo ut occurreretur sacræ paginæ Principibus etiam discolis, & malis obsequi injunxerunt Matth. 23. & Petri, J.

Dolendum quidem est, plures fuisse Pontifices, præsertim sub finem noni, & initium decimi sæculi, qui vitiis corrupti, pluribusque notati sceleribus fidelibus essent scandalo, propterea tamen non fuerunt depositi, vel schisma introductum, ut refert Luitbrandus *lib. 2. cap.* 13. & narrat Barronius ad annum 908. Quòd si mores Pontificum adeo fœdi, ac corrupti essent, ut periculum immineret, quòd tota Ecclesia in perniciem deduceretur: ut etiam, si aliena invaderent, injustas leges conderent, Principum sæcularium jura, & regna turbarent, tunc quidem nulla urgeret necessitas congregandi Concilium Generale; quod

quod malis hisce occurreret, aut opus esset ulla majoritate supra Pontificem, sed jus ipsum naturale ea omnia permitteret, quæ cum moderamine inculpata tutelæ ad justam pertinent defensionem: quisque enim ab injusto aggressore potest se defendere, & vim vi repellere: unde nec in hisce casibus opus esset provocare ad futurum Concilium, quia ratio naturalis in hisce casibus dictat, quid quis agere debeat, ut res suas tueatur, seque ab injusto aggressore defendat.

Et hæc fortassis causa fuit Ottoni Imperatori Joannem XII. Romanum Pontificem solio exturbandi, qui contra fidem Augusto datam, imò & juramento adstrictam Adalbertum Tyrannum fovit, ipsique se confœderavit in certam Ecclesiæ, & imperii perniciem: potuit hoc Ottonis factum, tametsi à plerisque damnatum, ea ratione purgari, eò quia manifestum damnum sine legitima causa illi inferret: vel etiam quia Joannes fuerit in sedem Apostolicam magis intrusus, quàm electus, cùm electores minis, metuque oppressis libertate prius fuerint spoliati, quàm eligerent: ad majora tamen evitanda mala Ecclesia illum pro aliquo tempore toleravit, donec data occasione posset hoc monstrum è sede Apostolica expellere. Refert Frodoardus in Chronico ad annum 954. Scriptor illius temporis, fuisse hunc Pontificem filium Comitis Tusculani: *Alberico Patritio Romanorum defuncto, Filius ejus Octavianus cum esset Clericus principatum adeptus est. Quique postea defuncto Agapeto suggerentibus Romanis Papa urbis efficitur*, ex quo testimonio liquet, Octavianum non fuisse intrusum ab Alberico, quia Albericus Agapeto præmortuus erat: sed post mortem Alberici Patris, & obitum Agapeti, ipse quamvis ætate incapax ut principatum sacerdotio firmaret, Pontificatum usurpavit. Primus fuit iste Pseudo-Pontifex, qui ex veterum testimonio nomen mutavit in pontificatu, & ex Octaviano Joannes dici voluit, nimirum ut inter assentatiores sacrum illud sibi appropriaret elogium, *fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes*, qui cùm primùm sedem Apostolicam occupavit, minarum spirans, & cædis, militibus scriptis copias ex Spoletano ducatu conduxit auxiliares contra Bandulphum Principem Capuanum, qui auxilio fultus Gilulphi Principis Salernitani Joanni occurrens pacem dare cœpit, sed fœdior factus omni maluit libidine coinquinari, quam suæ & populorum quieti studere, donec depositus vel Pseudo-papa declaratus fuerit ab Ottone, ut communi Ecclesiæ, & populorum bono consuleret.

# CAP. XIV.

## Producuntur, & diluuntur Objectiones.

PRima quæ se offert objectio, & quæ fundamentum, quæ nituntur Adversarii, est textus desumptus ex Evangelio Math. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum, sin autem te non audierit, adhibe adhuc tecum unum vel duos, quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: sin autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus: amen, dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt alligata & in cœlis*, alloquitur Christus Apostolos, ac eorum successores, à quibus vult Christianos incorrigibiles Ecclesiæ denuntiari, à qua si damnati fuerint, ad nullum alium superiorem judicem remittit, sed statim vult haberi, ut Ethnicos & Publicanos, qua propter Christus vult Ecclesiæ tribunal esse ultimum; propterea à sententia Romani Pontificis posse ad Ecclesiam provocari, ut à minori ad majorem judicem: & hunc textum ita videntur explicâsse S. Gregorius *lib.* 4. *epist.* 38. & Nicolaus I. *in cap. Præcipuè II. quæst.* 3. ergo ex hoc sacræ scripturæ textu satis apertè colligitur, Ecclesiam & Concilium generale repræsentans totam Ecclesiam esse supra Pontificem.

Sed contra quia in præfato textu nulla fit mentio Petri, nec ejus successorum, & tamen de his in præsenti controversia quæritur, tametsi Christus Matth. 18. loquatur ad Apostolos in communi, non tamen ex regulis juris generali locutione includuntur casus speciali nota digni, & privilegiati, ut est D. Petrus, & ejus pro tempore successor legitimus, cui Christus injunxit officium supremi Pastoris omnium suarum ovium, consequenter & Apostolorum, cum & ipsi pertinerent ad ovile Christi, ac fuerint ejus oves, dixit enim Christus Petro Joan. 21. *Amas me? pasce oves meas*, quæ verba non ad alios Apostolos direxit, tametsi in unum cœtum congregatos, sed ad solum Petrum, quem propterea instituit supremum Pastorem totius sui ovilis.

Rursus nomine Ecclesiæ, cui Christus jubet pertinaces, & obstinatos denuntiari, Christus intellexit eos omnes, quibus concessa est potestas ligandi, solvendi, puniendi, ut liquet ex fine denuntiationis, qui nihil aliud est, nisi correctio errantis, & emendatio peccantis; ut etiam ex adjuncta illa causali, quæcunque enim alligaveritis super terram; etenim potestas ligandi, & solvendi, non solum Concilio generali congruit, sed etiam cuilibet Episcopo, aliisque Prælatis Ecclesiarum. Quòd si nomine Ecclesiæ deberet solum Concilium generale intelligi, quoties homo Christianus rem alienam surripit invito Domino, alienum thorum adulterio coinquinat, humanum sanguinem homicidio fundit, ut corrigeretur, seque emendaret, deberet statim Concilium genera-

le indici, ac congregari, ut delinquentis causa examinetur, quo nil potest cogitari absurdius, nilque impossibilius, ergo nomine Ecclesiæ Matth. 18. Christus non intellexit Concilium generale repræsentans totam Ecclesiam, alioquin non benè consultum fuisset suæ Ecclesiæ, nec morum emendationi, si ad corrigendum fratrem quemlibet peccantem deberet Concilium generale indici, cum hoc non possit nisi post diuturnum tempus indici, & congregari.

Sed dato etiam, & non concesso, quod nomine Ecclesiæ Christus intellexisset Concilium generale, non tamen imperfectum mutilatum, acephalum, & sine capite, sed perfectum integrum, & una cum suo capite, ex quo non sequitur Concilium esse supra Pontificem, sed infra, perinde ac reliqua corporis membra sunt infra caput, à quo suum desumunt influxum, non enim Christus Matth. 18. loquitur de Ecclesia exclusivè à suo capite, quod est pars corporis nobilior, ac perfectior, sed inclusivè cum capite. Rursus Christus dixit: *si peccaverit in te frater tuus*, ut significaret, sermonem non esse de supremo Pastore Dominici gregis, ut est Romanus Pontifex, quia non omnes peccant contra personam Pontificis. Quamobrem legitimus præfati textûs sensus est: *si peccaverit inter frater tuus* & is secretæ tuæ, ac fraternæ admonitioni non acquieverit, dic Ecclesiæ hoc est, Pastori proprio, qui præest Ecclesiæ, in qua reperitur delinquens, ut explicat S. Chrysostomus *homil.* 61. *in Matth.* & D. Thomas *in* 4. *Dist.* 19. *&* 22. *quæst.* 24. & Innocentius III. in cap. *novit de judiciis.* Quamobrem quilibet particularis Episcopus quando agit ut publica persona, & ut Episcopus utitur potestate Ecclesiastica, eò quia tunc repræsentat ipsam Ecclesiam. Patet etiam exemplo Gregorii Magni, qui Joanni Patriarchæ Constantinopolitano scripsit: quòd si non abstineret à titulo universalis Patriarchæ se illum Ecclesiæ denuntiaturum & tamen nullo indicto generali Concilio sola authoritate papali eum compescuit, & censuris obstrinxit, ut liquet ex illius *Epistolis* 30. *&* 31. unde malè nomine Ecclesiæ Matth. 18. intelligitur ab adversariis Concilium generale.

Objiciunt secundò illud D. Pauli 2. ad Corinth. cap. 13. v. 10. ubi ait: *Potestatem sibi à Deo datam esse in ædificationem, non in destructionem Ecclesiæ*, ex quo inferunt, potestatem papalem datam fuisse propter Ecclesiam; consequenter Ecclesiam esse perfectiorem, ac majorem Papa, siquidem finis, propter quem quis operatur, est semper quid perfectius mediis, quibus operans utitur ad assecutionem talis finis, ergo si Ecclesia est finis, propter quem datur dignitas papalis, quæ est medium, sequitur Ecclesiam esse majorem dignitate papali; & quia Concilium generale repræsentat Ecclesiam, est majus Pontifice; consequenter supra ipsum: rursus quia sicut medium si tenderet ad destructionem finis, omnino submovendum, & tollendum esset: perinde si Papa sua authoritate & potestate abuteretur in detrimentum, & perniciem Ecclesiæ, tollendus esset, ut medium noxium assecutioni finis.

Sed contra, quia Papa in eo tantùm sensu dicitur esse propter Ecclesiam sicut Rex propter regnum, & fundamentum propter domum, vel caput propter corpus, & tamen nemo dixerit Regem subjici comitiis regni, & esse inferiorem suis subditis; neque fundamentum à domo sustentari, cum fundamentum, sit, quod domum sustentat. Igitur dignitas papalis est quidem medium à Christo datum in ordine ad conservandam, & regendam suam Ecclesiam in terris militantem, hujus potestates ac moliri aliquid contra bonum Ecclesiæ, atque abusus probationem mereantur tametsi ab ipso Pontifice id fieret contra bonum Ecclesiæ. Sed exinde non sequitur Papam à Concilio generali judicari posse, nec multò minus deponi, si non sit dubius, nec schismaticus, quia id multò magis detrimentum cederet Ecclesiæ, cujus pacem & unitatem turbaret: nunquam enim deesset occasio fingendi crimina ob quæ oporteret Pontificem sua privari dignitate, & alium loco ipsius substitui, quod occasio esset inquietis, turbulentis, & ambitiosis novas semper cogitandi criminationes, quas objicerent Romano Pontifici, ut eo Pontificatu pulso, per electionem alter facilius posset promoveri. Idque officina esset, in qua diætim nova schismata cuderentur, & altare contra altare exigeretur: quod ne fieret, consultius fuit malos Principes tolerari, quàm eos repellere ac dignitate spoliare, ne omnia discordiis, turbisque misceantur. Tum quia ipsa fides & religio Catholica ex odio & contemptu Pontificis periclitaretur.

Cœterum cum adversarii dicunt Ecclesiam esse Papâ perfectiorem vel intelligunt de Ecclesia simul cum suo capite & tunc Ecclesia non est Papa perfectior, cum includat Papam, ut caput ejusdem, si verò sumatur Ecclesia ut distincta à Romano Pontifice, hic utpote supremus Pastor totius dominici ovilis, seu totius Ecclesiæ, & ut Christi Vicarius est perfectior Ecclesia, quæ propterea tenetur Pontificem audire, eique obtemperare, perinde ac oves sequuntur suum Pastorem, cui obediunt.

Objiciunt tertiò plures textus desumptos ex actis Apostolorum: etenim cap. 8. Petrus & Joannes à Collegio Apostolico Samariam mittuntur, ut eorum orationibus recèns conversi acciperent spiritum Sanctum: Sed qui mittuntur tantùm à superioribus dicuntur mitti non ab inferioribus: ergo si Petrus mittitur à Concilio, inferior est Concilio, cui subjicitur, quia missio subjectionem significat. Secundò cap. 15. Actor. ubi cum Apostoli Concilium indixissent pro dirimenda controversia circa legalia, Apostoli in Epistola Synodali nulla facta mentione Petri, neque illius approbatione aut confirmatione scripserunt: *visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris*: unde non Petrus; sed Concilium definivit illam controversiam. Tertiò Actor. 20. non soli Papæ, sed etiam Concilio episcoporum cura injungitur gubernandi Ecclesiam dicitur enim: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos, Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.*

Sed contra ad primum textum respondetur missionem non esse semper signum submissionis: quia ex divinis personis, quæ æquales sunt, & paris majestatis, Filius à Patre mittitur Joan. 3. 17. & 4. 34. Et Spiritus S. mittitur, à Filio Ioan. 14. 26. Heredes etiam Matth. 2. dicitur misisse tres Reges Magos in Bethlehem, qui tamen non subjiciebantur Herodi: unde mittere significat impulsum aliquem, quo alius movetur non tantùm præcepto, vel imperio; sed etiam rogatu, suasu, consilio, allegatione argumentorum: Et hoc secundo modo Petrus utpote majoris authoritatis fuit à Collegio Apostolorum rogatus, ut vellet ipse in Samariam proficisci, ut ibi funderet ad Deum

Deum preces, & recens conversi acciperent Spiritum Sanctum, & quia ivit Samariam, dicitur suasione missus à collegiis Apostolorum.

Ad secundum textum ex cap. 15. Actor. Respondetur hunc esse morem Conciliorum, ac stylum etiam, cum Romanus Pontifex per se immediatè, ac personaliter iisdem præsidet, ut nomine totius Concilii generalis controversiæ definiantur, & decreta, ac canones statuantur, ut constat ex omnibus Conciliis, & etiam ultimo generali Tridentino; & ex primo Apostolorum in dirimenda controversia de legalibus, ubi omnes à Spiritu Sancto illuminabantur, ac dirigebantur dixerunt enim act. 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Cæterum Petrus plura in illo Concilio dedit argumenta sui primatus: siquidem primus sententiam dixit; quid definiendum sit, præscribit; calentem prius disputationem, ac vota discrepantia composuit, ac veluti pronunciato oraculo silentium omnibus indixit, quæ omnia indicia sunt, Petrum præsedisse in illo Concilio, ut supremum Pastorem totius Dominici gregis, & ut habentem præeminentiam supra reliquos omnes, consequenter supra Concilium. Unde nil obstat, quòd nomine Concilii non Petri definita fuerit controversia, quia supponitur semper adesse Pontifex, ut caput totius Concilii, vel per se immediatè, vel mediatè per suos legatos, non enim primaria authoritas Pontificis excluditur, sed includitur, ut principalis.

Ad tertium Act. 20. Respondetur, non omnes quibus concreditur cura gubernandi Ecclesiam, debent Romanum Pontificem potestate, & authoritate superare; alioquin quia hæc cura; & gubernatio Ecclesiæ injungatur cuilibet Episcopo, imò & Parocho; inde sequeretur Romanum Pontificem ab istis superari potestate, & authoritate, quo nil potest absurdius cogitari. Quilibet enim Episcopus, eo ipso quod propriam regit Ecclesiam, mediate regit etiam Ecclesiam universalem, cujus Ecclesia particularis est pars. Bonum enim partis redundat in bonum totius, sicut malum partis dicitur esse malum totius: unde Papa, & Episcopus Ecclesiam regunt, Papa Ecclesiam totam, Episcopus partem Ecclesiæ: ille ut caput, iste ut membrum inferius accipiens influxum à capite, à quo dependet.

Objiciunt quartò, Concilium Constantiense eò, quia *sess.* 4. & 5. definierit Concilium universale habere à Christo immediatam potestatem, cui propterea quilibet, cujuscunque sit dignitatis, & conditionis, *etiam papalis*, teneatur obedire. Et *sess.* 15. anathematizat omnes cujuscunque dignitatis, *etiam papalis*, qui venientes ad Concilium impediunt, & *sess.* 17. variis honoribus Gregorium XII. afficit, eò quia sponte se Pontificatu abdicaverit: declaratque eum gratiis, & privilegiis à Concilio susceptis, neque à futuro Papa, neque à Concilio privari posse. Rursus *sess.* 39. præcipit futuris Papis, ut singulis decenniis Concilium generale indicant, & congregent: & si contingat duos insignia pontificia induere, jubet, sub interminatione divinæ maledictionis, utrumque statim renuntiare, & nisi obedierit, eos privat omni jure, quod ad papatum habebant, eosque inhabiles reddit ad omnes in futurum dignitates. Præterea *sess.* 45. Martino V. jam electo Pontifice Oratores Regis Poloniæ, & magni Ducis Lituaniæ Papæ supplicant, velit libellum quendam opiniones comprehendentem hæreticas Joannis de Falchenberg, ut tales declarare, & in Concilio publicè damnare; quòd si non fecerit, nomine suorum Principum ad futurum Concilium se appellaturos: ex his omnibus apparet, Concilium Constantiense definivisse, ac ostendisse, Concilium generale esse supra Pontificem, eique leges statuere, quas teneatur observare.

Sed contra, quia quando Concilium Constantiense leges illas sancivit, tunc nullus erat in Ecclesia certus Papa, & quia Ecclesia tunc suo erat vero capite destituta, potuit has leges condere; quoties enim est in Ecclesia schisma, ut tunc fuit, & quis sit verus Papa, incertum est, eò quia plures sibi arrogent insignia pontificalia, nullus tunc est Papa, quia hic debet esse certus, & designabilis ab omnibus fidelibus, subintrat Concilium generale, ut eligat verum & certum Pontificem & sede vacante potest leges condere spectantes ad bonum regimen Ecclesiæ, & ad cavendum imposterum schisma. Cæterum semel electo in Concilio Constantiensi Martino V. Concilium illud nil amplius statuit, nec definivit, nec prohibuit, sicut ante electionem; sed omnia nomine electi Pontificis, à quo deinceps sacro approbante Concilio fuerunt omnia constituta, approbata, & confirmata: quòd si non à Concilio, sed à Papa recèns electo fuerunt confirmata, quæ fuerant à Concilio stabilita, argumento id est, Pontificem esse supra Concilium generales quia confirmare est actus superioris, ad quem pertinet acta confirmare inferiorum.

Hinc Concilium Constantiense *sess.* 15. & 17. Pontifici futuro, & indubitato reservat potestatem dispensandi in iis, quæ à Concilio statuuntur, & relaxandi censuras ab eodem latas. Et sess. ult. expressè definit, supremam in Ecclesia potestatem non penes Concilium, sed Papam esse. Neque obstant in contrarium allegatæ sessiones, quia in ipsis Concilium semper loquitur in casu schismatis, & Pontificis dubii, ut expressis verbis, & sæpius repetitis Patres se ipsos clarè explicant, ut visi fuerint præcavisse, ne quis in errorem induceretur verbis Concilii perversè intellectis.

Ad aliud desumptum ex *sess.* 39. qua Concilium singulis decenniis jubet Concilia universalia indici, respondetur Concilium nullo modo id imperasse futuro Pontifici, sed tantùm monuisse ob meliorem Ecclesiæ directionem ad avertenda schismata, unde Concilium non fuit usum imperio, nec vi coactiva, qua futurum Pontificem cogeret ad statuta à Concilio, quòd solum potest leges statuere Pontificem tantùm obligantes quoad vim directivam præsertim si ordinentur ad observantiam divini, & naturalis juris, & earum transgressio publicam Ecclesiæ tranquillitatem turbent, sicut communiter docent cum D. Thoma 1. 2. *quæst. 96. art. 5. ad 3.* Principem posse suis legibus seipsum obligare, quamvis non sit sibi subjectus nec se ipso inferior, scilicet quoad vim directivam, non coactivam, & desumitur ex *cap. quæ contra dist. 8. c. justum. dist. 9. cap. cum omnes de constitut. ff. quod quisque juris. l. digna vox. Cod. de legibus l. 23. de legat. 3.*

Quòd verò Legati Regis Poloniæ, & Magni Ducis Lituaniæ fuerint protestati se appellaturos nomine suorum Principum ad futurum Concilium, respondit ipse Martinus V. ut habetur in actis Concilii *sess.* 45. Postquam animadverterat præfatos Legatos ex Concilii Constantiensis doctrina animos sumpsisse ita appellandi: *si qua in puncto fidei contra Wicleffum, & Hussum à Patribus essent conciliariter decreta sanctè observaturũ, & rata, confirmata habere, non verò qua ad fidem non pertinerent, aut quæ non conciliariter, hoc est cum debito examine, discussione, unitisque suffragiis essent definita.* Rursus voluit hanc suam protestationem, & responsio-

responsionem, in acta publica Concilii referri, & ab ejusdem Concilii Notariis, & Actuariis solemnia, & authentica instrumenta confici; & re ipsa in Bulla, qua confirmavit Concilium, & habetur in calce ultimæ sessionis, Martinus V. ex actis Concilii Constantiensis tantùm confirmavit damnationem errorum Wicleffi, & Hussi factam à Patribus Synodaliter, & in hoc Martinus V. voluit exempla imitari suorum prædecessorum, quia Sanctus Leo Papa, à Patribus pluribus exceptus laudibus, noluit Concilium Chalcedonense confirmare, nisi quoad illa, quæ in materia fidei sancita fuerant, ut legitur in Epistola circulari S. Leonis ad Patres Concilii Chalcedonensis *sess.* 61. & ad Anatolium 54. quæ ambæ Epistolæ habentur Tom. 2. Concilior. Ut autem hoc totum expressius constet, proderit verba ipsa Concilii attexere, habetur enim sess. 45. *Quibus sic factis sanctissimus Dominus noster Papa dixit, respondendo ad prædicta, quod omnia, & singula determinatâ conclusa, & decreta in materia fidei per præsens Concilium conciliariter tenere, & inviolabiliter observare volebat, & nunquam contraire quoquo modo: ipsaque sic conciliariter facta, approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo. Et illud idem iterato fecit dici per organum Domini Augustini de Pisiis Fiscalis, & sacri consistorii Advocati prædicti, qui nomine Papæ à Protonotariis, & Notariis ad scribendum acta Concilii ordinatis, & deputatis petiit instrumenta publica fieri.*

Cùm igitur præsens controversia de majoritate, ac superioritate Concilii generalis supra Papam non solùm non sit de fide, verùm etiam à communi sententia Doctorum Ecclesiæ praxi, & Sanctorum Patrum testimoniis, imò & à sacris scripturis aliena, imò & à sanctis Patribus graviter perstricta, quamvis Concilium Constantiense, ante electionem veri ac certi Papæ, eam asseruisset, non tamen Martinus V. eam definitionem approbavit, utpote non pertinentem ad fidem, cum expressè se declaraverit sibi animum non esse confirmandi Concilium, nisi quoad ea, quæ pertinent ad fidem, unde multò minùs confirmavit definitionem, qua Concilium dicitur supra Papam, cum pugnet cum principiis fidei, & contra textus scripturæ, quibus primatus soli Petro, & ejus successoribus tribuitur; ut satis apertè constat ex prædictis & demonstratis.

Neque obstat, quod Concilium Constantiense *sess* 4. leges condiderit, quibus vi coactiva obligaverit, etiam constitutos in dignitate papali, quia Concilium tunc tantum in illa sessione statuit, in quantum perseverante schismate, & existentibus proinde pluribus Papis dubiis, potuit pro illo tempore eos cogere ad obedienduṁ; sicut enim Papa dubius non est Papa, ita tunc nullus inter tot dubios erat verus Papa: ideoque pro eo tempore schismatis potuit has leges sancire, quod verò Concilium leges illas condiderit limitatas ad tempus schismatis, liquet ex verbis ejusdem Concilii sess. 4. *Ipsa Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata disponit, statuit, decernit, declarat, ut sequitur; & primo, quod quilibet cujuscunque status, vel dignitatis, etiamsi papalis existat obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite, & membris.* Et hæc eadem repetuntur *sess.* 5. Quamobrem Concilium expressis verbis limitat suam definitionem ad solum tempus schismatis in quo tunc temporis Ecclesia reperiebatur, & ad Papas dubios, seu tantum nominales. Præterea quæ à Concilio fuerunt statuta extra materiam fidei non fuerunt à Martino V. approbata, nec confirmata, consequenter nullam obtinent authoritatem infallibilem.

Objiciunt quinto Concilium Basileense, quod sess. 2. expressè definit: Concilium esse supra Papam & non posse, nisi Patres consenserint Concilium à summo Pontifice alio transferri aut dissolvi. Eugenius Romanus Pontifex ad preces Imperatoris Palæologi, & Græcorum Concilium generale indixerat, Ferrariæ, ad quod invitavit Patres Concilii Basileensis, & ut venirent, authoritate Pontificia dissolvit conventum illum Basileensem, & Patres illi se opposuerunt, asserentes Concilium generale esse supra Papam, & non posse à Papa dissolvi, & aliò transferri; imò *sess.* 3. ediderunt monitorium contra Eugenium IV. imò & pœnas injunxerunt non obtemperanti. Et *sess.* 4. prohibent, ne durante Concilio Pontifex procedat ad creationem novorum Cardinalium, & *sess.* 7. declararunt non posse Papam de beneficiis Cardinalium à Concilio punitorum disponere. Rursus *sess.* 8. Eugenium authoritativè & sub pœnis contumaciæ citant ad Concilium, & *sess.* 9. rescindunt omnia acta, & processus ab Eugenio summo Pontifice contra Wilhelmum Concilii protectorem factos, & *sess.* 12. acriter in Eugenium declamant, definiuntque olim in Romanos Pontifices à Conciliis fuisse animadversum, ac proinde posse iterum à Concilio puniri. *Et sess.* 14. conditiones Eugenio Papæ, tribus comprehensæ formulis, præscribantur, in quas nisi consentiat, privatur dignitate Pontificia. Et *sess.* 16. Eugenius Papa *citationi monitioni, & requisitioni sacri Concilii plenariè satisfacit.* Bullas & diplomata contra Concilium à se edita declarat nulla, ac inania fuisse, & ipsum Concilium Basileense fuisse legitimè inchoatum, ac legitimè continuatum, ex quo videtur Eugenius confirmâsse omnia in præcedentibus sessionibus facta, & sententias contra se latas, ac propterea agnovisse authoritatem Concilii supra certum, ac verum legitimum Papam. Et *sess.* 17. Eugenius permittit, ut præsideant in eodem Concilio Legati Papæ, quibus tamen Concilium certas imposuit conditiones, quarum præcipua fuit, nec ullam in Concilium exerceant jurisdictionem coactivam. Et *sess.* 18. expressè definit, majorem esse Concilii, quàm Papæ authoritatem, & posse à Concilio Papam detrectantem parere, puniri, & *sess.* 21. Concilium tollit omnes annatas, & eas exigentes punit pœnâ decretâ Simoniacis, & si Summus Pontifex aliquid contra hoc decretum moliatur, vult, ut Concilio deferatur. *Sess.* 26. iterum Concilium definit Papam notoriè criminosum jurisdictioni Concilii subjacere, & in jus vocat ipsum Eugenium. *Sess.* 29. iterum expressè definit, authoritatem Concilii esse supra Papam. *Sess.* 31. Eugenium suspendit ab officio Pontificis; & *sess.* 33. eum à dignitate Pontificia deponit, privátque papatu, & *sess.* 38. iterum definit Concilium generale esse supra Papam, & id ad veritatem fidei Catholicæ pertinere, & hoc negantes declarat hæreticos. Et tandem *sess* 39. Ama Deum ex Sabandiæ Ducibus concilium generale Basileense eligit summum P[illegible] sub nomine Felicis V. qui tamen collatæ [illegible] tati sponte renuntiavit. Demum in appendi[illegible] 17. quæ habetur post acta Concilii, Legati Eugenii IV. Romani Pontificis teste Platina in vita Eugenii IV. jurant fideliter laborare pro statu, & honore Concilii Basileensis, ejusque decreta defendere,

dere, & manutenere, & specialiter decretum Concilii Constantiensis de subjectione Pontificis; & aliud Concilii Basileensis decretum, quòd Papæ Concilio universali teneatur obedire. Hic est totus processus illius Concilii Basileensis, cujus authoritate utuntur adversarii subjicientes Romanum pontificem concilio generali, & ita argumentantur, quidquid à legitimo Concilio generali definitur, & à legitimo Pontifice approbatur, & confirmatur, verum & ratum haberi debet, atqui Concilium Basileense generale authoritate veri Pontificis, & congregatum iterato definivit Romanum Pontificem verum, & indubitatum subjacere Concilio generali, à quo possit citari, judicari, & puniri: & Papa hoc Concilium generale cum suis actis approbavit, & confirmavit, ergo ex approbatione, & declaratione tam Concilii generalis, quàm veri, ac indubitati Romani Pontificis Concilium est supra verum Papam, adeo ut hic illi subjiciatur.

Ut huic objectioni satisfaciamus, paulò altius est res repetenda; inchoatum enim fuit Concilium Basileense Florentinum, seu Ferrariense, quod postea ob suspicionem Epidemicæ luis Florentiam translatum fuit, sed oppositis studiis continuatum: siquidem cœptum fuit Anno 1431. & postea Lausanam translatum. Initio legitimum fuit, quia indictum à Martino Papa V. sed postea ab Eugenio successore Martini revocatum, ut Patres venirent ad Concilium Florentinum evâsit illegitimum. Nihilominus Patres Basileenses perstiterunt ad annum usque 1449. quo creârunt Amadæum Pontificem sub nomine Felicis V. Carolus VI. Gallorum Rex pragmaticam sanctionem in suo Regno servari jussit ex titulo, ut plures resecare invectos per ambitionem, & avaritiam abusus, & disciplinam Ecclesiasticam ad pristinam sanctitatem, & puritatem revocaret: Cæterum in reliquis omnibus noluit Rex Carolus approbare Concilium Basileense, neque ejus obsequi decretis quinimò ad illa dissipanda misit Ludovvicum primogenitum suum cum valida manu militum ad fines Basileensium, qui cruento conflictu exercitum fudit Helvetiorum. Licet in magno fluctuaret Ecclesia discrimine hisce temporibus, Deus tamen, qui suæ non deest Ecclesiæ plures eidem dedit sanctos veluti ejusdem præsidiarios scilicet S. Laurentium Justinianum, S. Antoninum, S. Bernardinum, S. Joannem de Capistrano, S. Franciscam, S. Coletam, S. Liduinam, & plures alios, qui eo tempore simul insigni sanctitate floruerunt, quo in Concilio Basileensi Pontificia authoritas impugnabatur, neque defuerunt scriptores, qui authoritatem Pontificiam tuerentur, inter quos Joannes de Turecremata qui Concilio Basileensi interfuit, & librum Doctrina, & rationibus insignem evulgavit, sed hoc tempore illud etiam dari potuit miraculo, quod Ecclesia Græca per plura sæcula à Latina dissidiis avulsa, eo tempore eidem simul fuerit confœderata, ac unita dissipatis discordiis, quibus Græci & Latini invicem collidebantur. Tunc apparuit, in quantum discrimen ponat Ecclesiam Concilium generale si à Papa sejungatur; ejusque authoritati subesse detrectet; quamvis in eo Concilio fuerint plura præclarè statuta, ubi tamen authoritatem Pontificis cœperunt Basileenses Patres impugnare, & Papam Concilio generali subjicere, omnia cœperunt tunc turbari, sus deque verti. Audiendus est S. Antoninus, qui eo tempore floruit, ait ipse 3. part. tractat. 22. cap. 10. §. 4. *Eugenius IV. Concilium Basilea congregatum authoritate Apostolica dissolvebat. Illi tamen obturaverunt aures suas, & cœperunt Eugenium citare, sollicitati ad hoc à Duce Mediolani agrè ejus Pontificatum ferente. Sigismundus verò Imperator, & Veneti dissuadebant iis, qui Basileæ erant congregati ne pergerent. At illi deposito Eugenio Ducem Sabaudiæ Amadæum in Idolum sibi erigentes Felicem V. nuncupaverunt, cui tantum intra territorium suum obeditum fuit. Is cum Abbatem Panormitanum, & Joannem quendam instituisset Cardinales Joannes morte subtractus est, Abbas verò Panormos reversus Pileum sponte dimisit. Denique Julianus Cardinalis relicto Basileensi Conciliabulo ad Eugenium Papam se contulit.* Et postea indicans Concilium Basileense fuisse illegitimum, eò quia revocatum ab Eugenio Papa subdit: *Illi Basileense, obturaverunt aures suas, scilicet jussis Apostolicis, quibus Pontifex Basileensem conventum dissolverat, non audientes vocem Domini, sed congregatione illa facta Conciliabulo nullas vires habente, nisi ut synagoga sathanæ authoritate sua temerariæ præsumptionis cœperunt Eugenium ad Concilium adeundum citare sollicitati ad hos à Duce Mediolani agre Pontificatum ejus ferente, quia non sibi favebat.* Hinc Panormitanus, qui Concilio Basileensi interfuit teste Ænea Sylvio ita Patres Basileenses allocutus fuit: *Vos Patres nostras contemnitis preces, Reges & Principes contemnitis; at cavete ne dum omnes despicitis, ab omnibus despiciamini.* Et Joannes de Turrecremata, qui pariter de numero fuit Patrum Basileensis Conventus ait: *Nullus sanæ mentis vir, qui novit, cum quanta gravitate, & integritate & modestia fidei judicia tractanda sunt, judicabit esse universali consensu totius Ecclesiæ conclusa, & spiritu S. dictata, in quibus hujusmodi factiones, & practica intervenerunt.*

Galli etiam qui sub initiis Concilio Basileensi adhæserant, ubi tamen fuerunt veritatem edocti, & ob privata studia Patrum Basileensium periclitari Ecclesiam, non solùm ad partes Eugenii transierunt, sed apertè professi sunt Concilii authoritatem esse infra Pontificem, adeò ut Pontifex Romanus sit supra Concilium generale, à cujus authoritate validitas dependeat Concilii; etenim Episcopus Meldensis Gallicæ legationis Princeps à Carolo VII. Francorum Rege ad Eugenium Papam adornatæ in sacro Cardinalium senatu nomine sui Regis, & Gallorum inter alia hæc locutus fuit, ut referunt Ganguinus in Carolo VII. & Raynaldus ad annum 1541. num. 10. *Nimio fervore resistendi ad hanc vesaniam venerunt, quod supremam potestatem in uno supposito consistere denegant, sed eam in multitudine, quæ citò in diversa scinditur, collocant; & sic pulcherrimam monarchiam Ecclesiæ, quæ Christianos huc usque tenuit in unitate fidei, in una professione religionis Christianæ, in uno ritu sacramentorum, in una observantia mandatorum, in eisdem caremoniis divini cultus, atque pacem, & tranquillitatem asseruit, nunc abolere, & supprimere contendunt, nobilissimam politiam, quæ beatitudinem cœlestem habet pro fine ad democratiam, vel Aristocratiam redigentes, & ulterius in malis procedendo unum sibi in capite assumpserunt, qui non eis præfertur, & sic schisma factum est, ne dum in obedientia capitis, sed & in doctrina Evangelii, quod omnibus Christicolis est abominandum. Et hoc animadvertens præfatus Christianissimus Rex Franciæ vehementi dolore ingemiscit, & condolens Ecclesiæ remedia ubique perquirit, ac denique consultu Prælatorum, & aliorum multorum sapientium regni sui videtur sibi, quòd nullum est aptius remedium ad hoc schisma extirpandum quàm*

*evellere, aut disperdere duas prædictas extremitates, ad quod faciendum necessarium est generale Concilium. Porro Concilium olim Basileense unam extremitatem nimis exacuit, quando veritatem de suprema potestate in uno extinguere pertentavit Concilium autem Florentinum hanc veritatem bene quidem lucidavit, ut patet in decreto Græcorum: sed pro regulando usu hujus potestatis nihil edidit, nihilque locutum est.* Cæterum ex historia Ecclesiastica constat, Gallos ter solemniter confirmâsse, authoritatem Romani Pontificis esse supra Concilium generale, quod propterea sit infra non supra Pontif. m, à cujus authoritate validitas dependet Concilii. Primò sub Carolo Magno Imperatore, quando Synodo in causa Leonis III. Romæ coacta à Francorum Episcopis voce unanimi conclamatum fuit: *Nos Apostolicam sedem, quæ caput est omnium Ecclesiarum judicare non audemus, nam ab ipso nos omnes judicamur: ipse autem à nemine judicatur quemadmodum antiquus mos fuit.* Episcopi igitur Francorum, & aliarum Nationum palam confessi fuerunt, authoritatem Romani Pontificis esse supra Concilium, eò quia Apostolica sedes sit caput omnium Ecclesiarum, & ab ipsa reliquas Ecclesias judicari, & ipsam à nemine judicari, etiam à Concilio generali, ut referunt Anastasius in Leonem III. Æmilius in Carolum M. & Spondanus ad annum 800.

Secundò in Concilio Florentino ubi præfatus Episcopus Meldensis Regis Christianissimi, & Gallorum nomine supremam potestatem in uno supposito consistere professus est, & qui eam in Concilio collocant, vesanos esse, & Catholicam unitatem scindere, ut refert Raynaldus ad annum 1541. num. 10. Tertiò in Concilio Lateranensi, ubi Fridericus Cardinalis S. Severini Claudius electus Episcopus Massiliensis, & Ludovvicus Dominus de Soderiis Legati Regis Christianissimi suo & regio nomine coram Notariis, & testibus in litteris patentibus manu Regis Christianissimi subscriptis & ejus sigillo munitis, purè liberè, & simpliciter sacrosancto Concilio Lateranensi tanquam vero, unico, & legitimo adhærent; & in hoc Concilio *sess.* 10. expressè definitur, Papam esse supra Concilium generale, ac eidem præesse, ac ab eodem posse judicari, ut habetur in actis Concilii Lateranensis *ult. sess.* 8.

Cæterum ut revertamur ad Concilium Basileense certum est, ut fatentur omnes scriptores ejusdem temporis, & ex actis Concil. tametsi ab initio fuerit authoritate pontificia indictum attamen ab Eugenio IV. fuit postea revocatum, & decreta Patrum Basileensium, quibus authoritatem pontificiam impetebant, fuisse contrariis decretis persæpe ab Eugenio reprobata, oppugnata, & annullata: siquidem Pontifex Archiepiscopus Colocensem, & Tarentinum misit, qui ab edendis hujusmodi decretis Concilium Basileense prohiberent, & egregia oratio ad Patres legitur in apparat. Concil. & etiam per Jacobum Ebrodunensem acta Concilii rescidit, & Fautores Concilii gravissimis pœnis affecit, ut habetur in actis Concilii *sess.* 9. & quidquid contra pontificiam authoritatem decreverant nullum & irritum esse declaravit, & qui illud propugnabant, dignitatibus Ecclesiasticis spoliavit, ut habetur in actis Concilii *sess.* 16. & denique ut testatur Cardinalis Turrecremata, qui Concilio illi interfuit lib. 2. de Eccles. cap. 100. *nunquam Eugenius adduci potuit, Concilio licet omnia movente, ut ea confirmaret.* Sed cum Eugenius Papa vidisset Concilium Basileense accessu Principum fieri indies Valentius & ob varias privatasque rationes potentiam Synodi plurimum acquirere virium, & totum negotium in schisma propendere, ac non posset contra torrentem obsistere; idque causa ei fuit, ut consultius fore putaverit, si ad impediendum schisma Concilium prorogaret, illudque declararet ritè inchoatum, ac revocaret, quæ in contrarium scripserat, & quæ ignorantia, vel mutatione causarum nulla esse pronuntiaverat, ita effecit, & antea reprobata revocavit, quæ tamen omnia cum gravissimo metu schismatis & defectionis ab Ecclesia extorta fuissent, ipso Pontifice domi periculis, foris minis & armis obsesso vitæ, ac libertatis incerto, nulla fuerunt ob metum gravissimum incussum, unde, quamvis jurata, ob imminentia pericula schismatici adhuc revocari poterant, ut notoriè per violentiam extorta, & spectantia in gravissimum Ecclesiæ damnum: est enim legibus omnibus & naturæ dictamini consentaneum, ea non esse habenda rara, quæ per metum incussum extorquentur, & quæ in commune damnum redundant.

Rursus ex alio etiam titulo excusabatur Eugenius, eò quia Patres Basileenses contra pacta & initam concordiam omnia tentârunt contra authoritatem Romani Pontificis, ut eam subjicerent Concilio generali & ipsum Eugenium è sede pellerent Apostolica, imò & proventus Ecclesiæ Romanæ ausi sunt intervertere, & Concilii translationem meditari, ait Cardinalis de Turecremata lib. 2. cap. 100. *Andreas Venetus domini tunc Venetorum Orator & aliqui Domini Cardinales tunc apud Dominum Eugenium præsentes, timentes futurum magnum scandalum in Ecclesia minati sunt privato Domino Eugenio, quod nisi Bullas illas adhæsionis concederet, ipsum solum recedentes relinquerent, unde præfato Domino in lecto decumbente Præfati Domini referuntur Bullas illas taliter qualiter expedivisse, & misisse Basileam.* Hinc tametsi Eugenius IV. ob gravissimum incussum metum impendentium malorum confirmâsset, quæ contra dignitatem papalem in Concilio decreta fuerant, non propterea hinc inferri potest Pontificem in fide errâsse, quia tunc temporis hæc controversia nondum fuerat definita de fide neque Eugenius confirmavit, quæ à Basileensibus fuerunt statuta, præsertim illud quod Patres dixerunt, *Hæreticum esse, qui neget Papam Concilio subjici*, id enim nunquam fuit à Papa approbatum, nec confirmatum, imò potiùs rejectum ab ipso, & à majore, ac saniore parte Prælatorum; etenim Cardinalis de Turecremata, qui oculatus testis fuerat omnium, quæ in Concilio fiebant, expressè negat, Pontificem ulla ratione flecti potuisse, ut decretis Concilii subscriberet, tametsi declaraverit, Concilium ritè inchoatum fuisse, ac continuatum, quia aliud est Concilium esse legitimum, & aliud in illo fuisse legitimè statutum. Quod verò dicatur, Oratores Pontificis in eo decreto jurâsse, respondetur, non jurâsse nomine Pontificis, sed proprio, ut expressè habetur in appendice hujus Concil. ad sess. 17. Tom. 5. Concil. Venetæ editionis fol. 649. Hinc fatemur Concilium Basileense fuisse authoritate Pontificia indictum, legitimè inchoa-

inchoatum, sed postea ex gravissimis, & publicis causis dissolutum, & ejus decreta iterato ab Eugenio Pontifice rescissa, & damnato: & licet ob gravissimum metum incussum malorum impendentium, & præsertim proximi schismatis Concilium Basileense instauraverit, & quæ contra illud decreverat, revocaverit, hæc tamen revocatio per subreptionem, & dolum facta fuit, & inscio decumbente Pontifice, ut testatur Turrecremata.

Tum quia per metum extorta, non potuerunt iis prævalere, quæ ante, & post illam libere ab Eugenio contra Concilium sancita fuerant, quia ut scribit S. Athanasius in epistol. ad solitariam vitam agentes: *Non est censenda ejus sententia, quam minæ, & terrores extorserant, sed ea, quam protulit cum liberos haberet affectus.* Cæterum Eugenius IV. quamvis timore gravi perculsus approbaverit decreta Concilii Basileensis non propterea erravit in fide, quia Concilium Basileense nihil contra fidem definivit, tamen si aliqua nimis temerastè statuerit; ut quòd authoritas Concilii Generalis sit suprà authoritatem summi Pontificis, quamvis si bene velimus considerare acta hujus Concilii, deprehendemus Concilium cognovisse hanc Papæ superioritatem respectu Concilii Generalis; quamvis enim Concilium Eugenium in jus vocaverit, Eugenius tamen Synodum Basileensem invitam dissolvit, cui opposuit Oecumenicam Florentinam, quam utraque Ecclesia Græca, & Latina, legitimam cognovit, & ut talem suscepit; & Conventum Basileensem abominata est: quo pacto universus orbis confessus est, nullam inesse Concilio in Romanum Pontificem authoritatem; & Papam esse supra Concilium Generale cum potuerit hoc dissolvere.

Si dices ex jure constat Concilium Generale esse supra Papam: etenim *c. sicut Sancti dist.* 15. ex divo Gregorio M. dicitur, *ne quidem Pontifice solvi posse, quos quinque Concilia Oecumenica ligârunt, aut ligare, quos illa solverunt:* Quod si Pontifex non potest solvere, quos Concilia Generalia ligârent, sequitur, non habere potestatem in talia Concilia; quæ propterea non sunt infra, sed supra Papam. Idque confirmatur quia c. confidimus 25. q. 5. c. contras c. prima Salus, c. ideo ead. causa & quæst. habetur, Romanum Pontificem sacris canonibus, & universalium Synodorum Decretis alligari, *& ea nullam magis exequi sedem, quàm primam oportere*; ex quo etiam deducitur Concilium Generale esse supra Papam, cui leges imponit, quibus obedire tenetur: teneri legibus alterius argumentum est subjectionis, quia leges sancire ad superiorem pertinet. Rursus c. legimus 24. §. 93. ex Epistola D. Hieronymi ad Evagrium habetur. *Sed dicis: quomodo Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur? quid mihi præfers unius Urbis consuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum est supercilium in leges ecclesiæ, vendicas?* Ergo Concilium Generale, quod totum repræsentat Christianum orbem majoris est authoritatis, quàm urbs, & urbis Romæ Episcopus: hinc Glossa expendens hunc textum ait: *Est hic argumentum, quòd statuta Concilii prejudicant statutis Papæ:* Et in cap. nemo 9. quæst. 3. *cum Papa peccat, potest ejus peccatum etiam ecclesiæ denunciari.* & in c. si Papa d. 40. Certé credo, quòd si notorium est crimen papæ, & inde scandalizatur ecclesia, & incorrigibilis est, quod inde possit accusari, nam contumacia dicitur hæresis c. si qui presbyteri d. 81. & contumax dicitur infidelis c. nullus d. 38.

Sed contra, quia ex nullo citatorum jurium demonstratur Concilium Generale esse supra Romanum Pontificem, ac majoris esse authoritatis. ad l. ex *c. sicut Sancti.* Respondetur, ibi sermonem esse de hæreticis, quos ea Concilia damnarunt, eo quia senserint contra fidem, & docuerint, quæ manifestè repugnant Sacris Scripturis, & fidei articulis; & quia Romanus Pontifex non potest facere, ut quæ evidenter sunt contra fidei articulos, non sint contra fidem; ita non potest solvere, quos talia Concilia damnarunt, ut hæreticos, quia Pontifex nequit efficere, ut sit vera fides, quæ revera non est talis. Cæterum quæ non sunt de jure divino, sed tantum humano, hæc si justa causa subsit, possunt à Pontifice corrigi, & mutari, præsertim si non conducant ad probos fidelium mores. Sin verò justa causa non subsit, nunquam mutantur à Romano Pontifice, quæ à Conciliis Generalibus statuuntur, sed confirmantur, si ad utilitatem vergere fidelium visa fuerint.

Ad aliud desumptum ex cap. confidimus: Respondetur; aliqua esse statuta à Sacris Canonibus, & Conciliis, quæ ad jus divinum & naturale pertinent, & hæc etiam Romanum Pontificem obligant, qui tenetur observare leges divinas, & quæ sunt juris naturalis: & in præcitatis canonibus sermo est de hisce legibus, quæ obligant etiam Pontificem, ut pateat ex cap. *sunt quidam 25. q. C. omne, & c. satagendum eodem.* Secus quæ sunt juris tantum humani, ea vel ex honestate obligant Pontificem, non verò ex necessitate, *L. ex imperfecto ff. de legat.* 3. *& l. digna vox c. de legibus*; seu obligant quoad vim directivam, non coactivam, ut docet D. Thomas 12. q. 96. art. 1.

Ad 3. quia cum principis exemplum in omnem partem valeat, fieri vix potest, ab aliis legem observari, quam Princeps habet contemptui, ac flocci faciens infringit. Vel dicendum est, Papam non posse temerè & passim sine legitima causa canones solvere, & in iis dispensare, quia potestas Romani Pontificis debet esse in ædificationem, non verò in destructionem Ecclesiæ, sin autem Papa nulla suppetente justa causa vellet canones solvere, & in iis dispensare, id perinde foret, ac abuti potestate sua ad destruendam, non ædificandam Ecclesiam; alioquin si canones essent intelligendi, ut explicant Adversarii, inde sequeretur Pontificem non solum statutis Conciliorum Generalium, sed etiam particularium, imò & sanctorum omnium Patrum subjacere, quia de hisce omnibus loquuntur præcitati canones, unde proderit hic attexere, quomodo Gratianus recitatos canones asserat esse intelligendos, & quomodo de hoc argumento disserat, ait ipse: *His ita respondetur. Sacrosancta Romana Ecclesia jus, & authoritatem Canonibus impertitur, sed non eis alligatur. Habet enim jus condendi canones, utpote quæ caput est, & cardo omnium Ecclesiarum: à cujus regula nemini dissentire licet, ita ergo canonibus authoritatem præstat, ut se ipsam non subjiciat eis: sed sicut Christus, qui legem dedit, ipsam legem carnaliter implevit octavo die circumcisus,*

quæ-

*quadragesimo die in templo cum hostiis præsentatus, ut in se ipso eam sanctificaret; postea verò, ut se Dominum legis ostenderet contra legis litteram leprosum tangendo mundavit: Apostolos quoque contra litteram Sabbathi per sata prætergredientes, spicas vellentes, & confricantes manibus suis probabili exemplo David, & circumcisionis, & templi excusavit dicens: Non legistis, quid fecerit Abimelech, quando venit ad eum David, & dedit ei panes propositionis, de quibus non licebat edere, nisi solis Sacerdotibus, & comedit ipse, & pueri ejus. Item octavo die secundùm legem puer circumciditur, & vos in Sabbatho circumciditis hominem? Item qui juge holocaustum ex lege operatur cum masculus quadragesima, fœmina verò octuagesima die ab ortu suæ nativitatis secundùm legis imperium cum hostis in templum præsentaretur; unde Sacerdotes offerentes hostias in templo litteram Sabbathi solvunt, & sine crimine sunt: tunc filius hominis multo magis valet solvere litteram legis, qui est etiam Dominus Sabbathi. Hinc etiam de eo: Erat Jesus docens tanquam potestatem haebns, seu tanquam legi. Dominus addens moralibus ea, quæ deerant, & perfectionem umbrarum figuralium in lucem spiritualis intelligentia commutans, non tanquam scribæ eorum qui littera legis adstricti non audebant aliquid addere, vel commutare. Sic & summæ sedis Pontifices canonibus sive à se, sive ab aliis sua authoritate conditis, reverentiam exhibent: & eis se humiliando ipsos custodiunt, ut aliis observandos exhibeant. Non nunquam verò seu jubendo, seu definiendo, seu aliter agendo se decretorum Domino & conditores esse ostendunt. In præmissis ergo capitulis aliis imponitur necessitas obsequendi, summis verò Pontificibus ostenditur inesse authoritas observandi: ut à se tradita observanda aliis, non contemnenda demonstrent exemplo Christi, qui Sacramenta, quæ ecclesiæ servanda mandavit, primò in se ipso suscepit, ut eam in se ipso sanctificaret. Oportet ergo primam sedem, ut diximus, observare ea, quæ decernendo mandavit, non necessitate obsequendi, sed authoritate impertiendi;* hactenus Gratianus.

Ad aliud petitum ex *cap. Legibus* 24. dist. 93. respondetur, D. Hieronymum, è cujus epistola fuit desumptus canon ille. Non agere de potestate Romani Pontificis, an major sit vel minor Concilio Generali; de hac enim quæstione nullum instituit sermonem, sed tantùm calamum acuit in superbos Diaconos urbis Romæ, qui se Presbyteris æquabant, imò & proferebant, quia cum moris tunc fuerit, ut administratio bonorum Ecclesiæ illis concrederetur, & Romæ causis etiam præessent, ut refert D. Augustinus in *quæst. ex utroque mixtis quæst.* 101. contingebat, ut à populo lucrum, non dignitatem spectantem majori haberetur veneratione, plusque honoris iisdem deferrent, quam Sacerdotibus, quæ causa fuit, ut Diaconi supercilium attollerent, contra quorum fastum Concilium Nicænum cap. 17. & Carthaginense VI. cap. 18. statuerunt, ut Diaconi sicut dignitate, ita etiam honoribus cederent Presbyteris, quinimò ad compescendum supercilium Diaconorum consuetudo invaluit in Romana Ecclesia, ut sedentibus Presbyteris starent Diaconi, horum igitur arrogantiam coerciturus D. Hieronymus docet epist. ad Evagrium, non esse propterea Romanos Diaconos Presbyteris majores, eò quia superbia inflati arrogantiam in consuetudinem, vel potius in abusum vertissent, unde sententia D. Hieronymi non facit ad nostram quæstionem.

Ad Glossam respondetur, eam juxta morem apud Jurisconsultos inolitum in utramque partem argumenta, & textus congerere. Cæterum non fuit glossa in ea sententia, ut censeret authoritatem Concilii Generalis esse supra Papam, etenim in *cap. Nemo.* 9. *quæst.* 3. expressè ait: *Etiam si totus mundus sententiaret in aliquo negotio contra Papam, videtur, quòd sententiæ Papæ standum esset*, ut in cap. hæc est fides 24. quæst. 1. Cæterum aliud est, Papam posse Concilio Generali vel Collegio Cardinalium denuntiari, si peccet, vel sit fidelibus scandalo; & aliud judicari posse; denuntiatio enim nullam præsupponit jurisdictionem, nec majoritatem in denunciante, neque in eo cui fit denuntiatio, quia hic tantùm ex charitate debet, & subinde tenetur monere denuntiatum, ut imposterum abstineat ab actionibus, de quibus fuit denuntiatus; & hoc pacto posse Papam peccantem denunciari Concilio Generali, declaratum fuit in octava Oecumenica Synodo, atque in hoc sensu intelligenda est Glossa *in cap. si Papa*, & tunc Papa debet ex honestate se ipsum corrigere, non verò ex necessitate obedire Concilio Generali, in quo tantum est vis directiva, non coactiva in Pontificem. Præterea in his quæ ad fidem pertinent, & doctrinam Theologicam Glossa non habetur magnæ authoritatis, ut manifestè deprehenditur, quia ipsa quærens *pro quo peccato deponi Imperator possit*, respondet *pro quolibet, si est incorrigibilis; unde deponitur, si est minus utilis*, quæ Glossæ sententia erronea est, eò quia januam aperiat continuis in Ecclesia seditionibus, dissidiis, imò & schismati, quia sub quovis minimo prætextu possent adversarii dicere, eum minus utilem esse, & in factiones dividi, ac alium eligere Pontificem, qui magis iisdem faveret, sic omnia sus, deque in Ecclesia verterentur: quinimò sententiâ Glossæ repugnat evangelio Matth 23.

Objiciunt sexto cap. 21. octavæ Synodi Oecùmenicæ, ubi hæc leguntur: *Universalis Synodus cum convenienti reverentia quamlibet quæstionem de Romana sede exortam audire tenetur, & in ea perficere; non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere.* Ex quibus verbis inferunt Concilium Generale non quidem audacter, sed cum debita reverentia posse in Romanum Pontificem sententiam proferre, adeo ut non prohibeatur absolutè, & cum debita reverentia judicari à Concilio, sed tantùm temerè & audacter; ergo ex jure constat Concilium Generale esse supra Papam, & posse jurisdictionem in illum exercere, quia non potest eum judicare sine jurisdictione.

Sed contra, quia si in illa octava Synodo Oecumenica tantùm prohiberetur modus judicandi non ipsum judicium, nihil illa octava Synodus disposuisset circa Pontificem, cùm tamen maximè intenderet aliquid disponere: siquidem modus judicandi temerariè, & audacter in omnibus causis, & in quovis judicio prohibetur, & quoad hoc non est discrimen inter examen & judicium temerarium, quia utrumque prohibetur. Itaque octava Synodus admittit quidem posse Concilium Generale cognoscere de controversiis, & notoriis delictis, quæ in Summo Pontifice notantur, non verò judicium ferre: hoc enim ait Octa-

va

va Synodus temerarium esse, & nimis audax etenim etiam Patres Synodi Sinuessæ coactæ cognoverunt, & examinârunt causam Marcellini nemo tamen tulit sententiam, ut supra dictum fuit, unde de notoriis Papæ delictis potest quidem Concilium cognoscere & examinare, non verò judicare, alioquin si de notoriis Papæ delictis, cognitio, & judicium Synodo permitterentur, non esset ratio, cur octava citata Synodus distingueret inter cognitionem, & sententiam, & hanc concilium negaret, & illam permitteret.

Objiciunt septimo: pars est semper minor suo toto, & hoc semper dicitur esse majus qualibet sua parte, sed Papa est membrum Ecclesiæ, & hoc est quoddam totum comprehendens Papam, ut sui partem, ergo Papa est minor Ecclesiâ, & quia Concilium generale repræsentat totam Ecclesiam, erit etiam minor Concilio generali. Rursus si membrum aliquod sit putridum, potest amputari, & separari à toto corpore, ne illud inficiat, est enim de jure naturæ, ut totum conservetur, etiam si abscindantur membra totum inficientia corpus, ergo à Concilio generali potest Romanus Pontifex judicari, ac deponi, si fuerit deprehensus Ecclesiæ noxius; alioquin Ecclesia esset destituta remedio, si haberet malum Pontificem, qui impune ejus perniciem moliretur, quod non est dicendum, quia Deus Ecclesiæ suæ optimè providit, & multò meliùs quàm Synagogæ, de qua dixit: *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?* ut habetur Isaiæ 5. Unde Ecclesiæ pessimè consultum fuisset, si omni caruisset remedio, quo Pontificem Ecclesiæ inutilem imò & noxium, ac perniciosum vita, & moribus fideles corrumpentem amovere non posset, judicare, & deponere at non videtur verisimile Deum voluisse suam Ecclesiam destitui opportuno remedio, ut sibi consuleret, & malum, quod ultimum excidium minaretur, posset avertere, & præcavere: sin autem Pontifex malus sit, & incorrigibilis, aliud non suppetit remedium, nisi ut à Concilio generali ejus delicta examinentur, judicentur, & ipse Pontifex ut Ecclesiæ inutilis imò & noxius deponatur, unde vel Deus Ecclesiam suam necessariis remediis in morbo ultimum minitante excidium destituit; aut Pontificem malum corrigi nolentem alicui medico subjecit, scilicet Concilio generali à quo possit à reliquo corpore amputari per depositionem, si periculum immineat, ut totum corpus Ecclesiæ inficiat. Sed contra ad id, quod asserebatur de toto, quod sit majus sua parte, & de Pontifice, qui sit membrum Ecclesiæ, consequenter etiam pars, respondetur, quod si sumatur Ecclesia sine Romano Pontifice, falsum est, Ecclesiam esse quoddam totum, quia tunc non est totum, quia non comprehendit omnes suas partes, sed tantùm est pars: sin verò sumatur Ecclesia simul cum Papa, tunc Papa est caput hujus totius corporis, consequenter præeminet toti corpori; non enim caput est infra, sed supra reliquum corpus: unde sicut corpus magnitudine molis est majus solo capite, magnitudine virtutis, ac authoritatis est minus capite, eo quia totum corpus dependeat à capite: ita Romanus Pontifex totius Ecclesiæ magnitudine virtutis, & authoritatis est major reliquo corpore Ecclesiæ, consequenter etiam Concilio generali quamvis magnitudine nobis dicatur esse minor, unde cum dicitur pars esse minor suo toto, id verum est quoad magnitudinem molis, non item quoad magnitudinem virtutis, quia virtute caput prævalet toti corpori. Quod si instes, potentiam agendi principalius esse in toto quam in partibus, quæ sunt instrumenta totius, siquidem principalius homo dicitur videre, quàm oculus: sed Ecclesia etiam cum suo capite seu Papa est quoddam totum, & Papa est pars quædam & instrumentum hujus totius ergo primaria & summa potestas Ecclesiastica principalius debet Ecclesiæ convenire, non Papæ, consequenter etiam Concilio generali cum hoc repræsentet totam Ecclesiam, ex quo sequitur Concilium generale esse supra Papam, & ejus authoritatem esse majorem.

Sed contra quia aliud est judicium de corpore Ecclesiæ, & aliud de corpore naturali, quia in hoc virtus procedit ab essentia ad potentias, ideoque totum dicitur agere principalius: sed in corpore Ecclesiæ virtus est ab extrinseco, quia Papa, qui est caput Ecclesiæ, non habet ab Ecclesia, sed à Deo authoritatem, ideoque agens principale non est Ecclesia, sed Deus, cui soli convenit instituere suæ familiæ Oeconomum, eumque præferre toti familiæ, ut ipsi provideat, non verò, ut ipse à familia provideatur, Ecclesia autem in terris militans pariatur familiæ, cujus Oeconomum Christus instituit suum Vicarium, seu Romanum Pontificem. Hinc non valet exemplum de regno, vel republica, quia Rex à suo regno sicut habet authoritatem, ita ab eodem rescindi potest seu deponi, si degeneret in tyrannum, secus Romanus Pontifex ut Oeconomus Ecclesiæ, & caput ejusdem, non desumit suam authoritatem ab Ecclesia, vel Concilio generali, sed à Christo, proinde quoad authoritatem non dependet à Concilio, sed à solo Deo.

Cæterum si Pontifex esset Ecclesiæ inutilis, imò & noxius, quia in ejus perniciem moliretur, tunc adhuc ad ipsius Dei providentiam, & maximè Ecclesiæ bonum videretur pertinere, quod suprema potestas in supremo Pontifice, non in Concilio collocata fuerit, & Concilium etiam generale subjiceretur Romano Pontifici, quia si optimè dicitur navi consultum, si unius imperio regatur: exercitui, si uni supremo Præfecto pareat, non pluribus: & corpori, cujus summa & tota facultas regendi reliqua membra in solo capite sit, ita non potest Ecclesia dici minùs providè instructa, si Deus unum tantùm caput unumque Ducem eidem dederit, quinimò malè Deus suæ providisset Ecclesiæ, si Pontificem subjecisset Concilio generali, etsi enim malum sit habere Principem perniciosum, semper tamen pejus est, si multitudo dominetur, quia non tantùm periculi est ex uno malo Pontifice, quàm ex pluribus simul propter dissidia inter fideles, & schisma, quo Ecclesia discissa in plures partes se ipsam destruit. Hinc scribit S. Gregorius Nazianzenus epist. 55. ad Procopium: *Nunquam sine periculo, ac offensione sacerdotum haberi conventus*, quia ubi plures uni tantùm non obediunt, à quo ducantur, tunc quisque proprio ducitur judicio, propriæ indulget opinioni, & quia raro plures conveniunt in unam eandemque sententiam dicaturque propterea quot capita, tot sententiæ; hinc semper pejus à pluribus duci ac regi, quàm ab uno tantùm licet malo.

Quamobrem Ecclesia optimè à Deo curata fuit cum in ea unum tantum instituit, à quo ipsa regeretur. Neque vitia Pontificis sine remedio relinquuntur: siquidem nil prohibet, quin possit Pontifex malus moneri, & rogari, non solum à Concilio generali, sed etiam à principibus Christianis, ut se aver-

tat à talibus vitiis, quibus est scandalo fidelibus: neque ullus erit Pontifex tam effrons, & vitiis deditus, ut ita monitus nolit à vitiis, & scandalis dandis se abstinere, nullus inquam ita protervus, ut si peccet, saltem cautè & secreto id non agat ad evitanda fidelium scandala. Quòd si Pontifex non solùm in se malus esset, sed etiam in Ecclesiam, quam invaderet, & ejus bona usurparet, resisti tunc illi posset cum moderamine inculpatæ tutelæ, quævis enim honesta defensio, cum sit de jure naturæ, potest illi opponi. Quòd si hæc non essent remedia sufficientia, ut impediretur à malis inferendis Ecclesiæ, tunc preces essent ad Deum fundendæ, quæ inter remedia à Deo præparata efficacissimè sunt, & si ritè fiant, non possunt non exaudiri juxta illud Joan. 14. *Quodcunque petieritis Patrem meum in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in filio*, unde nunquam pro quovis eventu dicenda est Ecclesia absque remedio esse, quia hoc à solo Deo expectat, imò tantò efficacius, ac fortius est remedium, quantò immediatius expectatur à Deo & ordini statuto à Divina providentia est accommodatius: ordo enim Divinæ Providentiæ est, ut quæ in aliquo genere sunt suprema, nullis subdantur inferioribus, sic in humano corpore, quia cor est primum mobile, à se ipso non ab alio vibratur, quia sol in genere lucidorum est primum lucens, ideo ipse sui luminis faber reliqua sydera illuminat, & ipse à solo Deo illuminatur: in genere intelligibilium quia principia demonstrationum sunt prima ideo per alia principia non demonstrantur, sed per se ipsa demonstrantur: quia linea in genere rectorum est prima figura, ideò est Judex, & regula omnis obliqui, & ipsa non rectificatur ab alia linea. In genere mobilium quia primum mobile est mensura motus & temporis, non subjicitur tempori, sed tempus ab illo dependet, neque hæc omnia unquam deficiunt, neque terminos sibi à Deo præfixos transgrediuntur, quia immediatè à Deo reguntur. Cum igitur ex Dei institutione Papa sit fundamentum Pastor, & Caput Ecclesiæ, imò primum movens, primus director, & Gubernator, Ecclesiæ non subjicitur, sed soli Deo, nec inde timendum, ut docens è cathedra, seu ut Pastor dominici gregis in fide, & doctrina deficiat, neque ut Ecclesia deseratur, aut nunquam relinquatur sine remedio, quia cum Deus hunc ordinem ei imposuerit, nunquam permittet ejus perniciem, & exitium, cum dicat apud Ezechiel. 24. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, ut cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem meum, nec pascant amplius Pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam.*

Objiciunt octavò potest, Ecclesia etiam invito vel non consentiente Pontifice Concilium congregare, ut tempore sedis vacantis, vel si Pontifex sit mente captus, vel relegatus, vel etiam si nolit Concilium congregare, cum tamen bonum Ecclesiæ id exigeret, ut censent plures Canonistæ, præsertim Felin. in *cap. super litter. de rescript.* Alexander *in Canon. Synod. dist.* 17. unde potestas hæc Papalis non solùm in Papa videtur residere, sed etiam in ipsa Ecclesia, & propterea habet & ipsa eandem potestatem Papalem. Sed contra quia solus Pontifex habet hanc potestatem ordinariam congregandi Concilia, quoties necessitas urget, & commune bonum Ecclesiæ id exigit, ut habetur *dist.* 17. *per tot.* & *cap. significasti. de elect.* sicut in temporalibus ad solum Principem pertinet convocare status generales, adeo ut si alius id moliatur, suspectus habetur perduellionis in Principem. Cæterum in quibusdam casibus particularibus, & extraordinariis hoc ipsum potest ab Ecclesia fieri, sed hæc potestas tunc non est papalis, quia non est universalis, nec se extendit ad ordinandam Ecclesiam universalem, sed tantum particularem, vel hunc casum, & illam specialem necessitatem; quæ tunc urget, ut pro communi Ecclesiæ bono congregetur Concilium: secus potestas Papalis est ordinaria, perpetua, & universalis pro quovis casu, quæ potestas Ecclesiæ non communicatur, alioquin ipsa etiam constitueretur Christi Vicaria, & Pontifex esset Vicarius Vicarii, proinde non immediatus Christi Vicarius, quod est hæreticum ex definitione Concilii Constantiensis *sess.* 8.

Sed dices, Papam posse ab Ecclesia deponi saltem propter hæresim, cap. si Papa dist. 40. consequenter Concilium Generale est supra Papam, alioquin non posset in Papam sententiam dicere, qui ei non subjiceretur: Judex enim non potest judicare, nec condemnare, quem non habet subditum, judicium quippe, & sententia à Judice ferenda debent essentialiter supponere jurisdictionem, & hæc subjectionem in eo, in quem fertur. Præterea si Papa Hæreticus judicari, & puniri potest à Concilio, cur non etiam publicus usurarius publicus, Simoniacus, & blasphemus, imò etiam perjurus adulter, & tyrannus, hæc enim delicta partim graviora sunt hæresi, & partim bono pacique Ecclesiæ magis adversantur, quàm privata aliqua hæresis: neque in sacris scripturis habetur, quod Papa magis ob hæresim, quàm ob aliud crimen publicum offensivum publici, ac incorrigibile deponi possit.

Sed contra, quia est discrimen inter hæresim, & alia Pontificis delicta, quia hæresis per se & ex sua natura tendit in falsam doctrinam repugnantem fidei, tollitque omne fundamentum gratiæ, & salutis, & veluti radicitus evellit omne meritum, omnemque virtutem corrumpit, etenim salva fide quodlibet aliud peccatum suum potest remedium exhiberi, quo sanetur, secus extincta fide omnia simul remedia sublata sunt, quia omnia fidem supponunt, quæ si desit, suas deperdunt vires propterea Apostolus ait: Justum ex fide vivere, quia sicut vita necessaria est, ut medicina applicetur, suumque sortiatur effectum, perinde fides requiritur necessariò, ut sacramenta aliquid operentur: ideoque in sacris litteris jubemur Prælatis, etiam discolis & peccatoribus obsequi *Matth.* 23. *Luc.* 12. ab hæreticis, autem & infidelibus omninò separari, & Hæreticos non haberi pro Pastoribus *ad Galat.* 1. & 2. *ad Thessal.* 3. & 2. *ad Corinth.* 6. 2. *Joan.* 2. Quod etiam constat ex jure *cap. Verbum dist.* 1. *de pœnit. capit. Novatianus* 7. *quæst.* 1. *capit. didicimus* 24. *quæst.* 1. *cap. si Papa. dist.* 40. *cap. oves.* 2. *quæst.* 7. Rursus Papa eo ipso, quòd est Hæreticus manifestus, non est amplius de corpore Ecclesiæ, nec ejus membrum saltem sanum. Sed si dicatur membrum Ecclesiæ, ob hæresim est putridum, consequenter amputandum à reliquo corpore ne illud corrumpat, & totum destruat, eo autem ipso, quod non est de corpore Ecclesiæ, vel est membrum putridum

tidum ab eo amputandum, non potest esse caput ejusdem Ecclesiæ, quia caput debet bene cohærere cum reliquis membris quibus communicat suum influxum, quamobrem eo ipso, quod Papa est Hæreticus notorius cessat ex se esse Papa, consequenter non est amplius Ecclesiæ caput.

Objiciunt nono: Potestas papalis principaliùs videtur toti Ecclesiæ inesse, consequenter & Concilio generali totam Ecclesiam repræsentanti, etenim si Ecclesiæ non inesset hæc potestas non posset Papam eligere, nec eo demortuo omnia peragere, quæ Pontifex cum vivit, præstat: quod si ponamus Pontificem perpetua teneri amentiâ tunc ad Ecclesiam pertinet authoritas infallibilis in dirimendis controversiis fidei, & definitionem infallibilem dare, alioquin laborante Pontifice amentiâ, si controversia aliqua insurgeret statim dirimenda, eò quia periculum immineret, ne latiùs venenum hæresis serperet, Ecclesia careret remedio, quo huic malo occurreret.

Sed contra quia inde non probatur, Concilium generale esse supra Papam, sed ad summum esse paris potestatis consequenter Concilium generale non posset quidquam in Pontificem in ordine ad illum judicandum, vel deponendum, siquidem par in parem non habet potestatem, præterea negandum est, hanc papalem potestatem inesse Concilio generali, quia deberet assignari, à quo eam habuit: non à se, quia cum sit supernaturalis non possidetur, nisi ab alio detur, perinde ac gratia quæ non habetur, nisi detur: neque Concilium hanc potestatem habet à Christo, quia nullibi legimus in scripturis dictum fuisse Ecclesiæ, vel Concilio: *tibi dabo claves regni Cœlorum, super te ædificabo Ecclesiam meam, pasce oves meas &c.* hæc enim omnia soli Petro dicta fuerunt à Christo, qui solus propterea constitutus fuit supremus Pastor totius Dominici gregis. Minus enim est rationi consentaneum asserere Christum hanc potestatem contulisse Concilio, & simul non posse ostendi, quando, ubi, & quibus verbis eam contulerit, si enim subditus Regis diceret, donatam sibi fuisse à Rege talem arcem, & jurisdictionem, & non posset tabulas, aut testes donationis producere, nulla esset ipsi habenda fides. Hoc idem asserunt adversarii collatam scilicet à Christo Ecclesiæ potestatem hanc papalem, nec tamen possunt ullum sacræ scripturæ locum adferre, quo id probent, unde quomodo potest iisdem fides præstari? nonne simplicitate peccarent, qui id crederent?

Præterea si potestas papalis æquè inesset Concilio generali ac Papæ, sequeretur in Ecclesia duas dari supremas potestates, scilicet in uno eodemque imperio duos Imperatores cum pari potestate, & potentia in uno eodemque regno duos Reges omnino æquales, in uno eodemque corpore duo capita, quæ omnia monstrosa forent, & contra rationem probi regiminis. Rursus si Concilio generali par esset potestas, & authoritas non indigeret confirmari à Papa, & tamen certum est, ut superiùs nervosè evicimus, totam authoritatem infallibilem Concilii in ipsum derivari ab authoritate infallibili Pontificis, qui mediante confirmatione suam authoritatem Concilio communicat, sintque propterea Concilia quamtumvis generalia, semper fallibilia, donec à Papa confirmentur, ut de facto errarunt plura Concilia, quamvis generalia unde adeo Concilium indiget confirmari à Papa, ut sine tali confirmatione sit nullum, ut superius probavimus; atqui supervacanea esset hæc confirmatio, si totum jus papale in Concilio reperiretur, quia à pari non petitur confirmatio, quæ essentialiter exigit fieri à superiore. Hinc falsum est etiam quod asserunt aliqui supremam potestatem inesse Papæ non tamen principaliter, sed ut in ministro Ecclesiæ, & Concilii; quia si hæc potestas esset principaliter in Concilio generali & ministerialiter in Pontifice, inde sequeretur hoc absurdum, quod Principalis deberet confirmari à suo ministro. Rursus hæc sententia adversatur Concilio Constantiensi, ubi sess. 8. definitum fuit, Papam esse immediatum Vicarium Christi, ergo non est Vicarius, nec Minister Concilii, & Ecclesiæ. Neque ex eo, quod Ecclesia Papam eligat, sequitur eidem inesse potestatem papalem, sicut ex eo quod à Capitulo eligatur Episcopus non sequitur inesse Capitulo potestatem episcopalem, quia ipsa forma eligendi & ipsi Electores subsunt legibus Pontificum, qui modum, & formam eligendi præscripserunt, neque ex eo, quod eligant, illi conferunt potestatem papalem, sed tantùm nominant personam, cui potestas immediatè à Deo confertur; Neque dignitas Proregis ab alio confertur: quam à Rege, est enim Prorex Vicarius Regis in illo regno, in quo est Prorex, atqui in Concilio Constantiensi sess. 8. definitum fuit, Papam esse immediatum Christi Vicarium consequenter à solo Christo suam immediatè accepisse dignitatem.

Quid verò mortuo Pontifice, vel in perpetuam amentiam delapso possit Concilium, vel non possit? praxis Ecclesiæ satis docet, nos hic loquimur de Pontifice vivente ac operante ex authoritate pontificia, quam esse supra Concilium hactenus evicimus. Cæterum Cajetanus *in opuscul. de authorit. Papa, & Concilii cap.* 16. asserit: Pontifice capto aut relegato, aut mente capto, cujus conveniendi spes nulla affulgeret, non esse eligendum alium Pontificem, sed ad imitationem primitivæ Ecclesiæ, quando Petrus ab Herode captus fuit, & in carcere detrusus, ibique detentus fuerat, preces ad Deum essent sine intermissione à tota Ecclesia fundendæ, ut dignaretur suæ Ecclesiæ subvenire. In casu verò perpetuæ amentiæ, si ex consensu omnium Medicorum spes nulla affulgeret redeundi ad sanam mentem, tunc Papa habendus esset pro mortuo, non solùm quoad vitam rationalem, & intellectualem, & non tantùm in actu, & in dormiente, ebrio, aut frenetico contingit, verùm etiam in potentia naturali. Verùm in hisce casibus pertineret ad Dei providentiam, qui Ecclesiam & papatum instituit cum suprema potestate, ne hujusmodi casus permitteret evenire: quod si contingerent, ordinem à Deo impositum confunderent, perinde repugnantiam habent respectivam, & consequenter, scilicet ex suppositione divinæ voluntatis, & providentiæ statuentis rem hoc non alio modo fieri, ut si Pontifex non esset validè baptizatus, consequenter nec verus Pontifex, neque ea quæ circa fidem, & canonizationem Sanctorum ab illo statuta fuerunt, æquè invalida fuisse: supposita nihilominus Dei providentia qua voluit Ecclesiæ visibili caput proponi visibile, & quæ ad fidem pertinent certa, & indubi-

indubitata esse; repugnat tale occultum impedimentum à Deo permitti, pertineret enim ad Dei curam non permittere, ut contingeret.

Si dicas esse juris naturæ, ut membra quæ totum corpus inficiunt, amputentur, & separentur à reliquo corpore ne totum corpus corrumpat: consequenter Papam, si pravo suo exemplo pessimoque regimine inficiat Ecclesiam cujus detrimentum, imò, & exilium moliatur esse deponendum ac separandum, seu destituendum papali dignitate ne toti Ecclesiæ sit detrimento, sed contra quia licet membrum minus principale ut manus brachium pes si putrescat, & periculum insit, ut reliqua membra inficiat, & totum corpus corrumpat, possit amputari, ac separari à reliquo corpore, ne totum inficiat, & corrumpat: non tamen si membrum sit principale sine quo conservari non possit reliquum corpus, tunc non potest amputari, quia simul totum corpus interiret: caput autem si à reliquo corpore separetur, hoc statim emoritur, & corrumpitur. Consequenter in nullo casu potest caput amputari, ne reliquum corpus inficiatur; & inauditum curandi genus esset, si ad impediendum malum humani corporis, vellet quis caput homini amputare; nec tantum in physicis hoc damnum sequitur, sed etiam in politicis, & præsertim in regimine Ecclesiastico ob gravissima, & certissima incommoda, præsertim schismatis, quæ admissa hac potestate deponendi Pontificem sequerentur. Ne tamen opportuno remedio in tali casu Ecclesia destitueretur, ad orationem esset recurrendum, cujus beneficio Deus absque dubio opem ferret, cum dixerit Psal. 109. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam*, quia sicut Ecclesia suum per orationem duxit initium ita per orationem conservabitur, cum Christus rogaverit pro Petro ejusque successoribus pro tempore, ut non deficiant in fide, Luc. 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Quamobrem, si periculum immineat alicujus gravissimi in Ecclesia damni, si Pontifex vitiis indulgens sit fidelibus scandalo, si hostes vesano impetu in eam irruunt, defendenda est, si alia remedia humana, & coactiva desint, oratione, qua fideles Deum flectunt in sua vota, & Ecclesiam fortius propugnant quam armis.

Objiciunt decimo: si Concilium nullam potest authoritatem coactivam in Papam exercere, & Papa est supra Concilium sine quo potest fidei controversias dirimere & ejus judicium est infallibile, incorrigibile, inappellabile, sequitur supervacanea esse Concilia generalia, quia si unius Papæ authoritate doctrina fidei definiri potest, nulla esset necessitas indicendi, & congregandi Concilia generalia, cum tot impensis laboribus, incommodis, imò etiam periculis Prælatorum, qui ad Concilium vocantur; atqui Concilia præsertim generalia non esse frustranea, sed necessaria praxis edocuit Ecclesiæ, præsertim cum quatuor Concilia generalia habita semper fuerint in Ecclesia in summa veneratione ob sanam doctrinam, qua veluti quatuor terrestris paradisi flumina ubique terrarum fideles imbuerunt.

Et hæc quatuor prima Concilia generalia communiter ab omnibus etiam ab ipsis Hæreticis quasi quatuor Evangelia suscepta fuerint, ut ajebat Gregorius *lib.* 1. *epist.* 24. quapropter Justinianus Imperator authent. collat. 9. de Ecclesiasticis titulis cap. 1. inquit: *Sancimus vicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticas regulas quæ à sanctis quatuor Conciliis exposita, aut firmata sunt. Prædictarum quatuor Synodorum dogmatu sicut sanctas scripturas accipimus, & regulas sicut leges observamus*, & ratio itidem ex eo desumi potest, quia eodem Spiritu Sancto hæ regulæ dictatæ sunt in Conciliis, quo inspirata, & exarata in sacris scripturis.

Sed contra est, quia ex eo, quod authoritas Papæ sit supra Concilium, & solus possit controversias fidei dirimere, ejusque judicium sit infallibile, non sequitur, frustranea esse Concilia generalia, quia constat ex scriptura, & Ecclesiæ traditione, ut etiam ex suavi gubernandi ratione, qua Christus suam Ecclesiam absque ullis, quæ pateant, miraculis dirigere, & gubernare solet, summum Pontificem non debere sine Concilio prudentum virorum, qui divinas leges calleant, Ecclesiam administrare, neque obscuras definire fidei controversias; præsertim quarum definitio orbem universum obligat: siquidem *Deuter. cap.* 17. legimus supremum Judicem habuisse secum sacerdotes Levitici generis, quorum Consilio in judicando utebatur: & *Actor.* 15. D. Petrus in dirimenda controversia circa legalia assistentes habuit Jacobum, & Joannem, aliosque seniores congregatos, cum quibus difficultatem examinavit, totam controversiam perdisputationem introspexit, & postea propositam quæstionem definivit. Unde Romanus Pontifex in definiendis, & declarandis fidei controversiis debet viros doctissimos consulere, eosque adhibere in examine controversiæ, quæ proponitur.

Non tamen est semper necesse, ut indicat Concilium generale ad has controversias definiendas, si possit Romæ habere viros doctissimos, qui totam controversiam examinent, & juxta sacras scripturas judicent; non enim quidquid agitur, semper necessario agitur, plura enim fiunt, non quia necessaria habeantur, sed quia sint commodiora, quòd Concilia generalia non sint simpliciter necessaria probari facilè potest ex primitiva Ecclesia, in qua licet per trecentos & amplius annos nulla Concilia generalia indicta fuerint, nec congregata, tametsi sævirent in Ecclesia Tyrannorum persecutiones, Principum odia, & Imperatorum rabies contra fideles, imo & hæreses etiam Ecclesiam exagitarent, non propterea Ecclesia periit, quinimò lætius floruit, & diffusius fuit propagata, ex quo constat, Concilia generalia non semper esse in Ecclesia necessaria ad conservandam Ecclesiam ejusque incrementa promovenda, quinimò exemplis ferè omnium Conciliorum constat, quod per Concilia, licet damnatæ fuerint hæreses, non tamen omnino eradicatæ, & extinctæ: imò quia damnatæ à Patribus, plus virium visæ sunt suscepisse, hinc D. Gregorius Nazianzenus asseruit, nullius Synodi successum prosperum à se visum. Etenim Ariana hæresis tantùm abest, ut per damnationem Nicænæ Synodi extincta fuerit, ut tunc cæperit latiùs grassari per Orientem, Occidentem, Hispaniam, Africam, & Italiam, cum antea nonnisi inter limites coarctaretur aliqua-

aliquarum Provinciarum Orientalium. Rursus in Conciliis Chalcedonensi, Ephesino, & aliis hoc idem contigit, non enim eò, quia hæresis Nestorii fuerit damnata in Ephesina Synodo, & hæreses Eutychetis in Synodo Chalcedonensi, propterea cessârunt homines inficere, & sua evomere venena, quinimò si ante Concilia arserunt in flamma; post damnationem creverunt in incendium, non absque fidelium gravissimo detrimento, & totius Ecclesiæ damno. Cæterum quia in Concilium generale Patres ex toto orbe confluunt, inficiari non possumus, majorem in Conciliis sapientiam, experientiam, rerumque notitiam, ac pietatem in Patribus esse, & definita per Concilia generalia approbata, & confirmata à Romano Pontifice haberi à fidelibus in majori veneratione, quæ caussa fuit, ut authoritas Conciliorum semper maximi fuerit æstimata, & sub Ecclesiæ initiis frequentius congregata fuerint quàm nostris temporibus.



# LIBER SECVNDVS.

## De verbo Dei scripto, & tradito, cui innititur Ecclesia in dirimendis controversiis fidei, & de Judice controversiarum.



Um superiùs disseruerimus de Romano Pontifice, & Conciliis, ad quæ pertinet cum capite dirimere controversias fidei juxta verbum Dei scriptum, vel traditum, superest, ut de utroque nunc sermonem instituamus, sunt enim hæc duo, quibus innititur tota Catholica fides, adeo ut nec Pontifex, nec Concilium generale cum capite possit ullam fidei controversiam definire, quin verbo Dei sive scripto, sive traditio definitio fidei innitatur. Sunt hæc duo verba veluti duo luminaria magna, quæ Deus conditor mundi initio accendit in cœlis, unum, ut præesset diei & alterum, ut præesset nocti. Sunt veluti in homine bini oculi, quos Deus efformavit, ut cœlum videre posset homo, ac reliqua in terris discernere, quæ sequi, vel cavere posset. Sunt veluti binæ æreæ columnæ, quas miræ altitudinis Rex sapientissimus Salomon à Deo edoctus erigi voluit in vestibulo templi, unam à dextris nomine Jachin, aliam ad lævam, quam vocavit Booz, & perinde sonat ac robur, idque ad eum finem, ut aditus ad templum & facilior esset, & magnificentior appareret. Perinde Christus Rex gloriæ binas in fortitudine sapientiæ suæ apposuit Ecclesiæ Catholicæ columnas, quibus veluti inconcussis geminis fundamentis Ecclesia Catholica inniteretur, & professio fidei firmior staret, quatenus singuli ejus articuli indefectibiliter sustentantur ab hisce duabus columnis, suntque scriptura, & traditio; Verbum enim scriptum symbolicè repræsentatur per columnam illam, quæ Booz dicebatur seu firmitas & robur; & verbum traditum per aliam columnam, quæ Jachin vocabatur, quia vivæ vocis, & narrationis Patrum observantia primos orbis incolas, & fidei Patriarchas sufficienter instituit supra bis mille, & quadringentos annos juxta computum sacrorum Interpretum (non enim constat Enoch aliquid posteris scripto reliquisse, sed tantùm dicitur quod prophetaverit.) adeo ut D. Paulus scripserit ad Rom. 2. *gentes quæ legem non habent, ea, quæ legis sunt, faciunt*, quod tamen de præceptis morum tantùm non de fidei regulis, quæ supra naturam sunt, intelligi debent. Verbum scriptum est, quod prævenit nativam imbecillitatem Israëlis obliviosi, & robur ei addit, ut legendo, relegendo, & intelligendo mirabilia Dei testimonia, exactius, scrutetur siquidem omnia, quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam dicuntur scripta, non enim satis fuit Deo sapientissimo Magistro suam in cordibus hominum legem scripsisse, sed digito etiam suo eandem in tabulis lapideis exaratam voluit, ut servus ejus Moyses ad longum usque ad minimum apicem ritus, & cæremonias scriberet in membranis volubilibus: quæ à continua obvolutione volumina dicuntur, verbum enim scriptum firmius roborat Christianos, quos renatos ex aqua, & Spiritu S. conscios facit mysteriorum, quæ Deus per Christum, & Christus per Spiritum S. & Spiritus S. per evangelicos scriptores dignatus est suæ Ecclesiæ manifestare.

Hæc duo verba scripta, & tradita sunt veluti duo gradus, quibus ascendimus ad montem Domini, seu ad sublimia veræ intelligentiæ scripturarum, quibus docemur vias

rectas ambulare., & ad hunc montem nos invitat Isaias 2. *Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vices suas rectas.* Et D. Gregorius exponens illud Jobi 33. semel locutus est Deus, & id ipsum secundò non repetit, de scriptura divina ait esse intelligendum siquidem in scripturæ eloquio nos alloquitur, & docet vias salutis. Est verbum scriptum veluti mons, quod nos protegit, nosque accendit ad Dei amorem, quamvis sit rore imbutus, & florum fragantia omnes ad se alliciat, protegit enim ob contubernium divinæ majestatis, quia Deus in sacra scriptura conspicitur cum suis perfectionibus, quantum humani ingenii lumine prospici potest. Accendit corda nostra propter charitatem, & amorem, quo in divinam bonitatem summam & infinitam tendimus: estque roscido imbre imbutus mons iste ob cœlestes voluptates, quibus imbibitur, & tandem suam exhalat fragrantiam ob magisterium veræ sanctitatis, quod in eo addiscitur: & allicit ob privilegium puræ veritatis, quod in monte hoc scripturæ sacræ reperitur. Hinc est, quod Seraphicorum Auscultator concentuum ac dominicæ gloriæ sedentis super excelsum solium contemplator Propheta Isaias, qui non tam Prophetiam, ut ait Hieronymus, quàm Evangelium tenuisse videatur, ubi scripturam novi & veteris testamenti pro tempore revelatæ veritatis, & gratiæ contemplatur, in eadem aspicit Dei oraculum, quasi domum super verticem montium collocatam, inquiens cap. 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini super verticem montium: & fluent ad eum omnes gentes*, quatenus scriptura sacra talem habet proportionem ad conversam humanam sapientiam, qualis est supremum montium fastigium ad infimam vallium profunditatem.

Est verbum scriptum mons ille editissimus, ad cujus fastigium magnus ille D. Pauli discipulus, & Apostolorum contemporaneus Dionysius ascendit dum conscius divinorum arcanorum in epistola sua 9. quam scribit Tito Hierarchæ interroganti, quæ sit sapientiæ domus, quisque ejus cibus, & potus? de scriptura sacra ita loquitur: *Ædificans sapientia sibi domum, duplex apponit alimentum, unum quidem forte & manens, alud humidum, & profusum, & in Cratere exhibet provisivas ipsius bonitates. Fortè quidem alimentum fore arbitror intellectualis perfectionis, & manentis identitatis cognitionem, secundùm quam divina participantur ab illis intellectualibus instrumentis, quibus divinissimus Paulus ex sapientia accipiens vere forte tradidit alimentum, humidum verò & diffusum per varia, & multa divisibilia ad non nutritos tremulam Dei cognitionem manuducere. Propter quod rori & aquæ, lacti, vino, & melli assimulantur divina, & intelligibilia eloquia. Rori quidem & aquæ propter virtutem generativam. Lacti verò propter vim argumentativam. Vino propter vim reviviscativam; propter mundificativam, & simul conservativam melli. Hoc quippe divina sapientia donat copiosè ad ipsam accedentibus: indeficientem alimentorum affluentiam largiens & supermanentem.* Hactenus D. Dionysius loquens de domo sacræ scripturæ. In hac igitur domo divinæ scripturæ ros, aqua, vinum, mel, & lac in Cratere tornatili exhibetur. Ros est ipsa degustatio omnium divinorum, sicut scriptum est Deuter. 22. *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum.* Aqua est ipsa emundatio, & abstersio vitiorum, sicut prædixit Ezechiel. 24. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini.* Et Ecclesi. 15. *Aqua sapientiæ salutaris potabit illos.* Vinum est calefactio, imò & inebriatio animorum in divino amore Proverb. 9. *Bibite vinum, quod miscui vobis*; & Isaiæ 25. *Emite absque argento, & ulla commutatione vinum & lac.* Lac est ipsa eruditio, qua parvuli nutriuntur, & erudiuntur, 1. Petri 2. *quasi modo geniti infantes lac concupiscite.* Mel est informatio hominum perfectorum, sicut David testatur, *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.*

CAP.

# CAP. I.

## De origine & fine Sacræ Scripturæ, & quid propriè sit.

DE qualibet requæri priùs solet undenam suam trahat originem, ut à loco suo dignoscatur conditio, *Principia rerum quærenda sunt*, ait D. Ambrosius in epist. ad Roman; *ut notitia parum possit haberi*, *tunc enim facilius poterit causa ratio declarari, si ejus origo discatur*. Dari enim sacram scripturam nulli potest dubium esse, cum Christus, seu veritas ipsa id fateatur Joan. 5. *Scrutamini scripturas*, *quia vos putatis in ipsis vitam habere*, *& illa sunt*, *quæ testimonium perhibent de me*. Et evidentia rei patet, seu ipsis, quæ manibus nostris terimus, monimentis, quæ jussu Dei sculpta sunt consignata, à SS. Patribus, & ad nos diuturnitate temporis propagata, & miraculorum virtute confirmata; idque judicium universalis Ecclesiæ confirmat, ait enim D. Augustinus contra Faustum cap. 2. *Scripturam divinam esse per succedentium Ecclesiarum*, *& sanctorum Patrum testimonia declaramus*. Supposito igitur, quod detur sacra scriptura, difficile non est ejus indagare originem, & nomine siquidem docemur corda sursum elevare in Deum, quem solum per essentiam sanctum, æternum, & omnium perfectionum plenitudine ornatum novimus. Et quamvis Deus immediatè & per se libros sacræ scripturæ non exaraverit, sicut legimus, non in membranis digito suo vivos, sed in tabulis lapideis legem Decalogi scripsisse, nihilominus scriptorum sacrorum voluntatem movit, ut quæ vel inspiraret, vel per Angelum dictaret ipsi fideliter, ac sincerè scriberent, ut habetur *Daniel*. 10. & significatur *Zacharia* 1. & *Apocal*. 1. adeo ut contra vel præter divinam inspirationem, ac mentis illustrationem, ac intellectus illuminationem verbum non adderent, nec omitterent negligenter, aut erroneè, sintque propterea omnia in sacris scripturis expressa, usque ad minimum apicem, & jota unum divinitus inspirata, ac soli Deo Authori referenda. Si enim Princeps, quæ per suos ministros agit, dicitur ipse Princeps agere juxta juris regulam; à fortiori ubi inspiratio, motio, & assistentia specialis, vel actuale divinæ gratiæ auxilium vel revelatio, aut habitus aliquis veritatis quo dictata percipiuntur, vel judicantur esse vera, ad scribenda præsupponitur datus, ut docent Apostoli Petrus 2. cap. 1. *non humana voluntate allata est aliquando prophetia*; *sed Spiritu Sancto inspirati locuti sancti Dei homines*: & D. Paulus 2. Timoth. 3. *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum*, scilicet catenus utilis, quia divinitus inspirata, eò quia ab eo inspiratur, qui non potest falli, nec nos fallere, scitque propterea quæ Dei inspiratione fuerunt scripta à quavis erroris suspicione, & umbra falsitatis alienæ: quinimò Deus ipse antequam scripturam inspiraret, hoc ipsum declaravit, cum dixit Moysi Exodi 4. *Perge igitur*, *& ego ero in ore tuo*, *& docebo te*, *quid loquaris*: adeo ut Moyses non verba protulerit à se excogitata, sed à Deo inspirata, & dictata. & Jerem. 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo*, *ecce constitui te hodie super gentes*, *& regna*, *ut evellas*, *& destruas*, *& disperdas*, *& dissipes*, *& ædifices*. quod etiam confirmavit per Ezechielem Prophetam Ezech. 3.. *Fili hominis*, *speculatorem dedi te domui Israel*, *& audies de ore meo verbum*, *& annuntiabis eis ex me*. Scilicet quæ Deus erat inspiraturus, non Propheta concepturus, adeo ut singula in veteri testamento expressa ab initio genesis, sint à Deo dictata, ac inspirata: quæ propterea nequeunt errori esse obnoxia. Hinc constat dari sacram scripturam, & hanc à solo Deo & à prima veritate, quæ non potest falli, nec nos fallere, suam trahere originem.

Quod verò ad testamentum novum attinet, seu evangelium, satis claré & apertè constat, à verbo divino incarnato revelatum fuisse, etenim Matth. 11. *Nemo novit Filium nisi Pater*, *neque Patrem quis novit nisi Filius*, *& cui voluerit Filius revelare*, qui Apostolos vocat non servos, sed amicos, quia ipsis, quæ didicit à Patre, revelavit; & sunt, quæ Evangelistæ scripserunt; non enim quatuor Evangelistæ quidquam scripserunt ex propria inventione, sed tantùm quæ à solo Deo fuerunt ipsis inspirata, & dictata, quapropter scripsit D. Paulus ad Galat. 1. *Evangelium, quod est à me evangelizatum, non est secundum hominem; neque enim ego ab homine illud accepi*, *neque didici*, *sed per revelationem Jesu Christi*: ad eo ut omnia quæ continentur in quatuor Evangeliis, non habeantur ab ullo puro homine, sed à solo Jesu Christo per revelationem. Hinc tota sacra scriptura habet Authorem solum Deum, scilicet vetus testamentum inspiratum fuit à Deo, & quatuor Evangelia seu novum testamentum dictatum per revelationem Jesu Christi. Et quamvis Angeli perhibeantur locuti aliqua scriptoribus Bibliæ, non propterea eorum fuerunt Authores, quia nonnisi ut Dei administri ea fuerunt locuti, & dictabant; ut enim ait Apostolus ad Hebræ. 1. Deus solus, sive sumatur, ut est in se, sive ut in carne assumpta, multifariam locutus est per Angelos, & Prophetas, & sicut, quæ nobis prædicta fuerunt per Prophetas, solum Deum habent Authorem, eò quia Prophetæ non ore proprio, sed ore Dei, seu quæ Deus ipsis revelavit, fuerunt locuti, ita quæ per Angelos fuerunt promulgata, solum Deum habent Authorem, à quo fuerunt inspirata; sicque ab Apostolo ad Galat. 3. vocatur lex Dei, non lex Angelorum, unde tota divina scriptura suam à solo Deo originem trahit, quem propterea authorem habet.

Quod verò ad finem attinet sacræ scripturæ, certum est Deum in sacris scripturis inspirandis & promulgandis alium sibi finem non proposuisse, quàm hominis instructionem, ut scribit S. Hieronymus ad Demetriadem inquiens: *In sacra scriptura prohibentur mala*, *præcipiuntur bona*, *conceduntur media*, *suadentur perfecta*. Et hæc omnia, ait Apostolus, ad nostram doctrinam & instructionem.

Quòd

Quòd si dicas, hominem à Deo sine scripto per solam Patrum traditionem per bis mille, & quadringentos annos fuisse institutum, instructum, ac plene informatum, ut unanimi consensu adstruunt doctores, asserentes non constare ab Enocho aliquid posteris fuisse scripto traditum, sed tantùm dici Enochum prophetâsse, videtur non fuisse necessarium fidei doctrinam postea litteris exarari, & hominem scriptis edoceri: idque ex triplici consideratione mirum videri potest, primò quia Deus ante traditas Moysi legis tabulas, nec Patribus antiquis, neque in novo testamento Apostolis ipsis aliquid tradiderit scripto, sed olim ipse proprio ore fere semper locutus perhibetur, & postea Apostolis, se gratiam Spiritus Sancti pro litteris daturum promiserat. Secundò quia, ut notavit D. Paulus, lex ipsa divina omnibus hominibus vi quadam naturali indita agnoscitur, ut ipse scribit ad Roman. 2. *gentes, quæ legem non habent*; scilicet scriptam naturaliter, *ea quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi leges non habentes ipsi sibi sunt lex, quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente ipsis conscientia ipsorum.* Quod verum est tantùm de præceptis morum, quæ Deus digito suo in cordibus nostris scripsit, ut ea observaremus, non verò intelligitur de fidei regulis, quiá istæ sunt supra dictamen naturæ; ut docent Sancti Patres. Tertiò quia homines præsertim Christianos constat à Deo doceri, ut habetur Jerem. cap. 31. ubi Deus qer Prophetam ita loquitur: *Pangam vobiscum fœdus novum, dabo leges meas in mente eorum, & in corde eorum subscribam eas, & erunt omnes à Deo docti.*

Sed respondent Sancti Patres, simulque satisfaciunt difficultati, cur Deus per promulgatam scripturam voluerit homines instruere, quos antea per sola interna dictamina instruebat: quia nimirum scriptura subrogata fuit in defectum naturæ corruptæ, ideoque peropportuna Deus Moysi inspiravit, & movit ad describenda mundi natalia, eò quia ante omnia ex suo beneplacito voluit in principio cœlum, & terram creare, & omnia quæ in eis sunt. Usque ad Moysem lux illa, quam David testatur Psal. 4. ab Authore naturæ signatam super hominem, radiis suis humanam mentem illustrabat, & notitia creatoris sufficienter à Patribus in posteros transfusa mundum ab erroribus avertebat, & veritatem circa divina homines edocebat. Sed cum primum obscurari cœpit cor hominum & ignorantiæ tenebris cœpit humana mens obvolvi, necessarium fuit lumen illud renovare, ac veritatem ipsam clariùs explicare per monimenta litterarum. Splendorem primævæ lucis asserunt. Interpretes contigisse tempore Moysis, quando filii Israël erroribus Ægyptiorum imbuti cœperunt malè sentire, & loqui de mundi creatione quem à malo principio productum asseruerunt: quem errorem postea in novo testamento innovârunt Marcion, & Manichæus docentes Dæmonem authorem rerum visibilium quæque cadunt sub sensus externos. Unde suscitari à Deo debuit Moyses ad coercendum, & radicitus evellendum hunc errorem, qui seminarium erat omnis impietatis, & origo confusionis, quod aggressus notatur cum in medio narrationis, & historiæ suæ authenticè fatetur Deum Creatorem Cœli & terræ, quinimò statim ab initio fassus est Deum sapientissimum artificem condidisse Cœlum, & terram Genes. 1. *In principio creavit Deus Cœlum & terram*, quæ duo caduut sub sensus, suntque corporea. Moysen vero impulsum fuisse ad scribendum à Deo satis apertè significarunt signa, & prodigia, quæ faciebat in nomine Dei, cujus dominium absolutum & despoticum in creaturas omnes, ac supremam illius potentiam describebat, & profitebatur, siquidem Deus ad cujus nutum elementa commovebantur, & signa dabant, nunquam potest testis esse mendacii, vel erroris, cum sit ipsa prima veritas, quæ nec falli, nec fallere potest, idque causæ, cur libri Moysis pluribus fuerint miraculis confirmati, quæ liquido ostendunt, nil in ipsis erroneum contineri, sed omnia à prima veritate emanâsse.

Sancti Patres aliquot etiam suggerunt rationes, & causas hujus implusus in Moyse ad scribendam Genesim, præsertim qua parte est politica, agitque de Deo legem injungentem, & describit ejus omnipotentiam pro eo, quod Creator fuit omnium à principio, quod declarat per quinque priora capita; pro eo quod Salvator fuit hominum sub universali Cataclysmo, quod declarat in aliis quatuor Capitulis, pro eo, quod disseminator, & propagator fuit omnium gentium confuso labio per mundum universum, quod declarat in duobus Capitulis, describens etetiam ejus benevolentiam, & amicitiam ad homines, præcipuè ad Patres spirituales, & carnales, quod evincit ex Abrahæ segregatione, quantum ad locum, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, cap. 12. quantum ad signum circumcisionis: *circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum inter me & vos, cap.* 17. quantum ad factum oblationis Filii. *cap.* 22. Similiter ex Isaac custodia *à cap.* 25. *usque ad* 29. Similiter ex Jacob præelectione, & multiplicatione *à cap.* 29. *usque* 39. pari pacto in Joseph exaltatione *à cap.* 39. *usque ad finem*, unde Moyses scripsit leges Dei omnipotentis ab omnibus esse observandas, eò quia has leges solus Deus instituerit, & injunxerit, consequenter sunt ab omnibus observandæ. Causa igitur, cur Moyses divino impulsu scripserit primos libros, fuit, quia ut ait Augustinus lib. 1. doctrinæ Christi cap. 39. *Homo fide spe, & charitate subnixus eaque inconcussa retinens, non indiget scripturis nisi ad alios instruendos, itaque multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt.* Hinc D. Augustinus asserit, sacram scripturam necessariam esse ad alios instruendos, quamvis non simpliciter in ordine ad se, cum possit quisque per virtutes Theologales æternam consequi salutem. D. Chrysostomus in cap. 8. Matth. expressiùs ait, *Scriptura ad præjudicium peccatorum factæ sunt, non ad necessitatem sanctorum, quia rectis, & fidelibus scriptura necessariæ non sunt, sed injustis, magistra enim omnis justitia ipsa est natura hominum:* Et initio operis imperfecti comment. in evangel. Matth. ita exorditur: *Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio litterarum; sed tam mundam habere vitam ut liberorum vice gratia Spiritus Sancti suppeteret nostris animabus, & sicut atramento illi ita corda nostra inscripta essent à Spiritu: quia verò hanc à nobis excussimus gratiam age, vel secundam navigationem amplexemur*, & prior illis Origenes in illud Exodi: *Projecit tabulas*, scripsit, *sacras litteras vocari secundas tabulas, quasi sacra scriptura data fuerit hominibus dissipato rationis indita dictamine.*

Id igitur

Id igitur emolumenti ex Sacris litteris voluit Deus in hominem derivari, ut cum natura sit ad malum pronus, & obliviosus, consultius censuit per Sacras Scripturas, quæ membranis exaratæ manent, instruere, ac dirigere per vias salutis absque periculo declinandi à rectitudine & honestate, imò præter Scripturas dedit etiam Majórum traditiones, quia ex conjunctione utriusque instructio est perfectior, & cumulatior, hæretque altius animo, cui per oculos, & aures potiùs imprimitur.

Quod si religio tribus veluti innititur columnis, quibus stat firmior, scilicet fide, spe, & charitate, Sacra Scriptura mysteria proponit pro fide, promissiones Sanctissimas exhibet pro spe; concipienda, & singularia addit præcepta ad fomentum, & augmentum charitatis, & in his tribus tota consistit Christi doctrina, ut docet D. Augustinus *lib. de agone Christiano; & lib. de catechizandis rudibus.* Hæc enim tria sunt quæ hominem perficiunt, ac Dei imaginem eidem imprimunt, & ad suum principium, à quo culpabiliter declinaverat, feliciter reducunt, ut ex serie Pentateuchi constat, hæc enim primaria scripta Deum nobis describunt sapientissimum artificem, ac potentissimum Creatorem rerum omnium, quas ex nihilò traduxit ad illud speciei ornamentum, quod omnes Creaturæ in suo genere fuerunt sortitæ. Rursus nobis demonstrant Deum esse supremum Judicem, gloriam & honorem bene operantibus impertientem, & peccata hominum punientem, proinde nos edocent esse Deum adorandum colendum, timendum. Quòd si in Exodo Moyses legem accepit in tabulis lapideis digito Dei vivi exaratam, in Levitico statim præscribit modum, quo debeat homo Deo inservire ex toto corde, omnémque suum affectum, & amorem in solo Deo collocare. In libro Numer. dirigit Israëlem in terram promissionis, & Deus speciali providentiâ populum suum electum protegit, & omnia eidem necessaria ad subsistendum suppeditat ab hostibus innocentibus tuetur, & jugi favore intuetur: in Deuteronomio repetendo legem hominem pœnitus convincit de recta in eum fide, spe, & charitate concipienda: imò ad hunc eund em finem dirigitur omnium Bibliorum Oeconomia, quam ad perfectum statum adducunt evangelia novi testamenti.

Igitur scriptura Sacra, seu Biblia Sacra nihil aliud sunt, nisi verbum Dei revelatum, vel inspiratum Moysi, vel Prophetis, vel aliis Dei Administris, qui exactè omnia scripserunt, quæ iisdem fuerunt à Deo revelata in veteri testamento, ut etiam in novo, quæ quatuor Evangelistæ scripserunt, quia hæc etiam fuerunt à Deo iisdem inspirata, vel ab iisdem Evangelistis, qui fuerunt oculati testes, videbantur, vel audiebantur ab ipso Christo: id tamen ex Sacris Conciliis in Ecclesiam derivavit beneficii, quia per explanationes, ac declarationes Conciliorum clariùs erudimur, & infallibiliter instruimur de iis, quæ in Sacris Bibliis continentur, adeo ut excussis obscuritatibus nobis pateat, & clarescat verus scripturæ sensus.

Qui verò sint libri canonici, seu veri ac indubitati, qui in volumine Bibliorum continentur Sacrosancta Oecumenica Tridentina Synodus nobis declarat in decreto edito de Canonicis libris, cui etiam addidit eorum indicem, ne cui imposterum ulla posset dubitatio oriri: sunt verò infra scripti, sicut in præfatione Bibliorum vulgatæ editionis Sixti V. jussu editorum, primò Romæ, deinde ad exemplar Romanum variis in locis cum facultate, & approbatione Superiorum: igitur in testamento veteri continentur quinque libri Moysis, scilicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, & Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipominon, Esdræ primus, & secundus, qui inscribitur Nehemias; Tobias, Judith; Esther, Job, Psalterium Davidicum constans ex centum, & quinquaginta Psalmis, Parabolæ Salomonis, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, deinde Prophetæ, Isaias, Jeremias cum Paruch, Ezechiel, Daniel, & alii duodecim Prophetæ minores, qui sunt Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc: Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, & duo libri Machabæorum primus, & secundus. In novo testamento comprehenduntur quatuor evangelia, secundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, & rursus Acta Apostolorum à Luca Evangelista conscripta: quatuordecim epistolæ D. Pauli Apostoli, scilicet ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, & ad Hebræos, ut etiam duæ epistolæ D. Petri Apostoli, tres Joannis Apostoli, una Jacobi Apostoli, una Judæ Apostoli, & Apocalypsis Joannis Apostoli. Et Concilium Tridentinum eum anathematizat, qui omnes hos libros integros cum omnibus suis partibus, ut in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & habentur in veteri vulgata latina editione pro Sacris, & Canonicis non susceperit.

Cæterum Catalogus iste non fuit primum in Tridentina Synodo editus, fuit enim in Ecclesia multo antiquior, siquidem traditus fuit ab Innocentio I. anno 402. ad Exuperium Episcopum Tholosanum *epist. 3. cap. 7.* deinde idem Catalogus editus fuit à Concilio Carthaginensi III. cui interfuerunt 218. Episcopi, inter quos subscripsit etiam S. Augustinus anno Christi 419.

Notatu tamen est dignum, quòd more aliorum sub Jeremia complectitur etiam Baruch, id enim approbatum etiam fuit in Concilio Romano *Can. Sancta Romana Ecclesia dist.* 15. ut etiam in Concilio Florentino. Quamobrem omnes præfatos libros non plures, nec pauciores esse, Sacros, & Canonicos ex authoritate Ecclesiæ, quæ sufficientissima est, credunt omnes fideles esse Sacros, & Canonicos, quia Ecclesia unà cum suo capite, seu Romano Pontifice, est infallibilis authoritatis, & non possit errare in definiendis ac declarandis rebus ad fidem pertinentibus. Idque etiam evincitur ex scripturis Deuter. 17. ubi Deus vult ab Ecclesia exemplar peti Sacrorum Bibliorum ait enim: *Postquam sederit Rex in solio Regni sui describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ Tribus, & habebit secum,* quapropter Josias Rex optimus non potuit dubitare, esse verum librum legis Domini, quem Helcias Pontifex tradidit, & talem esse judicavit. Tum quia Matth. 18. Ecclesiæ judicio, & definitioni tenentur fideles acquiescere, cum dicat Christus eum habendum esse, ut Ethnicum, & Publicanum, qui Ecclesiam non audierit, atqui Ecclesia inter alias definitiones definit, & imperat à fidelibus credi recensitos libros utriusque testamenti Sacros esse, & nec plures, nec pauciores. Rursus Sancti Patres, qui floruerunt quinque primis sæcu-

sæculis præfatos omnes utriusque testamenti libros Sacros & Canonicos esse docuerunt, neque obstat, quod Gelasius in decreto librorum Canonicorum recenseat Machabæorum unum tantùm librum, quia intelligit volumen unum duos includere libros, sicut Alcinus Avitus Tom. 8. Biblioth. Patrum, dixerat unum Esthræ librum, cum plures in eodem volumine continerentur, ut etiam notat Cassiodorus *lib. 1. de divinar. scripturar. institutione:* & D. Augustinus lib. contra epistol. funda. cap. 5. ait: Propter authoritatem Ecclesiæ se credere evangelio, quapropter librum à Fausto Manichæo prolatum asserit non esse recipiendum, nec aliam producit causam, nisi quia Ecclesia illum non receperit.

Ratio etiam id suadet, quia si aliquid esset ab Ecclesia diversum, cujus beneficio possemus esse certi de libris Sacris, vel esset divina revelatio, vel privata alicujus hominis sapientia, vel scriptura ipsa divina, atqui neutrum dici potest, proinde superest, ut pro hac certitudine recurramus ad Ecclesiam; etenim revelatio est via extraordinaria, & hac non semper Deus uti solet, quia ut scribit D. Paulus ad Roman. 13. *quæ à Deo sunt, ordinata sunt.* Præterea vel revelatio hæc Sacrorum & Canonicorum librorum fit omnibus fidelibus, vel aliquibus, vel tantùm uni: non omnibus, ut per se liquet, cum Hæretici plures ex recensitis libris negent esse Canonicos, non aliquibus, quia non est major ratio, cur his fiat, & non aliis, cum omnium æquè intersit libros illos nosse. Præterea quia suspecta semper esset talis revelatio, quamdiu non manifestaretur aliis per aliquod miraculum, quod tamen non fit ab iis, qui talem jactant revelationem. Nec hæc fit uni tantùm personæ privatæ, quia huic etiam absque miraculo non esset fidendum. Tum quia de sapientia privati hominis dicitur, quod omnis homo sit, ut ait David Psal. 115. & Apostolus ad Roman. 8. *Homo vanitati obnoxius est*, eo quia passim fallitur, & alios fallit, quòd si circa res sensibiles in plures impingit errores, quo jure poterit credere revelationem esse veram, & à Deo & non potiùs imaginariam. Præterea ratio postulat, ut quod omnes tangit, ab omnibus approbetur, atqui scire pro certo, quinam libri sint Sacri, & Canonici, spectat ad omnes, non igitur id definire ad privatam ullam pertinet personam, sed ad totam communitatem, vel ad illos qui eam repræsentant, & *quos Deus dedit Pastores, & Doctores in Ecclesia ad consummationem Sanctorum.* Et quia inter Pastores, & Doctores componentes Ecclesiam supremus Pastor, & Doctor est summus Pontifex, ideo ad Ecclesiam cum suo capite pertinet declarare, qui sint libri Sacri, & Canonici, & eos docere fideles, ut hi teneantur credere eos esse Sacros, & Canonicos, quia authoritas Romani Pontificis in hisce declarationibus est infallibilis.

A catholici tamen negant plures ex prærecensitis libris esse Canonicos, quia nullibi in scripturis fuit à Deo revelatum omnes, & singulos illos libros esse Canonicos, & si privatus quispiam hanc librorum Sacrorum notitiam à Deo postularet, eam acciperet, cum dixerit Christus: *Petite & accipietis*, atqui plures privati hanc petierunt à Deo notitiam, quibus tamen non fuit revelatum omnes esse Canonicos, nec illam notitiam acceperunt, quam enixim petierunt.

Sed contra verum est, Christum dixisse: *Petite & accipietis*, sed id esse discretè intelligendum, si de re agatur, quæ omnium intersit, ut est notitia præfata, & de qua agimus, & hæc sufficit, si fiat Superioribus, quibus incumbit regimen totius communitatis, & à quibus ad privatos transfundatur, quia, ut ait Apostolus ad Roman. 3. *Quæ sunt, à Deo ordinata sunt*, & ipsa fides habetur ex auditu, ut scribit idem Apostolus ad Roman. 10. adeo ut cælestis doctrina, ut ait David Psal. 132. sit similis unguento, *quod descendit in barbam, & in aram vestimenti ejus*, & juxta rectum ordinem, quem Deus servat, hæc notitia Sacrorum librorum debeat prius communicari Prælatis, & Pastoribus Ecclesiarum, & præsertim supremo Pastori, ac Romano Pontifici, ut ordinatè ab iisdem derivetur in reliquos fideles, Deus enim per intermedios Ministros solet alios edocere. Hinc Paulo interroganti Actor. 9. *Domine, quid me vis facere*, respondit ei Deus, *Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere*: misit eum ad Ananiam, à quo instrueretur. Præterea quamvis non requirat personam, exigit tamen in illa debitam animi præparationem suspensurus dona sua, si ea non adsit, quapropter Jacob 4. *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis*, & nemo potest certò scire se debitam, & totalem præparationem præmisisse, nemo est, qui jure possit gloriari, quod nihil prætermiserit ad dispositionem illam sufficientem, quam exigit Deus, ut juxta petita nobis suam gratiam impertiatur, non enim potest quispiam sine præsumptione liberum se credere à quavis noxa, qua Deo displiceat, sicut Proverb. 20. *habemus quis dicere potest, mundum est cor meum, purus sum à peccato.* cùm David Rex Sanctissimus Deum enixim rogaverit, ut vellet eum ab occultis mundare, *ab occultis meis munda me.*

Rursus neque ipsa Sacra scriptura potest nobis hoc indicium suppeditare, quia vel una, & eadem à se ipsa testimonium accipit, vel una ab alia, ut quæ habentur in Deuteron. ab Evangelio, vel alia scriptura? Primum dici nequit, quia tale testimonium esset per se insufficientissimum, & suspectum, quia hoc idem sibi arrogant, plures nefandi libri, ut Alcoranus Machumetis, & libelli Pseudo-Prophetarum sæpissimè repetentium: *Hæc dicit Dominus*; in Sacris enim scripturis si excipiantur Prophetæ, vix ulla pars se dicit esse verbum Dei. Si asseratur secundum jam progreditur in infinitum, quia pars illa, quæ divinam alteri conciliat authoritatem, vel eandem authoritatem habet à se, vel ab alia, & de hac alia posset semper inquiri, à quonam alia scriptura habeat suam authoritatem, sicque procederetur in infinitum, vel ignotum probaretur per ignotius; & committeretur circulus vitiosus.

Cæterum quia libri canonici continent verbum Dei, ab ipsis in dirimendis præsertim fidei controversiis suppetiæ peti debent, hinc Deuter. 17. Moyses: *Si difficile & ambiguum apud te judicium*

*um esse perspexeris*, non ait, ut secundum proprium judicium vel Consilium difficultatem solvat, sed eum mittit ad superiores in lege, ut ab ipsis edoceatur juxta legem, subdit enim: *Facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus*, ubi clarè Moyses controversias, quæ oriuntur in Dei populo, asserit ex lege divina dirimendas esse, prout dixerint, qui præsunt loco, seu Pastores, & præsertim supremus Pontifex, unde etiam Isaias ait cap. 8. *Ad legem magis, & ad testimonium*, & Malachias cap. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*, unde sine testimoniis divinæ legis nil est definiendum, nec ulla fidei controversia dirimenda, sicut Christus ipse hoc nos docturus legationem suam per sacræ scripturæ testimonia probat, & confirmat: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.* Rursus Marci 12. Saducæos falsitatis convincit, ac confutat ex sacris scripturis, *non ne ideo erratis nescientes scripturas*, & postea: *de mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysis*, ecce quomodo ex sacris scripturis non ex propria opinione Saduceos convincit. Rursus Matth. 22. etiam Pharisæos non alio argumento confutavit, quàm illo, quod ex Davide deprompsit: & eos hortatur, ut non ad Spiritum aliquem internum, neque juxta propriam opinionem difficultates scripturarum solvant, sed juxta testimonia scripturæ dicens Joan. 5. *Scrutamini scripturas.* Joannes itidem testem suæ legationis noluit esse judicium interni Spiritus, neque propriam opinionem, sed Isaiam Prophetam, interrogatus enim quis esset, ait Joan. 1. *Ego vox clamantis in desert, odirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta.* Hinc de Berœensibus illud non absque laude narratur in actis Apostol. cap. 17. Quod, cum Paulum Apostolum concionantem audivissent, scrutabantur quotidie scripturas, si quæ à Paulo asserebantur, conformia illis essent, adeo ut tota authoritas nonnisi ab ipsis sacris scripturis dimanaret: quapropter etiam ipsi Apostoli Petrus, Paulus, Joannes, Jacobus, Judas, non solum in singulis epistolis frequentes sunt in adducendis testimoniis legis & Prophetarum, verum etiam plerumque ipsam scripturarum authoritatem universè deprædicant, ut D. Petrus, 2. Petri 1. *habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Et D. Paulus 2. Timoth. 3. ait: *Ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem. Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne ejus bonum instructus.* Rursus Deus ipse alloquens ducem Josue cap. 1. ait: *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus.*

Hinc Hæretici flocci facientes divina oracula & sacras scripturas asserentes sufficienter instrui, per lumen internum pugnant cum Moyse, Prophetis, Apostolis, & Christo ipso, imò & Deo Patre ac Spiritu Sancto; qui sacris litteris utuntur. Et ideo rejiciendus est Lutherus, qui in libris de Conciliis, & Ecclesia ita scribit: *Papa hac ipsa de re pene totum orbem terrarum in magna mole commentariorum, & librorum evertit, & in innumeros laqueos conscientiarum, leges, exactiones, jura divina & humana, articulos fidei, nomen peccati, & justitia convertit: ut meritò sit denuo tradi ignibus suum decretale, facile enim carere posset Ecclesia tali libro, qui horribile, & irreparabile damnum dedit in magna parte generi humano, sacram scripturam in cœno, & pulvere sepelit, & doctrinam Christianam pene integram delevit.* Certum est enim decretalia Pontificum nonnisi sacris inniti scripturis, à quibus authoritatem desumunt. Rursus eatenus, quæ docentur, & definiuntur in controversiis fidei vera esse fatemur, quia è sacris desumuntur scripturis, quæ tunc à Romano Pontifice docente ex cathedra in Conciliis Generalibus, vel extra declarantur, & quia constat ex scripturis Luc. 22. Christum rogasse æternum Patrem, ut tum Petrus, & ejus pro tempore Successor non deficeret in fide. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*: ex quo inferimus, Romanum Pontificem ut docentem è cathedra in Concilio vel extra esse regulam animatam Catholicæ fidei: siquidem hæc regula debet certa esse, & nobis innotescere, quia si nobis non esset nota, non posset nobis esse regula: non enim regulamur ab iis, quæ ignoramus, & non innotescunt, si itidem certa non sit, neque poterit regula esse, non enim hæc regula esse potest privata Spiritus revelatio, quia quamvis in se certa sit, nobis tamen nota esse nullo modo potest, nisi fortassis per vera miracula Deus eam nobis confirmaret: sed non semper miracula fiunt, consequenter neque semper obvia nobis esset hæc regula, nam quis me certiorem faciat non mentiri Anabaptistam, cum se dicit à Spiritu divino afflatum? si Anabaptista id mihi assereret, quomodo ei credam, cum sit & ipse homo mendax, ac falli possit ac alios fallere? Insuper dato etiam, quòd non mentiretur, quomodo possum cognoscere ipsum duci Spiritu lucis, & non potius Spiritu tenebrarum? Præterea scio omnes Novatores hisce nostris temporibus in sacris scripturis intelligendis asserunt, se doctorem habere Spiritum Sanctum, qui eos edocet verum sensum scripturæ, & nihilominus inter se ita animis & sententiis dissentiunt, ut quæ circa eandem scripturam affirmant isti, illi prorsus negent, ac propterea sint illis Hæretici: Lutherani enim explicant verba illa Christi: *Hoc est Corpus meum*, quod verum, & reale Christi Corpus sit in Eucharistia, quando actu sumitur, & comeditur, eò quia Christus dixerit Discipulis suis: *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum*, & extra actum manducationis negant esse illi Corpus Christi; quod Catholici affirmant, & credunt, tamdiu perseverare post prolata verba consecrationis Christi Corpus in Eucharistia, quamdiu species non corrumpuntur. Secus Calvinistæ absolutè negant etiam in actu manducationis esse in Eucharistia verum & reale Christi Corpus, sed tantùm ejus figuram, unde quod Lutherani affirmant de fide, id Calvinistæ negant, quomodo ergo possunt edoceri à Spiritu Sancto, si ipse est Magister veritatis, & non falsitatis & ex duobus contradictoriis, si unum verum est, necesse sit aliud esse falsum? unde si uterque Lutheranus & Calvinista asserit, se edoceri à Spiritu Sancto verum sensum præcitatæ scripturæ, necessè est, ut alteruter mentiatur,

tiatur, vel ut Spiritus Sanctus utrumque non doceat veritatem; quod repugnat sacris scripturis, estque impossibile, unde clare constat hanc fidei regulam non posse esse privatam Spiritus Sancti revelationem.

Quòd si dicant, Spiritum Sanctum non revelare omnibus veritatem, neque illuminare intellectum omnibus in ordine ad percipiendum verum sensum scripturarum: jam inde sequitur, quòd si non omnes, saltem aliqui, necessario fallantur: & quis ausus fuerit asserere, se non esse ex eorum numero qui à Spiritu Sancto non illuminantur? quis poterit pro certo asserere, se à Spiritu Sancto verum sensum talis scripturæ edoceri: unde regula Catholicæ fidei certa, & nota non potest esse privata Spiritus revelatio, sed hæc desumenda potius est à sacris ipsis scripturis, quæ Propheticis, & Apostolicis litteris continentur, sunt enim verbum Dei, qui non potest fallere, nec nos suo verbo fallere, non enim sacræ scripturæ humana continent inventa, sed oracula tantum includunt divina. Habemus etiam testem ipsam veritatem vaticiniorum, de qua loquens Augustinus ait lib. 12. de Civit. cap. 9. *Scriptura fides mirabilem authoritatem non immeritò habet in orbe terrarum, atque in omnibus gentibus, quas sibi esse credituras inter cætera, quæ dixit, vera divinitate prædixit;* & rursus cap. 10. *Quantò minus credendum est illis litteris, quas plenas fabulosis antiquitatibus proferre voluerunt contra authoritatem notissimorum divinorumque librorum, quo totum orbem sibi crediturum esse prædixit, & cui totus orbis, sicut ab eo prædictum est, credidit: quæ vera se narrâsse præterita, ex his, quæ futura prænuntiavit cum tanta veritate complentur, ostendit.*

Id etiam testatur quædam veluti divina conspiratio ac concordia tot hominum sapientum, qui tametsi loco sint dissiti, linguis discordent, tempore separentur, sacra volumina scripserunt in multiplici vario idiomate, adeo ut quamvis diversi natione, & lingua, & tempore fuerint scriptores videantur nihilominus unius tantum scriptoris vario calamo scripsisse, & unus tantum fuerit, qui hæc vario dictaverit idiomate, adeo ut D. Gregorius præfatione in Job Linguas, & manus Scriptorum Sacrorum nihil aliud dixerit esse, quàm calamum Spiritus Sancti; cui consonat D. Augustinus lib. 18. de civit. cap. 41. ubi loquens de hac mirabili scripturarum concordia ait: *Authores nostri in quibus non frustra sacrarum litterarum figitur & terminatur canon, absit ut inter se aliqua ratione dissentiant. Unde non immeritò cum illa scriberent, eis Deum vel per eos locutum, non pauci in scholis atque Gymnasiis litigiosis disputationibus garruli, sed in agris atque urbibus cum doctis, atque indoctis tot tantique populi crediderunt. Ipsi sanè pauci esse debuerunt, ne multitudine vilesceret, quod clarum religione esse oporteret, nec tamen ita pauci, ut eorum non sit miranda consensio. Neque enim in multitudine Philosophorum, qui labore etiam litterario munimenta suorum dogmatum reliquerunt, facilè quis invenerit, inter quos cuncta quæ sensere, conveniant.*

Hoc etiam testatur ipse Deus, qui sacram scripturam interdum, ne ab hominibus profanaretur, prodigiis impedivit, etenim cum miraretur Rex Ptolomæus cur divinæ scripturæ neque Historici neque Poetæ veteres meminerint, respondit Demetrius Valerius, ut ex Aristæo referunt Eusebius *lib.* 8. *Præparationum Evangel. cap.* 1. & Josephus Hebræus *lib.* 12. *Antiquit. cap.* 2. hanc scripturam esse divinam & à solo Deo datam, propterea, si qui profanorum hominum eam voluerunt attingere, eos à Deo percussos morbo aliquo, vel interno timore percussos statim resiliisse: & affirmavit quendam Theopompum, qui ausus fuerat aliquot divinorum voluminum græca exornare oratione, illico mentis quadam agitatione divinitus immissa vehementer perturbatum, ab incepto dessistere coactum fuisse: & de Theodoro tragediarum scriptore legitur, quod cum aliquid ex divina scriptura ad fabulam niteretur transferre, luminibus orbatus fuerit, ac repentina cæca calamitate pœnam luisse suæ temeritatis.

Imò veritatem sui ipsius testatur ipsa scriptura, eò quia veræ semper fuerint prædictiones rerum futurarum, & eventus semper comprobavit. Quòd si prædictiones veræ fuerunt, cur non etiam vera erunt testimonia rerum præsentium, hinc scite David lib. 2. Reg. cap. 23. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam.* Si igitur est Spiritus Domini, qui fuit locutus per Moysem, Prophetas, Davidem, & alios, qui divinas scripturas exararunt, cum Spiritus Domini non possit dictare falsum, nec mentiri, nec falli, nec alios fallere, sequitur necessariò singula in sacris scripturis comprehensa esse vera; ac propterea verum dixerit Zacharias Luc. 1. *Benedictus Dominus Deus Israel.* Et infra *sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum ejus.* Verum etiam scripsit Petrus 2. Pet. cap. 1. *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Verum itidem dixit Paulus 2. Timoth. 3. *Omnis scriptura divinitus inspirata;* seu à Spiritu Sancto iis dictata, qui sacros libros scripserunt. Verum itidem dixerunt omnes Prophetæ, cum dixerint, *Hæc dicit Dominus,* quia non ipsi ex propria loquebantur, sed ex Dei inspiratione, cujus Prophetæ erant organa.

Tandem id testantur infinita propemodum miracula, quæ quovis tempore sæculis omnibus patrata fuerunt in confirmationem eorum dogmatum, quæ in sacris litteris comprehenduntur. Si igitur omnia quæ in sacris litteris comprehenduntur, infallibilia sunt, ac Dei nituntur authoritate, à quo inspirata, & dictata fuerunt, sequitur necessariam ipsam sacram scripturam esse regulam tutissimam credendi, eò quia nulli sit errori & falsitati obnoxia, unde nonnisi viri imprudentis, & insanæ mentis est in regulis fidei sacram negligere scripturam, & judicio interni Spiritus incerti, & fallacis fidere, unde scite D. Augustinus in Prolog. de doctrina Christiana nos monet, inquiens: *Caveamus tales tentationes superbissimas & periculosissimas, magis cogitemus & ipsum Apostolum Paulum, licet divina & cælesti voce prostratum, ad hominem tamen missum esse, ut Sacramenta perciperet, atque copularetur Ecclesiæ, & Centurionem Cornelium, quamvis exaudiat orationes ejus, eleemosynásque respectas ei Angelus nuntiaverit, Petro tamen tradstum imbuendum, per quem non solùm Sacramenta perciperet, sed etiam quid*

***quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset, audiret.***

Ratio itidem ex regula divinæ Providentiæ dirigentis res cunctas in suos proprios fines peti commodè potest, siquidem Dei Providentia attingens à fine usque ad finem ita fortiter, suaviterque disponit omnia ac moderatur ut rerũ naturis se accommodet, & juxta earundem exigentias regat: natura autem hominis id exigit, ut cum sit animo, & corpore præditus, ac corporalia facilius attingat, & percipiat, quàm spiritualia, cum illa sub sensus cadant exteriores, à quibus ista sunt prorsus aliena; hinc per ea quæ sensibus percipiuntur exterioribus, veluti per quosdam gradus ad spiritualia, ac cælestia ascendamus: ex mundi enim, ac totius creaturæ sensum ferientis exteriorem consideratione, ad opificis Dei demonstrandam existentiam scandimus: *Via enim nobis* (ait Clemens Rom. 8. Recognit.) *ad intellectualia, & invisibilia ab his, quæ videmus, & contrectamus, datur; sicut continetur in Arithmeticis Disciplinis, ubi cum de Divinis quæritur ab inferioribus ad superiores numeros ascenditur; cum verò de præsentibus, & visibilibus ratio exponitur, de superioribus ad inferiores numeros ordo dirigitur*: ergo non omnes, & singulos per internum afflatum Deus docet mysteria nostræ fidei, & quid de se credi velit, quidque à nobis agi velit; sed per media sensibilia, per materiales ac sensibiles literas, & scripturas ea nos edocet, & instructos vult de Spiritualibus, fideique mysteriis; ait D. Augustinus in Psal. 90. *De illa Civitate unde peregrinamur, hæ literæ nobis venerunt; ipsæ sunt Scripturæ, quæ nos hortantur, ut bene vivamus*: non igitur per internum afflatum; sed per externam Scripturam, quam oculis percipimus, manibus contrectamus, nos Deus erudit, docetque, quid de seipso credere, quidque ex nobis agere debeamus. Neque ex eo, quod Moses, David, Isaias in veteri testamento, & in novo Petrus, Paulus, Joannes, & alii pauci ex speciali Numinis gratia fuerint edocti per internum afflatum mysteria fidei, & arcana cælestia, inde sequitur esse reliquos omnes homines eodem modo erudiendos, ac ad cœtum admittendos Angelorum, ut una cum Angelis debeant ab ipso indeficiente fonte veritatis per se Sapientiam haurire, sine ope divinæ Scripturæ, nec magistri docentis: Nunquid in una eademque materiali Ecclesia, omnes quotquot in ipsa lapides continentur, sunt fundamenta ejusdem? alii constituunt fundamenta, alii parietes, alii Sacella, & fornices alii; perinde in Ecclesia Spirituali, non omnes sunt Prophetæ, non omnes Doctores, ait D. Paulus: nunquid omnes Apostoli, nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes fundamenta? nunquid omnes montes? si omnes essent Apostoli, nemo esset Discipulus; si omnes Prophetæ, nemo de futuris esset sollicitus; si omnes Doctores, nulla esset schola: si omnes essent fundamenta, nulli essent parietes, nulla Ecclesia constructa; si omnes montes, nulli darentur colles, nulla planities.

Quòd si sol mane oriens editiora prius montium illustrat cacumina, inde ad colles descendit illuminandos, & postremo umbras ab imis vallium excutit, suisque radiis æque montes, colles, valles & planities illustrat, eò quia solares radii in singulas terrarum partes deriventur: perinde fidei Doctrina Sacras illustrat Scripturas descendens à Patre luminum, & ab Scripturis descendit ad Doctores, & Ecclesiæ Pastores, à quibus in populos derivatur, juxta illud Davidis: Psal. 71. *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam*; quæ verba expendens S. Augustinus Tractat. 1. in Joan. ait: *Montes excelsæ animæ sunt, & colles parvæ animæ sunt; sed ideo montes excipiunt pacem, ut colles possint excipere justitiam. Quæ est justitia, quam colles excipiunt? fides; quia justus ex fide vivit. Non autem acciperent minores animæ fidem, nisi majores animæ, quæ montes dictæ sunt ab ipsa Sapientia illustrarentur, ut possent parvulis trajicere, quod possent parvuli capere*, & nonnulis interjectis subdit: *Oculos nostros cum levamus ad Scripturas, quia per, homines ministratæ sunt Scripturæ, levamus oculos nostros ad montes, unde veniat auxilium nobis.* Non enim illustrarentur parvuli, seu rudes, & populus nisi oculos ad montes illustratos radiis Divinæ Scripturæ elevarent, omne enim auxilium ab ipsis Scripturis, quibus illuminantur montes Doctorum in valles rudium, & planities populorum derivatur; neque beneficium luminis, ac cœlestis influxus susciperent populi, nisi lumine Sacræ Scripturæ illustrarentur Magistri & Doctores, qui populos edocent, quæ credere teneantur, quæque agere ipsi debeant, etenim si Ecclesia Sacris destitueretur Scripturis, à quibus montes Doctorum, & Sanctorum Patrum non fuissent illustrati: nonnisi confusionum umbræ homines occuparent, & caligo ignorantiæ mentes omnium teneret; quòd si quisque proprio vellet se consilio dirigere, nonnisi chaos, ac perturbata confusio inde oriretur; sicut enim in florente Republica si tollerentur leges, ac instituta Majorum, & unicuique liceret, quidquid magis eidem luberet, vel æquum, ac justum crederet, certè totus ordo corrueret, & ingens perturbatio inde oriretur, & universa Respublica non amplius floreret, sed exaresceret, ac plenè interiret. Perinde quia in militante in terris Ecclesia, quam Christus suam selegit Sponsam, omnia sunt ritè ordinata, & directa ad finem supernaturalem ad assecutionem vitæ æternæ, si Sacræ delerentur Scripturæ, si quisque interno instinctu ageret, nonnisi perturbatio quovis destituta ordine absque ulla directione ad unum finem inde emergeret, quia Sacra eloquia Divinitùs inspirata sublata essent, & solus internus afflatus esset, qui hominum mentes moveret, & dirigeret, & sicut variæ sunt ac contrariæ hominum opiniones, ac sententiæ, nonnisi opposita inter sese agerent, & quia potior hominum pars ex rudibus, & imperitis coalescit, qui nesciunt divina cognoscere, neque supernaturalia per se capere, quid isti deberent credere dignoscere non possent: ex quibus incommodis, quæ orientur ostenditur necessitas admittendi Sacras Scripturas, quarum testimoniis innitantur Christiani, ut rectè agant, sibique consulant, & ad æternæ salutis se promoveant assecutionem.

Heretici tamen objiciunt nobis D. Paulum asserentem litteram occidere, & solum Spiritum vivificare, & inde ansam desumunt asserendi non testimoniis Scripturarum, sed interno afflatui debere homines inniti, ut rectè sibi consulant, & vitam consequantur æternam, ajunt ipsi, Apostolus clarissimè asserit litteram occidere, quam distinguit à Spiritu, & illam ad testamentum vetus aper-

te rejicit, ac propterea vocat litteram occidentem; & Spiritum refert ad novum testamentum, & propterea vocat Spiritum vivificantem, quia lex vetus mortua est in suis cæremoniis, ac ritibus, & novum testamentum conditum à JEsu Christo vitam influere; sic legitur 2. Corint. 3. *Idoneus nos fecit Ministros novi testamenti non litera, sed Spiritus, littera enim occidit, Spiritus autem vivificat.* Igitur quemadmodum vel testamentum Judæorum est, & nihil ad homines Christianos pertinet, ita neque Scripturæ Divinæ, quæ nihil aliud quam litteræ sunt, ad Christianos homines pertinebunt: ita discurrunt ex verbis D. Pauli Hæretici ægrè ferentes testimonia Sacræ Scripturæ, quibus convincuntur falsitatis, & erroris.

Sed contra, quia si Sacræ Scripturæ ad nos non pertinerent Christus non jussisset nos Scripturas meditari, & evolvere, ut inde disceremus, quid credere, quidque agere teneamur, ait Christus Joan. 5. *Scrutamini Scripturas*: neque Paulus quatuordecim suas scripsisset Epistolas, si litteræ inutilis esset, & mortem induceret: neque 1. Timoth. 4. Discipulum monuisset, ut jugi lectioni operam daret; non igitur ex Apostolo Paulo per litteram occidentem Sacra potest Scriptura intelligi, neque per Spiritum vivificantem internam Spiritus allocutionem, sed per Apostolum Paulum littera idem est ac lex, quæ etiam scribi consueverat, & litteris exarari, & per Spiritum gratia, quia ut ait Joannes cap. 1. *Lex per Moysem data est, gratia verò & veritas per JEsum Christum facta est*: quamobrem per litteram non intellexit D. Paulus Sacram Scripturam, sed ipsam legem Mosaicam, quæ in lege Evangelia mortua est, & dicitur occidere, eò quia separet homines ab Evangelio, & à gratia Divina, quæ est vera vita, qua Christianus supernaturaliter vivit, & per Spiritum vivificantem intellexit ipsam gratiam, quæ hominem vivificat: Et D. Augustinus lib. 15. contra Faustum cap. 8. ait, eadem lex, quæ per Moysem data est, gratia & veritas per JEsum Christum facta est, cum accessit litteræ Spiritus, ut inciperet impleri justitia legis, quæ non impleta reos etiam prævaricationis faciebat. Quòd verò Paulus per literam legem significet, facilè colligitur ex verbis sequentibus, quia cùm dixisset, *Idoneos nos fecit Ministros novi testamenti; non littera, sed Spiritus: littera enim occidit, Spiritus autem vivificat*, statim subjungit: *quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur: quomodo magis ministratio Spiritus erit in gloria.* Igitur constat, Apostolum Paulum per litteram occidentem non intellexisse Sacram Scripturam, sed Moysis legem in lapidibus exaratam.

Quòd si quæras, cur lex per Moysen data dicatur littera occidens, & propria veteris testamenti? Respondetur quia si conferatur Moyses cum Christo, & lex cum gratia, lex seu littera nullius est utilitatis, & si conferatur lex cum gratia, illa quia populo Judaico data, in lege Evangelica cogeret judaizare, consequenter occideret, quia separaret à lege Christi, seu a lege Evangelica, & gratia sanctificante, in qua est vera vita; etenim Moyses cum sibi datam legem à Deo ad populum deferret ad montis radices expectantem nihil aliud detulit, quam litteras inscriptas lapidi, secus Christus nullas scripsit litteras, nec ab alio scriptas attulit, sed tantum Spiritum dilectionis, & gratiæ suorum Discipulorum cordibus afflavit, unde lex Christi Spiritus, gratia dicitur, lex verò Moysis littera vocatur, illa vivificat; hoc occidit, quomodo autem hæc littera occidat, non una, ac eadem est Patrum sententia. D. Joannes Chrysostomus *in 2. ad Corinth. cap.* 3. & cum ipso Theodoretus, Theophylactus, & alii per litteram occidentem intelligunt legem punientem, & per Spiritum vivificantem ipsam gratiam à peccatis liberantem, lex enim non solùm Stupratores alieni thori, raptores rei alienæ, verum etiam eum, qui Sabbatho auderet ligna colligere, interimi præcipiebat: ut habetur Numer. 15. Secus gratia per JEsum Christum nobis data homines quovis genere scelerum coinquinatos, moribusque perditissimos per lavacrum regenerationis, seu per baptismum abluit, & à maculis abstersit, vel per verbum reconciliationis, seu Sacramento pœnitentiæ absolvit.

Verum juxta hanc explicationem videtur oriri aliqua difficultas, quia lex Divina perinde ac improbis pœnas, bonis præmia elargitur: sicut enim Scriptum est Deuteron. 27. *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit*, ita Levit. 18. legitur: *Custodite leges meas, atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis*, ecce, quomodo eadem lex, si occidat, perperam operantes, etiam vivificet rectè agentes; eadem enim lex mortem, & vitam adfert. Quòd si eadem lex dicatur littera occidens eò, quia transgressores suos puniat, & interimat: pari ratione dici poterit littera vivificans, eò quia suis custodibus, qui eam servant, vitam impertiatur.

Alia explicatio est Origenis lib. 6. contra Celsum, ubi per litteram occidentem vult intelligi Sacram Scripturam explicatam. Secundùm propriam verborum significationem, & per Spiritum vivificantem eandem Scripturam, sed mysticè, & spiritualiter expositam, ait ipse: *Litteram nominavit; cum juxta sensum divinas litteras accipimus. Spiritum verò, cum juxta intellectum.* Verùm hæc explicatio litteræ occidentis, & Spiritus vivificantis, si ita intelligatur, ut nihil omnino in Sacris Scripturis debeat intelligi ad litteram juxta proprium litteralem sensum, non videtur ab errore immunis, quapropter à Sanctis Patribus rejecta fuit, ut à D. Hieronymo *in Epist. ad Pammachium* ab Augustino *lib.* 13. *de civit. Dei cap.* 21. & *lib.* 8. *Genes. cap.* 1. Sin autem ita intelligatur sententia Origenis, ut quæ in Scripturis Sacris figuratè dicuntur, ea secundùm propriam verborum significationem intelligi prohibeantur, quamvis sententia in hoc sensu vera sit, non tamen congruit verbis D. Pauli, quia Apostolus asserens litteram occidere, non loquitur de figuris Scripturarum, sed de notissimis illis præceptis, quæ in duabus tabulis lapideis scripta erant, ait enim Apostolus, *Littera occidit, Spiritus autem vivificat, quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria*, ex quibus claret, per literam occidentem Apostolum intellexisse legem in lapidibus scriptam. Præterea Apostolus in epist. ad Roman. ait: Legem occidere, & per legem nil aliud intelligere, quàm illud, non concupisces;

pisses, unde Augustinus lib. de Spiritu & littera cap. 4. *Et utique non figuratè aliquid dicitur, quod accipiendum non sit, secundùm litteræ sonum, cum dicitur, non concupisces, sed apertissimum, ac saluberrimum præceptum est, quod si quis impleverit, nullum habebit omnino peccatum.*

Vera explicatio verborum Apostoli & communior est, ut littera sine gratia occidat, hoc est littera sola, destituta Spiritu vivificante, quia non est sola littera, quæ vivificat, sed Spiritus, seu gratia; duplici igitur causa vocat Apostolus legem sine gratia litteram occidentem, quia cum sine gratia impleri non possit, eum, cui imponitur lex, aliquo modo efficit prævaricatorem, unde Apostolus ad Roman. 4. scribit: *Lex iram operatur, quia ubi non est lex, neque est prævaricatio legis.* Secundò quia ipsa prohibitio concupiscentiam excitat, & adauget, quia semper cupimus negata, nitimúrque in vetitum, hinc D. Paulus ad Roman. 7. ait: *Occasione accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam:* hinc D. Augustinus de Spiritu, & littera cap. 4. ait: *Doctrina illa, qua præcipit, non concupisses, bona, & laudabilis lex est; sed ubi Sanctus non adjuvat Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est, charitatem diffusam in cordibus nostris; profectò lex illa, quamvis bona, auget prohibendo desiderium malum, sicut aqua impetus, vehementior fit obice opposito, cujus molem cum eviceris majori cumulo, præcipitatus violentius per prona provolvitur, & hoc est quod facilius peccatur propter mandatum, cum accedit etiam prævaricatio, qua nulla est, ubi lex non est.* Igitur per litteram occidentem, & Spiritum vivificantem Apostolus non intellexit Sacram scripturam, ut perperam interpretantur Hæretici, sed ipsam legem datam Moysi, quæ sine gratia occidit, quatenus homines eam transgrediuntur, accedente autem gratia, quæ semper præstò est Spiritus dicitur vivificare. Quamvis lex dicatur esse occasio prævaricationis, & prævaricatio occidere, non tamen inde sequitur Dei legem, & mandata esse servatu impossibilia, quia Dei bonitas semper suppeditat gratiam, qua possimus sua mandata servare, & legem custodire, ait enim Apostolus 1. Corinth. 10. v. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Patereturautem nos tentari supra id, quod possumus, si suam nobis non suppeditaret auxilium, quo valeamus tentationibus obsistere, si urgeant, & legem servare, hinc Deuteron. 30. V. 11. ait: Deus, *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum; sed juxta te est sermo valde, & in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Scilicet ut observes mandatum à Deo injunctum, quia tametsi concupiscentia urgeat; stimulus carnis excitetur, præsto semper est Dei gratia, ut possis tentationi obsistere, & carnis stimulos coërcere, unde Christus Luc. 19. v. 21. ait: *Regnum Dei intra vos est, seu in manu & potestate vestra,* ut explicat Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem cap. 25.* quatenus per gratiam Dei nobis impertitam possumus Dei mandata servare, & oppositiones, ac difficultates superare: mediante enim hac Dei gratia lex Dei gratia lex Dei est servatu facilis, quapropter Christus Matth. 11. v. 8. ait: *Jugum meum suave est, & onus meum leve,* hinc Concilium Arausicanum de gratia, & libero arbitrio contra Pelagium, ejusque reliquias coactum sub Felice Papa IV. anno Christi 529. quod postea à Bonifacio II. Papa confirmatum fuit anno 530. can. 25. post medium hæc habet: *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare noluerint, adimplere,* unde si nulli baptizatorum Dei præcepta sunt observatu impossibilia, possunt omnes, si laborare voluerint, ac tentationibus obsistere, Dei mandata observare, & totam legem implere, alioquin non dixisset Christus Matth. 11. jugum suum suave esse, & onus leve, non enim est suave, quod est impossibile, neque leve, quod intolerabile, cum 1. Joan. 5. v. 3. *Mandata ejus gravia non sunt,* quod si non gravia, ergo levia, certe non impossibilia observatu, unde Tridentinum sess. 6. cap. 11. ait: *Nemo temeraria illa & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti debet: Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia, nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Si Deus igitur absolutè adjuvat, ut possimus, præsentem semper ac expeditam nobis suppeditat gratiam adjuvantem ad mandata implenda, hinc Concilium Tridentinum anathemate etiam percutit asserentem præcepta Dei esse observata impossibilia etiam homini justificato, & sub gratia constituto; ait enim canon 18. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Sancti Patres hoc idem unanimi consensu asserunt Basilius Tom. I. in orat. attende tibi post init. ait: *Impium est asserere præcepta Spiritus S. impossibilia esse observatu.* D. Hieronymus Tom. 6. in Matth. 5. in fin. ait: *Sciendum est Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta,* & D. Augustinus serm. 191. de tempor. sub fin. expressè ait: *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse servari,* idque repetit in narrat. Psal. 56. sub init. ubi explicans textum Joan. 15. de dilectione proximi ait: *Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile esse judicaret, ut hoc ab homine fieret. Si consideras infirmitatem tuam deficis sub præcepto, confortare in exemplo, sed etiam si exemplum ad te multum est, adest ille qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.* Hoc idem asserit lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. cap. 3. *Quod si nolumus, non peccamus, nec præciperet Deus homini, quod esset humanæ voluntati impossibile,* & libro de natur. & grat. cap. 69. *eo ipso quo firmissimè creditur Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus,* & lib. 1. de Genes. contra Manichæos cap. 3. *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum, & temporalium se ad ejus præcepta servanda convertunt, quod omnes homines possunt, si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.*

Si

Si petas, cur lex sive littera approprietur testamento veteri, cum neque in veteri testamento lex illa viguerit sine gratia, sive littera sine Spiritu; siquidem plures floruerunt eo tempore viri pietate, & justitia insignes, qui juxta Dei præcepta, & legem processerunt, ut Luc. I. dicitur de Zacharia, & Elisabetha ambulantibus in omnibus mandatis, & justificationibus Dei sinè querela. Quod si in lege veteri non viguit lex sine gratia, neque in novo testamento viget Spiritus sine littera, seu gratia sine lege, cum Christus Matth. 5. dixerit: *Audistis, quia dictum est antiquis, non occides, qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Et Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire regnum Dei.* Et Matth. 28. ait Christus: *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quacunque mandavi vobis.* Cur igitur Apostolus Paulus idoneos nos fecit ministros novi testamenti non litteræ, sed Spiritus? cur litteram, seu legem à testamento novo excludit, & separat, in quo plures leges ab ipso Christo præscribuntur, ac servari jubentur?

Sed ut hæc difficultas solvatur, proderit considerare, quid per se, & propriè ad utrumque pertineat testamentum ratione finis; etenim finis veteris testamenti fuit id efficere, ut homines in primo parente, velut in radice corrupti, & vitiati se agnoscentes in statu naturæ lapsæ, ac infirmæ vulnerum suorum admonerentur, atque inde timore, & dolore percepto Medicum quærerent, cujus Alexipharmaco à sibi inflictis vulneribus curarentur, ad hunc enim finem lex manuducit, & per legem cognitio peccati, ut ait Apostolus ad Roman. 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem*, & D. Augustinus epist. 200. ad Aselicum scribit: *Utilitas legis est, ut hominem de sua infirmitate convincat, & gratiæ medicinam, quæ in Christo est, implorare compellat.* Hinc testamentum vetus, quia legibus & litteris continetur, timorem incutit, & servitutem inducit, fueritque propterea lex timoris, & servitutis, ut loquitur Apostolus ad Roman. 8. & Galat. 4. Quapropter viri justi, & pii, qui floruerunt in testamento veteri, dicuntur liberi fuisse, non littera testamenti veteris, sed spiritu testamenti novi, ut scribit Augustinus epist. 120. ad Honoratum inquiens: *Dispensabant illi Sancti pro congruentia temporis testamentum vetus, pertinebant verò ad testamentum novum*, hoc est, per litteram, & legem spectabant ad testamentum vetus, & per Spiritum, seu gratiam ad novum, credentes in Christum venturum. Et rursus de peccatorum meritis, & remiss. lib. I. cap. II. *Regnum mortis sola in quolibet homine gratia destruit Salvatoris, quæ operata est in antiquis Sanctis, quicunque, antequam in carne Christus veniret, ad ejus tamen adjuvantem gratiam, non ad legis litteram, quæ jubere tantùm, non adjuvare poterat, pertinebant.* Secus finis testamenti novi propriè est mederi, sanare ab ægritudine, liberare à vinculis, quod totum præstare proprium est divinæ gratiæ, unde D. Paulus ad Rom. 7. ajebat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* postea assignans liberatorem subdit: *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*, adeo ut gratia sit per Jesum Christum nobis impertita, quæ nostra sanat vulnera, nósque liberat à morte peccati, sicut etiam D. Augustinus lib. de Spiritu & littera cap. 29. ait: *Per legem cognitio peccati, per gratiam Sanatio animæ à vitio peccati.* Novum igitur testamentum per se non affert legem, sed gratiam, neque ministerium est litteræ, sed Spiritus, quia Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis, ut prædixerat Jeremias cap. 31. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam Domui Israel, & Domui Juda fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus vestris in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum, quod irritum fecerunt; & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus, sed hoc erit pactum, quod feriam cum Domo Israel post dies illos, dicit Dominus; dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam.* unde si propriè de eo agatur, quod per se ad utrumque pertinet testamentum, verè dixit D. Paulus 2. Corinth. 3. *Quod idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non littera, sed Spiritus*, quia ut dicitur Joan. I. *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Id tamen notatu dignum est, quod tametsi testamentum novum per se ac propriè leges non afferat, dupliciter tamen eas complectitur, siquidem includit omnes eas leges, quæ ad benè, & beatè vivendum referuntur; non enim gratia has leges destruit, sed corroborat, & confirmat, quatenus vires suppeditat, ut eas custodiamus, unde Apostolus ad Roman. 3. ait: *Legem destruimus per fidem? absit, sed legem statuimus*, quatenus gratia novi testamenti naturæ lapsæ infirmitatem sanat, vires suppeditat, quibus valeamus legem servare, & surgere à peccato. Et cap. 8. subdit Apostolus: *quod enim impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis.* Hinc D. Augustinus lib. de gratia Christi cap. 19. *Lex ergo data est, ut gratia quæreretur? gratia data est, ut lex impleretur; neque enim suo vitio non implebatur lex, sed vitio prudentiæ carnis. Quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit.* Gratia igitur novi testamenti legem non destruit, sed confirmat, & simul humanæ infirmitati vires suppeditat, ut valeat eam custodire, adimplere, & sanctè custodire, & præter legem veteris testamenti alias etiam comprehendit novas, à Christo sancitas, cujusmodi sunt leges de baptismo suscipiendo, de Eucharistia sumenda, de conscientia purganda per Sacramentum pœnitentiæ, & de aliis itidem Sacramentis, vel suscipiendis, vel exhibendis, quia tametsi Christus ad eum tantùm finem venerit, ut nos redimeret à servitute peccati, non verò ut alter Moyses novarum legum ponderibus nos premeret, sed ut jacentes, pressósque ponderibus legis, & peccati, auxilio gratiæ sublevaret; nihilominus ad veteris legis præcepta moralia saluberrimas alias leges censuit adjungendas, ut ad Sacramenta nos ducant, & per Sacramenta ad gratiam perducant, & è gratia ad gloriam, vitámque æternam nos promoveant.

CAPUT

# CAPUT II.

## Quomodo habeatur, & institutus sit catalogus Librorum Canonicorum.

CErtum est Ecclesiam æquè in veteri, ac novo testamento, postquam cœperit libros divinos possidere, non statim eorum omnium habuisse perfectum catalogum, & canonem; sed tantùm successive; idque ex eo constat, quia in utroque testamento alii aliis priùs scripti libri fuerint, & quidem pluribus sæculis, antequam existerent libri Prophetarum Isaiæ, & Malachiæ libri habebantur à Moyse scripti, quique continentur in Pentateucho, & in novo testamento, antequam haberentur epistolæ D. Pauli ad Corinthios, & Timotheum, fuit D. Matthæi Evangelium, & quamvis aliqui simul extiterint, non tamen eodem tempore definivit Ecclesia, eos esse Canonicos: siquidem libri, de quorum authoritate est sermo, tripliciter possunt se habere. Primò: ut actum faciat, quem vocant positivum, adeo ut Ecclesia circa tales libros se habuerit positivè eos approbando, ac testificando de sanctitate, & divinitate eorundem librorum, vel positivè improbando eos non esse Canonicos, vel tertio suspendendo actum positivum, & nihil determinando per approbationem, vel reprobationem, quod procul dubio præstitit circa libros, de quibus aliquando anceps hæsit inter Catholicos sententia. Idque causæ fuit, cur in Concilio Laodicensi cap. 59. cui titulus est, *Quæ legere, vel psallere in Ecclesia conveniant?* nulla fiat mentio de libris Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, & Apocalypsis, quia adhuc sententia Catholicorum anceps videbatur circa illos, cùm Sancti Patres de re tanti momenti judicium consultius censuerint in aliud tempus differre, vel fortassis omissi fuerunt, quia Concilium illud provinciale tantùm fuit, & quia non erant libri prærecensiti canoni inserti Hebræorum, hinc censuit de illis nihil judicare; neque recensêre inter eos, qui in Ecclesia essent legendi, idque studio propter Judæos ad fidem conversos, & adhuc judaizantes, cumque in Phrygia Concilium illud celebratum fuerit, plures aderant à temporibus Apostolorum, quos ne irritarent, prudenter Episcopi, qui Laodicæo Concilio interfuerunt, ab illis libris recensendis abstinuerunt, cum essent libri veteris testamenti in canone Hebræorum minimè contenti. A sequentibus tamen Conciliis, & postea consensu totius Ecclesiæ approbati fuerunt, & inter libros Canonicos recensiti, ut expressè habetur in actis Concilii Carthaginensis, tempore Syricii Papæ anno Christi 317. ubi Concilium hos recenset, ac recipit ut Canonicos, in cap. 47. habentur acta hujus Concilii in Tom. 1. Concil. Rursus Innocentius I. eundem habet librorum Canonem epist. ad Exuperium Tholosatem: & Gelasius congregatis 70. Episcopis anno 490. eundem Canonem confirmavit, declararavítque libros Canonicos, qui legi deberent in Ecclesia, quos inter etiam prærecensitos enumerat, quos etiam recenset Alcimus Avitus anno 500. Tom. 8. Bibliothec. Patrum, imò Cassiodorus, Isiodorus, aliique plures antiquissimi Patres.

Idque causæ, cur libri utriusque testamenti à plerisque soleant in duas classes distribui; prima enim classis non præcedit authoritate, certitudine, ac dignitate, quia omnes libri Canonici, cum sint inspirati à Spiritu S. & à Deo dictati, parem habent authoritatem & præstantiam, quam omnes acceperunt ab eodem Authore Spiritu Sancto; sed dicuntur tantùm præcedere cognitione, & tempore, quæ præcesserunt alios secundæ classis, qui propterea dicuntur posteriores cognitione & tempore. Libri primæ classis, quos Sixtus Senensis in sua Bibliotheca Protocanonicos vocat, sunt indubitatæ fidei, seu de quorum authoritate ulla unquam in Ecclesia fuit dubitatio, vel controversia, sed statim ab initio erorientis Ecclesiæ unanimi Sanctorum Patrum consensu recepti fuerunt ad confirmandam, & probandam fidem Christianam. Et hi libri sunt in veteri testamento quinque libri Moysis, & in novo quatuor Evangelia, & alii his similes. Libri Canonici secundæ classis, qui Deuterocanonici, ac Ecclesiastici olim nuncupabantur, ii dicti fuerunt, de quibus non statim sub illis Ecclesiæ initiis ac Apostolorum temporibus, sed postea ad notitiam totius Ecclesiæ pervenerunt, & de quibus anceps aliquamdiu fuit Catholicorum sententia; cujusmodi sunt in veteri testamento libri Esther, Tobiæ, Judith, Baruch, Epistolæ Jeremiæ, Sapientia, Ecclesiasticus, Oratio Azariæ, Illustrium puerorum, Susannæ, & de Bellis historia, liber primus, & secundus Machabæorum, & in novo testamento cap. 16. seu ult. Marci; historia Lucæ de Christi sudore, sanguine, & apparitione Angeli in horto Getsemani; Joannis historia de muliere adultera, Pauli epistola ad Hebræos, Jacobi epistola, Petri secunda, Joannis secunda & tertia, Judæ epistola, & tota Apocalypsis Joannis; de his enim libris plures olim Patres dubitârunt, an Canonici essent, imò & plures negârunt, quos propterea apud solos Catechumenos nondum capaces lectionis Canonicæ, primum legi permiserunt, ut refert Athanasius in Synopsi, postea procedente tempore concesserunt legi, ac recitari ab omnibus fidelibus, ut scribit Ruffinus in symbolo, non tamen ad dogmatum confirmationem, sed ad solam instructionem populi, & ex eo, quod publicè in Ecclesia legerentur, cœperunt Ecclesiastici nuncupari. Postea re exactius examinata libri Canonici ac irrefragabilis authoritatis declarati sunt: adhibuit enim Ecclesia diligentissimum examen, exploravitque inspirationem & sanctitatem authoris, vel ejus, à quo librum accipiebat, & cum noverit esse à Deo, non amplius suum suspendit judicium, sed testificando de sanctitate librorum, eos retulit in Canonem, & ipsi Canonici dicti sunt; perinde ac cæteri, quamvis de ipsis in primis Conciliis nihil fuerit ordinatum, ut diximus de Concilio Laodiceno, & quia Romanus Pontifex pluries definivit omnes præfatos libros esse Canonicos, & in Synodo generali Tridentina hoc idem fuerit declaratum, & à Romano Pontifice confirmatum, nullum amplius potest in Ecclesia dubium esse, quin sint Canonici. Sicut ergo Ecclesia obligavit fideles ad suscipiendos libros primæ classis, qui Protocanonici dicuntur, ita potuit eosdem obligare ad suscipiendos ut Canonicos libros secundæ classis;

ait enim Augustinus Tom. 6. contra epistol. fund. Manichæor. cap. 5. *Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas*, & serm. 191. de tempor. ait: *Novum & vetus testamentum recipimus in illorum librorum numero, quem Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ tradit authoritas.*

Quòd si dicas, licitum olim fuisse dubitare de authoritate librorum, Estheris & Machabæorum, & aliorum secundæ classis, ergo etiam hodie poterit de eorum authoritate controversia institui. Respondetur, quòd cum post exactissimum examen, & maturam deliberationem definitum fuerit à Conciliis Generalibus repræsentantibus totam Ecclesiam unà cum suo capite, à quo etiam fuerunt confirmatione corroborata, libros secundæ classis esse Canonicos, parisque authoritatis cum illis primæ classis, non possit eorum authoritas nunc amplius in dubium verti, & non datur amplius ambigendi, sed tantum obediendi locus; alioquin quia olim fuit dubitatum, an Pagani recens conversi ad fidem Christi deberent circumcidi, etiam nunc posset hæc controversia institui; ut etiam quia olim dubitabatur, an lex obligaret ad Sabbathum, etiam nunc posset dubitari, quod falsum est, eò quia definitioni Ecclesiæ standum est, si facta sit ab Ecclesia cum suo capite docente ex cathedra, & definiente statuta Conciliorum generalium, quæ fuerunt conciliariter examinata, quia tunc authoritas Ecclesiæ est infallibilis.

Cæterum plura sunt, de quibus sub Ecclesiæ initiis potuit libera esse disputatio, & opinio, ut tempore S. Cypriani controversia fuit, an baptismus Hæreticorum esset validus nec ne, & ita de aliis quæstionibus, quæ ante definitionem Ecclesiæ potuit hinc inde disputari, ut de gratia & libero arbitrio tempore Pelagianorum: sed post definitionem ac determinationem Ecclesiæ, quæ maximè in Conciliis cum suo capite habetur, quod prius opinio dubia tantum erat, nunc hæresis esset, propterea ab Ecclesia definitis de fide contradicere nemini licet, nec aliter sentire, unde firmissimus stat Canon, seu Catalogus librorum Sacræ Scripturæ tam primæ, quàm secundæ classis, quidquid afferant Hæretici, ut Centuriatores Magdeburgenses, eam tantùm admittentes Canonicam Scripturam, quæ in canone Hebræorum continetur, & confessio Lutherana ait: *Sacram Scripturam vocamus eos Canonicos libros veteris, & novi testamenti, de quorum authoritate nunquam in Ecclesia dubitatum est.* Ac si Ecclesia Catholica non esset nunc eadem ac ab initio, & antequam nasceretur Lutherus, vel non illustraretur hodiè à Spiritu Sancto, qui propterea eam non amplius doceret omnem veritatem. Neque obstat quod aliquando Ecclesia dubitaverit, num essent Canonici; quia inde non sequitur, debuisse perseverare in tali dubitatione: etiam D. Thomas Apostolus dubitavit de Christi resurrectione, & tamen resurrectio vera fuit, & Thomas in sua non perseveraverit dubitatione, cum fixuras tetigit clavorum, & vulnerum viderit cicatrices: unde quamvis aliquando dubitatum fuerit de libris illis, non tamen inde sequitur, non fuisse tunc verè Canonicos in se, quamvis, ut tales nondum ab Ecclesia haberentur; sicut resurrectio Christi vera fuit, quamvis Thomas de illa dubitaret.

Quòd si dicas, primum & secundum librum Machabæorum non legi in canone Hebræorum; Respondetur id non obstare, quia quando fuit Hebræorum canon editus, & promulgatus nondum libri Machabæorum scripti fuerant, ac propterea non potuerunt inseri canoni illi. Machabæi enim extiterunt trecentis annis post Esdram, scilicet anno creationis mundi 3838. & Esdras, ut habetur ex certioribus Chronicis vivebat anno à mundo condito 3583. quo tempore unà cum præcipuis Synagogæ Doctoribus instituit Canonem, qui dicitur Hebræorum, qui primus, & antiquus nuncupatur. Secundus Canon auditur, ac promulgatus fuit multo tempore post à Judæis, & huic fuerunt adjuncti non solum duo libri Machabæorum, verùm etiam liber Ecclesiastici, ut refert Josephus Hebræus, qui allegat textum Eccles. cap. 42. *melior est iniquitas viri, quàm mulier benè faciens* lib. 2. contra Apionem; unde iste secundus canon non potest ad illum Esdræ referri, quia fuit multo antea editus ad numerum literarum alphabeti Hebraici, & continet viginti duos libros veteris testamenti, sine libro Ecclesiastici, qui tempore Esdræ nondum fuerat compilatus, quòd à fortiori sequitur de libris primo, & secundo Machabæorum. Hinc neque habentur libri Machabæorum in versione 70. Interpretum, eò quia isti extiterint 117. annis ante Machabæos sub Ptolomæo Philadelpho, hoc est circa annum ab orbe condito 3721. unde notitiam non potuerunt habere 70. Interpretes librorum Machabæorum, qui Hebraicè fuerunt editæ post ipsos, censent tamen aliqui primum tantùm fuisse Machabæorum librum hebraicè scriptum, & secundum græcè à diversis authoribus.

Quòd si dicas, Authorem librorum Machabæorum fuisse Anonymum, respondetur exinde non sequi, non esse libros Canonicos, quia etiam Authores librorum Judicum, Regum, & aliorum Anonymi fuisse dicuntur, quod tamen non obstat, quin communiter habeantur, ut Canonici. Si dicas, Authorem librorum Machabæorum petere veniam à lectore, id quod non posset competere libro à Spiritu Sancto dictato. Respondetur, hoc dixisse, non quod fassus fuerit libros illos primum, & secundum Machabæorum non fuisse dictatos à Spiritu Sancto, sed quia locutio, seu scriptio, quam politiorem expetiisset Author, non possit correspondere sensui librorum. Præterea quamvis concederemus, excusationem exquiri dictante ipso Spiritu Sancto, non tamen inde quidquam sequitur contra fidem Canonicam eorum, quæ scribi mandavit, quia solet Spiritus Sanctus se attemperare instrumento, quo utitur, adeo ut elegantius loquatur per scribam & oratorem excultum, quàm per rudem & impollitum, hinc etiam D. Paulus 2. Corinth. 11. ait: *Nam & si imperitus sermone, sed non scientia*; & tamen nemo dubitavit de Paulina inspiratione, etenim sicut verbum æterni Patris ita nostram induit humanitatem, ut divinæ suæ naturæ retinuerit veritatem, non obstante unione cum humana natura, perinde Spiritus Sanctus veritatem essentialem rerum retinuit ac conservavit eorum, quæ pro beneplacito suo dignatus est nobis revelare, non obstantibus circumstantiis naturalis imbecillitatis eorum, quibus afflabat, aut dictabat verbum suum.

Quæri solet, an canon iste librorum sacræ scripturæ capax sit incrementi, & possit augeri? Et

Et solet responderi à sacris Interpretibus affirmativè, eò quia posset ab ipsa Ecclesia examinari aliquis ex illis libris, quorum meminit scriptura, quique non fuerunt positive improbati, & post diligens quodcunque examen reperiri divinus, & canonicus, & ut talis declarari, quia plures fuerunt libri veteris testamenti, qui perierunt vel temporum injuria, vel Hebræorum incuria, vel etiam ob frequentia Hebraicæ gentis excidia, hinc Chrysostomus cap. 2. 1. Corinth. homil. 7. ait; *Liber Deuteronomii vix tandem repertus est in ruderibus: siquidem magna librorum copia periit & pauca ex priori captivitate volumina superfuerunt, quod ex reliquiis plane constat: & quidego captivitatem memoro? nam ante captivitatem multa abolita sunt volumina, cum Judæi in ultimam prolapsi sunt impietatem, quod in calce 4. Regum manifestè deprehenditur.* Fatetur Chrysostomus plura veteris testamenti volumina periisse tempore captivitatis Hebræorum, & ex Hebræorum injuria vel etiam ob eorundem invidiam in populum Christianum, vel quia etiam ad Ecclesiastici Regi gubernationem animarumque salutem non visi fuerint adeo necessarii. Si igitur eorum aliquis liber reperiretur, & divinus ac canonicus esse post diligentissimum examen deprehenderetur, nil inde impediret, quin posset in canone collocari, & ab Ecclesia definiri Canonicus: etenim quinque supra viginti notantur libri veteris testamenti, de quibus fit mentio, tametsi amplius non reperiantur: suntque liber Bellorum Domini, de quo fit mentio, *Numer. cap.* 21. Liber Justorum, de quo *Josue* 10. Liber verborum dierum Salomonis 2. *Reg.* 1. Liber verborum Regum Israel, qui citatur 3. *Regum* 14. Liber Regum Juda, & Israel 3. *Regum.* 15. Liber Azariæ, filii Obed ad Regem Asa, & omnem Judam, & Benjamin, 2. *Paral.* 15. Liber Anani ad eundem 2. *Paral.* 16. Liber Micheæ filii Zenla ad Achab Regem Israel, & Josaphat Regem Juda 3. *Reg.* 28. Liber Jasielis filii Zachariæ ad eundem Josaphat 2. *Paral.* 28. Eliaser filii Dodam ad universam Israel 3. *Reg.* 12. Obed ad Roboam Regem Juda 4. *Regum* 14. Semeiæ contra eundem, Vriæ contra Hierusalem, & terram Juda. *Hierem.* 26. Samuelis videntis, id est Prophetæ, Nathan Prophetæ. Gad videntis 1. *Paral. ult.* Achias, Silonites, Ado, qui scripserunt historiam Salomonis 1. *Paral.* 29. & 2. 29. Osai Prophetia 2. *Paral.* 23. Jonadæ Rechabitæ statuta. *Hierem,* 35. & 4. *Reg.* 8. Jehu filii Anani historia Josaphat 2. *Paral.* 20. Osiæ Regis Judæ historia ab Isaiæ Filio Amos scripta 2. *Paral.* 26. Descriptiones Hieremiæ Prophetæ 2. *Machabaor.* 2. Joannis Hircani liber dierum 1. *Machab. ult.* Hi libri, quorum tamen meminit scriptura, nec in nostris Bibliis inveniuntur, ut scribit Origenes hom. 1. in cant. *Operosum est, si velimus nunc inquirere, quam multorum librorum fiat commemoratio in scripturis divinis, quorum lectio nulla nobis omnino est tradita, sed neque apud Judæos quidem usum reperimus lectionum, quæ sive propterea, quod aliqua supra humanam intelligentiam continebant, placuit Spiritui Sancto ferre de medio, sive quod essent de scripturis, quæ vocantur apocrypha pro eo, quod multa in eis corrupta, & contra fidem veram inveniuntur à majoribus tradita, non placuit eis dare locum, nec admitti ad authoritatem, supra nos est, pronunciare de talibus. Illud tamen palam est, multa, vel ab Apostolis, vel ab Evangelistis exempla esse probata, & novo testamento inserta, quæ in his scripturis, quas canonicas habemus, nunquam legimus; in apocryphis tamen inveniuntur, & ex ipsis ostenduntur assumpta.*

# CAPUT III.

## De editione Hebraica Moysis, & Prophetarum, & an quæ apud nos extat, sit reparatio Esdræ?

NOn defuerunt, qui cum Basilio in Epist. ad Chilonem senserint universam scripturam tempore captivitatis Babylonicæ periisse, eo scilicet tempore, quo Jerosolyma eversa fuit, & templum in ea succensum, cum enim libri sacri in eo servarentur inclusi, una cum templo absumpti flammis fuerunt, sed postea ab Esdra reparati, seu rescripti ex inspiratione & interna locutione Spiritus Sancti, & asserunt hujus opinionis fuisse Clementem Alexandrinum, & etiam Tertullianum, qui tamen nullam hujus rei, mentionem faciunt. Fudamentum, cui innititur, hæc sententia est, quia in libro 4. Esdræ cap. 14. legitur, quod Esdra per continuos quadraginta dies dictaverit ex divino afflatu quinque Amanuensibus scribentibus, quæ ab eo summa celeritate dicebantur, etenim v. 44. habetur: *Scripti funtantem per quadraginta dies libri ducenti quatuor, de quibus septuaginta reservari voluit altissimus, ut sapientibus de populo tantum traderentur*, & refertur id contigisse in campo, in quem Deus Esdram duxit. Verum hoc fundamentum non subsistit, quia liber quartus Esdræ est Apocryphus, & nunquam ab Ecclesia receptus fuit, neque permissus, ut legeretur sicut alii, eò quia plerisque in locis fabulas redoleat judaicas, & in fine capitis 14. non aliter loquitur de istis 70. libris, quam omnes Talmudistæ de sua cabala: *In his est vena intellectus & sapientiæ fons, & scientiæ flumen*, unde tantum abest, quod liber iste quartus, qui tribuitur Esdræ fidem inducat, ut potius eandem destruat.

Alii censent id sufficienter colligi ex libro 2. Esdræ cap. 8. Verum ibi potius oppositum apparet, siquidem legitur: *Dixerunt Esdræ Scribæ, ut adferret librum legis Moysis. Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram multitudine*, quamobrem ibi non dicitur, quod Esdras iterum composuerit librum legis, sed tantum, quod attulerit, quia scirent adhuc inveniri. Sed tamen concederemus scripturam sacram publice fuisse servatam in templo Jerosolymitano, & simul cum templo fuisse flammis absumptam, non tamen inde probatur extra templum non fuisse plura exemplaria apud privatas personas pias, ac divino cultui addictas, ut

ait enim Augustinus Tom. 6. contra epistol. fund. Manichæor. cap. 5. *Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas*, & serm. 191. de tempor. ait: *Novum & vetus testamentum recipimus in illorum librorum numero, quem Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ tradit authoritas.*

Quòd si dicas, licitum olim fuisse dubitare de authoritate librorum, Estheris & Machabæorum, & aliorum secundæ classis, ergo etiam hodie poterit de eorum authoritate controversia institui. Respondetur, quòd cum post exactissimum examen, & maturam deliberationem definitum fuerit à Conciliis Generalibus repræsentantibus totam Ecclesiam unà cum suo capite, à quo etiam fuerunt confirmatione corroborata, libros secundæ classis esse Canonicos, parisque authoritatis cum illis primæ classis, non possit eorum authoritas nunc amplius in dubium verti, & non datur amplius ambigendi, sed tantum obediendi locus; alioquin quia olim fuit dubitatum, an Pagani recens conversi ad fidem Christi deberent circumcidi, etiam nunc posset hæc controversia institui; ut etiam quia olim dubitabatur, an lex obligaret ad Sabbathum, etiam nunc posset dubitari, quod falsum est, eò quia definitioni Ecclesiæ standum est, si facta sit ab Ecclesia cum suo capite docente ex cathedra, & definiente statuta Conciliorum generalium, quæ fuerunt conciliariter examinata, quia tunc authoritas Ecclesiæ est infallibilis.

Cæterum plura sunt, de quibus sub Ecclesiæ initiis potuit libera esse disputatio, & opinio, ut tempore S. Cypriani controversia fuit, an baptismus Hæreticorum esset validus nec ne, & ita de aliis quæstionibus, quæ ante definitionem Ecclesiæ potuit hinc inde disputari, ut de gratia & libero arbitrio tempore Pelagianorum: sed post definitionem ac determinationem Ecclesiæ, quæ maximè in Conciliis cum suo capite habetur, quod prius opinio dubia tantum erat, nunc hæresis esset, propterea ab Ecclesia definitis de fide contradicere nemini licet, nec aliter sentire, unde firmissimus stat Canon, seu Catalogus librorum Sacræ Scripturæ tam primæ, quàm secundæ classis, quidquid asserant Hæretici, ut Centuriatores Magdeburgenses, eam tantùm admittentes Canonicam Scripturam, quæ in canone Hebræorum continetur, & confessio Lutherana ait: *Sacram Scripturam vocamus eos Canonicos libros veteris, & novi testamenti, de quorum authoritate nunquam in Ecclesia dubitatum est.* Ac si Ecclesia Catholica non esset nunc eadem ac ab initio, & antequam nasceretur Lutherus, vel non illustraretur hodiè à Spiritu Sancto, qui propterea eam non amplius doceret omnem veritatem. Neque obstat quod aliquando Ecclesia dubitaverit, num essent Canonici; quia inde non sequitur, debuisse perseverare in tali dubitatione: etiam D. Thomas Apostolus dubitavit de Christi resurrectione, & tamen resurrectio vera fuit, & Thomas in sua non perseveraverit dubitatione, cum fixuras tetigit clavorum, & vulnerum viderit cicatrices: unde quamvis aliquando dubitatum fuerit de libris illis, non tamen inde sequitur, non fuisse tunc verè Canonicos in se, quamvis, ut tales nondum ab Ecclesia haberentur; sicut resurrectio Christi vera fuit, quamvis Thomas de illa dubitaret.

Quòd si dicas, primum & secundum librum Machabæorum non legi in canone Hebræorum; Respondetur id non obstare, quia quando fuit Hebræorum canon editus, & promulgatus nondum libri Machabæorum scripti fuerant, ac propterea non potuerunt inseri canoni illi. Machabæi enim extiterunt trecentis annis post Esdram scilicet anno creationis mundi 3838. & Esdras, ut habetur ex certioribus Chronicis vivebat anno à mundo condito 3583. quo tempore unà cum præcipuis Synagogæ Doctoribus instituit Canonem, qui dicitur Hebræorum, qui primus, & antiquus nuncupatur. Secundus Canon auditur, ac promulgatus fuit multo tempore post à Judæis, & huic fuerunt adjuncti non solum duo libri Machabæorum, verùm etiam liber Ecclesiastici, ut refert Josephus Hebræus, qui allegat textum Eccles. cap. 42. *melior est iniquitas viri, quàm mulier benè faciens* lib. 2. contra Apionem; unde iste secundus canon non potest ad illum Esdræ referri, quia fuit multo antea editus ad numerum literarum alphabeti Hebraici, & continet viginti duos libros veteris testamenti, sine libro Ecclesiastici, qui tempore Esdræ nondum fuerat compilatus, quòd à fortiori sequitur de libris primo, & secundo Machabæorum. Hinc neque habentur libri Machabæorum in versione 70. Interpretum, eò quia isti extiterint 117. annis ante Machabæos sub Ptolomæo Philadelpho, hoc est circa annum ab orbe condito 3721. unde notitiam non potuerunt habere 70. Interpretes librorum Machabæorum, qui Hebraicè fuerunt editæ post ipsos, censent tamen aliqui primum tantùm fuisse Machabæorum librum hebraicè scriptum, & secundum græcè à diversis authoribus.

Quòd si dicas, Authorem librorum Machabæorum fuisse Anonymum, respondetur exinde non sequi, non esse libros Canonicos, quia etiam Authores librorum Judicum, Regum, & aliorum Anonymi fuisse dicuntur, quod tamen non obstat, quin communiter habeantur, ut Canonici. Si dicas, Authorem librorum Machabæorum petere veniam à lectore, id quod non posset competere libro à Spiritu Sancto dictato. Respondetur, hoc dixisse, non quod fassus fuerit libros illos primum, & secundum Machabæorum non fuisse dictatos à Spiritu Sancto, sed quia locutio, seu scriptio, quam politiorem expetiisset Author, non possit correspondere sensui librorum. Præterea quamvis concederemus, excusationem exquiri dictante ipso Spiritu Sancto, non tamen inde quidquam sequitur contra fidem Canonicam eorum, quæ scribi mandavit, quia solet Spiritus Sanctus se attemperare instrumento, quo utitur, adeo ut elegantius loquatur per scribam & oratorem excultum, quàm per rudem & impollitum, hinc etiam D. Paulus 2. Corinth. 11. ait: *Nam & si imperitus sermone, sed non scientia*; & tamen nemo dubitavit de Paulina inspiratione, etenim sicut verbum æterni Patris ita nostram induit humanitatem, ut divinæ suæ naturæ retinuerit veritatem, non obstante unione cum humana natura, perinde Spiritus Sanctus veritatem essentialem rerum retinuit ac conservavit eorum, quæ pro beneplacito suo dignatus est nobis revelare, non obstantibus circumstantiis naturalis imbecillitatis eorum, quibus afflabat, aut dictabat verbum suum.

Quæri solet, an canon iste librorum sacræ scripturæ capax sit incrementi, & possit augeri? Et

Et solet responderi à sacris Interpretibus affirmativè, eò quia posset ab ipsa Ecclesia examinari aliquis ex illis libris, quorum meminit scriptura, quique non fuerunt positive improbati, & post diligens exactumque examen reperiri divinus, & canonicus, & ut talis declarari, quia plures fuerunt libri veteris testamenti, qui perierunt vel temporum injuria, vel Hebræorum incuria, vel etiam ob frequentia Hebraicæ gentis excidia, hinc Chrysostomus cap. 2. 1. Corinth. homil. 7. ait; *Liber Deuteronomii vix tandem repertus est in ruderibus: siquidem magna librorum copia periit & pauca ex priori captivitate volumina superfuerunt, quod ex reliquiis planè constat: & quid ego captivitatem memoro? nam ante captivitatem multa abolita sunt volumina, cum Judai in ultimam prolapsi sunt impietatem, quod in calce 4. Regum manifestè deprehenditur.* Fatetur Chrysostomus plura veteris testamenti volumina periisse tempore captivitatis Hebræorum, & ex Hebræorum injuria vel etiam ob eorundem invidiam in populum Christianum, vel quia etiam ad Ecclesiastici Regni gubernationem animarumque salutem non visi fuerint adeo necessarii. Si igitur eorum aliquis liber reperiretur, & divinus ac canonicus esse post diligentissimum examen deprehenderetur, nil inde impediret, quin posset in canone collocari, & ab Ecclesia definiri Canonicus: etenim quinque supra viginti notantur libri veteris testamenti, de quibus fit mentio, tametsi amplius non reperiantur: suntque liber Bellorum Domini, de quo fit mentio, *Numer. cap.* 21. Liber Justorum, de quo *Josue* 10. Liber verborum dierum Salomonis 2. *Reg.* 1. Liber verborum Regum Israel, qui citatur 3. *Regum* 14. Liber Regum Juda, & Israel 3. *Regum.* 15. Liber Azariæ, filii Obed ad Regem Asa, & omnem Judam, & Benjamin, 2. *Paral.* 15. Liber Anani ad eundem 2. *Paral.* 16. Liber Micheæ filii Zenla ad Achab Regem Israel, & Josaphat Regem Juda 3. *Reg.* 28. Liber Jasielis filii Zachariæ ad eundem Josaphat 2. *Paral.* 28. Eliaser filii Dodam ad universam Israel 3. *Reg.* 12. Obed ad Roboam Regem Juda 4. *Regum* 14. Semeiæ contra eundem, Vriæ contra Hierusalem, & terram Juda. *Hierem.* 26. Samuelis videntis, id est Prophetæ, Nathan Prophetæ. Gad videntis 1. *Paral. ult.* Achias, Silonites, Ado, qui scripserunt historiam Salomonis 1. *Paral.* 29. & 2. 29. Osai Prophetia 2. *Paral.* 23. Jonadæ Rechabitæ statuta. *Hierem.* 35. & 4. *Reg.* 8. Jehu filii Anani historia Josaphat 2. *Paral.* 20. Osiæ Regis Judæ historia ab Isaiæ Filio Amos scripta 2. *Paral.* 26. Descriptiones Hieremiæ Prophetæ 2. *Machabaor.* 2. Joannis Hircani liber dierum 1. *Machab. ult.* Hi libri, quorum tamen meminit scriptura, nec in nostris Bibliis inveniuntur, ut scribit Origenes hom. 1. in cant. *Operosum est, si velimus nunc inquirere, quam multorum librorum fiat commemoratio in scripturis divinis, quorum lectio nulla nobis omnino est tradita, sed neque apud Judæos quidem usum reperimus lectionum, quæ sive propterea, quod aliqua supra humanam intelligentiam continebant, placuit Spiritui Sancto ferre de medio, sive quod essent de scripturis, quæ vocantur apocryphæ pro eo, quòd multa in eis corrupta, & contra fidem veram inveniuntur à majoribus tradita, non placuit eis dare locum, nec admitti ad authoritatem, supra nos est, pronunciare de talibus. Illud tamen palam est, multa, vel ab Apostolis, vel ab Evangelistis exempla esse probata, & novo testamento inserta, quæ in his scripturis, quas canonicas habemus, nunquam legimus; in apocryphis tamen inveniuntur, & ex ipsis ostenduntur assumpta.*

# CAPUT III.

## De editione Hebraica Moysis, & Prophetarum, & an quæ apud nos extat, sit reparatio Esdræ?

NOn defuerunt, qui cum Basilio in Epist. ad Chilonem senserint universam scripturam tempore captivitatis Babylonicæ periisse, eo scilicet tempore, quo Jerosolyma eversa fuit, & templum in ea succensum, cum enim libri sacri in eo servarentur inclusi, una cum templo absumpti flammis fuerunt, sed postea ab Esdra reparati, seu rescripti ex inspiratione & interna locutione Spiritus Sancti, & asserunt hujus opinionis fuisse Clementem Alexandrinum, & etiam Tertullianum, qui tamen nullam hujus rei, mentionem faciunt. Fudamentum, cui innititur, hæc sententia est, quia in libro 4. Esdræ cap. 14. legitur, quod Esdra per continuos quadraginta dies dictaverit ex divino afflatu quinque Amanuensibus scribentibus, quæ ab eo summa celeritate dicebantur, etenim v. 44. habetur: *Scripti sunt antem per quadraginta dies libri ducenti quatuor, de quibus septuaginta reservari voluit altissimus, ut sapientibus de populo tantum traderentur*, & refertur id contigisse in campo, in quem Deus Esdram duxit. Verum hoc fundamentum non subsistit, quia liber quartus Esdræ est Apocryphus, & nunquam ab Ecclesia receptus fuit, neque permissus, ut legeretur sicut alii, eò quia plerisque in locis fabulas redoleat judaicas, & in fine capitis 14. non aliter loquitur de istis 70. libris, quàm omnes Talmudistæ de sua cabala: *In his est vena intellectus & sapientiæ fons, & scientiæ flumen*, unde tantum abest, quod liber iste quartus, qui tribuitur Esdræ fidem inducat, ut potius eandem destruat.

Alii censent id sufficienter colligi ex libro 2. Esdræ cap. 8. Verum ibi potius oppositum apparet, siquidem legitur: *Dixerunt Esdræ Scribæ, ut adferret librum legis Moysis. Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram multitudine*, quamobrem ibi non dicitur, quod Esdras iterum composuerit librum legis, sed tantum, quod attulerit, quia scirent adhuc inveniri. Sed tametsi concederemus scripturam sacram publice fuisse servatam in templo Jerosolymitano, & simul cum templo fuisse flammis absumptam, non tamen inde probatur extra templum non fuisse plura exemplaria apud privatas personas pias, ac divino cultui addictas, ut

ut passim possent scripturas evolvere, & in eis contenta meditari; probabile enim est Ezechielem, Danielem, Hieremiam, Aggæum, & Zachariam, imò & ipsum Esdram, qui eo tempore floruit, servâsse domi exemplaria sacræ scripturæ, quam petentibus explicarent, & ipsi etiam passim legerent, cum enim ipsis incubuerit populos instruere, & cultum Dei promovere, non videtur probabile fuisse destitutos exemplaribus sacræ scripturæ. Quamobrem probabilius videtur, quod asserunt alii, fuisse quidem Esdram sacræ scripturæ Restauratorem, non tamen dictando omnes libros, sed eos colligendo, & ordinando in unum corpus, cum enim libri sacri variis in locis forsam dispersi invenirentur, Esdras eosdem collegit, & in unum corpus congessit, imo & quæ corrupta erant, emendavit, & cum Judæi tempore captivitatis caruerint templo, & tabernaculo, ex negligentia, & incuria scribarum plures irrepsernnt in libris sacris rescribendis errores, quos Esdras correxit, ut asserunt plures, inter quos D. Chrysostomus homil. 8. in Epist. ad Hebræ. ubi ait: Esdram ex reliquiis scripturæ iterum eam composuisse, supponit enim libros scripturæ fuisse divisos ac in plura loca sparsos, quos Esdras simul collegit, & in unum volumen congessit, ac composuit. S. Hilarius in præfat. in Psalmos expresè asserit, Esdram omnes Psalmos collegisse, & ex eis unum librum confecisse. Theodoretus præfat. in Psalm. asserit, scripturam veterem fuisse depravatam tempore captivitatis, & ab Esdra reparatam, quod etiam fatetur Irenæus *lib. 3. cap.* 25. & Tertullianus *lib. de habitu mulier.* & licet Clemens lib. 1. stromatum dicat Esdram recensuisse, ac instaurasse libros omnes veteris testamenti, non tamen asserit, iterum eos dictâsse memoriter. D. Hieronymus itidem in prologo Galeato ait: Esdram invenisse novas litteras hebraicas, & antiquas reliquisse Sammaritanis, novas autem tradidisse Judæis, quibus etiam nunè utimur, siquidem, ut testatur capite 9. Ezechielis littera postrema alphabeti Hebraici antiqui similis erat T. Græcorum & figuram crucis retulisse, *quoniam finis legis Christus crucifixus est.* Sed nunc postrema littera alphabeti hebraici nullam videtur habere similitudinem crucis, ex quo infert Hieronymus, ab Esdra fuisse novas litteras hebraicas adinventas, & id fortassis causæ, cui aliquid asseruerint, Esdram iterum restaurâsse sacram scripturam flammis absumptam, ac deperditam, eam iterum dictando juxta internum Spiritus Sancti inflatum. Cæterum si Esdras dicatur sacros libros iterum dictasse, fortassis id præstitit, quia ex lingua hebræa transtulit in Chaldæam, quæ tunc erat in usu, & Esdras in Chaldaico idiomate suos scripsit libros, ut etiam illos Danielis. Cæterum sacri libri scripti fuerunt ab initio lingua hebraica, & illa, qua Adam, & Patriarchæ usi fuerunt, idque colligitur ex etymologia nominum propriorum, non enim hæc etymologia in aliis linguis ita frequenter reperitur.

An verò editio hebraica corrupta fuerit, non est hujus loci id examinare, nobis sufficit, quòd Ecclesia nobis exhibeat editionem vulgatam omnino emendatam, cum enim D. Hieronymus calluerit linguam hebraicam, & fuerit latine interpretatus sacram scripturam, si aliqui irrepserunt errores, hos oxactè correxit D. Hieronymus, præsertim cum fuerit peritissimus quatuor linguarum, nec defuerunt alii, qui ex mandato summorum Pontificum latinam translationem contulerint cum editione hebraica, chaldaica, & aliis, adeo ut editio vulgata, qua nunc utitur Ecclesia, sit omnino emendata ab omnino errore, & superfluitate expurgata, nilque possit eidem addi, nilque demi.

Quòd vero ad vetus attinet testamentum, si libri Ecclesiastici, & Machabæorum excipiantur, reliqui habuerunt authographum textum hebraicum, de aliis libris Ecclesiastici, Machabæorum, alii asserunt fuisse græce scriptos, alii verò Syriaco idiomata, quia lingua Syriaca tunc fuit vulgaris Hebræis à captivitate Babylonica, & coaluit ex hebraica & chaldæa lingua, Hebræi enim in captivitate, & in terra aliena cœperunt oblivisci linguam propriam, & chaldaicam addiscere, quam tamen cum non possent perfectè pronuntiare, aliquid semper ex hebraica retinuerunt, ex quo lingua tertia mixta orta fuit, composita ex hebraica, & chaldaica. quam deinceps Hebræi pro vulgari habuerunt, & Syriaca nuncupata ab ipsa Regione, ubi magis ejus usus viguit.

Distinguuntur verò hæ duæ linguæ characteribus, conjugationibus, punctorum notionibus, vocalium sono, & idiotismis. Christum verò Syriacce fuisse locutum, ut & Apostolos, ex eo colligitur, quia tunc temporis lingua Syriaca in partibus, quibus Christus immorabatur, viguit, & tunc Hebræa etiam lingua vocabatur, eò quia esset vulgaris apud Hebræos, qui consueverunt Chaldaicam linguam cum hebraica simul miscere, ex quibus duabus nata fuit lingua Syriaca, & id causæ, cur in Evangelio passim aliquid legamus hebraicè, quod tamen vulgari lingua, seu Syriaca dictum fuit, ut est illud Joan. 19. *Exivit in eum Calvariæ locum, hebraice autem Golgotha,* quæ verba, tametsi Syriaca, nomén habuerunt hebraicum.

Quod verò ad novum testamentum attinet, asserunt ferè omnes, fuisse græcè originaliter scriptum, si tamen excipiantur Evangelia Matthæi & fortassis etiam Marci, & Epistola D. Pauli ad Hebræos. Probabile etiam est, Evangelium S. Matthæi & Epistolam D. Pauli ad Hebræos fuisse Syriaca lingua descripta. Editiones, seu traductiones græcæ plures fuerunt, quarum prima tribuitur Platoni, de qua traductione ait Clemens Alexandrinus *lib. 1. stromat. cap. 14. Plato Philosophus à Moyse in legibus ferendis adjutus fuit.* Secunda fuit 70. Interpretum tempore Ptolomæi Philadelphi. Tertia contigit anno 12. Adriani Imperatoris ab Aquila Pontico de Ethnicismo ad Christianismum converso, licet ob professionem Astronomiæ judiciariæ rejectus postea ab Ecclesia fuerit, ut refert Epiphanius lib. de mensuris, ubi ait: *Aquila expulsus rursus ab Ecclesia, velut inutilis ad salutem, ex quo facto amarulentiam, velut ignominia affectus, mente concepit, & abnegato Christianismo proselytus fit, & circumciditur Judaus: atque tum laborioso studio tradidit se ipsum ad discendam hebræorum linguam. Ubi vero hanc summè didicisset, interpretatus est non recta ratione usus, sed quo aliqua ex receptis libris perverteret, irruens in 70. interpretationem, ut testimonia de Christo in scripturis prolata aliter ederet, propter confusionem, quam sustinuit ob temerariam suam excusationem, atque hoc modo fit secunda hujus interpretatio post numerum tantorum*

sim-

*temporum, velut supra scripsimus.* Quarta Theodotionis cujusdam Pontici Discipuli Marcionis Hæresiarchæ, qui ad judaismum declinans, ac circumcisus, & hebraicè edoctus suam edidit interpretationem, de qua plura habet D. Epiphanius lib. de mensuris. Quinta fuit Symmachi Samaritæ ex numero Sapientum, qui cum non reperisset fidem apud propriam gentem, studio ægrotans, & contra propriam tribum indignatus accessit ad Judæos, & factus Proselytus voluit circumcidi, & tempore Severi interpretatus est sacram scripturam interpretatione Samaritana. Sexta fuit in doliis Jericho occultata, & tandem inventa anno 8. imperii Caracallæ, qui Severo successit, ut refert Epiphanius loc. cit. Septima reperta itidem fuit Nicopoli in partibus Orientalibus in doliis pariter occultata tempore Alexandri Imperatoris filii Mammææ. Octava tribuitur Origeni, qui versionem Theodotionis cum traductione 70. interpretum ita miscuit addens & immutans verba, ut non obstante Asterisco distinctivo inter utramque versionem, nova emerserit, quæ nunc Bibliothecas implet, & vulgaris dicitur, ut scribit D. Hieronymus Epist. ad Augustinum 89. Nona fuit Luciani Presbyteri, & Martyris sub Diocletiano, & Maximiano, de quo Athanasius in Synopsi ait: *Septima, & postrema versio S. Luciani Magni, Religiosi, & Martyris est, qui & ipse cum in prædictas versiones & hebraicos libros incidisset, & diligenter, quæ vel veritati deerant, vel superflua aderant, inspexisset, ac suis quaque locis correxisset, versionem hanc Christianis fratribus edidit, quæ sane post ipsius certamen, & Martyrium, quod sub Diocletiano, & Maximiano Tyranno sustinuit, libro videlicet propria manu scripto comprehensa Nicomediæ sub Constantino Rege Magno apud Judæos in parietis armario calce circum lito, quo custodiæ gratia posita fuerat, inventa est.* Et ita etiam refert Eusebius *lib. 9. cap.* 16. Decima tandem fuit Hesychii, qui iterum correxit versionem 70. & hæc versio celebris fuit in Ægypto, ut etiam illa Luciani Constantinopoli, & Antiochiæ, & illa Origenis in Palæstina.

Ex hisce traditionibus illa 70. Interpretum fuit semper religionis potissima, ac iisdem prælata, eo quia ob notitiam utriusque linguæ, & specialem Spiritus Sancti assistentiam cæteris haberetur excellentior. Siquidem Ptolomæus Philadelphus Rex Ægypti Bibliothecam copiosissimam cum instruxisset Alexandriæ, & libros ex quavis mundi parte una congesserit, & fama tunc percrebuisset, speciatim relatu Demetrii Phalerei, qui ab Athenis exul venerat Alexandriam, novisset divinam haberi apud Judæos scripturam, voluit illam quovis pretio habere, ne tanto ornatu sua Alexandrina careret Bibliotheca ad hunc finem cœpit perhumaniter agere cum Judæis, quos ejus Pater Lagus acriter divexaverat, ac propterea Ptolomæo exosi erant, sed ad assecutionem scripturæ Judæorum plures, imò propemodum innumeros, quos captivos tenebat, libertate pristina donavit, & rursus misit Hierosolymam plurima donaria templo conservando, & ad usum divini cultus, & quidem cum amplissima legatione ad Eleazarum tunc temporis summum Pontificem, ut vellet libros eorum transmittere una cum Interpretibus, ut refert Aristæus, qui unus fuit de Legatis hisce Regiis à Ptolomæo missis Jerosolymam ad Eleazarum. Imò S. Epiphanius *lib. de ponderib.* refert Philadelphum binas misisse legationes, ac bis enixis precibus petiisse Interpretes, quod etiam innuit Augustinus *lib.* 8. *de civit. cap.* 11. Verum alii utramque hanc petitionem quasi unum ac idem Regis negotium conjunxerunt, adeo ut unius tantum meminerint. Eleazarus igitur Satisfacturus Ptolomæo Senos, de qualibet Tribu è senioribus populi utriusque linguæ peritissimos selegit, quos Alexandriam misit ad Ptolomæum, qui omnes summatim complent numerum 72. Interpretum, quamvis communiter brevitatis gratia 70. dicantur. Sunt tamen, qui hunc numerum è Tribubus selectum cum Scaligero irrideant, eo quia tunc duodecim Tribus non extarent Jerosolymis, sed earundem decem tempore Ezechiæ deportatæ fuerint in Mediam remanentibus in Judæa tantum duabus Tributus Judæ & Benjamini. Nam id nullum facessit negotium, quia tametsi tempore Ezechiæ fuerint in Mediam decem Tribus deportatæ, non tamen omnes ex singulis Tribubus, sed tantum plures, reliqui enim semper manserunt in Patria tempore captivitatis, ut colligitur ex *libro Judith cap.* 2. Præterea quia ex qualibet Tribu aliqui semper in patriam revertebantur, & ex iis Eleazarus summus Pontifex cæteris doctiores selegit, misitque cum sacris scripturis ad Ptolomæum Philadelphum. Quod ex captivitate Babylonica semper aliqui in Judæam reverterentur, etiam liquet ex Judaicarum Academiarum Rectoribus, ac Discipulis in libro Rabbi Abrahæ, qui Kabbala dicitur, & liquet ex Rabino 1. Cap. 20. Præterea quia S. Lucas cap. 1. asserit, Aman fuisse ex Tribu Aser: & Picus Dux Mirandulæ in Epistola ad ignotum asserit hac super re plures consuluisse Judæos, qui asseveranter dixerunt, falsum esse decem Tribus non rediisse, quamobrem una cum sacris libris ab Eleazaro summo Pontifice ad Ptolomæum Philadelphum missi fuerunt duo supra septuaginta Interpretes. An verò Alexandriæ omnes isti Interpretes fuerint seorsum in cellulis separatis inclusi, ut quisque suam seorsim, separatus ab aliis, versionem faceret, asserunt plures, inter quos Justinus, cui adhærent Irenæus, Cyrillus, Clemens Alexandrinus, & plures alii, quorum aliqui etiam fatentur à se demunculas istas visas, vel saltem earundem superstites reliquias. Nihilominus alii asserunt, 72. Interpretes in eadem Basilica sedisse, ac inter se se communicâsse, ac sacram scripturam transtulisse, cujus sententiæ videtur esse D. Hieronymus in Pentateuchum, ubi ridet hanc cellularum historiam, inquiens: *Nescio, quis primus Author 70. cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxerit.* Et refert eos, simul conferendo singulis diebus usque ad horam nonam, hanc versionem tandem absolvisse, idque evincit testimonio Aristæi Præfecti Regiæ Bibliothecæ, qui interfuit cum cæteris, & Josephus lib. 12. antiquitatum narrans hanc historiam, horum non meminit cellularum, quas tamen recensuisset, cum sit quid notatu dignissimum, Interpretes omnes convenisse in eundem sensum, tametsi simul non communicaverint, & unus seorsim ab alio fuisset scripturam interpretatus, imò neque Eusebius lib. 8. de *praparat. Evangel. cap.* 1. hanc describens 72. Interpretum versionem, ullum de hisce cellulis verbum facit, ut nec etiam Philo Hebræus, Tertullianus, Chrysostomus, qui cum narrent, quæ in hac versione contigerunt miracula, non siluissent, id quod circumfertur

 de

de cellulis sejunctis, quod erat præcipuum, si id fuisset veritati consonum. Absoluta igitur versione, lecta hæc fuit coram Rege Ptolomæo Philadelpho Ægypti Rege magnoque Judæorum cœtu, qui tunc Alexandriæ morabantur, qui omnes eam, ut divinam commendarunt, cujus propterea exemplar septuaginta duo Seniores miserunt Hierosolymam populo Judaico, ut asservaretur, sicut refert Aristæus, qui testis fuit oculatus, cui adhæret Justinus antiquissimus Scriptor, imò & Philo lib. 2. de vita Moysis, ait: Hanc translationem 72. Interpretum in tanta fuisse veneratione, ut plerique Judæorum consueverint singulis annis enavigare in Insulam Pharum, ut locum illum, in quo primum edita fuerat legis divinæ interpretatio, honorarent; imò asserit fuisse insuper anniversarium festum institutum memoriæ causa: & tanta fuit hujus versionis authoritas, ut Hieronymus *præfat. 1. in Paralip.* scripserit: *Si versio septuaginta duorum integra haberetur, ut ab eis edita fuit, frustra se laboraturum in Bibliis transferendis.* Et præfat. 2. ait: Septuaginta Interpretes, Spiritu Sancto plenos, transtulisse, quævera sunt, & ideo in Apologia contra Ruffinum lib. 2. ait: se septuaginta Interpretibus nihil voluisse detrahere. Hinc liquet D. Hieronymum nunquam redarguisse erroris hanc versionem, sed tantùm, quæ postea irrepserunt in illam vitia, incuria, vel malitia, aut ignorantia aliorum. Cæterum quod asserat illos Interpretes non fuisse Vates, non pugnat cum eo, quod alii dicunt Prophetas potius fuisse, quam Interpretes, sed satius censent alii eos propriè Prophetas non fuisse, sed tantùm specialiter afflatos Spiritu Sancto, ut autumat D. Hieronymus, quapropter tantæ fuit authoritatis, ut ipsi Apostoli frequenter fuerint ea usi, ut liquet ex eorum citationibus, & testantur Irenæus lib. 3. cap. 25. Hieronymus in præfat. Evangel. ad Damasum, idque causa, quòd postea Ecclesia Catholica per plura sæcula eandem fuerit versionem secuta.

Quia verò progressu temporis ex incuria Amanuensium plura contraxit vitia, & plures irrepserunt errores omissa fere fuit, tanquam vitiata deprehensa, quod probat D. Hieronymus ex pluribus sententiis, quæ minimè cum veritate cohærent, ut est supputatio annorum Mathusalem *Genes.* 5. nam secundùm græcam editionem dicitur, ipsum vixisse quatuordecim annis post diluvium, cùm tamen non fuerit in Arca Noetica, & extra Arcam omnes perierint: in Arca enim non fuerunt nisi octo personæ, quæ diluvii exitium declinârunt, scilicet Noë, Sem, Cham & Japhet, & eorum uxores *Genes. 6. & 1. Petri* 3. quam difficultatem cum non potuissent solvere D. Hieronymus in quæst. Hebr. August. lib. 15. civit. cap. 13. & alii plures S. Patres concluserunt errorem irrepsisse in Græcis codicibus, quem tamen minimè adscribunt 70. Interpretibus, sed iis, qui primi descripserunt libros ex Bibliotheca Regis Ptolomæi. Rursus Jonæ 3. alius videtur etiam irrepsisse error, siquidem cum 70. Interpretes legant *tres dies*, Codices Hebraici, imò & Latini habent *adhuc quadraginta dies*, ex quo D. Hieronymus ait non posse ullo modo defendi versionem 70. & Augustinus fatetur, Jonam scripsisse *adhuc 40. dies, & Ninive subvertetur.* Item Justinus in Dialogo cum Tryphone affirmat editionem 70. Interpretum fuisse corruptam à Judæis plerisque in locis, adeo ut indiguerit emendari ab Origene, Luciano, Hesychio, & Hieronymo. Quod si indiguit emendatione procul dubio errores in ipsam irrepserunt, cum nihil emendetur, quin prius vitiatum fuerit.

Cæterum versio hæc 70. Interpretum absoluta fuit Olympiade 124. ante Christum annis 350. & Philadelphici regi anno 7. & quidem non sine speciali Dei providentia, quia tunc via sensim incepit Gentibus sterni, per quam venirent ad fidem Christianam, siquidem eo tempore lingua Græca latè diffusa erat per omnes, & singulas propemodum Orientis, imo & occidentis Regiones; & ut facilius Christiani Judæos convincerent de Messia, quod jam venerit, & de veritate Verbi divini, quod naturam assumpserat humanam, & quidem per proprias eorundem scripturas Græcè & Latinè traductas, ut notat D. Epiphanius *lib. de mensuris & ponderibus*, & D. Hieronymus in præfat. Pentateuch. quibus adhæret Augustinus *lib. 12. civit. cap.* 42. & 44. Quinimò Ipsi Interpretes fatentur, se ex industria quædam omisisse, & quædam addidisse, & etiam alia aliter à textu vertisse, eò quia sic Spiritus Sanctus dictaverat.

Quæ vero authentica sit editio Sacræ Scripturæ, D. Hieronymus refert, plures suo tempore fuisse versiones Sacræ Scripturæ translatas non ex Hebræo immediatè, sed ex Græco contextu 72. Interpretum, & asserit tot fuisse exemplaria, quot Codices, & D. Augustinus *lib. 2. de doct. Christ. cap.* 11. adfert causam, quia Codex Græcus præsto semper erat cuique & intellectu facilior; ait ipse, *ut cuique primis fidei temporibus venit in manus Codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibique utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari:* Præ cæteris tamen versionibus una aliis præferebatur, quæ Itala audiebat, de qua Augustinus *lib. 2. de doctrin. Christ. cap.* 15. ait: *In Ipsis autem interpretationibus Itala cæteris præferatur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ*, & de hac versione loquitur in sua cum Pascentio altercatione epist. 178. Ubi ait: Scripturas omnes à Moyse Prophetis, Apostolis, Evangelistis, Hebræo aut Græco scriptas eloquio, quas postea viri probati ac disertissimi in omnibus periti linguis de Hebræo primitus in Græco, de Græco in Latino stylo edidere, cum labore nimio maturavit; hæc est versio illa Itala, quam ab initio Ecclesia Romana receperat, ac retinuerat, quæque interdum vulgata dicebatur, & à D. Hieronymo epist. 14. & 19. ac ab Eucherio tract. in lib. Reg. dicitur vetus. Verum nunc à tempore, quo floruit S. Hieronymus, Ecclesia utitur nova versione, quam Concilium Tridentinum sess. 4. vocat vulgatam, & est ejusdem S. Hieronymi, quam jussu Damasi Papæ per integrum triennium Romæ anno 382. elaboravit, siquidem D. Hieronymus vetus testamentum non vertit è Græca 72. Interpretum versione, sed immediatè ex Hebræo textu originali in Latinum transtulit: videntur tamen excipiendi libri Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch, & epistola Hieremiæ, ac libri Machabæorum, quia horum non meminit, & nullibi asserit, fuisse à se translatos, cum tamen consueverit de aliis id adstruere, unde probabile est, hos libros non fuisse à D. Hieronymo conversos in Latinum, & fortassis, quia eos Canonicos non putaverit. Psalterium verò vulgatæ

vulgatæ editionis est ex editione S. Luciani. Cæterum testamentum novum non transtulit D. Hieronymus è Græco in Latinum, sed tantùm relegit, & examinavit, atque ad Græcam veritatem emendavit, quapropter ipse epist. 11. ad D. Augustinum ait: *Si me, ut dicitis, in novi testamenti emendatione suscipitis*, ubi non vocat versionem suam, sed solam emendationem, quia versionem supponit ab alio factam. Cæterum cum in hanc translationem & emendationem totius scripturæ aliqua irrepserint emendanda etiam tempore D. Hieronymi, ut ipse testatur in præfat. in Psalterium, cui initium est: *Psalterium Romæ*, hinc post Concilium Tridentinum quinque Romani Pontifices in id præsertim incubuerunt studii, ut diligentissimè, & adhibito omnio studio, ac industria sacri Bibliorum libri corrigerentur, jussu Pii IV. Pii V. Sixti X. Gregorii XIV. Clementis VIII. à mendis fuerunt plenè, & totaliter Bibliorum libri omnes correcti, & ex Vaticana typographia veterem ac vulgatam Sacræ Scripturæ editionem, quanta fieri potuit diligentia castigatam, juxta Codices manuscriptos Hebræos, & Græcos evulgarunt; & hac editione, veluti Lydio lapite probantur dogmata Christianæ fidei; & mores examinantur; per hanc sublatis erroribus puritas Evangelii illucescit clarior, & conservatur illustrior, ut habetur in decreto Concilii Tridentini præfixum Bibliis Sixtinis de Canone librorum, quos Ecclesia suscipit: & per hanc vulgatam, & emendatam editionem eximuntur studiosi ab improbo illo labore evolvendi Græcos, & Hebraicos codices: hoc beneficium nobis præstiterunt Doctores Lovanienses, quibus à Romanis Pontificibus fuit officium demandatum conferendi cum originalibus Hebraicis, & Græcis libros Bibliorum, & eos diligentissimè emendare, si errores irrepserint incuriâ librariorum, vel negligentia Amanuensium. Profunt enim originalia exemplaria Hebraica, & Græca ad variarum linguarum indagandam veritatem, Librariorum emendandos errores, & ad ambiguarum vocum verum indagandum sensum, veram investigandam sententiam; ut etiam quorumcunque verborum vim, & energiam accuratè perspiciendam. Quamobrem Sixtini Bibliorum libri evolvendi sunt, ut legitimum, ac purum Sacræ Scripturæ sensum habeamus, ac defœcatum, purúmque textum; cum hæc editio, ac versio authentica sit, ac cæteris præferatur, eò quia totaliter conformis sit originali Hebraico, & Græco, & dictamini Spiritûs Sancti: neque versio ab alio suam desumit perfectionem, quàm à conformitate cum suo originali, sitque propterea versio eo perfectior, quo conformior suo originali; hinc asserunt plures, D. Hieronymum linguarum Orientalium, præsertim Hebraicæ, & Græcæ peritissimum, ex speciali assistentia, auxilio, & illuminatione Spiritus Sancti in versione Scripturarum non potuisse errare, saltem in rebus pertinentibus ad fidem; licet quoad alia potuisset subinde clarius, ac expressius vertere, ut notârunt plures, qui aliquos textus correxerunt, non quod irrepserint errores, sed ut clariùs sensum explicarent originalem, adeo ut tota correctio fuerit circa majorem claritatem; idque potuit fieri absque ulla culpa Interpretis, seu D. Hieronymi, & varia significatione verborum; interdum unum ac idem vocabulum potest plures habere sensus, & ipse modò unum, & modo alium sequutus est; hinc Ecclesiastem bis vertit, & cap. 2. ubi prima vice transtulit: *cogitavi trahere carnem meam in vinum*: in secunda posuit *abstrahere à vino*, quia verbum Hebræum potest utrumque significare *in vino*, & *in vinum*; & etiam *de vino*, & *à vino*; qua de causa D. Hieronymus aliqua correxit sua loca: etenim Isaiæ 11. asserit, non esse legendum: *Flos de radice ejus ascendet*, sed *Nazareus*, & 70. Interpretes malè hoc nomen prætermisisse; & hic locus citatur à Matthæo correctus cap. 2. *Ut impleretur, quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazareus vocabitur.* Postea tamen ipse vertit, ut 70. Interpretes, & dixit *Flos*; rursus lib. 5. in Isaiam fatetur male se vertisse caput decimum nonum: *Erit terra Juda Ægypto in festivitatem*, cum potius verti debuerit *in pavorem*, sicut jam est in vulgata. Aliqui tamen asserunt, D. Hieronymum non tam reprehendere hanc versionem, quam explicare, quæ sit vis Hebraicæ vocis, quæ subinde plura significat, quæ videntur inter se oppositionem aliquam habere, ut cum in quæstionibus Hebraicis dicit cap. 1. Genes. pro eo, quod dicitur, *Spiritus ferebatur*, in Textu Hebraico habetur *incubabat*.

# CAPUT IV.

## Qui libri Sacræ Scripturæ impugnentur ab Hæreticis.

PLures etiam ab Ecclesiæ exordio, & etiam postremis temporibus asseruerunt, vetus testamentum non aliter esse in disputationem fidei admittendum, nisi quando cum novo concordat, cui errori adhæserunt Simoniani, Marcionitæ apud Irenæum *lib.* 1. *cap.* 20. 22. & 29. Deinde Manichæi apud Epiphanium hæresi 66. Bogomiles apud Euthymium *part.* 2. *Panopl. tit.* 23. *cap.* 1. Albigenses apud S. Antoninum *part.* 4. *tit.* 11. *cap.* 7. & postremis temporibus Anabaptistæ, & alii, qui ex veteri testamento ea tantùm approbant, quæ suis erroribus videntur aliquo pacto posse favere detorquendo verum Scripturarum sensum. Quam tamen hæresim olim impugnârunt Epiphanius in hæresi Manichæorum, Augustinus in *lib. adversus Faustum Manichæum*, & in aliis duobus contra adversarium legis, & Prophetarum. Et sanè videtur mirum, quod Hæretici venerantes libros novi testamenti rejecerint libros veteris testamenti, cum constet libros novi plura habere testimonia in veteri: ait enim Christus Luc. ult. *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me*: & ipse Apostolus Paulus expressè hanc dependentiam novi à veteri testamento fateatur ad Roman. 1. *Paulus Apostolus segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per* Prophe-

*Prophetas suos in scripturis sanctis.* Quòd si novum testamentum, seu Evangelium fuerat promissum per Prophetas in testamento veteri, sequitur utrumque testamentum esse simul connexum, perinde ac promissio, & res promissa, figura, & res figurata habent inter se connexionem. Rursus ad Galat. 4. *scriptum est, quia Abraham duos filios habuit unum de ancilla, & unum de libera, quæ sunt per allegoriam dicta; hæc enim sunt duo testamenta,* scilicet vetus, & novum. Præterea catenus in fidei controversiis admittendum est novum testamentum, eò quia singula, quæ in ipso continentur, sunt verba Dei, vel inspirata à Spiritu Sancto: atqui etiam quæ continentur in veteri, sunt verba Dei, consequenter si in controversiis fidei admittendum est novum testamentum, debet etiam admitti vetus, major est certa, quia catenus novum testamentum admittitur, eò quia continet verbum Dei, quòd cùm sit prima veritas, non potest falli, nec nos fallere. Minor ostenditur ex Apostolo primo ad Hebræos, ubi ait: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè locutus est nobis in Filio,* quòd si Deus in veteri testamento loquebatur Patribus in Prophetis, sequitur vetus testamentum esse verbum Dei, consequenter perinde ac novum est admittendum in controversiis fidei.

Alia hæresis tribuitur cuidam Ptolemæo dividentem legem Moysis in tres partes, in quarum prima mundi opificem authorem Deum faciebat, in altera Moysem, & in tertia Seniores Synagogæ, imò ajebat Ptolemæus authorem primæ partis non fuisse verum Deum, sed Numen quoddam medium inter Deum, & Diabolum; hinc concludebat, non modo legem universam, sed nullam ejus partem divinam esse, quem tamen errorem impugnat Zacharias apud D. Lucam cap. 1. ubi apertè testatur, *Verum Deum Israël locutum esse per os Sanctorum, qui à sæculo sunt,* scilicet *omnium Prophetarum ejus.* Præterea hæc hæresis repugnat cum Sacris Scripturis novi testamenti, ait enim D. Paulus 2. ad Timoth. 3. Omnnem Scripturam esse divinitus inspiratam.

Alia hæresis tribuitur Theodoro Mobsuesteno asserenti, Prophetas nec ullum verbum prædixisse de Christo, quapropter eorum extinguit authoritatem, sed verba Christi Domini eum convincunt apertissimi mendacii, cùm dicat Christus Luc. 4. *Hodiè impleta est hæc scriptura in auribus vestris,* & Petrus Actor. 10. expresse ait: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent.* Deinde innumera propemodum sunt Prophetarum testimonia, quæ passim in novo testamento ab Evangelistis, & Apostolis explicantur de Christo, ut *Matth.* 1. 2. 4. 12. & alibi. *Marci* 12. 15. *Luc.* 11. *Joan.* 2. 12. 19. *Actor.* 2. 4. 13. *Ephes.* 4. *Hebræ.* 1. 10. Philastrius in catalogo Hæreticorum cap. 127. ait, Nicolaitas, & Gnosticos asseruisse Psalmos Davidis esse tantùm humana, & profana cantica, absque ullo divino afflatu conscripta, & Eusebius *lib. 7. histor. cap.* 25. ait: Paulum Samosatenum eos Psalmos, qui in Christum canebantur; sustulisse de Ecclesia, ut recens excogitatos, verùm forsan Paulus non fuit locutus de veris Psalmis Davidis, sed tantùm de quibusdam hymnis Ecclesiasticis, non enim videtur probabile post tot sæcula Psalmos Davidis Samosateno potuisse videri recens excogitatos. Præterea hunc errorem expressis verbis rejicit Christus Matth. 22. *Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dexteris meis:* hæc enim verba habentur in Psalmo 109. & Actor. 4. Apostoli unanimes ajunt: *Tu Domine, qui Spiritu Sancto per os Patris nostri David pueri tui dixisti: quare fremerunt Gentes.* Et D. Paulus in epist. ad Hebræ. cap. 2. ait: *Sicut dicit Spiritus Sanctus, hodiè si vocem ejus audieritis,* quæ verba sunt in Psalmo 94.

Martinus Lutherus in convivialibus sermonibus titulo de Patriarchis, & Prophetis asserit; se non credere omnia fuisse gesta, ut in libro Job narrantur; & de libris veteris, & novi testamenti ait: librum Job videri veluti fabulæ argumentum ad proponendum exemplum patientiæ; & adhæret, quibusdam Hebræis, qui in Thalmud. ord. 4. tract. 3. negantes librum Job esse divinum, putant ipsum Job nunquam inter homines vixisse, & alii Rabbini, tametsi recipere videantur librum Job, quem etiam commentariis illustrârunt, pluries tamen ipsum Jobum reprehendunt, quòd fuerit impatiens in tolerandis calamitatibus, & cum peccâsse, non quidem verbis, sed corde; At historiam Job fuisse veram, & ipsum Job vixisse sanctitate, & patientia clarissimum, habemus testem contra Hebræos omni exceptione majorem Ezechielem cap. 14. *Per os enim hujus Prophetæ dixit Deus, si steterit in medio Noë, Daniel, & Job, ipsi in justitia sua liberabunt animas suas,* æquè loquitur de Job sicut de Noë, & Daniel, atqui certum est, & adversarii fatentur Noë, & Danielem vixisse inter homines, ergo etiam necesse est, fateantur hoc idem de Job, de quo propterea scribunt Tobias, cap. 2. Jacobus cap. 5. Rursus Lutherus in convivialibus sermonibus de libro veteris, & novi testamenti ait: Authorem libri, cui titulus Ecclesiastes, sibi videri ocreis, & calcaribus destitutum, & equitare tantùm in soccis. Sed contra, quia Salomon in libro illo, qui inscribitur Ecclesiastes, nil magis habet cordi, quàm gravissima oratione adhortari ad mundi contemptum, & ostendere ejus vanitatem: siquidem exordium ducit à verbis illis c. 1. *Vanitas Vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* & cap. 2. *Risum reputavi errorem, & gaudio dixi, cur frustra deciperis?* cap. 3. *Dixi in corde meo, justum, & impium judicabit Deus.* cap. 7. *Melius est ire ad Domum luctus, quàm ad Domum convivii* cap. 8. *Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Et in fine ait: *finem* loquendi pariter *omnes audiamus, Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.* Neque obstat, quod Ecclesiastes subinde dixerit edendi, & bibendi delectationem non esse spernendam, quia non id asserit, ut omnia voluptate edendi, & bibendi metiamur, sed ut avaros, & sordidos perstringeret, qui malunt necessariis, & licitis commodis se ipsos fraudare, quam de cumulo pecuniarum unum vel alterum nummum detrahere. Præterea Ecclesiastes plura loquitur ex vulgi, & insipientium opinione, ut scitè demonstrat D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 4.

Neque verum est, quod asserunt Hæretici librum Ecclesiastes fuisse à Salomone tunc scriptum, quando amore mulierum æstuaret, nam quam falsum sit, ex eo colligitur, quia in alio libro, qui Ecclesiasticus inscribitur cap. 47. seriatim, & cum ordine recensentur acta Salomonis, & priùs de libris ejus narratur, quam de amoribus; præterea quia Eccle-

Ecclesiastes affirmat, se divinitus accepisse suam sapientiam, & secum permansisse usque ad illam ætatem, ait enim cap. 2. *Sapientia quoque perseveravit mecum*: atqui non videtur probabile lumen cœlestis Sapientiæ cum ea cordis excæcatione simul cohæsisse, habetur enim 3. Reg. cap. 11. *Et averterunt mulieres cor ejus, cumque jam esset Senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos.* Præterea cap. 2. hujus libri enumerat omnes delicias suas, palatia, piscinas, pomaria, servos, ancillas, cantica, modulationes, vasa aurea & argentea, & alia id genus permulta; & tamen tot concubinarum, atque uxorum, præ quibus omnes aliæ deliciæ facilè fuerunt ei contemptui, non meminit, unde nondum captus erat earum amore, quando librum, cui titulus Ecclesiastes, scripsit.

An verò Salomon æternam fuerit salutem consecutus, affirmant plures Judæi teste S. Hieronymo in cap. 1. Ecclesiast. ubi fatetur Salomonem scripsisse hunc librum post peractam peccatorum pœnitentiam, cui sententiæ videtur & ipse Hieronymus adhærere in comment. Ezechielis cap. 23. Sed D. Augustinus in Psalm. 126. & alibi frequenter asserit Salomonem fuisse reprobatum à Deo, eò quia divina Scriptura ejus senectutem gravissimè reprehendat, & de pœnitentia ab eo peracta nec ullum habeat verbum. Unde fuerunt etiam ex antiquis Hæreticis, qui putârunt Canticum Canticorum non Spiritu Dei veri, sed cupidinis afflatu fuisse scriptum, eò quia hoc Canticum non contineat nisi sermones amatorios Salomonis Regis, & uxoris ejus filiæ Pharaonis, hinc concludunt hoc Canticum profanum esse, consequenter nullius authoritatis, & hanc hæresin Beza præfatione Josue tribuit Castalioni. Sed contra, quia si sponsa, quæ tot carminibus celebratur in illo Cantico, esset filia Pharaonis, plura ineptissimè à Sapientissimo Salomone dicerentur: neque enim in filiam Regis convenire potest illud Cant. 1. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi*, neque potest filiæ regis accommodari illud cap. 1. *Abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos*, non enim est proprium filiæ regis potentissimi Pharaonis pascere hædos, & ire post vestigia gregum, cum id officium sit Pastoris. Neque possent accommodari verba illa cap. 5. *Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, & percusserunt me, & vulneraverunt me*, non enim videtur probabile filiam regis solam circuisse civitatem, & custodes, cum eam novissent esse uxorem Salomonis, tam acerbè excepissent verberibus; neque ei conveniunt verba illa cap. 8. *Quis mihi det fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te.* Neque Salomon dicitur unquam suxisse ubera uxoris Pharaonis. Cæterum cum Salomon venustatem commendat suæ sponsæ, suisque describit pictam coloribus, hæc omnia Ecclesiæ congruunt, non verò mulieri, cujus species procul dubio esset monstrosa, si ejus caput esset vastum, ut Carmelus, nasus productus, ut turris, oculi dilatati instar piscinæ, & dentes, ut greges ovium detonsarum, & ipsa postea tota nigra, ut tabernacula Cedar; non enim id esset venustatem describere filiæ Regis Pharaonis, sed potiùs ejus turpidines declarare.

Alii itidem Hæretici libros inficiantur novi testamenti putantes neque ab Apostolis neque ab aliis Discipulis scripta esse Evangelia, sed à falsis Impostoribus, qui plura falsa veris admiscuerunt, & ita videtur sensisse Faustus Manichæus, ut refert D. Augustinus *lib.* 32 *contra Faustum cap.* 2. & *lib.* 33. *cap.* 3. Alii licèt non negent Evangelia ab Apostolis scripta esse, ajunt tamen pluribus in locis secum vel cum ipsa veritate pugnare; propterea Apostolos, ut homines interdum errâsse, & plerumque studiosè confictis narrationibus ampliâsse Magistri sui gloriam, quæ hæresis plurimos habuit Authores Ethnicos juxta Augustinum *lib.* 2. *retract. cap.* 16. Julianum Apostatam huic adhæsisse hæresi, testis est Cyrillus *lib.* 10. *in Julian.* Verùm quod attinet ad primum, quod est Manichæorum, D. Augustinus *lib.* 32. *contra Faustum*, & *cap.* 16. & 21. duplici ratione rejicit, primò quia Manichæi, cùm ex Evangeliis adigantur errores suos confirmare, hinc ostendunt eam confirmare doctrinam authoritate Impostorum, seu abducere falsos testes in confirmationem veri. Secundò quia si ex communi omnium consensu, & tot sæculorum contestatione continua non probaretur Apostolorum esse illas litteras, quas Ecclesia docet, & semper docuit esse Apostolorum, periret fides omnis librorum, & falsa esset semper hominum opinio, unde negare, Epistolas scriptas ab Apostolis, fuisse ab ipsis scriptas, perinde esset ac asserere Ecclesiam non fuisse ab Apostolis propagatam. Alteram hæresis partem idem Augustinus *lib.* 1. *de consensu Evangel. cap.* 7. & 8. refellit, quia sicut nos non vidimus Aristotelem, Platonem scripsisse quidquam, sed tantùm id fuisse narratum à suis Discipulis, adhuc credimus Aristotelem, & Platonem suos scripsisse libros, & libris Discipulorum eam fidem præstamus, quam libris Aristotelis, & Platonis, ita etiam quia Apostoli, & alii Discipuli scripserunt gesta eorum Magistri, non est cur non sit iisdem fides habenda. Deinde Hæretici Apostolos falsa scripsisse, fatentur Christum fuisse sapientissimum, neque id aliunde, quàm ex Apostolorum litteris potuisse discere, unde convincuntur, quòd teneantur Apostolis credere, ac eorum libris, & litteris, cùm quidquid de Christo Hæretici credunt, hoc idem credant, quia ejus Apostoli, ac Discipuli ita scripserint ac promulgaverint: non enim ipsi immediatè audierunt Christum prædicantem, nec miracula perpetrantem, sicut ipsi Apostoli, & Discipuli, qui si gloriam Magistri voluissent ampliare, procul dubio reticuissent crucis ignominiam, & nihilominus omnes Evangelistæ fusissimi sunt in narranda Christi passione. In recensendis vinculis, flagellis, contumeliis, cruce, doloribus, dedecore, vulneribus, & suppliciis, quibus non augebant Magistri gloriam, non ampliabant laudes, sed veritati unicè student, resque ab eo gestas simpliciter, & verè eo modo, quo se fuerunt, commendant.

Alii fuerunt Hæretici, qui ex Evangelistis Matthæum, Marcum, & Lucam tantùm receperunt, & Joannem, ut illis contrarium repudiârunt, & hæc hæresis ab Epiphanio hæres. 41. tribuitur Alogianis. Alii solum Matthæum ex Evangelistis admittunt, & Authorem hujus hæresis fuisse Ebionem, scribit Irenæus lib. 1. cap. 26. & Eusebius lib. 3. histor. Ecclesi. cap. 21. alii, ut Cherinti, referente eodem Irenæo lib. 3. cap. 11. tantum Evangelium D. Marci receperunt. Alii verò, ut Marcionitæ, solum Lucam asseruerunt esse Evangelistam, & hunc

nec integrum, ſed mutilum, & corruptum, ut recenſet Tertullianus lib. 4. contra Marcionem. Tandem alii nullum agnoverunt Evangeliſtam præter Joannem, & Author hujus hæreſis fuit Valentinus apud Irenæum lib. 3. cap. 11. & huic hæreſi adhæſit Martinus Lutherus, & alii aſſerentes abolendam eſſe illam falſam opinionem, Evangelia eſſe quatuor, putantes Evangelium Joannis, ut verum & principale Evangelium eſſe aliis longè præferendum, imò etiam Pauli, & Petri epiſtolas longè præcellere tribus illis aliis Evangelii Matthæi, Marci, & Lucæ: quas omnes hæreſes Patres refutârunt demonſtrantes Evangelia eſſe tantùm quatuor, nec plura, nec pauciora conſici debuiſſe, ut præ cæteris demonſtrat Irenæus lib. 3. cap. 11. & Tertullianus lib. 4. in Marcionem, eò quia quatuor illa animalia quæ Ezechieli objecta divinitus fuerunt, homo, Leo, vitulus, aquila, ſatis apertè quatuor oſtendent Evanliſtas, Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem.

Alii librum Actorum Apoſtolorum dixerunt non eſſe divinitus inſpiratum conſequenter ejus authoritati detrahunt, cujus erroris authores fuerunt Cherinthus apud Philaſtrium cap. 36. Cerdo apud Tertullianum de præſcript. Tacianus apud Euſebium lib. 4. hiſtor. cap. 29. & Manichæus apud Auguſtinum lib. de utilitate credendi cap. 4. Ebionitæ itidem epiſtolas D. Pauli Apoſtoli rejecerunt, & ipſum Paulum Græcum, & Apoſtatam vocant, ut referunt Irenæus lib. 1. cap. 26. Epiphanius hæreſi 30. Rurſus Marcionitæ teſte Epiphanio hæreſi 42. & Hieronymo præfat. comment. epiſt. ad Titum, epiſtolas integras Pauli ad Timotheum, & Titum directas reſpuunt, & ex aliis ſcriptis ejusdem Apoſtoli, quidquid ipſis in is placuit, ſua obliterarunt ſpongia, ſed omnes quatuordecim epiſtolas Apoſtoli Pauli eſſe Canonicas, & à Spiritu Sancto dictatas ſemper faſſa eſt Eccleſia in pluribus Conciliis, nec diu eſt immorandum in propugnanda veritate, quæ luce meridiana eſt clarior. Fuerunt etiam, qui ex epiſtolis D. Pauli aſſeruerint non omnes fuiſſe dictatas à S. Spiritu, ſed aliquas ſola prudentia, & ratione humana duce, & hi totam epiſtolam ad Philemonem ajunt more humano ſcriptam fuiſſe, quam propterea habuerunt contemptui. Authores hujus ſententiæ fuerunt Anomæi apud Epiphanium hæreſi 76. & huic hæreſi viſus eſt poſtremis temporibus adhæſiſſe Eraſmus, ſiquidem in ſuis annotationibus ad 2. & 27. cap. Matthæi eam viſus eſt renovâſſe inquirens: Non eſſe metuendum, ne totius ſcripturæ corruat authoritas, ſi levis aliquis error in ea deprehendatur, præſertim cùm Evangeliſtas interdum memoria lapſos concedat Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangel. cap. 7. quam hæreſin refellunt Epiphanius, Hieronymus, & Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangel. cap. 7. quòd verò Auguſtinus non aſſerat, ut putavit Eraſmus, Evangeliſtas, errâſſe defectu memoriæ, clarè conſtat, quia ipſe libro 2. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 12. ait: *Omnem autem falſitatem abeſſe ab Evangeliſtis, decet, nec ſolum eam, quæ mentiendo promitur, ſed etiam eam, quæ obliviſcendo*, quapropter omnem excludit errorem ab Evangeliſtis tam provenientem à mendacio, quam ex defectu memoriæ; erravit autem Eraſmus, tribuens ex Auguſtino Evangeliſtis errorem ex lapſu memoriæ. Hunc eundem errorem confutat etiam epiſt. 8. quam dirigit ad S. Hieronymum inquiens: *Admiſſo in tantum authoritatis faſtigium aliquo mendacio nulla particula horum librorum manebit, quæ non poſſit in dubium revocari,* quæ ratio firma eſt, quia ſi ſemel admitteretur error aliquis in Sacris Scripturis, ſive proveniret ex imperitia, ſive ex oblivione, ſive ex alia quacunque humana imbecillitate, poſſet de quocunque textu quæſtio eſſe, an in eo ſcribendo author erraverit. Ratio igitur, cur nullus potuerit in Sacris Scripturis error irrepere, eſt, quia ex inſtinctu, & inſpiratione Spiritus Sancti dictata divinitus omnia fuerunt, unde ſi aliquis error irrepſiſſet, utique fuiſſet error Spiritus Sancti dictantis, atqui certum eſt, Spiritum Sanctum non potuiſſe in dictantis ſcripturis ulli eſſe errori obnoxium. Hinc Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſt. cap. 3. ait: *Quid intelligendum eſt, niſi hoc actum eſſe ſecretiori Conſilio providentiæ Dei, quâ mentes Evangeliſtarum ſunt gubernatæ.*

Circa libros verò ſpeciatim ſumptos non defuerunt ex Hæreticis, qui librum Esther è catalogo expunxerunt librorum Canonicorum, & alii, qui licet inter Sacros libros eum recenſuerint, ſeptem tamen poſtrema capita repudiaverint, eò quia in Hebraicis textibus non habeantur, quapropter ea cenſuerunt adulterina, & amputanda à reliquo corpore, huic ſententiæ plures etiam Catholici adhæſerunt, ſed hunc librum etiam cum tota ſua integritate eſſe divinum ſatis apertè probant Pontificum, & Conciliorum decreta, & teſtimonia Patrum; ſi enim pauci excipiantur, reliqui unanimes fatentur, etiam quoad ultima capita, eſſe totum librum Canonicum, quia Concilia Laodicenum cap. 59. & Carthaginenſe III. can. 47. & veteres Patres, ut inter Græcos Origenes in 1. Pſal. Euſebius lib. 3. hiſtor. cap. 25., Cyrillus Catech. 4. & alii plures, & inter Latinos Hilarius in Pſal. 1. Innocentius epiſtol. 3. Ruffinus in ſymbolo, & Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſti cap. 8. inter Sacros, & Canonicos libros enumerant librum Esther, quia Eccleſia univerſa tunc temporis utebatur libro Esther perinde ac aliis libris Canonicis, & ipſe D. Hieronymus, qui in ſua translatione admonet ſeptem iſta poſtrema capita in Hebræis textibus non haberi aſſerit ex vulgata editione fuiſſe à ſe deprompta, unde nulli poteſt dubium eſſe, quin totus liber Esther ſit Canonicus, & id etiam confirmavit decretum Concilii Tridentini ſeſſ. 4. quo libri omnes in ipſo decreto contenti, & recenſiti cum omnibus ſuis partibus approbantur, prout in Eccleſia legi conſueverunt, & in Latina vulgata editione habentur, & inter ipſos etiam recenſetur liber Esther. Tum quia cum Concilium dixiſſet: *Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus*; poſtea ſubdit: *Prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt.* Et certum eſt Eccleſiam conſueviſſe publicè inter ipſa Sacrorum ſolemnia lectionem decantari ex 13. cap. Esther & rurſus ex eodem capite lectionem pronuntiari in ea Miſſa, quæ legi ſolet contra Paganos, & orationem Esther etiam conſueviſſe recitari ex cap. 14. ejusdem libri in Dominica 22. poſt Pentecoſtem. Neque refert, quod liber Esther non fuerit Hebraico ſermone ſcriptus præſertim quoad iſta ſeptem capita, quæ apud Hebræos non habentur, proinde eſſe cenſenda ſuppoſititia, & propterea amputanda à reliquo libro, quia ut reſpondet Origenes, probabile eſt etiam hæc ultima capita fuiſſe Hebraicè ſcripta, textuique Hebraico inſerta,

poſtea

postea ex aliquo infortunio excidisse, etenim Josephus Hebræus lib. 11. antiquit. cap. 6. narrans historiam Esther duas Epistolas Asueri. cet orationem Mardochæi præmittit, cum tamen nil horum in hebraicis Codicibus nunc habeatur, neque videtur credibile à Josepho fuisse conficta, cum dicat de se ipso lib. 10. cap. 12. *In ipso historia mea principio propter eos, qui quæstionem faciant, aut in aliquo culpare nituntur, adstruxi, dicens: Translaturum me libros hebraicos in eloquium græcum, & os volentibus aperire neque adjicere aliquid seorsum, nec subtrahere me promittens.* Rursus potuit etiam contigisse historiam Esther fuisse quidem hebraicè scriptam, sed summatim, & postea copiosius & totum librum translatum in linguam græcam à Lysimacho, regnante in Ægypto Ptolemæo Epiphane, & Cleopatra, ut significatur cap. 11. hujus libri, & hunc librum tantum ut translatum ad nos pervenisse.

Quod si instes, non cohærere postrema illa capita cum præcedentibus, eo quia cap. 2. narrentur insidiæ duorum Eunuchorum, & earundem detectio ex industria Mardochæi, & postea hæc eadem narrari cap. 11. & 12. & priori loco dici insidias factas fuisse anno 7. Asueri & cap. 6. addi nihil omnino mercedis Mardochæum accepisse, qui eas manifestaverat, & in loco posteriori dici factas anno 2. Asueri, & additur, quod data fuerint munera eas revelanti. Contra quia septem illa capita libri Esther, quæ sunt postrema in editione latina vulgata pertinere ad initium libri, præsertim cap. 11. & 12. & alia ad medium, ut cap. 13. 14. 15. & 16. & quædam ad finem, ut cap. 10. perspicuum est, tum ex Græcis Codicibus, ubi omnia suo ordine sunt collocata, tum ex annotatione Sancti Hieronymi inserta cap. 10. & 11. & sequentibus hujus libri in Bibliis latinis. Cæterum patitur Ecclesia ea capita simul ad finem libri, ubi ea Sanctus Hieronymus collocavit, narratio iisdem insidiarum quæ habetur cap. 12. in latinis Bibliis pertinet ad initium libri, & ibi narrantur insidiæ per anticipationem, quæ rursum narrantur postea suo loco cap. 2. & factæ fuerunt anno 7. ut habetur cap. 2. non verò anno 2. quia ut notat Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 7. illa verba cap. 11. anno 2. regnante Artaxerxe &c. non debent extendi usque ad narrationem insidiarum, sed solùm ad ea, quæ dicuntur in ipso cap. 11. id est, ad somnium, quod Mardochæus vidit, antequam Esther Asuero conjungeretur.

Plerique etiam à catalogo librorum Canonicorum expunxerunt librum Baruch, eò quia non reperiatur in hebraicis Codicibus, tum quia nec Concilia, nec Pontifices, nec Patres, nec Prophetæ hujus libri meminerunt. Verùm contrarium nobis suadet authoritas Ecclesiæ Catholicæ, quæ in Concilio Tridentino sess. 4. Prophetam Baruch inter sacros libros recenset, & in profesto Pentecostes publicè legit lectionem ex libro Baruch. Neque desunt ex Sanctis Patribus, qui asserant librum Baruch esse canonicum, ut Cyprianus lib. 2. contra Judæos cap. 5. & serm. de orat. Dominic. ubi citat Epistolam Jeremiæ, quæ est ultimum caput Baruch; Sanctus Hilarius præfat. Comment. in Psal. nominatim ponit in canone Epistolam Jeremiæ. Et Cyrillus lib. 10. in Julianum nominatim citat Baruch, quod & plures alii Sancti Patres Græci, & Latini prostant, & Concilium Tridentinum sess. 4. librum Baruch recenset inter canonicos, quæ authoritas deberet sufficere ad excutiendam omnem umbram hæsitationis. Tum quia plures ex Sanctis Patribus citant sub nomine Jeremiæ Baruch, eò quia fuerit Notarius, & Discipulus Jeremiæ, ut constat ex libro Jeremiæ cap. 36. Idque causæ fuit, cur antiqua Concilia, & Patres non posuerunt Baruch nominatim in canone, eò quia judicaverint hunc librum partem esse vaticiniorum Jeremiæ. Unde liber Baruch non potest repudiari, quin simul repudietur liber Jeremiæ.

In libro Danielis Judæi teste D. Hieronymo præfatum Danielem asserunt hymnum trium puerorum, qui habetur cap. 3. Daniel. & historiam Susannæ cap. 13. & historiam Draconis, quem Daniel interfecit, nullius esse authoritatis, quinimo etiam ex Christianis non defuerunt, qui historiam Susannæ veluti adulterinam repudiaverint, ut olim Julius Africanus teste Eusebio *lib. 6. histor. cap. 26.* & ex recentioribus Joannes Driedo *lib. 1. de scripturis, & dogmatibus Ecclesiasticis.* Sed id certum ex Concilio Tridentino, & usu Ecclesiæ omnes partes, & capitula Danielis esse scripturas canonicas, quia Concilium Trident. sess. 4. præcipit, sacros libros recipi cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia legi consueverunt, & canticum illustrium puerorum legitur in Ecclesia publicè in missa, quæ habetur in Sabbatho quatuor temporum, imò & singulis diebus festis in Landibus, ut etiam historia Susannæ legitur tota in missa Sabbati ante Dominicam quintam quadragesimæ, & quidem hunc usum fuisse in Ecclesia ante annos 1300. testatur Ruffinus *lib. 2. adversus Hieronymum*, & ita referunt alii antiquissimi Patres sub initiis Ecclesiæ, ut Ignatius *Epist. ad Magnesianos*, ubi citat historiam Susannæ ex *cap. 13. Danielis*, ut etiam Tertullianus *lib. de corona militis*, & S. Cyprianus in *serm. de oratione dominica*, producit hymnum trium puerorum, & asserit pertinere ad scripturam divinam, & *serm. de lapsis* citans verba eorundem puerorum in igne ait: *Loquitur divina scriptura*, quapropter hymnum trium puerorum fatetur esse scripturam divinam, eodem pacto loquitur de historia Susannæ *lib. 1. Epist. 8.* ut etiam *lib. 4. Epist. 6.* asserit de historia Draconis, adeo ut nulli possit dubium esse, quin Sancti Patres antiquitus habuerint pro canonico totum librum Danielis quoad omnes suas partes & capitula, ac historias. Hoc idem etiam definiverunt alia antiqua Concilia, ut Laodicenum, & Carthaginense III.

Quòd si dicas D. Hieronymum in præfatione Danielis judicare hæc capita Danielis nullius esse authoritatis. Contra est, quia Hieronymus *in Apologia 2.* contra Ruffinum expresse asserit, se in prologo illo tantum judicâsse, quid Judæi senserint, non verò suam explicuisse sententiam: quod si instes, D. Hieronymum vocare historiam Susannæ, & Draconis fabulas. Respondetur ab eo dici veras historias, quas Judæi fabulas vocant Deinde veteres nomine fabularum non intellexerunt res fictas, sed veras narrationes, ut Luc. ult. *Et factum est, dum fabularentur, ut secum quærerent*, & Minutius Felix initio Dialogi, quem scripsit ad Octavium, vocat fabulam veram narra-

narrationem. Si dicas in historia Susannæ Danielem asseri puerum, suscitavit *Dominus Spiritum Sanctum pueri junioris*, quod nequit verum esse, quia constat ex cap. 6. Danielem unum fuisse ex primis Satrapis Regni Darii Medi, quo tempore non potuit puer esse, unde falsum est, quod postea cap. 13. dicatur esse puer. Sed contra, quia sacra scriptura non ex ordine omnia semper narrat, sed subinde prius quæ postea facta sunt, idque ex eo liquet, quia in græcis Codicibus, ubi ordo servatur, ab historia Susannæ inchoatur liber ille Danielis, unde historia Susannæ contigit ante tempora Cyri Regis, cum Daniel adhuc esset puer. Cæterum quòd Latini rejecerint historiam Susannæ ad extremum librum, id factum est, quia hæc historia non habetur apud Hebræos.

Si dicas, ea quæ narrantur cap. 14. de Daniele misso in lacum Leonum, pugnare inter se; nam *cap.* 6. dicitur, quod fuerit tantum una nocte in lacu Leonum, & *cap.* 14. ponitur: sex diebus; respondetur, Danielem bis missum fuisse in lacum Leonum, semel à Dario Medo, quia precatus erat Deum contra præceptum Regis, & tunc fuit tantum una nocte, ut dicitur *cap.* 6. & iterum fuisse missum à Cyro propter interfectum draconem, & tunc mansisse in lacu sex diebus, ut dicitur *cap.* 14. Alii etiam respondent, non fuisse eundem Danielem qui Susannam liberavit, & Bel destruxit, ac draconem interfecit, ac in lacu Leonum per sex dies mansit, adeo ut fuerint Duo Danieles, unus qui per noctem tantum, & alius, qui per sex dies mansit in lacu Leonum: & ita plures sensisse testatur D. Hieronymus præfat. in comment. Daniel, & hoc etiam habent in editione græca septuaginta Interpretes, adeo, ut prior Daniel fuerit de tribu Judæ, & secundus de Tribu Levi, ut notat D. Hieronymus.

Non desunt etiam, qui librum Tobiæ negent esse canonicum, eò quia hic liber videatur secum pugnare: siquidem *cap.* 3. dicitur Saram, quam in uxorem habiturus erat Tobias Junior, habitasse in Rages civitate Medorum, ubi fuisse Gabellum constat ex Tobia 4. & postea cap. 9. Cùm Tobias pervenisset ad locum, ubi erat Sara, inde misit Angelum ad Gabellum in Rages, unde videtur falsum esse domum Saræ fuisse in Rages. Verùm respondent plures cum Lyrano, duas fuisse Rages in Media, & in cap. 3. vocari Rages non ipsam civitatem, sed locum aliquem non multum dissitum, quemadmodum dicimus aliquem habitare Parisiis, tametsi revera in aliquo vicino oppido moretur, ut de Rege Galliæ, qui semper moratur Varsaliæ, & tamen dicitur esse Parisiis. Cæterum quod liber Tobiæ sit totus Canonicus præter testimonia Conciliorum, & Patrum, habetur insigne testimonium D. Cypriani, qui in sermone de eleemosyna ait: *loquitur in scripturis Spiritus Sanctus, & dicit: eleemosynis & fide purgantur delicta*, & hæc postrema verba, cum habeantur in libro Tobiæ, nulli est dubium, quin fuerit dictatus à Spiritu Sancto, hinc Calixtus Papa I. in Epist. 2. allegans librum Tobiæ, ait: *Benè sacra dicit Scriptura.* Unde vocat librum Tobiæ sacram scripturam, & D. Ambrosius etiam in libro de Tobia cap. 1. hunc librum vocat Propheticam scripturam, & D. Basilius in oratione de avaritia, sententiam ex Tobia descriptam divinam vocat præceptum. Præterea quia Ecclesia librum Tobiæ semper habuit pro canonico, etenim in Concilio Carthaginensi III. can. 47. & Tridentino sess. 4. definitur librum Tobiæ esse canonicum, ac sacram scripturam, ut etiam declararunt Pontifices Innocentius I. in Epist. ad Exuperium, Gelasius I. in decreto de libris sacris, ut etiam Sancti Patres, præsertim Augustinus *lib.* 2. *de doctrina Christ. cap.* 8. Isidorus *lib.* 6. *Etymolog. cap.* 1. Cassiodorus *lib.* 1. *divinar. lection.* & alii.

De libro Judith etiam negârunt aliqui eam historiam esse canonicam, & dictatam à Spiritu Sancto, eò quia cap. 5. dicatur contigisse post reversionem populi à captivitate Babylonica, & tamen cap. 1. dicitur eo tempore Nabuchodonosor Regem Assyriorum pugnâsse contra Arphaxat Regem Medorum, qui ædificaverat Ecbatana, quæ tamen non possunt cohærere, quia eo tempore quo populus reversus fuit à captivitate, eversa erat Monarchia Assyriorum, & tunc imperavit Assyrius, Persis & Medis Cyrus vel Darius, non verò Nabuchodonosor. Sed totam historiam Judith esse canonicam, testatur prima Nicæna Synodus teste S. Hieronymo in præfat. in Judith. Ait enim Hieronymus, qui linguam calluit hebraicam, apud Hebræos librum Judith numerari quidem in Sanctis libris, qui tamen non sint idonum ad comprobanda dogmata fidei, cui sententiæ Hieronymus opponit authoritatem celeberrimæ Nicænæ Synodi, quæ librum Judith asseruit idonea esse ad comprobanda fidei dogmata, eò quia tota illa historia dictata fuerit à Spiritu Sancto. Ad id quod objiciebatur, respondet Bellarminus, duas fuisse sententias principales, unam asserentium historiam Judith contigisse post captivitatem Babylonicam, eam referentes ad tempora Cambysis, & illa sentiunt D. Augustinus *lib.* 18. *de civit. Dei cap.* 26. Beda *lib. de sex ætat.* Lyranus *in* 7. *cap. lib. Judith.* & alii plures, quos citat Bellarminus. Secundam sententiam esse docentium, historiam Judith contigisse ante captivitatem Babylonicam, sed ex iis aliqui eam referunt ad tempora Regis Sedeciæ, ut Genebrardus in 2. lib. Chronolog. & alii ad tempora Regis Josiæ, ut Joannes Benedictus in annotationibus marginalibus, ad 4. caput libri Judith.

Verùm nulla ex his sententiis videtur satisfacere, non prima, quia Arphaxat, cum quo pugnavit Nabuchodonosor, ædificavit Ecbatana, Judith. 1. Sed qui ædificavit Ecbatana, seu urbem quæ nunc in Media dicitur Thauris, fuit Diocles quintus Rex Medorum, qui longo temporis intervallo distat à Cambyse, & Dario, ut testantur Herodotus lib. 1. & Eusebius in Chronico. Secundò quia nunquam legimus Reges Persarum vocatos fuisse Nabuchodonosor, nec in sacra nec in profana historia, sed tantùm Reges Babylonios, unde non Cambyses, nec Darius est ille Nabuchodonosor, de quo agitur in historia Judith, præterea quia Nabuchodonosor, ut habetur Judith 1. regnabat in Ninive, & tempore Cambysis, Darii, & Ochi Ninive non extabat, quia Nabuchodonosor Rex Chaldæorum primo anno Regni sui eam solo æquavit, ut notat Genebrardus in suo Chronico.

Unde

Unde putat Bellarminus historiam Judith incidisse in tempora Manasse Regis Juda, quo tempore regnabat apud Medos Diocles, qui Ecbatana ædificavit, ut refert Eusebius in Chronico, & hunc scriptura vocat Arphaxat. Rursus eo tempore regnabant Reges Assyriorum in Ninivè, ut liquet ex 4. Reg. 19. & ex Tobia cap. 1. & credibile videtur, eum, qui in libro Judith dicitur Nabuchodonosor, alio nomine appellaretur Merodach Baladam, qui etiam fuit Rex Babylonis, siquidem post Sennacherib regnavit sub finem regni Ezechiæ Patris Manasse Assar Addon 4. *Reg.* 19. & post Assar regnavit Merodach Baladam, cujus meminit Scriptura *lib.* 4. *Reg. cap.* 20. Jeremiæ *cap.* 50. Isaiæ *cap.* 39. qui tametsi esset Rex Babylonis, transtulit tamen ad se Regnum Assyriorum: hæcque causa, cur deinceps in Scripturis nulla fiat regum Assyriorum mentio, sed tantum Regum Babylonis. Legatur Bellarminus *lib.* 1. *de verbo Dei cap.* 12.

Librum Sapientiæ non esse recensendum inter canonicos asserunt Hæretici, præsertim Calvinus lib. 1. Institut. cap. 11. §. 8. ubi librum Sapientiæ audet mendacii redarguere, inquiens: *De Idolorum Origine publico fere consensu receptum est, quod in libro Sapientia habetur: primos scilicet extitisse eorum Authores, qui hunc honorem detulerunt mortuis, ut, ipsorum memoriam superstitiosè colerent: & sanè fateor, perversum hunc morem fuisse vetustissimum, nec facem fuisse nego, qua accensus hominum ad idololatriam furor magis exarsit: non tamen concedo, hunc fuisse primum mali fontem. Idola enim jam fuisse prius in usu, quam ista in consecrandis imaginibus mortuorum ambitio invaluisset, cujus apud profanos scriptores crebra fit mentio, constat ex Moyse, cum Rachelem narrat furatam fuisse Patri suo idola, non secus, ac de communi vitio loquitur.* Hactenus Calvinus, qui apertè contendit esse falsum, quod habetur Sapientiæ 14. de Origine Idolorum. Verùm Calvinus ex uno falso colligit aliud falsum, assumit enim non fuisse Idola ante Rachelis tempora, quæ hominum figuram referrent, cum tamen constet, tunc aliqua fuisse Idola. Præterea deducit, prima Idola non fuisse imagines hominum, ut asserit liber Sapientiæ, quod tamen falsum est, quia idola, quæ Rachel furata fuit, erant imagines hominum. Præterea certum est, Belum primum Assyriorum Regem fuisse ante Rachelem, imò & ante Abraham, ut Eusebius testatur initio Chronici, & statuam illi à Nino filio positam fuisse, seu primum idolum publicè exhibitum ad adorandum, ut docet D. Ambrosius *in cap.* 1. *ad Roman.*

Sed dices, hanc statuam erectam Belo à Nino filio non potuisse esse primum idolum, alioquin falsum esset, quod dicitur in libro Sapientiæ primum idolum factum fuisse à Patre in memoriam filii. Sed contra, quia statua Beli fuit primum idolum publicè exhibitum cultui populi; cæterum primum Idolum absolutè fuit imago filii demortui à Patre conflata, & privatim honorata: ex quo incepit invalescere prava consuetudo, ut statuæ adorarentur, & Idolis cultus exhiberetur. Quamobrem liber Sapientiæ recensendus est inter Canonicos, ut definierunt antiqua Concilia, & Patres, præsertim Concilium Sardicense in Epistola ad omnes Episcopos, cujus meminit Theodoretus *lib.* 2. *hist. cap.* 8. & *ex cap.* 7. *hujus libri.* Ubi probat, Filium DEI esse rerum omnium effectorem, & verum Deum. Concilium itidem Toletanum XI. cap. 1. nominat librum Sapientiæ Sacram Scripturam, consequenter perinde est Canonicus ac alii libri inserti divinis scripturis, hoc idem etiam adstruunt Sancti Patres, ut Dionysius *cap.* 4. *Divinor. nom.* ubi librum Sapientiæ vocat librum Sacræ Scripturæ. S. Cyprianus lib. de habitu Virginum inquiens: *Cum dicat Scriptura Divina: quid nobis profuit superbia*, quæ postrema verba habentur in libro Sapientiæ; Cyrillus itidem lib. 2. in Julianum ultra med. vocat hunc librum Scripturam Divinam, & D. Augustinus ex professo docet ex libro Sapientiæ posse confirmari dogmata fidei, & librum esse Canonicum, ut ait *lib.* 1. *de prædest. cap.* 14. Rursus omnes Patres veteres librum Sapientiæ dicunt esse Salomonis, ex quo manifestè sequitur esse Canonicum. Eusebius enim *lib.* 4. *histor. cap.* 22. ait Egesippum, & Irenæum & omnes antiquos Patres existimâsse hunc librum Sapientiæ esse Salomonis, idem etiam fatentur Tertullianus *lib. de præscript.* Cyprianus *serm. de mortalitate.* Hilarius in *Psal.* 127. Ambrosius *serm.* 8. *in Psal.* 118. Quòd verò D. Hieronymus *præfat. in lib. Salomonis* asserat, hunc librum à plerisque putari fuisse Philonis Judæi, & D. Augustinus *lib.* 2. *Doctrin. Christ. cap.* 8. dicat esse JEsu Filii Sirach, non tamen id opponitur communi sententiæ Patrum, quia Sententiæ hujus libri sunt Salomonis, non Philonis, ut liquet ex cap. 9. ubi Author libri ait: *Tu elegisti me Regem populi tui, & duxisti me ædificare templum in monte Sancto tuo.* Cæterum has sententias probabile est fuisse collectas ab aliquo alio, qui à plerisque diceretur Philo, non tamen ille, qui fuit post Christum, sed alius antiquior, qui Salomonis sententias Græco idomate complexus est, dictante Spiritu Sancto, ut habetur *Proverb.* 25. Et dicuntur parabolæ illæ Salomonis translatæ in librum à viris Ezechiæ Regis Juda, cum ante forsassis in separatis schedulis haberentur.

Librum Ecclesiastici impugnant etiam Hæretici, eò quia ex illo plura nostræ fidei dogmata probentur, unde Calvinus *in Antidoto* ait: *Melius facem haurirent*, tametsi nil habeat, quod ei objiciat. Sed quamvis liber Ecclesiastici exosus sit Hæreticis, Sanctis Patribus tamen fuit perchatus, & inter Canonicos habitus, eò quia à Spiritu S. dictatus fuerit. Hinc Sancti Patres hunc librum passim citant, ut Clemens Alexandrinus *lib.* 7. *stromat. prope finem*, citans caput 4. Ecclesiastici ait: *Sequentes autem scripturas confirmemus quod dictum est:* ubi vocat librum Ecclesiastici Sacram Scripturam dictatam à Spiritu Sancto. Rursus Epiphanius in hæresi Anomæorum inter Sacros, & Divinos libros recenset Sapientiam Salomonis, & Filii Sirach, seu librum Ecclesiastici, unde intelligimus eundem Epiphanium, dicentem in libro de mensura, & ponderibus, hos libros non esse receptos, fuisse locutum, quòd non fuerint recepti à Judæis, non verò quod non fuerint libri Sacri Canonici dictati à Spiritu S. D. Ambrosius *lib.* 4. *de fide cap.* 4. citat etiam verba Ecclesiastici ex cap. 14. & ea dixit esse Divina oracula, scilicet verba Spiritus Sancti. Et S. Augustinus lib. ad Orosium contra Priscillianistas ait: *Clamat Scriptura Divina, altiora te ne quæsieris;*

*quæ sententia Ecclesiastici est.* Clemens itidem & Cyprianus *lib.* 3. *Epist.* 9. & Sixtus II. *in Epist. ad Gratum*, & Damasus in *Epist. ad Episcopos Italiæ*, Basilius *lib.* 4. *in Eunomium*, Ambrosius in *cap.* 7. 1. *ad Corinth.* Hieronymus in *cap.* 10. *Ecclesiaste*, & D. Gregorius *lib.* 10. *Moral. cap.* 14. hunc librum Salomoni attribuunt, & nunquam fuit dubitatum, quin Salomonis libri Canonici, & Divini habendi essent. Neque obstat, quod Epiphanius in hæresi Anomæorum Authorem hujus libri asserat fuisse Jesum Sirach. Quia potuit contigisse, ut Jesus Sirach sententias Salomonis à se diligenter collectas in unum collegerit volumen, & hujus collectionis fuerit Author, tametsi sententiæ fuerint Salomonis.

Liber Machabæorum è Catalogo Canonicorum librorum expungere satagunt Hæretici, & præsertim Calvinus *lib.* 3. *Instit. cap.* 5. *§.* 8. eo quia Author horum librorum laudet præposterum zelum, ac superstitiosum factum Judæ Machabæi, qui pro mortuis Sacrificium jussit offerri *lib.* 2. *Machabæor.* 12. ait enim Calvinus, superstitiosum esse promortuis quibuscunque orare, tum quia hi, pro quibus Judas orare inceperat, decessérint lethali crimine coinquinati, pro quibus non esse orandum, etiam ipsi Catholici fatentur. Quòd verò mortui fuerint in statu peccati lethalis ex eo probat, quia inventa fuerint sub vestibus mortuorum omnium quædam de donariis idolorum, quæ Divina lege prohibebantur, ut habetur Deuter. 7. Sed errat Calvinus, non enim certum est, eos decessisse in statu peccati lethalis; potuit enim Deus suam ipsis impertiri gratiam, cujus beneficio eos pœnituit peccatorum, non enim est desperandum de divina misericordia: atqui, quoties non est certum mortuos esse in cœlo vel gehenna, pium & religiosum est orare pro mortuis, ut ait: D. Augustinus, qui ex eodem Machabæorum loco evincit pium esse orare pro mortuis, ut ipse asserit Epistola 61. ad Dulcitium lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 23. & lib. 1. decura pro mortuis, cap. 1. igitur Augustinus quia censuit absque ulla hæsitatione libros Machabæorum esse canonicos, inde infert, bonum esse orare pro mortuis, sed Calvinus quia existimavit malum esse orare pro mortuis, inde deduxit libros Machabæorum non esse canonicos. Cæterum ad aliud quod objicitur, respondetur, Judam piè existimâsse eos in mortis articulo elicuisse actum contritionis & misericordiam invenisse apud Deum, idque colligitur ex verbis illis: quia considerabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent depositam gratiam, hinc libros Machabæorum esse verè canonicos testantur S. Cyprianus *in lib. de exhortatione Martyrii cap.* 11. S. Gregorius Nazianzenus *orat. de Machabæis.* S. Ambrosius *lib.* 2. *de Job. c.* 10. *& seq.* & eosdem libros esse canonicos dissertis verbis asserunt S. Cyprianus *lib.* 1. *Epist.* 3. *ad Cornelium*, Isidorus *lib.* 6. *Etymolog.* & D. Augustinus *lib.* 18. *de civit. Dei cap.* 36. ubi ait: libros Machabæorum non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet.

Sed objicit Calvinus in antidoto Concilii, non posse Authorem libri Machabæorum haberi canonicum, eò quia lib. 2. cap. ult. petat veniam erratorum, & cap. 2. ait: *Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facile laborem, imò verò negotium plenum vigiliarum, & sudoris assumpsimus*; quibus satis apertè indicat, se humano modo librum hunc composuisse, quia Authores canonicè Sacri non ingenio, & labore suo, sed Spiritu Sancto revelante & dictante scripserunt, ut dicitur *Jerem.* 36. de ipso Jeremia, qui tanta facilitate dictabat suo Amanuensi Baruch ea, quæ ipsi à Deo revelabantur, ut ea legere ex aliquo libro videretur.

Sed contra, verum est Deum esse Authorem totius Sacræ Scripturæ, non tamen eodem modo eam dictâsse, quia aliter Prophetis, aliter aliis, præsertim Historicis dictavit; siquidem Prophetis futura revelavit, & simul assistebat, ne quidquam falsi in scribendo admiscerent, ideoque Prophetæ non alium habuerunt laborem, quam dictandi, vel scribendi, secus aliis Scriptoribus non semper Deus revelavit, quæ scripturi erant, sed eos excitabat, ut ea scriberent, quæ viderant, vel audierant, quorum recordabantur, simulque assistebat, ne quidquam falsi scriberent, hæc autem assistentia non obstabat, quo minus laborarent in cogitando, & quærendo, quid & quomodo essent scripturi, quapropter S. Lucas præfat. in Evangelium à se scriptum testatur se fuisse assecutum ea omnia diligenter, quæ ad Evangelii scriptionem pertinerent, idque ab iis, qui ipsi audierant, & viderant, ac Ministri fuerant sermonis. Cæterum quod attinet ad veniam, Author non petit veniam erratorum, cùm sciret nulla irrepsisse, sed orationis minus excultæ, & propriæ.

Sed dices in lib. 1. Machabæor. cap. 1. dici Alexandrum Magnum primum regnâsse in Græcia; quod est falsum, quia Alexander non fuit in Græcia primus Rex, quia ante illum plures alii fuerunt Reges Lacedæmoniorum Macedonum, Corinthiorum Atheniensium, ut liquet ex historiis, & præsertim ex Chronico Eusebii. Rursus ibi dicitur, quòd Antiochus Illustris regnaverit anno 137. Regni Græcorum, cùm tamen constet ex eodem Eusebio Antiochum regnâsse anno 154. tot enim fluxerunt anni à primo anno Monarchiæ Græcorum usque ad Antiochum. Tum quia libro 1. cap. 8. dicuntur Romani singulis annis concredere uni homini Magistratum suum, & omnes ei obedire, quòd tamen falsum est, quia tunc duo consules creabantur, & non unus tantum.

Sed contra, quia cùm Scriptura asserit Alexandrum primùm regnâsse in Græcia, non de Regno quocunque, sed de sola Monarchia Græcorum fuit locuta, & cùm asserit Antiochum Illustrem regnâsse anno 137. Regni Græcorum, non enumerat annos ab Alexandro, sed à Seleuco, qui post Alexandrum primus regnavit in Syria, ut monet Eusebius in Chronico, cùm enim sit Judæa pars Syriæ, à primo Rege Syriæ annos recensebant Judæi, & à Seleuco ad Antiochenum fluxerunt anni 137. quibus si addantur novendecim, qui fluxerunt ab Alexandro ad Seleucum complent annos 156. ad aliud, quod addebatur de Romanis: Respondetur ipsos consuevisse ita administrare Rempublicam, ut alternis diebus unus ex duobus consulibus imperaret, cujus rei testis est deplorabilis exitus pugnæ Cannensis; quòd enim Romani perdiderint, in causa fuit temeritas alterius Consulis,

sulis, penes quem eo die imperium fuit. Quamobrem tametsi duos elegissent Romani consules, uni tamen concredita erat administratio Reipublicæ, & hæc consuetudo suum duxit initium à primo ortu consularis dignitatis, ne si duo consules simul imperarent, & inter se dissiderent, turbatio fieret in Republica.

Dices, in eodem libro primo Machabæorum cap. 4. asseritur: Judam purgâsse templum anno 148. seu uno anno ante obitum Antiochi, qui decubuit anno 149. ut habetur *lib.* 1. *Machab.* 6. Sed hoc repugnat *lib.* 2. *Machab. cap.* 10. ubi habetur, Judam purgâsse templum biennio post mortem Antiochi. Rursus *lib.* 1. *cap.* 6. dicitur, quòd Antiochus Illustris mortuus fuerit in Babylonia in suo lecto præ animi dolore, eò quia ad nota non successerint, quæ animo moliebatur: sed *lib.* 2. *cap.* 1. ipse Antiochus dicitur membratim cæsus cum pluribus ex suis in templo Nannææ. Rursus *lib.* 2. *cap.* 9. dicitur mortuus cum dolore interno viscerum, eò quia de curru ceciderit in itinere, & demum *lib.* 1. *cap.* 9. Judas dicitur mortuus anno 152. & lib. 2. cap. 1. dicitur scripsisse Epistolam anno 188. quod si verum esset, sequeretur eam scripsisse anno 36. post suum obitum, quæ omnia indicant errores irrepsisse, ac propterea libros ipsos Machabæorum primum, & secundum non esse canonicos.

Hæc tamen non obstant, ad primum, quod attinet de purgatione templi, respondet Sixtus Senensis lib. 8. Bibliothecæ, bis factam fuisse templi purgationem. Sed hæc responsio non videtur necessaria ad solutionem difficultatis. Tum quia scriptura omnia, quæ de hac repurgatione templi refert in uno loco, etiam in alio hoc idem repetit. Tum quia posita tantùm una repurgatione in utroque loco, nulla in hoc videtur repugnantia! & quamvis repurgatio templi *lib.* 1. *cap.* 4. asseratur ante mortem Antiochi, & lib. 2. cap. 10. referatur post mortem Antiochi, non tamen hoc posteriori loco asseritur repurgatio facta post mortem Antiochi; aliud est, quòd dicatur narrata, & aliud quòd asseratur facta, siquidem voluit Author absolvere, quæ de Antiocho dicturus erat, & posteà ad Judam reverti, & ad templi repurgationem; hinc quod narretur facta post biennium non sequitur, quòd fuerit facta post biennium à morte Antiochi, sed post biennium à profanatione templi; siquidem fuit templum profanatum anno 145. ut asserit *lib.* 1. *cap.* 1. & post exactum biennium anno 148. repurgatum, ut habetur *lib.* 1. *cap.* 4. quapropter rectè asserit Josephus *lib.* 12. *antiq. cap.* 10. templum repurgatum fuisse tertio anno post profanationem, seu post biennium jam exactum.

Ad secundam de Antiocho conveniunt Interpretes eundem esse Antiochum Epiphanem, cujus mors describitur lib. 1. cap. 6. & lib. 2. *cap.* 9. potuit enim in itinere cecidisse è curru, ac corripi doloribus viscerum, ut dicitur *lib.* 2. *cap.* 9. & doloribus tortus potuit devenire in Babylonem, & ibi addito dolore animi ex nuntio referente fuisse in Judæa rem malè gestam à suis, tandem emori. Cæterum de Antiocho, cujus mors describitur *lib.* 2. *cap.* 1. aliqui censent fuisse Antiochum Magnum, ut Lyranus, & quidam alii; verùm Antiochus Magnus obiit ante Judam, qui hanc Epistolam scribit, & nullum bellum contra Judæos gessit. Alii censent fuisse Antiochum Demetrii filium, qui etiam Triphon, seu Gryphus dicitur ab Eusebio, & ita opinatur Rupertus *lib.* 10. *de victoria verbi cap.* 6. Verùm eò tempore quo vixit iste Antiochus Demetrii filius, non Judas, sed Joannes Hircanus Dux erat Judæorum; unde asserendum est, fuisse eundem Antiochum Epiphanem, de quo est sermo *lib.* 1. *cap.* 6. *&* *lib.* 2. *cap.* 9. quia tunc vivebat Judas, qui Epistolam scripsit, & Aristobulus, ad quem directa erat Epistola, adeo ut iste fuerit primus & summus ex Regibus Syriæ inimicus Judæorum, de cujus morte fuerit in tota Judæa ingens lætitia. Quod verò lib. 2. cap. 9. dicitur de Antiocho Illustri, quòd templum in Perside spoliare voluerit, ac turpissimè fugatus sit, convenit cum eo, quod de isto Antiocho asseritur, quòd in templo Nanneæ ceciderit, & percussus fuerit, & plures ejus milites membratim cæsi fuerint. Cæterum non est necesse asserere illic interiisse, ubi dicitur cecidisse. Tum quia sicut victoria, ita & profligatio tribuitur Principi exercitus, & quia ejus exercitus ibi fractus, & fugatus fuit, ita Antiocho tribuitur lapsus, & perditio exercitus, perinde ac Genes. 14. Rex Sodomorum dicitur cecidisse in Scripturis Sacris, & nihilominus paulo post dicitur Abrahæ obviâsse.

Ad aliam objectionem desumptam de Juda Machabæo respondetur, numerum illum recensitum annorum non esse principium Epistolæ sequentis, quam Judas scripsit, sed finem præcedentis, quæ scripta erat à toto populo Judæorum, quorum Dux erat Joannes Hircanus, ut expresse significant Græci Codices, qui post verba illa anno 188. distinctionem constituunt, & ratio itidem videtur id suadere, quia numerus annorum moris est, ut in fine Epistolæ apponatur, non verò ab initio.

Dices lib. 2. Machabæor. c. 1. *dicitur*: *Cum in Persidem captivi ducerentur patres nostri*: Sed Israelitæ non fuerunt in Persidem, sed Babylonem abducti; ergo Author hujus Historiæ erravit. Sed contra, quia Author vocat Persidem, etiam finitimas regiones Persidi adiacentes, consequenter etiam Babylonem, cum Persidi quasi adjaceret, unde Persis Babylon quoque dicitur. Hunc esse verum sensum: Authoris libri illius, ex eo liquet, quia lib. 1. Machab. cap. 6. Nuncius, qui venit in Babylonem ad Antiochum dicitur venisse ad eum in Persidem, scilicet Babylonem: sicut etiam D. Joann. Chrysostomus homil. 6. in Matth. ait, *Judæos ex captivitate Persica liberatos fuisse*, cum tamen in Babylone fuerint captivi.

Sed dices 2. Machab. 2. habetur, quod cum milites Chaldæi diriperent, ac incenderent Hierusalem, Jeremias absconderit tabernaculum, & arcam fœderis in spelunca montis, cui nomen Nebo, & dixerit, locum illum fore occultum, donec Deus iterum congregaret populum suum; ubi duo irrepserunt errores, quorum primus est, quòd Hieremias dicatur abscondisse tabernaculum, & arcam fœderis, cum Chaldæi diriperent, ac incenderent Hierusalem & tamen, antequam Hierusalem expugnaretur, & caperetur à Chaldæis, certum est, Hieremiam fuisse in carcere detentum; proinde

non

non potuisse tabernaculum, & arcam abscondere. Deinde tunc temporis erat Hieremias invisus populo, ut habetur 4. Reg. ult. unde non poterat Hieremias, utpote detentus in vinculis occultare tabernaculum, & Arcam. Secundus error est; quando dicitur, quòd iterum revertentes à captivitate, essent tabernaculum, & arcam habituri, cum tamen nunquam postea eam recuperaverint: ergo vel Spiritus Sanctus dictavit errores, quod non est possibile, vel libri Machabæorum primus, & secundus non fuerunt dictati à Spiritu Sancto, consequenter non sunt Canonici.

Sed contra, quia nil impedit, quin potuerit Hieremias ante spoliationem urbis, & templi incendium occultare tabernaculum, & arcam, ut arbitratur S. Epiphanius in vita Hieremiæ; vel etiam postea, ut censent alii, non quidem tempore Sedechiæ, sed Joachim; siquidem ter legimus Nabucodonosorem venisse in Judæam, & inde abduxisse captivum regem, ac populum. Primò tempore Joachim, ut habetur 2. Paralip. ultim. Secundò tempore Joachin, ut habetur 4. Reg. 24. Tertiò tempore Sedechiæ 4. Regum 25. quamvis tempore Sedechiæ Hieremias detineretur in carcere, fueritque omnibus invisus: tempore tamen Joachin liber erat, & Hierosolymis in magna authoritate, unde credibile est ad ejus persuasionem Joachin sponte se tradidisse regi Babylonis, ut colligitur ex Hier. cap. 17. & Joachin id præstitisse Hier. 29. unde potuit rege consentiente tabernaculum, & Arcam asportare etiam post captam urbem; siquidem Hieremias à Nabuchudonosor plurimi fiebat, ut constat Hier. 39. Quod vero tabernaculum, & arca à militibus diripientibus urbem nullum fuerint damnum passa, patet ex Hierem. cap. 52. ubi recensentur singula, quæ ex templo Chaldæi abstulerunt usque ad phialas, & mortariola; sed arcæ, ac tabernaculi nulla fit mentio: unde neque prior, qui dicebatur error, est talis, neque secundus, quia cum Jeremias dixit, arcam rursus inveniendam, quando iterum congregaretur populus; non fuit loquutus de congregatione, quæ facta fuit tempore Cyri; sed quæ facienda esset tempore novissimo, quod proxime præcedet diem judicii, ut explicat S. Epiphanius in vita Hieremiæ; vel ut alii explicant id esse intelligendum in sensu mystico de Arca, quæ est Christus in carne venturus in nova populi congregatione, ut exponit Rupertus *lib. 10. de victoria Verb. cap. 24.* apud Bellarminum *lib. 1. de Verbo Dei cap. 15.*

Circa novum testamentum tempore D. Hieronymi fuit ab aliquibus dubitatum de ultimo capite Evangelii Marci, ut constat esse Epistola ad Hedibiam *quæst. 3.* num esset scriptura Canonica ob aliqua verba eidem inserta; sed nunc dubitari amplius nequit, cum Tridentinum Concilium authoritate fultum Pontificia declaraverit esse recipiendos, ut Canonicos omnes, quos enumerat Sacræ Scripturæ libros integros cum omnibus suis partibus, & quos Ecclesia consuevit publicè legere. Legitur autem caput illud ultimum Marci ab Ecclesia festis solemnioribus, ut diebus festis Resurrectionis, & Ascensionis. Tum quia Marcus tantùm in illo capite ultimo loquitur de Christi resurrectione, quòd si caput illud non esset Marci, sequeretur Marcum nullam fecisse in suo Evangelio de Christi resurrectione mentionem, quod non videtur probabile, alioquin esset Evangelium Marci mutilum, & careret parte principali, quæ est resurrectio: hinc Athanasius in Synopsi, Augustinus lib. 3. de consensu Evangelistarum c. 24. imò & ipsi hæretici asserunt, caput illud ultimum Marci esse Canonicum, ut Calvinus c. 17. §. 47.

Item dubitatum etiam olim fuit de capite 22. Lucæ ubi narrat historiam de sudore Christi sanguineo, & Angelica apparitione, & consolatione; causa hujus dubitationis fuit, ne Christo tribueretur imbecillitas corporis, animi timor, & dolor. Sed infirmo fuerunt dubitantes innixi fundamento, & timuerunt, ubi non erat timor: quia si Christus, ut homo, potuit imminente sua passione pavere, & tædere, ac alias experiri humanæ naturæ passiones, cur non potuit sudorem illum emittere, & Angelicam consolationem admittere? Hinc Athanasius lib. 6. ad Theophilum, qui est de beatitudine filii Dei, anathemate percutit negantes sudorem hunc Christi sanguineum.

Rursus dubitatum etiam fuit de initio octavi capitis Evangelii Joannis, ubi narratur historia adulteræ: Erasmus in annotationibus hujus historiæ notat verba Eusebii lib. 3. histor. cap. 39. ubi de Papia loquens ait: *Historiam quandam subjungit de muliere adultera, quæ accusata est à Judæis apud Dominum; habetur autem in Evangelio, quod dicitur secundum Hebræos parabola*, sed contra, quia nulli potest dubium esse, quin Historia illa de fœmina adultera verè sit Evangelica, cum ab Ecclesia publicè legatur in Sabbato post dominicam III. quadragesimæ, & illam, ut Evangelicam fateantur Sancti Patres Græci, & Latini; siquidem Concilium Tridentinum declarat Canonicos eos omnes libros, quos publicè legere consueverat Ecclesia, & quidem integros, & cum omnibus suis partibus. Cæterum quod Papias Joannis Discipulus meminerit hujus Historiæ, inde potius deducitur Historiæ veritas, alioquin illius non meminisset; neque obstat, quod eam vocet parabolam; quia hæc vox plerumque sumitur etiam pro historia vera, non ficta: vel ut respondent alii, Papias Joannis discipulus fuit loquutus de alia fœmina adultera, quæ revera erat historia apocrypha; neque Eusebius habet nomen adulteræ.

De Epistola ad Hebræos dubitarunt itidem aliqui, quisnam fuerit ejus author, & quæ ejus authoritas, quæ duo simul connexa sunt, ut non possit dubitari de primo, quin simul dubitetur de secundo. Verùm hanc Epistolam scriptam fuisse à D. Paulo, & esse Canonicam fassa semper fuit Ecclesia Græca, & Latina; neque Sancti Patres de hac veritate dubitarunt. Primò quia hæc Epistola, ut Pauli Apostoli legitur publicè in Ecclesia in die Natalis Domini. Secundò quia à primis Ecclesiæ initiis ad nostra usque tempora omnes SS. Patres, & Doctores in Ecclesia semper asseruerunt fuisse ab Apostolo Paulo compositam. Tertiò quia inserta est catalogo librorum, qui absque ulla hæsitatione habentur Canonici, & eidem apponitur nomen Pauli Apostoli, ut Authoris; & eam esse Canonicam D. Pauli plura fatentur Concilia, præsertim Laodicenum can. 59. Carthaginense III. can. 47. Tridentinum sess. 4. Quartò quia D. Petrus duas ad Hebræos scripsit Epistolas, unam ad Hebræos inter Gentes dispersos; & secundam ad Hebræos, simul congregatos, ut patet ex ipsis Apostoli Petri verbis cap. 3. *Hanc vobis, charissimi*

*charissimi secundam scribo epistolam*; & postea in eodem capite subjungit de Epistola iisdem à D. Paulo scripta, cujus propterea meminit; & testatur D. Paulum ad ipsos etiam scripsisse: *Sicut & Carissimus frater noster Paulus scripsit vobis.* Ergo D. Petrus, qui testis est omni exceptione major, fuitque coætaneus D. Pauli, testatur D. Paulum scripsisse ad Hebræos.

Neque obstat, quòd Magdeburgenses asserant prudentem vetustatem de hac Epistola dubitasse; quia id sine sufficienti fundamento asseritur; cum si unum, vel alterum excipias, omnes fateantur fuisse D. Pauli, & D. Petrus expressè testetur, D. Paulum scripsisse ad Hebræos. Neque obstat secundò ei non fuisse affixum nomen D. Pauli: quia ut respondet D. Hieronymus Præfat. in Epistolas B. Pauli, nulli Epistolæ suum affixit nomen; & tamen habentur D. Pauli. Tum quia neque Joannes in 1. sua epistola præfixum suum habet nomen; & tamen non dubitatur esse Joannis. Præterea ut notat D. Hieronymus, cum sciret D. Paulus suum nomen esse invisum Hebræis, illud maluit rejicere; dummodo illis veritas manifestaretur; neque obstat, quòd aliqui jam fuerint ad Christi fidem conversi; quia epistola potuit ostendi etiam non conversis. Rursus respondet Theodoretus Præfat. comment. Paulum non præfixisse suum nomen huic epistolæ; quia non fuit Apostolus Hebræorum, sed Gentium; ut ipse fatetur ad Galat. 2. & hanc asserit fuisse causam, cur noluerit epistolam illam incipere Paulus Apostolus; sed simplicem exponere doctrinam, quia non ut Apostolus, & magister scribebat, sed ut amicus, ac socius; ideoque ait: *Rogo autem vos fratres, ut sufferatis verbum solatii, etenim perpaucis scripsi vobis*, quasi diceret, cum ego Apostolus vester non sim; sed tantùm amicus, rogo, ut habeatis me excusatum, si audeam hæc vobis scribere, quia verba continent salutis; & nil magis mihi est cordi, quàm vestra salus. Hinc non mirum, si hujus Epistolæ stylus sit gravior, ornatior, & copiosior quàm reliquarum; quia scribebat ad viros, ad quos ex officio sui Apostolatus non adigebatur scribere. Præterea ex diversitate styli non potest conjici Epistolam illam non fuisse D. Pauli; quia potest quandoque quis variare stylum, & elegantiùs scribere uni, quàm alteri. Cæterùm communior opinio est, D. Paulum scripsisse non Hebraicè, sed Græcè hanc Epistolam; quam postea in aliud idioma transtulit Lucas; vel Clemens; adeo ut sententiæ sint quidem D. Pauli; sed verba Interpretis; adeoque Stylus est ornatior, & gravior.

Magdeburgenses ex eo conjiciunt, hanc Epistolam non esse D. Pauli, quia Author ipsius se dicit ex numero eorum, qui ab Apostolis fuerunt ad Christum conversi; ait enim: *quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cùm initio cœpisset venerari per Dominum ab eis, qui audierunt, confirmata est in nos contestante Deo signis, & virtutibus*: atqui Paulus ad Galat. 1. affirmat, se non ab homine nec per hominem, sed à Christo per revelationem didicisse Evangelium, ex quo sequitur, vel Paulum sibi contradixisse, vel authorem illius Epistolæ ad Hebræos non esse Paulum. Sed contra, quia D. Paulus non de se ipso præfata verba protulit, sed de hominibus sui temporis; sicut Isaias cap. 64. ait: *In persona populi facti sumus, ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ, non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te.* Ubi Isaias non loquitur de se ipso, siquidem fudit preces, & invocavit ipsum Deum, sed tantùm de populo verba illa dixit: perinde D. Paulus, cum dixit. *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* nonnisi de hominibus sui ævi locutus fuit, imò nec mirum debet videri, si Paulus ponat se in numero eorum, qui ab Apostolis confirmati fuerunt, quia hæc non agit de confirmatione per doctrinam, sed per miracula, quæ doctrina confirmata fuit per Apostolos contestante Deo signis, & prodigiis, tametsi igitur Paulus per revelationem Evangelium didicisset, confirmatus tamen in fide fuit auditis miraculis Petri, & aliorum Apostolorum, & præsertim cum fuerit ipse expertus miraculum, quo per manus Ananiæ lumen recepit oculorum.

Quòd si dicas, authorem illius Epistolæ ad Hebræos repugnare cum doctrina Christi, dicentis Matth. 11. *Venite ad me omnes*: siquidem Author Epistolæ eos excludit, qui semel peccaverunt; ait enim cap. 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, iterum renovari ad pœnitentiam*, & cap. 10. asserit; non relinqui hostiam pro peccato iis, qui voluntariè peccant, post acceptam notitiam veritatis; & cap. 12. ait: Esau non invenisse locum pœnitentiæ, ergo D. Paulus non fuit Author illius epistolæ. Sed contra, quia etiam Christus Matth. 12. ait: Blasphemiam in Spiritum Sanctum non remitti neque in præsenti, neque in futuro sæculo, unde vel verba Christi Matth. 12. pugnant cum verbis Christi Matth. 11. *Venite ad me omnes*, vel verba Epistolæ ad Hebræos cap. 6. non pugnant cum verbis Salvatoris. Quia ibi est sermo non de quocunque peccatore, sed de illo, qui peccat in Spiritum Sanctum, seu voluntariè oppugnat cognitam veritatem. Dicuntur hujusmodi peccata irremissibilia; quatenus hujusmodi homines quasi nunquam convertuntur, neque eorum peccata remittuntur, quamvis absolutè possint converti, perinde ac in ægritudinibus corporis plerumque dicitur morbus incurabilis, eò quia sit curatu difficilis, tametsi subinde curetur, ut etiam è contra interdum dicitur morbus curabilis, qui de facto non curatur. Rursus dicuntur peccata in Spiritum Sanctum irremissibilia, eò quia peccantes in Spiritum Sanctum, directè resistunt gratiæ, qua possent curari, perinde, ac qui nolens pharmacum sumere, quo posset sanari, dicitur insanabilis, & actum esse de illius salute, non quia non possit eam consequi, sed quia non vult, & detrectat adhibere media, quibus posset eam assequi, hinc peccans ex tali malitia nil habet in se, quo remissionem mereatur peccatorum, propterea ejus peccatum dicitur irremissibile, tametsi absolutè remitti possit; quando peccantibus ex ignorantia, vel infirmitate superest semper aliquid, quo possint divinam misericordiam consequi, quo pacto ait Apostolus 1. ad Timoth. 1. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Præterea ferè omnes Sancti Patres explicant verba illa ad Hebræos 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, iterum renovari ad pœnitentiam* de illuminatione per gratiam Baptismi, & de renovatione ad pœnitentiam, quæ fit in baptismo, non verò quæ fit in reconciliatione post baptismum; ita explicant Chrysostomus, Theodoretus, Anselmus, Theophylactus, Augustinus in epist. ad Rom.

Oecumenius, & alii, & revera Paulum loqui de renovatione ad pœnitentiam, quæ fit in baptismo, ex eo colligitur, quia ait: *Non rursus jacientes fundamentum pœnitentiæ fidei baptismatum.* Tum quia juxta D. Dionysium cap. 2. Eccles. Hierarch. baptismus dici etiam solet illuminatio, quia est Sacramentum fidei, adeò ut per baptismum propriè renovemur, quia omnia peccata, etiam ipsum originale, delentur, & totus homo renovatur: per reconciliationem verò potius curamur à morbo, quem post renovationem, seu baptismum contraximus.

Ad aliud, quod ex cap. 12. asserebatur: Esau non invenisse locum pœnitentiæ, respondetur, id duobus modis contigisse, primò respectu Patris sui, quia primogenitura translata in Jacobum fuit irrecuperabilis, tametsi exclamaverit, & summè ipsi displicuerit, fuisse translatam in fratrem natu minorem. Secundo etiam respectu Dei, quia non rectè pœnitentiam egit, ut exponit Chrysostomus. Volens igitur Apostolus homines deterrere à peccatis, proponit incertum pœnitentiæ exitum, quia sicut Esau non potuit recuperare jus ad hæreditatem, eò quia jam translatum erat in Jacobum, & erat irrecuperabile, perinde peccator, si semel lethaliter peccaverit, non potest amplius recuperare primam integram innocentiam, & facere, quòd non peccaverit, ac perdiderit innocentiam, tametsi possit gratiam recipere & secundam innocentiam.

Iterum epistolas Jacobi, Judæ, secundam Petri, secundam & tertiam Joannis Hæretici inficiantur esse Canonicos, præsertim Centuriatores, Kemnitius, & alii, qui epistolam D. Jacobi & Judæ nullius dicunt esse authoritatis, & Erasmus in annotationibus in has epistolas, ait Jacobi epistolam non redolere Apostolicam gravitatem, & de secunda Petri dubitat, de secunda verò & tertia Joannis negat esse Joannis Apostoli. Verùm omnes præfatas epistolas Jacobi, Judæ, Petri, & Joannis esse Canonicas, & Apostolicas ex eo evincitur, quia omnes, & singulæ ponuntur in catalogo epistolarum Canonicarum sub nominibus Petri, Jacobi, Joannis, & Judæ, & tales esse declaratum itidem fuit in Concilio Laodicensi, Carthaginensi III. Florentino, & Tridentino, quia hujusmodi epistolæ legi semper consueverunt in Ecclesia. Præterea quia epistolam Jacobi probat dogma Ecclesiasticum, & Concilium Milevitanum can. 7. eam citat, ut etiam Dionysius de divinis nominibus cap. 4. & D. Augustinus epist. 29. ad Hieronym. & Cyprianus in lib. ad Novatianum, & in Ecclesia legitur nomine Jacobi Apostoli; Epistola secunda etiam nomine Petri citatur ab Higynio epist. 2. à S. Gregorio *homil. 18. in Ezechiel.* & legitur in Ecclesia in festo transfigurationis, unde nulli dubium, quin Author hujus Epistolæ fuerit Petrus, cum dicat cap. 2. *hanc vocem nos audivimus, cum essemus cum illo in monte Sancto*, seu in monte sancto, cum Dominus transfiguratus est, & cum Christo essent Petrus, Jacobus, & Joannes, ut testatur Matthæus 17. Tum quia Author apertè se vocat initio Epistolæ Simonem Petrum Apostolum Jesu Christi, qua ratione miratur Beda, quomodo ab aliquo possit dubitari de Authore hujus Epistolæ, cum expressè suum eidem nomen apponat. Epistola Judæ etiam à Dionysio *de divinis nominibus cap. 4.* & à Tertulliano *lib. de habitu muliebr.* Cypriano *lib. ad Novatianum* citatur, ut Epistola Judæ, & legitur publicè in Ecclesia, ac in catalogo ponitur Epistolarum, quæ ab Ecclesia habentur Canonicè, adeo ut nulla supersit causa dubitandi de authoritate, & Authore hujus Epistolæ. Quòd verò ad secundam Joannis Epistolam attinet, etiam citatur hæc Epistola à Cypriano in *lib. 2. sententiar. Concilii Carthaginens.* & Epistola tertia citatur à Dionysio *de cœlest. Hierarch. cap. 3.* Neque obstat Jacobum in sua Epistola non uti consueta salutatione, nam non semper est necesse, quòd semper præmittatur salutatio, quia hæc jam supponitur.

Cæterum Hæreticis invisa semper fuit hæc Epistola, eò quia justificationem non soli fidei, sed etiam operibus tribuat cap. 2. cum Paulus dicat ad Roman. 3. *Hominem justificari ex fide sinè operibus.* Errant autem, quia utrumque requiritur ad justificationem fidei, & bona opera, cum sola fides sine bonis operibus sit otiosa, & mortua, perinde ac quævis potentia sine suo exercitio, & actu dicitur otiosa, & mortua. Tum quia D. Paulus tantùm loquitur de prima justificatione, qua homo ex injusto fit justus, & nomine operam intelligit opera, quæ fiunt sine fide, & gratia, & solis viribus liberi arbitrii, ideoque ait D. Paulus Hominem non justificari per hujusmodi opera, sed per fidem, quæ est prima ratio, qua ex injusto fit homo justus. Jacobus verò non loquitur de hac prima justificatione, qua homo primo ex injusto fit justus, quia hæc justificatio fit per fidem, & gratiam justificantem, & non per opera naturæ, seu solius liberi arbitrii, sed loquitur de secunda justificatione, qua quis ex justo fit justior, juxta illud Apocalypsis, *qui justus est, justificetur adhuc*, & per opera intelligit, quæ fiunt cum fide, & auxilio gratiæ divinæ.

Neque ullum facessit negotitum, quod in hac Epistola Jacobus non se vocet Apostolum Jesu Christi; quia, ut superiùs dixi, non semper necesse est, quod cuilibet Epistolæ præfigatur nomen Authoris, etenim nec Paulus in utraque sua Epistola ad Thessalonicenses, & in alia ad Philippenses vocat se Christi Apostolum, sed tantùm servum, Joannes itidem nec in suis Epistolis, nec in Apocalypsi se dicit Apostolum, unde id non obstat, quin talis epistola sit Jacobi.

Contra Epistolam Judæ objiciunt Magdeburgenses, quia Judas asserit se post Apostolos vixisse inquirens: *Memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini Nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimis temporibus venient illusores.* Sed contra quia ex verbis illis non infertur vixisse Judam Authorem Epistolæ illius post Apostolos, sed quod scripserit Epistolam illam, postquam Apostoli dixerunt: *Quoniam in novissimis temporibus venient Illusores:* potuerunt enim Apostoli hæc verba protulisse ante plures annos, quam Judas suam Epistolam scriberet, tametsi simul cum aliis Apostolis vixerit. Neque obstat, quòd in illa Epistola referatur historia altercationis inter Michaelem Archanglium, & Diabolum de Moysi corpore, & vatici-

vaticinium Enoch, de quibus nihil legitur in probatis scripturis, consequenter epistolam hanc recensendam esse inter apocryphas. Nam contra est, quia licet Tertullianus *lib. de habitu mulieb.* asserat librum Enoch esse canonicum, nihilominus communior sententia est, librum illum Enoch esse apocryphum, tametsi in apocryphis possit aliquid veri contineri, & hoc protulerit Judas in sua Epistola, in qua tamen non approbavit totum librum, quo pacto etiam D. Paulus *Actor.* 17. 1. *Corinth.* 15. profert testimonia ex Ethnicis Poetis, Arato, Menandro, quamvis Poetas illos non approbaverit quoad omnia, quæ scripserunt. Cæterum, ut notat D. Augustinus *lib.* 15. *de civit. Dei cap.* 23. credendum est, Enoch aliquid Prophetici, & divini scripsisse, & ejus vaticinium insertum fuisse in illo libro, quem Judas citat, quamvis plura alia in eodem libro contineantur apocrypha, quæ minimè ab Apostolo Juda approbantur.

Ad secundam, & tertiam Joannis objiciunt Hæretici authoritatem Papiæ, qui apud Eusebium *lib.* 3. *Histor. cap.* 39. ait: duos fuisse Joannes, unum Apostolum, & alium qui senior diceretur, & has Epistolas non ab Apostolo, sed à seniore fuisse scriptas. Sed hæc tantum levis est conjectura, quæ nullo pacto debet præponi authoritati Conciliorum Sanctorum Patrum, & totius Ecclesiæ, quæ approbat, ut canonicas, secundam & tertiam Epistolam Joannis. Cum igitur ab Ecclesia sint sint ambæ Epistolæ approbatæ ut canonicæ, & publicè legantur in Ecclesia, parum est curandum, quidquid dixerit unus vel alter, quia major semper est authoritas Ecclesiæ, & Conciliorum quàm simplicis hominis. Tandem ad secundam Petri opponunt diversitatem styli. Sed respondet D. Hieronymus quæst. 11. ad Edibiam, hanc diversitatem styli non provenire ex authore Epistolæ, nec quidquam derogare authoritati ejusdem, sed ex interpretis diversitate, adeo ut sententiæ sint divi Petri, & verba Interpretis, non enim Petrus uno semper & eodem fuit usus interprete, sed pluribus, & variis, prout opportunitas suggerebat.

Circa Apocalypsin Joannis Marcionistæ eam habuerunt contemptui teste Tertulliano lib. 4. contra Marcionem, ut etiam Alogiani Theodotiani, ut narrat Epiphanius *hæresi* 51. & 54. & ex recentioribus Hæreticis etiam Lutherus asserit, se aliquid in ea desiderare, cum Apocalypsis asserat, eos fore beatos, qni observant, quæ in ipsa scripta sunt, & tamen nemo intelligit, quæ sint illa. Et in præfatione antiquiore novi testamenti ait: se neque pro Prophetico, neque pro Apostolico, posse Apocalypsin recipere, sed tantum similem judicari libro quarto Esdræ. Cui adhærent Kemnitius, Prentius, & alii. Magdeburgenses tamen potius adhærent Calvino in favorem Apocalypsis. Verùm Apocalypsin Joannis esse librum divinum, & canonicum, ex eo est probatu facile, quia in Concilio Anciranο can. ult. citatur nomine Joannis Authoris ejusdem, & in Concilio Carthaginensi III. canon 47. recensetur inter libros canonicos, ut etiam in Concilio Romano sub Gelasio I. enumeratur inter divinos & canonicos: hoc idem etiam asseritur in Concilio Toletano IV. canon. 16. & omnes Sancti Patres hoc item asserunt, præsertim Dionysius *cap.* 3. *Eccles. Hierarch.* ubi vocat Apocalypsim arcanam & mysticam visionem dilecti Discipuli, & Justinus in Dialogo cum Triphone ultra medium asserit Apocalypsin fuisse revelatam Joanni Apostolo, quam propterea commentariis illustravit, ut testatur D. Hieronymus *lib. de viris Illustribus in Joannem*, & Irenæus *lib.* 5. *circa finem* asserit, Apocalypsim esse Joannis Apostoli scriptam suo sæculo ad finem imperii Domitiani, & omnes antiqui Patres hoc idem unanimes asserunt tam Græci, quam Latini, qui semper Apocalypsin dixerunt fuisse à Deo revelatam Joanni Apostolo, & cum Ecclesia publicè legat hunc librum Apocalypsis, at inferat catalogo librorum, qui habentur canonici, & divini nullum potest dubium super esse, quin sit liber canonicus ac divinus ejusdem authoritatis cum aliis libris canonicis.

Neque ullum facescit negotium, quod Lutherus asserat, Apocalypsin non esse paris authoritatis cum aliis libris divinis, & canonicis, consequenter non esse hunc librum inter canonicos, recensendum. Tametsi permulta sint obscura vaticinia, tamen permulta etiam exhibentur præcepta vitæ clarissima, ut de constantia in persecutionibus, de Hæreticis odio habendis, quoad hæresim, & vitium, de Pseudoprophetis fugiendis; tum quia finis seu scopus totius libri est hortari nos ad perseverantiam, & patientiam tempore persecutionum, & adversitatum, quæ quidem res clarissima & apertissima est.

Neque obstat, quod asserit Erasmus, Dorotheum, Anastasium, & quosdam alios dubitâsse, an revera Apocalypsis fuerit opus Joannis Apostoli. Nam innumeri propemodum sunt Sancti Patres, asserentes hunc librum scriptum fuisse Deo revelante à Joanne Apostolo, ut Clemens Alexandrinus *lib.* 2. *Pædagog. cap.* 12. Origenes *homil.* 2. 7. *in Josue & in Psal.* 1. Athanasius *in Synopsi.* Epiphanius *hæresi* 51. Chrysostomus *homil.* 3. *in Psal.* 91. Damascenus *lib.* 4. *cap.* 18. ubi expressè Apocalypsin ut sacram, & Joannis agnoscunt, & ex Latinis Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcionem* Apocalypsin fatetur esse Joannis Apostoli, ut etiam Cyprianus de exhortatione Martyrii *cap.* 3. 8. 10. *& sequent.* ubi Apocalypsin ut reliquas divinas scripturas passim citat, ut etiam Hilarius in Psal. & Ambrosius in Psal. 40. Apocalypsim Joannis esse dicit. Augustinus *Tractat.* 36. *in Joan.* expresse ait Apocalypsim ejusdem esse Joannis, cujus est Evangelium, *& lib.* 2. *doct. Christ. cap.* 8. inter sacros, & divinos libros eam refert, ut etiam præstant Innocentius I. *Epist.* 3. *ad Exuperium.* Ruffinus *in expositione Symboli*, & Isidorus *lib.* 6. *etymolog. cap.* 1.

Quòd si dicit Erasmus, passim Joannem nomen suum repetere, & quasi inculcare dicens: *Ego Joannes, Ego Joannes: perinde* (ait Erasmus) *quasi Syngraphum scriberet, & non librum, cum alioquin Joannes molestiora de se narrans nomen suum nusquam exprimat in Evangelio.* Addit etiam, quòd in Græcis Codicibus Author Apocalypsis non ponatur Joannes Apostolus, sed Joannes Theologus. Respondetur nil obstare, nam quod Joannes repetat, Ego Joannes, id non proprio, sed divino instinctu factum fuit, Joannes enim ea tantum scribebat, quæ divinus Spiritus ei dictabat; deinde falsum est, quod persæpe repetatur: *Ego Joannes,*

*Ego Joannes*, quia in toto libro Apocalypsis nonnisi ter invenitur, imo repetere proprium nomen proprium est Prophetarum scribentium ex divino afflatu, hinc Daniel Octies ait: Ego Daniel. Præterea id non obstat, quin Apocalypsis sit liber canonicus, quia Deus libros canonicos voluit dictare eo modo, quo ipsi placuit. Ad aliud, quòd asserebatur in codicibus græcis non reperiri titulum Joannis Apostoli, sed Theologi, respondetur Joannem Apostolum fuisse etiam Theologum appellatum, cum præ cæteris Evangelistis Theologicè scripserit, & suum inchoaverit Evangelium dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Hinc Augustinus *tractat. 36. in Joan.* eum comparat Aquilæ volanti, cum alii Evangelistæ animalibus parientur in terra gradientibus, eò quia de humanitate Christi inceperint scribere, & solus Joannes de Divinitate, hinc Dionysius Areopagita in Epist. ad Joan. Apostolum, eum vocat simul Apostolum, & Theologum: quamobrem ex eo, quod subinde vocetur Theologus, inde non sequitur non fuisse simul Apostolum, & Evangelistam.

Si quæras, qui propriè dicantur libri apocryphi? Apocryphus vox est græca significans rem reconditam, & occultam. Sed non semper eodem modo hæc vox usurpatur: siquidem in Ecclesia illæ scripturæ dicuntur Apocryphæ, de quibus non est certum, an sint divinæ, & canonicæ, & quamvis nullus in iisdem error reperiatur, in quo sensu D. Hieronymus in prologo Galeato asserit libros omnes, qui non sunt in canone recenseri inter Apocryphos. Nonnunquam vocantur libri Apocryphi, qui errores continent, in quo sensu Origenes *homil. 1. in cant.* Augustinus *lib. 15. de civit. Dei cap. 23.* & alii Apocryphi vocantur illi libri, qui ab Authoribus Hæreticis, vel certè suspectis editi sunt. Glossa verò in *canone, Sancta Romana dist. 15.* eos libros vocat Apocryphos, quorum Author ignoratur, sed si ita esset plures libri canonici essent Apocryphi, ut liber Judicum, Ruth, Job, primus Machabæorum, & plures alii, quorum Authores nobis non innotescunt.

Quamobrem libri Apocryphi illi dicuntur, prout ad nostrum pertinet institutum, qui non continentur in catalogo librorum canonicorum, seu qui non habentur in latina vulgata editione, hi enim tantum ab Ecclesia recipiuntur, ut canonici, eò quia ab ipsis Apostolis vel Prophetis, aut aliis Scriptoribus dictante Spiritu Sancto scripserunt, & quasi per manus traditi ad nos usque pervenerunt tam veteris, quàm novi testamenti cum utriusque unus Deus sit Author. Sunt autem libri canonici approbati ab Ecclesia, & Concilio Tridentino sess. 4. de Canonicis Scriptoribus ex testamento veteri quinque libri Moysis scilicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus, & secundus qui dicitur, Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job. Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastis, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, scilicet Oseas, Johel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Naum, Habacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus, & secundus. Novi Testamenti quatuor Evangelia secundum Matthæum, Marcum, Lucam, Joannem: Acta Apostolorum à Luca Evangelista conscripta: quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ac Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, & Apocalypsis Joannis Apostoli.

Hos enim libros sacros, & canonicos suscipit Ecclesia, reliquas habet pro Apocryphis, non quia non sint veri, alioquin sequeretur, quòd omnes libri, qui non sunt sacri, & canonicis essent Apocryphi, sed quia non fuerunt dictati à Spiritu Sancto, tametsi contineant optima documenta moribus informandis aptissima, quia eo ipso, quod non sunt libri sacri, nec pars eorundem dicuntur apocryphi, cujusmodi est oratio Regis Manasse, quæ solet adnecti libris Paralipomenon, quam ideo apocrypham dicunt, quia non est pars ullius libri sacri, nec ponitur nominatim in canone sacrorum librorum, nec habetur in hebræa, nec græca, sed tantum in latina editione. Est itidem apocryphus Psalmus 151. Davidis, cujus meminit Athanasius in Synopsi, & reperitur in Græcis Psalteriis eò, quia Concilium Laodicenum canone 59. Concilium Romanum sub Gelasio, Tridentinum sess. 4. inter libros sacros, & canonicos non ponunt, nisi centum quinquaginta Psalmos, unde quinquagesimus primus superfluit, estque apocryphus, ut etiam apocrypha habetur appendix ad librum Job, quæ tantum reperitur in Græcis Codicibus, quia Tridentinum sess. 4. eos tantum libros voluit Canonicos haberi, qui in latina vulgata editione habentur, in qua hæc appendix libri Job non reperitur, & D. Hieronymus in quæstionibus in Genesin probat falsum esse, quod in illa appendice habetur, scilicet Jobum fuisse de stirpe Esau, & probat fuisse de stirpe Hus, qui fuit Filius Nachor Fratris Abrahæ, ut habetur Genes. 22.

Est itidem apocryphus habendus liber Hermetis, qui scribitur Pastor, quia tametsi hunc librum divinitus inspiratum fuisse censuerit Origenes *lib. 10. in Epist. ad Roman.* & ex eodem testimonia adferant Tertullianus *lib. de orat.* Irenæus *lib. 4. cap. 37.* Clemens Alexandrinus *lib. 6. strom.* Athanasius in lib. de decretis Nicenæ Synodi, quia tamen à nulla Synodo relatus est in canonem & disertis verbis à canone eum Gelasius rejicit in decreto de libris Ecclesiasticis, ut & Athanasius in Synopsi, & in lib. de decretis Nicenæ Synodi habetur ut apocryphus, eò quia non comprehendatur in canone, quo pacto sunt etiam apocryphi liber tertius & quartus Machabæorum, ut etiam tertius & quartus Esdræ: quia non includuntur in canone, & licet quartus Esdræ citetur ab Ambrosio *lib. de bono mortis*, & in *lib. 2. in Lucam*, & in *Epistol. 21. ad Horatianum*, attamen non est canonicus, quia à nullo Concilio refertur in canonem, & etiam quia contineat quædam fabulosa de pisce Henoch, & Leviathan, quos maria capere non poterant.

Quar-

Quartus Machabæorum quamvis ab Athanasio recenseatur in sua Synopsi,ab eodem tamen ponitur extra canonem, & licet Clemens in canonibus Apostolorum tertium Machabæorum referat in canonem, quia tamen Concilia, & Ecclesia eum non habent ut canonicum,non est ut talis suscipiendus, unde canon ille,in quo ponitur tertius liber Machab. non est Clementis, sed alterius, nam Zepherinus Papa XV. à Petro in Epistola 1. tradit canones Apostolorum fuisse tantùm septuaginta, & iste, cui inseritur tertius Machabæorum esset 84. & Zepherinus melius scire potuit, quot sint canones Apostolorum, quapropter rectè Gelasius *dist.* 15. *can. Sancta Romana* posuit inter libros apocryphos canones Apostolorum, eo quia eorum aliqui corrupti, immutati fuerint ab Hæreticis.

Quòd si dicas in canonibus, qui dicuntur sextæ Synodi *can.* 2. approbari 85. canones Apostolorum, respondetur eos canones non esse veræ sextæ Synodi, sed cujusdam alterius Concilii, quòd Sergius Romanus Pontifex non approbavit, sed expressè reprobavit, ut patet ex Beda lib. de sex ætatibus in Justiniano. Præterea quia in illo canone recensentur libri canonici octuaginta quatuor & quidam omittuntur, qui absque dubio habentur Canonici, ut libri Esdræ, Tobiæ, Sapientia, Ecclesiasticus, Judith, Apocalypsis.

Ecclesia enim,quæ successit Apostolis, nonnisi ex traditione Apostolorum didicit, qui libri sint Canonici, & qui non, & certum est Clementem tenuisse Apostolicas traditiones, cum diu vixerit cum Apostolis Petro, & Paulo, ut testantur Irenæus *lib.* 3. *cap.* 3. & Eusebius *lib.* 5. *Histor.* unde qui libri à Clemente non ponuntur in canone, non debent canonici videri, unde decretum illud non est Clementis,cum in eodem non ponantur libri Esdræ, Tobiæ, Judith, Apocalypsis. Quamobrem omnes illi & soli libri,qui à Concilio Tridentino recensentur,ut canonici debent ut tales haberi, non alii.

# CAPUT V.

## Qui multiplici sensu Sacræ Scripturæ.

CErtum est Sacris Scripturis multiplicem inesse sensum; non enim sterilitate laborant ulla, sed fructus uberrimas producunt non solum in littera, verùm etiam in sensu, ut docuit S. Gregorius in prologo moral. ubi ait: *Scriptura Sacra omnes scientias, locutionis suæ more transcendit: quia in uno sermone dum gestum narrat, mysterium prodit, & sicut mysteriis Sapientes exercet, sic superficie simplices refovet: habet enim in publico, unde parvulos nutriat, & servat in secreto, unde mentes sublimium admiratione suspendat.* Et hanc fœcunditatem in verbis, sensu, & rebus à suo sortitus Authore, qui infinita est Sapientia, est enim Deus Author Sacræ Scripturæ, idque satis expressè testificantur ipsæmet scripturæ, in quibus continentur prædictiones, quæ exactissime adimpletæ postea fuerunt præfixo tempore, & quia Deus omnia scit intellectu,potest non solùm voces ad significandum accommodare, ut moris est apud homines, sed etiam res ipsas, ideoque cum voces in omnibus scientiis, ac ordinariis hominum sermonibus significent, solius Sacræ Scripturæ id proprium est non solùm significare per voces, verùm etiam per res ipsas, adeo ut ipsæ res significatæ per voces etiam aliquid significent, Hinc oritur duplex sensus, quorum primus est, quo voces significant res ipsas, & hic primus sensus dicitur historicus, seu litteralis, eò quia verba sic accipiuntur, uti sonant in se, ut vox aqua, quæ significat elementum aquæ. Secundus sensus, quæ res ipsæ significatæ per voces res alias significant, dicitur sensus Spiritualis seu mysticus, & fundatur super litteram, quam supponit.

Hæc divisio sensus sacræ Scripturæ in litteralem, & Spiritualem seu mysticum desumitur ex S. Dionysio *de cœlesti Hierarchia cap.* 2. Augustino *lib.* 1. *de Genes. ad litt. cap.* 2. Estque divisio adæquata, ut docet D. Thomas 1. *part. quæst.* 1. *art.* 10. Ratio qua solet id probari,ea est, quia omnis scripturæ sensus debet aliquo modo significari per verba scripturæ, alioquin non esset sensus Scripturæ, & duobus tantum modis per ea significari potest, scilicet vel immediatè, & tunc habetur sensus litteralis, quo voces immediatè significant res,vel mediatè, seu mediantibus rebus significatis immediatè per verba, & tunc habetur sensus Spiritualis, seu mysticus, ut cum in scripturis describitur manna in deserto, omnem suppeditans saporem, voces significantes manna immediatè, exhibent sensum litteralem, & quia res ipsa significata, seu manna significat Eucharistiam, quæ est Spirituale nutrimentum animæ, & continet in se omne bonum hæc significatio rei dicitur sensus, spiritualis, & mysticus: sic voces, quibus significatur manna, necessarium obsonium suppeditans in deserto hebræis immediatè significabat manna, & mediante manna ipsam Eucharistiam, & sensus immediatus diciur litteralis estque sensus vocis, immediatè significantis rem, & sensus mediatus, seu mediatè significata per vocem & significans rem aliam, dicitur sensus spiritualis, seu mysticus, qui supponit semper sensum litteralem,cum fundetur super litteram, sic quando Genes. 22, memoratur historia Isaaci per Patrem immolati, sensus litteralis est ipsa historia Isaaci immolandi à Patre, & sensus spiritualis, seu mysticus est Christus significatus per Isaacum, eò quia Christus voluit immolari pro redimendo humano genere,

Cæterum Sacram Scripturam novi & veteris testamenti continere multiplicem sensum evincitur ex ipsamet Scriptura: siquidem D. Paulus ad Roman. 2. scribit: *qui per litteram & circumcisionem prævaricator legis es?* & 2. Corinth. 3. *Idoneos nos fecit Ministros novi Testamenti, non littera, sed Spiritus, littera enim occidit, Spiritus autem vivificat.* Matth. 13. *Ideo omnis scriba doctus in Regno cælorum similis*

*similis est homini Patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova, & vetera.* Ezechiel 2. *Expandit librum coram me, qui erat scriptus intus, & foris.* Luc. 24. *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas.* Sin autem non haberent multiplicem sensum, sed solùm litteralem visitum in sola verborum superficie, Apostoli non indigerent, speciali lustratione: hinc D. Augustinus Epist. ad Volusianum ait: *Tanta est profunditas Christianarum litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere, in quibus latet altitudo Sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, fragantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura habet Eccles. 13. Cum consummaverit homo, tunc incipiet.* Et lib. de vera Religione addit: *ad dignitatem Scripturæ pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat: ut sic diversis intellectibus hominum conveniens unusque miretur, sed in Divina Scriptura posse invenire veritatem quam mente conceperit, ac per hoc facilius contra infideles defenditur, dum si aliquid quod quisque ex Sacra Scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium sensum possit recurrere.* D. Gregorius: *tanta, & talis Divinæ Scripturæ sublimitas, ut non solùm verba, quæ à Sanctis, vel ab ipso Domino dicta referuntur, sed etiam circumstantiæ rerum, quæ simpliciter posita videntur, Spiritualibus sunt plena mysteriis,* homil. 5. super Ezechielem. Et D. Hieronymus super Epist. ad Ephes. lib. 1. ait: *Non putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* Rursus litteralis sensus potest duplex esse, simplex, qui consistit in proprietate verborum, & figuratus, quæ verba transferuntur à naturali significatione ad alienam, cujus tot sunt genera, quot genera figurarum; hinc cum Christus Joan. 10. ait: alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, sensus litteralis respicit oves, & ovile; figuratus verò homines præter Judæos congregandos in Ecclesiam figuratè significatam per ovile Christi, cujus se dicit Pastorem: *Ego sum Pastor bonus*, & id etiam habetur Joann. 11. Ut Filios DEI, qui erant dispersi congregaret in unum, & de hisce figuratis locutionibus prolixè loquitur D. Augustinus *lib. 3. de Doctrin. Christi.*

Hinc in explorandis Divinis scripturis non sufficit sola verborum significatio ad verum sensum hauriendum, alioquin plures adsunt Scripturæ, quæ juxta sensum simplicem litteralem non possunt intelligi, ut verba illa Luc. 22. *Ego dispono vobis mensam, sicut disposuit mihi Pater, ut edetis, & bibatis super mensam in Regno meo, & sedeatis super thronos judicantes Tribus Israel*; non enim potest intelligi de mensa materiali, in qua fercula varia comeduntur, ut sensus simplex litteralis explicat, cui etiam videtur alludere illud Isa. 65. Cum de retributione juxta unius cujusque opera singulis donanda differens de his qui in luxu & fastu dies vitæ insumunt, ait: *Servi mei comedent, & vos esurietis. Ecce servi mei libent, & vos sitietis. Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore.* Quæ verba si juxta solam verborum significationem, seu sensum litteralem simplicem intelligerentur, ut asseruit Lutherus & alii Hæretici, verba Scripturæ esse intelligenda juxta solam verborum significationem, occasio daretur Cerintho, & Machumeto impiam suam fovendi hæresim, qua asserunt in futura beatitudine futuras veras carnis delicias, perinde ac in vita ista mortali, unde necesse est, intelligantur præfati textus juxta sensum litteralem figuratum, quo verba transferuntur à naturali significatione ad alienam, adeo ut sensus sit, quòd in cœlesti patria æterna donati beatitate spiritualiter recreabuntur per visionem intuitivam Divinæ essentiæ, erit enim hæc beatitudo perfecta expressio animæ beatæ, nec quid aliud amplius expetere valebit. Hinc patet necessitas hujus divisionis litteralis sensus in simplicem, & figuratum, alioquin si omnia essent intelligenda juxta sensum simplicem litteralem, ut asserunt Hæretici, peccantes in ipsis suum reperirent asylum & patrocinium, ut fures, Matth. 19. *Qui potest capere capiat.* Ebriosi, Cant. 5. *Bibite, & inebriamini Charissimi.* Libidinosi, Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini.* Libertini Eccles. 11. *Lætare juvenis in adolescentia tua:* si quidem in sensu litterali simplici hæc vitia essent licita, imò & Athei suum etiam in scripturis habebunt patrocinium, Ecclesiast. cap. 3. *Unus est interitus hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio, & nihil habet homo jumento amplius,* unde corruerent fundamenta Christianæ Religionis, quapropter D. Paulus asserit pluribus modis fuisse olim DEum locutum, ad Hæbr. 1. *Multifariam multisque modis locutus est Deus Patribus olim in Prophetis,* scilicet per parabolas, figuras, tropos, ænigmata: & novissimè in Filio suo locutus est nobis diverso modo. Quòd si dicas, hanc sensuum multiplicitatem in uno textu confusionem parere & deceptionem, ac tollere firmitatem argumentandi: perinde ex multiplicibus propositionibus non procedit argumentatio, sed tantum assignantur fallaciæ: atqui Sacra Scriptura debet esse efficax ad ostendendam veritatem absque omni fallacia, unde non debent in ea plures congeri sensus sub una littera.

Verùm respondetur cum D. Thomæ hanc sensuum diversitatem nullam invehere æquivocationem, nec aliam fallacis multiplicitatis speciem, quia sensus isti non multiplicantur, eò quia una ac eadem, non plura significet: sed quia ipsæ res significatæ per voces possunt esse signa aliarum rerum, quo pacto cibus & potus materialis significat repletionem spiritualem animæ in cœlesti patria, unde nulla sequitur confusio in Sacra Scriptura, quia omnis sensus in Scriptura fundatur super unum litteralem simplicem, ex quo tantùm potest trahi argumentum, non verò ex his, quæ secundùm mysticum, vel allegoricum dicuntur, ut docet D. Augustinus in Epist. 48. contra Vincentium Donatistam.

Sensus Spiritualis, seu mysticus tripartitur, in allegoricum, tropologicum, & anagogicum. Sensus allegoricus tunc habetur, cum verba Scripturæ præter litteralem sensum significant quid aliud, in novo testamento pertinens ad Christum vel Ecclesiam; hinc Abraham, qui revera in sensu litterali habuit duas uxores, unam liberam, & alteram ancillam, & duos filios, Isaac, & Ismaëlem; in sensu spirituali allegorico per Abraham significatur DEus, & per duas uxores duo testamenta, vetus & novum, & per Isaac & Ismaelem populus Judaicus dimittendus ut Ismaël, & gentileis, admitten-

mittendus, eòquia hic veram Christi fidem amplectatur, non illæ: Sensus tropologicus dicitur, cum verba aut facta referuntur ad aliquid significandum, quod pertinet ad mores, ut est illud Deuter. 25. *Non aligabis os bovi trituranti*, quod in sensu litterali intelligitur de vero bove post labores manducantes & tropologicè in sensu spirituali significat esse dignos operarios Evangelii mercede sua, seu congrua sustentatione, seu ut necessaria ad victum & vestitum accipiant à populo, ut explicat Apostolus 1. ad Corinth. 9. Sensus anagogicus habetur, cum verba, vel facta referuntur ad significandam vitam æternam, ut est illud Psal. 94. *Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*, quæ verba ad litteram intelliguntur de terra promissionis, & spiritualiter, seu anagogicè referuntur ad vitam æternam, ut explicat D. Paulus ad Hebræos 4. Alii explicant sensum allegoricum, tropologicum, anagogicum juxta triplicem temporis differentiam, præteriti, præsentis, & futuri, & dicunt sensum allegoricum alludere ad umbras præteritas in lege veteri, ac prænotationes figurarum, quo pacto Isaac à Patre immolandus fuit figura Christi pro redimendo humano genere crucifigendi, quia liberè voluit pretium sui sanguinis fundere, ac dare pro nostra redemtione. Sensus tropologicus est, qui in scripturis gesta, vel dicta convertit ad vitæ præsentis moralem institutionem: & sensus anagogicus, qui ad futuræ beatitudinis, & cœlestis gloriæ mysteria animum sublevat. Alii etiam patiuntur hunc triplicem sensum juxta numerum virtutum theologicarum, fidei, spei, & charitatis, res enim quæ in Sacra Scriptura aliis rebus significantur, vel significant res fidei, seu res, quæ fide divina creduntur, & hunc sensum vocant allegoricum: vel significant res agendas, & tunc indicant virtutem charitatis, & sensus est tropologicus, seu moralis: vel significant res sperandas, in cœlesti patria, & vocant sensum anagogicum. Vel igitur res pertinent ad Ecclesiam militantem, vel ad triumphantem: si ad militantem, sunt res credendæ, & agendæ, seu pertinentes ad fidem vel charitatem, & habentur duo primi sensus allegoricus, & tropologicus, vel pertinent ad triumphantem ut sunt res, quæ in cœlesti patria sperantur, & habetur virtus spei ac sensus anagogicus. Et hi quatuor sensus, litteralis, allegoricus, tropologicus, & anagogicus continentur his duobus versibus;

*Littera gesta docet; quod credas; allegoria;*
*Moralis, quid agas; quo tendas, anagogia.*

Differunt hi quatuor sensus, quia litterarius immediatè, significetur verbis ipsis, mysticus tantùm mediatè, adeo ut litterarius sit fundamentum, & basis mystici, sine quo nullus sit sensus mysticus, ut docent D. Hieronymus *in cap.* 9. Amos *præfat. in Isaiam*, & *cap.* 13. *Ezechiel*. D. Gregorius *homil.* 4. *in Evangel.* hinc sensus litteralis ex vocum significatione depromtus notior semper & facilior est; & mysticus abstrusior, magisque ignotus, quapropter in omni dogmate fidei, & ad omnia semper è litterario sensu, ducitur argumentum, non verò à mystico, de quo non semper constat, an sit à Spiritu Sancto intentus, quapropter falli potest Doctor, qui mysticum sensum quærit ex quibusdam rerum similitudinibus, sin enim velim asserere Sacerdotes habere potestatem ligandi, ac solvendi à peccatis; & id mysticè velim probare per illam Christi sententiam directam ad Apostolos Joan. 11. *Solvite eum, & finite abire*, posset statim responderi id desolutione linteorum, quibus ligatus erat Lazarus esse intelligendum, non verò de solutione peccatorum. Verùm si hoc idem ostendero ex authoritate, & expositione litterali Christi sententiæ Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*, protinùs acquiescit animus, & dictis adigitur assentiri, unde sensus litteralis depromptus ex significatione vocum semper notior, & facilior quàm mysticus. D. Hieronymus *lib. 2. comment. super Matth.* pertractans illud de fermento, quod mulier abscondit in farinæ satis tribus, cum retulisset quorundam expositionem, qui parabolam applicârunt ad Trinitatem Personarum Divinarum, & unitatem essentiæ, subdit ipse: *Pius quidem sensus, sed nunquam parabola, & dubia ænigmatum intelligentia potest ad authoritatem dogmatum proficere.*

Ex his sensibus, litteralis reperitur in omni sententia tam veteris, quàm novi testamenti, quinimò interdum plures litterales sensus posse reperiri in eadem sententia censet D. Augustinus plerisque in locis, præsertim *lib. 12. confess. cap. 26. lib. 11. de Civit. Dei cap. 19. & lib. 3. de Doctrin. Christi. cap.* 27. Lyranus verò videtur negare in omni Scripturæ textu semper esse sensum litteralem, & ait haberi sensum mysticum, ubi tropus habetur; quia ubi non est sensus significatus primò per voces, littera non verificatur, sed translatitius est tunc sensus, & ad hoc discernendum tres assignat regulas, quarum prima est, quando proponitur parabola ut Judic. 9. *Ierunt ligna, ut ungerent super se Regem*, per quæ verba intelliguntur Sichimitæ. Secunda, quando occurrit metaphora ut Matth. 5. *Si dextera tua scandalizat te, abscinde eam*: atqui certum est DEum nec præcipere, nec velle illud, ut sonat textus litteralis, quia absurdum est oportere manum abscindi, quoties per eam peccatum aliquod committitur. Tertia regula, quando sequitur vel falsum, vel absurdum, ut in exemplo manus abscindendæ, per quam intelligendus est malus Socius, quem declinare tenemur, & ab eo separari, si nobis sit scandalo, vel trahat ad peccatum, hanc Lyrani sententiam confirmat D. Gregorius *lib.* 4. *Moral. cap.* 1. *&* 2. & D. Hieronymus adversus Jovinianum asserit circumcisionem, quæ Josuæ 5. secunda dicitur, non posse quoad litteram intelligi de secunda carnis circumcisione, nec 3. Reg. 1. Abisag, Sunamitidem posse talem dici, ut ait Origenes *homil. 2. in Genes.* adducens exemplum Proverb. 26. *Spina nascetur in manu temulenti*, quæ verba non possunt intelligi in sensu litterali simplici, alioquin spina nasceretur in manu. D. Gregorius lib. 4. Moral. ait: ad litteram non posse intelligi illud Job, *pereat dies, in qua natus sum*, quia cum dies ille jam effluxerit, nec amplius sit, non potest fieri, ut pereat, quapropter Sancti Patres unanimes asserunt, quòd ubi deficit littera eundum sit ad mysterium, & Augustinus lib. 3. de Doctrin. Christi cap. 5. hanc assignat regulam interpretationis, & intelligentiæ inquiens: *Carendum est, ne figuratam locutionem id est translatam quasi propriam sequamur, aut propriam quasi figuratam accipiamus*, ad id enim pertinet, quod ait D. Paulus 2. Corinth. 3. *Littera occidit, Spiritus autem vivificat.*

Nihilominus D. Thomas, & communiter Theologi asserunt, omnem textum Sacræ Scripturæ semper immediatè aliquid significare in sensu litterali, quia si aliquis locus posset assignari, qui nihil imme-

immediatè per verba significaret, nullum omnino sensum haberet, ratio est, quia omnis sensus spiritualis, seu mysticus in rebus per verba proximè significatis continetur: & absurdum est, aliquem textum carere omni sensu, consequenter, quilibet textus tam veteris, quàm novi testamenti habet aliquem sensum litteralem, imò & præter litteralem sensum habere itidem spiritualem, & quidem de testamento veteri nulli est dubium, quin includat sensum allegoricum, tropologicum, & anagogicum, & de testamento novo plures hoc idem adstruunt: siquidem D. Augustinus *Tractat.* 122. *in Joan.* in sensu allegorico explicat capturam piscium, quando scindebatur rete, & *Luc.* 5. anagogicè, quando rete non scindebatur; *Joan.* 21. Rursus *tractat.* 124. *in Joan.* allegoricè exponit, quòd dictum fuit Petro, *sequere me*; & anagogicè quod dictum est de Joanne, *sic eum volo manere*, sed tropologicè explicat ipse Dominus Joan. 13. illud exercitium humilitatis, quòd discipulorum pedes lavit. Non tamen Spiritualis, seu mysticus sensus semper reperitur in quavis sententia Sacræ Scripturæ, imò neque veteris testamenti: siquidem illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, Deuter. 6. & Matth. 22. & alia hujusmodi præcepta non habent nisi unum sensum litteralem, ut notavit Cassianus *collat.* 8. *cap.* 3. Unde ex solo litterali sensu generatim peti debet efficacia argumenti, quia ille sensus, qui immediatè provenit ex verbis, est certus, quòd sit sensus Spiritus Sancti; secus sensus mystici, & Spirituales varii sunt, qui licèt ædificent, & non sint contra fidem, nec contra bonos mores, non tamen semper constat esse à Spiritu Sancto, hinc D. Augustinus epist. 48. ad Vincentium meritò improperat Donatistas, qui propter sensum mysticum illorum verborum: *Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie*, inferebant, Ecclesiam Christi in sola Africa remansisse. Et D. Hieronymus in commentario cap. 13. Matth. expresè asserit fidei dogmata ex mysticis sensibus non posse efficaciter confirmari, unde fundamentum necesse est sit sensus litteralis, quo sublato ruit ædificium perinde ac arescente radice, arescit & ipse arbor, & Sancti Patres præsertim Gregorius *homil.* 2. *in Ezechiel.* asserunt hanc radicem, & fundamentum asserit esse sensum litteralem, quem infallibiliter verum esse, nec ei posse falsum subesse & certissimum, quia est à Spiritu Sancto intentus, qui non potest falli nec nos fallere, cùm sit prima veritas, seu infinitè sapiens, & verax. Quòd si dicas subinde in scripturis aliqua asseri, quæ falsa sunt, consequenter sensum litteralem non posse tunc verum esse antecedens evincitur, quia illæ propositiones, quæ habentur in Evangelistis de Christo Domino, *Dæmonium habet, reus est mortis*, falsæ sunt, & nihilominus habentur in scripturis; contra est, quia præfatæ propositiones non fuerunt prolatæ à Spiritu Sancto, neque à Sacro ullo scriptore, sed tantùm à Judæis, quorum verba non est necesse sint vera. Quamobrem ut sunt insertæ Sacræ Scripturæ, vera sunt, quia verè Judæi ea protulerunt, & scriptura asserit prolata fuisse à Judæis, quod est verum, quamobrem hæc & alia hujusmodi verba inseruntur Sacris Scripturis recitativè, ut prolata ab aliis.

Cæterum in sensu literali ex duplici causa possunt interdum dubia oriri. Primum est ambiguitas verborum, ut est illud Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes.* Illud *omnes* est ambiguum, quia potest extendi ad omnes homines absolutè, & restringi ad omnes fideles tantùm, & etiam magis coarctari ad omnes Apostolos tantùm. Alia causa est verborum proprietas, quia cùm sensus litteralis, nunc sit simplex, & modò figuratus, oritur tunc dubium, an verus senlus simplex sit, an figuratus, ut Matth. 26. *Hoc est corpus meum*, omnes Catholici volunt esse accipiendum simpliciter secundùm verborum proprietatem. Hæretici aut Zvvingliani per figuram Metonymiam, & ex hac secunda causa in enormes interdum impingunt homines errores, Origenes enim ideo turpissimè erravit, quia quæ accipienda essent simpliciter intellexit figuratè, ut refert D. Hieronymus in epist. ad Pammachium de erroribus Joannis Jerosolymitani, ubi ait, Origenem ita Paradisum terrestrem explicâsse per allegoriam, ut veritatem excludat ab historia, dum pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes cœlestes intellexit; & per tunicas pelliceas Adæ, & Evæ corpora humana fuerit interpretatus, quasi antè peccatum sine corpore extiterint. E converso alii ex eo errârunt, quia verba scripturæ simpliciter, & propriè intellexerunt cum essent intelligenda figuratè; ut Papias & ejus Sectatores; qui quæ dicuntur in Apocal. 20. de nova Jerusalem, & mille annis, quibus regnaturi sunt Sancti cum Christo, existimârunt esse hanc Prophetiam implendam in hac vita mortali, & in Ecclesia militante, quorum errorem reprehendit Hieronymus; *Præfat. lib.* 18. *in Isaiam; & in cap.* 36. *Ezechiel.* Augustinus *lib.* 20. *de civit. Dei cap.* 7. & alii, ut enim diximus, sensus litteralis Sacræ Scripturæ alius est simplex, & consistit in proprietate verborum; alius figuratus, seu parabolicus quo verba transferuntur ad propria, & indita sibi naturali significatione ad alienam, seu Metaphoricam, ut est textus ille Joan. 10. *alias oves habeo; quæ non sunt ex hoc ovili*; licèt in sensu simplici intelligamus per oves bruta animalia, quæ significantur per hoc nomen, sensus tamen figuratus est de aliis hominibus præter Judæos in Ecclesiam, seu Christi ovile congregandis, unde figuratè transfertur significatum naturale à proprio significatione in aliam, ut cum in communi locutione per lupum intelligimus voracem, per nomen agni mansuetum, licèt hoc nomen propriè non conveniat Christo, figuratè tamen ei appropriatur, ad significandam ejus mansuetudinem, ut etiam cum ait: *Ego sum vermis, & non homo*, nomen vermis nonnisi figuratè, & per quandam similitudinem illi convenit ad exprimendam ejus humilitatem.

Quòd si dicas, tropum, & Metaphoram proximè signisicare rem, cui significandæ primò est imposita vox illa, postea remotè rem, ad quam transfertur, ut cum Joan. 15. *Ego sum vitis*; est enim sensus Metaphoricus, & figuratus, qui primo, & proximè significat vitem, & secundò per quandam similitudinem Christum, ad quem hoc nomen transfertur, adeo ut in omni Metaphora semper includatur aliqua similitudo, & duo extrema similia, ut uno cognito, facilè cognoscatur & alterum ob similitudinem, non verò propriè. Respondetur, quod tametsi in qualicet Metaphora includatur aliqua similitudo, & consequenter duo extrema simillima; negatur tamen inde sequi, quod unum semper debeat priùs intelligi, & alterum postea; etenim etiam relativa important duo extre-

extrema distincta, & tamen non est necesse, ut unum cognoscatur priùs, & postea alterum; siquidem communis est Logicorum regula, relata simul intelligi: Quamobrem vox Metaphorica significat rem, ad quam transfertur, non tamen simpliciter, sed cum respectu ad rem, ad quam transfertur, & à qua dicitur similitudo, ait Tertullianus *Metaphora in totum brevior est, quam similitudo, eoque distat, quod illa comparatur rei, quam exprimere volumus*, hæc verò sumitur pro re ipsa; ut comparatio est, illum hominem in conflictu se gessisse, ut Leonem; translatio verò est, si dicam hominem illum in pugna fuisse Leonem, transfertur natura Leonis in hominem.

Hinc scripturæ intelligi debent eo Spiritu, quo factæ & dictatæ sunt à Spiritu Sancto, ut innuit Apostolus Petrus, secunda Petri, cap. 1. ubi ait: *Hoc primùm intelligentes, quòd omnis Prophetia scriptura propria interpretatione non fit, non enim humana voluntate allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*, quibus verbis satis apertè declarat D. Petrus non deberi Scripturas interpretari ex proprio ingenio, sed juxta dictamen Spiritus S. eò quia non sint scriptæ humano ingenio, sed ex inspiratione Spiritus Sancti. Quòd si quæras, in quo consistat Spiritus Sanctus, respondetur, quòd tametsi possit esse in pluribus privatis hominibus, multo tamen magis semper reperitur in Ecclesia seu in Conciliis Generalibus approbatis, & confirmatis à supremo totius Ecclesiæ Pastore, quia Christus promisit Ecclesiæ assistentiam Spiritus Sancti, & Concilia Generalia unà cum capite seu Romano Pontifice à quo sint approbata, & confirmata repræsentant Ecclesiam Catholicam. Hæretici verò nostri temporis docent, Spiritum Sanctum interpretem Scripturarum non esse alligatum Episcopis, nec ulli hominum generi, adeoque unumquemque Judicem esse debere, ac interpretari Sacras Scripturas, de quibus dubitat, præmissa priùs oratione, & aliquo jejunio, post hæc opera pia asserunt esse iterum Sacram Scripturam legendam, & tunc in eo sensu, quem censent esse intelligendam, eundem esse verum sensum. Lutherus præfatione assertionis suorum articulorum apertè nos remittit ad Spiritum, quem quisque habuit, dum Scripturas diligenter legit, & in articulo 115. ex illis 500. quos Cochlæus collegit ex libris Lutheri ait: Capite hoc Evangelium, quia neque Papæ, neque Conciliis, neque ulli homini commissum est, ut constituat, & concludat, quid sit fides. Ideo debeo dicere: Papa, tu conclusisti cum Conciliis, nunc habeo ego judicium, an acceptare queam, nec ne, quare? quia non stabis pro me, & respondebis pro me, quando debeo mori. Et falsam dorinam nemo judicare potest nisi Spiritualis homo. Ideo res est insana, quod Concilia concludere, & statuere volunt, quid credendum sit, cum sæpe nullus vir sit ibi, qui divinum Spiritum vel modicum olfecerit. Alii etiam Hæretici totum hoc judicium unicuique privato homini relinquunt. Joannes Calvinus itidem lib. 4. Instit. cap. 9. §. 8. 12. & sequent. etiam privatos, homines Judices facit in causa fidei, quæ tamen sententia quàm falsa sit, ex eo liquet, quia Hæretici per hanc eandem doctrinam sibi contradicunt. Lutherus enim ex privato Spiritu verba illa Scripturæ, *hoc est corpus meum*, intelligit sub speciebus Eucharisticis verè, & realiter in ipso actu manducationis adesse verum corpus verúmque sanguinem Christi Domini, secus Calvinus ex eodem privato Spiritu asserit, nec in actu manducationis adesse ibi verum corpus, & sanguinem Christi, sed tantùm ejus figuram, adeo, ut non nisi figurativè sumatur, ambo enim asserunt se moveri privato Spiritu ad intelligenda verba scripturæ in tali sensu; quod si privatus Spiritus est Spiritus Sanctus, qui eos edocuit, talem interpretationem sequitur manifestè Spiritum Sanctum docere falsitatem, quòd est impossibile: siquidem ex duobus contradictoriis, si unum est verum, necesse est oppositum sit falsum; esse autem, & non esse in actu manducationis verum, & reale Christi corpus sub speciebus Eucharisticis, sunt duo contradictoria, consequenter necesse est, alterum sit falsum,

Quòd si quæras, cur Metaphorâ utatur Sacra Scriptura, respondet D. Bernardus *serm.* 51. *in Cant.* & cum ipso D. Thomas *art. 9.* quia animus noster delectatur similitudinibus rerum, & spiritualia commodè iis explicantur, cum Deus se accommodet nostro captui, naturæ, & inclinationi, utitur Metaphoris, ut faciliùs apprehendamus, quæ alias essent captu difficiliora: hac de causa etiam in profanis sermonibus utimur Metaphoris, eò quia interdum desint propria vocabula, hinc Quintilianus lib. 8. cap. ult. ait: Ob necessitatem nos uti Metaphoris, cum igitur nostra cognitio dependeat à sensibus, qui nonnisi res corporeas, & sensibiles attingunt, ideo res spirituales necesse est, ut per quandam similitudinem ad res corporeas sensibiles attingamus, ait enim D. Dionysius *cap. 1. cælest. Hierarch. Impossibile esse nobis aliter docere divinum radium nisi varietate Sacrorum velamine circumdatum.* D. Thomas etiam ait ob utilitatem Sacras Scripturas uti Metaphoris, ut faciliùs à rudioribus percipiantur. Vel dici etiam posset aliqua mysteria nonnisi occultè, & subobscurè nobis significari vel ad reverentiam, ut ab irrisionibus rudium, ac impiorum vindicentur juxta illud *nolite sanctum dare canibus*, vel etiam ad studiosorum exercitationem, ut dicitur Eccles. 3. *Mundum tradidit disputationi eorum.* An verò sub iisdem verbis possint dari sensus litterarii affirmant plures, inter quos Augustinus *lib. 3. de doctrin. Christ. cap.* 27. D. Thomas *quæst.* 4. *de potentia art.* 11. Hinc Augustinus loc. cit. ait: *Author ille in eisdem verbis, quæ intelligere volumus, & ipsam sententiam forsan vidit, & certe Dei Spiritus, qui per eum hæc operatus est etiam ipsam occursuram Lectori, vel Auditori sine dubio prævidit; imò ut occurreret, quia & ipsa est veritate subnixa providit: nam quid in divinis eloquiis largiùs, & uberius potuit divinitus provideri, quàm ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus divina contestantia faciunt approbari.* D. Bernardus serm. 51. in Cant, ait: *Sicut aqua pluribus usibus est utilis; sic & pluribus sensibus scriptura!* & revera illud psal. 2. *generationem ejus quis enarrabit*, quod etiam habetur Isaiæ 57. Literaliter significat Christi generationem divinam, & humanam, habetque propterea duplicem sensum literalem, quo utraque generatio æterna, & temporalis significatur. Imò & triplicem cum D. Paulus Actor. 13. vers. 35. illud explicet de Christi resurrectione. Rursus illud Joan. 11. *Expedit, ut unus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat*, habet itidem duplicem sensum literalem; Caiphas siquidem protulit verba

verba illa politicè, ut significaret ad literam necessariam esse Judæis Christi mortem, ne Cæsar iisdem irasceretur, & ne tota gens periret. Et rursus ex intentione Spiritus Sancti significat mortem Christi esse necessariam pro redemptione totius gentis, sed totius humani generis, quod ex se non poterat Divinæ satisfacere justitiæ neque à famulitio dæmonis se liberare, quia sicut offensa, qua homo se avertit à Deo, fuit objectivè ratione personæ offensæ infinita; ita requirebatur satisfactio infinita, quam pura creatura, utpote finita dare non poterat; propterea necesse fuit, ut Christus, cujus persona erat divina, & infinita satisfaceret divinæ Justitiæ moriendo pro humano genere. Dices, Caipham primum tantum sensum intendisse, non secundum, quem ignoravit. Sed contra respondet D. Thomas, non esse necesse, ut omnis sensus literalis intendatur; siquidem neque ipsi Prophetæ semper intellexerunt quod prophetarunt; Jonas ut absolutam intellexit propositionem illam: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, & tamen non fuit absoluta; sed conditionata, nisi egerit pœnitentiam: & Daniel etiam expresse fatetur se intellexisse, quæ audivit cap. 12. *Ego audivi, & non intellexi.* Unde quamvis Caiphas non intenderit mortem Christi esse necessariam pro redemptione humani generis, sed tantùm politicè, ne populus Judaicus displiceret Cæsari, id non obstat, quin præfata verba duplicem habuerint sensum litteralem, si dicas ex hoc duplici sensu litterali sequi scripturam fore ambiguam, æquivocam, & fallacem, à quo propterea non posset efficax argumentum deduci. Sed contra, quia tametsi subinde unus vel alter textus duplicem habeat sensum litteralem, non tamen inde sequitur esse fallacem, quia Deus loquens per talem scripturam vult utrumque sensum distingui, ac percipi posse, proinde nunquam est fallax, sed semper vera: tum esset fallax, si loquens vellet unum tantùm sensum percipi, ut audiens deciperetur, hinc tametsi plures habeat subinde scriptura sensus litterales efficax adhuc suppeditat argumentum, dummodo non sumatur æquivocè, sed determinatè in uno tantùm sensu, qui intendatur, unde Aristoteles lib. 14. Metaphys. textu 10. ait: *Nihil interest, si plura quis significare dicat terminum aliquem, modo determinatus sit ab usurpante.*

Sunt, qui quatuor recensitis scripturarum sensibus addunt quintum, qui dicitur accommodatitius, seu transumptivus, & est, quando præter intentionem Scriptoris, & finem scribendi ejus verba aliis rebus accommodantur, quas scriptor nec proximè, nec remotè cogitavit, & tunc sensus iste dicitur accommodatitius, ut si quis vellet aliud monere mali suæ domui imminentis, diceret, *tum tua res agitur, paries cum proximus ardet.* Cæterum hujus sensus non meminit D. Thomas in quæst. de sensibus Sacræ Scripturæ, imò neque ab Ecclesia, adeo ut quamvis sit verus, non tamen solet saltem frequentet usurpare. Et in hoc sensu accommodatitio omnia sunt exactè examinanda, quo pacto Ecclesia accommodat festo assumptionis B. Mariæ Virginis evangelium do Martha, & Magdalena ob unam duntaxat convenientiam de Christi introitu in earum Castellum: sicut enim Christus fuit domum Marthæ Magdalenæ ingressus, ita per sensum accommodum beata Virgo cœlestem patriam eo die fuit ingressa, neque omnia possunt ad litteram sumi, ut est illud Davidis: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, & stratum meum rigabo*, quod ad litteram non intelligitur, sed tantùm per accommodationem, quatenus eum singulis noctibus pœnituit patrati peccati.

In dedicatione Ecclesiæ legitur Evangelium de Zachæo propter ultima verba; *Hodie huic domui salus facta est*, quæ verba conveniunt Ecclesiæ in festo dedicationis, quatenus in ipsa postea funduntur preces in ordine ad assecutionem salutis, & de communi Confessorum canit Ecclesia illud Eccles. 44. *Inventus est justus, & in tempore iracundiæ facta est reconciliatio, non est inventus similis illi, qui conservaret legem excelsi. Benedictionem omnium gentium dedit illi*: quorum primum dicitur de solo Noë, secundum de Abrahamo, Tertium de Isaaco, & tamen hæc omnia Ecclesia usurpat, & accommodat Sanctis Confessoribus. Hinc sensus iste accommodatitius usurpari etiam potest licitè servatis servandis, & seclusa quacunque imperfectione, ut non putetur scriptura contineri aliquid falsi, supervacanei, ac inutilis. Verum tamen est, quod cum iste sensus accommodatitius non intendatur à Spiritu Sancto, neque à littera Sacra proximè, vel remotè; sed tantùm traducatur ab homine ad majorem energiam, vel ornatum non potest quidquam necessarium, & firmum duci, neque argumentum ullum efficax. Et plerumque ex non bene applicatis scripturis oriuntur errores, imò & hæreses, ut notavit S. Augustinus in Tractat. super Joan. 18. ubi ait: *Neque enim natæ sunt hæreses, & quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene: & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè, & audacter asseritur.*

# CAPUT VI.

## De obscuritate Scripturæ Sacræ, & an Ecclesia verum sensum ejusdem habeat?

Censent Novatores divina eloquia per se clara, & perspicua esse, & posse quemlibet verum illius sensum percipere, tametsi rudis sit, & illustratus dummodo ubi de aliquo textu dubitat, preces priùs fundat, ut à Deo illuminetur, quo valeat verum percipere sensum; hinc est, quòd passim errent in per-

perscrutandis mirabilibus Dei, & sanè esse grande est perversitatis committere indiscriminatim legendam, & interpretandam scripturam à popularibus rudibus, ac illiteratis, qui vix prima fidei percipiunt rudimenta, de qua re olim conquerebatur S. Hieronymus, ait enim Epistola ad Paulinum: *Cum nulla sit ars, quam omnes passim sibi vindicent, hanc (scilicet scripturarum intelligentiam) garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant*, quo nil potest inordinatius dici, quia si Magister non potest quis fieri, quin prius Discipulus fuerit, nec quispiam figulus nisi prædocente Magistro, & nisi se humiliter ejus præceptis est regulis artis subdat neque potest quis Magister, & Interpres fieri in explicandis sacris scripturis, nisi vel docente Spiritu Sancto illuminetur eique verus sensus reveletur, vel à Sanctis Patribus, qui sunt Ecclesiæ Magistri, instruatur, hinc aiebat David Psalm. 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, revelo oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*, ex quibus verbis D. Hieronymus Epist. ad Paulinum desumit argumentum, quo deducit Sacras Scripturas esse captu difficiles, & tenebris obvolutas, ac obscuras, quia si David Propheta ignorantiæ suæ fatetur caligines, multo magis homines rudes populares, quique nullius sunt litteraturæ, & qui inscitiæ tenebris sunt undique involuti Actor. 8. Eunuchus Candacis Reginæ Æthyopum, cum legeret Isaiam, à Philippo interrogatur, an intelligeret, quæ ab ipso legebantur: *putas ne, intelligis, quæ legis? & respondit, quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* unde fassus est obscuritatem scripturæ, ad cujus intelligentiam ope indiguit alterius.

Hinc etiam D. Petrus asserit in Epistola D. Pauli nonnulla contineri captu difficilia 2. Petri ult. loquens de Epistolis Pauli, ait: *Esse quadam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles, depravant*, non dixit, esse quædam difficilia indoctis & instabilibus, ut explicant Novatores, sed absolutè & simpliciter dixit esse difficilia. Nam D. Augustinus, qui non erat indoctus nec instabilis, testatur, plures scripturæ textus fuisse ipsi difficiles, & notat unum ex illis textibus à Petro indicatis, & obscuris esse hunc 1. Corinth. 3. *Si quis autem superædificat fundamentum*, ut etiam alius ex cap. 15. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt, ut quid & baptizantur pro illis*, non facile est hoc explicare, quid significet baptizare, & quid pro mortui baptizari, de quo plures extant inter Doctores opiniones, quapropter D. Paulus ad Roman. cap. 12. docet interpretationem scripturarum esse speciale donum Spiritus Sancti, & ait fuisse obtusos Judæorum sensus, qui cum legerent quotidie vetus testamentum, illud non intelligerent, inquiens: *usque in hodiernum diem velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum*: quapropter S. Stephanus eos redarguit de duro, & incircumciso corde, unde Christus hac duritie redarguit duos Discipulos euntes Emaus Luc. 24. *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ, tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas*. Quòd si Scripturæ obscuræ non essent, Christus non dixisset Joan. 5. *Scrutamini scripturas*: quia res quæ indigent scrutinio non sunt claræ, nec statim omnibus obviæ, sed aliquid continent obscurum, quod scrutetur.

Sancti Patres hanc itidem scripturarum obscuritatem fatentur: siquidem Irenæus lib. 2. contra Hæreticos cap. 47. ait: *Si in rebus creaturæ quædam adjacent Deo, & quædam in nostram venerunt scientiam, quid mali est, si & eorum, quæ in scripturis continentur, quædam absolvamus secundum gratiam Dei, & quædam commendemus Deo, & non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, ut semper quidem Deus doceat; homo autem semper discat à Deo*. Et hæc Irenæus scripsit post recensitas res plures ignotas nobis, tametsi nostris sint obviæ sensibus, ut sunt fluxus, & refluxus, Oceani, Flammæ phantasticæ, regressus avium exterarum, inundationes Nili, effectus tonitrui, compositio meteororum, coagmentatio metallorum, causæ, & varietas ventorum. Et Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. cap. 6. ait: Ipsum Salvatorem in parabolis fuisse locutum, quæ aliquid semper includunt obscuri, unde Gregorius, Nazianzenus lib. 1. Theolo. ait: Non omnium esse, tametsi idiomata calleant de divinis miraculis inserere, *sed tantum eorum, qui inter multos habito delectu ad tantum munus videntur idonei*, & qui sint isti idonei postea declarat subdens: *Qui, inquam, contemplandi acumine cæteros antecellunt, qui jam ante corpus, & animam ab effectu purgarunt*, & D. Basilius hoc idem confirmat Epist. de vita solitar. Ducta similitudine à scribente in cera, inquiens: *Quemadmodum in cera quis scribere non potest, nisi characteres antea impressos deleverit, nisi nec anima divina dogmata degustare, nisi pristinos ex animo mores penitus destruxerit*.

Et Epiphanius in compendiaria doctrina de fide non litteras solùm callentibus, sed Spiritu abundantibus scrutinium committit scripturarum inquiens: *Consideremus virtutem scripturæ, ne fiat nobis littera mors, littera enim occidit, in littera est vita, occidit autem imprudentem ad litteram accedentem, & non habentem Spiritum interpretantem, qui litteram aperit, & quod in ipsa est revelat*. Unde interpretare, & intelligere scripturas non est datum cuilibet, ut putant Novatores, neque quilibet est sufficiens earundem interpres, sed illi tantum, quibus conceduntur illæ prærogativæ recensitæ à Sanctis Patribus, scilicet doctrina, Sanctitas, morum integritas, & virtutum exercitia, ut præstiterunt Gregorius Nazianzenus, & Basilius Magnus, de quibus legimus in historia tripartita, per duodecim annorum spatia in cœnobio fuisse commoratos, scripturas evolvisse, & earum intelligentia non ex propria hausisse præsumptione, sed ex majorum doctrina, & authoritate fuisse assecutos, quòd si viri doctissimi, & sanctitate toto orbe clarissimi in explicandis divinis scripturis sibimet fidere non fuerunt ausi, sed eas juxta doctrinas Sanctorum Patrum fuerunt interpretati, quomodo, ut aiunt Novatores, poterit quisquam esse sufficiens scripturæ sacræ interpres? hinc Chrysostomus homil. 21. in Genes. *nihil hic*, inquit, *scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias, quandoquidem divini Spiritus afflatu Prophetæ locuti sunt, ita ut à Spiritu scripta ingentem in se contineant thesaurum*. Et paulo inferius subdit: *Neque enim vel Syllabas vel apiculus est in Sacra Scriptura, in cujus profundo non sit nobis quispiam magnus thesaurus. Proinde nobis opus est, ut divina gratia ducamur, ut Spiritu*

verba illa politicè, ut significaret ad literam necessariam esse Judæis Christi mortem, ne Cæsar iisdem irasceretur, & ne tota gens periret. Et rursus ex intentione Spiritus Sancti significat mortem Christi esse necessariam pro redemptione totius gentis, sed totius humani generis, quod ex se non poterat Divinæ satisfacere justitiæ neque à famulitio dæmonis se liberare, quia sicut offensa, qua homo se avertit à Deo, fuit objectivè ratione personæ offensæ infinita; ita requirebatur satisfactio infinita, quam pura creatura, utpote finita dare non poterat; propterea necesse fuit, ut Christus, cujus persona erat divina, & infinita satisfaceret divinæ Justitiæ moriendo pro humano genere. Dices, Caipham primum tantum sensum intendisse, non secundum, quem ignoravit. Sed contra respondet D. Thomas, non esse necesse, ut omnis sensus literalis intendatur; siquidem neque ipsi Prophetæ semper intellexerunt quod prophetarunt; Jonas ut absolutam intellexit propositionem illam: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, & tamen non fuit absoluta; sed conditionata, nisi egerit pœnitentiam: & Daniel etiam expresse fatetur se intellexisse, quæ audivit cap. 12. *Ego audivi, & non intellexi.* Unde quamvis Caiphas non intenderit mortem Christi esse necessariam pro redemptione humani generis, sed tantùm politicè, ne populus Judaicus displiceret Cæsari, id non obstat, quin præfata verba duplicem habuerint sensum literalem, si dicas ex hoc duplici sensu litterali sequi scripturam fore ambiguam, æquivocam, & fallacem, à quo propterea non posset efficax argumentum deduci. Sed contra, quia tametsi subinde unus vel alter textus duplicem habeat sensum litteralem, non tamen inde sequitur esse fallacem, quia Deus loquens per talem scripturam vult utrumque sensum distingui, ac percipi posse, proinde nunquam est fallax, sed semper vera: tum esset fallax, si loquens vellet unum tantùm sensum percipi, ut audiens deciperetur, hinc tametsi plures habeat subinde scriptura sensus litterales efficax adhuc suppeditat argumentum, dummodo non sumatur æquivocè, sed determinatè in uno tantùm sensu, qui intendatur, unde Aristoteles lib. 14. Metaphys. textu 10. ait: *Nihil interest, si plura quis significare dicat terminum aliquem, modo determinatus sit ab usurpante.*

Sunt, qui quatuor recensitis scripturarum sensibus addunt quintum, qui dicitur accommodatitius, seu transumptivus, & est, quando præter intentionem Scriptoris, & finem scribendi ejus verba aliis rebus accommodantur, quas scriptor nec proximè, nec remotè cogitavit, & tunc sensus iste dicitur accommodatitius, ut si quis vellet aliud monere mali suæ domui imminentis, diceret, *tum tua res agitur, paries cum proximus ardet*. Cæterum hujus sensus non meminit D. Thomas in quæst. de sensibus Sacræ Scripturæ, imò neque ab Ecclesia, adeo ut quamvis sit verus, non tamen solet saltem frequenter usurpare. Et in hoc sensu accommodatitio omnia sunt exactè examinanda, quo pacto Ecclesia accommodat festo assumptionis B. Mariæ Virginis evangelium de Martha, & Magdalena ob unam duntaxat convenientiam de Christi introitu in earum Castellum: sicut enim Christus fuit domum Marthæ Magdalenæ ingressus, ita per sensum accommodum beata Virgo cœlestem patriam eo die fuit ingressa, neque omnia possunt ad litteram sumi, ut est illud Davidis: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, & stratum meum rigabo*, quod ad litteram non intelligitur, sed tantùm per accommodationem, quatenus eum singulis noctibus pœnituit patrati peccati.

In dedicatione Ecclesiæ legitur Evangelium de Zachæo propter ultima verba; *Hodie huic domui salus facta est*, quæ verba conveniunt Ecclesiæ in festo dedicationis, quatenus in ipsa postea funduntur preces in ordine ad assecutionem salutis, & de communi Confessorum canit Ecclesia illud Eccles. 44. *Inventus est justus, & in tempore iracundia facta est reconciliatio, non est inventus similis illi, qui conservaret legem excelsi. Benedictionem omnium gentium dedit illi*: quorum primum dicitur de solo Noë, secundum de Abrahamo, Tertium de Isaaco, & tamen hæc omnia Ecclesia usurpat, & accommodat Sanctis Confessoribus. Hinc sensus iste accommodatitius usurpari etiam potest licitè servatis servandis, & seclusa quacunque imperfectione, ut non putetur scriptura continetur aliquid falsi, supervacanei, ac inutilis. Verum tamen est, quod cum iste sensus accommodatitius non intendatur à Spiritu Sancto, neque à littera Sacra proximè, vel remotè; sed tantùm traducatur ab homine ad majorem energiam, vel ornatum non potest quidquam necessarium, & firmum duci, neque argumentum ullum efficax. Et plerumque ex non bene applicatis scripturis oriuntur errores, imò & hæreses, ut notavit S. Augustinus in Tractat. super Joan. 18. ubi ait: *Neque enim nata sunt hereses, & quadam dogmata perversitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene: & quòd in eis non bene intelligitur, etiam temerè, & audacter asseritur.*

# CAPUT VI.

## De obscuritate Scripturæ Sacræ, & an Ecclesia verum sensum ejusdem habeat?

Censent Novatores divina eloquia per se clara, & perspicua esse, & posse quemlibet verum illius sensum percipere, tametsi rudis sit, & illustratus dummodo ubi de aliquo textu dubitat, preces priùs fundat, ut à Deo illuminetur, quo valeat verum percipere sensum; hinc est, quòd passim errent in per-

perscrutandis mirabilibus Dei, & sanè esse grande est perversitatis committere indiscriminatim legendam, & interpretandam scripturam à popularibus rudibus, ac illiteratis, qui vix prima fidei percipiunt rudimenta, de qua re olim conquerebatur S. Hieronymus, ait enim Epistola ad Paulinum: *Cum nulla sit ars, quam omnes passim sibi vindicent, hanc (scilicet scripturarum intelligentiam) garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant*, quo nil potest inordinatius dici, quia si Magister non potest quis fieri, quin prius Discipulus fuerit, nec quispiam figulus nisi prædocente Magistro, & nisi se humiliter ejus præceptis est regulis artis subdat neque potest quis Magister, & Interpres fieri in explicandis sacris scripturis, nisi vel docente Spiritu Sancto illuminetur eique verus sensus reveletur, vel à Sanctis Patribus, qui sunt Ecclesiæ Magistri, instruatur, hinc aiebat David Psalm. 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, revelo oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*, ex quibus verbis D. Hieronymus Epist. ad Paulinum desumit argumentum, quo deducit Sacras Scripturas esse captu difficiles, & tenebris obvolutas, ac obscuras, quia si David Propheta ignorantiæ suæ fatetur caligines, multo magis homines rudes populares, quique nullius sunt litteraturæ, & qui inscitiæ tenebris sunt undique involuti Actor. 8. Eunuchus Candacis Reginæ Æthyopum, cum legeret Isaiam, à Philippo interrogatur, an intelligeret, quæ ab ipso legebantur: *putas ne, intelligis, quæ legis? & respondit, quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* unde fassus est obscuritatem scripturæ, ad cujus intelligentiam ope indiguit alterius.

Hinc etiam D. Petrus asserit in Epistola D. Pauli nonnulla contineri captu difficilia 2. Petri ult. loquens de Epistolis Pauli, ait: *Esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles, depravant*, non dixit, esse quædam difficilia indoctis & instabilibus, ut explicant Novatores, sed absolutè & simpliciter dixit esse difficilia. Nam D. Augustinus, qui non erat indoctus nec instabilis, testatur, plures scripturæ textus fuisse ipsi difficiles, & notat unum ex illis textibus à Petro indicatis, & obscuris esse hunc 1. Corinth. 3. *Si quis autem superædificat fundamentum*, ut etiam alius ex cap. 15. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si in omnino mortui non resurgunt, ut quid & baptizantur pro illis*, non facile est hoc explicare, quid significet baptizare, & quid pro mortui baptizari, de quo plures extant inter Doctores opiniones, quapropter D. Paulus ad Roman. cap. 12. docet interpretationem scripturarum esse speciale donum Spiritus Sancti, & ait fuisse obtusos Judæorum sensus, qui cum legerent quotidie vetus testamentum, illud non intelligerent, inquiens: *usque in hodiernum diem velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum:* quapropter S. Stephanus eos redarguit de duro, & incircumciso corde, unde Christus hac duritie redarguit duos Discipulos euntes Emaus Luc. 24. *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ, tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas.* Quòd si Scripturæ obscuræ non essent, Christus non dixisset Joan. 5. *Scrutamini scripturas*: quia res quæ indigent scrutinio non sunt claræ, nec statim omnibus obviæ, sed aliquid continent obscurum, quod scrutetur.

Sancti Patres hanc itidem scripturarum obscuritatem fatentur: siquidem Irenæus lib. 2. contra Hæreticos cap. 47. ait: *Si in rebus creaturæ quædam adjacent Deo, & quædam in nostram venerunt scientiam, quid mali est, si & eorum, quæ in scripturis continentur, quædam absolvamus secundùm gratiam Dei, & quædam commendemus Deo, & non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, ut semper quidem Deus doceat; homo autem semper discat à Deo.* Et hæc Irenæus scripsit post recensitas res plures ignotas nobis, tametsi nostris sint obviæ sensibus, ut sunt fluxus, & refluxus, Oceani, Flammæ phantasticæ, regressus avium exterarum, inundationes Nili, effectus tonitrui, compositio meteororum, coagmentatio metallorum, causæ, & varietas ventorum. Et Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. cap. 6. ait: Ipsum Salvatorem in parabolis fuisse locutum, quæ aliquid semper includunt obscuri, unde Gregorius, Nazianzenus lib. 1. Theolo. ait: Non omnium esse, tametsi idiomata calleant de divinis miraculis inserere, *sed tantum eorum, qui inter multos habito delectu ad tantum munus videntur idonei*, & qui sint isti idonei postea declarat subdens: *Qui, inquam, contemplandi acumine cæteros antecellunt, qui jam ante corpus, & animam ab effectu purgàrunt*, & D. Basilius hoc idem confirmat Epist. de vita solitar. Ducta similitudine à scribente in cera, inquiens: *Quemadmodum in cera quis scribere non potest, nisi characteres antea impressos deleverit, nisi nec anima divina dogmata degustare, nisi pristinos ex animo mores penitus destruxerit.*

Et Epiphanius in compendiaria doctrina de fide non litteras solùm callentibus, sed Spiritu abundantibus scrutinium committit scripturarum inquiens: *Consideremus virtutem scripturæ, ne fiat nobis littera mors, littera enim occidit, in littera est vita, occidit autem imprudentem ad litteram accedentem, & non habentem Spiritum interpretantem, qui litteram aperit, & quod in ipsa est revelat.* Unde interpretare, & intelligere scripturas non est datum cuilibet, ut putant Novatores, neque quilibet est sufficiens earundem interpres, sed illi tantum, quibus conceduntur illæ prærogativæ recensitæ à Sanctis Patribus, scilicet doctrina, Sanctitas, morum integritas, & virtutum exercitia, ut præstiterunt Gregorius Nazianzenus, & Basilius Magnus, de quibus legimus in historia tripartita, per duodecim annorum spatia in cœnobio fuisse commoratos, scripturas evolvisse, & earum intelligentia non ex propria hausisse præsumptione, sed ex majorum doctrina, & authoritate fuisse assecutos, quòd si viri doctissimi, & sanctitate toto orbe clarissimi in explicandis divinis scripturis sibimet fidere non fuerunt ausi, sed eas juxta doctrinas Sanctorum Patrum fuerunt interpretati, quomodo, ut aiunt Novatores, poterit quisquam esse sufficiens scripturæ sacræ interpres? hinc Chrysostomus homil. 21. in Genes. *nihil hic*, inquit, *scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias, quandoquidem divini Spiritus afflatu Prophetæ locuti sunt, ita ut à Spiritu scripta ingentem in se contineant thesaurum.* Et paulo inferius subdit: *Neque enim vel Syllabas vel apiculus est in Sacra Scriptura, in cujus profundo non sit nobis quispiam magnus thesaurus. Proinde nobis opus est, ut divina gratia ducamur, ut Spiritu*

verba illa politicè, ut significaret ad literam necessariam esse Judæis Christi mortem, ne Cæsar iisdem irasceretur, & ne tota gens periret. Et rursus ex intentione Spiritus Sancti significat mortem Christi esse necessariam pro redemptione totius gentis, sed totius humani generis, quod ex se non poterat Divinæ satisfacere justitiæ neque à famulitio dæmonis se liberare, quia sicut offensa, qua homo se avertit à Deo, fuit objectivè ratione personæ offensæ infinita; ita requirebatur satisfactio infinita, quam pura creatura, utpote finita dare non poterat; propterea necesse fuit, ut Christus, cujus persona erat divina, & infinita satisfaceret divinæ Justitiæ moriendo pro humano genere. Dices, Caipham primum tantum sensum intendisse, non secundum, quem ignoravit. Sed contra respondet D. Thomas, non esse necesse, ut omnis sensus literalis intendatur; siquidem neque ipsi Prophetæ semper intellexerunt quod prophetarunt; Jonas ut absolutam intellexit propositionem illam: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, & tamen non fuit absoluta; sed conditionata, nisi egerit pœnitentiam: & Daniel etiam expresse fatetur se intellexisse, quæ audivit cap. 12. *Ego audivi, & non intellexi*. Unde quamvis Caiphas non intenderit mortem Christi esse necessariam pro redemptione humani generis, sed tantùm politicè, ne populus Judaicus displiceret Cæsari, id non obstat, quin præfata verba duplicem habuerint sensum literalem, si dicas ex hoc duplici sensu litterali sequi scripturam fore ambiguam, æquivocam, & fallacem, à quo propterea non posset efficax argumentum deduci. Sed contra, quia tametsi subinde unus vel alter textus duplicem habeat sensum litteralem, non tamen inde sequitur esse fallacem, quia Deus loquens per talem scripturam vult utrumque sensum distingui, ac percipi posse, proinde nunquam est fallax, sed semper vera: tum esset fallax, si loquens vellet unum tantùm sensum percipi, ut audiens deciperetur, hinc tametsi plures habeat subinde scriptura sensus litterales efficax adhuc suppeditat argumentum, dummodo non sumatur æquivocè, sed determinatè in uno tantùm sensu, qui intendatur, unde Aristoteles lib. 14. Metaphys. textu 10. ait: *Nihil interest, si plura quis significare dicat terminum aliquem, modo determinatus sit ab usurpante.*

Sunt, qui quatuor recensitis scripturarum sensibus addunt quintum, qui dicitur accommodatitius, seu transumptivus, & est, quando præter intentionem Scriptoris, & finem scribendi ejus verba aliis rebus accommodantur, quas scriptor nec proximè, nec remotè cogitavit, & tunc sensus iste dicitur accommodatitius, ut si quis vellet aliud monere mali suæ domui imminentis, diceret, *tum tua res agitur, paries cum proximus ardet*. Cæterum hujus sensus non meminit D. Thomas in quæst. de sensibus Sacræ Scripturæ, imò neque ab Ecclesia, adeo ut quamvis sit verus, non tamen solet saltem frequenter usurpare. Et in hoc sensu accommodatitio omnia sunt exactè examinanda, quo pacto Ecclesia accommodat festo assumptionis B. Mariæ Virginis evangelium de Martha, & Magdalena ob unam duntaxat convenientiam de Christi introitu in earum Castellum: sicut enim Christus fuit domum Marthæ Magdalenæ ingressus, ita per sensum accommodum beata Virgo cœlestem patriam eo die fuit ingressa, neque omnia possunt ad litteram sumi, ut est illud Davidis: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, & stratum meum rigabo*, quod ad litteram non intelligitur, sed tantùm per accommodationem, quatenus eum singulis noctibus pœnituit patrati peccati.

In dedicatione Ecclesiæ legitur Evangelium de Zachæo propter ultima verba; *Hodie huic domui salus facta est*, quæ verba conveniunt Ecclesiæ in festo dedicationis, quatenus in ipsa postea funduntur preces in ordine ad assecutionem salutis, & de communi Confessorum canit Ecclesia illud Eccles. 44. *Inventus est justus, & in tempore iracundia facta est reconciliatio, non est inventus similis illi, qui conservaret legem excelsi. Benedictionem omnium gentium dedit illi*: quorum primum dicitur de solo Noë, secundum de Abrahamo, Tertium de Isaaco, & tamen hæc omnia Ecclesia usurpat, & accommodat Sanctis Confessoribus. Hinc sensus iste accommodatitius usurpari etiam potest licitè servatis servandis, & seclusa quacunque imperfectione, ut non putetur scriptura continetur aliquid falsi, supervacanei, ac inutilis. Verum tamen est, quod cum iste sensus accommodatitius non intendatur à Spiritu Sancto, neque à littera Sacra proximè, vel remotè; sed tantùm traducatur ab homine ad majorem energiam, vel ornatum non potest quidquam necessarium, & firmum duci, neque argumentum ullum efficax. Et plerumque ex non bene applicatis scripturis oriuntur errores, imò & hæreses, ut notavit S. Augustinus in Tractat. super Joan. 18. ubi ait: *Neque enim nata sunt hæreses, & quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum scriptura bona intelliguntur non bene: & quòd in eis non bene intelligitur, etiam temerè, & audacter asseritur.*

# CAPUT VI.

## De obscuritate Scripturæ Sacræ, & an Ecclesia verum sensum ejusdem habeat?

CEnsent Novatores divina eloquia per se clara, & perspicua esse, & posse quemlibet verum illius sensum percipere, tametsi rudis sit, & illustratus dummodo ubi de aliquo textu dubitat, preces priùs fundat, ut à Deo illuminetur, quo valeat verum percipere sensum; hinc est, quòd passim errent in per-

perscrutandis mirabilibus Dei, & sanè esse grande est perversitatis committere indiscriminatim legendam, & interpretandam scripturam à populatibus rudibus, ac illiteratis, qui vix prima fidei percipiunt rudimenta, de qua re olim conquerebatur S. Hieronymus, ait enim Epistola ad Paulinum: *Cum nulla sit ars, quam omnes passim sibi vindicent, hanc (scilicet Scripturarum intelligentiam) garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant*, quo nil potest inordinatius dici, quia si Magister non potest quis fieri, quin prius Discipulus fuerit, nec quispiam figulus nisi prædocente Magistro, & nisi se humiliter ejus præceptis est regulis artis subdat neque potest quis Magister, & Interpres fieri in explicandis sacris scripturis, nisi vel docente Spiritu Sancto illuminetur eique verus sensus reveletur, vel à Sanctis Patribus, qui sunt Ecclesiæ Magistri, instruatur, hinc aiebat David Psalm. 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, revelo oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*, ex quibus verbis D. Hieronymus Epist. ad Paulinum desumit argumentum, quo deducit Sacras Scripturas esse captu difficiles, & tenebris obvolutas, ac obscuras, quia si David Propheta ignorantiæ suæ fatetur caligines, multo magis homines rudes populares, quique nullius sunt litteraturæ, & qui inscitiæ tenebris sunt undique involuti Actor. 8. Eunuchus Candacis Reginæ Æthyopum, cum legeret Isaiam, à Philippo interrogatur, an intelligeret, quæ ab ipso legebantur: *putas ne, intelligis, quæ legis? & respondit, quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* unde fassus est obscuritatem scripturæ, ad cujus intelligentiam ope indiguit alterius.

Hinc etiam D. Petrus asserit in Epistola D. Pauli nonnulla contineri captu difficilia 2. Petri ult. loquens de Epistolis Pauli, ait: *Esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles, depravant*, non dixit, esse quædam difficilia indoctis & instabilibus, ut explicant Novatores, sed absolutè & simpliciter dixit esse difficilia. Nam D. Augustinus, qui non erat indoctus nec instabilis, testatur, plures scripturæ textus fuisse ipsi difficiles, & notat unum ex illis textibus à Petro indicatis, & obscuris esse hunc 1. Corinth. 3. *Si quis autem superædificat fundamentum*, ut etiam alius ex cap. 15. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si in omnino mortui non resurgunt, ut quid & baptizantur pro illis*, non facile est hoc explicare, quid significet baptizare, & quid pro mortui baptizari, de quo plures extant inter Doctores opiniones, quapropter D. Paulus ad Roman. cap. 12. docet interpretationem scripturarum esse speciale donum Spiritus Sancti, & ait fuisse obtusos Judæorum sensus, qui cum legerent quotidie vetus testamentum, illud non intelligerent, inquiens: *usque in hodiernum diem velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum:* quapropter S. Stephanus eos redarguit de duro, & incircumciso corde, unde Christus hac duritie redarguit duos Discipulos euntes Emaus Luc. 24. *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ, tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas.* Quòd si Scripturæ obscuræ non essent, Christus non dixisset Joan. 5. *Scrutamini scripturas*: quia res quæ indigent scrutinio non sunt claræ, nec statim omnibus obviæ, sed aliquid continent obscurum, quod scrutetur.

Sancti Patres hanc itidem scripturarum obscuritatem fatentur: siquidem Irenæus lib. 2. contra Hæreticos cap. 47. ait: *Si in rebus creaturæ quædam adjacent Deo, & quædam in nostram venerunt scientiam, quid mali est si & eorum, quæ in scripturis continentur, quædam absolvamus secundùm gratiam Dei, & quædam commendemus Deo, & non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, ut semper quidem Deus doceat; homo autem semper discat à Deo.* Et hæc Irenæus scripsit post recensitas res plures ignotas nobis, tametsi nostris sint obviæ sensibus, ut sunt fluxus, & refluxus, Oceani, Flammæ phantasticæ, regressus avium exterarum, inundationes Nili, effectus tonitrui, compositio meteororum, coagmentatio metallorum, causæ, & varietas ventorum. Et Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. cap. 6. ait: Ipsum Salvatorem in parabolis fuisse locutum, quæ aliquid semper includunt obscuri, unde Gregorius, Nazianzenus lib. 1. Theolo. ait: Non omnium esse, tametsi idiomata calleant de divinis miraculis inserere, *sed tantum eorum, qui inter multos habito delectu ad tantum munus videntur idonei*, & qui sint isti idonei postea declarat subdens: *Qui, inquam, contemplandi acumine cæteros antecellunt, qui jam ante corpus, & animam ab effectu purgârunt*, & D. Basilius hoc idem confirmat Epist. de vita solitar. Ducta similitudine à scribente in cera, inquiens: *Quemadmodum in cera quis scribere non potest, nisi characteres antea impressos deleverit, nisi nec anima divina dogmata degustare, nisi pristinos ex animo mores penitus destruxerit.*

Et Epiphanius in compendiaria doctrina de fide non litteras solùm callentibus, sed Spiritu abundantibus scrutinium committit scripturarum inquiens: *Consideremus virtutem scripturæ, ne fiat nobis littera mors, littera enim occidit, in littera est vita, occidit autem imprudentem ad litteram accedentem, & non habentem Spiritum interpretantem, qui litteram aperit, & quod in ipsa est revelat.* Unde interpretare, & intelligere scripturas non est datum cuilibet, ut putant Novatores, neque quilibet est sufficiens earundem interpres, sed illi tantum, quibus conceduntur illæ prærogativæ recensitæ à Sanctis Patribus, scilicet doctrina, Sanctitas, morum integritas, & virtutum exercitia, ut præstiterunt Gregorius Nazianzenus, & Basilius Magnus, de quibus legimus in historia tripartita, per duodecim annorum spatia in cœnobio fuisse commoratos, scripturas evolvisse, & earum intelligentia non ex propria hausisse præsumptione, sed ex majorum doctrina, & authoritate fuisse assecutos, quòd si viri doctissimi, & sanctitate toto orbe clarissimi in explicandis divinis scripturis sibimet fidere non fuerunt ausi, sed eas juxta doctrinas Sanctorum Patrum fuerunt interpretati, quomodo, ut aiunt Novatores, poterit quisquam esse sufficiens scripturæ sacræ interpres? hinc Chrysostomus homil. 21. in Genes. *nihil hic, inquit, scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias, quandoquidem divini Spiritus afflatu Prophetæ locuti sunt, ita ut à Spiritu scripta ingentem in se contineant thesaurum.* Et paulo inferius subdit: *Neque enim vel Syllabas vel apiculus est in Sacra Scriptura, in cujus profundo non sit nobis quispiam magnus thesaurus. Proinde nobis opus est, ut divina gratia ducamur, ut Spiritu*

perscrutandis mirabilibus Dei, & sanè esse grande est perversitatis committere indiscriminatim legendam, & interpretandam scripturam à popularibus rudibus, ac illiteratis, qui vix prima fidei percipiunt rudimenta, de qua re olim conquerebatur S. Hieronymus, ait enim Epistola ad Paulinum: *Cum nulla sit ars, quam omnes passim sibi vindicent, hanc (scilicet scripturarum intelligentiam) garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant*, quo nil potest inordinatius dici, quia si Magister non potest quis fieri, quin prius Discipulus fuerit, nec quispiam figulus nisi prædocente Magistro, & nisi se humiliter ejus præceptis est regulis artis subdat neque potest quis Magister, & Interpres fieri in explicandis sacris scripturis, nisi vel docente Spiritu Sancto illuminetur eique verus sensus reveletur, vel à Sanctis Patribus, qui sunt Ecclesiæ Magistri, instruatur, hinc aiebat David Psalm. 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, revelo oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*, ex quibus verbis D. Hieronymus Epist. ad Paulinum desumit argumentum, quo deducit Sacras Scripturas esse captu difficiles, & tenebris obvolutas, ac obscuras, quia si David Propheta ignorantiæ suæ fatetur caligines, multo magis homines rudes populares, quique nullius sunt litteraturæ, & qui inscitiæ tenebris sunt undique involuti Actor. 8. Eunuchus Candacis Reginæ Æthyopum, cum legeret Isaiam, à Philippo interrogatur, an intelligeret, quæ ab ipso legebantur: *putas ne, intelligis, quæ legis? & respondit, quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* unde fassus est obscuritatem scripturæ, ad cujus intelligentiam ope indiguit alterius.

Hinc etiam D. Petrus asserit in Epistola D. Pauli nonnulla contineri captu difficilia 2. Petri ult. loquens de Epistolis Pauli, ait: *Esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles, depravant*, non dixit, esse quædam difficilia indoctis & instabilibus, ut explicant Novatores, sed absolutè & simpliciter dixit esse difficilia. Nam D. Augustinus, qui non erat indoctus nec instabilis, testatur, plures scripturæ textus fuisse ipsi difficiles, & notat unum ex illis textibus à Petro indicatis, & obscuris esse hunc 1. Corinth. 3. *Si quis autem superædificat fundamentum*, ut etiam alius ex cap. 15. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis; sin omnino mortui non resurgunt, ut quid & baptizantur pro illis*, non facile est hoc explicare, quid significet baptizare, & quid pro mortui baptizari, de quo plures extant inter Doctores opiniones, quapropter D. Paulus ad Roman. cap. 12. docet interpretationem scripturarum esse speciale donum Spiritus Sancti, & ait fuisse obtusos Judæorum sensus, qui cum legerent quotidie vetus testamentum, illud non intelligerent, inquiens: *usque in hodiernum diem velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum:* quapropter S. Stephanus eos redarguit de duro, & incircumciso corde, unde Christus hac duritie redarguit duos Discipulos euntes Emaus Luc. 24. *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ, tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas.* Quòd si Scripturæ obscuræ non essent, Christus non dixisset Joan. 5. *Scrutamini scripturas*: quia res quæ indigent scrutinio non sunt claræ, nec statim omnibus obviæ, sed aliquid continent obscurum, quod scrutetur.

Sancti Patres hanc itidem scripturarum obscuritatem fatentur: siquidem Irenæus lib. 2. contra Hæreticos cap. 47. ait: *Si in rebus creaturæ quædam adjacent Deo, & quædam in nostram venerunt scientiam, quid mali est si & eorum, quæ in scripturis continentur, quædam absolvamus secundum gratiam Dei, & quædam commendemus Deo, & non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, ut semper quidem Deus doceat; homo autem semper discat à Deo.* Et hæc Irenæus scripsit post recensitas res plures ignotas nobis, tametsi nostris sint obviæ sensibus, ut sunt fluxus, & refluxus, Oceani, Flammæ phantasticæ, regressus avium exterarum, inundationes Nili, effectus tonitrui, compositio meteororum, coagmentatio metallorum, causæ, & varietas ventorum. Et Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. cap. 6. ait: Ipsum Salvatorem in parabolis fuisse locutum, quæ aliquid semper includunt obscuri, unde Gregorius, Nazianzenus lib. 1. Theolo. ait: Non omnium esse, tametsi idiomata calleant de divinis miraculis inserere, *sed tantum eorum, qui inter multos habito delectu ad tantum munus videntur idonei*, & qui sint isti idonei postea declarat subdens: *Qui, inquam, contemplandi acumine cæteros antecellunt, qui jam ante corpus, & animam ab effectu purgârunt*, & D. Basilius hoc idem confirmat Epist. de vita solitar. Ducta similitudine à scribente in cera, inquiens: *Quemadmodum in cera quis scribere non potest, nisi characteres antea impressos deleverit, nisi nec anima divina dogmata degustare, nisi pristinos ex animo mores penitus destruxerit.*

Et Epiphanius in compendiaria doctrina de fide non litteras solùm callentibus, sed Spiritu abundantibus scrutinium committit scripturarum inquiens: *Consideremus virtutem scripturæ, ne fiat nobis littera mors, littera enim occidit, in littera est vita, occidit autem imprudentem ad litteram accedentem, & non habentem Spiritum interpretantem, qui litteram aperit, & quod in ipsa est revelat.* Unde interpretare, & intelligere scripturas non est datum cuilibet, ut putant Novatores, neque quilibet est sufficiens earundem interpres, sed illi tantum, quibus conceduntur illæ prærogativæ recensitæ à Sanctis Patribus, scilicet doctrina, Sanctitas, morum integritas, & virtutum exercitia, ut præstiterunt Gregorius Nazianzenus, & Basilius Magnus, de quibus legimus in historia tripartita, per duodecim annorum spatia in cœnobio fuisse commoratos, scripturas evolvisse, & earum intelligentia non ex propria hausisse præsumptione, sed ex majorum doctrina, & authoritate fuisse assecutos, quòd si viri doctissimi, & sanctitate toto orbe clarissimi in explicandis divinis scripturis sibimet fidere non fuerunt ausi, sed eas juxta doctrinas Sanctorum Patrum fuerunt interpretati, quomodo, ut aiunt Novatores, poterit quisquam esse sufficiens scripturæ sacræ interpres? hinc Chrysostomus homil. 21. in Genes. *nihil hic*, inquit, *scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias, quandoquidem divini Spiritus afflatu Prophetæ locuti sunt, ita ut à Spiritu scripta ingentem in se contineant thesaurum.* Et paulo inferius subdit: *Neque enim vel Syllabas vel apiculus est in Sacra Scriptura, in cujus profundo non sit nobis quispiam magnus thesaurus. Proinde nobis opus est, ut divina gratia ducamur, ut Spi-*

*ritu Sancto illustrati eloquia divina adeamus.* Neque tantum Græci Patres hanc sacrarum scripturarum confessi sunt obscuritatem, ac difficultatem in iisdem interpretandis, verùm etiam Patres Latini, inter quos Clemens Papa IV. Petri Discipulus in Epist. ult. ad Jerosolymitanos ait: *Diligenter observandum est, ut cum lex Dei legitur non secundum propriam ingenii intelligentiam legatur, & doceatur, sunt enim multa in scriptura, quæ possunt ad eam trahi, sed hoc fieri non oportet, ideo necesse est ab eo discere intelligentiam scripturarum, qui eam à majoribus secundum veritatem sibi traditam servavit.*

Quòd si in legendis scripturis non debent viri quamvis doctissimi eas interpretari juxta propriam ingenii intelligentiam, sed juxta Majorum authoritatem, & Sanctorum Patrum intelligentiam, idque ne sit quis errori obnoxius, quanto magis rudes, & illiterati indigent Magistro, qui eos doceat verum scripturarum sensum. Tertullianus itidem lib. de pallio cap. 3. ait: *Dehinc Adamum de Origenis loco exterminat, quippe deliquerat, pellitur orbi, ut detur metallo, sed arcana ista nec omnium nosce.* Semel enim quod primi parentes per transgressionem divini præcepti se à Deo averterunt in eas ceciderunt ignorantiæ tenebras, ut vix quidquam humano generi supersit luminis, quod nisi à Supremo omnium bonorum largitore adaugeatur, nil potest D. Hilarius prolog. in Psal. hanc Scripturarum obscuritatem adstruens ait: *Sunt omnes Prophetiæ ad mundialem sensum & prudentiam sæculi clausæ, & obsignatæ, secundum illud Isaiæ, & erant vobis omnia verba hæc tanquam eloquia libri hujus signati.*

Quòd si Prophetiæ sacræ scripturæ ab intelligentia removentur hujus sæculi non possunt nisi hominibus esse obscuræ, propterea nisi lumen acceperint à Sanctis Patribus & à Deo, nemo erit, qui propriæ suæ possit intelligentiæ fidere. Sanctus Hieronymus non in uno tantùm loco, sed passim in suis operibus sibi in explanandis divinis scripturis non fidere testatur, ait enim in Paralip. *Fateor mihi Domnion, & Rogatione charissimi nunquam me in divinis voluminibus propriis viribus credidisse, neque habuisse meam opinionem, sed etiam de quibus me scire arbitrabar, interrogare me solitum; quantò magis de his, de quibus anceps eram.*

Quòd si Doctor Ecclesiæ, & splendor Sapientiæ proprio noluit intellectui fidere, ne in errores impingeret, quis poterit profiteri in sua potestate esse intelligentiam. Rursus in præfat. Epistol. ad Ephesios ait: *Scitis quod ad hoc me explanationum opus invitum, & retractantem compuleritis, non quo ab adolescentia aut legere unquam, aut Doctos viros ea, quæ nesciebam interrogare cessaverim, & me ipsum tantum ut plerique habuerim Magistrum. Denique nuper ad hanc vel maximè causam perrexi Alexandriam ut viderem Didymum, & ab eo in scripturis omnibus, quæ habebam dubia sciscitarer.* Hieronymus igitur peregrinationem suscepit, & Jerosolymam profectus fuit ea tantùm de causa, ut Didymum consuleret circa pleraque dubia, quæ ei occurrerant in divinis scripturis explicandis: quomodo viri rudes, & illiterati præsument sacras scripturas juxta proprii ingenii interpretari intelligentiam, & non consulere Sanctos Patres. D. Ambrosius lib. 7. Epist. 44. vocat scripturam mare magnum, cujus profunditas magna sit, & quæ non facilè attingatur, inquiens: *Magnum mare vocat scripturam habentem in se abyssum sensuum profundorum, & in quam plurima intrant flumina*, quamvis plura ingrediantur mare flumina, non tamen mare redundat, & augetur, & quamvis plures explicent, ac interpretentur divinas scripturas, non tamen ejus intelligentia exauditur, nec quidquam deperdit, sed semper quid aliud superest investigandum ut edisserit D. Augustinus lib. 12. confess. c. 14. ubi ait: *Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos supervicies blandiens parvulis, sed mira profunditas. Deus meus mira profunditas, horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris.* Et præfat. in Psalm. 140. *Sunt in scripturis Sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur, ne vilescant, ad hoc quæruntur, ut exerceant, ad hoc aperiuntur, ut pascant.* Et D. Gregorius expendens illud Canticor. *Fons hortorum*, ait: *Sciendum, quòd scriptura divina in quibusdam manifestè existens, in quibusdam verò locis obscuram se præbens, aliquando leviter sicut fons potatur, & aliquando magna inquisitione eget ut inventa sumatur.* Tametsi sacra scriptura in quibusdam locis videtur clara, & perspicua, in aliis tamen veluti in tenebris delitescit, quasi in flumen excrescens, cujus profundum minimè appareat. Et D. Isidorus lib. 2. de sum. bon. asserit: Ob hanc obscuritatem, ac profunditatem plures impingere, & in errores prolabi, ait ipse: *Ratio, per quam fit hæresis obscuritas est divinarum scripturarum, in qua caligantes Hæretici aliud quam se res habeant intelligunt:* nimirum quia propriæ fidunt intelligentiæ, à vera deflectunt scripturarum cognitione, & in errores impingunt, quia ut ait D. Bernardus super Cant. *Ab imperitis indignè lectio sacræ scripturæ præsumitur ante spretam, & objectam sæculi pompam, ante carnem disciplinæ studiis edomatam. Sicut enim in cassum circumfundit lux oculos cæcos: sic animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei, non hæc docet lectio, sed unctio: non littera, sed Spiritus, non hominis eruditio, sed exercitatio in mandatis Dei.* Ecce quomodo Sancti Patres viri doctissimi, & in suprema Sapientiæ specula constituti sibi fidere noluerunt in sacris scripturis interpretandis, & explanandis, sed alios consulere maluerunt, eò quia sint scripturæ pluribus obvolutæ obscuritatibus, quòd si ita est, quomodo Novatores hanc possunt scripturarum claritatem deprædicare, quomodo asserere posse quemquam juxta propriam intelligentiam scripturam quamvis captu difficilem statim explicare, & veram illius intelligentiam attingere.

Ratione etiam hoc idem evincitur, quia in scripturis habentur omnes causæ, ex quibus oritur obscuritas, & ubi sunt causæ non impeditæ, sed expeditæ, ibi est effectus, consequenter habetur in scripturis obscuritas; antecedens ostenditur, quia præcipua causa petitur ex ipsis rebus, de quibus agit scriptura sacra; etenim ut plurimum nonnisi de rebus cœlestibus æternis sublimioribus quæque nostros fugiunt sensus, peragit, quas intelligere humanam superat imbecillitatem, quapropter Christus ait Joan. 3. *Si terrena dixi vobis & non creditis, si dixero vobis cœlestia an credetis:* nimirum si cœ-

lestia

lestia & Spiritualia, quæ non cadunt sub sensus, quomodo intelligere poteritis, si terrena quæ videntur oculis, audiuntur auribus non creditis neque percipitis, cum enim mysterium Trinitatis unio hypostatica verbi divini cum natura humana decreta prædestinationis & alia id genus sub nullum ex nostris cadant sensum, sunt captu difficillima, nulli potest dubium esse, quin sint obscura. Secunda obscuritatis causa est, quia utrumque testamentum agit de rebus, quæ tempore plurimum à nobis distant, & suam propterea secum adferunt difficultatem, cujusmodi sunt, quæ in scripturis narrantur de mundi creatione, & Patriarcharum familiis, & quæ extremis Antichristi temporibus scripta leguntur futura; plura enim eorum propter ævi distantiam, morumque à nostris discrepantium & aliarum circumstantiarum nobis exhibentur obscura præsentia, siquidem clarius intelligimus quàm præterita, quæ non vidimus, unde ex hac itidem causa scriptura sacra est nobis obscura, & captu difficilis.

Alia itidem causa hujus obscuritatis petitur ex modo proponendi, & explicandi res ipsas in scriptura, in qua plures idiotismi, ac proprietates linguarum, quibus autographi scripserunt, quapropter torquentur interpretes in sensu eruendo litterario; plures etiam habentur metaphoræ antiphrases, allegoriæ, metonymiæ, & figurarum omnium genera, quæ lectionem reddunt obscuram; & D. Augustinus plurimas collegit antilogias, quas acceratè componere sategit. Quòd si Augustinus vir omni eruditione ornatus, omni scientia clarus, plurimas fuit expertus difficultates in hisce antologiis componendis, quanto magis vir rudis illiteratus habebit difficultatem in iisdem explicandis, etenim cap. 1. Gen. v. 31. dicitur Deus sex diebus complevisse mundi creationem, & tamen Ecclesiastici 18. habetur: *Qui vivit in aeternum creavit omnia simul*, quod si omnia simul condidit, sequitur non successivè, nec per sex continuos dies, suum impendisse opus in mundi creatione.

Præterea plerisque in locis occurrunt orationes ambiguæ, ut Joan. 8. petentibus Judæis: *Tu quis es?* respondit Christus: *principium, qui & loquor vobis.* Potuerunt enim Judæi dubitare, quidnam sit hoc principium, & nihil determinatè inde cognoscere, Sunt etiam plura obscura, quæ dicuntur de DEO, de Christo, de illius adventu, de Ecclesia, siquidem in Deo potest spectari unitas essentiæ, vel Trinitas personarum, & in Christo natura humana vel divina, ut etiam ejus adventus dupliciter considerari in nativitate, & die judici, Ecclesia itidem duplex est, una militans hic in terra, & alia triumphans in cœlo, unde quoties scriptura de hisce agit, videtur aliquam ingenere obscuritatem quomodo sit intelligenda, etenim quæ dicuntur de Christo plerumque intelliguntur de capite Ecclesiæ Matth. 28. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, quæ verba intelliguntur de capite Ecclesiæ seu summo Pontifice vicem in terris gerente Christi. Nonnunquam, quæ de Christo dicuntur, tribuntur ejus mystico corpori seu Ecclesiæ, ut Actor. 9. *Saule, quid me persequeris?* non enim Saulus persequebatur immediatè Christum, cum non esset amplius in terris, sed suam Ecclesiam, & fideles. Rursus sunt plures orationes præposteræ, ut Genes. 10. *Isti sunt filii Sem, secundum linguas & cognationes suas, & Regiones in gentibus suis*, & postea initio capitis 11. ait: *erat autem terra labii unius, & sermonem eorundem*, quæ locutio metaphorica est, cum terræ nec adsint labia neque sermones.

Rursus plures etiam habentur in scripturis modi loquendi, qui adagia sapiunt, & à nobis hisce temporibus majori ex parte ignorantur, quæ propterea quandam secum trahunt obscuritatem. Alia itidem causa obscuritatis est diversitas sensuum, quam una, ac eadem littera, seu textus includit, & quem distinguere vix eruditiores sciunt, idque causæ, cur plura fuerint quovis tempore edita commentaria in sacram scripturam, si enim clara esset & non obscura, non fuissent necessaria tot commentaria, nec tot regulæ generales ad eruendum Germanum sensum, quinimò de ipso litterali sensu ex duplici præsertim causa gravia oriuntur dubia, scilicet ob ambiguitatem verborum Matth. 26. *Bibite ex eo omnes*, siquidem illud *omnes* ambiguum, & potest intelligi de omnibus fidelibus absolutè, vel de omnibus Apostolis tantum vel etiam simpliciter & absolutè de omnibus hominibus, tum quia sensus ipse litteralis, ut diximus subinde est simplex, & nonnunquam figuratus, & plerisque in locis oritur dubium an sensus sit simplex, vel figuratus, etenim verba illa Matth. 26. *Hoc est corpus meum*, omnes Apostoli, Sancti Patres, & Catholici omnes semper intellexerunt in sensu simplici & secundum verborum proprietatem secus Zvvingliani, & Calvinistæ in sensu figurato, adeo ut nonnisi in figura credant ibi adesse Corpus Christi non ita verum, & reale & secundùm verborum figuram, quæ causa fuit, ut plures in multos lapsi fuerint errores.

Hinc etiam Origenes erravit, quia quæ Intelligenda erant in sensu simplici accepit figiratè ut notavit D. Hieronymus in Epist. ad Pammachium ubi ait Origenem ita Paradisum terrestrem allegoricè intellexisse, ut historiæ deleverit veritatem: siquidem per arbores Angelos per quatuor flumina virtutes cœlestes intellexit, & per tunicas pelliceas Adæ & Evæ humana corpora ac si ante peccatum protoparentes sine corpore vixissent. Non defuerunt etiam è contrario qui quæ figuratè erant intelligenda in sensu proprio acceperint, & enormiter erraverint ut Origenes, qui Eunuchismum voluntatis de quo Christus fuerat locutus, seu propositum abstinendi ab uxore intelligens in sensu simplici pro recisione virilium, se ipsum demasculaverit. Papias etiam ejusque Sectatores Justinus, Irenæus, Tertullianus, Lactantius quæ Apocal. 20. dicuntur de nova Jerusalem & mille annis, quibus regnaturi sunt Sancti cum Christo hìc in terris censuerunt implenda esse, quorum errorem reprehendit Hieronymus *lib. 18. in Isaiam*, & Augustinus *lib. 20. de civit. cap. 7.*

Nulli ergo, potest dubium esse quin sacræ scripturæ sint obscuræ, captuque difficiles, cum viri eruditissimi erraverint in earundem intelligentia. Hinc Arius ad probandum filium non esse Patri Consubstantialem 42. adfert scripturæ textus, quos omnes perperam intellexit, Donatus & Pelagius plura ex Dei verbo scripto allegabant loca, ut suum confirmarent errorem Anabaptistæ Depositarii ut aiunt, seu custodes testamenti Dei plures itidem ex sacris scripturis textus perperam intellexerunt, & in hæreses gravissimas impegerunt, quia ut ait Augustinus *tractat. 18. in Joan. & lib. 1. de Trinit. cap. 3.* littera ipsa scripturæ malè intellecta innumeras generavit hæreses, ac enormes errores.

Alia itidem potest ratio adduci obscuritatis Sacræ Scripturæ, & petitur ex ordine divinæ providentiæ, quæ cuncta singulari distinxit ordine, siquidem, ut ait Apostolus 1. Corinth. 12. *Quosdam quidem posuit DEus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertiò Doctores. Nunquid omnes Apostoli; nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur?* Hoc idem habet ad Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii in ædificationem Corporis Christi.* Ex quibus constat, non esse indifferenter omnium, ut censent Novatores, interpretari scripturas, quas de industria DEus obscuras edidit, ut ab ipso petamus veram intelligentiam, & præsertim ii, ad quos pertinet eas ex officio legere, docere & interpretari, ut nimirum nostra deprimatur superbia, augeatur diligentia, & altius imprimamus menti, quæ majori conatu, & studio indagamus: siquidem diutiùs hærent animo, quæ diuturno cum labore cognoscuntur. Hinc Ecclesiæ Doctores, & Sancti Patres, qui in explorandis Sacris Scripturis diuturnam impenderunt operam singulari præparatione, Spirituali studio, & diligentia fuerunt usi. Pervagati fuerunt varias mundi partes, orationi tempus impenderunt, ut ad veram Sacræ Scripturæ intelligentiam pervenirent, imò & habuerunt Spiritum Sanctum suggerentem veram intelligentiam, ut S. Gregorius, cui in columbæ specie meruit Spiritum Sanctum ad aurem habere, dum Ezechielem Prophetam interpretabatur, ut testis oculatus refert Petrus Diaconus.

Neque obstat, si dicas legem DEI passim vocari lucidam, & illuminantem oculos mentis, imò & dici lucem ipsam, & lucernam, quæ se ipsis manifestantur sine ope alterius adminiculi, hinc Christus vocat Apostolos lucem mundi. Contra est, quia in his locis non agitur de universis Scripturis, sed tantùm de præceptis Domini, non tamen ut hæc facilè intelligantur, quamvis id possit dici, cum nil clariùs, & facilius esse potest, quàm præceptum illud, *diliges Dominum DEum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut te ipsum:* sed quia intellecta & cognita sunt lux, quæ ostendit, quomodo debeamus operari, & nobis ostendunt viam directionis, qua dirigimur ad DEum. Præterea potest etiam non solùm de præceptis DEI, sed etiam de singulis scripturis dici, quòd sint lucidæ, imò lux, & lucernæ, non quòd facilè intelligantur, sed quia per DEI gratiam intellectæ mentem dirigant, ac illustrent, quod munus est lucis, propterea & ipsa dicuntur lux; hinc David cùm fuisset locutus de cognitione Philosophorum, quam per creaturas de DEo Creatore fuerant assecuti, ait: Cœli enarrant gloriam Dei, postea ut ostenderet, eos non pervenisse ad eam lucem, ad quam perveniunt ii, quos Deus erudit, subjungit: *Lex Domini immaculata convertens animas*, quia per veram intelligentiam scripturarum veritas cognoscitur, ad quam animæ convertuntur. Rursus Psal. 118. ostensurus majorem esse cognitionem, quæ habetur ex verbo DEI, quàm quæ ex creaturis, postea æquiparavit verbum DEI lucernæ, quæ ad noctis dissipandas tenebras utilior est, quàm claritas omnium stellarum. Cæterum Apostoli dicuntur esse lux mundi ob morum probitatem, & bonum exemplum, quæ gentes trahebant ad Christi fidem, & ad exercitia virtutum.

Dices Christum fateri, à DEO simplicioribus, ac rudioribus plus dari luminis ad intelligendas divinas scripturas quàm, viris doctis, ac Sapientiâ inflatis Matth. 11. *Confitens Patri; quia abscondisset ea à sapientibus, & prudentibus, & revelasset ea parvulis*, scilicet rudioribus, ac simplicioribus. Sed contra, quia per parvulos hîc non intelliguntur rudes, ac illi servati, quasi istis plus luminis suppeditetur ad scripturarum veram intelligentiam acquirendam, quàm viris doctissimis; alioquin sequeretur, D. Hieronymum, Augustinum, Gregorium, Ambrosium, & alios Ecclesiæ Doctores minus habuisse luminis ad explanandas divinas scripturas, quàm homines rudes, ac illiteratos, quibus propterea plus deberetur authoritatis, quàm Ecclesiæ Doctoribus, quod est absurdum: per parvulos igitur intelliguntur humiles, & nullius rei cognitione tumidi, quales fuerunt Apostoli piscatores, & de plebe humili, ac obscura assumpti ad munus Apostolatûs. Christus hisce divina revelavit mysteria, non Pharisæis legis peritia inflatis, neque Philosophis cognitione rerum naturalium tumidis, ac superbientibus: Christus igitur sicut pauperes piscatores, nullius nobilitatis nota insignitos, nullius scientiæ prærogativa tumidos ad suum discipulatum assumpsit; ita eosdem divina edocuit mysteria, & iisdem ut parvulis, humilibus, quique à mundo habebantur contemtui Sacræ Scripturæ revelavit arcana, primò à se ipso ediscenda, postea per ipsos communicanda aliis; hinc D. Paulus 1. Corinth. 1. *Videte, inquam, vocationem vestram, quia non multi sapientes secundùm carnem, sed quæ stulta sunt mundi elegit DEus, ut confundat fortia.* Novatores igitur, qui majorum, & antiquorum Patrum contemnentes doctrinas, suum iisdem proprium judicium præferunt, ut & judicio totius Ecclesiæ Catholicæ, non sunt de numero horum parvulorum, quibus Deus revelat Sacrarum Scripturarum arcana, seu non sunt de numero humilium; sed superborum, qui suas reliquis omnibus anteponunt opiniones.

Si obiicias, scripturas esse tantùm obscuras infidelibus, non verò iis, qui intellectum flectunt in obsequium fidei; ait enim Apostolus 2. Corinth. 4. *Quòd si opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum, in quibus Deus hujus sæculi excæcavit oculos, ut non fulgeat iis illuminatio gloriæ Christi.* Contra est, quia Apostolus non loquitur de scripturarum intelligentia; sed de cognitione, & fide in Christum, quem Apostoli prædicabant; de hac enim cognitione Christi per fidem loquebatur in capite præcedente. Id interest discriminis inter vetus, & novum testamentum; quia in veteri homines non videbant mysteria Christi, cujusmodi sunt assumptio humanitatis à verbo divino, seu unio hypostatica, Sacramentorum institutiones, passio Christi, mors, resurrectio, & in cœlum ascensus aliaque id genus, nisi per figurarum velamen, ac symbolorum umbras; idque satis declarat velamen illud, quo Moyses faciem suam tegebat, cum ad populum loqueretur: secus in novo testamento cum figuræ jam fuerint expletæ, & revelata facie gloriam Domini speculemur; non est ullus Christianus, quamvis rudis, & illiteratus, cui non sit exploratum Christum venisse in mundum, ac suum fudisse sanguinem in pretium nostræ redemptionis: unde potuit quis petere; si ita se res habet, cur adhuc plures, post iisdem annunciatum Evangelium, non

non credunt, nilque vident, ut sunt gentiles; & Judæi nonnisi umbras vident, & figuras, quæ in veteri iisdem objiciuntur testamento? propterea subjungit D. Paulus, quibus opertum est Evangelium, quia oculi eorum velamine pravi affectus operti sunt, ac veluti excæcati; unde Joannes cap. 5. *quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis*, oculos non habuerunt, ut veritatem fidei viderent, quia pravus vanæ gloriæ affectus eos excæcavit. Quòd verò D. Paulus dicat, DEum hujus sæculi excæcasse oculos eorum intellexit idola gentium; seu dæmonia juxta illud Psalmistæ: *Dii Gentium dæmonia.*

Quòd si dicas, Christum dixisse, quòd *erunt omnes docibiles Dei* Joan. 6. seu ut legit textus græcus, erunt omnes edocti à DEO: Isaias enim c. 54. v. 13. ait: *Ponam universos filios tuos Doctos à Domino:* & Jeremias cap. 31. v. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam, & non docebit ultra vir proximum suum:* ergo si omnes homines sunt à DEO edocti, si scriptam deferunt in suis visceribus legem DEI, omnes sunt lumine veritatis collustrati; & non vident umbras, sed veram lucem. Contra est, quia tametsi homines didicerint à verbo incarnato mysteria fidei, quæ Prophetæ prænuntiarunt: modus tamen fuit, ut Christus prius instruxerit Apostolos, à quibus fuerunt alii instructi, & ab istis alii successivè: sed quia ita fuerunt instructi, ut plures liberè noluerint instrui, hi dicuntur tantùm in figuris, & umbris veteris testamenti vidisse mysteria nostræ fidei, cujusmodi sunt Judæi, qui noluerunt in Christum; neque recipere prædicationem Evangelii.

Si instes, discrimen inter vetus, & novum testamentum esse, quia vetus fuit liber clausus; & novum itidem liber, sed apertus ut ait, Isai. 29. *In novo est apertus* Apocal. 5. *Agnus occisus est, & aperuit librum*, cui rei argumentum habetur templi velum, quod tempore mortis Christi discissum fuit! Math. 27. *Velum templi scissum est*, hoc est, tunc Christus librum clausum veteris testamenti aperuit, quatenus per vitam, & passionem Christi omnia fuerunt adimpleta, & completa. Sed respondetur, discrimen in eo consistere, quòd in veteri testamento, quæ promittebantur futura in novo, ut & mysteria de Christo legebantur quidem à Judæis; non tamen intelligebantur, quia omnia fuerunt tecta figuris, umbrisque obscura, qua de causa ab Isaia vetus testamentum dicitur liber signatus, hoc est, signis, ac figuris obumbratus; & testamentum novum liber apertus, quia omnes figuræ adimpletæ, & Prophetiæ completæ; & quamvis non omnes intelligant Scripturas, cognoscunt tamen mysteria: ex quibus omnibus clarè ostenditur obscuritas scripturarum. Si instes, Sacra biblia esse testamentum DEI, in quo omnibus hominibus, ut hæredibus suam explicavit voluntatem, ut nimirum credentes in eum acciperent dona gratiæ, & æternam hæreditatem, seu gloriam cœlestem: ergo cum indifferentes omnes vocentur ad fidem, debet omnibus esse clarum: quia nisi testamentum posset facilè ab hæredibus intelligi; esset potius fomentum dissidiorum inter ipsos, quàm testamentum. Sed contra, quia testator nunquam potest ita perspicuè suam ultimam explicare voluntatem, ut ob varias occurrentes circumstantias, quas testator non potuit prævidere; irrepunt aliquæ obscuritates, quibus dubiæ redduntur aliquot clausulæ insertæ testamento. Idque causæ, cur passim super testamentis oriantur dubia, excitentur lites, sanciantur leges pro interpretandis ultimis voluntatibus testatorum, ac plures ordinentur formæ pro validitate testamentorum: & quamvis hæres non intelligat omnia hæc neque singulas testamenti clausulas, sufficit tamen eidem, si sciat se fuisse constitutum hæredem: perinde quamvis Sacra Biblia sint DEI testamentum, & fideles sint constituti hæredes æquè rudes, ac illiterati, qui non agnoscunt literaturam, quam viri docti, ac eruditi; non tamen est necesse, ut omnes, & singuli intelligant verum sensum scripturarum; sed satis iisdem est, si sciant se fuisse constitutos hæredes, sibique dari gratiæ dona, quorum beneficio possint servare conditiones requisitæ à testatore, ut possint adire hæreditatem, ac æternam consequi beatitatem, mediante scilicet observantia mandatorum DEI: alia quæ in sacro codice continentur, satis est si viri docti variis interpretamentis dilucident: hoc pacto agit Ecclesia cum rudibus, illiteratis, ac rusticis; non enim necesse est, ut ipsi legant Sacra Biblia, & intelligant omnia, quæ in ipsis continentur; datur tamen omnibus & singulis facultas Sacras Scripturas inspiciendi, & in dubiis consulere pastores, viros doctos, vel etiam Sanctos Patres, aliosq; Expositores, neque id prohibetur fieri ab orthodoxis, ut falsò deprædicant Acatholici, qui Scripturas interpretantur prout ipsi magis libuerit; sitque propterea quisque judex controversiarum, totque apud ipsos videantur esse sententiæ quot capita; hinc ferè innumeræ habentur sectæ inter sese pugnantes, ac sibi contradicentes.

Si dicas, primos Ecclesiæ Patres legisse, ac intellexisse Sacra Biblia absque commentariis, inconsultis interpretibus; proinde posse etiam nunc unumquemque legere, ac proprio marte intelligere Scripturas Sacras. Respondetur, Apostolos a magistro Christo didicisse verum veteris testamenti sensum, ac fuisse à DEO illuminatos, ut in docendo, vel scribendo non potuerint errare, DEO id non permittente ad fundandam suam in terris militantem Ecclesiam; & Apostolorum Discipulos veram itidem hausisse à suis magistris scripturarum explicationem, & pleraque alia, quæ ipsi audierunt ab eorum magistro Christo; vel etiam quæ ab ipso gesta fuerunt, quæ non fuerunt scripta, & ab Apostolis suis manifestata discipulis, & ab istis suis successoribus, & ab ipsis iterum aliis successoribus, adeo ut fuerint semper sic successivè transmissa, & conservata in Ecclesia; idque causæ, cur traditiones ab Apostolis ad nos usque derivatæ habeantur de fide. Cæterum quoad verbum DEI scriptum primos Patres, vel Apostolos, vel eorum discipulos, non ex proprio ingenio voluisse difficultates Sacræ Scripturæ solvere, ac explanare; hinc plures fuerunt magistri, qui cæperunt commentaria scribere, cum antea non nisi viva voce traditum fuerint novum testamentum ab Apostolis. Unde Panthenus, Justinus, Irenæus primi fuerunt, qui cæperint comentaria scribere in Sacram Scripturã, ut refert D. Hieronymus in libro de viris illustribus in Joanne, & eorum exemplo cæperunt alii posteriores antiquorum scripta evolvere; ut de SS. Gregorio, & Basilio testatur Ruffinus *lib.* 11. *histor. cap.* 9. & D. Hieronymus de se ipso præfatione commentarii ad Ephesios: inde tot excreverunt commentariorum volumina, ut integras impleverint Bibliothecas.

Si dicas, summam totius Sacræ Scripturæ sitam esse in præceptis decalogi, in Symbolo, oratione Dominica, & Sacramentis: & hæc esse in scripturis apertissima, captúque facilia, consequenter totam scripturam esse apertam ac facilem intellectu.

Nega-

Negatur antecedens, quia tametsi omnia quæ continentur in Sacris Scripturis, possint quodammodo reduci ad præcepta Decalogi, symbolum, & orationem Dominicam; attamen hæc non sunt facilia captu; neque omnia clara, sed pleraque obscurissima, ut vaticinia Prophetarum, Cantica Canticorum, Apocalypsis & alia, quæ non nisi difficulter intelliguntur. Præterea si quæ continentur in Scripturis essent intellectu facilia, non essent tot controversiæ inter Catholicos,& hæreticos; & deSacramentis cessarent quæ controvertuntur quæstiones.

Si dicas, primos sanctos in Ecclesia Patres, & Sacræ Scripturæ interpretes fuisse homines obnoxios erroribus, & plures in eorum scriptis notari nævos: consequenter quicquid scripserunt, non esse oraculum, neque semper verum, cum D. Augustinus plura ex iis, quæ scripserat, postea retractaverit. Sed contra verum est, D. Augustinum plura retractasse, & alios Patres scripturarum interpretes fuisse erroribus obnoxios: neque quæ scripserunt, esse accipienda pro oraculis; non tamen omnes possunt simul errare, quia id non permittit Deus, & Spiritus Sanctus eis assistit, ne omnes errent, cum sit Ecclesia columna veritatis. Hinc Sancti Patres adducuntur in confirmationem dogmatum fidei, quia ipsi certi sunt testes eorum, quæ suis temporibus Christiana Ecclesia per universum orbem credidit. Ita adducimus testes eorum, quæ contigerunt in Græcia Chrysostomum saltem de iis, quæ suo tempore evenerunt; Hieronymum, de iis quæ in Palæstina; Augustinum, quæ in Africa, Ambrosium, quæ in Italia, Hilarium, quæ in Gallia, Prudentium, quæ in Hispania. Idque etiam, quia sancti Patres ob vitæ sanctitatem, doctrinæ excellentiam, miraculorum celebritatem, & quia proximiores fuerunt Apostolis, majorem sibi conciliarunt authoritatem. Verum tamen est, quod per tria prima sæcula ob persecutiones Ethnicorum principum pauci fuerunt, qui commentaria in Sacram Scripturam composuerint. In quarto,& quinto sæculo plures fuerunt SS Patres, qui præclara scripturarum commentaria poteris reliquerunt. Ad judicandum vero de antiquitate doctrinæ secundum Patres orthodoxos communiter ascenduntDoctores usque ad sæculum quartum cum dimidio, seu usque ad Martianum Imperatorem, & Leonem I. Romanum Pontificem, quo tempore authoritate Pontificis coacta fuit Synodus Chalcedonensis, cui interfuerunt Patres Sexcenti triginta, & fuit quarta Oecumenica.

Stat igitur, Sacras Scripturas non esse intellectu faciles, ut possit quisque rudis, ac illiteratus verum eum attingere sensum, ac esse judex, quomodo debeat intelligi textus scripturæ, quando oritur dubium, vel difficultas, ut asserunt Novatores: ajebat David Psal. 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam*, quòd si David enixim petiit à Deo Lumen, & intellectum, ut posset legem suam scrutari; signum evidens fuisse Scripturas Sacras Davidi obscuras, alioquin non fuisset eidem opus lumen, & intellectum à Deo petere; quapropter subdit: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua* velamen obscuritatis à suis rogavit oculis removeri, ut posset mirabilia de divina lege perpendere, ac considerare. Et ad discutiendas has difficultatum tenebras, addit: *Faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas.* Is cupit illuminari, qui vel cæcutit, vel tenebris circumvolvitur: proinde David in addiscendis divinis scripturis, quia in tenebris ambulavit, petiis illuminari à facie Dei, seu à divina gratia excutiente ignorantiæ caligenes ac tenebras difficultatum: tametsi David nocuisset phrases linguæ Hebraicæ,& fuisset Spiritu humilis, ac Deo fidelis, adhuc petiit à Deo illuminari, ut verum posset scripturarum sensum percipere. Unde D. Hieronymus epist. ad Paulinum de Instit. Monach. ait: *Si tanti Prophetæ tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas parvulos, & penè lallentes in scitia noctis circumdari?* Cæterum cum dicimus Scripturas Sacras per se obscuras esse; non sentimus vitium aliquod in ipsa doctrina divinitùs tradita irrepsisse, sed ob majestatem, sensuum sublimitatem, in quo sensu dixit Apostolus ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ*, sunt investigabiles, quia captu difficiles, seu obscuræ, nostræ præsertim imbecillitati, quæ nonnisi per sensus exploratores res percipit intelligibiles à sensibus alienas, & à nostra cognitione remotissimas, ad quarum propterea intelligentiam pluribus indigemus adminiculis, ut verum earundem sensum assequamur: scitè Augustinus lib. 2. de doctrina Christ. cap. 6. *Quod totum divinitùs provisum esse non dubito ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio revocandum, cui facilè investigata plerumque vilescunt.*

# CAPUT VII.

## An Scriptura Sacra sit sufficiens Judex Controversiarum fidei?

Affirmant Novatores Scripturam, Sacram esse normam, regulam, & judicem controversiarum fidei, adeo ut ex sola scriptura dirimi à quovis possint fidei controversiæ. Quòd si illis objicias, Sacras Scripturas plures involvere sensus; & non posse unumquemque percipere, in quonam sensu sit scriptura intelligenda; respondent, Spiritum Sanctum interpretem Sacræ Scripturæ non esse alligatum explicationi Papæ, neque Episcoporum, qui ad dirimendas fidei controversias in Conciliis congregantur; ideoque unumquemque debere judicem esse sequendo proprium Spiritum, si ipse donum interpretationis habeat, vel alicui alteri adhærendo, quem noverit præditum esse eodem dono, ita Lutherus præfatione suorum articulorum, Joannes Calvinus lib. 4. Instit. cap. 9. §. 8. 12. & 13. ubi ait definitiones Conciliorum esse examinandas ad amussim scripturarum; & constituit privatum quemque hominem judicem controversiarum fidei, Sanctorum Patrum, & Conciliorum etiam generalium.

Catholici verò distinguunt judicem à norma, seu regula; judicem vocant, qui fert judicium, & profert sententiam dirimentem controversiam fidei; normam verò, seu regulam, quam sequitur Ecclesia in ferenda sententia, adeo ut Judex dirigatur à norma

norma, seu regula in ferenda sententia: & docent Ecclesiam, vel supremum Pastorem docentem è cathedra extra Concilium generale, esse Judicem controversiarum fidei; & normam, seu regulam, juxta quam sententiam profert esse verbum Dei scriptum, vel traditum. Hinc tria statuunt, Concilium generale unà cum capite, seu Romano Pontifice, cujus approbatione, & confirmatione sit munitum, esse judicem controversiarum. Secundò normam seu regulam, quam sequitur Ecclesia esse Dei verbum scriptum vel traditum. Tertiò Ecclesiam juxta hanc normam, vel regulam posse dupliciter pronuntiare sententiam dirimentem controversiam fidei, vel per Pontificem Romanum, qui est caput, & Pastor Ecclesiæ universalis, dummodò extra Concilium doceat authoritative ex cathedra, ut supremus Doctor universalis Ecclesiæ: vel per Concilia generalia à Pontifice approbata, & confirmata; & asseruit, utroque modo sententiam Ecclesiæ esse infallibilem, ac infallibiliter dirimere controversias fidei. Quod enim Pontifex Romanus, ut docens è cathedra non possit errare in dirimendis fidei controversiis, evincitur ex illo Lucæ 22. *Ego rogavi pro Te Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quòd neque Concilia generalia legitimè convocata, & approbata à Papa sint errori obnoxia; etiam ostenditur ex verbis Christi: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Hinc

Dicendum primò facultatem judicandi in dubiis religionis non pertinere ad unamquamque personam privatam ex interno Spiritus Sancti ductu, ac lumine, quasi posset unusquisque discernere beneficio talis luminis veram scripturam à falsa, & verum sensum à non vero, est contra Novatores.

Probatur, quia in Ecclesia necessarius est judex aliquis, cui insit authoritas dirimendi controversias, quæ circa religionem resque fidei oriuntur, & spectant ad salutem fidelium: id enim pertinet ad bene ordinatam rempublicam: experimur enim omnes politicas respublicas suum sibi diligere judicem idoneum, qui emergentes lites spectantes ad bonum commune, & quietem populi sua authoritate prudenter, ac sapienter dirimat: & quia Christus suam in terris militantem Ecclesiam rectè ordinaverit, debuit etiam in ipsa judicem aliquem instituere, qui esset infallibilis authoritatis ad controversias fidei dirimendas; idque evincitur ex analogia veteris testamenti, in quo omnia contingebant in figuris; Sicut in lege mosaica pro decidendis gravissimis causis Senatus quidam erat, quem Synedrion vocabant, & coalescebat ex septuaginta viris partim Sacerdotibus, & partim ex quavis tribu primariis viris summo uno Ponti fice omnibus præsidente: in hoc enim Concilio jus & sententia illis causis dicebatur, quæ apud inferiores judices finiri non poterant, proposita etiam pœna capitis detrectantibus parere huic judicio, à quo non poterat ad aliud judicium appellari, ut habetur Deuter. c. 21. v. 5. *Accedentque Sacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus, ut ministrent ei, & ad verbum eorum omne negotium; & quidquid mundum vel immundum est, finietur.* Rursus Deut. 17. v. 8. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris; inter sanguinem, & sanguinem; causam, & causam; lepram, & lepram; & judicium intra portas tuas videris verba variari; surge ac ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem; & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerit Te; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram: qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo, & Decreto judicis morietur homo ille.* Notat Abulensis, summum Sacerdotem hic vocari judicem; eò quia ipso solo in Concilio audito aliorum judicio proferret sententiam, quo pacto Caiphas in Christum sententiam protulit; Joan. 11. v. 50. Ananus Pontifex in Jacobum fratrem Domini sententiam dicit, ut refert Josephus lib. 20. c. 8. qui testatur summos Sacerdotes non solùm in causis Sacris, sed etiam in civilibus fuisse indices lib. 1. contra Apionem: hinc Ezechiel c. 44. v. 24. *Populum meum docebunt, quid inter Sanctum, & pollutum; & quid inter mundum, & immundum ostendent eis, & cum fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, & judicabunt:* unde lex generalis erat, ut in dubiis ab inferioribus Sacerdotibus non valentibus lites dirimere; appellaretur ad summum Sacerdotem; ac teneretur quisque ejus sententiæ stare sub pœna mortis, si quis auderet contradicere. Neque ullum faceſſit negotium, quòd in vulgata habeantur hæc verba *& docuerint te secundùm legem* quia hæc verba non sunt conditionata, quasi diceret, si docuerint te secundùm legem: alioquin appellantes ad summum Sacerdotem non possent liberari à quovis dubio, quia semper possent dubitare; an summi Sacerdotes docerent secundùm legem: sed sunt verba assertiva ac promissiva; sitque sensus; quia ipsi docebunt te secundum legem, eritque propterea eorum judicium infallibile; quia juxta legem: igitur verba ista non important conditionem, sed promissionem; alioquin non fuisset opus appellare ad Sacerdotes: sed ipsi potuissent ex lege Domini lites suas dirimere; ac suas judicare causas. Voluit igitur Deus; ut populus acquiesceret sententiæ supremi Sacerdotis, quia promittit ipsum judicaturum secundum legem suam. Neque urget si dicas; hunc locum esse intelligendum de dubiis politicis, non verò religionis, quæ lex illa est generalis de dubiis omnibus, quæ oriebantur ex lege. Etenim idololatria fuit occasio hujus legis sanciendæ Aggæi. 2. *Hæc dicit Dominus; Deus exercituum; interroga Sacerdotem legem;* Malach. 2. *quia Angelus Domini est;* ex quibus constat, non esse privatarum personarum judicare de sententia legis Dei.

Probatur secundò; quia cùm Christus suam in terris instituerit Ecclesiam, debuit in ipsa judicem aliquem constituere, qui esset infallibilis authoritatis, ac posset, quæ oriuntur dubia, dirimere: sed hujusmodi Judex non potest esse privatus uniuscujusque spiritus, ut putant Novatores censentes unumquemque interno Spiritus Sancti instinctu, adductu, ac lumine sufficienter cognoscere ex scripturis, quæ ad ipsius salutem necessaria sunt: etenim non dari hoc Spiritus Sancti lumen in hæreticis, est probatu facile; quia hæretici eadem Sacræ Scripturæ verba in sensus contradictoriè oppositos explicant; & quo sequeretur Spiritum Sanctum, per lumen internum testificari falsum, cùm ex duobus contradictoriis si unum est verum, necesse est, aliud sit falsum. Ariani enim & Nestoriani illa verba Scripturæ Sacræ: *Ego & Pater unum sumus* explicant secundùm unitatem affectus, & voluntatis: & alii hæretici præsertim nostri temporis secundùm etiam unitatem, adeo ut contradictoriè opponantur Arianis, & Nestorianis: Rursus Sabellionistæ verba illa: *in nomine Patris, &*

*Filii, & Spiritus S.* explicant secundùm diversa munia, & officia: & alii hæretici secundùm realem distinctionem divinarum personarum, adeo ut unaquæque persona suam habeat propriam essentiam, & naturam; quo pacto Ariani ajebant; Filium non esse ejusdem substantiæ cum Patre, Anabaptistæ illa verba: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, volunt esse tantum intelligenda de adultis, & esse parvulos excludendos, quos incapaces esse baptismi dicunt: è converso Lutherani, & reliqui hæretici asserunt esse intelligenda de parvulis. Præterea Calvinistæ, ac Zvvingliani volunt sibi verum Spiritum infundi pro interpretandis divinis scripturis; & illa verba: *Hoc est corpus meum*, asserunt esse intelligenda figuratè, & tropicè: è converso Lutherani putantes etiam sibi infundi verum Spiritum Sanctum, volunt non figuratè, sed literaliter esse intelligenda, & in actu manducationis sub speciebus Eucharisticis esse verum corpus, & verum sanguinem Christi, licet non permanenter, nec per realem conversionem, sed transeunter, & cum reali permanentia substantiæ panis cum corpore Christi, in quo deficiunt à fide, & differunt à Catholicis. Plures alias habent hæretici contradictorias oppositiones in explicandis iisdem scripturæ verbis, quamvis omnes putent se habere Spiritum Sanctum, ac sibi infundi verum lumen pro intelligendis Sacris Scripturis, quod manifestè deprehenditur falsum, cum non possit Spiritus Sanctus inspirare duo contradictoria simul vera, quin testificetur falsum, cum ex duobus contradictoriis, si unum est verum, debeat necessariò aliud esse falsum: est enim naturæ lumine evidens, idem non posse simul esse, & non esse; ergo manifestè, ac evidenter apparet, non posse unumquemque interno Spiritus Sancti ductu, ac lumine ex scripturis cognoscere, quæ ad salutem necessaria sunt, nec esse unumquemque judicem in dubiis, quæ circa fidem oriuntur.

Præterea Judex debet esse certus, ac notus omnibus: & spiritus proprius ad summum tantùm ei innotesceret, qui talem spiritum haberet. Tum quia hic modus est prorsus alienus à consueto ordine, quo utitur Deus cum creaturis intellectualibus, quas non immediatè, & per se ipsum, sed per alias creaturas solet instituere; quo pacto etiam Angeli inferiores illuminantur per superiores. Tandem quia cum sit homo obnoxius illusionibus, ac facilè possit à Dæmone decipi, desiderabatur aliquis judex publicæ authoritatis, & qui in ferendis sententiis non posset fallere.

Objiciunt tamen hæretici ad suam evincendam sententiam plures scripturarum textus Jeremiæ 21. *Dabo legem meam in cordibus eorum: & in corde eorum scribam eam, & non docebit ultra vir proximum suum.* Joan. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt.* 1. Corinth. 2. *Spiritualis autem judicat omnia, & ipse à nemine judicatur* 1. ad Thessal. 5. *Omnia probate, quod bonum est, tenete*, Luc. 11. *Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se*, Joan. in sua epistola Canonica c. 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Et c. 2. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos: sed unctio ejus docet vos de omnibus.*

Sed contra ad primum petitum ex Jeremia respondet D. Augustinus lib. de spiritu, & litera *cap. 24. & 25.* verba Jeremiæ tantùm significare discrimen inter legem veteris, ac novi testamenti; eò quia illam in tabulis lapideis; hanc Deus in cordibus scripserit fidelium per vivificantem spiritum; ait Augustinus: *Ut quod ibi forinsecus terret, hic delectet intrinsecus, ibique fiat prævaricator per occidentem literam; hic delector per vivificantem spiritum; & quod intus forinsecus insonat sensibus, hic intrinsecus incrementum dat diffundendo charitatem in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Non igitur Jeremias loquitur de spiritu, cujus lumine possit quisque judicare circa dubia Sacræ Scripturæ, sed de spiritu impertiente vitam æternam, seu gratiam sanctificantem, & gloriam sempiternam. Ad ultima Jeremiæ verba respondet Augustinus, esse intelligenda de vita æterna, ubi ut Deum cognoscamus, non indigemus aliorum instructione; *& non docebit ultra vir proximum suum*: quia in cœlesti Patria videbit quisque beneficio luminis gloriæ Deum sicuti est. Præterea verba Jeremiæ possent commotè intelligi de lege amandi Deum, quam Deus imprimit cordibus beatorum. Ad aliam authoritatem ex Joan. 10. respondetur, Christum ibi non excludere ministros, & Vicarios, quos ut Pastores dat ovibus, habetur enim Jeremiæ 15. *Et dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina*: unde sensus ait: oves meæ vocem meam, quam per Pastores eis communicabo, audient: Pastores enim loquuntur verba Dei; sitque propterea vox Pastoris, vox Dei. Ad quartam authoritatem petitam ex 1. ad Corinth. 2. respondet D. Hieronymus: spiritualem in eo sensu dici judicare omnia; *quia judicat vana esse, in quibus carnales homines delectantur; & ipse ita se gerit, ut à nemine judicetur.* In eundem sensum respondet D. Chrysostomus, spiritualem hominem per magisterium superiorum cognoscere, quæ sunt Dei; & quæ conducunt ad executionem vitæ æternæ; cum homo carnalis solis addictus sensuum voluptatibus, hæc omnia ignoret. Ad aliud petitum ex epistol. ad Thessal. 1. respondetur, D. Paulum ibi tantùm velle ea esse discutienda, quæ à veris, & falsis Prophetis dicuntur: erant enim apud Thessalonicenses falsi Prophetæ, à quibus ne primi illi fideles deciperentur, eos Apostolus cautè monet, ut priùs discutiant, ac examinent, an quæ ab ipsis dicuntur, sint conformia iis, quæ ab ipso per Evangelium acceperunt. Præterea non ait hoc examen debere fieri ab omnibus, sed ab iis tantum, qui in Ecclesia authoritatem habent. Ad aliud desumptum ex Lucæ 11. & Jacobi I. Respondetur, nos non semper posse esse certos, an infallibiliter simus impetraturi, quæ per preces à Deo petimus: quia non semper eas ponimus conditiones, quas oratio exigit, ut mereatur exaudiri. Hinc respondet D. Augustinus tract. 202. in Joan. Nos non consequi infallibiliter quæ petimus, quia temporalia sunt, magisque obsunt, quàm prosint saluti animæ: & spiritus internus interpretandi scripturas non videtur pertinere ad salutem, quia non pertinet ad gratiam gratum facientem. Plures enim sunt rudes, & illiterati, qui hunc spiritum interpretandi scripturas non habent, qui nihilominus æternam consequuntur salutem: unde spiritus interpretandi scripturas pertinet ad gratiam gratis datam. Ad ultimam authoritatem petitam ex 1. Epist. Canonica D. Joannis respondetur, ibi tantum velle fideles debere examinare, an quæ dicuntur à falsis Prophetis, sint conformia iis quæ acceperunt per Evangelium. Ad aliam desumptam ex cap. 2. ejusdem epistolæ respondetur sensum ibi esse, ne ab iis instruantur, qui se simulant esse ex schola Christi, & de facto falsa docent, ut colligitur ex præcedentibus: *hoc scripsi vobis de iis, qui seducunt vos*: unde non est sermo de interno tantùm spiritu, quo unusquisque instruitur à Deo ad interpretandas scripturas.

Dicendum secundò, solam scripturam Sacram non esse judicem omnium controversiarum fidei.

Pro-

Probatur quia Judex debet notus esse omnibus, & ejus sententia clara, ut ab omnibus percipiatur, nisi studio velint cæcutire, & præsertim si sententia sit de iis, quæ ex fide tenetur quisque credere, & quam fidei contraria debeat repudiare; alioquin continentia nunquam acquiesceret, neque posset induci in animum alicujus, ut certo & absque ulla hæsitatione id crederet, quod scire clarè non posset, nec tradi ab aliqua authoritate, quæ esset infallibilis; quia semper animus credentis hæreret anceps, an Judex in ferenda sententia erraret. Sed sola scriptura de maximis etiam fidei quæstionibus ita est obscura, & intellectu difficilis, ut homines docti, ac eruditi, & non solùm illiterati facilè in ejus intelligentia hallucinentur, ex à veritate aberrent in inquisitione sensûs illius: ergo sola, & simplex sacra scriptura non potest esse Judex controversiarum fidei. Minorem negant Novatores; Sed sacras scripturas esse captu difficiles etiam à Deo illuminatis, quales fuerunt Christi Discipuli, liquet in duobus illis Apostolis, qui post Christi mortem ibant in castellum, Lucæ 24. *quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem nomine Emaus*, quibus Christus redivivus explicavit scripturas, & simul, ut ait S. Gregorius Papa homil. 23. in Evangelia; *duritiam intellectus increpavit, sacra scriptura mysteria, qua de ipso erant, aperuit.*

Quòd si Apostolis fuerunt sacræ scripturæ intellectu perdifficiles, ac Magistro indiguerunt instructore, quantò magis alii rudes, ac illiterati? Non dicimus scripturam initio aliquo laborare, cum asserimus eam esse obscuram, sed ob summam sensuum altitudinem, quæ humanam capacitatem, qua de causa exclamavit D. Paulus ad Roman. 11. *O altitudo divitiarum Sapientia, & scientia DEI*, vocat DEI scientiam aliam, seu profundam in sensibus; quapropter est obscura ex parte sensuum, qui profundi sunt, & ex parte humanæ imbecillitatis non valentis ex se ad tantam ascendere, profunditatem, ac altitudinem, hoc significat scripturam esse obscuram, seu habere sensus sublimes excedentes imbecillitatem nostri intellectus: quia cum fidei objecta remotissima sint à nostra cognitione, ac nostros non cadant sub sensus, pluribus indigemus adminiculis, ac divina præsertim gratia, ut ejus sensus sublimes valeamus percipere, idque ad retundendum nostræ superbiæ tumorem, & ut discamus humilitati studere, ut ad tantam sensuum ascendamus sublimitatem, scitè Augustinus lib. 2. de doct. Christiana cap. 6. *Hoc totum divinitus provisum esse non dubito ad edomandam labore superbiam, & intellectum a fastidio revocandum, cui facilè investigata plerumque vilescunt.*

Concedimus igitur, hominem vel ex infirmitate, vel ex officio non intelligere divinas scripturas; sed quia hæc hominis imbecillitas non potest ab homine vitari, cum sit illi innata, necesse est concludamus scripturam sacram vix à paucis posse rectè intelligi neque solam posse esse communem illam fidelium omnium regulam & magistram, à qua in quæstionibus fidei debent omnes infallibiliter edoceri; cum enim hæc regula sit communis & omnibus exhibita hominibus debet ex parte eorundem hominem esse cognitu facilem, atque perspicuum, cum sit ad eorundem usum accommodata. Scriptura autem saltem ex parte humanæ conditionis obscuram esse & captu difficilem, ut negari non possit perinde ac certum est ex parte hominum dari hanc infirmitatem ac imbecillitatem non statim cognoscendi verum scripturæ sensum; ratio est, quia cum plurimum sint de objectis supernaturalibus, seu supra hominis captum, & quæ sub sensus non cadunt hominis, sequitur quòd nonnisi per adminicula aliarum rerum sensibilium ad nostram possint devenire notitiam.

Neque obstat, quod respondent Novatores, scripturas esse intelligendas, sicut sonant ex vi verborum cujusque linguæ, quia tametsi sint Novatores grammaticæ bene periti, adhuc difficulter conveniunt circa sensum scripturarum, cum Lutherani, & Calvinistæ inter se dissentiant circa plura scripturæ loca, ut circa sensum illorum verborum; *Hoc est corpus meum*, quæ Calvinistæ asserunt esse intelligenda in sensu figurativo, & tropico: & Lutherani in sensu litterali: unde si sola, & simplex divina scriptura est Judex in controversiis fidei, evidens est, ipsam non esse certam, & exploratam omnibus; neque omnes innitentes solis sacræ scripturæ verbis, verum ejusdem sensum percipere. Non igitur sola peritia grammaticæ sufficit ad sensus sacræ scripturæ percipiendos, sed ulterius requiritur regula alia viva & sensibilis, cujus authoritas sit infallibilis: hinc Augustinus lib. de utilitate credendi cap. 3. scribens ad Honoratum ait: *Terentianum Maurum sine Magistro attingere non auderes: Asper, Cornutus, Donatus, & alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet Poeta possit intelligi. Tu in eos libros, qui sancti divinarumque rerum pleni propè totius generis humani confessione diffamantur, sine duce irruis, & de iis sine praceptore audes ferre sententiam.* Ergo præter peritiam grammaticæ ad percipiendum sacræ scripturæ sensum opus est præceptore aliquo, vel instructore, cujus authoritas sit infallibilis: quia cum recta fides tenenda sit ab omnibus; debet ejus regula esse omnibus explorata, & provenire ab aliquo, cujus authoritas non sit errori obnoxia in explanando vero scripturæ sensu; nec ad id sola sufficit simplex scriptura, quia circa hanc versatur controversia.

Etenim controversia est inter Novatores an concupiscentia sit peccatum in iis qui obliti sunt lustrali baptismi aqua; affirmant Sectarii, quia Apostolus Paulus in Persona justificati hominis ait ad Rom. 7. *habitare in se peccatum*, eo quia senserit in se concupiscentiam, quam propterea aiunt esse peccatum: & tamen Apostolus 1. Corinth. 6. ad Rom. 6. expressè asserit contrarium scilicet: *Ablutos, & sanctificatos esse in baptismo*: sed ne videantur Novatores sibi contradicere ait, hunc postremum Apostoli textum, non esse intelligendum, quod per baptismi abstersionem mundemur ab omni peccato; sed quia peccatum concupiscentiæ radicalis qua parvuli ante baptismum coinquinantur, perseveret post baptismum, sed baptizatis non imputari ad pœnam, in quo falluntur interpretantes loca clariora per alia obscura. Catholici vero aiunt, locum illum D. Pauli ad Rom. 7. ubi asserit: *habitare in se peccatum*, non esse primo aspectu facilem, & clarum; sed obscurum: siquidem repugnat divinæ gratiæ justificanti, quæ cum asnctificet hominem, non compatitur in eodem cum peccato; unde sensus non potest esse quod proprie, & formaliter habitaverit in Paulo sanctificato per gratiam formale peccatum; sed tantum ejus effectus, quatenus concupiscentia oritur ex peccato; non vero est ipsum formale pec-

catum; quia cum Apostolus experiretur in se hanc concupiscentiam: *datus est mihi stimulus carnis meæ, qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogavi, ut auferretur à me*, respondit: *sufficit sibi gratia mea: tam virtus in infirmitate perficitur*: tametsi D. Paulus sentiret in se motus concupiscentiæ, & legem carnis repugnantem menti legis; non propterea inhabitavit in illo peccatum formale, quod est incompossibile cum gratia sanctificante, quam procul dubio habuit D. Paulus, cum Deus ei responderit, *sufficit tibi gratia mea*, *quia virtus in infirmitate perficitur*, dixit igitur: *habitare in se peccatum*, sumendo causam pro effectu, seu ipsum peccatum, quod est causa concupiscentiæ pro ipsa concupiscentia; in quo sensu Apostolus 2. Corinth. 5. vocavit ipsum Christum *peccatum* impropriè, ac tropicè, quia hostia pro peccato. Similiter Eva dicta fuit os, quia ex osse Adami fuit assumpta; undè perperam Novatores ex textu Pauli veluti ex claro explicant alia loca; & per baptismum non emundari hominem totaliter, eo quia maneat concupiscentia, quæ est peccatum, licet à Deo non imputetur ad pœnam, sed tantum ad culpam, quod falsum est, quia beneficio baptismi infunditur gratia sanctificans, quæ simul cohærere cum peccato lethali nequit, quia hoc avertit à Deo, ad quem gratia convertit, quæ propterea trahit secum privationem peccati.

Rursus est controversia, an quisque possit, ac debeat certo credere se in statu esse gratiæ Sanctificantis, sententiam affirmativam docent Sectarii, quibus si objicias D. Paulum. 1. Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Respondent Apostolum asseruisse, se non esse justificatum, ex eò præcisè, quia nihil sibi conscius erat; sed per fidem; quia idem Apostolus ad Romanos 4. scribat. *Ideo ex fide* (scilicet justificatio) *ut secundùm gratiam firma sit promissio.* Putant Sectarii gratiam per solam fidem haberi; & quia potest quisque ac tenetur credere se habere fidem, qua credit omnia quæ sunt in Evangelio, aiunt per hanc fidem justificari, ac teneri certò credere se esse in statu gratiæ, sicut certò credunt se habere fidem: hinc aiunt Apostolum dixisse se non fuisse justificatum ex bona conscientia, quia nihil sibi esset conscius, sed quia fidem haberet. Sed decipiuntur Sectarii in hac collatione textuum: verba enim quæ sequuntur, satis apertè declarant sensum Apostoli, subdit enim 1. Corinth. 4. *Qui autem judicat me, Dominus est, itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit occulta cordium, & tunc laus erit unicuique à Domino:* ait solum Deum esse judicem qui possit judicare, num aliquis in hoc statu viæ sit in gratia, sitque justificatus, & prohibet, ne de hac re ullum nos judicium feramus usque ad extremum universalis judicii diem, quia tunc manifeste erunt secreta cordium, *& tunc laus erit unicuique à Domino.* Cæterum cum Apostolus ait: *ex fide hominem justificari, ut secundum gratiam firma sit promissio*: sensus non est, ut per fidem justificemur, ut ex promissione sola certo possimus scire, non esse justificatos negat enim Apostolus hoc posse à nobis sciri ante extremum diem judicii ordinario modo, nisi Deus specialiter alicui revelaret: sed sensus Apostoli est; nos gratis absque ullo nostrorum operum merito, per fidem & alios animi rectos motus, charitatis scilicet & pœnitentiæ, qui actus cum viva fide conjuncti sint, justitiam, & gratiam consequi, unde fides requiritur tantum ut dispositio, ac conditio sine qua non, dicente Apostolo accedentem ad Deum oportere credere, quia oportet divinam promissionem impleri, quæ fuit ut omnino gratis justificaremur absque ullo nostro merito; sicut eodem pacto Abraham justificatus est coram Deo.

Quoties igitur Sectarii ex aliquo scripturæ loco utpote claro, & perspicuo inferunt alterius textus explicationem, quæstionem potius obscurius implicant, quam clarius explicent; proposita enim quæstione, quæ in utramque partem agitetur; semper quæstio esse potest uter textus ad explicationem alterius accommodandus sit, cum non sit major ratio de uno, quàm de altero: unde ipsa collatio non dirimit controversiam, neque solvit difficultatem de sensu scripturæ sed plerumque. Hinc facilimè etiam contingit error in judicando, an hic locus per alium exponi debeat, & an verum sit, quod uterque de una, eademque re loquatur; cum persæpe in scripturis eadem phrasis accommodetur ad res diversas significandas, ut notat D. Augustinus lib. 2. de doctrin. Christ. cap. 24. ex sequent. ut contigit cuidam Sectario qui per Scripturæ collationem intulit per verba illa *oblationem mundam*, de qua vaticinatus fuerat Malachias non aliud sacrificii genus in Ecclesia significari, quàm prædicationem Evangelii, quam Apostolus ad Rom. 15. per similitudinem vocat *oblationem*, quamvis verba sint eadem, eorundem significatum est diversum, unde Augustinus lib. 2. de doctrina Christi cap. 24. ait; *Non putemus esse præscriptum, ut quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significaverit, hoc eam semper significare credamus.*

Sed aiunt Sectarii, scripturam sacram æquiparari lucernæ accensæ, quæ per se clara est cum splendores foras emittat, & tenebras fuget Psal. 118. *Lucerna pedibus nostris, & lumen nostris semitis*; & Petri 1. cap. 2. *cui bene faciamus attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Contra tamen quia licet æquiparetur lucernæ, expendendum tamen est, in quo loco oporteat eam collocare, ut lumen videri possit, & juxta lumen gressus dirigere: si enim lucerna ponatur sub modio alios non illuminat; sed necesse est collocetur in idoneo loco, ut suos valeat splendores delegare, in aliorum utilitatem, ac directionem. Quamvis igitur sacra scriptura sit lucerna continens lumen divinæ doctrinæ, sit per se splendidissima, respectu tamen nostri ingenioli caligantis in sole meridiano est veluti sub modio, cujus lumen ne videamus, nostra impedit tenuitas: Lucidum est lumen hujus Lucernæ Psalm. 18. Imò & *illuminans oculos*; sed nos natura induti cæcutientium talparum, hoc lumine non potimur, nisi sit qui nobis illud in Ecclesia ostendat; seu ponatur super candelabrum, seu authoritatem Romani Pontificis docentis è cathedra; tunc ex eminenti hoc loco suos emittens splendores illuminat omnes, qui in domo sunt, seu in militante in terris Christi Ecclesia, Matth. 5. ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Hæc summi Sacerdotis authoritas est illud eminens candelabrum, ubi posita explicatio sacræ scripturæ, hæc lucet omnibus, qui in domo, seu in Ecclesia sunt: hinc D. Ambrosius lib. 7. in Lucam cap. 52. cum non monuisset ut Christum, & fidem nostram Ecclesiæ Catholicæ accommodaremus, ait: *Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neque sub modio; sed super candelabrum, ut qui ingrediunt, lumen videant.* Quòd si scriptura sacra nulli fuisset authoritati infallibili commendata, ut illius declarationem, veluti lucernæ splendorem omnibus qui in domo sunt ostendere t,

deret,

deret, sed unicuique privato, ex æquo ejus explicatio fuisset permissa; hoc perinde fuisset ac lucernam posuisse in abscondito, quovis splendore destitutam, & caliginibus circumseptam.

Etenim scripturam esse per se obsuram fatetur ipsimet. 2. Petri 3. testatur, *Quædam esse in Epistolis Pauli difficilia intellectu; quæ indocti homines, ac instabiles, sicut, & cæteras scripturas depravant ad suam ipsorum perditionem*: eodem pacto plures aliæ scripturæ sunt obscuræ, intellectu difficiles, quas propterea Novatores depravant in varios sensus, quibus suis videantur favere erroribus, eas detorquentes. Cæterum Sacras Scripturas, obscuras esse, ac captu difficiles asserit Isaias cap. 29. inquiens: *Erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cum dederint homini scienti literas, ac dicent, lege istum, respondebit, non possum, signatus est enim*, hoc est, obscurus, captu difficilis; & D. Gregorius Papa ait, hanc obscuritatem Sacræ Scripturæ significari per librum involutum, quem Propheta Ezechiel. 2. accepit de manu Domini, ait ipse homil. 9. in Ezechielem: *Liber involutus est Scriptura Sacra eloquium obscurum, quod profunditate scientiarum involvitur, ut non facile sensu omnium penetretur.* Hinc Eunuchus reginæ Candacis, de quo ait Lucas in Actis Apostolorum cum percunctaretur à Philippo: *Putas ne, intelligis quæ legis? respondit, quomodo possum, nisi quis doceat me?* Locus quem legebat Eunuchus, erat Isaiæ, *coram tondente se obmutesset, & quasi ovis ducentur ad occisionem.* Petiti Eunuchus à Philippo, de quo à Propheta hæc dicerentur, cui Philippus, de Jesu Christo; & explicuit Ilius passionem: Si Eunuchus, aliàs vir doctus, non intellexit verba Isaiæ, liquet scripturam esse obscuram captuque difficilem: Scitè Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. versus finem Psal. 17. *David dicit: tenebrosa aqua in nubibus aëris, à fulgore coram ipso nubes transierunt, grando, & carbones ignis, abditos esse docens sanctos Sermones.* Neque minus clarè scripturæ obscuritatem agnoverunt alii Sancti Patres, sed dato etiam, & non concesso, quod Scriptura Sacra esset ubique clara, adhuc ipsa sola non posset esse regula pro dirimendis controversiis fidei. Quia de ratione regulæ est, ut per ipsam solvi ac dirimi possint omnes controversiæ fidei quotquot possunt obtingere: sed per solam Sacram Scripturam non possunt omnes quæstiones, & controversiæ dirimi: ergo ipsa sola nequit esse illa regula universalis, de quia hic est sermo. Probatur minor, in qua videtur esse difficultas: quia posset controversi, ac in dubium revocari ipsa authoritas tota Sacræ Scripturæ, vel saltem Doctrina, & authoritas aliquorum librorum; vel alicujus in specie: hæc enim controversia per solam Sacram Scripturam non posset dirimi, quia scriptura de se ipsa non testificatur, neque se ipsam judicat. Unde in hoc saltem casu opus esset alia regula, quæ non solùm judicet de sensu Scripturæ; sed etiam de ipsa scripturæ authoritate; num sit divina, quæ proinde contineat Doctrinam fidei. Hæretici non defuerunt, qui vel negaverint, vel in dubium revocaverint authoritatem aliquorum ex libris Sacræ Scripturæ, vel aliquos addiderint nullius authoritatis, qui tamen ab ipsis fuerunt deprædicati ut sacri, ac infallibilis authoritatis: testatur Eusebius lib. 4. histor. cap. 8. fuisse quendam Simonidem hæreticum, qui libros quosdam Prophetarum excogitavit, quos sacris aliis voluit Sacræ Scripturæ libris inseri præter eos, qui in bibliis continentur, eorum unum asserebat esse Barchobam; alterum Barcham: quam controversiam non possemus sola authoritate divinæ scripturæ dirimere, neque ejus falsitatem evincere ex solis scripturis, num nulla in Sacris Bibliis mentio fiat horum librorum. Præterea refert D. Augustinus lib. 2. Retract. cap. 16. aliquos fuisse suo tempore, qui omnia rejecerint Evangelia; & alios qui teste Eusebio lib. 3. histor. cap. 29. omnes Epistolas D. Pauli rejecerint; & de aliis Bibliorum libris fuit olim controversia, num essent canonici, quæ omnes controversiæ ex sola & simplici Sacra Scriptura non possunt dirimi, consequenter necesse est præter Sacram Scripturam dari aliquam aliam regulam, quâ simul cum scripturis dirimantur hæ controversiæ. Hinc falsum est, quod asserit Calvinus non esse difficilius scripturam canonicam cognoscere distinctam à non canonica, eò quia per se ipsam dignoscatur distinctâ, perinde ac album à nigro, dulce ab amaro, frigidum à calido, si enim ita esset, non magis controverti posset an hic liber sit canonicus, quàm an sit ignis calidus, mel dulce, fel amarum, quapropter non posset de illius authoritate dubitari sicut non dubitatur de dulcedine in melle, quod est falsum, ut experimento deprehenditur, quia non experimur, quòd Sacræ litteræ per se hoc nobis indicent, sicut nobis mel dulcedinem suam probet, quapropter præter ipsam scripturam necesse est, detur alia infallibilis fidei regula, docens, quod in fide est maximum, scilicet ipsam Sacræ Scripturæ Doctrinam esse in universum divinam, & authoritatem hujus regulæ esse infallibilem, sitque propterea insania suspicari posse, eam errare; nisi enim ponatur & alia regula, cui divinitus tradita sit hæc authoritas infallibilis in dirimendis fidei controversiis semper hæremus ancipites, quòd cum animadvertisset D. Augustinus lib. de utilitate credendi c. 14. ait: *Cur non apud eos potissimum diligentissimè requiram, quid Christus præceperit, quorum authoritate commotus Christum aliquid præcipesse jam credidi?* (loquitur Augustinus de Ecclesia Catholica, & subdit) *Tu ne mihi melius expositurus es, quid ille dixerit, quem fuisse, aut esse non putarem, si abs te mihi hoc commendaretur esse credendum? quæ igitur tanta dementia, est? illis crede Christo esse credendum, & a nobis disce quid dixerit? multò faciliùs mihi persuaderem, Christo non esse credendum, quàm de illo quidquam nisi ab iis per quos ei credidissem, discendum.*

Quòd si objiciant Sectarii illud D. Pauli 2. ad Timoth. 3. Scriptura divinitus inspirata *utilis est &c. ut perfectus* sit homo Dei ad omne opus bonum instructus, ex quo textu inferunt adversarii, scripturam ipsam solam sine adminiculo alterius regulæ omnia docere, quæ ad rectam fidem & ad absolutam perfectionem Christiani hominis sint necessaria. Respondetur, Apostolum ibi non asserere solam scripturam sufficientem, ut perfectus sit homo Dei, sed tantùm simpliciter asserit, ad hanc rem Sacram Scripturam valere, quod duobus modis potest intelligi. Primò quòd ipsa scriptura immediatè tradat omnia, & hoc non vult Apostolus, cum loquatur de omni scripturæ parte, in qua non continentur omnia, quæ habentur in Bibliis. Secundò quia Scriptura in quolibet libro Sacro docet aliquid ex his quæ credere tenemur, aut agere, & quæ ideo ad eum finem valent, ut homo perfectus sit, & hoc modo Apostolus vult scripturam continere, quæ ad nostram Salutem sunt necessaria. Quamobrem præter

 Sacram

Sacram Scripturam habetur alia itidem authoritas necessaria & infallibilis ex assistentia Spiritus Sancti ex Christi promissione in fidei controversiis dirimendis, & hoc est, quod D. Augustinus docuit lib. 1. contra Cresconium Grammaticum cap. 23. *Scripturarum à nobis tenetur veritas, cum id facimus quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat authoritas ut, quoniam Sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illo consulat, quam sine ulla ambiguitate Sancta Scriptura demonstrat.* Asserit Augustinus, Sacram Scripturam esse quidem infallibilem, utpote à Spiritu Sancto dictatam, sed ipsam non sufficere ad dirimendas fidei controversias ob multiplices sensus & obscuritates, quas in se continet, & nostram imbecillitatem quæ non permittit nos verum sensum semper percipere, quo pacto erraverunt plures Sectarii circa eadem prorsus verba diversimodè ea intelligentes, ut superius plura attulimus exempla; sed præter Sacram Scripturam adhuc requiri Ecclesiam, quæ est columna veritatis, & ob specialem assistentiam Spiritus Sancti in hisce dirimendis fidei controversiis non potest errare, cum Christus Luc. 22. dixerit Petro, ejus legitimo Successori: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Eodem pacto intelligendi sunt cæteri Patres tribuentes Sacræ Scripturæ omnia, quæ necessaria sunt ad salutem; non enim eorum mens est ab authoritate scripturæ separare authoritatem Ecclesiæ, ubi agitur de fidei controversiis dirimendis, sed sicut uni personæ Divinæ ita tribuitur perfectio aliqua absoluta, ut eadem tribuatur etiam alteri, ita authoritas infallibilis sic tribuitur Sacræ Scripturæ, ut etiam tribuatur Ecclesiæ, adeo ut utraque regula necessaria sit in dirimendis fidei controversiis, alioquin Sancti Patres si authoritatem infallibilem Ecclesiæ censerent non esse necessariam in dirimendis fidei controversiis, nunquam uterentur in similibus controversiis finiendis authoritate Ecclesiasticæ traditionis, & tamen experimur ea frequentissimè uti. Hinc D. Basilius lib. de Spiritu S. cap. 29. ait: *Plurima mystica citra scripturarum inter nos versantur & Apostolicum arbitror esse etiam in non scriptis traditionibus persevirare Laudo enim,* ait D. Paulus 1. Corintth 11. *vos, quòd omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones continetis.*

Probatur etiam ulterius assertum, quia regula instituta ad dirimendas fidei controversias debeat esse accomodatissima ad dignoscendos & cavendos errores omnes contrarios fidei, alioquin non esset regula universalis, qua omnes fidei controversiæ dirimerentur, nec homines proprium judicium possent ad illam conformare: sed Sacra Scriptura sola non est hæc regula accommodatissima ad cavendos omnes errores fidei contrarios, cum plures erraverint in ejus explicatione, ac verò sensu inveniendo, adeo ut qui ea sola niti velint, facilè impingant, & errent, non enim hæreses aliunde suam traxerunt originem, nisi ex Sacris Scripturis perversè intellectis; facilè enim ejus Doctrina ab hominibus perversis adulteratur, ut in patrocinium omnium fere errorum advocetur, unde ipsa sola non potest esse regula accommodatissima ad rejiciendos omnes omnino errores. Quòd verò respondeant Hæretici, id ex hominum culpa, & perversitate oriri, non ex vitio ipsius scripturæ contingere, nos etiam id fatemur; sed dicimus hoc ipsum, seu hominum imbecillitatem prævidisse DEum, & ideo simplici Sacræ Scripturæ, cujus authoritas, utpote Divina, est infallibilis, addidit etiam aliam regulam infallibilis itidem authoritatis, scilicet Ecclesiam docentem cum capite in Conciliis Generalibus vel authoritatem supremi Pastoris docentem ex Concilio generali, ex Cathedra; utraque enim authoritas scripturæ, & Ecclesiæ est infallibilis, & necessaria ad finiendas fidei controversias.

Cæterum sola, & simplex scriptura non est sufficiens fidei regula, nisi authoritas addatur Ecclesiæ, ut docet D. Augustinus Epist. 222. ad Consentium inquiens: *Omnes enim Hæretici, qui scripturas in authoritate recipiunt ipsas sibi videntur sectari, cum suos potius sectentur errores.* Et Tractat. 18. in Joann. ait: *Neque enim nata sunt hæreses, & quadam dogmata perversitatis illaqueantia animas, nisi dum scriptura bona intelliguntur non bene: & quod in eis non bene intelligitur etiam temerè, & audacter asseritur,* & lib. 2. de nuptiis & concupiscentia cap. 31. asserit, non solùm locus scripturæ obscuros; sed etiam eos, qui sunt aperti, & clari, corrumpi ab Hæreticis, ait ipse: *Non est mirum, si Pelagiani dicta nostra in sensus, quos volunt, detorquere conantur, quandoquidem de Scripturis Sanctis, non ubi obscurè aliquid dictum est, sed ubi clara, & aperta sunt testimonia, id facere consueverunt, more quidem Hæreticorum etiam cæterorum.*

Cum igitur in sola simplici scriptura etiam in locis apertis, & quæ putantur clara, plures impingunt, & ejus verba, quæ videntur ipsis clara, in varios detorqueant sensus, ex quibus oriuntur hæreses, sequitur ipsam solam non posse esse regulam accommodatissimam ad cognoscendos & cavendos errores omnes fidei contrarios, neque ad dirimendas, ac finiendas fidei controversias. Unde Tertullianus lib. de præscriptionibus adversus Hæreticos circa medium ait: *Non ergo ad scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, quibus aut nulla aut incerta victoria est, aut parum certa,* imò non solùm Sancti Patres hoc docent, sed etiam ipse Christus, cum nos monitos voluit Matth. 7. ut à falsis Prophetis caveremus, ideo enim à Christo dicuntur falsi Prophetæ, quia sunt falsi interpretes divinæ sententiæ propter externam speciem Divinæ Doctrinæ, & quandam ejusdem verisimilitudinem, adeo ut videantur esse Prophetæ, cum revera non sint, quoniam proferunt scripturæ verba, quæ Divinæ Doctrinæ sunt Characteres vel veluti externa species, quia sub ea verborum divinorum externa specie non ostendant nobis genuinam Spiritus Sancti sententiam, sed adulterinas suas, ac perversas opiniones Sacrilegæ in verbis sacris à se collocatas, tanquam *abominationem*, ut notavit Origenes Homil. 29. in Matth. *Stantem in loco Sancto*, & eosdem falsos Prophetas æquiparat lupis rapacibus, qui vestimentis inducti sunt ovium unde Tertullianus lib. de Scripturis Hæretici post initium ait: *Quanam ista sunt pelles ovium, nisi nominis Christiani extrinsecus superficies? Qui lupi rapaces, nisi sensus & Spiritus subdoli ad infestandum gregem Christi intrinsecus delitescentes? qui Pseudo-Prophetæ nisi falsi prædicatores?* quam

quam doctrinam Tertulliani scitè imitatus fuit Vincentius Lyrinensis, qui etiam asserit, ubique Hæreticos scripturæ verbis opiniones suas *tanquam quodam aromate aspergere, ne fœtorem exhalent*, nulla enim est hæresis, quæ ut authoritatem apud minus cautos sibi conciliet, quæ originem suam non videatur trahere à Sacra Scriptura, quasi ab hoc purissimo fonte non possint rivuli scaturire nisi puri, ac limpidi, cum tamen ipsi ipsum fontem deturpent, lutosam constituant, è quo nonnisi turbidi, ac malè olentes derivantur rivuli, facilè enim Hæretici omnes scripturas, ut ait D. Petrus 2. Petri 3. in suam perditionem depravant, proinde constat, in solis scripturis non posse consistere regulam illam universalem accommodatissimam ad omnes, & singulas fidei controversias dirimendas.

Ex ipsa itidem ratione intelligendi scripturas tradita à D. Petro constat, solam & simplicem scripturam non esse regulam accommodatissimam pro dirimendis quæstionibus omnibus fidei, habetur enim 2. Petri 1. *Omnis Prophetia scripturæ propria interpretatione non fit.* Vult Petrus, Scripturam Sacram non esse propria interpretatione, nec proprio ingenio intelligendam inconsultis, & non collatis scripturæ locis: quòd si non licèt unum vel alterum scripturæ locum ingenio, sensúque proprio interpretari, nec minus licebit proprio sensu, & authoritate plures locos scripturæ, inter quos collatio instituitur proprio ingenio, ac studio interpretari taliter, ut hæc interpretatio sit infallibilis præsertim in controversiis fidei, sed ut ad hanc infallibilitatem perveniatur, opus sit alia authoritate infallibili, quam Deus Ecclesiæ communicavit, quæ propterea columna dicitur veritatis, & ob assistentiam Spiritus Sancti non potest errare; sine enim hac regula Ecclesiæ nemo potest ex solis scripturis dirimere controversias fidei, ait enim idem Apostolus, *non authoritate humana, sed divina locuti sunt in scripturis Sancti Dei homines*. ut intelligamus, non humana, & propria industria hujus vel illius hominis non posse scripturam intelligi, ut sententia ita intellecta sit de fide, & ulterius requiritur alia authoritas divina, per quam ipse Spiritus S. qui est Author scripturæ, sit etiam certissimus interpres scripturæ.

Objiciunt tamen Novatores Spiritum interpretandi Scripturas Sacras esse petendum à Deo, qui erit ipsum daturus, Luc. 11. *Quantò magis Pater Vester dabit spiritum bonum petentibus.* Et cum spiritus interpretationis sit bonus, si à Deo petatur, ei dabitur. Jacobi 1. *Si quis vestrum indiget, Sapientia* postulet à Deo, *qui dat omnibus abundanter.* Sed contra respondetur in præfatis locis aliisque similibus Dominum non loqui de Spiritu interpretationis, sed de Spiritu fidei charitatis, & sapientiæ necessariæ ad salutem, quia, ut docet Augustinus Tract. 73. 81. & 101. in Joan. Oratio non impetrat infallibiliter, nisi quod est necessariam vel utile ad salutem orantis, & donum interpretandi scripturas, ut etiam dona linguarum, miraculorum, & alia id Genus non semper sunt utilia, ei cui donantur, unde sicut non possumus semper impetrare spiritum loquendi linguis, vel faciendi miracula, tametsi scriptum sit: *dabit spiritum bonum petentibus*, ita neque Spiritum interpretationis; nam alioquin posset fieri, ut totum corpus Ecclesiæ esset unum membrum, seu omnes fideles essent oculi. Præterea dato etiam, quòd Christus in præcitatis locis loqueretur de dono interpretandi, adhuc non esset certus, qui donum illud petit, se illud habiturum, neque quod de facto ipsum habeat, quia non est certus, an bene petat, hinc Jacobi 4. *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis*, alioquin jam istum spiritum petant etiam Lutherani, petant Anabaptistæ, & Calvinistæ, omnes istum possiderent, & nihilominus cum inter se pugnantes spiritus habeant, & eandem scripturam in oppositos sensus interpretentur, ut verba illa: *Hac est corpus meum*, quæ à Calvinistis interpretantur figurativè tantùm, & à Lutheranis verè, & realiter, in actu solùm comestionis, & cum ipsa substantia panis inde sequeretur, quod spiritus iste duo contradictoria doceret, scilicet esse, & non esse realiter corpus Christi in Sacramento Eucharistiæ.

Instabis 1. Corinth. 12. D. Paulus loquens de dono interpretandi ac similibus gratiis ait: *Hac omnia operatur unus, ac idem spiritus dividens singulis prout vult*, unde ex Apostolo hoc donum non est alligatum Concilio generali, neque Pontifici Romano, sed datur liberè à Deo, cui ipse voluerit: tum quia prætermissis Sacerdotibus, & Pontificibus Deus excitavit Prophetas ex populo, ac dedit iisdem hoc donum, etenim Amos erat Pastor ovium, & nihilominus factus est Propheta, & Debora mulier prophetavit. Sed contra, quia Paulus loquitur de hominibus particularibus, & ait non dari passim, & communiter omnibus hoc interpretandi donum; neque ex verbis Apostoli sequitur, hoc donum non esse in Concilio vel Pontifice docente ex cathedra, quia alia est ratio Concilii Generalis, & Pontificis docentis ex cathedra, & alia privatorum hominum. Privilegia autem paucorum non constituunt legem communem, alioquin si ex eo, quòd hoc donum datum fuit Amos Pastori, inde inferretur dari etiam omnibus, pari pacto concludendum esset, dandum esse omnibus jumentis, eò quia datum fuerit asinæ Balam. Rursus aliud est loqui de novis revelationibus, & aliud de explicatione doctrinæ jam acceptæ; siquidem novæ revelationes non sunt alligatæ Pontificibus: siquidem in veteri testamento prophetârunt plures, ut Isaias, Jeremias, Daniel, & alii Prophetæ, non ita Aaron, nec ejus Successores, unde hoc donum Prophetiæ non est alligatum Pontificibus, neque Sacerdotibus. In novo itidem testamento Agabus, & filiæ Philippi dicuntur prophetâsse, non verò Linus, & Clemens, qui fuerunt summi Pontifices. Secus explicatio doctrinæ acceptæ, & judicium de dogmatibus semper spectavit ad Pontifices, quia ipsis specialiter assistit Spiritus Sanctus, ne in definiendis fidei controversiis errent, Luc. 22. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ex quibus verbis inferunt communiter Doctores Romanum Pontificem docentem ex cathedra non posse errare, quod inter alios Agatho Papa in epistola ad Constantinum Imperatorem, quæ lecta fuit in sexta generali Synodo, approbata fuit à toto Concilio concludente Romanum Pontificem docentem ex cathedra non esse errori obnoxium: unde cum D. Paulus 1. ad Thessalon. 5. ait: *Omnia probate* id non intelligit de omnibus, sed tantùm de his, ad quos pertinet: ut si scribatur ad aliquam Academiam, ut velit librum aliquem examinare, & approbare non statim intelligitur, ut omnes & singuli illius Academiæ legant, & examinent, sed tantùm illi Doctores, qui ab eadem erunt deputandi, & qui profitentur doctrinam, de qua liber tractat.

Obji-

Objiciunt ulterius Novatores, quia si fides nostra dependeat à judicio Ecclesiæ, vel Papæ, sequitur eam dependere à verbo hominum, proinde fidem nostram imbecilli inniti fundamento. Præterea quia scriptura dictata fuit à Spiritu Dei, ergo non est intelligenda Spiritu Ecclesiæ, sed Dei. Sed contra falsum est verbum Ecclesiæ aut Concilii Generalis cum suo capite esse verbum hominis simpliciter, quia ita est verbum hominis, ut etiam sit verbum Dei prolatum à spiritu Sancto mediante Concilio generali cum capite vel Romano Pontifice docente ex cathedra, cujus verba in dirimendis fidei controversiæ suggeruntur à Spiritu S. ei assistente. Imò neque quæ sunt de declaratione, & institutione non scripta, sed tradita sunt simpliciter de institutione humana, sed de doctrina Spiritus Sancti suggerentis veritatem Ecclesiæ ne erret: hinc Matth. 10. dixit Christus Apostolis: *Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*: quapropter ex eo, quod in dirimendis fidei controversiis debeant homines acquiescere generali Concilio cum capite, vel etiam summo Pontifici seorsim docenti ex cathedra, non sequitur fidem divinam inniti verbis hominum.

Instant tamen Novatores, quia si Pontifex judicat de scripturis, sequitur Romanum Pontificem docentem ex cathedra, & etiam Concilium generale cum capite esse supra Sacram Scripturam, cujus sensus si non habeatur authenticus sine Concilii vel Pontificis declaratione, sequitur Scripturam Sacram dependere, & robur accipere ac firmitatem à verbo hominum. Sed contra quia quòd Concilium, vel Papa interpretentur verum sensum scripturarum, non sequitur esse Papam, & Concilium supra scripturam: quia hanc declarationem, & interpretationem non ponit propria authoritate humana: sed divina quatenus Spiritus Sanctus illis assistit, ne errent in dirimendis fidei controversiis, non enim ab ipsis dependent scripturæ, ut sint veræ vel falsæ, quia ipsæ in se veræ sunt, nec potest ullum de illis dubium esse: quòd verò Concilia generalia cum capite, vel etiam seorsim Romanus Pontifex declaret hunc sensum esse verum Sacræ Scripturæ, id ex authoritate Spiritus Sancti suggerentis veritatem præstat: unde scriptura non dependeat à Concilio vel Pontifice, sed potius Concilium & Pontifex à Spiritu S. ut verum Sacræ Scripturæ sensum interpretentur, & declarent.

Sed instant Novatores asserentes illud D. Pauli ad Ephes. 2. *Estis cives Sanctorum superædificati supra fundamentum Apostolorum*: sed si scripturæ intelligentia dependeret à Papa, vel Conciliis fundamentum nostrum esset super Papa, & Concilio, & non super scriptis Apostolorum, & Prophetarum: sed contra quia nos non imus inficias verbum Dei ministratum per Prophetas, & Apostolos esse primum fundamentum fidei nostræ, siquidem eatenus credimus, quidquid credimus, quia Deus id per Prophetas, & Apostolos revelavit: sed asserimus præter hoc primum fundamentum requiri aliud necessarium, seu testificationem Ecclesiæ, quæ ob assistentiam Spiritus S. non potest falli, nec nos fallere; cum enim nos non simus certi, quid Deus revelaverit nisi ex testimonio Ecclesiæ, ideo sicut legimus Christum esse lapidem fundamentalem, & primum Ecclesiæ fundamentum, ita legimus de Petro Matth. 6. *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, ideo fides nostra adhæret Christo primæ veritati revelanti mysteria, ut fundamento primo, deinde adhæret Petro seu summo Pontifici proponenti, & explicanti hæc eadem mysteria, ut fundamento secundario.

Petes an scriptura expresè contineat totam doctrinam fidei. Respondetur præter scripturas dari etiam traditiones comprehendentes fidei articulos est contra Novatores asserentes nihil præter scripturam esse recipiendum, & de fide credendum, asserentes umbras apparentes esse in Ecclesia Romana traditiones, sed assertio probatur ex sanctis Patribus, etenim Epiphanius contra hæreses lib. 2. hæres. 61. ait: *Utendum est etiam traditione: nam omnia non possunt desumi ex scriptura, & ideo Apostoli quædam scripto, quædam traditione dederunt.* Neque id restringendum est ad ea quæ non sunt de fide, neque ad salutem necessaria, quia statim subdit: *Sancti Dei Apostoli traditione docuerunt peccatum esse post votum virginitatis ad nuptias convolare.* Hinc de fide etiam est scire, quid sit peccatum, & quid tale non sit. Præterea certum est omnia credenda non contineri expresè in Scripturis Sacris, sic experimur Evangelistas non singulos omnia necessaria scripsisse: siquidem Joannes nihil scripsit de Annuntiatione, Nativitate, Circumcisione, Epiphania Domini, & ita de aliis Evangelistis, qui singulatim non scripserunt omnia: Neque in toto canone scripturæ continentur omnia, quæ habentur de fide, quia plures libri veri, sacri, & canonici perierunt: ut testantur Sancti Patres, præsertim Chrysostomus homil. 9. in Matth. in illud *Nazaræus vocabitur*, ubi ait: *Multa ex Propheticis periere monumentis, quod de historia Paralipomenon probare possibile est, desides enim cum essent Judæi, nec desides modo, sed etiam impii, alia quidem perdiderunt negligenter, alia verò tum incenderunt, tum conciderunt.* Hoc idem repetit homil. 7. in 1. Corinth. Neque dici potest ea omnia, quæ perierant, reparata fuisse per Esthram, quia Chrysostomus probat, nunc seu suo tempore etiam post Esthram non extitisse omnia vaticinia Prophetarum, eò quia Judæi plura perdiderint: Tum quia Esthras non reparavit libros deperditos, sed tantùm dispersos collegit, & emendavit eos, quia extabant: neque habentur omnia, & singula, quæ Nathan, Gad, & alii Prophetæ scripserunt, vel fuerunt locuti, neque amplius reperiuntur quinque millia Salomonis carmina. Respondet non nemo ex Acatholicis deperditos libros non derogare perfectioni, & sufficientiæ eorum, qui supersunt; sed contra, quia hoc gratis asseritur, quia sciri nequit, quòd quæ supersunt scripta esse præcisè necessaria ad perfectionem doctrinæ Christianæ, & deperdita, vel non fuisse necessaria, vel pro indifferentibus habenda: sed ad hæc ait, quòd Deus non permisisset ea perire, si necessaria non fuissent. Sed respondetur, esse in Ecclesia oraculum vivens, scilicet Pontificem, per quem loquitur Deus, & etiam traditiones supplentes libros scriptos, unde scriptura expresè cùm non contineat traditiones, nec continet totam doctrinam fidei. Tum quia in novo testamento certum est epistolam Pauli ad Laodicenses periisse, cujus ipse meminit ad Colossenses ult. *Ut eam quæ Laodicensium est, legatis*, scripserat enim Paulus ad Laodicenses, ut ait vulgata, quæ nullo modo debet rejici.

Præterea quia necesse est existere aliquos libros divinos, sed id non potest haberi ex scriptura, quia tametsi hæc asserat libros Prophetarum, & Apostolorum esse divinos, non tamen id certo possumus credere, nisi priùs credamus scripturam hoc dicentem esse divinam, siquidem etiam in Alcorano legimus ipsum à Deo missum de cœlo, & nihilominus ei non credimus: quapropter hoc dogma necessarium, quòd sit aliqua scriptura divina, non potest sufficienter haberi ex sola scriptura, quia cùm fides nitatur

verbo

verbo Dei, nisi habeamus verbum Dei non scriptum, quod id testificetur, non possumus id cedere sicut oportet, hinc veteres Patres unanimes testantur, non aliunde nos habere scripturam esse divinam, quam ex traditione non scripta quapropter scriptura expresse non continet totam doctrinam fidei, non enim in scriptura agitur de remedio peccati originalis pro fœminis, & pro masculis, qui in octava nativitatis moriebantur.

Respondent Novatores, non esse mirum, si in veteri testamento nullum fuerit externum remedium pro fœminis contra peccatum originale, eò quia Deo nihil sit præscribendum, siquidem sine externo remedio potuit fœminas liberare à peccato originali, sed hæc responsio non est ad rem, quia non est quæstio quid Deus potuerit, sed quid voluerit facere, & quid re ipsa fecerit. Respondent Petrum Lombardum in 4. dist. 1. statuere fidem habuisse eandem vim in fœminis, quam circumcisio habuerit in masculis, verùm nec hæc responsio satisfacit difficultati, quæ non est solvenda ex Lombardo, sed ex scriptura decidenda controversia est. Neque Lombardus id statuit de fœminis in lege Mosaica, ejus verba sunt hæc: *Melius est dicere illos, qui de Abraham prodierunt per circumcisionem justificatos, mulieres verò per fidem, & operationem bonam, vel suam, si adultæ erant, vel parentum, si parvulæ.* Unde Lombardus non meminit solius fidei, ut, fingunt Hæretici, sed fidei addit bonam operationem, de qua ipsi silent.

Sunt etiam ex Acatholicis, qui respondent, neque in scripturis neque in aliis veterum Judæorum, aut Christianorum libris quidquam haberi de externo remedio pro fœminis instituto. Verùm ex inde clarius colligitur, hanc controversiam non posse ex sola scriptura definiri.

Rursus alii asserunt, circumcisionem institutam fuisse non tantùm pro viris, sed etiam pro fœminis juxta propriam capacitatem: & tripliciter id probant primò quia circumcisio vocatur pactum Domini cum Abrahamo, & ejus fœminæ Genes. 12. atqui in semine Abrahæ comprehenduntur etiam filiæ. Sed contra, quia circumcisio non fuit propriè ipsum pactum, sed signum pacti, seu fœderis à Deo initi cum Abrahamo, perinde ac Iris fuit signum fœderis inter Deum, & Noë Genes. 9. 12. quod non fuerit pactum: sed tantùm signum pacti, liquet ex verbis sequentibus: *Circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me, & vos,* unde circumcisio est signum fœderis, non verò ipsum fœdus vel pactum, unde Apostolus ad Roman. 4. 11. loquens de Abrahamo ait: *Et signum accepit circumcisionis signaculum fidei justitiæ, quæ est in præputio, ut sit Pater omnium credentium per præputium,* scilicet ut sit Pater omnium Gentilium, qui in Christum credituri sunt. Quamobrem tametsi pactum inter Deum & Abraham initum pertineat etiam ad filios Abrahæ, non tamen circumcisio, quæ est signum illius pacti, pertinet ad fœminas, sed ad solos mares, cùm ipsi soli habeant præputium circumcidendi.

Secundò probant, quia nemini nisi circumcisio licuit vesci de agno paschali, ut habetur Exodi 12. 48. Atqui fœminæ vescebantur agno paschali, ergo etiam ipsæ participes erant pro sua capacitate circumcisionis. Sed contra, quia major tantùm de masculis vera est, non verò de fœminis, quia Exodi 12. habetur: *Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, & tunc ritè celebrabit, eritque sicut indigena terræ: si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo.* Quòd si illa major sumeretur generatim tam pro fœminis, quàm pro masculis, inferenda esset hæc conclusio; ergo etiam fœminæ erant circumcisæ, quæ falsa est.

Probant tertiò quia piæ fœminæ veteris testamenti magnum in pacto circumcisionis contra hostes suos habuere solatium, juxta illud Judith. 9. *Memento Domine testamenti tui.* Sed contra, quia dupliciter peccant hoc argumento: primò quia citant librum Judith, quem arguunt falsitatis. Secundò quia nomine testamenti intelligunt pactum circumcisionis, cùm debeat intelligi pactum protectionis. Rursus sunt plura alia, quæ habentur de fide, quamvis non sint in Scripturis Sacris, ubi nullus est sermo de salute Gentilium ante datam legem Moysis, ubi non exprimitur numerus Evangelicorum, qui tamen est de fide, ut etiam numerus epistolarum Apostolicarum, ubi non habentur duodecim Articuli fidei ab ipsis Apostolis relicti in Ecclesia, nec scripta, quæ locutus est Christus Discipulis de Regno Dei, post 40. dies ascensionis, nec plura alia, quæ tantùm per solam traditionem habemus de fide, ex quibus clarè constat, Scripturam Sacram non continere totam fidei doctrinam.

# CAPUT VIII.

## De verbo non scripto, seu de tractationibus Majorum.

Nomen hoc traditionis generatim sumptum significat omnem doctrinam sive scriptam sive non scriptam, quæ ab uno alteri communicatur, in quo sensu Exodi 17. habetur: *Scribe hoc monumentum in libro, & trade in auribus Josue.* Et Actor. 6. Lex Moysis scripta dicitur traditio: *Audivimus, quod mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.* Rursus ab Apostolo ad Corinth. 11. Traditio vocatur doctrina exposita viva voce: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis:* unde tradidi verbum, quod audivi à Domino; proinde traditio est illa communicatio verbis auditi ab uno, & alteri communicati, 2. Thessal. 2. *Tenete traditiones, quas accepistis sive per sermonem, sive per epistolam.* Hinc quamvis nomen traditionis sit generale, ex usu & consuetudine, usurpatur ad significandum tantùm doctrinam non scriptam. Dicitur autem doctrina, non scripta, non quòd nunquam fuerit scripta, sed non fuit scripta ab ejus primo Authore. Cæterum nihil refert, si postea scribatur, & per scripturas communicetur posteris. Quod enim baptismus sit conferendus parvulis, est traditio Apostolica non scripta, quia non reperitur, quod parvuli sint baptizandi, sed tantum quod gentes debeant baptizari, & nihilominus parvulos esse baptizandos, reperitur in omnibus Sanctorum Patrum libris. A 2 Hoc

Hoc pacto sumpta traditione bipartitur traditio in eam, quæ est penes Authorem, & eam, quæ penes materiam, circa quam versatur. Priori modo est multiplex traditio; alia enim est divina, alia Apostolica, & alia Ecclesiastica. Divina dicitur, quæ à Christo docente suos discipulos viva voce accepta est, & nusquam in Sacris Scripturis invenitur, cujusmodi sunt ea, quæ ad materiam, & formam Sacramentorum pertinent, siquidem pauca de iisdem habentur in scripturis, & tamen certum est, Sacramentorum essentiam non potuisse nisi à Christo institui, hinc D. Paulus 1. Corinth. 11. loquens de Sacramento Eucharistiæ ait: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, unde quæ Apostoli viva voce audierunt à Christo, & eorum successoribus communicarunt, propriè dicuntur traditiones divina, eò quia profectæ immediatè & à Christo, & derivatæ in Apostolos & in Ecclesiam. Apostolicæ traditiones dicuntur propriè, quæ ab Apostolis sunt institutæ, non tamen sine assistentia Spiritus Sancti quamvis, non extent scriptæ in eorum epistolis: tales traditiones sunt jejunium quadragesimæ, quatuor temporum, & pleraque alia. Subinde tamen traditiones divinæ vocantur Apostolicæ, non quòd ab Apostolis institutæ sint, sed quia ab Apostolis primo traditæ Ecclesiæ, cum ipsi seorsim eas accepissent à Christo; rursus Apostolicæ traditiones interdum dicuntur divinæ, non quod Deus immediatè eas instituerit, sed quia non sine Spiritu ... eas Apostoli instituerint, quæ pacto eorum epistolæ dicuntur divinæ, tametsi sint quædam præcepta, ut patet ex 1. Corinth. 7. *Præcipio non ego, sed Dominus*. Et postea: *dico ego non Dominus*. Traditiones Ecclesiasticæ propriè dicuntur consuetudines quædam antiquæ, vel à Prælatis, vel à populis inchoatæ, ac inolitæ, quæ paulatim tacito consensu populorum vim in Ecclesia obtinuerunt.

Cæterum traditiones eandem vim obtinent, quam divina præcepta, sive doctrina scripta in Evangelio; pari pacto Apostolicæ traditiones non scriptæ habent eandem vim, quam habent Apostolicæ scriptæ, ut asseritur in Concilio Tridentino: quia verbum Dei non dicitur esse tale, nec suam habere authoritatem ex eo, quòd scriptum sit in papyro, vel membrana, sed quia proximè, & immediatè probatum fuit à Christo, ut sunt Christi sermones, vel mediatè, seu mediantibus Apostolis, ut est decretum Apostolorum Act. 15. Hinc etiam mandatum Principis eandem vim & authoritatem habet apud subditos, sive scripto exaretur, sive viva voce proferatur: perinde verbum Dei sive scriptum fuerit, sive traditum, & viva voce tantùm prolatum eandem habet energiam.

Quòd si dicas, traditionem Apostolicam non esse verbum Dei, respondetur esse & ipsam verbum Dei, eò quia traditio Apostolica inspirata fuit à Deo, perinde ac eorum doctrina, quæ viva tantùm voce tradita est: sicut enim quatuor Evangelia, quatuordecim epistolæ Pauli, & epistolæ Joannis, Petri, Jacobi, & Judæ vocantur verbum Dei, perinde etiam doctrina Andreæ, Philippi, Bartholomæi, Matthiæ, Barnabæ, quam ipsi viva voce prædicârunt, vocari debet verbum Dei, eò quia Deus similiter doctrinam illam inspiraverit, verbum enim Dei est, quod ab ipso procedit, sive immediatè, sive mediante aliqua creatura, ut instrumento, quia semper procedit à Deo, quando enim loquitur per Apostolos, quibus inspirat dicenda, utitur, tanquam instrumentis ipsis Apostolis, quapropter eadem fides, & iis præstanda circa ea, quæ scripserunt, quàm quæ non scripserunt, quia omnia fuerunt à Deo illis inspirata, & omnes ad promulgandum Evangelium acceperunt Spiritum S. Sanctum. Traditiones itidem Ecclesiasticæ eandem vim obtinent, quam decreta, & constitutiones scriptæ ipsius Ecclesiæ, siquidem etiam in Republica civili eadem est vis approbatarum consuetudinum, ac legum scriptarum, ut patet *dist. 1. can. consuetudo, & l. Diuturna ff. de legibus*.

Partitio traditionum penes materiam est in aliquas de fide, & alias de moribus, seu ritibus, & hæ vel sunt perpetuæ, vel temporales, vel universales, vel particulares; vel necessariæ, aut liberæ, & ita loquitur Bellarminus *lib. 4. de verbo Dei non scripto cap. 2.* priors pars ex eo evincitur, quia tria sunt fidei principia maximè necessaria, & tamen non habentur in scriptura, sed tantùm ex sola traditione. Quorum primum est, quòd tota Sacra Scriptura veteris, & novi testamenti simul sumpta sit verbum Dei: hæc enim propositio est certa de fide, quamvis nullibi in Sacra Scriptura deprehendatur scripta, unde nonnisi ex sola traditione id nobis constat. Secundum quòd tota Sacra Scriptura in iis, quæ ad fidem, & ad salutem necessaria sunt, manet nobis salva, & incorrupta. Quòd enim hæc Sacra Scriptura non fuerit immutata, nullibi reperitur scriptum in Bibliis, & tamen est propositio de fide omnia comprehensa in scripturis esse salva, & incorrupta. Tertium est, quod habeamus verum, & genuinum ejus sensum, est etiam propositio de fide, quæ tamen nullibi scripta reperitur in Bibliis, quapropter hæ tres propositiones de fide sunt tantùm traditiones penes materiam, & si illas admittimus, ut tenemur, necessariò debemus etiam traditiones admittere, per quas illas accepimus: alioquin nisi admittamus traditiones, corruit nostra fides. Rursus est etiam de fide, quòd quatuor sint Evangelia, nec plura, nec pauciora, & quòd symbolum Apostolorum sit verè Canonicum, & quòd parvuli infantes sint baptizandi, & tamen hæ propositiones, ut jacent, nullibi reperiuntur in Sacris Scripturis, unde Origenes in cap. 6. Epist. ad Roman. ait: *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis baptismum dare*.

Quòd symbolum fidei sit verè Canonicum, & Apostolicum, contendunt Sectatores aliqui inficiari, asserentes duo posse per symbolum intelligi scilicet Articulos in ipso symbolo Apostolico comprehensos, & formulam, qua articuli inter se dispositi, & ordinati sunt, & posita hac distinctione tria asserunt, primò articulos symboli esse verè Canonicos, & Apostolicos, quia symbolum ex scriptura probare possunt, secundò ajunt, formulam non esse Canonicam, & Apostolicam, quia non habetur in scriptura. Tertiò, quia etiam si constaret formulam symboli esse traditionem Apostolicam, non tamen constaret esse Canonicam.

Sed contra, primo falsum est articulos symboli ideo esse Canonicos, & Apostolicos, quia ex scriptura probari possunt: siquidem antequam extaret scriptura novi testamenti (ex qua probari possunt) jam erant Canonici, & Apostolici, id est, à Spiritu Sancto per Apostolos dictati, & promulgati, id enim contigit statim post acceptum Spiritum Sanctum, antequam Apostoli in varias mundi partes dispergerentur, & antequam scripta essent acta, & Epistolæ Apostolorum, ut docent antiquissimi Patres, inter quos Clemens Romanus epistola prima ad Jacobum fratrem Domini, Irenæus *lib. 1. cap. 2.* Augustinus, *serm. 115. de tempore*. Isidorus *lib. de Ecclesiasticis officiis cap. 22.* Rursus falsum est: formulam symboli non esse Canonicam; & Apostolicam, eò quia ex Sacris Scripturis probari non possit: siquidem formula articulorum concepta fuit ab Apostolis,

stolis, & ab iisdem promulgata, antequam scriptura novi testamenti extaret, sed tunc erat canonica, & Apostolica, tametsi in scriptura non reperitetur; ergo etiam erit talis in dependenter à scripturis. Rursus traditio Apostolica non minorem habet authoritatem quàm scriptura, quæ propterea si censetur canonica, sed divina etiam ipsa traditio Apostolica est censenda divina, ut sentiunt Sancti Patres, præsertim Basilius in libro de Spiritu Sancto cap. 27. inquiens: *Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus ex doctrina scripto prodita; quædam rursus ex Apostolorum traditione, quorum utraque parem vim habent ad pietatem.* & D. Chrysostomus in cap. 2. Epistolæ posterioris ad Thesal. homil. 4. in illa verba Apostoli: *Tenete traditiones*, ait: *Hinc patet, quod non omnia per Epistolam tradiderint, sed multa etiam sine litteris. Eadem verò fide digna sunt tam illa, quam ista.* Et D. Augustinus dist. 11. cap. *Ecclesiasticarum*, ait: *Ecclesiasticarum institutionum quasdam in scripturis, quasdam verò Apostolica traditione per successiones in ministerio confirmatas accepimus, quibus idem utrisque debetur pietatis affectus.* Ratio etiam hoc idem evincit, quia si mandatum Principis viva voce prolatum eandem authoritatem & vim obtinet apud subditos, quàm si scripto proponatur; ita etiam verbum Dei, sive scriptum sive traditum sit, candem habet authoritatem & vim. Quòd si dicas, Apostolicam traditionem non esse verbum Dei, eò quia à Deo inspirante sit, juxta illud 2. Pet. 1. *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*, ita etiam de doctrina Apostolorum, quæ viva tantum voce ab iisdem tradita fuit, statuendum est, quia etiam hæc doctrina non scripta, sed tantum voce tradita perinde fuit à Deo inspirata, ac ipsa doctrina scripta à Matthæo, Marco, Luca, Joanne, Paulo, Petro, Juda, est enim semper verbum Dei, quia Deum habet illius Authorem, propterea non minor est fides adhibenda scripturis sacris, ac traditionibus, quia sunt ambo inspirata à Deo, & dicuntur verbum Dei.

Traditio ad mores pertinens est, quæ in Ecclesia inolevit ad mores ritè formandos, cujusmodi est signum crucis in fronte formandum, quod jejunium certis anni diebus sit servandum; quòd dies festi sint celebrandi. Rursus traditio alia est perpetua ita instituta, ut semper servetur: alia temporalis, quæ ad certum tantùm tempus servatur, ut fuit observatio legalium, quarundam cœremoniarum, quæ servandæ erant usque ad plenam Evangelii promulgationem ut facilius Ecclesia Christiana ex Judæis, & gentibus coalesceret: Traditio universalis est, quæ à tota Ecclesia servatur cujusmodi sunt observationes Festorum, Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, ut docet D. Augustinus *Epist.* 118. Rursus traditio universalis est, quæ non tantùm aute pluribus Ecclesiis competit, cujusmodi fuit tempore S. Augustini jejunium Sabbathinum, quod D. Petrus Ecclesiæ Romanæ tradiderat, & ab ea & quibusdam tantum servabatur, ut docet D. Augustinus *Epist.* 89. *ad Casulanum.* Alia traditio dicitur necessaria, quæ traditur in forma præcepti, ut celebratio Paschæ die dominico, post decimam quartam Lunam Martii. Libera verò, quæ traditur per formam Consilii, cujusmodi est aspersio aquæ lustralis.

Hinc patet dari traditiones in Ecclesia, quia omnia credenda non habentur expressè in scriptura; vel enim totus canon scripturæ simul sumptus est sufficiens, vel singuli libri per se, & seorsim sunt sufficientes; Si dicatur hoc secundum, ergo reliqui essent superflui, quod est falsum. Tum quia plura habemus de fide, ut jam evicimus, quæ tamen non continentur expressè in sacris scripturis. Neque Evangelistæ omnia necessaria scripserunt, etenim D. Joannes nihil scripsit de Annuntiatione, Nativitate, Circumcisione, & Epiphania Domini, & aliis pluribus, hoc idem etiam potest asseri de aliis Evangelistis, non enim omnes omnia scripserunt. Unde aliqua non scripta, sed tantum tradita pertinent ad fidem. Vel Sectarii fatentur totum canonem esse necessarium ad hoc, ut sufficiens doctrina habeatur, sed hoc nequit de canone affirmari, siquidem plures libri verè sacri, & canonici perierunt: unde non habemus, nec habuimus adhuc sufficientem canonem. Libros aliquos ex sacra scriptura periisse docent Sancti Patres præsertim Chrysostomus homil. 9. in Matth. in verba illa: *Nazaræus vocabitur*, ubi ait: *multa ex prophetiis periere monumentis, quod de historia Paralipomenon probare possibile est; desides enim cum essent Judæi, nec desides modo, sed etiam impii, alia quidem perdiderunt negligentes, & alia incenderunt, vel conciderunt.* Hoc idem etiam docet *homil. 7 in Epist. 1. Cor.* neque responderi potest quæ perierant, reparata postea fuisse per Esdram, siquidem Chrysostomus probat nunc post Esdram non extare omnia vaticinia Prophetarum, & probat ex eo, quòd Judæi plura amiserint, quæ neglexerunt bene custodire. Rursus Esdras propriè non reparavit libros deperditos, sed collegit, & emendavit eos, qui suo tempore extabant.

Generatim igitur traditio bipartitur in eam, quæ vertatur circa doctrinam; & in illam qua circa praxim; circa doctrinam est traditio, quod mater Dei semper fuerit Virgo. Quod libri omnes veteris, ac novi testamenti, fuerint scripti dictante seu inspirante Spiritu Sancto. Quod in divinis non detur alia realis distinctio, nisi penes relationes. Quòd Christus Dominus in ultima cœna *elevatis oculis in cœlum* benedixerit, ac fregerit panem. Quòd etiam in consecratione calicis dixerit illa verba *mysterium fidei* & plura alia id genus, quæ recenset Innocentius III. in cap. Marthæ de celeb. missar. Traditiones practicæ sunt quæ ad informandos mores pertinent; quamvis nulla sit traditio practica, quæ veritatem aliquam non includat ex iis, quod de fide sunt credenda; hujus generis plures in materia Sacramentorum occurrunt traditiones, ut quod parvuli sint baptizandi, quænam sit materia, & forma Ordinis, Confirmationis, Extremæ unctionis à Christo instituta. Quod Sacramenta aliqua non sint iteranda. Ad hoc traditionum genus etiam pertinet, quod sacræ imagines sint cultæ, & veneratione dignæ, ut habetur in septima Synodo; ut etiam templorum usus; luminum splendor in iisdem; & alia pleraque pertinentia ad cultum divinum, & Sanctorum. Præterea ex practicis traditionibus aliæ fuerunt temperariæ, quæ ad certum tempus duntaxat durarunt, ut fuit decretum illud de sanguine, ut suffocato, cujus meminit Lucas in actis Apostolorum, quòd tantum obligavit pro certo tempore, donec Judæi, & Gentiles possint simul in una fide copulari, & convenire. Tale itidem fuit institutum illud baptismi in nomine Christi, de quo etiam habetur in actis 8. si tamen solius Christi mentio fieret in eo baptismo, & non etiam omnes tres Personæ Sanctissimæ Trinitatis exprimerentur. Ex traditionibus etiam constat, pleraque alia fuisse absque ulla temporis limitatione extradita, quorum alia, ne ab ipsis quidem Apostolis ex authoritate, & officio proprio, consequenter neque ab

ab Ecclesia unquam mutari posse credantur secula extraordinaria aliqua, & peculiari Christi revelatione: cujusmodi sunt, quæ Apostoli ex ore ipsius Christi immediatè acceperunt, ut sunt, quæ pertinent ad substantiam Sacramentorum, adeo ut si aliquando Apostoli baptismum in nomine solius Christi contulerint, id præstiterint ex eo, quia ex peculiari Christi revelatione pro tali tempore, quo nomen ipsius celebrari oporteret, adeo ut non propria authoritate id fecerint, sed ex Christi mandato, ut docet D. Thomas 3. p. q. 66. art. 6. ad 1. argumentum, siquidem Ecclesia non potest immutare quæ sunt de essentia Sacramentorum, cujusmodi est eorum forma. Alia itidem fuerunt ab Apostolis tradita sine certa temporis determinatione; sed quæ illi tamen ex authoritate, & officio proprio f. suggerente Spiritu ad utilitatem Ecclesiæ consideralis temporum circumstantiis instituerunt: & hæc pro rerum ac temporum circumstantiis possunt ab Ecclesia seu Romano Pontifice immutari vel aboleri, & alia quoque de novo institui, quia sicut circumstantia rerum progressu temporis variantur, ita etiam debet ratio Ecclesiastici regiminis pro temporum ac rerum varietate immutari, ac variari, quo pacto plures ritus olim pertinuerunt ad Ecclesiam, qui modo non sunt amplius in usu, ut communio laicorum sub utraque specie, & alia id genus.

# CAPUT IX.

## Quomodo ostendatur necessitas admittendi in Ecclesia traditiones.

NOn negant Sectarii dogmata emanata ab Apostolis suggerente Spiritu Sancto, vel à Christo tradita viva voce infallibilem habere authoritatem, ac si scripta essent; asserunt enim doctrinam sacram suam habere infallibilitatem, non ex eo, quia litteris, & atramento fuerit expressa, sed quia dictata fuerit à Spiritu Sancto, vel inspirata vel etiam tradita à Christo, sive litteris, sive viva voce expressa; unde controversia apud ipsos est, an de facto dentur in Ecclesia aliqua ejusmodi dogmata, tradita ab Apostolos viva voce, sine scripto, quæque etiamnum extent in Ecclesia, ac suppeditent ad fidei controversias finiendas argumentum infallibile, & hoc negant Hæretici non solùm recentiores, sed etiam veteres omnes: siquidem ab initio Ecclesiæ solemne semper fuit Hæreticis, ut ad solas puras, & simplices, provocaverint scripturas Catholicos, nec aliud fidei concederent principium, quam solus textus sacræ scripturæ, ut præstiterunt Arius, Nestorius, Eutyches, Dioscorus, ut refert Basilius Episcopus Ancyranus in confessione, quam exhibuit septimæ Synodo: hoc idem etiam fecerunt Iconomachi, ut liquet ex eadem septima Synodo, & etiam Aëriani teste Epiphanio, Marcionitæ, & Valentiniani, ut testatur Tertullianus *lib. de præscript.*

Ex recentioribus Sectariis Lutherus in comment. cap. 1. ad Galat. ait in scripturis omnia contineri ad fidem, & mores necessaria, proinde non esse opus ullo verbo non scripto, ait ipse: *Neque alia doctrina in Ecclesia tradi, & audiri debet, quàm purum verbum Dei, hoc est, sancta scriptura, Doctores, vel auditores alii cum sua doctrina anathema sunt*: Joannes Brenzius in Prolegom. cap. de traditionibus ait: *Perspicuè significat Apostolus, quod nulla traditio contra, & præter testimonia scripturæ agnoscenda sit pro dogmate necessario ad salutem.* Joannes Calvinus lib. 4. instit. cap. 8. §. 8. itidem ait: *Esto igitur hoc firmum axioma: non aliud habendum esse Dei Verbum, cui detur in Ecclesia locus, quam quod lege primum, & Prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur.* Et Martinus Kemnitius in Exam. Concil. Tridentin. sess. 4. sæpissime repetit hunc esse statum quæstionis an scripturæ contineant omnia dogmata, ad salutem necessaria, & ait se affirmare cum Catholici id negent, qui præter scripturas asserunt dari etiam traditiones, seu dogmata fidei non scripta.

Unde dissident Sectarii à Catholicis, quia illi existimant traditiones Apostolicas, si quæ fuerunt, nunc non extare, id est, non posse certo demonstrari aliquam Apostolicam traditionem, ita Kemnitius *loc. cit.* ubi ait: *Nullis certis & firmis documentis probari potest, qui sint ritus certo ab Apostolis traditi, qui ex scriptura ostendi non possunt.* E converso Catholici asserunt, non deesse certas vias, & rationes, quibus dignosci possint in militante Christi Ecclesia Apostolicæ traditiones. Cæterum plura fingunt Hæretici, quæ falsa sunt. Brenzius, & Kemnitius in locis præcitatis apertè asserunt, nil posse æquari sacris scripturis, adeo ut traditiones non sint ejusdem authoritatis, sed longè inferioris; ait enim Brenzius loquens de Catholicis: *Non contenti scriptura divinitus commendata & confirmata jactant Apostolos multa tradidisse posteris sermone, quæ non minorem habent authoritatem, quam quæ scripto mandata sunt*: & Kemnitius ait: *Insignis audacia est majestati, & authoritati scripturæ canonicæ aliquid æquare.* Verùm Sectarii non negant Apostolos aliquid tradidisse præter scripturas; etenim Brenzius ait: *Negari non debet, nec potest, quin tam Christus multa dixerit, & fecerit, quam Apostoli multa tradiderint, & instituerint, quæ non sunt ab ipsis litteris comprehensa*, & Kemnitius ait: *Apostolos igitur ritus quosdam ordinasse & tradidisse Ecclesiis ex scriptis ipsorum certo constat, & verisimile est, quosdam etiam alios externos, qui in scriptura annotati non sunt, ab Apostolis traditos esse.* Quòd si minor est authoritas, Apostoli ore præcipientis, quàm litteris mandantis, sequitur non esse audaciam, ut ait Kemnitius, æquare aliquid non scriptum verbo scripto, siquidem possumus æquare ordinationem ritus externi ab Apostolis traditam cum simili ordinatione litteris mandata, utroque enim modo Sectarii fatentur Apostolos aliquid ordinasse.

Præterea falsum est, quod Sectarii, præsertim Calvinus, Brenzius, & Kemnitius, sæpe repetunt, nos velle omnem ritum Ecclesiæ esse Apostolicam traditionem absque ullo delectu; ait enim Calvinus lib. 4. instit. cap. 10. §. 19. Romanenses Magistri extorquere volunt, ut nulla sit apud eos cæremoniola, quæ non pro Apostolica censeatur; quod

quod tamen est falsum, quia Catholici eas tantum cæremonias pro Apostolicis recipiunt, quas firmissimis testimoniis petitis ab antiquioribus Ecclesiæ Patribus probare possunt. Præterea commune est, iisdem sic agere, quasi ipsi solas scripturas recipiant, & Catholici tantùm traditiones defendant, nec curent, an traditiones sint secundùm scripturam, an contra scripturam, quod falsissimum est; nam scripturam nos pluris facimus, quàm illi, nec ullam admittimus traditionem contra scripturam.

Rursus dicunt, Catholicos asserere, Deum constituisse, ut doctrina Christi, & Apostolorum non scriberetur in libris, sed tantùm viva voce traderetur, & Apostolos postea habuisse in mandatis, ut ea scriberent, quæ viva voce à Magistro Christo audierunt, sed id quoque falsum est, quia nullus Catholicorum hactenus asseruit Deum constituisse, ut novum testamentum non scriberetur, alioquin Evangelistæ & Apostoli scribendo peccassent, unde Catholici asserunt novum testamentum verè fuisse scriptum à quatuor Evangelistis, dictante Spiritu Sancto, & suggerente, quæ scribenda erant, & credenda de fide, Catholici asserunt, hæc omnia debere præsertim in corde scribi & illa exequi, quæ in novo testamento habentur. Præterea falsum est Deum mandâsse Apostolis, ut scriberent; legimus enim Matth. ult. injunxisse Christum *Apostolis*, ut promulgarent Evangelium, & nusquam legimus, ut illud scriberent. Fatentur Catholici, quod Deo dictante, & inspirante Apostoli scripserint, quæ scripserunt: aliud autem est aliquid facere Deo suggerente, & inspirante, & aliud Deo expressè præcipiente, & hoc pacto intelligendus est D. Augustinus lib. 1. de consensu Evangelistarum cap. ult. ubi sic loquitur; *Quidquid ille de suis factis, & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam suis manibus imperavit.* Loquitur enim D. Augustinus de imperio interno, quo Christus invisibiliter ut caput membra sua movet ad varias actiones, quod imperium suggestio quædam, & inspiratio potius, quàm præceptum propriè dictum existimari debet. Quòd si dicant in Apocalypsi, Joannem scripsisse quasdam arcanas visiones jussu Dei, *scribe, quæ vides*: contra est, quia non jubetur Joannes scribere doctrinam Evangelii & præcepta morum, de quibus est quæstio. Rursus Kemnitius pag. 420. ait: Pontificios non veteri multa ad Apostolorum traditiones referre, quæ ab aliis authoribus multò posterioribus instituta & profecta esse ex ipsis Pontificiorum scriptoribus ostendi potest. Idque nititur evincere pluribus exemplis; primo asserit Innocentium III. in cap. cum Martæ de celebrat. missar. asserere plura quidem verba in consecratione calicis, quàm Dominus in Evangelio dixerit, & tamen illa non haberi ex Apostolica traditione: probat ex eo, quòd ipsi scriptores Pontificii annotarint, à quibus Romanis Pontificibus illa verba adjecta fuerint.

Sed hoc est totum falsum, quia licèt scriptores Catholici annotaverint in reliquo canone, quis Pontifex quid addiderit, in verbis tamen consecrationis non invenitur aliquid esse additum, neque enim potuit ullus Pontifex quidquam addere. Secundò dicunt, totum canonem missæ Catholicos asserere esse ex Apostolica traditione, adeo ut si quis ausus fuerit de hoc dubitare, anathemate percutiatur; sed in hoc quoque injurii sunt; sicut enim in canone fit commemoratio plurium Sanctorum, quorum aliqui nonnisi post ducentos ab Apostolis annos floruerunt, vel Martyrium subierunt, ita nemo dicet, totum canonem esse ex Apostolica traditione, bene tamen præcipuam ejus partem, cui postea summi Pontifices aliquid addiderunt, quæ non sunt ex Apostolica traditione, sed tantum habuerunt Authorem summum Pontificem. Tertio asserunt, Alexandrum Papam injunxisse aquam vino misceri in celebratione missæ in Eucharistia, rursus aquam & salem benedictum instituisse, qui tamen ritus ad Apostolorum traditionem revocantur. Quòd item falsum est; ait enim Alexander Epistola 1. Repulsis opinionibus superstitionem panis tantùm & vinum aqua permixtum in sacrificio offerantur. *Non debet enim (ut à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet) in calice Domini aut vinum solam, aut aqua sola offerri*; unde tantum abest, quod jussu Alexandri Papæ aqua misceatur vino in calice sacrificii missæ, ut testetur Alexander, hanc mixtionem haberi à Patribus, qui semper in Ecclesia ea usi fuerint, hinc Cyprianus lib. 2. Epist. 3. ait: hanc esse traditionem divinam, & Alexander satis expressè significat, hunc usum non incepisse à se, sed eum accepisse à Patribus. De aqua etiam benedicta non dicit, se primum eam jussisse benedici, sed indicat se facere, quod est antiquæ consuetudinis: quo pacto ait Alexander: *aquam sale conspersam populis benedicimus*, quapropter à Clemente lib. 8. Apostolicar. constit. cap. 35. dicitur Apostolica traditio. Quarto asserunt, Telesphorum Papam jejunium quadragesimale instituisse, quod etiam est falsum, quia Telesphorus in sua Epistola non dicit se instituisse quadragesimam, sed tantum ut Clerici ad solitum jejunium omnium Christianorum adderent tres dies, & inciperent à carnibus abstinere in dominica quinquagesimæ, ait ipse: *Cognoscite à nobis, & à cunctis Episcopis in hac Sancta & Apostolica sede congregatis statutum esse, ut septem hebdomadas plenas ante Sanctum Pascha omnes Clerici à carne jejunent.* Hinc ait D. Hieronymus Epist. ad Marcellam contra Montanum jejunium quadragesimale haberi in Ecclesia ex traditione Apostolica, ac fuisse ab Apostolis institutum. Quintu asserunt Sectarii Hyginum Papam Chrisma instituisse, quod falsissimum est, quia nihil in Epistolis Hygini invenitur de chrismate, nec extat apud alios ullum decretum, nisi quod Gratianus de consecrat. dist. 4. can. in Catechismo affert decretum quoddam Hygini, quo declarat, unum & eundem hominem posse suscipere baptizatum & confirmatum, seu posse esse patrinum, quamvis melius semper sit, ut sint diversi; & Fabianus Papa Epist. 2. ait: Chrisma singulis annis esse renovandum, eo quia sic Apostoli instituerint, unde tantum abest, quòd Papa instituerit Chrisma, ut expressè asserat, singulis annis esse renovandum ex Apostolica traditione, omnia enim septem Sacramenta fuerunt instituta à Christo. Sextò aiunt Calixtum Papam jejunium quatuor temporum instituisse, ex quo inferunt, non esse ex Apostolica traditione, quod falsum est, quia Calixtus in Epistola 1. ait: Se tantum addidisse unum jejunium ad tria, quæ antea erant, quapropter Sanctus Leo Papa serm. 2. de jejunio Pentecostes, & serm. 8. de jejunio septimi mensis dicit: Illa jejunia esse ex Apostolica traditione, nec pugnare cum decreto Calixti. Septimò aiunt, Felicem Papam instituisse consecrationem altarium, quod etiam est falsum; constat enim Sylvestrum fuisse authorem hujus ritus licet in Epistola Felicis IV. plura dicantur de consecratione altarium, nihil tamen habetur de institutione, sed tantùm antiqui ritus explican-

plicantur. Octavo aiunt Felicem IV. instituisse ut infirmi ante obitum inungerentur, quod etiam est falsum, siquidem Marci 6. Apostoli ungebant ægrotos oleo, & Jacobi 5. Presbyteris ungere ægrotos oleo, & Innocentius I. qui per integrum Sæculum præcessit Felicem IV. in Epistola 1. quæ est ad Decentium cap. 8. ait: Unctionem infirmorum esse Sacramentum Ecclesiæ. Nono ajunt Syricium Papam memoriam, & invocationem Sanctorum missæ addidisse, quod etiam falsissimum est, nam Cyrillus Jerosolymitanus multò antiquior Syricio in Catech. 5. mystagogica ait: *Cum hoc sacrificium offerimus, facimus mentionem eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum ut DEus orationibus suscipiat preces nostras.* Rursus Basilius, qui antiquior fuit Syricio in sua Liturgia ait: Videmus memoriam fieri, & invocationem Sanctorum. Decimò ajunt, Pelagium Papam memorias aniversarias mortuorum adiecisse missæ, quod etiam est falsum, quia Tertullianus longè antiquior Pelagio Papæ lib. de Monogamia meminit anniversariæ oblationis pro defunctis, & lib. de corona militis ait, suffragia pro defunctis haberi ex Apostolica traditione.

Quòd verò præter scripturas dentur in Ecclesia aliquæ traditiones non scriptæ, est definitum in Concilio Nicæno II. art. 6. & 7. & in octava Synodo actione 8. ut etiam in Concilio Tridentino sess. 4. contra Novatores nostri temporis contendentes omnia dogmata Christianæ fidei expressa reperiri in Sacris Scripturis, & traditiones non scriptas nullius esse roboris, & authoritatis, quod etiam asseruerunt antiqui Hæretici. Idque evincitur 1. ex Sacris Scripturis 2. ad Thessal. 2. *Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per Epistolam nostram.* Ubi Apostolus cum loquatur disjunctivè sive per sermonem sive per Epistolam apertè significat duo genera traditionum, scriptas, quæ habentur per Epistolam, & non scriptas, quæ habentur per sermonem, ac viva voce exprimuntur, atqui Apostolus asserit utramque traditionem esse æqualiter tenendam, ratio est manifesta, quia verbum divinum, sive scriptum sit, sive non semper est æquè credibile, & ejusdem authoritatis, ac infallibilitatis. Neque responderi potest Apostolum eadem scripsisse quæ ore tradiderat, siquidem Epistola illa scripta ad Thessalonicenses non continet omnem Doctrinam Evangelii, quapropter Sancti Patres probant dare in Ecclesia aliquas traditiones non scriptas, ut Chrysostomus homil. 4. in cap. 2. Epist. 2. ad Thessal. ait: *Patet, quod non omnia per Epistolam tradiderint Apostoli, sed multa sine litteris eadem verò fide digna sunt, tam ista, quam illa.* Rursus Apostolus 1. ad Corinth. 10. ait: *Laudo vos, quod per omnia mei memores estis, sicut tradidi vobis, præcepta mea servatis.* Addit autem Apostolus de modo orandi in Ecclesiis, & sumendi Evcharistiam, quapropter Sanctus Basilius lib. de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 29. ait: *Apostolicum esse arbitror traditionibus etiam non scriptis inhærere*: ergo dantur aliquæ traditiones Apostolicæ ad nos usque derivatæ. Rursus Christus Joan. 16. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*, & Joan. ult. *Sunt autem & alia multa, quæ petit JEsus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, liberos.* Quod si plurima Christi facta scripta non sunt, proculdubio etiam plura verba, atque præcepta, ac documenta ab ipso audierunt discipuli, quæ omnia minimè scripta fuerunt; sed voce tenus abiisdem successoribus tradita; non enim Apostoli putàrunt ea negligenda esse; sed ad utilitatem Ecclesiæ viva voce suis tradiderunt Successoribus. Hinc etiam D. Paulus commemorat aliquam sententiam prolatam à Christo, quam nullus ex Evangelistis scripsit; ait enim D. Paulus Christum dixisse Actor. 20. *Beatius esse dare, quàm accipere*, unius sententiæ cum Evangelistæ non meminerint; necesse est fateamur, non omnia, quæ Christus dixit suis Discipulis fuisse scripta; sed plura viva tantùm voce tradita Successoribus. Ex quibus constat plurima Christum fecisse, & dixisse, quæ non sunt scripta; siquidem libri, qui extant, quilibet exiguus locus capit, & Joannes asserit multa alia fecisse JEsum, quæ, si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos posse, propterea non omnia fuerunt scripta, sed plurima viva voce tradita, proinde, quæ promittebat Dominus se dicturum Joan. 16. dixit proculdubio post suam resurrectionem, ut Lucas testatur Actor. 1. *Per dies quadraginta apparens eis & loquens de Regno DEI*, & quia de gestis & verbis Domini nonnisi pauca post resurrectionem scripserunt Evangelistæ, non est credibile Apostolos, qui ea & viderant, & audierant non tradidisse Ecclesiis, neque enim ulla detinebantur invidia, vel oblivione, quin eadem aliis, & præsertim suis Successoribus communicaverint, neque id fuit ipsis prohibitum, imò & injunctum promulgare Evangelium.

Neque ullum facessit negotium, quod respondent Sectarii, quod tametsi non sint scripta omnia quæ dixit, & fecit JEsus, essent tamen scripta omnia, quæ necessaria sunt ad consecutionem æternæ Salutis. Nam contra est, quia tametsi plurima sint scripta, non tamen omnia, quia plura, quæ non fuerunt scripta, sed tantùm Ecclesiæ tradita, necessaria sunt ad salutem, præsertim quæ habentur de institutione Sacramentorum, quæ absque dubio Christus tradidit suis Discipulis post suam resurrectionem diebus illis quadraginta, quibus commoratus fuisset inter ipsos, antequam cœlum ascenderet. Rursus D. Paulus 1. Corinth. 11. duas agitat quæstiones, unam de modo orandi in Ecclesia; alteram de modo sumendi Evcharistiam, & primam exorditur ab ipsa traditione inquiens, laudo vos, quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis: siquidem hæc præcepta de modo orandi, & sumendi Evcharistiam, nullibi deprehenduntur scripta, & Sancti Patres, ut Chrysostomus, Epiphanius, Basilius *lib. de Spiritu S. cap.* 29. & Damascenus *lib.* 4. *cap.* 17. expressè asserunt, Apostolum fuisse locutum de præceptis non scriptis, & solùm viva voce traditis, quibus cum aliquid deesset, addit, ut etiam observent, ut viri in Ecclesia preces fundant capite aperto, & mulieres velato, ex quo nos docet, multum esse tribuendum traditioni, & consuetudini Ecclesiæ, tametsi non habeatur scriptura, postea concludit: *si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia DEI*, adeo ut coërceat contentiosos, non ex ipsis scripturis, sed ex Ecclesiæ consuetudine. Secundam quæstionem etiam D. Paulus exorditur ab ipsa traditione: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, & postea concludit: *Cætera cum venero disponam.* Quid autem disposuerit, scriptum non invenitur, & plures censent Apostolum non solùm disposuisse quæ ad ritus, & cæremonias pertinerent, sed etiam graviora, ut de ordinatione Mini-

stro-

strorum, de sacrificio altaris, de quibus non scripsit Apostolus, sed tantùm tradidit aliis, & hæc postea servata fuerunt in Ecclesia, quæ habentur per traditionem non per scripturam, hinc 2. ad Thessal. 2. eos hortatur, ut servent traditiones, quas acceperunt.

Neque obstat, quod respondent Sectarii, Apostolum Paulum eadem prius quidem tradidisse sermone, sed postea scripsisse per Epistolam, consequenter ibi non fuisse locutum de traditione non scripta. Sed contra, quia Apostolus ibi loquitur expressè de utraque traditione, scripta, & non scripta, ait enim: *Tenete traditiones, quas accepistis sive per sermonem sive per Epistolam nostram*, illa enim particula disjunctiva *sive* apertè indicat diversa esse, quæ viva voce tradiderat, & quæ calamo scripserat, proinde distiuguit traditionem à scriptura, alioquin si ita esset, sequeretur Epistolam unam ad Thessalonicenses comprehendere omnem Doctrinam, quam Apostolus illis prædicaverat, & cum iisdem totum propemodum Evangelium prædicâsset, ut liquet ex cap. 1. & 2. prioris Epistolæ, deberet procul dubio Epistola illa totum comprehendere Evangelium, quod deprehenditur falsum. Alii cum Brenzio in prolegomenis respondent Apostolum 2. ad Thessal. fuisse locutum de sermone, quem ore pronunciaverat, & quem ipse non scripserat, sed qui scriptus erat ab aliis, vel qui fuit postea ab Evangelistis scriptus, eò quia Apostolus, ut ajunt Sectarii, nihil prorsus docuerit, quod non sit alicubi scriptum in novo testamento. Nam contra est, quia in præcitato capite 2. Epist. 2. ad Thessal. fatetur Apostolus se illis prædicâsse de Antichristo, & præter alia docuisse, quando esset venturus inquiens: *Et nunc quid detineat, scitis. Et num retinetis, quia cum essem vobiscum hæc dicebam vobis?* Quando autem Antichristus sit venturus, nullibi est scriptum, adeo ut Christus à suis interrogatus Discipulis respondit nec Filium hominis scire de die illo, seu extremo judicio, cum venturus erit Antichristus prodromus illius, quapropter D. Augustinus *lib.* 20. *cap.* 10. *de civit. DEI* ait: Illos scivisse, quod Apostolus docuerat viva voce, secus nos non possumus id scire, quia Apostolum non audivimus; ex quibus clarè constat, non omnia quæ pertinent ad salutem, fuisse ab Apostolo scripta, sed plura viva voce tradita. Hinc Basilius lib. de Spiritu S. cap. 29. ait: *Apostolicum arbitror esse etiam in non scriptis traditionibus perseverare. Laudo, inquit, vos, quod omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones continetis. Et: Tenete traditiones, quas accepistis sive per sermonem sive per Epistolam.* Præterea 1. ad Timoth. ult. ait Apostolus: *O Timothee, depositum custodi*: nomine autem depositi non potest intelligi ipsa scriptura, sed ipsa Doctrina ac intelligentia Divinorum dogmatum, seu sensus scripturarum, seu tam sensum scripturarum, quàm aliorum dogmatum, & hanc Doctrinam volunt propagari per traditionem, ut explicant Chrysostomus & Theophylactus in hunc locum, hinc cap. 2. ait: *Tu ergo fili mi confortare in gratia, quæ est in Christo JEsu, & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*; sin autem loqueretur de verbis scriptis, non tam anxius fuisset in commendando deposito, quia scripturæ facilè possunt conservari in cistis, Thecis, Bibliothecis; & Apostolus vult servari per Spiritum Sanctum in pectore Timothei, & deinde non adderet, *hæc commenda fidelibus, qui idonei erunt & alios docere.* Nec diceret, *quæ audisti à me per multos testes, & quæ scripsi tibi.* Quamobrem Apostolus commendavit Timotheo non scripturam, sed verba viva voce prolata, & eorum sensum, ut eadem communicet fidelibus hominibus idoneis alios docere. Rursus dari in Ecclesia has Apostolicas traditiones, clarè etiam colligitur ex secunda, & tertia Epistola Joannis, ubi ait: *Multa habens scribere vobis, nolui per chartam, & atramentum*, ex quibus constat plura fuisse à Joanne suis dicta Discipulis, & per Discipulos Ecclesiæ, quæ tamen scripta nunquam fuerunt. Hinc Vincentius Lyrinensis *Doctrinam, quam à me audivisti, non dicit, quàm à me scriptam accepisti, custodi*, de qua item Doctrina ait: *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti, bonum depositum custodi.* Plura alia sunt scripturæ loca, quibus traditiones Apostolicæ in Ecclesia evincuntur.

Probantur eædem Apostolicæ traditiones ex Sanctis Patribus; etenim S. Fabianus Papa, & Martyr Epist. 2. Postquam docuisset singulis annis esse Sacrum Chrisma renovandum, subjungit: *Ista à Sanctis Apostolis, & eorum Successoribus accepimus nobisque tenenda mandamus.* Tametsi nulla in scripturis fiat mentio de hac Chrismatis renovatione singulis annis, quia tamen S. Fabianus id habuit ex traditione Apostolica, eandem jussit in Ecclesia servari. Rursus S. Innocentius I. Epist. 1. quæ est ad Decentium, ait: *Si Instituta Ecclesiastica, ut sunt à beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla varietas in ipsis ordinibus & consecrationibus haberetur.* Loquitur de traditionibus non scriptis, quibus Sacerdotes, cùm non plenè se conformarent, aliqua contingebat varietas in ipsis, ordinibus, & consecrationibus, & cap. 3. ex Apostolica traditione asserit, confirmationem etiam parvulis conferendam esse, & quidem à solo Episcopo, & sub certa verborum forma, & hujusmodi Apostolicas traditiones testatur non esse scriptas, nec ipse velle in Epistola formam illam verborum adscribere, inquiens: *Verba, dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Dionysius Areopagita c. 1. Hierarch. Ecclef. ait: *Primi illi nostri Sacerdotalis muneris Duces summa illa, & supersubstantialia partim scriptis institutionibus suis tradiderunt.* Quòd si partem tantùm tradiderunt nobis in scriptis institutionibus, ergo non omnia scripserunt, sed plura viva voce docuerunt, & tradiderunt Successoribus, ut fideliter custodienda, & servanda in Ecclesia, hinc Ignatius apud Eusebium lib. 3. histor. cap. 36. hortabatur omnes inhærere tenacius traditionibus Apostolorum, quas ait Eusebius cautelæ gratia scriptas se reliquisse, hinc constat eas ab Apostolis non habuisse scriptas, sed tantùm viva voce traditas, & ne quidquam de ipsis deperderetur, eas postea scripsisse; unde non omnia quæ docuerunt Apostoli, fuerunt ab ipsis scripta, hinc Irenæus lib. 3. cap. 4. *quid autem, si neque Apostoli Scripturas quidem reliquissent nobis? Nonne oportebat sequi ordinem traditionum: quem tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias, cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, & eorum, qui in Christum credunt sine charactere vel atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes.*

Neque

Neque obstat, quod respondent Sectarii, Irenæum fuisse locutum de traditione eorum dogmatum, quæ in scripturis inveniuntur, quæque facilè probari possunt per scripturam. Nam id à verò totaliter aberrat, quia verba Irenæi cap. 2. & alii sequentibus sunt: *Non esse aliam viam perveniendi ad veritatem, quàm consulendo ad Ecclesia, in quibus est successio Episcoporum ab Apostolis, & considerando, quid ibi doceatur, & quam dicant illæ Ecclesiæ esse traditionem Apostolicam*: ait Irenæus traditionem laxiùs patere, quàm scripturam, & sensum scripturarum difficilium non haberi ex ipsa scriptura, sed ex sola traditione; adeo ut sola traditio sufficiat, cum solæ & simplices scripturæ non sufficiant, quòd falsum esset, si traditio nihil aliud contineret, quam quod evidenter colligitur ex scripturis; cum enim cap. 2. dixisset, Hæreticos non posse convinci ex solis scripturis, & cap. 3. enumerâsset Pontifices à Petro usque ad Eleutherium quatuordecim, ut ostenderet in Ecclesia esse continuatam successionem Episcopòrum conservantium traditiones Apostolicas cap. 4. postea ait: *Tanta igitur ostensiones cùm sint hæ, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facilè est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli, quasi in depositorium dives plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis.* Et D. Basilius lib. de Spiritu S. cap. 27. ait: *Dogmata, quæ in Ecclesia servantur, ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione in mysterio ad nos delato recepimus, quæ utraque eandem ad pietatem vim habent; & nemo his contradicit, qui vel mediocrem saltem jurium experientiam habet,* & recenset plures traditiones, quæ in Bibliis non reperiuntur scriptæ, & similia habet cap. 29. inquiens: *Apostolicum esse arbitror in non scriptis traditionibus perseverare,* & D. Basilius enumerat non solùm ritus plurimos ab Apostolis institutos, verumetiam quædam essentialia ad salutem, ut symbolum Apostolicum, quod ex traditione habemus olei unctionem, in Sacramento confirmationis, & rursus recenset alia, quæ tametsi non sint necessaria, attamen postquam præcepta sunt, ita necessaria reputantur ad usum, ut omissio voluntaria non vacet à culpa, ut signum crucis in consecratione Eucharistiæ in collatione Chrismatis, abrenuntiatio Sathanæ, & pompis ejus in baptismo, & D. Augustinus *tract.* 110. *in Joan.* ait: Sine signo crucis nulla Sacramenta ritè peragi. S. Epiphanius hæres. 55. ait: *Termini nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum traditiones, & scriptura Sancta, & successiones doctrinæ, & unde quaque veritas Dei munita est,* unde fundamenta fidei non solùm sunt scripturæ Sanctæ, sed etiam Apostolorum traditiones, adeo ut non omnia necessaria ad salutem deprehendantur scripta; sed plura etiam tradita sine scriptura, sed viva voce ab Apostolis docentibus Ecclesiam, à qua fideliter custodiuntur, & hæresi 61. ait: Oportet autem & traditione uti, non enim omnia à divina scriptura possunt accipi: quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione Sancti Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit Sanctus Apostolus: *Sicut tradidi vobis,* & alibi *sic doceo, & sic tradidi Ecclesiis,* asserit non omnia posse, quæ necessaria sunt ad salutem nos à Sacris desumere scripturis, sed necesse etiam est, ut alia accipiamus à traditionibus Apostolicis; hinc Ambrosius de fide lib. 3. cap. 7. nos monet, ut fideliter servemus Majorum traditiones, quæ servantur in Ecclesia, ait ipse; *Servemus præcepta Majorum, nec hæreditaria signacula, ausi rudi temeritate, violemus,* & Chrysostomus in epist. 2. ad Thessal. orat. 4. v. 4. *State, & tenete traditiones,* ait: *Hinc est perspicuum, quod non omnia per epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque sunt fide digna; quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio, nil quæras amplius.* D. Augustinus lib. 5. contra Donatum cap. 23. ait: *Sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur.* Liquet ex Augustino Ecclesiam non inniti solis scripturis, sed etiam Apostolicis traditionibus & præceptis, quæ tametsi scripta non reperiantur, ejusdem sunt tamen fidei, perinde ac si essent scripta. Et epist. 86. ait: *In iis rebus, de quibus nihil certi statuit divina scriptura, mos populi Dei vel Instituta Majorum pro lege tenenda sunt, & sicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coërcendi sunt.* Et epistola 118. scribit: *Si quòd divinæ scripturæ præscribit authoritas, non est dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus. Similiter etiam, si quid per orbem frequentat Ecclesia, nam hoc, quin ita faciendum sit, disputare insolentissima insania est.* Eandem Augustinus authoritatem tribuit traditionibus Apostolicis, ac Sacris Scripturis, eò quia utrumque verbum scriptum, & non scriptum, solum Deum habeat authorem, qui cum falli non possit, nec nos fallere, infallibilis est authoritatis, & fide divina credenda certissima, quæ suggerit, sive scribantur, sive non, sed tantùm custodiantur, ideoque in commendationem traditionum vocat insolentissimum, & insanum, eum qui non recipit traditiones, vel dubitat de iisdem. S. Leo Papa serm. 6. de quadrages. ait: *Apostolica Institutio quadraginta dierum jejuniis impleatur,* vocat jejunium quadragesimale Apostolicam institutionem, eò quia ex Apostolica traditione, & institutione emanatum sit in Ecclesiam, & serm. 2. de jejunio Pentecostes ait: *Dubitandum non est, dilectissimi, omnem observantiam Christianam eruditionis esse divinæ, & quidquid ab Ecclesia in consuetudinem devotionis est receptum, de traditione Apostolica, & de Sancti Spiritus prodire doctrina.* ideo enim traditiones non scriptæ sunt ejusdem infallibilitatis ac Sacræ Scripturæ, quia de Spiritu Sancto prodeunt.

Egesippus apud Eusebium *lib. 4. historiar. cap. 8.* Apostolicas traditiones quinque libris comprehendit, qui tametsi modò non ampliùs extent, satis tamen docent Apostolos non omnia scripsisse, quæ fideles docuerunt; & Polycarpus apud Eusebium *lib. 5. cap. 20.* refert verba, quæ dicta à Christo ab Apostolis, ipsemet audierat, ut etiam de virtutibus ejus, ac doctrina. Irenæus itidem, quæ Polycarpus tradebat, non in charta describebat, sed in corde suo, & erant traditiones non scriptæ, alioquin si de scriptis ageretur, nil speciale de Polycarpo, vel Irenæo assereretur, quia quisque potest referre dicta à Domino, quæ in Apostolis legit, nec opus est, ut ea describeret in Papyro.

Ad hæc respondent quidem Sectarii, Eusebium fuisse locutum de illis traditionibus, quæ probari possunt ex scripturis; ajunt enim, ea omnia, quæ Polycarpus dicebat fuisse consona scripturis, sed falluntur Sectarii, quia aliud est esse consonum scripturis, & aliud posse probari ex scripturis; etenim omnis veritas, & vera traditio est consona scripturæ, cùm verum à vero discordare non possit, non tamen omnis veritas probari potest ex scriptura. Et Justinus in fine 2. Apolog. pro Christianis, cum exposuisset plu-

ra

ra de Christianis, & inter alia quædam non scripta in divinis litteris, ut quod conveniant singulis dominicis, & post lectionem scripturarum, & concionem offeratur, & consecretur panis, & vinum aqua temperatum, & quòd non liceat ullo modo participare de Eucharistia nisi post lavacrum baptismi, statim subjungit: *postridie Saturni, qui dies est solis cum Apostolis Discipulisque suis apparuisset, hæc illis tradidit, quæ vobis quoque consideranda permittimus.* Et licèt Justinus non asserat hæc esse tradita à Christo, tamen quia ipse proximus fuit temporibus Apostolorum, necessarium erat, quæ tunc temporis in Ecclesia gerebantur credere ab Apostolis fuisse tradita. Clemens Alexandrinus in libro de Paschate, ut est apud Eusebium lib. 6. histor. cap. 11. ait: Extorqueri sibi à fratribus, ut ea quæ à Presbyteris Apostolorum successoribus voce sibi sola tradita essent, describeret in libris; ac posteris traderet, nec potest quidquam clarius pro traditionibus asseri, & Origenes in cap. 6. epist. ad Roman. ait: *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis baptismum dare.* Et homil. 5. in librum Numer. *in ecclesiasticis observationibus sunt nonnulla quæ cum omnibus facere necessè sit, eorum tamen ratio non omnibus patet.* Et statim recenset plures traditiones non scriptas. Eusebius lib. 1. de demonstratione Evangelia cap. 8. ait: *Cæterum Moyses in tabulis inanimatis, Christus autem in mentibus vita præditis perfecta novi testamenti documenta descripsit. Ejus verò Discipuli ad Magistri sui nutum auribus multorum doctrinam suam commendantes, quæcunque quidem veluti ultra habitum progressis à perfecto ipsorum Magistro præcepta fuerant, ea iis, qui capere poterant, tradiderunt: quæcunque verò iis convenire arbitrantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationisque indigentes ex ipsi ad imbecillitatem multorum se demittentes NB. partim litteris quasi jure quodam non scripto servanda commendárunt.* Unde nullum potest dubium esse, quin Eusebius asserat ex iis, quæ necessaria sunt ad salutem, quædam fuisse litteris concredita, & alia jure quodam non scripto servata in Ecclesia. S. Basilius lib. de Spiritu S. c. 27. ait: *Dogmata quæ in Ecclesia servantur, ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus partim ex Apostolorum conscriptione in mysterio ad nos delata recepimus, quæ utraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel mediocrem saltem Ecclesiasticorum jurium experientiam habet.* Et ipse etiam plurimas non scriptas traditiones recenset cap. 29.

Neque obstat, quod cum Kemnitio respondent Sectarii, relata à Basilio non esse dogmata fidei, aut morum, sed tantum ritus quosdam liberos, ut signare se signo crucis, adorare ad orientem, aquam benedici: sed jam Kemnitius fatetur aliquem saltem ritum ab Apostolis fuisse certò institutum, quod priùs negaverat, ac dixerat non posse ostendi ullum ritum certò ab Apostolis institutum, cùm Basilius plures enumeret ab ipsis institutos. Præterea quamvis hi ritus instituti ab Ecclesia non sint necessarii ad salutem credere fuisse ab Apostolis bene institutos neque habendos esse contemptui: sicut plura quæ sunt in scripturis non sunt necessaria ad salutem, ut quod vir in Ecclesia aperto capite preces fundat, & mulier velato, & nihilominus tenemur Paulum ita scripsisse 1. Corinth. 11. credere, alioquin non omnia quæ continentur in scripturis essent de fide. Præterea falsum est D. Basilium tantum ritus quosdam recensere ab Apostolis institutos, quia refert itidem quædam essentialia, ut confessionem fidei, symbolum Apostolicum, quod ex traditione habemus, & olei unctionem in Sacramento confirmationis, & quædam alia commemorat, quæ tametsi ex se non sint necessaria, postquam tamen præcepta sunt, ita sunt necessaria, ut si de industria omittantur, vel habeantur contemptui, non possit quis à gravi culpa excusari, ut signum crucis in consecratione aquæ, Eucharistiæ, Chrismatis, nec non abrenuntiatio Sathanæ, & pompis ejus in baptismo: ait enim Augustinus Tractat. 118. in Joan. Sine signo crucis nulla Sacramenta ritè peragi.

Mirantur tamen Sectarii, præsertim Brenzius, quòd Basilius dicat, eandem vim habere ad pietatem traditiones Pædagogicas de signo Crucis, & aqua benedicta ac ipsa Scripturæ Sacræ dogmata. Sed cessaret admiratio, si cogitarent in Sacris Scripturis quædam esse magna præcepta, ut Deum diligere; quædam minora, ut nullum proferre verbum otiosum, quæ tametsi non æquè obligent ad observationem; æquè tamen obligant ad fidem, & revelationem; non enim minus deficit in fide, qui non credit, & veneratur scripturam dicentem *de omni verbo otioso esse reddendam rationem in die judicii*, quam qui non credit, aut veneratur scripturam dicentem: *Diliges Dominum Deum tuum*, perinde in traditionibus quædam sunt majores, & aliæ minores quoad obligationem agendi, & nihilominus omnes æquè obligant ad fidem, & venerationem, & omnes sunt æquales quantum ad fidem, & venerationem, quæ iisdem debetur, eò quia sint ab eodem Authore Deo, & deriventur ad nos per manus ejusdem Ecclesiæ Catholicæ, cum enim traditiones omnes habeant eundem Authorem Deum, cujus authoritas infallibilis est, sequitur omnes esse æquè infallibiles. Gregorius Nazianzenus oratione prima in Julianum ultra medium, postquam dixisset propter dogmata testamenti veteris novi doctrinam Ecclesiæ visam fuisse Juliano mirabilem, statim subdit: *Cæterum majorem atque insigniorem ob eas Ecclesia figuras, quas traditione acceptas in hunc usque diem servamus &c.* & postea explicat se figuras Ecclesiæ vocâsse disciplinam politicam, ordinem Ecclesiæ, ordinem psallendi, modum pœnitentiæ injungendæ, Sacraria in templis, Monachatum, virginum cœnobia, & plura alia quæ nonnisi ex sola traditione ad nos derivantur. Chrysostomus etiam in 2. ad Thessalon. Theophylactus, & Oecumenius, & plures alii Patres Græci asserunt Apostolos non omnia per epistolas tradidisse, sed plura sine litteris, & eadem fide utraque digna esse.

Ex Patribus Latinis Tertullianus lib. de corona militis ait: *Etiam in traditionis obtentu exigenda est inquis authoritas scripta. Ergo quæramus, an traditio non scripta non debeat recipi planè negabimus recipiendam, si nulla præjudicent exempla aliarum observationum, quas sine ullius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vendicamus*, & recensitis cæremoniis baptismi, signi Crucis, Sacrificii anniversariis pro defunctis, & aliis quibusdam subdit: *Harum & similium disciplinarum si legem expostules scripturarum nullam invenies, traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix*, & ob id traditione utendum docet *lib. 1. contra Marcionem lib. 2. ad uxorem lib. de velandis virginibus, & lib. de præscriptionibus.* ubi ex professo asserit: Hæreticos non ex scripturis, sed ex traditionibus esse confutandos. S. Cyprianus lib. 1. epist. 12. ait:

*Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit.* Sed constat nihil de Chrismate in scripturis haberi, sed tantùm in traditione. Rursus lib. 2. epist. 3. ait: *Admonitos nos scias, ut in calice offerendo dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mistus vino offeratur.* Neque verum est, quod asserunt Sectarii Cyprianum fuisse locutum de traditione scripta, quia Evangelistæ non meminerunt aquæ miscendæ vino.

Brenzius ait: Cypriano in asserendis suis opinionibus incogitanter excidisse, quæ dixit, eò quia inepta ratione probet hunc ritum, ait enim, debere misceri aquam vino, quia vinum significat Christum, & aqua populos Ecclesiæ; & dum miscetur aqua vino, Ecclesia Christo jungitur: sin autem vinum solum consecraretur, jam inciperet Christus esse sine Ecclesia, quod ridiculum est cogitatu, Quis enim credat, si unus Sacerdos non miscuerit aquam cum vino in calice, mox Christum amissurum Ecclesiam. Sed Brenzius non consideravit, Cyprianum non de reali conjunctione vel separatione Christi, & Ecclesiæ egisse, sed tantùm de significativa, rectè enim in materia Sacramentorum deducitur argumentum ab imperfecta significatione. Rursus negamus, Cyprianum voluisse hunc ritum servari ob recensitam rationem, quæ tantùm additur, ut ostendatur traditio rationi conformis.

S. Hilarius lib. contra Constantium Imperatorem circa medium, cum objiceret Arianus Princeps: *Nolo verba, quæ non scripta sunt, legi,* respondet Hilarius: *Hoc tandem rogo, quis Episcopus jubeat, quis Apostolicæ prædicationis vetet formam? dic priùs, si rectè dici putas, nolo adversus nova venena novas medicamentorum comparationes,* quibus verbis duo significat, quorum primum est prædicationem consubstantialitatis Patris, & Filii esse Apostolicæ prædicationis, quamvis expressè non habeatur in scripturis, Filium esse Patri Consubstantialem, & alterum hoc nomen Homousion esse quidem novum, sed tamen retinendum, quamvis non scriptum, quia conforme prædicationi Apostolicæ. D. Hieronymus epist. ad Marcellam de erroribus Montani ait: *Nos unam quadragesimam ex Apostolica traditione tempore nobis congruo jejunamus,* & in Dialogo contra Luciferianos ante medium, cum Hæreticus dixisset: *Multa per traditionem in Ecclesiis observantur, authoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt,* respondet Orthodoxus, *non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem. Sed quale est, ut leges Ecclesiæ ad hæresin transferas?* Augustinus epistol. 118. ait: *Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas commendata, atque statuta retineri: sicut quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cœlum, & adventus de cœlo Spiritus Sancti anniversaria solemnitate celebratur.*

Respondet Brenzius ad hæc, quòd si verum sit, hanc esse Apostolicam traditionem, non esse recipiendam, ut legem necessariam, sed ut liberam observationem. Verùm Augustinus ibid. subdit: *Alia verò, quæ per loca terrarum Regionúmque variantur, liberas habent observationes,* ubi distinguit inter Apostolicas traditiones necessarias, & observationes liberas.

Sed respondet secundo Brenzius, Augustinum non rectè docere prærecensita festa esse ex Apostolica traditione, eò quia Apostolus reprehendit Galat. cap. 4. eò quia dies observarent, & tempora. Sed Augustinus ad hanc prævisam objectionem epist. 119 cap. 7. respondet Apostolum eos reprehendere, qui secundùm Astrologorum regulas observant tempora. Et libro contra Adimantum *cap.* 17. ait: Apostolum fuisse locutum de festis Judæorum, non Christianorum, ut exponunt etiam alii Patres, Hieronymus, Chrysostomus, Ambrosius.

Probantur etiam traditiones Apostolicæ ex Conciliis Generalibus, quæ omnia eas commendant, & amplectuntur, & ex traditionibus sensum genuinum scripturarum eruunt, & errores, ac hæreses reprobant, ac dogmata fidei stabiliunt, quo pacto Concilium primum Nicænum ex doctrina non scripta, seu ex sola traditione, ut disertè testatur Theodoretus lib. 1. histor. cap. 8. Arianam hæresim damnavit, tametsi potuisset contra Arium quasdam adferre scripturas nihilominus maluit ex doctrina non scripta, sed tradita per manus Patrum sibi in Ecclesia succedentium Arium damnare, ut refert Theodoretus lib. 1. Histor. Eccles. c. 8. ratio est, quia cum traditio Apostolica non minus sit verbum Dei, quàm ipsa scriptura, Patres Orthodoxi jus semper habuerunt eruendi, & statuendi articulos fidei ab illa doctrina, quam ab Apostolis solo vivæ vocis sermone habuerant, quando Hæretici erant convincendi de erroribus inductis, quos scriptura expressè non reprobat, idque causæ, cur Patres in hisce casibus recurrerint ad traditiones, & Concilium primum Nicænum damnaverit hæresim Arii ex traditione, seu doctrina non scripta. Rursus Concilium Nicænum II. act. 6. Tom. 4. ait, quod autem cum multis aliis, quæ in Ecclesia observantur, sine scriptura nobis imaginum veneratio tradita sit, ab Apostolorum temporibus latè per historias traditum est, & actione 7. in fin. ait: *Si quis traditionem Ecclesiæ sive scripto, sive consuetudine valentem non curaverit, anathema sit.* Hoc idem etiam habetur in octava Generali Synodo Act. 8. ubi post actionem ultimam can. 1. profitentur Patres, se servaturos omnes traditiones non solum Apostolicas, sed etiam Ecclesiasticas. Concilium itidem Tridentinum sess. 4. has in Ecclesia traditiones etiam asseruit, & in professione fidei etiam recensentur traditiones.

Rationibus etiam evincuntur apostolicæ traditiones; quia nisi concedantur traditiones, nihil certi circa fidem possemus asserere: siquidem sine traditionibus non haberetur, quòd Sacra Scriptura sit verum verbum Dei; fuerit conservata incorrupta, quia non essemus certi Sacram Scripturam fuisse ab iisdem Authoribus scriptam, cum non viderimus eos scribentes, nec id aliter nobis constat, quam per traditionem, quatenus ab ipsis Apostolis per continuatam successionem traditum nobis fuit hanc Sacram Scripturam esse verum verbum Dei, conservari incorruptam, & fuisse scriptam ab iisdem Authoribus: si igitur est de fide divina hanc scripturam Sacram esse verum verbum Dei, erit itidem de fide dari in Ecclesia traditiones Apostolicas, præsertim cum inter Articulos fidei Christianæ plures enumerentur, qui nonnisi ex Majorum traditione in Ecclesiam derivârunt, ut perpetua virginitas Matris Christi, quam Ecclesia credit contra Antidicomarinidas baptismum esse parvulis conferendum contra Anabaptistas, procedere Spiritum Sanctum à Patre, & Filio contra Sabellianos. Celebratio Paschæ post decimam quartam Lunam Martii contra Quartidecimanos: translatio Sabbathi in diem dominicum contra Judæos: duæ voluntates in Christo contra Monotelitas, quæ omnia in scripturis expressè non reperiuntur, & nihilominus certissimi sunt nostræ fidei Articuli, unde non semper est necesse, ut omnia quæ sunt de fide credenda, com-

comprehendantur expressè in sacris scripturis, cum plura habeamus de fide, quæ nonnisi per traditiones ab Apostolis derivatas ad nos pervenerint, multa enim, ut à Deo revelata, sunt ex fide credenda, quæ in scripturis vel omnino non sunt, ut ex solis scripturis possimus convincere contentiosos, imo nec moderatos homines, etenim credidit semper Ecclesia libros novi, & veteris testamenti sacros esse, quod tamen ex scripturis probare non possumus, sed tantùm ex Romanæ Ecclesiæ traditione, à qua etiam ipsi Novatores libros sacros acceperunt, ut mirum sit, eos in re tanti momenti adhærere Ecclesiæ Romanæ, à qua in aliis velint dissentiri.

Scio ab Acatholicis nonnullis responderi, id divina Providentia factum fuisse, ut libri sacri apud Romanam Ecclesiam servarentur incorrupti, ac non potuerit suppostitios, ac falsos obtrudere. Quod quidem verum est, cùm non possimus quidquam authoritatis Ecclesiæ tribuere, si excludamus Spiritus Sancti curam & providentiam, sed si Spiritus Sanctus assistit Ecclesiæ, quæ, ut ait Paulus, est columna, & firmamentum veritatis, cur non etiam in aliis dogmatibus? quæ à Romana Ecclesia traduntur, non creduntur, cum ab eodem Spiritu Sancto semper protegatur, ac regatur, ne deficiat in fide? præsertim cum Christus Dominus oraverit pro supremo in Ecclesia Pastore, ne deficeret in fide: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, Luc. 22.

Respondent Sectarii, se firmissimè credere, libros sacræ scripturæ divinos dictatos à Spiritu Sancto non ob ullam authoritatem, vel traditionem Ecclesiæ Romanæ; sed quia in se sint divini, ac infallibiles. Sed contra, quia de hoc est quæstio unde habeant, quod libri sacræ scripturæ sint per se divini, & infallibiles: certè in ipsa scriptura nullibi legerunt hos libros esse omnes sacros, quia nullibi id habetur in scripturis; Neque id habent ex revelatione divina absque ullo sacræ scripturæ vel Ecclesiæ præsentis testimonio, cujus ex auditu possit fides concipi de authoritate horum librorum non enim Deus absque ministerio humanæ authoritatis solet quidquam de rebus fidei homines docere. Si respondeant, à se fuisse scripturam receptam, ut sacram divinam, & infallibilem ob testimonium primitivæ Ecclesiæ tempore Apostolorum; contra est, quia primitivæ Ecclesiæ testimonium Lutherus, & Calvinus & alii Sectarii non possunt habere ex auditu, cum non audierunt ab ipsa primitiva Ecclesia eos docente omnes libros sacræ scripturæ esse divinos, & infallibiles, non enim eo tempore Lutherus, Calvinus & alii Sectarii vixerunt, & nonnisi post plura & plura sæcula fuerunt. Fides autem de præcipuis fidei articulis, & præsertim de præsenti, qui caput est cæterarum, necesse est, sit ex auditu, cum dicat Apostolus: *fides ex auditu*, scilicet ex ministerio legitimo veræ Ecclesiæ quovis tempore perseverantis juxta Christi promissiones. Quamobrem Lutherus, Calvinus, & alii Sectarii non nisi per traditionem præsentis Ecclesiæ Romanæ potuerunt percipere, Ecclesiam primitivam tempore Apostolorum docuisse libros sacræ scripturæ esse divinos, habuisse Spiritum Sanctum authorem, ac esse infallibilis authoritatis, aloquin assignent, ubinam legerint in sacris scripturis libros in iisdem comprehensos esse divinos, & habuisse authorem Spiritum Sanctum, assignent à qua Ecclesia scripturam certam, & infallibilem esse didicerint, si id non acceperunt ab Ecclesia Romana, non enim possunt respondere, id accepisse ab Ecclesia sua invisibili, quia cum invisibilis sit, & non cadat sub sensus non possunt ab ipsa hoc edoceri.

Respondet Kemnitius, quod tametsi ex traditione Ecclesiæ Romanæ habuerint Sectarii, libros comprehensos in sacris scripturis esse divinos, infallibilis anthoritatis, & habuisse Authorem Spiritum Sanctum non tamen inde sequitur, quod reliqua omnia dogmata debeant etiam accipi ab Ecclesia Romana. Idque probant, quia tametsi Judæi in veteri testamento acceperunt à Synagoga scripturas veteris testamenti fuisse divinas, non tamen debuerunt omnes Synagogæ traditiones recipere, cum plures fuerint contra præcepta Dei; perinde quamvis Lutherus & Calvinus acceperint ab Ecclesia Romana sacras scripturas esse divinas, ac infallibilis authoritatis, non tamen inde sequitur, quod etiam ut infallibiles ac divinas debeant recipere traditiones, quæ in scripturis non continentur. Sed contra, quia quod Christianos attinet, ipsi non tenentur recipere libros veteris testamenti, ut canonicos & infallibiles ex eo, quia Synagoga id docuerit, neque ob ullam traditionem à Synagoga in Christianos derivatam, sed Christiani firmiter credunt libros veteris testamenti esse divinos, & habuisse Authorem Spiritum Sanctum, quia Christus, & Apostoli id asseruerunt, & Authoritatem illorum librorum Christianis commendarunt, unde non propter Synagogæ traditionem recipiunt Christiani, ut divinos libros veteris testamenti, sed quatenus de illorum usu, & authoritate fuerunt Christiani à Christo Magistro, & Discipulis Apostolis eruditi. Quod verò attinet ad Judæos, eadem ratione, qua illi ex authoritate Synagogæ receperunt libros illos veteris testamenti, debuerunt etiam recipere eas traditiones, quæ pariter sicut libri Sacri à Synagoga commendabantur, quia cum Synagoga consensu communi omnium, & totius illius Ecclesiæ esset in supremo facerdote, ac Judice judicante ex cathedra Moysis, & jujus judicio tenebantur etiam in Controversiis fidei acquiescere omnes, ut habetur Deuter. 17. *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis morietur homo ille*, ita ut sub pœna mortis tenerentur Judæi acquiescere sententiæ latæ à supremo Pontifice, seu Judice Synagogæ, procul dubio cum judicaret libros veteris testamenti esse sacros, & traditiones esse veras, tenebantur Judæi huic judicio acquiescere, quod tamen judicium debuit proficisci à summo Sacerdote docente ex Mosaica cathedra juxta præceptum Domini, hinc Christus ipse, quæcunque dicerent Pharisæi, & scribæ ex sententia cathedræ fieri imperavit Matth. 23. & D. Augustinus Epist. 166. ait: *De malis etiam Præpositis plebem securam faciebat, ne propter illos doctrinæ Salutaris cathedra desereretur, in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neque eadem sua sunt, quæ dicunt, sed Dei, qui in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis*. Quæ verò traditiones non erant probatæ communi consensu illius Ecclesiæ, nec judicio Mosaicæ cathedræ legitimo approbatæ, ut fuerunt traditiones contra

contra divina præcepta, non fuerunt ex cathedra Moysis profectæ, consequenter non tenebantur iisdem adhærere Judæi, sed potius ab iisdem se avertere, quia non fuerunt ex legitimo judicio sacerdotis, ut etiam Christus manifestè ostendit, non posse defendi tanquam ex Moysis cathedra, cum ex præjudicata sententia Ecclesiæ fuerint damnatæ, & ante ipsam Christi testificationem etiam ex judicio legitimo Sacerdotum receptæ non fuerunt, quamvis in Synagoga toleratæ sicut plures aliæ corruptelæ, quæ in populum illum irrepserunt, præsertim cùm ad interitum Synagoga vergeret. Judicium enim legitimum sacerdotis illud est, quod nec ex præjudicata sententia illius Ecclesiæ, & Sacerdotum Antecessorum; neque ex evidenti vivitio electionis personæ; neque ex divina prædicatione Prophetarum, vel Christi aut Apostolorum clarè deprehendi posset, non esse ex authoritate ipsi divinitus attributa: quia si deprehenderetur hoc judicium in causis Religionis non proficisci à Pastore authoritate infallibili divinitus præmunito, tunc à lupo potius mactante oves censebatur proficisci, & tunc non tenebatur populus tali judicio acquiescere, sed ipsum respuere: secus si judicium sacerdotis fuisset legitimum, tenebantur Judæi illi acquiescere.

Ex quo firmatur potius nostra assertio, quia si in Synagoga tenebantur Judæi acquiescere judicio summi sacerdotis in dubiis, & controversiis fidei, quanto magis tenentur Christiani totaliter acquiescere summo sacerdoti in militante Christi Ecclesia in terris circa traditiones divinas, Apostolicas, & Ecclesiasticas, quinimò velint, nolint, tenentur Sectarii traditionibus Apostolicis acquiescere, illasque recipere, etenim Lutherani, & Calvinistæ parvulis suis conferunt baptismum, tametsi nondum utantur ratione, secus Anabaptistæ mordicus defendunt, non esse baptizandos, nisi post usum rationis, & donec fuerint edocti mysteria nostræ fidei: quòd si Anabaptistæ ex male, ac perversè intellectis sacris scripturis colligunt parvulos non esse baptizandos, Lutherani non possunt Anabaptistas convincere falsitatis, nisi adducant traditionem ab Apostolis in Ecclesiam derivatam, ac communem Patrum Ecclesiæ consensum, qui illos scripturæ textus aliter intellexerunt ac interpretentur Anabaptistæ, non enim ex scripturis possunt Lutherani probare parvulos esse baptizandos, cum Anabaptistæ ex iisdem oppositum inferant, unde necesse est ad convincendos Anabaptistas innitantur traditionibus, ait enim Augustinus lib. 10. de Genes. ad litteram cap. 23. *Consuetudinem baptizandi parvulos traditione non scripta niti*: Præterea scriptura cum sit obscura, cum id clarè non explicet, potest semper diversimodè intelligi, ut de facto Anabaptistæ eas perversè interpretantur; hinc Lutherani, & Calvinistæ ad convincendos Anabaptistas necessè est innitantur traditionibus, quæ non obscurè declarantur etiam in scripturis, ait enim Apostolus 2. Timoth. 2. *Quæ audistis à me per multos testes, hoc commendo fidelibus*: & 1. Timoth. 6. *O Timothee depositum custodi*, id est, doctrinam, quam à me audivisti, ut explicant Sancti Patres, & 2. Thessal. 2. scribit: *State, & tenete traditiones, quas accepistis sive per Epistolam, sive per sermonem*, hoc enim testimonio Sancti Patres, præsertim Basilius *lib. de Spiritu Sancto cap. 29.* & D. Chrysostomus *homil. 4. in Epist. 2. ad Thessal.* probant authoritatem traditionum non scripturam. Rursus Apostolus 1. ad Cotinth. 11. ait: *Laudo vos, quòd sicuti vobis tradidi, præcepta mea tenetis*, ait enim, *sicut tradidi* non sicut scripsi vobis, quia non per calamum, sed viva voce illis præcepta injunxit. Rursus ait: *cætera cum venero disponam.* Ex quo textu D. Augustinus censet plura fuisse tradita à D. Paulo circa cæremonias in Sanctæ Eucharistiæ celebratione, quæ tamen non fuerunt scripta, sed tantùm viva voce tradita, neque semper, quæ Apostoli populos docuerunt, id calamo scripserunt, ut expresse testatur D. Joannes Epist. 2. v. 12. *Plura habens vobis scribere nolui per chartam, & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & ore ad os loqui.* Quòd si plura non scripsit, quæ viva voce tantùm tradidit, sequitur has traditiones remansisse in Ecclesia scriptas non in membrana, sed in corde fidelium enarratas. Ut etiam est illud prolatum à Christo Actor. 20. *Beatius est dare, quam accipere*, quæ verba nullus Evangelistarum asserit, fuisse à Christo prolata, unde nonnisi per traditionem derivata fuerunt in Ecclesiam.

Secunda ratio petitur ex eo, quia si omnia Christianæ Religionis dogmata in sola sacra scriptura continerentur, ampla pateret via Hæreticis ad introducendos errores in Dei Ecclesiam, atqui credendum non est, Apostolos hanc viam reliquisse in Ecclesia adapertam, ergo non est credendum eos omnia tradidisse scripto. Major ostenditur, quia cum doctrina scripturæ vocetur in controversiam, nec possit scriptura se ipsam declarare, nec tueri contra Novatorum corruptas interpretationes, facilè adulteraretur, ac corrumperetur scriptura ab Hæreticis; non ita corrumpi potest traditio, quæ Successione, & praxi continuata constat in Ecclesia: plures enim fuerunt Hæretici, qui cum abusi fuerint scriptura, non ita potuerunt traditione abuti, unde D. Hieronymus in cap. 1. ad Galat. ait: *Omnes hæreses in scripturis sibi consuunt cervicalia, quæ ponant sub cubitu universæ ætatis*: ergo si non recipiantur traditiones ab Apostolis ad nos usque derivatæ, & omnia Christianæ Religionis dogmata in sola comprehenderentur scriptura, daretur occasio Hæreticis introducendi errores in Ecclesiam Dei militantem in terris, quod ne fieret, plura fuerunt nobis per traditionem transmissa. Firmatur etiam, quia cum doctrina scripturæ non sit cuilibet obvia, sed obscura, & multis inclusa litteris, quæ neque declarare palam se possunt, neque se in controversia tueri contra novarum interpretationum corruptelas, facillimè à contentiosis calidisque ingeniis corrumperetur, secus traditio Successione continua vivis in animis fidelium semper & præsertim in Catholicorum Doctorum, qui à majoribus illam acceperunt, hinc est, quod traditio ab Hæreticis corrumpi non potest, nec adulterari sicut scriptura, hinc ait Egesippus referente Eusebio lib. 3. Histor. cap. 32. quo tempore etiam viventibus Apostolis adhuc vivæ vocis traditio vigebat, ait: *Eo virginem mundam, & immaculatam mansisse Ecclesiam verbi Dei temeratoribus aut nusquam omnino extantibus, aut certè delitescentibus. Ubi verò Apostolorum Chorus, & omnis ætas illa, quæ à Domino susceperat vivæ vocis auditum, de hac luce decessit, tunc velut in vacuam domum, falsæ doctrinæ in impium se immersisse errorem; & tanquam nullus jam divini sensus defensor existeret, nudato ut aiunt capite corripientes verba mendacii oppugnare Apostolicam veritatem Hæreticos cepisse.* Facile igitur

Sectarii

Sectarii omnem adulterarent, & corrumperent Sacram Scripturam, nisi Ecclesiastica traditio se eorum conatibus opponeret, & hæc est causa, cur Ecclesiasticæ traditiones sint iisdem invisæ, & solam amplectentur scripturam; hinc Vincentius Lyrinensis ait loquens de Hæreticis Sacra corrumpentibus volumina: *Videas illos volare per singula quaque Sacra legis volumina, per Moysis, per Regnorum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Evangelia, per Prophetas. Sive enim apud suos, sive alienos, sive privatim, sive publicè, sive in sermonibus, sive libris, sive conviviis, sive in plateis nihil unquam de suo proferunt, quod non etiam scriptura verbis adumbrare conentur.* Et nonnullis interjectis subdit: *Sciunt enim fœtores suos nulli fere placituros si nude, & simpliciter exhalentur. Atque idcirco illos cælestis eloquii verbis velut quodam aromate aspergunt*, & iterum post pauca: *Quonam modo igitur Catholici in scripturis sacris veritatem à falsitate discernent? Divinum canonem secundùm universalis Ecclesiæ traditiones, & juxta Catholici dogmatis regulas interpretentur*, unde semper plures fuerunt Hæretici, qui Scripturis Sacris ad varios errores fuerunt abusi, quàm qui falsas dixerint traditiones, neque Catholici eas tuentur traditiones, quæ vanæ, & apocryphæ habentur, sed eas tantùm, de quibus vero Ecclesiæ judicio constat ratio.

Probari etiam tertiò possunt traditiones Apostolicæ, quia Doctrina cœlestis taliter erat ab Apostolis Ecclesiæ, ac suis Successoribus tradenda, quò pura posset commodissimè conservari, ut fatentur etiam ipsi Hæretici; atqui talis modus erat, ut non omnia Apostoli scripto traderent; sed quædam tantummodo viva voce, ergo asserendum est, id fuisse ab Apostolis factum, idque pluribus exemplis confirmat Canus *lib. 3. de locis Theolog. cap. 3.* præsertim illud, quod toto tempore legis naturæ ante Moysem Ecclesia fidelium tantùm vivæ vocis traditionibus conservata, & gubernata fuerit, quod ex DEI providentia factum fuisse nulli est dubium, ut inde Ecclesia Christiana disceret traditionibus majorum adhærere. Præterea è sententia Hebræorũ imò & S. Hilarii in Psal. 2. Moysem in fastigio Sinai montis non solùm legem à DEO accepisse, verùm etiam arcana quædam mysteria, quæ ad legis interpretationem, & expositionem pertinerent, ac injunctum illi fuisse, ut legem ipsam quidem scriberet, sed illius interpretationem viva tantùm voce Josuë Ministro suo extraderet, ut Josuë deinceps cum Sacerdotibus aliis in Synagoga communicaret, ut talis interpretatio perpetua traditione, seu quamdiu Synagoga duraret, conservaretur, hinc in lib. 4. Esdræ cap. 14. quamvis non habeatur inter canonicos, dicitur tamen ad rem nostram *enarravi Moysi mirabilia multa, & præcepi ei dicens: Hæc in palam facies verba, & hæc abscondes.* Plura ei tradidit, quæ scriptis evulgaret, & plura alia, quæ tantùm viva voce posteris communicaret, & cùm hæc omnia sive scripta sive tantùm tradita habeant DEum Authorem, non sunt minoris authoritatis traditiones, quàm ipsæ scripturæ, imò oportuit, ut per Apostolos aliqua viva voce traderentur posteris, ut majori in pretio, ac veneratione haberetur Sacra Doctrina, quando non omnia illius capita, cuilibet de plebe scriptis evulgantur; sed nonnulla apud eruditiores veluti thesauri custodiuntur recondiuntur reconditi, ut quæ scripta sunt facilius sunt illi ubi, & quando & quibus opus est, possint exponere, quo argumento Basilius *lib. de Spiritu S. cap. 27.* probat authoritatem Apostolicarum traditionum, & confirmat exemplo Moysis, qui noluit omnia templi loca patere populo; ait enim Basilius *probè gnarus ei, quod conculcatum est, & per se apprehendi potest, imminere contemptum: quod verò remotum est ac rarum ei naturaliter quodammodo esse conjunctam admirationem.* Quo pacto etiam D. Paulus delectum habuit personarum, quibus divina essent explicanda mysteria, ne omnia omnibus sine delectu evulgarentur, scribit enim 1. ad Corinth. 2. *Non judicavi, me scire aliquid inter vos nisi Christum, & hunc Crucifixum, Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Hanc eandem discretionem personarum commendat Timotheo 2. Timoth. 1. *Formam habere Sanorum verborum, & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere*, quod tamen non ita est intelligendum, ut thesaurus cœlestis Doctrinæ perpetuo delitescat, & vulgaribus sit ignotus hominibus, sed tantùm ne si omnis Doctrinæ ratio fuerit scripto exposita, in promptu passim sit omnibus, & contemptui habeatur; alioquin Ecclesia nemini celat traditionum mysteria, & hac de causa Spiritus Sanctus voluit Sacram Scripturam obscuram esse, non quidem vitio ignorantiæ, sed intelligentiæ profunditate, quia non expediebat, ut omnibus statim pateret, ne esset contemptui, & ut scripturæ sensus genuinos ac proprios Apostoli saltem viva voce extraderent Ecclesiæ, ut successivè ad omnes posteros fideles derivarentur. Tum quia ordo Ecclesiasticæ Hierarchiæ melius conservatur, si quod ad Doctrinam ac religionem attinet, inferiores pendeant à Majorum, ac doctiorum traditione.

Probatur itidem necessitas traditionum, quia, ut asserunt Sectarii, id solùm in materia fidei admittendum est, ut etiam in Divino cultu, quod in Sacris Bibliis reperitur scriptum, quia cùm Sacrorum Bibliorum Author sit Spiritus Sanctus ea omnia, quæ in ipsis comprehenduntur pertinent ad materiam fidei: atqui traditiones, recipiendas esse, vel recipiendas non esse, pertinet ad materiam fidei, & nullibi in scripturis legimus traditiones non esse recipiendas, ergo Doctrina de illis non recipiendis non est admittenda ex assertione Sectariorum, major enim propositio, quamvis falsa, est Doctrina Adversariorum, & minor ostenditur, quia ut superiùs vidimus, D. Paulus pluries inculcat esse traditiones servandas, quas commendat in pluribus præcitatis locis, & nullibi habetur in scripturis, quòd traditiones non sint recipiendæ, accedit etiam communis Ecclesiæ consensus: siquidem Ecclesia à primis suis incunabulis semper firmissimè adhæsit Apostolicis traditionibus, & plura credidit de fide, quæ sola traditione habentur.

Tum quia plura etiam ab adversariis Lutheranis & Calvinistis habentur de fide, quæ sola nituntur traditione, quæ propterea est necessaria ad fidei integritatem, antecedens liquet ex admissione veri & realis baptismi collati ab Hæreticis, quòd enim talis baptismus sit validus, habetur pro fidei articulo, ad eo ut id credere spectet ad salutem, & tamen baptismum collatum ab Hæreticis esse verum ac legitimum baptismum scriptura non asserit, hinc Augustinus, qui contra Donatistas validitatem bapti-



pti-

ptismi collati ab Hæreticis toto nisu propugnavit, lib. de unit. Eccles. cap. 19. ait : *Hoc non legimus ullo modo*, siquidem in Scripturis Sacris, cum nullibi legamus baptismum collatum ab Hæreticis validum esse, non potest hic fidei articulus evinci ex Scripturis Sacris. Rursus Augustinus lib. de baptismo cap. 23. ait : *Nihil ad hoc præscripserunt Apostoli, sed praxis illa, quæ Cypriano opponebatur, ab eorum emanesse traditione credenda est, sicuti plura notantur in Ecclesia universaliter recepta, & hac de causa ab Apostolis creduntur data, quamvis scriptis non sint consignata.* Neque Augustinus ullam adfert contra Donatistas Sacræ Scripturæ authoritatem, cùm è contra Donatistæ plures saltem apparentes attulerint scripturas, ut ad Ephes. 4. *Una fides, unum baptisma.* Sicut enim fides nequit esse nisi una, & inter fideles, ita baptismus non potest validè conferri nisi à fidelibus, & quia Hæretici defecerint à fide, non potest validè ab ipsis conferri, Matth. 18. *Si non audierit Ecclesiam, sit tibi tanquam Ethnicus*, Hæreticus autem cum sit extra Ecclesiam, non potest per baptismum trahere in Ecclesiam, quæ Cant. 4. dicitur *hortus conclusus, fons signatus*, & Joan. 3. *non potest homo facere quidquam, nisi fuit ei datum de cælo*, ex quibus locis inferebant Hæretici Donatistæ, non habentes fidem, non audientes Ecclesiam, destitutos Spiritu S. qui in sola residet Ecclesia, reputatur sub Ethnicos non posse remissionem peccatorum non dare, quæ à solo Spiritu S. habetur, cum enim Hæretici non accipiant de Spiritu S. gratiam sanctificantem, quæ non est compossibilis cum hæresi, nequeunt beneficio baptismi collati alios sanctificare. Hinc tempore S. Cypriani & Augustini tot fuerunt Fautores hujus dogmatis asserentis baptismum collatum ab Hæreticis non esse validum, ut ferme potior pars Patrum in Africa eidem adhæserit, & tantùm hic error potuit beneficio traditionis Apostolicæ eradicari à Stephano Papa, ait enim Vincentius Lyrinensis : *Ad novitatem rei per Agripinum Carthaginensem Episcopum, qui primus contra morem, & institutum Majorum rebaptizandum esse censebat, reclamabant omnes quaquam versus Sacerdotes, & pro suo quisque studio remittebatur : & Papa Stephanus cum cæteris collegis suis, & tam præ cæteris restitit dignum, ut opinor existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci authoritate superabat. In Epistola enim, quæ tunc ad Africam missa est, sanxit nihil innovandum, sed id omnino observandum, quod traditione datum erat.* Et D. Hieronymus in dialogo adversum Luciferianos asserit tandem traditione majorum fuisse hanc controversiam diremptam, inquiens : *Qui cum Cypriano senserant* (intelligit Episcopos Capadociæ) *dixerunt, quid facimus? sic Majores nostri ipsis, & nobis tradiderunt* : unde non Scriptura Sacra, sed Majorum traditio hanc valuit controversiam dirimere.

Ipse itidem baptismus, qui in Ecclesia Catholica confertur parvulis ante usum rationes etiam infert necessitatem concedendi Apostolicas traditiones, cum nullibi in scripturis reperiatur, quod hujusmodi parvuli sint baptizandi, si enim adferas illud Joannis 3. ubi Christus respondit Nicodemo, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu non potest introire in Regnum DEI, respondent Anabaptistæ docentes parvulos non esse baptizandos nisi post usum rationis, & postquam fuerint edocti mysteria nostræ fidei, Christum Joan. 3. fuisse locutum de adultis, & de iis tantùm qui capaces sunt baptismi, idque colligunt ex verbis sequentibus: *Qui non credit in Filium DEI, jam judicatus est*, & quia parvuli ante usum rationis non sint capaces eliciendi actus fidei, ita nec sunt capaces Sacramenti fidei, quia fides debet præcedere baptismum in eo qui baptizatur, hinc Actor. 8. Philippus ad Eunuchum Reginæ Candacis dixit, *si credis ex toto corde licet te baptizari*, unde præmisit fidem baptismo Christus etiam Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Cùm igitur actus fidei debeat præcedere baptismum in eo, qui baptizatur, & parvuli ante usum rationis non sint capaces fidei actualis, sequitur nec esse capaces baptismi ante usum rationis. Quòd si dicas, omnes etiam parvulos peccâsse in Adamo, ac contraxisse peccatum originale, consequenter indigere baptismo etiam parvulos ante usum rationis, hinc Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap. 27. ait: *Infantibus ipsum baptizare est credere, seu fidem profiteri*, scilicet fide Ecclesiæ supplentis defectum parvulorum, & de qua fide loquens Augustinus serm. 10. de verbis Apostoli ait : *Accommodat eis Mater Ecclesia aliorum pedes, ut veniant, aliorum cor, ut credant, aliorum linguas, ut fateantur.* Et lib. de peccator. meritis cap. 25. ait : *Mater Ecclesia cor maternum eis præstat, ut sacris mysteriis imbuantur, quia nondum possunt proprio corde credere ad justitiam, nec ore proprio ad salutem confiteri*: Quapropter Sancti Patres communiter docent, infantes baptizari in fide matris Ecclesiæ & parentum: quamvis nemo justificetur absque fide actuali, & habituali, habitualis tamē infunditur parvulis in baptismo & formaliter justificantur, quia baptizantur in fide matris Ecclesiæ: quapropter parentū infidelitas non obstat valori baptismi: & cum habitu fidei infunduntur etiam habitus spei, & charitatis, & propter hos habitus dicuntur parvuli credere, sperare, & amare, sed Anabaptistæ hæc rejicientes asserunt parvulos mundari ab ipso peccato originali ex vi promissionis factæ à DEO fidelibus, eò quia eorum suorúmque filiorum sit futurus DEus; dixit enim Paulus 1. Corinth. 7. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi, essent, nunc autem sancti sunt.* Hinc inferunt Anabaptistæ, quòd si in utero materno sunt parvuli Sanctificati per parentes fideles, non indigent baptismo, cum nascuntur, cum nullum commiserint personale peccatum, nullo speciali indigent remedio, sed per fidem, & baptismum parentum sanctificantur. Quòd si dicas, sanctificari in utero matris fuisse privilegium speciale concessum à DEO Joanni Baptistæ, respondent Anabaptistæ, hoc privilegium concedi omnibus parvulis in utero Matris fidelis existentibus, & Baptistæ deputationem, & dedicationem Spiritualem mysterio Divino fuisse illud speciale, quod aliis, ut etiam Prophetiæ exercitium.

Si dicas, in lege veteri die æ-tavo parvulos fuisse circumcidendos ante usum rationis, & circumcisionem fuisse figuram baptismi, respondent Anabaptistæ ex figuris non inferri eundem usum rerum figuratarum, nisi habeatur iteratum præceptum; alioquin sicut circumcisio non conferebatur fœminis inter Judæos, ita baptismus inter Christianos non esset fœminis conferendus. Præterea circumcisio ad duplicem usum exercebatur, quorum unus erat tem-

temporalis ad distinguendam progeniem Abrahæ ab aliis Nationibus, & alter Spiritualis, ad rescindenda opera carnis, à quibus abstinerent, qui DEO dicabantur, ideoque quantum ad primum motivum, qui in deserto per 40. annos nati fuerunt, circumcisionem non fuerunt passi, quia tunc aliis non immiscebantur Nationibus, ut notat D. Hieronymus in Epist. ad Galat. lib. 1. cap. 3. Damascenus lib. 4. de fide Orthodox. cap. 26. sed baptismus tantùm applicatur ad usum spiritualem, quapropter circumstantiæ circumcisionis nihil citra novum præceptum scripturæ concludunt quoad applicationē baptismi; circumcisio enim conferebatur variis de causis temporalibus, quæ in baptismo locum non habent: siquidem primarius circumcisionis usus erat, ut filii Hebræorum ab aliis distinguerentur gentibus, baptismus autem institutus fuit ad discernendam solam spiritualem filiationem, quam sola fipes Christiana facit. Quòd etiam non valeat argumentum, à figuris liquet, quia alias in celebratione agni paschalis, qui figurabat Eucharistiam, nullus erat Sacramentalis potus, & si valeret argumentum à figuris, neque requireretur in Eucharistia. Quamobrem ex eo, quòd circumcisio daretur parvulis ante usum rationis, non sequitur, quod etiam baptismus debeat parvulis conferri ante usum rationis. Præterea quia circumcisio cum dolore gravi & acuto sumebatur, ut liquet ex historia Simitarum Genes. 4. *tertio die cum solet gravissimus dolor urgere.* Quamobrem ut Israelitæ minus obsistentes, & negligentes fieret ad suscipiendam circumcisionem, expediebat illam conferri parvulis, qui minus apprehenderent pœnam, minúsque essent capaces doloris, & hac de causa conferebatur octava die, eò quia ante septimum vix securi fuissent de vita, quæ omnia locum habere non possunt in baptismo. Præterea quia circumcisio perpetuam notam inurebat carni, & baptismus nullum relinquit signum sensibile, sed tantùm characterem imprimit in anima, neque per corpus potest quis dignosci, quòd baptismum susceperit, hinc ajunt Anabaptistæ, quòd si quis baptismum susceperit in infantia, & ante usum rationis, nullum potest signum adferre in suo corpore, quòd Sacramentum baptismi susceperit, & tamen oportet Sacramentum esse suscipienti signum sensibile. Tum quia in circumcisione habetur tantùm materiale signaculum absque verbo Sacramentali, secus in baptismo elementum & verba sunt de essentia Sacramenti, unde ait Augustinus Tract. 80. in Joan. *Tolle aquam non est baptismus, tolle verbum, nec pariter est baptismus.* Hinc inferunt Anabaptistæ, ut suscipiens baptismum intelligat, quid significent verba prolata à Ministro: Ego te baptizo, & capax sit signi elementaris, quod non requirebatur in circumcisione. Demum asserunt, omnia quæ erant in circumcisione, non debere formalem conformantiam servare cum baptismo, sed sufficere analogicam, qua ex infantia temporali, cui circumcisio conferebatur, infantia significetur spiritualis, qua parvuli debemus fieri, candore scilicet & innocentia morum, juxta verba Matth. 18. *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*, non ait, nisi efficiamini parvuli, sed sicut parvuli, imitantes scilicet parvulos morum innocentia, & vitæ candore. Ideoque in primitiva Ecclesia quando ætate confectis, & decreptis conferebatur baptismus, dari consueverat gustandum lac, & mel ad indicandam analogicam consonantiam cum infantia, ut notat D. Hieronymus Dialog. adversus Lucifer. & recens baptizati, quamvis essent adulti, ac ætate provecti, vocabantur parvuli, ac infantes, & Victorinus venerandum quendam senem vocat puerum baptismi, idque causa, cur Ecclesia in Octava Paschæ, qui dies baptismo solemniter conferendo dicatus erat, legeretur in missa, *quasi modo geniti infantes lac concupiscite.*

Si dicas, Christum consuevisse pueros benevolè excipere, quotquot ad ipsum adducerentur, tametsi nondum essent capaces rationis, cujusmodi fuerunt ii, de quibus Matth. 18. & Marci 9. dicitur: *Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt.* Respondent Anabaptistæ, pueros non fuisse ad Christum adductos, ut eos baptizaret, vel tantùm ut eis manus imponeret, unde ex præcitato textu asserunt, non posse inferri parvulos ante usum rationis esse baptizandos, cùm Christus eos non baptizaverit. Quòd si dicas, Christum dixisse, Regnum Cœlorum esse ipsorum parvulorum, respondent Anabaptistæ parvulos ante usum rationis iustificari sine baptismo per promissionem factam Progenitoribus eorum, quia sicut non habent peccatum personale, ita nec indigent remedio personali.

Si adferas Act. 10. ubi Petrus, cum catechizaret domum Cornelii, dicitur baptizasse in nomine JESU quotquot erant in domo illa, etiam pueros ante usum rationis: *Cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum, & loquebantur linguis, & Petrus jussit eos baptizari in nomine JESU*, Respondent Anabaptistæ, Petrum jussisse baptizari tantùm eos qui capaces erant baptismi, non verò pueros, qui erant incapaces. Quamobrem asserunt pueros tantùm baptizari eo baptismo, cujus sunt capaces, non verò sicut adulti, qui per fidem propriam, & personalem capaces sunt proprii baptismi: pueri verò tantùm per fidem parentum, quæ illis imputatur, ideoque ajunt in adultis requiri baptismum actualem, in parvulis verò sufficere imputativum Progenitorum, congruum enim est, ut baptismus sequatur qualitatem fidei cujus est Sacramentum.

Si ulterius adferas factum D. Pauli, qui 1. Corinth. 1. ait: se baptismum contulisse domui Stephanæ, inquiens: *Baptizavi domum Stephanæ*, adeoque ejus parvulos nondum septennes, nondum capaces usus rationis. Respondent Anabaptistæ D. Paulum nullius parvuli nondum septennis meminisse, unde non debet inferri ab ipso fuisse etiam parvulis baptismum collatum, & rursus etiam dato quòd in tali domo fuissent parvuli aliqui, adhuc nil inde concluderetur, nisi pueri exprimantur, quia quando domus dicitur à Paulo baptizata, intelligitur de iis, qui capaces erant baptismi, perinde ac cum Joannis 4. de Capharnito dicitur, credidit ipse, & domus ejus tota, non sequitur infantes, & sugentes lac ex mamillis credidisse, ac veros, realésque elicuisse actus fidei, sed tantùm, eos, qui rationis compotes erant, qua ratione Actor. 8. in conversione Samariæ per Philippum dicitur, baptizabantur viri, ac mulieres, & nulla fit puerorum mentio, cùm tamen plurimi essent nondum septennes, nondum capaces rationis. Quòd si urgeas, esse præceptum Domini, ut omnes gentes baptizentur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, proinde etiam parvuli, qui comprehenduntur in numero gentium, cùm sint & ipsi homines ex corpore, & anima rationali compacti. Matth. 28. *docete omnes*

*gen-*

*gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Respondent Anabaptistæ sermonem illum generalem esse coarctandum ad illos, qui fuerunt prius edocti, quia Christus ait: Docentes omnes gentes, & postea baptizantes, unde prius debent erudiri, & per conceptam fidem se disponere ad baptismum: atqui parvuli ante usum rationis non sunt capaces edoceri, consequenter neque baptismi, ait enim Hieronymus in Matth. lib. 4. cap. 28. *Docent primò omnes gentes, & edoctas intingunt aqua, nam fieri non potest, ut corpus Sacramentum baptismi recipiat, quin priùs fides veritatem anima receperit.* Generatim ubi sermo est de generali applicatione baptismi asserunt eam generalitatem esse restringendam ad eos, qui capaces sunt talis Sacramenti, quod de puris Anabaptistæ inficiantur, quinimò ad id evincendum plura coacervant scripturæ loca exigentes præviam fidem, ut conferri possit baptismus, Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit.* Quamobrem nisi deveniamus ad Apostolicas traditiones, & consuetudinem primitivæ Ecclesiæ baptizandi etiam pueros nondum septennes, vix possent convinci Anabaptistæ non conferentes pueris baptismum, quapropter urget necessitas concedendi in Ecclesia Apostolicas traditiones, hinc Augustinus lib. 10. de Genes. cap. 23. ait: *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda, nec ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda nisi esset Apostolica traditio.* Et lib. 4. de baptismo cap. 24. expressè ait esse traditionem Apostolicam, quòd parvuli sint baptizandi, & lib. 1. de peccator. meritis, & remiss. cap. 26. ait: Pelagianos non fuisse ausos baptismum parvulorum damnare, eò quia viderint in tota Ecclesia usitatum esse.

Rursus ipsa baptismi forma etiam nobis necessitatem suggerit admittendi traditiones Apostolicas circa baptismum, adeo ut non possimus esse Christiani, quin priùs videamur Apostolicas traditiones admisisse, etenim si sumamus ipsam formam baptismi nullibi in scripturis, ut jacet, reperitur, est enim forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quæ forma non aliunde deducitur quàm ex verbis Christi Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, sed ex illis verbis non infertur forma baptismi, nisi admittantur traditiones Apostolicæ, quia Christus non dixit: Baptizate, & proferte hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quæ verba sunt propria forma hujus Sacramenti, sed tantùm dixit, *Baptizate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quæ verba nos non adigunt, ut dicamus, ego te baptizo, sed solùm ut baptizemus in nomine Dei. Hinc etiam Marci 16. Christus ait: *In nomine meo Dæmonia ejicient, & super ægros manus imponent, & bene habebunt*, & nihilominus non erat necesse, ut Apostoli ad sanitatem impertiendam ægrotis pronuntiarent verba illa ego tibi sanitatem impertio in nomine Christi, siquidem Paulus Actor. 14. Lystris sanavit claudum nulla facta mentione nominis Christi; dixit enim: *surge super pedes tuos rectus, & exilivit.* Quamobrem circa formam baptismi necesse itidem habemus admittere traditiones Apostolicas, cum ex scripturis verba formæ, ut jacent, non reperiantur, & nisi Apostoli eam à Christo audivissent, & tradidissent Ecclesiæ, ex solis scripturis non posset contra Hæreticos eam evincere. Circa itidem modum baptizandi necesse est innitamur traditionibus, siquidem in primitiva Ecclesia consuetudo inolevit, ut fideles per trinam immersionem in aquam baptizarentur, qui modus fuit postea mutatus in aspersionem, seu irrorationem super caput, vel per infusionem aquæ in aliud corporis membrum. Per quadringentos primos annos consuevisse Ecclesiam baptismum conferre per illam trinam immersionem in aquam testatur Tertullianus, & meminit hujus trinæ immersionis Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 15. Quamvis igitur Christus hanc immersionem instituisset, eamque injunxisset Apostolis, & eorum Discipulis, quia tamen ex traditione Apostolica non erat de necessitate, seu de essentia baptismi, sed tantùm de integritate significativa, quatenus expressiùs immersio abstersionem, & lotionem significat, quam simplex aspersio, ut etiam eductio ex aqua magis exprimit resurrectionem Christi, sicut & immersio ipsam sepulturam, ut docet D. Paulus ad Roman. 6. Ecclesia justis de causis, & ob quasdam difficultates eum modum immersionis commutavit in solam aspersionem præsertim ob pueros, qui sæpe non poterant trinam illam immersionem ferre absque vitæ periculo, & ob fœminas catechumenas quæ corporis nuditatem horrebant, alioquin si prima immersio fuisset de essentia baptismi non potuisset Ecclesiam eam immutare.

Alia necessitas admittendi Apostolicas traditiones nobis suppeditatur à processione explicita Spiritus Sancti à Filio; quæ tametsi implicitè inferatur Sacris Scripturis, explicitè tamen nullibi in Sacris Bibliis habetur: & cum hæc propositio explicita Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio sit Articulus Christianæ fidei, non habetur nisi per traditionem, relationem antiquiorum fidem. Consequenter ut asseramus præfatum fidei articulum tenemur Apostolicas traditiones concedere. Siquidem Græci respondent omnibus scripturis, quæ à Latinis afferuntur ad evincendum, Spiritum S. procedere à Patre & Filio. Etenim si adferas illud Joannis 16. *omnia quæ habet Pater, mea sunt*: & cap. 17. *omnia mea tua sunt, & tua mea sunt*; & illud Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Respondent Græci has scripturas esse intelligendas de dominio creaturarum, neque opus esse id referre ad essentiam, ac naturam: sicut nec Pater Familias referebat ad suam essentiam cum filio natu majori dixit: *omnia mea tua sunt, & tu semper mecum.* Præterea si exponerentur de essentia, inde sequeretur, quod filius deberet itidem originari à Spiritu Sancto, sicut à Patre; quia essentia, & natura Patris est eadem etiam in Spiritu Sancto. Sed hæc responsio facilè rejicitur; quia tametsi per præcitatos textus non habeatur explicitè, & immediatè, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio; inde tamen implicitè deducitur: quia si Filius Joan. 11. ait: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*; debet omnia Patris, quorum est filius, capax esse itidem filii; alioquin non omnia quæ habet Pater, essent itidem filii, quia hic esset capax plurium quæ sunt Patris, & illa non habet: *illud omnia* nihil excludit eorum, quæ habet Pater, & quorum est filius capax: sed filius in divinis est capax ejusdem naturæ, & essentiæ, ac ejusdem vis spirativæ activæ, quæ inest Patri; adeo ut præter relationem Paternitatis sit capax omnium prædicatorum, quæ Patri insunt; ergo hæc omnia debent filio inesse, imò & cum filio identificari; alioquin *omnia quæ habet Pater*, non essent Filii.

Quòd si vis spirativa quæ in est Patri, eadem prorsus inest filio, cum Pater spiret Spiritum Sanctum, sequitur etiam filium debere illum spirare, alioquin eadem vis spirativa spiraret, & non spiraret Spiritum Sanctum, quod est implicatorium. Hac ratione SS. Patres, præsertim Athanasius Dialog. 5. contra Macedonium, & epistola priori ad Serapionem. Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Joan. cap. 2. Didimus lib. 2. de Spiritu Sancto, & alii inferunt processionem Spiritus Sancti à Patre, & filio.

Si opponas Græcis illud Joan. 15. ubi Christus promittit se missurum Spiritum S. *Quem ego mittam vobis à Patre*, & 17. *Si abiero mittam eum ad vos.* Respondent Joannem 14. exposuisse verba sua, scilicet quod esset rogaturus Patrem, ut mitteret eis Spiritum S. & notant, voluisse Christum prævenire Apostolos, ne crederent Spiritum Sanctum ab ipso procedere, cum dixit : *Mittam à Patre spiritum veritatis, qui à Patre procedit*: & ajunt esse ingens discrimen notandum inter missionem temporalem Spiritus Sancti ex rogatu Christi Apostolis conferendi; & ejusdem æternam processionem, de qua est controversia. Hæcque causa cur Græci Latinos reprehendant de additione illa facta ad symbolum Apostolorum *Filióque*, quæ particula nullibi in Sacris Scripturis reperitur; & cujus appositum scriptura potius exprimit: non enim scriptura asserit filium concurrere ad processionem Spiritus Sancti, sed Patrem, cujus tantùm expressè meminit. Arguunt itidem Latinos Græci, de violato Decreto Concilii Ephesini prohibentis sub pœna anathematis, ne quicquam addatur Fidei Concilii Constantinopolitani; cui nihilominus addita fuit illa particula filióque quæ in Sacris Scripturis non reperitur, dicitur enim in canone septimo : *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre, & Filio adorandum.* Scriptura enim soli Patri spirationem activam tribuit; non verò Filio. Sed quamvis spiratio activa, & quod Spiritus Sanctus procedat à Filio, immediatè non habeatur in Sacris Scripturis; implicitè tamen, & mediatè pluries reperitur; ut Joan. 16. *Omnia quæ habet Pater mea sunt*; ut enim superius explicuimus, spiratio activa quam habet Pater, est etiam in filio, quia est capax illius : alioquin omnia quæ habet Pater, non essent filii, contra expressam scripturam; illud omnia includit omnia bona, & prædicata, quorum est filius capax; propterea convenienter ad Concilium Constantinopolitanum facta fuit ab Ecclesia illa additio *Filióque*, ad majorem fidei explicationem, & ad errores Græcorum penitus delendos. Neque Latini violârunt decretum Concilii Ephesini de non addendo quicquam Fidei Concilii Constantinopolitani, quia Ecclesia quod implicitè continebatur in symbolo fidei, consultiùs censuit majoris claritatis causa explicitè significare ad evellendos hæreticorum errores: idem cum in symbolo fidei Concilii Constantinopolitani habeatur explicitè, *credimus in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem*, implicitè procedit etiam à Filio, quia ut paulo superius evicimus, eadem vis spirativa, quæ inest Patri, ejusdem est Filius capax, consequenter eidem inest, cum dicat Christus Joan. 16. *omnia quæ habet Pater mea sunt*; si omnia, utique etiam vim spirativam, cujus est Filius capax.

Ratione id etiam potest suaderi: quia omnis missio vel est imperium, quo pacto servi mittuntur à Dominis, vel per Concilium; & hoc modo non bene valentes à medicis mittuntur ad balnea : vel per naturalem emanationem, quo pacto influxus à syderibus mittuntur in sublunaria, fructus mittuntur ab arbore : atqui repugnat Spiritui Sancto mitti per imperium, quia id arguit minoritatem in misso; consequenter Spiritus S. esset minor filio, quod repugnat, cum sit ejusdem numero naturæ, ac essentiæ cum Filio: neque potest mitti per modum Consilii, quia id arguit defectum in misso; & Spiritus S. est æquè potens ac sapiens sicut filius, consequenter neque potest mitti per Consilium; unde super est, ut missio Filii à Spiritu Sancto sit per naturalem emanationem: qua propter D. Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 10. ait: *Filium mitti nihil aliud est, quam filium nasci; & Spiritum Sanctum mitti nihil aliud est, quam spiritum Sanctum procedere.* Quod etiam docet D. Anselmus Epist. de processione Spiritus Sancti c. 7. Ergo cum sit de fide Spiritum Sanctum à Filio mitti, est etiam de fide Spiritum procedere Sanctum à Filio.

Ad hæc respondebant Græci, Spiritum Sanctum tantùm mitti à Filio meritoriè, eo quia illum nobis meruerit. Sed contra, quia si hæc responsio valeret, posset etiam quis asserere, quod Pater mittatur, quia Filium etiam nobis meruerit, ut faceret mansionem apud nos. Contra secundò, quia mereri spiritum non est propriè mittere, sed tantùm impetrare: verba autem scripturæ, quando non sequitur inconveniens, sunt intelligenda in sensu proprio, non extorquenda in sensus improprios juxta aureum regulam Sanctorum Patrum: ergo cum verbum mittere significet etiam originem, & naturalem emanationem, in quo sensu dicimus propriè, arbores mittere flores, cum Filius dicitur in Scripturis mittere spiritum in sensu proprio non potest aliter intelligi, quam de missione originis, quatenus Spiritus S. procedit à Filio, quia mittere per imperium vel Concilium arguit imperfectionem removendam in divinis.

Respondent tertio, Filium in scripturis dici mittere Spiritum Sanctum, non quia procedit à Filio, sed quia Filius elargitur hominibus dona Spiritus S. sed contra, quia scriptura non loquitur de dono Spiritus Sancti, sed de ipsa persona Spiritus Sancti consequenter filius mittit ipsam personam, seu una cum Patre spirat Spiritum Sanctum. Contra secundò, quia si in hoc sensu filius mitteret, Spiritum Sanctum perinde diceretur Filius mittere Spiritum S. ac Patrem, siquidem dona vel Deus elargitur creaturis sunt opera ad extra, quæ dicuntur indivisa, & communia tribus personis unde eodem pacto Filius diceretur mittere Patrem ac Spiritum Sanctum, quod dici nequit. Contra tertiò quia Filius mittit eodem pacto, & eadem missione, qua mittit Pater consequenter, si Pater producit Spiritum Sanctum, etiam Filius, quia eadem missione, qua Pater eum mittit. Contra quartò, quia si una persona diceretur aliam mittere, eò quia conferat ejus opera, sequeretur, quod Pater, & Filius mitterentur etiam à Spiritu S. quia quæ Spiritus S. communicat creaturis, sunt etiam propria Patris, & Filii; opera enim ad extra sunt indivisa communia tribus personis.

Sed respondebant Græci Verbum mittere in scripturis non posse significare processionem unius personæ ab alia, alioquin inde sequeretur, quòd Filius procedat à Spiritu S. siquidem Isaiæ 48. ait:

*Nonne Dominus misit me, & Spiritus ejus*, & cap. 61. ait: *Spiritus Domini super me, ad annuntiandum mansuetis misit me*: ergo si verbum mittere significaret processionem unius personæ ab alia, filius æquè procederet à Spiritu Sancto, ac à Patre. Contra tamen negatur consequentia, quia Isaias in præcitatis locis fuit propheticè locutus de Christo secundùm humanitatem, non verò secundùm divinitatem, ut liquet ex contextu. Cæterum Filium unà cum Patre, spirare spiritum ex pluribus aliis scripturæ locis evincitur, præsertim Joan. 16. *Omnia quæ habet Pater mea sunt*, & cap. 17. *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt*. Ergo si Pater habet vim spirativam, qua spirat ad intra Spiritum Sanctum, etiam Filius debet eandem vim spirativam habere, quia Pater omnia quæ habet communicat Filio præter esse Patris, unde si habet eandem vim spirativam, qua Pater non opponitur relativè Filio, estque prædicatum commune utrique personæ, sequitur Spiritum Sanctum æquè procedere à Patre, & Filio.

Probatur ulteriùs, quia Spiritus Sanctus dicitur spiritus Patris, eò quia procedat à Patre juxta illud Matth. 10. *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri*, atqui Spiritus Sanctus in scripturis dicitur etiam spiritus Filii, ad Roman. 8. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, & ad Galat. 4. *Misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra*. Ergo si Spiritus Sanctus, quia dicitur spiritus Patris, procedit à Patre, ita etiam quia dicitur spiritus Filii, debet à Filio procedere. Tum quia si Spiritus Sanctus, est spiritus Patris, & Filii, dicitur relationem ad utramque personam, consequenter ab utraque procedit, firmari etiam ex eo potest, quia persona divina nil accipit, nisi ab ea, à qua procedit, sed Spiritus Sanctus non solùm accipit à Patre, sed etiam à Filio, Joan. 16. Ubi Christus loquens de Spiritu Sancto ait: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, omnia quæcunque habet Pater, mea sunt, propterea dixi vobis, quia de meo accipiet*. Fatetur Filius habere in se quæcunque habet Pater, proinde etiam ipsam vim activam spirandi, omnia enim prædicata, quæ Patri insunt, sunt etiam in filio præter esse Patris, seu omnia prædicata, quæ relativè non opponuntur filio, cujusmodi est spiratio activa, propterea ait Christus: *Dixi vobis, quia de meo accipiet*: vel igitur Spiritus S. accipit à Filio esse substantiale, vel tantùm scientiam, ut respondebant Græci, si dicatur primum, sequitur Spiritum Sanctum verè procedere à Filio, à quo accipit esse substantiale perinde ac à Patre. Si dicatur secundum cum Græcis, etiam sequitur spiritum sanctum procedere à Filio, quia procedit ab ipso secundùm substantiam, non enim scientia in Deo est simplex accidens, ut in creaturis, sed est ipsa substantia divina, sicut quodlibet aliud attributum divinum, est enim Deus actus purus substantialis sibi sufficientissimus, consequenter si semel procedit à Filio, necesse est procedat secundùm substantiam, unde cum Græci respondent, illud pronomen meum non referri ad essentiam, sed ad officium, & doctrinam, & asserunt Christum Joan. 16. cum dixit, *Ille de meo accipiet*: tantùm significâsse, quod spiritus sanctus ex eodem doctrinæ promptuario eruet, quo Christus sumpsit, cum dixit: *mea doctrina non est mea*, non intelligitur de doctrina substantiali, sed accidentali, eò quia subdit: *Et annuntiabit vobis*, non enim verbum *annuntiabit* refertur ad essentiam vel personam, sed ad officium, & doctrinam.

Nam contra, quia si Christus accepit suam doctrinam à Patre, ut ipse testatur dicens: *Mea doctrina non est mea, & ejus qui misit me Patris*, non potest esse substantialis, & quid identificatum cum essentia, & natura divina, neque ullum facessit negotium illud, *annuntiabit vobis*, quia quæ sunt in Deo prædicata substantialia annuntiantur hominibus, ut cognoscant divinas perfectiones.

Græci igitur quamvis nitantur eludere, & in sensus alienos extorquere Sacras scripturas, non tamen possunt ostendere, quòd ex iisdem spiritus sanctus non procedat à Filio, quia eorum responsa non enervant verum sensum scripturarum, si enim adferas textum, *qui spiritum Christi non habet, non est ejus*, vel alium *Spiritum Christi habemus, in quo clamamus Abba Pater*, respondent Græci, non dici spiritum per relationem ad ejus divinitatem, sed tantùm ad humanitatem, nec à Christo, ut Deo emanantem, sed à Christo ut homine possessam, scilicet non ratione processionis æternæ, sed ratione unctionis temporalis, qua unxit eum spiritus sanctus juxta prophetiam Isaiæ: *Spiritus Domini super me, quia unxit me Dominus*, hinc Petrus Actor. 10. *Unxit eum Dominus Spiritus virtute*: dicimus autem recipere spiritum Christi, quia ille idem spiritus, quo unctus est Christus in incarnatione datur nobis non in plenitudine, sicut datus fuit Christo, & tunc nobis datur, cùm Christiani efficimur, & membra Christi, idque firmant variis exemplis desumptis ex scripturis Genes. 34. ubi Spiritus 70. seniorum dicitur spiritus Moysis, & 4. Reg. Spiritus Eliæ dicitur spiritus Elisæi, quòd si licuit spiritum seniorum, & Elisæi vocare spiritum Moysis, & Eliæ, eò quia ante communicationem fuerat Moysis, & in certa mensura fuit spiritus Eliæ, à fortiori ajunt spiritum Ecclesiæ, & membrorum ejus posse dici spiritum Christi, tametsi à Christo, ut Deo emanatione æterna non derivet. Sed contra, quia per spiritum Christi intelligimus ejus divinitatem, in quam tenentur credere quotquot sunt Christi, seu Christiani, & fideles; erat enim Christus Deus, & homo, quam veritatem tenebantur, quotquot ei adhærebant fateri. Unde per spiritum Christi verè intelligitur ejus divinitas, quæ cum sit eadem cum Patre, spirat spiritum sanctum, qui propterea dicitur spiritus Christi, quatenus procedit à Filio seu à persona Christi.

Præterea quia Spiritum Sanctum non procedere à Filio definitum fuit in pluribus Conciliis, eò quia si non explicitè, saltem implicitè, ut hactenus evicimus, reperiatur in divinis scripturis; fuit enim hæc veritas definita in Concilio Ephesino, postea in Lateranensi *cap. firmiter de summa Trinit.* ut etiam in Lugdunensi *cap. Fidelis. de summa Trinitat.* in Florentino in litteris unionis, ubi post prolixam disceptationem inter Græcos, & Latinos tandem unanimi omnium consensu, & plausu receptum fuit, & definitum, spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio, neque quæ objiciebantur à Græcis evertebant hanc veritatem, etenim adferebant illud Joan. 15. *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit*, ubi nulla fit mentio de Filio, & addebant in scripturis nullibi reperiri expressè, quòd Spiritus Sanctus procedat à Filio, sicut Joan. 15. habetur expressè, quòd Spiritus S. procedat à Patre, ex quo inferebant, Spiritum S. procedere à solo Patre, & non à Filio, quia in divinis scripturis non est quidquam addendum, nec detrahendum, ut dicitur Apocal. ult.

Firma-

Firmabant, quia de divinis personis non licet nobis quidquam affirmare, aut negare, nisi id expressum fuerit in scripturis, ut monet D. Dionysius *cap. 1. de divin. nominib.* atqui in scripturis non legimus, Spiritum Sanctum procedere à Filio, sed tantùm à Patre, proinde temerarium est asserere Spiritum Sanctum procedere à Filio. Hisce fundamentis mordicus innitebantur Græci, sed Latini respondebant, in illo loco Joannis 15. tantum fuisse explicatam Processionem Spiritus Sancti à Patre ut à primo principio, ut nimirum significaretur solum Patrem esse primum Principium non procedens ab alio principio, ut explicat D. Augustinus *Tract. 93. in Joan.* & *lib. 15. de Trinit. cap. 27.* Præterea quia Joan. 15. saltem explicitè significatur processio Spiritus Sancti à Filio, subdit enim Filius: *Quem ego mittam vobis*, si enim Filius mittit Spiritum Sanctum procul dubio illum producit, quia mittere ut superius explicuimus non potest in præsenti quid aliud significare, quàm producere. Cæterum sacris scripturis non est, quid addendum, nec detrahendum, nec nos possumus affirmare de divinis personis nisi prout expressè habemus in scripturis per verba, vel per sensum, ut loquitur D. Thomas, & quia hæc verba, Spiritus Sanctus procedit à Filio, habentur in scripturis per sensum, seu implicite, ut superius ostendimus, sequitur Ecclesiam posse explicitè hanc veritatem fateri, quæ nonnisi implicitè & quoad sensum continetur in scripturis. Hinc ad confirmationem respondetur nos posse affirmare de Deo id, quod scripturæ magis innuunt, quam oppositum, maximè accedente definitione Ecclesiæ, quæ peculiari assistentia dirigitur, ac gubernatur à Spiritu Sancto qua propter quæ tantùm implicitè fuerunt in scripturis revelata accedente definitione Ecclesiæ sunt explicitè de de fide, eò quia deducantur ex aliis explicitè revelatis. Addebant secundò Græci, quia in Concilio Nicæno, & Constantinopolitano I. cap. 7. non habetur Spiritum S. procedere à Filio, sed à Patre, ait enim Concilium: *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem ex Patre procedentem, cum Patre, & Filio adorandum, & glorificandum*, ex quo inferebant esse hæreticum asserere, Spiritum Sanctum procedere à Filio quia in eodem Concilio, ut etiam in Ephesino, & Chalcedonensi, nec non à Leone III. sub anathemate præcipitur, ne illi symbolo quidquam addatur, consequenter cum ibi tantùm definitum fuerit Spiritum Sanctum procedere à Patre, non potest addi procedere etiam *à Filio*, quia hæc processio non habetur in tali Concilio nec symbolo, sed sola processio Spiritus Sancti à Patre. Firmant quia distinctio Concilii est conformis divinis scripturis, in quibus tantùm fit mentio de processione Spiritus Sancti à Patre, ut constat ex præcitato loco Joannis.

Firmant itidem ex eo, quia Leo III. qui vixit circa annum 800. curavit in lamina argentea poni Symbolum Nicænum sine illo additamento, Filioque, & eandem laminam posuit post altare Apostoli Pauli. Sed neque hæc fundamenta fuerunt, firma, quia quamvis in præallegatis Conciliis definitum fuerit, Spiritum Sanctum procedere à Patre, non tamen inde sequitur fuisse definitum procedere à solo Patre, exclusivè, in ordine ad Filium, propterea ex illis Conciliis non infertur quidquam contra nostrum assertum: maximè quia in pluribus aliis sequentibus Conciliis, quæ authoritate Pontificia fuerunt coacta, approbata, & confirmata definitum expressè fuit: Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio.

Neque obstat, ab antiquis Conciliis fuisse prohibitum quidquam addi præcitato Symbolo: siquidem id tantum potuit prohiberi non habentibus authoritatem addendi, non verò Pontificibus docentibus ex cathedra, & aliis Conciliis Generalibus legitimè authoritate celebratis, quia par in parem non habet potestatem. Præterea quia ab antiquis illis Conciliis tantum fuit prohibitum, ne quidquam adderetur, quod illi definitioni opponeretur, atqui addere Spiritum Sanctum procedere etiam à Filio, non est contradicere priori definitioni, sed eam luculentius explicare, quod conveniенter factum fuit ad rejiciendas subortas hæreses. Quamobrem asserere Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, est potius explicatio Concilii, quam additio, addere autem explicationem majoris claritatis causa ex authoritate Pontificum & Conciliorum ad novas hæreses confutandas non est inconveniens, imò sanctum & necessarium, alioquin si ex eo quòd in illo Symbolo non fiat expressa mentio de Processione Spiritus Sancti sequeretur Hæreticum esse asserere Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, esset itidem Hæreticum docere mysterium Eucharistiæ, eò quia in illo Symbolo non continetur, quod dici nequit, alioquin fere omnia Concilia essent hæretica, cum non intendant definire omnes propositiones quotquot habentur de fide, quia plerumque de illis nulla habetur difficultas.

Rursus respondetur Concilium Constantinopolitanum definivisse Spiritum Sanctum procedere à Patre sine exclusione Processionis à Filio, non verò cum tali exclusione, habetur enim in illo Concilio, & Symbolo: *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem ex Patre procedentem.* Ubi Concilium non dicit ex Patre tantum vel solum procedentem, sed simpliciter ex Patre, ut implicitè significaretur procedere etiam à Filio, cum omnia quæ habet Pater, sint etiam Filii, adeo ut eadem vis activa spirativa, quæ Patri inest, sit etiam in Filio, proinde si Spiritus Sanctus procedit à Patre, qui habet vim spirativam activam, eadem ratione, procedit etiam à Filio, cui inest eadem vis activa spirativa, unde ex eo, quod in Symbolo ponatur explicitè ex Patre procedentem, ponitur implicitè etiam à Filio, proinde Ecclesiam convenienter hanc implicitam Processionem addidisse explicitè ad confutandas hæreses, hinc ad primam confirmationem patet responsio, quia licet in divinis scripturis fiat tantum explicita mentio de Processione Spiritus Sancti à Patre, implicitè tamen reperitur Processio Spiritus Sancti à Filio, propterea posset responderi in illo loco Joan. 15. tantum explicari Processionem Spiritus Sancti à Patre non verò excludi Processionem à Filio, siquidem Joan. 15. dicitur simpliciter *Spiritus veritatis qui à Patre procedit*, non verò qui à solo Patre procedit, quapropter non excluditur Processio Spiritus Sancti à Filio. Ad secundam confirmationem respondetur, Leonem III. curâsse Symbolum scribi in tabula illa argentea absque particula illa *Filioque*, non quod putaverit esse eam rejiciendam, sed potius memoriæ gratia venerandæ anti-

antiquitatis, ut Symbolum illud conservaretur, eo modo, quo à prædicto Concilio traditum fuerat. Tum quia Concilium Nicænum eo tempore tantùm insudavit, ut probaret consubstantialitatem Filii cum Patre contra Arianos, quapropter tantum dixit Spiritum Sanctum à Patre procedere non excludendo, sed potius implicite includendo etiam Processionem ejusdem Spiritus Sancti à Filio, quia cum Filius accipiat à Patre omnia præter esse Patrem accipit etiam vim spirativam, quæ non opponitur Filio. Si dicas Patrem habere in se totam vim spirativam proinde eam non habere Filium à Patre, eo quia Pater cum sit origine Filio prior, habet in prioritate originis in se totam vim spirandi, cum illam habeat à se, alioquin prius origine spirat, ex quo inferunt Filium non spirare, nec habere virtutem spirandi. Sed hoc non obstat, quia tametsi Pater ut prior origine Filio habeat in illa prioritate originis vim spirandi, non tamen in eadem prioritate originis ad generationem Filii spirat: quia spiratio activa in actu exercito exigit esse à Patre, & Filio, quia de ratione procedentis per volitionem est esse posterius procedente per intellectionem, quia voluntas est posterior in operando intellectu: atqui Spiritus Sanctus procedit per volitionem, & Verbum per intellectionem, quapropter Processio Spiritus Sancti est origine posterior Processione Verbi, consequenter Spiritus Sanctus procedit à Filio, quia per generationem accipit à Patre eandem vim activam spirativam, quæ inest Patri, proinde actu cum illo spirat, quia vis spirativa est una simplicissima, ac indivisibilis, & non potest intelligi quod in Patre spiret, & non in Filio. Filius siquidem in illo priori originis accipit à Patre eandem essentiam, & voluntatem fœcundam quam habet Pater, qui Filio communicat omnia quæ habet, præter esse Patrem, & cum vis spirativa activa non sit formaliter ipsum esse Patris, inficiari nequimus, quin eandem communicet Filio. Quamvis igitur explicitè & immediatè non reperiatur in divinis scripturis hæc propositio: Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, credenda nihilominus est de fide ex traditione, quapropter urget necessitas admittendi hujusmodi traditiones in Ecclesia.

# CAPUT X.

## Quænam sint traditiones, quæ in Ecclesia servantur, & quæ regulæ ad illas cognoscendas.

ASseruimus in præcedentibus præter verbum DEI scriptum, in quo non expressè continetur tota doctrina sive de fide, sive de moribus, admittendum esse verbum non scriptum, quod nos doceat, quæ in scripturis nusquam reperiuntur, & quorum origo alio referri non potest, quàm in Christum, & Apostolos, qui ipsum Verbum, quod acceperunt à Magistro Christo, Ecclesiæ consignarunt, sitque propterea ejusdem authoritatis cum Verbo DEI scripto, quia Verbum DEI non à charta nec à viva voce authoritatem accipit, sed ex eo quod à DEO profectum sit. Plures igitur sunt traditiones Apostolicæ, quæ sine scriptura fuerunt fidelissimè asservatæ in Ecclesia, quarum principaliores sunt tres tantum, non plures nec pauciores dari divinas personas, quia tametsi expressè habeamus, in divinis scripturis dari tres personas divinas, nullibi tamen habetur expressè eas non esse plures, nec pauciores: unde quod plures non sint, est mera traditio, ut etiam quòd Spiritus Sanctus explicitè procedat à Patre & Filio, hæc enim propositio licet implicitè deducatur ex pluribus scripturæ locis, nullibi tamen in scripturis legitur explicitè, quapropter præfata propositio est etiam traditio in Ecclesia asservata, & implicitè deducta à sacris scripturis. Rursus Christum descendisse ad inferos, & liberâsse Patres, crucem esse honore, & cultu habendam, cum expressè non habeatur in scripturis, est etiam traditio, ut etiam quòd Beata Virgo Christi Mater fuerit semper Virgo, & assumpta in cœlum etiam cum corpore habetur tantum ex Apostolica traditione, ut etiam quod pueri sint baptizandi ante usum rationis, ut paulò ante ostendimus.

Quòd scriptura sacra sit canonica, & verum Verbum DEI, & eadem prorsus quam scripserunt Prophetæ, Evangelistæ, Moyses, Apostoli, est sola traditio, non enim aliunde potest nobis constare, quod hæc scriptura sacra sit canonica, & verum Verbum Dei, quam ex sola traditione. Numerus itidem Sacramentorum materiam, & formam saltem quoad aliqua quæ non exprimuntur in scriptura, habemus etiam ex traditione, sicut etiam, quod baptismus, si necessitas urgeat, possit à quovis parvulis, & adultis conferri, & validum esse baptismum collatum ab Hæreticis, ac imprimere characterem, nec esse iterandum, hæc enim omnia cum non habeantur in sacris scripturis non nisi ex Apostolica traditione in Ecclesia derivantur, ut etiam quòd confirmatio sit verum Sacramentum, & characterem imprimat, possitque à solo Episcopo Ministro Ordinario conferri: & quòd Eucharistia sit simul Sacramentum, & Sacrificium, & quod in eodem debeat aqua vino misceri. Rursus quod Pœnitentia sit verum Sacramentum constans ex auriculari confessione, & absolutione, & satisfactione. Quod extrema unctio sit itidem verum Sacramentum, ut etiam Ordo, & imprimat characterem, ac varios esse ordinis gradus, quod matrimonium sit itidem verum Sacramentum conferens gratiam, & ratum non consummatum dissolvi possit per Professionem Religiosam: hæc enim omnia fuerunt in Ecclesiam derivata ex traditionibus Apostolicis continuatis in Ecclesia usque ad præsens. Plura etiam alia habentur in Ecclesia, quæ solis innitantur Apostolicis traditionibus, ut institutum monasticum Ecclesiæ thesaurus, Sanctorum invocationes, imaginum, & reliquiarum cultus, jejunium quadragesimale, suppressio die Sabbathi translati in diem Dominicum, quæ suppressio vel maximè Judæos commovit contra Christianos, eò quia inviolabile præceptum DEI insertum dialogo ut morale, & non simpliciter ut cæremoniale fuerit antiquatum etiam contra

contra Christi doctrinam, qui Matth. 24. Voluit Sabbathum inviolabiliter custodiri inquiens: Orate ne fuga vestra fuit *in Sabbatho*: quinimò neque quidquam scripserunt Apostoli de hac commutatione Sabbathi in diem Dominicum, unde nonnisi per solam Apostolicam traditionem non scriptam hæc commutatio habetur, & servatur in Ecclesia, fuit enim mutatio in ordine ad finem, formam, & materiam totius Religionis, quia quantum ad finem legimus Sabbathum ordinatum fuisse ad commendandam, & celebrandam Dei quietem post mundi creationem, seu ejus cessationis ab opere creationis, ideoque habebatur dies septimus hebdomadæ, secus dies dominica non celebratur hoc fine à Christianis, sed in commemorationem resurrectionis Christi.

Quantum ad formam etiam adest mutatio, quia dies Sabbathi est septimus hebdomadæ, & dies dominicus est primus ejusdem, unde quamvis unus ex septem diebus observetur, & cultui divino detur, non tamen apud Christianos est septimus sicut apud Hebræos, sed primus, idque causæ fuit, cur Patres primitivæ Ecclesiæ diem Mercurii quartam, & Veneris sextam feriam dixerint, quod etiam hodie observatur supputando unius hebdomadæ à die dominico quatenus respectu supputationis judaicæ dies Dominicus, quem Christiani coluerunt: fiat primus hebdomadæ, ideoque observabant numerum septenarium quasi sacrum, quapropter Apostoli instituerunt diem dominicum non ut simpliciter vicem & locum Sabbarhi agerent, sed ad introducendam novam solemnitatem in Christi Ecclesia in terris militante, quæ minimè cum Sabbatho conveniret, hinc notant plures in primitiva Ecclesia, quæ intendebat Synagogam honorifice sepelire Christianos utrumque diem coluisse, scilicet Sabbathum in commemorationem præcepti Mosaici, & diem dominicum in memoriam resurrectionis Christi, unde Apostoli non substituerunt diem dominicum Sabbatho, sed novum diem festum in Ecclesia tanquam proprium & singularem Christianorum.

Quod verò ad materiam attinet, etiam contigit immutatio, quia dies à Moyse Israelitis assignatus non fuit ab electione, vel revolutione numeri septenarii, alioquin qui minutias lignorum in Sabbatho collegerat, & fuit morte damnatus Num. 15. *Obruat eum lapidibus omnis turba extra castra*, excusare potuisset suum delictum, ac dicere se supputâsse à die posteriori, sed non potuit hanc producere excusationem, quia Sabbathum fuit dies septimus ab origine supputatus, & quem Deus stabilierat, idque causæ cur pridie quam Deus designaret diem Sabbathi duplam mannæ portionem pluit Israëlitis, quam colligi voluit, & pro die posteo feriató ipsis sufficeret, adeo ut per totos quadraginta annos Israëlitæ ab omni opere, & collectione mannæ vacaverint. Cum igitur hæc suppressio Sabbathi, in qua cessant finis, forma, materia præcepti divini: & nova inducitur observantia diei domiuici, qui datur Christianis in festum solemne, nullibi reperiarur in sacris scripturis, neque in nullo præcepto Domini, vel Apostolorum scripto ex sola traditione non scripta ab Apostolis in Ecclesiam derivata, habetur. Et quamvis aliqui allegent raptum Joannis in die Domini ad stabiliendum diem dominicum id non videtur sufficere, quia dies Domini vocatur etiam dies extremi judicii 1. Corinth. 3. *Dies Domini revelabit.*

Alii etiam adferunt in oppositum observationem Justini Martyris, & aliorum Patrum antiquorum asserentium conventus Christianorum solitos fuisse fieri die solis, ex qua consuetudine explicant Joannem de die dominico, siquidem hæc responsio non est ad rem juxta præsentem controversiam, quâ quæritur, an sola scriptura omnia doceat fidei dogmata, & Justinus non ab Apocalypsi, sed ab ipsa traditione hanc suam desumpsit expositionem. Hinc etiam quod collectæ pauperum fieri consueverint die dominico, per solam habetur traditionem productam à Justino orat. ad Antoninum Pium, ut notat D. Hieronymus *Epist.* 66. *homil.* 43. *in cap.* 16. *Epist.* 1. *ad Corinth.* hæc igitur omnia & alia plura, de quibus infra dicemus, quæ observantur in Ecclesia, & non reperiuntur in scripturis, habentur ut traditiones, quæ ad nos pervenerunt per Apostolos, suntque universales in tota Ecclesia. Hinc traditiones in triplici habentur differentia, aliæ enim sunt divinæ, quia innituntur authoritati, Christi, cujusmodi sunt, quæ pertinent ad sacramenta: aliæ quæ proveniunt ab Apostolis cum assistentia Spiritus Sancti, & dicuntur Apostolicæ, & hæ præsertim pertinent ad cæremonias, cujusmodi sunt ritus Ecclesiæ instituti ab Apostolis, & aliæ cæremoniæ, quæ inchoatæ à Prælato vel populis aut usu, vel consuetudine obtinuerunt postea vim legis, & istæ dicuntur traditiones Ecclesiasticæ, de quibus plura in sequentibus.

Quod vero ad regulas attinet cognoscendi veras traditiones ab Apocryphis, solent quinque assignari, quarum prima est, quando universalis Ecclesia aliquid credit, ac suscipit ut fidei dogma, quod non reperitur in divinis scripturis, tunc necesse est fateamur id haberi ex Apostolorum traditione, ratio est, quia cum Ecclesia universalis non possit falli, nec alios fallere ob assistentiam Spiritus Sancti, ob quam causam ab Apostolo 1. Timoth. 3. dicitur esse columna, & firmamentum veritatis, & Christus promiserit portas inferi adversus eam non esse prævalituras Matth. 16. *Porta inferi non prævalebunt adversus eam*, sine dubio quod tota Ecclesia universa censet esse de fide, & id non reperitur in sacris scripturis censendum est absque ulla hæsitatione de fide: sed nihil est de fide, nisi quod Deus per Apostolos, aut Prophetas revelavit, vel quod inde evidenter deducitur, quia Ecclesia non dirigitur per particularium personarum novas revelationes, sed iis duntaxat adhæresci, quæ tradiderunt, qui Ministri fuerunt sermonis, & per quos Deus ipse fuit locutus, qua de causa dicitur Ecclesia ab Apostolo Paulo ad Ephes. 1. ædificata supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, quamobrem quæ Ecclesia tota censet esse de fide, & tradita sunt ab Apostolis, aut Prophetis, sive verbo scripto sive tantùm tradito, tenenda sunt de fide, cujusmodi sunt perpetua Virginitas Beatæ Mariæ, Numerus librorum canonicorum, Sacramentorum, & alia id genus paulò superius à nobis recensita, quæ habentur ut fidei dogmata, quamvis in scripturis nulla fiat illorum mentio.

Secunda quæ solet regula assignari, est, quando universa Ecclesia observat itidem aliquid, quod à nemine constitui potuit, nisi à solo Deo, tunc enim quamvis id nullibi reperiatur in sacris scripturis, necesse est fuisse id traditum à Christo, & ejus Apostolis, adeo ut nonnisi ex Apostolica traditione fuerit in Ecclesiam derivatum, & ratio itidem est, quia cum tota Ecclesia non possit in fide errare in credendo, & operando, præsertim in ritu, cultuque divino,

non potest non esse verum, & traditum ab Apostolis, quod universa Ecclesia observat, ut enim asserit Augustinns Epist. 118. insolentissimæ esset insaniæ existimare non rectè fieri, quod ab universa Ecclesia, quæ est columna, & firmamentum veritatis, peragitur, unde quæ Ecclesia universa servat ut dogma fidei, quamvis in scripturis non reperiatur, censendum est ad ipsam derivâsse ex Apostolica traditione, cujusmodi est baptismus collatus pueris nondum septennibus seu ante usum rationis, etenim gravissimè procul dubio erraret Ecclesia, si absque DEI mandato parvulos, qui actu non credunt, baptizaret, ait enim Augustinus lib. 10. de Genes. cap. 23. *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, nec ullo modo superflua deputanda; nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Rursus, quòd baptismus collatus ab Hæreticis suam etiam sortiatur validitatem, neque baptizati ab Hæreticis sint iterum rebaptizandi, habetur ab Apostolica traditione, quia Ecclesia non potest validitatem dare baptismo, nec aliis Sacramentis, nisi eam habeant à Christo Sacramentorum Institutore.

Tertia itidem Regula est, quia quoties aliquid in Ecclesia universa, & omnibus retro temporibus servatum fuit, meritò dicitur etiam haberi per Apostolicam traditionem, tametsi illud tale sit, ut possit ab Ecclesia institui: hanc regulam assignat D. Augustinus lib. 4. contra Donatistas cap. 24. & tale asserit esse jejunium quadragesimæ, quod tamesi potuisset ab Ecclesia institui, si illud Christus, vel Apostoli non instituissent: dicimus tamen à Christo, vel Apostolis fuisse institutum, quia si quæramus Origenem hujus instituti reperimus tempore Apostolorum consuevisse Ecclesiam tale jejunium observare, ut asserunt unanimiter Sancti Patres Gregorius *homil. 16. in Evangelia.* Meminit jejunii quadragesimalis, & adfert etiam rationem, cur per quadraginta dies jejunemus, & ante Gregorium Leo Papa *serm. 12. de quadragesima* Augustinus *Epist. 118. & sequent.* & *serm. 44. de quadragesima*, Hieronymus *in cap. 9. Matth. & in 3. cap. Jonæ.* Ambrosius *in octo sermonibus de quadragesima*, Epiphanius *in compendiaria Doctrina.* Basilius *orat. 2. de jejunio.* Nazianzenus *orat. in sacrum lavacrum*, & ante hos omnes tempore Apostolorum Clemens *lib. 5. constit. cap. 13. & can. 68. Apostolor.* Ignatius *Epist. ad Philippens.* Irenæus apud Eusebium *lib. 5. Histor. cap. 24.* & ante eum Thelesphorus Papa *in Epist. Decretali.* Hinc D. Bernardus *serm. 3. de quadragesima* ait: *Hactenus usque ad nonam jejunavimus soli nunc (in quadragesima) usque ad Vesperam, nobiscum jejunabunt pariter universi, Reges, & Principes; nobiles, & ignobiles; Clerus, & populus, simul in unum dives, & pauper*, hinc crassissime fallitur Calvinus, qui libro 4. Instit. cap. 12. §. 20. asserit quadragesimam esse meram superstitionem, nec à Christo, nec ab Apostolis traditam.

Quarta regula habetur, cum omnes Doctores Ecclesiæ communi consensu docent aliquid ex Apostolica traditione descendere, sive in Concilio Generali, sive in suis privatis cellis scribentes in libris, credendum est, illud esse Apostolicam traditionem. Ratio est, quia quando omnes Ecclesiæ Doctores unanimes conveniunt in aliqua sententia, si tunc possent errare, utique tota Ecclesia erraret, quia fideles suos tenentur Doctores sequi. Hinc quia Ecclesiæ Doctores congregati in Synodo secunda Niczano Genrali Actione ultima asseruerunt, cultum esse exhibendum Sacris imaginibus, talem cultum asseruerunt haberi in Ecclesia ex Apostolica traditione. Exemplum secundi difficulter invenitur, quia vix reperitur, quòd omnes Patres, qui hactenus scripserunt aliquid expresse asseruerint, unde sufficit, si Patres aliqui Magnæ opinionis, & nominis expresse id asserant, & alii non contradicant, licèt ejusdem rei meminerint; tunc enim illam esse omnium sententia non temere dici poterit, quia quando aliquis in re gravi erravit, plures semper Surrexerunt, qui ei contradixerunt; per hanc regulam dicimus ritus, qui servantur in baptismo haberi in Ecclesia ex Apostolica traditione, scilicet qui baptizatur, baptizetur priùs aqua à Sacerdote benedicta, & quòd jubeatur abrenuntiare Satanæ, ejúsque pompis, quòd signetur signo Crucis, quòd ungatur oleo benedicto &c. hi enim ritus habentur in Ecclesia ex traditione Apostolica, ut asserunt Basilius *de Spiritu Sancto cap. 27.* & Tertullianus *de corona militis*, quia nemo unquam fuit, qui hisce ritibus contradixerit, tametsi eorum meminerint. Ex eadem regula possemus etiam evincere quadragesimam haberi ex Apostolica traditione, quia expresse id asserunt Sancti Patres Irenæus Epiphanius, Hieronymus, Ambrosius, Leo, & nullus contradicit, quamvis ferè omnes hujus observationis meminerint.

Alia etiam regula est, quod id procul dubio credendum sit descendere ex Apostolica traditione, si pro tali habeatur in illis Ecclesiis ubi fuit integra, & continuata successio ab ipsis Apostolis, quam regulam tradit Irenæus *lib. 3. cap. 3.* & Tertullianus *lib. de præscript.* & ratio petitur etiã ex eo, quia Apostoli tradiderunt suis Successoribus cum officio Episcopatus etiam Doctrina Religionis, unde si in aliqua Ecclesia fiat assensus per Episcopos sibi invicem succedentes, & perveniatur ad Apostolum aliquem, & non possit probari, quod ullus Episcopus novam in tali Ecclesia introduxerit Doctrinam, tunc certi sumus in illa Ecclesia servari Apostolicas traditiones, hinc quia hæc successio non interrupta nunc reperitur Romæ, & in aliis Ecclesiis, & olim etiam Ephesi, Corinthi, Antiochiæ Alexandriæ, Hierosolymæ, ideo Tertullianus pro dignoscendis Apostolicis traditionibus remittit homines ad has Ecclesias.

Habetur etiam alia regula, quam D. Augustinus tradit, & est, quòd si universa teneat Ecclesia aliquid, quod non fuerit in Conciliis institutum, sed semper retentum sit in Ecclesia, id non nisi ab Apostolica Authoritate credatur traditum, tametsi Concilia Generalia nihil de re illa decreverint, nec in sacris reperiatur scripturis, & ratio est, quia si ante quemcunque vel Ecclesiæ Doctorem & Patrem, vel Concilium mentio alicujus, vel dogmatis, vel instituti facta est in Ecclesia, initium credendum est habuisse ab Apostolis. Hujus generis sunt ordines minores, jejunium quadragesimæ; diei Dominicæ sanctificationem, quam Ecclesia credit, articulum fidei, quamvis id negent sectarii asserentes esse tantùm de congruentia & de ordine rituum Ecclesiasticorum, cujus indicationem & vestigia habemus in scripturis, quatenus Christus die Dominico gloriosè surrexit pro nostra glorificatione & eodem die apparuit Apostolis, qui propterea consueverant eo die conventus facere, ut scribit Apostolus 1. *Corinth. 16.* Tum quia collectæ hoc die etiam fieri consueverant, & tamen quia una sabbathi *Actor. 2.* exponitur à Sanctis Patribus, præsertim à D. Hieronymo de die Dominico, quapropter asserunt Sectarii diem Dominicum electum fuisse à Christo vo-

voluntariè, ac esse de ordine rituum Ecclesiasticorum. Communis tamen Catholicorum sententia asserit hanc diei Dominici sanctificationem esse articulum fidei, eò quia id semper fuit servatum in Ecclesia, quam debere audiri à fidelibus est articulus fidei, & quia hoc dogma derivatum fuit ab ipsa Apostolorũ traditione. Talis est etiam mutatio temporis sumendæ Synaxis, certum est enim Christum illam instituisse vesperi ad inuendum finem, & terminum legalium cæremoniarum, unde Ecclesia canit: *Noctis recolitur cœna novissima, & illud novum Pascha phase vetus terminat*, & Apostoli eandem cœnam vespere celebrarunt, unde & nomen cœnæ Domini semper retinuit, & nihilominus tempus fuit à Spiritu Sancto immutatum & à vespere translatum in mane, ac de cœna in prandium mutata Synaxis, scilicet, ut ait Augustinus Epist. 118. ob reverentiam tanti Sacramenti, ut *Corpus Christi prius ori hominis, quàm communes cibi admoveretur*, & ut loquitur Tertullianus, Saliva virgine deglutiretur, hæc enim commutatio temporis, etiam ab Apostolis instinctu Spiritus Sancti inducta fuit, non enim quisquam fidelium hoc præsumpsisset attentare, ut neque in lege Moysis nemo unquam transtulit esum agni paschalis à vespere ad mane. Unde hæc mutatio temporis in sumenda Synaxi ex traditione Apostolica derivata fuit in Ecclesia, adeo ut sit traditio tantùm ore tenus data non ulla Scriptura exarata. Idem etiam dicitur de immixtione aquæ vino in sacrificio missæ, de qua nihilominus legitur in Scriptura, quæ tamen tanto magis debuisset Scriptura constare, quia in omnibus Judæorum divisionibus, imò & in sacrificiis Paganorum arcebatur aqua vino, ut notat Festus, & non licebat uti vino diluto, hinc Cyprianus Epist. 63. hunc usum miscendi aquam vino in missæ sacrificio vocat traditionem Domini, & Concilium Carthagiense 111. cap. 24. præscribit, ut in Sacramento Corporis & sanguinis Domini nihil amplius operatur, quàm quod Dominus tradidit, scilicet panis & vinum aquâ mixtum.

Quamvis sex tantùm recensuerimus regulas dignoscendi veras traditiones à spuriis, non tamen id debet ita intelligi, ut non sint aliæ traditiones, quæ ex aliis regulis cognosci possint, quia constat ex præfatis regulis facilè omnes cognosci traditiones, & quamlibet harum regularum esse per se sufficientem ad traditionem Apostolicam, adeo ut non sint in Ecclesia traditiones Apostolicæ, quæ ex aliqua ex præfatis regulis cognoscantur. Ratio itidem desumi potest ex modo, quo Divina Sapientia cujus proprium est disponere omnia suaviter, nostræ se accommodat infirmitati, nostrisque naturis, & moribus, si enim Judæi extra scripturas habuerunt aliquas traditiones, ut notant Origenes *homil.* 5. *in numer.* & *in cap.* 3. *Epist. ad Roman.* Hilarius *in Psal.* 2. Anastasius Scriptor antiquissimus apud Eusebium *lib.* 7. *historiar. cap.* 28. & omnes Respublicæ saltem ex parte legibus gubernantur non scriptis; siquidem Pericles apud Thucydidem divisit jus Atthenarum in scriptum, & non scriptum, Aristoteles *lib.* 3. *Polit. cap.* 11. asserint Rempublicam partim optimis legibus, & partim arbitrio optimi viri esse regendam hoc est sine legibus scriptis, & *lib.* 5. *de moribus cap.* 4. Judicem vocat jus animatum, & jus scriptum mortuum. Imò Lycurgus nullam voluit scriptam legem Lacedæmoniis tradere, ut refert Plutarchus, sed eos solis voluit traditionibus vivere, ut promptiores essent, ac diligentiores in agendo, hinc jus Cæsareum plurimi facit traditiones Majorum, habetur enim in digestis lib. 34. de legib. *Inveterata consuetudo, pro lege non immerito custoditur, & hoc est jus, quod dicitur moribus constitutum, nam cum ipsæ leges nulla ex alia causa nos teneant, quàm quòd judicio populi receptæ sint, meritò & ea, quæ sine ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes*, & lib. 6. de instit. & Jur. habetur: *Jus nostrum constat ex scripto, aut sine scripto.* Quinimò quæ scripta non sunt, sed tantùm tradita, sunt fe[...] vetustiora, ac magis comprobata à temporis diuturnitate, quia ut notat Tertullianus lib. de testanim. cap. 5. *Prior est anima, quàm litera, & sermo, quàm liber, & sensus quàm stylus.*

Quòd si olim Judæi reliquis præferebantur Nationibus eò quia credita illis erant eloquia DEI, ut dicitur ad Roman. 3. Ita nunc Ecclesia omnibus est præferenda Nationibus, omnibúsque aliis Sectis, eò quia ipsa sola sit Christi Sponsa, & noverit omnia mysteria veræ Religionis sitque conscia Secretorum Sponsi, vocatúrque propterea 1. Timoth. 3. *Columna, & firmamentum veritatis*, sin autem omnia essent scripta, & aperta, ut Hæretici censent, nullum esset Ecclesiæ Christi militanti in terris speciale privilegium concessum, quia nihil minus scirent Hæretici, & Pagani, & Judæi de mysteriis fidei nostræ, quàm nos ipsi, unde quoad hoc nullum esset Ecclesiæ privilegium supra reliquas Sectas, & Nationes, neque verum esset quòd ait Irenæus lib. 3. cap. 4. *In solam Ecclesiam tanquam in dives depositorium repositam ab Apostolis scientiam rerum Divinarum.* Rursus dignitas ipsa plurium mysteriorum exigebat hoc silentium, & quod ipsa mysteria non concrederentur scripturæ, sed ore tenus à majoribus traderentur Successoribus, etenim si ad videnda tremenda missæ mysteria non est licitum admittere non baptizatos, à fortiori, neque erit licitum eadem mysteria iisdem extradere scripta; hinc ipse Christus seorsim Discipulis interpretabatur parabolas, quas populus loquebatur Luc. 8. & D. Paulus 1. Corinth. 2. scribit: *Sapientiam loquimur inter perfectos*, quia non est conveniens omnia, & singula nostræ fidei mysteria extradere æque doctis, ac ignavis. Tùm quia res humanæ tot sunt mutationibus obnoxiæ ob tot circumstantias temporum, locorum, & personarum, ut necesse sit, aliquando immutentur juxta opportunitatem earundem, idque causæ fuit cur etiam in testamento veteri præceptum circumcisionis non obligaverit Judæos per totos quadraginta annos, quibus fuerunt in deserto morati, & postea suam resumpsit obligationem, cùm primùm fuerunt ingressi terram promissionis, *Josue* 5. Rursus agnos paschales tenebantur Judæi comedere stantes, baculis tenentes, ac pedibus calceatis, renibusque accinctis, *Exodi* 12. Et nihilominus hujusmodi cæremoniæ, & ritus non fuerunt observati post captivitatem Babylonicam, imò & Christus ipse non stando, sed sedendo in strato cum suis Discipulis in ultima cœna comedit agnũ, *Marci* 14. Unde plura opus est non sint scripta, sed tantùm viva voce tradita, cum subinde exigant immutari. Rursus circumcisio, & cæremoniæ legis Mosaicæ abrogantur Actor. 15. hoc tantùm relicto, ut à simulacrorum immolatis sanguine suffocato abstineant Christiani, quod etiam antiquatum fuit ab Ecclesia, quæ potest festa, & Solemnitates statuere, ut legimus fecisse Synagogam die 25. Casleu.

CAP. XI.

# CAPUT XI.

## Solvuntur quæ à Novatoribus objiciuntur contra Traditiones.

SOlent Novatores, quibus exosæ sunt traditiones plura opponere contra nostram assertionem desumpta ex Sacris Scripturis, primo illud Deuter. 4. ubi DEus prohibet addi quidquam scripturis inquiens : *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor*, & Proverb. 30. *Ne addas quidquam verbis illius*, & *Apocal. ult. ad Galat.* 1. ex quibus inferunt, præter scripturas non esse concedendas traditiones, eò quia hæ aliquid superaddant scripturæ, quæ additio est procul dubio contra Divinum præceptum, præterea quia in scripturis damnantur traditiones, ut Matthæi 15. ubi Christus Judæos alloquens ajebat : *Irritum fecistis mandatum meum propter traditiones vestras :* & D. Paulus ad Colossens. 2. *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam secundùm traditionem hominum*: consequenter præter scripturas non sunt admittendæ traditiones.

Sed contra ad illud Deuter. Apocal. & ad Galat. Respondetur sensum scripturæ esse, non esse imutanda ea, quæ ipsa tradidit, ne sit aliquid addendum contra ipsam. Præterea prohibet scriptura addi quidquam Divinæ Scripturæ, seu verbo DEI tanquam verbum DEI, quod tamen non sit : hunc enim esse sensum Sacræ Scripturæ ex eo deprehenditur, quia post citatum librum Deuteronom. quo prohibetur, ne quid superaddatur Sacræ Scripturæ, plures alii fuerunt supperadditi libri Canonici, qui & scripti fuerunt, unde illa prohibitio, ne quid sit addendum scripturæ Divinæ intelligenda necessario est, quod non sit quidquam superaddendum, quod non sit tale in se, alioquin si verbum DEI non potuisset addi, nec plures alii libri post librum Deuteronom. fuissent additi Sacris Scripturis. In eodem sensu etiam prohibet Joannes, ne in libro suæ Apocalypsis quid aliud addatur tanquam pars illius, adeo ut censeatur esse pars illius seu ab ipso Joanne scriptum, quod tale non sit, non verò Joannes prohibet recipi alias revelationes non pertinentes ad Apocalypsin à se scriptam.

Rursus Hæretici opponentes contra traditiones illud Deuteronom. 4. verum non percipiunt loci illius sensum, qui ex ipso contextu colligitur; etenim habetur : *Et nunc Israel, audi præcepta, ut vivas, & ingrediaris terram, non addetis, neque auferetis*, tradiderat eis DEus præcepta cæremonialia, & judicialia, quæ tenebantur integrè servare non addendo, vel diminuendo quidquam de iisdem Ceremoniis, sed exactè eas omnes servando, quod etiam exprimit aliis verbis : *Non declinabitis ad dextram, vel sinistram.* Quòd non est ita intelligendum, ut non liceat nova præcepta addere, alioquin neque licuisset, addere præcepta Evangelica de baptismo suscipiendo, de Eucharistia sumenda, de fide Trinitatis, & peccâssent Apostoli, & Prophetæ, qui plura postea addiderunt.

Quamobrem sensus Deuter. 4. est, ut exactissimè observentur præcepta Mosaica, ut si Moysis præceptum erat, Levit. 12. *Mulier si suscepto Semine pepererit masculum immunda erit per septem dies, & die octavo circumcidetur infantulus*, ad quod præceptum non erat licitum quidquam addere, vel auferre, nec infantulum circumcidere ante vel post octavum diem, ut nec immunditia matris poterat paucioribus, vel pluribus diebus purgari quam septem, id est, verus sensus Deuteronomii & aliorum locorum scripturæ, quæ tantopere objiciunt Novatores, & urgent contra traditiones Apostolicas : alioquin possemus argumentari. Judæi tenebantur perfectè, & integrè servare præcepta Mosaica, nec quidquam præter illa admitrere, ergo Christiani non debent admittere traditiones Apostolicas, sed contenti esse sola scriptura, quæ consequentia est absurda, quia vel ipsi arbitrantur hoc præceptum pertinere ad solos Judæos, vel etiam ad Christianos, si asserant primum; non debent præceptum illud objicere Christianos, cum ad illos non extendatur, neque enim tenemur servare præcepta, quæ nos non obligant : sin autem præceptum Deuteronomii, & præcepta cæremonialia, & judicialia legis Mosaicæ extenduntur etiam ad Christianos ad quos pertinent; quia ipsos obligent, cur etiam Sectarii, cum glorientur nomine Christiano propter baptisma, non etiam ipsi servant præcepta Mosaica, cur legalia intermittunt, circumcisionem non admittunt, cur etiam contra ipsos non urgent illæ particulæ Deuteronom. 4. *Non addetis quidquam, nec auferetis.* Quòd si ipsi non tenentur ad observantiam legalium & legis Mosaicæ, eò quia lex Christi eos liberavit, ita neque Catholici. Sed omittamus ista, adhuc respondetur Deuter. 4. non agi de verbo scripto, sed tantùm de verbo viva voce tradito; habetur enim, *non addetis ad verbum, quod vobis loquor* : non dicit, quod vobis scripsi, sed quod vobis præcipio, & loquor, scilicet viva voce, unde ibi non est sermo de verbo scripto, sed tantùm de tradito, & illa præcepta vult exactè servari, non quod illa sola præcipere velit, quia plura alia postea præcepit, quæ tenebantur Judæi observare : siquidem jussit DEus postea arcam circumduci, eámque adorari, Josue 6, 2. & Psal. 68. habetur *Adorate scabellum pedum ejus*, & tamen in scriptura non legitur, quòd arca, postquam stabilita fuit in terra promissionis, & fuit civitas, illo transferenda esset, ac demum in Jerusalem collocanda, unde plura postea DEus præcepit, quæ scripta non sunt, sed tantùm tradita & ab ipso tantùm inspirata, ad quorum observantiam propterea tenebantur Judæi.

Rursus certum est plura per Prophetas fuisse addita, quòd si respondeant Novatores, Prophetas non addidisse quidquam ad legem, quantum spectat ad Doctrinam, sed tantùm addidisse vaticinia, quibus legis Doctrinam explicârunt. Testamentum itidem novum non esse additionem ad vetus, sed explicationem; cum Paulus ad Roman. 1. dicat: Evangelium promissum fuisse à DEO per Prophetas in scripturis; & Actor. 15. Apostoli non fuerunt ausi in Concilio quidquam decernere, ac stabilire sine testimonio Sacræ Scripturæ. Contra est,

nam

nam eodem modo possemus respondere, traditiones non esse additiones, sed explicationes. Præterea in lege Mosis non continentur Prophetarum scripta, neque in lege & Prophetis continetur novum testamentum nisi in virtute perinde ac tota arbor dicitur contineri in semine; habetur enim Deuter. 18. *Prophetam suscitavit tibi Deus, illum audies*, ubi non nisi in genere continetur quidquid Christus fecit, & dixit. Cæterum in particulari, quod Christus deberet Trinitatem prædicare personarum in Deo, & illud mysterium declarare populis, instituere alia Sacramenta, restituere vitam mortuis, auditum surdis, claudis gressum, cæcis visum, & alia pleraque miracula patrare, ibi non habetur, siquidem Deuter. 18. tantùm dicitur quòd Deus sit suscitaturus Prophetam scilicet Christum, & injunxit hominibus illumaudire, quod verò allegant illud Actor. 15. est potius contra ipsos Novatores, quia tametsi Jacobus in illo Jerosolymitano Concilio probaverit ex scripturis, Ecclesiam ex Gentibus esse ædificandam, non tamen decretum Concilii ullibi reperitur in scripturis veteris testamenti. Decreverunt enim, ut Gentes non servarent legalia, excepta tantum abstinentia à sanguine, & suffocato, & secunda pars hujus decreti nullibi in scripturis reperitur, nec ullus Propheta unquam dixit temporibus Christi esse prohibenda suffocata & sanguinem. Unde sicut Novatores asserunt vaticinia Prophetarum esse tantùm quasdam explicationes doctrinæ Sacræ Scripturæ, eodem pacto dicimus traditiones esse quodammodo explicationes verbi divini scripti, quapropter scribit Paulus ad Thessal. 2. *Tenete traditiones*, & Luc. 10. *Qui vos audit, me audit*. Non quod traditiones contineant nudam, & simplicem expositionem, sed quia omnes traditiones, & decreta Ecclesiæ continentur in scripturis generatim licèt non in particulari; hinc D. Augustinus lib. 1. contra Cresconium cap. 23. ait: *Quamvis certum de scripturis non proferatur exemplum, tamen earundem nobis tenetur veritas, quàm ipsarum scripturarum commendat authoritas.*

Ad secundum respondetur, Christum Matth. 15. & Apostolum ad Colos. 2. tantùm damnâsse traditiones Pharisaicas, quæ erant contra legem, & alias fictas, & contrarias scripturæ, ac recte rationi, unde ex illis textibus nil concluditur contra traditiones Apostolicas. Neque ex eo, quòd Deuter. 33. dicatur, *quod tibi præcipio, hoc tantùm facito, scilicet nec addas quidquam, nec minuas*, quia id præcepit Deus Judæis, ut illius præcepta exactissimè servarent in cæremoniis, & ritibus, adeo ut nihil ex cæremoniis, & ritibus adderent, vel minuerent. Cæterum præceptis jam traditis à Deo fuerunt etiam alia data, quæ itidem servanda erant ab iisdem. Deinde Judæi servarunt etiam accuratè alia præcepta, quæ non fuerunt divina, ut fuit præceptum de festo Enceniorum, quod fuit tantùm humanum. Rursus Apostoli Actor. 15. indixerunt abstinentiam à sanguine, & suffocato, quod præceptum eo tempore servabatur, & erat tantùm Apostolicum, & D. Paulus 1. Corinth. 7. distinguit inter sua, & Christi præcepta. Cæterum sensus adducti textus Deuteron. 33. est, quòd cum populus judaicus in Palestinam appulisset, ad quam tenderet, & offerret Deo sacrificium, non deberet Ethnicos imitari qui falsis suis Numinibus offerunt filios suos per ignem, sed hoc tantùm deberet offerre, quòd Deus illi præciperet offerendum. *Quòd tibi præcipio hoc tantùm facito*, scilicet ex animalibus boves, capras, hædos, vitulos, columbas, passeres, turtures: ex fructibus terræ panem similam, salem, spicarum manipulum, triticum, thus; ex liquoribus sanguinem, vinum, aquam, oleum, & id est, quod præcipit ei Deus, hoc tantùm facito, seu offerto Domino, unde exinde nullo modo sequitur, non debere Christianos servare præcepta humana, nec credere traditionibus.

Objiciunt secundò illud Isaiæ 8. *Ad legem magis, & testimonium, quòd si non dixerint juxta hoc verbum, non erit lux matutina*, ex quo textu intendunt Sectarii supprimere omnes traditiones non scriptas. Sed contra, quia Isaias per textum illum nullo pacto intendit traditiones evertere, cum de ipsis non loquatur, sed tantum scopus Prophetæ fuit prædicere mala, quæ imminerent recedentibus à lege, & contra ejus præceptum quærentibus à divinis, ac Pythonibus de tempore liberationis Judæ à oppressione Syriæ, & Samariæ, & asserit, non esse consulendos Pythones aut mortuos loco viventium, sed ipsum Deum vel ejus veros Prophetas, qui secundùm legem loquantur, tum quia Pythones, & divini excludebantur à populo Dei Deuter. 18. Unde consulenda potiùs erat Arca Domini, in qua Deus sua dabat responsa, hinc ipse Calvinus, qui hunc textum aliàs exposuerat de doctrina legis in commentariis pòst Petateuchi interpretatus fuit de præcepto à lege sancito consulendi Prophetas, etenim expendens versum illum Deuteron. *suscitabit tibi Deus alios Prophetas mihi similes, illos audies*, ait ipse: Nec dubium est, quia ex hoc loco doctrinam illam sumpserit Isaias. Quamobrem nullo modo textus Isaiæ potest usurpari ad excludendas traditiones Patriarcharum, cum certum sit Judæos plura de fide credidisse ex sola traditione, & præ cæteris animæ immortalitatem, finale judicium, mortuorum resurrectionem, quæ non exprimuntur à lege Moysis, neque obstat, quòd Christus ex uno textu legis, quo Deus dicitur Deus Abraham, Deus Isaac, & Jacob, & non sit Deus mortuorum, concludat vitam æternam, quia id non est contra Hebræos, qui hanc vitam æternam nonnisi ex sola traditione, seu verbo non scripto credebant, neque Christus illi erat tunc notus, ut inde possent eruere consequentiam de vita æterna.

Objiciunt tertiò illud Joan. 20: *Multa quidem & alia signa fecit Jesus, quæ non sunt scripta in libro hoc; hæc autem scripta sunt, ut credatis, quòd Jesus est Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus:* ubi Joannes significat, se scripsisse, non quidem omnia, sed ea tantùm, quæ sufficiebant, ut assequi possemus vitam æternam per ea quæ scripta sunt, & Sectarii adferunt testimonia Augustini, & aliorum ad standum tantùm verbo scripto, & supprimendum non scriptum, seu traditiones; etenim Augustinus Tract. 49. in Joan. ait: *Sanctus Evangelista testatur multa Dominum Christum dixisse, & fecisse, quæ scripta non sunt, electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere credebantur*, & lib. 1. de consensu Evangelistar. cap. ult. ait: *Quidquid Christus de suis factis, & dictis nos legere voluit, hoc scribendum Apostolis tanquam suis manibus imperavit*, unde ex Augustino inferunt supprimendas esse traditiones, & tantùm adhærendum verbo scripto, quia in ipso conti-

continentur quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, Auguſtino addunt Cyrillum lib. 12. in Joan. cap. ult. ubi ait: *Non omnia quæ Dominus fecit, conſcripta ſunt, ſed quæ ſcribentes tam ad mores, quàm ad dogmata putârunt ſufficere, ut rectâ fide, & operibus ac virtute rutilantes ad regnum cælorum perveniamus.* Ad evincendum ſolum verbum ſcriptum ſufficere ad aſſecutionem æternæ ſalutis, & non eſſe neceſſarias traditiones, adferunt etiam illud D. Pauli 2. ad Timot. 3. *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perſectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Quòd ſi utilis eſt, ut perfectus ſit homo Dei, eſt ſufficiens ad aſſecutionem æternæ ſalutis, ex quo loco intendunt Sectarii ſupprimere omnes traditiones, & putant eſſe argumentum efficaciſſimum ad evincendum ſolam ſcripturam ſufficere abſque verbo non ſcripto, quia ſi omnis ſcriptura divinitus inſpirata ſufficiens eſt, ut poſſit docere fidei doctrinam, ut poſſit rejicere errores contra fidem, ut poſſit doctrinam morum docere, & corrigere errantes circa mores, hæc omnia ſufficiunt ad aſſecutionem æternæ ſalutis, conſequenter non ſunt neceſſariæ traditiones.

Sed contra ad primum deſumptum ex illo Joan. 20. reſpondetur Joannem in illo loco tantùm loqui de Chriſti miraculis, quæ ſufficiunt ad confirmandam fidem, & ad perſuadendum mundo, Chriſtum eſſe verum Dei Filium, ait enim Joannes: *Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu Diſcipulorum ſuorum*, unde nonniſi ineptè Sectarii, quæ de ſolis miraculis dixerat Joannes, trransferunt ad omnia fidei dogmata, morúmque precepta. Tum quia Joannes non loquitur niſi de rerebus à ſe ſcriptis, quæ propterea ſi ſufficiunt, ut ajunt Sectarii, jam ſuperfluunt omnes aliæ ſcripturæ, & licèt Sectarii inſiſtant aſſerentes Joannem loqui de tota ſcriptura, eos tamen redarguit mendacii ipſe Joannes, cum dicat *multa quidem, & alia ſigna fecit Jeſus, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc*, quod autem addatur, *hæc autem ſcripta ſunt*, inde non poteſt deduci ſola ſigna ſufficere nobis ad ſalutem, ſed illa ad hoc referri, & ordinari, ac eſſe unum ex mediis requiſitis ad noſtram ſalutem, tametſi ſolum non ſufficiat.

Ad teſtimonium Auguſtini & Cyrilli reſpondetur, hos Patres fuiſſe locutos de ſolis Chriſti dictis, & factis, ac propterea dixiſſe, ſcripta eſſe ſufficienter, non tamen omnia abſolutè, ſed omnia dicta, & facta Chriſti, alioquin ſi ſola eſſent ſufficientia, ſequeretur vetus teſtamentum ſuperfluere, ut etiam ipſa Acta Apoſtolorum, & epiſtolas Petri, Pauli, & aliorum Apoſtolorum, unde Auguſtinus, & Cyrillus ex dictis, & factis Chriſti non intelligunt eſſe ſcripta ſufficienter omnia neceſſaria abſolutè, ſed eſſe ſcripta ſufficienter ea, quæ Apoſtoli ſcribenda eſſe exiſtimârunt, hinc cenſuerunt quædam eſſe ſcribenda, & quædam ſine ſcripto tradenda, & præcipua interpretatio, atque intelligentia ſcripturarum, unde in ſacris ſcripturis continentur ſufficienter omnia, quæ ſcribenda erant, & quæ Chriſtus voluit, ut ſcriberentur ac legerentur, plura alia etiam ad ſalutem neceſſaria nec ſcribi nec legi volunt in divinis litteris, ſed ab Eccleſia accipi, quæ tamen generatim, & virtualiter continentur in Evangelio, nos monens, ut in rebus dubiis Eccleſiam conſulamus.

Si urgeas Auguſtinum lib. 2. de doctrina Chriſti cap. 9. docere in ſcripturis omnia inveniri, quæ fidem continent, proinde extra ſcripturas non eſſe concedendas traditiones credendas de fide, contra eſt, quia Auguſtinus & alii Patres aſſerentes ſcripturam ſtrictè, & in rigoroſa acceptione pro iis, quæ calamo exarantur, vel typo cuduntur, & tantùm complectuntur libros canonicos, ſed in laxiore ſignificatione, quatenus complectitur omnem revelationem acceptam ab Eccleſia, ut divinam, ſive inſerta ſit Bibliis, ſive non. Rurſus Patres, ut plurimi tantùm volunt ſcripturis principaliter convenire, quæ ſufficiunt ad ſalutem, non verò negant eſſe itidem alia neceſſaria, quia ipſi non loquuntur taxativè ad ſolam ſcripturam, quàm ſolam dicant neceſſaria continere ad ſalutem, adeo ut excludant traditiones, ſed tantùm ſumunt ſcripturam tanquam divinum teſtimonium, ſub qua ratione comprehendunt etiam traditiones, & tantùm negant ea non eſſe admittenda, quæ contraria ſunt ſcripturæ, & divinis teſtimoniis.

Ad aliud productum ex D. Paulo reſpondetur, ſcripturam ſufficienter quidem inſtruere, & perficere hominem Deum, eò quia multa expreſsè contineat, & oſtendat, quæ non continet, unde ſint petenda, ſcilicet ab Eccleſia, quæ in dubiis fideles docet, quæ pertinent ad fidem & bonos mores: Præterea nec D. Paulus 2. Timoth. 3. banc ſufficientiam ſoli tribuit ſcripturæ, ait enim ipſe: *Omnis ſcriptura*, non dicit omnis ſcriptura tantùm, ut excludat traditiones, neque per omnem ſcripturam intelligit totum corpus ſcripturarum, quia etiam ſingulis libris ſeorſim ſumptis tribuit eandem laudem, quòd utiles ſint ad docendum, & arguendum, ſiquidem quod dicitur de omni ſcriptura divinitus inſpirata, dicitur etiam de ſingulis libris divinitus, inſpiratis. Præterea cùm Paulus ſcriberet epiſtolam illam ad Timotheum, non extabat Apocalypſis, imò neque Evangelium Joannis, & fortaſſis deerat quid aliud ex corpore ſcripturarum, unde Paulus non loquebatur de ſolo corpore ſcripturarum.

Neque ex eo quod Paulus in illa epiſtola ſcribat omnem ſcripturam divinitus inſpiratam utilem eſſe ad docendum, ſequitur eam ſolam eſſe ſufficientem ad aſſecutionem ſalutis, id enim probandum erat, tametſi dicas unum vel alterum inſtrumentum eſſe utile ad hoc vel aliud opus efformandum, non tamen inde ſequitur illud ſolum inſtrumentum ſufficere, ſicut aſſerens cibum utilem eſſe ad nutriendum hominem, aſſerit quidem cibum ad hoc eſſe inſtitutum, ut nutriat, non verò ſufficere ſolum cibum, quia ſi calor naturalis deficiat, vel aliud inſtrumentum in corpore ad nutritionem neceſſarium, cibus non nutriet, unde cum Apoſtolus ait: Omnem ſcripturam ſufficere ad docendum, & arguendum, & ad hominem perſiciendum, & abſolvendum, non tamen taxativè omnem, & ſolam ſcripturam, ſed includendo etiam traditiones, & alia dogmata fidei non ſcripta, idque colligitur ex ipſo Apoſtolo 1. ad Corinth. 11. *Cætera, cum venero, diſponam*; & 2. ad Theſſal. 2. *Tenete traditiones ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam*, ubi expreſsè aſſerit, non ſolam ſcripturam ſufficere, alioquin non injunxiſſet Theſſalonicenſibus tenere traditiones ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam, & Paulus ſi omnia ſcripſiſſet. non dixiſſet, *cætera, cum venero, diſponam*, ſupererant enim aliqua diſponenda, quæ ſcripta non erant, quapropter clarè evincitur præter ſcripturas eſſe itidem admittendas traditiones non ſcriptas.

Obji-

Objiciunt quartò illud Matth. 18. ubi Christus damnat traditiones, & allegat Isaiam Prophetam c.29. *Sine causa colunt me docentes mandata, & doctrinam hominum*, quem textum Calvinistæ citatum ab Arianis sibi usurparunt contra Catholicos, ad evertendas traditiones, ineptè tamen, quia Christus *Matth.* 18. non redarguit traditiones quas Judæi acceperunt à Moyse, & Prophetis, scilicet non reprehendit traditiones divinas, quarum una erat de ipsis libris canonicis, qui tales essent, & qui non: Sed Christus arguit tantum quasdam traditiones & institutiones humanas, quas Judæi acceperant à recentioribus Rabinis, quarum aliæ erant inanes, & aliæ perniciosæ, & contra scripturas institutæ à Scribis, & Pharisæis: & unicam tantùm Christus hic reprehendit traditionem de offerendis in templo rebus necessariis sustentationi parentum: siquidem Rabini avaritia sordescentes dispensaverant filios ab obligatione subveniendi parentibus sub prætextu offerendi dona ab altari, quod erat, ut dicit Christus irritum facere Dei mandatum propter humanam, & malam traditionem, Christus enim sicut non venerat legem solvere, sed adimplere, legalium traditionum, quæ legitimæ, & divinæ erant, observantissimus fuit, nec illas damnavit, sed approbavit. Neque urget textus Joan. 5. *Scrutamini scripturas, quia existimatis vitam æternam habere in illis*: siquidem Christus loquitur tantùm ex mente Judæorum, existimantium solum testamentum vetus esse admittendum, & quæ per illud tantùm probari poterant, in quo solemniter errarunt, alioquin sequeretur superfluere totum testamentum novum. Præterea Christus Joan. 5. non dicit, scrutamini scripturas solas, proinde non excludit traditiones, sed eas simpliciter includit utpote innitentes authoritati divinæ, perinde ac verbum scriptum.

Objiciunt quinto illud Pauli ad Galat. 5. *Licet nos aut Angelus de cælo evangelizaverit vobis præter quam quod evangelizamus vobis anathema sit*, ex quo inferunt, quòd præter Evangelium à Paulo, & cæteris Apostolis evangelizatum non sint admittendæ traditiones, nec quid aliud, & quidem sub pœna anathematis. Sed contra hic textus posset potius contra Sectarios retorqueri, & inde probari traditiones necessarias esse ad salutis assecutionem, quia D. Paulus non tantùm evangelizavit verbum scriptum, sed etiam traditum, seu non scriptum, cujus observantiam injunxit Thessalonicensibus, ad quos scribit 2. ad Thessal. 2. *Tenete traditiones*, cum igitur prædicaverit, & evangelizaverit traditiones, sequitur eas esse admittendas. Præterea scopus D. Pauli ad Galat. 1. non erat damnare traditiones, sed errores delere, ac impedire, cum enim edocuisset Galatas cæremonias Mosaicas per legem Christi esse abrogatas, & neminem per illas posse justificari, sed tantùm per fidem in Christum, à quibus Pseudo Apostolis fuerunt seducti, & edocti, ut præter fidem in Christum observandam itidem esse circumsionem, & reliqua Moysis præcepta, contra quem errorem insurgit Paulus dicens: Si quis aliter vos instruit, quam ego Evangelizavi vobis anathema sit, ex quo non sequitur, Paulum docuisse Galatas esse respuendas traditiones Apostolicas, quas docuerat Thessalonicenses esse tenendas, quinimò potiùs sequitur ex illo textu, esse servandas, quia non sint præter vel contra ea, quæ Paulus evangelizavit Galatis, cum ageret de justificatione, cum de eadem etiam egerit ad Thessalonicenses, quos fuit hortatus tenere traditiones.

Objiciunt sextò 2. Timoth. 3. *Ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo. Omnis enim scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Sectarii enim iutelligunt Paulum fuisse locutum de toto Codice, & corpore Bibliorum, & pro voce illa utili explicant sufficiens. Verùm huic scripturæ jam satisfecimus paulò ante, & iterum asserimus hunc locum Apostoli non supprimere traditiones, primò quia D. Paulus loquitur de veteri testamento, quia Timotheus illas solas litteras ab infantiæ didicerat, quarum instructio prodesse poterat ad salutem accedente Christi fide; neque enim cum infans esset adhuc, extabat novum testamentum, hinc respondetur etiam secundò scripturam sufficienter instruere, & perficere hominem Dei, quia multa expresè continet, & quæ non continet, ostendit, unde inæenienda sint, scilicet in Ecclesia.

Objiciunt septimò Sanctos Patres tum antiquiores, qui floruerunt in primitiva Ecclesia, tum alios; aiunt enim Irenæum adversus hæreticos lib. 3. cap. 1. asserentem: *Evangelium præconiârunt Apostoli, postea verò per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt fundamentum, & columnam fidei nostræ futuram.* Sed contra, quia ex hoc texto nullo modo infertur, Irenæum rejecisse traditiones Apostolicas, ex eo, quod Apostoli præconiarunt Evangelium, postea per Dei voluntatem scripserint, concedimus enim Evangelium esse fundamentum fidei, quia ut ait Apostolus 1. Corinth. 15. Si Christus non resurrexit, vana est fides nostra, & nisi credamus verbum humanatum à mortuis redivivum misisse Apostolos cumpotestate fundandi Ecclesiam, & fidem stabiliendi, ut habetur Luc. 11. *Qui vos audit, me audit*, frustra crederemus extare aliquas traditiones, sed ex eo, quod Evangelium sit fundamentum, & columna nostræ fidei, indè non sequitur excludendas esse traditiones, siquidem principia, & rudimenta cujusvis scientiæ dicuntur fundamentum ejusdem, ut etiam apud Christianos Symbolum Apostolorum est basis & fundamentum Christianæ Religionis, adeo ut Tertullianus dixerit, *quod Symbolum scire sit omnia scire*, & à Patribus Petri confessio etiam vocatur fundamentum Ecclesiæ. *Tu es Christus Filius Dei*, & tamen præter hunc articulum fidei plura alia dogmata tenentur Christiani credere de fide, quamvis enim fundamentum totum sustineat ædificium, non tamen omnes & singulas partes in se continet, nec immediatè eos sustentat, sed mediantibus contiguis sibique proximis, licet igitur Evangelium sit fundamentum Christianæ Religionis, non tamen sequitur continere in se omnia fidei dogmata. Pari pacto authoritas Apostolorum innititur verbis Luc. 18 & Joan. 16. *Mittam in vos Spiritum veritatis*, & authoritas traditionum seu verbi non scripti fundatur in verbis D. Pauli 2. Thessal. 2. *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem sive per Epistolam*, & 2. ad Timoth. 2. *Quæ audisti à me, hæc commenda*, non dixit, quæ scripsi ad te, sed quæ audisti à me, ut significaret, verbum non scriptum, & traditiones Majorum debere custodiri, & observari. Pari pacto authoritas Ecclesiæ, à qua traditiones conservantur, fundatur etiam in verbis Apostoli

1. Timoth. 3. *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis*, ut omnis amputaretur ambigendi occasio, seu dubitandi de traditionibus, quæ in Ecclesia servantur.

Quòd si dicas Irenæum in præcitato textu agere contra eos qui à scripturis ad traditiones, recurrent, respondetur nec exinde sequi eum rejecisse veras ac legitimas traditiones Ecclesiæ, sed tantum suppositititias & illegitimas, quas proferebant Hæretici, præsertim Marcion, Cerintus, Basilides, qui Apocryphas scripturas, & suppositititias traditiones adducebant, quas occulta via à se possideri asserebant, unde Irenæus non rejicit traditiones, authenticas Apostolorum ad nos usque transmissas per universalem consensum suorum Successorum. Præterea Irenæus non dicit Apostolos nihil aliud prædicâsse, quam quod scripserunt, sed tantùm ipsos scripsisse Evangelium, quod ante prædicaverant, quod verum est, sed inde non infertur, eos non prædicâsse etiam quæ audierunt ore tenus à Magistro Christo.

Rursus quamvis Irenæus dixisset, Apostolos omnia scripsisse quæ prædicarunt, adhuc non essent rejiciendæ traditiones, sunt enim quædam in doctrina Christiana simpliciter omnibus necessaria ad salutem; cujusmodi est notitia articulorum Symboli Apostolici, decem præceptorum Decalogi, & nonnullorum Sacramentorum, reliqua enim non ita sunt necessaria, ut sine eorum explicita notitia, fide, & professione non possit homo salutem consequi, siquidem potest sine eorum explicita notitia salvari, dummodo paratam habeat voluntatem ea suscipiendi, & credendi, quoties per Ecclesiam ei fuerint proposita, hinc sine notitia, & fide mysteriorum primi generis nemo ex adultis admittitur ad baptismum, cùm absque notitia explicita posteriorum ordinariè ad sacri baptismi lavacrum soleant adulti admitti Actor. 2. postquam Petrus instruxisset homines circa mysteria primi generis, & quidem brevi sermone baptizavit ex iisdem tria millia, de quibus dicitur quòd post baptismi lavacrum fuerunt perseverantes in doctrina Apostolorum, addiscentes, quæ nondum audierant de mysteriis Christianis.

Hinc quæ fuerunt simpliciter necessaria, consueverunt Apostoli omnibus adultis prædicare non ita omnia omnibus ex aliis secundi generis mysteriis de fide, sed tantùm quædam utilia, ut quæ versabantur circa regimen Ecclesiæ, circa Sacramenta administranda, hæreses refellendas, circa Prælatos, Episcopos, & Presbyteros Ecclesiæ eodem modo, quo etiam nunc alia disputantur in Scholis inter Doctos, & alia in concionibus ad populum, hinc Apostolus Actor. 20. seorsim instruit Episcopos Asiæ, & 2. Timoth. 2. *Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.* Quamobrem Apostoli ea omnia scripserunt, quæ sunt omnibus necessaria ad salutem, & eadem palam omnibus prædicaverunt ex aliis autem non omnia scripserunt, sic nec omnia prædicaverunt, sed tantùm quæ utilia erant.

Objiciunt octavo S. Basilium in serm. de fidei confess. ubi ait: *Infidelitatis argumentum fuerit, & signum superbiæ certissimum*: siquis eorum quæ scripta sunt aliquid velit rejicere, aut eorum quæ scripta introducere. Sed contra quia inde non sequitur esse traditiones rejiciendas, quia Basilius tantùm vult non esse rejiciendas scripturas, quæ canonicæ sunt, quia verissimæ sunt ex authoritate divina, cum dictatæ fuerint à Spiritu Sancto ejusque instinctu divino scriptæ, neque esse introducenda non scripta suppositititia, quæque authorem non habent Spiritum Sanctum, quæque opponuntur sacris scripturis: siquidem ex traditionibus, quæ veræ sunt, & authorem habent Spiritum Sanctum non repugnant scripturis sacris, quibus conformantur. Aliæ verò traditiones, quæ à Spiritu Sancto non derivantur in Ecclesiam Sacris adversantur scripturis, & has asserit Basilius esse rejiciendas, & minimè introducendas. Hinc in eodem sermone de confess. fidei, dicit se contra Hæreticos disputantem sæpe usum fuisse sermonibus non scriptis, sed tamen cum scripturis consentientibus, imò & ipse Apostolus Paulus non solum ex scripturis, & traditionibus divinis, verùm etiam ex Philosophis testimonium accepit, quando hæc divinis non fuerunt scripturis contraria. Præterea D. Basilius de illis etiam loquitur, qui non contenti vocibus scriptis ex proprio capite alias inveniunt, *quod signum est certissimum superbiæ*, ut ipse loquitur, unde tantùm rejicit traditiones excogitatas à privatis hominibus.

Quòd si dicas, Basilium fuisse locutum de omnibus traditionibus non scriptis, siquidem Epistola 80. ait: *Non putamus æquum esse, ut quæ apud illos obtinuit consuetudo, pro lege, & canone habeatur rectæ doctrinæ, stemus itaque arbitratu à Deo inspiratæ scripturæ.* Sed contra, quia tunc erat quæstio, an dicendum esset inesse Deo tres hypostases, & unam naturam, aliqui asserebant non esse dicendum, & alii esse asserendum adferentes pro argumento suæ assertionis consuetudinem suæ Regionis, quibus respondet Basilius contrarium sentiens in aliis Regionibus vigere consuetudinem, ut dicerent, in Deo tres hypostases & unam naturam, quod si nollent ipsi huic consuetudini acquiescere non esse justum, ut ipsi consuetudinem contrariam esse vellent regulam, sed starent utrique judicio Ecclesiæ, & scripturæ, quam nemo rejicere potest: hinc constat, Basilium non agere de traditionibus in tota Ecclesia receptis, sed tantùm de particularibus consuetudinibus.

Objiciunt nono D. Athanasium, qui in libro contra Gentes sub initium ait: *Sufficiunt Sanctæ, ac divinitus inspiratæ scripturæ ad omnem instructionem veritatis.* Quòd si divinitus inspiratæ scripturæ sufficiunt ad omnem instructionem veritatis, à traditionibus non scriptis non possumus hanc veritatis instructionem habere: consequenter traditiones saltem ut inutiles sunt rejiciendæ. Sed contra quia licet divinitus inspiratæ scripturæ utiles sint ad instructionem veritatis, non tamen sequitur, quod traditiones ad eundem finem non conducant. Præterea illa particula *omnem* non reperitur in originali Sancti Athanasii, proinde studio adjecta fuit à Sectariis, ut inde ansam haberent excludendi traditiones. Cæterum Basilius in præcitato loco non loquitur generatim de omnibus fidei dogmatibus, sed tantum de duobus, quæ fuerunt argumenta duorum librorum, quos scripsit, direxitque ad Macharium, scilicet quod Idola non sint Dei, & quòd Christus sit verus Deus, & verus homo, quæ duo habent in scripturis expressa testimonia. Rursus addidit Athanasius, quod tametsi scripturæ suffi-

sufficiant ad indicandam veritatem amborum dogmatum non tamen absque explicatione Sanctorum Patrum, quorum libri cum non facilè ab omnibus haberi possint, promittit se scripturum de iisdem, quæ à majoribus didicerit. Hæretici cum scripturas non habeant in confirmationem suorum errorum nituntur eas immutare, corrumpere, ut in pravos suos sensus eas detorqueant addendo, vel reticendo verba, prout ipsis magis placet, & hoc idem etiam præstant in scriptis Sanctorum Patrum, quorum authoritate videantur posse suos errores confirmare.

Objiciunt decimo plures textus depromptos ex D. Augustino, quorum primus habetur in libro de Catechizandis rudibus cap. 36. ubi ait: Proponendam esse Catechumenis brevem doctrinam ex scripturis, quam illi credere se dicent, & promittent velle observare, ex quo loco Sectarii occasionem desumunt rejiciendi ut inutiles traditiones. Secundum desumunt ex libro 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 36. ubi Augustinus ait; *Ubi de re obscurissima disputatur non adjuvantibus divinarum scripturarum certis, clarisque documentis cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in alteram partem declinando*, ex quo inferunt, quòd ubi divinæ scripturæ non suffragantur, non debeat, quis recurrere ad quid aliud, consequenter neque ad traditionem. Tertium sumunt ex libro 3. contra Maximinum cap. 14. *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præjudicaturus proferre Concilium. Nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris: scripturarum authoritatibus non quorumcunque propriis, sed utrisque communibus testibus res cum re, causa cum causa ratio cum ratione concertet*, & in Psal. 57. ait: *Auferantur de medio chartæ nostræ procedat in medium, Codex Dei, audi Christi, dicentem, audi veritatem loquentem.* Quartus ex lib. de bono viduitatis cap. 1. ubi ait: *Quid amplius te doceam, quàm id quod apud Apostolum legimus? sancta enim scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plus quam oportet, non sit ergo aliud te docere nisi verba tibi Doctoris exponere.* Quintus depromitur ex libro 19. de civitate Dei, ubi rejicit traditiones, & docet esse innitendum soli verbo scripto, eò quia Author sacræ scripturæ fuerit Spiritus Sanctus, qui non potest falli, nec nos fallere. Sextus ex lib. 3. contra litteras Petiliani cap. 6. ubi ait: *Si quis sive de Christo, sive de Ecclesia, sive de quacunque alia re, quæ pertinet ad fidem, vitamque nostram non dicam si nos, sed quod Paulus adjecit; si Angelus de cœlo vobis annunciaverit, præter quam quod in scripturis legalibus, & Evangelicis accepistis, anathema sit.* Hinc inferunt Augustinum anathemate percutere adhærentes verbo non scripto, seu traditionibus: siquidem anathematizat qui præter quam quod in scripturis legalibus, & Evangelicis acceperunt alia adferunt non scripta, seu quæ non habentur in scripturis legalibus seu Evangelicis, cujusmodi sunt traditiones. Septimus petitur ex lib. 2. de doctrina Christiana cap. 9. ubi ait: *In his quæ apertè posita sunt in scriptura inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, & mores vivendi*, Ex quo inferunt solam scripturam sufficere sine traditionibus.

Sed contra respondetur ad primum, Augustinum in illo libro de catechizandis rudibus tantùm velle pauca illa principaliora, cujusmodi sunt Symbolum Apostolicum & decem præcepta decalogi, & alia pauca circa Sacramenta sufficere, ut adultus possit baptizari, non tamen absolutè asserit sufficere Ecclesiæ Dei, alioquin superfluerent omnes scripturæ, omnes Epistolæ D. Pauli, & aliorum Apostolorum, igitur in doctrina Christiana tam fidei quàm morum quædam sunt omnibus simpliciter necessaria, ut cognoscantur, ut notitia articulorum Symboli Apostolici, & decem præceptorum decalogi, & nonnullorum Sacramentorum, & alia non esse ita necessaria, ut absque explicita eorum notitia non possit quis baptizari, & æternam consequi salutem, dummodo paratam habeant voluntatem ea credendi, quoties fuerint sibi legitimè ab Ecclesia proposita, & D. Augustinus in libro illo de catechizandis rudibus loquitur de articulis fidei primi generis, & quorum capaces sunt rudes catechizandi, non verò de aliis.

Ad secundum, desumptum ex *lib. 2. de peccator. merit. & remiss.* Respondetur, Augustinum ibi tantum loqui de quæstionibus obscurissimis, cujusmodi erat illa de origine animarum, ad has enim quæstiones dirimendas non videntur sufficere humana testimonia, sed solum aliquæ conjecturæ ex divinis litteris: inde autem non sequitur Augustinum rejicere traditiones, quæ totius Ecclesiæ consensu firmantur: & hoc argumentum Augustinus vocat gravissimum, propterea asserit, veritati & scripturæ sacræ esse adhærendum, & teneri nos facere, quod universæ Ecclesiæ placet, ut asseris lib. 1. contra Cresconicum cap. 43. & quas Ecclesiæ placet adhærere Apostolicis traditionibus, ita etiam nos tenemur iisdem adhærere.

Ad tertium, desumptum ex *lib. 3. contra Maximinum*, respondetur, nil Augustinum in illo loco dicere contra traditiones, imò neque contra Concilia, quia Augustinus noluit removere Concilia ab illis disputationibus, adeo ut solæ scripturæ reciperentur, cum authoritas Conciliorum Generalium una cum capite maximæ sint authoritatis, sed omisit Concilia, ut facilius posset se expedire, quia si ex Concilio debuisset argumentum desumere, probandum ei prius fuisset, quòd Concilia illa fuissent legitimè coacta ab authoritate Romani Pontificis, & ab eodem approbata, & confirmata, quòd nimis prolixum fuisset. Tum quia in illis quæstionibus, quæ tunc agitabantur: abunde à scripturis sacris suppeditabantur testimonia, quæ sine dubio præferenda erant omnibus Conciliorum testimoniis: non igitur quia Augustinus in illis quæstionibus solvendis omiserit testimonia Conciliorum, & traditionum Apostolicarum inde sequitur traditiones & Concilia rejecisse ac damnasse præsertim cum Augustinus in lib. de baptismo persæpe ex Conciliis & traditionibus Apostolicis rem urgeat.

Ad quartum, desumptum ex libro de bono viduitatis, respondetur, Augustinum ibi non loqui de quolibet fidei articulo, sed tantùm de Professione viduitatis, & fusè ostendit, quale sit bonum, quapropter ait: Satis sibi esse, si exponat verba Apostoli significantis 1. Corinth. 7. hoc idem bonum viduitatis. Neque obstat, quòd Augustinus asserat: *Scriptura nostra doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plus quàm oportet*, quiæ hæc verba tantùm protulit, contra eos, qui ex proprio judicio fingunt novas doctrinas, quæque minimè sunt scripturis consonæ, sed iisdem potius videntur adversari.

Ad quintum patet, Augustinum ibi non loqui de traditionibus, nec quidquam contra ipsas asserere, sed tantum velle, ex scripturis esse probanda fidei dogmata,

dogmata, quando ſcripturæ teſtimonia habentur: quod verùm eſt; ſed hoc non eſt damnare traditiones, ſed potiùs eas admittere, quando fidei dogmata non poſſunt ex ſcripturis probari, tunc enim recurrendum eſt ad traditiones Apoſtolicas, quæ nituntur perinde ac Scripturæ Sacræ authoritate Divina; habent enim authorem Spiritum Sanctum perinde ac verbum ſcriptum.

Ad ſextum reſpondetur, Auguſtinum non condemnare traditiones Apoſtolicas, cùm habeant eundem Authorem Spiritum Sanctum, qui non poteſt falli, nec nos fallere; neque obſtat, quod addat authoritatem Apoſtoli, dicentis: *Si Angelus de cœlo vobis annuntiaverit præter quam quod in ſcripturis legalibus, & Evangelicis accepiſtis, anathema ſit.* Illud adverbium *præter* intelligitur *contra*, adeo ut ſenſus ſit, ſi Angelus de cœlo annuntiaverit vobis aliquid contra id, quod in ſcripturis legalibus, & Evangelicis accepiſtis, anathema ſit, unde non prohibet traditiones, ſi non ſint contrariæ Sacris Scripturis, ſed prohibet dogmata, & præcepta contraria, & aliena Sacris Scripturis; idque liquet, quia Apoſtolus plura poſtea docuit, quibus commendavit traditiones, tum quia poſt illam Epiſtolam Apoſtoli plura fuerunt addita in Bibliis, ut Joannis Apocalypſis, & Evangelium ſuum. Præterea quia Apoſtolus tunc contra eos agebat, qui docebant ſervanda eſſe legalia, cum ipſe doceret non eſſe ſervanda, unde per illud *præter* intellexit contra id, quod ipſe annuntiaret. Rurſus Apoſtolus ad Roman. ult. ait: *Obſervate eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter Doctrinam, quam accepiſtis, faciunt*, ſcilicet contra Doctrinam, adeo ut illud *præter* perinde ſignificet ac contra.

Ad ſeptimum reſpondetur Auguſtinum loqui de illis dogmatibus, quæ neceſſaria ſunt omnibus ſimpliciter, cujusmodi ſunt articuli qui comprehenduntur in Symbolo Apoſtolico, præcepto decalogi, & aliqua circa Sacramenta, non verò omnibus & ſingulis fidei articulis, quia hoc eſt difficile, præſertim in rudibus cupientibus ſuſcipere baptiſmum, imò & ipſe Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſ. cap. ult. ait: *Credo, quod etiam hinc Divinorum eloquiorum clariſſima authoritas eſſet, ſi homo illud ſine diſpendio promiſſæ ſalutis ignorare non poſſet.* Cæterum plura alia habentur, quæ ſola innituntur traditione.

Objiciunt undecimo D. Hieronymus in cap. 1. Epiſt. ad Tit. ubi ait: *Sine authoritate Scripturarum garrulitas non habet fidem*, & illud in cap. 23. Matth. *quod de ſcripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur*, & illud in cap. 1. Agei, *quæ absque authoritate & teſtimoniis ſcripturarum quaſi traditione Apoſtolica ſponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius DEI*, & tandem illud ex Commentario in Pſal. 86. ubi expendens illud: *Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & Principum horum, qui fuerunt in ea*, ait: *Videte quid dicat, qui fuerunt, non qui ſunt, ut exceptis Apoſtolicis, quidquid poſtea aliud dicetur, abſcindatur, non habeat authoritatem.*

Sed contra ad primum textum Hyeronymi quod attinet, reſpondetur à Sectariis, non fuiſſe integrè adductum ait enim Hieronymus in eo loco *Sine authoritate ſcripturarum garrulitas non habet fidem, niſi viderentur perverſam Doctrinam etiam Divinis teſtimoniis roborare.* Non igitur Hieronymus vocat garrulitatem, quod profertur extra ſcripturam, ſed ait homines garrulos fidem non invenire apud ullos, niſi videantur ſuos errores confirmare authoritate Sacræ Scripturæ. Ad ſecundum textum reſpondetur etiam corrumpi ab Acatholicis, non enim Hieronymus dicit univerſaliter, quod de ſcripturis authoritatem non habet, ſed loquitur de particulari quadam ſententia, quam adverſarii ex quodam libro Apocrypho aſſerebant, ac probabant Zachariæ, quem Judæi occiderunt inter templum & altare, fuiſſe Zachariam Patrem Joannis Baptiſtæ, hinc Hieronymus in contrarium ajebat, quia de ſcripturis authoritatem non habet, nec poteſt ex ullo ſcripturæ textu hanc ſuam ſententiam evincere, quin eam nitebatur propugnare, ideo eadem facilitate contemnitur, qua probatur, id eſt, quia probatur ex libro Apocrypho tantùm, & non ex verbo ullo canonico ſcripto, nec ulla authoritate Apoſtolica nec Eccleſiaſtica, ideo eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Ad tertium reſpondetur Hieronymum ibi tantùm agere contra illos, qui confingunt aliquid, & videri volunt ſuum figmentum Apoſtolicam eſſe traditionem. Ad ultimum reſpondetur, D. Hieronymum ea rejicere, quæ ſunt aliena à Doctrina Apoſtolica, ſeu contraria, & repugnantia ſcripturis.

Objiciunt duodecimò Tertullianum aſſerentem lib. 22. contra Hermogenem *Adoro plenitudinem ſcripturæ*, adeo ut præter ſcripturas nil aliud admiſſerit ut dogma fidei. Sed reſpondent plures, Tertullianum eo tempore, quo ſcripſit librum illum contra Hermogenem, adhuc fuiſſe Montaniſtam, ſiquidem in eodem libro ait: Hermogenes redolet contagionem eorum, qui nuptias reiterant; Chriſtianis Catholicis enim mortua uxore non prohibetur aliam ducere, quapropter reſpondit Hieronymus ſe de Tertulliano non curare, eò quia tunc nondum eſſet membrum Eccleſiæ. Rurſus Tertullianus non dicit ſimpliciter: Adoro plenitudinem ſcripturarum, ſed tantùm in illa ſpeciali clauſula, de qua erat controverſia, ſcilicèt: *in principio creavit DEus cœlum, & terram, per quam & factorem, & res factas nihil manifeſtat.* Quòd ſi dicas libro de reſurrect. cap. 3. dixiſſe Tertullianum: *Auferte ab Hereticis ea, in quibus cum Paganis conveniunt, ita ut in ſola ſcriptura hæreant, non ſubſiſtent.* Contra eſt, quia Hereticos in præcitato textu vocat Tertullianus non generatim, quotquot adverſantur fidei negantque aliquem fidei articulum, ſed negantem reſurrectionem carnis, de qua tunc erat controverſia, quos propterea vocat Lucifugas ſcripturarum.

Objiciunt decimotertio, quia ſi admitterentur traditiones, facilè plura poſſent falſa dogmata inveniri, & difficulter veræ, & canonicæ traditiones conſervarentur in Eccleſia, facilè enim per oblivionem delerentur propter imperitiam, negligentiam, perverſitatem hominum, facilè deficerent, perinde ac plura dogmata antiquorum Philoſophorum totaliter perierunt, eò quia non fuerunt ſcripta. Sed contra, quia traditiones Apoſtolicæ, tametſi non fuerint ſcriptis extradita impoſſibile eas in Eccleſia non ſervari, quia cura earundem, ne pereant, ad nullum pertinent hominem, ſed ad DEum, qui Eccleſiam dirigit, & gubernat, eíque aſſiſtit, ne unquam deficiat in fide, hinc ſicut DEus non obſtantibus tot tyrannorum perſecutionibus, inimicorum aſſultibus, & bellis, veram conſervavit Eccleſiam, ne opprimeretur adverſitatibus, ita conſervavit traditiones à Protoparente Adamo usque ad Moyſem per duo ferme annorum millia, &

poſtea

poſtea ſcripturas à Moyſe uſque ad hæc tempora per tria & amplius millia annorum, perinde non fuit Deo difficile conſervare traditiones à Chriſto ſuis concreditas Apoſtolis, & tranſmittendas in Eccleſiam uſque ad præſens tempus; diſponit enim Divina providentia omnia ad ſuos ſpeciales fines. Præterea tametſi traditiones non reperiantur inſertæ Divinis ſcripturis, tamen ſcriptæ reperiuntur in aliis libris Eccleſiaſticis, ubi citra corruptionem ſervantur. Præterea earum uſus continuus non permittit eas perire, ſicut de facto non pereunt ritus adminiſtrandi Sacramenta, celebrandi miſſas & officia Divina, & alia id generis. Tum quia ſunt etiam monita quædam externa, & proverbia, quæ ad longiſſimum tempus perſeverant: ut etiam memoriæ quæ, dicuntur indelebiles ut memoriæ Sanctorum, urbium; proinde potuit etiam facilè DEus traditiones conſervare, ne perirent in Eccleſia. Demum quia ſicut DEus mirabiliter utitur Eccleſiæ hoſtibus, ut Eccleſia per oppugnationem adverſariorum validior vigeat, ita etiam ſingulis ætatibus dedit Eccleſiæ viros Doctrina & ſanctitate conſpicuos, qui Hæreticis obſiſterent, ac diligenti ſtudio inveſtigarent traditiones antiquas, quas poſteris coṁendarent, unde eſt periculum, quod traditiones Divinæ, & Apoſtolicæ pereant in Eccleſia, tametſi plura dogmata Philoſophorum fuerint obliterata, quia non ſcripta.

Objiciunt quintodecimò, quia ſi concedantur traditiones, laxa aperitur janua ad plura falſa dogmata inducenda in Eccleſiam, etenim ſi non ſint ad lydium Sacræ Scripturæ examinanda dogmata facilè poſſunt nova fingi Sacris adverſantia ſcripturis, & facilè poſſunt fideles decipi, ſcimus enim Sanctiſſimos viros fuiſſe olim deceptos, etenim Irenæus lib. 2. cap. 39. ait: Ex traditione haberi Chriſtum ætatis ſuæ anno quinquageſimo aut circiter paſſum fuiſſe, & mortuum pro redemptione humani generis, & è contra Tertullianus *lib. contra Judæos cap.* 5. & Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *ſtromatum* aſſerunt fuiſſe paſſum anno 30. quæ omnes traditiones deprehenduntur falſæ, ergo traditiones non ſcriptæ non videntur poſſe in Eccleſia admitti, ſaltem ob periculum, ne plures inde irrepant errores. Sed contra quia ſi argumentum concluderet, etiam Scripturæ eſſent omnes rejiciendæ, quia etiam plures libri falſi, & pernicioſi immixti fuerunt libris canonicis, ut liquet ex Gelaſio in Concilio coacta ex ſexaginta Epiſcopis, & Hieronymo in libro de viris Illuſtribus in Lucam. Quapropter etiam D. Paulus 2. ad Theſſal. 2. ait: *Ne terreamini, neque per ſermonem, neque per Epiſtolam tanquam per nos miſſam*: quia ſermones viva voce, & Epiſtolas ſcriptas nomine Diſcipulorum Chriſti promulgabant Pſeudo-Apoſtoli, hinc etiam Papias ex traditione fertur docuiſſe, Regnum Chriſti futurum mille annorum poſt reſurrectionem hic in terris, & cui fidem præſtiterunt Irenæus, Tertullianus, Lactantius & alii plures, ut refert Euſebius *lib.* 3. *hiſt. cap.* 39. Quam traditionem ex malè intellecta Apocalypſi deſumpſit, ut docet Hieronymus in *cap.* 49. *Iſa. & in cap.* 19. *Matth.* Hinc idem incommodum etiam ſequeretur in Sacris Scripturis perinde ac in traditionibus. Reſpondetur ſecundò tale incommodum neutiquam obeſſe, quia adeſt in Eccleſia authoritas diſcernendi veras traditiones, & ſcripturas à falſis, & ſuppoſititiis, quapropter nunquam publico Eccleſiæ judicio receptus fuit liber aliquis Apocryphus pro canonico, nec falſa traditio pro vera.

Objiciunt quindodecimò quia Biblia ſcripta ſunt, ut in ipſis habeamus regulam, & formam fidei, & morum, ut docet Auguſtinus lib. 11. contra Fauſtum cap. 9. Sed opera DEI ſunt perfecta, conſequenter ſcriptura ſi eſt regula & forma fidei, debet eſſe perfecta & adæquata fidei noſtræ, conſequenter quidquid continetur in ſcripturis, eſt de fide; & quidquid in ipſis non continetur non eſt cenſendum eſſe de fide, proinde ſola ſcriptura videtur ſufficere ſine traditionibus. Sed contra, quia plura habentur dogmata fidei, & ut talia tenemur ea credere, non habentur in ſcripturis, ſed tantùm ab Apoſtolis ut audita à Chriſto tradita Succeſſoribus, ut cuſtodirentur in Eccleſia, ut ſupra evicimus. Et plura etiam habentur, quæ includuntur, in ſcripturis, eà à quibus propterea ſi præſcindamus, non ſuperſunt integræ ſcripturæ, ſed in pluribus locis diminutæ ac detruncatæ; non enim præcipuus ſcripturæ finis eſt, ut ſit regula fidei, ſed ut variis documentis, exemplis, adhortationibus nos adiuvet in præſenti ſtatu viæ, nobiſque ſuggerant rectam ſalutis viam, hinc ſcriptura non eſt unum opus continuum, quale deberet eſſe regula fidei, continet enim varia opera, hiſtorias, conciones, vaticinia, carmina, Epiſtolas, hinc Paulus ait ad Roman. 15. *Quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram Doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam, & conſolationem ſcripturarũ ſpem habeamus.* Cæterũ quamvis ſcriptura præcipua non ſit regula fidei totalis eſt tamen regula partialis: ſiquidem regula totalis, coaleſcit ex utroque verbo ſcripto, & non ſcripto, ſeu Divina revelatione, facta Eccleſiæ militanti in terris, ſive hæc revelatio ſcripta fuerit ſive non, adeo ut Divina revelatio, quæ eſt regula totalis, dividatur in duas partiales, ſcilicet in ſcripturam, & traditionem, hinc quia ſcripturæ pertinent ad regulam, quidquid in ipſa continetur, eſt neceſſario verum, & credendum de fide, & quidquid ei repugnat ſit, neceſſario falſum, ac rejiciendum, ſecus quia non eſt regula totalis, non omnia menſurat, & aliquid ſit de fide, quod in ipſa non continetur: hinc quando Sancti Patres aſſerunt, ſcripturam eſſe regulam fidei, non dicunt taxativè ſolam ſcripturam, ſed ſcripturam etiam eſſe regulam, ad quam examinari debent ſcripta veterum Patrum, adeo ut non excludant, ſed includant etiam traditiones, unde finis præcipuus ſcripturæ non eſt, ut ſit regula totalis fidei; alioquin illa tantùm & ſola, quæ in ſcripturis continerentur, eſſe de fide, quod eſt falſum, cum plura ſolo verbo ſint tradita, quæ etiam habentur de fide. Præterea plura ſunt in ſcripturis, quæ ex ſe non pertinent ad fidem, & quæ non ideo ſcripta ſunt, quia neceſſario erant credenda; ſed potiùs ideo neceſſariò creduntur, quia ſcripta ſunt, ut liquet de omnibus hiſtoriis veteris teſtamenti, & è pluribus etiam hiſtoriis Evangelii, actuum Apoſtolorum, quæ eatenus creduntur, quia ſcripta ſunt & inſerta Divinis ſcripturis, non verò ſcripta ſunt, quia neceſſariò erant credenda.

Ex dictis infertur, traditionem Divinam eſſe quidem certam, infallibilem, & regulam partialem fidei, non tamen ex ipſa ſola poſſe haberi ſufficiens judicium de rebus fidei, cum enim traditio Divina nitatur authoritate DEI, habet eandem firmitatem, quam includit verbum ſcriptum: ſiquidem motivum formale, utriuſque eſt prima veritas revelans, proinde traditio Divina perinde ac Sacra Scriptura poteſt eſſe regula fidei, adeo ut ex utroque verbo ſcripto, & non ſcripto coaleſcat totalis regula, firmari ex eo poteſt, quia fides ſuum duxit initium ſtatim à principio mundi, & nihilominus in ſcripturis conſervata fuit uſque

ad

ad tempus legis scriptæ: ergo tunc non potuit fides aliter regulari, nisi per traditiones divinas. Quòd verò ex sola traditione non possit haberi sufficiens judicium de rebus fidei, ex eo constat, quia traditio est tantùm regula partialis, & aliud est regula fidei, & aliud Judex fidei: regula enim est quædam præscriptio, juxta quam debet Judex procedere, & Judex est determinata persona, ad quam pertinet dirimere controversias, quæ circa res fidei oriuntur, unde sicut nobis debet de authoritate scripturæ constare per aliquam certam regulam, ita etiam de authoritate traditionis, si illa revocaretur in dubium: etenim sicut scriptura non loquitur clarè neque perspicuè de se, ita neque ipsa traditio, quapropter iisdem ferme argumentis, quibus ostenditur ex scriptura non posse haberi sufficiens judicium de rebus fidei, nisi accesserit aliquis Judex, qui controversias dirimat, quæ oriuntur circa scripturas, & cujus authoritas non sit erroribus obnoxia.

Probatur etiam ex traditionibus non posse haberi hoc sufficiens judicium: siquidem quæstiones ac dubia moveri possunt de sensu traditionum, perinde ac interdum dubitatur de sensu, & mente Doctorum, hinc oritur necessitas admittendi præter traditiones, & scripturas aliquam humanam authoritatem, quæ ob assistentiam spiritus sancti sit infallibilis, ac magistra in omnibus quæstionibus fidei, & hanc authoritatem, seu Judicem dicimus esse Ecclesiam, seu Concilium generale una cum suo capite, quod repræsentet universalem Ecclesiam, vel summum Pontificem seu Pastorem supremum docentem ex cathedra, etenim ut fideles infallibiliter credant, quæ continentur in Sacra Scriptura, & in Apostolicis traditionibus necessarium est, ut ipsis duo innotescant, quorum primum est, quænam sit vera scriptura, & vera traditio, & secundum, quisnam utriusque legitimus, ac verus sensus, sunt enim hæc duo obscura, & passim controversiis obnoxia, consequenter, ut fideles omnino immobiliter credant, quæ fide divina sunt credenda, debent necessariò sciri, quænam sint veræ scripturæ, & traditiones, & quis legitimus utriusque sensus, sed sine aliqua regula viva præsente universali, & sensibili, quæque sit authoritatis omnino infallibilis, neutrum eorum possunt fideles cognoscere, nec discernere veras scripturas, & traditiones ab iis supposititiis, quas falsò Sectarii fingunt, nisi enim aliqua viva præsens, & sensibilis regula cujus authoritas sit infallibilis id definiat; ac declaret, semper fideles hæreret anceps, quænam esset vera scripturæ traditio, & quis verus ejus sensus, quapropter ut fideles immobiliter credant fide divina, quæ sunt credenda, est omnino necessaria authoritas aliqua, quæ sit magistra fidei, & regula universalis viva præsens, ac sensibilis, quæque sit authoritatis infallibilis; in omnibus enim fidei dubiis circa scripturam, & traditiones debent fideles consulere authoritatem aliquam infallibilem, cui plene acquiescant, & si hæc non sit viva, præsens, & sensibilis non possunt fideles eam consulere, consequenter necessaria est hæc authoritas.

Quòd verò hæc authoritas infallibilis sit Ecclesiæ fidei magistra, adeo ut hæc sola sit Judex supremus, cujus authoritate dirimantur fidei controversiæ, ac declarentur, quæ fide divina sunt credenda, ostendi solet, quia Ecclesia Catholica Romana à Spiritu Sancto gubernatur, adeo ut assistentiam, & protectionem habeat Spiritus Sancti, ratione cujus non possit errare in dirimendis fidei controversiis, & declarandis, quæ sint de fide credenda ex eo evincitur, quia Ecclesia, ut ait Paulus 1. ad Timoth. 3. est fundamentum, & columna veritatis, à quo fundamento excluditur omnis error, adeo ut non possit Ecclesia universalis culpabiliter errare in fide, alioquin si falli, vel fallere posset, non esset columna, & fundamentum veritatis contra assertum Apostoli, ergo hæc authoritas viva, præsens, & sensibilis omnino, infallibilis, quæ sit magistra fidei, & supremus Judex dirimens omnes controversias fidei, est sola Ecclesia Catholica. Ostendi etiam solet ex illo Matth. 16. ubi Christus dixit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* siquidem per portas inferi denotatur astutia Dæmonis, quæ vel maximè in disseminandis hæresibus ac erroribus versatur, sed Christus expressè asserit nullas hæreses adversus Ecclesiam fundatam super Petrum prævalituras, adeo ut Augustinus lib. 1. de symb. ad Catech. cap. 6. loquens de Ecclesia dicat: *Pugnare potest, expugnari non potest: hæreses omnes de illa exierunt tanquam Sarmenta inutilia de vite præscissa, ipsa autem manet in radice sua, & portæ inferi non vincent eam.* Hinc Cyprianus lib. de unit. Eccles. cap. 5. ait: *Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est, pudica est.* Neque urget, quod respondent Hæretici, Ecclesiam ab Apostolo vocari columnam, & fundamentum veritatis, eò quia sit fida custos verbi Dei, quia hæc interpretatio est expressè contra propriam significationem verborum Apostoli, si enim ad Ecclesiam tantùm pertineret custodire verbum Dei, non rectè Apostolus eam vocasset fundamentum, & columnam, sed arcam, cujus proprium est custodire res in ipsa clausas, & comprehensas, præterea quia juxta hanc interpretationem etiam Judæi infensissimi hostes Christianæ Religionis essent columnæ, & fundamenta veritatis, quia ipsi diligenter custodiunt vetus testamentum, quod etiam continet verbum Dei, unde stat, Ecclesiam ita esse infallibilem in dirimendis controversiis fidei, & proponendis articulis de fidei credendis, ut nunquam possit errare, & fuit hæc verittas definita, in Concilio Nicæno *art.3. cap. 3.* hinc in symbolo Apostolico habetur: *Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam,* quòd si Ecclesia est sancta, sequitur nullo pacto posse errare in fide, ut omnia Concilia definiverunt, & desumitur ex scripturis, præsertim ex illo Matth. ult. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi,* ubi Christus promittit Ecclesiæ suam assistentiam usque ad finem mundi, eo autem ipso, quòd Christus assistit Ecclesiæ, sequitur evidenter hanc nullo modo posse errare, alioquin error tribueretur Christo, ut arguunt Sancti Patres præsertim Chrysostomus *homil. 11. ad populum.* Augustinus *concion. 2. in psal.* 101. Leo X. in Bulla contra Lutherum, hinc Christus Joan. 7. ait: *Pater, Sanctifica eos in veritate sermo tuus veritas est, & ego pro eis sanctifico me ipsum, ut sint ipsi sanctificati in veritate, non pro eis rogo tantum, sed pro iis etiam qui credituri sunt per verbum illorum in me.* Cum igitur expressè constet Christum rogâsse Patrem pro Ecclesia, ut maneret in veritate, seu in fide, & ipse promiserit assistentiam Spiritus Sancti in perpetuum, necesse est concludamus, Ecclesiam nullo pacto in dirimendis controversiis fidei, & declarandis iis, quæ ad fidem pertinent non posse ullo pacto errare, eò quia regatur, & dirigatur à Spiritu Sancto.

# LIBER TERTIUS.

## De Traditionibus divinis, & ecclesiasticis in particulari.

CUm in præcedentibus egerimus de Traditionibus generatim sumptis, ac ostenderimus necessitatem eas concedendi ab Apostolis derivatas in ecclesiam à qua fuerint semper fideliter custoditæ, ac observatæ eo quia sint verbum Dei non scriptum ejusdem infallibilis authoritatis ac scriptum, eo quia utriusque verbi, sit idem Author Deus, qui non potest falli nec nos fallere; & propterea & Sacris Scripturis, & traditionibus coalescat integra regula, quâ mensurantur omnia fidei dogmata; nunc opus, descendamus ad traditioues, quarum aliquæ sunt divinæ, quæ innituntur immediatè authoritate Christi, aliæ Apostolicæ, quæ proveniunt ab Apostolis unà cum assistentia Spiritus Sancti, & dicuntur Apostolicæ; & istæ præcipuè pertinent ad cæremonias, ac ritus ecclesiæ institutos ab ipsis Apostolis; & aliæ dicuntur ecclesiasticæ, quæ fuerunt à Prælatis ecclesiæ, vel etiam à fidelibus inchoatæ, & postea usu, & consuetudine vim legis obtinuerunt; & hæ dicuntur traditiones ecclesiasticæ. De hisce speciatim superest agendum.

## CAP. I.

### De signo crucis fluente, & permanente.

BIpartitur signum crucis in fluens, & permanens; illud consistit in motu, ut cum efformamus signum crucis manu, quam ducimus è fronte ad pectus, & à pectore ad utrumque latus; vel benedicimus aqua lustrali tres alias; signum crucis permanens est ipsa forma crucis permanens in metallo, ligno, lapide referente crucis effigiem. Crucis signum fluens dicitur esse prima omnium traditionum in ecclesia; hoc enim signum efformâsse Christum in sua Ascensione in cœlum notatum fuit à Christianis, ut refert S. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 37. Et alii censent Christum reliquisse, ac injunxisse Apostolis, ut signum crucis adhiberent in sacris, & piis actionibus; quia ipse Christus elevatis manibus benedixit Apostolis, dum elevaretur in cœlum, ac signum crucis efformavit, ut refert Gretserus lib. 3. de cruce cap. 16. Patriarcha itidem Jacob transversas, ac decussatas tenens manus, & signum quoddam crucis efformans benedixit filios suos Josephum Manassem, & Ephraim, ut legitur Genes. 48. id permittente Deo, ut indicaret venturum tempus, quo benedictiones signo crucis munirentur; & Christiani hoc signo gloriarentur, quod in fronte, & pectore in cordis præsidium efformarent. Est hoc signum prima tessera militiæ Christianæ, sub hoc enim vexillo militant quotquot Christum Ducem sequuntur. Hinc Apostolos, aliosque Christi discipulos in primo illo nascentis ecclesiæ exordio consuevisse signum crucis efformare testatur S. Dionysius de Ecclesiast. hierarchia cap. 2. inquiens: *At verò Pontifex trino crucis sanctæ signaculo unctionem inchoans inungendum tradit Sacerdotibus*: & cap. 8. ait: *Cuilibet autem ipsorum à benedicente Pontifice Crucis imprimitur signum.* Martialis Apostolorum discipulus in epistola, quam direxit ad Burdegalenses cap. 8. ait: *Hoc solo signo* (scilicet crucis) *victoria data est nobis; & per crucem baptisma Dei sanctificatum est.* Justinus itidem tom. 3. quæst. 137. ait: *Nos autem in baptismo Symbola signaque passionis, & resurrectionis ejus referentes celebramus.* Hinc mos postea in ecclesia inolevit, ut qui baptizantur, post trinam sufflationem ad expellendum Dæmonem invocatur Sanctissima Trinitas, significata per illud spiraculum trinum, simile illi quod spiravit Deus in faciem primi hominis; illico signum crucis imprimitur fronti pueri, ut crucem non erubescat, quæ Symbolum est Christianæ militiæ; idem crucis signum efformat etiam in pectore, ut illud custodiat in corde.

Apostolos consuevisse Salutare crucis signum frequentare, ac illo uti in sacris piisque actionibus ac eos se munivisse, quoties periculum aliquot immineret; testantur antiquissimi Authores præsertim Abdias lib. 2. ubi de Apostolo Paulo ait: Se signo crucis munivisse, antequam caput tyranno illud amputanti flexisset, ait ipse: *Paulus completa oratione dedit pacem fratribus, qui eum secuti fuerant, & vale faciens eis flexis genibus, crucisque signo se muniens cervicem prabuit percussori.* D. Petrum etiam fuisse usum hoc signo crucis non est dubium, ajunt enim per solum crucis signum Dæmones ejecisse ab obsessis, & Sanitati plures restituisse variis infirmitatibus laborantes, quinimò & ipse ad imitationem sui Magistri Christi mari in ipsa cruce voluit. Ut etiam ejus frater Andreas, de quo ait Abdias lib. 3. *Inde progressi, ut transirent Thracias occurrit eis multitudo hominum à longe cum evaginatis gladiis, lanceas manu gestantium, qui volebant in eos irruere, quod cum vidisset Andreas Apostolus faciens crucis signum contra eos, ait: Oro Domine, ut decidat Pater eorum, qui & agere eos instigavit. Conturbentur, ne lædent eos, qui sperant in te, hac eo dicente Angelus Domini magnò cum splendore præteriens tetigit gladios eorum, & non corruerunt proni omnes in terram. Andreas autem singulos signans cruce eos abire permisit, novissime autem se signans & ipse discessit.* Et ipse moriturus prò Christo cum vidisset præparatam sibi crucem exiliens, & lætitia repletus eam concupivit, canit enim Ecclesia in festo ejusdem Apostoli: *Cum pervenisset Beatus Andreas ad locum, ubi crux parata erat, exclamavit, & dixit: O bona crux diu desiderata & jam concupiscenti animo preparata, securus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans suscipias me Discipulum ejus qui pependit in te.* D. Jacobum Apostolum itidem fuisse hoc salutari signo crucis usum testatur idem Abdias lib. 4. ubi ait: *Cum osculatus esset Jacobus Josiam posuit manus super caput ejus, & benedixit eum, & fecit signaculum crucis Christi in fronte ejus; & sine mora martyrii palmam accepit*; quoties enim debuerunt Apostoli rem aliquam magni momenti peragere, vel periculum imminens subire consueverunt à crucis signo præsidium sumere, & munimen; quin imò hoc signo crucis plura itidem patrarunt mira, ut Beatus Joannes Apostolus, qui hoc signo plures curavit infirmos, & eodem se ipsum munivit, antequam calicem biberet veneno plenum, ait enim Abdias lib. 5. *Tunc Beatus Joannes jacentibus mortuis his, qui venenum biberant, ut intrepitus, & constans accepit calicem & signaculum crucis faciens oravit ad Deum Patrem, & Christum, & se ipsum armavit signo crucis, & bibit totum, quod erat in calice*; & lib. 6. ait

ait de Simone Apostolo, quod solo crucis signo superaverit Magorum violentiam, & lib. 7. Matthæum flammiferos Dracones sopivisse & eorum morsus, qui lethales fuerant, solo crucis signo curasse, & lib. 8. narrat, Dæmonem ex quodam Idolo fuisse locutum, & hæc verba protulisse: *Christus ipsam mortem, quæ regina nostra est captivavit, & ipsum Principem nostrum maritum mortis vinculis igniris vinxit, & tertia die victor mortis & diaboli resurrexit, & dedit signum crucis Apostolis suis ex quibus est hic Bartholomeus, qui me vinctum tenet.* Rursus lib. 9. etiam Apostolum Thadæum asserit solo crucis signo sanitatem fuisse impertitum Regi Bagaro, inquiens: *Veniens Thadæus missus à Thoma imposito Regi Bagaro crucis signaculo ab omni eum languore curavit.* Et hæc consuetudo adhibendi signum crucis ab ipsis Apostolis derivavit in Ecclesiam, quæ in sacris, & piis actionibus solet signum crucis adhiberi præsertim in benedictionibus & ad fugandos Dæmones, hinc Clemens Romanus, qui anno Christi 68. successit Petro in Pontificatu lib. 8. constit. cap. 16. meminit hujus consuetudinis adhibendi signum crucis in Sacris & iis actionibus; ait enim: *Orans igitur Pontifex una cum Sacerdotibus induensque vestem splendidam, & stans altare crucis trophæo se consignans frontem.* Tertullianus itidem lib. de corona militis meminit hujus consuetudinis inquiens: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas ad lumina, ad cubilia quæcunque non conversatio exercet frontem Christi signaculo terimus.* Adeo enim tempore Tertulliani inoleverat consuetudo adhibendi signum crucis, ut omnibus in altaribus, sacerdotibus, vestibus sacerdotalibus, & in omnibus exercitiis, hoc crucis signum adhiberetur, quo primi illi in ecclesia Christiani consueverant omnia sua initiari exercitia, & idem Tertullianus ejusdem consuetudinis meminit, *lib. ad uxorem & lib. contra Gnosticos*, ut etiam Augustinus Tract. 1[illegible] in Joan. ubi ait: *Quid est signum crucis nisi crux Christi, quod signum nisi adhibeatur in fronte credentium sive ipsa aqua ex qua regenerantur, sive oleo, quo Chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum rectè perficitur.* Imò adeo frequens erat hoc signum crucis in primitiva Ecclesia, ut Ethnici, Christi fideles vocaverint religiosos crucis.

Eusebius lib. 1. Histor. narrat Constantinum ubi Christianam fidem suscepit vidisse in aëre signum crucis splendidissimo jubare circumfulgens, eique spondens victoriam cum illa inscriptione: *In hoc signo vinces*, ei promisit Deus solemnem victoriam contra Maxentium, & refert Eusebius rem ita contigisse cum per Galliarum Provinciam, Burgundiam suum duceret Constantinus exercitum non longè ab Augustodano, & S. Joannes de Lono ait: Constantinum eodem signo statim se munivisse, ac illud diademati imposuisse, & relictis aquilis, aliisque Imperii Romani signis solam crucem pro labore assumpsit, & hoc signum toti exercitui, ut insigne imperiale præfixit, & ex eo tempore, ut crucis veneratio propagaretur, & signum crucis pluris æstimaretur non solùm animis militum imprimere curavit, sed super monetas aureas, & argenteas cudi voluit ad significandum crucis signo, & pretio Christi sanguinis in cruce effuso totum fuisse mundum redemptum, qui mos crucem cudendi in monetis adeo invaluit, ut ad nostra etiam tempora adhuc perseveret, gloriantur siquidem Principes Christiani hoc crucis signo, quod suis volunt in monetis cusum.

Hinc apparet, quam crassa ignorantia laborent Sectarii asserentes signum crucis ad aliud non valere nisi ad muscas abigendas insultantes Apostolis, & primitivæ Ecclesiæ, à quibus verbum Dei scriptum acceperunt. Valet enim crucis signum non ad muscas abigendas, sed ad fidem Trinitatis & Incarnationis obtestandam, cum fideles se muniant crucis signo in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti. Rursus per signum crucis excitatur memoria patientis Christi in cruce & spes obtinendi per ipsam remissionem peccatorum, & ad hunc finem solet in pluribus Ecclesiarum inseri crux cum Gallo, ut peccatores excitent memoriam Petri, & sicut Petrus post trinam negationem & Galli cantum statim flevit amarè, & lachrymis abstersit, quas in atrio palatii maculas contraxerat, ita peccatores resipiscant, & veniam sperent à Deo obtinere, si imposterum à peccatis abstineant. Pari pacto acturis animam exhibetur signum crucis, ut de suis meritis diffisi spem omnem collocent in crucifixo.

Rursus signum crucis plurimum valet apud Christianos quoties pericula imminent mali alicujus impendentis, vel carnis stimuli eos excitant ad turpia vel quoties aliis pulsantur tentationibus, cogitationes enim pravæ signo crucis excutiuntur si memores simus dolorum ac cruciatuum, quos Christus pro nobis passus fuit in cruce, hæ sunt illæ muscæ, quæ signo crucis abiguntur, quæ nisi statim excutiantur aculeum infigunt, & mortem adferunt, si eisdem assensum præbeamus permittamusque eas diu hærere. Valet etiam signum crucis ad abigendos Dæmones, quibus est infestissimum, ut asserit Cornelius Papa epist. ad Fabian. quæ est apud Eusebium lib. 6. histor. cap. 33. ubi ait: *Novatianum à Dæmone arreptum fuisse eò quia non recepisset in fronte signaculum Christi*, & Origenes in cap. 15. Exodi homil. 6. ait: Dæmones contremiscere quoties vident crucis signum fixum in aliquo ait ipse: *Timor, & tremor cadunt super Dæmones cum signum in vobis viderint crucis fideliter fixum.* Hinc D. Martinus apud Sulpitium ajebat: Ego signo crucis non clipeo, aut galea protectus hostium cuneos penetrabo securus, est enim signum crucis munimentum tutius quocunque clipeo ad retundendos lethales dæmonis ictus, est tegimen quacunque galea impenetrabilius ad declinanda hostium vulnera, hinc Athanasius lib. de Incarnat. Verbi ait: Signo crucis omnia magica compescuntur, & Tertullianus ajebat: *Christianos signando vel adjurando non solum Christianis, sed etiam Ethnicis persæpe prodesse*, est enim hoc signum crucis salutiferum, & ubicumque imprimitur aliquid semper adfert salutis, & prodest semper, obest nunquam, quod verò hoc signum præsertim dæmonibus timorem, ac terrorem incutiat, refert D. Gregorius lib. 3. dialog. cap. 7. ubi narrat de quodam Judæo, qui cum ingressus fuisset dirutum Apollinis templum, in quo erant Dæmones, cum sibi imminere periculum prævideret, se signo crucis munivit more Christiano, & liberatus fuit à periculo, & simul fuit fidem Catholicam professus, ait D. Gregorius: *Ut perditioni sua persensit instantes signo crucis more Christiano se munivit, & conclamantibus Dæmonibus va, va, va, vas vacuum est, sed signatum, liberatus est, unde fidem Catholicam mox professus est*; tale enim Judæus ille beneficium è signo crucis suscepit, ut non solum periculum perditionis evaserit; verùm etiam ad portum salutis fuerit perductus, & Nissænus in vita D. Gregorii Taumaturgi narrat de quodam Diacono beneficio signi crucis exivisse incolumem nocte ex balneis inter innumerabilia spectra, ex quibus balneis nemo unquam vivus exierat eorum, qui noctu fuerant ea ingressi, siquidem signo crucis, quo Diaconus se munivit, se præcipiti fugæ dederunt, & Diaconum incolumem munitum signo crucis reliquerunt.

Sanctus Athanasius itidem in vita S. Antonii, D. Hieronymus in *vita S. Pauli Eremitæ*, D. Gregorius

*lib. 3.*

*lib. 3. dialogor. cap. 7.* Theodoretus *lib. 5. histor. cap. 21.* plura congerunt miracula à Deo patrata per solum crucis signum, nil enim est validius nil efficacius ad Dæmones expellendos, cum enim hoc signum, crucis memoriam refricet illis crucis in qua Salvator mundi pretium sui sanguinis solvit divinæ justitiæ, ut à famulitio Dæmonum, & totius gehennæ redimeretur totum humanum genus, nil Dæmones habent, quod magis timeant, quàm signum crucis, est enim crux Christi ejusque signum veluti virga, quæ caput contrivit serpentis, quapropter Joan. Apocal. 7. dixit: *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum*; quia cum primum ponitur hoc signum, nullum est amplius nocumentum timendum, omne cessat periculum; Servos enim Dei signari in frontibus perinde est, ac muniri signo crucis, quod signum est molimen fortissimum, est protectio secura, & cuttum, quo retunduntur omnes dæmonum ictus coercentur eorum impetus, & infringuntur eorum vires. Narrat Bartholomæus Spinæus in suis quæstionibus de strigibus de quadam saga, quæ confessa fuit, se quadam nocte supra quinquagies domo exiisse, & ingressam vicini domum, ut puerum in cunis suffocaret, nunquam potuisse quidquam efficere, eò quia illum invenisse signo crucis præmunitum. D. Benedictus ut refert S. Gregorius lib. 2. dial. cap. 3. Solo crucis signo vos fregit, quod manu tenebat, ut illud exiccaret veneno infectum, & eodem signo eum confregit, & ipsum per signum crucis ab imminente illo fuit periculo liberatus. Imo etiam tempestates procellas & fulmina arcet, & compescit crucis signum narratur siquidem in vita B. Turibii Alphonsi Magro, Veji Archiepiscopi Limensis cap. 18. continuis sævisque tempestatibus, ac fulminibus homines plerumque ac jumenta interficientibus afflictam fuisse civitatem in Peruviano Regno, cui nomen erat Majobamba, cùmque visitationis causa illac transiret Beatus Turibius compatiens infelicitati illius populi duas jussit campanas benedici, ut quo tempore aër obnubilatus consuetas tonitruis, & fulminibus minaretur calamitates pulsaretur, & populus supplex preces Deo funderet, quidni imposterum ad pulsum æris illius campani benedicti statim cessarunt procellæ excussæ fuerunt nubes eliminata fulmina, quod prodigium nonnisi signo crucis æri campano benedicto per signum crucis tributum fuit. Hoc idem præstitit etiam Beatus Turibius in oppido S. Martini Charcarum apud Indos, qui etiamnum asserunt ad pulsum campanarum, quibus Beatus Archiepiscopus per benedictionem crucis signum impressit, semper fugari tempestates, arceri fulmina.

Plura, & mira sunt, quæ Dei omnipotentia operatur per signum crucis, quòd pluries visum fuisse in sublimi aëre ingenti luce coruscum splendere testantur sacræ historiæ; ait Surius die 7. Maji temporibus S. Cyrilli Episcopi Jerosolymitani, & Constantii Imperatoris Sanctis ipsis diebus Pentecostes nonis Maji circa tertiam diei horam ingentis magnitudinis crucem in aëre apparuisse ex pura luce compactam supra sanctissimum Golgatæ locum, cujus splendor protendebatur usque ad Sanctum montem Olivarum, nec crux hæc splendida uni tantùm vel alteri ex hominibus apparuit, sed ab universa urbis illius multitudine manifestissimè visa fuit per plures horas. Et Cedrenus narrat tertio Juliani Imperatoris anno Jerosolymis crucem lucidissimam apparuisse splendente etiam corona redimitam à Golgota usque ad montem oliveti pertingens, & addit, fuisse splendidiorem illa, quæ sub Constantino visa fuit. S. Gregorius Nazianzenus oratione 2. contra Julianum narrat apparuisse lucem in cœlo, quando Julianus Apostata Judæis potestatem dedit reædificandi templum Jerosolymitanum, & Cedrenus itidem in compendio historiæ refert anno secundo Imperii Constantini Copronymi crucem apparuisse admirabilem; & Alphonsius Ciaconius de signo crucis cap. 14. anno Christi 278. narrat sub Pontificatu Leonis IV. Papæ apparuisse signum flammeum Dominicæ crucis, & utrinque hastæ plures, quo tempore secuta fuit expeditio Caroli Magni in Agarenos occupantes Hispaniam; & cap. 5. refert anno Christo 819. quod cum Hungus anno sui principatus sexto contra Athelstanum Anglorum Regem dirum, ac periculosum prælium esset initurus, Sanctum Apostolum Andream, in cujus tutela erat Scotica gens crebris suspiriis, & lachrymis, ut sibi ac suis propitius esset in illo conflictu enixim rogabat; Et regi somno sopito apparuit Apostolus, dixitque ut in spem animum erigeret, ac in divino collocaret auxilio, & postero die de prostratis Anglis insignem esset victoriam assecutus. Id autem contigit mirum, quod supra Hungi Regis exercitum lucida apparuerit crux ei similis in qua Apostolus Andreas pro Christi nomine ultimo fuit supplicio affectus in Achaia. Quid ni contra Anglos pugnam inivit, & opem ferente Deo ad preces Apostoli Athelstanus Saxonum Occidentalium in Anglia Rex in eo conflictu occubuit, ejusque copiæ vel profligatæ & ad internecionem cæsæ, vel fugatæ omnes fuerunt. Parta hæc insigni victoria Hungus Rex nudatis pedibus una cum suis militibus in proximam sacram ædem concessit, gratias Deo omnipotenti acturus, & S. Andreæ Apostolo pro re prosperè peracta; & jussit Hungo Rex ut imposterum nonnisi signo crucis Sancti Andreæ ejus Successores bellum inituri cum hoste congrederentur, quo memores essent hujus insignis victoriæ signo crucis auspicatæ, & inde Scotis magnæ fuit signum crucis semper venerationi.

Spondanus refert anno 1517. numero 5. in festo Nativitatis Domini in Saxonia prope cœnobium Variense media nocte cœlo sereno crucem punicei coloris in cœlo apparuisse coruscam, quasi voluisset Deus mortales admonere Lutheranam hæresim proximo anno exorituram ex parte illa, & potiorem partem Germaniæ infecturam, ut nimirum constantes perseverarent in fide crucis, quam Lutherus deprimere, ac quasi delere adniteretur. Et historia Polonica Neugebaveri ingens refert prodigium contigisse anno 1545. sub finem Aprilis, nimirum summo mane circa horam octavam horrendum tonitru auditu fuisse, quo incolæ in stuporem dati postea tres rubeas cruces Orientem versus apparuisse, duas juxta se positas, tertiam subtus & in medio virum armatum cum gladio ignito districto, contra quem exercitus instructus peditatu, & equitatu progressus cum eo ad meridiem usque pugnavit, & eo vincente omnes disparuisse copias, & solum armatum inter cruces substitisse, ut victorem, & triumphatorem. A tergo autem immanem Draconem adortum fuisse victorem, & ipsum atque arma absorbuisse simùl & cruces evanuisse, & inde totum cœlum supra duas horas totum ignitum visum fuit, ac tandem densissimas tenebras incubuisse usque ad sequentis diei horam nonam antemeridianam; & tandem cœlo sereno tres irides amænissimas apparuisse quibus species Angelorum visæ sunt insedisse aspectu quidem jucundissimo, & ad extremum omnia disparuisse & aerem serenum, & tranquillum secutum fuisse.

Cranzius lib. 8. rerum Wandalicarum cap. 27. refert anno 1335. fuisse noctu prodigium visum su-

pra oppidum Prinslabiæ. Nocte siquidem intempesta D. Thomæ Apostoli visa fuit crux in sublimi aëre, quæ oppido immineret longitudine pedum 40. colore ceruleo ad Lasurium, & crux illa visa est portendisse illius populi tumultum non sine Sanguine fuisse. Bzovius anno 1212. numero 23. refert quadam die Dominica cum Abbas Bonevallis Ordinis Cisterciensis in Ecclesia Castri Sancti Marcelli, concionem haberet ad populum extra Ecclesiam, quæ totum populum capere non poterat ad finem concionis cum Abbas populum hortaretur ad suspiciendum contra Albigenses crucem statim ingens Crux in summo aëre apparuit, quæ versus Tolosam urbem visa est incedere. S. Cyrillus in vita S. Joannes Silentiarii refert quòd cum nocte intempesta Joannis preces ad Deum funderet impluvium aspexit cœlum viditque statim stellam præseferentem figuram crucis & ad ipsum properantem vocemque ex illa audivisse; si vis salvus esse sequere lucem; & ipse statim egressus & secutus Lucem illam venit in maximam lauram S. Patris Sabæ. Surius in vita S. Umberti Confessoris sexta Septembris refert beatum Umbertum Romam profecturum in itinere Angelo obviâsse, qui super verticem illius signum Dominicæ crucis expressit, & quia beatus Amandus vellet Umbertum invisere, adstitit ei Angelus, à quo monitus fuit Umbertus, ut ei signum crucis, quod in capite gestaret, ostenderet, quod signum cum vidisset Amandus obstupuit, & fusus in preces corruit ad genua ejus, & exosculetus est pedes ejus.

Quinimò non solum in aëre, verum & in vestibus prodigia crucis divinitus apparuerunt. Eusebius Cæsariensis *in histor. Eccles. lib.* 10. *cap.* 39. refert quo tempore à Juliano concessum fuit Judæis ut Jerosolymis templum reædificarent nullo modo fieri potuisse, ut ab iisdem lapides simul compingerentur, & ne id casu contingere videretur sequenti nocte in vestibus omnium signa crucis apparuerunt, adeo vestimentis hærentia, qui ea diluere vellent, nulla aqua vel alio liquore possent, nec ea abolere. Nicephorus *lib.* 10. *cap.* 2. ait, quòd cum Julianus Imperator in Gallias procederet, ubi in ejus Regionis montes pervenit post vindemiam vites gemmis & uvis germinasse, & rorem ex aëre in ipsum & ejus comites ita diffusum fuisse, ut quævis guttula crucis formam lucidissimam repræsentaret, & Cedrenus in compend. historiar. asserit imperante Constantino Copronymo Constantinopoli plurimas fuisse visas cruces non solum in hominum vestibus, verum etiam in Ecclesiæ supellectile quasi oleo exaratæ, & S. Prosper in prædict. *lib.* 3. *cap.* 34. ait: Nostris temporibus anno 406. apud Persas persecutionem factam novimus imperante Arcadio Religioso, & Christiano Principe. Qui ne traderet ad se confugientes Armenos, bellum cum Persis confecit; eo signo antequam potitus victoria jam ineuntibus prælium militibus cruces in aëre, & vestibus apparuerunt, quapropter etiam Victor auream monetam cum eodem crucis signo fieri præcepit. In annalibus Hungaricis anno Domini 646. legimus, cruces tam in vestibus, quàm in Sacris Ecclesiæ indumentis, velisque frequenter apparuisse. Et Marianus Scotus, cum Carolus Magnus Romam iterato proficisceretur, refert signa crucis itidem in hominum vestibus visa fuisse. Et Amianus Marcellinus anno 419. sub Theodosio Juniore post nonas Julii, cum apparuisset Christus super montem oliveti, & plures hinc inde accurrerent populi baptismum suscepturi, refert in tunicis baptizatorum crucem Salvatoris expressam refulsisse. Baronius itidem anno 954. ex Dithmaro lib. 2. Chronic. ait: Cruces in vestibus apparuisse, quod profuit illud venerantibus, & obfuit irridentibus.

Spondanus ad annum 1412. numero 8. ait: Sanctum Vincentium Ferrerium, cum Salmanticæ in Synagogam Judæorum Sabbatho ex improviso fuisset ingressus cum Christi crucifixi imagine, ostendisse Judæis Christum ab ipsis crucifixum, & tanta energia eos commovisse, ut meruerint à Deo illuminari, & ait: Statim cruces albas super virorum pallia & linteamina fœminarum apparuisse, quo miraculo commoti Judæi, quotquot aderant, baptismum petierunt, & Synagogam illam in Ecclesiam Sanctæ crucis commutârunt. Trithemius itidem narrat anno 1500. numero 10. pluribus in locis Germaniæ cruces in lineis vestimentis hominum, peplisque mulierum in mensalibus, ac linteaminibus apparuisse, & non solum iis, quæ iisdem erant in usu, sed etiam in aliis, quæ in cistis servabantur inclusa, imò & etiam in Sacris altarium linteaminibus, corporalibus, tobaliis, & aliis ecclesiæ & altari inservientibus, & asserit has cruces parvulas fuisse discolores, quæ non possent ulla lotione deleri, sed tantùm post diem nonum, aut decimum per se evanuerunt. Adhuc majora quæ Nauclerus refert anno proximo contigisse in diœcesi Leodiensi, & ait ab Episcopo supra hoc prodigium fuisse ad Maximilianum Imperatorem scriptas epistolas scilicet à festis paschalibus illius anni singulis ferme diebus diversis in locis publicè apparuisse, ac inopinatè in ecclesiis, vel in plateis, vel domibus, vel etiam cubiculis signum Dominicæ crucis perfectum simplex, vel duplex, aut cum minoribus ad latera crucibus in formam scrutarii typi, nigrum autem vel rubicundum, adeo ut in aliquibus videretur esse verus sanguis effusus, & ut plurimum apparuisse ex signo crucis super capita mulierum, & maxime puellarum in summitate pepli, & refert, quòd cùm mulier viginti duo annorum ejusmodi crucem in peplo suo animadvertisset sanguinolentam, inde perterritam, summa cum reverentia peplum illud loco mundo reposuisse, & aliud capiti imposuisse, in quo tamen alia similis crux statim apparuit, adeo ut intra spatium novem dierum mutatis tredecim peplis in singulis eorum idem contigerit, cumque aliquando nonnulli ea de re cum ipsa loquerentur, ait derepente in ejus mento visam fuisse crucem ad latitudinem unius digiti coloris, ac saporis mellis, cumque ad adstantium suasionem manum admovisset apparuisse etiam in manu similem crucem, & post duarum horarum lapsum utramque evanuisse.

Imò non solùm in vestibus sed etiam in humani corporis membris cruces & reliqua Dominicæ passionis instrumenta visa sunt apparuisse, Raderus de S. Constantino ex Judæo Christiano ait: Quòd cum superiori Monasterii vitæ suæ statum aperiret, jussit ille præferri crucem & ab eo solutari, & cum beatus iste pedibus oscula figeret tota fronte, & brachiis crux veneranda se se in Sanctum pueri verticem submittens crucis signum indelebile impressit, quod per totum vitæ decursum postea servavit. Gretserus *de cruce lib.* 5. *cap.* 13. refert aliquando nonnullis crucem fuisse divinitus impressam, & quidem constanter, & narrat in ædificatione templi Gazensis, quod in crucis figuram quatrifidum extruebatur, tres pueri in puteum, qui in sacro aderat ambitu ceciderunt: è quo miraculo fuisse servatos narrat Marcus Gazensis Diaconus subdens: Inventi sunt tres pueri habentes signa crucis tanquam infixa unum in media fronte, aliud in summa dextræ manus circa digitos, & tertium signum in humero dextero, & erant cruces perfectè delineatæ neque obliquæ, neque incur-

incurvæ, sed unius mensuræ, ut exploratum esset eas divina fuisse signa, neque ullum ipsis afferebant dolorem, neque sanguinem elicuerunt, sed impressæ veluti ex cinabari. Raynaldus anno 1250. refert in dextero humero nati pueri, quæ Cæsar Augustæ à Judæis in odium fidei martyrio occisus fuit, crux impressa apparuit, coronæ vero figura in capite, quæ prodigio voluit portendere Deus Martyri illud gloriosum genus mortis. Surius nono Februarii in vita Sancti Ansberti Episcopi Rotomagensis, ait, quod post ejus mortem inventum fuerit in Brachiis ejus signum dominicæ crucis rosei coloris gerens similitudinem, ut patenter cunctis daretur intelligi, quòd cujus arma vicens portaverat in corde ejus stigmata defuncti apparerent in corpore. Mirum etiam est, quòd legitur in vita Beatæ Claræ de monte Falco, exsecto siquidem ejus pectore in dexteræ parte cordis Christi imago in cruce penduli magnitudine pollicis brachiis paululum sublevatis, colloque reclinato aspiciebatur latus liquidum, & saucium erat plurimo cruore madidum parte leva sindon Sanguineis gutulis videbatur aspersa, & corona spinea ex nervis spinosis contexta. Rursus ex tribus nerviculis tres clavi ex alio lancea tendebatur. flagella verò ex quinque flexis nervis erant retincta, pluribusque nodulis aspera, quin & columna erecta funiculisque circumdata, & in felle tres pillulæ æqualis ponderis, & magnitudinis repertæ sunt, quæ sivè divisim, sive simul sumptæ in bilance librarentur non minus gravitabat una quàm omnes simul, nec magis omnes simul, quàm una seorsim adeo ut una æquaretur tribus, & tres in pondere non possent unam excedere. In vita quoque S. Catharinæ Senensis habetur, quòd cum Bisis immoraretur die dominico post sumptam sacram Synaxim seu cibo Eucharistico refecta in extasim raperetur, viderit Dominum Crucifixum ingenti cum splendore advenientem & ex ejus vulnerum cicatricibus quinq; radios ad quinque loca sui corporis descendentes, & animadvertens mysterium Deum deprecata est, ne cicatrices apparerent, & derepente radii colorem sanguineum mutarunt in splendidum & in formam puræ lucis pervenerunt ad manus, & cur, & tam ingens fuit dolor, quem sensibiliter potiebatur, ut nisi Deus eum minuisset brevi se crederet morituram.

Quod verò ad crucem attinet permanentem; illa dicitur crux permanens, quæ compacta ex aliqua persistente materia ut ex ligno, lapide metallo, auro, argento, vel etiam ex pluribus gemmis permanet unà cum eadem materia; imò tandiu perseverat, quamdiu materia perdurat. Moris fuit in primitiva ecclesia, ut crucis effigiei adderetur columba, quæ expansis alis crucis immineret summitati, essetque symbolum Spiritus Sancti, ut fuit crux reperta in civitate Meliapori nuncupata S. Thomæ, eò quia D. Thomas Apostolus in eadem interfectus fuerit, & sanguine ejusdem Apostoli conspersa ruberet; & fertum quotannis ostiduo ante Natalitium Domini, cum evangelium in ecclesia incharetur in subnigrur fuisse colorem versam, deinde in Cœruleum; & ex ipsa liquorem emanâsse splendidum ut narrant Baronius anno 51. ubi Spondanus num. 34. Osorius lib. 3. de rebus Regis Emanuelis. Quia verò sub illis nascentis ecclesiæ initiis supplicium crucis frequens erat; quo rei, & fures, aliique viri nequam ultimo punirentur supplicio, Christiani nonnisi cum circumspectione imaginem Christi patientis cruci addebant, ne aspicientibus Ethnicis esset horrori: imò Christiani ut gentiles, crucis effigiem non horrerent, sed potius ab ejus aspectu aliquid sumerent illicii, sibique de tali effigie umplacerent, consueverant eam gemmarum varico genere ornare, ad quem ornatum videtur allusisse ecclesia cum cecinit *o crux splendidior, cunctis astris*. Loco tamen effigiei Christi apponere consueverant, in imo crucis Christi symbolum seu imaginem agni è cujus pectore sanguis effluerent in subjectum calicem; ex cujus quatuor pedibus rivuli effluerent sanguinis, ut opere mussivo in abride antiquæ vaticanæ Basilicæ omnium subjiciebatur oculis: hac industria Apostolica, & primi in ecclesiis fideles ab horrore crucis Judæos, & Gentiles arcebant; cum enim multi erubescerent Christum Crucifixum adorare, ut Deum; ait enim Apostolus 1. Corint. 1. *Nos quidem prædicamus Christum cruci affixum Judæis scandalum, Gentibus autem stultitiam*. Unde loco Christi cruci affixi conspreverant apponere in Symbolum agnum, qualem descripsimus, ut referunt Nicephorus, Sozomenus, Cassiodorus. Cardinalis Baronius anno 1099. & ibi Spondanus numero 7. hoc idem etiam indicavit S. Paulinus Nolanus epist. 12. quam direxit ad Sulpitium Severum, ubi ait: *sub cruce sanguinea niveo stat Christus in agno*. Fuit autem hic agnus de quo prædixerat Isaias cap. 53. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi innocens coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum*, & de eodem agno fuit locutus Præcursor Joannes Baptista, cum dixit: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi, & ad eandem imaginem crucis, agnique ex cujus latere sanguis in calicem effluerent, alludens Innocentius III. lib. 4. de mysteriis missiæ cap. 44. ait: *Non solum lavit nos Christus à peccatis nostris in sanguine suo, quando suum sanguinem fudit in crucis patibulo, sed etiam quotidie nos lavat à peccatis nostris in sanguine suo, quando ejus sanguinem accipimus poculo.* Neque mirum in cabicis si sub illis Ecclesiæ initiis Apostoli & primi fideles, adeo circumspectè processerint circa ritus directè non repugnantes christianæ religioni: si quidem Judæi, & Ethnici erant blande trahendi & suaviter alliciendi ad rerum cultum Christi cruci affixi ab initio potest in fidelibus aliquid indulgeri, quod progressu temporis postea aboletur, hinc Gregorius Magnus lib. 9. regist. epist. 71. quam dirigit Mellito Abbati. *Nam duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esse non dubium est: quia is. qui locum summum ascendere nititur gradibus, vel passibus, non autem saltibus elevatur. Sic Israelitico populo in Ægypto Dominus equidem innotuit: sed tamen eis sacrificiorum usus, quos diabolo solebat exhibere in cultu proprio servavit: ut eis in Sacrificio suo animalia immolari præciperet, &c.*

Hinc conjicimus primos in ecclesia fideles indulsisse Judæis, & gentilibus aliquos ex priscis suis ritibus, ut facilius ad verum cultum Dei traherentur: & hæc consuetudo supponendi cruci agnum ex cujus pectore sanguis in calicem flueret, perseveravit in Ecclesia usque adannum 680. donec sub Papa Agathone, & Coustantino pogonato Imperatore in sexta Synodo Constantinopolitana cnon, 82. statutum fuit, ut loco figuræ agni pingeretur in cruce Christus in figura humana, quod etiam confirmavit Adrianus Papa *in decreto de consecrat, dist. 3. can. Sextam Sanctam*. Alia itidem crux singularis gemmarum multiplici genere ornata & splendida pluribusque mysteriis oppleta opere musivo expressa repræsentabatur in abside Lateranensis Basilicæ, quam licet Nicolaus IV. Romanus Pontifex restaurasset, jusserat tamen aliam omnino similem in eodem situ & loco opere itidem musivo repræsentari,

tari in abſide Lateranenſis Baſilicæ, quam licet Nicolaus IV. Romanus Pontifex reſtauraſſet, juſſerat tamen aliam omnino ſimilem in eodem ſitu, & loco opere itidem muſivo repræſentari, in cujus faſtigio etiam noſtris temporibus columba ſuſpicitur alis expanſis formans & ipſa ſignum crucis, ut per columbam ſignificaretur Spiritus Sanctus, qui ſicut ſub ſpecie columbæ ſuper Chriſtum apparuit rectè per columbam Spiritum Sanctum ſymbolicè repræſentamus, aderant etiam plures agni ebibentes aquam è ſacro fonte ſcaturientem, ut etiam cervi, quibus denotarentur credentes ex gentilitate, qui per virtutem Sanctæ crucis non ſolum aqua baptiſmi aſpergerentur, verum etiam aquis verbis Dei, ſeu divinæ Doctrinæ ab indololatriæ peccato mundarentur, ut explicat D. Hieronymus in Ezechielem cap. 63. inquiens: *Tunc omnis gentilium turba cognoſcet, quòd ego eam tollam de terris, in quos diſperſierant, & reducam in terram eccleſia, & effundam ſuper illos aquas doctrinæ & ſermonis Dei; & mundabo illos ab omnibus inquinamentis ſuis, & ab univerſis idolis, atque erroribus, quos in ſuo corde ſimulaverunt.* Per agnos verò bibentes aquas effluentes ac diviſas in quatuor flumina quæ è fonte ſanctiſſimæ crucis emanare ſuſpiciebantur ſignificarentur fideles innocentes, qui ex hac aqua bibunt ut immaculati à peccatis ſerventur, quod Chriſtus ad ſuam eccleſiam in perſona Sponſi indicavit in Cant. cap. 4. & 6. inquiens: *Dentes tui ſicut greges ovium, quæ aſcenderunt de lavacro: omnes gemellis fœtibus & ſterilis non eſt in eis,* ad quod alludens Auguſtinus de doctrina Chriſtiana lib. 21. cap. 6. & in Pſal. 94. ait: *Intueor in his verbis Sanctos cum eos quaſi dentes eccleſiæ video prætidere ab erroribus homines atque in ejus corpus emollita duritie quaſi demerſos manſosque transferre. Oves etiam jucundiſſimè agnoſco detonſas oneribus ſæcularibus tanquam velleribus depoſitis & aſcendentes de lavacro id eſt de baptiſmate creare omnes geminos id eſt duo præcepta dilectionis, & nullam eſſe ab iſto Sancto fructu ſterilem eſſe video.*

Moris etiam fuit, quo cruces conſueverint etiam coronare, & non minus venerandæ ac myſticæ erant. Romæ in abſide Muſiva in eccleſia S. Clementis in monte Cœlio Nicolao I. ſedente crux fuit coronata extracta in cujus ſupremo faſtigio veluti in capite imò & aliis extremitatibus, ac partibus plures extabant coronæ quæ myſticè denotarent quod quamvis ardua & difficilis ſit ipſa crux, quam fideles, & electi in mundo viventes ſufferunt, eò ſublimiores ſunt coronæ in cœleſti patria, quibus erunt donandi, ſi legitimè in hujus vitæ agone decertaverint hinc Baſilius homil. 40. ait: *In Eccleſia ad ſpectandum me allicitunt picturæ flores; contemptor fortitudinem Martyris, coronarum præmia conſidero; & tanquam igne incendor æmulandi cupiditate, atque proſtratus & ſupplex per Martyrem Deum adoro ſalutemque percipio.* Plerumque ad uberiorem crucis ornatum conſuetudo etiam inolevit, ut præter ſplendores gemmarum, & coronas etiam columbæ pingerentur, & quidem duodecim ut denotarent numerum Apoſtolorum, quibus præceperat Chriſtus Matth. 10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ:* quæ verba intelligenda eſſe de Chriſti fidelibus aſſerit D. Ambroſius de fide lib. 3. cap. 7. inquiens: *præmittitur aſtutia, ſi ſit tuta ſimplicitas: ſunt enim ſerpentes Evangelici, qui exuunt veterem uſum, ut induant novos mores: ſicut ſcriptum eſt expoliantes veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum: ſecundùm imaginem ejus; qui creavit eum. Diſcamus ergo depoſitis vetuſti hominis exuviis evangelicorum ſerpentium vias, ut more ſerpentium ſervare caput, & fraudem cavere noverimus,* non enim ſufficit ſola ſimplicitas quæ neſciat rectum diſtinguere ab aliquo, ſed etiam prudentia ſerpentis qua caput, ſeu veritatem fidei conſervet.

Crucis Hieroglyphicum habebatur etiam avis illa cujus capiti crux immineret, quam Græci nocticoracem, & Latini Bubonem vocant, ut exprimitur in Obeliſco Lateranenſi, quia ſicut hoc animal ab hominibus imò ab ipſis aliis aviculis deluditur, ita Chriſtus etiam Rex noſter etiam à Gentibus, & Judæis deriſus fuit, quapropter ait ipſe per ſuum Prophetam Pſal. 21. *Ego autem ſum vermis, & non homo opprobrium hominum, & abjectio plebis,* in Pſal. 101. ait: *Factus ſum ſicut nicticorax in domicilio,* adeo ut gentibus, & Judæis crux eſſet horrori.

D. Paulus anno Chriſti 60. agens Romæ ſecundum annum catenis vinctum ſcripſit epiſtolam ad Philippenſes, quos hortatur, ut ſibi caveant ab Hæreticis, & omnibus illis, qui inimici ſunt crucis Chriſti, eò quia ex recens converſis ad fidem, ut notat Spondanus non defuerunt, qui aſſererent Chriſtum vere crucifixum non fuiſſe, ſed ſolum ejus imaginem viſam eſſe pati ipſam verò perſonam Chriſti, & humanitatem ſe ſubtraxiſſe à tali ſupplicio, hujus hæreſis primus Author fuit Simon Magus, qui error in fide fuit infeliciter propagatus in ejus diſcipulos, ut refert Irenæus lib. 1. cap. 20. & Epiphanius hæreſ. 21. Cerinthus itidem ſeparavit Jeſum à Chriſto, & docuit Jeſum fuiſſe paſſum, ac reſurrexiſſe, non verò Chriſtum, qui hic perſeveravit impaſſibilis, & tempore paſſionis à Jeſu diſceſſiſſe & Beatam Virginem aſſerebat fuiſſe quidem matrem Jeſu, non verò Matrem Chriſti, quod innuit Paulus V. ad Philipp. *Videte conciſionem ſcilicet eos cavete, qui Jeſum à Chriſto dividunt.* Imò & Baſilides ajebat: Jeſum ſe transformâſſe in Simonem Cirenæum, quos omnes Paulus Apoſtolus ait eſſe declinandos & S. Ignatius ſcribens poſt annos 40. ad eoſdem Philippenſes hos vult monitos, ut omnes illos caverent, ac fugerent qui crucem Chriſti negarent, ait ipſe: *Princeps hujus mundi gaudet, cum quis crucem negaverit; cognoſcit enim crucis confeſſionem ſuum ipſius eſſe exitium. Id enim tropheum eſt contra poteſtatem ejus, quod videns expaveſcit, & audiens timet:* & nonnullis interiectis ſubdit: *Idcirco & in quibuſdam ut crucem negent facit ut paſſionem erubeſcant mortem opinionem vocent, nativitatem, & ortum ex Virgine circumcidant.* Hæc hæreſis non tantùm per Judæam, ſed etiam per Græciam, & Aſiam porpagata fuit, quæ cauſa Paulo Apoſtolo extitit, ut ad Corinthios, & Philippenſes, aliòsque ſcribens vel maximè extolleret Chriſti crucem, ac ſe gloriaretur nihil ſcire quàm Chriſtum crucifixum, quapropter ut hanc hæreſim eccleſia aboleret, totaliter eradicaret, & crucem exaltaret, hortati fuerunt Catholici ut non tantùm verbis Chriſti crucem ejùsque imitationem in vitæ auſteritate profiterentur, verum etiam dictis, & factis & inde initium ductum fuit, ut ab Apoſtolis, aliiſque primis fidelibus cruces ex ligno compactæ ubique erigerentur in titulum ut fideles eas venerarentur, ac debito cultu proſequerentur, & diabolum exhorreſcerent, hinc ſcribit S. Ignatius in præfat. epiſt. ad Philipp. *Tropheum erectum contra ipſius potentiam, quod ubi viderit, horret,* moris itidem

dem fuit, quo in locis divino cultui mancipatis cruces ligneæ sublimes erigerentur in titulum, & inde ex Apostolica traditione in ecclesiam derivata Christiani non solum se ipsos, sed & sua cuncta, neque in sacris duntaxat, sed in quibuscunque rebus quibus benedicerent, & in omnibus suis actionibus crucis signo manuducto notarent, & hoc salutifero signo præsertim ad pellendos dæmones uterentur, imò & domus ac cubicula Christianorum depictis ornarentur crucibus ut testatur S. Nilus epist. ad Olympiodorum Proconsulem. Ruffinus itidem in expositione symboli cum illud recitarent fideles in verbis illis postremis carnis resurrectionem consuevisse frontem crucis signo munire; idque in memoriam crucifixi, & in cultum Christianæ religionis, ac symbolum gratitudinis erga humani generis Redemtorem hinc Hieronymus epist. ad Lætam ait: *Vexilla militum crucis insignia sunt, Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas patibuli salutaris figura condecorat*, & D. Augustinus in Psal. 36. *Crux à locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum mandatur legibus Imperatoriis, ut crux feratur in supplicationibus, & deinde in loco honesto reponatur.*

Joannes Chrysostomus ait: Mortis fuisse ut in supplicationibus argenteæ cruces una cum ardentibus facibus præferri juberentur, cujus moris etiam meminerunt Socrates, & Sozomenus lib. 6. cap. 8. & Constantinus Imperator de victo Maxentio Romæ crucem erexit in loco celeberrimo cui addidit verba illa *hoc salutare signum*, & rursus in dextera manu suæ statuæ jussit crucem apponi cum his aliis verbis, *hoc uno vere fortitudinis signo urbem vestram liberavi* & decreto cavit ne deinceps ulli facinorosi cruci affigerentur ne amplius esset horrori, sed amori, ac venerationi ut scribit Sozomenus lib. 1. cap. 8. unde Magnus Constantinus Augustus ex veteri usu transtulit signum crucis in proprios etiam numos in galeam, & laborum ad abrogandam infamiam crucis, eò quia ultimo supplicio consueverint in ipsa puniri delinquentes, & tunc tropheum crucis cæpit ubique erigi ac in veneratione haberi excusso ejus horrore crux enim quæ antea fuerat ignominiæ nota postea assumpta fuit in ornamenta vel pectoris, vel capitis, vel diadematum imperantium, plures enim ordines equestres fuerunt à Principibus Christianis instituti, quibus ad indicandum quòd nihil magis haberent cordi quàm crucem Christi Domini nostri quam in pectore deferre gloriantur, vel gemmis illumimatam vel pretioso metallo nobilitatam, & varias cæperunt crucis formas inducere, quibus ordines equestres inter se discernerentur.

# CAP. II.

## De Crucis Veneratione.

Cum in præcedentibus ostenderimus usum formandi signum crucis derivatum fuisse in Ecclesiam ab ipsis Apostolis, sitque propterea hujus signi usus traditio Apostolica, superest, de crucis veneratione, & causa sermonem instituere, & unde suam traxerit originem, quod Christiani flectere genu, & adorare crucem vel quamlibet imaginem crucifixi consueverint, etenim si de vera cruce, in qua Christus pretium redemptionis nostræ in suo sanguine solvit, certum est hanc crucem ab Ecclesia inter Sanctiores fuisse semper reliquias habitam, tametsi in minutissimas fuerit partes divisa, eò quia pretioso sanguine, & Christi contactu consecrata fuerit, consequenter nulli dubium quin sit digna summa veneratione, & culta cum Apostolus ad Philippenses 2. scripserit: *Humiliavit semetipsum usque ad mortem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum.* Quamobrem instrumentum exaltationis Christi debet ab hominibus Sacrum haberi, & in summa veneratione hoc enim instrumento diabolus prostratus fuit, ac victus & fidelibus adaperta janua Regni cœlorum. Hinc D. Paulus ad Colos. 2. *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis tulit de medio affigens illud cruci expolians principatus, & potestates*, & ad Colos. 1. ait: *Pacificans per signum crucis ejus*, hoc est per sanguinem illius in cruce fusum, quasi in altari, imò fuit crux Christo scala ascendendi in cælum Joan. 10. *Si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me* imò non solùm Christo, verùm etiam omnibus fidelibus est scala per quem in cælum ascendunt accepturi coronam Gloriæ si legitimà in agone mortalis vitæ certaverit, & voluit Christus suo exemplo hanc nobis scalam designare Act. 7. *Deus qui renunciavit per os Prophetarum suorum pati Christum suum implevit*, & Joan 10. *Ego pono animam meam* scilicet in cruce, quam nemo tollit à me cum igitur fuerit crux sanctificata per physicum contactum à Christo; qui in cruce voluit pretium nostræ redemtionis solvere per fusionem sui sanguinis, quo crux ipsa maduit ac pretium & ipse suscepit omni pretio pretiosiore.

Ideo Gregorius Magnus instituit ejus solemnem adorationem in parascere, quæque fit in missa, in qua cantatur: *Ecce lignum* crucis à sacerdote Casulam deposita, & crucem velo nigno obvolutam paulatim discoo, petinte & cui à choro respondetur *venite adoremus*, id non potuit intelligi contigisse nisi circa annum Christi. 596. vel 592. & ea ratione voluit Gregorius Papa hunc ritum in ecclesia instituere, ut Christi fideles Christo pro nobis passo, irriso, verberibus conciso, spinea corona transfixo, & in cruce ultimo supplicio affecto compateremur, & honorem pro opprobriis, cultum pro irrisionibus venerationem, pro contumetiis susceptis rependeremus, & quidem corporis prostratione mentis demissione, pedum nudatione ad majorem reverentiam eò quia locus in quo Christus appatet, in quo repræsentatur, & lignum in quo pendere figuratur locus sanctus est, ac solutione calceamentorum venerandus, idque causæ cur in ecclesia crux fuerit semper iu honore habita, & in veneratione apud Christi fideles, qui ut ait Ruffinus lib. II. cap. 19. Alexandriæ in postibus, in fenestris in parietibus, in ingressibus, & in columnis cultus, & venerationis causa pingere consueverant.

Quin imò in secunda Synodo Ephesina actione 4. statutum fuit, ut, in communi domo in qua multa fuerint habitaucla adesset in singulis habitaculis veneranda crucis imago. Quanta sit crux veneratione habenda ex eo infert D. Augustinus quia Reges ipsam Christi crucem in fronte satagunt portare, ut præsidium & decus animæ, & corporis; ait ipse in Psal. I. 33. *Ipsi Reges signum crucis Christi in fronte jam portant pretiosius signum, quàm qualibet alia diadematis signa.* Nobilius enim Regum capita crux fronti impressa coronat, quam quolibet diadema multiplici ad gemmarum genere illuminatum, nec potest non esse summæ venerationi quæ Regum capitibus est crux, præsidio & summo ornatu. Et Dominus Hieronymus epist. ad lætam scribit: *Vexilla militum crucis insignia sunt: Regum purpuras atque ardentes diadematum coronas patibuli Salvatoris pictura condecorat:*

pro-

Proinde Alcuinus lib. 18. de divinis officiis ait: In die parasceves in omnibus Ecclesiis crucem præparari ante altare, & adoratam deosculari, ad quam adoraturi accedunt Pontifex Presbyteri, Diaconi, & re i quus populus & Chrysostomus *homil. 55. in Matth.* suadet Populis ut in penetralibus, in parietibus, in fenestris in fronte pectore, & corde crucem inseramus, quam mente humiliter veneremur & D. Ambrosius ferm. 55. perinde esse crucem erectam in Ecclesia, ac malum in navi siquidem crux inter sæculi naufragia servatur incolumis nosque trajicentes mare procellosum hujus sæculi ad portum perducit æternæ quietis: & quemadmodum navis absque malo nequit marinos fluctus trajicere, ita neque Ecclesia sine cruce stare potest ut notavit S. Maximus serm. 53. hinc mos fuit, ut sub nascentis ecclesiæ exordiis fideles genu flexo crucem colerent, cujus signaculo frontem pectusque muniverunt, unde Ambrosius serm. 44. *surgentes debemus Deo gratias agere, & omne diei opus in signo peragere Salvatoris*, seu in signo crucis. Et Cyrillus cateches. 4. & 13. ait: *Facautem hoc signum & manducans, & bibens, & stans, & sedens, & loquens, & ambulans, & in omni negotio tuo*; & infra subjungit: *In fronte videntes signaculum crucis digitis imprimatur, & in aliis omnibus crux fiat, in panibus comedendis, in poculis bibendis in ingressu, & egressum ante somnum recumbendo, & resurgendo, eundo, & quiescendo: magna hæc est custodia.* Et Hieronymus epist. 22. ad Eustochium ait: Ad omnem actum, ad *omnem incessum manus pingat crucem.* Et Tertullianus de corona milit. cap. 3. *Ad vestitum, ad calceatum ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia quacunque nos conversatio exercet; frontem crucis signaculo terimus.* Quòd si signum crucis in præsidium accersitur omnium nostrarum actionum fas est illud in summa habeamus veneratione præsertim cum, ut ait D. Hieronymus de nativitate: *Hoc signum Diabolus contremiscat, qui aurea non timet capitolia, qui sceptra contemnit regalia, Cæsarum purpuras & crucem timet*, & Origenes homil. 6. in cap. 9. Exodi ait: *Quid timent dæmones, quid tremunt sine dubio crucem Christi*, Et Gregorius Magnus lib. 3. dialog. cap. 7. de quodam Judæo, qui ex tractu Campaniæ Romam revertebatur refert, quod cum per Fundanum territorium transisset, declinante sole ad occasum, & hospitium, in quo posset pernoctare non inveniret, detinuit se. in quodam templo Apollinis, qui tamen loci illius minus tutum hospitium pertimescens, tametsi fidem in crucem non haberet, signo tamen se crucis, ut Christiani solent, munire, curavit nocte autem intempesta ipse solitudinis turbatus pavore pervigil jacebat, & de repente horrendam turbam vidit malignorum Spirituum se flectentium in obsequium cujusdam, qui cæteris præerat, dumque eidem singulorum Spirituum sibi obsequentium acta discussisset, quatenus quisque quantum nequitiæ gessisset, inveniret, & cum singuli quid operati fuissent contra singulos aperirent, unus præ cæteris in medium prosiliit, qui in Andreæ Episcopi Fundani animum, per speciem cujusdam fœminæ, quæ in ædibus Episcopalibus habitabat, quantam carnis tentationem commovisset exposuit: tunc malignus qui præ erat Spiritus, subdidit: tantum sibi factum lucrum grande, quantum Sanctioris viri animum ad lapsum perditionis inclinasset. Cumque Judæus pervigil hæc omnia aspiceret, & ingentis formidinis palpitaret anxietate, ab eodem Spiritu, qui reliquis præerat jussi fuerunt reliqui, ut perquirerent quisnam esset, qui jacere in eodem templo præsumpsisset; quem tamen cum maligni Spiritus attentè fuissent intuiti, & deprehendissent crucis signo notatum mirantes dixerunt, *væ, væ vas vacuum, & signatum*, quibus verbis prolatis cuncta malignorum Spirituum turba statim disparuit. Judæus verò, qui hæc viderat, cum postero die ad Episcopum Fundanum pervenisset totum, quod antea acta nocte ei contigerat, sincere aperuit: quod agnoscens Episcopus in humum statim se prostravit fusurus Deo preces, & debitas ei rependit gratias, quod non fuerit lapsus tot tentationibus pulsatus, & statim de ædibus suis fœminam exclusit, & Judæus lustrali aqua baptismi aspersus sub vexillo Sanctæ crucis una cum Christianis militare contra tartareos hostes, & veræ Christi fidei immorari, & mori sibi proposuit, hæc fusius narrat S. Gregorius Papa *lib. 3. dialog. cap. 7.*

Objiciunt tamen Hæretici: quod Ecclesia mentiatur in die parasceve cum lignum crucis discooperit populo dicens: *Ecce lignum crucis*, siquidem est longe alia crux, quæ populo tunc ostenditur, & nullo modo fit lignum crucis, in quo Christus pependit, plerumque enim; est crux argentea vel si lignea ex alio longe diverso abeo, in quo Christus mori voluit. Sed contra respondetur, Ecclesiam non intendere tunc ostendere populo illud idem numero lignum, in quo Christus pependit, sed tantùm quid aliud illud repræsentans sive sit crux argentea, aurea, vel lignea, potest enim per quamlibet materiam repræsentari crux Christi, & dici per metonymiam, quod sit Christi crux, hac est repræsentativè. Sufficit enim Christianis scire sinceram ecclesiæ intentionem, qua in similibus fertur ad Dei, & Christi venerationem.

Improperant etiam Hæretici Catholicis, quod rem inanimatam, aridam, & mortuam alloquantur, quæ nec aures habet, ut audiat, neque ullam opem nobis potest præstare, ut cùm dicimus O crux ave spes unica, auge piis justitiam. Sed contra quis cum Catholicis crucem alloquuntur, non intelligunt purum, & simplex lignum alloqui, sed Christum ipsum, qui in cruce pretium sanguinis sui fudit pro redemtione humani generis; Ecclesia enim se accommodat humano loquendi modo, quo homines plerumque per figuram prosopopœie res mortuas inanimatas inducunt loquentes, quæ figura solet etiam in sacris usurpari scripturis, quo pacto Deuter. 31. Moyses invitat ad audienda sua verba cœlum, & terram, & D. Andreas e loco adhuc dissito videns crucem, fuit illam allocutus *Salve crux pretiosa*, neque crucis adoratio est quid recens inventum, sed quid usurpatum à primitiva Ecclesia, in quam cultus crucis derivatus fuit ex Apostolica traditione; hinc errant Magdeburgenses asserentes Centur. 7. cap. 6. Adorationem & exosculationem crucis incepisse sub Pontificatu Sergii, qui sedit anno 687. siquidem adorationis & exosculationis crucis meminit Evagrius lib. 4. cap. 26. qui scripsit centum annis antequam sederet Sergius; & Dominus Hieronymus in epistola ad Marcellam meminit hujus adorationis & cultus crucis, quæ migravit ex hac vita ad æternam, anno Christi 420. Quamobrem adoratio, & cultus crucis cæpit tempore Apostolorum à quibus traditus fuit Ecclesiæ, quæ donec perseveraret hunc cultum Sanctæ cruci repræsentanti crucem illam, in qua Christus pretium solvit sui sanguinis pro redimendo humano genere, exhiberet.

Quòd verò hic cultus vanus non sit, sed Deo placeat ex multiplici potest ratione ostendi primò quia plura miracula satis evidenter convincunt cultum, quem cruci exhibemus, non esse vanum, sed Deo placere siqui-

siquidem pluries in mare cum ponderibus adnexis demergi non potuit, neque in fornacem injectum flammis absumi. Quòd enim infideles conati fuerint plures crucem abolere, ejusque vestigia prorsus delere, præsertim cum Sacrosanctum crucis lignum in profundissima scrobe sepelire conati, & Jerosolyma capta, & incensa flamis absumere à Tito anno 39. à morte Christi nihil tamē damni passa tunc fuit Christi crux, & cum post integrum propemodum sæculum ab exteris hominibus tractus ille habitaretur, & Adrianus Imperator juberet de suo nomine urbem condere, quam Adria vocaret, & Jovi ædem ex parte adversa templi in odium Judæorum ædificaret in monte Sion, de quo indignati Judæi bellum excitarunt, in quo ut refert Eusebius lib. 4. histor. cap. 6. à Rufo Judæo Præfecto debellati fuerunt quotquot ex parte Imperatoris conflixêre, & quamvis postea Romani in odium Christianorum, & crucis contemptum statuam marmoream Veneris posuerint in monte Calvariæ in eodem loco, ubi crux Christi infixa fuerat, ut ibi Venus à populis veneraretur, & ab Adriani temporibus usque ad imperium Constantini anni fluxerint circiter centum, & octuaginta, quo tempore simulacrum Jovis in loco resurrectionis Christi, & in loco nativitatis simulacrum Adonidis perseveraverint, ut refert Hieronymus in epist. ad Paulin. fuerintque propterea loca illa per bina ferme sæcula profanata, & crux Christi prorsus ignota adhuc tamen indemnis adinventa fuit ex singulari Dei favore ad solatium fidelium ad munimen, & præsidium Christianorum, quod enim eo tempore Deus permiserit crucem inveniri, quo tute posset à fidelibus coli, & sub initium imperii Constantini baptismi lavacro recens abstersi anno scilicet Christi 326. Imperii Constantini 22. Sylvestri Papæ 13. & Macharii Episcopi Jerosolymitani. 14. Si enim adinventa fuisset regnantibus Jerosolymæ Ecclesiæ persecutoribus ludibrio potiùs & contemtui habita fuisset, quàm honore, & veneratione, cultuque excepta: sin verò dici post Imperium Constantini adinventa fuisset, ut quæ etiam destituta debito ipsi cultu, honore, & veneratione, unde divina providentia contigit, ut crux Christi eo tempore inveniretur, quo absque contemptus periculo posset à fidelibus coli, ac venerari.

Quòd verò crux tunc inventa tempore Constantini fuerit vera Christi crux in qua mori voluit ut nobis vitam impertiretur evidentissima comprobârunt miracula, primò quià inventio crucis revelatio fuit Dei, ut notant Socrates *lib. 1. cap.* 13. Theodoretus *lib. 1. cap.* 18. Sozomenus *lib. 2. cap.* 1. Nicephorus *lib. 8. cap.* 29. Rufinus *lib. 10. historiar. cap.* 8. Secundò quia Helena quamvis senio prægravata divino instinctu Jerosolymam profecta fuit, & loca illa sacra ex devotione invisens divinitus inspirata fuit ut lignum S. crucis requireret, ad hunc finem refert Paulinus piam fæminam Judæorum peritissimos Rabinos consuluisse de loco, ubi crux haberi posset, cui Rabini traditionem suam aperuerunt, cumque de loco constaret, ubi Dominus omnium sepultus fuisset, decretum Imperatoris emanavit, ut ab eodem terra effoderetur, & defossa humo tres fuerunt adinventæ cruces, cumque Helena anceps hæreret, quænam esset, in qua Christus mori voluerit, D. Ambrosius orat. in funere Theodosii refert Helenam ex titulo cruci Christi à Pilato affixo veram agnovisse Christi crucem: verum dissentiunt alii antiqui scriptores præsertim Paulinus Episcopus Nolanus epistol. ad Sulpitium, & Sæverus histor. 2. qui testantur crucem Christi innotuisse ex resurrectione extincti cadaveris eidem admoti, cumque immotum mansisset ad physicum contactum crucium utriusque latronis, cum primum cruce Christi tangi cæpit reviviscere cadaver illud, moveri & surgere. Rufinus autem, & alii censent non fuisse cadaver revocatum ad vitam, sed nobilem fæminam agentem animam ad contactum veræ crucis Christi prastinæ restitutam sanitati, ut ipse refert *lib. 1. cap. 7. & 8.* Cui adhærent Theodoretus *lib. 1. histor. cap.* 18. Socrates *lib. 1. histor. cap.* 13. Sozomenus *lib. 2. cap.* 1. Verum Nicephorus *lib. 8. cap.* 29. asserit utrumque obtigisse miraculum, addit enim mortuo fuisse crucem impositam, & ipsum statim ad vitam revocatum. Sozomenus addit, in altera antri parte, in quo sepulchrum Domini inventum fuit cum tribus illis crucibus tabellam tituli fuisse seorsim positā. Accedit etiam hoc aliud mirum, quòd cùm per trecentos propemodum annos cruces illæ sub terram absconditæ jacuerint non fuerint prorsus putrefactæ ex terrena humiditate. Neque obstat, quod etiam aliæ duæ cruces ligneæ non emarcuerint quia servatæ etiam divinitus dicuntur, ut inde major honor Christi cruci impenderetur ob plura miracula, quibus voluit Deus veram Christi crucem hominibus manifestari. Socrates refert partem unam adinventæ veræ crucis Jerosolymis fuisse relictam, & alteram ad Constantinum allatam, cit Socrates loc. ait. *Quam ubi Constantinus accepisset ratus civitatem in qua illa servaretur omnino salvam fore in suam ipsius inclusit statuam, quæ Constantinopoli in foro Constantini dicto super ingentem columnam porphireticam collocata erat.* Verùm hæc portio non potuit tanta esse, quæ aliquo statuæ membro includeretur, sed quædam particula tantum ibi recondita fuit, & totum reliquum crucis Romam delatum, & servatur in ecclesia quæ etiam nostris temporibus nuncupatur Sanctæ crucis in Jerusalem. Cœterum ex parte illa Jerosolymis relicta plures factæ postea fuerunt divisiones pro peregrinantibus pietatis causa ad loca Sancta pro mercede suscepti laboris, ac itineris operante tamen divina virtute ut loquitur Paulinus epist. ad Sever. materia illa crucis imminuta non fuit ob has divisiones nec ullum detrimentum passa, tametsi Cyrillus Jerosolymitanus Episcopus Catechesi 4. cap. 10. asserat *ejusdem Sanctæ crucis ligno per particulas ex ea civitate universum terrarum orbem repletum fuisse.* Neque difficilius fuit Deo integram servare partem illam Sanctæ crucis, tametsi in plura frusta dissectam, ac in deserto multiplicare quinque panes, & quinque millia hominum exsaturare.

Quod verò attinet ad clavos quibus manus & pedes Christi Redemptoris fuerunt cruci affixi etiam in eodem loco reperti fuerunt, nec fuisse rubigine consumptos ex temporis diuturnitate, nec fuit opus eos distinguere alio miraculo ab aliis, ut asserunt præfati Authores, & D. Ambrosius refert Helenam ex uno clavo frænos fieri præcepit, & ex altero diadem conflari, & hæc dona filio suo Constantino misisse, quo tum ipse tum successores Imperatores discerent fidem integram servare, & juste imperare justitiæ enim Symbolum habetur frænum, & imperii diadema. Quòd verò clavi quibus Christus fuit cruci affixus plures inveniantur diversis in locis, id fortassis contigit ex aliquo ut clavorum Christi modica ferri portio illis acces-

arcesseit. Vel fortassis probabilius dicimus, crucem Redemtoris pluribus fuisse clavis innexam cum ex tribus ligni sejunctis partibus constaret, ad quas nectendas simul plures requirebantur clavi; una siquidem ligni pars oblonga erat cui totum corpus à capite ad pedes hæreret; alterum lignum brachiis adaptatum in transversum superpositum fuit longo, quod decussavit paulo infra fastigium, tertium lignum infixum erat prælongo in quo Christi pedes hærerent, ac clavis figerentur, ut referunt Ireneus lib. 2. cap. 24. Justinus in dialogo cum Triphone. Additur etiam tabella tituli quæ nostris etiam temporibus asservatur Romæ in templo Sanctæ Crucis in Hierusalem quæquæ buxea fuit insculptis ferreo aliquo instrumento characteribus, exprimentibus integrum titulum *Jesus Nazarenus Rex Judæorum* tribus linguis ut habetur apud Lucam 23. Joan. 19. Hebraica, Græca, & Latina quæ proximior Christi erat capiti, locùmque propterea occuparet honoratiorem.

Censet Venerabilis Beda in suis collectaneis, crucem Christi compactam fuisse ex quatuor lignorum generibus Cedro, pino, cupresso, & buxo, quæ tamen sententia non videtur recepta, quia Judæi cum haberent crucem instrumentum supplicii pro reis puniendis, videtur difficile creditu, quod voluerint ex illis selectis lignis ignominiæ componere signum; & ligna singularia adhibere ad illud compingendum, præsertim cum Judæi crucem maledicerent ut infamem, & execrarentur ut maledictam. Tum quia cum reliquæ duæ latronum cruces, ex uno eodemque fuerint ligni genere compactæ, facilè potuisset Helena dignoscere Christi crucem utà reliquis distinctam; & tamen adeo fuerunt similes, ut non nisi virtute divina, & per signa, & miracula dignosci potuerit, qualis ex tribus illa fuerit, in qua Christus redemtor noster perpendit. Communior igitur sententia est, Christi crucem ex quercu compactam fuisse, ut existimat Gregorius Nissenus in inscriptione Psal. 3. cui plures alii adhærent: quia arbor in qua Absalom pependit, ut figura fuit nostræ crucis fuit præcelsa quercus, in qua Absolon reus, & nocens ppendit, & Christus licet innocentissimus voluit in cruce pro nobis fieri maledictum, ut ait D. Paulus ad Galat. 3. Tum quia Deus pepigit fædus cum Abrahamo sub quercu, ubi ei spopondit divinam sobolem, & Isaacum figuram Christi annuntiavit, quapropter probabilius videtur Christi domini crucem non ex cedro, & cupresso compactam fuisse, sed ex prædura quercu ex quo ligno moris est, ut cruces compingantur ad majorem similitudinem cum Christi cruce.

Hanc verò crucem habitam semper fuisse à fidelibus in veneratione ob memoriam passionis Christi plura sunt exempla, quibus hoc idem comprobatur. Venerabilis Beda lib. 3. historiar. Gent. Anglor. cap. 2. ait: In magna veneratione haberi locum illum, ubi Osvvaldus Anglorum Rex signum crucis erexit, flexisque genibus Deum enixim deprecatus fuit, ut in tantis angustiis rerumque necessitatibus suis vellet cultoribus cælestis auxilio succurrere: ait Beda, quod efformata ex quercu proximæ sylvæ citato opere cruce, & excavata scrobe in qua statui deberet ipse Osvvaldus fide fervens eandem arripuerit, ac foveæ imposuerit, ac utraque manu erectam tenuerit, donec aggesta humo à militibus terræ infigeretur, ut posset secluso lapsûs periculo stare immobilis & hoc pacto collocata cruce Osvvaldus altiori voce inclamaverit toti exercitui: flectamus omnes genua & Deum omnipotentem vivum & verum in communi deprecemur, quatenus nos ab hoste tumido & superbiente, ac ferociente sua defendat miserationes scit enim Deus justa esse nostra bella quæ coacti fuimus suscipere pro salute nostræ gentis, & ut nos defenderemus ab iniquo congressore. Quid ni omnes, & singuli fuerunt Regi obsecuti, & provoluti in genua preces ad Deum fuderunt per noctem, & mane incipiente diluculo in hostem progressi juxta meritum suæ fidei insigni fuerunt victoria potiti, in cujus loco orationis plura fuerunt postea miracula perpetrata, ac innumeræ Sanitatum virtutes factæ sunt & ex cruce illa humo infixa consueverunt postea Incolæ assulas excidere, quas aquis injectas iisdem languentes homines, & malè affectæ pecudes sive aspersi, sive potati pristinæ fuerunt sanitati restituti, & vocatur locus ille lingua Anglica heofon feld, quod interpretari potest cœlestis campus, eò quia erectum fuerit ibi crucis Trophæum, quo solemnem concessit Anglis Victoriam de hoste prostratam.

Baronius itidem anno Christi 401. ex Marco Gazensi refert non solùm crucis signo homines prostrâsse inimicos hominum, verum etiam ipsos dæmones ac tartareas legiones ait Gazensis referente Baronio. Cum nos navigassemus in civitatem Majumam, & ad locum venissemus, in quo erat simulacrum Veneris, & portarent Christiani venerandum Christi lignum, seu figuram crucis, statim dæmon, qui statuæ inerat Veneris & ægrè ferens crucis simulacrum, quod ferebatur illico aufugit, & ægrediens ex marmoreo illo simulacro illud dejecit, confregitque in plura frusta: cùmque duo Idololatræ starent prope aram in qua erecta colebatur ab infidelibus statua corruens unius caput fregit in duas partes, & alterius humerum, malè affecit lethali contusione, ambo enim irridebant ingressos templum Christianos, sed plures ex Ethnicis cum signum vidissent, quod factum fuerat, Christi fidem fuerunt amplexi, & Christi famulatu mancipati signum crucis in summa postea veneratione habuerunt.

Bzovius anno 1215. num. 11. refert adhuc extare Tolosæ in ædibus Sanctæ inquisitionis adhuc sacram Christi crucifixi imaginem, quam in castris, pugnisque Simon Montfortius contra Albigenses secum semper tulit, & quam S. Dominicus pro labaro ac militari vexillo præferri jussit, ut ipse sæpius ferebat ut certum victoriæ argumentum illustri confirmatum miraculo, cum enim hastile ipsum lignumque crucis pluribus in locis Sagittarum, telorumque hostilium perfossioae ostenderetur terebratum imago tamen Christi crucifixi integra, & illibata absque ulla læsione adhuc visitur, & summa omni veneratione adoratur, ut duplex possit hic miraculum recenseri, & illæsæ Christi imaginis, & S. Dominici Tropheum illud deferens contra Hæreticos hostes, quod enim S. Dominicus sola cruce, quam pro clipeo deferebat inter densissimas sagittas, ac telorum imbres nullam acciperet vulnus miraculo dari debuit.

Eusebius lib. 2. de vita Constantini cap. 9. narrat, quòd cùm in medio belli conflictu ingens fremitus, timorque panicus totum occupâsset exercitum, qui vexillum crucis humeris deferebat cœpit & ipse præ formidine exhorrescere, & animo cadere, illudque alteri extradere, ut belli impetum effugeret; postquam verò alter accepit, & iste ex acie egressus extra vexilli præsidium locatus telo inventre confossus fuit: è contra qui salutare Tropheum crucis sublime, & erectum deferebat, licet inermis omne

omne periculum vulneris feliciter evasit, & incolumis perseveravit, adeo ut cum tela frequentius ab hoste in eum jacerentur, qui crucis vexillum deferret nunquam tamen aliquid fuit damni passus & tela emissa utrinque per latera eum fugiebant ex quo vexillum illud crucis majori cœpit in veneratione haberi.

Spondanus itidem ad annum 1567. numero 19. narrat illud memorabile, quod obtigit in obsidione Carnuti in Belsia, quòd cum milites Hæretici imaginem Beatissimæ Virginis illius urbis Patronæ, quæ visebatur supra Trocentem porsam, suos exploderent scoposeminus, & cominus nunquam tamen eam voluerunt pertingere nec in ulla parte lædere, adeo ut utrinque ad latera fuerit locus ille totus globis trajectus intacta perseveranter Virginis & crucis imagine.

Objiciunt nihilominus Hæretici contra hunc cultum, quem solent Catholici crucis simulacro exhibere, quòd impius judicaretur filius, qui vellet Patris patibulum honorare, illudque amare, ad eum tantùm finem, quia pater ejus in illo suspensus occubuerit: atqui crux dolorem & cruciatum Christo Redemtori attulit, & ignominiam tulit, ergo videtur potius à Christum diligentibus detestandad, quàm honogandaesse, præsertim cum Beatissima Virgo Maria Christi Mater, & aliæ mulieres, ac plures, qui adstarunt, doluerint de Christi passione, & ejus cruce, ac vulneribus, cum tamen gauderent Judæi persequentes & inimici vulnerantes, ergo qui cultum exhibent cruci, eamq; honoribus prosequuntur Christi imitantur hostes, seu perfidos Judæos gaudentes de cruce, cui affixus erat Christus.

Sed contra hæc enim nullius sunt momenti quia filii rectè gloriantur de gloriosa parentum morte, si pro patriæ propugnanda libertate contigerit, vel pro regio jure defendendo, & instrumenta, quibus fuerunt passi, ac mortem pro Rege subierunt vel Patria, solent ut tesseras virtutum conservare & habere in honore. Præterea nulla est comparatio inter Christi, & hominis innocentiam; passus enim fuit Christus, ut in cruce veluti in ara pretium solveret pro totius humani generis redemptione unde crux illa est fidelibus pretiosissima, in qua cognoscunt pretium propriæ redemtionis fuisse solutum, hinc Deus Pater declarat per Apostolum Paulum crucem fuisse causam exaltationis crucis Christi, consequenter etiam nostræ: *propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in eo omne genu flectatur.* Præterea quia Christus non in vitus non reus, sed innocentissimus liberè; & ex pura charitate affixus fuit cruci quæ propterea à fidelibus non habetur ut patibulum, sed honoratur ut thronus cœlestis Sponsi colitur ut triumphus, quo Christus sua morte mortem omnium superavit, & vitam fuit humano generi impertitus, hinc Isaias ait: *Factus est principatus ejus super humerum ejus*, quod interpretatur de cruce, quam Christus bajulavit. Neque fideles gaudent de quo Judæi lætabantur, sed tantùm de eo, de quo ipse Christus patiens in cruce gaudebat interius, seu de illius triumpho, quo prosterabnat mortē, & cœli januam humano generi reserabat, non verò gaudent de ignomina, & opprobriis, quæ fuerunt injuste à Judæis Deo illata, cruciatus enim approbria contumetiæ injuriæ Christo illatæ eliciunt potius à fidelibus lachrymas, cum Christi patientis meditantur mysteria, ipsi enim dolent de doloribus Christi, non igitur honorant crucem ut simpliciter illativam doloris, & mortis, sed ut aram in qua solutum fuit pretium æternæ nostræ redemtionis, & in qua regnavit à ligno Deus.

Sed instant Hæretici, quia eatenus Catholici crucem habent in veneratione & cultu summo, quia fuit instrumentum passionis Christi, & quia Sacrosanctum Christi corpus tetigerit, atqui si ob solum contactum deberet crux adorari, inde sequeretur, quod etiam labia Judæ, quæ mediante osculo Christi faciem tetigerunt, Malchi manus qua alapam impegit, & tortores, qui Sacro-Sanctum illud corpus divexarunt manibus & pedibus essent pari cultu adorandi, quod nemo dixerit. Sed contra quia est summum discrimen inter labia Judæ, manus Malchi, & Tortoris, quia hæc omnia non solùm fuerunt instrumentum passionis Christi, verùm etiam partes organicæ hominum impiorum, idorque non possunt honorari ut instrumenta passionis, quin simul homines impii honorentur: atqui crux, spinæ, columna, & alia similia non sunt partes hominum impiorum, sed res per se existentes, & natura sua innoxiæ, proinde si ob Christi contactum hæc instrumenta veneremur, inde non sequitur, quod cultum aliquem impiis exhibeamus. Præterea in Christi pàssione possumus distinguere actionem à Judæis assione; actio enim præcedens à est impia, & scelerata, passio verò setenens ex parte Christi innocentissimi fuit infinitè meritoria, & digna, ut à nobis die noctuque perpendatur, ut inde liquescere in lachrymas compassionis valeamus: secus labia Judæ, & manus impiorum sæviebant in Christum, & serviebant immediatè actioni, cujus proxima fuerunt instrumenta, quæ actio impia erat, sacrilega, ac scelesta, & tantùm fuerunt instrumenta remota, & mediata salutiferæ passionis Christi Domini: secus crux, clavi, spinæ fuerunt instrumenta propinqua, & immediata passionis Christi, quæ sancta fuit: cum igitur labia Judæ, & manus Malchi, ut & reliqua membra Tortorum participaverint magis de ratione actionis osculantis, percutientis, & cruciatus inferentium, quam de Christi passione, & è converso crux, spinæ, clavi magis participent de Christi passione, sequitur crucem Christi dignam esse, ut à fidelibus veneretur, & labia Judæ ut simpliciter detestentur, & manus Malchi, ut & ipsi tortores, qui instrumenta erant animata doli et malitiæ susceptiva: instrumenta enim passionis sunt inanimata & apta tantùm ad passionem inferendam.

Sed adhuc instant Hæretici, quia inde sequeretur, quod etiam omnes cruces essent ab hominibus adorandæ, eò quia Christus in cruce pependerit: eodem pacto essent adoranda omnia sepulchra omnes clavi, spongiæ omnes, lanceæ, stabula, præsepia, imo & asini, quia hæc omnia instrumenta fuerunt passionis, & per contactum physicum fuerunt sanctificata. Sed contra, quia ex eo, quod à fidelibus colatur crux; non sequitur ab iisdem adorandas esse omnes cruces, eò quia præcisè sint imagines veræ crucis, in qua Christus pependit, quia ut adoremus cruces, necesse est ut istæ relationem habeant ad repræsentandam veram Christi crucem, quapropter cruces, quas in terra paleæ, & festucæ simul decussatæ efformant accidentaliter, venerationem non merentur, eò quia forma imaginis illis desit, scilicet ipsa repræsentatio veræ crucis ratione cujus imago honoretar, quatenus est correlativa suo exemplari, & non alio modo, & ita respondendum est ad alia in objectione recensita, quæ cùm non sint repræsentativa ejusdē sepulchri, spongiæ, lanceæ, presæpii, & stabuli, non debent honorari defectu correlationis, & repræsentationis hinc; ante Constantinum Imperatorem crux tantùm quod paucos fideles qui memoriam Sanctæ crucis fovebant, honorabatur. Cum apud Gentes esset potius instrumen-

mentum ignominiæ, donec Constantinus per totum suum imperium crucis cultu permoveret. Non igitur simplex imago sufficit, ut aliquid colatur perinde ac aliud, cujus est imago, sed quid aliud requiritur nimirum ut unum exprimatur ex alio, quapropter frater non dicitur imago fratris, quamvis ambo sint similes, eò quia unus non sit ab alio, secus filius quia prodiit à Patre, & est illi similis, dicitur imago Patris. Cruces autem omnes, si fiant ad exprimendam veram Christi crucem dicuntur ejus imagines, & cultu ac honore dignæ, secus quia præsepia, clavi stabula spongiæ lanceæ, fiunt ad alios usus, & non ad exprimendum Christum, nec instrumenta suæ passionis, non sunt nec dici possunt cultu digna, quòd si columna fieret, ut repræsentaret flagellationem Christi, non careret & ipsa sua veneratione.

Sed contra venerationem, & cultum, quem Catholici exhibent crucio instant Centuriatores, eosque arguunt superstitinnis, eò quia virtutem tribuant characteribus & figuris crucis sanctificandi res aliquas, Dæmones expellendi, morbos fugandi, dolores sedandi, miracula patrandi. Sed contra respondetur tantum signum crucis abesse à magia, ut potius eodem signo, aut applicatione ligni veræ crucis omnis magia dissolvatur, omne maleficium destruatur, & omne superstitiosum evanescat, hinc Athanasius Lib. de Incarnat. Domini ait: *Veniat qui istorum dictorum experimentum capere velit, & in ipsis præstigiis dæmonum, & imposturis vaticiniorum, & in miraculis magiæ utatur signo crucis ab ipsis deriso nomenque crucis invocet, & videbit quomodo ejus rei metu Dæmones fugiant vaticinia conquiescant, & veneficia jaciant.* Refert Jacobus Spengerus in malleo maleficiorum part. 2. q. 1. c. 2. Magor & Sagas, quando Sacris dæmonis initiantur palam policeri diabolo pro tribunali in figura visibili sedenti & coram testibus se crucem Domini conculcaturos, quia ubi crux honoratur, & colitur, ubi omnis magicæ artis efficacia deperditur.

Quod si dicas Magos abuti signo crucis, & maleficio eo uti respondetur id provenire ex Dæmonis superbia etenim ad simplicies & rudes decipiendos plerumque signo sacro verbisque ex Evangelio desumptis utitur ad inducendam superstitionem: siquidem superstitiosum ac prohibitum est uti verbis sacræ scripturæ, vel signis sacris ad effectus aliquos producendos, sicut magi faciunt, quia effectus illi nequeunt naturales esse: siquidem characteres, & figuræ naturaliter non sunt operatione, neque effectus illi à Deo efficiuntur, cum nulla adsit talis promissio efficiendi hos effectus, quoties hoc vel illud signum sacrum positum fuerit, neque Deus tunc ab illis invocetur quapropter nequeant ab alia causæ hujusmodi effectus provenire, quàm ab ipso dœmone adeout characteres illi sive verba sacra, sive alia signa solùm deserviant pro signo expressi fæderis vel etiam taciti Diabolum inter, & Magos. Secus signum crucis mirabilia operatur non ex virtute sua naturali, quam habet, ut figura quædam, neque ut signum pacticum Dæmone initi; sed ut signum divinitus institutum, quod efficax cognoscitur non solùm ex opere operanto, sed etiam ex fide invocantis; siquidem usurpatio crucis est veluti invocatio quædam meritorum Christi, in quorum virtute nobis plerumque conceditur effectus quem petimus, plerumque etiam ex opere operato, seu ex Dei instituto: siquidem videmus Judæos, & Paganos sine ulla fide in Christum tantùm intendentes facere, quod Christiani faciunt, fugâsse Dæmones signo crucis, ut plurimis exemplis constat contigisse; etenim Dominus Gregorius Nazianzenus orat. 2. in Julian. refert hunc Apostatam Imperatorem spectra, & incantationes, à quibus plurimum in specu quem adierat consulturus dæmones verebatur angustiis pressus opera Spelei & Dæmonis signo crucis super se formato dissipâsse, hinc signum crucis magis conducit ad Magorum incantationes & opera dissipanda, non ad ea promovenda, unde D. August. quæst. 79. lib. 83. ait indictum à Deo Dæmonibus fuisse, ut cedant crucis tanquam sceptro summi Regis, perinde ac populi & rustici militibus cedunt signum Imperatoris præferentibus, & cum Dæmones non cedunt his signis neque cruci manu formatæ, Deus tunc prohibet occultis modis, ac impedit, ne Dæmones noceant, quoties id utile visum fuerit. Cœterum maligni Spiritus non audent crucis signum contemnere cum ad ipsam contremiscant. Verum tamen est, quod signum crucis cum non conferat gratiam justificantem nec habeat effectum infallibilem non ad sacramentalia reducitur. Cæterum quoad morbos expellendos & alia mira perpetranda dicendum est, ea fugari per crucem tanquam per signum fidei, & fiduciam in Deum, vel per invocationem signo expressam quia Christus Marci ult. promisit fidelibus se daturum quidquid peterent cum fide, dixit enim quod hoc sacro sancto signo fideles serpentes tollent, super ægros manus imponent, & bene habebunt, quatenus Deus ad hæc signa tales produit effectus.

# CAP. III.

## De Agno Dei cereo, & aqua lustrali.

MOris est in Ecclesia, ut agri cerei à summo Pontifice benedicantur ad miros etiam producendos effectus, Agnus enim in cera expressus Salvatorem nostrum repræsentat, qui fuit agnus occisus ab origine mundi, & ritus iste ab Apostolis etiam censetur in ecclesiam derivatus, tametsi illis sub initiis cum iisdem cæremoniis, quæ hodie à Romano Pontifice usurpantur non fuerint agni cerei consecrati. Consueverant olim Ethnici collo infantibus appendere Bullas quasdam re turpicula obsignatas, vel aliter superstitionibus auctas ad avertendas fascinationes, & nocumenta Dæmonum, qui assolent præsertim infantibus nocere, ut plura exempla adfert Varro lib. 6. de lingua Latina, & cum ipso Macrobius 1. Satur. 6. Hinc Apostoli, & ejus Discipuli Spiritu Sancto edocti superstitionem mutarunt in religionem, & recens baptizatis bullam consueverant ceream extradere typum præseferentem agni repræsentantis Christum pro nobis immolatum, & usus inolevit sub illis primis Ecclesiæ initiis, ut suspensam hanc ceram è collo pendulam deferrent qua se Christianos esse exploratum facerent, simulque discerent mites esse, & humiles corde, & hoc signo etiam fideles ab infidelibus discernebantur. Cumque ritus in Ecclesia pleniori solemnitate exercerentur injunctum fuit Acolytis ecclesiæ Romanæ agnos cereos efficere, vel ex cera paschalis cerei anni anteacti, quæ tamen cera alba sit munda, & pura quos cereos agnos Romanus Pontifex ritu solemni Sabbato sancto eos illinit chrismate, & aqua lustrali aspergit, ac benedicit, idque ex instituto S. Gregorii, quantum ad tempus, & diem benedicendi, & chrismate inungendi, ut notat Durantius lib. 6. cap. 79.

Neque

Neque hi ritus mysteriis censendi sunt vacui; siquidem agnus in agno cereo figuratus ac in paschate immolatus ad memoriam revocat Christum pro nobis mortuum in ara crucis, & per colorem album ceramque Virgineam designatur Christi innocentia, ac puritas, & per unctionem Chrismatis, quòd ipse fuerit divinitate unctus, & odore balsami suarum virtutum exempla, quibus ad se homines allexit, & omnem pravum peccati fœtorem abolevit. Quamobrem in figura agni in cera impressi nobis in memoriam reducitur innocentia agni Christi ejusque mansuetudo, & patientia, quam Christiani imitarentur, quapropter gestantes hos cereos agnos abstinere debent à quavis peccati fœditate, & in pura fidei, ac innocentiæ veritate versari, hinc ut in majori reverentia ac honore haberentur cerei agni Romanus Pontifex sibi soli reservavit eorum benedictionem, quatenus intelligerent fideles, quanti sint faciendi, & in qua veneratione habendi cum à solo Christi Vicario benedicantur; hac de causa plurimi fiunt ab Imperatoribus Regibus, aliisque Principibus ad quos solent quotannis mitti in domum, & cum Leo III. circa annum Christi octingentesimum dedisset Carolo Magno quem Imperatorem coronaverat, agnum cereum à se benedictum Imperator veluti thesaurum sibi impertitum ea qua par erat, pietate accepit, fuitque deosculatus; & cum Urbanus Papa circa annum Christi 226. plures agnos cereos misisset ad Imperatorem Constantinopolitanum, is solemni processione instituta cum clero, & populo obviavit, & triumphali more in urbem induxit, ut legitur in Registro summorum Pontificum, & in octava Paschæ cerei Agni. Romæ distribuuntur, eò quia in octava suæ resurrectionis Christus suis præmia distribuit. Cæterum in benedictione hujus agni cerei Romanus Pontifex invocat Dei virtutem ut à facie agni, & crucis ejus fugiant Dæmonis insidiæ, & Sathanicæ omnes potestates, fugiant similiter pestilentiæ, coërceantur procellæ, extinguantur ignes, tonitrua, & fulmina non noceant his, qui agnum hunc cereum deferunt. Invocat itidem auxilium divinum ut ejus virtute Sanitas conservetur matri prægnanti, ejusque fructus, seu fœtus, & quæ in dolore partus est à periculo liberetur, & licèt hi effectus non semper contingant, id provenit ex defectu fiduciæ in Deum vel ob peccatum aliquod & Deus ipse ob certæ suæ providentiæ causas justoque judicio ordinat, ne infallibiliter hi effectus semper sequantur, ut fides, & reverentia in nobis magis excitetur. Cæterum ubi firma fuit fides, hi effectus frequentius obtingunt, ut innumeris comprobatur exemplis apud Authores.

Martinus Delrius lib. 6. disquisit. magicar. cap. 2. sect. 3. quæst. 4. narrat, quod anno Christi 1585. in territorio Trevirensi, in quo plures dicuntur Sagæ versari, una ex hisce mulieribus puerum octo circiter annis natum suis consueverat præstigiis & carminibus circumventum in eum locum abducere, ubi per noctis licentiam, & tenebras nefariis consueverant lusibus indulgere, hoc in loco particeps quoque *talium* lusuum erat puer, ut dum ille choreas confertis manibus inter se ducerent, puer sedens earum saltationes timpano prosequeretur, neque solum ludorum chorique erat Spectator, sed persæpe etiam præstigiorum, quibus sagæ humanis solent corporibus nocere. Idque cum tandem Archiepiscopo Trevirensi innotuisset, deductum in Aulam puerum jussit custodiri, ut catechismo, cujus puer erat planè rudis, erudiretur; cui cum Sacerdos effigiem cerei agni de cervicibus suspendisset, nocte intempesta adfuit Dæmon, qui graviter puerum increpavit, eò quia tam facilè se decipi passus fuerit, & jussit, nisi vellet verberibus excipi, ceram illam abjicere. Perterritus puer jussui Dæmonis obsecutus agnum illum cereum abjecit, statim Dæmon puerum ad muros verbis abripuit, atroque impositum hirco ad impurissimas sagarum regiones momento transtulit, qui cum per aliquas horas inter veneficas latitâsset, restituitur iterum in palatium fracta ac nodis implicita resticula illa, cui alligatus erat ille cereus agnus.

Narrat idem Delrius anno 1585. fuisse Drepani Patrem quemdam familias; cujus in ædibus variæ dicebantur præsertim noctu ex occulto voces audiri. Familiaris is erat dæmon, qui variis adigebatur modis incolis Domus illius illudere; jaciebat saxa prægrandia citra tamen ullius detrimentum; vasa quoque domestica fictilia, & vitrea hinc inde jaculans, projiciensque nullum frangebat. Et quia in hac domo consuevisset adolescens, ut moris est, cytharam pulsare, simulque canere, Dæmon cunctis audientibus lascivis cantibus Citharœdi sonum, & cantum prosequebatur, imò & apertè se jactabat dæmonem esse. Cumque Herus ædium illarum unà cum sua conjuge extra civitatem ad propria negotia peragenda in quoddam oppidum exivissent, comitem se se dæmon illis adjunxit, & quia ille imbribus madefactus ad suas revertebatur ædes, tartareus Spiritus præmonere domesticos cæpit ignem ut extruerent, eo quia herus jam esset in januis totus imbribus madefactus, verum cùm ita se irrideri à dæmone cognosceret; Dominus ædium minatus ei fuit se adducturum sacerdotem, qui cum è suis ædibus exturbaret; sed Dæmon impediturus sacerdotis accessum clamitare, ac minitari inimicitias & odium, & pleraque infortunia cæpit; adivit nihilominus sacerdotem, cui rem totam narravit, ex cujus consilio domum illam mutavit, ut se à molestiis illis liberaret, eumque monuit, ut ipse, & tota ejus familia generali ex homologesi conscientiam purgarent, verisque doloris lachrymis culpas abolerent, cœlesti pane se reficerent, & prohiberet eis, ne quis ex domesticis, vel exteris sermonem cum hoste tartareo misceret, & ne ab eodem occulta amplius perquirerent, quin potiùs riderent, quæ ab eo dicerentur, ut prolata à Patre mendacii; Cumque illi promisissent se facturos omnia ipsis à sacerdote injuncta, hic illi consignavit agni cerei benedicti simulactum imponendum filiæ cervicibus, quæ cæteris domesticis acriùs à Dæmone vexabatur, inde cœpit Dæmon magnis clamoribus, & ululatibus filiam terrere, atque minitari, nisi statim ceram illam abjiceret, fore, ut obtorto collo animam à corpore avulsam eriperet, sed filia una cum cæteris domesticis sacerdoti obsecuta, nec ullum protulit verbum, quo minitanti Dæmoni responderet, quin potius signo crucis, & cerei agni osculis se cæpit munire, cumque Dæmon cognovisset se operam perdere, nulli amplius in domo illa fuit molestiæ.

Rursus idem Martinus Delrius narrat anno Christi 1586. in Trevirensi ditione fuisse adolescentem rusticum, sed ingenio peracri natum annos 15. qui non semel accesserat ad feralem locum, ubi permixti fœminis mares Dæmone Magistro epulabantur, & noctu, excusso quovis pudore, simul miscebantur, rudis verò adolescens, quia nondum Deo, ac Deiparæ renuntiaverat, execrandis illis licentiis non adhæsit; sed cum felis cerebrum sumpsisset in cibum decrescente luna sentiebat sibi mentem imminui, & ubi Trevitum ingressus; quam urbem adolescens nunquam viderat, veluti vanaticus deductus est in ædes Principis, ut seorsim ab aliis in quadam domus parte à sacerdotibus curaretur, sed quia nulla ei per noctem dabe-

monum ignominiæ, donec Constantinus per totum suum imperium crucis cultu permoveret. Non igitur simplex imago sufficit, ut aliquid colatur perinde ac aliud, cujus est imago, sed quid aliud requiritur nimirum ut unum exprimatur ex alio, quapropter frater non dicitur imago fratris, quamvis ambo sint similes, eò quia unus non sit ab alio, secus filius quia prodiit à Patre, & est illi similis, dicitur imago Patris. Cruces autem omnes, si fiant ad exprimendam veram Christi crucem dicuntur ejus imagines, & cultu ac honore dignæ, secus quia præsepia, clavi stabula spongiæ lanceæ, fiunt ad alios usus, & non ad exprimendum Christum, nec instrumenta suæ passionis, non sunt nec dici possunt cultu digna, quòd si columna fieret, ut repræsentaret flagellationem Christi, non careret & ipsa sua veneratione.

Sed contra venerationem, & cultum, quem Catholici exhibent crucio instant Centuriatores, eosque arguunt superstitinnis, eò quia virtutem tribuant characteribus & figuris crucis sanctificandi res aliquas, Dæmones expellendi, morbos fugandi, dolores sedandi, miracula patrandi. Sed contra respondetur tantum signum crucis abesse à magia, ut potius eodem signo, aut applicatione ligni veræ crucis omnis magia dissolvatur, omne maleficium destruatur, & omne superstitiosum evanescat, hinc Athanasius Lib. de Incarnat. Domini ait: *Veniat qui istorum dictorum experimentum capere velit, & in ipsis præstigiis dæmonum, & imposturis vaticiniorum, & in miraculis magiæ utatur signo crucis ab ipsis deriso nomenque crucis invocet, & videbit quomodo ejus rei metu Dæmones fugiant vaticinio conquiescant, & veneficia faciant.* Refert Jacobus Spengerus in malleo maleficiorum part. 2. q. 1. c. 2. Magor & Sagas, quando Sacris dæmonis initiantur palam policeri diabolo pro tribunali in figura visibili sedenti & coram testibus se crucem Domini conculcaturos, quia ubi crux honoratur, & colitur, ubi omnis magicæ artis efficacia deperditur.

Quod si dicas Magos abuti signo crucis, & maleficio eo uti respondetur id provenire ex Dæmonis superbia etenim ad simplicies & rudes decipiendos plerumque signo sacro verbisque ex Evangelio desumptis utitur ad inducendam superstitionem: siquidem superstitiosum ac prohibitum est uti verbis sacræ scripturæ, vel signis sacris ad effectus aliquos producendos, sicut magi faciunt, quia effectus illi nequeunt naturales esse: siquidem characteres, & figuræ naturaliter non sunt operatione, neque effectus illi à Deo efficiuntur, cum nulla adsit talis promissio efficiendi hos effectus, quoties hoc vel illud signum sacrum positum fuerit, neque Deus tunc ab illis invocetur quapropter nequeant ab alia causæ hujusmodi effectus provenire, quàm ab ipso dœmone adeout characteres illi sive verba sacra, sive alia signa solùm deserviant pro signo expressi fæderis vel etiam taciti Diabolum inter, & Magos. Secus signum crucis mirabilia operatur non ex virtute sua naturali, quam habet, ut figura quædam, neque ut signum pacticum Dæmone initi; sed ut signum divinitus institutum, quod efficax cognoscitur non solùm ex opere operante, sed etiam ex fide invocantis; siquidem usurpatio crucis est veluti invocatio quædam meritorum Christi, in quorum virtute nobis plerumque conceditur effectus quem petimus, plerumque etiam ex opere operato, seu ex Dei instituto: siquidem videmus Judæos, & Paganos sine ulla fide in Christum tantùm intendentes facere, quod Christiani faciunt, fugâsse Dæmones signo crucis, ut plurimis exemplis constat contigisse; etenim Dominus Gregorius Nazianzenus orat. 2. in Julian. refert hunc Apostatam Imperatorem spectra, & incantationes, à quibus plurimum in specu quem adierat consulturus dæmones verebatur angustiis pressus opera Spelei & Dæmonis signo crucis super se formato dissipâsse, hinc signum crucis magis conducit ad Magorum incantationes & opera dissipanda, non ad ea promovenda, unde D. August. quæst. 79. lib. 83. ait indictum à Deo Dæmonibus fuisse, ut cedant crucis tanquam sceptro summi Regis, perinde ac populi & rustici militibus cedunt signum Imperatoris præferentibus, & cum Dæmones non cedunt his signis neque cruci manu formatæ, Deus tunc prohibet occultis modis, ac impedit, ne Dæmones noceant, quoties id utile visum fuerit. Cœterum maligni Spiritus non audent crucis signum contemnere cum ad ipsam contremiscant. Verum tamen est, quod signum crucis cum non conferat gratiam justificantem nec habeat effectum infallibilem non ad sacramentalia reducitur. Cæterum quoad morbos expellendos & alia mira perpetranda dicendum est, ea fugari per crucem tanquam per signum fidei, & fiduciam in Deum, vel per invocationem signo expressam quia Christus Marci ult. promisit fidelibus se daturum quidquid peterent cum fide, dixit enim quod hoc sacrosancto signo fideles serpentes tollent, super ægros manus imponent, & bene habebunt, quatenus Deus ad hæc signa tales produit effectus.

# CAP. III.

## De Agno Dei cereo, & aqua lustrali.

MOris est in Ecclesia, ut agri cerei à summo Pontifice benedicantur ad miros etiam producendos effectus, Agnus enim in cera expressus Salvatorem nostrum repræsentat, qui fuit agnus occisus ab origine mundi, & ritus iste ab Apostolis etiam censetur in ecclesiam derivatus, tametsi illis sub initiis cum iisdem cæremoniis, quæ hodie à Romano Pontifice usurpantur non fuerint agni cerei consecrati. Consueverant olim Ethnici collo infantibus appendere Bullas quasdam re turpicula obsignatas, vel aliter superstitionibus auctas ad avertendas fascinationes, & nocumenta Dæmonum, qui assolent præsertim infantibus nocere, ut plura exempla adfert Varro lib. 6. de lingua Latina, & cum ipso Macrobius 1. Satur. 6. Hinc Apostoli, & ejus Discipuli Spiritu Sancto edocti superstitionem mutarunt in religionem, & recens baptizatis bullam consueverant ceream extradere typum præseferentem agni repræsentantis Christum pro nobis immolatum, & usus inolevit sub illis primis Ecclesiæ initiis, ut suspensam hanc ceram è collo pendulam deferrent qua se Christianos esse exploratum facerent, simulque discerent mites esse, & humiles corde, & hoc signo etiam fideles ab infidelibus discernebantur. Cumque ritus in Ecclesia pleniori solemnitate exercerentur injunctum fuit Acolytis ecclesiæ Romanæ agnos cereos efficere, vel ex cera paschalis cerei anni anteacti, quæ tamen cera alba sit munda, & pura quos cereos agnos Romanus Pontifex ritu solemni Sabbato sancto eos illinit chrismate, & aqua lustrali aspergit, ac benedicit, idque ex instituto S. Gregorii, quantum ad tempus, & diem benedicendi, & chrismate inungendi, ut notat Durantius lib. 6. cap. 79.

Neque

Neque hi ritus mysteriis censendi sunt vacui; siquidem agnus in agno cereo figuratus ac in paschate immolatus ad memoriam revocat Christum pro nobis mortuum in ara crucis, & per colorem album ceramque Virgineam designatur Christi innocentia, ac puritas, & per unctionem Chrismatis, quòd ipse fuerit divinitate unctus, & odore balsami suarum virtutum exempla, quibus ad se homines allexit, & omnem pravum peccati fœtorem abolevit. Quamobrem in figura agni in cera impressi nobis in memoriam reducitur innocentia agni Christi ejusque mansuetudo, & patientia, quam Christiani imitarentur, quapropter gestantes hos cereos agnos abstinere debent à quavis peccati fœditate, & in pura fidei, ac innocentiæ veritate versari, hinc ut in majori reverentia ac honore haberentur cerei agni Romanus Pontifex sibi soli reservavit eorum benedictionem, quatenus intelligerent fideles, quanti sint faciendi, & in qua veneratione habendi cum à solo Christi Vicario benedicantur; hac de causa plurimi fiunt ab Imperatoribus Regibus, aliisque Principibus ad quos solent quotannis mitti in domum, & cum Leo III. circa annum Christi octingentesimum dedisset Carolo Magno quem Imperatorem coronaverat, agnum cereum à se benedictum Imperator veluti thesaurum sibi impertitum ea qua par erat, pietate accepit, fuitque deosculatus; & cum Urbanus Papa circa annum Christi *226.* plures agnos cereos misisset ad Imperatorem Constantinopolitanum, is solemni processione instituta cum clero, & populo obviavit, & triumphali more in urbem induxit, ut legitur in Registro summorum Pontificum, & in octava Paschæ cerei Agni Romæ distribuuntur, eò quia in octava suæ resurrectionis Christus suis præmia distribuit. Cæterum in benedictione hujus agni cerei Romanus Pontifex invocat Dei virtutem ut à facie agni, & crucis ejus fugiant Dæmonis insidiæ, & Sathanicæ omnes potestates, fugiant similiter pestilentiæ, coërceantur procellæ, extinguantur ignes, tonitrua, & fulmina non noceant his, qui agnum hunc cereum deferunt. Invocat itidem auxilium divinum ut ejus virtute Sanitas conservetur matri prægnanti, ejusque fructus, seu fœtus, & quæ in dolore partus est à periculo liberetur, & licèt hi effectus non semper contingant, id provenit ex defectu fiduciæ in Deum vel ob peccatum aliquod & Deus ipse ob certæ suæ providentiæ causas justoque judicio ordinat, ne infallibiliter hi effectus semper sequantur, ut fides, & reverentia in nobis magis excitetur. Cæterum ubi firma fuit fides, hi effectus frequentius obtingunt, ut innumeris comprobatur exemplis apud Authores.

Martinus Delrius lib. 6. disquisit. magicar. cap. 2. sect. 3. quæst. 4. narrat, quod anno Christi 1585. in territorio Trevirensi, in quo plures dicuntur Sagæ versari, una ex hisce mulieribus puerum octo circiter annis natum suis consueverat præstigiis & carminibus circumventum in eum locum abducere, ubi pernoctis licentiam, & tenebras nefariis consueverant lusibus indulgere, hoc in loco particeps quoque talium lusuum erat puer, ut dum illæ choreas consertis manibus inter se ducerent, puer sedens earum saltationes timpano prosequeretur, neque solum ludorum chorique erat Spectator, sed persæpe etiam præstigiorum, quibus sagæ humanis solent corporibus nocere. Idque cum tandem Archiepiscopo Trevirensi innotuisset, deductum in Aulam puerum jussit custodiri, ut catechismo, cujus puer erat planè rudis, erudiretur; cui cum Sacerdos effigiem cerei agni de cervicibus suspendisset, nocte intempesta adfuit Dæmon, qui graviter puerum increpavit, eò quia tam facilè se decipi passus fuerit, & jussit, nisi vellet verberibus excipi, ceram illam abjicere. Perterritus puer jussui Dæmonis obsecutus agnum illum cereum abjecit, statim Dæmon puerum ad muros verbis abripuit, atroque impositum hirco ad impurissimas sagarum regiones momento transtulit, qui cum per aliquas horas inter veneficas latitâsset, restituitur iterum in palatium fracta ac nodis implicita resticula illa, cui alligatus erat ille cereus agnus.

Narrat idem Delrius anno 1585. fuisse Drepani Patrem quemdam familias, cujus in ædibus variæ dicebantur præsertim noctu ex occulto voces audiri. Familiaris is erat dæmon; qui variis adigebatur modis incolis Domus illius illudere; jaciebat saxa prægrandia citra tamen ullius detrimentum, vasa quoque domestica fictilia, & vitrea hinc inde jaculans, projiciensque nullum frangebat. Et quia in hac domo consuevisset adolescens, ut moris est, cytharam pulsare, simulque canere, Dæmon cunctis audientibus lascivis cantibus Citharœdi sonum, & cantum prosequebatur, imò & apertè se jactabat dæmonem esse. Cumque Herus ædium illarum unà cum sua conjuge extra civitatem ad propria negotia peragenda in quoddam oppidum exivissent, comitem se se dæmon illis adjunxit, & quia ille imbribus madefactus ad suas revertebatur ædes, tartareus Spiritus præmonere domesticos cæpit ignem ut extruerent, eo quia herus jam esset in januis totus imbribus madefactus, verum cùm ita se irrideri à dæmone cognosceret, Dominus ædium minatus ei fuit se adducturum sacerdotem, qui cum è suis ædibus exturbaret; sed Dæmon impediturus sacerdotis accessum clamitare, ac minitari inimicitias & odium, & pleraque infortunia cæpit; adivit nihilominus sacerdotem, cui rem totam narravit, ex cujus consilio domum illam mutavit, ut se à molestiis illis liberaret, eumque monuit, ut ipse, & tota ejus familia generali ex homologesi conscientiam purgarent, verisque doloris lachrymis culpas abolerent, cœlesti pane se reficerent, & prohiberet eis, ne quis ex domesticis, vel exteris sermonem cum hoste tartareo misceret, & ne ab eodem occulta amplius perquirerent, quin potiùs riderent, quæ ab eo dicerentur, ut prolata à Patre mendacii; Cumque illi promisissent se facturos omnia ipsis à sacerdote injuncta, hic illi consignavit agni cerei benedicti simulacrum imponendum filiæ cervicibus, quæ cæteris domesticis acriùs à Dæmone vexabatur, inde cœpit Dæmon magnis clamoribus, & ululatibus filiam terrere, atque minitari, nisi statim ceram illam abjiceret, fore, ut obtorto collo animam à corpore avulsam eriperet, sed filia una cum cæteris domesticis sacerdoti obsecuta, nec ullum protulit verbum, quo minitanti Dæmoni responderet, quin potius signo crucis, & cerei agni osculis se cæpit munire, cumque Dæmon cognovisset se operam perdere, nulli amplius in domo illa fuit molestiæ.

Rursus idem Martinus Delrius narrat anno Christi 1586. in Trevirensi ditione fuisse adolescentem rusticum, sed ingenio peracri natum annos 15. qui non semel accesserat ad feralem locum, ubi permixti fœminis mares Dæmone Magistro epulabantur, & noctu, excusso quovis pudore, simul miscebantur, rudis verò adolescens, quia nondum Deo, ac Deiparæ renuntiaverat, execrandis illis licentiis non adhæsit; sed cum felis cerebrum sumpsisset in cibum decrescente luna sentiebat sibi mentem imminui, & ubi Trevitum ingressus, quam urbem adolescens nunquam viderat, veluti vanaticus deductus est in ædes Principis, ut seorsim ab aliis in quadam domus parte à sacerdotibus curaretur, sed quia nulla ei per noctem dabe-

dabatur à Dæmone quies, cerea effigie facri agni, quam ad collum deferebat, avulfa placuit Archiepifcopo eum mittere in Collegium Patrum Societatis Jefu, ut facilius ab illis Sacerdotibus liberaretur à Dæmonis moleftiis, fed nec ibi mifero adolefcenti quies fuit, nifi folemni ritu expiato cubiculo, ubi tandem beneficio cerei agni benedicti ab illis moleftiis liberatus fuit.

Fertur etiam de quadam muliere, quæ, cum Ratisbonæ pluribus illufionibus nocturnis vifuque larvarum mirè vexaretur, rem totam Sacerdoti aperuit catechiftæ, à quo cereum agnum benedictum accepit, & facerdos eam monuit, ut magnam fiduciam conciperet, & cum hanc excitâffet mulier, liberata fuit à formis illis noctu occurrentibus, quæ res cum fuiffet in populum divulgata, magna cæpit reverentia excitari apud omnes erga hos cereos agnos, adeo ut accurrerent viri & fœminæ, juvenes, & puellæ ad catechismum, parati omnes refpondere de fidei rudimentis, ut agnum benedictum à Sacerdote obtinerent; cumque die pentecoftes Sacerdos ille de virtute cereorum agnorum differeret, & afferere, puerperam quandam beneficio hujus cerei agni liberatam fuiffe à diuturnis, & graviffimis doloribus ac facilem partum edidiffe; duo Hæretici ruftici recedentes in pagum, cum obiter illac iter facerent, templum ingrediuntur, & rifu narrata à Sacerdote exceperunt; fed unus eorum domum fuam reverfus reperit uxorem puerperii doloribus oppreffam, & in mortis periculo verfantem, nam per totam noctem fuit dolore correpta, & quamvis varia tentata remedia nullum profuit; tunc rufticus ad mentem rediit, cœpit cogitare de narratis à Catechifta, & neceffitate compulfus dolet, fe fubfannatione rem illam narratam excepiffe, & mifit ftatim ad Catechiftam, ut vellet particulam ex agno illo cereo communicare pro uxore periclitante. Quid ultra? fumpfit mulier, deglutivitque particulam illam, & ftatim ejus virtutem fuit experta, ceffavit illico dolor, filium edidit non fine omnium admiratione, & Rufticus gratias agens hærefin, in qua natus erat, abjuravit.

Gretferus de Benedictionibus lib. 2. cap. 51. refert Monachii in Bavaria ingens fuiffe in armamentario excitatum incendium, quo totum armamentarium conflagravit, & omnia flammis fuerunt abfumpta, & tormenta bellica liquefacta; aderat ipfi lignea ciftula, in qua agni cerei benedicti fervarentur; mirum dictu, tot inter flammas, ac fæva incendia incolumis, & illæfa fervata fuit ciftula illa virtute agnorum cereorum, qui in eadem continebantur, quique deprehenfi fuerunt abfque ulla læfione; incendium illud voraciffimum, quod vel ipfa tormenta bellica liquefecit, cereis agnis pepercit, quos nec minimum læfit. Imò non folùm ab incendiis non læduntur hujusmodi ceræ icunculæ, fed virtutem præferunt incendia ipfa, ubi graffantur, extinguendi. Taurini cum prope collegium Patrum Societatis Jefu aliquot effent ædes plurimo refertæ ftramine in quarum viciniis nocte tenuis ignis hæfiffet paulatim in ædes irrepfit ftraminis, ubi ex opportunitate pabuli, quo fe aleret, crefcere illicò incepit in ingens incendium, ac longè, latèque diffundi; cumque ultimum collegio minaretur excidium; præfentiffimum remedium coercendi incendium illud, ne ulterius progrederetur, fuit cereus agnus flammis injectus; continuo enim fubftitit incendium, vires deperdidit flamma, & paulatim decrevit, donec penitus ceffaret, quafi flamma vifa fit pertimuiffe cereum agnum, qui aucto prodigio diu à flammis vifus ab adftantibus in fublimi detineri aëre illæfus, cum naturaliter debuiffet ftatim liquefcere.

In literis Societatis Jefu anno 1591. refertur, quod cum in Japonia ignis quandam corripuiffet domum, & vicinus Chriftianus verit s, ne flammæ fuas irreperent in ædes, ac in proximam infilirent ecclefiam, profugium habuit ad agnum, quem collo deferebat appenfum, quem prolixæ impofitum arundini magna fiducia munitus in Deum flammis appofuit & vento, & illico fuis incendium viribus deftitutum non fuit aufum ædes lædere Chriftiani, nec proximam ecclefiam, quæ potiori parte ex ligno compacta facili negotio in cineres foluta corruiffet. Ex iisdem literis Societatis Jefu habetur quod cum in regno Siciliæ pridie Calendas Junii ingens fuit incendium, ex qua incuria, nefcitur, quod in proximis ædibus collegii Meffanenfis ejusdem Societatis excitatum fuit, nulla hominum induftria extinguendum; tum Rector collegii ad divina cenfuit remedia recurrere; cereos agnos benedictos, riteque confecratos in ignem conjecit; & ftatim compreffa flamma veluti pluviis debilitata vires deperdit, & tandem extinguitur.

Non folùm cereus agnus ritè confecratus fuam contra flammas virtutem pluries palam fecit, verum etiam in procellas, grandines, pluvias, inundationem, & in elementa aëris, & aquæ, quæ pluries compefcuit; refert Auguftinus Caftanus in fua differtatione de virtute Cerei agni benedicti; in comitatu Bononienfi prope confinia Ferrarienfis Ducatus, oppidum exiftere nomine Italico Barifella, in cujus territorio fermè fingulis annis procella, & grandine delabente fegetes obtritæ fpem fallebant rufticorum, qui optata meffe defraudabantur, imò & aliis terræ, plantarumque fructibus, qui intempeftive grandine detriti diffipabantur non abfque ingenti incolarum detrimento; qui ancipites hærebant num ex aëris naturali intemperie, vel ex aliquo maleficii præftigio damnum illud ipfis obtingeret. Cumque in oppido illo Sacerdos quidam Theatinus ibi quadragefimales, ut moris eft in Italia, conciones haberet, & ab incolis intellexiffet confuetum infortunium, illis fuafit firmam fivere fiduciam in confecratos cereos agnos; & indicta generali proceffione per tractum illius territorii populum hortatus eft, fperare in Dei miferentis, & beneficantis auxilio, & fore impofterum ut non amplius fint tale pafturi detrimentum; & crucibus in confiniis illius territorii variis erectis cum particulis in qualibet earum cerei agni benedicti, afleveranter promifit impofterum præfervatum iri illud territorium à procellarum, tempeftatum, grandinum, ac inundationum detrimentis, quod mirabiliter experti fuerunt incolæ obtigiffe; imò non abfque admirationis incremento cum per plures fequentes annos obortæ aëris procellæ grandine, ac pluviis irruentibus vicinos utrinque tractus contererent, illæfus fervatus fuit tractus ille, in cujus confiniis cruces illæ cereis agnis munitæ everfæ fuerunt. Avulneribus infligendis cerei agni itidem hoftes, & graffatores prohibent. In Annal. Capuccinorum anno 1590. cum Jacobus Traverfarius vir nobilis cereum agnum benedictum reali charta contectum à Sacerdote Capuccino accepiffet, colloque appenfum geftaret, catapulta in eum explofa plumbeus globus rectà in agnum fertur, cujus virtus viro illi nobili præfidium fuit, ac tutamen, ne quicquam læderetur, impedivit, globulus enim papyro, in divinæ virtutis teftimonium parum adufta ab eo refilivit, nullumque vulneris fignum Jacobo impreffit.

Refert Varro lib. 6. de lingua Latina apud prifcos ethnicos moris fuiffe collo infantium apponendi metallorum fruftula re turpicula præferente virilem figuram iisdem impreffa ad fafcinationes avertendas;

fed

sed à Christi fidelibus mutata fuit hæc superstitio sub initio ecclesiæ in veram religionem, seu parva illa metallica lamina in cereum paschalem agneum sacro Chrismate delibutum, ac benedictione sanctificatum; eò quia agnus qui immolati Christi Symbolum fuit, ceræ illi imprimeretur, & à figura agni agni Dei fuerunt postea nuncupati, quos recens baptizati deponentes veterem tunicam, & hominem, & annunciantes alleluja suspensos gestarent è collo; sicut Ethnici rem turpiculam suis consueverunt in laminis efformare, quò se viros esse cognoscerent; perinde Christiani post susceptum baptismum Agni assumpserunt effigiem, ut ejus exemplo discerent mansuetudinem, ac mites esse, & humiles ut referunt Cardinalis Baronius ad annum Christi 58. & Spondanus ibi num. 30. Quòd si usus agni cerei invaluit apud fideles anno à Christi natalitio 58. sequitur tempore Apostolorum viguisse hanc consuetudinem, quæ propterea ex Apostolica traditione derivavit in ecclesiam. Censius Camerarius lib. de Censibus quærens quid summus Pontifex agere debeat Sabbato sequenti post Pascha; respondet moris esse ut Pontifex hoc die distribuat agnos confectos chrismate, & cera per Episcopos, & Cardinales; eo quia filii Israel in Ægypto ex Domini præcepto de sanguine immaculati agni limitibus Domorum scripserint hoc signum T. ne ab Angelo percuterentur; & Christiani de sanguine passionis immaculati agni Christi debent hoc signum scribere in limine domorum suarum per fidem, ne à Diabolo, mundo, & carne, quidquam patiantur detrimenti, & à Dæmonis potestate liberentur. Vel etiam propter infantes recens baptizatos in ecclesia deponentes veteres tunicam, & annunciant alleluja. Vel etiam quia habentes in cubiculo hunc cereum agnum, vel secum detulerit non læditur ab ullo Spiritu phantastico, neque à tonitruo vel fulmine. Et Amalarius Fortunatus de Ecclesiast. offic. lib. 1. cap. 17. refert, consuetudinem inolevisse ut die Sabbati sancti benedicantur agni cerei & crismate liniantur ab ipso Romano Pontifice, & delibutos crismate asserventur usque ad octavam Paschæ, quo die post communionem distribuuntur populo; & ait ceram illam crismate delibutam significare Christi humanitatem unctam divinitate ex D. Gregorio in Homilia, & ubi: *Agni quos faciunt Romani, Agnum pro nobis factum immaculatum denotant.*

Usum itidem aquæ lustralis ex Apostolica traditione fuisse in ecclesiam derivatum fatentur Sancti Patres unde S. Clemens Constit. Apostol. lib. 7. cap. 43. refert ritum adhibendi, & benedicendi aquam lustralem inquiens: *Ipsum igitur nunc quoque invocet Sacerdos à baptismo, & dicat; descende de cœlo, & Sanctifica hanc aquam, da ei gratiam, & virtutem; ut qui baptizatur secundùm mandatum Christi tui, cum eo crucifigatur.* Clemens fuit discipulus D. Petri, florens tempore Apostolorum, unde nulli dubium quin tempore Apostolorum usus benedicendi, ac adhibendi aquam lustralem fuerit in ecclesia; quinimò religiosus hic ritus fuit etiam in veteri testamento, Exod. cap. 30. *Lavabunt Aaron, & filii ejus manus suas, & pedes, quoties ingressuri sunt tabernaculum testamenti, & quando accessuri sunt ad altare*, & in libro Numer. cap. 19. vers. 9. habemus ritum, quem Deus tradidit Moysi, ut aqua ad purificationem adhiberetur; & quamvis substantia illius mysterii principaliter referatur ad sanguinem agni immaculati, & ad effectus passionis ejusdem; adhuc tamen respiciebant ritus illi, & cæremoniæ aquam lustralem, quæ in ecclesia adhibetur; quod videtur indicasse Apostolus Paulus inquiens: *Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & sanguis vitulæ aspersus inquinatos Sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi?* sicut igitur populus ille hebraicus legalibus adhærens institutis hircorum, & taurorum sanguine lustrabatur; perinde populi Christiani lustrali baptismi aqua plenè mundantur, ac Deo renascuntur deponentes veterem hominem, & novum induentes innocentiæ, & virtutis ornatu longè pretiosiorem; hinc populus Christianus baptismi sacramento renatus dignè aqua lustrali aspergitur; & sicut sanguis Agni in postibus ad repellendum percussorem collocabatur; ita mysterium aquæ, corpora, & loca munit Christianorum, ait Gratianus de consecrat. distinct. 3. can. aquam. ubi hujus meminit benedictionis: *Aquam conspersam sale benedicimus ut ea cuncti aspersi sanctificentur, ac purificentur; quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ aspersus sanguine populum sanctificabat, atque mundabat; multo magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata populum sanctificat, & emundat.* Burcardus lib. 2. cap. 12. asserit moris fuisse in ecclesia, ut singulis diebus Dominicis Parochi solemni ritu consueverint aquam benedicere, & citat Concilium Nannetense: *Omnibus diebus Dominicis unusquisque presbyter in sua ecclesia ante missarum solemnia aquam benedictam faciat, in vase nitido tanto mysterio convenienti, de qua populus intrans ecclesiam aspergatur.* Sal additur aquæ, quod ab Ethnicis servatum etiam fuit in eorum ritibus quamvis superstitiosis, ut refert Cicero de Divinit. Plinius lib. 12. cap. 18. Ovid. Metamorph. lib. 9. & clariùs præcipit Deus in lege Moysis Levit. cap. 2. ubi præcipitur sacrificio oblatum sale aspergi: *Quicquid obtuleris sacrificii, sale condies: in omni oblatione tua offeres sal;* & lib. Numer. cap. 18. *Pactum salis est sempiternum.* Idque causæ, cur Apostoli, & promulgatores evangelii seu prædicatores significentur per sal, quia eorum doctrina, & adhortationibus præservantur homines, ne corrumpantur seu ne deficiant in fide, & sapiant divina, hinc Christus suas alloquens discipulos ait: *Vos estis sal terræ*, & Marc. cap. 9. *Habetis in vobis sal:* & Apostolus ad Colossenses cap. 4. *Sermo vester sit sale conditus.* Aqua igitur sale mista benedicitur per statutos ab ecclesia ritus, & orationes; & hæc benedictio veluti forma illi confert sanctitatem, efficaciam, ac virtutem spiritualem, ac divinam, ut asserit D. Ambrosius de his qui initiantur cap. 31. inquiens: *Aqua sine prædicatione Dominicæ crucis ad nullos usus futuræ salutis est; cum verò fuerit salutaris crucis mysterio consecrata; tunc ad usum spiritualis lavacri & salutaris poculi temperatur. Sicut ergo in illum fontem Mara Moses misit lignum; ita & in hunc fontem Sacerdos prædicationem Dominicæ crucis misit, & aqua fit dulcis per gratiam*; cui consonat D. Augustinus lib. 50. homil. 27. inquiens: *Quia baptismus id est salutis aqua, non est salutis, nisi nomine Christi consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit; cruce ipsius aqua signatur.* Antiquitus hæc aquæ benedictio ab Episcopis, & in eorum absentia à Sacerdotibus fieri consueverat ad id deputatis; postea ab Alexandro Papa, & Concilio Nannetensi omnibus Sacerdotibus permissa est; excepta tamen aqua lustrali adhibenda in collatione baptismi; & alia quâ consecrantur ecclesiæ, vel pollutæ reconciliantur, quia hujusmodi aquæ benedicuntur habitibus, & cæremoniis Pontificalibus ut habetur in cap. proposuisti, & cap. aqua de consecrat. eccles. & docent communiter canonistæ. Usus autem aquæ lustralis extenditur circa omnes alias benedictiones, & præsertim, quæ adhibentur in iis, quæ ad divinum cultum pertinent, cujusmodi sunt

vestes

vestes sacerdotales, corporalia, candelæ, rami olivarum, cineres; imò etiam benedicuntur domus, cubicula, cibaria, & alia similia, ad quos fines solet in cubiculis asseruari; imò & præ foribus ecclesiarum, in quas populi Christiani ingressus est frequentior; ut aqua lustralis in ipso ecclesiarum ingressu præsto sit fidelibus, ad levium sordium expiationem; scimus in veteri testamento, fuisse in templo labrum æneum, quo Sacerdotes manus, pedesque lavabant, sordesque omnes abstergebant, antequam tabernaculum ingrederentur, & ad altare accederent, Exod. 30. Hinc moris etiam est in novo testamento, ut præ foribus ecclesiarum constituantur fontes aquæ communis, ut ingressuri ecclesiam possint manuum, & faciei sordes abstergere, ut monet D. Paulus 1. Timot. 2. meminit hujus moris Clemens 8. Constit. quæst. 38. cumque referunt Tertullianus de orat. cap. 11. Eusebius 10. histor. cap. 4. Paulinus epist. 12. & alii plures; & naturæ instinctus rationem nobis suggerit, quia decet unumquemque ad Deum accedere purum absque ulla macula; hinc non solùm Christiani verùm & ipsi Ethnici, ac Judæi ante debitum cultum exhibendum Deo consueverint se aquâ abstergere ut nonnisi mundi sua Numini præstarent obsequia. Verùm hisce lavacris, & fontibus apud Christianos successit aqua à Sacerdote benedicta, quibusdam veritatis priùs precibus, & asservari solet in domibus privatis ut sit usui fidelibus; & in ipso ecclesiarum ingressu ad venialia peccata abstergenda; & hæc institutio suam in ecclesia trahit originem ab Apostolis; siquidem in libro de Romanis Pontificibus legimus, Alexandrum Papam qui sedit in Petri cathedra anno Christi 109. fuitque sextus in militante ecclesia summus Pontifex post D. Petrum constituisse, ut aqua aspersionis cum sale benediceretur in habitaculis hominum, quod jam pridem Apostolica traditione institutum fuerat, adeo ut Alexander Apostolicum decretum confirmaverit, ac corroboraverit. Imò non solùm aqua, sed etiam oleum, panis, & alia hominum usui inservientia ex Apostolica traditione benedicuntur in ecclesia, exemplo Christi qui Luc. 9. pacem daturus antea benedixit; neque hujusmodi benedictiones species sunt incantationum, ut blaterant Novatores; quin potius ad eas dissolvendas, aliasque Dæmonis artes aversendas benedictiones adhibentur.

Quod verò aqua lustralis in benedictionibus aliisque usibus rectè adhibeatur plura confirmarunt virtute aquæ lustralis patrata miracula; 4. Reg. 2. dixit ille: *Aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis*, scilicet Jericho; subjunxit Elisæus: *Afferte mihi vas novum, & mittite in illud sal.* Misit sal in fontem aquarum, quæ sanatæ sunt, ac salubres, puræque factæ; & non fuit ultra mors nec sterilitas. Certum est, Elisæum ex divino instinctu usum fuisse tali cæremonia; ut inde discerent quanta insit aquæ sale mistæ virtus. Quin imò etiam Naamanum 4. Reg. 5. curavit aqua Jordanis à lepra: neque censendum est, hanc virtutem abstergendi lepram fuisse à natura tali aquæ inditam; alioquin semper illam servaret, eumdemque præstaret effectum; sed tribuenda est hæc virtus Elisæi orationi; ergo à fortiori orationes ab Ecclesia institutæ pro benedicenda aqua lustrali vim habent illi communicandi virtutem supernaturalem ad curandas infirmitates, fugandos dæmones, extinguenda incendia, solvenda maleficia, coercendas procellas, & alia mira præstanda. Theodoretus *in Historia S. P. de Ephrate Anachoreta* refert, quòd cum in Perside ingentes locustarum exercitus omnes dissiparent terræ fructus, segetes, plantas, nemora, & prata devastarent, totamque everterent regionem; rogatus vir Sanctus à quodam rustico, ut suum agellum à clade imminente locustarum defenderet; jussit adferri à rustico vas aquæ, cui imponens manum Deum enixim rogat, ut elemento illi suam gratiam impertiatur, absolutis precibus jussit aquâ illâ agelli fines aspergi, cumque fuissent aspersi, non ausæ fuerunt locustæ agellum illum aggredi, neque ingredi, nec quicquam ei detrimentum inferre, quamvis utrinque ex parte qualibet conterminos campos devastaverint. Baronius anno Christi 885. *de rebus gestis Stephani Papæ*, ait: Cum clades locustarum, quæ Prædecessoris sui Hadriani totam patriam consumpserant, camporum fructus destruxerint, misertus Pontifex afflicti populi primum evulgavit, quòd si quis ex locustis illis unum sextarium caperet, sibique attulisset sex denariis illud emeret Papa; cumque populi lucri causa plures similes mensuras attulissent locustarum venum daturi Pontifici; nec tamen damnum minueretur; tunc Pontifex ad divinam se opem convertit, acceditque ad oratorium Beati Gregorii, ubi ejus lectus servabatur juxta ecclesiam Principis Apostolorum; cumque ibi cum lacrymis preces fudisset, aquam propriis manibus benedixit, jussitque distribui populis ut in nomine Domini agros, camposque adspergerent; sed vix cœperunt populi campos aspergere statim turmæ locustarum aufugerunt, ut nec una superfuerit. Finitimi populi hæc audientes ad Urbem confluxerunt, sibique subveniri petierunt, eo quia tota regia sit locustis cooperta; quibus Papa suasit, ut à Deo suppetias peterent, ac lustrali aqua suos aspergerent campos, qui cum fuerint obsequuti, cladem itidem declinarunt locustarum.

Refert Possevinus, Calvinistam quemdam indoluisse, eo quia in suo districtu Livoniæ Provinciæ non posset amplius lupos capere, incusabat foveas, quæ in earum capturam fiunt fuisse à rusticis incantationibus præditas; respondit Sacerdos, cum quo Calvinista conquerebatur, se lustralem habere aquam, cujus beneficio speraret fere ut incantationes solverentur, & ipse posset ut antea lupos capere; risit tunc Calvinista subdens; si hujusmodi incantationes videro aqua tua lustrali dissolutum iri, luposque propterea capi, credam rem esse divinam; Sacerdos igitur aquam benedixit, foveasque illas conspersit, in quibus statim aliquot fuerunt lupi capti. Arnoldus Raysius in vita B. Evernoldi refert, contigisse ut Frisii ab Henrico comite Raceburgi capti fuerint, pro quorum dimissione cum frustra vir Sanctus intercessisset, in festo Paschæ catenis vincti cum in ecclesia cum cæteris fidelibus adstarent, & Evernoldus aqua lustrali eos cum reliquis adspersisset, eorum vincula statim disrupit, dicens verba illa Davidis: *Dominus solvit compeditos*, ac pristina fuerunt libertate donati, in cujus miraculi fidem catenæ illæ servatæ fuerunt. Silos *in vita venerabilis Francisci Olympii Theatini lib.* 1. c. 17. ait: Cum quidam Faber Ferrarius, cui nomen Ludovicus Campanili, phialam aqua lustrali plenam à Francisco Olympio in solamen infirmorum recepisset, & pluribus jam communicâsset ad invectos morbos depellendos, & pluribus occurrentibus infirmis eandem elargiretur diebus fermè singulis, adhuc phiala nunquam fuit imminuta, eo quia charitas, ac divina virtus occultis venis novam semper refunderet supplentem defectum impertitæ infirmis.

Hinc aqua lustralis ob tres fines benedicitur. Primò ad significandum effectum aliquem spiritualem, qui finis in omnibus intenditur quæ benedici solent ab ecclesia; etenim cinis qui primo die quadragesimæ benedicitur significat pœnitentiam, quam de peccatis agimus in cinere, & cilicio, & humiliamus capita no-

stra,

stri, ad quos nos hortatur ecclesia canens in missa: Humiliate capita vestra. Palmæ & rami olivarum qui benedicuntur indicant Christi victoriam, & pacem quam procuravit hominibus. Cereus paschalis designat gloriam Christi resurgentis. Chrisma, & oleum sanctum, fortitudinem spiritualem in Lucta contra Dæmonem, & specialem sanctificationem eorum, qui inunguntur. Neque hujusmodi significationes sunt figuræ, & umbræ futurorum, sed repræsentationes externæ rerum præsentium invisibilium, & spiritualium. Secundo benedicitur aqua ab ecclesia ad delenda peccata venialia, ut enim ait D. Thomas 3. part. quæst. 3. *Ad remissionem peccati venialis non requiritur infusio novæ gratiæ; sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale, vel explicitè, vel saltem implicitè, sicut cum quis ferventer movetur in Deum.* Hinc tripliciter potest peccatum veniale remitti. Primò per infusionem gratiæ, quæ hæc cum infunditur delet omnia peccata & hoc pacto per sumptionem Eucharistiæ & omnium sacramentorum novæ legis in quibus confertur gratia, remittuntur peccata venialia. Secundo quatenus per aliquem actum supernaturalem detestamur peccata illa, quo pacto generalis exomologesis, pectoris tunsio oratio Dominica, in qua dicimus: *dimitte nobis debita nostra*, operantur remissionem venialium. Tertiò quatenus habemus aliquem modum reverentiæ in Deum, vel ad res divinas; quo pacto benedictio episcopalis, aspersio aquæ lustralis, & quælibet sacramentalis unctio, oratio in ecclesia consecrata & alia id generis cooperantur ad remissionem venialium. Neque ullum facessit negotium quod Joan. 1. dicatur; *Sanguis Christi emundat conscientiam nostram ab omni peccato*, consequenter si ab omni peccato, etiam à venialibus. Respondetur id esse verum si nobis applicetur aliquo modo; sicut enim nobis applicatur per baptismum, & pœnitentiæ sacramentum ad delenda omnia peccata; ita etiam nobis applicatur per sacramentalia ad delenda venialia. Benedicitur itidem aqua ad fugandos dæmones, curandos morbos, ut colligitur ex precibus ordinatis ab ecclesia in tali benedictione aquæ. Verùm hæc sacramentalia non operantur infallibiliter, sicut sacramenta; quia sacramentalia non habent vim ex pacto Dei expressò, sicut sacramenta, sed sacramentalia tantùm ex precibus ecclesiæ, & devotione suscipientium, vel utentium. Unde virtus aquæ lustralis est spiritualis innixa, vel impressa à Verbo Dei, à signo salutifero crucis, & ab oratione ecclesiæ, vel ab ipso Christo exaudiente preces ecclesiæ, & requisitum concedente effectum ad præsentiam vel usum, & applicationem, seu aspersionem aquæ. Hinc S. Cyprianus ait: *Ideo homines aqua benedicta asperguntur, quia valet ad sanctificationem*; & Ezech. 36. ait: *Aspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab immunditiis vestris, & dabo vobis cor novum, & spiritum novum*, hinc orta fuit in ecclesiis aspergendi populum aqua lustrali, ut si quæ contraxit peccata venialia beneficio talis aspersionis deleantur, justus enim dicitur septies in die cadere quod intelligitur de venialibus, alioquin non perseveraret in justitia.

Ritus antiquus benedicendi aquam habetur in Euchalogio Græcorum, in Pontificali Armenorum, in cæremoniali Syriaco, in Rituali Æthiopiæ, & apud D. Dionysium de Ecclesiastica Hierarchia cap. de baptismo, ubi ait, aquam sacris invocationibus consecrari; & D. Basilius lib. de Spiritu S. cap. 27. ait: Apostolorum esse traditionem. Hujus ritus meminit Theodoretus lib. 5. cap. 21. Epiphanius hæres. 27. & Augustinus homil. 27. ex libro 50. & Serm. 19. de sanctis asserunt, aquam signo crucis in ecclesia consecrari; & Concilium Nannetense can. 4. præcipit Sacerdoti infirmos invisenti, ut eum, ejusque cubiculum adspergant aqua lustrali. Et Alexander I. sub primis ecclesiæ initiis, utpote qui fuit sextus Post D. Petrum Romanus Pontifex, loquens de aqua lustrali ait: *Aquam sale conspersam benedicimus ut ea cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur; quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus; nam si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat atque mundabat intellige à venialibus, vel ab immunditiis legalibus multo magis aqua sale conspersa, divinisque precibus sacrata populum sanctificat, atque mundat à venialibus, & si sale aspersa per Eliseum sterilitas aqua sanata est, quantò magis precibus Sacratus sal sterilitatem rerum auferet humanarum, & coinquinatos sanctificat, & purgat, & cætera bona multiplicat, ac insidias diaboli avertit, & à phantasmatis versutiis homines desfendit.* Et S. Cyprianus ait: *Quod ideo homines aqua benedicta asperguntur, quia valet ad sanctificationem*, scilicet ad delenda peccata venialia, ut sanctior sit ac purior à quavis defœcatus peccati labe; hinc Ezechiel. 26. ait: *Aspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab immunditiis vestris, & dabo vobis cor novum, & spiritum novum*, & Numer. 19. innuitur deletio immunditiæ legalis beneficio aspersionis aquæ: *Qui tetigerit cadaver hominis, sive humanæ animæ morticinum, & propter hoc octo diebus fuerit immundus, aspergatur ex hac aqua die tertia, & septima, & sic mundabitur à peccato, si enim aspersus non fit die tertia non poterit septima emundari.* Levitæ itidem purificari debuerunt aqua purificationis; hinc constat in lege veteri aspersionem aquæ fuisse institutam pro lavacro ad delenda peccata legalia, ac immunditias legales.

Hinc perperam asserunt Novatores has omnes benedictiones suam ab Ethnicis originem trahere, ac esse ritus superstitiosos, ac Ethnicos, cujus consecrationem ajunt tribui posse alicui Gentilium Pontifici, & non Alexandro Papæ, nec Apostolis, ut putant Magdeburgenses centur. 2. cap. 6. Sed contra quia tametsi aqua lustralis fuerit in usu apud Gentiles respondet tamen Cyrillus catechef. 3. apud Gentiles aqua dicebatur lustralis per invocationem Dæmonum; & in Ecclesia aqua fit lustralis per invocationem Spiritus Sancti, Christi æterni Patris, à quibus accipiens sanctitatem illam communicat aliis, qui tali aqua asperguntur, & D. Ambrosius lib. de his qui mysteriis initiantur cap. 3. ait: aquam nisi priùs signo crucis sacretur non valere ad sanctificandum, seu delendum venialia, & nullum in ecclesia haberi usum. Novatores tamen rident conjurationem & exorcismum salis, & aquæ qui in eorum benedictione usurpatur ab Ecclesia; asserunt enim absurdum esse, quòd sacerdos in benedicenda aqua rem alloquatur insensibilem, & dicat: *Exorcizo te creatura salis per Deum vivum, ut fias aqua exorcizata, vel sal exorcizatum in salutem credentium;* ajunt Novatores possidere has creaturas. Imò ajunt in rituali Romano plures esse exorcismos comestibilium, ut ex eis abigantur Dæmones, adeo ut in pluribus Ecclesiis præsertim in arvis, oppidisque adducantur à Rusticis vaccæ, vituli, oves, ut conjurentur, & sanctificentur, ac si caro eorundem animalium immunda esset ex natura sua, & sub dæmonis possessione. Sed contra quia omnes creaturæ fuerunt à Deo conditæ, ut homini aliquo modo inservirent, eæ tamen per peccatum fiunt Diaboli, proinde quæ ad ipsas pertinent, videntur aliquo pacto sub Dæmonis potestatem venire;

hinc Sapien. 14. *Creaturæ Dei factæ sunt in odium Dei, & in muscipulam insipientium* cum constet aëreas potestates diversimodè nocere hominibus, & omnibus eisdem inservientibus, ait Chrysostomus in epist. 1. ad Timot. 4. ubi Apostolus ait: Omnis creatura Dei bona est, & nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem; ait enim loqui ex hypothesi, quod omnis creatura bona munda sit, quia si esset immunda facile eam posset sanctificare adhibito signo crucis, & oratione. Quòd si res immundæ sanctificantur per signum crucis, & prævias orationes, quanto magis res per se bonæ aspersæ aqua lustrali fient meliores, & sanctiores.

Quamobrem cùm hæ benedictiones fuerint ab Ecclesia tempore Apostolorum institutæ ex instinctu Spiritus Sancti, rectè, & sanctè adhibentur, qui enim audit Ecclesiam, Christum audit, ideoque infinitis miraculis usum aquæ lustralis in Ecclesia comprobavit, ut paulò superiùs recensuimus, & Epiphanius hæres. 30. asserit Judæos incantationibus & præstigiis ignem ligâsse ne calcem decoqueret pro construenda ecclesia, sed ad fidem Catholicam conversus unus ex Judæis illis, cui nomen Joseph, aquam in vas detulit factoque super illam crucis signo, & nomine Jesu invocato, dixit: In nomine Jesu Nazareni, quem crucifixerunt Patres mei fiat virtus in ista aqua ad solvendam omnem incantationem, & magiam, quam homines isti fecerunt, & accepta aqua benedicta singulas fornaces aspersit, & dissoluta statim fuerunt incantamenta, & ignis coram omnibus pariter emersit & vires habuit ad calcem coquendam. Cyprianus Arelatensis in vita Sancti Cæsarei Arelatensis Episcopi refert cap. 19. Cæsareum requisitum ab Elpidio Medico ut cacodæmonis injurias domum suam infestantis coerceret, ac à suis domesticis parietibus expelleret, venit Cæsarius in domum quam in primo suo ingressu aqua lustrali aspersit, & statim cessavit dæmoniaca illa vexatio nec amplius auditi fuerunt nocturni strepitus, & S. Gregorius Magnus 1. dialog. cap. 10. narrat S. Fortunatum curâsse quendam, qui cadens ex equo femur confregerat solius aquæ benedictæ aspersione. D. Bernardus in vita Malachiæ refert ab illo beneficio solius aquæ lustralis fuisse freneticum curatum, ac pristinæ restitutum sanitati, & Theodoretus lib. histor. cap. 13. ait: Nobilissimam fœminam nomine Asiriam emotæ mentis devenisse, adeo ut nullum ex domesticis amplius agnosceret, nec posset cibum sumere, nec potum; sed ejus maritus hâc super re cum Episcopum consuluisset, jussit Præsul aquam afferri, quam salutari crucis signo benedixit, deditque bibendam mulieri, quam cum primum deglutivit, sui compos facta est, & totaliter à morbo liberata.

Rident Acatholici, quòd fideles in Ecclesiis, & Cœmeteriis, aqua benedicta aspergant mortuorum sepulchra credentes aqua illa modica flammas extinguere, quibus in alia vita torquentur. Sed contra; quia illa aspersio super tumulos tametsi nulla proferatur oratio, est singularis modus applicationis suffragii ecclesiæ, cui defuncti, ut habetur in symbolo Apostolico Credo sanctorum communionem, non cessant communicare siquidem defuncti cum vera fide. & fideles viventes unam tantum componunt Ecclesiam neque necessè est absolutè ad talem valorem suffragii speciales recitare orationes, tametsi consultius sit eas præmittere, cum oratio semper annexum fructum suum habeat, cæterum sola aqua applicata juxta ritum, & intentionem Ecclesiæ suam consequitur efficaciam.

Instant Hæretici inutile esse orare pro defunctis consequenter & aqua lustrali eorum tumulos aspergere in Ecclesiis, & cœmeteriis, imò asserunt esse peccatum ita argumentantur: Quidquid non est ex fide, est peccatum; orare pro defunctis non est de fide ergo est peccatum, probo minorem, quia quidquid fit cum dubitatione, & aliqua hæsitatione non est ex fide; quia hæc expellit omne dubium, omnemque hæsitationem excludit, atqui orare pro mortuis fit cum dubitatione, & hæsitatione, qui enim orant pro mortuis, ignorant statum eorundem, & utrum mortui sint ex numero Salvorum, vel damnatorum. Sed contra quia bonum esse ac utile orare pro defunctis est certum de fide, quia scriptura lib. 2. Machab. cap. 12. v. 43. Id luculenter adstruit inquiens *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*, neque dubitare possumus libros Machabæorum esse sacros, & canonicos cum id definierit Ecclesia in pluribus Conciliis Generalibus, ut Gelasius Papa in Concilio Romano, ut habetur Tom. 2. Concil. in Concilio Sardicensi, cui interfuit D. Augustinus, qui lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. probat, libros Machabæorum esse canonicos, neque obstat quod in Hebræorum canonem relati non fuerint; siquidem canon ille tempore Esdræ consignatus est cum libri Machabæorum nondum extarent. Cæterum D. Augustinus in libro de cura pro mortuis gerenda cap. 1. ait: *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed & si nusquam in scripturis veteribus legeretur, non parva tamen est universæ Ecclesiæ; quæ in hac consuetudine claret authoritas; ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Quanti enim sit momenti universæ Ecclesiæ authoritas ex eo facilè conjici potest, quia Ecclesia in rebus pertinentibus ad fidem bonos mores, & salutem fidelium non potest errare, est enim ut ait Apostolus, *firmamentum, & columna veritatis* contra quàm portæ nunquam erunt prævalituræ. Ecclesia autem in fundendis precibus pro defunctis sequitur exemplum Judæ Machabæi à sacra scriptura approbatum, & doctrinam ac institutionem Apostolorum, ut testatur Chrysostomus homil. 69. ad popul. ubi ait: *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio*, & ante illum meminit hujus consuetudinis orandi pro defunctis Tertullianus in lib. de coron. milit. Tum quia Hæretici olim habiti sunt, quia negarunt esse pro defunctis preces fundendas, ait enim Augustinus lib. de hæresibus cap. 53. Aeriani ab Aerio quondam sunt nominati, qui cum esset Presbyter doluisse fertur, quòd Episcopus non potuerit ordinari & in Aerianorum hæresin lapsus propria quoque dogmata addidisse, scilicet nec orationes fundere pro defunctis, neque oblatione offerre pro mortuis.

Hinc ad argumentum adversariorum ad majorem respondetur fidem de qua Apostolus loquitur non sumi pro hypostasi rerum sperandarum, sed potiùs pro persuasione, seu dictamine conscientiæ, quo quis judicat hoc vel id sibi licitum esse, aut prohibitum, in hoc sensu quidquid ex fide non est seu non est juxta propriam conscientiam & nihilominus fit, tunc peccatum est, quia operans id agit quod censet non esse licitum. Tunc enim homo peccat quando agit contra dictamen, & persuasionem propriæ conscientiæ; & ita explicant verba Apostoli SS. Patres Ambrosius Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus. Hunc esse verum sensum Apostoli patet ex decursu totius capitis; Apostolus enim instruit novos Christianos, quomodo debeant se gerere in usu ciborum. Judæi putabant, legem Mosaicam de ciborum

discri-

discrimine adhuc vigere, ac servandam esse, ideoque abstinebant à cibis illis, qui secundum legem Moysis immundi erant, ac prohibiti. Secus Gentiles nullum faciebant discrimen, sed promiscuè de omnibus comedebant; hinc orta fuit contentio inter illos; Judæi credebant, Judæos male agere, quia à quibusdam cibis se abstinerent; & vicissim Gentiles judicabant, Judæos superstitiosos esse, quod se abstinerent à certis cibis, utrosque arguit Apostolus inquiens: *Is qui manducat, non manducantem non spernat; & qui non manducat, manducantem non judicet; Deus enim illum assumpsit*, ac si diceret: Gentilis qui cibos à lege Moysis prohibitos manducat, non spernat Judæos ab iisdem abstinentes; & Judæi se abstinentes à cibis illis, non judicent gentiles illos comedentes; *sed unusquisque in suo sensu abundet*, seu propriæ adhæreat opinioni; quia res hæc de ciborum discrimine cum sit indifferens, eo quia lex Mosayca tunc cum Christo mortua esset, ac abrogata; quisque agat quod sibi rectum esse videtur: Judæus abstineat, Gentilis manducet, & neuter alterum judicet; probat Apostolus neutrum malè agere, ac proinde neutrum temerè esse judicandum; quia cum lex Mosayca ponens discrimen inter cibos sit abrogata, & cum Christo mortua; proinde nullum cibum Christianis esse immundum, nisi ei qui ex conscientia erronea judicat esse immundos, eo quia judicet, legem Moysis ex hac parte adhuc obligare; subdit Apostolus: *Qui autem discernit si manducaverit, damnatus est; quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide peccatum est;* id est qui putans cibos à lege Moysis prohibitos, adhuc esse immundos, & existimat non esse licitum eas comedere; si nihilominus illos manducet proprio judicio damnatus est, quia agit contra dictamen propriæ conscientiæ. Hinc manifestè apparet Apostolum non loqui de illa fide, quæ est *substantia rerum sperandarum* & quæ propriè fides dicitur; sed de ea quæ consistit in persuasione, & dictamine conscientiæ, quæ fides potest cum errore cohærere; non verò quæ propriè est fides, de qua ait Apostolus ad Hebræos 11.6. *Sine fide impossibile est placere Deo:* de Posteriori, seu dictamine conscientiæ habetur regula juris in 6. *Possessor malæ fidei non præscribit*; & de hac loquens Innocentius in Concilio Lateranensi ait: *Quoniam omne, quod non est ex fide peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica, quàm civilis.*

Ad aliud quod addebant Novatores, fidem Christianam, quæ est hypostasis rerum sperandarum excludere omnem omnino dubitationem, etiam illam quà quis ignorat statum illius pro quo preces fundit. Respondetur hoc esse falsum, quia vera fides excludit tantum omnem dubitationem circa proprium objectum, seu circa fidei articulos à Deo revelatos; de illorum veritate nunquam licitum est dubitare, de aliis verò rebus, quæ non continentur in objecto fidei, dubitari potest, ut an anima talis defuncti sit in purgatorio vel in paradiso, quia de statu illius animæ nil certi habemus, cum nobis non fuerit à Deo revelatum, proinde non prohibemur de illo dubitare. Secus de iis, quæ fuerunt à Deo revelata non possumus salva fide dubitare, ut de mysteriis à Deo revelatis, de Trinitate divinarum personarum, de passione morte, resurrectione, & ascensione Christi in cœlum.

Non possumus dubitare, quòd Deus promiserit se exauditurum nostras preces, si debito modo illas fuderimus. Neque possumus dubitare de veracitate, ac fidelitate Dei, quia utrumque est revelatum Joan. 16. v. 23. *Amen, Amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et Apostolus ad Hebræos: *Fidelis est qui repromisit.* Secus potest qui orat dubitare an impetraturus sit, quod petit, quia nescit an debito modo oret; hinc potest itidem dubitare an sit impetraturus pro alio; Et etiam in quo statu sit alter pro quo orat; quia hæc posteriora non sunt speciatim ad Deo revelata; quia Dei promissio non est absoluta, sed conditionata: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*, & cum duplici conditione intelligenda est promissio; prima est, si piè ac perseveranter petieritis; altera dabitur vobis, si expedierit, & cum nos persæpe dubitemus, an expediat, nec ne, ideo Deum enixim quantum possumus oramus, ut nostras exaudiat preces si quod petimus animæ profuerit nostræ; atq; etiam Apostolus ter Dominum rogaverat, ut auferretur ab eo stimulus carnis, & tamen non fuit exauditus 2. Corinth. 12. v. 7. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me; & dixit mihi sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* Rursus potest quis dubitare an impetraturus sit quod petit pro alio, quia Deus non promisit se exauditurum preces nostras quas fundimus pro aliis, sed tantùm quas fundimus pro nobis ipsis. Tum quia plerumque fit, ut alius pro quo preces fundimus sit indignus ob sua demerita ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 7. ad 2. ubi ait: *Contingit persæpe, ut oratio pro alio facta non impetret, etiam si fiat pie, & perseveranter, propter impedimentum, quod est ex parte illius pro quo oratur*, Hinc Deus prohibuit, Hieremiam orare pro populo, Hierem. cap. 7. vers. 16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te*, & addit causam, *quia libat Diis alienis, & ad iracundiam me provocant.* Potest id confirmari exemplo Christi, & Stephani Protomartyris; uterque rogavit pro suis persecutoribus, & neuter ob impedimentum in iisdem impetravit quod petiit; Christus Luc. 23. v. 34. *Pater dimitte illis! non enim sciunt quid faciunt*; & Stephanus Actor. 7. 59. Domine ne statuas illis hoc peccatum; & ob superbiam, & duritiem persecutorum non fuerunt digni venia. Præterea potest quis salva fide dubitare de statu alterius pro quo orat an dignus, vel indignus sit tali gratia, vel beneficio, an justus vel injustus; vivus, an mortuus, quæ omnia cum non comprehendantur in objecto fidei, licet de iisdem dubitare; non enim Stephanus cum oraret pro lapidantibus, scivit in quonam statu quilibet eorum esset; & an oratio esset omnibus illis profutura; & quando status illius pro quo preces funduntur non innotescit oranti, tunc orans potest pro illo orare. Hinc Paulus cum Romæ detineretur in vinculis scripsit ad Ephes. 6. 19. & ad Coloss. 4. ut instanter, & omni tempore pro ipso orarent; nec dubitum quin id fecerint; & tamen ob delapsum temporis intervallum, meritò poterant dubitare de statu D. Pauli an adhuc Romæ detineretur in vinculis, an capite jam plexus esset? unde quamvis dubitemus de statu aliorum adhuc possumus pro illis orare; consequenter quamvis ignoremus statum Defunctorum adhuc possumus pro ipsis preces fundere, & sacrificia offerre.

Duobus modis possumus id præstare; primò generatim pro iis omnibus qui in purgatorio detinentur quicunque illi sint; & hoc pacto non ignoramus statum illorum, pro quibus preces fundimus, quamvis ignoremus in individuo personas; cognoscimus enim eas esse in statu gratiæ, & habere fidem, spem, & charitatem, quòd futuri sint hæredes vitæ æternæ, & donandi cœlesti gloria, quam-

quamvis debeant prius per ignem emundatorium maculas superstites peccatorum abstergere; & per nostras preces possint juvari, ac citius à pœnis illi liberari. Secundò possumus speciatim orare pro aliquo defuncto in particulari, ut pro patre, matre, fratre, amico; & tunc verum est nos ignorare statum illius specialis personæ, pro qua oramus, & nihilominus possumus pro eadem conditionatè orare, ac sacrificia offerre; hoc est si persona illa defuncta indiget meis precibus, & oblationibus pro eadem Deo offero ut ipsi sit in solamen, & ut citius à pœnis illis liberetur; neque tunc frustra preces fundimus, quia tametsi nihil preces nostræ impetrent, pro quo oramus, vel quia non indigeat, vel ex alia causa, non propterea oratio nostra est vacua, & sine fructu; quia prodest ipsi oranti juxta illud Davidis Psal. 34. v. 13. *Oratio mea in sinu meo convertetur*; seu quamvis non prosit aliis pro quibus oravi, quia digni non fuerint; non tamen sum ego mea frustatus mercede, ut explicat D. Thomas *in* 2. 2. *q.* 83. *art.* 7. *ad* 2. hinc etiam Christus Matth. 10. v. 13. hoc idem significavit, cum dixit suis discipulis: *Intrantes autem domum salutate eam dicentes: pax huic domui, & si quidem fuerit domus illa digna veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna pax vestra revertetur ad vos.* Oratio enim affusa ab homine justo præter internam consolationem Spiritualem, quem menti affert, & internam tranquillitatem animi qua internus homo piè quiescit, triplicem in se continet efficaciam unam merendi quatenus procedit ex charitate in qua simul cum libertate radicatur meritum alterum satisfaciendi quatenus aliquo pacto est opus pœnale, quo pro nostris satisfacimus culpis; & tertiam impetrandi, eò quia sit aliqua petitio, ut cum D. Thoma *in* 2. 2. *q.* 83. *art.* 15. docent Theologi. Prima efficacia est orationi communis cum quovis opere bono præcedente etiam ex charitate; siquidem omne opus bonum hominis justi in hac vita, quod à charitate proficiscitur, vel imperatur, est meritorium, ut docet D. Thomas loco cit. sicut è converso quod procedit ab homine non habente charitatem tametsi tale opus sit alioquin bonum, & honestum, destituitur tamen merito, quia ut scribit Apostolus 1. Corinth. 13. v. 1. *Si linguis hominum loquor & Angelorum charitatem autem non habeam factus sum veluti æs sonans aut Cymbalum tinniens, & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest*: altera efficacia, quæ est satisfacere pro culpis, est communis cuilibet operi pœnali; siquidem omne opus elicitum ab homine justo, quodque in executione aliquam ingerit molestiam vel pœnam adfert operanti est satisfactorium pro pœna temporali debita peccatis; quapropter consuetudo inolevit in ecclesia Catholica, ut sacerdotes audientes Sacramentalem confessionem injungant pœnitentibus aliquod opus pœnale, & laboriosum pro satisfactione, cujusmodi sunt jejunia flagellationes corporis, orationes prolixæ visitare plures Ecclesias, & alia id genus exercitia pietatis, quia sicut per confessionem, & absolutionem delentur peccata quoad culpam ita per opera pœnalia tolluntur quoad pœnam utrumque tamen nonnisi ex meritis Christi fit, quatenus per hujusmodi media nobis applicantur. Tertia efficacia, quæ est impetratoria est illi propria & peculiaris, quia sicut jejunio præter communem vim merendi, ac satisfaciendi peculiare est corpus macerare ac spiritui subjacere; eleemosynæ indigentium miseriæ opitulari; ita orationi proprium est, aliquid à Deo impetrare; eatenus enim preces fundimus, seu petimus ut impetremus, ait enim Christus Matth. 7. v. 7. *Petite, & accipietis.* Quamobrem nunquam Oratio hominis justi in hac vita omni destituitur fructu tametsi non semper impetret, quod per fusas preces petitur, retinet enim semper efficaciam merendi, & satisfaciendi propriis culpis, præterea homo justus, quotiescunque legitimè orat, meretur sibi augmentum gratiæ Deo satisfacit pro pœna temporali, cui est obnoxius.

# CAP. IV.

## De Benedictione panis, olei, & Chrismatis eorumque usu.

Moris fuit etiam in primitiva Ecclesia benedicendi panem, quem Græci Eulogia vocant; fuit enim usus hujus panis benedicti perquam frequens apud priscos fideles; distribuebatur siquidem Catechumenis, qui de mensa Eucharistica non participabant; deinde etiam baptizatis distribui solebat, qui ad communionem Dominicam non erant dispositi; panis enim benedictus Symbolum habebatur fraternæ Charitatis, & in aliquibus Provinciis Antonomasticè hujusmodi panis benedictus charitas nuncupatur, hinc consuetudo inolevit, qua in qualibet Ecclesia non nisi unicus conficeretur panis, quo denotaretur unicum corpus mysticum à Christo unico capite dependens, eique subordinatum, quo inde ad communionem spiritualem invitarentur, & ad sacramentalem disponerentur, ut explicat D. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. ubi asserit, quod tametsi panis benedictus non sit corpus Christi, est tamen Sanctior cæteris cibis quibus alimur, & quid sacramentale sanctificatum per verbum Dei, ut scribit Apostolus 1. ad Timot. cap. 4. inquiens: *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.*

Communicabant igitur etiam fideles per hunc panem benedictum, quo communionem ecclesiæ accipiebant, ad quam resipiscentes sine Eucharistia admittebantur; communionis enim jus illud consistebat in rerum omnium humanarum, ac divinarum participatione; hinc excommunicati non solum à sacris arcebantur, verum etiam omnibus erant exosi, & omnes eos abhorrebant, & nemo eos salutatione, vel alloquio aut convivio dignos judicabat, imò nec licitum erat cum eis preces fundere, ut habetur 11. Can. Apostolor. *Si quis cum excommunicato licet in domo preces conjunxerit, iste communione privetur*, & in Concilio Laodicensi can. 93. prohibitum fuit fidelibus cum Hæreticis, & Schismaticis orare, & in Concilio Carthaginensi IV. can. 73. habetur: *Qui communicaverit, & oraverit cum excommunicato sive clericus sit sive laicus excommunicetur*; hinc in primitiva Ecclesia dividebatur communio, ut alia diceretur laica, quæ jus in Christi corpore mystico, & ecclesia indicabat; alia vocabatur communio ecclesiastica, de qua tot extabant species, quot sunt ordinum gradus. Cum verò quis omnimoda depositione puniebatur, seu ab honore gradus & functione removebatur, is censebatur amisisse jus integrum communionis ecclesiasticæ; fuitque inter laicos relegatus; perinde ac quoties Clerici excluduntur à communione, si nihil addatur, id de ecclesiastica communione intelligitur, ut habetur in Concilio Arelatensi II. can. 30.

Secun-

*Secundum instituta Seniorum, si à communione Sacerdotali exclusus fuerit Episcopus; hunc non solùm à Clericorum verum etiam à totius populi colloquio atque convivio placuit removeri.*

Cæterum communio alia etiam vocabatur peregrina, cum clericus sive simplex sive Presbyter sive Episcopus fuerit, si proficicens in alienam Religionem penes se non retineret commendatitias litteras, is delebatur ex catalogo Clericorum: non quod clerici esse desinerent, cum character sit indelebilis, sed ut à cæteris clericis sejungerentur, neque mutuo convictu colloquio, synodo alioque congressu uterentur, ut habetur in canone Apostolorum. Verùm quia se Christianos esse profitebantur, in reliquis, quæ sunt naturæ, vel hospitalitatis, exhibebatur humanitas, & ad communes Ecclesiæ preces admittebantur, non verò ad Sacramentorum participationem, nisi docuissent per formatas, & authenticas litteras se esse catholicos, ut referunt Baronius anno Christi 400. & ibi Spondanus numer. 11. Communio laica conferebat jus communicandi cum fidelibus more laicorum, & participandi de eorum Societate: sin autem Clericus vel Presbyter communicaret laicali modo ob aliquod delictum, hic tenebatur Ercharistiam sumere more laicorum seu extra septa altaris, & sub una tantùm specie, vel sub utraque, prout tunc erat consuetudo Ecclesiæ. Plura alia refert Baronius anno 258. ut etiam Spondanus numer. 1.

Aderant etiam oblationes, quæ à sacerdotibus in altari paulò ante sacra offerebantur, & certis precibus consueverant benedici ex quibus pars aliqua erogabatur fidelibus alia Sacerdotibus, & alia Clerici & tandem alia pauperibus in alimentum, & propriam sustentationem de quibus ait Augustinus serm. 213. de tempore: Oblationes quæ in altari consecrantur debent offerri, erubescere enim debet homo idoneus si de aliena oblatione communicet. Alia communio fiebat per Eulogias seu per benedictiones, quando per vicos, pagosque proficicentes fideles ex eadem non possent sumere communione, & cuperent semper unionis Christianæ, & Christi corporis retinere speciem festivis diebus ex matrice Ecclesiæ per sibi ordinatas parochias benedictus panis mittebatur ex cujus perceptione communitas, quæ inter fideles ejusdem diœcesis debebat intercedere significabatur, ut statutum fuit in Concilio Laodiceno can. 14. quo pacto peregrinantes vel etiam fideles sparsi per vicos, & pagos diebus festis dicebantur, communicare, ut indicat Innocentius verbis illis. *Ut se à nostra communione maximâ die illa non judicent separatos.* Et Formosus Papa Carolo Francorum Regi epistolam scripsit refertam monitis quibus deberet se regere, & agere cum subditis gratulatur ejus devotioni, quam erga sedem Apostolicam significaverat, & misit pro pignore panemà se benedictum, quem Rex petierat, In primitiva enim Ecclesia poenitentes & Catechumeni antequam mortalitatem exuerent moris fuit, ut in fidelium communionem admitterentur & quia ex illa multitudine pænitentium, & catechumenorum contingeret, ut nonnulli migrarent ex hac vita antequam fidelibus consociarentur vel sacro baptismi fonte abluerentur, non defuerunt, qui ex simplicitate baptismum iisdem & Eucharistiam post mortem eis conferrent, ne quis decederet sine communione; ad quem errorem delendum ecclesia: si quis mortuus fuisset tempore pænitentiæ, & nondum percepta absolutione ad communionem fidelium revocabat per solas oblationes, quæ eorum causa à cognitis, & affinibus proponebantur, ut liquet ex can. 12. Concilii Arelatensis, ubi habetur de iis, qui in pænitentia positi vita excesserunt placuit nullum communione vacuum debere dimitti, sed pro eo, quòd honoravit pænitentiam oblatis illius recipiebatur.

Cæterum panis benedictus plurimum semper habuit efficaciæ ad cœrcenda incendia, flammasque extinguendas. In vita S. Sylvestri Abbatis Ordinis Sylvestrinorum fundatoris cum Fabriani immoraretur ex ancillæ cujusdam inadvertentia contigit, ut nocte intempesta in ædibus Raynaldi Rigubii immodicus ignis excitaretur qui paulatim serpens, & alimenta copiosiora adinveniens crescebat semper uberius, ac insolescebat stimulante vento vehementiore; & tantum crevit incendium, ut toti oppido excidium videretur minitari. Tota urbs commota nitebatur incendii progressum impedire, flammas coërcere, sed frustranei cum fuissent civium conatus, Sylvester misericordia commotus è suis exivit ædibus, cui statim obviaverunt Bertoldus, & Conradus Raynaldi filii, qui Sylvestro rem totam narrarunt opemque ab ipso petierunt. Hisce cognitis Sylvester eo citius illuc se contulit, ubi incendium grassabatur: & panem à se benedictum in flammam illam adversam in Dei nomine conjecit, quid ni vim habuit injectus benedictus panis flammas coërcendi, quæ præter panem nil aliud ausum fuit absumere reliquà enim sicut Sylvester jusserat intacta reliquit. Simile prodigium contigit anno 1627., ubi refert Joannes Eusebius delapsum è cælo ignem in paleam innumeras domos absumpsisse, & quindecim millia hominum combussisset & videbatur ignis ille quasi rationalis quærere homines sceleratiores, quos absumeret, quippe transilire videbatur de una ad aliam domum; & hausta una domo in aliam plurimo intervallo disjunctam visa est transfurrere flamma: & ipsi Ethnici fatebantur se promeritos fuisse pænam illam ob scelera ab ipsis patrata. Patres Dominicani in ea urbe morabantur timentes cladem imaginem produxerunt Beatæ Virginis Mariæ de Rosario extra domum sed licèt ignis septies illac transcurreret, illæsa semper mansit non absque Ethnicorum admiratione, dicebant enim nunc videbimus an Castellanorum Deus potis sit ipsos juvare, & ab incendio tueri: hæsit aliquoties flamma parietibus domus, sed tandem miraculosè extincta fuit per injectas placentulas, seu parvulos panes, quos vocant à S. Nicolao Tolentinate, benedicti siquidem fuerunt à Religiosis Eremitanis, & eorum aliquot igni injecti, qui statim extinctus fuit nec ullum ulterius damnum intulit.

Quòd verò ad benedictionem attinet olei & Chrismatis tametsi Hæretici abhorreant ab usu hujus Sanctæ Unctionis; Certum est eundem fuisse in ecclesia antiquissimum & desumptum ab illa unctione, qua in testamento veteri consueverant Reges, & sacerdotes inungi; quapropter præcepit Deus Moysi ut Aaronem & filios ejus ungeret in Sacerdotes Exodi cap. 30. *Aaron & filios ejus unges sanctificabisque eos ut sacerdotio fungantur mihi filiis quoque Israel dices: hoc oleum Unctionis sanctum erit mihi in generationes vestras caro hominis non ungetur ex eo, & juxta compositionem ejus non facies aliud quia sanctificatum est.* Oleum tamen quo per Prophetas ungebantur Reges sanctum non erat, & tamen legimus Samuelem 1. Reg. cap. 19. unxisse Saulem. *Tulit enim Samuel lenticulam olei & effudit super caput ejus & deosculatus est eum, & ait: Ecce unxit te Dominus super hereditatem suam in Principem.* Et imperante Deo unxit etiam Davidem. 1. Reg. cap. 16. *Surge, & unge Deum, ipse est enim: tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus, & directus est Spiritus Domini à die illa in David.* Me-

minit etiam in novo testamento Marcus cap. 6. Olei illius, quo consueverant Apostoli inungere ægrotos, & energumenos qui pristinæ restituebantur sanitati, ut etiam D. Jacobus Apostolus recenset sacrum oleum infirmorum ad corroborandas vires tum animæ tum corporis.

Circa hanc olei unctionem refert Burcardus lib. 4. cap. 75. & Ivo part. 1. cap. 268. Statutum fuisse in Concilio Meldensi can. 1. Tres Ampullas à Presbytero quinta feria in cæna Domini deferri debere, unam ad oleum catechumenorum, alteram ad Chrisma, & tertiam ad oleum infirmorum siquidem duplex habebatur oleum unum quod ex oleo, & balsamo compactum erat, & hoc erat principalius, eò quia eo ungerentur in vertice, qui baptizabantur, & eodem etiam in fronte, qui sacramentum confirmationis suscipiebant. Aliud erat oleum simplex, seu purum oleum sine balsamo, quo ungebantur catechumeni in pectore, & scapulis, ac in fronte, antequam abluerentur: infirmi itidem & energumeni eodem oleo solebant in ungi ut docet D. Augustinus tractat. 33. in Joan. & serm. 47. de verbis Domini hinc Christus à chrismate vel potius chrisma à Christo dicitur perinde enim Christus est ac unctus Verùm Sancti Patres per hoc nomen Christus quod significat unctionem ex inolita consuetudine eam significârunt, quæ ex oleo & balsamo solemni Episcopi consecratione conficitur, hoc enim propriè dicitur chrisma, eò quia Regiæ, & Sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem, ut refert S. Cyprianus: per oleum enim quo inungebantur Reges regia significatur dignitas, & per balsamum sacerdos, qui odore virtutum debet fragrare, ac bene olere exemplo vitæ, & de hoc oleo chrismatis Clemens Romanus constit. Apostol. lib. 7. cap 23. ait: *Unges eum priùs oleo Sancto, deinde baptizabis eos postremo consignabis unguento, ut unctio sit participatio Spiritus, & aqua sit symbolum mortis, unguentum sigillum pactionum: sin autem non fuerit oleum, neque unguentum chrismatis satis erit aqua ad unctionem tum ad sigillum.*

Neque dubitari potest, quin ritus iste benedicendi oleum & chrisma derivatus fuerit in ecclesiam ex traditione Apostolorum cum Patres primitivæ Ecclesiæ, qui floruerunt, vel tempore olorum vel immediatè post ipsos ejusdem benedictionis, & usus meminerint ut Sanctus Dionysius de Eccles. Hierarch. cap. 2. refert de unctione, quæ præcedebat ablutionem, & de ritu benedicendi aquam baptisterii præmissis precibus, & S. Justinus in Dialogo contra Triphonem ait: Chrisma est oleum exultationis; quo filius Dei fuit unctus secundum Prophetam: *nonminus quoque chrisma & unguentum omne sive olei, sive aloës, sive aliarum ex unguentorum compositione unctionum hujus fuisse itidem ostendimus verbo dicente propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis supra consortes tuos.* Et idē Justinus in resp. quæst. 137. refert. Nos chrismate christianos appellui, & per hanc unctionem nos attestari sepulturam peccati, cui in baptismo morimur inquiens; *Cæterum veteri oleo inungimur, ut Christi utique fiamus unguento autem ad recordationem ejus, qui unctionem sepulturam reputavit.* Tertullianus lib. de baptismo cap. 7. postquam ostendisset antiquitatem unctionis per Sacerdotem, & Levitas, sicut & verbum hoc Christus, id est unctus ex quo Deus Pater unxerat eum in qualitate Regis & Sacerdotis, ait, quòd unctio sit quidem corporalis, sed effectus Spiritualis inquiens: *Sic in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit quomodo & ipsius baptismi carnalis actus quòd in aqua mergimur: Spiritualis effectus, quod delictis liberemur.* Hoc idem etiam refert lib. de resurrect. carn. cap. 8. *Sed & caro abluitur, ut & anima emaculetur: caro ungitur, ut anima consecretur caro signatur, ut & anima muniatur.* Et S. Cyrillus Jerosolymitanus mysticè instruens baptizatos ait in Cateches. myst. *deinde verò jam exuti, exordizato oleo à summis capillis ad infimos usque peruncti estis, & participes effecti fructifera illius olea Jesu Christi excisi enim estis ex oleastro, & in oleam fructiferam inserti estis & pinguedinis illius olea quisque vestrum particeps effecti. Illud ergo exordizatum oleum symbolum est pinguedinis Christi nobiscum communicata, & quod omne vestigium diabolica operationis in nobis deletum sit.* Et D. Augustinus tract. 3. in 1. cap. Joann. ait: *Unctio Spiritualis ipse Spiritus Sanctus est, cujus Sacramentum est virtus ipsa invisibilis: unctio visibilis Spiritus Sanctus.* Quia cum unctio carnaliter exercetur spiritualiter etiam proficit sicut & ipsa baptismi gratia visibilis actus est, quod in aqua mergitur; sed spiritualis effectus, quod à peccatis mundemur non quod ipsa gratia sit actus visibilis, sed quatenus ex tali actu nobis confertur, & per immersiones in aquam ejus effectus significatur, quia sicut per mersionem in aquam corpus emundatur, ita à peccatis anima abstergitur.

Cæterum olei natura operationem in nobis signi ficat Spiritus Sancti; est enim oleum nutrimentum luminis; splendor enim luminis oleo enutritur, quin imò ipsum oleum pluribus medetur ægritudinibus, & aquis infusum eas proficuas reddit: hoc autem gratiam ostendit Spiritus Sancti, qui cum sit flamma charitatis, & splendor sapientiæ ignorantiæ caligines dispergit, vitiorum tenebras discutit, & ipsas animas illustrat corda illuminat, & inflammat, & clementiæ suæ pharmaco vulnera nobis inflicta curat, & admixtione virtutis suæ aquas baptismi ad effugandas tenebras peccatorum sanctificat, & illustrat ut notat Rupertus Abbas de divin. offic. lib. 5. cap. 16. Conficitur igitur chrisma ex oleo & balsamo quia per oleum nitor designatur conscientiæ, & per balsamum bonas virtutis odor exprimitur, quia Christianus perinde ac balsamus aromatizans bonum debet odorem emittere, quo reliqui aliciantur ad culturam virtutis hinc notat Augustinus Tract. 33. in Joan. Christum vocari ab unctione, eò quod simus uncti ad luctandum cum dæmone ait ipse *Christi nomen à chrismate dictum est, latinè unctio nuncupatur, ideo autem nos unxit Christus, quia Luctatores contra diabolum fecit.* Hinc qui erunt suscepturi baptismum, ut cum hoste Tartareo validius pugnarent, oleo inungebantur, ait enim Chrysostomus homil. 6. cap. 2. ad Colos. *Inungitur baptizandus more Athletarum qui stadium jam ingressuri sunt,* quod etiam innuit Ambrosius lib. 1. de Sacramen. cap. 2. inquiens: *Unctus & quasi Athleta Christi quasi luctamen hujus sæculi luctaturus professus es luctaminis tui certamina.*

Verum Episcopus non tam exteriùs in corpore, quàm intus in corde inungi chrismate debet, ut interius ita rem habeat conscientiæ in ordine ad Deum, & exterius bonæ famæ odorem quoad proximum: hoc chrismate caput ut manus Episcopi consecrantur, per caput autem mens designatur, & per manus bona opera intelligitur vel caput inungitur ob authoritatem, & dignitatem quibus cæteris præstat, & manus ob ministerium & officium. In veteri autem lege non solùm sacerdos inungebatur sed etiam Rex & Prophetæ hoc tamen discrimine, quia Principis unctio à capite ad brachium postea translata fuit vel fit

in

in humero & armo, ut principatus ejus designetur: *factus est principatus super humerum ejus:* Pontificis verò unctio erat in capite, ut persona capitis in Pontificali officio repræsentaretur, hinc patet discrimen inter authoritatem Pontificis, & Principis potestatem; quia Pontificis authoritas, utpote spiritualis, est eminentior & in capite, Principis verò quia sæcularis, est potestas ejus unctio fit in humero seu parte inferiori.

Christiani verò bis ante baptismum inunguntur oleo benedicto primùm in pectore, deinde inter scapulas, & iterum bis post baptismum; sed chrismate sacro primò in vertice deinde in fronte. In pectore baptizandus ungitur oleo, quatenus per donum Spiritus sancti errorem abjiciat & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam siquidem justus ex fide dicitur vivere. Rursus inter scapulas inungitur, ut per gratiam spiritus sancti omnem discutiat torporem, abjiciat negligentiam; bonamque exerceat operationem, eò quia fides sine operibus mortua sit, & per operis exercitium sit fortitudo laborum in humeris. Post verò susceptum baptismum inungitur in vertice ut paratus sit omni poscenti de fide reddere rationem; siquidem in vertice, qui pars est suprema capitis intelligitur ratio. In fronte verò ungitur baptizatus ut liberè confiteatur, quod credit. Ante baptismum inungitur oleo benedicto; & post baptismum sacro chrismate, eò quia chrisma compactum ex oleo & balsamo solum competat christiano, qui suam à Christo trahunt nomenclaturam, & ut uncti derivantur ab uncto, cùm Christus unctus interpretetur: hinc ex Apostolica traditione non solùm benedictio aquæ & salis; sed etiam olei plerumque hominum usui inservientium in Ecclesiam derivata fuit, & quidem exemplo Christi Domini, qui pacem turbis impertiturus Luc. 9. benedixit eis.

Quapropter hujus modi ritus, non sunt species incantationis & magiæ, ut perperam asserunt Novatores, sed potius assumuntur ad easdem dissolvendas & alias avertendas diaboli artes ob efficaciam orationis nomine totius Ecclesiæ, quæ adhibetur in hujusmodi benedictionibus, quòd verò ipsi Apostoli eas adhibuerint liquet Marci. 6. *Apostoli ungebant oleo ægrotos, & curabant,* scilicet oleo benedicto quia cùm Apostoli adstitissent benedictioni panis, quam Christus fecerat non est in dubium vertendum, quin & ipsi nomen Dei & Christi invocaverint in cujus nomine jussi erant curare infirmos, & miracula patrare; hinc & Apostolus 1. ad Timot. 4. scribit: *Omnis creatura Dei bona est, nam sanctificatur per verbum Dei & orationem;* & in veteri testamento Exodi 36. v. 30. jussit Deus ungi Aaronem, & filios ejus ut sacerdotio fungerentur ipsi hinc patet discrimen inter oleum commune, & usuale, & oleum sanctum quia illud corporibus tantùm prodest istud verò etiam animæ, quam sanctificat; ut docent communiter sancti Patres Clemens lib. 7. const. Apostol. cap. 23. ubi ait oleum benedicendum esse, & ad sacros suos usus applicandum, unde ait prius unges oleo, deinde baptizabis aqua, & postremò consignabis unguento; ut unctio sit participatio spiritus aqua symbolum mortis; & unguentũ sigillum pactionum, si autem non fecit oleum, neque unguentum chrismatis satis est aqua, & Justinus quæst. 137. ait: Oleo inungimur, ut Christi unctio fiamus, unguento autem ad recordationem ejus, qui unguenti unctionem sepulturam suam esse putavit Marci 14. *hæc prævenit ungere corpus meum in sepulturam.*

In Nicæna Synodo can. 68. post anni defluxum injungebatur sacerdoti aquam benedicere & oleum non sicut in baptismo, nec sicut benedicitur chrisma, sed sicut oleum infirmorum & in concilio Romano coacto à Sylvestro Papa can. 5. prohibetur Presbyteris seu simplicibus Sacerdotibus Chrisma conficere, eò quia Christus à chrismate vocetur, id enim ad Episcopum pertinet qui caput est Ecclesiæ; unde in Concilio Toletano I. coacto anno 400. can. 20. habetur placuit ex hac die nullum alium nisi Episcopum chrisma conficere, & per dioecesin destinare, adeo ut de singulis ecclesiis ad Episcopum ante diem Paschæ destinentur Diaconi aut Subdiaconi ut chrisma ab episcopo destinatum confestim possint deferre Episcopo & quamvis absente Episcopo possit à Presbytero chrisma confici ipso tamen præsente nonnisi ab ipso fieri præcipitur licet enim ubique custodiatur Chrisma, nemo tamen præter Episcopum potest illud conficere & nonnisi in ejus absentia extra dioecesin Presbyteri: & hoc totum habetur in ecclesia ex traditione Apostolorum, ait enim Basilius lib. de Spiritu S. *consecramus aquam baptismatis, & oleum unctionis, & ipsum qui baptizatur; ex quibus scripturis? nonne ex tacita traditione?* Et Tertullianus de baptismo cap. 7. ait: Præmonstrata antiquitate unctionis sacerdotum Leviticorum nominisque Christi derivatione à chrismate quia Pater unxerat eum gratia uti Regem, & sacerdotem; addit unctionem quam facimus esse corporalem, sed ejus effectum esse Spiritualem; caro enim ungitur, ut anima consecretur in aquam mergimur, & delictis liberamur, caro signatur ut anima muniatur. Non solùm sacerdotes & Christiani Sacro inunguntur oleo verum etiam ipsæ Ecclesiæ; & altaria, quando consecrantur; imò etiam calix cum beneditur, idque non solum ex præcepto legis divinæ, verum etiam exemplo S. Sylvestri Papæ, qui cum consecraret altare illud chrismate perungebat; quapropter non judaizat Ecclesia celebrans sacramentum unctionis, ut fusè ostenditur in diplomate Innocentii III. & in annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi 1204.

# CAP. V.

## De Jejunio Ecclesiastico, publicis precibus, & Exorcismis.

Morem in Ecclesia inolevisse etiam tempore Apostolorum, quo præsertim Ecclesiastici divino cultui addicti tenerentur jejunare statis anni temporibus liquet ex canone 68. Apostolorum, ubi habetur: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor Sacram quadragesimam Pascha aut quartam feriam, aut parasceven non jejunaverit; deponatur præter quam si imbecillitate corporis impeditur; si laicus sit communione privatus.* Hinc commendatur à primitivæ Ecclesiæ Patribus, tantâ enim religione prisci Christiani Sacra servabant jejunia, ut de illis asserat Tertullianus: *Nos jejuniis aridi, & omni continentia expressi ab omni vita fruga dilati, in sacro & cinere volutantes invidia cœlum tundimus, Deum tangimus.* Hinc Chrysostomus homil. in Genes. insignia præconio jejunium commendat inquiens: *Abstinentium, & jejunantium animas quasi pennas producere, ut in sublime ferantur, & summa contemplari queant* S. Ignatius Contemporaneus Apostolorum epist. ad Philippens. ait: *Dies festos ne inhonoretis, quadragesimam ne pro nihilo habeatis; imitationem enim habet conversationis*

De-

*Domini hebdomadam etiam passionis nolite despicere quarta & sextaferia jejunantes*; & Clemens lib. 5. Constit. cap. 13. ait. *Observandum est jejunium quadragesima continens memoriam conversationis, & Legislationis Domini.* Hinc D. Augustinus de moribus Ecclesiæ ait: *Roma jejunia prorsus incredibilia multos exercere didici non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus; quod est usque quaque usitatissimum sed continuum vel amplius sine cibo, & potu ducere neque hoc in viris tantùm, sed etiam in foeminis.*

Et hanc consuetudinem abstinendi à cibo, & potu derivatam esse in ecclesiam ex Apostolica traditione communis est Patrum sententia; & quamvis in Chronico Eusebii dicatur jejunium quadragesimale fuisse in ecclesia præscriptum à Thelesphoro Papa anno Christi 136. non ita hæc ecclesiastica Sanctio à Thelesphoro præscripta est ita intelligenda, quasi ipse quadraginta diale jejunium in ecclesia instituerit, cum ab Apostolica traditione, & ab ipso D. Petro, ut alii notant. Ecclesia susceperit, sed Thelesphorus tantùm hanc eandem traditionem publico edicto stabilivit, sicut de pluribus aliis factum est: patet enim eum non instituisse quadragesimam, sed tantùm è Concilio Romano fuisse statutum, ut clerici jejunarent tres illos dies, qui quadragesimam præcedunt, ut jejunium protraherent per septem integras hebdomadas, quia cùm laici sex tantùm hebdomadas jejunarent, & quatuor dies, æquum erat, ut Ecclesiastici jejunium prævenirent laicorum per tres illos dies.

Quamobrem jejunium quadragesimæ ex Apostolica habetur traditione, cujus causæ plures assignantur quarum prima, ut fideles Christi exemplum imitarentur Matth. 4. Luc. 14. *Qui cum jejunâsset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus postea esuriit*: Secunda ut conjunctis viribus pænitentiam agant ob negligentias in Dei cultu, & servitio. Tertia ut paratiores essent ad recipiendam in paschate Eucharistiam. Quarta ut preces Deo funderent pro Catechumenis, qui baptizabantur in paschate. Quinta ut decimas solverent Deo totius anni.

Cæterum moris antiquitus fuit, ut variis ritibus jejunium celebraretur. Clemens enim lib. 5. const. ait Christianos sex postremis quadragesimæ rigidius consuevisse jejunare solo pane & aqua, & aridis sicisque fructibus cujus moris meminit etiam Tertullianus contra Psychicos imò die parasceve & Sabbatho Sancto nil potiùs in stomachum demittebant usque ad Galli cantum noctis. Rursus toto fermè quadragesimæ tempore feriabant, ut orationi cultuique divino liberius vacarent, quinimò Imperatores Gratianus, & Theodosius prohibuerunt eo tempore aperire tribunalia, & judicia exerceri ut habetur *lib. 3. Codicis Justiniani titulo* 12. *lege* 6. & in Theodosiano *Cod. lib. 9. tit.* 33. *leg.* 40. Neque à cibis tantùm verùm etiam à voluptatibus prisci illi fideles sanctè jejunabant; hinc Petrus Damianus Epistola ad Agnetem Augustam scribit: Jejunium regina tuum multiplex est, nos enim aliquando jejunamus à cibis, sed tu jejunas à purpura, jejunas à corona, & ab omnibus magnificis imperialis gloriæ pompis, his enim abstinere non immerito jejunium nuncupatur, quibus utique mens, aliquando carnalis, delectabiliter pascitur. Et hoc itidem jejunium ex Apostolica traditione fuisse in Ecclesiam derivatum scribit D. Hieronymus ad Marcellam inquiens: *Nos unam quadragesimam secundùm traditionem Apostolicam totius anni tempore nobis congruo jejunamus*, cui & consonat S. Leo Papa serm. 9. de jejunio quadragesimæ inquiens *merito à Sanctis Apostolis per doctrinam Spiritus Sancti majora sunt ordinata jejunia; ut per commune consortium crucis* Christi *etiam nos aliquid in eo quod propter nos egit, ageremus.*

Non tamen una & eadem erat in numero dierum quadragesimalis observatio, quidam enim vel ob imbecillitatem, vel alia ex causa pauciores dies jejunarunt, quos tamen Ecclesiam tolerasse testatur Irenæus apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 24. Diversæ itidem fuerunt Ecclesiarum consuetudines: siquidem in aliquibus Ecclesiis jejunium ad sex tantùm, in aliis ad septem, & in aliis tantùm ad tres hebdomadas ante pascha protrahebatur; ut ait Sozomenus *lib. 7. cap.* 19. In Ecclesia etiam Orientali dies Sabbathi, & Dominicæ excipiebantur à jejunio, & hunc morem fuisse antiquitus observatum in Ecclesiam Mediolanensi testatur S. Ambrosius de Elia, & jejunio. Præterea in eadem Mediolanensi Ecclesia observatum fuit ex suasione D. Ambrosii serm. 34. de quadragesima, ut fideles duos supra quadraginta dies jejunium protraherent, eò quia totidem stationibus, seu mansionibus populus Israëlis à captivitate Ægyptiaca ad terram pervenerit promissionis. Eadem ratio etiam in Ecclesia Romana habebatur, quadraginta enim duos dies quadragesima comprehendebat, sed ex illis triginta sex tantùm fideles jejunabant, eò quia dies Dominici subtrahebantur à jejunio, & tantùm percipiebatur abstinentia à carne, & lacticiniis, & diebus illis sex dominicis, ut notat Gregorius Magnus homil. 16. in Evangel. persolvebantur decimæ vitæ annuæ, ut etiam significavit Nicolaus I. in sua Bulgarorum instructione: *Isto tempore Deo carnis nostræ decimas damus, dum ipsum in abstinentia dominum imitamur.*

Extenditur tamen hæc jejunandi obligatio non solum ad esculenta, & poculenta, verum etiam ad mundi illecebras, carnis delicias corporis, commoda, à quibus debemus itidem jejunare, adeo ut sint *Sapientis oculi in capite ejus* Ecclesiast. c. 2. v. 14. seu ut explicat D. Gregorius Magnus lib. 20. Moral. c. 3. quatenus fideles præ oculis jugiter habeant eorum caput Christum, cui per imitationem adhærescant, cujus vestigia sequantur; describitur autem Matth. 4. Christi jejunium in deserto procul ab hominum frequentiis, cum dæmonis conflictu, & victoria, privatione totius corporalis commodi, destitutione omnium deliciarum, cum locus ipse omne solamen negaret, nullum exhiberet ad animum exhilarandum illicium; ut fideles abhinc omnibus ad exemplum capitis itidem jejunarent, quo pacto jejunarunt Apostoli, ut successores exemplo fortius docerent. Moris siquidem fuit sub primis Ecclesiæ initiis tempore Apostolorum, quò fideles non nisi semet ad vesperam diei languidos corporis vives reficerent solo pane, pisce aliquo, vel fructu arido, & aqua absque vino, alioque gulæ illicio, quinimo jejunarunt non solum ab esculentis, & poculentis, verum etiam ab usu matrimonii, à carnis illecebris, mundi deliciis, ac voluptatibus, & corporis commodis; imò ut vacarent Deo soli, & tempus impenderent in fundendis precibus, in carne mortificanda, aliisque vitæ austeritatibus, à litigiis etiam abstinebant, hominùmque tumultu, ut à quovis itidem prophano usu jejunarent; hocque jejunium quò Deo magis saperet, plusque adferret meriti eleemosynis in Pauperum levamen condere consueverant jejunantes, ut notat D. Basilius orat 5. de Jejunio inquiens. *Cave ne jejunii utilitatem solâ escarum abstinentiâ metiaris: solve vinculum iniquitatis; remitte proximo, si quid debet, noli ad contentiones, & lites jejunare, carnes non edis, sed come-*

*tuendis fratrem tuum: à vino abstines, sed ab injuriis tibi non temperas: expectas vesperam, ut cibum capias; sed ad tribunalia totum diem absumis.* Meminit etiam in eadem oratione consuevisse fideles ab usu jejunare matrimonii, & ab aliis se abstinere carnis illecebris, mundique voluptatibus inquiens *Jejunium etiam in usu conjugii modum temperantiamque docet, ac voluptatem lege concessarum immod cum usum castigans parit concors otium, ut perseverent in Oratione* & prohibitio contrahendi matrimonium temporibus quadragesimæ, & adventus Domini à primis Ecclesiæ temporibus adhuc perseverat in Ecclesia, & fertur hanc prohibitionem suam duxisse initium à Concilio Laodiceno tametsi ante illam Synodum consueverint fideles abstinere à celebrandis nuptiis tempore quadragesimæ.

Cæterum, quod ad abstinentiam usus matrimonii attinet censet D. Gregorius Nazianzenus orat. 40. fuisse talem abstinentiam merè voluntariam ex utriusque conjugis consensu ob majorem jejunii Sanctitatem, ait ipse *Ex communi pacto & consensu: non enim legem sancimus, sed consilium damus*, quod etiam significaverat D. Paulus 1. ad Corinth. 7. v. 5. *Nolite fraudare invicem nisi forte ex consensu ad tempus ut vacetis orationi, & jejunio.* Et D. Gregorius Papa lib. 12. epist. 31. id arbitrio dat illius qui ut ipse loquitur *sua conjuge non cupidine voluptatis raptus sed solum ado liberorum procreandorum causa utitur.* Quod vero Eleemosyna pauperibus distributa conjungeretur jejunio asserit S. Leo Papa serm. 6. de quadragesima inquiens *Rationabilibus sanctisque jejuniis nulla utilius, quàm eleemosynarum opera copulantur, quæ uno misericordiæ nomine multas laudabiles pietatis continent actiones, ut omnium fidelium pares esse possint etiam inter impares facultates*, & serm. 2. Suadet jejunantibus dare pauperibus escas illas, quæ subtrahuntur corpori, quo pinguius sit jejunium pluribusque fartum meritus ait ipse *in distributione eleemosynarum & pauperum cura pinguescant Christiana jejunia; & quod suis quisque deliciis subtrahit debilibus impendat, & egenis.*

Et revera morem istum eleemosynis impinguandi jejunium nostris oporteret vigere temporibus, cum experiamur jejunium in simplicem fuisse translatum abstinentiam à solo esu carnium, & potius videantur jejunia esse dispensationes à jejuniis, si tamen dispensatio dici possit, quæ sine legitima causa, & compensatione conceditur: nec sola sufficit eleemosyna, ut quis meritum accipiat jejunii quia nisi caro per subtractionem escarum mortificetur, semper insolescit & ad illicita provocat. quapropter Anglicana Synodus can. 26. ait: *Quia necesse est, ut caro, quæ nos læto per incontinentiam traxit ad culpam, afflicta per jejunium & reducat ad veniam festinanter.* Imò ut ritè jejunemus oportet, ut Christum sequamur in desertum seu à frequentiis hominum & abstineamus à quovis voluptatum illicio, & Christum Dominum imitemur, ut nos monet S. Ambrosius serm. 37. de quadrages. inquiens. *Ut jejuniorum tempore tanquam desertum habitantes abstineamus epulis, voluptate mulierum: in deserto enim quodammodo videtur habitare qui quadragesima tempore jejunus & castus est, desertum plane quoddam ipsum corpus est Christianum cum non repletur cibis nec poculis irrigatur, sed arentis in edia squalore negligitur. Tunc Christus Dominus habitat desertum pectoris nostri cum nostram terram fame squalidam, & siti aridam esse reperit: secundum quod ait David Psal. 26. Sicut in terra deserta & invia, & inaquosa sic in sancto apparuit tibi.*

Verum ab hac rigida abstinentia ab hac jejunii austeritate paulatim deflexerunt fideles, cum permiserunt ab initio modico uti vino ad corroborandas stomachi debilitates, viresque corporis reficiendas, & tametsi non nisi in modica quantitate vinum usuale, & ordinarium, & causa infirmitatis sumerent, ut de S. Marcella fatetur S. Hieronimus in ejus epitaphio inquiens: Vini odor magis quàm gustus propter stomachum, & frequentes infirmitates. Alii nihilominus quamvis obnoxii non essent ægritudinibus, nec corporis imbecillitati, etiam in jejunio quadragesimæ paulatim uti vino cæperunt, & majori quantitate ad coquendos in stomacho pisces vino utebantur, cum tempore Apostolorum neque licitum erat jejunantibus extra tempus cænæ aquam ebibere non enim tunc approbata erat sententia nunc communis, quod liquidum non solvat jejunium: omissis enim theologicis subtilitatibus tota jejunii ratio ad normam Virtutis temperantiæ dirigebatur, quæ ut ait D. Thomas 2. 2. quæst. 46. & 48. *proprie est circa delectationes ciborum, & potuum*, ac utriusque delectationem compescat non enim indicat animum addictum mortificationi non posse sitim tolerare, temperantia cum virtus sit, difficultates sensuum superat, & in arduo sita famem sitimque tolerat, & contenta corporis vires reficere, abstinet extra cænam ab omni esculento, & poculento, ut præcipit Ecclesia in hymno officii quadragesimæ *Utamur ergo parcius verbis, cibis, & potibus, somno, jocis, & arctius perstemus in custodia.*

D. Ambrosius in Psal. 180. serm. 8. §. 6. Meminit prisci fidelium moris, quo in Ecclesia, præsertim occidentis, singulis quadragesimæ diebus consueverant interesse sacrificio vespertino, & sacra se reficere Synaxi, quæ necessario præsupponit jejunium naturale, & Salivam virginem, ut loquitur Tertullianus quatenus nil prorsus demissum sit in stomachum sive escæ, sive aquæ cum utrumque, tametsi in modicissima quantitate naturale violet jejunium, ait Ambrosius indictum est jejunium cavere negligas: *Si te fames cogit ad prandium ut in temperantia declines jejunium, tamen cælesti magis te serva convivio, non epula parata extorqueant, ut cælestibus sis vacuus sacramentis, differ aliquantulum non longè finis est diei. Imò plerique sunt ejusmodi dies (scilicet extra quadragesimam in jejuniis statione & in pervigiliis) ut statim horis meridianis adveniendum sit in ecclesia canendi hymni celebranda oblatio tunc utique paratus adsiste, ut accipias tibi munimentum ut corpus edas Domini Jesu*, hancque praxim jejunandi in ecclesia Romana suasit Nicolaus I. Papa Bulgaris in sua instructione Bulgarorum, ubi ait: *Si mens in affectu peccati non sit, vel si hanc non de criminalibus peccatis conscientia impænitens vel non reconciliata fortassis accuset*: quamvis tamen fideles jejunantes cibo Eucharistico se reficerent, non tamen jejunium naturale frangebatur, ut probat Cardinalis Hubertus in sua dissertatione cum Græcis habita Constantinopoli anno 1500. ubi perdoctè contrariam sententiam rejicit: ratio est, quia pura accidentia, quæ sumuntur in Eucharistia, nutritioni non inserviunt, & corpus Chri-

Christi, & sanguinis animam reficiunt; & non pertinent ad corpus: hinc in festo Natalitio Christi Domini indulget Ecclesia, ut sacerdotes ad incrementum devotionis ter communicent, eò quia per primam communionem non sit factum jejunium naturale.

Cæterum quod fideles teneantur jejuni communicare est tantùm præceptum Ecclesiæ ob majorem reverentiam qua sumi debet corpus Christi Domini, hinc cum D. Thomas 2. 2. quæst. 147. art. 7. ad 2. ait: *Ecclesia non intendit interdicere abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem corporis, & digestionem ciborum sumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat*, & ideo licet *jejunantibus pluries bibere.* Id debet intelligi juxta praxim sui ævi, quo usus jam introductus fuerat, ut jejunantes absque violatione jejunii permitterentur bibere, & jam inoleverit opinio illa, quòd liquidum non solvat jejunium, cæterum sub primis ecclesiæ sæculis fideles certum est abstinuisse etiam à liquidis, seu potu extra vespertinam refectionem, quapropter D. Thomas 1. ad Timoth. 5. v. 23. scribit: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum atque frequentes tuas infirmitates*, non enim hujusmodi indulgentia ex eo orta fuit quasi potus non frangeret jejunium, sed ex eo, quia necessitas urgeret ob debilitatem stomachi, & frequentes infirmitates, quæ ab onere jejunandi Timotheum subtrahebant. Quòd si quæras ex qua causa Ecclesia Romana firmior fuerit in abstinentia à carne, quàm vini cum hoc etiam excitet concupiscentiam Proverb. 10. v. 1. & ad Ephes. 5. v. 18. respondet D. Thomas 2. 2. quæst. 147. art. 8. ad 1. quia alteratio quæ fit ex cooperatione vini, & alterius liquidi calefactivi non multum hæret, sed cum se habeat per modum fluxus statim transit: succus verò alimentatius carnis cum magis adhæreat diutius perseverat. Cæterum D. Thomas art. 6. ad 2. fatetur ex immodico haustu, & potu posse jejunantem deperdere jejunii meritum ait ipse: *Si quis immoderatè potu utatur potest peccare, & meritum jejunii perdere, sicut etiam si immoderatè cibum in una tantum comestione assumat. &c.*

Cæterum usus jejunii in Ecclesia Occidentali sub initium tantum octavi Sæculi incoepit, tunc enim jejunantes secluso quovis scrupuso vinum ad vires reficiendas, & stomachum corroborandum sumebant, & in Germania, aliisque frigidis regionibus adhibere cæperunt jejunantes diebus jejunii lac. caseum, butyrum, & ova, qui mos etiam nunc perseverat, tametsi Alexander Papa VII. condemnaverit propositionem illam *non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadragesima obliget*, quia summi Pontifices in regionibus prædictis, quia sunt cæteris frigidiores, populis illis indulserunt lacticiniis uti in quadragesima, & aliis diebus jejunii, eò quia regiones præfatæ sint oleo, fructibus, herbisque tunc destitutæ, & Diana Coordinatus *Tract. 6. de jejun. resolut.* 54. ait: quòd tametsi sacra congregatio officii, & librorum indicis adegerit aliquos ad corrigendam sententiam illam, quod in diebus dominicis quadragesimæ licitum sit comedere ova, & lacticinia, ait excepisse tamen regiones illas frigidas, in quibus consuetudo est introducta ex justa causa, quæ cum summis Pontificibus innotescat, iisdem hoc privilegium indulgent.

Neque refert, quod sub primis Ecclesiæ temporibus fideles omnes diebus jejunii abstinuerint à lacticiniis, quia sicut ecclesia indulsit, ut hora comestionis, quæ in primitiva Ecclesia erat sub solis occasum transferetur in meridiem, ita etiam ex legitimis causis potuit ecclesia indulgere usum lacticiniorum, ut ait Caietanus 2. 2. quæst. 147. art. 7. §. ad evidentiam: loquitur enim de anticipatione ac mutatione horæ comestionis: *quia materia ista est juris positivi, sicut consensu utentium firmatur: ita contraria consuetudine infirmatur, & tollitur, sicque accidit ut quod prius erat jus, non sit amplius de juris necessitate, & quòd prius nefas erat, licitum postmodum sit.* Hæcque ratio allegata à Cajetano etiam valet circa vespertinam refectiunculam, quia tametsi in Ecclesia occidentis, usque ad sæculum undecimum, consuetudo invaluerit, ut nonnisi semel in die jejunii licetum esset vires reficere per unicam tantùm comestionem vespertinam, tempore tamen D. Thomæ ut ipse asserit 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 6. *ad* 3. coeperunt concedi, ac introduci in vespertina refectiuncula fructus sacaro conditi, ad procurandam meliorem coctionem ciborum in stomacho, & ab hac indulgentia gradatim fuit mos introductus, quo jejunantes tametsi in meridie coenarent, viresque reficerent adhue nocte sumerent refectiunculam, ne scilicet haustus vini, vel alterius liquidi sine cibo ullo stomacho noceret: & quamvis comestio meridiana prandium diceretur, & vespertina cæna, usu contigit, ut preces vespertinæ ab Ecclesia recitarentur circa meridiem, ut post vesperas, ut moris fuit primis temporibus coenarent, & quilibet posset commodius jejunare usque ad Sacrificium vespertinum, & hic usus etiam fuit tempore D. Bernardi, qui floruit sæculo duodecimo, seu anno 1153. ut ipse testatur serm. 3. de jejun. quadrages. *Nunc usque ad vesperam jejunabunt nobiscum pariter universi Reges, & Principes, clerus & populus, nobiles & ignobilos simul in unum dives, & pauper* adeo ut jejunia stationum, seu feriæ quartæ, & sextæ, extra tempus paschale, ut fætetur S. Epiphanius in expositione Catholicæ fidei, tantùm protraherentur usque ad horam nonam, & Tertullianus lib. de jejun. vocat semi jejunia stationum, eò quia non essent jejunia integra quæ per totum diem servarentur, sed tantum usque ad horam nonam, seu usque ad horas pomeridianas, siquidem signum nonæ hora tertia pomeridiana dabatur, idque ob varias occupationes, negotia, laboresque eorum, qui divinis non interant officiis, quia reliqui fideles non nisi absolutis divinis officiis vires reficiebant corporis juxta statutum à Concilio Cabilonensi II. quod refertur *can solent.* 50. *de consec. dist.* 1. & creditur coactum tempore Caroli Magni circa annum 813. ubi habetur *solent plures, qui se jejunare putant in quadragesima mox ut signum audierint ad horum nonam comedere, qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint quam vespertinum celebratur officium. Concurrendum est enim ad missas, & auditis missarum solemnibus, ac vespertinis officiis, largitis eleemosynis ad cibum accedendum est, si verò aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad missam venire non valeat, æstimans vespertina hora completa oratione sua jejunium solvat.*

Nihilominus paulatim consuetudo invaluit, quod hora coenæ diebus jejunii esset hora tertia pomeridiana, cujus consuetudinis meminit Sanctus Doctor. 2. 2 quæst 147. art. 7. ubi supponit jam introductam consuetudinem anticipandi horam divini officii, adeo ut officium vespertinum ante meridiem tempore quadragesimæ sub initium sæculi decimi sexti recitari consueverit, & jejunantes statim post recitatas preces vespertinas in meridie comedere, hæcque consuetudo adhuc perseverat, nec eidem Ecclesia se opposuit

ad

ad declinanda pericula alicujus schismatis inter fideles & ob varias difficultates quas humana fragilitas adinvenit ut refectio fieret in meridie post recitatas in in Ecclesia, vesperas. Autor hujus consuetudinis solet assignari Petrus Paludanus, seu de Palude Patriarcha Latinus Jerosolymitanus qui sæculo decimo quarto floruit *in 4. dist. 15. q. 4. art. 4.* interpretatus fuit comestionem diebus jejunii non esse mensurandam hora vespertina, sed juxta vesperas illius diei, & quia vesperæ recitantur circa meridiem post vesperas statim etiam in ipso meridie comestio licitè à jejunantibus sumi potest, & tunc comestio differtur tantùm usque ad vesperas illius diei non verò ut antiquitus usque ad horam vespertinam tametsi vesperæ recitarentur alia hora quàm vespertina, ait Paludanus loco cit. *Dico autem horam nonam congruam omni tempore etiam in quadragesima; neque oportere tunc exspectare vesperam diei sed tantùm officium, ut scilicet antequam celebraretur vespertinum officium non comedatur*: sed quidquid sit de origine, & authore hujus consuetudinis altius hisce temporibus hæret fidelium mentibus impressum eos servare jejunium quadragesimæ tametsi sub meridiem post vesperas in ecclesiis recitatas sereficiant, & in Germania iisdem sufficit, si abstineant ab esu carnium & nocte iterum ob haustum vini vel cerevisiæ aliquid itidem sumunt obsonii absque ullo scrupulo, & cum id innotescat Ecclesiæ, quæ minimè se opponit, jam usus invaluit in Regionibus frigidioribus, ut meridie per quadragesimam jejunantes cænent, & sub noctem exiguam sumant refectiunculam.

Cæterum primis Ecclesiæ sæculis ob magnam rerum Christianarum perturbarionem, & ubique Principes, & Imperatores Ethnicios persequentes fideles, & in eos sævientes ait: Sozomenus lib. 7. cap. 19. incepisse tepescere in Christianis ardorem pietatis: & loquens de quadragesimalis jejunii modo, & ratione, asserit non panem fuisse jejunii observantiam ait ipse: Jam illam quæ hinc processit, quæque appellatur quadragesima, in qua populus jejunat: alii in sex dierum septimanas computant, ut Illyrici, qui ad Occidentem siti sunt; nec non universa Libya, & Ægyptus cum Palestinis, alii in septem ut Constantinopolitani, & nationes circumstantes usque ad Phenices, alii sparsim tres intra sex aut septem istas jejunant: alii tres paschæ immediatè præcedentes continuant: alii duos ut Montani Sectatores.

Verùm hæc tanta diversitas non videtur probabilis, quia ecclesia catholica tum apud Græcos, tum apud Latinos asseruit jejunium quadragesimale seu quadraginta dierum, à numero quadragenario sumpsit nomenclaturam: Hinc concilia, & Patres utuntur nomine quadragesimæ & hic numerus fuit semper in ecclesia usurpatus etiam tempore Apostolorum exemplo Christi Domini, qui jejunavit quadraginta diebus in deserto, & quadraginta noctibus: jejunium enim quadragesimæ ad exemplum Christi, & Moysis introductum fuit in ecclesia, ut notat D. Basilius orat. in 40 Martyres. Rursus D. Ambrosius serm. 23. D. Gregorius homil. 16. asserunt quadragesimam continere quadraginta duos dies, & detractis diebus dominicis in quibus non jejunatur remanent dies triginta sex. D. Augustinus autem epist. 119. cap. 17. & S. Leo Papa serm 4. de quadrages, jejunium volunt quod ante Pascha celebratur esse quadraginta dierum, hæc que est consuetudo quam Romana Ecclesia docuit observandam esse quadraginta enim dierum jejunium perpetuo Romana ecclesia, & in aliis totius occidentis semper observatum fuit. Neque obstat circa initium quadragesimæ varias fuisse Ecclesiarum consuetudines: siquidem in aliquibus ex quadám peculiari devotione ejunia inchoabantur à septuagesima, in aliis à sexagesima & in plerisque aliis à quinquagesima, quia hæc varia initia libere fuerunt posita, & jejunia supra numerum quadragenarium opera fuerunt supererogationis quæ à Christo non fuerunt præcepta sed à Christianis liberè suscepta hinc Carolus Magnus in sua epistola ad Alcuinum præceptorem rem totam ita edisserit, ut qui à septuagesima ad diem paschæ novem integras jejunent hebdomadas ex singulis si diem dominicum feriam quintam, & Sabbathum subtraxeris iisdemque addas sacram diem paschæ triginta sex in abstinentia dies remanent, ita qui à sexagesima octo hebdomadibus ad pascha jejunium protrahunt, si ex una quaque illarum diem dominicum & feriam quintam subduxeris quadraginta tantùm dies jejunâsse videntur. Qui verò à quinquagsima septem jejunii hebdomadas numerant suum hoc pacto quadragenarium numerum demonstrant, quia ex iis octo sublatis dominicis duo dies supersunt quinta scilicet feria, & Sabbathum majores hebdomadæ, qui ab aliquibus in refectione habentur.

Quòd si dicas diebus dominicis dici fideles corporali abstinentia decimas solvisse Omnipotenti Deo, ut habetur in Concilio Toletano VIII. cap. 9. & Isidoro lib. 1. de eccles. offic. c. 36. & numerum quadraginta dierum hoc pacto non absolvi; respondet D. Gregorius Magnus homil. 16. in Evangel. quòd *si per trecentos sexaginta quinque dies annus ducitur & nos per triginta sex dies affligimur, quasi anni decimas Deo damus & ut sacer numerus quadraginta dierum adimpleatur, quem Salvator noster suo sacro jejunio consecravit, quatuor dies prioris hebdomadæ ad supplementum quadraginta dierum tolluntur id est quarta feria, quaque caput jejunii subnotatur, & quinta feria sequens & sexta est Sabbathum.* Quamobrem sicut per triginta sex dies, quibus anni decimæ designantur jejunium habetur quadragesimæ ut explicat Alcuinus de divinis officiis cap. 8. ubi rationem nominis septuagesimæ assignat his verbis: *Consuetudo est divinarum scripturarum ut omnis numerus ex quo quamlibet decadem transierit, ut tertius monadas incurrat non deputetur idem numerus præcedenti decadi, sed ei ad quam tendit*, ita statuendum est, ut cum triginta sex dies trigesimam excedant ad quadragesimam idcirco pertinere dicantur. De Quatuor tamen illis diebus ex hebdomada quinquagesimæ additis ad quadragesimam quique quadragenarium numerum absolvunt, Concilium Agathense circa annum Christi 506. cap. 9. præcipit pænitentes impositis cineri & cilicio corum capitibus at Episcopo extra ecclesiam ejici in capite quadragesimæ, seu in ipsa quarta feria, quam caput jejunii quadragesimalis dicimus & Amalarius Fortunatus de eccles. offic. lib. 1. cap. 7. refert in ipsa quarta feria Cantores consuevisse in Ecclesia canere Immutemus habitum cinere & cilicio jejunemus & ploremus ante Dominum & quamvis Dominica prima quadragesimæ soleat caput ejusdem dici non tamen id ad rationem jejunii spectat, sed tantum ad rationem numeri pertinet: illa siquidem vestium mutatio in iis, qui pænitentiam publicam vel solemnem agebant cum hæc luctum potius ac mærorem indicarent non poterant in diem dominicum referri quia à Patribus semper habitus est dies lætitiæ, quo tempore non indicebantur pænitentiæ.

Si quæras, cur in Ecclesiis Occidentalibus reliquis jejunii diebus additus sit dies Sabbathi cum referente Ignatio epist. ad Philippens. & Clemente *lib. 7. constit. cap.* 24. jejunium talis diei semper respuerit Ecclesia Orientalis à primis rerum Christianarum primordiis, excepto tantummodo Sabbato ante Pascha? respondetur, quòd cum plures eo tempore reperirentur in Oriente Hæretici, qui Deum Hebræorum mundi Conditorem Legisque Authorem malum esse dicerent, & Christum venisse ad eum destruendum, & quod Deus quievisset die septima in cujus honorem Judæi sabbathum colerent, & ipsi in ejus contumeliam ea die elegissent jejunare, quæ hæresis à Simone Mago exorta in Menandrum Saturninum, Basilidem, Cerinthum atque Carpocratem derivata fuit ac infeliciter propagata cujus impietatis hæres Cerdo factus est, cui successit Marcio, hac igitur de causa fideles Orientales, penes quos invalescebant hæresis illa, non solum à Sabbathi jejunio se abstinebat verum etiam in majorem eorundem Hæreticorum detestationem consueverunt eum diem festum agere, & Sacros coetus perinde ac die dominica habere, non tamen judaico more, ut Ebionæi apud Eusebium 3. histor cap. 21. sed piè ac religiosè, ut Deum Patrem Creatorem Cœli & terræ omni solemni cultu venerarentur, Hæretici execrabantur.

Secus in Ecclesia Occidentali, & præsertim Romæ fideles eo die Sabbathi consueverunt jejunare teste Augustino epist. 86. ad Casul. & ratio etiam assignatur à Cassiano collat. 3. cap. 10. quia cum Petrus Apostolus certaturus die dominico cum Simone Mago ob periculum quod erat ipse subiturus fertur pridie seu præcedente die Sabbatho unà cum ejusdem urbis Ecclesia jejunâsse: & quia favente Deo eventus ad votum contigit fidelium hi imposterum ad recolendam memoriam victoriæ delatæ à Petro supra Simonem Magum consueverunt singulis per annum diebus Sabbathinis jejunare. Verum quidquid sit de hoc Cassiani, & Augustini sententia Innocentius Papa epist. ad Decentium cap. 4. aliam ejus rei affert causam quatenus dies Sabbathi æquè ac feria sexta dies fuerunt passioni dominicæ dicati & Apostoli illis diebus propter metum Judæorum latuerunt, ac toto illo biduo jejunarunt. Extant etiam de Sabbathino jejunio canones Concilii Elibertini, & Agathensis, & plura Patrum testimonia, ex quibus constat consuetudo jejunii Sabbathini in Ecclesiis occidentalibus.

Præter jejunium quadragesimæ consueverunt fideles etiam jejunare aliis diebus per annum, & præsertim quatuor temporibus veris in quadragesima, æstivi temporis in Pentecoste, Autumni mense septembri, & hyemis mense Decembri, ut nimirum lex abstinentiæ ut ait. S. Leo Papa in jejunio mensis Septembris serm. 7. & 9. *lex abstinentiæ omnibus per annum sit adscripta temporibus.* & hoc jejunium quatuor temporum suum duxisse initium ex instinctu Spiritus Sancti, & ex Apostolica institutione affirmant cum S. Leone cœteri Sancti Patres, non enim suum duxit principium, ut alii putant à Calixto Papa, quia Calixtus tantùm confirmavit, quæ à suis prædecessoribus ex Apostolica traditione acceperat, & quamvis hæc aliquid videantur cum legalibus veteris testamenti habere commune: quoad verò ad bonos mores instituendos pertinet, tametsi Apostoli aliquid ex lege veteri mutaverint, non tamen inde sequitur legem observâsse cæremoniarum legalium; etenim jejunium apud Hebræos fiebat decima septima Junii, & observabatur ob fractionem legis tabularum Exodi 32. v. 19. *Iratusque valde projecit tabulas de manu, & confregit ad radicem montis.* Jejunium Quinti fiebat. 9. Julii, quia hoc die dictum fuerat Moysi, quod *nemo videbit terram, pro qua juravit Patribus eorum ex illis, qui detraxit mihi.* Numero 14. v. 24. excepto Josue, & Caleb, imò hæc eadem temporum jejunia consuevisse etiam Ecclesias Orientales observare ostendit D. Athanasius agens de jejunio post Pentecostem Apolog. de fuga. 2. Rursus quia eodem die combustum fuit Jerosolymis templum per Chaldæos & Romanos. Jejunium septimum fiebat die tertia Septembris, quia ut habetur Jeremiæ 41. v. 2. mense 7. venit Ismael filius Nataniæ filii Elisma de regio semine & decem viri cum eo, qui percusserunt Gidoliam, quimortuus est ex inflictis sibi vulneribus. Jejunium decimum contingebat mense Decembri, eò quia die decimo ejusdem Rex Babylonis accinxerat se ad obsidionem Jerosolymæ, & mentio hujus jejunii habetur Actor. 27. v. 9.

Cæterum probabile est jejunium quatuor temporum suum duxisse initium, quia ordonatio, seu manuum impositio fieri soleret mente Decembri, & jejunium præcedebat, postea autem additum fuit jejunium veris, æstatis, & autumni, ut singuli decurrentis anni partes, quæ periodi sunt vitæ nostræ per religiosa jejunia Deo consecrarentur. In primitiva verò Ecclesia jejunia servabantur tribus duntaxat anni temporibus præter quadragesimam, sed Calixtus Papa constituit jejunium servari quater per annum, cum & ipsi Judæi quater in anno jejunârunt, Christiani verò jejunant, ut præserventur à vitiis, & si qui peccarunt, in illis purgentur, & quia ex quatuor anni tempestatibus quælibet tribus constat mensibus, ideo quater jejunamus, scilicet ter quolibet tempore ut tria jejunia tribus respondeant ejusdem temporis mensibus, & ut Deo satisfaciamus, si quid intra id tempus deliquimus. Jejunia quidem vernalia fuerunt primo instituta prima Martii hebdomada; æstivalia, secunda septimana Junii, autumnalia tertia Septembris, & hyemalia quarta Decembris. Verùm & ob plura quæ inde oriebantur incommoda D. Leo Papa decrevit, ut fieret jejunium hyemale tertia septimana adventus vernale primâ integra hebdomada quadragesimæ, æstivale prima immediatè post Pentecostem, hyemale secundùm veterem institutionem.

Solet etiam ratio assignari cur quater per annum jejunemus, quia cùm homo constet ex quatuor elementis quantum ad corpus, & tribus potentiis quantum ad animam scilicet ex rationali, concupiscibili, & irascibili, cum ver calidum sit & humidum, tunc religiosa instituimus jejunia ut elementum terræ seu concupiscibilis coërceatur, ne deliciis mundi consentiat, unde jejunamus contra luxuriam, quæ oritur ex depravato humore, & calore vitiato, Æstas calida est & sicca, & hunc jejunamus ut elementum ignis in nobis compescatur, & irascibilis coerceatur, vel etiam jejunamus contra superbiam, quia tunc fructus terræ, qui floret, & ad maturitatem vergit, materiam suppeditat superbiendi. Autumnus frigidus est & siccus, & tunc jejunamus ne aliquo animi languore videamur exarescere

& ne

& ne ad prava declinemus, vel etiam jejunamus contra avaritiam, quia tunc messes colligimus, & congestis terræ fructibus ditescimus. Hyeme quæ frigida, & humida est, etiam jejunamus ne membra nostra luxu dissolvantur in comessationibus, & ebrietatibus, vel tunc jejunamus contra segnitiem, ne torpor in nos irrepat. Cæterum hæc jejunia ante calixtum consueverunt in ecclesia primitiva usurpari; vernum enim jejunium comprehendebatur in jejunio quadragesimæ, unde Calixtus tantùm confirmavit, quæ ex Apostolica traditione acceperat.

Sin verò petas an jejuniam quartæ, & sextæ feriæ fuerit lege sancitum, vel tantùm in arbitrio fidelium positum respondet Tertullianus lib. de jejunio, fuisse quidem permissum non autem præceptum, & Sanctus Augustinus in epist. 86. asserit non semper Romæ fuisse tale jejunium servatum, ut etiam D. Isidorus lib. 1. de divin. offic. cap. 42. ubi refert, plures feria sexta per totum annum consuevisse jejunare, sed id ab omnibus non observabatur, non igitur ex lege tenebantur fideles, sed ex consilio vel arbitrio. Bellarminus verò censet feria quarta & sexta per annum ex legis præcepto debuisse fideles jejunare quoad abstinentia à carnibus. Quòd verò pertinet ad abstinentiam à prandio non tenebantur ex præcepto, quia proprie non erat jejunium, sed simplex abstinentia à carnibus, quam abstinentiam vocamus jemi jejunium, quod ab omnibus fit fidelibus feria sexta, & Sabbatho, nunc abstinentia à carnibus feria quarta non observatur ab omnibus sicut in primitiva Ecclesia, eò quia in Ecclesia Occidentali jejunium feriæ quartæ translatum fuerit in jejunium Sabbathinum, ut notat D. Ambrosius in comment. ad cap. 14. epist. ad Romanos, & Innocentius I. epist. 1. pluries repetit jejunium feriæ sextæ, & Sabbathi, & non meminit feriæ quartæ, hæcque causa est, cur plures feria quarta non jejunent.

Præter jejunium quadragesimæ, & quatuor temporum consueverant itidem fideles jejunare in adventu Domini, ut colligitur ex ritu Romani breviarii in quo preces illæ ad singulas horas legendæ ponuntur in feriis adventus, quæ propriæ sunt dierum, quibus jejunamus, quod tamen jejunium non ex præcepto, sed ex consilio in nos derivatur. In triduo itidem ante Christi ascensionem institutum fuisse jejunium una cum lytaniis à Sancto Mamerto Viennensi Episcopo refert Gregorius Turensis lib. 2. histor. Francor. cap. 34. idque ob plura incommoda quæ ex terræ quassationibus luporumque incursionibus tempore S. Mamerti scilicet anno Christi 475. patiebantur fideles, postea idem jejunium legimus fuisse approbatum, ac receptum à Concilio Aurelianensi I. cap. 29. & per triduum illud famuli, & ancillæ à servili opere relaxabantur, cæterum ut monet Hieronymus in epistola ad Lucinum & Augustinus epist. ad Casulanum debent fideles servare consuetudines suarum ecclesiarum. Ex antiquissima verò consuetudine nullum injungitur jejunium fidelibus intra interjectum tempus à paschate ad Pentecosten bene tamen in pervigiliis insignium festorum, in quibus non solùm vigiliæ aguntur per noctem, sed etiam servatur jejunium, ut testatur S. Bernardus in serm. de vigil. S. Andreæ. Vigilias itidem Apostolorum fuisse observatas liquet ex regula generali D. Augustini de traditionibus ex Menologiis Græcorum, & ex Romano Martyrologio, ut etiam ex homiliis Sanctorum Patrum, dicebantur autem vigiliæ, eò quia nox præcedens festum solemne tota in fundendis precibus, ac in Sanctis exercitiis insumebatur, adeo ut populus qui ad festum veniret, tota nocte vigilaret in Dei laudibus, quod etiam in aliquibus Ecclesiis videtur observari, sed quia hominum malitia ab Exercitiis pietatis deflexit ad vitiorum indulgentiam adeo ut convenirent Lusores, & Cantores, & turpibus cantilenis choræisque inhonestis, ut & comessationibus, & potationibus cœperunt indulgere jure merito à Sancto Bonifacio Papa circa annum 420. prohibitæ hujusmodi nocturnæ vigiliæ fuerunt, & indicta diurna jejunia quæ adhuc ecclesia retinet, ut etiam nomen vigiliæ.

Cæterum quod attinet ad ciborum delectum & abstinentiam à carne certum est Ecclesiam prohibuisse cibos aliquos, à quibus jejunantes abstinerent, idque ad exemplum ipsius Dei, qui sub mundi initium injunxit Adamo, ne comederet de omnibus ac singulis terrestris paradisi fructibus, Genes. 2. v. 16. *Ex omni ligno paradisi comede de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*; & Genes. 9. v. 3. *Omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum quasi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis.* Levit. 10. v. 8. & 9. *Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis tu, & filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonii, ne moriamini, quia pactum sempiternum est, & ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter polutum, & mundum.* Judic. 13. v. 4. *Dixit Angelus Matri Samsonis: Paries filium, cave ne bibat vinum, ac siceram, nec immundum quidquam comedat.* Et v. 13. *Dixitque Angelus Manue de omnibus, quæ locutus sum uxori tuæ abstineat se.* Jeremiæ 35. v. 5. *Et posui coram filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices, & dixi bibite vinum, qui responderunt non bibemus, quia Jonadab Filius Rechab Pater noster præcepit nobis, non bibetis vinum vos, & filii vestri usque in sempiternum, & domum non ædificabitis.* Et v. 19. *Propterea hæc dicit Dominus Deus Israel: non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Recab stans in conspectu meo cunctis diebus.* Daniel. 10. v. 3. *in diebus illis ego Daniel lugebam tribus hebdomadarum diebus panem desiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum* Luc. 1. v. 15. Dixit Angelus de Joanne Baptista: Vinum, & siceram non bibet, quod si quæras, qualis fuit illius cibus? habetur apud Matth. 3. v. 4. *Esca autem ejus erant locustæ & mel sylvester*; unde ex utroque testamento veteri & novo deprehenditur licitum fuisse & ad usum deductum ciborum delectum & abstinentiam à carne, quapropter ecclesia potuit jejunia obligatoria Christi fidelibus indicere, ut per jejunia carnis concupiscentias compescerent, & Christi jejunantis in deserto imitarentur exemplum, quod autem hoc ecclesiasticum præceptum inducat obligationem in conscientia, adeo ut teneantur fideles sub peccato jejunia observare, probari facile potest ex illo Matth. 18. v. 17. *Si ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*, & quando Ecclesia indicit jejunium fidelibus, si isti non audiant ecclesiam præcipientem jejunium habentur ut Ethnici scilicet ob peccatum destituti Gratia sanctificante. Quod si Jeremiæ 25. potuit Jonadab prohibere filiis non per unam vel alteram diem tantùm, sed usque in sempiternum vini usum, & obedientia filiorum abstinentium à potu vini placuit Deo, cui grata fuit, à fortiori poterit Ecclesia abstinentiam aliquarum escarum pro tempore tantùm suis interdicere filiis; quòd si nostra obedientia placet Deo, displicebit certè si nolimus Ecclesiæ obedire, nec nobis injuncta jejunia observare; qui autem Deo displicet ab ejus complacentia se avertit, consequenter peccat. Præterea, si ex præcepto & constitutione Mardochæi, Esder. 9. totus Hebræorum populus debuit jejunare,

ac diem festum celebrare in memoriam liberationis à persecutione Amani Agagitæ à fortiori tenentur fideles in memoriam quadraginta dierum, & quadraginta noctium, quibus Christus in deserto jejunavit indicta ab Ecclesia servare jejunia.

Hinc Actor. 15. cum Paulus præambularet Syriam, præcipiebat recens conversis ad fidem Christi custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum; proinde etiam supremi Pastoris Ecclesiæ, cui Christus Matth. 16. v. 19. concredit claves Regni cœlorum: *Dabo tibi claves Regni cœlorum, & quodcunque solveris super terram erit solutum & in cœlis, & quodcunque ligaveris, erit ligatum.* Quòd si supremus militantis Ecclesiæ Judex potestatem habet ligandi, utique etiam obligandi in conscientia, & excludere à Regno cœlorum detrectantes obedire, hinc Luc. 10. v. 16. ait Christus: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*: non obedire autem ecclesiæ perinde est, ac contemnere, quod ipsa præcipit eamque spernere consequenter spernit etiam Christum, & Actor. 15. v. 28. Dixerunt Apostoli in primo Concilio Jerosolymitano: *visum est Spiritui Sancto, & nobis, ut abstineatis à suffocato & sanguineo*, hoc est, injunxit Ecclesia fidelibus præceptum abstinendi se à suffocato, & sanguine & hoc præceptum abstinentiæ, & jejunii tam exactè fuit à primis illis fidelibus observatum, ut mortem potiùs subire vellent, quàm gustare sanguinem, aut suffocatum, ut notat Tertullianus, & asserit D. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 13. id fuisse statutum non causa abstinendi à tali esca; sed ut facilius coalesceret Ecclesia ex gentibus & Judæis, quia Judæi tenebantur ex lege abstinere à suffocato, & sanguine, & à pluribus aliis cibis, quorum abstinentia non amplius eos obligavit, cum lex vetus mortua cum Christo fuerit; & gentes nonnisi ad tempus jubebantur à sanguine, & suffocato abstinere, ne nimis grave videretur Judæis totam legem statim abrogare, quapropter ex instinctu Spiritus Sancti consultius censuerunt Apostoli, aliqua adhuc permittere ex illis pluribus, quæ ex præscripto legis à Judæis servabantur, ut facilius traherentur ad Christi fidem; unde sicut Apostoli ob bonum finem quasdam prohibuerunt escas, quæ alioquin à Deo non prohibebantur, unde de carne suffocata nulla legatur facta prohibitio, id argumento procul dubio est, posse itidem Ecclesiam quæ Apostolis successit jejunia indicere, ac certos cibos prohibere ad sensuum insolentiam carnisque stimulos coërcendos.

Objiciunt tamen Novatores illud Matth. 15. v. 11. *Non quod intrant per os, hoc coinquinat hominem*, ex quo inferunt non esse abstinendum ab ullo cibo, cum à nullo coinquinetur homo. Sed contra verum est, cibum ex se non coinquinare hominem, cujus nutritioni inservit, eumque reficit si cum moderamine sumatur. Sed quod coinquinat hominem est illa prava voluntas detrectans ecclesiam audire, ejusque præcepta servare, non igitur deglutitio ciborum hominem coinquinat, sed ipsa inobedientia, & prava voluntas contemnens mandatum superioris, & detrectans ecclesiæ obedire.

Instant tamen Novatores quia Christi Sectatores non sunt illi ancillæ, sed liberæ qua libertate Christus nos donatos voluit, ut de omni esca manducaremus, hinc Luc. 10. v. 8. *Manducate quæ apponuntur vobis*, ad Titum 1. v. 15. *Omnia munda mundis*, 1. ad Corinth. 10. v. 25. *Omne quod in macello venit, manducate nihil interrogantes propter conscientiam; si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod apponitur vobis manducate, nil interrogantes propter conscientiam; si quis autem dixerit, hoc immolatum est idolis nolite manducare propter illum qui manducavit, & propter conscientiam non tuam sed alterius, ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia?* Sed contra ad 1. Luc. quod attinet, respondetur textum illum non esse intelligendum absolutè, & ad litteram, alioquin tempore Apostolorum contra eorundem præceptum, & prohibitionem licitum fuisset comedere de sanguine suffocato, quamvis utrumque pro tempore illo prohibitum fuisset, unde textus desumptus ex D. Luc. 10. intelligitur ut explicat D. Ambrosius, ut Christus in loco illo injungat Discipulis suis evangelizantibus frugalitatem, & ut non exigant ab hospitibus cibos lautiores, sed contenti sint ea manducare, quæ ab iisdem illis apponuntur, unde pro tempore & loco sumendum est, quod sumi debet, quia Christus ob libertatem qua donatos voluit fideles, non tamen voluit leges transgredi ab ipso sancitas vel ab Ecclesia sua institutas, sed modestiam, & temperantiam præscribens dixit suis Discipulis evangelizantibus gentibus, manducate, quæ apponuntur vobis, quod intelligendum est, non simpliciter alioquin si apponeretur venenum debuissent Apostoli illud comedere, sed cùm frugalitate, adeo ut non exigerent cibos lautiores, sed contenti essent appositis.

Eodem pacto scripsit D. Paulus ad Titum omnia esse munda mundis, eò quia non sit cibus, qui coinquinet, nec immunditiam inducat, sed prava voluntas, & inobedientia, qua præceptum superioris habetur contemptui, similiter 1. ad Corinth. 10. jussit manducari quod in macello venditur, ut fideles à sollicitudine inquirendi, an carnes illæ essent idolis immolatæ, liberaret, alioquin nisi hoc sensu explicetur Apostolus sibimet contradiceret, quia Actor. 15. v. 16. jussit servari decretum Concilii Jerosolymitani de sanguine, & suffocato, & idolodytis non edendis proinde noluit in macello à fidelibus emi sanguinem, vel suffocatum, vel carnes quas aliquis certo sciret esse immolatas. Tum quia ad Roman. 14. ait: bonum esse non comedere carnes, & abstinere se à vino, unde non intendebat Apostolus ut jejunia indicta ab Ecclesia non servarentur, neque ut prohibitio à sanguine, & suffocato non servaretur.

Instant Novatores, eò quia D. Paulus monet Coloss. ne sinant sibi legem ullam imponi in cibo, & potu, ait ille ad Coloss. 2. v. 16. *Nemo vos judicet in cibo, & potu.* Sed contra, quia inde Apostolus non monet Colossenses, & nolint præcepta jejunii, & abstinentiam à quibusdam escis servare; addit enim: *Aut in parte diei festi, aut Neo-meniæ aut Sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum*, unde Paulus non loquitur de jejuniis Christianorum neque de delectu ciborum, sed tantùm de cæremoniis Judæorum, quas cum lege ipsorum monet abrogatas esse, neque consequenter posse iterum introduci ab homine sive Judæus sit, sive Hæreticus.

Objiciunt secundò illud D. Pauli 1. ad Timot. 4. v. 1. *In novissimis diebus discedent quidam à fide prohibentes nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverint veritatem, quia omnis creatura Dei bona est*, ex quo textu inferunt Hæretici præcepta Ecclesiæ prohibentia nubere tempore quadragesimæ, & adventus Domini, & abstinere à carnibus, & lacticiniis in quadragesima, esse contemptui habenda, eò quia cum Deus cibos creaverit, ut eos homines manducarent vires reficerent non sunt mali consequenter non debent prohiberi. Sed contra ex postremis verbis clarè deducitur, qualis fuerit intentio Apostoli scribentis ad Timotheum; ipse enim

damnat

damnat Hæreticos prohibentes cibos ut per se immundos, ut docet D. Hieronymus lib. 2. adversus Jovinianum; siquidem insurrexerunt plures Hæretici tempore D. Pauli, ut Marcionistæ, Encratitæ, Manichæi, qui cibos ut ex se immundos asserebant, proinde non à Deo, sed à Dæmone creatos, quòd etiam de institutione matrimonii asserebant, quibus visus est adhæsisse Jovinianus contra quem scripserat D. Hieronymus, & hoc etiam colligitur ex canone 50. Apostolor. *Qui propter abominationem tantum carnibus in diebus festivis non utitur, deponatur tanquam qui cauterio notatam habet conscientiam.* Et Jovinianus facilè rejicitur ex scripturis cum habeatur, Genes. 1. Deum masculum, & fœminam creasse, & cum eis benedixerit, dixisse: *Crescite, & multiplicamini*, quod sine matrimonio, seu conjunctione maris cum fœmina non potuit fieri. Neque obstat, quod Apostolus dicat in novissimis diebus discedent quidam à fide, quasi Apostolus loquatur de iis, qui futuri erant longe post Apostolos seu de temporibus posterioribus usque ad finem mundi. Quòd quidem verùm est, quia non defuerunt ex Hæreticis, qui nuptias prohibuerunt, & alii qui etiam à quibusdam cibis, ut Manichæi, & Encratitæ, qui putàrunt cibos quosdam ex natura sua immundos esse; hinc Theodoretus in cap. 4. 1. epist. ad Timoth. ait de Hæreticis: *Execrabiles nuptias & plurimos cibos appellant, ut creatorem injuria afficiant.*

Quod verò ad preces publicas attinet, solet Ecclesia lingua vulgari latina eas fundere, quia ut ait Apostolus ad Ephes. 1. v. 8. *In Christo habemus redemptionem &c. in omni sapientia, & prudentia*, hæc enim exigit, ut in electione partem eligamus, quæ magis expedit & minora secum incommoda trahit; atqui lingua latina præ cæteris magis expedit, & minora secum trahit incommoda; siquidem unum tantùm hæc lingua incommodum habet quod non præjudicat essentiæ religionis, & salutis, scilicet quod à plebe communiter non intelligatur, expressè & immediatè, quod tamen incommodum facile superatur ab iis, qui parum laboris impendere in studiis velint, & exercitio hujus linguæ; neque desunt Pastores qui plebi non intelligenti hanc linguam ei explicent, adeout etiam pueri, & fœminæ intelligant, quæ in scripturis continentur, tenentur enim Pastores oves suas pascere, seu eas docere quæ necessaria sunt ad salutem, & tenentur invigilare tanquam rationem reddituri de animabus subditorum, cæterum sufficit, si ignorantes litteraturam omnia referant in Dei gloriam neque enim in lege evangelica contingit, quod tempore Jeremiæ dicitur evenisse Threnor. 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*, quia non desunt in lege evangelica Pastores prædicatores divini cultus interpretes & catecheses instruentes, ac erudientes parvulos, seu rudes & simplices, hinc Tridentinum sess. 24. cap. 7. præcipit, *ut Parochi explicent lingua vernacula, si opus sit Sacramentorum vim, & usum, & salutis monita eadem lingua vernacula singulis diebus festis, & solemnioribus explanent.*

Cæterum lingua latina non caret fructu orationis, tametsi orantes non intelligant sensum & vim verborum; siquidem fructus principalior orationis est impetratio, & ut audiatur à Deo vel à Sanctis, qui nullum ignorant idioma; orationes enim quæ divinis litteris continentur fuerunt à Spiritu Sancto dictatæ, cujus munus est postulare pro sanctis, unde ipse preces à nobis fusas Deo sistit, & suum sortiuntur fructum, hinc sacræ scripturæ, & liturgiæ nonnisi lingua latina cuduntur, & ecclesia hac lingua in suis precibus utitur, quia hæc lingua per totum orbem recepta est, ac perquam usitata, & hac utuntur Catholici imò & Hæretici, & Ethnici etiam, neque sine gravissimis incommodis posset hæc lingua immutari quin plura subiret Ecclesia pericula deficiendi à primævo instituto; plerumque enim ex interpunctione vel mutatione syllabæ, aut litteræ multum videtur detrimenti fides pati, & vox una tantum græca, quæ fuit homousion totum Christianum orbem turbavit, ut se Arianum esse conquereretur, ut contingit in Conciliabulo Ariminensi, unde plurimum pateretur Ecclesia incommodi, si sublata lingua latina vellet ex Hebræo vel Græco idiomate scripturas audire, præsertim cum hujusmodi linguæ sint obnoxiæ mutationibus. Secundò quia in Concilio Carthaginensi III. cap. 23. statuitur: *Et quascunque sibi preces aliquis describit, non eis utatur nisi priùs eas cum instructionibus fratribus contulerit.* Cum igitur Ecclesia diligentissimè examinaverit preces queis ipsa utitur, certi sumus nil dissoni in iisdem contineri, sed omnia esse accommodata in ordine ad assecutionem æternæ salutis.

Tum quia principale interdum religionis Christianæ est illud Christi unio scilicet, eorundem inter se: Christus enim rogavit Patrem ut fideles unum sint, & quo pauciores sunt modi loquendi, & idiomata universaliora magisque communia, eò facilius per eadem idiomata se fideles intelligunt promptiusque conveniunt, ac congregantur: hinc in Conciliis Galli, Hispani, Itali, Germani, Angli, Belgæ, imò & Orientales Præsules facilè se intelligunt beneficio linguæ latinæ quam omnes à puero addiscunt, unde hæc lingua vox est ecclesiæ, quæ auditur in Conciliis Generalibus, alioquin si essent plures linguæ difficulter intelligerentur, nec Ecclesia Occidentalis posset communiter loqui, nec intelligi nisi uno latino idiomate uteretur, olim enim cum Concilium Generale in Ecclesia Occidentali congregaretur ex Prælatis accitis ex Europa, & Africa, & in Ecclesia Orientali itidem Concilium generale indicebatur Occidentales, quia congregati ex Afris, & Latinis facilè uno eodemque idiomate latino proprios aperiebant in Concilio sensus, cum nullus esset ex illis Episcopis, qui non calleret linguam Latinam, & tunc ex variis itidem nationibus coactum in Oriente Concilium communicabat sua decreta, statuta, & definitiones Ecclesiæ Latinæ per speciales personas, quæ callerent utrumque idioma; & quod statuebatur ab utraque Ecclesia id erat vox ecclesiæ universalis, & decisio Concilii Oecumenici. Posita autem abrogatione linguæ latinæ in Ecclesia Occidentali, si omnes Episcopi Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Germaniæ, Poloniæ, Ungariæ, Italiæ suis tantùm vernaculis linguis loquerentur ingens procul dubium oriretur confusio, nec unus quod alius sibi vellet percipere posset, unde Concilium non esset cœtus Prælatorum, sed Babelis confusio.

Bene igitur Ecclesia in suis publicis precibus omissis linguis vernaculis cujuslibet Provinciæ uno eodemque idiomate in omnibus utitur Regionibus, neque obstat, quod opponunt Hæretici, ex D. Paulo communem primitivæ Ecclesiæ usum fuisse, ut se populorum intelligentiæ accommodaret, quia tametsi in privatis precibus permittat Ecclesia populos uti lingua vernacula non tamen in publicis, ut unum ac idem per totam ecclesiam servetur idioma nec obstat, si rudes illud non percipiant, quia non desunt Pastores eos erudientes, & explicantes sensum communium precum, neque Paulus loquitur de precibus com-

communibus Ecclesiæ, sed tantùm de privatis orationibus, ac colloquiis, quibus efferebantur mysteria quædam ex dono linguarum, quod donum primis illis temporibus Apostolorum à pluribus divinitus participabatur ad uberiorem infidelium conversionem. Erat autem hoc donum ut explicat D. Augustinus 12. de Genes. ad litter. cap. 8. & lib. 4. de Trinit. cap. 16. ut visiones quasdam futurarum rerum prænuntias obscurè variis, [illegible] loquerentur, quarum significationes frequenter ipsi, quibus ea videre contingeret non poterant intelligere.

Rursus erat aliud donum, quod Apostolus nominat Prophetiam, & quod mysteria obscuritate involuta explicabantur Christianis, vel ab eo qui tali lingua loquebatur, vel ab alio. Præterea quia Corinthii vel maximè delectabantur exteris linguis quarum plurimas callebant adeo ut essent aliis nationibus admirationi ob tot linguarum varietatem; ideoque in illa Ecclesia quisque absque ordine suas poterat visiones proferre etiam nullo interprete, vel præsente Propheta, quod tamen redarguens, ut puerile Apostolus jubet, nihil aliena lingua, quod obscurum sit, in medium afferri, nisi adsit interpres, idque ex multiplici ratione nimirum ut totus homo spiritu ex mente fructum percipiat, quia tunc mens fructum sumebat quando intellectus cognitione mysteriorum instruebatur. Secundò ut Auditores non obscuras voces tantùm audiant, sed audita eorum interpretatione ædificentur, ac spiritualem percipiant utilitatem, ac respondeant *Amen*, seu verbis confirment Dei promissiones quas intellexerunt.

Si dicas moris esse, ut in Ecclesia Græca, græco idiomate divina peragantur, ac Sacerdotes Græci præficiantur, qui divina officia græcè peragant; proinde posse itidem aliis Nationibus hoc idem indulgeri, ut Germanis, Gallis, Hispanis, Illyricis, ut singuli in proprio vernaculo idiomate divina officia, ac communes preces peragant. Contra est, quia apud Græcos eatenus græcè divina mysteria celebrantur non ut vulgus intelligat, quæ geruntur, sed propter diversos ritus Ecclesiarum, quæ sicut cæremoniis distinguuntur, ita vario idiomate secernuntur, non enim tantum vernacula utuntur lingua, sed etiam communi, tametsi plebs in suis congressibus non intelligat mysteria quæ aguntur, eruditi tamen id sciunt.

Moris itidem in Ecclesia fuit, ut communes preces cum cantu, ac musicis instrumentis persolverentur, qui mos viguit etiam in veteri testamento, ubi Israelitæ in psalmis & cantibus Deum laudârunt, hinc David Saulem à malo Spiritu liberaturus psallere cum musico instrumento cœpit, 1. Reg. cap. 19. v. 4. & 10. *Et factus est Spiritus Domini malus in Saul sedebat autem in domo sua, & tenebat lanceam, porro David psallebat manu suâ*, & idem David hortatus fuit populum ad magnificandum Deum in tympano, & Choro in chordis, & organo, in cymbalis bene sonantibus, in cithara & psalterium decem chordarum in tubis ductilibus & voce tubæ, ut *Psal. 9. Psal.* 12: 70. 97. 146. & 149. & hunc morem fluxisse in ecclesiam evangelicam ab ipsis Apostolis colligitur ex D. Paulo ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed implemini Spiritu Sancto loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino;* quia hisce religiosis ac modestis modulationibus ad studium rerum cœlestium se erigebant Christi fideles exemplo Christi, & Apostolorum ut refert D. Augustinus epist. 119. cap. 18. inquiens: *de hymnis & Psalmis canendis ipsius Domini & Apostolorum habemus documenta exempla, & præcepta de hac re tam utili ad movendum piè animum, & accendendum munire dilectionis affectum varia est consuetudo.*

Præterea musica eatenus videtur in ecclesiis retinenda, quia tædium excutit charitatem, in Deum adauget, mentem ad cœlestia erigit, & fideles in Deum rapit, quapropter Lactantius lib. 6. de divin. Institut. cap. 21. ait: *Si voluptas est audire cantus, & carmina Dei laudes canere, & audire jucundum sit. Hæc est voluptas vera, quæ comes, & socia virtutis est; hæc est non caduca, & brevis, ut illæ, quas appetunt, qui corpori ut pecudes serviunt. sed perpetua sine ulla intermissione delectans.* Et D. Chrysostomus ait: Psalmos, & cantus fuisse in ecclesia introductos homil. in Psal. 4. *Ne Dæmones lasciva cantica introducentes omnia everterent, & ideo psalmos Deus construxit, & cantus religiosos, ut ex ea re simul caperetur voluptas, & utilitas.* Imò adeo frequens fuit primis ecclesiæ fidelibus psalmorum cantus, ut eo etiam in conviviis, ac ruri uterentur, ut notat S. Cyprianus ad Donatum scribens: *Nec sit vel hora convivii gratiæ cœlestis immunis: sonet psalmus convivium sobrium*, & Tertullianus in Apologet. cap. 39. ait: *Postquam aquam manualem & lumina ut quisque de scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest provocatur in medium Deo canere.* Huic consonat D. Hieronymus epist. 17. ad Marcellan. inquiens: *In Christi villula præter Psalmos silentium; quocunque te vertis arator stivam tenens alleluja decantat, sudans Messor psalmis se evocat; curvam attollens vitem falcinator aliquid Davidicum canit. Hæc sunt in Provincia nostra carmina: Hæ ut vulgò dicitur amatoriæ cantiones, hic Pastorum sibilus: hæc arma cultura.*

Et tametsi D. Augustinus in Psal. 31. concord. 1. nolit ea, quibus Gentilitas in suis ritibus uti consueverat Christianis esse communia, non tamen, si piè ac modestè ut decet exerceantur, ea prohibet, sed potius iisdem indulget, ait ipse, *& si ad lyram vel citharam canere vel psallere noveris nulla in te cadet reprehensio hebræum justum Regem imitaberis, qui Deo est gratus & acceptus. Exultate justi in Domino recta decet collaudatio; confitemini Domino in cithara & psalterio decachordo ei psallite.* Quamobrem usus organorum aliorumque musicalium instrumentorum dummodo piè modestè ac cum gravitate pulsentur, non debet in ecclesiis prohiberi, cùm illius consuetudo ortum traxerit à primitiva Ecclesia, & ab ipsis Apostolis, & D. Paulus nos hortetur ut loquamur nobismetipsis in Psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, Cantantes & psallentes Domino in cordibus nostris quòd si aliquando fuerunt in Ecclesia præscripta hujusmodi instrumenta & cantica id fuit quia vel communia erant Gentilibus vel quia cantus in lasciviam degenerarunt, ut refert Cardinalis Baron. anno Christi 60. alioquin impugnare in ecclesiis novi testamenti canticum, & musica instrumenta perinde esset, ac libros Exodi, & Regum proscribere; siquidem in iisdem Moyses & alii Deo devoti Laudes Deo cecinerunt cum hisce instrumentis David enim plures composuit Psalmos, & Choros constituit Cantorum, nobisque suadet ut instrumentis musicis Deum laudemus; imò id esset reprobare Cantica Zachariæ Simonis, & Deiparæ Virginis imò & ipsos Angelos qui nato in terris Christo laudes Deo cecinerunt, Luc. cap. 2. *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum & dicentium: Gloria in Altissimo Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis;* hæc enim verba canticum nuncupari Angelorum asserit Walfridus Strabo lib. de eccles. offic. cap. 22. Ipsi itidem Apostoli

stoli absoluta ultima cœna hymnum cantârunt Matth. cap. 26. *& hymno dicto exierunt in montem oliveti*, alioquin nisi cecinissent hymnum non dixissent quia ait D. Augustinus in Psal. 72. *Hymni laudes sunt Dei cum cantico; hymni cantus sunt continentes laudes Dei; si sit laus, & non sit Dei non est hymnus; si sit laus est Dei laus, & non cantetur non est hymnus. Oportet ergo ut si sit hymnus habeat hæc tria, laudem, & Dei, & canticum.* Cum igitur sit de ratione hymni ut sit laus Dei cum cantico procul dubio, si Apostoli post absolutam ultimam cœnam hymnum dixerunt, laudem Deo cecinerunt; nulli igitur dubium esse potest, quin prius in ecclesia cantus suam traxerit originem in novo testamento ab ipsis Apostolis, & in veteri à Moyse, Davide, Zacharia, Simeone, imò & ipsa Deipara Virgine.

Usus Organorum sæpe meminit David in psalmis, & antiquissimum esse in Ecclesia liquet, quia primi fideles pulsatione talis instrumenti excitabantur ad divina mysteria, & simul tædium excutiebant ex prolixa statione in ecclesiis, & quamvis tempore Vitaliani Papæ, qui sedit circa annum 657. introductum fuisse hoc instrumentum musicum in Ecclesiis asserant Martinus Polonus, & Platina & alii ex Pontificali Damasi Papæ, attamen organa fuisse missa Pipino Regi à Constantino Imperatore tempore Sylvestri Papæ circa annum 314. refert Marianus Scotus in Pipino, cui adhæret Aymon Monachus lib. 4. de gestis Francor. cap. 113. Alii tamen censent organa more Græcorum primùm in Galliis composita fuisse industria cujusdam cui nomen Gregorius sub Imperio Ludovici Pii. In capella quidem summi Pontificis non adhibentur organa, nec alia instrumenta non tamen hæc ab omnibus aliis ecclesiis sunt proscribenda, ut notat Sotus *de just. & jur. lib. 10. quæst. 5. art. 2.* dummodo hæc instrumenta musica piè cum gravitate pulsentur, & nihil præter hymnos divinos & cantica spiritualia Organa personent.

Fuisse itidem in ecclesiis olim introductum chorum, seu fuisse in iisdem locum ubi Cantores divinas laudes & psalmos canebant refert D. Augustinus in Psal. 149. Locus iste chorus vocabatur, quia ut ait Isidorus lib. 6. orig. Chorus vox est denotans conceptum, & multitudinem simul canentium, quo pacto Moyses post transitum maris choros instituit utriusque sexus, ut Deo in gratiarum actionem carmen caneretur triumphale. Præterea 1. Reg. cap. 18. refertur puellas cantantes exiisse obviam Davidi reduci, cum victoria de prostrato Golia: *Egressæ sunt mulieres in occursum cantantes choros ducentes*, & lib. 2. Esdræ cap. 12. *Steterunt duo chori laudantium.* Imò & David hortatur fideles ad laudes Deo concinendas in choro Psal. 150. *Laudate nomen ejus in choro.*

Cæterum placet Amalario lib. 9. cap. 3. & Rabano Mauro de instit. cleric. lib. 1. cap. 33. Quasi in choro concordes corde cantemus, vel etiam, quia in modum coronæ in primitiva ecclesia circum altare stabant canentes & psalerent, unde in eccles. cap. 50. legitur: *Stans sacerdos ante Aram & in circuitu ejus corona fratrum;* Sed magis propriè chorus dicitur locus ille, ubi in templis Ecclesiasticis Deo canunt laudes, & psallunt separati à populo intermediis cancellis vel alio modo, ne Deo cantantes distrahantur, unde in Concilio Turonensi II. can. 3. habetur: Pars illa quæ à cancellis versus altare dividitur chorus tantùm psallentium pateat Clericorum; & in Concilio Toletano IV. can. 17. habetur: Ut Sacerdotes & Levitæ ante altare communicent, in choro clerus extra chorum populus; & quia in choro canentes in binas partes dividebantur, hinc consuetudo orta fuit alternatim canendi Socrates tamen lib. 6. histor. Eccles. cap. 8. asserit, hanc alternationem suam traxisse originem à quadam visione, quam habuit S. Ignatius Episcopus & Martyr his verbis: *Jam verò dicamus unde consuetudo hymnorum, qui in ecclesia alternatim decantantur initium sumpserit? Ignatius Antiochia, quæ est in Syria tertius à Petro Apostolo Episcopus, qui cum Apostolis ipsis versatus est, visionem vidit Angelorum Sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis collaudantium & formam canendi in ea visione expressam Ecclesia Antiochena tradidit, unde illa traditio in omnibus ecclesiis recepta est.*

Unde non est dubium hanc consuetudinem alternatim canendi fuisse in Ecclesia tempore Apostolorum; hinc cum Trajanus Imperator injunxisset Plinio suam tunc in Græcia agenti præfecturam, ut diligenter inquireret de Christianis, quales exerceant ipsi mores, & qualem ducant vitam; si sint flagitiosi, vel vitiis dediti, & quale sit eorum institutum, respondit Plinius lib. 10. epist. 97. *Interrogavi ipsos, an essent Christiani: confitentes iterum, & tertiò interrogavi supplicium minatus; perseverantes duci jussi*, & post plurimam inquisitionem ait Plinius affirmabant hanc fuisse summam vel culpæ suæ vel erroris, quòd essent soliti stato die ante lucem convenire, & carmen Christo quasi Deo dicere, seque invicem Saramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne culpas, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent; quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coëundi ad capiendum cibum athereas promiscuum tamen, & innoxium, quod facere destiterunt post edictum meum, quo secundùm mandata tua esse vetueram; unde non est dubium, quin mos alternatim canendi in ecclesia inoleverit in primitiva ecclesia cùm tempore Trajani consueverint, fideles æthereas celebrare seu cœtus antelucanos congregare & alternatim Deo laudes canere.

Et hunc morem provenire ex Apostolica traditione, ac divinis visionibus refert Baronius anno Christi sexagesimo, & hujus etiam meminit ritus alternatim canendi Eusebius Cæsariensis in histor. eccles. cap. 17. ubi narrat Philonem Hebræum descripsisse cantum Christianorum hisce verbis: *Unus ex omnibus consurgens in medio psalmum honestis modulis concinebat, & præcinente eo unum versiculum omnis multitudo respondebat.* Meminit etiam hujus consuetudinis Justinus Martyr orat. ad Antoninum Pium apud Clementem Alexand. orat. ad Gentil. & S. Cyprianus in orat. dominic. & præ cæteris S. Basilius epist. 63. ad Hæreticos sui temporis inquiens: *De Christianis primitivæ ecclesiæ illucescente jam die pariter omnes veluti ore uno confessionis psalmum Deo offerunt ut suis quisque verbis resipiscentiam profitetur;* & nonnullis interjectis subdit: *Et ut semel dicam omnes apud quos vigilia, ac preces, communesque psalmodiæ in pretio sunt.*

Verùm quia ex totius populi cantu quædam in ecclesia obstrepebat dissonantia & ut loquitur D. Hieronymus in præfatione epist. ad Galat. lib. 2. *Ad similitudinem cœlestis tonitrui amen reboabat*, ut hæc confusa tolleretur dissonantia decrevit Concilium Laodicenum can. 15. ne imposterum populus in ecclesiis caneret, sed id officium sibi assumerent tantum Cantores Ecclesiastici; ait Concilium: Non licere præter Canonicos psallentes, seu eos, quæ regulariter Cantores existunt, quique pulpitum ascendunt, & de codice legunt; alium quemlibet in Ecclesia psallere, hinc tametsi sub initiis Ecclesiæ canere in ecclesia commune esset laicis; postea tamen ob eorum inconcinnitatem

tem solis clericis id officium reservatum fuit, ut refert Baronius ad annum Christi 51.

Habetur etiam ex apostolica traditione in ecclesia hymnus glorificationis, cujus formula postea tradita fuit in Synodo Nicæna quia cum Ariani illam corrupissent, ac dicerent: *Gloria Patri per Filium, & Spiritui Sancto* Catholici ex antiqua consuetudine eundem hymnum continuarunt servantes antiquam formam traditam ab Apostolis: *Gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto*, & hunc ritum Damasus Papa suasu beati Hieronymi in Ecclesia Romana, aliisque per Occidentem servari præcepit, de quo Hieronymus ad Damasum ita scribit: *Precatus Ussens tuus ut vox ista psallentium in sede tua Romana die noctuque canatur, & in fine cujuslibet Psalmi sive matutinis sive vespertinis horis præcipiat Apostolatus tui ordo: gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto.* Concilium verò Nicænum cum hymnus iste glorificationis ubique in ecclesiis caneretur, contra blasphemiam Arianorum asserentium Filium à Patre in tempore factum ex communi consensu utriusque ecclesiæ Orientalis, & occidentalis addita fuerunt hæc alia verba: *Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum amen*, quod etiam statutum fuit in Concilio Vasensi, ut refert Baronius ad annum Christi 325.

Trisagion itidem fuit in Ecclesia introductum cum enim anno 446. ingenti terræ motu quateretur longè latèque terræ Tractus in Oriente, & per loca varia plura oppida & urbes fuerint solo æquatæ, & muri Constantinopoli corruissent, ac fames, & aëris pestifer odor multa millia hominum, ac jumentorum delevisset, accidit Constantinopoli, ut cum Theodosius Imperator unà cum Proculo Episcopo universoque populo præ metu corruentium ædificiorum extra urbem in loco qui dicebatur campus morarentur, ac die quadam terræ motus vehementius grassaretur universus populus ex intimo corde cum gemitu, & lachrymis, humique prostrati divinam implorarunt misericordiam divinitus factum fuit ut puer spectantibus omnibus de media turba in sublime extra visum hominis raperetur, & rursus eadem via per aërem in locum pristinum dimissus fuit, & Patriarchæ Imperatori ac universæ multitudini lytaniis & supplicationibus divinam imploranti opem retulit præfatus puer ab Angelis se divinum trisagion in hunc modum decantatum audivisse, *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis miserere nobis*, & monuit omnes adstantes ut eodem modo omnes canerent, & tunc statim cessavit terræ quassatio ut narrat Nicephorus lib. 14. cap. 46. ubi addit Theodosium Imperatorem una cum sua Pulcheria Augusta edita constitutione injunxisse toti populo sibi subdito ut per totum orbem hymnus iste caneretur. Cantui ecclesiastico consueverant fideles addere alleluja, quæ vox hebraica, latinè idem sonat ac *Laudate Dominum*; estque de decem nominibus, quæ apud Hebræos habentur; est alleluja cantus lætitiæ, quem ecclesia usurpat in festivitate Paschatis, & in diebus dominicis, ad indicandum gaudium nostrum, quod ex Christi resurrectione concipimus, & significat nostram beatitudinem consistere ut clarè, ac intuitivè cognoscamus Deum sicuti est in se, ut intentiùs fontem illum inexhaustum infinitæ bonitatis amemus, æternumque diligamus; hinc David Psal. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te*; hac causa cur in Concilio Toletano IV. statutum fuit ne in diebus quadragesimæ, & mœroris caneretur alleluja.

Cæterum quamvis usus cantûs, & etiam musicæ permitteretur in ecclesia, non tamen quæ tantum aures illiceret, & adstantes delectaret, sed quæ ad Dei amorem excitaret; neque cantus musicus permittebatur ad alium finem, quàm ad pios in Deum ciendos affectus in ecclesiis ubi cætus congregabatur fidelium; non verò ubi aderant infideles; hinc regius Propheta repræsentans Judaicum populum in Babylonica servitute, lacrymis madidus in lucta jacens, & squalore ait: Psal. 136. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena;* & Sanctus Hieronymus irascitur quibusdam adolescentibus, qui ad demulcendas aures fauces consueverant dulci medicamine emollire: ait ipse in epist. ad Ephes. *Audiant hæc adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in ecclesia officium est. Deo non voce, sed corde cantandum est; nec in tragœdorum morem guttur, & fauces dulci medicamine colliniendas, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur, & cantica; sed in timore, & opere, in scientia scripturarum;* & nonnullis interjectis subdit: *Sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur, ut spiritus malus, qui erat in Saule ejiciatur ab iis, qui similiter ab eo possidentur, ac non introducatur in eos, qui de domo Dei, scenam fecêre populorum.*

Præces verò communes, & publicæ, quæ in ecclesia recitari consueverant, fuerunt horæ canonicæ, quæ etiam cantu ut plurimum persolvebantur, ut Christus, & Apostoli eas recitarunt Matth. 26. ad Ephes. cap. 5. hujusmodi horæ septem recensentur, quas regius propheta visus est persolvisse ut ipsemet testatur Psal. 118. v. 164. *Septies laudem dixi Tibi super indicia justitiæ tuæ.* Quatuor horas ex prærecensito numero habemus in lib. 2. Esdræ c. 9. v. 3. Legerunt in volumine legis Domini Dei tui, quater in die, & quater confitebantur. Illæ tres horæ canonicæ recensentur à Daniele cap. 6. v. 50. *Tribus temporibus in die flectebat genua & adorabat coram Deo*, ex interpretatione S. Cypriani serm. 8. e. D. Hieronymo in comment. Danielis. De unaquaque ex septem horis exemplum habetur in sacra scriptura. De matutino recitando circa mediam noctem in Psal. 118. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*; & in eodem Psalmo: *Prævenerunt oculi mei ad Te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Et in Actis Apostolorum fit mentio de simili oratione Paulo, & Silo in carceribus. Cassianus asserit, officium matutinæ solemnitatis novo tempore gratiæ institutum fuisse primum in Bethleemitico monasterio, ubi Christus Dominus pro redemptione humani generis nasci voluit, & ex illo monasterio per universum orbem fuisse successivè propagatum; & consuetudinem invaluisse ut fere omnes religiosorum ordines, vel media nocte, vel saltem horis antelucanis matutinas preces persolvant, quò initium diei Deo consecrent. De laudibus quæ absoluto matutino fit mentio in Psal. 72. *Sic memor fui tui super stratum meum*; & in Psalm. 118. *Memor fui nocte nominis tui Domine.* De Hora prima matutina in Psal. 92. v. 12. *Ad annunciandum mane misericordiam tuam.* De Hora tertia in Actis Apostolorum cap. 2. cum essent Apostoli congregati, & orarent, & descendisset Spiritus S. dixit Petrus ad illos, qui irridebant Apostolos: *Non enim sicut vos existimatis hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia.* De Hora sexta in Actis itidem Apostolorum cap. 10. *Ascendit Petrus in superiora, ut oraret*

*oraret circa horam sextam.* Et de Hora nona cap. 3. eorundem Actuum: *Petrus autem, & Joannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam.* De precibus vespertinis in Psal. 54. v. 18. *Vespere, mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam.* Et in Psal. 140. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum; & in novo testamento eo tempore Christus cænantibus Apostolis mysterium sui corporis, & sanguinis initio tradidit, ostensurus tempus sacrificii vespertini, ut explicat Isidorus de Ecclesiaſ. officio lib. 1. cap. 20. de completariis itidem celebrandis. David Propheta in Psal. 131. *Si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, aut requiem temporibus meis; donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.*

Quòd si Rex David noluit ire dormitum neque somnum defesso corpori indulgere, donec locum, & templum in corde suo construxerit in quo Deus habitaret; quanto magis Christianus deberet conscientiam expiare, ut cor emaculatum, à quavis culpa emundatum habere, quo Dei fieret habitaculum. Clemens Romanus lib. 8. constit. Apostolic. cap. 34. refert ad quem finem dirigantur Horæ canonicæ, ut nimirum mane gratias agamus, quòd nos illuminaverit nocte sublata, & reddito die. Tertia quòd hac hora Pilatus judicium adversus Dominum pronunciaverit; sexta quod ea hora spiritum emiserit in cruce. Nona quod illa hora commota sunt omnia elementa, & terra contremuit ad inauditum Judæorum scelus; vespertinæ preces, quia noctem dederit ad requiescendum à diurnis laboribus. Et tandem preces ad Galli cantum, quia illa hora excitamur ad facienda opera lucis, seu ad bene operandum. Plures itidem solent adferri rationes hujus septenarii precum numeri; quarum una est redditio gratiarum pro complemento creationis in septimo die, quia totidem sunt horæ canonicæ. Secundò quia præces prædictis horis funduntur in memoriam nostræ redemptionis, quam pro nobis operatur est Dei Filius Christus Dominus; etenim hora vespertina, quo tempore incipit officium ecclesiasticum, Christus comedit agnum Paschalem cum suis discipulis, quibus & pedes lavit, sed Sacramentum Eucharistiæ instituit. Hora completorii cum transisset torrentem Cedron oravit in agonia sanguinem sudans, & vinctus à militibus ducitur ad Caipham ubi judicatus, reputatur morte dignus, qui author erat vitæ. Hora matutina circa mediam noctem, habitum fuit concilium apud Caipham ubi judicatus fuit Christus. Hora prima ducitur ad Pilatum deinde ad Herodem, & iterum ad Pilatum. Hora tertia postponitur Barrabæ, flagellis cæditur, & spinis coronatur, ac exhibetur populo. Hora sexta bajulat crucem, eique in monte Calvariæ affigitur, & maximum sacrificium se obtulit Patri pro redemptione humani generis. Hora nona expiravit, & descendit ad inferos, regnumque Diaboli destruxit; iterum ad vesperas à cruce deponitur, & à sanctissima matre recipitur, reconditus est in sepulchro à Josepho ab Arimathia, & hora completorii vigiles apponuntur custodes ad sepulchrum; & hora matutina Christus gloriosus resurgit.

Ordinem itidem Exorcistarum fuisse in primitiva ecclesia, ac esse ab Apostolica traditione derivatum constat ex Actis Apostolorum cap. 19. & in unaquaque ecclesia numerus habebatur determinatus, ut constat ex epistola Anacleti Papæ ad episcopos Africæ; & ex concilio Carthaginensi 4. c. 417. Exorcismus certis ac determinatis verbis fieri consueverat, ut testantur Minutius in Octavio, Lactantius lib. 2. c. 6. Cassianus collat. 5. c. 5. orationes adhibendæ in exorcismo semper claudebantur verbis illis: Per Christum Dominum, qui vaturus est judicare sæculum per ignem, quia ut refert Micrologus in libro de Sacramentis, horrent & timent Dæmones, dum futurum recensetur judicium. Dæmones obsidentes hominum corpora interrogabantur de proprio nomine, quod Christum præstitisse referunt Evangelistæ, Marc. c. 8. & Lucas, interrogans enim Dæmonem dixit: *quale est nomen tuum*; hinc Lactantius: *Nomina sua declarant illi, qui in templis coluntur*; & sicut manus imponebantur catechumenis singulis diebus quadragesimæ; ita etiam Dæmoniacis, ut habetur in citato Concilio Carthaginensi & in titulo: *de consecratione dist. 5. c. omni die.* Non tamen Exorcistæ in ecclesiis ob loci reverentiam, nec in domibus privatis dæmones conjurabant, ut à corporibus discederent obsessis. ut habetur in Concilio Laodiceno cap. 59. sed in atrio templi; & præ foribus fiebant exorcismi. Quòd si Dæmon promitteret, se relicturum corpus à se obsessum, petebatur ab ipso signum aliquod externum, & referente Palladio in vita Possidonii in signum suæ sponsionis dedit eversionem muri. Moris itidem fuit ut Dæmoniaci simul habitarent in loco ab aliis sejuncto sub regimine, & cura Exorcistarum, quod ad politicam pertinet disciplinam, non ad ordinem, vel ritum eidem annexum. Adhibebantur etiam exorcismi non tantùm ad expellendos dæmones, verum etiam alia infestantia animalcula, quæ plurimum solent damni adferre, & hominibus esse molestiæ, cujusmodi sunt locustæ, vermes, ranæ & alia id genus; quem ritum rident Novatores, & de causa, quia hujusmodi bestiolæ non sint rationis capaces, nec enim cognoscunt exorcismos; quasi Catholici id ignorarent; sed ut plurimum quia dæmones hæc solent animalcula adducere, ideo adhibemus exorcismum, quo imploratur divina virtus, ut hac mediante adigantur dæmones hæc nociva animalia removere, & per exorcismum expelli dæmones petimus, qui hæc nobis damna inferunt; etenim Apocal. 4. Angelis datum est nocere terræ, & mari; ideoque si animalia ratione carentia vim non intelligant exorcismi bene tamen ipsi Angeli, qui iisdem præsunt. Hinc etiam Psal. 53. incantantur serpentes, quamvis non intelligant, nec audiant vocem venifici incantantis sapienter, ad quod obturant aures suas; quòd si ad expellendos dæmones solemus aquam benedictam adhibere, à fortiori virtute exorcismi fugabuntur. Est enim exorcismus quid sacramentale, unde præcedit baptismum ut pars solemnitatis ipsius; & non solum est significativus, verum etiam debilitat vires, & potestatem dæmonis.

# CAP. VI.

## De diebus festis, qui in ecclesia celebrantur.

CErtum est inesse ecclesiæ facultatem instituendi dies festos, quibus fideles ab operibus servilibus ac mechanicis abstinentes, tempus diei festi impenderent in cultu divino; idque ex præcepto inducente obligationem; quia sicut Spiritus Sanctus specialiter assistit conciliis generalibus cum suo capite, repræsentantibus ecclesiam universalem etiam huic suam indulget assistentiam, quâ ut loquitur Apostolus est fundamentum, & columna veritatis, adeout non possit errare quoad ea quæ pertinent ad fidem, & bonos mores juxta promissionem Christi factam D. Petro Luc. 22. *Ego rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Sicut igitur Spiritus S. Actor. 15. præsidebat concilio Apostolorum: *Visum est Spiritui Sancto & nobis;* ita & in præsenti disponit de iis, quæ decernit ecclesia, quæ propterea nequit esse ulli errori obnoxia; unde Augustinus lib. contra epistol. fundamenti Manichæi cap. 5. tom. 6. *Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholica ecclesiæ commoneret authoritas.* Et D. Bernardus epist. 174. *Ego quæ accepi ab ecclesia securus teneo, & trado,* cum igitur ecclesia plures per anni cursum instituerit dies festos nulli potest dubium esse, quin potuerit illos instituere, ac fideles obligare ad eorundem observantiam. Hanc consuetudinem instituendi dies festos derivari ab Apostolis, ac esse in ecclesia Apostolicam traditionem est communis sententia; & præscribitur in tertio Decalogi præcepto: *Memento ut diem Sabbathi sanctifices;* cum duobus præcedentibus præceptis sublata fuerint impedimenta veræ religionis, nempe idololatria, & infidelitas, consentaneum erat addi tertium, quo homines pertraherentur ad cultum veri Dei per cultum externum diei festi.

Hoc autem præceptum, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 112. est partim naturale, & partim cæremoniale, partim humanum, quatenus est naturale obligat omnes, siquidem lumine naturæ cognoscimus esse deputandos divino cultui dies aliquot, quibus singuli homines dent operam rebus divinis, seque abstineant ab operibus servilibus, siquidem observantia diei festi duo comprehendit præcepta, affirmativum unum, alterum negativum, illud est se abstinere à quolibet opere servili, & hoc hodie reductum est ad Ecclesiam, ut quilibet fidelis saltem intersit Sacro, audiatque missam, & hoc præceptum naturale solet etiam ab aliquibus dici morale ea de causa, quia determinet aliquod tempus impendendum divino cultui, quod proprie pertinet ad mores, à quibus hoc præceptum morale dicitur. Quatenus verò est præceptum cæremoniale, in lege evangelica non obligat ipso die Sabbathi, quia cæremonialia veteris legis deleta sunt, & mortua una cum Christi nece, ut docet D. Thomas 1. part. quæst. 100. & cum eo alii Doctores, adeo ut Ecclesia potuerit diem Sabbathi quoad festum transferre in dominicum. Quatenus demum hoc præceptum est humanum habet certos dies ab Apostolis & eorum successoribus determinatos scilicet diem Dominicum loco Sabbathi diem Natalis Domini passionis Christi resurrectionis, seu Paschatis, & Pentecostes, quos descendere in ecclesiam, & observari esse traditionem Apostolicam docet S. August. epist. 118. & sequent. & legitur in constitutionibus nomine Clementis editis & ita esse credendum de præfatis festis qui fuerint instituti ab Apostolis ex eo itidem potest suaderi, quia quo tempore reliquæ Sanctorum festivitates cæperint in ecclesia institui & coli extat memoria; secus de præfatis nullum invenitur institutionis exordium, & Patres antiqui, qui illis diebus homilias, seu conciones ad populum habuerunt de his festis veluti de re antiquissima locuti fuerunt, sicut testis est S. Ignatius qui 11. Trajani anno, seu Christi 58. & à martyrio S. Petri 14. Romam veniens suas in itinere scripsit epistolas in quibus prohibet omnino Philippensibus ne festum Paschatis agerent cum Judæis; Ne ut ipse loquitur, *festivitates dehonestarent*, loquitur in plurali, quia aliæ festivitates jam fuerant in ecclesia introductæ, & ad Magnesianos in alia data epistola meminit diei Dominicæ quam Reginam & principem omnium dierum vocat, unde certum est, statim à primo nascentis Ecclesiæ exordio fuisse ab Apostolis aliquas institutas festivitates quæ ex eorundem traditione derivatæ fuerunt in tota Ecclesia Catholica, & hisce susceptis festivitatibus cæperunt à fidelibus legales cæremoniæ haberi contemptui, & festa Synagogæ explodi.

Prima igitur Christianorum festivitas post Christi ascensionem in cœlum ab Apostolis in militante ecclesia in terris fuit dies Pentecostes, quia tunc Apostoli cœperunt evangelium annuntiare publicè, cum jam completa essent humanæ redemptionis mysteria. Hinc Apostoli quæ præcipua videbantur Judæorum festa, scilicet Pascha, & pentecostem celebrârunt tantum nomina retinentes, non verò cultum & morem legis Moysaicæ, est siquidem discrimen inter festa Christianorum, & Judæorum, quia post Christum festa Judæorum habent falsam significationem, & festa Christianorum veram, siquidem primarius finis festorum Synagogæ erat significare futura, ut scribit Apostolus ad Coloss. 2. *Nemo vos judicet in cibo aut in parte diei festi, aut Neomenia, aut Sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum*: secus primarius finis festivitatum, quæ à Christianis celebrantur est ut agnoscant Divina beneficia ob quæ institutæ sunt festivitates. Præterea, quia in Synagoga summa præcepti erat non operari corporaliter; in festis verò Christianorum potior pars præcepti est interesse divino sacrificio, & vacare ab opere corporali nobis præcipitur ad eum duntaxat finem ne distrahamur à Dei laudibus, & cultu. Apostoli verò in festivitatibus recens institutis celebrabant angustiora mysteria jam præterita nostræ redemptionis, ut fuerunt festivitas natalis Christi Domini resurrectionis, seu Paschatis, & Pentecostes, seu adventus Spiritus Sancti quarum solemnitatum memoriam recolebant; cœperunt postea paulatim in lege evangelica augeri festivitates; nam de festo Annuntiationis B. Virginis, quod celebratur 25. Martii ait D. Athanasius serm. de Sanctissima Deipara sub init. Festum annuntiationis Mariæ unum ex Dominicis festis atque adeo primarium utpote quod pro ordine & digestione earum rerum quæ in evangelio de Christo prædicantur Sacrosanctum habeatur; quippe in quo de Filii Dei de cœlis descensu agatur. Natalis itidem Domini dies festus fuit ab Apostolis institutus, eò quia Christus eo die pro redemptione mundi è sinu Patris dignatus est descendere in terram, & nasci corporaliter inter homines, ac prodire ex utero Virginis, qui æterni Patris erat in sinu, utque ab hominibus id non solum crederetur, verum & tangeretur: *Verbum caro factum est*, assumens scilicet carnem absque detrimento divinitatis, & mutatione in carnem, sed per simplicem assumptionem humanitatis, adeo ut fuerit Christus verus Deus, & verus homo in natura æqualis Patri, tametsi naturam assumpserit hominis persona tamen Christi non fuerit humana, sed divina, adeo ut persona divina

& hu-

& natura humana coalescat Christus sicut ex anima rationali & carne fit homo, hoc tantùm discrimine, quòd si anima est forma hominis persona est tantùm terminus intrinsecus Christi perficiens, & sustentans naturam humanam in Christo, unde persona divina manens quod erat, suscepit quòd non erat, ut liberaret, quod fecerat: hinc D. Chrysostomus homil. de Philogamo ait: Festum natalis esse festum maximum. Festivitas Epiphaniæ, quæ latinè apparitio dicitur, & ostensio ex tribus causis græcè Epiphania nuncupatur, primo quia novo prælucente Sydere Christus Magis ostensus fuit: qui ad novum spectaculum venerunt in Bethleem adoraturi cum muneribus, quem noverant, ac didicerant à Magistro stella natum in terris Regem cælorum: Secunda quia eodem die suo baptismo ostendi voluit fidelibus. Tertio quia in nuptiis Canæ per primum miraculum seu per aquam versam in vinum manifestari itidem voluit, adeo ut hæc dies ob triplicem ostensionem scitè à Græcis Epiphania vocetur: siquidem Christus ostendi voluit Magis per præviam stellam, populis per baptismum, & Convivis per miraculum. Refert tamen Cassianus Collat 10. festum Epiphaniæ apud Ægyptios eodem die celebrari cum nativitate Domini non verò duobus distinctis diebus ut in Ecclesia occidentali, idem tradit etiam Isidorus cap. 26. Dies festus purificationis B. Virginis fit etiam à primitiva Ecclesia institutus, ut asserunt S. Gregorius Nissenus orat. de occursu Domini, & Dei parente, & Simeone justo circa initium inquiens: *Cum esset quadraginta dierum infans Verbum æternum ad templum cum Matre est profectus*, & nonullis interjectis subdit: *Cujus quidem non hodie celebrantes commemorationem Spiritualibus speculationibus quemadmodum incorporea mentes, & spiritus nos oblectamur.* & S. Cyrillus Hierosolymitanus occursu Domini nostri, & Simone ait: *Hodie dilecti festi cursum pergamus cum Angelis chores ducamus, cum Pastoribus illuminemur, cum Orthodoxis adoremus, cum Bethleem festum agamus, cum Sion occurramus, cum templo sanctificemur, & cum Virgine festum agamus.* S. Eucherius de Assumpt. B. Viuginis ait: Meritò Sancti Patres constituerunt, ut in hac solemnitate Beatæ Mariæ Virginis hoc Evangelium legeretur, & Concilium Lugdunense habitum quinto sæculo relatum à Gratiano de consecrat distinct. 3. ait: *Pronuntiandum est laicis, ut sicant tempore feriandi per annum; id est omnem dominicam natale Domini &c. Purficationem Sancta Maria, Assumptionem, & nativitatem.*

Festivitas diei dominicæ fuit etiam ab ipsis Apostolis instinctu Spiritus Sancti instituta, quatenus Sabbathum, quod solemne erat populo, versum fuit in primam sequentem feriam, quò celebraretur memoria resurrectionis Christi Domini quæ ea die contigit, & de die illo dominico quo Christus resurrexitdixit David Psal. 117. *hac est dies, quam fecit dominus*, vocatur enim dies Dominicus ab ipsis Apostolis, cujus etiam meminit Joannes Apostolus Apocal. 1. inquiens: *Ego Joannes ui fin Spiritu in dominica die*, quæ verba omnes Expositores explicant de die Dominico, qui ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio cæpit celebrari ac religiosè observari, quatenus consueverunt fideles eo die simul in ecclesia congregari, & communicare, seu sacram sumere synaxim, ac plures alias obirent functiones, & tunc explicabantur divinæ scripturæ populo fiebant collectæ, ut distribuerentur eleemosymæ indigentibus siquidem hæc distributio fiebat una Sabbathi scilicet die dominico, qui erat primus dies Sabbathi, seu hebdomadæ quæ à Judæis Sabbathum vocabatur, adeo ut prima Sabbathi fuerit dies dominica vel prima hebdomadæ, secunda Sabbathi, dies Lunæ, & tertia dies Martis, & ita de reliquis, ut explicant Sancti Patres præsertim Augustinus epist. 86. quod verò collectæ fierent die dominico ostendit Cyprianus de eleemos. Chrysostomus serm. de eleemos. Leo serm. 5. de collect.

Quamvis Sabbathum festum fuerit antiquissimum apud Judæos, ac præstantissimos, ac propterea solius Sabbethi mentio fiat in decalogo: siquidem erat festum excellentissimum, cum enim omnia festa celebrentur, vel in memoriam beneficii præteriti vel ad significandum aliquid futurum: in utroque excellebat festum Sabbathi: Siquidem quoad præteritum colebatur in memoriam communissimi beneficii, seu creationis mundi, sicut enim Reges jubere solent subditos, ut natalem diem suorum filiorum celebrent, ita Deus voluit diem natalem sui operis, seu mundi quem condidit, coli, quod videbatur etiam necessarium ad rejiciendum errorem quorundam Philosophorum in ea versantium deceptione, ut putaverint mundum non habuisse initium, sed ab æterno fuisse. Rursus quantum ad futurum erat Sabbathum figura trium beneficiorum ad quæ reliqua nobis impertita reducuntur, quorum primum in sensu allegorico est quies Christi in sepulchro, quia sicut Deus die Sabbatho quievit ab opere creationis: perinde Christus die Dominico quievit ab opere redemtionis, quam per solutionem pretii sui sanguinis complevit. Secundo in sensu tropologico est figura quietis humanæ mentis ab operibus servilibus peccatorum. Judæi siquidem per Sabbathinum otium significabant venturum esse tempus gratiæ, quo liberati homines per Christum à servitute peccati quiete, & otio Spirituali fruerentur, ut explicat D. Augustinus Tract. 30. in Joan. Tertiò in sensu anagogico erat figura æternæ quietis, qua animæ beatorum post mortem donabuntur & ipsi Judæi expectabant in sinu Abrahæ, ut asserit D. Augustinus epist. 119. Verum propter hoc rationes quibus Sabbathum fuit olim institutum congruum fuit ut post Christi adventum solemnitas Sabbathi transferretur in diem dominicam, quia quantum ad memoriam præteritorum dies dominicus est excellentior Sabbatho, quia nobis refert memoriam natalis Domini, resurrectionis Christi, & adventus Spiritus Sancti, quo die Christiana ecclesia Mater est in terris; Christus enim natus fuit die Dominica, quia eo anno, ut docent Mathematici currebat littera dominicalis B. & potest ostendi etiam si retrocedamus in ciclo litterarum Dominicalium constabit enim litteram B, haberi die 25. Dec. quo die natus ex Christus quod autẽ resurrexerit etiã die dominico constat ex evangelico. Quod etiam Spiritus descenderit ad Apostolos in linguis, igneis die dominica ex eo liquet, quia adventus Spiritus Sancti contigit in die pentecostes, seu 50. die à Paschate, qui est necessario dies dominicus, unde hæc dies dominica nobis non solum repræsentat diem natalem Christi; & Ecclesiæ, sed etiam adventum Spiritus Sancti. Quod verò fuerit institutus dies dominicus ad recolendam Christi resurrectionem asserit Justinus in Apolog. 2. & Leo epist. 81. Dioscorum, ubi expressè asserunt diem dominicam coli, non solum ob memoriam creationis mundi, verum etiam ob resurrectionem Christi Domini, cujus Sabbathum fuit figura in sensu allegorico.

Quòd verò ad significationem futuriorum pertinet Sabbathum debuit cessare, quia quæ per Sabbathum

August. Tract. 55. in Joan. Quarto significat etiam ipsum diem festum juxta illud Luc. 22. *appropinquabat dies festus azymorum, qui dicitur pascha.* Hoc autem nomen Ecclesia tametsi Græcum sit semper servavit, quia lingua græca tempore primitivæ ecclesiæ tantæ fuit authoritatis ut dies solemnes, ac dignitates suas græcis exprimeret vocabulis ut Pascha, Pentecoste, Epiphania. Tum quia pascha coalescit ex verbo græco *πάσχειν*, quod latinè interpretatur pati, & ex nominæ hebraico phase, quod latinè est transitus, unde hæc duo nomina rectè conveniunt in hoc nomine paschæ tam secundùm significationem quàm juxta voces; etenim in Christi resurrectione fuit etiam transitus, cum Christus transierit à morte ad vitam, feceritque nobis viam credentibus in resurrectione, ut & nos de morte transeamus ad vitam, quamobrem hoc nomen pascha utriusque vocabuli passionis & transitus habet significationem, adeo ut ex duabus linguis fiat vox una latina seu pascha significans diem resurrectionis Christi Domini.

Irrepserunt tamen circa festum paschæ aliquot errores quorum primus fuit Aëtii, qui Pascha negavit esse celebrandum, non ob aliam rationem, nisi quia Judaismum saperet, sed Epiphanius hæres. 75. hunc refellit errorem, eò quia Christiani non habent pascha Judæorum, sed tantum hoc nomine significatur. Secundus error fuit cujusdam Plasti Presbyteri Romanæ Ecclesiæ, qui referente Tertulliano lib. de præscript. docuit Pascha necessario debere celebrari eodem ipso die quo à Judæis celebratur, seu luna 14. sive sit dies Dominicus sive non, quem errorem secuti sunt plures Asiæ minoris Episcopi ut colligitur ex lib. 5. histor. Euseb. cap. 24. & seq. ubi producitur epistola Polycratis Episcopi Ephesini ad Victorium Papam, qua ille asserit omnes suos prædecessores usque ad S. Joannem Evangelistam semper celebrasse pascha Luna 14. cui errori plures alii adhæserunt, quos S. Epiphanius hæres. 50. vocat quarto-decimanos, quem tamen errorem plura Concilia confutarunt, præsertim Concilium Lugdunense sub S. Irenæo & maximè à Romano Pontifice, siquidem Papa Pius anno Christi 159. & Pontificatus sui anno 2. statuit per decretum universæ Ecclesiæ promulgatum ut Pascha celebraretur die dominico lunæ quartædecimæ, post æquinoctium vernum ut legitur apud Eusebium, quod decretum divino etiam fuit suffragio corroboratum, quia tunc frater ipsius Pii Papæ nomine Hermes librum scripsit, in quo mandatum continebatur, quo ei præcepit Angelus Domini apparens in habitu Pastoris, eique injungens ut Sanctum Pascha die dominica celebraretur quod si testimonia hominum velimus congerere unus nobis sufficiet Ignatius Martyr, qui Christum Dominum in carne vidit, & diu cum Apostolis conversatus est, ac sedem Antiochenam, quam Petrus fundaverat, & Paulus erudierat, administravit, nec quid aliud scripsit, quam quod ab ipsis Apostolis accepit: Ignatius igitur epist. ad Magnesianos diem dominicam esse celebrandam ut reginam, & principem dierum consecratam resurrectioni Domini expressè contestatur, ut etiam epistola ad Philipp. ubi ait: Si quis cum Judæis celebraret pascha esse participem eorum, qui Christo Domino mortem intulerunt & etiam ipsos Apostolos ait ipse scribens ad Philippens. *Dico Episcopo & Presbyteris in Domino, quicunque cum Judæis pascha egerit aut solemnia dierum festorum eorum susceperit communicabit eis, qui Dominum, & Apostolos ejus occiderunt.*

Hinc authoritate Victoris Romani Pontificis circa annum Christi 198. plura fuerunt Concilia celebrata, in quibus statutum fuit pascha non alio die esse celebrandum per totam ecclesiam catholicam quàm die Dominico proximiori lunæ 14. post æquinoctium vernum, ut refert Beda, & quia hic error ædhuc in aliquibus orientis ecclesiis serperet, Concilium Nicænum statuit teste Epiphanio hæres. 50. & 70, quique etiam refert in eodem Concilio compositum fuisse aureum numerum ab Eusebio Cæsariensi, quo ostenduntur novilunia ut non nisi die dominico proximiori lunæ 14. post æquinoctium vernum celebraretur, quod decretum Constantinus Imperator promulgavit per totum suum imperium & mandavit ubique servari ob triplicem rationem, quarum prima fuit ne Christi fideles concurrerent cum Judæis interfectoribus Christi in celebratione paschæ. Secunda, quia par est, ut in tota Ecclesia sit par ratio celebrandi, & æquum ut pauciores pluribus cedant, seu ut pauci Orientales se accommodent universæ Ecclesiæ longè lateque propagatæ per regiones meridionales occidentales, & aquilonares, quæ ex Apostolica traditione celebrant die Dominico pascha, neque æquum est adhærere tolerantiæ Joannis Evangelistæ, qui qui in Ecclesia Antiochena ut se accommodaret Judæis recens conversis ad fidem Catholicam pascha celebravit luna 14. mensis primi, etenim etiam D. Paulus Timotheum circumcidit, ut legi se accommodaret sub illis initiis Judæorum. Tertia ratio allata à Constantino est, quia ducebat absurdum esse uno anno bis pascha celebrari, & altero nunquam: id autem accidisset iis, qui Pascha celebrarent die 14. quia isti non observantes æquinoctium vernum, sed tantùm duodecim menses lunares cum pascha celebrarent luna 14. mensis primi, seu Martii, & non curarent, an illa ante, vel post æquinoctium contingeret, interdum accidebat, ut uno anno pascha celebraretur post æquinoctiū altero sequente ante æquinoctium, & sic bis eodem anno celebraretur pascha, & altero nunquam.

Præterea quia Quartodecimani falsò innitebantur fundamento existimantes se legem sequi Judæorum: siquidem Exodi 12. clarè præcipitur fieri pascha post æquinoctium vernum jubet enim celebrari 14. luna mensis primi, qui erat hujus quarta cujus decima dies occurrebat in æquinoctium vernum, vel illud proximè sequebatur, hinc Josephus lib. 3. antiq. cap. 13. ait Pascha fieri sole existente in ariete, & per diametrum oppositum ipsi lunæ: & ipsi Judæi posteriores non observabant æquinoctium, ut notat Epiphanius hæres 70. Cæterum Sancti Patres primitivæ Ecclesiæ vel maximè soliciti fuerunt, ne in celebrando paschate Christiani errarent & ante Concilium Nicænum viguit consuetudo in Ecclesia, ut à Romano Episcopo dies paschalis significaretur, ut habetur in Concilio I. Arelatensi can. 1. quo scilicet omnes Ecclesiæ simul convenirent ut uno eodemque die celebrarent pascha.

Quod si dicas pascha videri celebrandum potius die 25. Martii perinde ac natalitium Domini celebratur 25. Decembris, eò quia Christus eo die credatur mortem subiisse pro humano genere, & ipso die passionis celebrandum sit pascha, qui error etiam placuit Luthero lib. de cons. part. 2. ubi censet eodem die esse celebranda hæc duo festa absque observatione lunaris cursus, ne Christiani videantur judaizare. Contra est, quia communis consensus totius Catholicæ Ecclesiæ est ut celebretur pascha die Dominico proximo lunæ 14. post æquinoctium vernum. Secundò quia falsò supponitur Christum resurrexisse 25. Martii, nec eo die passus est, sed die Veneris, & resurrexit die Dominico, juxta evangelia, præterea quia

quia constat Christum passum fuisse, & resurrexisse anno ætatis suæ 33. & anno Christi trigesimo tertio dies vigesima quinta Martii non fuit feria sexta, nec dies dominicus, sed feria quarta, ut liquet ex litera dominicali, quæ anno 33. Christi fuit littera D. Præterea respondet D. Augustinus epist. 119. esse discrimen inter diem natalis, & diem resurrectionis, quia dies natalis tanquam colitur ob memoriam, ideoque factu optimum est, ut semper ipsa die 25. Decembris celebretur cum illa die Christus nasci dignatus sit: sed pascha celebratur non solùm ob memoriam verum etiam ob sacramentum ideoque variatur pascha enim est transitus ad æternitatem, quæ tempori non est obnoxia.

Cæterum Concilium Nicænum tres constituit regulas ad inveniendum diem quo pascha celebraretur, quarum prima fuit, ut pascha semper celebraretur post diem 21. Martii quia illo die est veris æquinoctium, & pascha debet celebrari post æquinoctium vernum. Secanda regula est, ut post 21. diem Martii expectaretur Luna 14. & post illam diem quærreretur pascha, quod celebrari debet in tertia hebdomada lunæ, seu à luna 14. exclusivè usque ad 22. exclusivè & ad inveniendam lunam compositus fuit ciclus aurei numeri: ubicunque enim in Calendario invenitur aureus numerus illius anni, ibi est novilunium. Tertia regula est, ut post lunam 14. occurrentem post 22. diem Martii expectetur dies dominicus, ut illo die celebretur pascha & fideles non conveniant cum Judæis. Verùm licet hæ regulæ tempore Concilii Nicæni optimæ fuerint, & servatæ per plures annos nondum tamen exactè eo tempore deprehensus fuit motus solis, & lunæ, quapropter Gregorius VIII. anno Christi 1582. correxit Calendarium, & ut æquinoctium restitueretur suo loco statuit ut eo anno decem dies detraherentur ex mense Octobri, adeo ut post quartam diem Octobris quæ S. Francisco est Sacra, sequens dies non esset quinta, sed decima quinta Octobris, quo pacto restituit æquinoctium vernum in pristinam sedem, à qua tempore Concilii Nicæni per decem circiter dies recesserat. Stat igitur pascha esse celebrandum die dominica proxima lunæ quartædecimæ post æquinoctium vernum, & hoc esse dogma ecclesiasticum.

Quòd verò Apostoli induxerint festum pentecostes non judaicum, sed Christianum, liquet ex usu primitivæ Ecclesiæ, quo dies Pentecostes à primis illis fidelibus & Discipuli Christi celebrabatur Actor. 20. Lucas ait de Paulo Festinabat ut si quomodo posset pentecostem ageret Jerosolymis, quod D. Epiphanius hæres. 75. intelligit de pentecoste Christianorum de quo festo agunt Clemens Justinus Origenes Tertullianus, qui præcesserunt Concilia Generalia, ex quo conjicitur solemnitatem Pentecostes fuisse institutam ab Apostolis & ab ipsis derivatam in ecclesiam. An verò rectè celebretur hæc solemnitas die 50. à die resurrectionis videtur esse aliqua difficultas: sed certum est hanc solemnitatem celebrari propter adventum Spiritus Sancti, qui videtur descendisse ad Apostolos ipso die Pentecostes Judæorum, adeo ut citatus Lucas non possit intelligi de alio die pentecostes, quam Judæorum talis enim dies erat solennis Judæis ob datam populo legem, vel hebdomadarum, & neutrum in diem dominicum videtur incidisse anno passionis Christi, siquidem festum datæ legis celebrabatur die 20. tertii mensis, ut habetur Exodi 19. unde Augustinus deducit numerandos esse 50. dies ab ipso paschate Judæorum, seu à die 14. primi mensis inclusivè: & anno quo Christus passus fuit dies paschæ Judæorum contigit die Jovis, proinde etiam Pentecoste complebatur die Jovis scilicet triduo ante nostram dominicam Pentecostes. Rursus festum hebdomadarum quod magis proprie dicitur pentecoste incipiebat numerari à secundo die azymorum ut constat ex 33. Levit. ubi præcipitur ut altera dies Sabbathi offerant manipulos primitiarum, & inde numerent septem hebdomadas includentes dies quadraginta novem, & sequenti die qui est quinquagesimus festum diem agunt Præterea nomine Sabbathi intelligitur hic primus dies azymorum, qui solemnis erat, & generali vocabulo dicebatur Sabbathum, ut explicant Tostatus, Cajetanus, & Josephus 3. antiq. cap. 13. Cùm igitur dies azymorum tempore passionis Christi contigerit die Veneris si ab illo die exclusive numeremus 50. dies deprehendimus dies Pentecostes completos fuisse die Sabbathi non verò die dominica.

Quòd si dicas Spiritum S. non descendisse ad Apostolos die dominico, qui est quinquagesimus à dominica resurrectionis, sed ecclesiam consultius existimâsse die dominico celebrari memoriam adventus Spiritus Sancti. Huic responsioni se opponunt Sancti Patres, præsertim Clemens lib. 5. constit cap. 21. Theophylactus lib. 1. Augustinus epist. 109. D. Leo Papa in serm. de pentecost. & alii communiter asserentes Spiritum Sanctum venisse ad Apostolos die divina ab ascensione, & quinquagesima à resurrectione: quamobrem respondetur festum hebdomadarum, & festum veteris legis fuisse uno eodemque die celebratum ad recolendam memoriam datæ legis, & etiam in gratiarum actionem pro collectis terræ fructibus, & anno quo Christus passus est, hoc festum incidit in diem dominicum, qui fuit quinquagesimus à resurrectione. Expendendi sunt duo textus Exod. 19. & Levit. 23. *Mense tertio egressionis de Ægypto in die hac venerunt in solitudinem Sinai*, & quia non explicatur quo die mensis tertii venerint in desertum Sinai, non possumus certò scire, unde numerentur illi tres dies, de quibus dicitur *Estote parati in diem tertium*. D. Augustinus epist. 119. & quæst. 7. in Exod. asserit, populum Israelis venisse in Sina primo die mensis tertii, & die tertio datam fuisse legem, & illum fuisse quinquagesimum à primo die paschatis.

Verum si ita fiat computus, non videtur coincidere festum datæ legis cum festo hebdomadarum, quod propriè apud Hebræos dicebatur festum pentecostes; nam Pentecoste est dies quinquagesimus à secundo die azymorum non à festo paschatis, & nihilominus debent coincidere in uno eodemque die alioquin nullum esset festum datæ legis, quod est absurdum, & contra ipsum Augustinum, qui festum legis datæ asserit esse festum pentecostes. Præterea quia si lex data est die quinquagesima à paschate Judæorum, & dies ille est festum pentecostes, sequitur Spiritum Sanctum non descendisse ad Apostolos die dominico, sed die Jovis. Præterea quia Augustinus ex primo mense enumerat dies 17. & secundo 30. & ex tertio 3. ex quibus numeris colligit 50. atqui mensis lunaris Judæorum non omnes ex 30. diebus constant, sed unus ex 30. alius ex 29. unde ex primo mense fuissent desumendi v. 17. & ex secundo 29. vel ex primo 16. & ex secundo 30. quo pacto non essent 50. sed 49. Præterea quia Moyses non dicit tertio mense paschatis, sed egressionis, quæ contigit die 15. ut legitur Numer. cap. 33. Quòd si tertia die mensis tertii lex data est, debuissent prima die mensis plura fieri, quæ vix temporis angustiæ patiuntur. Siquidem dicuntur filii Israël mense tertio pervenisse ad montem

Sina;

Sina; ex quo apparet aliquam saltem partem illius diei tertii fuisse consumptam in itinere, cum noctu Israëlitæ non consueverint iter habere; neque videatur probabile eos summo mane appulisse ad radices montis Sina, præsertim cum plura centena millia comprehenso toto populo cum animalibus fuerint, qui omnes una eademque hora non potuerunt pervenire, cum plures præcederent, & alii subsequerentur, & impedimenta plura fuerint, ut plaustra onusta, oves, & alia id genus, quæ non nisi tardè moventur, & cum ad montis radices pervenerint, sua fixerint tabernacula, tentoria, papiliones in quo opere non modicum requiritur temporis, deinde post fixa tabernacula ascendit Moyses in Montem Sinai, qui cum altissimus esset, plures requirebantur horæ diei, donec ad ejus fastigium perveniret, locuturus ibi cum Deo postea convocavit omnes majores natu ad quos concionem habuit & per eosdem ad omnem populum deinde ascendit in montem, & descendit, & postquam locutus fuit cum Deo jussit, ut omnes de populo lavarent, ac purgarent vestimenta sua, quæ cum lavissent dixit eis: *Estote parati in diem tertium*, quæ omnia non videtur probabile potuisse contingere una ac eadem die, hinc Rubertus, & Tostatus in cap. 19. Exodi asserunt legem datam die tertio & tertii mensis, sed talem diem non fuisse 50. sed 49. à festo paschatis, ideoque festum Pentecostes non celebrari propter legem datam, sed propter fædus initum inter Deum & populum, quod factum est die 4. mensis ut liquet Ex. 24.

Verum hæc sententia excludens festum legis datæ non approbatur ab aliis Patribus, neque festum Pentecostes in synagoga fuisset figura festi pentecostes apud Christianos, apud quos Pentecoste celebratur ob datam legem novam Apostolis à Spiritu Sancto: quamobrem Lyra, Rabbi, Salomon, & alii interpretes probabilius censent Moysem venisse in desertum montis Sinai die 3. mensis 3. & die 4. dixisse populo *Estote parati in diem tertium* & die sexto datam fuisse legem, qui fuit 50. à secundo azimorum inclusivè, adeò ut festum datæ legis, quo inciderit cum festo hebdomadarum: & Cajetanus approbat diem sextam datæ legis, & hæc sententia videtur conformior Sacræ scripturæ Exodi 19. *mente tertio egressionis in die hac venerunt in solitudinem:* ubi illa verba *in die hac* referuntur ad numerum jam nominatum scilicet tertium, ut sensus sit, quod mense tertio & die ipsa tertia hæc contigerint, adeo ut lex data sit sexta die sive populus venerit prima die, sive tertia ejusdem mensis, hic enim dies sextus fuit 50. à secundo die azimorum inclusivè: & hoc pacto explicatur quomodo festum datæ legis coinciderit uno eodemque die cum festo hebdomadarum.

Quod vero pertinet ad secundum textum, qui habetur in Levitico cap. 23. ubi dicitur: *Numerabitis ab altero die Sabbathi in quo obtulistis manipulum septem primitiarum hebdomadas plenas usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septima id est 50. dies, & sic offeretis sacrificium novum.* In quibus verbis expendendis duæ extant sententiæ, quarum prima est Hesichii, & Ruperti, qui per alteram Sabbathi, interpretantur primam Sabbathe id est; diem dominicam, quæ immediatè sequitur post Sabbathum, & sensus sit ut dies pentecostes numerentur à prima dominica, quæ occurrit post festum paschæ, quæ sententia si vera est festum pentecostes Judæorum contigisse die dominico, & quia anno, quo Christus passus est, dominica post pascha Judæorum fuit Dominica resurrectionis, sequitur quod illo anno dies pentecostes complerentur per diem 50. à resurrectione. Secunda sententia tribuitur Cajetano, Lyrano, Tostato, imò & Josepho *lib. 3. antiq. cap. 13.* Hi enim asserunt per alteram diem Sabbathi esse intelligendam primam diem post festum azimorum verùm juxta opinionem hanc dies pentecostes anno quo Christus passus est, cæpissent numerari in Sabbatho, quia eo anno non occurrebat proxime post festum azimorum, hinc sequeretur dies pentecostes fuisse completos etiam in Sabbatho non in die dominica. Quamobrem Bellarminus censet cæpisse quidem dies pentecostes numerariò die secunda azimorum, sed si hæc dies esset Sabbathum, tunc cæpisse numerari dies pentecostes à tertia azimorum, neque id ab ullo redargui siquidem causa, cur illi 50. dies non inceperint numerari à primo azimorum, sed tantum à secundo, est, quia die illa populus occupabatur in pluribus servilibus operibus, quæ die festo prohibebantur: siquidem metebant manipulos frumenti, quos exiccabant, & offerebant ad sacerdotem, quæ omnia magis prohibebantur die Sabbathi, quàm die primo azimorum, unde in secunda die azimorum, quando erat Sabbathum incipiebat dies 50. pentecostes, hæc que causa fuit. cur in textu dicatur altero die Sabbathi, & non altero die pascha vel azimorum, quia scilicet voluit generatim includere festa, quæ immediatè occurrerent post pascha sive esset unum sive plura, quamobrem illud ab altero die Sabbathi referebatur ad primam diem profanam post festum paschæ, & quia ut plurimum post pascha non occurrebat festum nisi primo die azimorum, ideo Josephus Hebræus rectè dixit de eo, quo ut plurimum accidebat dies Pentecostes incepisse numerari à luna 16. quamvis anno quo Christus fuit passus inceperit luna 57. eo enim anno Sabbathum fuit 16. Quod si dies pentecostes eo anno cæperint numerari à luna 17. qui dies erat dominicus rectè sequitur, quod dies pentecostes complerentur die dominica.

Fuerunt itidem præter recensita plura alia festa ab Apostolis instituta, & fidelibus commendata ut servarentur, cujusmodi fuerunt festum transfigurationis festum circumcisionis & alia festa, ait enim Augustinus lib. contra Faustum. 32. cap. 12. *Sacrantes anniversariis solemnitatibus atque festis, ea quæ insigniter excellentia certis diebus facta sunt, ut eorum necessariam salubremque memoriam festivitas concelebrata custodiat.* Festum itidem sanctissimæ Trinitatis in primitiva ecclesia celebratum fuisse à fidelibus colligitur expressis Patribus. Neque obstat, si dicas præfationem de Trinitate fuisse compositam à Pelagio II. Papa circa annum Christi 588. quia ut Micrologus docet consueverat quidem in Ecclesia præfatio illa diebus dominicis cantari, sed nondum officium de Trinitate habebatur in Ecclesia quod postea composuit Alcuinus Præceptor Caroli Magni, & Ludovici & Filii ad persuasionem Bonifacii Archiepiscopi Moguntini, quod ipse obtulit Leoni III. circa annum Christi 800. Festum verò corporis Christi est recens, ac institutum ab Urbano VIII. ob insigne miraculum, quod contigit in templo S. Christinæ de Bolsena dioecesis Orivetæ anno 1264. Dum enim ubi sacerdos missam celebraret & post consecrationem dubius hæsitaret de realitate corporis Christi sub speciebus Eucharisticis scaturivit statim sanguis ab hostia, qui totum intinxit linteum corporale, officium, hymnos, & prosam composuit D. Thomas Aquinas, & obtulit Pontifici circa annum 1364. & consuetudo deferendi processionaliter Venerabile Sacramentum Eucharistiæ per plateas urbis, initium traxit Papiæ in Italia ex qua civitate in reliquas Orientis Urbes derivavit.

Quod festum transfigurationis antiquius fuerit, & in primitiva ecclesia ex eo colligitur, quia de tali festo extant sermones antiquorum Patrum præsertim S. Leonis, Cyrilli, Alexandrini, & Andreæ Cretensis apud Surium, & celebratur hoc festum die Sexta Augusti, non quia tali die facta fuerit, sed quia tunc Apostoli, qui aderant in monte Tabore cum Christo post resurrectionem, quam viderant transfigurationem Christi populis promulgârunt, & Calixtus Papa III. festum instituit servandum per totam universalem Ecclesiam.

Quod Apostolica authoritate fuerint etiam festa Sanctorum instituta colligitur ex constitutione 39. Clementis *in lib. const.* & huic traditioni plures adhærent prisci Patres ut etiam ipse Clemens *lib.* 8. *Constit. cap.* 3. ubi ait: Apostolos statuisse, ut singulis annis dies festus S. Stephani Protomortyris publicè à fidelibus celebraretur: & S. Martialis, qui fuit discipulus Apostolorum altare construxit in Gallia, quod S. Stephano dedicavit, ut populus quotannis ejus festum illi celebraret, ut ipse testatur in epist. ad Burdegalenses, & exemplum Martialis secutæ postea fuerunt plures Galliarum Provinciæ, quæ non solùm altaria, verùm etiam magnifica templa, & amplas ecclesias Protomartyri, Stephano dedicarunt. Post tempora Apostolorum statim ecclesia Smirnensis festum instituit in memoriam sui Martyris Polycarpi, ut refert Eusebius lib. 4. histor. cap. 14. & Origenes qui vixit sub Imperio Sæveri homil. 3. in Matth. ait: Bene & secundum Dei voluntatem Sanctos Patres injunxisse fidelibus in ecclesiis memoriam celebraris infantium innocentium, & Tertullianus lib. de coron. militis cap. 3. etiam ex traditione Majorum asserit Christianos consuevisse aliquot per annum dies festos celebrare in commemorationem Sanctorum martyrum, & ipsorum Apostolorum, & Cyprianus etiam refert. epist. 34. ad Clerum Carthaginensem se Martyrum passiones & dies anniversaria commemoratione consuevisse celebrare, & epist. 37. monet eundum clerum, ut dies eorum qui martyrio gloriosam vitam consummarunt ecclesiasticis tabulis adnotarent, ut eorum memoriæ possent celebrari, & D. Gregorius Nissenus refert S. Gregorium Thaumaturgum instituisse, ut à suis, quosad fidem Catholicam converterat natalitia Martyrum celebrarentur, hinc Concilium Laodicenum coactum anno Christi. 364. cap. 51. ait: *Non oportet in quadragesima Martyrum natalitia celebrari, sed eorum in Sabbatho, & dominica tantum memoriam fieri*: quòd si non licuit in quadragesima saltem in illæ Provincia, sequitur extra quadragesimam fuisse licitum, & fundamentum hujus diei festi in memoriam Sanctorum habetur in Sacris Scripturis, siquidem ad recolenda divina beneficia, habatur festum Sortium apud Judæos, & dies Sabbathi ad recolenda divina beneficia, unde apud Christianos habentur etiam festa Christi Domini, eò quia pro redemtione humani generis nasci voluerit ex Virgine, fieri homo pati, ut pretio sui sanguinis nos redimeret, & tandem à mortuis resurgere, & in cælum conscendere, ut nobis viam sterneret ad cælestem gloriam; ne igitur tanti beneficii memoria pereat plura festa Christi Domini à Christianis celebrantur; hinc Augustinus lib. 10. de civit. Dei, cap. 4. ait: *Beneficiorum Dei solemnitatibus festis, & statutis diebus dicamus, sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio.*

Verum in celebrandis festivitatibus corrigendi sunt abusus, ne quæ festa instituta fuerunt in honorem Sanctorum degenerent in injurias, quibus irritetur Deus contra festa ipsa celebrantes, etenim sicut olim à gentilibus plures fuerunt introducti abusus ita eorum aliqui etiam hodie videntur perseverare, quatenus diebus festis non ecclesiæ frequentantur, sed Cauponæ inhabitantur, non concionibus, & Sacris intersunt Christiani, sed saltationibus, & comessationibus, ac obscænis Ludis, ac spectaculis, aliisque illicitis indulgent, adeo ut non alio tempore magis, quàm diebus festis luxus exerceatur, & vana, ac obscæna spectacula celebrentur, quos abusus etiam veteres Canones adnixi sunt emendare, quippe prohibuerunt, ne convivia turpia, spectacula obscæna, choreæ turpes fierent diebus festis unde in Concilio Antisiodorensi can. 11. habetur. *Non liceat in vigilia Paschæ ante horam secundam noctis vigiliam expedire, quia in illa nocte non licet post mediam noctem bibere, nec in natali Domini, nec in reliquis solemnitatibus.* Quia ut scribit D. Hieronymus epist. 9. ad Eustochium improbans has comessationes, quæ à Christianis fiebant diebus festis ait: *Valde absurfurdum est nimia saturitate velle Martyrem honorare, quem scimus Deo placuisse jejuniis*, cui consonat Concilium Toletanum III. can. 23. ubi habetur: *Religiosa consuetudo est, quam vulgus per Sanctorum solemnitates agere consuevit: populi, qui debent divino officio attendere saltationibus turpibus invigilant, cantica non solum mala canentes sed Religiosorum officiis perstrepentes. Hoc etenim ut ab omni Hispania depellatur Sacerdotum & Judicum cura à Concilio Sancto committitur.* Simile statutum etiam emanavit in Concilio Cabilonensi cap. ubi habetur: *Valde omnibus noscitur esse indecorum, quod per dedicationes Basilicarum, aut festivitates Martyrum ad ipsa solemnia confluentes chorus fæminei turpia quadam, & obscæna cantica detantare videntur, dum autorare debeant aut Clericos psallentes audire: unde convenit ut sacerdotes loci talia à septis basilicarum vel porticibus ipsarum, vel etiam ab ipsis atriis vetare debeant ac arcere; & si voluntariè noluerint emendare, aut excommunicari debeant, aut disciplina aculeum sustinere.*

Fuit etiam moris ut nonnisi die dominico, vel alio die festo spectacula theatrorum, aliorumque ludorum populo exhiberentur, quem abusum Patres Africani in Concilio Carthaginensi petierunt ab Imperatoribus eradicari, ac tolli ajunt enim can. 28. *Nec non illud petendum, ut spectacula Theatrorum cæterorumque ludorum dominicis vel cæteris religionis Christianæ diebus celeberrimis amoveantur; maximè quia Sancti Paschæ Clavarum die populi ad circum magis, quam ad ecclesiam conveniunt, & debere transferri devotionis eorum dies si quando occurrerint, neque oportere etiam quemquam Christianorum cogi ad hæc spectacula maximè quia in his exercendis quæ contra præcepta Dei sunt nulla persecutionis necessitas à quomquam adhibenda est: sed ut oportet homo in libera voluntate subsistat, sibi divinitus concessa.*

Est etiam alius abusus, quòd in festis solemnioribus à Christianis nundinæ exhibeantur resque exoticæ nonum devætur, quibus populus distrahitur à cultu Sanctorum, & eosdem nundinas curiosicu percurrit, quam Eclesias frequentet, adeo ut vel dies festus

sti si plures fuerint ab aliquibus improbentur, eò quia non solum hominum necessitati aliquid detrahant, verum etiam occasionem frequentandi cauponas, theatra, ac injurias Deo irrogandas præbeant occasionem: verùm sicut ex justa causa, quædam instituuntur festivitates ita etiam quædam aliæ tolluntur & abrogantur scilicet universales ab universali ecclesia, & particulares à locorum Episcopis instituuntur, vel tolluntur prout circumstantiæ temporis videntur postulare.

# CAP. VII.

## Satisfit Objectionibus Novatorum.

COntra festa Sanctorum à Romana Ecclesia instituta objiciunt Novatores, asserentes hanc institutionem festorum esse idololatriam, eo innixi fundamento, quia Sabbatha sanctificare est præceptum primæ tabulæ, & spectat ad cultum solius Dei, proinde institutio festorum in memoriam Sanctorum est idololatrica: sed contra quia festa dicantur ab Ecclesia Romana Deo in memoriam Sanctorum, sicut templa consecrantur Deo etiam in memoriam Sanctorum. Non enim cultus Sanctorum est idololatricus, quia refertur ad Deum, est enim idololatria, si nominis vim spectemus cultus simulacrorum, quem usus, & consuetudo depravavit, adeo ut nomine idololatriæ significetur cultus impius, quo Creaturæ divinus honor exhibetur adeo ut ad crimen idololatriæ necesse sit duo concurrant, unum quod Creaturæ tribuatur honor & cultus, qui tantum uni Deo debetur: secundum ut quidquid est honoris divini impendatur creaturæ, perinde ac impendi Deo deberet, quorum utrumque D. Ambrosius in commentariis in epist. 5. ad Ephes. complexus est inquiens: Idololatria Dei honorificentiam usurpat, & vendicat creaturæ, unde, ut Christiani scelus incurrant idololatriæ in cultu & festivitatibus Sanctorum necesse est, ut cultum qui soli Deo debetur, tribuant Creaturæ, seu Sanctis,& quidquid honoris est divini impendant Creaturæ quorum neutrum præstant Christiani, quia colentes Sanctos eis non tribuunt cultum latriæ, qui soli Deo debetur, sed tantum cultum duliæ, vel hyperduliæ, qui creaturæ potest convenire.

Hac distinctione adhibita facilè cognosci potest an cultus qui à Christianis Sanctis tribuitur sit idololatricus. Honor enim generatim ut ait Philosophus lib. 8. Ethic. cap. 8. est *testificatio dignitatis sive excellentiæ alicujus*, hæc enim testificatio existimationem generat de excellentia alicujus & existimatio de excellentia alicujus non solum verbo, verum etiam officio excitari potest, adeo ut, quidquid honoris causa gerimus, & accommodatè ad excitandam in nobis aut in aliis eam de excellentia opinionem, quæ divinæ Majestati tantùm convenit cultum & honorem divinum censemus hinc hoc genus officii an sit divinum nec ne cognoscitur ex natura, & conditione ipsius quando enim tantæ est dignitatis ut soli Deo tribui possit, & humana perversitas hoc idem officium,& honorem creaturæ tribuit, tunc honor ille ita exhibitus est idololatricus. Hinc ad divinum cultum tantùm spectat Sacro-Sanctum, Sacrificium missæ in quo quia divina persona religiosè offertur ad divinum tantùm pertinet officium, & talis cultus soli Deo convenit. Internum quoque mentis Sacrificium, quo Religionis studio, quispiam accensus se totum devovet, ac consecrat Deo, soli Deo etiam convenit, quia sicut mens in homine à solo Deo processit, ita eidem soli honoris, & reverentiæ causa devovenda est, & nulli alteri.

Potest etiam honor divinus cognosci ex ritu, & consuetudine communi, si quæ obtinuit, ut genus officii aliquod nonnisi ad divinum cultum usurpetur hac siquidem ratione honor aliquis potest fieri proprius solius Dei, quo pacto ex communi populorum usu consuetudo inolevit, ut nemini præter quam soli Deo animalia immolarentur, aut alio officii genere sacrificarentur unde Augustinus lib. 10. de civitat. Dei cap. 4. ait: *Multa de cultu divino usurpata sunt, qua honoribus deferuntur humanis sive humilitate nimia sive adulatione pestifera, ita tamen ut quibus ea deferuntur homines habentur, qui dicuntur colendi & venerandi. Si autem eis mul.um additur & adorandi. Quis verò sacrificandum censuit nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit? hinc lege veteri sic cavebatur, qui immolat Diis occidetur præterquam Domino soli.* Et talis est vis hujus inoeitæ consuetudinis, ut tametsi nefas sit ad Deum honorandum alio uti externo Sacrificio præter illud, quod in missa peragitur adhuc idololatra merito haberetur, qui alicui creaturæ honoris causa veterum more immolaret.

Ex alio itidem capite potest dignosci, quod aliquis cultus ad Deum solum pertineat, estque ipsa intentio illius, qui officium aliquod confert ad reverentiam vel honorem, si enim huic ea est intentio de re, quam honorat, ut velit excitare opinionem excellentem, qualis de divina Majestate tantùm haberi potest, tunc stante illa intentione officium illud ad divinum tantùm spectat honorem, hinc nullum habetur genus externæ reverentiæ, quod non possit intentione effici proprium Religionis quapropter si quis ut rei, quam honorat opinionem divinæ Majestati soli convenientem conciliet, vel flectat genua, vel pectus percutiat, aliudve id generis officium usurpet, is censetur divinis honoribus operam dare. Hinc ille dicitur divinum cultum conferre Creaturæ tunquam Deo cum confert alicui honorem, ut creaturæ intendat excellentiam Dei tribuere, seu qui divinos honores illi confert creaturæ ut Deo, quod perinde est, ac creaturam divino cultu prosequi, ut eodem quantum in se est velit eidem creaturæ opinionem talem conciliare, qualis in solam Dei Majestatem revera competit: unde si quis per cultum velit de creatura opinionem excitare, quæ soli Deo competit, cum in intentione colat creaturam, ut Deum propriè est Idololatra, idque potest contingere vel expressa præsenti intentione, quæ summa est in hoc genere perversitas, vel ex prioris intentionis virtute, qua quis antea statuisset creaturam prosequi ac colere ut Deum. Vel etiam implicitè quatenus quis ex metu, aut aliorum consuetudine ductus vel alia ratione inductus id ipsum per creaturæ venerationem intenderet peragere, quod necesse est ille intendat, qui creaturæ divinos velit honores exhibere: vel si ita

ita expressè creaturæ extrinsecus divinum exhibeat honorem, ut alii ex natura ipsius cultus judicent ipsum velle creaturæ illi opinionem divinitatis conciliare, & hoc pacto implicitè potest contingere ut tametsi quis verum Deum agnoscat, & colat, atque vanitatem idololatricam probè intelligat, incaute tamen re ipsa eam admittat, quo pacto illis videtur accidisse, quos Apostolus ad Rom..1 damnat, quia cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt &c. sed mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum, & serpentum.

Itaque non solùm aliis modis potest quispiam de creatura per cultum velle excitare opinionem quæ soli Deo competat, sed etiam opinionem hujuscemodi esse multiplicem constat, etenim sunt plurima, quæ de nullo alio nisi de solo Deo sentiri possunt, proinde qui hæc eadem creaturæ alicui tribuit, velitque convenire per cultum, & venerationem à vera excidit religione, & incidit in idololatriam, & ob id Ethnici deprehenduntur fuisse idololatræ, quia officiorum rationes quæ soli Deo competunt aliis Creaturis tribuebant quasi & ipsæ Dii essent, qui supremam inter se divisam haberent providentiam, quapropter Sapiens eorum redarguens stultam superstitionem ait: *Qui autignem aut Spiritum aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut solem, aut Lunam Rectores Orbis terrarum Deos putaverunt.*

Hinc errant Hæretici asserentes Catholicos esse idololatras, eò quia Sacro Sanctæ Eucharistiæ cultum exhibeant, qui soli Deo conveniat, ut etiam Sanctorum, vel Sacrarum imaginum. Nam nullam committi in dololatriam in cultu à Catholicis exhibito Eucharistiæ, ex eo est probatu facile, quia Catholici in Eucharistia exhibent cultum Christo coalescenti ex divina persona, & humanitate: atqui humanitati ut unitæ personæ divinæ convenit cultus latriæ, seu proprius ipsi Deo, quia persona Christi divina fuit, & Deus consequenter exhibent cultum Deo, cui debetur. Proinde falsum asserit Calvinus lib. 4. instit. cap. 17. sect. 36. ubi ait loquens contra Catholicos colentes Eucharistiam: *Sacramenti adorationem excogitarunt, eam non modo à se ipsis somniârunt sine scriptura, ubi nulla illius mentio ostendi potest (qua tamen non fuisset prætermissa, si Deo accepta foret) sed clamante scriptura sua sibi libidinis arbitrio Deum fabricati sunt derelicto Deo vivente. Quid enim est idololatria, si hoc non est dona pro datore ipso colere.* & paucis interjectis subdit: *Ex sancto ejus Sacramento factum est execrabile idolum.* Calvinus igitur negat realem Christi præsentiam in Eucharistia, ideòque asserit cultum esse idololatricum, qui ei exhibetur. Lutherani itidem hac in parte sunt Calvinistis crassiores, qui agnoscentes Christum verum Deum in hoc Sacramento contineri in actu comestionis, & assumptionis etiam ipsi idololatras asserant divinum cultum venerabile Eucharistiæ exhibentes cum Catholici ex vi verborum consecrationis asserant, ac fateantur Christum secundum humanitatem & divinitatem fieri præsentem sub accidentibus Eucharisticis cessante substantia panis & vini, & tamdiu post prolata consecrationis verba perseverare sub Eucharisticis accidentibus, quamdiu conservantur species.

Quapropter Catholici non sunt idololatræ cultum divinum exhibentes eucharistico Sacramento, idque probatur est facilè quia duo requiruntur, sine quibus Idololatria nequit consistere, quorum primum est, ut cultus qui usurpatur, sit divinus, & alterum ut vere talis cultus ut divinus tribuatur creaturæ perinde ac Deo, at qui Catholici verè usurpant cultum divinum cum Eucharistiam adorant, & colunt, sed cultum divinum nullo modo exhibent creaturæ, sed soli Deo, cui debetur, etenim non exhibent cultum divinum substantiæ panis, quæ peracta consecratione nulla amplius est in Sacramento Eucharistiæ, nec cultum divinum exhibent ipsis accidentibus Eucharisticis per se, ut sunt creaturæ, sed Christo vero Deo, & homini contento sub illis speciebus Eucharisticis, quo cultu intendunt excitare existimationem convenientem divinæ Majestati, ergo Catholici per cultum exhibitum Eucharistiæ solum Deum intendunt veneratione prosequi non verò creaturam ullam, consequenter non possunt inuri Catholici nota ulla idololatriæ.

Objiciunt tamen Calvinistæ, falsò asseri Christum Dominum præsentem esse in Eucharistia sub accidentibus Eucharisticis, eò quia ait Calvinus lib. 4. instit cap. 17. Sect. 36. *donum Christi non Christum ipsum Sacramento contineri*, hinc inferunt Catholicos esse idololatras quia donum pro ipso datore venerantur. Sed contra quia ut explicant omnes Sancti Patres ex sacris scripturis clarè constat Christum Dominum secundùm divinitatem & humanitatem esse sub accidentibus eucharisticis & præ cæteris S. Augustinus supra Psal. 33. concion. 1. ait Christum in ultima cæna se dedisse manducandum suis Discipulis cum panem porrigeret dicens: *Hoc est corpus meum, suis se manibus mirabiliter ad ipsos portavit*, scilicet cum illud idem dederit Discipulis, quod manibus tenebat ipse profectò dator, & donum fuit, proinde Eucharistiam adorare perinde est, ac divinum cultem Christo exhibere; consequenter Catholici nullam incurrunt idololatriæ notam cum sacram adorant Eucharistiam, unde falsum est, quod asserit Calvinus sine Authoritate scripturæ Catholicos asserere in Eucharistia esse verum, & realem Christum, & ab ipsis hoc genus adorationis fuisse introductum, etenim scriptura ut Eucharistiam veneremur nos admonet & quidem in omnibus illis locis, quibus jubemur Deum infinitum adorare, nisi Calvinistæ dubitent Christum, quem nos in Eucharistia colere profitemur esse verum Deum, hinc plures ex Sanctis Patribus verba illa Davidis Psal. 98. Adorate scabellum pedum ejus referunt ad cultum hujus Sacramenti, ut Augustinus in Psal. 98. Ambrosius lib. de Spiritu S. cap. 12.

Instat tamen Calvinus loc. cit. quia scriptura quoties meminit Christi, mentes sursum erigi jubet & ipsum in cælo quærere sedentem in Patris dextra consequenter infert in Eucharistia non esse veram & realem Christi præsentiam, quæ tamen consequentia non sequitur ex illo antecedenti etenim ex eo, quòd sol illuminet tractum unum terrarum non inde sequitur alium tractum non itidem illustrarià sole: tametsi Christus sit in cælo non tamen prohibemur eum colere in alio loco, cum enim Christus ita sit in cælo, ut etiam sit sub una quaque specie Eucharistica, ideo & in cælo, & sub speciebus Eucharisticis ubique possumus, & tenemur Christum colere; etenim tametsi veneremur Imperatorem in solio suæ Majestatis, eum itidem veneramur in cubiculo, in foro, & in aliis locis, ubi eum præsentem deprehendimus.

Sed respondent Calvinistæ Christum non esse verè, & realiter præsentem in Sacramento Eucharistiæ, con-

consequenter non currere parem rationem de Imperatore, & Christo. Nam falsum est Christum verè & realiter non esse in Sacramento Eucharistiæ, seu sub speciebus panis & vini, cum ipsemet asseruerit panem, quem Discipulis suis porrigebat esse suum corpus verum, & reale & non figuram sui corporis dixit enim: *Hoc est corpus meum*, quod si Christus utpote prima veritas non potest falli, nec nos fallere, manifestè sequitur esse verè, & realiter sub speciebus Eucharisticis.

Objiciunt etiam Lutherani Eucharistiani institutam fuisse, non ut colatur, sed ut manducetur consequenter cultum Eucharisticum vanum esse, ac idololatricum. Sed hoc argumentum nullius est momenti, quia etiam Christus natus est, non ut adoraretur ab hominibus, sed ad eum principalius finem, ut redimeret genus humanum, & nihilominus à beata Virgine & S. Josepho Matth. 2. adoratus fuit; ut & à Magis in stabulo & ab illuminato cæco, extra Synagogam Joan. 9. ut etiam à latrone in cruce & ab aliis Luc. 23. Æternus igitur Pater quamvis alia de causa Filium suum miserit in mundum, adhuc tamen voluit ab omnibus adorari, ut ait Apostolus ad Hebræ. 1. *Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Quamvis igitur Christus in mundum venerit, ut pretio sui Sanguinis genus humanum redimeret à captivitate Diaboli, adhuc tamen debuit ab hominibus adorari.

Objiciunt tamen Hæretici, quia ipsa Eucharistia non est Christus, sed potiùs Christi Sacramentum, adeoque quidpiam creatum, consequenter inferunt Catholicos adorantes Eucharistiam esse idololatras, eò quia cultum soli Deo debitum exhibeant creaturæ. Sed contra, quia Catholici non venerantur Eucharistiam ut præcisè dicit species Eucharisticas panis, & vini, sed ut includunt in se, & continent veram Christi carnem, & sanguinem, seu Christi humanitatem perinde ac colentes Imperatorem indutum suis vestibus non intendunt vestes colere Imperatoris sed ipsam personam Imperatoris, perinde Catholici adorantes Eucharistiam non intendunt adorare ipsas per se species Sacramenti, sed Christum sub illis mirabiliter contentum hinc Concilium Tridentinum statuit, ut si quis dixerit in Sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum & ejus adoratores esse Idololatras anathema sit.

Cæterum in adoratione plures concurrunt actus intellectus & voluntatis, in quibus non consistit adoratio, ex parte enim intellectus duplex intervenit judicium speculativum, quorum unum consistit in summa opinione & existimatione dignitatis, superioritatis, & excellentiæ illius personæ quæ adoratur; & alterum in summa reputatione vilitatis nostræ subjectionis, & distantiæ ab illa persona, quæ adoratur. Rursus præter hæc duo judicia speculativa simplicia adhuc requiritur in eodem intellectu duplex judicium practicum; unum quod dictet esse honestum, & rationabile se subjicere, & submittere illi personæ, quæ adoratur propter ejus excellentiam, & superioritatem; & alterum, quòd dictet esse honestum exhibere notam aliquam internæ illius subjectionis, seu aliquam humiliationem, per quam significetur interna submissio.

Ex parte voluntatis itidem requiruntur duo actus imperantes, quorum uno persona adorans dicat volo me alteri submittere ut superiori, & excellentiori; & altero dicat, volo exhibere notam aliquam extrinsecam hujus meæ internæ submissionis. Rursus præter hos duos actus imperantes adhuc requiruntur in eadem voluntate alii duo actus imperati, quorum unus sit actualis submissio personæ cognoscentis se inferiorem, & subjectam, & alter sit ipsa humiliatio, quæ assumitur ut nota & protestatio nostræ subjectionis, & excellentiæ alterius supra nos.

Ex his actibus adoratio non consistit formaliter in judiciis speculativis, nec practicis intellectus quia adoratio pertinet ad virtutem religionis, quæ spectat ad voluntatem, & est pars potestativæ justitiæ. Neque consistit formaliter in duplici illo actu imperante voluntatis, quia verè adorari non est formaliter ipsa adoratio, sicut nec velle ambulare, est formaliter ipsa ambulatio, unde difficultas est de duobus actibus imperatis à voluntate, quorum unus est interna submissio, quæ minus propriè dici potest adoratio, quia hæc propriè & formaliter non est submissio, sed protestatio, & nota submissionis adeo ut adoratio formaliter sit tantum ille ultimus actus imperatus, qui est nota subjectionis ut supponens alios actus prævios intellectus, & voluntatis; siquidem adoratio ab omnibus definitur, quòd sit nota subjectionis; sicut enim restitutio significat actum illum externum quo ponitur æqualitas inter creditorem, & debitorem, quamvis hic actus non sit virtus nisi unitim sumatur cum actu imperante voluntatis; ita adoratio est nota illa imperata, quæ ut contrahat rationem virtutis sumenda est unitim cum actu imperante submissionem & ipsam notam submissionis, & cum ipsa actuali submissione.

Cæterum actus in quo formaliter consistit adoratio potest esse actus distinctæ potentiæ à voluntate, ut etiam actus elicitus ab eadem voluntate imperatus verò habetur ab alio actu ejusdem voluntatis; non enim adoratio est tantùm humiliatio aliqua corporis, cujusmodi est genuflexio, inclinatio, corporis prostratio, alioquin cum Angeli, & animæ separatæ carerant corpore non possent adorare; quia non minus actus internus potest esse nota submissionis, quàm actus externus corporis quapropter observat Suarez nullum esse virtutis actum, qui non possit assumi ut adoratio, si imperetur à voluntate ad protestandam notam submissionem; siquidem possumus velle elicere actum fidei in protestationem nostræ subjectionis primæ veritati; & possumus itidem velle elicere actum spei ut protestemur nos sine Deo summo bono esse nihil, & totum nostrum bonum unicè à solo Deo dependere, quo pacto adoratio non solum Deo & Sanctis exhiberi potest, verum etiam personis profanis, ut Imperatori Regi Principi ut colligitur ex sacris historiis, & hæc adoratio politica dicitur, & distinguitur ab honore, quia hic est universalior, ait enim D. Augustinus serm. contra Arian. cap. 23. *Honorat enim omnis, qui adorat, non autem adorat omnis qui honorat; nam & fratres secundùm Apostolum invicem se honore præveniunt, nec tamen invicem adorant.* Quia ut docet D. Thomas 2. 2. q. 103. art. 1. Honor est certificatio virtutis alterius quæ verbis explicata dicitur laus, & explicata actionibus vel rebus dicitur honor; adoratio verò ultra hoc addit animi submissionem in recognitionem excellentiæ alterius ut sibi superioris. Cæterum in voluntate adorandi duplex occurrit objectum unum *cui*, & aliud *quod*; objectum *cui* est Deus, cui volumus cultum propter excellentiam, & objectum *quod* est ipse cultus, quem volumus Deo; hinc adoratio in recto dicit ipsum cultum exhibitum Deo, & in obliquo ipsum Deum ejusque excellentiam, & superioritatem, quia objectum adorationis est honestas cultus debitus Deo, non verò ipsa bonitas intrinseca Dei, quia hæc est objectum charitatis.

# CAP. VIII.

## De Ecclesiis, earumque ædificatione, & consecratione.

ECclesia propriè apud Christianos locus est, in quo cœtus fidelium congregantur, preces ad Deum fusuri, & dicitur ecclesia, eo quia omnes ad se vocet, ac in unum congreget; dicitur etiam catholica, quia est universalis, seu in mundum universum constituta; & quia universalis est itidem ejus doctrina ad instructionem hominum de visibilibus, atque invisibilibus rebus cœlestibus, & terrestribus: Certum est, Apostolos habuisse loca specialia functionibus sacris, scilicet orationi, ac participationi eucharistiæ deputata; etenim antequam permissum esset Apostolis, & fidelibus primitivæ Ecclesiæ ædificare templa, & erigere Ecclesias consueverant privatas domos erigere ampliores scilicet earundem aulas, quæ cænacula vocabantur in locis superioribus constituta, ut refert S. Lucas Actor. 1. *Et cum introissent in cænaculum, ubi manebant duodecim, hi erant omnes perseverantes in oratione*, & ad id videtur allusisse Christus cum Matth. 10. mandatum injunxit Apostolis aliisque Discipulis de evangelio promulgando super tecta, seu in cænaculis constitutis in superiore domus parte inquiens: *Quod dico Vobis in tenebris dicite in lumine, & quod in aure auditis prædicate super tecta*, inde conjicitur fuisse temporibus Apostolorum loca ampla quæ ecclesiæ à fidelibus vocarentur in qua consueverint Christiani ad Sacram Synaxim convenire, ut etiam testatur S. Ignatius, qui floruit immediatè post Apostolos epist. 6. 11. 13. Hinc Apostolus Paulus 1. ad Corinth. 11. meminit illorum ecclesiæ, inquiens: *Convenientibus vobis in ecclesiam*, quod verò ecclesia Corinthiorum non esset domus ulla privata liquet quia Apostolus eos reprehendit, quod cum habuerint domos privatas statim post sacram Synaxim in ecclesia comederent, & biberent lautè; inquiens: *Nunquid domos non habetis ad manducandum aut bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis? Laudo vos* (scilicet quod convenistis ad sacram synaxim) *sed in hoc non laudo*, scilicet quod comedatis, & bibatis in ecclesia cum proprias domos habeatis ad edendum, & bibendum, quapropter Apostolus distinguit ecclesiam à domibus privatis Corinthiorum, adeo ut fuerit ecclesia tunc locus communis omnibus fidelibus pro sumenda synaxi, & preces ad Deum fundendas. Hinc injungit mulieribus, ut in Ecclesia taceant, ne sint impedimento orantibus; ait cap. 14. *Mulieres in Ecclesiis taceant; si quid autem volunt discere domi viros suos interrogent.* Et D. Augustinus hoc idem silentium in ecclesiis servandum edixit. serm. 215. de temp. ubi ait: *In Ecclesia stantes nolite sermocinari sed lectiones divinas patienter audite; qui enim in ecclesia sermocinari voluerit; & pro se & pro aliis redditurus est rationem dum verbum Dei nec ipse audit, nec alios audire permittit*, & S. Clemens lib. 8. const. Apost. cap. 11. refert moris fuisse, ut quidam ex diaconis templum perambularet, qui viros observaret, & mulieres, ne fieret ullus strepitus, ne quis nutus ederet, vel mussitaret, aut dormiret, sed omnes reverenter orarent, modestè starent, vel genuflecterent, adeo ut tunc temporis fideles cum summa observantia, & religione in ecclesiis morarentur vel oraturi, vel sacras lectiones audituri. Hinc in Constit. Apostol. can. 10. legitur: Omnes fideles, qui conveniunt in solemnitatibus sacris ad ecclesiam, scripturas Apostolorum, & evangelium audiant, idque firmatur authoritate Cyrilli catechef. 16. ubi refert Ecclesiam Jerosolymis erectam fuisse in loco, ubi Spiritus Sanctus descenderat, & D. Clemens lib. 10. Recognit. refert. Antiochiæ domum Theophili cui Lucas librum actuum Apostolorum direxerat, conversam fuisse in ecclesiam, & ibi etiam constitutam cathedram pro D. Petro primo Episcopo Antiocheno ex qua populum instruere, ac docere consueverat, & Eusebius lib. 2. Histor. cap. 17. refert ex Philone primos Christianos in locis omnibus ædes sacras ad mysteria celebranda, & sacros libros legendos constituisse, unde nulli dubium quin primis illis temporibus fuerint loca, in quæ, cœtus fidelium conveniret ad sumendam synaxim preces Deo fundendas, & sacram lectionem audiendam, & cum Petrus anno Christi 44. & Claudii Imperatoris XI. Romam venisset exceptus fuit à Pudente Senatore Patre Novati, & Timothei, ac Praxedis, & Pudentianæ Virginum, (qui cum uxore Priscilla & tota ejus familia in Christum credidit) ut meminit Paulus 2. Timoth. 4. exceptus fuit in domum Pudentis, quæ erat ad radicem montis viminalis posita prope Exquilinum quæ domus conversa etiam fuit in ecclesiam & postea Pastoris titulo nuncupata. Et Anastasius *lib. de Romano Pontifice* refert, Evaristum, qui quintus fuit Romanus Pontifex à D. Petro, ecclesias constituisse pro fidelibus in quibus suas possent functiones exercere, & munera Christianorum obire, & tempore Cornelii Papæ quadraginta sex numerabantur Romæ ecclesiæ, ut refert Anastasius epist. ad Fabianum Antiochenum, ut refert Eusebius *lib. 6. histor. cap.* 35. unde nulli dubium, quin Apostoli varias constituerint ecclesias adeo ut emanaverint edicta Imperatorum Ethnicorum de æquandis solo, ac demoliendis Ecclesiis Christianorum, ut meminit Eusebius *lib. 8. cap. 2. & 3.* Quinimò testatur longè ante Imperium Diocletiani plures fuisse ecclesias erectas ab ipsis Christianis, qui dirutas ac demolitas in formam ampliorem erexerunt; cumque sub imperio Gordiani, & Pontificatu Fabiani summum Romano imperio Deus otium indulsisset, & pacem concessisset, ut & ecclesiæ tranquillitatem tunc Ecclesiæ cœperunt plerisque in locis, ac Provinciis erigi, ac Dei cultus propagari; contribuebant fideles summas pecuniarum, quibus Ecclesiæ ampliores erigerentur, quæ possent fidelium ad auctum numerum capere, & Fabianus Papa plura altaria, & templa Romæ in cemeteriis erigi jussit, & præsertim in cryptis arenariis subtus terram, ubi latebant sepulchra Sanctorum Martyrum in quibus consueverant fideles sacram synaxim sumere, & anno 313. Constantini Imperatoris 8. & Melchiadis Papæ 2. cum ampla libertas indulta fuisset fidelibus erigendi Ecclesias, & ubique Christum Dominum colendi, & injunctum Gentilibus ut Christianis absque ullo pretio restituerent bona cuncta iisdem surrepta, & loca publica ab Ethnicis occupata, tunc Constantinus dedit Melchiadi Papæ domum Faustæ in Laterano ut asserit Spondanus anno Christi 313. hæc enim domus perampla erat, & sita in monte Cœlio, & dicta fuit domus Faustæ, eò quia Fausta Maximiani Herculei erat filia, quæ in florentissimo, ac diuturno Patris imperio Romæ immorans ædes illas inhabitavit, quæ olim

olim Plautii Lauterani prædivitis & consularis viri, cum amplissimæ essent, acciso Plautio à Nerone veluti reo conjurarionis in ipsum factæ anno 11. imperii sui & Christi 67. & Petri 23. Principis fisco addictæ fuerunt, ac propterea sub potestate Imperatorum, & nomen ædibus illis Lateranis non solùm imposterum perseveravit, quod etiam contigit ædibus, hortisque Salustii, qui tametsi usui cessissent Imperatorum, adhuc nomen Salustii servâtunt; Sed in ædibus illis lateranis, quas Constantinus Imperator donavit Romanæ ecclesiæ Basilica postea amplissima à Constantino Imperatore erecta fuit, quæ Lateranensis etiam dicta quo nomine etiam nunc gaudet, ut etiam à fundatore subinde nuncupatur basilica Constantiniana, & frequentius etiam Basilica Salvatoris, eò quia ei fuerit dedicata & ejus insignis imago vel simulacrum argenteum collocatum fuit ponderis liberarum centum, & viginti. Ex quo verò tempore, quo Constantinus Romæ baptismum suscepit à Sylvestro Papa anno imperii sui 19. plures tum Romæ tum in aliis Italiæ Provinciis erectæ fuerunt ecclesiæ amplissimè etiam dotatæ siquidem ad exemplum Imperatoris, & Principis, reliqui prædivites Christiani plures ubique terrarum ac in variis Provinciis cœperunt ecclesias erigere, cumque ubique Christianorum ecclesiæ ob pingues reditus divitiis affluerent Romanus Pontifex una cum Imperatore decretum ediderunt, ut de reditibus ecclesiæ quatuor fierent partes, quarum una cederet Pontifici ad sui sustentationem altera clero, & tertia pars servaretur pro sartis tectis, & quarta pauperibus infirmis, ac peregrinis distribueretur.

Quòd verò ad Ecclesiarum structuram attinet refert Clemens constit. 66. & Paulinus epist. 12. ad Severum fuisse Ecclesias versus Orientem constructas sive id fieret ad imitationem templi Salomonis conversi ad Orientem, ut docet Aristeas lib. de 72. Interpretibus, vel quia Christiani Orientem versus consueverint preces suas ad Deum fundere; erant itidem singula eorum membra ad officia accommodata, ut similitudinem quandam templi Jerosolymitani præseferrent, ut apparet in pluribus templis antiquis, quæ etiamnum extant & quia templum Salomonis tres habuit partes scilicet atrium Sancta, & Sanctum Sanctorum ecclesiæ itidem Christianæ easdem partes visæ sunt comprehendisse, quarum prima erat porticus ante ingressum in templum, quem locum Latini vestibulum dicunt, ubi in primitiva ecclesia consueverant publici pœnitentes manere, ut etiam alii, quibus accessus intra ecclesiam prohibitus erat. Deinde erat ipsum templum formam navis præseferens ad cœtus fidelium recipiendos, & in hoc loco seorsim à populo sedebant Sacerdotes. Ultima pars Ecclesiæ erat ipsum Sacrarium seu Sanctuarium, quæ erat pars interior templi ubi erectum aderat altare, & pars ista divisa erat à reliquo templo per gradus & cancellos neque eo alii penetrabant, nisi Sacerdotes cum suis Ministris Clericis, quæ pars respondet Sancto Sanctorum Salomonico, & has partes adhuc videmus Romæ in ecclesiis quæ tempore Constantini Magni à fundamentis extructæ fuerunt; siquidem nonnisi pristinam formam præseferunt, & non solum Romæ, sed etiam in aliis orbis Christiani partibus hæc eadem forma in construendis ecclesiis observata fuit, imò aderant etiam cubicula quædam, ut vocat Paulinus quæ à nobis capellæ dicuntur, quæ construi consueverint causa orandi; erant itidem postoforia, seu secretaria posita juxta absidem, in quorum uno asservarentur ornamenta ecclesiæ, & in alio, quæ ad ministerium baptismi & alia officia ecclesiæ pertinerent, & in alio asservabantur libri sacri, nec indecens visum fuit in eadem ecclesia plura erigere altaria, quia cum essent sepulchra Martyrum ubicunque esset Martyris corpus, illic moris fuit, ut altare erigeretur, & D. Gregorius meminit in una tantum ecclesia fuisse altaria erecta tredecim & Paulus V. recondidit Romæ sub altaribus reliquias Sanctorum, quarum Catalogum inscribi jussit prope eadem altaria, ut devotioni satisfieret peregrinorum. Quòd si in templo Salomonis aderat labrum æneum ad emundationem Exodi 30. quo Sacerdotes manus, & pedes ante ingressum lavarent, ita præ foribus ecclesiarum constituebantur fontes aquæ communis ad purificationem præsertim manuum & faciei introeuntium ecclesiam, ut si sordes adessent, eas abstergerent, ad quod videtur allusisse D. Paulus 1. ad Timoth. 2. *Orare puris manibus*, hujus consuetudinis meminit etiam Tertullianus lib. de orat. cap. 11. & plures alii præsertim Clemens constit. 38. Eusebius lib. 10. histor. cap. 4. Paulinus epist. 12. Chrysostomus homil. 72. quia vel ipsa natura dictat, nosque docet nonnisi puros debere nos ad Deum accedere, hinc non solùm Christiani verùm etiam ipsi Ethnici referente Herodoto in Euterp. consueverunt aqua pellucida, & nitida corporis maculas abstergere ante adorationem, cui lavacro apud Christianos successit aqua à Sacerdote benedicta, quæ fidelibus esset usui non solùm præ foribus ecclesiarum verum etiam in privatis domorum cubiculis. Solent etiam diversis donari nominibus loca illa, in quibus fideles congregantur in unum ad sacra peragenda, dicuntur enim Ecclesiæ, eò quia ab ipsis cœtus fidelium vocentur mediante pulsu æris campani. Dicuntur templa, quia in ipsis Deo sacrificatur, ex quo sequitur, Novatores non posse sibi usurpare templi nomenclationem cum nullum ipsi habeant, nec admittant sacrificium propriè dictum. Dicuntur etiam Oratoria eò, quia à Christianis ibi orationes Deo funduntur, hinc Christus Luc. 19. ait: *Domus mea domus orationis vocabitur.* Vocantur etiam ecclesiæ si amplæ fuerint Basilicæ, eò quia in iisdem reliquiæ martyrum honorificè serventur, ut asserunt Isidorus *lib.* 15. Amalarius *lib.* 2. *de offic. cap.* 2. & alii, quia sicut olim Basilicæ Regum habitacula dicerentur, ita etiam loca, in quibus Rex Regum colitur conveniens erat ut Basilica diceretur. Spondanus verò censet Basilicas illas Gentilium habuisse loca foris conjuncta, in quibus res plures venales prostarent, & in quibus præsertim hyeme publicæ conciones, & conventus negotiantium haberetur ut refert Plinius lib. 5. epist. 21. Cæterum usus obtinuit, ut non quæcunque ecclesiæ Basilicæ vocentur, sed illæ duntaxat quarum amplitudo est augustior. Dicuntur etiam Ecclesiæ eò quia ibi populus verbo Dei & sacramentis pasceretur.

Cæterum ecclesiæ catholicorum propriè fuerunt templa, seu loca in quibus in sacrificium Deo offeretur, quia ecclesiæ Christianorum semper habuerunt altaria, & semper fuerunt vera templa; siquidem templum nihil aliud est quam locus altaris, quod absque dubio reperitur in ecclesiis catholicorum hinc Paulus 1. Corinth. 10. *Non potestis mensæ Domini, & mensæ Dæmonorum participes esse*, opponit enim mensam Eucharistiæ Idoloditis, seu mensæ idolorum, in quo etiam erant altaria, ut interpretatur

S. Am-

S. Ambrosius nomen illud Idolodita, & Apostolus ad Hebræ. 13. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.* Tum quia Sancti Patres passim mentionem faciunt altaris cum de ecclesiis loquuntur.

Quod si dicas Sanctos Patres abstinere à vocabulo templi quoties de Ecclesiis Christianorum loquuntur, quinimò eas etiam opponunt templis, & D. Hieronymus epist. ad Riparium loquens de Juliano Imperatore, ait: Christi Ecclesias, vel diruisse, seu solo æquâsse, vel in templa convertisse. Contra est, quia Christiani non solùm consueverunt abstinere à vocabulo templi, sed etiam ab illo Sacerdotii, idque ad eum finem, ne in lege evangelica viderentur durare judaicæ cæremoniæ, quapropter Apostoli in suis epistolis non Sacerdotes nominant, sed Episcopos, & Presbyteros, nec templa, sed ecclesias, ut etiam antiquissimi Patres, qui floruerunt immediatè post Apostolos ut S. Ignat' us Martyr, & Justinus, cæterum cum discrimen inter Christianos, & Judæos satis clarè omnibus innotesceret cæperunt etiam Episcopi vocari Sacerdotes, ut patet ex Tertulliano lib. de velan. Virgin. & lib. de monogam. & alii ex Cypriano in omnibus ferè suis epistolis, diutius tamen abstinuerunt à templi vocabulo, quia mundus erat plenus templis idolorum, & inolita consuetudo obtinuit, ut nomine templi locus intelligeretur consecratus ad sacrificia cruenda in quo sensu Octavius apud Minutium, & D. Hieronymus negant Christianos habere templa. Imò Deus voluit everti templum Salomonis non solùm quoad sacrificia, sed etiam quoad fabricam destrui voluit, ut intelligerent homines statum veteris testamenti cessasse.

Quòd vero erigendæ sint ecclesiæ, ac erigenda oratoria, ex eo liquet, quia 3. Reg. 8. & 2. Paral. cap. 6. Salomon asserit, templum factum esse, ut esset locus orationis; petiitque à Deo, ut quicumque in loco illo adoraverit, non dimittatur vacuus, sed exaudiatur. Et Deus promisit Salomoni à se concessum iri, ut ille petierat 3. Reg. 9. Neque obstat Christum Matth. 21. dixisse oranti: *Intra in cubiculum tuum*, & Joan. 4. *Venit hora, & nunc est, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabilis.* 1. Timoth. 2. *Volo vos orare in omni loco.* Hæc enim non obstant, quia Christiani debeant in ecclesia preces fundere. Ad primum textum respondetur, Christum subjunxisse: *Domus mea, domus orationis vocabitur*, ad alium desumptum ex Matth. 21. Joan. 4. & 1. Timoth. 2. respondet D. Thomas cum S. Ambrosio, & Anselmo textus illos esse intelligendos de oratione privata. Sin verò intelligatur textus D. Pauli de oratione publica; intelligitur de omni loco, ubi ad orandum publicè à fidelibus convenitur, seu in omni ecclesia ad differentiam Judæorum, qui in uno tantum Salomonis templo orare consueverant saltem publicè. Tum quia Apostolus Paulus subdit similiter mulieres in habitu ornatu, quæ verba intelligenda sunt de oratione, quæ fit in ecclesia, alioquin non esset opus ut mulieres in propriis domibus, ac cubiculis quoties Deum orarent in habitu ornato id agerent, alioquin plus impenderent temporis in ipso ornatu, quam in prece fundenda.

Quòd si dicas, Deum esse immensum consequenter in quovis loco esse præsentem, & non posse ipsum deprecari. Respondetur concedendo Deum esse ubique ob suam immensitatem non tamen omnibus modis, alioquin si Deus esset præsens ubique eodem modo, quo est in cœlis coram beatis, frustra diceremus Pater noster, qui & in cœlis. Licèt igitur Deus per essentiam, præsentiam, & potentiam sit, ubique non tamen ubique semper exaudit, sed frequentius cum ecclesiam ingressi, & ad omnem reverentiam compositi, ac similiter genuflexi illum amore ferventes ac pleni fiducia eum rogamus, ut suam nobis impertiat opem, quæ magis conducat ad nostram salutem, tunc enim frequentius nos in ecclesia exaudit quam in aliis locis dicitur ergo Deus per exauditionem præsens esse specialiter in ecclesia, quapropter si nullum adsit impedimentum satius semper est, & consultius ecclesiam ingredi, & per preces nostras necessitates Deo exponere. Tum quia oratio ex natura sua & ratione termini seu Dei in quem fertur, habetur res nobilissima, consequenter debetur ei locus nobilissimus, qualis est locus sacer, ut notat S. Basilius lib. 2. de baptis. quæst. 8. Tum quia in ecclesia omnia sunt accommodatiora ad excitandam devotionem necessariam ut preces attentè fundantur ab orante audiantur, & à Deo exaudiantur, sunt enim in ecclesia erecta altaria crucis imagines, Sanctorum reliquiæ & Martyrum, quæ omnia aspicientibus devotionem movent, & fervorem amoris excitant, demum quia in templis præter immensam Dei præsentiam habetur etiam præsentia Christi Redemptoris sub speciebus Eucharisticis, quæ præsentia sicut nostram fidem fovet, ita spem adauget, & amorem incendit, ut enim scitè ait Chrysostomus homil. 36. in 1. ad Corinth. ubi Christus est in Eucharistia ibi non deest Angelorum frequentia ubi autem est talis Rex, & tales Principes, ibi est cœleste palatium; imò & cœlum ipsum.

Hinc altaria etiam in lege naturæ fuerunt Deo erecta, etenim Noë, Abraham, & Jacob ex Genes. cap. 8. cap. 12. & cap. 35. Constat altaria consecrasse Domino & in scripta Deus injunxit Moysi Exodi cap. 30. *Facies quoque altare ad adolendum Thymiama de lignis Setin habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, id est quadrangulum, & duos cubitos in altitudine. Cornua ex eo procedant, vestiesque illud auro purissimo tam ejus craticulum, quàm parietes per circuitum & cornua, faciesque & coronam auream per gyrum.* David itidem ex Consilio Gad 2. Reg. cap. ult. v. 18. & sequent. *Erexit altare Domino in area Arenna*, & lib. 3. Reg. cap. 18. v. 30. legimus altare Eliæ compositum ex duodecim lapidibus juxta numerum Tribuum filiorum Jacob: *Dixit Elias omni populo venite ad me, & accedente ad se populo curavit altare Domini, quod destructum fuerit, & tulit duodecim lapides juxta numerum Tribuum filiorum Jacob.* Pari pacto lib. 2. Paralip. cap. 6. in principio refertur dedicatio tempore Salomonis & lib. 1. Esdræ cap. 1. describitur renovatio templi facta per Cyrum, & cap. 1. Machab. cap. 4. v. 16. post purgationem templi dedicarunt & consecrârunt altare diebus octo, *& obtulerunt holocausta cum lætitia & sacrificium salutaris & laudis; & ornaverunt faciem templi coronis aureis.* Quòd etiam in lege gratiæ & tempore Christi antequam pateretur fuerit altare ex eo liquet, quia Christus præcipit offerenti munus ante altare illud relinquere ut priùs reconcilietur cum fratre suo si habeat aliquid contra ipsum. Matth. cap. 5. v. 23. *Si frater tuus habet aliquid adversus te relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo.*

Quòd vero altare fuerit in Ecclesia tempore Apostolorum colligitur ex D. Paulo 2. ad Corinth. 2. ubi ait: *Convenientibus vobis in Ecclesiam audio scissuras esse inter vos*, & postea subdit: *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum?* imò Christus persæpe templum sua præsentia honoravit, & ægrè tulit, quòd templum profanaretur ac converteretur in speluncam latronum, & in officinam negotiationis. Rursus in Act. Apostol. cap. 1. 3. & 21.

legi-

legimus Petrum, Paulum, & Joannem frequenter in templo oràsse, imò refert S. Cyrillus catechef. 16. Apostolos consecrasse in ecclesiam cœnaculum in quo receperant Spiritum Sanctum, & S. Clemens lib. 10. recognit. ait: Sanctum Petrum Antiochiæ convertisse in Ecclesiam domum Theophili in qua & collocaverat suam cathedram; & indulta Ecclesiæ pace, & tranquillitate plures cœperunt ecclesiæ construi, ut & templa, quæ antea lurida erant squalore Idolorum purgata ab Idolis consecrata fuerunt in ecclesias; & Eusebius orat. de Laudibus Constantini circa medium post relationem Ecclesiarum quas ille ædificaverat Constantinopoli, Antiochiæ, & Jerosolymis ab eodem Imperatore de constructis Romæ ait: *In Lateranensi Palatio Ecclesiam Salvatori dedicavit, eique continentem Basilicam nomine S. Joannis Baptistæ condidit eo loco, quo ipse baptizatus à S. Sylvestro à lepra mundatus est, & quam idem Pontifex consecravit 5. Idus Novembris, quo die imago Salvatoris in pariete depicta populo Romano apparuit.* Refert etiam in Vaticano insignem Basilicam construxisse, quam D. Petro dicavit: *In Sanctorum numero locorum in primis semper fuit insignis ea Vaticani pars, quam S. Petri confessionem appellant. Illud Constantinus octavo die post susceptum baptismum venit, depositoque diademate, & humi jacens vim lachrymarum profudit; mox sumpto ligone, & bidente terram eruit, indeque duodecim terræ cophinis honoris causa Apostolorum oblatis, ac loco basilicæ Principis Apostolorum designato ecclesiam ædificavit.* Et subdit S. Sylvestrum Papam in consecratione altaris Principis Apostolorum decrevisse, ut imposterum nonnisi ex lapide altaria ædificarentur fuisse tamen altare Basilicæ Lateranensis è ligno erectum, quia cum à Sancto Petro usque ad Sylvestrum Imperatores persequerentur Christianos, qui propterea in cryptis, vel cœmeteriis, vel ædibus piorum latebant, supra altari illo ligneo ad arcæ similitudinem concavo sacra faciebant. S. Sylvester itidem in monte Squilinointer rudera antiquitatis, ubi antea extiterant thermæ Titi, Domitiani, & Trajani Imperatorum, Ecclesiam ædificavit; cui titulum imposuit Equitii, cujus meminit S. Damasus, & Anastasius Bibliothecarius in S. Sylvestro loquens de illius operibus ait: *Hic fecit in urbe Roma Ecclesiam in prædio cujusdam Presbyteri sui, qui cognominabatur Equitius juxta thermas Domitianas, quem titulum Romanum constituit, & usque in hodiernum diem appellatur titulus Equitii*, & paulò inferius addit: *Eisdem temporibus constituit beatus Sylvester in urbe Roma juxta thermas Domitianas, quæ cognominabatur Trajana titulum Sylvestri*, imò præter Ecclesiam sui itidem habitationem, & Oratorium antea construxerat, & in eodem loco propriæ residentiæ duo generalia Concilia celebravit. Primum Romanum anno 324. cui interfuerunt Episcopi 284. cum toto Romano Clero una cum Constantino Imperatore & ejus Matre Helena & Calphurnio urbi Præfecto ut gratiæ Deo agerentur pro Christiana Religione jam propagata per singulas propemodum mundi partes ut refert Baronius ad annum Christi 324. & aliud etiam Concilium, quod dicitur Romanum II. anno sequenti 325. cui interfuerunt Episcopi 275. & in quo confirmatum fuit Concilium Nicænum I. ut refert Baronius eodem titulo, & Sozomenus lib. 7. cap. 24. refert de Theodosio Imperatore; quod egressus Constantinopoli, cùm pervenisset ad septimum milliare, preces fuderit Deo in eadem Ecclesia, quam in honorem Sancti Joannis Baptistæ construxerat, & Pulcheria Imperatrix pretiosa munera ex auro & Gemmis Ecclesiæ Constantinopolitanæ donaverit pro sua Virginitate & imperio fratris. Theodoretus itidem lib. 8. de curandis Græcor. affect. ait: *Martyrum templa conspicua cernuntur, magnitudinisque præstantia; Omni præterea ornatus genere varia, & splendorem quodammodo pulchritudinis suæ latè fundentia; neque verò huc per annos semel, bis, aut quinquies adventamus, sed in eis sæpenumero dies festos peragimus; sæpe diebus singulis coram Martyrum Domino laudes hymnosque cantamus.* Et Nazianzenus in laudem Gorgoniæ Sororis ait: Quid fecerit, audite; caput cum pari clamore & uberrimis lachrymis ad altare amovens; nec se ante ab eo discessuram minitans, quam sanitatem consecuta sit; & protinus liberam se morbo sensit, unde constat plures fuisse in lege evangelica constructa altaria, & ecclesias, & hanc consuetudinem derivasse in lege naturæ à Noë Abrahamo, & Jacobo, in lege scripta à Moyse, & Davide, & in lege evangelica à Christo, & Apostolis in ecclesiam Christi in terris militantem.

Quòd verò ad structuram attinet Ecclesiarum, liquet ex sacris canonibus, absque licentia Episcopi non posse in sua diœcesi & jurisdictione ecclesias ædificari, & statutum id fuit in Chalcedonensi Concilio cap. 4. relato in can. quidquam 28. quæst. 2. Jubetur etiam ab Episcopo diœcesis figi crucem, & publicè aram designari, ubi construenda est Ecclesia, ut etiam injungat construentibus, ut suppeditent necessaria stipendia ad cultum divinum hoc idem etiam habetur in Concilio Aurelianensi relato in can. nemo Ecclesiarum de consecrat. dist. 1. & id fuisse in primitiva ecclesia observatum asserit Metaphrastes die 13. Septembris in vita S. Sylvani. Apponebatur crux in eo fundo in quo construenda erat Ecclesia ut significaretur locum illum vel fundum esse ad Dei obsequia mancipatum in quo Christi fideles imitatores sunt Patriarchæ Jacobi, quo post mirabilem illam visionem Genes. 28. *Surgens itaque Jacob, erexit lapidem in titulum*, ex quo orta est consuetudo tituli nomine sacra templa nominare, ut ait Baronius sub anno 112. Tum quia per hunc titulum nomen extructoris Ecclesiæ indicabatur, ut plures etiam nunc reperiuntur Romæ cum hisce titulis significantibus nomen extructoris, ut Ecclesia S. Martini ad montes quæ titulus *Equitii* vocabatur, eò quia Equitius Ecclesiam illam extruxit, & fundum dedit, templum Sanctorum Nerei, & Achillei, quod vocabatur titulus *Fasciolæ* ob eandem rationem, ut etiam templum Sancti Vitalis titulus *Vestinæ*.

Circa formam qua Ecclesiæ construebantur hæc Orientem spectabat, adeo ut valde Ecclesiæ paterent soli Orienti, continebant enim Ecclesiæ porticum, & atrium, ubi detinebantur Catechumeni, & publicè pœnitentes ut & alii, quibus accessus intra Ecclesiam nondum erat præmissus. Secunda pars quæ Ecclesiam componebat, formam præseferebat navis ad populum orantem recipiendum & ad sacra officia in Dei cultum & obsequium exercenda. Tertia pars, quæ Sancta vocabatur erat in qua Sacerdotes sedebant seorsim à laicis, ut statutum fuit in Concilio Laodiceni, & habetur *in can. Non oportet. dist. 23.* & erat Sancta Sanctorum institutum ut ibi offerretur sacrificium incruentum Deo. Motis siquidem fuit, ut ecclesiæ ita construerentur, ut figuram crucis repræsentarent, ut refert Surius die 12. Septembris in vita S. Sylvii Episcopi Papiensis, qui floruit tempore Apostolorum; hic enim Præsul Orato-

Oratorium construxit formam crucis exhibens, quamvis tempore Diocletiani cujusmodi templa jussu impii Principis inimici crucis fuerint eversa, & solo æquata, ut refert Eusebius lib. 8. cap. 2. Nicephorus lib. 7. cap. 3. Verùm ex munificentia Magni Constantini Imperatoris hæc eversa templa fuerunt iterum restaurata secundùm antiquam formam; & Venerabilis Beda refert in Syria fuisse templa ad omnem magnificentiam extructa crucis figuram exhibentia, idque ut designarent militantem in terris ecclesiam sub capite Christo, qui pro humano genere redimendo in ara crucis pretium sui sanguinis solvere voluit, ut nos redimeret à famulitio Diaboli. Exigebantur itidem in iisdem Ecclesiis plures capellæ cum suis altaribus, ut etiam plura cubicula in quibus servarentur, quæ ad Ecclesiæ supellectilem pertinerent, ut refert Baronius ad annum Christi 53. Laicos itidem in Ecclesiis consuevisse seorsim à Clericis genuflectere, vel sedere statuit Concilium Agathense can. 66. & sexta Synodus can. 44. & habetur in c. 1. de vita, & honest. Clericor. verbis illis: *Ut laici secus altare, quando sacra mysteria celebrantur stare, vel sedere inter Clericos non præsumant, sed pars illa, quæ cancellis ab altari dividitur, tantùm psallentibus pateat Clericis; ad orandum verò & communicandum laicis, & fœminis pateant Sancta Sanctorum.* Imò D. Ambrosius ipsum Theodosium Imperatorem reprehendit, eò quia extra cancellos stetisset, dixit enim, ut refert Nicephorus, *purpura Imperatore, sed non sacerdotes efficit.* Moris etiam laudatissimi fuit, ut in Ecclesiis viri in locis à mulieribus distinctis orarent, & quamvis pauperibus perinde, ac divitibus rusticis, ac nobilibus pateret ecclesia ad fundendas preces, & omnis excluderetur personarum acceptio non tamen permittebantur in templo pauperes stipem petere, ne orantibus essent impedimento, & omnis strepitus, ac murmur arceretur ab ecclesiis, quapropter tantùm præ foribus stabant pauperes stipem petentes ab ingredientibus, & egredientibus, ne sacra agentibus essent molesti.

Ornatæ etiam erant intus Ecclesiæ, adeo ut præter magnificentiam ædificii sacra esset supellex nitidissima auro, argento, ac gemmis splendida, ait enim Augustinus epistola 165. ex Actis pro Consularibus tempore Diocletiani abundasse Ecclesiam vasis aureis, & argenteis, & in rebus gestis S. Laurentii, quos Prudentius sacro hymno cecinit, refertur Romanos Pontifices non argenteo tantùm, sed aureo calice consuevisse incruentum offerre Sacrificium imò & aureis Candelabris in sacris functionibus uti; ex liberalitate enim fidelium, & pietatem eorum, qui recens ad Christi fidem convertebantur donaria pretiosa in usum sacrarum functionum ecclesiis offerebantur, & Anastasius in Sylvestro refert, quam plures argenteas statuas à Constantino Magno Imperatore fuisse conflatas, imò & aliquas ex puto puro auro, & Christo, ac Apostolis consecratas, cruces etiam & imaginesquæ ad ornatum in Ecclesiis pingi consueverant fuisse auro, & gemmis ornatas, testis est Paulinus epist. 12. ad Severum, & Basilius in orat. de S. Barlaam, imò consuevisse etiam fideles offerre Ecclesiis subtilissima, ac nitidissima linteamina, testatur S. Paulinus in die Natalis S. Felicis, & habetur etiam apud S. Gregorium epist. 9. siquidem ornatus Ecclesiarum est actus duplicis virtutis religionis, ac magnificentiæ, proinde ex natura sua non potest non esse bonus, & laudabilis ob plures itidem utilitates, quas præsefert allicit enim facilius, & trahit ad Ecclesias populum cui mundities, & ornatus placet, & libentius ibi moratur, ac suas in Deum preces fundit reconciliat etiam majestatem, ac reverentiam Sacramentorum, quando enim altare est splendidum, & aptè ornatum facilius mentem erigimus in cœlum, & ad cœlestia contemplanda rapimur, cùm è converso habeatur contemptui locus ille, qui omni carens ornatu immunditiis potiùs deturpatur, excludit enim immundities pietatem, & devotionem præsertim simplicium, quià rebus sub sensus exteriores cadentibus fortiùs moventur, quam per ea, quæ tantùm intellectu percipiuntur. Verùm quamvis ornatus Ecclesiarum sit actus religionis, & utilis vitiari tamen facilè potest ex defectu circumstantiarum, quæ influunt, est enim semper modus in rebus, si enim in Ecclesiis quis apponeret profanas imagines, quæ ad pravos affectus excitandos potiùs valerent, quam ad devotionem & amorem in Deum, accedendum procul dubio malus esset talis ornatus, & reprehensibilis. Pari pacto cum quis tenetur opitulari pauperi in extrema necessitate constituto, & præsertim parentes, vel filios, tunc pecunia non esset impendenda in ornanda ecclesia, sed in paupertate proximi sublevanda; ait enim Deus per Oseam 6. *Misericordiam volo non sacrificium*; & Marci 7. arguuntur Pharisæi, qui docebant filios familias offerre templo donaria cum detrimento parentum. Idque confirmatur exemplo Sanctorum Patrum, qui urgente pauperum necessitate, pretiosam ecclesiæ supellectilem, imò, & calices ipsos vendiderunt, ut alienis subvenirent miseriis; hinc D. Ambrosius lib. 2. de officiis cap. 28. ait: *Si tempore necessitatis Pastores rectè detrahunt ornamenta ecclesiæ, certè multo rectiùs non dantur, aut testamento non legantur, quæ essent auferenda, si data fuissent.* In urbibus locisque frequentioribus templa debent ornatiora esse, quàm ruri; ita tamen ut sacra supellex non sit fomentum curiositatis, sed incitamentum Pietatis.

Consuetudinem consecrandi ecclesias ab ipsis Apostolis derivasse in ecclesiam ad nostram usque ætatem est itidem certum, quia S. Clemens epist. 2. ad Jacobum fratrem Domini scribit Ecclesias præcongrua & utilia facite loca, quæ divinis precibus sacrare oportet, & in singulis Sacerdotes divinis orationibus Deo dicatos statuere, & hujus Consecrationis meminit etiam vetus testamentum, etenim Exodi 40. præcepit Deus Moysi, ut tabernaculum erigeret, illudque & omnia ejus utensilia ac supellex non solùm sacris precibus verum etiam olei sanctificationis unctione sacraret, adeo ut hæc consuetudo ecclesias consecrandi divina sit, eò quia à Deo instituta, & Moysi præcepta, quinimò etiam Salomon jussu Dei templum cum altari, & tota illius supellectile consecravit, 3. Reg. 6. quòd si quæ in veteri testamento contigerunt, fuerunt tantum umbræ figuræ, eorum quæ in lege evangelica erant exercenda; potiori jure Christiani templa, altaria eorumque vasa habere debent ritu solemni consecrata, non ad imitationem Judæorum, vel ex aliqua superstitione ut Novatores nobis objiciunt, sed ob fidem & reverentiam sacris debitam locis; quod vel ipso naturæ spiculo lumine, ac dictamine rationis naturalis cum novisset Jacob, legitur, Genes. 28. Erexit lapidem in titulum *fundens oleum desuper*; non solum lapidem, seu altare erexit, verum etiam oleo sacratum voluit, eò quia in

in Dei honorem erectum, quapropter cap. 33. *Erecto altari invocavit super illud Deum*, eò quia Ecclesiæ & altaria quæ Deo sacrantur sunt propriè loca, in quibus per fusas preces divinum invocamus auxilium ut nostris subveniatur infirmitatibus; & quamvis in evangelio non habeamus testes ita expressos & claros hujus consecrationis, nihilominus D. Paulus 1. Corinth. 11. Corinthios arguit velut Ecclesiæ contemptores, eò quia in illa comederent, quasi domos non haberent ex qua reprehensione liquet Apostolum supponere ecclesias esse Deo consecratas consequenter non debere in iisdem Christianos quidquam profani agere, sed preces tantum fundere & Dei majestatem, & excellentiam revereri, quod si ecclesiæ non fuissent tunc temporis Sacratæ ac Deo dedicatæ, D. Paulus Corinthios non comprehendisset ex eò præcisè quia in Ecclesia post sacram sumptam Synaxim comederent.

Rursus consecrationem Ecclesiæ provenire ex Apostolica traditione evinci potest ex eo, quod Areopagita cap. 6. de Eccles. Hierarch. asserit altaria sacro oleo intungi & consecrari debere ab Episcopo floruit autem S. Dionysius tempore Apostolorum, adeo ut mos fuerit ab Apostolis ipsis introductus quo Ecclesiæ ab Episcopis consecrarentur, hinc Felix II. alias dictus III. anno Christi 483. ordinaverit à solis Episcopis hanc fieri consecrationem & habetur in Concilio Bracharensi sub Honorio Papa I. anno 600. & in jure canonico can. 37. de consecrat. ubi habetur, *si quis Presbyter post interdictum hoc fuerit ausus chrismate benedicere aut ecclesiam, aut altaria consecrare à suo officio deponatur*, id enim officii, & muneris soli Episcopo injungitur, quatenus est imago, & figura Christi spiritualiter consecrantis. Rursus fit mentio hujus consecrationis *in can. Eccles. 16. quæst. 7. can. Ecclesia de consecrat. dist.* 1. & epist. 3. S. Clemens prohibet missas celebrari, nisi in locis Sacratis, eò quia Apostoli id à Christo acceperint, & nobis tradiderint, postea subdit nos docemus vobisque & omnibus tenere & docere, quibus agendum, mandamus, & Urbanus Pontifex domum S. Cæciliæ consecravit nomine ejusdem, ut ibi jugiter Sacra mysteria peragantur in laudem & gloriam Dei & in memoriam Virginis, & Martyris, ut habet Metaphrastes in vita S. Cæciliæ, & anno Christi 131. Marcellus Papa etiam consecravit domum Lucinæ in qua itidem divina agebantur mysteria.

Ritus autem, qui in consecratione Ecclesiarum adhibebantur, innuunt D. Bernardus serm. 6. de dedicatione, Walfridus Amalarius, Ivo Carnotensis de rebus eccles. & Serm. de Sacram. dedicat. Eccles. & alii plures prisci Authores. Primò cùm incipitur consecratio omnes ejiciuntur de ecclesia solo Diacono in ea remanente, & Episcopus cum Clero ante fores ecclesiæ aquam benedicit, cui sal admiscetur, & ad quandam baptismi imaginem circumeundo Ecclesiam exterius aspergitur, & quia more baptizatorum fieri non potest trina mersio, fit trina aspersio; Sal evangelicam doctrinam denotat ad eam conservandam, quia sicut sale aspersæ carnes reservantur à putedine, ita & doctrina evangelica ac benedictione immunis reservatur à quovis errore, & dum episcopus exterius Ecclesiam benedicit, intrinsecus duodecim cruces in parietibus depictæ luminare sigillatim habent, adeo ut qualibet crux sua speciali accensa candela illuminetur & significant hæc lumina, quod doctrina evangelica, & Apostolica in ecclesia consecrata promulgetur, & conservetur aliena à quovis errore interim Episcopus baculo pastorali pulsat januam Ecclesiæ, & cantatur antiphona: Attollite portas Principes vestras &c. & per hunc baculum pastoralem Sacerdotalis intelligitur potestas, quam Christus suis contulit Discipulis, & non semel tantùm Episcopus januam pulsat Ecclesiæ, sed ter, ut significetur hac trina percussione, quod Christi Ecclesiæ ac ejusdem Pastori potestas æcis, terræ, & inferiorum cedit, quapropter post hanc trinam percussionem janua Ecclesiæ aperitur, quatenus tali potestati nulla potest pars adversa resistere. Patente jam ad ecclesiam ingressu intrat Episcopus cum Clero, & populo proferens verba illa: Pax huic Domui quia populus, qui à Deo per peccata se averterat, ac ejus incurrerat inimicitiam per bonorum operum exercitia iterum Deo reconciliatur, & cum Episcopus ecclesiam fuerit ingressus statim ad orationem se confert; tenens typum eorum qui rudem populum incipiunt erudire, ac mysteria fidei docere. Hisce completis Episcopus super cineres sparsos in pavimento Ecclesiæ baculo pastorali alphabetum græcum ab uno angulo ad aliud describit & ab opposito latere ad alium angulum alphabetum latinum exarat, adeo ut ex utroque alphabeto crux efformetur, quæ lustrali aqua aspergitur, ut etiam totum templum; per hæc enim alphabeta, quorum primum de sinistro angulo ab oriente usque in dextrum angulum occidentis scribitur, & secundum à dextero angulo Orientis usque ad sinistrum occidentalem ecclesiæ consecrandæ, significantur initia, & rudimenta doctrinæ sacræ, quapropter scripsit D. Paulus ad Hebræos 5. *Rursus indigetis ut vos doceamini, quæ sint elementa sermonum Dei*; per figuram illam in pavimento descriptam figuratur crux Christi, & ut doctrina evangelica rudes & simplices imbuantur, & principaliter mors Christi eorum menti altiùs imprimatur, quapropter D. Paulus 1. Corinth. cap. 2. ait: *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Christum Jesum. & hunc crucifixum*. Præterea per duo illa alphabeta, quæ in unam crucis figuram uniuntur, collectio significatur utriusque populi Hebræi, & gentilis, quia sicut Christus dicitur lapis angularis utriusque parietem, seu utrumque populum judaicum & gentilem complectens simulque uniens, ita ecclesia omnes amplectitur ad baptismum, sive Ethnici, sive Judæi sint, quapropter Patriarcha Jacob filiis Joseph benedicens, Genes. 48. Cancellatis manibus effigiem crucis exhibuit, dexteram manum super Ephraim, & sinistram super caput Manasses posuit, ut significaret, quòd populus quondam dexter in sinistrum verteretur, seu populus hebraicus à Deo electus esset reprobandus, & populus gentilis eligendus, ac de sinistra in partem dexteram collocandus. Hisce peractis Pontifex ad altiora conscendit, & stans ante altare; ait: *Deus in adjutorium meum intende &c.* eò quia adhuc certet cum subditorum imperitia, & contradictione, proinde Dei implorat adjutorium. Suscipitur postea benedictio aquæ sale immixto, & cinere per aquam propriè significatur, Apocal. 17. Aquæ populi sunt; Sal doctrinam verbi divini significat, Levit. cap. 2. *In omni Sacrificio Sal offeres*. Quatenus nostra non placent Deo opera, si non condiantur divina sapientia, & gratiâ. Cinis etiam adhibetur, ut memoria refricetur Dominicæ passionis quæ signabatur per cinerem vituli, quo populus expiabatur aspersus, crux ter ducitur super aquam salem, & cinerem, quia cum fide divinitatis, & passionis fides alitur Trinitatis, & huic mixturæ vinum additur cum aqua, quia hæc duo geminam indicant naturam Christi humanam, & divinam in una tantùm persona divina. Et hæc secunda aspersio interiorum parietum

rietum non est supervacanea siquidem quidquid in exteriori significatione agitur superstitiosum est nisi in interiori homine compleatur postea sacerdos digitum imbuit aqua benedicta formans crucem per quatuor altaris cornua; altare siquidem figuram ecclesiæ præsefert eò quia per quatuor cornua distenditur. Ecclesia enim per quatuor mundi partes & cardines propagatur, ut ostendatur ecclesiam per lavacrum aquæ baptismi, & passionem Christi à qualibet macula, & sorde purgari, inde accedit ante altare quod septies aspergit; ut significetur plenitudo Spiritus Sancti, quia sicut circumeundo aspergit parietes templi ter ad significandum eum qui baptizatur non solum mundari à peccato originali, sed etiam à peccato cogitationis, locutionis, & operis, & interim cantatur Psalmus 60. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus.* nimirum ut illi virtute ac viribus destituantur, qui fidei adversantur sacramentis, quibus peractis Episcopus orat, & petit, ut omnes, qui eandem Ecclesiam oraturi intraverint gaudeant se exauditos esse. Completa expiatione Pontifex convertitur ad altare inchoans antiphonam cum Psal. 42. & effundit, quod superest de aqua purificationis ad basim altaris, quia munus Sacerdotis est, tota solicitudine prodesse gregi sibi concredito, & procurare ejus salutem; sic D. Paulus veluti ad basim altaris aquam fundens suos Domino commendabat Discipulos dicens Actor. 20. *Et nunc commendo vos Domino, & Verbo gratiæ ejus*, & postea extergitur linteo altare, lignum enim quia oritur de terra magnoque labore ex herba in linteum perficitur, & ad candorem perducitur significat Christi humanitatem seu carnem de terra ortam, & per angustias passionis ad honorem resurrectionis pervenientem, & sacerdos dum linteo altare detergit imitationem Dominicæ passionis mentibus imprimit adstantium, deinde incensum imponitur in thuribulo, ut significetur elevatio cordis per orationem ad Deum Psal. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.*

Rursus requiruntur necessario consecrationes altarium ex Concilio Africano *in cap. placuit.* Apponuntur autem Sanctorum Reliquiæ in altare, quod Symbolum est Christi, ut significetur quod Apostolus scribit ad Coloss. 4. *In ea abscondita est vita, & gloria Sanctorum*, & illud quod vidit Joan. in Apocal. cap. 6. *Vidit sub altari animas interfectorum propter verbum Dei, & clamabant voce magna dicentes usquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* Hinc D. Augustinus serm. 11. de Sanctis: *Videte quem locum Martyres apud homines mereantur qui apud Deum sub altari meruerunt*, & nonnullis interjectis subdit: *Rectè sub altari justorum animæ requiescunt, quia super altare corpus Domini offertur; nec immeritò illic justi vindictam sanguinis postulant, ubi etiam pro peccatoribus sanguis effunditur*; & S. Hieronymus contra Vigilantium ait: *Malefacit ergo Romanus Pontifex qui super mortuorum hominum Petri, & Pauli secundùm nos ossa veranda, secundùm te vilem pulvisculum offert Domino sacrificia;* Dein Pontifex oleo digitum imbuit, & crucis figuram describit in medio altaris, & super quatuor ejusdem angulos, quatenus Ecclesia priùs aquâ mundatur in fonte baptismatis, postea sacra unctione insignitur per manus Episcopi ut Spiritus Sancti in se mereatur adventum, Chrisma itidem denotat gratiæ plenitudinem provenientem ex Christi humanitate Psal. 44. *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis;* ait S. Cyprianus cap. 14. *Antiquitus Sacerdotes sacrabantur, & Reges, & ipsi altarium lapides delibuti Spiritualem intelligi volebant Sacris Ministeriis inesse pinguedinem.*

Altari consecrato chrismate unguntur duodecim cruces in parietibus ecclesiæ vel pictæ, vel ex lapide, vel metallo exhibitæ, & typum præseferunt Apostolorum, qui primitias Spiritus acceperunt, & crucis mysterium gentibus manifestare sategerunt. Absoluta hac consecratione albis velaminibus cooperitur altare, & iisdem pronuntiatur novitas hujus Sacramenti, & gaudium quod erunt fideles percepturi, cum senserint exauditas suas preces quas in ecclesia Deo fuderunt, Psal. 29. *Convertisti planctum meum in gaudium mihi*, tunc planctus in gaudium vertitur cum ad cœlestem patriam pervenimus, à qua nunc exulamus; absoluta consecratione Pontifex ex decreto Vigilii Papæ, ut etiam ex *can. de fabrica de consecrat. dist.* 1. missam celebrat non tamen missæ celebratio est de substantia consecrationis ut docet S. Antoninus 3. part. tit. 12. cap. 6. sequitur tandem ad perfectionem operis instrumentum dotationis; & redituum pro sartis tectis ecclesiæ consecratæ restauratione si opus fuerit & sustentatione Ministrorum eidem deservientium. Hinc Chrysostomus homil. 18. in Act. Apost. ait: *Quasi dicta uxore vel sponsa, vel sic erga ecclesiam affectus sis, dotem inscribe illi. Ita tibi benedictionis prædium multiplicabitur*, & habetur *in cap. Cum sicut de consecrat.*

Non solùm consuetudo semper fuit in ecclesia à tempore Apostolorum, verum etiam singulis annis solemne festum dedicationis ejusdem recoleret, & quidem per octo continuo dies ut habetur in decreto *can. Solemnitatis de consecrat. dist.* 1. quod etiam apud Hebræos servatum fuit post consecrationem, & erectionem tabernaculi *Numer. cap.* 7. ut etiam in solemni ædificio templi per Salomonem, 2. Paralip. cap. 7. ut etiam in reædificatione templi, quod pariter ab Esdra consecratum fuit, ut habetur 1. Esdræ cap. 6. & à Machabæis post restaurationem iterum consecratum 1. *Machab. cap. 4. v. 16.* & Christus ostensurus quàm sibi esset grata hæc solemnitas dignatus fuit divino suo aspectu eam honorare, *Joan. cap. 10. v. 22.* Hinc moris fuit ut fideles cum signis lætitiæ, & gaudii hoc imposterum celebraverint festum, ut refert Eusebius lib. 9. cap. 10. inquiens: *Festivitates à nostris frequentissimè gerebantur cum omni lætitia, & exultatione per urbes, & loca singula ecclesiarum decantatis dedicationibus*, & postea subdit: *Congregabantur in unum sacerdotes nec pigebat longè positos convenire, quia nullum videbatur spatium charitatis*, & mos iste etiam nunc viget in Germania. Testatur etiam Eusebius in vita Magni Constantini in consecratione templi ab ipso Jerosolymis extructi in monte Calvariæ & ait: Cum ingenti lætitia fuisse festum peractum, & de eadem solemnitate asserit S. Gregorius Nazianzenus orat. domin. Enceniis honorandis lex vetus est, eaque præclaro instituta. Cæterum semel ecclesia vel altare Deo consecratum adeo totaliter Dei cultui addicitur, ut non possit postea inservire profano usui, quia ut habetur Levit. cap. ult. *Quidquid semel fuerit consecratum Domino Sanctum Sanctorum erit*, & in decreto can. *ligna*, can. *altari pala* de consec. dist. 1. ubi locum semel Deo sacratum prohibetur in alium usum adhiberi quapropter S. Gregorius Nissenus lib. de sancto baptismo ait: *Altare hoc sanctum*

*cui*

*tui assistimus lapis est natura communis, nihil aliud differens ab aliis crustis lapideis ex quibus parietes nostri extruuntur, & pavimenta exornantur, nisi quod Dei cultui consecratum & dedicatum est.* Secundò introducta etiam fuit consecratio, ut denotetur Sanctitas requisita in his, qui tractant, seu recipiunt Sacramenta. S. Bernardus serm. de dedic. Eccles. ait: *Domus ista per manus Pontificis dedicata est Domino, propter nos sine dubio, qui non solum præsentes sumus, sed & eos qui usque in finem sæculi Domino sunt in hoc sæculo militaturi.* Imò etiam propter reverentiam, quæ locis sacris debetur, qua de causa Patriarcha Jacob è somno surgens post objectam sibi scalam, ait Genes. 28. *Quam terribilis est locus iste: vere non est hic alind nisi domus Dei, & porta cæli*, & Exodi 3. Deus monitum voluit Moysem properantem ad Rubum à se visum, qui cum flammis circumdaretur, nullum combustionis patiebatur detrimentum: *Solve calceamenta de pedibus tuis locus enim in quo stas, terra sancta est*: erat enim locus Deo dedicatus, ideoque voluit ut nonnisi nudis pedibus Moyses illum perambularet, ut nos doceret non ingredi ecclesias Deo dicatas, & consecratas, nisi pravis omnibus affectibus denudati, ne quid fit in nobis quod Deo possit displicere, & Levit. 26. Præcepit Deus ut nonnisi cum timore, & reverentia populus tabernaculum ingrederetur: *pavete ad Sanctuarium meum.* Rursus habetur consuetudo consecrandi ecclesias ut Dæmones inde longius expellantur ut refert D. Gregorius in Dialogis, & habetur in can. Arianorum de consecrat. dist.

Verùm præcipua ratio cur consecrentur ecclesiæ ea videtur esse ut locus sit Sanctus, Deo sacer, & orationes, quæ in illis funduntur facilius exaudiantur, ut observat D. Ambrosius de exorand. Virgini, & Salomon, 3. Reg. cap. 8. Deum enixim oravit inquiens: *Respice ad orationes servi tui & ad preces ejus ut sint oculi tui aperti nocte ac die super Domum de qua dixisti: & erit nomen meum ibi, ut exaudias deprecationem servi tui, & populi tui Israel, quotcumque oraverint in loco isto; & exaudies in loco habitaculi tui in cælo; & cum exaudieris propitius eris* ut plene exaudivit Deus orationem 2. Paralip. cap. 7. cum promittit se habiturum aures apertas ad audiendas orationes precantium: *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus qui in loco isto oraverit: elegi enim & sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.* Hoc autem à fortiori verum est in ecclesiis legis evangelicæ cui quarum templum Salomonis typus, & figura fuit quia in istis Christus in Sacramento Eucharistiæ erit semper verè, & realiter permansurus, ut ipse promisit, qui cum sit prima veritas non potest falli, nec fallere etenim Matth. c. 8. ait: *Ecce Ego vobiscum sum usque ad consummationem Sæculi.* Idenim de Christi hnmanitate, seu corpore sub speciebus panis, & sanguine sub speciebus vini exponunt Sancti Patres Chrysostomus *homil. 91. in Matth.* D. Prosper *lib. 1. de vocat. Gent.* & alii.

Sed dices, si in lege evangelica ecclesiæ consecrantur, & dedicantur Deo, adeo ut loca illa pertineant ad Deum speciali jure consecrationis, & donationis, cur permittit Deus loca sibi sacrata profanari ab hominibus, & subinde etiam deturpari, diripi, spoliari, soloque æquari adeo ut mœrens & lugens diceret Elias Propheta 3. *Reg. c.* 19. Quod petierit animæ ut moreretur, ea de causa quia ecclesiæ & altaria deturparentur, violarentur, ac destruerentur inquiens: *altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuas occiderunt*; Hinc David Ps. 73. *ut quid repulisti in finem, iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ? incenderunt ignem Sanctuarium tuum in terra, polluerunt tabernaculum nominis tuis.* Sed respondent Sancti Patres Deum nonnunquam permittere, ut ab hominibus sceleratis Ecclesiæ sibi dicatæ polluantur ac plura flagitia in iisdem perpetrentur, imò & spolientur, evertantur, ut fides credentium exerceatur, perinde ac permisit Deus in Ecclesia sua, ut Tyrannis persecutionem paterentur, & occiderentur Sancti Martyres, qui erant viva Dei Templa, ait enim D. Paulus ad Corinth. 3. *Templum Dei estis vos.* Rursus hæc permittit, ut peccatores & transgressores divinæ legis timore perciti terreantur, quia si propriæ domui Dei non parcitur, nec multò minus aliis quapropter D. Petrus epist. 1. cap. 4. ait: *Tempus est ut judicium incipiat à domo Dei, si autem primum à nobis quis finis eorum, qui non credunt?* sed præsertim ea de causa permittit Deus direptionem, spoliationem, desolationem, & eversionem ecclesiarum ob scelera præsertim ecclesiasticorum, ut ipse asserit per suum Prophetam Oseam cap. 9. *propter malitiam adinventionem eorum de domo mea ejiciam eos.* Scilicet ecclesiasticos meas inhabitantes ecclesias ob eorum scelera & avaritiam, quæ in Ecclesiasticis solet major esse. Hinc Apostolus 1. ad Timoth. cap. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis*, ut David prædixerat Psal. 18. *Si mei non fuerit dominati tunc immaculatus ero*, quasi maculæ ecclesiasticorum ex regimine oriantur Ecclesiarum, quatenus amore proprio ducti propriis commodis inhiant, unde Apostolus ad Philippens. cap. 2. *Omnes quærunt, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*, & propter peccata sacerdotum filiorum Heli arca à Philisthæis capta fuit. 1. Reg. cap. 3. & 4. & Rufinus plura congerit exempla quibus evincat ob scelera, & avantiam ministritium ecclesiis fuerint persæpe hæ dirutæ, spoliatæ, quasi econverso prudens Zelus & eorumdem Ministrorum piæ sollicitudo incolumes servat, & in iisdem divinum cultum auget; etenim propter Zelum Oniæ Summi Pontificis, & pietatem fuit templum Jerosolymitanum ab omnibus in summa habitum veneratione, adeo ut 2. Machab. cap. 3. *Ipsi Reges, & Principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent, ita ut Seleucus Asiæ Rex de reditibus suis præstaret omnes sumptus pertinentes ad ministerium sacrificiorum.*

Concurrunt etiam laicorum flagitia, & scelera ut ecclesia Christo dicata ab infidelibus, Turcis, Hæreticis, imò interdum etiam ab ipsis Catholicis templa evertantur, ut Deus olim minatus fuit Salomoni 2. Paralip. cap. 7. *Si autem aversi fueritis, & dereliqueritis justitias meas, & præcepta mea, & servieritis diis alienis: evellam vos de domo mea, quam dedi vobis, & domum hanc quam sanctificavi nomini meo, projiciam à facie mea, & tradam eam in parabolam & in exemplum cunctis populis, & domus ista erit in proverbium universis transeuntibus & dicent stupentes: Quare fecit Dominus sic terræ huic, & domui huic?* & adferens causam subdit: Quia dereliquerunt Dominum Deum, & apprehenderunt Deos alienos, & adoraverunt, & coluerunt eos, idcirco venerunt super eos universa hæc mala, quæ omnia postea adimpleta fuerunt cum Chaldæi sub Nabuchodonosore obsidione vallarunt Jerosolymam quam districto gladio occuparunt, nemini parcentes, nulli ætati, nulloque sexu domos spoliarunt incenderunt, & insigne templum ad quod conflue-

bant ex cunctis terræ partibus populi ad cultum Deo exhibendum, cui neque pepercerunt, sed Sanctuarium ingressi profanarunt, sacra supellectili spoliarunt vasa aurea, & argentea diripuerunt ut habetur lib. 2. Paralip. cap. 36. Et propter similia detestanda scelera restaurato Jerosolymæ templo ab Antiocho iterum eversum fuit, ut habetur 2. Machabæor. cap. 4. ubi habetur *non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit, ideoque & ipse locus particeps factus est populi malorum.* Cum igitur ex loco sacro nullus amplius Deo resultaret honor, ideo ejusdem desolationem permisit Deus. Pari pacto Ezechieli cap. 8. & 9. cum ostendisset Deus abominationes, quæ fiebant in templo præcepit Ministris, ut omnes occiderent, & inciperent à Sanctuario: hac de causa subtrahit Deus suam gratiam à populis, quibus denegat sua auxilia ad eorundem salutem opportuna, eò quia iisdem temere abutantur, ut refert Optatus Milevitanus lib. 6. contra Parmenionem, inquiens: *Cur vota hominum cum ipsis altaribus confregistis illic ad aures ascendere consueverat oratio populi? cur concidistis precibus viam, & ne ad Deum supplicatio de more solito ascensum haberet? impia manu quomodo scalam subducere laborastis.* Ad in felicii primam; ac ærumnosam hanc conditionem redacti sunt illi infelices, qui nunc sub Turcarum ac infidelium imperio gementes serviunt.

Verùm quamvis permittat Deus sua de tolari templa everti altaria, spoliari domos non propterea impunes profanatores relinquit etiam in hac vita, in qua pluribus modis pœnas luunt: ait Apostolus. 1. Corinth. cap. 3. *Si quis templum violaverit disperdet illum Deus*; etenim horum scelera æqualia sunt eorum, qui Christum crucifixerunt, de quibus ait Apostolus ad Hebræ. 6. *Rursus crucifigentes sibimet ipsis filium Dei, & ostentui habentes*, hinc Optatus Milevitanus contra Parmenionem cap. 3. ait: *Quid est tam sacrilegum quàm altaria Dei frangere, radere, & removere, in quibus vota populi, & membra Christi portata sunt? hoc modo Judæos estis imitati illi injecerunt manus Christi in crucem, à vobis percussus est in altari*, ideoque minatur Deus Chaldæis, Babyloniis, & Principi eorum Nabuchodonosori, quod deprædati fuerint, & combusserint S. templum Salomonis Jeremiæ cap. 50. & seq. & per Danielem cap. 4. *Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex: Regnum tuum transibit à te & ab hominibus ejicient te, & cum feris, & bestiis erit habitatio tua.* Neque feliciorem exitum sortita Antiochi impietas est, spoliatum templum Jerosolymitanum, siquidem in Persiam reversus, ex curru, quo vehebatur cadens omnia cujus ossa, & intestina confracta sunt, ex quibus fœtor exhalavit intolerabilis, ac turma ebullientium vermium scaturiebat, adeo ut moriens misericordiam à Deo quæreret, quam ob flagitia in ecclesiam patrata non invenit. 2. Machab. cap. 9. *Reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem*, & infra subdit: *Orabat autem scelestus ille Dominum, & non est misericordiam consecutus*, Diocletianus itidem ob direpta, ac spoliata fidelium templa spoliatus ipse fuit imperio, & vitam adactus privatam ducere usque ad annum 11. Constantini, quia Deus contemptores ecclesiarum impunes non relinquit, & cum lucem amisisset oculorum misserrimè ac infeliciter impiam animam exhalavit inter dolores corporis viscerum convulsiones, ut ex Zonora refert Cedrenus. Neque Minores pœnas ambo Juliani Principes ob spoliatas & dirutas Christianorum ecclesias, & fusum Martyrum sanguinem; primus enim Patruus Apostata & præses in Oriente dirissimis viscerum doloribus proptria excrementa fœtidissima ex ore evomebat, & impœnitens miserrimè obiit: alter verò Apostata, & Imperator à proprio circumvallatus exercitu ab ultrice, ac potenti Dei manu non ultione humana, sed lancea transfixus invisibili, dolorc ac ira percitus contra Christum collecto in suis manibus proprio sanguine, & oculis cælum aspiciens impiè dixit *vicisti Galilee vicisti*, quasi vellet temerarius Christum ad singulare certamen provocare, ut referunt Socrates, Sozomenus & alii, neque inde permittit Deus suam Ecclesiam ullum pati detrimentum, quia ut ait D. Hilarius lib. 7. de Trinit. *Ecclesia Sancta, dum persecutionem patitur, floret; dum opprimitur crescit, dum contemnitur proficit, dum læditur vincit, dum arguitur intelligit, & tunc stat, cum superari videtur* cui consonat S. Leo Papa inquiens: Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & dominicus ager segete vegetior vestitur dum grana quæ cadunt singula multiplicata nascuntur.

# CAP. IX.

## De Sacra Ecclesiarum supellectile, & Ministrorum vestibus.

Consuevisse fideles in primativa ecclesia ad splendidiorem Dei cultum Ecclesias Sacra supellectili ornare ex traditione Apostolica fatentur Sancti Patres, exemplo templi Jerosolymitani, quod pretioso non carebat ornatu, ut ex iis, quæ cadunt sub sensus surgat intellectus ad contemplanda cælestia quapropter Judaicus populus in hisce sensibilibus ornamentis visus est exultâsse, ut habetur Machabæ. 1. cap. 4. *Ornaverunt faciem templi coronis aureis, & facta est lætitia magna in populo.* Est autem constructio hujus sacræ supellectilis cultus latriæ, quæ soli Deo convenit, perinde ac construere ecclesias, ut ostendit D. Augustinus lib. 3. contra serm. Arian. & lib. 1. contra Marcion. quia æquè ædificatio ecclesiæ, ac constructio sacræ supellectilis, ac Ecclesiastici ornamenti dirigitur ad solius Dei cultum, cujus Majestatem, cum cæli non capiant, nititur terra in suis augustiis aliquam tanti luminis scintillulam exhibere, hinc Salomon 2. Paralip. cap. 2. ait: *Quis poterit prævalere, ut ei ædificem dignam domum, si cælum, & cæli calorum capere eum nequeunt? Quantus ego sum, ut possim ei ædificare domum?* cum enim cogitaret de templo Jerosolymitano construendo, ac mente secum volveret, qua forma, & magnitudine esset construendum, & considerans Dei Majestatem, quam cæli cælorum non capiunt visus est animo cecidisse nihilominus ut ejus cultus promoveretur in terris, quem ei exhibebant Angeli in cælis cum ejus Pater David ad hunc finem metalla congessisset lapides coacervâsset, & thesauros immensos cumulâsset, ob templi ædificium, ejusque supellectilem templum duxit

duxit extrui ad illam majorem magnificentiam, quam humana imbecillitas permitteret, hinc dixerat David ad Prophetam Nathan 2. Reg. cap. 7. *vides, quod ego habitem in domo cedrina, arca autem Domini posita est in medio pellium*, cum igitur Rex domum inhabitaret Cedrinam congruum erat templum erigere ad omnium magnificentiam, & ornatum, quodque esset figura Ecclesiæ novi testamenti in qua realiter Christus sub speciebus Eucharisticis existit, & colitur, & non arca, quæ tantum erat umbra tabernaculi Christianorum, ait enim S. Felix Papa & Martyr in epistola, quam direxit ad omnes Episcopos: *Si Judei, qui umbræ legis deserviebant & quibus Verbi patefacta est gratia & veritas per Jesum Christum data templa Domini ædificare & quanta cum diligentia ornare convenit.* Quin imò eò pretiosiori supellectili sunt ecclesiæ legis evangelicæ ornandæ quò templum veteris testamenti fuit tantùm umbra & figura illius, quapropter dixerat Deus per Isaiam cap. 60. *Domum Majestatis meæ glorificabo, & pro ære afferam argentum*, hinc Joannes videns Ecclesiam novi testamenti eam periait Sponsæ ornatæ Apocal. cap. 21. *Vidi civitatem factam Jerusalem novam descendentem de cœlo à Deo sicut Sponsam ornatam viro suo.*

Non tamen pretiosissima supellex est simpliciter & absolutè necessaria ad promovendum Dei cultum, quia absque auro, & argento possunt fideles eum ex toto corde amare, revereri, ejus excellentiam contemplari, & propriam imbecillitatem, ac vilitatem cognoscere, ajebat enim S. Achatius referente Surio lib. 3. *Deus noster non eget discis, nec calicibus aureis, quia non manducat, neque bibit*, gaudet magis Deus interno virtutum ornatu, quo Ministri Ecclesiæ splendent, & hæc ornamenta præfert externæ Ecclesiarum supellectili, hinc est quod Deus Genes. cap. 4. prius respexerit ad ipsum Abelem ejusque interiores virtutes, & ornatum in quo sibi bene complacuit *Respexit Deus ad Abel* postea ad ejus munera victimásque pingues, quas eidem immolabat, neinde *ad munera ejus*, hinc David, quem non latebat hæc Dei major complacentia de ornatu virtutum in Ministris Ecclesiæ ajebat: Domum tuam Domine decet Sanctitudo, hoc est, ut Ministri sancti fiut cultura virtutum vitæ innocentia morùmque Sanctitate, & quia populus Hebræorum sibi complacebat de templo ad omnem magni ficentiam Deo constructo, & dicato, & ejus præcepta habebat contemptui exclamabat Jeremias cap. 7. *Nolite confidere in verbis mendacii dicentes templum Domini est*, quæ verba explicans S. Hieronymus ait: *Præcepit nobis hodie, qui videmur in Ecclesia constituti, nec fiduciam habeamus in ædificiorum splendore auratis laquearis; & vestitis parietibus marmorum crustis.* Hinc si necessitas urgeat opitulandi pauperibus constitutis in necessitate, & ornandi Ecclesiam, vult Deus ut per exercitium charitatis pauperibus succurramus, & ornatum Ecclesiæ omittamus, ait enim Chrysostomus homil 81. in cap. 26. Matth. *Quæram utilitas est, quod mensa sit aureis calicibus plena, ipse verò pauper fame dispereat*, & D. Bernardus scribens ad Abbatem Guilielmum *O vanitas vanitatum, fulget Ecclesia in parietibus, & eget in pauperibus suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit*, & rectè, quia ut ait Apostolus 2. ad Corinth. cap. 14. Templum Dei estis vos, sunt enim fideles præsertim pauperes, & indigentes templum Dei, quod tunc illud ornamus, cum eorum indigentiis opitulamur, unde per Oseam cap. 6. ait: *Misericordiam volo non sacrificium*, seu ut indigentiis succurramus pauperum quod est misericordiam exercere in illos, & non pecunias impendere in ornatu ecclesiæ, ut explicat D. Ambrosius 2. offic. cap. 28. inquiens: *Melius fuerat, si vasa viventium servares, quam metallorum; aurum sacramenta non quærunt, ornatus sacramentorum redemtio est captivorum.*

Verùm si pauperes juxta eorundem conditionem vivant, neque urgentem habeant necessitatem, possintque absque erubescentia stipem quærere, sibique necessaria acquirere pro congrua sustentatione tunc non est privanda ecclesia suo decenti ornatu, neque destituenda sacra supellectili; quia Dei majestas, ac divinus cultus præferendus est hominum commodis, & pauperum indigentiis, quos si velint, vel labore, vel mendicando possunt à se propellere, sibique facile de necessariis prospicere: hinc Christus maximè sibi complacuit de pia unctione sibi præstita à Magdalena, quam contra detractores præfert mendicis, & laudat opus Magdalenæ Marc. 14. *Bonum opus operata est in me* quæ verba expendens Theophylactus ait: *Confundantur hoc loco, qui Pauperes Christi præferunt. Audiant quomodo Christus præferat sui curam pauperibus. Qui igitur abstulerit discum pretiorum, & cogit ut corpus Christi in vilio i penatur, prætexens scilicet pauperes, sciat, cujus partis sit.*

Sibi itidem complacet Deus de iis, quæ profanis inservierunt usibus, si ecclesiis offerantur, ut divino inserviant cultui, ut contigit Hebræis Exod. c. 12. qui ex divino instinctu detulerunt secum ex Ægypto vasa aurea, & argentea, vestesque pretiosas, quæ omnia cultui postea consecrârunt veri Dei unde Sapien. cap. 10. *Justi tulerunt spolia impiorum, & decantarunt laudem tuam domine* & in usum tabernaculi, cesserintque in sacram supellectilem, ac usum divini cultus, & præsertim mulieres, alacri animo, & lætantes obtulerunt aurea sua ornamenta, & gemmas quas secum detulerunt, & erat oblatio tam copiosa, ac prædives Exod. cap. 35. ut ubera necessitatem templi obtulerit: & Exod. 36. *Unde Artifices venire compulsi dixerunt Moysi plus offert populus, quàm necessarium sit. Jussit ergo Moyses præconis voce cantari, ne vir, nec mulier quicquam offerat in opere Sanctuarii; sicque cessatum est à muneribus offerendis, eò quòd oblata sufficerent, & superabundarent.* Esdras itidem lib. 2. cap. 8. & lib. 3. cap. 7. Luculenter scribit de donariis collatis à populo & Principibus in templi restaurationem, ac pro vasis, aliisque supellectilibus inservientibus ad cultum veri Dei & 1. Paralip. cap. 29. cum David accumularet thesauros impendendos in templi structura & ornata legitur *apud quemcunque inventi sunt lapides, dederunt eos in the sauros domus Domini*, & hoc pio religiosoque affectu duces & milites hebraici populi divino cultui consecrârunt spolia acquisita ex victoriis post devictos Madianitas, dixerunt Moysi Numer. cap. 31. *Offerimus in donariis Domino singuli. quod in præda auri potuimus invenire periscelides, armillas, annulos, dextralia, ac murenulas.* Cordi erat omnibus templi structura ejusque ornatus ut divinos cultus eo illustriori promoveretur splendore, quo affectus, & pietas populi major erat. Tametsi præfata omnia spolia profanis usibus inservivissent, imò & Ægyptiorum Idololatriæ adhuc grata fuerunt, eaque voluit in sui templi structuram, ac supellectilem consecrari.

Hæ-

Hæretici tamen in lege Evangelica vaſa ſacra, ac pretioſiſſimam ſupellectilem, quam rapuerunt in ſpoliandis Catholicorum Eccleſiis, vel in uſus profanos adhibuerunt, vel flammis conſumpſerunt, ut de Arianis Donatiſtis, Albigenſibus, & aliis fatetur S. Athanaſius in vita S. Antonii, & D. Chryſoſtomus in ſerm. de Babila, & longè iis deterior fuit Julianus Patruus Apoſtata qui Sacrarium ingreſſus Sacrilega manu pretioſa tranſilia, ſacramque ſupellectilem datam à Conſtantino & Conſt. ad ſplendidiorem Eccleſiæ cultum, nt refert Theodoretus lib 3. Hiſtoriar. cap. 11. per irriſum & contemptum illa verba protulit: *Ecce quam ſumtuoſis vaſis Filio Mariæ miniſtratur*, vocat Chriſtum Dominum filium Mariæ quem negavit verum eſſe Deum, ſecus apud Principes Catholicos munificentia in Deum & Cælites ſemper reſplenduit, & Religioſa pietas floruit, cum & Eccleſias ingenti ſumptu conſtruxerint, & pretioſa ſupellectili ornaverint, etenim fuiſſe ſacra vaſa pretioſa refert Damaſus in ſuo Pontificali ubi loquens de oblatis in cultum divinum ait: *Sixtus conſtituit, ut miniſteria ſive vaſa ſacrata non trangerentur niſi à Miniſtris Sacratis. Urbanus fecit Miniſteria omnia ſacrata argentea, patenas, argenteas viginti tres appoſuit, Sylveſter donavit Eccleſia Romana patenam argenteam penſantem libras viginti ex dono Auguſti Conſtantini. Donavit autem ſcyphos argenteos duos qui penſârunt ſinguli libras duas: calices miniſtrales quinque, patenam argenteam chriſmalem auro clauſam penſantem libras quinque*, & de hiſce donariis eccleſiæ oblatis loquitur Prudentius in vita S. Laurentis.

Cæterum vaſa ſacra plura recenſentur, quæ ornatui itidem Eccleſiæ inſerviunt, ut Scyphi, metretæ hydriæ, phialæ, pugilares, & plura alia recenſita ab Onuphrio in ſuo opere de interpretandis vocibus obſcuris eccleſiaſticis, & omnium eorum meminit Damaſus in ſuo Pontificali, ut etiam Bibliothecarius, quæ omnia pretioſitate & inſigni munditie in eccleſiiis fulgebant non ſine fidelium lætitia cum ab illo ornatu alicerentur ad laudes divinas ferventius iterandas, quapropter S. Chryſoſtomus homil. 3. ad Epheſ. & 61. ad populum Antiochenum ait: *Quia perſpicit vaſorum venerandam ſupellectilem undique terſam aquis perfuſam & tanto ſplendore refulgentem. Atque iis par eſt nobis animas eſſe puriores, ſanctiores, & virtutum ornamentis ſplendidiores.* Et D. Auguſtinus in Pſal. 113. Concion. 2. ait: *Sed enim & nos pleraque inſtrumenta, & vaſa ex hujusmodi materia vel metallo habemus in uſu celebrandorum Sacramentorum, quæ ipſo Miniſterio conſecrata Sancta dicuntur in ejus honore, cui pro ſalute noſtra inde ſervitur.*

Quod verò ſæcularibus laicis prohibitum eſſet tangere præfata vaſa ſacra, claret ex ſcripturis, præſertim Iſaiæ cap. 57. v. 11. ubi dicitur: Mundamini qui fertis vaſa Domini; & in Concilio Laodicenſi can. 21. habetur expreſſè hæc prohibitio; *Non oportet Subdiaconos licentiam habere in ſacrarium ingredi, & contingere vaſa Dominica.* Rurſus in Concilio Romano II. ſub Sylveſtro Papa can. 9. *Nullus Lector, & Oſtiarius ſacra vaſa contingat*; & in Concilio Agathenſi cap. 66. *Non oportet in ſacratos Miniſtros licentiam habere in Sacrarium ingredi, & contingere vaſa dominica.* Refert itidem S. Chryſoſtomus orat. de S. Babila, quod Julianus Patruus Apoſtata, eò quia auſus fuerit vaſa ſacra propriis manibus contrectare, ac in terram projicere, quaſi per contemtum, à vermibus abſumptus perierit anima & corpore. Et S. Gregorius Nazianzenus orat. 15. ad Arianos ait Quæ vaſa miniſterio ſacro deſtinata nec vulgi manibus attrectanda, iniquorum manibus dediſti? ſcilicet vel Nebuzardæ Coquorum Principi, vel Balthaſaro, qui malè in Sanctis poculis perbacchatus eſt; atque adeo dignas amentiæ ſuæ pænas luit. D. Ambroſius 2. offic. cap. 28. ait in neceſſitate pro redimendis captivis vaſa eccleſiæ etiam initiata confringere conflare, & vendere licet, opus eſt, ut de Eccleſia myſtici populi forma non exeat ne ad uſus profanos ſacri calicis miniſterium transferatur. Quòd ſi ſacra vaſa conculcare impium eſt non minus peccatum erit, ſi quis animabus ſibi ſubditis, quæ vaſa ſunt Dei non opitulabitur habetur enim apud Iſaiam cap. 52. *Mundamini qui fertis vaſa Domini*, quæ verba expendens S. Gregorius lib 1. Reg. cap. 56. ait: Domini vaſa ferunt qui proximorum animas ad interna Sacrificia perducendas in converſationis ſuæ exemplo ſuſcipiunt. Apud ſemet ipſum ergo quantum debeat mundari conſpiciat, qui ad æternitatis templum vaſa viventia in ſinu propriæ converſationis portat. Calices in primitiva Eccleſia fuiſſe in uſu refert Strabo apud Walfridum lib. de rebus eccles. cap. 24. ſed ſub illis initiis non erant ita pretioſi ut refert Rodolphus Tungrenſis de canonum obſervantia propoſit. 23. ubi ait: *Eccleſia Martyr, & Epiſcopus Bonifacius, ſi liceret in vaſis ligneis Sacramenta conficere?* reſpondit: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur: nunc è contra lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus*, ex quibus colligitur ſub primis illis Orientis Eccleſiæ initiis fuiſſe in uſu ligneos calices, verum quia Bibuli ſacro imbuebantur ſanguine, à Zephirino Papa circa annum Chriſti 198. lib. de Pontificibus Romanis in vitreos mutati ſunt, & habetur etiam illud D. Hieronymi ad Ruſticum cui ſcribit: *Nihil Exuperio ditius, qui corpus Domini linqus in caniſtro, & ſanguinem portat in vitro.* Et mos iſte conſecrandi calice vitreo, perſeveravit usque ad ætatem Gregorii Turonenſis, qui ait ob vitri fragilitatem ſtatutum fuit in Concilio Ariminenſi ut calices ex metallo conficerentur, & habetur cap. Ut calix de conſecrat. diſt. I. verum quia ex ſimplici metallo liquor ſoleret ingratum contrahere ſaporem, cæperunt in eccleſia calices marmorei fieri, quorum meminit Gregorius Presbyter in Theodoro Archimandrita Sicæorum, cujus ſupellex argentea nondum in cænobiis erat in uſu. Verum tempore D. Auguſtini cæperunt calices Donflari ex auro & argento; ſiquidem libro 3. contra Creſconium cap. 29. ait: *Calices duo aurei itidem calices ſex argentei in Cathenſi Eccleſia.* Hoc idem confirmant acta ſub Minutio Felice, quibus donatiſtæ ſacra inhibebantur profanare. Noſtris verò temporibus tenetur omnis Sacerdos in calice aureo, vel argenteo auro illito conſecrare, vel ſaltem in calice ſtanneo, ut habetur in Bulla Innocentii IV. ſuper ritibus Græcorum anno 11. ſui Pontificatus, neque noſtris temporibus ulli parcitur ſumptui ut calices pretioſiores ſint ac nitidiores, gemmis etiam ornantur, & ſi ſint argentei aurea Numiſmata picta, vel ſculpta inſeruntur, & aliis pretioſis lapillis ad uberiorem ſplendorem ornantur, & de hiſce picturis, & ornamentis calicum loquitur Tertullianus de pudicitia cap. 7. inquiens: *A parabolis licebit incipias, ubi eſt ovis*

*ovis perdita à Domino requisita; & humeris revecta, procedunt pictura ista calicum vestrorum, si in illis perlucebit, interpretatio illius pecudis.* Et ponderis ac ornatus calicum meminit Anastasius in Greg. inquiens: Hic fecit calicem aureum præcipuum diversis ornatum lapidibus pretiosis pensantem libras triginta: similiter & pateram auream pensantem libras octo & semis.

Quod etiam vinum aqua mystum consecraretur in primitiva Ecclesia ex traditione Apostolica refert D. Hieronymus de quæst. hebraicis. inquiens: *Vinum quod Deo in Sacrificio offerebatur aqua mixtum* erat, & loquitur de temporibus Apostolorum, & Lyranus in Isaiam 55. *Bibite vinum, quod miscui vobis, quia à Christo hac prædicantur, qui in unapersona divinitatam cum humanitate copulavit.* Quia verò aliqui abstinentes à vino sola utebantur aqua horis antelucanis convenientes ad Synaxim, hos gravissimè S. Cyprianus reprehendit epist. 63. ad Cæcil, eò quia Christus Dominus in genimine vitis consecraverit, unde erroris eos redarguit ut etiam Chrysostomus homil. 83. in Matth. eò quia in evangeliis legamus in genimine vitis, quæ vinum non aquam producit, imò eò processit nonnullorum simplicitas, ut in lacte consecraverint, quem errorem rejecit Concilium Bracharense III. ubi in procœmio legitur: *quidam in sacrificio Domini relati sunt, lac pro vino offerre: Eucharistiam quoque vino madidam pro complimento communionis credunt populis porrigendam.* Imò non desunt, qui etiam mel & lac. addiderint, quod prohibitum fuit per tertium canonem Apostolorum ubi legitur: *Si quis Episcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini, quam de Sacrificio instituit, alia quædam, puta aut mel, aut lac. aut pro vino siceram super altare obtulerit; ut qui contra ordinationem Domini faciat, deponitur.* Hoc idem etiam confirmat S. Marcus Evangelista in sua liturgia inquiens: *Similiter & calicem postquam cœnavit accipiens, factaque vini & aquæ commistione*, ex quo expressè asserit Christum Domini in institutione hujus sacramenti usum fuisse vino aquæ permixto hoc idem etiam affirmat S. Jacobus frater Domini in missa divina inquiens: Similiter postquam cænavit accipiens calicem, & permiscens ex vino, & aqua, & aspiciens in cælum, & sub illis initiis nascentis ecclesiæ consueverant fideles sub utraque specie communicare & hujus moris meminit D. Gregorius homil. 2. in evangel. inquiens: Quid sit sanguis agni non jam audiendo sed bibendo. Per fistulam enim vel calamum vinum de calice sugebant absque effusionis timore, & de hac fistula, seu calamo loquens Rhenanus scholiis in Tertulianum ait: *Non possunt celare studiosos antiquitatis Christianæ, laicos olim canna solitos haurire dominicum sanguinem è calice; quod mihi pridem indicavit Volius Abbas Augoniani Cœnobii erutum ex lib. Signor qui frequens extat apud Benedictinos, idem nuper reperit in primis Cathariaνorum constitutionibus Conradus Pellicanus, ubi prohibetur ne quidquam pretiosum possideant præter calicem argenteum, & fistulam, qua laici dominicum exobeant sanguinem.*

Calibus addebantur patenæ suam trahentes nomenclationem ex eo, quod pateant in superficie, ut censet Isidorus lib. 20. Orig. cap. 4. Inserviunt patenæ ad portandam hostiam consecrandam & consecratam transferendam ex corporali, & conflantur patenæ ex eadem materia sicut calices *cap. ut vasa de consecrat. dist.* 1. adeo ut quando erant in usu calices vitrei, vel lignei vel lapidei ex eadem materia fuerint etiam patenæ. Verum fuisse etiam sub illis initiis nascentis ecclesiæ calices & patenas etiam argenteas colligitur ex Damaso in pontificali cap. 28. unde calices, & patenæ licet in aliquibus ecclesiis ob paupertatem fuerint ex ligno vel lapide in aliis tamen calices fuerunt aurei & argentei, & quia calices, & patenæ immediatè serviunt sacrosancto missæ Sacrificio, ac immediatè recipiunt corpus Christi sub speciebus, paris & sanguinem sub vini speciebus, ideo ab Ecclesia sacra consecrantur unctione, quia tametsi non habeant capacitatem recipiendi gratiam, consequuntur tamen virtutem supernaturalem, per quam redduntur habilia ad divinum cultum, ut explicat D. Thomas 3. *p. q.* 83. *a.* 3. *ad* 3. & Deus præcepit Moysi Exodi cap. 40. assumpto Unctionis oleo; *Unges tabernaculum cum vasis suis ut sanctificentur*, seu qualitatem recipiant supernaturalem, ut apta sint usibus sacris.

In usu itidem sub illis ecclesiæ initiis fuit custodia, seu pixis, in qua particulæ consecratæ custodirentur ad communicandos fideles, ne ulla immundities unquam reperiatur in sacrario, & Clemens lib. 8. constit Apost. cap. 13. injungit Diaconis inferre in tabernaculum reliquias hostiarum inquiens; *Sumant Diaconi reliquias, & inferant in tabernaculum*, & Leo Papa ad Michaelem Imperatorem ait: Jerosolymis adesse Eucharistiam in pixide, pro advenis, ut semper parata sit volentibus eam sumere. Et in Pontificali lib. legimus Symmachum Papam altaribus duorum Basilicarum ciboria destinasse argentea, quæ vasa ad hunc finem fiebant, ut in iisdem hoc sacramentum conservaretur, quapropter in Synodo Turonensi, quam refert Brucardus lib. 5. cap. 9. ait: *Omnis Presbyter habeat pixidem aut vas tanto Sacramento dignum, ubi corpus Domini diligenter recondatur, ad viaticum recedentibus à sæculo*: & postea subdit: *Semperque sit super altare observata, & clausa propter mures & nefarios homines, & de septimo in septimum diem mutetur: ne fortè diu servata mucida fiat.* Quod etiam in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 20. statutum legimus, ut in cunctis Ecclesiis Eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conservaretur, & habetur *in can. si per negligentiam can. qui bene de consec. dist.* 2. Vocabantur itidem hujusmodi custodiæ postaphoria, nunc verò vocatur tabernaculum, vel ciborium.

Præter pixidem habebatur etiam in usu vas aliud, cujus forma orbicularis erat in altum protensa per modum parvulæ turris quo Sacramentum Eucharistiæ in publicis Orationibus exponebatur super altare, de quo vase loquens Gregorius Turonensis lib. 1. de gloria Martyrum cap. 86. ait: Accepta Turre Diaconus, in qua mysterium dominici corporis habebatur, ferre cœpit ingressusque templum eam altari supposuit.

Rursus fuit etiam in usu corporale ex lino purissimo, cui extenso in altari superimponitur calix, & hostia ante & post consecrationem, ut refert Alcuinus de divinis officiis cap. de celebrat. miss. quo nomine intelligitur etiam aliud parvum linteolum quo tegitur calix, & vulgo anima dicitur eò, quia includatur in corporati veluti anima in corpore, neque possunt corporalia, & animæ ut inserviant missæ ex alia materia fieri, quam ex lino non verò ex serico vel alia materia, ut habetur in Concilio Rhemensi cap. 3. *Corporale supra quod sacra oblatio immolatur ex mundissimo, & purissimo linteo sit, nec in eo alterius generis materia pretiosior aut vilior misceatur.* Et

Hæretici tamen in lege Evangelica vasa sacra, ac pretiosissimam supellectilem, quam rapuerunt in spoliandis Catholicorum Ecclesiis, vel in usus profanos adhibuerunt, vel flammis consumpserunt, ut de Arianis Donatistis, Albigensibus, & aliis fatetur S. Athanasius in vita S. Antonii, & D. Chrysostomus in serm. de Babila, & longè iis deterior fuit Julianus Patruus Apostata qui Sacrarium ingressus Sacrilega manu pretiosa transilia, sacramque supellectilem datam à Constantino & Const. ad splendidiorem Ecclesiæ cultum, ut refert Theodoretus lib 3. Historiar. cap. 11. per irrisum & contemptum illa verba protulit: *Ecce quam sumtuosis vasis Filio Mariæ ministratur*, vocat Christum Dominum filium Mariæ quem negavit verum esse Deum, secus apud Principes Catholicos munificentia in Deum & Cælites semper resplenduit, & Religiosa pietas floruit, cum & Ecclesias ingenti sumptu construxerint, & pretiosa supellectili ornaverint, etenim fuisse sacra vasa pretiosa refert Damasus in suo Pontificali ubi loquens de oblatis in cultum divinum ait: *Sixtus constituit, ut ministeria sive vasa sacrata non trangerentur nisi à Ministris Sacratis. Urbanus fecit Ministeria omnia sacrata argentea, patenas, argenteas viginti tres apposuit, Sylvester donavit Ecclesiæ Romanæ patenam argenteam pensantem libras viginti ex dono Augusti Constantini. Donavit autem scyphos argenteos duos qui pensârunt singuli libras duas: calices ministrales quinque, patenam argenteam chrismalem auro clausam pensantem libras quinque*, & de hisce donariis ecclesiæ oblatis loquitur Prudentius in vita S. Laurentis.

Cæterum vasa sacra plura recensentur, quæ ornatui itidem Ecclesiæ inserviunt, ut Scyphi, metretæ hydriæ, phialæ, pugilares, & plura alia recensita ab Onuphrio in suo opere de interpretandis vocibus obscuris ecclesiasticis, & omnium eorum meminit Damasus in suo Pontificali, ut etiam Bibliothecarius, quæ omnia pretiositate & insigni munditie in ecclesiis fulgebant non sine fidelium lætitia cum ab illo ornatu alicerentur ad laudes divinas ferventius iterandas, quapropter S. Chrysostomus homil. 3. ad Ephes. & 61. ad populum Antiochenum ait: *Quia perspicit vasorum venerandam supellectilem undique tersam aquis perfusam & tanto splendore refulgentem. Atque iis par est nobis animas esse puriores, sanctiores, & virtutum ornamentis splendidiores.* Et D. Augustinus in Psal. 113. Concion. 2. ait: *Sed enim & nos pleraque instrumenta, & vasa ex hujusmodi materia vel metallo habemus in usu celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso Ministerio consecrata Sancta dicuntur in ejus honore, cui pro salute nostra inde servitur.*

Quod verò sæcularibus laicis prohibitum esset tangere præfata vasa sacra, claret ex scripturis, præsertim Isaiæ cap. 57. v. 11. ubi dicitur: Mundamini qui fertis vasa Domini; & in Concilio Laodicensi can. 21. habetur expressè hæc prohibitio; *Non oportet Subdiaconos licentiam habere in sacrarium ingredi, & contingere vasa Dominica.* Rursus in Concilio Romano II. sub Sylvestro Papa can. 9. *Nullus Lector, & Ostiarius sacra vasa contingat*; & in Concilio Agathensi cap. 66. *Non oportet in sacratos Ministros licentiam habere in Sacrarium ingredi, & contingere vasa dominica.* Refert itidem S. Chrysostomus orat. de S. Babila, quod Julianus Patruus Apostata, eò quia ausus fuerit vasa sacra propriis manibus contrectare, ac in terram projicere, quasi per contemtum, à vermibus absumptus periit animâ & corpore. Et S. Gregorius Nazianzenus orat. 15. ad Arianos ait Quæ vasa ministerio sacro destinata nec vulgi manibus attrectanda, iniquorum manibus dedisti? scilicet vel Nebuzardæ Coquorum Principi, vel Balthasaro, qui malè in Sanctis poculis perbacchatus est; atque adeo dignas amentiæ suæ pænas luit. D. Ambrosius 2. offic. cap. 28. ait in necessitate pro redimendis captivis vasa ecclesiæ etiam initiata confringere conflare, & vendere licet, opus est, ut de Ecclesia mystici populi forma non exeat ne ad usus profanos sacri calicis ministerium transferatur. Quòd si sacra vasa conculcare impium est non minus peccatum erit, si quis animabus sibi subditis, quæ vasa sunt Dei non opitulabitur habetur enim apud Isaiam cap. 52. *Mundamini qui fertis vasa Domini*, quæ verba expendens S. Gregorius lib 1. Reg. cap. 56. ait: Domini vasa ferunt qui proximorum animas ad interna Sacrificia perducendas in conversationis suæ exemplo suscipiunt. Apud semet ipsum ergo quantum debeat mundari conspiciat, qui ad æternitatis templum vasa viventia in sinu propriæ conversationis portat. Calices in primitiva Ecclesia fuisse in usu refert Strabo apud Walfridum lib. de rebus eccles. cap. 24. sed sub illis initiis non erant ita pretiosi ut refert Rodolphus Tungrensis de canonum observantia proposit. 23. ubi ait: *Ecclesia Martyr, & Episcopus Bonifacius, si liceret in vasis ligneis Sacramenta conficere?* respondit: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur: nunc è contra lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus*, ex quibus colligitur sub primis illis Orientis Ecclesiæ initiis fuisse in usu ligneos calices, verum quia Bibuli sacro imbuebantur sanguine, à Zephirino Papa circa annum Christi 198. ub. de Pontificibus Romanis in vitreos mutati sunt, & habetur etiam illud D. Hieronymi ad Rusticum cui scribit: *Nihil Exuperio ditius, qui corpus Domini linqus in canistro, & sanguinem portat in vitro.* Et mos iste consecrandi calice vitreo, perseveravit usque ad ætatem Gregorii Turonensis, qui ait ob vitri fragilitatem statutum fuit in Concilio Ariminensi ut calices ex metallo conficerentur, & habetur cap. Ut calix de consecrat. dist. I. verum quia ex simplici metallo liquor soleret ingratum contrahere saporem, cæperunt in ecclesia calices marmorei fieri, quorum meminit Gregorius Presbyter in Theodoro Archimandrita Sicæorum, cujus supellex argentea nondum in cænobiis erat in usu. Verum tempore D. Augustini cæperunt calices Donstari ex auro & argento; siquidem libro 3. contra Cresconium cap. 29. ait: *Calices duo aurei itidem calices sex argentei in Cathensi Ecclesia.* Hoc idem confirmant acta sub Minutio Felice, quibus donatistæ sacra inhibebantur profanare. Nostris verò temporibus tenetur omnis Sacerdos in calice aureo, vel argenteo auro illito consecrare, vel saltem in calice stanneo, ut habetur in Bulla Innocentii IV. super ritibus Græcorum anno 11. sui Pontificatus, neque nostris temporibus ulli parcitur sumptui ut calices pretiosiores sint ac nitidiores, gemmis etiam ornantur, & si sint argentei aurea Numismata picta, vel sculpta inseruntur, & aliis pretiosis lapillis ad uberiorem splendorem ornantur, & de hisce picturis, & ornamentis calicum loquitur Tertullianus de pudicitia cap. 7. inquiens: *A parabolis licebit incipias, ubi est ovis*

*ovis perdita à Domino requisita, & humeris revecta, procedunt pictura ista calicum vestrorum, si in illis perlucebit, interpretatio illius pecudis.* Et ponderis ac ornatus calicum meminit Anastasius in Greg. inquiens: Hic fecit calicem aureum præcipuum diversis ornatum lapidibus pretiosis pensantem libras triginta: similiter & pateram auream pensantem libras octo & semis.

Quod etiam vinum aqua mystum consecraretur in primitiva Ecclesia ex traditione Apostolica refert D. Hieronymus de quæst. hebraicis. inquiens: *Vinum quod Deo in Sacrificio offerebatur aqua mixtum erat*, & loquitur de temporibus Apostolorum, & Lyranus in Isaiam 55. *Bibite vinum, quod mistum vobis, quia à Christo hac prædicantur, qui in una persona divinitatem cum humanitate copulavit.* Quos verò aliqui abstinentes à vino sola utebantur aqua horis antelucanis convenientes ad Synaxim, hos gravissimè S. Cyprianus reprehendit epist. 63. ad Cæcil. eò quia Christus Dominus in genimine vitis consecraverit, unde erroris eos redarguit ut etiam Chrysostomus homil. 83. in Matth. eò quia in evangeliis legamus in genimine vitis, quæ vinum non aquam producit, imò eò processit nonnullorum simplicitas, ut in lacte consecraverint, quem errorem rejecit Concilium Bracharense III. ubi in procemio legitur: *quidam in sacrificio Domini relati sunt, lac pro vino offerre: Eucharistiam quoque vino madidam pro complemento communionis credunt populis porrigendam.* Imò non desunt, qui etiam mel & lac. addiderint, quod prohibitum fuit per tertium canonem Apostolorum ubi legitur: *Si quis Episcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini, quam de Sacrificio instituit, alia quædam, puta aut mel, aut lac aut pro vino siceram super altare obtulerit; ut qui contra ordinationem Domini faciat, deponitur.* Hoc idem etiam confirmat S. Marcus Evangelista in sua liturgia inquiens: *Similiter & calicem postquam cœnavit accipiens, factaque vini & aquæ commixtione*, ex quo expressè asserit Christum Domini in institutione hujus sacramenti usum fuisse vino aquæ permixto hoc idem etiam affirmat S. Jacobus frater Domini in missa divina inquiens: Similiter postquam cœnavit accipiens calicem, & permiscens ex vino, & aqua, & aspiciens in cælum, & sub illis initiis nascentis ecclesiæ consueverant fideles sub utraque specie communicare & hujus moris meminit D. Gregorius homil. 2. in evangel. inquiens: Quid sit sanguis agni non jam audiendo sed bibendo. Per fistulam enim vel calamum vinum de calice sugebant absque effusionis timore, & de hac fistula, seu calamo loquens Rhenanus scholiis in Tertulianum ait: *Non possunt celare studiosos antiquitatis Christianæ, laicos olim canna solitos haurire dominicum sanguinem è calice; quod mihi pridem indicavit Volius Abbas Augoniani Cœnobii erutum ex lib. Signor qui frequens extat apud Benedictinos, idem nuper repperi in primis Cathariano rum constitutionibus Conradus Pellicanus, ubi prohibetur ne quidquam pretiosum possideant præter calicem argenteum, & fistulam, qua laici dominicum exobeant sanguinem.*

Calibus addebantur patenæ suam trahentes nomenclationem ex eo, quod pateant in superficie, ut censet Isidorus lib. 20. Orig. cap. 4. Inserviunt patenæ ad portandam hostiam consecrandam & consecratam transferendam ex corporali, & conflantur patenæ ex eadem materia sicut calices *cap. ut vasa de consecrat. dist.* 1. adeo ut quando erant in usu calices vitrei, vel lignei vel lapidei ex eadem materia fuerint etiam patenæ. Verum fuisse etiam sub illis initiis nascentis ecclesiæ calices & patenas etiam argenteas colligitur ex Damaso in pontificali cap. 28. unde calices, & patenæ licet in aliquibus ecclesiis ob paupertatem fuerint ex ligno vel lapide in aliis tamen calices fuerunt aurei & argentei, & quia calices, & patenæ immediatè serviunt sacrosancto missæ Sacrificio, ac immediatè recipiunt corpus Christi sub speciebus, paris & sanguinem sub vini speciebus, ideo ab Ecclesia sacra consecrantur unctione, quia tametsi non habeant capacitatem recipiendi gratiam, consequenter tamen virtutem supernaturalem, per quam redduntur habilia ad divinum cultum, ut explicat D. Thomas 3. *p. q.* 83. *a.* 3. *ad* 3. & Deus præcepit Moysi Exodi cap. 40. assumpto Unctionis oleo; *Unges tabernaculum cum vasis suis ut sanctificentur*, seu qualitatem recipiant supernaturalem, ut apta sint usibus sacris.

In usu itidem sub illis ecclesiæ initiis fuit custodia, seu pixis, in qua particulæ consecratæ custodirentur ad communicandos fideles, ne ulla immundities unquam reperiatur in sacrario, & Clemens lib. 8. constit Apost. cap. 13. injungit Diaconis inferre in tabernaculum reliquias hostiarum inquiens; *Sumant Diaconi reliquias, & inferant in tabernaculum*, & Leo Papa ad Michaelem Imperatorem ait: Jerosolymis adesse Eucharistiam in pixide, pro advenis, ut semper parata sit volentibus eam sumere. Et in Pontificali lib. legimus Symmachum Papam altaribus duorum Basilicarum ciboria destinasse argentea, quæ vasa ad hunc finem fiebant, ut in iisdem hoc sacramentum conservaretur, quapropter in Synodo Turonensi, quam refert Brucardus lib. 5. cap. 9. ait: *Omnis Presbyter habeat pixidem aut vas tanto Sacramento dignum, ubi corpus Domini diligenter recondatur, ad viaticum recedentibus à sæculo*: & postea subdit: *Semperque sit super altare observata, & clausa propter mures & nefarios homines, & de septimo in septimum diem mutetur: ne fortè diu servata mucida fiat.* Quod etiam in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 20. statutum legimus, ut in cunctis Ecclesiis Eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conservaretur, & habetur *in can. si per negligentiam can. qui bene de consec. d. st.* 2. Vocabantur itidem hujusmodi custodiæ postaphoria, nunc verò vocatur tabernaculum, vel ciborium.

Præter pixidem habebatur etiam in usu vas aliud, cujus forma orbicularis erat in altum protensa per modum parvulæ turris quo Sacramentum Eucharistiæ in publicis Orationibus exponebatur super altare, de quo vase loquens Gregorius Turonensis lib. 1. de gloria Martyrum cap. 86. ait: Accepta Turre Diaconus, in qua mysterium dominici corporis habebatur, ferre cœpit ingressusque templum eam altari supposuit.

Rursus fuit etiam in usu corporale ex lino purissimo, cui extensoin altari superimponitur calix, & hostia ante & post consecrationem, ut refert Alcuinus de divinis officiis cap. de celebrat. miss. quo nomine intelligitur etiam aliud parvum linteolum quo tegitur calix, & vulgo anima dicitur eò, quia includatur in corporati veluti anima in corpore, neque possunt corporalia, & animæ ut inserviant missæ ex alia materia fieri, quam ex lino non verò ex serico vel alia materia, ut habetur in Concilio Rhemensi cap. 3. *Corporale supra quod sacra oblatio immolatur ex mundissimo, & purissimo linteo sit, nec in eo alterius generis materia pretiosior aut vilior misceatur.* Et

solet institutio corporalium adscribi S. Sylvestro Papæ, & per Gratianum *in can. consulto de consecrat. dist.* 1. ubi dicitur *Consulto omnium statuimus, ut Sacrificium altaris non in serico, aut tincto panno quisquam celebrare præsumat, sed in puro linteo, ab Episcopo consecrato terreno, scilicet lino procreato, atque contexto:* & subditur etiam ratio, quia sicut corpus Domini nostri Jesu Christi in Syndone linea, & munda sepultum est, ita corporalia, quæ inserviunt in missa immediatè corpore Christi non ex alia conveniens est materia esse contexta quàm ex lino & Alcuinus addit aliam rationem quia sicut linum per multos sudores & passa tormenta pervenit ad candorem, perinde Christus multis affectus passionibus migravit ex hoc sæculo & ad candorem resurrectionis, ac mortalitatis perductus est, perinde qui Christi corpus præsumit recipere per plures labores bonorum operum debet se nitidum, ac candidum constituere. Fuerunt itidem in primitiva Ecclesia alia linteamina in usu, quæ extendebantur super altaria in superficie plana, ubi sacrum offertur sacrificium, & similiter in texta ex lino ac debent in altari munda esse nitida, & alba, ut puritas designetur sacerdotum accedentium ad altare, ut declarat Concilium Rhemense relatum à Buccardo cap. 97. ubi dicitur: *altaria in quibus corpus dominicum consecratur & sanguis ejus hauritur cum omni veneratione honoranda sunt, & mundissimis linteis, & palliis cooperienda.*

Moris etiam fuit in primitiva ecclesia, ut anterior pars altaris, quæ populo oranti in ecclesia apparet, ornaretur pannis sericis vel etiam argento vel auro intextis, quinimo hujusmodi ornatus præceptus itidem fuit à Deo in veteri testamento cap. 4. *Nec non altare aureum involvet hyacinthino vestimento:* & hæc ornamenta à S. Clemente epist. 2. ad Jacobum dicebantur vela, quasi velaret, ac cooperirent Sancta Sanctorum, ut præceperat Deus Moysi & habet Glossa in *cap. Altaris de consecrat. dist.* 1. ubi comprehenduntur nomine pallii, eò quia cooperiant anteriorem partem altaris. Hinc Concilium Rhemense relatum à Buccardo *lib.* 3. *cap.* 47. & Concilium Toletanum 13. relatum in *can. quocunque* 26. *q.* 5. graviter punit expoliantes altaria eorum palliis excepta die Jovis, & die Veneris hebdomadæ Majoris, quæ spoliatio etiam nunc fit ab ecclesia ad recolendam memoriam Christi in sua passione expoliati, vel etiam in signum mæstitiæ, & moeroris, ob Christi passionem, ut referunt Amalarius & Rupertus Abbas, De divinis officiis lib. 5. cap. 30. Imo consuetudo itidem erat, ut altaria spoliata vino & aqua lavarentur, & abstergerentur, qui ritus etiam hodie servatur Romæ in Basilica S. Petri in cæna Domini post preces matutinas, & hic ritus antiquissimus fuit quia cumultare significet Christum, qui de latere suo lancea perforato, sanguinem & aquam effudit, quæ prima sunt nostræ salutis elementa, sanguine enim redemti sumus, & aqua abluti, hinc in sacrificio missæ vino utimur mixto aqua ex Christi institutione, quia si sanguis fuit pretium nostræ redemptionis aqua fuit origo nostræ ablutionis seu Baptismi: Moris etiam plerisque in Locis erat, quod feria quinta nudarentur altaria & sequenti die, quæ est parasceve lavarentur, id enim magis congruit evangelico ordini, quia feria sexta Christus lancea perfossus sanguinem fudit, & aquam. Fasciculis ramusculorum hispidorum, quibus lavabantur altaria affusa aqua ad flagella alludebant, quæ Sacri corporis Christi percusserunt membra, referente Ruperto Abbate de divinis officiis lib. 5. cap. 37. Pallia, quibus partes anteriores altarium cooperiebantur, aliquo debuerunt splendere colore, ut habetur in rubrica missalis de coloribus paramentorum, & hi colores præcipuis quatuor erant, *albus*, adhibendus in diebus lætitiæ Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ resurrectionis, ascensionis, festis B. Virginis, Sanctarum Virginum, Confessorum. *Rubeus* in diebus Pentecostes, & Martyrum, *Viridis* ab octava Epiphaniæ usque ad septuagesimam, & ab Octava Pentecostes usque ad Adventum Domini, quia cum sit color viridis symbolum spei, aliarumque virtutum debet hæc virtus semper in nobis florere, & nunquam arescere. *Violaceus* in diebus mæstitiæ, seu in Adventu, quadragesima, & pervigiliis. Hisce quatuor præcipuis coloribus additur etiam Niger in die parasceves, missisque defunctorum. Alii colores ad quatuor expressos reducuntur.

Debet itidem in Ecclesia adesse tabernaculum, in quo decenter servetur sacramentum Eucharistiæ, ut statuitur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur in cap. *statuimus*, de custodia Eucharistiæ, ubi legitur: *Statuimus ut in cunctis ecclesiis Chrisma, & Eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conservetur*, Dicitur tabernaculum quia instar domicilii & tabernaculi inserviat, in quo Sacro-sanctum corpus Christi asservatur inclusum, quod si tabernaculum Moysis includebat arcam testamenti, quæ fuit figura Eucharistiæ, ut notant Hilarius in *Psal.* 31. Cyrillus *Tract.* 4. *in Joan.* potiori jure in ecclesia evangelica debet tabernaculum decenter ornatum adhiberi, in quo sacramentum Eucharistiæ asservetur. Et S. Clemens *lib.* 8. *constit. cap.* 13. vocat locum istum sacrarium eò, quia nil sit sanctius, nec magis sacrum, quod possit in ipso includi, quàm Christus Dominus, imò vocatur etiam ab eodem pastophorium, quæ vox interprete D. Hieronymo in cap. 40. Ezechiel significat habitationem Principum, & sacerdotum, & quia Christus à David e Psal. 109. dicitur *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, recte etiam pastophorium dicitur à D. Chrysostomo homil. 42. in Act. Apostol. nominatur etiam ciborium eò quia verus cibus spiritualis ad reficiendum animam in illo asservetur; ait enim Christus: *Caro mea verè est cibus*, quod verò ad situm, in quo sit tabernaculum collocandum Synodus Turonensis II. sub Pelagio I. can. 3. statuit, ut corpus Domini in altari non in armario, sed sub crucis titulo componatur, quod etiam Cardinalis Baronius ad annum Christi 570. refert de S. Felice Episcopo Bituricensi. Cæterum moris est, ut tabernaculum collocetur ad majus altare, quamvis nihil de hoc sit statutum, sed tantum S. Clemens 2. constit. Apostol. cap 57. præcipit tabernaculum collocandum in aliquo ex his altaribus quod ad Orientalem partem vergitur, & versus quam consueverunt fideles se vertere Deum adoraturi, Cæterum potest tabernaculum erigi in quocunque altari dummodo fiid at decenter cum splendore munditia, & ornatu quo altare illud, in quo Venerabile Sacramentum asservatur, ab aliis distinguatur. Asservabatur Eucharistia intra tabernaculum ut præsto esset fidelibus volentibus communicare ut notat S. Cyrillus epist. ad Concil. Carthaginense. Et ut parata semper esset Eucharistia, ut posset deferri ad infirmos, ut habetur in Con-

Concilio Wormaciensi relato in can. Presbyter de consecrat. dist. 2. ubi dicitur *Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam; ut quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine Communione moriatur.* Et rursus ut ibi Christus sub illis speciebus adoretur & amor divinus accendatur.

Missale etiam habetur inter supellectilem Ecclesiæ, quia sine illo non possunt Sacerdotes missam celebrare cum in ipso præscriptæ sint cæremoniæ servandæ in oblatione sacro sancti sacrificii, & in eodem continentur orationes, Lectiones evangelia versiculi, & alia ordinata ab Ecclesia in missa celebranda à quapropter eà liber suam desumsit nomenclationem, & hic liber adhiberi debet præsertim in secretis, & essentialibus canonis immediatè ordinati ad consecrationem neque excusaretur à peccato, si quis in hoc deficeret; ut etiam in evangelio epistola, & similibus, quia memoria labilis est. Hinc Concilium Augustanum cap. 18. ait: Sacerdos missam cum reverenda modestia clarè & distinctè legatusque ad canonem, ut qui adstat quod legitur intelligat, & ad pietatem excitetur. Hujus libri qui missalis dicitur institutorem fuisse S. Petrum Apostolum asserunt Proculus Constantinopolitanus *Tom.* 4. Bibliothecæ Sanctorum Patrum, & S. Isidorus *de offic. divin. lib.* 1. *cap.* 15. qui etiam verbis Consecrationis essentialibus addidit orationes, cæremonias, ritusque particulares in celebratione observandos, & ajunt eosdem commendasse S. Clementi Papæ Martyri, ut potest colligi ex ejus Constitutionibus Apostolicis *lib* 7. *cap.* 25. & *lib.* 8. *cap.* 15. quos ritus idem Clemens scriptis consignatos Romanæ tradidit Ecclesiæ, ut etiam refert Cardinalis Baronius ad annum Christi 102. & liber iste qui missalis dicitur à pluribus summis Pontificibus, præsertim à Gelasio, ampliatus fuit, sed à S. Gregorio Magno postea restrictus & correctus, ut ipse testatur *lib.* 7. *regist. cap.* 63. Et tandem à Pio IV. ut refert Concilium Tridentinum sess. 25. de indice Missalis, & Breviarii iterum reformatus fuit.

Inter supellectilia ecclesiæ recensetur etiam Pulpitum, in quo divinum verbum habetur ad Populum dicitur etiam suggestus à Concilio Laodiceno cap. 15. & in eminenti Ecclesiæ loco erigebatur ut adstantes commodius possent concionatorem audire, unde Isaias cap. 40. *super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam*, quinimò in quibusdam ecclesiis consuetudo inolevit, ut in iisdem pulpitis evangelium caneretur, sed in solemnioribus tantùm missis ex prisco ritu, ut refert Cassiodorus lib. 10. cap. 4. histor. Et etiam nunc extant Romæ aliquot Ecclesiæ, in quibus duo adsunt pulpita ex lapidibus, in quorum uno concio habebatur ad populum, & in altero evangelium legebatur, ut observari potest in Ecclesia S. Clementis, S. Pancratii, & S. Laurentii extra muros, ubi pulpita sunt in eminentiori loco collocata, quia ut, ait David. in Psal. 83. *Ascensiones in corde suo disposuit*, & Christus Matth. cap. 5. videns turbas ascendit in montem: *Et accesserunt Discipuli ejus & aperiens os suum docebat eos.*

Præter pulpitum collocabantur etiam in Sacris templis sedilia pro Ministris Ecclesiæ Cantantibus divina officia & etiam pro fidelibus adstantibus ut etiam solium Episcopi in medio positum, ut ex utroque latere sederent Presbyteri. Consueverunt etiam prisci fideles Ecclesias mundas & puras conservare, & ab iisdem omnem arcere immunditiem, & araneorum telas excutere, & sacerdotes, ac ecclesiarum custodes in id incumbere studii ut parietes, laquearia, altaria, columnæ, pavimentum, & reliquia nitida, & munda essens ut scribit D. Hieronymus ad Heliodorum de morte Nepotiani epist. 3. *Erat ergo sonitus si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si Janitor creber in porta, vela semper in ostiis, si secretarium mundum, si vasa luculenta, & in omnes cæremonias pia sollicitudo disposita. Non minus non majus negligebat officium ubicunque eum quæreres in ecclesia invenires.* Et nonnullis interjectis addit: *Hoc idem possumus de isto dicere, qui Basilicas ecclesiæ, & Martyrum diversis floribus, & arborum ramis vitiumque pampinis adumbraret; & quidquid placebat in ecclesia tam dispositione, quàm visu Presbyteri laborem & studium testaretur.* Et D. Ambrosius 2. *offic. cap.* 21. ait: Maximè sacerdoti hoc convenit ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hos cultu aula Domini resplendeat; quin moris itidem fuit, ut in festis solemnioribus Peristromata serica, & etiam acu picta parietibus templi appenderentur, ad innuendam sanctæ Ecclesiæ futuram gloriam in Christi Regno à festorum solemnitatibus nobis repræsentatam; hinc Christus sibi exhibuit Sponsam non habentem maculam, neque rugam, ut notat Rupertus Abbas *de divinis offic. lib.* 2. *c.* 23.

Ad divinum cultum etiam pertinet ut præter altarium, et totius Ecclesiæ supellectilem vestes sacræ ad ordines Sacramentales exercendos exhiberentur, quod Deus præcepit Moysi Exodi cap. 29, 31. & 40. *Applicabis Aaron & filios ejus, & lotos aqua indue sacris vestibus, ut Ministrent mihi*, & per Ezechielem cap. 44. *Cum ingredientur sacerdotes portas atrii interioris, & vestibus lineis induentur, & non sanctificabunt populum in vestibus suis.* Has vestes speciales pertinentes ad sacerdotes decentius Sancta Ecclesia præcipit, ex Christi, & Apostolorum traditione, qui has vestes instituerunt proprias Sacerdotum, ut declarat Concilium Tridentinum sess. 22. *cap.* 5. Hujusmodi enim vestes oportuniores censentur in lege nova propter excellentiam sacrificii, ut notat Ivo Carnotensis *epist.* 124. quinimò vestes, quibus sacerdotes veteris testamenti utebantur, figuræ erant, & umbræ illarum, quæ in lege evangelica adhibent Sacerdotes ut asseruit Origenes *homil.* 11 *in cap.* 20. Hinc Anacletus Papa quintus à Divo Petro, hoc est, Apostolis fere contemporaneus, supponit sacra vestimenta Sacerdotum jam antea fuisse decreta & præcipit Episcopis ut Ministros habeant sacris indutos vestimentis in fronte, & à tergo, & à tergo, & Eusebius l. 5. Histor c. 24. ait: Similibus vestibus fuisse usum S. Joannem Evangelistam, idque propter reverentiam Deo, & ecclesiis debitam, scribit enim S. Stephanus Papa epist. 1. ad Hilar. *Vestimenta vera ecclesiastica, quibus cum Domino ministratur, cultusque divinus omni cum honorificentia, & honestate, à sacerdotibus, & reliquis Ministris celebratur, sacrata esse debent, & honesta, quibus aliis in usibus cum Deo ejusque servitio consecrata, & dedicata sint, nemo debet frui quam in ecclesiasticis, Deoque dignis officiis.* Tum quia vestes sacræ mysticè significabant functiones, quæ exercentur, & sanctos mores Ministrorum, ut notat Origenes *hom.* 11. *in c.* 20. *Levit.* Vestimenta sancta dicuntur, si ergo intueamur quo sensu hæc omnia Sancta vocata, advertemus sunt, quomodo etiam nos operam dare debemus, ut sancti esse possimus. Et Innocentius ait atten-

*attendat ergo sacerdos studiosè ut signum sine significato non ferat*, sed D. Thomas 3. p. q. 83. art. 3. & 2. 2. q. 102. art. 4. ait: Pium, & resplendentem apparatum externum excitare & extollere mentes adstantium ad contemplandas res divinas hinc Deus præcepit Moysi Exodi 28. *Faciesque vestem sacram Aaron fratri tuo in gloriam & decorem* unde Ecclesiæ præsules, aliique fideles principes in id incubuerunt studii, ut vestimenta sacerdotalia munda essent ac pretiosa, ut refert Joannes Diaconus lib. 2. de vita Gregorii Magni cap. 57. de quo refert copiosas transmisisse in Angliam hujusmodi vestes, & de Magno Constantino refert Theodoretus lib. 2. histor. cap. 27. Qui pretiosis hujusmodi vestibus omnes providerat Ecclesias per ipsum extructas, ut etiam de Carolo Magno narrat Sigebertus, quòd splendidissimas vestes donaverit Ecclesiis, quibus Sacerdotes in sacris peragendis uterentur.

Hinc sacræ vestes ab iis distinguuntur, qui in usu communi sunt extra Ecclesiam primo ob mysticam figuram præscriptam à sacris ritibus, scilicet quòd stola sacerdotalis sit stricta circa palmi mensuram ad eo ut Collum cingat deinde usque ad genua tanquam fasciæ extendatur, & etiam de aliis vestibus sacris: altera ratio moralis est, quia habitus addicti sunt divino cultui per quandam benedictionem, ritumque specialem ut habetur in Exod. *Cumque tuleris de oleo unctionis asperges Aaron, & vestes ejus, & filios & vestimenta eorum.* Et hæ binæ formæ adeo necessariæ sunt in sacris functionibus, ut nemo sacerdos in aliis quibuscunque vestibus quamvis benedictis possit celebrare sine gravi noxa. Rursus hæc vestimenta semel applicata, & dicata ad Dei cultum non possunt in profanum usum adhiberi, neque Ecclesiastici extra Ecclesiam possunt iisdem uti, id enim prohibuit Deus per Ezechielem cap. 44. *Cum egredientur exterius ad populum exuent se vestimentis, quibus ministraverant, & reponent ea in gazophylacio Sanctuarii, & vestient se vestimentis aliis* Hoc idem etiam præcipitur in can, vestimenta de consecrat. dist. 1. imò non solum vestes sacerdotales, sed nec vasa Deo dicata debent in profanos usus adhiberi ut statuit Concilium Agathense can. 66. & habetur etiam in epistola Soteris Papæ ad Episcopos Italiæ, ubi Pontifex scribit: *Sacratas Deo fæminas vel Monachas sacra vasa vel sacratos pannos penes vos contingere, & incensum circa altaria deferre perlatum est ad Apostolicam sedem.* & infra *quapropter hac omnia resecare vobis funditus, quantocyus poteritis censemus.*

Quod si hujusmodi vestes sacræ corruptæ vel vetustate consumptæ fuerint neque tunc adhibendæ sunt in profanum usum, sed potius comburendæ & destruendæ, & earum cineres etiam occultandi, ut injungit Clemens Papa 1. epist. 2. ad Jacobum fratrem Domini: *Altaris pala, Cathedra, pala, candelabrum velum si fuerint vetustate consumpta incendio dentur, & eorum cineres baptisterio inferantur, ubi nullus transitum habeat; aut in pariete, aut in fossis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur.* In repurgandis itidem seu lavandis sacris vestibus cautio aliqua adhibenda est, ne inde sequatur ulla sacrorum vestium profanatio; ait enim præfatus Papa Clemens in epist. 2. ad Jacobum fratrem Domini: *Pelvis nova comparetur, & præter hoc nihil aliud tangat, sed nec ipsa pelvis velis usurpetur lavandis, nisi qua ad Dominici altaris cultum pertinent,* vult enim in propriis vasis vestes sacerdotales, si sordes contraxerint, repurgari.

Adsunt etiam alia peculiaria vestimenta quibus Clerici utuntur in divini cultus functionibus ut parva tunica non ultra genua extensa ex lino compacta, & inservit ministrantibus Sacramenta quæcunque, & hac tunica etiam induuntur qui prima insignuntur tonsura & desumitur ex 1. Reg. cap. 2. ubi Deus dixit: *Elegi eum portare Ephod coram me.* Solent hæ parvæ tunicæ ex lino construi, vel simili materia, ut si maculas contraxerint facilè possint abstergi, ut etiam præcepit Deus Exodi cap. 28. *Filiis Aaron tunilas lineas parabis in gloriam & decorem,* & Levit. cap. 16. prohibetur Sacerdoti, *ne ingrediatur Sanctuarium quod est intra velum, nisi hac fuerit tunica linea vestitus*, & 1. Reg. cap. 2. *Puer Samuel templo non inservivit, nisi hac parva tunica indutus. Samuel autem ministrabat Domino puer accinctus Ephod lineo.* Dalmaticis induuntur Diaconi, & Subdiaconi, de quibus Amalarius ait lib. 2. de eccles. offic. cap. 22. Dicitur Dalmatica, eò quia proprium esset Dalmaticorum indumentum, & quamvis usus Dalmaticarum supponatur institutus à S. Sylvestro Papa, cum antea Diaconi & Subdiaconi Colobiis uterentur; fuit enim colobium vestis sine manicis, quo significabatur fideles paratos semper esse debere ad exercitia bonorum operum, & cum nuditas brachiorum culparetur, usus Dalmaticarum à S. Sylvestro Papa inventus est, adeo ut per additionem manicarum exhibeat hoc Sacrum indumentum figuram crucis, moneatque indutos Dalmaticis debere mundo esse crucifixos, ac asserere cum Apostolo: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*: quia largitas brachiorum hilaritatem significat Donatoris, ejusque largitatem in beneficiis dispensandis: quod usus Dalmaticarum inventus fuerit à beato Sylvestro Papa refert S. Damascenus in vita S. Sylvestri Tom. 1. Concil. ubi ait: *Et hoc constituit, ut Diaconi Dalmaticis in ecclesia uterentur, & pala linostima læva eorum tegeretur.* Usus Dalmaticarum tantummodo diebus festis, & lætitiæ habetur in ecclesia non verò diebus mæstitiæ adventus & quadragesimæ, eò quia ratio sublimium Sacramentorum nonnisi postquam glorificatus fuerit Dominus Jesus, & Spiritus S. advenit: Discipuli deferre potuerunt.

Vestimenta sacerdotibus legis evangelicæ communia in missis celebrandis sunt omnibus, quo collum undique cingimus adeo ut per amictum intelligatur castigatio vocis, quæ è collo procedit hinc David Deum rogabat, ut non delinqueret in lingua. *Ut non delinquam in lingua mea posuisti ori meo custodiam*, cooperitur etiam amictu caput instar galeæ, quapropter profert Sacerdos verba illa: *Impone capiti meo galeam salutis. &c.* Alii volunt amictum significare velum quo Christi facies in ejus passione velata fuit, ut narrat S. Lucas *velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus.* Post amictum Sacerdos albam induit, seu camisiam laxam, & oblongam ex lino, vel cannabe subtili compacta, est que valde conformis sacerdotali vestimento Moysis, de quo habetur in Exod. cap. 28. & quamvis in veteri testamento alba esset stricta, & in novo laxa, id procedebat, quia in veteri Sacerdotes adstricti erant spiritu servitutis, & in novo Sacerdoties fuerunt à Christo redemti pretio sui sanguinis, & libertate donati albedo hujus vestis denotat Christi divinitatem, qua fuit Christus candor lucis æternæ, & speculum sine macula: significat

iti-

itidem, ut sacerdotis operationes sint omni tempore puræ, candidæ, absque macula culparum Ecclesiast. cap. 9. *Omni tempore vestimenta tua sint candida*, vita enim Sacerdotis pura, candida, & sancta esse debet. Ad albam sequitur cingulum, quo tunica talaris restringitur, ne laxè diffluat per pedes, & discretionem designat omnium virtutum, quæ sine discretione vitia sunt, virtus enim extrema declinat, & medio gaudet. Rursus cingulum lumbos stringit Sacerdotis, ut sint cultores Castitatis, & ne relicto virtutum cursu ipse etiam terrestris concupiscentiæ sordibus pollutus vilescat, rursus manipulum adhibent sinistro brachio, quod substitutum fuit cuidam mantili, quo in primitiva Ecclesia utebantur Sacerdotes ad abstergendas lachrymas ex oculis, ac sudorem ex fronte, & humiditates fluentes ex ore & naribus, dum ipsi in altari celebrarent; portatur in manu sinistra, ut ostendatur in hac vita nos obnoxios esse tædio superflui humoris, seu carnalis delectationis, quam tenemur coërcere, & exsiccare; est enim sudor corpori nostro tædium. Post manipulum induunt sacerdotes stolam, quod nomen quamvis sumi soleat pro quolibet vestium genere, quo pacto Rex Pharao dicitur induisse Josephum stola byssina. Genes. cap. 41. & 45. *Vestivitque illum stola byssina, ut prepositum esse scirent universa terra Ægypti*, attamen apud Catholicos in lege evangelica sumitur stola pro habitu Sacerdotali apposito collo Sacerdotis. Dicitur etiam in sacris canonibus orarium, ut *in cap. Monacho* 27. *q.* 1. *can. Non oportet. can. Ministrum, dist.* 23. hinc Alcuinus de divin. offic. cap. 38. ait: *Orarium, id est, stola dicitur, eo, quod Oratoribus, seu Prædicatoribus conceditur; & admonet eum, qui illo induitur, ut memor sit sub Christi jugo quod leve & suave est, se esse constitutum.* In ecclesia igitur æque sacerdotes ac Diaconi utuntur stola, hoc tamen discrimine, quod Diaconi in sinistro tantùm humero eam ponunt, ut statutum fuit in Concilio Toletano IV. cap. 39. *Orarium oportet Levitam gestare in sinistro humero propter quod orat, id est, prædicat, dexteram autem partem habere liberam, ut expeditus ad ministerium Sacerdotis discurrat.* Sacerdotes verò stolam deferunt æqualiter super utrumque humerum ex Concilio Bracharensi, & habetur in can. Ecclesiastica dist. 23. *Ut omnis Sacerdos cum ordinatur, orario utroque humero ambiatur, ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter, & utrumque humerum premens signum in suo pectore præferat crucis*, & addit etiam Concilium hujus moris rationem subdens: *Ut qui imperturbatus præcipitur consistere inter prospera, & adversa virtutum, semper ornamento utroque circumseptus appareat humero.* Ut etiam refert idem Concilium Bracharense, *ut quod quisque percepit in consecratione honoris, hoc retineat & in oblatione.* Alii volunt stolam significare virtutem obedientiæ, & jugum servitutis, quod Christus portavit usque ad mortem; ait enim Stephanus Eduensis de sacrificio altaris cap. 10. stola circumdata collo ad anteriora descendens significat obedientiam Filii Dei, & jugum servitutis, quod pro salute hominum portavit; obedivit Patri usque ad mortem crucis, & subjecit se servituti, quod etiam voluit Rupertus Abbas de divinis officiis lib. 1. cap. 21. Cæterum ex usu Ecclesiæ stola significat immortalitatem, & vitam gloriæ, quapropter Sacerdos, cum illam induit, ait: *Redde mihi Domine stolam immortalitatis.* Post stolam sacerdos casulam induit, quæ vox per diminutionem à casa, eò quia totum hominem tegat, quasi esset parva casa, & hanc vestem Sacerdotalem Græci vocant planetam ob frequentes & varias ipsius mutationes instar planetæ, qui semper errat, & hæc vestis exterior cætera omnia indumenta interiora tegit, & servat, & potest charitatem significare, quæ cæteris omnibus supereminet virtutibus, ut enim ait Apostolus ad Colos. 3. super omnia autem hæc charitatem habentes, quæ est vinculum perfectionis, propterea novum sacerdotem dum Episcopus vestit, profert verba illa: *Accipe vestem Sacerdotalem, per quam Christus intelligitur*; qui ex amore humani generis voluit homines pretio sui sanguinis redimere; partes enim duæ casulæ duo denotant præcepta charitatis, scilicet amorem Dei & proximi: *Diliges Dominum Deum tuum, & proximum sicut te ipsum.* Alii asserunt per binas partes anteriorem, & posteriorem casulæ, seu planetæ significari duas Ecclesias, per posteriorem veteris testamenti, & per anteriorem novi.



# LIBER QUARTUS.

## De Sacris Imaginibus earumque cultu, & invocatione Sanctorum.

DIsseruimus in præcedentis libro de ecclesia ejusque supellectili, ac Ministrorum indumentis, superest nunc agendum de sacris imaginibus, quæ pingi solent, vel etiam sculpi in lapide, vel rudi in metallo; hanc consuetudinem sacras pingendi imagines antiquum esse ex traditione Apostolica habemus, eò quia in lege veteri præcepit Deus Moysi imagines Cherubin pretioso cudi metallo, Exodi 25. *Duos quoque Cherubin aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi; utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus.* Rursus Numer. cap. 21. jussit Deus fieri serpentem æneum ponendum pro signo; alloquens enim Moysem dixit: *Fac serpentem aneum, & pone eum pro signo. Fecit ergo Moyses serpentem aneum.* Et has imagines cum jussu Dei formatæ fuerint, nemo erit tam impudens, ut ausus fuerit eas impugnare, & D. Basilius ex Apostolorum traditione processisse venerationem sacrarum imaginum testatur inquiens: Historias imaginum illarum honoro, & palam adoro; hoc enim traditum à Sanctis Apostolis non est prohibendum; quamvis postea Judæi in imagines excanduerint, quæ in ecclesiis Christianorum populorum cultui exhibentur, ac propterea vocent templa Christianorum domos idololatriæ, ut legitur in suo Talmud, seu disciplina judaica, & prodiit Babylone anno Christi 476. quem Gregorius IX. anno 1230. jussit tradi flammis, Turcæ itidem ex Machometi instituto nullas habent imagines, quibus cultum exhibeant, & itidem Christianos redarguunt idololatriæ. Imo anno Christi 756. Leo Isauricus Imperator edictum promulgavit, ut sacræ imagines ubique delerentur, & crudelem itidem persecutionem in propugnatores eorundem movit, quam ejus filii successivè continuarunt usque ad annum 787. Verùm facto postea aliquo interstitio in hoc bello contra imagines illud renovavit Leo V. Imperator cognomento Armenus, qui & ipse Christianorum dirus fuit persecutor, & Ariani Iconoclastæ, & alii Hæretici bellum indicentes sacris imaginibus eas evertere, ac funditus delere adnixi sunt, ut etiam alii posteriores Hæretici, ut Waldenses, Wiclefitæ, Brussiani sacras oppugnârunt imagines, & etiamnum nostris temporibus in easdem sæviunt Calvinistæ, qui & ipsi Catholicos ob cultum imaginum de idololatria criminantur; sed ex historiis evidenter constat fuisse Iconoclastas severè punitos à Deo vindice tantæ impietatis; siquidem narrat Palmerius in sua historia ad annum 761. exorta lue periisse Constantinopoli trecenta millia hominum, eò quia traditæ fuerint flammis sacræ imagines, & ut referunt Paulus Diaconus & Zonora, Imperator Græcorum paulo post imperium perdidit occidentis; siquidem Leo III. Papa anno 800. transtulit Imperium ab Oriente in Occidentem, quod devolutum voluit in Carolum Magnum, quem Romæ ipsemet consecravit Imperatorem totius Occidentis, & in hac tragœdia Iconomachia ultima fuit desolatio Orientalis Imperii, quod postea à Turca occupatum fuit.

CAP.

# CAP. I.

## De nomine, differentia, & usu imaginis & Idoli.

UT Hæreticorum pravitatem, & pertinaciam coerceamus, explicanda est, quænam sit vera imaginis, & idoli, ac simulacri significatio; siquidem Novatores nullam adhibentes distinctionem hæc tria unum & idem esse asserunt, cum tamen hæc tria maximo differant discrimine, imò quamvis ex natura rei nulla probaretur distinctio, & usu tamen scripturæ, & Sanctorum Patrum Idolum semper in malam partem sumitur, scilicet pro repræsentatione seu imagine falsæ Deitatis; quapropter cum versemur circa materiam religionis, nomen usurpandum est juxta sensum Sanctorum Patrum; siquidem applicatio vocis persæpe à propria significatione ad alia trahitur, sic hoc nomen tyrannus significat supremum & Dominum, & postea translatum est ad significandum hominem crudelem, sitientem alterius sanguinis, vel Principem qui alienum occupavit statum, quem pro sua voluntate gubernat, adigitque subditos ad parendum suis imperiis. Martyr itidem significat testem, & tamen translatum est hoc nomen ad significandum eos, qui pro Christi fide tormenta patiuntur, cruciatus, & mortem; verba enim data sunt ad placitum hominibus, & ad exprimendos mentis conceptus, suntque de institutione hominis, quæ tantùm significant, quantum homines simul conveniunt, ut hoc nomine unum vel aliud significetur. Verùm quamvis voces dicantur esse ad placitum in ordine ad significandum hoc vel illud, adhuc discrimen inter imaginem, & idolum in eo consistit, quia imago est vera similitudo alicujus rei, ut cum pingitur in pariete vel tela homo, vel equus, illa pictura est imago hominis, vel equi; eò quia imitetur hominem vel equum quoad constitutionem totius corporis, partitionem membrorum, & distinctionem specificam, quæ intercedit inter hominem, & equum; adeo ut imago ab ipsa imitatione suam deducat denominationem; idolum verò sit falsa similitudo repræsentans id, quod revera non est, ut cum gentiles per fusas statuas vel simulacra repræsentant Jovem, Martem, Junonem, Palladem, & alia Numina, quæ sibi imaginantur vera esse, & existere cum de facto non sint, neque esse possunt, & hoc esse discrimen inter imaginem, & idolum ex eo liquet, quia scriptura nunquam tribuit nomen idoli, veræ imagini, sed tantùm Ethnicorum simulacris, etenim D. Paulus ad Colos. 1. vocat filium Dei imaginem Patris, non verò idolum Patris. Rursus 3. Reg. cap. 6. Salomon dicitur construxisse ad ornatum templi imagines boum, Leonum, palmarum, & tamen hujusmodi imagines nunquam dicuntur idola, eò quia similitudines erant rerum existentium, & ferarum, hinc Theodoretus q. 38. in Exod. ait: Repræsentationes rerum non subsistentium dici idola; & Sanctus Hieronymus cap. 7. Oseæ loquens de idolis notat idolum opponi Deo perinde ac mendacium veritati. Cum igitur idolum sit simulacrum repræsentans falsum ut verum, seu quod non est ac si esset, & Numen putatum tale, cum revera tale non sit, sequitur imagines Christi beatissimæ Virginis, & Sanctorum non esse idola, cum repræsentent res veras & revera existentes in cœlis; hinc nec Sanctissimæ Trinitates, nec Angelorum imagines possunt idola dici, quia hujusmodi imagines non fuerunt depictæ, ad repræsentandam naturam Trinitatis vel Angelorum, sed ad exhibendam formam, in qua Sanctissimæ Trinitatis personæ, & naturæ Angelorum per signa sensibilia, & corporalia nostro captui accommodata nobis repræsentarent objecta Spiritualia, quæ minimè sub nostros sensus cadunt. Hinc Gregorius Nazianzenus in laudem Heronis asserit, quòd quando pinguntur Angeli, qui sunt natura spirituales, delineantur sub forma elegantis adolescentis, cui vestis candida, & splendida adaptatur, cujus facies sit hilaris, & ad modestiam composita, ut significetur angelica puritas, & gloria.

Quòd si significationem imaginis ex divinis velimus desumere scripturis Exodi 20. & Deuter. 5. ex textu hebræo habetur vox *Pesel*, quæ nunquam assumpta est in bibliis neque usurpata ab Hebræis ad significandam imaginem siquidem Genes. 1. cum Deus ait: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, non ponitur *Pesel* ad significandam imaginem, sed *Temounah*, vel *Thora* vel *Thesem*, quod communiter & frequentius usurpatur. Et Genes. cap. 5. v. 3. dicitur: *Vixit autem Adam centum & triginta annis, & genuit ad imaginem, & similitudinem suam, Betsalmo*, & cap. 9. v. 6. *Quicunque effuderit sanguinem humanum fundetur sanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Betsalmo imago dicitur ab imitatione quatenus imago imitatur objectum cujus est imago, ut ait Festus, unde Pesel idem est, ut 70. Interpretes vertunt ac idolum, quapropter ex scripturis imago ab idolo distinguitur. Et hebraicè *Elil* significat simularcum vacuum, spectrum, & phantasma, estque diminutivum vocis *El*, seu Deus fortis, vel ut alii interpretantur est vox negativa, quasi dicatur *al el* non Deus, non fortis, unde nomine idoli nunquam in scripturis significatur verus Deus quia repræsentat, quod non est, & imago id quod est, & hoc discrimen adeo est notabile, ut imaginem cum idolo confundere idem sit, ac significare duo contradictoria esse & non esse; siquidem per idolum significatur Nomen quod non est, nec unquam fuit, nec erit, & per imaginem Dei in homine significatur verus Deus, qui semper fuit, est, & erit.

Hinc apparet quàm perperam Novatores confundant nomen imaginis cum idolo, neque possunt ulla excusari ignorantia. Novatores hoc discrimen rejicientes, eò quia dicant, fuisse inventum in ecclesia à Catholicis; siquidem origenes discipulus Clementis Alexandrini, ipsiusque in ecclesia publica Alexandrina successor, quique docuit anno Christi 225. & obiit septuagenarius anno 256. expresse hanc differentiam, & novit, & docuit; imò & D. Paulus 1. Corinth. 8. illam scripsit inquiens: *Scimus, quia nihil sit idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi unus.* Ideo Apostolus ait: Idolum nihil esse immundum, quia repræsentat Numen, quod non existit in mundo, & tamen colitur ut Deus, cum unus tantùm sit Deus Creator cœli & terræ, & præter ipsum nullus alius sit Deus, hinc Concilium Nicænum II. anathematizat impugnantes sacras scripturas circa idola inquiens: *Quicunque sententias sacræ scripturæ de idolis contra venerandas imagines adducunt, anathema*

*incur*

*incurrunt, ut etiam qui venerandas imagines idola appellant.* Alioquin si imago & idolum idem omnino essent, Deus ex ipsa scriptura comprobaretur idolorum factor, & author; siquidem scriptura apertè pronuntiat primam efformasse sui imaginem creatam in productione hominis, hebraicè enim semper legitur *Tibenem*, & non *Pesel*, & quia homo Dei imaginem & similitudinem non refert in corpore, sed tantùm in anima, tot Deus efficeret idola, quoties infunderet in corpora humana animas, quas crearet, quod quam falsum sit & blasphemum nemo potest ignorare.

Neque obstat, si dicas idolum & imaginem esse sub eodem genere signi, consequenter sicut omne idolum est imago, perinde quævis imago dici debet idolum; sed contra, quia catenus idolum, & imago sunt sub eodem genere signi, quia instituta fuerunt ad repræsentandum aliquod relativum, sed inde non sequitur sub eodem genere signi non distingui specifice est enim de ratione generis plures sub se continere species, sicut anima, quod est genus comprehendit distinctas species Leonis, equi canis, quæ distinguuntur inter se, cum Leo non sit equus neque canis, unde quamvis idolum & imago sint sub eodem genere signi, perinde ac Leo, & canis sub eodem genere animalis, non sequitur idolum esse imaginem, sicut nec quod Leo sit canis, vel equus. Tum quia species imaginis determinat genus ad repræsentationem rei verè existentis, seu habentis esse reale; Idolum verò determinat ad repræsentandum, quod non habet esse reale, & objectivè est nihil, quapropter imago & idolum non sunt synonyma; Alioquin si imago dicatur idolum, eò quia comprehendatur sub eodem genere, posset quis etiam asserere hominem esse Angelum, quia sub eodem genere substantiæ, rosam esse lilium, quia sub eodem genere floris, aurum esse cuprum, vel ferrum, quia sub eodem genere metalli, leporem esse bovem, quia sub eodem genero animalis aquilam esse passerem, quia sub eodem genere volatilium, quæ omnia quam sint absurda, omnes facilè dignoscunt.

Quòd verò ad nomen attinet simulacri est nomen paulo communius & magis ambiguum, nam Lactantius lib. 6. de vero cultu cap. 6. & 26. vocat hominem Dei simulacrum, & lib. 2. de Origine erroris cap. 2. ait simulacrum dici à similitudine; consequenter omnem veram imaginem juxta sententiam Lactantii posse dici simulacrum. Sed contra quia communiter Doctores docent simulacrum dici à simulando non à similitudine, nam in scripturis simulacra ubique pronuntiantur pro idolis, adeo ut quæ latinè dicuntur simulacra, græcè dicantur idola, hinc Hieronymus in cap. 7. Oseæ ait: ita opponi simulacrum Deo, perinde ac mendacium veritati, quia simulacrum falsum Deum refert, & Poëtæ ipsi loquentes de umbris ajunt esse simulacra, eò quia videantur esse corpora solida, cum in se nihil sint.

Quamobrem usus sacrarum imaginum licitus est & sanctus in Ecclesia Catholica à qua arcentur idola, seu ficta simulacra Deorum. Quod verò sacræ imagines licitè exhibeantur in Ecclesiis probatur ex scriptura Exodi 25. Dixit Dominus ad Moysem: *Facies duos Cherubin aureos ex utraque parte Oraculi.* Ubi S. Hieronymus in cap. 41. Ezechielis intelligit duas statuas, seu imagines aureas, quæ duos Angelos Cherubinos repræsentarent Num. 21. *Fac serpentem aneum, & pone eum pro signo*; 3. Reg. 6. etiam Salomon dicitur posuisse in Sanctuario imagines Cherubinorum factas ex lignis olivarum. Cæterum in textu hebræo persæpe fit mentio *Teraphin*, Oseæ 3. quæ vox interprete S. Hieronymo significat omne genus figuræ, & imaginis sculptilis. Et Paraphrastes Chaldæus exponit *Tesalmania*, seu simulacrum, & græcè figuram sculptam significat; ex quo oritur hanc vocem esse æquivocam, & indifferentem ad repræsentandam imaginem profanam, vel sacram & quoties in ecclesia exhibetur imago, ut colatur significat repræsentatum sacrum, & beatum in cœlis, hinc in septima Synodo Generali, cui interfuerunt Episcopi 354. Act. 6. de sacris imaginibus: *Non est pictorum adinventio imaginum factura, sed catholica ecclesia approbata legislatio, & traditio &c. testimonium perhibet ipsa rerum antiquitas & Sanctorum Patrum doctrina qui has in venerabilibus templis susceperunt, & venerabilia templa dedicantes has pingere statuerunt.* Et earundem usum approbarunt alia Concilia Generalia præsertim Lateranense Francofurtiense, & Tridentinum sess. 25. decret. 2. Tum quia praxis, & usus in ecclesia Catholica invaluit, ut venerationi fidelium in templis exhiberentur sanctorum imagines, ut refert Tertullianus lib. de pudicit. cap. 7. & 10. ubi refert antiquitus moris fuisse quod Christi Domini imago pingeretur sub specie Pastoris ovem deperditam, & recuperatam super humeros deferentis; & Damasus in vita S. Sylvestri affirmat Constantinum Magnum collocasse imaginem Christi, & duodecim Apostolorum, nec non & quatuor Angelorum in Ecclesia S. Joannis Lateranensis. Et D. Ambrosius, Augustinus & Eusebius referunt magnam aureatum argentearumque imaginum copiam fuisse in templis, quæ Constantinus erexit, ut etiam Gregorius Nazianzenus Oratione in laudem defuncti Patris narrat templum ab illo extructum fuisse variis picturis, & imaginibus sacris ornatum.

Imo Sanctorum imagines consueverunt prisci fideles effigiare capitibus radiatis instar solis, & refert Abdias *de histor. Apostolor. lib.* 5. id processisse à quodam ingenti splendore, qui apparuit circa caput S. Joannis Evangelistæ, & etiam in aliis sanctis post mortem; quatenus per hunc splendorem indicare voluit eorum gloriam in cœlis, cujus splendoris participes essent in terris, & Matth. *cap.* 13. ait Christus de viris Sanctis: *Fulgebunt justi sicut Sol in regno Patris mei*, unde viris sanctis splendor congruit, cum eorum opera perinde ac radii solis assimilentur Eccles. cap. 17. *Opera eorum velut Sol in conspectu Dei.* Hinc Sancti, & Beati lucis nomine significantur Matth. cap. 5. *Vos estis lux mundi*; & paulò infra: *Luceat lux vestra coram hominibus.*

Alii etiam sacris sanctorum imaginibus, & earum capiti addebant lucidum diadema, quod est circulus sphæricus instar coronæ, estque symbolum regni, & imperii, unde Sponsa Cantic. cap. 3. ait: *Videte Salomonem in diademate*, & Isaiæ cap. 62. *Diadema regni in manu Dei*; quorum supremum est illud, quod beati in cœlis accipiunt beatitate æterna donati Sapient. cap. 5. *Justi autem in perpetuo vivent, ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini.* Hæcque causa cur Sanctorum imagines coronatis capitibus soleant cultui fidelium exhiberi Sapient. cap. 18. *Magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat*, & licet insignioribus in bello ducibus, & Heroibus simulacra erigerentur cum coronis ad significandam egregiam eorum virtutem bellicam, non tamen hæ coronæ erant

lucidæ,

lucidæ, & ex puro splendore, neque assumptæ ad significandam ullam beatitudinem in cœlis, sed tantùm erant vel ex metallo, vel ex lapide, quòd si ob delatas victorias aliquo censeantur digni honore, & cultu civili, multò magis debetur hic cultus Sanctorum imaginibus, quia cum viverent, gloriosos detulerunt triumphos de prostratis inimicis, Diabolo, mundo, & carne.

Hinc mos erat, ut antiquitus pingeretur Christus variis formis; scilicet sub symbolis Α. & Ω. ex quibus intelligimus esse rerum omnium principium, & finem, & repræsentabatur etiam sub speciei agni cum vasculo ad ejus pedes apposito crucem gestantis, ut in cœmeteriis antiquis lapideis ipsum vidisse asserit D. Paulinus epist. 5. ad Severum inquiens: *Ipse & Agnus & Pastor est; qui pro ovibus suis Pastor, & pro Pastoribus suis agnus occisus est; ipse enim Dominus hostia omnium Sacerdotum est, qui semetipsum pro omnium reconciliatione Patri libans victimam Sacerdotii sui, & sacerdos sua victima fuit*, quod indicavit etiam sexta Synodus can. 82. his verbis: *Ergo antiquas figuras, & umbras, ut veritatis signa, & præsignationes ecclesiæ traditas amplectentes gratiam præferimus, & veritatem*; & in septima Synodo Adrianus Papa I. in epist. ad Taras. Patriarcham Constantinopolitanum imaginem Christi sub forma agni laudibus excepit, & amplexus est.

Hinc etiam Spiritus S. sub columbæ imagine exprimi solet, quapropter legimus in septima Synodo contra Iconomachos columbas aureas, & argenteas supra divina lavacra, & altaria appensas, & S. Basilium teste Amphilochio in vita ejusdem in columba super altari asservari Eucharistiam consueverat, & hæc consuetudo asservandi sacrum Christi corpus in hujusmodi columbis suspensis super altare inolevit in primitiva Ecclesia, ut illius meminit Baronius ad annum Christi 57. Cæterum columbæ imago repræsentans Spiritum Sanctum non solùm simplicitatis est typus, sed etiam puritatis, concordiæ, & charitatis esse columbam symbolum simplicitatis asserit Christus Dominus: *Estote simplices sicut columbæ*, Matth. 10. Quòd verò sit etiam symbolum concordiæ & puritatis asserit S. Cyprianus lib. de unit. Eccles. lib. 6. inquiens: *In Domo Dei, & in Ecclesia Christi unanimes habitant concordes, & simplices perseverant; idcirco & in columba venit Spiritus Sanctus, quæ simplex & latum est animal non felle amarum, non morsibus sævum, non unguium laceratione violentum;* & paucis interjectis: *Hæc est in ecclesia noscenda simplicitas, hæc charitas obtinenda, ut columbas dilectio fraternitatis operetur*, ex quibus liquet esse columbam symbolum & imaginem simplicitatis, concordiæ, & Charitatis, & S. Chrysostomus homil. in Matth. ait: *Ideo à Spiritu Sancto speciem columbæ susceptam, quoniam præ omnibus animalibus hæc cultrix est charitatis.*

Apud Eusebium lib. 7. cap. 14. legimus mulierem fluxu sanguinis laborantem tacta fimbria Salvatoris sanatam fuisse, & Christo statuam erexisse ære fusam, quæ ipsius imaginem repræsentaret, & scribit ex eadem materia esse statuam mulieris provolutæ Christi genibus & palmas supplices tendentis, & sub pedibus ejusdem dominicæ statuæ herbam excrescere, quæ morborum omnium curationes exhiberet, & hanc statuam Julianum Apostatam deturpâsse statique ejus loco posuisse, quam fulmen de cœlo circa pectus perfecuit. Et Christianos postea fragmenta illius Dominicæ cum collegissent in ecclesia posuerunt, ubi adhuc custodiuntur, ut etiam refert Sozomenus lib. 5. histor. eccles. cap. 4. & alii relati à Molano de Sanctis imaginibus lib. 2. cap. 4. hujus imaginis etiam meminit Baronius anno 31. Ut etiam imaginis, quam Christus ad Abagarem Edessæ Regem misit, non manufactam, quæ summo postea in honore à posteris habita est, cujus virtute fuerunt hostes ecclesiæ profligati, & hæc eadem imago etiam nunc Romæ servatur in ecclesia Sancti Sylvestri, ut etiam in Vaticana Basilica extat imago Christi impressa Sudario, quo Berenice seu Veronica faciem ejus abstersit; & Taurini servatur summa religione & pietate à Ducibus Sabaudiæ Sacra Syndon, quæ unguento delibuta Christi corpus involvit, cujus figuram propterea repræsentat, de qua etiam Baronius ad annum Christi 34.

Ex imaginibus Deiparæ Virginis exaltatæ super omnes Angelos præclara est illa à D. Luca depicta, non enim à Nicephoro, aut Metaphraste sed à D. Luca fuisse hanc imaginem depictam asserunt antiqui omnes Patres, præsertim Theodorus Lector initio collectaneorum ubi refert; Pulcheriam hanc imaginem à D. Luca pictam misisse Jerosolymam; ait Ipse: Pulcheria Augusta imaginem Matris Christi, quam Lucas Evangelista pinxerat & Eudoxia è Jerosolymis misit, & in templo posuit, quod Constantinopoli in honorem Deiparæ construxit Molanus lib. 2. cap. 9. plura refert hujusmodi picturæ exemplaria.

Quod etiam imagines Sanctorum cultui populi fuerint exhibitæ ab ipsa primitiva ecclesia liquet, quia habetur ex Damasceno in Sylvestro Constantinum Augustum fontem sanctum construxisse, postquam baptismi aqua ablutus fuit, & in labro fontis agnum ex puro auro fundentem aquam, quique libras 30. ponderavit, & ad dexteram agni Salvatorem ex argento purissimo, & in læva agni beatum Joannem baptistam ex argento, cui adjecit titulum: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, ponderantem libras centum construi jussisse. Et in Synodo Trullensi can. 82. inter alias venerabiles picturas refertur agnus, qui digito Præcursoris demonstratur, unde etiam imago S. Joannis Baptistæ Præcursoris Domini exhibebatur venerationi populorum, hinc Tarasius in confess. suæ fidei act. 3. n. 7. ait: *Decreta edita traditosque canones recipio, in quo assignatur quibusdam in picturis agnum digito Præcursoris demonstratum effigiari.* De imaginibus SS. Petri, & Pauli plura refert Eusebius lib. 7. histor. eccles. cap. 14. & testatur à se visas effigies Christi Domini, & dictorum Apostolorum depictas ab illo, qui simul cum iisdem vixit, ac potuerit ex naturali individuatione exemplum sumere, & ad posteros per alios pictores devenisse refert Baronius ad annum Christi 69. habetur itidem I. Tomo Conciliorum in edicto Constantini Magni Donationis; ubi hæc leguntur: *Interrogare cœpimus beatissimum Papam Sylvestrum, utrum istorum Apostolorum imagines expressas haberet, ut ex ipsa pictura disceremus, hos esse, quos revelatio docuerat. Tunc ipse venerabilis Pater imagines eorundem Apostolorum per Diaconum suum exhiberi præcepit; quas dum aspicerem, & eorum, quos in somno videram, figuratos in ipsis imaginibus cognovissem vultus, ingenti clamore coram satrapis meis confessus sum, eos esse, quos in somno videram.* Hoc idem adstruit Adrianus I. in Synodo Nicæna act. 2. de Calvitie, quam D. Petro appingunt, ut etiam D. Clemens tom. 3. Concil. & D. Hieronymus in epist. 1. ad Galatas expendens verba illa: *Veni Hierosolymam videre Petrum*, ait: *Non ut oculos,*

*lis, aut genas, vultumque ejus aspiceret, & utrum frontem vestiret coma; an ut Clemens in primordiis ejus refert, calvitiem haberet in capite.*

Hocque est scitu dignum; imaginum originem ex umbra Petri esse deductam, & inde imagines venerandi, ut refert Baronius anno Christi 34. consuetudo itidem inolevit, qua D. Petri imago cum duabus clavibus aurea una, altera argentea pingeretur, ut per auream clavem potestas significaretur absolvendi; per argenteam anathematizandi; hæc inferior est, illa nobilior, ut explicat Molanus lib. 3. cap. 21. Imò in antiquissimis quibusdam picturis ac imaginibus S. Petri additur tertia clavis, ut apparet in imagine Triclinii Lateranensis per Leonem III. Papam extructi; ut denotaretur per hanc tertiam clavem potestas, quæ inest ecclesiæ in suo visibili capite dandi & transferendi imperia, ut Leo III. Imperium Occidentis transtulit, dedítque Carolo Magno, eo quia hæc translatio tunc conveniens fuerat, ne tota religio catholica periclitaretur, cum in oriente prævaleret Hæresis. Videmus itidem in antiquo Numismate, Diplomatibus, ac plerisque in locis imaginem D. Pauli à latere dextro D. Petri; cum dextram ut nobiliorem partem deberet Petrus ut princeps Apostolorum & supremum totius ecclesiæ catholicæ caput occupare, & sinistram ut inferiorem D. Paulus; id quod usque ad nostram ætatem observatum in Apostolicis diplomatibus. Plures solent hujus rei adferri rationes, quarum prima est, quia dextra significat vitam cœlestem; sinistra temporalem, ideoque dextrum latus D. Paulo conceditur, quia adhuc in terris vivens raptus est in cœlum, ubi audivit arcana Dei, quæ non licet homini loqui. Secunda quia vocatus à Deo ad Apostolatum glorificatus est, ut refert S. Petrus Damianus in Epist. ad Desiderium Abbatem, & cum ipso Innocentius III. serm. de Evangelistis. Tertia, ideo Petrus collocatur à latere sinistro, ut inde documentum sumamus, summum Pontificem debere humilitati studere; sicut ipse Petrus, qui locum occupat inferiorem, ceditque nobiliorem coapostolo Paulo. Quarta, Paulus præponitur Petro, ut significetur, hos Apostolos esse æquales meritis, & quod de ipsis nil debeamus sentire diversum, cum eos Apostolatus similes, electio pares, labor æquales, & finis ambos beatos effecit. Quinta adducitur à Cassandro in suo catalogo de Gloria mundi; Ideo D. Petrus in sinistra collocatur, quia pars sinistra pro digniori habetur in divinis, & rebus sacris, ut liquet ex antiquis picturis, in quibus D. Paulus collocatur à dextris D. Petri qui erat Pontifex, idque servabatur in Conciliis œcumenicis, ubi legati Apostolici, utpote digniores, sedebant à sinistris aliorum Prælatorum, ut notat Baronius occasione Concilii Niceni anno 325.

# CAP. II.

## De quibusdam Sanctorum imaginibus, quæ ab Hæreticis deluduntur.

HÆretici, quibus sacræ imagines sunt exosæ, eosque deletas volunt ab ecclesiis, domibusque privatis, eo quia fomenta sint idololatriæ, aliquas supra cæteras irrident, ut monstra quæ nunquam in rerum natura extiterunt; etenim Philippus Melanchton in Apologia Confessionis Augustanæ art. 21. de S. Christophoro ita scribit: *Christophorum pinxit aliquis vir prudens, ut significaret per allegoriam, magnum oportere robur animi esse in his, qui ferrent Christum, id est, qui docerent evangelium, aut confiterentur, quia necesse est subire maxima pericula. Deinde stolidi Monachi apud populum docuerunt invocare Christophorum, quasi talis Polyphemus aliquando extitisset.* Et Calvinus lib. 3. Instit. cap. 20. § 27. Georgium, & Hippolitum vocat larvas. Ratio qua Novatores nituntur, est, quia plura scribuntur de Georgio, Christophoro, & aliis pluribus Sanctis, ut de Catharina, & Hippolito, quæ ficta, fabulosa, & apocrypha sunt; quæ ratio nulla est; quia plura scripta sunt fabulosa de Anchise, Ænea, Hectore; plura itidem de Luthero, Calvino, quæ Lutherani & Calvinistæ figmenta esse contendunt; & tamen non inde sequitur Anchisem, Æneam, Hectorem, Lutherum, & Calvinum nunquam extitisse in rerum natura. Aliud est extitisse sanctos illos; & aliud historias, quæ de iisdem narrantur omnes veras esse, ut vulgo narrantur; tametsi plures sint apocryphæ, & incertæ, non tamen inde sequitur, sanctos illos nunquam extitisse; Etenim etiam Gelasius Papa apud Gratianum *cap. S. Romana. distinct. 15.* concedit librum de infantia Salvatoris; itinerarium Petri Apostoli, Evangelium Thadæi, & similia scripta, quæ ibi recenset, esse apocrypha; non tamen inficiatur, Salvatorem & D. Petrum nunquam extitisse in rerum natura; perinde quamvis plura narrentur de pluribus sanctis, quæ apocrypha sunt; non tamen inde sequitur, Sanctos illos nunquam extitisse in rerum natura.

Sicut igitur neque ego, neque Novatores vidimus sanctos illos, de quibus est quæstio, existentes, neque eos novimus viventes, necesse est, acquiescamus dictis, ac attestationibus aliorum. Perinde ac cum non viderimus Neronem, Domitianum, Diocletianum, Trajanum, & alios Imperatores in terris vivere, & existere; ut credamus illos vixisse, & extitisse in rerum natura, necesse est, acquiescamus attestationibus aliorum. Atqui Sanctum Georgium extitisse in rerum natura, asserunt testes omni exceptione majores; etenim Martyrologium græcum magnum martyrem & veluti antesignanum vocat. Æthyopes in missa, quam de Sancto Georgio legunt, ipsum dicunt sydus honoris, stellam splendidam ob sanctitatem, & virtutes, quas excoluit. Latini itidem in martyrologio, missalibus, officiis, ac Ritualibus omnibus memoriam recolunt Sancti Georgii. Rursus urbs Diospolis, seu Lydda, ubi gloriosum consummavit martyrium, extat templum dicatum Sancto Georgio, ut refert Guilielmus Tyrius *lib. 7. belli sacri.* Justinianus Imperator itidem in honorem Sancti Georgii Basilicam ædificavit, teste Procopio lib. 1. ædific. Justiniani. Præterea Manuel Comnenus in Orientali ecclesia voluit servari scutum Sancti Georgii in tota ecclesia Orientali, ut liquet ex quadam illius constitutione, in qua statuitur: *Feriatus est dies 23. Aprilis, quippe tunc magnificus martyr Georgius honoretur.* Sidonius itidem Moguntinus S. Georgio templum erexit, de quo Venantius Fortunatus epigramma 13. composuit. Gelasius Papa, quamvis narrationem quandam de S. Georgio asserat esse incertam, & apocrypham; tamen ipsum S. Georgium extitisse, ac gloriosum consummasse martyrium non diffitetur, sed expresè asserit. S. Gregorius Magnus lib. 6. epist. 68. ad Marinianum Abbatem scribit, velle se, ut ecclesia Sancti Georgii restauretur, quod non jussisset, nisi vere credidisset ipsum extitisse, & martyrem JEsu Christi obiisse. Zacharias Pontifex invenit caput Sancti Georgii cum inscriptione nomi-

nominis, & in templo ejusdem Martyris reposuit. Gregorius Turonensis in lib. de gloria Martyrum c. 101. agit de reliquiis, & miraculis S. Georgii. S. Basilius Magnus in Liturgia orat Deum per intercessionem tum aliorum sanctorum, tum etiam S. Georgii, ut patet ex Arabico exemplari Josephi Scaligeri à Victorio Sialach latinè converso. S. Germanus profectus Jerosolymam accepit brachium S. Georgii sibi dono datum à Justina Imperatrice, & cum magna veneratione Parisios detulit, ut refert Aimonius lib. 2. de gestis Francorum cap. 20. & lib. 3. cap. 9. & Cedrenus refert in suo compendio Historiarum, Nicephorum Imperatorem opem imploràsse S. Georgii, & victoriam in bello obtinuisse. Hoc idem narrat de Chuneberto Francorum rege Paulus Diaconus. An non hisce omnibus magis est fides præstanda circa S. Georgium, quàm paucis hæreticis in odium catholicæ religionis id negantibus?

Neque obstat, quòd S. Georgius pingatur, ut armiger equestris, interimens Lancea Draconem, quem nunquam vidit quia moris fuit apud Orientales, ut omnia per Symbolorum involucra exhiberentur intelligenda, ne rudes, & plebei in eorundem devenirent notitiam; Diabolum igitur specie, seu forma Draconis proponebant, & sancti qui fortiter pugnarent, ac dæmonem vincerent per militem equestrem Dei gratia vectum veluti equo velocissimo, ut eum descripsit Apostolus ad Ephes. cap. 6. munitus scuto fidei galea salutis, lorica justitiæ, & gladio Spiritus, quod est verbum Dei; Puella itidem in genua provoluta manibus expansis, necessitate adacta civitatem, vel provinciam exhibet, & opem implorat S. Georgii, ut ab infernali Dracone præservetur. Præterea moris fuit apud Orientales, ut D. Georgium in forma exhiberent militis equestris, eo quia in bellicis suis expeditionibus consueverint ejus auxilium implorare; perinde ac in Occidente Hispani S. Jacobum, Galli S. Dionysium vel S. Ludovicum, Romani S. Petrum.

Objiciunt contra S. Christophorum, cujus imago à Catholicis colitur, habeturque in veneratione; primo, quod hoc nomen non sit proprium sed appellativum; secunda quòd hæc historia incerta sit, & apocrypha; tertiò quia ejus imago exhibeatur gigantea; hinc Caimerus Calvinista in epistolis pag. 46. ait: *Quis potest negare Christophorum portentum esse*, & Melanchton per ludibrium vocat S. Chrysostomum Polyphemum. Sed longè meliores sanctiores, & vitæ integritate clariores historiam propugnant S. Christophori, & obtrectantium retundunt dicacitatem, & præsertim Sanctus Gregorius Magnus lib. 8. epist. 33. Beda, Usuardus, Ado in eorum menologiis septimo idus Maji, & D. Gregorius loc. cit. meminit ecclesiæ, & monasterii dicati S. Christophoro, Sanctus Eulogius in martyrio cujusdam alterius Christophori interfecti à Saracenis. Cordubæ itidem in Hispania extitit templum, & monasterium S. Christophori. Ruggerius Fuldensis fusiùs de hoc Sancto scribit, ex quo Vicelius epitomen desumpsit vitæ Sancti Christophori, ut etiam S. Petrus Damianus elegantem scripsit sermonem de S. Christophoro; estque sermo 34. in 2. Tomo; & in Martyrologio Romano approbato ab ecclesia habetur: *In Lycia S. Christophori martyris, qui sub Decio ferreis virgis attritus, & à flamma æstuantis incendio Christi virtute sanatus, ad ultimum sagittarum ictibus confectus, martyrium capitis obtruncatione complevit.*

Neque objectiones hæreticorum ullius sunt momenti. Ad primam, plura esse nomina appellativa, quæ tanquam propria vulgo usurpantur, ut Theophilus, Philippus, Christianus, Philemon, & tamen à pluribus usurpantur ut propria. Ad secundam quamvis aliqua quæ vulgo circumferuntur de D. Christophoro sint incerta; non inde sequitur, totam historiam esse apocrypham; etenim etiam plura asserunt hæretici falsò dici, vel incerta esse de Calvino, & Luthero, & tamen non negant Calvinum, & Lutherum extitisse, ac plura scripsisse. Ad Tertiam de imagine gigantea S. Christophori, respondetur non repugnare, hominem esse gigantea statura; & D. Christophorum magnitudine corporis cæteros superasse à vi sui homines. Præterea esto à Pictoribus revera pingatur eminentior quàm fuerit; non inde sequitur ejus historiam esse incertam, & apocrypham. Tametsi Alexander Macedo pingatur grandior quàm fuerit, non tamen inde sequitur non extitisse, neque tot præclara gesta egisse, quæ de ipso ab historicis narrantur. Præterea posset cum aliis responderi symbolicam esse illam magnitudinem, ac esse hieroglyphicum eminentissimi cordis, & puerum indicare amorem filii Dei, quem ipse fovebat in corde, & exterius ostendebat sermonibus, exhortationibus, passionibus, & laboribus, quos pro Christi amore pertulit; & torrentem, seu fluvium significare cruciatus martyrii, quos invicta patientia subivit.

Objiciunt tertio imaginem S. Antonii Anachoretæ, cui à catholicis additur ignis, sus, tintinnabulum, Tau, & his similia, quæ penes illius effigiem conspiciuntur, quæ omnia dicunt superstitiosa esse, & ficta; Sed contra, quia hæc omnia recensita componunt potius quoddam emblema, quàm historiam, ita tamen, ut mysticus sensus veritatem explicet, ac luculentius dilucidet, est enim mysticus sensus veluti anima historiæ, & moris fuit antiquitus apud Orientales, & Ægyptios, ut quod vellent ipsi docere, symbolis, & Hieroglyphicis exhiberent; hinc ignis nobis exhibet divinum amorem, quo semper D. Antonius exarsit. Sus ad ejus pedes significat sensuales voluptates, quas ille pedibus conculcavit, cœlestia tantùm contemplatus, & à terrenis abstractus; Tintiñabulum significat vigilantiam & assiduitatem in fundendis precibus Deo. Littera Tau super ejus humerum signum est crucis Christi, & significat mortificationem Jesu in suo corpore; brachia, & crura circa ejus figuram indicant donum sanitatis, quam miraculosè impetrare consueverat fidelibus eam ab ipso petentibus,

Objiciunt quartò imaginem S. Hieronymi, cui appingitur Leo, quamvis de illo nulla fiat mentio in ejus vita, neque illius scriptis. Sed contra, quia appicta Leonis imago non probat D. Hieronymum non extitisse, neque non esse ejus imaginem à fidelibus colendam, quia, ut notat Molanus lib. 3. Sanctarum imaginum cap. 42. Leo significat, D. Hieronymum in vastam Syriæ solitudinem secessisse, & ibi quadriennium insumpsisse in assidua lectione divinorum librorum, & contemplatione cœlestis beatitudinis. Leo itidem significat symbolicè magnanimitatem, & fortitudinem, qua D. Hieronymus Hæreticis se opposuit, & catholicæ religionis veritatem propugnavit. Cæterum imago Leonis etiam D. Marco tribuitur, eò quia suum evangelium inchoavit à solitudine, ubi immorantur leones: *Vox clamantis in deserto*; quia igitur Leo assolet solitudinem & desertum inhabitare, symbolicè desertum significat, & per Leonem significatur solitudo ac desertum, quod D. Hieronymus inhabitavit. Rufinus itidem lib. 11. cap. 4. scribit de Sancto Macario, quod leæna speluncam habuerit non procul

à sua cellula, & D. Hieronymus narrat mortuo Paulo Thebeo Antesignano Eremitarum duos leones ex interiori eremi solitudine currentes eidem suis pedibus locum sepulchri scalpsisse, & mœsto rugitu, quem conceperant mœrorem ob ejus mortem, indicasse.

Objiciunt quintò D. Catharinam Virginem & Martyrem, quam per irrisionem Palladem vocant, vel Calliopem, etenim Chamierus Calvinista Sanctam irridens virginem ait: *Quæ quæso illa est Catharina, nisi idolum fictum ad instar Ethnicæ Palladis?* Ex quo inferunt Hæretici, Romanos colentes hanc virginem esse idololatras, cò quia nonnisi cujusdam Palladis fictæ venerantur idolum. Sed contra quia tot sunt testes omni exceptione majores, ut de historia S. Catharinæ Virginis & Martyris nulla possit ambigendi occasio dari. Græci enim in suo Menologio die 24. Novembris hujus S. Virginis & Martyris narrant historiam, & martyrium quod gloriosè consummavit. Latini itidem in suo martyrologio hoc idem adstruunt, adeo ut tota ecclesia, Græca & Latina semper ut veram habuerit D. Catharinæ historiam, & Euthymius in Psal. 44. explicans versum illum: *Delectaverunt te filiæ Regum.* Subdit: Qualis fuit Sanctissima Catharina, & de ipsa plures Sancti scripserunt, testatique sunt ejus historiam, & martyrium, ut S. Bonaventura in serm. speciali de S. Catharina S. Antoninus in *histor. part.* 1. *tit.* 8. *cap.* 1. & id etiam testatur ejus sepulchrum, quod adhuc nostris temporibus visitur in monte Sinai, ubi templum adest constructum, sicut per reliquas terrarum partes plura templa, & monasteria dicata fuisse huic sanctæ Virgini, & Martyri satis apertè constat, & dies festus in ipsius honorem ab Ecclesia, quæ ob assistentiam Spiritus S. errare non potest, colitur, & celebratur, & plures academiæ ut Patronam Studiosorum sibi selegerunt in Patronam, & S. Paulus Eleanus luculenter de S. Catharina scripsit, ut refert Baronius Tom. 10. annal. Metaphrastes ex Græcis ejus historiam scripsit, prodiditque in lucem, quæ reperiuntur etiam apud Lipomanum tom. 5. & apud Surium tom. 6. & eadem acta etiam extant apud Abbatem Rabanum, ut retulit Molanus in annotationibus ad Usuardum, ubi asserit, plurimam esse pietatem, & devotionem populorum in toto Occidente erga hanc Sanctam Virginem, & martyrem, & maximum habuisse incrementum ex subventione ad illius intercessionem in expeditione terræ Sanctæ.

Neque obstat aliquem errorem in ejus historia irrepsisse, ut quòd in aliquibus exemplaribus positum fuerit nomen Mezentii pro nomine Maximini, quia id non derogat actis, & historiæ hujus Virginis, & Martyris præsertim, cum in aliis exemplaribus fuerit error correctus, & cum in Oriente & Occidente, & ubicunque Christi nomen invocatur, historia D. Catharinæ approbetur, non potest de ullo mendacio redargui. Tum quia non solùm à Christianis, sed etiam à Turcis, & Barbaris habetur venerationi, & donaria eidem offeruntur.

Objiciunt sextò imaginem D. Ursulæ cum suis Virginibus usque ad undecim millia, cùm enim sint Hæretici voluptatibus præsertim carnis & sensus dediti, non possunt intelligere quomodo tot puellæ potuerint virginitatem servare. Sed contra quia historia de S. Ursula cum sociebus suis refertur à viris pietate, & prudentia claris etenim Sigebertus in sua Chronica anno Christi 453. aliique recentiores, quos refert Baronius in suis adnotationib. ad Martyrolog. 21. Octob. & Surius Tom. 5. describunt historiam undecim millium virginum, quam Hæretici ut apocrypham & fictam irrident, & præsertim acta S. Ursulæ, & Sociarum refert Gaufridus Episcopus Azavensis in antiquo Codice Vaticano de rebus Britannicis, & refert quæ gessit Maximinus Tyrannus occupato imperio tempore Gratiani, & ait Gaufridus, qui ex Codice Vaticano compendium congessit historiæ S. Ursulæ, & Sociarum, ait: *Cum Maximinus proximas Gallias invasisset, & vicinos Armoricos sedibus expulisset, vacuam Provinciam uberes glebas Britannicis militibus nova Colonia tribuit, ac divisit; unde & eidem Provinciæ comparatum est nomen, ut minor Britannia diceretur, quo verò eorum posteritati consuleret, ex magna Britanniæ Insula singulis uxores quæri jussit, singulis militibus singulæ virgines & gentilibus suis sunt in matrimonium postulatæ. Erat autem prædictorum militum præcipuus post Maximinum Dux Cognanus, unus ex Britanniæ Regulis, cui paris nobilitatis conjux designata fuit filia Dionocis Regis Cornubiæ, nomine Ursula. Londini itaque cunctis coactis invitæ licet Patrium solum Charosque suos relinquentes imponuntur navigiis, cum regionem Armoricorum cogitant Nautæ, mox sæva procella naves impulit in Germanicum litus, ubi cum essent Malga Pictorum & Gaumnus Hunnorum Pyratæ, qui comperta classe, initoque fœdere cum Gratiano Imperatore contra Maximinum, ut vel hac arte eum à cœptis disturbaret, cum infestandam Britanniam tenderent, in has ad littus jactatas Virgines naves incidentes, sic in Britannas virgines, ut in hostes grassati sunt, ut vim inferendi earum pudicitiæ consilium caperent, quæ omnes hortatu Ursulæ mortem dirissimam potiùs appetere, ac gladiis obtruncari Christiana constantia decreverunt, quam ignominiosum quid pati, cumque ea persisterent animi firmitate, mox illorum libidine in Barbaricum furorem mutata, cum aliò properarent, ne longiori mora detinerentur; singulas crudelissimè trucidarunt, & inde in Britantam navigarunt nactamque eam militibus vacuam aggressi; sed confestim missis illuc à Maximino duabus militum legionibus inde expulsi solverunt in Hiberniam.* Accedunt etiam prædictis, quæ scripsit Lindanus in adnotation. ad Martyrolog. 21. Octobris, in Ecclesia Catholica ex veteri traditione receptas fuisse imagines, reliquias, solemnitates, & invocationes harum Sanctarum, quæ ob diuturnitatem temporum diu delituerunt in tenebris oblivionis.

Objiciunt septimò imaginem S. Hippolyti, eò quia fuerit Hippolytus in fabulis Thesei Filius, quem Ovidius in metamorphosi, & Euripides in Phædra scribunt ab equis fuisse dilaceratum. Sed contra quia Christiani non colunt Hippolytum filium Thesei, sed tres Sanctos Hippolytos, primum Antiochenum Presbyterum, cujus meminit martyrologium Romanum die 29. Januarii, alterum Portuensem Episcopum, de quo die 22. Augusti. Et tertium, qui fingitur ab equis distractus, ideoque & nomine & re Hippolytus fuit, & quamvis hunc tertium negent Hæretici, plures tamen sunt pro illius historia, & martyrio; Prudentius enim lib. de coronis inter cætera de hoc Hippolyto jam equis alligato, ait: *Ultima vox audita viri Venerabilis hæc est, hi rapiant artus, tu rape, Christe, animam;* & hujus S. Hippolyti mentionem faciunt martyrologium Romanum, Beda, Usuardus, & Ado in martyrologiis suis.

Obji-

Objiciunt octavo contra imaginem S. Luciæ Virginis, & Martyris eò quia exhibeatur cum oculis in manibus, de quo nihil legitur in martyrologio, nec aliis Eccleſiaſticis ſcriptoribus; ſed quod poſt varia paſſa tormenta gladio in guture percuſſa martyrium conſummaverit. Sed contra quia Catholici non pingunt S. Luciam oculos habentem in manibus, quaſi oculi ipſi non fuerint in capite, ſed in manibus, id enim eſſet monſtruoſum, & ridiculum. Pingitur igitur cum oculis in manibus, ut ſymbolicè ſignificetur lumen mentis ei à Spiritu ſancto collatum, quo meruit tyranni illuſiones ſuperare, caſtitatem illibatam ſervare, & martyrium glorioſum conſummare, ac tandem æternam conſequi gloriam. Deinde cum D. Lucia fuerit aſſumpta Patrona pro iis, qui oculis laborant; & veluti cæcutiunt, ſeque interceſſioni S. Luciæ commendant, ideo ejus imago pingi ſolet cum oculis, quos manu deferat, ut ſignificetur ejus patrocinium pro morbo aliquo oculorum laborantibus.

Cæterum quia finis orationis generatim ſumptus nil aliud eſt, quam enuntiatio illarum affectionum, quæ inſunt animo, perinde imagines aſſumptæ ad externum cultum præter ſimilitudinem alterius rei, quam repræſentant proprios & ſingulos fines habent, ſeu teſtantur intimos animi ſenſus cum eos tanquam oblationes, & genus quoddam ſacrificii offerimus, dum atteſtamur nos illi omnia debere, & nos ad illius præcepta voluntatem noſtram accommodare ſpe freti cæleſtis gratiæ. Rurſus hujuſmodi imaginibus exprimimus deſiderium conſequendi à Deo cæteras gratias ſpirituales, & corporeas; imagines enim Chriſtianæ excitandis hominum affectionibus magis deſerviunt, quam nuda, & ſimplicia verba, ut ait Horatius in Pætica, *Segnius irritant animum demiſſa per aures, quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus*, cum enim imagines piæ Chriſti Domini, Dei paræ, & Sanctorum devotionem, & ſanctitatem ſpirent, eandem eas aſpicientibus excitant, unde D. Gregorius Magnus ait: Dum exteriorum rerum intrinſecus ſpecies attrahuntur, quaſi in corde depingitur, quidquid fictis imaginibus deliberando cogitatur, hinc fideles repræſentantes imaginem D. Luciæ, cum oculis in manibus, non ſolùm id præſtant, ut orantes lumen mentis conſequantur à Deo, ut D. Lucia hoc lumen fuit conſecuta, verùm etiam ut nos fateamur à Deo tale lumen agnoſcere, & ad ejuſdem Dei voluntatem nos dirigere, ut ab ipſo Deo idem lumen mentis, & corporis conſequi ſemper mereamur precibus & interceſſione ejuſdem ſanctæ Luciæ quæ congruè à luce nomen obtinuit Luciæ, & hæc ſufficiant ad convincendos Hæreticos blaterantes contra ſacras imagines de quibus eruditè ſcripſerunt Joannes Molanus, & Cardinalis Paleotus in hiſtor. de Sanctis imaginibus & picturis, nimis enim prolixum foret, ſi ſingula, quæ in ſingulis imaginibus occurrunt, vellemus expendere, & in ſingulis immorari. Imagines quas ut præcipuas negant Hæretici, ſunt, quas ſuperius propugnavimus.

# C A P. III.

## An ſacris Imaginibus ſit debitus aliquis cultus.

Cultus quo alium honoramus bipartitur in abſolutum, & reſpectivum ille eſt, quo adoratur aliquid ob excellentiam, quam in ſe habet: reſpectivus, quo adoratur aliud ob excellentiam, quæ non in illo, ſed in alio reperitur, cum quo tamen habet aliquam connexionem & habitudinem; quæ diviſio cultus eſt adæquata, quia complectitur omnes & ſingulos cultus; Cæterum vulgò ſolet adoratio tripartiri in Latriam, Hyperduliam, & Duliam, cum enim adoratio ſit religioſa, & de qua in præſenti loquimur, ſit quædam nota ſubmiſſionis ob divinam excellentiam, ideo dividitur adoratio perinde ac poteſt divina excellentia participari ac eſſe; & quia divina excellentia vel eſt in ſe ipſa; vel eſt excellentia divina participata ſubſtantialiter, vel participata tantùm accidentaliter; ita adoratio juxta hanc triplicem excellentiam ſolet tripartiri in latriam, hyperduliam, & Duliam. Latriam eſt nota ſubmiſſionis ob excellentiam in ſe ipſa: hyperdulia eſt tantum nota ſubmiſſionis ob excellentiam participatam ſubſtantialiter: Dulia eſt nota ſubmiſſionis ob divinam excellentiam participatam accidentaliter, ſeu propter gratiam adoptionis, ab aliis tamen magis communiter latria dicitur adoratio, quæ verſatur circa excellentiam increatam; hyperdulia, & dulia circa excellentiam creatam, ita tamen, ut hyperdulia verſetur circa ſingulariſſimam creatam excellentiam Sanctitatis, qui cultus adorationis ſoli Beatæ Virgini, ut matri Dei, humanati in ſuo utero, convenit, ut etiam humanitati Chriſti ratione ſanctitatis creatæ tantum, quia Chriſti humanitas ratione ſanctilitetis creatæ longe eminet inter omnes alios ſanctos, ut etiam beata Virgo titulo maternitatis.

Quæ vero adorantur cultu latriæ eſſe nequeunt niſi tria, ſcilicet Deus, Chriſtus in concreto, & Chriſti humanitas in abſtracto, de qua dubitant Doctores, poteſt enim humanitas Chriſti conſiderari in concreto, quatenus eſt unum ſuppoſitum cum Verbo, ſecundo purè in abſtracto præſcindendo ab eo, quòd ſit unita Verbo. Tertiò etiam in abſtracto ſed quatenus eſt pars Chriſti ſecundum dignitatem, quam habet à Verbo. Quod adoratio latriæ perfecta, & abſoluta debeatur ſoli Deo & nulli creaturæ, eſt certum de fide, quia latria eſt adoratio, quæ tribuitur alicui ob ſummam excellentiam omnino independentem: atqui excellentia omnino independens nonniſi ſoli Deo poteſt convenire; conſequenter adoratio latriæ tantùm ſoli Deo convenit, tum ratione eſſentiæ, cujus pelagus eſt ſine termino ut loquitur Nazianzenus, tum ratione attributorum, quorum ſingula ſunt infinita ob identitatem cum divina eſſentia. Quod verò Chriſti humanitas in concreto, ut importat hunc hominem Chriſtum, verè poſſit adorari cultu latriæ, ſaltem per communicationem idiomatum, eſt etiam probatu facilè; quia Deus verè adoratur cultu latriæ, atqui hic homo Chriſtus ſeu humanitas in concreto includit perſonam divinam, quæ eſt verus Deus, etenim in hoc homine Chriſto perſona eſt divina, & verus Deus, ergo humanitati Chriſti ſumptæ in concreto debetur cultus latriæ: hanc veritatem definivit Concilium Alexandrinum epiſt. ad Neſtor. approbata etiam à Concilio Epheſino, ubi habetur, *Unus intelligitur Chriſtus Jeſus filius unigenitus, qui una adoratione propria cum carne adoratur*, & in quinta Synodo habetur, *ſi quis in duabus naturis adorari dicit Chriſtum, ex quo duas adorationes introducit, ſed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipſius carne adorat, anathema ſit.*

Quinimò etiam Christus sumptus specificative, seu humanitas in abstracto sumpta, & ut unita Verbo, seu ut pars Christi, cui Verbum divinum hypostaticè unitur, etiam adoratur cultu latriæ, non per accidens, & respectivè, sed absolutè & per se, non tamen ut ratio formalis adorandi, sed ut subjectum quod adoratur, ut asserunt sancti Patres, præsertim Cyrillus Alexandrinus lib. Apolog. in defin. anathem. 8. inquiens: *Unus intelligitur Christus Jesus filius unigenitus, quia una propria adoratione adoratur cum carne*, adeo ut Christus adoretur verè latria, quatenus humanitas ut unita Verbo est pars Christi, qui debet adorari cultu latriæ hinc Augustinus serm. 58. de Verbo Domini circa finem ait: *Ego dominicam carnem imò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quia a divinitate suscepta atque deitati unita est, ut non alium, atque alium, sed unum eundemque Deum, & hominem Deum filium confitear.* Etenim objectum redditur dignum veneratione secundum mensuram excellentiæ, quam habet, sed humanitas Christi perficitur per subsistentiam Verbi, quatenus continet in se excellentiam divinam, cui debetur cultus latriæ.

Tum quia quoties adoratur aliquod totum propter excellentiam, quæ est in una ejus parte: eadem etiam adoratione adorantur omnes illius partes, hinc corpora Sanctorum adorantur dulia propter excellentiam gratiæ, quæ in est animæ, sed Christus totus adoratur latria propter excellentiam Verbi: ergo etiam humanitas quæ est pars Christi adoratur latria; ita ut Verbum adoretur propter se, et humanitas, sid id, quod adoratur propter excellentiam Verbi, consequenter humanitas Christi in abstracto, & ut unita adoratur & ipsa adoratione latriæ.

Firmatur, quia objectum materiale, & formale pertinent ad unum eundemque habitum: atqui humanitas in Christo est quasi compars Verbi in hoc sensu, quatenus Christus includit Verbum divinum & humanitatem, Rursus Verbum divinum est objectum formale latriæ, & humanitas ut unita Verbo est objectum materiale, consequenter humanitati Christi, ut unitæ Verbo divino, debetur adoratio latriæ.

Secunda pars etiam ostenditur, quia ut Christi humanitas adoretur per se & intrinsecè Cultu latriæ non est necesse, ut ipsa sit ratio, & motivum formale adorationis, sed sufficit, si sit terminus, & objectum ad quod ex intentione adorantis tendit actus adorationis, sed qui Christum adorat, non solum actu ipso adorationis intendit attingere suppositum divinum sed naturam etiam humanam ut unitam Verbo divino, consequenter non solùm intrinsecè, & per se ut objectum quod adoratur in Christo est Deus, sed etiam homo, seu humanitas, ut unita Verbo substantialiter. Major constat, quia ut objectum alicujus virtutis dicatur intrinsecè & per se attingi non est necesse ut objectum sit ratio, vel motivum propter quod ipsum attingatur, siquidem ratio unitiva attingendi objectum plerumque est extrinseca ipsi objecto, ut constat in virtute fidei, cujus ratio motiva est authoritas extrinseca dicentis, unde sufficit, si sit ratio terminandi actum virtutis, minor etiam constat ex Conciliis, & Patribus prohibentibus nos in adoratione dividere Verbum ab humanitate; & præcipientibus uno eodemque actu adorationis in utrumque tendere. Firmatur, quia illud adoratur adoratione latriæ quod adoratur præter divinam excellentiam in se ipso existentem: sed humanitas Christi ut unita Verbo habet in se excellentiam divinam, quia subsistit per subsistentiam Verbi divini ergo per se & absolutè adoratur adoratione latriæ non quidem primario, quia solus Deus hoc pacto adoratur, sed tantùm secundariò; & hac distinctione adhibita facilè conciliantur diversæ sententiæ.

Hinc Christi humanitas, ut præcisa seu per intellectum separata à Verbo probabilius est non posse adorari; & ratio desumitur, quia Concilia, & Patres docent Christum etiam quoad humanitatem esse adorandum adoratione latriæ: siquidem Concilium Constantinopolitanum v. orat 8, can. 9. definivit: *Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum ex quo duas adorationes inducit separatim scilicet Deo Verbo, & separatim Deo homini anathema sit:* & Concilium Ephesinum in 3. part. anath. 8. ait: *Si quis dicere audet hominem assumtum una cum Dei Verbo adorandum & conglorificandum, & Deum tanquam alium cum altero cognominandum esse, & non potius una adoratione Emanuelem adorat, unamque illi glorificationem attribuit, quatenus Verbum factum est caro anathema sit.* Ratio est quia humanitas Christi ratione unionis facta est particeps ejusdem adorationis cum verbo, ut communiter docent Patres, præsertim Athanasius epist. ad Adelphium fratrem, ubi ait: *Tametsi caro ipsa per se sit pars rerum creatarum, attamen Dei corpus effecta est, neque istiu modi corpus seorsim discriminatum à Verbo adoratione prosequimur, neque Verbum adoraturi Verbum à carne longe seponimus, sed cum sciamus, ut dictum est, Verbum carnem esse factum illud jam in carne situm Deum agnoscimus*, & alii sancti Patres communiter docent non posse Christi humanitatem ut præcisam, seu per intellectum separatam à Verbo adorari: quia adoratio non potest esse contra jus adorari, quia esset actus injustitiæ quatenus per talem actum subtraheretur, quod esset debitum adorato: ideo subtrahere quod est alicui debitum est actus justitiæ, quatenus hæc virtus præcipit dari unicuique quod suum est: sin autem humanitas Christi posset adorari præcisè à Verbo talis adoratio esset contra jus adorati, quia licet præscindatur seu per intellectum separetur humanitas Christi à Verbo, adhuc humanitas verè, & realiter est unita Verbo, & habet proinde jus ut adoretur adoratione latriæ quapropter si ut præcisa à Verbo adoraretur alia adoratione inferiori scilicet hyperdulia, hæc adoratio esset contra jus adorati proinde esset actus injustitiæ, quo illi subtraheretur, quod est debitum, consequenter Christi humanitas non potest adorari præcisè à Verbo adoratione hyperduliæ tum quia quando concipimus humanitatem ut præcisam à Verbo non separatur ab ipsa jus quod habet ad adorationem latriæ eò quia sit unita Verbo divino, sed objectum debet adorari juxta mensuram sui juris consequenter semper exigit humanitas Christi quocunque modo concipiatur adorari eadem adoratione cum Verbo cum semper sit Christi humanitas quæ adoratur His positis.

Dicendum est usum sacrarum imaginum repræsentantium sanctos Angelos beatam Virginem, & alios Sanctos ab ecclesia Romana approbatos esse licitum. Et evincitur ex eo, quia Deus hunc cultum in testamento veteri injunxit populo; Exodi 25. dixit Dominus ad Moysen *Facies duos Cherubim aureos ex*

utra-

*utraque parte Oraculi*, ubi Sanctus Hieronymus in cap. 41. Ezech. intelligit duas statuas, seu imagines aureas, quæ duos Angelos Cherubinos repræsentabant Numer. 21. *Fac serpentem aneum, & pone eum pro signo*, & 3. Reg. 6. Legimus Salomonem posuisse in Sanctuario imagines Cherubinorum factas ex lignis olivarum. Accedit etiam septima Synodus Oecumenica, cui interfuerunt Episcopi 354. ubi actione sexta hæc habentur statuta, & approbata: *Non est pictorum adinventio imaginum factura, sed Catholicæ Ecclesiæ approbata legislatio, & traditio* &c. & nonnullis interjectis subditur: Testimonium perhibet ipsa rerum antiquitas & sanctorum Patrum doctrina, qui has in venerabilibus templis susceperunt, & venerabilia templa dedicantes his pingere statuerunt. Accedit etiam praxis, & usus antiquus ecclesiæ Catholicæ; etenim Tertullianus lib. de pudicitia cap. 7. & 10. *Testatur antiquum Christi Domini imaginem sub specie Pastoris ovem deperditam & recuperatam super humerus gestantis*, & Damasus in vita S. Sylvestri affirmat Constantinum Magnum collocâsse Christi imaginem, & duodecim Apostolorum, ac quatuor Angelorum in ecclesia S. Joannis Lateranensis, & D. Gregorius Nazianzenus in laudem defuncti Patris, refert templum ab illo extructum fuisse variis picturis, & imaginibus Sacris decoratum. Quòd si licitè & utiliter habentur imagines Principum, Heroum, Parentum: à fortiori Christi Salvatoris, & Sanctorum ejus.

Neque obstat Exod. 20. ubi dicitur: *Non facies tibi sculptile nec omnem similitudinem*, quia id non debet intelligi, ut omnem usum sculptilium prohibeat, sed Verba intelliguntur de picturis, & statuis in ordine ad finem abominabilem, scilicet cultum alienorum Deorum, quem finem clarè indicat Deus dicens: *Non facietis mecum Deos aureos, & Deos argenteos*, *quod etiam repetit* Levit. 26. *Non facietis sculptile, ut adoretis.* Hinc Calvinus *lib. 1. instit. cap.* 8. §. 17. fatetur ibi tantùm vetari, ne imagines solas adoremus, ut Deum, nisi illas quæ Christum repræsentant, Patrem æternum, & Spiritum Sanctum. Cæterum usus sacrarum imaginum ex multiplici fructu earundem conjicitur; serviunt enim ad instructionem rudium & nescientium legere siquidem ut scribit S. Gregorius epist. 9. lib. 9. Sacras imagines esse idiotis pro litteris, quia aspicientes imagines vident earundem significatum perinde ac videntes Christum cruci affixum vident pretium suæ redemtionis. Secundò non solum ad instructionem, sed etiam ad excitandam pietatem, & affectum in Deum, vel Sanctos, aut amicos instituuntur sacræ imagines, quia per ipsas fovetur pius affectus, non enim præsentem in imagine habemus, quem diligimus, illius affectum fovemus, & hæc consuetudo suam trahit originem à tempore Apostolorum, quam D. Paulus 3. ad Galat. videtur indicare: *Quis vos fascinavit non obedire veritati ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est in vobis crucifixus.* Idque causæ cur Græci vocant picturam Geographiam, seu vivam scripturam, eò quia ad vivum repræsentat historias.

Dicendum secundò sacras imagines venerandas esse, & colendas, si sint imagines sacræ; ratio est, quia sacræ scripturæ docent res sacras ac divino cultui dicatas, esse honore proprio, & cultu dignas, Psal. 98. *Adorate scabellum pedum ejus; quoniam sanctum est*, quæ verba licèt in sensu mystico, & allegorico intelligantur à quibusdam Sanctis Patribus de Christi humanitate in sensu tamen litterali, intelliguntur de arca testamenti, quæ 1. Paralipom. 28. vocatur Scabellum pedum Dei: atqui sacræ imagines sunt etiam res quædam divino cultui dicatæ, consequenter à paritate rationis est iisdem debita veneratio, hinc Deus jussit propitiatorium ornari Angelorum imaginibus, quod fuit in augustissimo loco eas collocari, ut debitus honor iisdem exhiberetur, ergo etiam in aliis locis, & templis haberi possint ob eundem finem. Hoc idem statuerunt etiam Concilia generalia, præsertim Synodus VII. Oecumenica in cujus act. 7. hæc habentur: *Sanctorum Patrum doctrina insistentes & ecclesiæ Catholicæ in qua Spiritus Sanctus inhabitat traditionem observantes definimus cum omni diligentia & cura, venerandas esse sanctas imagines easque in templis collocandas.* Et in Concilio Tridentino sess. ult definitum est imagines in templi præsertim habendas esse & retinendas, iisque debitum honorem, & venerationem impertiendam esse. Sancti Patres hoc idem unanimes docent; etenim D. Basilius epist. ad Julianum Apostatam, cum locutus fuisset de cultu Christo & Sanctis debito, subjungit: *Unde characteres imaginum ipsarum honoro, & adoro, præcipue cum à sanctis Apostolis hoc traditum sit.* S. Athanasius in quæst. ad Antioch. quæst. 39. ait: *Eos esse dementes, & fastu quodam arreptitios, qui crucem, effigiesque Sanctorum adorare recusant.*

Ratio itidem est, quia religiosum, ac bonum est colere omni modo Christum, atqui unus ex talibus modis est etiam ipsum colere in sua imagine, quia ut ait Ambrosius serm. 10. in Psal. 118. Qui imaginem honorat Imperatoris, utique illum honorat; & qui statuam contempserit Imperatoris, utique videtur ei injuriam fecisse; unde nulli dubium, quin Christi imagines colere bonum sit, ac religiosum. Additur etiam praxis Ecclesiæ, quæ sacras semper consuevit imagines colere, & ex miraculis, quæ Deus per cultum sacrarum imaginum dignatus est operari, hæc enim miracula testantur Deum approbare, & confirmare hunc cultum.

Quòd si dicas, Deum per multa operari, tametsi inde non habeant adorationem, ut sputum, quo illuminavit cæcum à nativitate aquam Jordanis, qua Naamanum purgavit à lepra, & tamen nec sputum, neque Jordanis fuerunt digna adoratione: ergo tametsi per imagines Sanctorum Deus plura fuerit miracula operatus, non tamen inde sequitur Sacras imagines esse cultu, & honore dignas: siquidem quælibet creatura voluntati deservit Creatoris. Contra est, quia imagines ideo à fidelibus religiose coluntur, quia à Deo assumuntur ad miraculosas operationes, easque notorias præterea; quia sacræ imagines eos repræsentant beatos, & sanctos, quorum vita sancta fuit quando verò Deus assumit sputum, vel aquam, vel quid aliud id generis ad miracula perpetranda, hæc non repræsentant ullum beatum, nec sanctum, consequenter non sunt adoratione & cultu sacro digna, & Zonaras narrat imaginem S. Gregorii Nazianzeni fuisse impertitam usum loquendi filio Leonis Armenici Iconomachi, ut Patrem de cultu imaginum convinceret.

Quod si dicas, 4. Regum 18. Ezechiam confregisse serpentem æneum, eò quia coli cœpisset, respondetur Hebræos adolevisse illi incensum, uti Deo, quamvis thus adolere non sit formaliter sacrificium cum in Ecclesiis Christianorum sacerdotes soleant offerre aliis sacerdotibus & populo thus; in lege tamen veteri soli sacerdoti licitum erat adolere incensum, ac proinde habebatur ut sacrificium quapropter de Jerobeamo, qui 3. Reg. 12. incensum super altare adolevit, dicitur, quod sacrificaverit, ac immolaverit. Secundò quia Judæi obliti significationis ob quam serpens erectus à Moyse fuit, quam Joann. cap. 3. declarat fuisse Christum verbis illis, *ut omnis qui credit in Christum non pereat*, Judæi verò statuam illam honorabant ob materiam sicuti cætera idola putantes beneficia sanitatum prodire ab ipso serpente æneo, & id significavit Ezechias cum vocavit serpentem Nechustam, quod æs significat, indicans nihil divinitatis ipsi inesse.

Dicendum tertiò Beatam Virginem Dei Matrem esse adorandam cultu superduliæ, quia est supra cultum omnem debitum cuilibet alteri creaturæ, idque ob participationem excellentiæ maternitatis Christi veri Dei, & veri hominis, adeo ut cultus divinæ Matri debitus sit quidem inferior cultu debito Deo, sed supra omnem alium cultum debitum cuilibet alteri creaturæ; evincitur ex eo, quia Beata Virgo in sanctitate longè superavit Sanctitatem cujusvis alterius sancti sive Angelus sit sive homo, adeo ut Sanctitas Deiparæ sit longè excellentior quacunque alia sanctitate communicata puræ creaturæ, sed cultus est debitus juxta mensuram sanctitatis, quæ est participatio divinæ excellentiæ consequenter sicut sanctitas & excellentia materis superat omnem aliam sãctitatem & excellentiam communicatam puræ creaturæ, ita est ei debitus cultus, qui sit quidem inferior cultu debito Deo, sed simul superet omnem adorationem cujuslibet alterius creaturæ: atqui hic cultus medius inter eum, qui soli Deo debetur, & eum qui puræ creaturæ, est cultus hyperduliæ, quatenus superat cultum duliæ debitum aliis sanctis, estque inferior cultu latriæ debito & Christo ratione unionis hypostaticæ. Præterea Dei paræ ratione maternitatis continet in se excellentiam, quæ longe superat omnem aliam excellentiam communicatam puræ creaturæ, quapropter D. Anselmus lib. de excellent. Virginis cap. 2. ait: *Hæc solum de Beata Virgine prædicare quod Dei Mater est excedit omnem altitudinem quæ post Deum dici & prædicari potest.* Ergo sicut excellentia Virginis longè superat omnem aliam excellentiam communicatam puræ creaturæ, ita ratione ejusdem excellentiæ, seu maternitatis debetur Virgini Matri cultus, qui superet omnem alium cultum debitum cuilibet alteri creaturæ consequenter ei debetur cultus hyperduliæ.

Dicendum est quartò omnes Sanctos, quos scimus confirmatos esse in gratia, posse ac debere adorari cultu duliæ interno, & externo, consequenter & eorum imagines ita docent omnes Catholici contra Iconoclastas aliosque Hæreticos, qui per sexaginta annorum spatium totum Orientem maximè divexârunt, & Martyres propemodum innumeros ob imaginum sacrarum defensionem cælo pepererunt. Hæc tamen persecutio sanctarum imaginum visa fuit aliquo pacto cessasse anno 787. quo tempore Synodus Oecumenica coacta Nicææ in Bithynia sancivit definitione fidei, Catholicæ usum & modum esse habendum in sacrarum imaginum veneratione, quæ post diuturnum, ac diligentissimum examen statuta fuit his verbis: *Sequentes divinitus inspiratum sanctorum Patrum nostrorum magisterium & Catholicæ traditionem ecclesiæ ( nam Spiritus Sancti hanc esse novimus qui nimirum in ipsa habetur) Definimus in omni certidudine, & diligentia sicut figuram pretiosæ & vivificæ crucis, ita venerabiles, ac sanctas imagines proponendas. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tantò qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum eorum memoriam & desiderium, & ad osculum, & ad honorariam his adorationem tribuendam. Non tamen ad veram laitiam, quæ secundum fidem est, quæque solùm divinam naturam decet, impertiendam. Ita & istis sicuti figura vivificæ crucis, & sanctis evangeliis, & reliquis sacratis monumentis incensorum, & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum & antiquis pia consuetudinis erat, imaginis enim honor transit ad primitivum, & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam, personam videlicet. Sic enim robur obtinet Sanctorum Patrum Nostrorum doctrina, id est. Traditio sancta Catholicæ ecclesiæ,*

Hæcque Iconomachorum persecutio compressa fuisset, nisi eandem cramben recoxissent ultimis temporibus Novatores, qui Catholicos adoratores sacrarum imaginum vocant idolorum cultores, asserentes tot Deos colere, quot sunt imagines sanctorum; quod quàm falsum sit, ostendit Concilium Tridentinum sess. 26. ubi ait. *Imaginibus venerationem debitam impertiendam esse; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ &c. Sed quoniam honos qui eisdem exhibetur refertur ad prototypa quæ illa repræsentant; ita ut per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus, & sanctos veneremur, quorum illæ similitudinem gerunt.*

Dupliciter potest imago considerari primò ut est res quædam, scilicet vel lignum sculptum, vel figura depicta: secundò ut est imago alterius quod repræsentat: si spectetur imago primo modo nullus ei debetur honor sicut nec coloribus nec telæ, neque ligno aut lapidi, nullus debetur cultus. Posteriori modo est ipsi honor deferendus, qui debetur prototypo hoc tamen discrimine, quia prototypo honor, & cultus debetur primariò, & per se propter excellentiam propriam; imagini verò secundariò, & propter excellentiam prototypi, quam imago repræsentat, ac participat aliquo modo, seu repræsentativè, adeo ut imago quandam habeat moralem cum prototypo unionem, ac participationem repræsentativam, quâ præcisâ, non est cultu digna, sed tantum res quædam artificiata, vel opus venum prostans in officina ad pascendos oculos. Quamobrem ut imago cultum exigat, debet ut sacra haberi, & ut talis censeri eo quia sit in loco decenti in altari sive domi, sive in ecclesia, quo pacto terra sancta dicitur ratione repræsentationis Exod. 3. v. 5. quia Deus in ea apparuerat: scriptura dicitur sacra, quia narrat res sacras: quæ continentur in ecclesia dicuntur sacra, quia pertinet ad rem sacram, & ratione ecclesiæ consecratæ, ut etiam quæ continentur in palatio regio dicuntur regalia, quia ad regem referuntur: ita quando imago alicujus sancti ponitur in ecclesia censetur Deo consecrata seu separata ab usu profano, & deputatur usui divi-

divino, sitque sacra, & hanc consecrationem instituit Deus in veteri testamento, ad cujus imitationem Christiana ecclesia solet ornamenta sacra benedicere, & inde contrahunt & ipsa sanctitatem, non quod recipiant gratiam sanctificantem, sed quia loco sancto, & sacris ministeriis addicuntur, quapropter imagines sacræ, eò quia ecclesiæ consecratæ addicantur, aliquam contrahunt adorationem, neque aliam quam relativam ad sua prototypa, ut docent Concilia, siquidem idem est motus mentis in imagine, ut imago est, & ad ipsum exemplar, cum docet Aristoteles lib. de memoria, adeo ut honor imaginis transeat in exemplar, quapropter D. Ambrosius lib. de incarnat. cap. 7. ait: Eadem adoratione coli divinitatem Christi ac ejus crucem, inquiens: *Num cum in Christo imaginem Dei & crucem adoramus dividimus eum?*

Quod verò omnes sancti, quos scimus confirmatos esse in gratia, possint, & debeant adorari cultu duliæ ex eo evincitur, quia adorare aliud non est, quam se alteri submittere & significare submissionem propter illius excellentiam supra nos: siquidem per adorationem significamus nos superari ab altero, cui nos submittimus ratione illius excellentiæ, sed justis, quos scimus confirmatos esse in gratia, inest excellentia quædam divina, ratione cujus superant cæterorum dignitates, & excellentias, quia per illam excellentiam fiunt participes naturæ divinæ, & habent Deum amicum ac Patrem, & jus ad ejus hæreditatem, ut etiam ratione filiationis adoptivæ, quæ habetur ratione gratiæ sanctificantis; hæc enim dignitas & excellentia, est tanta, ut nulli creaturæ sit major communicabilis, nisi sit unita hypostaticè Deo, vel sit Mater Christi, consequenter sancti veluti Dei amici debent adorari ut familiares hæredes ac participes divinæ excellentiæ: & quia hæc participatio non nisi accidentalis est, ideo sancti dicuntur adorari tantùm cultu latriæ, de quo intelliguntur scripturæ & Patres, quoties negant debere sanctos adorari.

Quod si dicas adorare propriè idem esse, ac profiteri se alterius esse subditum atqui non sumus subditi sanctorum, quos scimus in gratia confirmatos esse, unde quamvis sancti participent hanc gratiam, quia sunt amici filii Dei adoptivi, non tamen propter ipsam sunt adorandi. Contra est, quia tantùm adoratio Latriæ est, qua nos profitemur esse servos ac subditos illius, quem adoramus propter excellentiam Dominii supra nos, non verò adoratio duliæ, qua sanctos colimus adoratio in genere non est, qua profitemur hanc servitutem & subjectionem, quia per ipsam tantùm significamus nos excellentia, & dignitate superari ab alio. Quamobrem non omnis adoratio est professio servitutis, sed tantùm est nota submissionis eminentiæ, & excellentiæ alterius supra nos, quæ adoratio debetur sanctis.

Quod si dicas sanctos nonnisi per respectum ad Deum adorari, eò quia non adorentur nisi ut Amici Dei, quæ adoratio non est absoluta, sed respectiva; siquidem amicitia dicit respectum ad Deum consequenter si adoramus sanctos propter hanc amicitiam, eos adoramus propter respectum ad Deum. Contra est quia sancti adorantur absolutè quamvis adorentur, ut amici Dei; quia tametsi adorentur propter aliquam rationem respectivam ad Deum, coluntur tamen propter excellentiam, quam habent in se consequenter adorantur absolutè, non enim sanctos adoramus propter Deum ut excellentia Dei, sit directa proxima formalis ratio adorandi; adeo ut remotè, & in obliquo tantùm sit ratio adorandi.

# CAP. IV.

## An & quomodo sancti Angeli, & homines sint adorandi?

Gnostici, quos reprehendit Irenæus lib. 3. cap. 20. in eo fuerunt errore, ut negaverint adorationem tribuendam esse sanctis Angelis, & hominibus, & eodem errore fuisse coinquinatum Eustathium Episcopum Sebastenum asserit Concilium Gangrense coactum contra illum siquidem in can. 20. definitur: *Si quis sanctorum memorias contemnendas putaverit, anathema sit*, eandem grambem malè recoquere ausi sunt Novatores Lutherus, & Calvinus aliique recentiores Hæretici negantes debere sanctos adorari, quinimò etiam ipsi Ethnici in primitiva Ecclesia objecerunt Christianis quòd Martyres tanquam Deos colerent, ut refert Eusebius 8. histor. cap. 6. & Cyrillus qui hoc de Juliano Apostata refert lib. 6. cui propterea respondit Christianos non adorare sanctos ut Deos, sed eos honorare ut primarios viros Judæi quoque sanctorum adorationem in Christianis damnarunt, ut vitium idololatriæ ut testatur Eusebius *lib. 4. histor. cap. 15.*

Dicendum est Angelos, & homines sanctitate insignitos esse honore & cultu duliæ dignos, consequenter mereri, ut ab hominibus colantur, & adorentur, & id esse de fide definitum à Felice I. in sua epist. 2. decretali in Concilio Romano, ut etiam in Concilio Gangrensi VII. & demum in Concilio Tridentino sess. 25. Et ratio fundatur in scripturis Genes. 18. & 19. ubi Abraham & Loth adoraverunt Angelos, ut etiam Josuæ V. ubi legitur: *Apparuit ei Angelus in specie viri habens in manu gladium, cui dixit Josue noster es an adversariorum? & ille: Nequaquam, sed Princeps sum exercitus Domini, & continuo cecidit Josue pronus in terram & adoravit.* Judic. 13. Manue & ejus uxor, ut cognoverunt eum qui fuerat eis locutus, fuisse Angelum statim *pronicecciderunt in terram*, & eum adoraverunt. Adorandos etiam esse homines sanctitate insignes deducitur ex scripturis ubi 1. Reg. 18. Saul adoravit Samuelem quando post mortem ei apparuit, & tamen non fuit ab eo reprehensus. Abdias 3. Reg. 18. adoravit Eliam, eò quia vir sanctus habebatur, & Propheta Domini eodem pacto filii Prophetarum adoraverunt Elisæum 4. Reg. 2. eò quia intellixerunt Spiritum Eliæ in eo requievisse.

Quapropter Sancti Patres non solùm Angelos sed etiam homines sanctitate insignes colendos esse & adorandos censuerunt, & docuerunt, & ratio etiam naturalis id nobis suadet; siquidem ut docet Aristoteles 1. Ethic. cap. 5. Honor debetur virtuti, sed in sanctis viris splendent honestamenta virtutum, consequenter sunt digna honore, & ut iisdem à nobis exhibeatur debitus cultus; neque obstat ipsos jam obiisse quia tametsi hinc demigraverint, & non am-



plius

plius nobiscum degant, non tamen absentia à nobis eos constituit minore dignos honore, imo & majori debent censeri cultu digni, cum cælesti donentur beatitate, & de suo securi statu suam nobis possint opem præstare, nostrisque opitulari indigentiis quia cum sint in statu feliciori sanctiorem participant cum Christo vitam quapropter David Psal. 138. loquens de hoc cultu debito sanctis hominibus ait: *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus*, & Apostolus ad Rom. 2. cum novisset honorem deberi virtuti scripsit: *Gloria & honor omni operanti bonum*, unde nulli dubium quin homines sanctitate insignes, & virtutum honestamentis ornati sint colendi, & adorandi.

Nec ullum facessit negotium, quod asserunt Hæretici homines, qui hinc jam demigrârunt, quamvis in opinione sanctitatis non esse adorandos, eo quia nostra non amplius curent, neque nostra videant obsequia; quia tametsi corporali præsentia absint spiritu tamen, ac mente nobis dicuntur præsentes, quatenus omnia nostra cognoscunt obsequia, quæ ab ipsos dirigimus, nostrasque cognoscunt, & audiunt preces, quas ad eosdem fundimus, adeo ut cognoscant omnia quæ ad ipsorum pertinent statum, & rerum etiam nostrarum curam gerunt orantes pro nobis, & intercedentes apud Deum, Hinc etiam Ethnici Philosophi præsertim Plato referente Eusebio lib. 13. de præpar. evang. cap. 6. & 7. solo spiculo naturæ lumine cognoverunt viros probos etiam post mortem esse honore, & veneratione dignos.

Objiciunt tamen Hæretici aliquas scripturas, in quibus prohibemur homines adorare etenim Esder 3. Mardocheus noluit Amanum adorare, & assignans rationem subjunxit cap. 30. *Tu nosti quia non pro superbia, & contumelia aut gloriæ cupiditate hoc fecerim, sed timui ne honorem Dei mei ad hominem transferrem, & ut neminem adorarem excepto Deo meo.* Ex quo inferunt Hæretici adorationem nulli esse tribuendam creaturæ nisi soli Deo, quapropter Joannes Apocal. 19. & 22. cum vellet Angelum adorare, illi prohibuit, dicens: *Deum adora.* Sed contra quia respondet D. Thomas 2. 2. *q.* 84. *art.* 1. *ad* 1. Mardochæum tantum recusâsse Amano cultum & adorationem latriæ, eò quia hæc adoratio soli Deo non creaturæ conveniat, unde dixit Mardochæus: *Timui non honorem Dei mei ad hominem transferrem*, hoc est proprium Dei, quia Aman exigebat à Mardochæo ut genuflecteret, qui cultus indicabat cultum latriæ, qui soli Deo debebatur.

Quòd si dicas Amanum non desiderâsse hanc latriæ adorationem, sed tantùm eum cultum, qui supremis Principibus dari solet, quia Rex ipse præceperat eum ab hominibus sic adorari, & non esse verosimile Regem præcepisse, ut major tribueretur cultus Amano, quam suæ regiæ personæ, non enim Rex exposcebat honores divinos, & cultum, qui soli Deo debebatur. Nam contra quia tametsi Aman ex Regis præcepto non esset adorandus adoratione latriæ, nihilominus Mardochæus debuisset eum adorare signo externo, quod apud Judæos cultum significabat latriæ soli Deo debitum: tenebatur enim Mardochæus se conformare moribus loci, & aulæ, ac propterea adorare Amanum eo exteriori signo, quo reliqui non Judæi eum adorabant, & quidem apud Judæos hoc signo indicabatur adoratio latriæ, ideo recusavit Mardochæus tali signo colere Aman: & ex eo conjicitur, quia cum hac de re accusaretur Mardochæus, se statim excusavit, eò quia Judæus esset, & ad religionem Judæorum pertineret talem cultum soli Deo tribuere: & quia sacra scriptura factum Mardochæi videtur approbare, censendum est, Mardochæum prudenter egisse denegando eam adorationem, ne in aliorum scandalum crederet.

Ad aliud, quod addebatur de Joanne, cui fuit prohibitum adorare Angelum respondent plures ex sanctis Patribus præsertim Anselmus, & Beda Angelum recusâsse talem adorationem ex quadam tantùm urbanitate, non verò quia Joannes per exhibitionem illius cultus malè egisset, ac reprehensibilis fuisset. Alii respondent Joannem voluisse exterius tantùm exhibere Angelo summam quandam adorationem debita tamen intentione, ut esset infra latriam, & Angelum hanc recusâsse.

Objiciunt secundò, non esse homines adorandos ex illo Actor. 10. ubi cum Cornelius vellet Petrum adorare, ipse vetuit dicens: *surge, & ego ipse homo sum*, qua ratione Sancti Patres negant creaturas licet sanctas esse adorandas; etenim Athanasius serm. 3. contra Arianos ait: *Creaturam non adoro.* Sed contra quia ex eo, quod Petrus recusaverit adorari à Cornelio non ritè infertur non potuisse Cornelium licitè Petrum adorare: siquidem cum fuerit selectus à Christo ejus Vicarius, fueritque vir Sanctus, nulli dubium, quin dignus fuisset aliquo honore, & adoratione infra cultum Dei, & qui creaturæ competeret, unde ex eo, quòd Petrus detrectaverit adorari à Cornelio inferenda potius est modestia Petri no lentis sibi attribui honorem aliquem. Ad illud, quod addebatur de Sanctis Patribus respondetur, eos tantùm negare creaturis adorationem propriam Dei, cujusmodi est adoratio latriæ, non verò negare non esse viris Sanctis tribuendam debitam reverentiam, quæ in septima Synodo act. 1. & 2. vocatur *honoraria adoratio.* Cæterum Petrum deberi adoratione duliæ coli fatentur omnes Sancti Patres quia hic cultus est longè inferior cultui latriæ, qui soli Deo convenit, & etiam distinguitur à cultu hyperduliæ; qui Deiparæ convenit. Et quod Petrus sit adorandus cultu Duliæ, expressè asserit D. Augustinus serm. 25. de Sanctis ubi ait: *Beatissimum Petrum piscatorem adorat gentium multitudo credentium*, quia verò Patres fuerunt usi voce adorationis simpliciter, ut significarent per antonomasiam supremam latriæ adorationem: ideo in hoc sensu interdum negant adorationem convenire creaturis, ut D. Paulus. 1. ad Timoth. *Soli Deo honor, & gloria.* Ex quo sequitur Apostolum non negare viris probis debitum honorem & gloriam infra gloriam & honorem Dei alioquin sibi contradiceret cum ad Romanos 1. dicat: *Gloria, & honor omni operanti bonum*, unde hæc adoratio quæ sanctis tribuitur non est illa summa, quæ soli Deo debetur, & latria dicitur, sed est alia adoratio longè inferior, quæ dulia vocatur: siquidem ut superius diximus adoratio est nota submissionis propter alterius excellentiam adeo ut quo excellentia est major, eò adoratio sit sublimior: & quia excellentia sanctorum est infinitè inferior excellentia Dei sequitur adorationem Sanctorum esse longè inferiorem illa, quæ soli Deo debetur.

Dicendum est secundò proximam rationem qua Sancti viri à nobis adorantur esse eorundem excellentiam creatam supernaturalem iisdem intrinsecam adeo ut adoratio hæc sit absoluta, & proximè fundata in hac creata excellentia, ut docet D. Thomas 3. part. quæst. 15. art. 3. ad 3. Ratio est, quia cum adoratio sit animi cedenti submissio, quædam nota ob

alte-

alterius excellentiam exigit proximè fundari in excellentia illius qui adoratur, atqui gratia & gloria sanctorum est in ipsis aliquid creatum, ac intrinsecè iisdem inhærens, eosque constituens in excellenti gradu præfections, & Sanctitatis, ergo ratione hujus excellentiæ creatæ ac sitæ in gratia, & gloria sunt sancti digni propria adoratione absoluta, adeo ut adoratio ipsis debita fundetur in propria, & intrinseca eorundem excellentia, & sanctitate absque eo, quod referatur ad quid aliud extrinsecum, adeoque sit sola adoratio duliæ omnino distincta ab adoratione latriæ, quæ soli Deo convenit, quia adoratio tio duliæ exigit fundari in excellentia finita, & creata, & adoratio latriæ in excellentia infinita & increata, quapropter Adrianus Papa epist. ad Constant. & Irenem ait: Sanctos à nobis venerari, & colicò quia servi Dei sint, & quod Deum pro nobis intercedant; & postea explicans quomodo eorundem adoratio sit absoluta. & proximè fundata in illorum excellentia subdit *decet eos honor, & veneratio propter justitiam eoram*, & hæc Adriani epistola legitur in septima Synodo act. 2. in quo sensu Eusebius lib. 1. de præparat. evangel. cap. 7. ait: Nos venerari sanctos, ut veræ pietatis milites, Deique amicos scilicet ob intrinsecam creatam & finitam eorundem excellentiam. Neque obstat,

Si dicas plerumque Patres asserere Sanctos esse adorandos propter excellentiam creatam Dei ad quam referuntur; etenim Athanasius lib. de virginit. circa finem ait; *Si homo justus ædes tuas intraverit cum timore, & tremore occurrens illi adorabis humi ad pedes illius; non enim eum, sed Deum adorabis*, ubi asserit Adorationem qua sanctos colimus non esse absolutam, & terminatam ab ipsos Sanctos, sed esse respectivam & referri ad Deum, qui adoratur in Sanctis; in quo sensu S. Basilius orat. in 40. Martyres ait: *Honor quem bonis conservis exhibemus, benevolentia erga communem dominum significationem de se præbet.* Eadem ratione Damascenus lib. 4. cap. 16. asserit Sanctos adorari ut Dei templa viva, adeo ut Deus sit prox ima ratio adorandi Sanctos. D. Hieronymus etiam epist. ad Riparium asserit hanc sanctorum adorationem esse respectivam quatenus refertur in Deum qui est proxima ratio, in qua hæc adoratio fundatur, hinc hortamur, ut honoremus servos, quatenus eorum honor redundet ad Dominum. Contra est, quia catenus sancti Patres asserunt hanc Sanctorum adorationem esse respectivam ac in Deum referibilem non quia velint esse Sanctos adorandos adoratione latriæ; sed quia illa excellentia inhærens Sanctis, & in qua proximè fundatur adoratio duliæ, est quædam participatio divinæ excellentiæ, & perfectionis in quo sensu honor, qui tribuitur sanctis viris propter hanc sanctitatem dicitur referri ad Deum; non quia in ipsa excellentia increata Dei sit prima ratio movens ad hanc adorationem, sed quia in eam refunditur, quo pacto dicit Christus Matth. 10. *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Cæterum sancti sunt per se adorabiles & proprius eorum honor exigit proximè fundari in eorundem excellentia, & sanctitate.

Quòd si quæras, quæ sint illa, quæ respectivè adorantur, respondetur quòd quoties aliquid respectivè adoratur duo necessario debent adorari una eademque adoratione terminata indivisibiliter ad utrumque, Hinc quoties adoratur imago, adoratur etiam prototypon adeo ut idem motus adorationis sit ad imaginem, & prototypon, quia cùm sit signum, & imago in id tantùm ordinatur, ut sensibus substituas prototypon proinde si adoratur imago necesse est etiam ut adoretur prototypon, & ita dicendum de aliis, quæ respective adorantur dicuntur enim coadorari; quia simul adorantur cum alio cujus excellentiam in se non habent, rursus certum est non posse quidquam respective adorari nisi propter connexionem, & habitudinem, quam dicit ad aliquid per se adorabile, quia respectivè adorare aliquid perinde est, ac illud adorare propter excellentiam residentem in aliquo, & ut aliquid adoremus propter excellentiam residentem in alio oportet, ut id quod adoramus dicat habitudinem ad aliud, in quo est excellentia, & hæc habitudo potest quatuor modis contingere primò per contactum nimirum si rem illam tetigerit, ut crux in qua fixus est Christus, sacræ vestes, corona spinea, & alia id genus. Secundò per repræsentationem, quam habent imagines. Tertio per habitudinem partis, aut quasi partis, ut guttæ sanguinis, quæ emanârunt è corpore Christi. Quartò per habitudinem præsentiæ, qualem habent species sacramentales respectu corporis Christi sub illis contenti. Rursus ut aliquid adoretur respectivò propter aliquam ex prærecensitis habitudinibus, requiritur quòd per se non sit capax alicujus adorationis absolutè, quia tunc oriretur periculum, ne totus cultu ad id dirigeretur, quòd tantùm respective adoratur: ex quo fit, ut creaturæ rationales, tametsi sint imagines Dei, non tamen debeant adorari per hoc præcisè quòd sint tales imagines. Cæterum res quæ per se sunt incapaces absolutè adorationis quoties habent aliquam habitudinem, vel connexionem ex quatuor recensitis cum re per se adorabili, debent adorari respectivè, hinc species Sacramentales coadorantur latria ob præsentiam Christi, cui sunt conjunctæ: guttæ sanguinis Christi Domini relictæ, & servatæ in terris adorantur tanquam olim partes Christi. Propter contactum adoratur crux Christi, vestes, & alia hujusmodi, quæ sacratissimam Christi humanitatem tetigerunt. Propter repræsentationem adorantur imagines Christi, & nomen Jesu sumendo nomen prout est res significans non pro re significata. Hæc omnia prærecensita adorantur respectivè adoratione latriæ. Coadorantur verò hyperdulia respective vestes, & imagines Virginis Matris, & demum dulia respective adorantur vestes, & imagines sanctarum.

Quòd vero imagines Sanctorum respective adorentur dulia, definitum fuit in Nicæna Synodo II. Act. 7. contra Iconoclastas, in Florentina *sess.* 5. & in Tridentino *sep.* 25. contra Hæreticos nostri temporis & quidem hæc veritas constat ex perpetua ecclesiæ traditione ab ipsis Apostolis ad nos usque derivata, ut asserit Damascenus *lib.* 4. *fidei cap.* 17. Præcipuum fundamentum ad sacras imagines Christi, & sanctorum habendas & retinendas est ut ex earum aspectu fidelium animi excitentur, & inflammentur ad prototypa ipsa, quæ repræsentant colenda, & adoranda, ad eorum heroicas actiones imitandas, & gratias ab iisdem impetrandas, ut habet præcitata Nicæna Synodus II. *act. ult*: ex quo constat quàm falsò asserat Calvinus, imagines ad nihil aliud valere quam ad oculos oblectandos; ut enim superius dixi dupliciter potest imago considerari materialiter, & subjectivè ut est res quædam artificialis constans ex certa materia, & figura. Secundò formaliter, & repræsentative, ut est formaliter imago repræsentans protolypon; sub priori conside-

ratione nullus Catholicorum asserit imaginem Christi, vel sanctorum esse aliquo cultu dignam quia sub hac consideratione est tantùm vel statua sculpta, vel effigies depicta seu res inanima incapax honoris & adorationis: sed sub posteriori consideratione componit quid unum in esse repræsentativo cum exemplari: quia ut exercens actum imaginis non potest concipi nisi ut objectivè conjuncta cum suo prototypo, & imagine fit unum objectum adæquatè terminans actum adorationis, quo pacto considerat imaginem formaliter potest adorari cultu respectivo ad prototypon, adeo ut ipsa imago non sit ratio adorandi, nec terminus adorationis, sed tantùm signum rememorativum, quo homo excitatus per pium affectum tendit in solum prototypon ut in objectum integrum adorationis adeo ut affectus adorantis non solum tendat in prototypon verum etiam in imaginem ut in objectum partiale, minus principale, & secundarium, quamvis ratio adorandi sit sola excellentia prototypi, siquidem prototypon absolutè adoramus propter excellentiam in illo repertam, & imaginem non nisi respectivè propter excellentiam exemplaris, ut contradistincti, & nullo pacto physicè uniti.

Hinc non repugnat uno eodemque adorationis actu simul imaginem, & prototypon attingi per modum unius adæquati, & totalis objecti, & in secunda Nicæna Synodo approbatur testimonium Leontii de imaginum adoratione contra Judæos qui hanc doctrinam explicat exemplo sigilli imperialis inquiens: *Quemadmodum qui mandatum Imperatoris suscepit illius sigillum osculando non ipsam ceram, aut characterem aut plumbum veneratur, sed ipsi Imperatori adorationem, & cultum exhibet, perinde Christianorum filii typum crucis adorantes non naturam ligni adoramus, sed sigillum, & annulum, & characterem Christum ipsum aspicientes, per hac eum qui in ligno crucifixus est, salutamus, & adoramus*; & nonnullis interjectis subdit: *Ego imaginem Christi adorans non lignorum aut colorum naturam adoro, absit, sed inanimatum characterem Christi; hunc enim cum habeam per ipsum Christum tenere, & adorare mihi videor.*

Dices hanc expositionem cultus, & honoris relativi haberi apud Paganos, qui tamen, ut Idololatræ arguuntur impietatis, si enim Catholici dicant imagines non adorari ratione sui, & in illis ipsis, sed ratione exemplaris quod repræsentant; etiam Pagani sua idola, & simulacra non in se ipsis ut Deos venerantur, sed quia in illis, ut repræsentantibus Deos invisibiles eos colebant, scilicet per visibilia simulacra. Sed contra quia modus iste loquendi, & explicandi cultum idolorum non fuit dogma Paganismi, nec doctrina eorum flaminum, qui idoli seu simulacri cultum, & venerationem edocebant, cò quia per consecrationem ab ipsis factam Dii incorporei essent in ipsis simulacris, ut respondit Celsus in origine, & etiam Ethnicus in lib. 6. Arnobii adversus Gentes, unde Augustinus in Psal. 96. ait: *Quidam disputator respondit, non colo lapidem vel simulacrum illud sensu carens nam vester Propheta nosse potui ea oculos habere & non videre. Neque ego ignorare potuit simulacrum illud non habere animam, nec auribus suis audire, aut oculis suis videre: non ergo ipsi servio, sed adoro, quod video, & servio ei, quem non video. Quis est ille? Deus quidam invisibilis, qui praest huic simulacro*, & lib. 3. de doctrin. Christ. cap. 7. plures species idololatriæ asserit Paganis communes & ait: Simulacra vel ut Deos vel ut imagines Deorum à Paganis adorari repræsentatio autem hæc & res effigiata falsæ erant & hoc modo formare idola non licet artifici. Et quæst. 68. in Levit. asserit Augustinus Catholic. nusquam dixisse imagines deificari per consecrationem, aut esse Deorum habitacula: neque Ecclesiam profiteri inhærere imagini virtutem aliquam, cujus beneficio miracula edantur sed hæc ab ipso supremo omnipotente Deo. emanare fateri, quia solus Deus ad intercessionem vel honorem alicujus Sancti hæc miracula perpetrat. Præterea ab impietate non potuerunt excusari Pagani, asserentes, se non colere idola, sed Deos in eis, & per illa, quod falsos Deos colerent, cum enim lumine naturali verum Deum agnoscere potuissent, non tamen eum glorificâverunt in cogitationibus suis. Rursus falsum est idola & simulacra Paganorum nunquam pro ipsis Diis habita fuisse, siquidem Israelitæ desertores hoc expressè testantur Exodi 32. de statua vituli, quam exposcebant, dixerunt enim: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Et infra, *Hi sunt Dii tui*, & Sapient 13. *Appellaverunt Deos suos opera manuum suarum.*

Ut autem expressius propria notio idololatriæ, & paganismi intelligatur dupliciter potest errari in generali cultu Dei primò per atheismum, quo negatur existent a Dei, & cujuscunque divinitatis fides objicitur. Secundò per paganismum apprehendendo, credendo, colendo Deitatem aliquam, quæ Deitas non sit; Deus enim ex se immortalis, & ante sæcula in se ipso & ex se ipso beatus, & gloriosus, cum daret decalogum, seu legem suam Exodi 10. utrumque errorem damnat verbis illis: *Audi Israël Ego Dominus Deus tuus*, quibus verbis convincit atheos, & confundit tria contra ipsos asserens de se ipso, quod existat, quòd sit Deus, & quod sit Dominus. Quòd Deus, & Dominus populi sui curam habens, & providentiam illorum, subdit enim: *Non habebis Deos alienos coram me, seu præter me: non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, neque eorum quæ sunt in aquis sub terra non incurvabis te, neque servies ei.* Omnis enim cultus exhibitus idolis quamvis adoratione vacuus semper peccatum est lethale irritans Omnipotentis Dei Zelotypiam, unde Deus per idola reprobat cultum, & honorem divinum exhibitum falsæ & supposititiæ Divinitati, cum ait: *Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile* quod etiam repetit Levit. 26.

Juxta has duas considerationes falsæ deitatis vel in se vel in ejus repræsentatione plures designantur idololatriæ species, quatenus non in hoc idololatria laxè sumitur, quatenus includit omnem cultum alteri quàm vero Deo exhibitum, quo idololatra quovis modo terram dehonestâsse, & cælum ipsum ad pænas infligendas irritâsse deprehensum est. Prima species eorum est, qui Creaturam verè existentem sive spiritualem sive corporalem venerabantur, ut Deum, sine interventu repræsentationis, aut imaginis, quæ idololatria Persis ab Origene tribuitur, qui solem dicuntur lunam & stellas absque simulacris adorasse neque templa ulla erigebant pro Diis suis præter ipsum cælum quapropter ut refert Cicero lib. 2. de legib. Persæ, Græciam sub Xerxe ingressi templa igne vastarunt indignum existimantes, quod murorum ambitu, & limitibus cælestia Numina coarctarentur, ac in angu-

angustiis parietum adigerentur. Et iste cultus corporibus cœlestibus exhibitus supponit essentialiter Deos esse vel Deitatem aliquam iisdem personaliter unitam; unde error & falsitas detegitur in objecto adorationis, quia cùm hæc astra sint purè creaturæ, non est ipsis ullus cultus latriæ nec duliæ debitus, quia ille Soli Deo convenit, & iste sanctis propter eorundem excellentiam & gratiam sanctificantem, ac gloriam, qua sunt amici Dei, cujus amicitiæ sunt incapacia corpora cœlestia planetarum, & aliorum Syderum.

Secunda species est eorum, qui Creaturas non in se ipsis, sed in simulacris, statuis, & repræsentationibus adorabant, sive creaturæ illæ homines essent, ut testatur Lactantius, asserens Paganos adorâsse defunctos in Idolis, quod tamen non audebant populo propalare; hoc idem etiam notat D. Augustinus lib. 8. de civit. cap. 26. ubi ait Deos Paganorum homines fuisse & statuam Dei Serapidis digitum ad os porrectum habuisse, quo significaretur, nemini licere, Serapin fuisse hominem, evulgare; imò sub pœna mortis prohibitum erat, ejus tamen obitus, & tumulus notus erat omnibus, sive ipsæ creaturæ Dæmonia essent, de quibus David Psal. 95. *Omnes Dii gentium dæmonia*, & Deuter. 32. *Immolaverunt Dæmoniis, & non Deo*, & 1. Corinth. 10. *Quæ immolant gentes, Dæmoniis immolant, non Deo.* Sive nec homines, nec dæmonia essent, sed tantum pars quædam mundi mysticè repræsentata per hæc idola, quo pacto aliqui adorabant cœlum in idolo Saturni; alii solem in figura Apollinis, alii aerem in simulacro Jovis; alii ignem in figura Vulcani; alii mare in statua Neptuni; terram alii in figura Cybales, & sic de aliis idolis, quæ referuntur ab Eusebio lib. 3. de præparat. Evang. cap. 2. in quibus omnibus cultus erat erroneus, & simulacrum, in quod dirigebatur, erat idolum, quamvis imagines harum creaturarum corporearum falsæ non essent, quatenus tamen ab Adoratoribus apprehendebantur, cultus erat idololatricus, & repræsentatio Deitatis falsa, ut & Deitas nulla, sed tantùm imaginaria, & vana, & ad hanc idololatriæ speciem reducitur hæresis Collyridianorum, quam refutat Epiphanius.

Tertia species est eorum, qui res fictitias inducebant in rerum natura, quas colerent, ut quosdam Deos, & sine simulacris adorabant, ut Jovem, Junonem, Martem, Dianam, Palladem, & alia hujusmodi colebantur, ut numina, tametsi constet nunquam extitisse, & hujus speciei idololatriæ meminit Tertullianus lib. de idolis, ubi scribit, idololatriam viguisse ante idola, cum templa vacua essent.

Quarta species est eorum, qui falsas deitates in simulacris unitas, eaque deificantes credunt, & colunt, adeo ut idolum seu simulacrum sic unitum esset personaliter vel per quandam conversionem substantiæ idolorum, ut rudiores putabant, vel per infusionem, & incorporationem Deitatis in ipsis simulacris, & idolis, ut asserebant doctiores, adeo ut illa duo unicum adorationis objectum efficerent, adeo ut idola non tantum imagines, & residentiæ, seu domus Deorum essent, sed ipsi nec Dii, & hæc communior erat Paganorum idololatria, ut sæpius testatur scriptura Jerem. 2. *Dicentes ligno, Pater meus es tu, & lapidi, tu me genuisti, ubi sunt Dii tui, quos fecisti, tibi surgant, & liberent te in die afflictionis tuæ.* Actor. 19. Demetrius argentarius loquens de Paulo ait: *Hic docet, quoniam non sunt Dii, qui manibus fiunt.* Hoc idem adstruunt Sancti Patres, præsertim Justinus: *Videte, cujus substantiæ res sint, quas Deos creditis; unus ex are, alius ex ligno, hac colitis, & adoratis similesque iis facti estis, & ideo Christianos odio habetis, quia hac Deos esse non credunt*, & D. Augustinus lib. 8. de civit. cap. 23. ait: Certa arte Spiritus invisibilis rebus corporeis unire, ita ut simulacra corporea sint animata, consecrata, & dedicata iis Spiritibus; hoc, ait Mercurius Trismegistus, perinde est ac facere Deos. Pagani igitur à suis edocti Flaminibus statuas credebant deificari per certas adjurationes, & evocationes magicas, adeo ut certa dedicationis, ac consecrationis formula Deitas falsorum suorum Numinum non solum in iis idolis tanquam in domiciliis agitarent, sed incorporarentur velut anima, & Spiritus, qui hæc animabat, quo pacto intelligitur Tertullianus cap. 12. adversus Gentes, ubi ait: *Materia sunt sorores sartaginum, & cacaborum nostrorum fatum consecratione mutantes.* Minutius tamen Felix in Octavio id clarius exprimit, & observat tria tempora in constructione alicujus idoli, in quorum ultimo per orationem, & consecrationem Paganam deificabatur, & non ante è Sylva, vel aliunde extrahitur lignum, æs, sæpe è vase immundo funditur, lapis sæpe in imaginem ab ignorante excinditur, nec tamen nascitur adhuc Deus, erigitur, construitur, nec Deus est; ecce ornatur, consecratur, & obsecratur, tunc finaliter est Deus; quo pacto non solùm Ethnici credebant, & adorabant Deos, sed etiam Judæi: *Ecce, Dii tui, qui te de Ægypto transtulerunt.* Quinta species idololatriæ cæteris hactenus recensitis subtilior est aliquorum Semipaganorum, qui objurgatione Christianorum confusi, & absurditatem sibi objectam dissimulantes, & artificiosè colorantes, profitebantur se non habere idola, & simulacra, ut Deos, sed tantùm ut imagines, & domicilia, seu residentias Deorum.

Ex hac Ethnicorum doctrina habentur discrimina inter Paganorum idola, & Christianorum imagines. Prima enim differentia in eo est sita, quia idola, ut sic, erant mala essentialiter, neque potuerunt unquam justificari, quod de imaginibus ut sic simpliciter non potest dici quia hæ repræsentant prototypa vera, & eorum excellentias secus idola cum repræsentarent falsa Numina, quæ non erant, semper erant falsa. Hinc secundùm discrimen est, quia idola continebant essentialiter falsitatem, quatenus repræsentabant rem, quæ nullo modo existebat, vel rem, quæ non erat, è contra imagines Christianorum sunt repræsentationes rerum existentium ut imago crucifixi repræsentat Christum, qui crucifixus est. Tertia differentia est, quia Pagani credebant idola esse veros Deos vel domicilia, & residentias Deorum, quibus propterea sacrificia offerebant, contra verò Catholici imagines, nec Deos credunt, nec Deorum imagines, nec illis sacrificant, sed tantùm prototypis, unde falsò asserunt Novatores Catholicos criminantes, eò quia sumant imagines pro ipsis rebus, quas repræsentant, ut sit imago Christi pro ipso Christo, imago S. Petri pro ipso D. Petro, quod falsissimum est, quia si imago refertur ad prototypon, repugnat esse prototypon, quia cùm sint duo correlativa, debent necessario esse distincta, imago igitur Christi repræsentat quidem Christum, sed non est ipse Christus, sed ad illum refertur repræsentativè, neque Catholici imaginibus attribuunt Deitatem ullam inhabitantem, neque enim in imagine D. Petri, putant existere ipsum D. Petrum, sed tantum repræ-

ratione nullus Catholicorum asserit imaginem Christi, vel sanctorum esse aliquo cultu dignam quia sub hac consideratione est tantùm vel statua sculpta, vel effigies depicta seu res inanima incapax honoris & adorationis: sed sub posteriori consideratione componit quid unum in esse repræsentativo cum exemplari: quia ut exercens actum imaginis non potest concipi nisi ut objectivè conjuncta cum suo prototypo, & imagine fit unum objectum adæquatè terminans actum adorationis, quo pacto considerat imaginem formaliter potest adorari cultu respectivo ad prototypon, adeo ut ipsa imago non sit ratio adorandi, nec terminus adorationis, sed tantùm signum rememorativum, quo homo excitatus per pium affectum tendit in solum prototypon ut in objectum integrum adorationis adeo ut affectus adorantis non solum tendat in prototypon verum etiam in imaginem ut in objectum partiale, minus principale, & secundarium, quamvis ratio adorandi sit sola excellentia prototypi, siquidem prototypon absolutè adoramus propter excellentiam in illo repertam, & imaginem non nisi respectivè propter excellentiam exemplaris, ut contradistincti, & nullo pacto physicè uniti.

Hinc non repugnat uno eodemque adorationis actu simul imaginem, & prototypon attingi per modum unius adæquati, & totalis objecti, & in secunda Nicæna Synodo approbatur testimonium Leontii de imaginum adoratione contra Judæos qui hanc doctrinam explicat exemplo sigilli imperialis inquiens: *Quemadmodum qui mandatum Imperatoris suscepit illius sigillum osculando non ipsam ceram, aut characterem aut plumbum veneratur, sed ipsi Imperatori adorationem, & cultum exhibet, perinde Christianorum filii typum crucis adorantes non naturam ligni adoramus, sed sigillum, & annulum, & characterem Christum ipsum aspicientes, per hac eum qui in ligno crucifixus est, salutamus, & adoramus;* & nonnullis interjectis subdit: *Ego imaginem Christi adorans non lignorum aut colorum naturam adoro, absit, sed inanimatum characterem Christi; hunc enim cum habeam per ipsum Christum tenere, & adorare mihi videor.*

Dices hanc expositionem cultus, & honoris relativi haberi apud Paganos, qui tamen, ut Idololatræ arguuntur impietatis, si enim Catholici dicant imagines non adorari ratione sui, & in illis ipsis, sed ratione exemplaris quod repræsentant; etiam Pagani sua idola, & simulacra non in se ipsis ut Deos venerantur, sed quia in illis, ut repræsentantibus Deos invisibiles eos colebant, scilicet per visibilia simulacra. Sed contra quia modus iste loquendi, & explicandi cultum idolorum non fuit dogma Paganismi, nec doctrina eorum flaminum, qui idoli seu simulacri cultum, & venerationem edocebant, eò quia per consecrationem ab ipsis factam Dii incorporei essent in ipsis simulacris, ut respondit Celsus in origine, & etiam Ethnicus in lib. 6. Arnobii adversus Gentes, unde Augustinus in Psal. 96. ait: *Quidam disputator respondit, non colo lapidem vel simulacrum illud sensu carens nam vester Propheta nosse potui ea oculos habere & non videre. Neque ego ignorare potuit simulacrum illud non habere animam, nec auribus suis audire, aut oculis suis videre: non ergo ipsi servio, sed adoro, quod video, & servio ei, quem non video. Quis est ille? Deus quidam invisibilis, qui praeest huic simulacro,* & lib. 3. de doctrin. Christ. cap. 7. plures species idololatriæ asserit Paganis communes & ait: Simulacra vel ut Deos velut imagines Deorum à Paganis adorari repræsentatio autem hæc & res effigiata falsæ erant & hoc modo formare idola non licet artifici. Et quæst. 68. in Levit. asserit Augustinus Catholic. nusquam dixisse imagines deificari per consecrationem, aut esse Deorum habitacula: neque Ecclesiam profiteri inhærere imagini virtutem aliquam, cujus beneficio miracula edantur sed hæc ab ipso supremo omnipotente Deo. emanare fateri, quia solus Deus ad intercessionem vel honorem alicujus Sancti hæc miracula perpetrat. Præterea ab impietate non potuerunt excusari Pagani, asserentes, se non colere idola, sed Deos in eis, & per illa, quod falsos Deos colerent, cum enim lumine naturali verum Deum agnoscere potuissent, non tamen eum glorificâverunt in cogitationibus suis. Rursus falsum est idola & simulacra Paganorum nunquam pro ipsis Diis habita fuisse, siquidem Israelitæ desertores hoc expressè testantur Exodi 32. de statua vituli, quam exposcebant, dixerunt enim: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Et infra, *Hi sunt Dii tui,* & Sapient 13. *Appellaverunt Deos suos opera manuum suarum.*

Ut autem expressius propria notio idololatriæ, & paganismi intelligatur dupliciter potest errari in generali cultu Dei primò per atheismum, quo negatur existent a Dei, & cujuscunque divinitatis fides objicitur. Secundò per paganismum apprehendendo, credendo, colendo Deitatem aliquam, quæ Deitas non sit; Deus enim ex se immortalis, & ante sæcula in se ipso & ex se ipso beatus, & gloriosus, cum daret decalogum, seu legem suam Exodi 10. utrumque errorem damnat verbis illis: *Audi Israel Ego Dominus Deus tuus,* quibus verbis convincit atheos, & confundit tria contra ipsos asserens de se ipso, quod existat, quòd sit Deus, & quod sit Dominus. Quòd Deus, & Dominus populi sui curam habens, & providentiam illorum, subdit enim: *Non habebis Deos alienos coram me, seu præter me: non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, neque eorum quæ sunt in aquis sub terra non incurvabis te, neque servies ei.* Omnis enim cultus exhibitus idolis quamvis adoratione vacuus semper peccatum est lethale irritans Omnipotentis Dei Zelotypiam, unde Deus per idola reprobat cultum, & honorem divinum exhibitum falsæ & suppositiriæ Divinitati, cum ait: *Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile* quod etiam repetit Levit. 26.

Juxta has duas considerationes falsæ deitatis vel in se vel in ejus repræsentatione plures designantur idololatriæ species, quatenus non in hoc idololatria laxè sumitur, quatenus includit omnem cultum alteri quàm vero Deo exhibitum, quo idololatra quovis modo terram dehonestâsse, & cælum ipsum ad pænas infligendas irritâsse deprehensum est. Prima species eorum est, qui Creaturam verè existentem sive spiritualem sive corporalem venerabantur, ut Deum, sine interventu repræsentationis, aut imaginis, quæ idololatria Persis ab Origene tribuitur, qui solem dicuntur lunam & stellas absque simulacris adorasse neque templa ulla erigebant pro Diis suis præter ipsum cælum quapropter ut refert Cicero lib. 2. de legib. Persæ, Græciam sub Xerxe ingressi templa igne vastarunt indignum existimantes, quod murorum ambitu, & limitibus cælestia Numina coarctarentur, ac in angu-

angustiis parietum adigerentur. Et iste cultus corporibus cœlestibus exhibitus supponit essentialiter Deos esse vel Deitatem aliquam iisdem personaliter unitam; unde error & falsitas detegitur in objecto adorationis, quia cùm hæc astra sint purè creaturæ, non est ipsis ullus cultus latriæ nec duliæ debitus, quia ille Soli Deo convenit, & iste sanctis propter eorundem excellentiam & gratiam sanctificantem, ac gloriam, qua sunt amici Dei, cujus amicitiæ sunt incapacia corpora cœlestia planetarum, & aliorum Syderum.

Secunda species est eorum, qui Creaturas non in se ipsis, sed in simulacris, statuis, & repræsentationibus adorabant, sive creaturæ illæ homines essent, ut testatur Lactantius, asserens Paganos adorâsse defunctos in Idolis, quod tamen non audebant populo propalare; hoc idem etiam notat D. Augustinus lib. 8. de civit. cap. 26. ubi ait Deos Paganorum homines fuisse & statuam Dei Serapidis digitum ad os porrectum habuisse, quo significaretur, nemini licere, Serapin fuisse hominem, evulgare; imò sub pœna mortis prohibitum erat, ejus tamen obitus, & tumulus notus erat omnibus, sive ipsæ creaturæ Dæmonia essent, de quibus David Psal. 95. *Omnes Dii gentium dæmonia*, & Deuter. 32. *Immolaverunt Dæmoniis, & non Deo*, & 1. Corinth. 10. *Quæ immolant gentes, Dæmoniis immolant, non Deo.* Sive nec homines, nec dæmonia essent, sed tantum pars quædam mundi mysticè repræsentata per hæc idola, quo pacto aliqui adorabant cœlum in idolo Saturni; alii solem in figura Apollinis, alii aerem in simulacro Jovis; alii ignem in figura Vulcani; alii mare in statua Neptuni; terram alii in figura Cybales, & sic de aliis idolis, quæ referuntur ab Eusebio lib. 3. de præparat. Evang. cap. 2. in quibus omnibus cultus erat erroneus, & simulacrum, in quod dirigebatur, erat idolum, quamvis imagines harum creaturarum corporearum falsæ non essent, quatenus tamen ab Adoratoribus apprehendebantur, cultus erat idololatricus, & repræsentatio Deitatis falsa, ut & Deitas nulla, sed tantùm imaginaria, & vana, & ad hanc idololatriæ speciem reducitur hæresis Collyridianorum, quam refutat Epiphanius.

Tertia species est eorum, qui res fictitias inducebant in rerum natura, quas colerent, ut quosdam Deos, & sine simulacris adorabant, ut Jovem, Junonem, Martem, Dianam, Palladem, & alia hujusmodi colebantur, ut numina, tametsi constet nunquam extitisse, & hujus speciei idololatriæ meminit Tertullianus lib. de idolis, ubi scribit, idololatriam viguisse ante idola, cum templa vacua essent.

Quarta species est eorum, qui fallas deitates in simulacris unitas, eaque deificantes credunt, & colunt, adeo ut idolum seu simulacrum sic unitum esset personaliter vel per quandam conversionem substantiæ idolorum, ut rudiores putabant, vel per infusionem, & incorporationem Deitatis in ipsis simulacris, & idolis, ut asserebant doctiores, adeo ut illa duo unicum adorationis objectum efficerent, adeo ut idola non tantum imagines, & residentiæ, seu domus Deorum essent, sed ipsi nec Dii, & hæc communior erat Paganorum idololatria, ut sæpius testatur scriptura Jerem. 2. *Dicentes ligno, Pater meus es tu, & lapidi, tu me genuisti, ubi sunt Dii tui, quos fecisti, tibi surgant, & liberent te in die afflictionis tuæ.* Actor. 19. Demetrius argentarius loquens de Paulo ait: *Hic docet, quoniam non sunt Dii, qui manibus fiunt.* Hoc idem adstruunt Sancti Patres, præsertim Justinus: *Videte, cujus substantiæ res sint, quas Deos creditis; unus ex ære, alius ex ligno, hæc colitis, & adoratis similesque iis facti estis, & ideo Christianos odio habetis, quia hæc Deos esse non credunt*, & D. Augustinus lib. 8. de civit. cap. 23. ait: Certa arte Spiritus invisibilis rebus corporeis unire, ita ut simulacra corporea sint animata, consecrata, & dedicata iis Spiritibus; hoc, ait Mercurius Trismegistus, perinde est ac facere Deos. Pagani igitur à suis edocti Flaminibus statuas credebant deificari per certas adjurationes, & evocationes magicas, adeo ut certa dedicationis, ac consecrationis formula Deitas falsorum suorum Numinum non solum in iis idolis tanquam in domiciliis agitarent, sed incorporarentur velut anima, & Spiritus, qui hæc animabat, quo pacto intelligitur Tertullianus cap. 12. adversus Gentes, ubi ait: *Materiæ sunt sorores sartaginum, & cacaborum nostrorum fatum consecratione mutantes.* Minutius tamen Felix in Octavio id clarius exprimit; & observat tria tempora in constructione alicujus idoli, in quorum ultimo per orationem, & consecrationem Paganam deificabatur, & non ante è Sylva, vel aliunde extrahitur lignum, æs, sæpe è vase immundo funditur, lapis sæpe in imaginem ab ignorante excinditur, nec tamen nascitur adhuc Deus, erigitur, construitur, nec Deus est; ecce ornatur, consecratur, & obsecratur, tunc finaliter est Deus; quo pacto non solùm Ethnici credebant, & adorabant Deos, sed etiam Judæi: *Ecce, Dii tui, qui te de Ægypto transtulerunt.* Quinta species idololatriæ cæteris hactenus recensitis subtilior est aliquorum Semipaganorum, qui objurgatione Christianorum confusi, & absurditatem sibi objectam dissimulantes, & artificiosè colorantes, profitebantur se non habere idola, & simulacra, ut Deos, sed tantùm ut imagines, & domicilia, seu residentias Deorum.

Ex hac Ethnicorum doctrina habentur discrimina inter Paganorum idola, & Christianorum imagines. Prima enim differentia in eo est sita, quia idola, ut sic, erant mala essentialiter, neque potuerunt unquam justificari, quod de imaginibus ut sic simpliciter non potest dici quia hæ repræsentant prototypa vera, & eorum excellentias secus idola cum repræsentarent falsa Numina, quæ non erant, semper erant falsa. Hinc secundùm discrimen est, quia idola continebant essentialiter falsitatem, quatenus repræsentabant rem, quæ nullo modo existebat, vel rem, quæ non erat, è contra imagines Christianorum sunt repræsentationes rerum existentium ut imago crucifixi repræsentat Christum, qui crucifixus est. Tertia differentia est, quia Pagani credebant idola esse veros Deos vel domicilia, & residentias Deorum, quibus propterea sacrificia offerebant, contra verò Catholici imagines, nec Deos credunt, nec Deorum imagines, nec illis sacrificant, sed tantùm prototypis, unde falsò asserunt Novatores Catholicos criminantes, eò quia sumant imagines pro ipsis rebus, quas repræsentant, ut sit imago Christi pro ipso Christo, imago S. Petri pro ipso D. Petro, quod falsissimum est, quia si imago refertur ad prototypon, repugnat esse prototypon, quia cùm sint duo correlativa, debent necessario esse distincta, imago igitur Christi repræsentat quidem Christum, sed non est ipse Christus, sed ad illum refertur repræsentativè, neque Catholici imaginibus attribuunt Deitatem ullam inhabitantem, neque enim in imagine D. Petri, putant existere ipsum D. Petrum, sed tantum repræ-

repræsentationem referentem imaginem ad D. Petrum; & ideo imaginem colunt quia refertur ad prototypon quod repræsentat, ut definitum fuit in Conciliis Niceno, & Tridentino: ex quo clarissimè constat, cultum sacrarum imaginum non esse idololatricum, neque Catholicos redolere paganismum, ut falsò hæretici putant. Honor enim habet pro suo objecto excellentiam in honorato; perinde ac amor habet bonitatem; & sicut amor crescit ad incrementum bonitatis; ita honor exhibetur juxta proportionem excellentiæ, quæ cum in Deo sit infinita imparticipata adoratur cultu supremo latriæ, in Deipara quia est finita creata, sed in ordine creaturarum supra reliquas omnes creaturas, quas in prærogativis excellentiæ longè superat, adoratur cultu hyperduliæ; & in reliquis sanctis cultu duliæ.

Hinc excellentiæ civili cultus exhibetur civilis; supernaturali plusquam civilis, & hic cultus religiosus, & sacer dicitur, in quo plures requiruntur actus, quorum primus est intellectus apprehendentis bonitatem, aut excellentiam objecti; secundus est voluntatis, quæ inclinatur ad amorem, & honorationem rei, quam intellectus judicavit amore, & honore dignam, & in hoc consistit natura amoris, & honoris; differt tamen amor ab honore, quia ille cum sit quidam excessus extra se, ut uniatur objecto dilecto, ardentior est & fortior in suis motibus & impetu quodam fertur in suum objectum, cui ardentius hæret, & eò objectum est magis amabile, quo plus participat de bonitate; è converso, quo plus inest excellentiæ in objecto quod colere intendit plus anima retrocedit, & in se reflexa humiliatur, & procumbit, adeo ut si excellentia sit increata, & infinita, tunc anima in abyssum sui nihili profundiore submissione descendit, ut excellentiam illam increatam debito cultu prosequatur; anima enim mentaliter totidem format in se humiliationis gradus, quot excellentiæ notas apprehendit in objecto. Sin autem excellentia sit finita, tunc minus se humiliat; & si excellentia non fuerit supernaturalis sed tantùm civilis, tunc nonnisi civiliter se humiliat, quo pacto honoramus Principes, & eorum statuas imagines cultu tantùm civili, quo licitum est easornare lauro, coronare diademate. Pari pacto catholici ob excellentiam supernaturalem, quæ inest Sanctis cœlesti gloria donatis, & etiam eorum imaginibus ut repræsentantibus sua prototypa cultum exhibemus plus quam civilem, neque inde ullus irrepit error, imò nec periculum errandi cum revera Sancti ob excellentiam supernaturalem, qua in cœlis gaudent, sint tali cultu digni.

# CAP. V.

## An adoratio Sanctorum sit propriè actus religionis.

NOn defuerunt ex Hæreticis, qui putaverint nullum alium dari cultum, & honorem nisi *divinum* pertinentem ad latrinam, qua Deum colimus ut supremum rerum omnium Dominum, & *politicum*; humano & civili cultu homines vel eruditione clari, vel dignitate præcellentes solent in honore haberi. Sed præter utrumque cultum divinum, & humanum datur alius cultus medius seu infra divinum, & supra humanum quo viros dignitate insignes colimus, ut docent omnes Catholici, quapropter expendendum est, an revera detur hujusmodi cultus, & an pertineat ad virtutem religionis. Et dicimus viros Sanctos propter excellentiam supernaturalem seu gratiam sanctificantem, ac gloriam qua donantur in cœlesti patria posse adorari adoratione perfectiori specifice distincta ab adoratione, seu honore civili, qui hominibus ob dignitatem, vel humanam præeminentiam exhiberi solet.

Ratio est, quia virtutes, & earum actus sicut suam ab objectis desumunt speciem, ita ex iisdem distinguuntur; sed objectum, à quo specificatur adoratio, seu cultus, qui exhibetur viris Sanctis distinguitur ab objecto adorationis seu honoris civilis, qui exhibetur hominibus nonpropter ullam excellentiam supernaturalem, sed tantùm ob dignitatem vel potestatem humanam; Unde præter adorationem merè humanam, & politicam; & aliam summam, quæ dicitur latria datur alia adoratio media, qua coluntur viri Sancti ob excellentiam distinctam ab excellentia divina, & infinita, & politica naturali; siquidem excellentia, qua viri sancti coluntur non est naturalis, nec pure civilis, nec est divina, & infinita, sed est supernaturalis finita, & participata consequenter si dantur diversæ species excellentiæ, necesse est, dentur varii cultus distincti quia excellentia est quasi formale objectum adorationis eatenus aliquem colimus, & adoramus, quia in eodem aliquam cognoscimus excellentiam, cui nos submittimus, & animi nostri cedentis, & submissi signa damus per varios actus cultus, & adorationis; sed excellentia est præstantior, & superior in viris sanctitate conspicuis quàm in aliis viris, qui dignitatibus tantùm vel potestate cæteris præeminent; sicut excellentia Sanctorum cum Christo regnantium est in ordine superiori, quàm quævis alia humana dignitas, vel potentia; ita adoratio debita viris sanctis est perfectior, ac specie distincta ab adoratione merè humana, & politica; quia sicut excellentia est objectum adorationis politicæ, & merè humanæ, distinguitur specificè ab excellentia, quæ est objectum adorationis duliæ, qua adorantur viri sancti; perspicuum est adorationem sanctorum esse specificè distinctam ab adoratione humana, & merè politica. Præterea quia viri Sancti adorantur propter excellentiam sanctitatis, quæ est participatio divinæ naturæ, ita adoratio sanctorum dicitur quasi divina, participata tamen & finita.

Hinc cultus, quem viris sanctis exhibemus, est perquam conjunctus cum divino cultu rebusque sacris ad cultum Dei ac virtutem religionis pertinentibus, adeo ut mos semper in ecclesia viguerit, sicut habemus ex traditione primitivæ Ecclesiæ, ut sancti colantur per templa Deo dedicata in eorundem memoriam, & honorem per altaria magnificè erecta per dies sacros, qui tametsi primariò ad Dei cultum destinentur, in honorem tamen redundant sanctorum, eò quia recurrentibus quotannis hisce diebus memoriæ recoluntur Sanctorum, & anniversaria celebritate triumphi reminiscimus sanctorum Martyrum, ut scribit S. Cyprianus lib. 4. epist. 5. *Quoties dies Martyrum, & passionis anniversaria commemoratione celebramus.* Hujus in ecclesia consuetudinis meminit etiam Concilium Laodicense, quod tantum in quadragesima vetuit memorias celebrari Martyrum, non verò aliis diebus per annum; & in

& in Concilio Toletano III. cap. 23. præcipitur ut sanctorum festa religiosis celebrentur operibus. Præterea permittit ecclesia, ut templa construantur in honorem sanctorum; licet enim principalius, & primario intelligantur Deo constructa, & dicata, eò quia in iisdem sacrificia Deo offerantur; Secundariò tamen in sanctòrum memoriam, vel ad eorundem sacra lipsana honorificè servanda construuntur, qua ratione vocari solent Basilicæ, seu memoriæ Martyrum, domus regiæ, & ædes Oratoriæ; hinc Damascenus lib. 4. cap. 16. ait: *An non honorandi sunt, qui totius humani generis patronos se profitentur? Honorandi quidem, & ita certè, ut in eorum nomine templa Deo extruamus, dona offeramus, eorum memorias colamus, atque in eis spiritualiter oblectemur.* Hæcque consuetudo sacras colendi imagines licèt viguerit à primis nascentis ecclesiæ exordiis ex Apostolica traditione; nihilominus temporibus Sancti Sylvestri Papæ, & Constantini Imperatoris adaucta fuit, ac illustrata, ut ex historiis illius temporis constat, adeout in Carthaginensi Synodo V. cap. 14. modus præscribatur solemniter erigendi has ecclesias & instituendi sanctorum titulos, imò non solum ecclesiarum erectione verum etiam jejuniis, vigiliis ac peregrinationibus, aliisque solemnitatibus coluntur sancti, ut fusè evincit S. Hieronymus contra Vigilantium.

Et cultus quem Sanctis exhibemus sacer dici debet intelligendo quòd sit cultus sacer duliæ tantùm; siquidem cultus sacer dupliciter sumi potest. Primò quatenus est cultus sacer exhibitus objecto quod colimus ob excellentiam infinitam, & independentem quam in se essentialiter continet, & hic cultus sacer non convenit sanctis quorum excellentia est tantùm finita, & limitata, sed soli Deo competit; Secundò sumitur cultus sacer exhibitus alicui ob excellentiam creatam & finitam, & à Deo participatam, & in hoc sensu cultus sanctorum sacer dicitur, & Sanctis potest convenire, unde Damascenus lib. 4. cap. 16. ait: *Quibus rebus Deus colitur, eisdem servi ejus oblectantur, quapropter Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus sanctos colimus*; imò et eo, quòd cultus Sanctorum exerceatur per actiones religiosas pertinentes ad pietatem, potest etiam cultus religiosus denominari. Ut etiam ex eò, quòd cultus Sanctorum fundetur in morum integritate, in pura & perfecta sanctitate, quæ sanctitas, cum sit religioni perquam affinis, & proxima per quandam participationem potest hujusmodi cultus denominari religiosus.

Quòd si objicias, cultum exhibitum viris probis, & quos novimus Sanctos esse, si adhuc inter nos vivant non esse cultum sacrum, sed cultus exhibitus beatis, qui æterna in cœlesti patria sunt beatitudine donati ejusdem est rationis, cum adoratione à nobis exhibita viris justis, & sanctis in hac mortali vita adhuc degentibus; siquidem scribit Adrianus Papa in sua epistola: *Qualis est hic adorationis honor sanctorum? profectò non alius, quàm is, quo nos invicem prosequimur salutantes alterutrum per adorationem, & dilectionem*; Quinimò D. Hieronymus in vita Paulæ refert eam consuevisse Sanctos eremiculas invisere & ad eorum pedes humili demissione devolvi, benedictionem ab iisdem petere, & in singulis aliquid Christi colere; ratio est; quia gratia, & sanctitas, quæ est hujus adorationis fundamentum, est semper ejusdem rationis, sive reperiatur in beatis jam in cœlesti patria æterna donatis beatitate, sive in viris justis, ac probis adhuc in hac mortali vita inter nos degentibus, quapropter adoratio, qua beatos adoramus, ejusdem est rationis cum adoratione, qua viros justos inter nos adhuc viventes colimus, qui cultus cum non sit sacer, nec religiosus, talis non erit cultus, quo Sanctos in patria cœlesti colimus. Quod si dicas non esse parem rationem eò quia cultus qui exhibetur hominibus adhuc in hac vita degentibus non est sacer, eò quia homines quamdiu in mortali vita persistunt, sunt peccato obnoxii; non ita qui sunt æterna donati beatitate in cœlesti patria non videtur hæc responsio sufficiens ad invehendum cultus discrimen, quia sola differentia in statu beatitudinis non est sufficiens ad distinguendas adorationes, quia præcipua ratio adorationis est participatio divinæ naturæ, quæ habetur per gratiam sanctificantem; & hæc gratia semper est ejusdem rationis in utroque homine, in viatore, & beato, consequenter adoratio utriusque ejusdem est rationis; sed cultus, & honor qui exhibetur viris sanctis in hac vita mortali adhuc degentibus licèt iisdem exhibeatur ex ea præcisè ratione, quia sancti sint non tamen eorum cultus dici potest religiosus nec sacer, consequenter nec cultus quo sanctos colimus cœlesti jam donatos beatitate.

Sed contra est, quia tametsi cultus, quo viros probos & sanctos adhuc inter nos viventes colimus ex ea præcisè ratione, quod sancti participent mediante gratia sanctificante excellentiam naturæ divinæ, sit ejusdem virtutis cum cultu, quo beatos colimus; adhuc tamen non sequitur utrumque cultum esse unum & eundem, & non distingui inter se specificè; non enim cultus, quo sanctos colimus in cœlesti patria est cultus merè humanus, & politicus, bene tamen quo homines sanctos adhuc in mortali vita degentes honore prosequimur; etenim objectum adorationis, qua viros sanctos ex eo præcisè, quia sancti sunt, veneramur, & adoramus, est excellentia supernaturalis relucens in ipsa gratia sanctificante, prout hæc est participatio naturæ divinæ; & ob hanc rationem dici potest cultus religiosus, qui homini adhuc inter nos viventi tribuitur tantùm intuitu sanctitatis, ac donorum supernaturalium, unde Athanasius lib. de Virgin. loquens de sanctis adhuc inter nos degentibus ait: *Si homo justus ædes tuas intraverit adorabis humi ad pedes illius; Deum enim, qui illum mittit, adorabis.* Et D. Augustinus 11. contra Faustum cap. 21. ait: *Colimus Martyres eo cultu dilectionis, & societatis quo in hac vita coluntur Sancti homines Dei.* Et nonnullis interjectis subdit: *Sed illos tanto devotiùs quantò securius post creata omnia superata; quanto etiam fidentiori laude prædicamus tam in vita feliciori victores, quàm in ista adhuc usque pugnantes*, asserit Augustinus differentias inter adorationes, quæ exhibentur viris sanctis adhuc in hac vita degentibus, & beatis æterna felicitate in cœlo donatis esse quia licèt utriusque adorationis eadem sit species, status tamen beatorum cùm perfectior sit in Charitate ob impeccabilitatem, & ob cognitionem, eò quia intuitivè divinam videant essentiam, & etiam in potestate quia cum Christo regnant, & in gradu honoris quia cum ipso sedent in ejus throno; ob has enim præeminentias debent beati cœlesti jam donati feli-

felicitate perfectioribus actibus, ac rebus coli, qua veneremur viros Sanctos adhuc inter nos viventes; siquidem homines licèt pios, & Sanctos, adhuc in hac vita mortali degentes colimus cultu merè humano, & politico, quo illos variis honoribus prosequimur, objectum enim hujus cultus politici est tantùm excellentia naturalis relucens in dignitate vel virtute naturali illius personæ, quàm politicè colimus. Quòd si homines Sanctos ex eo præcisè colamus, quia sancti sunt, tunc objectum adorationis est excellentia supernaturalis relucens in ipsa gratia sanctificante, quatenus est participatio divinæ naturæ, in quo sensu dicitur cultus sacer.

Dupliciter possunt coli viri pii, & Sancti adhuc in hac vita mortali degentes. Primò ob excellentiam sitam in virtute & prærogativa merè naturali, & hic cultus est merè humanus, & politicus. Secundò eò quia credimus esse viros verè Sanctos ob plura patrata miracula, morumque integritatem ac vitæ Sanctitatem, & tunc eos colimus ob excellentiam supernaturalem, seu gratiam sanctificantem, & participationem in ipsis naturæ divinæ, & hic cultus est sacer, & religiosus quin imò etiam inter Sanctos qui ex hac mortali vita demigrarunt dispar habetur cultus; eos enim, quos ecclesia solemni apotheosi in Catalogo recenset Sanctorum, publico cultu & solemni ritu colimus, & certam existimationem de eorum sanctitate habemus, alios verò nondum canonizatos non veneramur publico cultu, qui fiat nomine totius ecclesiæ, quia id prohibetur in cap. 1. & 2. de feriis; quòd si certam quamvis humanam fidem de eorum beatitate habeamus eos privatim non prohibemur colere, ac rogare ut pro nobis intercedant apud Deum.

Est tamen virtus, qua colimus Sanctos, habitus distinctus à virtute religionis, qua colimus Deum; ita D. Thomas 2. 2. quæst. 21. & communiter Thomistæ, quia illæ virtutes distinguuntur, quarum objecta, à quibus propriam hauriunt specificationem, sunt distincta, sed objectum virtutis qua colimus sanctos distinguitur ab objecto, à quo virtus specificatur religionis, qua colimus Deum, quapropter virtus, qua sanctos colimus, distinguitur à virtute religionis, qua Deum colimus, major, & consequentia tenent, evincitur minor, quia objectum adorationis prout hæc est actus elicitus à voluntate ac virtute religionis, est duplex, unum, quod dicitur objectum *quod*, seu materia circa quam proximè versatur ipsa virtus & ejus interior actus & hujusmodi objectum est cultus, quem Deo exhibemus propter ejus divinam, & summam excellentiam, & aliud objectum *cui*, & est ipse Deus, cui exhibetur adoratio, hæcque ratio est, cur virtus religionis, qua Deum adoramus, non sit theologica, quia non versatur circa Deum ipsum ut materiam proximam; sed tantùm ut objectum *cui* cultum exhibet, & circa hunc cultum veluti circa materiam proximam versatur; secus objectum *quod* virtutis, qua Sanctos colimus, seu materia circa quam proximè versatur hæc virtus, & ejus actus interior est cultus, qui exhibetur creaturæ ob ejus finitam & dependentem excellentiam, & objectum *cui* sunt ipsæ creaturæ sanctæ, quibus adorationem exhibemus, eò quia sanctæ sint, seu participent Divinam naturam per gratiam sanctificantem, qua sanctæ constituuntur; cum igitur objecta utriusque virtutis sint distincta perinde ac finitum & infinitum, dependens & independens; sequitur manifestè virtutem, qua Sanctos colimus distingui à religione, qua Deum honoramus, adeo ut habitus latriæ, & duliæ sint omnino distincti.

Tum quia adoratio per se primò versatur circa excellentiam ut sic; eatenus alium adoramus quatenus aliquam in ipso novimus adesse excellentiam siquidem cultus non exhibetur alteri, nisi ob illius excellentiam quam significamus per signa animi cedentis, submissi & humilis, & ubi tanta est diversitas excellentiæ, quanta inter Deum & Creaturam, debent adorationes, & virtutes tendentes in eandem esse diversæ.

In oppositum posset objici, quia habitus, quo Deum, & Sanctos diligimus est unus & idem, scilicet ipsa charitas, quæ una & eadem diligit Deum ut bonum per essentiam, & sanctos ut per gratiam sanctificantem participantes naturam divinam; ergo erit etiam unus, ac idem habitus, quo Deum colimus, & sanctos, adeo ut sicùt per virtutem Charitatis Deum amamus primariò propter se, & creaturas secundariò seu propter Deum, ita per eandem virtutem religionis Deum colimus primariò propter summam suam excellentiam, & sanctos secundariò propter excellentiam participatam, neque obstet, si dicas, discrimen esse, quia per virtutem Charitatis diligimus in proximo Deum, consequenter esse eandem charitatem, qua Deum diligimus & proximum; & aliam esse rationem adorandi Deum, & creaturas, proinde virtutem latriæ distingui ab habitu Duliæ, contra est, quia eo ipso, quod divina bonitas esse potest proxima ratio amandi proximum non videtur, cur etiam divina excellentia non possit esse proxima ratio alicujus adorationis sanctorum, quia si uterque actus amoris Dei, & proximi elici potest à voluntate per virtutem eandem Charitatis; poterit etiam eadem voluntas mediante virtute religionis elicere actus adorationis, quibus Deum colimus, & sanctos. Virtus enim inclinans ad colendam principalem excellentiam intra aliquem ordinem inclinat etiam ad omnes participationes ejusdem ordinis ob connexionem, qua non possunt separari.

Sed contra est, posset enim negari assumptum, scilicet per eandem virtutem Charitatis, qua Deum diligimus, etiam nos amare proximum; quia illæ virtutes distinguuntur quarum objecta sunt diversa, & actus amoris, quo diligitur proximus propter virtutem & sanctitatem creatam ei inhærentem, quamvis sit supernaturalis habet nihilominus objectum distinctum ab objecto amoris, quo Deum diligimus; siquidem objectum primi amoris est sanctitas creata, & dependens inhærens creaturæ, & objectum secundi amoris est bonitas divina infinita, & independens; præterea amor, quo Deum diligimus, elicitur à Charitate, quæ virtus est Theologica, quatenus proximè, & immediatè versatur circa Deum, virtus verò, à qua elicitur amor, quo proximum diligimus propter suam virtutem, & sanctitatem, non est theologica, quia non versatur circa Deum immediatè, sed circa virtutem, & sanctitatem creatam inhærentem ipsi creaturæ, quapropter actus amoris, quo sanctos diligimus propter eorum sanctitatem creatam non elicitur à virtute charitatis, sed à virtute infusa amicitiæ, quæ tantùm est virtus moralis, non theologica.

Rursus adest discrimen inter actum amoris, & adorationis, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 25. *art.* 1. *ad* 2. quia amor respicit bonum generatim sumptum, honor verò tantùm bonum proprium honorati, quatenus exhibetur alicui in testimonium propriæ excellentiæ, ideoque diversa quantitas bonitatis in diversis subjectis non causat diversitatem specificam in amore, dummodo omnes bonitates referantur ad aliquod bonum commune. Secus

adoratio,

adoratio, seu honor qui aliis exhibetur, diversificatur secundum proprias eorundem excellentias, unde quamvis ab eadem virtute Charitatis diversi elicerentur actus, quibus Deum & proximum diligimus, non ita ab eadem virtute religionis possent elici diversæ adorationes, quibus Deum, & Sanctos colimus, & rationem discriminis adfert D. Thomas 2. 2. *quæst.* 81. *art.* 4. *ad* 3. quia objectum amoris est bonum & reverentiæ, seu adorationis est aliquid excellens; & quia bonitas Dei communicatur creaturæ non verò excellentia ejus bonitatis, ideo fit, quòd tametsi charitas qua Deus diligitur non sit virtus distincta à Charitate, qua diligitur proximus; adhuc virtus religionis, quo Deum adoramus distingui debet à virtutibus, quibus proximum colimus, & hæc doctrina S. Doctoris ex eo potissimum deprehenditur vera, quia de ratione amoris est respicere objectum sub ratione quasi absoluta, & de ratione adorationis respicere objectum sub respectiva ratione, seu comparativè ad honorantem, adeo ut amor tendat in bonitatem objecti secundùm se, adoratio verò in excellentiam alterius ratione cujus excedit ipsum adorantem; hinc quia Deus singularem habet respectum superioris, nec ratio supremi dominii sit ulli creaturæ communicabilis, & religio respiciat pro suo objecto hanc Dei excellentiam ut omnino incommunicabilem & omnes actus, quos elicit versantur circa hanc divinam excellentiam ut incommunicabilem non possunt actus adorationis, quibus sanctos colimus oriri, seu elici à virtute religionis, sicut ab eadem Charitate fortassis elici possint actus amoris, quibus Deum, & proximum diligimus; quia amor non respicit singulari modo hunc excessum, sed tantùm ipsam bonitatem, & ejus communicationem, hinc patet, cur amor non tantùm ad alium, verùm etiam ad se ipsum sit, adeo ut Deus summè se amet, & illius summi amoris charitas creaturæ sit quædam participatio.

Rursus potest aliud etiam discrimen assignari ex eodem D. Thoma 2. 2. *q.* 162. *art.* 3. *ad* 3. quia virtus religionis per se est ad alterum, adeo ut exigat per se respicere jus alterius & rationem debiti; sed jus divinum, ob quod Deus est à nobis colendus, & adorandus est longè excellentius, quàm omne jus creaturæ; eò quia jus divinum infinitum sit & imparticipatum & jus creaturæ qualecunque sit semper finitum & dependens. Quamobrem cùm hæc jura sint in diverso ordine non possunt ab una, & eadem virtute respici. Secus amor neque per se ad alterum tendit, neque in illo ratio debiti consideratur, consequenter eadem charitate possumus Deum amore propter se, & creaturas secundariò propter Deum; unde constat virtutem latriæ distingui à virtute duliæ, & cultum à nobis exhibitum sanctis non denominari religiosum, eò quia virtute eliciatur religionis propriè sumptæ, sed ex eo, quia sit valdè conjunctus cum cultu divino, & rebus sacris spectantibus ad religionem; idque causæ cur in memoriam, & cultum Sanctorum, ac amorem instituantur dies sacri, construantur templa, erigantur altaria, quæ tametsi primariò ad cultum Dei destinentur, adhuc redundant in honorem Sanctorum; scitè Nazianzenus orat. 3. quæst. 1. contra Julian. *Jam sumptuosissimis quoque Martyrum monumentis, & votivorum donorum munificentiis omnibusque aliis rebus quibus divinus timor insignitur, sapientia studium, Christique amorem declarabant.*

# CAP. VI.

## Quo cultu imagines Christi, & Sanctorum adorentur?

Ostendimus in præcedentibus imagines Christi, & Sanctorum licitè coli, & adorari, adeo ut sit de fide usum sacrarum imaginum esse per se licitum & honestum, idque haberi in Ecclesia ex traditione, quæ suam traxit originem ab ipsomet Christo Domino; etenim Christus vultus sui imaginem linteo impressit, & etiam hoc tempore asservatur Romæ, ac fidelibus ad excitandam devotionem, & amorem in Christum solet ostendi. Rursus sui corporis delineamenta impressa voluit in sacra syndone, in qua involutus jacuit in sepulchro & etiamnum asservatur Taurini in sacro sacello, & solet populo ostendi, tertio quoque, qua occasione confluunt ex finitimis regionibus plures hominum frequentiæ. Vel etiam prout magis visum fuit regalibus illis celsitudinibus. Præterea ut refert S. Damascenus *lib.* 4. *de fide cap.* 17. *& orat.* 1. *de imaginib. circa fin.* Christus suam effigiem misit Abagaro Regi Edessæ; & plures referunt hanc imaginem fuisse postea Constantinopolim translatam, ejusque translationis festum anniversaria Græcorum solemnitate celebrari die 16. Augusti. Habetur etiam vetus historia de Christi Domini crucifixi imagine depicta à Nicodemo, quam cum Judæi variis affecissent contumeliis, & lancea quoque transfixissent, adeo ex inflictis vulneribus miraculosè sanguis effluxerit, quo plures fuerunt sanitati tum mentis tum corporis restituti, in magna fuit veneratione habita, quam historiam approbavit septima Synodus *Act.* 4. & eam refert Eusebius qui *lib.* 7. *histor. cap.* 14. ait: Esse traditionem ab Apostolis ad posteros derivatam, mulierem, quam Christus Dominus à fluxu sanguinis liberaverat, in tanti beneficii monumentum statuam Salvatoris Cæsareæ erexisse, & juxta ipsam enasci herbam, quæ cum primum fimbriam attingeret, similem curaret morbum, & hujus historiæ etiam meminit septima Synodus act. 4. in epist. Germani Patriarchæ Constantinopolitani. Est etiam vulgaris traditio quam refert D. Thomas 3. *p. quæst.* 25. *ad* 4. de imaginibus Christi, & Virginis Matris à S. Luca Evangelista depictis, quæ adhuc Romæ asservatur in Basilica Liberiana, & Bononiæ in templo extra muros extructo, & Virgini depictæ à S. Luca nuncupato, quæ imago singulis annis solemni pompa, & maximo populorum affluxu, & frequentia solet deferri ad civitatem ad uberiorem excitandam devotionem; & in pluribus aliis locis coluntur tales imagines à S. Luca depictæ. Liquet etiam S. Sylvestrum Papam imagines Apostolorum Petri & Pauli, quas apud se maxima habuit in veneratione ostendisse Constantino Imperatori, qui in iisdem eos recognovit, qui sibi in nocturna visione apparuerunt. Constat etiam S. Sylvestrum Papam & Constantinum Imperatorem variis ædificatis templis plures in iisdem sacras posuisse imagines, unde nulli est dubium, quin usus sacrarum imaginum semper ad excitandam pietatem fidelium fuerit in Ecclesia à tempore Apostolorum, & ab ipsis traditionem derivâsse ad posteros. Hinc constat, usum sacrarum imaginum honestum esse, & à Christo approbatum.

Etenim si usus sacrarum imaginum esset reprobandus in ecclesia, quia intrinsecè, & ex natura sua esset malus, vel quia prohibitus speciali lege positiva divina, vel humana; vel quia foret aliis scandalo, & viam sterneret idololatriæ, atque ex neutro capite reprobandus est usus sacrarum imaginum; non quia sit intrinsecè malus, quia usus imaginum absolutè & simpliciter non est intrinsecè malus, quia in usu eorundem potest honestas & utilitas reperiri in iis maximè, quæ sanctos viros, & cœlites repræsentant quanto enim eorum exemplaria sunt excellentiora tantò imagines censendæ sunt digniores. Hinc cœteris paribus quoad artem pictoriam pluris facimus imaginem Principis quàm rustici, eamque loco volumus digniori præcellere. Tum quia si usus imaginum foret intrinsecè malus, Deus non approbasset artem efficiendi imagines, & tamen Deum illam approbasse constat Exodi 31. & 35. unde imagines non sunt ex natura sua intrinsecè malæ neque in objecto hujus artis ulla potest deformitas notari cum possit non solùm ad ornatum verum etiam ad convenientes usus humanæ societatis conferre. Præterea certum est Deum in prima mundi molitione hominem condidisse ad sui imaginem, adeo ut ars imaginum effectrix quædam sit imitatio divinæ artis, quæ nullam potest deformitatem continere, hinc ex 3. Reg. cap. 6. & 7. & 8. ut etiam ex 2. Paralip. 3. constat in antiquo Mosaicæ legis templo varias fuisse imagines depictas ad uberius ejusdem ornamentum, & tamen nunquam accusatus fuit Salomon, quod malè egisset in usu talium imaginum; quod neque usus harum imaginum sit ulla lege divina, aut humana prohibitus liquet, quia nulla potest hujusmodi lex divina assignari neque specialiter in lege evangelica data fuit, neque ex traditione, aut usu Ecclesiæ colligi potest, quinimò traditio, & consuetudo usui favent sacrarum imaginum. Neque ex veteri testamento potest lex ulla assignari, quæ hunc prohibeat usum. Præterea tametsi aliqua extitisset lex non fuisset moralis, quia non prohibuisset rem ex natura sua bonis moribus contrariam, sed fuisset tantùm cæremonialis consequenter jam cessasset in lege evangelica, & mortua fuisset, cùm Christus Spiritum in cruce emisit. Neque usus sacrarum imaginum est censendus malus ratione scandali, vel periculi idololatriæ quia hoc periculum in ecclesia catholica esse non potest cum vera unius Dei cognitio, & Sanctorum hominum existimatio omnibus innotescat Christianis; quòd si unus vel alter rudis laboraret ignorantia, tunc ad Pastores pertineret Ecclesiæ oves suas edocere veritatem, tum quia à plerisque Ethnicis magna etiam coluntur sydera, sed tamen inde non inferimus planetas malos esse; nemo est qui solem vel lunam redarguat, quamvis ab iisdem potissima idololatriæ occasio desumpta sit. Quamobrem ex nullo capite constat usum sacrarum imaginum malum esse ac prohibitum, imò ob varios honestos fines fuisse in ecclesia introductum ad facilius instruendos rudes, quia ut scitè D. Gregorius Nissenus orat. de S. Theodoro: *Solet figura tacens in pariete loqui, maximèque prodesse*, quia ut rectè innuit Chrysostomus homil. 33. in Joan. Mens familiarium rerum imagine suscepta magis suscitatur, & tanquam in pictura rem ipsam magis amplectitur quemadmodum historia & honesta est, & ecclesiæ utilis, perinde etiam sacrarum imaginum usus, quia non solum sacras repræsentant historias verùm etiam testimonia sunt nostræ fidei, & ad virtutum studia vel maximè alliciunt exempla majorum, quatenus nos alliciunt, suadentque nobis, ut aliorum imitemur virtutes, petamusque sanctorum subsidia. Sunt etiam imagines amoris notæ, quia quos diligimus cupimus habere præsentes ut ait D. Chrysostomus homil. 35. in Matth. Denium usus sacrarum imaginum utilis est, quia iisdem visis eorum exempla in memoriam revocantur, quæ repræsentant & ad eorundem imitationem ad virtutum excitamur exercitia. Quòd etiam usus earundem imaginum honestus sit ex eo liquet, quia ubique locorum gentes suggerente natura hoc honoris signo utuntur, erigunt enim statuas, pingunt imagines virorum illustrium, ut eorundem excellentia, & virtus ad posteros transfundatur; qua ratione etiam in codice habetur titulus de statuis, & imaginibus insignium personarum & privilegia, quæ iisdem conceduntur. Quapropter Ecclesia hunc usum utpote honestum, ac consentaneum rectæ ration semper retinuit, ut sacræ imagines viros nobis repræsentarent virtutum cultura, & sanctitatis existimatione insignes quos coleremus, ac rogaremus, ut pro nobis intercedant apud Deum. Hinc cum sacræ imagines non solùm ad ornatum verum etiam in honorem, & cultum ponantur sanctorum rectè in templis, locisque Deo dicatis collocantur. Quòd si dicas scripturam Exodi 20. & Deuter. 4. & 5. omnino prohibere usum sacrarum imaginum; & hoc præceptum adeo sanctè servatum fuisse ab Hebræis, ut postquam Judæi cœperint à Gentilibus gubernari inconcussa pectoris firmitate eis restiterint, ne ullam imaginem afferent Jerosolymam ut refert Josephus *lib. 7. antiq. cap. 8. & lib. 2. de bello judaico cap. 8.* unde constat usum imaginum fuisse in lege Mosaica prohibitum non quia honestus, sed quia malus, & ut exhibentem occasionem idololatriæ. Nam contra est, quia in præcitatis scripturæ locis non prohibentur absolutè, & simpliciter imagines, quia Exodi 25. *Deus præcepit imaginem Cherubin poni super arcam*, & Numer. 21. conflari serpentem æneum, & 2. *Paralip. cap.* 3. Ponit Cherubin juxta propitiatorium; & in parietibus templi constat varias fuisse ad ejus ornatum imagines depictas, ut notavit septima Synodus Act. 4. Unde quando in lege Mosaica fuerunt imagines prohibitæ id intelligitur de imaginibus Dei ut est in se, quia cum sit Deus ab omni natura discretus purissimus Spiritus non potest per res sensibiles repræsentari, sicuti est in se, in quo sensu etiam Concilium Elibertinum can. 26. prohibuit Dei imagines. Hinc

Dicendum est cum D. Thoma & communi Theologorum sententia usum sacrarum imaginum honestum esse, & utiliter adhiberi ab Ecclesia. Assertio evincitur, & primò de imaginibus Dei, tametsi non sit possibilis ulla imago sensibilis, quæ formaliter, & propriè Deum repræsentet ut est in se, in quo sensu dixit Damascenus lib. 3. cap. 17. Extremæ esse dementiæ velle Deum depingere, quia, ut ait septima Synodus, invisibilis est divinitas, neque depingi, nec figurari se permittit. Nihilominus possunt honestæ, & utiliter pingi imagines, quæ tantùm metaphoricè, & per quandam analogiam Deum repræsentant, quatenus substituuntur ad excitandam cognitionem de Deo, ut est supremus rerum omnium Dominus, & Creator; quia sacra scriptura sæpe loquitur de Deo per metaphoram rerumque sensibilium nomina nostro captui accom-

accommodata, quo pacto per sensibilia, & ea quæ facta sunt, scandimus ad Dei cognitionem, quatenus per quandam analogiam ad res sensibiles Deum concipimus; consequenter nil obstat quo minus possit Deus per quandam analogiam metaphoricè repræsentari in aliquo sensibili simulacro, præsertim cum Deus in veteri testamento interdum apparuit sub forma sensibili; quo pacto etiam Spiritus Sanctus apparuit sub specie columbæ *Joan.* 1. Filius factus est homo, & Verbum caro factum est, *Joan.* 1. & Pater æternus sub specie Senis provectæ ætatis, *Daniel.* 3. ut explicat D. Augustinus *lib. 2. de Trinit. cap. ult.* Præterea tota Trinitas fuit sensibiliter repræsentata, *Genes.* 18. Quando Abraham tres vidit, & unum adoravit, ergo cum Deus & tota Trinitas apparuerit sub formis sensibilibus nil videtur obstare, quò minus possit Deus metaphoricè pingi, & repræsentari per quandam analogiam mediante simulacro aliquo sensibili quemadmodum solent etiam pingi quatuor Evangelistæ, sub speciebus quatuor animalium ut etiam virtutes & vitia; licèt non sint quid sensibile, repræsentantur tamen per imagines sensibiles exhibentes proprietates virtutum, & vitiorum; ergo possunt etiam substitui imagines sensibiles, quæ metaphoricè, & per quandam analogiam nobis repræsentant Deum sub aliqua ratione, quæ nulli possit creaturæ convenire adeo ut visa imagine corrigamus sensum, & dicamus intra nos Deum nullam habere figuram corporis esse expertem & esse summum Spiritum infinitum, independentem, omniscium, immensum; omnipotentem rerum omnium effectorem, supremumque omnium creaturarum Dominum, adeo ut imago substituta nonnisi per metaphoricam Dei repræsentationem nos excitet ad formandum de Deo verum conceptum per varias negationes, & affirmationes, quibus solemus inadæquatè Dei attingere perfectiones. Unde ex eo, quod Deus non habeat figuram corporalem tantùm sequitur, quod non possit per corpoream imaginem propriam repræsentari ut revera est in se non verò, quod non possit aliquo pacto metaphoricè, & per quandam analogiam repræsentari per imagines sensibiles, quia istæ per se sumptæ excitant nobis Dei memoriam fidem & devotionem, & per se nullam includunt malitiam, quia nos corrigimus sensum, & per alios conceptus intelligimus Deum esse à se, & includere totam perfectionum plenitudinem, & per conceptus negativos negamus Deum figuram includere coloratum esse & corporeum.

Neque obstat, si dicas Deum *Exodi* 20. & *Deuteron.* 4. & 5. prohibere has de sua divinitate imagines: *Non facies tibi sculptile*, & Lactantius *lib. 2. de Origine erroris cap.* 2. assignat rationem cur Dei imagines prohibeantur ait ipse: *Imaginum ratio idcirco ab hominibus inventa est, ut possit eorum memoria retineri, qui fuerunt vel morte subtracti, vel absentia separati;* quæ ratio, cum valeat de Deo, ideo omnis prohibetur de Deo imago; subjungit enim Lactantius: *Sed Deus non moritur, & ejus Spiritus, ac lumen ubique diffusum abesse nunquam potest.* Sed contra respondetur in præcitatis locis non prohiberi absolutè, & simpliciter Dei imagines, sed Deos per hominum manus conflatos ex auro, vel argento vel alia materia. & quibus homines relicto vero Deo cultum impendebant latriæ, qua propter Deus non prohibet simpliciter Dei imagines, sed tantùm idola, & falsos Deos, quibus consueverant homines cultum exhibere, in quo sensu Levit. 26. habetur: *Non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum; ego enim sum Deus vester*, & cap. 16. subdit: *Nolite converti ad idola, nec Deos conflatiles facietis vobis.* In aliis itidem locis, ubi explicatur hoc præceptum de non faciendo sculptili significatur illius substantiam esse, ut nullus præterquam vetus Deus colatur, & adoretur. Neque ratio Lactantii ullum facessit negotium, quia tametsi Deus sit ubique præsens non tamen videtur à nobis, ideoque ejus metaphorica imago potest nobis utilis esse, quatenus excitat in nobis memoriam fidem, & devotionem erga Deum.

Quod etiam honeste, & utiliter imagines adhibeantur in ecclesia Sanctorum Angelorum communiter docent Theologi, & definitur in septima Synodo act. 2. & 5. tametsi ratio ibi adducta, scilicet quia Angeli corporei sint minimè approbetur, & à tota Synodo fuerit assertio rejecta, & tantum recisata, ex quadam epist. Joan. Thessalonicensis: siquidem non est necesse ut semper rationes, quæ adducuntur in Conciliis ad aliquid probandum veræ sint, quamvis res in Conciliis una cum capite, seu summo Pontifice definitæ veræ sint & de fide. Cæterum quod licet adhibeantur in ecclesia imagines Angelorum ex eo solet evinci, quia Cherubin jussu Dei depicti fuerint in antiquo templo, & in sacra scriptura persæpe inducuntur Angeli sub formis rerum sensibilium, ut explicat S. Dionysius cap. 13. 15. de cælesti Hierarchia, & asserit suo tempore viguisse in ecclesia consuetudinem pingendi Angelos, ut leguntur in scripturis apparuisse, & D. Gregorius Nazianzenus lib. 23. sub initium describit Angelorum vestitum & ait Angelorum vestitus est candor, & splendor, cum corporea forma pinguntur ad designandam naturalem eorundem puritatem: hinc Constantinus Magnus Basilicas quas in Dei & Sanctorum Apostolorum honores construxit, pluribus exornavit Angelorum imaginibus.

Ad cultum verò imaginum Christi & omnium Sanctorum quod attinet, non solùm olim Iconoclastæ, sed nostris itidem temporibus ferè omnium Hæreticorum Sectæ esse has imagines adorandas inficiantur; quamvis eorum nonnulli tempore septimæ Synodi concesserint hujusmodi imagines ad memoriam excitandam prototyporum, non tamen ob aliquam venerationem, vel adorationem, in quo errore adhuc versantur hisce temporibus Lutherani, qui tametsi in templis aliquot admittant Sanctorum imagines, non tamen cultus, & adorationis causa, sed ornatus, & memoria gratia. Calvinistæ itidem ad amputandam ut ipsi putant omnem idololatriæ occasionem eas volunt omnino suis è templis exulare. Ex Catholicis itidem non defuerunt, qui censuerint, docuerintque imagines Christi, & Sanctorum nonnisi impropriè, & abusivè adorari, quatenus ad præsentiam earundem fit rememoratio prototyporum, & exemplarium quæ tunc adorantur ad præsentiam imaginum ac si ipsa exemplaria præsentia essent in imaginibus, cui sententiæ visi sunt adhæsisse Holkot *in lib. Sapient. lect.* 157. Durandus in 3. *dist.* 9. *quæst.* 2. Picus Mirandol. *in apocal. quæst.* 3. & alii, ratio, qua hæc sententia nititur, est, quia res inanimæ, cujusmodi sunt imagines tum pictæ, tum sculptæ cum non sint objectum susceptivum Sanctitatis, seu gratia sanctificantis nequeunt secundùm se adorari, adeo ut non possint aliter coli, nisi quatenus excitant memoriam Christi, & Sanctorum, quo pacto nonnisi impropriè, & abusivè adorantur imagines, quatenus ad præsentiam earundem adorantur Sancti, & circa imagines exercentur illa signa honoris, & animi cedentis submissi, & humilis, quæ exhiberentur

tur ipsis Sanctis, si revera præsentes essent; & quia hujusmodi signa non fiunt in honorem, & venerationem imaginum, sed tantùm Sanctorum, hanc ob causam dicuntur ab ipsis imagines tantum impropriè, & abusivè adorari. Quæ tamen sententia communiter rejicitur & à pluribus censetur parum tuta in fide. Unde illa omissa,

Dicendum est secundò imagines Christi, & Sanctorum esse adorandas adoratione respectiva, adeo ut verè & propriè adorentur, ut materiale objectum adorationis, vel totale, vel partiale, ut docent communiter Theologi, & Controversistæ 3. *part. qu. st. 25. art. 3.* & hæc assertio fundatur in traditione, & definitione ecclesiæ; siquidem ex scripturis constat res creatas quamvis inanimatæ, si tamen Deo sacratæ fuerint adorandas esse, consequenter etiam imagines Christi & Sanctorum, quatenus repræsentant personas sacras, & sanctas, erunt itidem adorandæ, quamvis inanimatæ sint, quia tota ratio, qua nititur sententia adstruens sacras imagines nonnisi impropriè & abusivè esse adorandas, est, quia res inanimata utpote incapax sanctitatis non est capax adorationis veræ, & propriæ; sed hæc ratio est nulla, quia ex sacra scriptura constat res creatas quamvis inanimes si Deo sacratæ fuerint esse verè & propriè adorandas Psal. 98. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*, & quamvis per scabellum Augustinus Hieronymus, & alii sancti Patres mysticè intelligant Christi humanitatem, & alii crucem, propriè tamen, & ad litteram scabellum significat arcam testamenti; in sacra enim scriptura usurpatur vox scabelli ad significandam hanc arcam, 1. Paralip. 28. *Cogitavit ut ædificarent domum in qua requiesceret arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri*, quapropter 2. Reg. 9. Deus dicitur sedere super arcam in Cherubin, scilicet in propitiatorio, quod super arcam erat in manibus Cherubin, adeo ut arca fuerit veluti subsellium Dei.

Neque urget, quod respondent Hæretici in præcitato loco non præcipi adorari scabellum Dei, sed Deum in scabello, seu in templo, qua ratione dicitur Psal. 131. *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus*; seu in templo adorabimus Deum, ex quo inferunt Novatores, Deum non præcepisse adorari scabellum sed in scabello seu in templo. Nam contra est, quia ut notat Bellarminus hæc interpretatio non convenit proprietati linguæ Hebraicæ, in qua litera *lamed* præponitur verbo adorandi, & non denotat locum in quo fit adoratio, sed personam, cui tribuitur adoratio; vel rem quæ adoratur; quapropter Paraphrastes Chaldaicus ad id explicandum vertit per dativum inquiens; *Incurvate vos scabello pedum ejus*; ex quibus clare infertur, non solùm Deo, verùm etiam ejus scabello esse adorationem tribuendam. Firmari ex eo efficaciter potest; quia in lege Moysis singulari reverentia tractabatur arca testamenti à solis Sacerdotibus, & Levitis, adeo ut qui auderent eam irreverenter tangere, vel aspicere, graviter puniti fuerint. Præterea in septima Synodo Act. 3. in epistola Theodori Patriarchæ Jerosolymitani, quam tota Synodus approbavit, non solùm arca testamenti, verum etiam ipsa mensa propitiatorium, totùmque tabernaculum dicuntur adorata esse à filiis Israel; & D. Hieronymus epist. 130. ad Marcellam loquens de *Ephod* asserit vestes Sacerdotales, & alias res sacras in magna fuisse habitas veneratione propter earum significationem, ut explicat D. Augustinus lib. 3. de doctrin. Christi cap. 9. ergo si arca fœderis mensa, propitiatorium, tabernaculum, vestes sacerdotales, vasa sacra, & alia id genus fuerunt apud Hebræos in magna veneratione ob sacram significationem, quamvis fuerint res inanimes, sequitur à fortiori Christi, & Sanctorum imagines inanimes, quia sunt res sacræ repræsentantes Christum Dominum, & sanctos in cœlesti patria æterna gloria donatos, ac propterea sunt res sanctæ respectivè ratione Prototyporum debent verè & propriè adorari præsertim cum ex Apostolica traditione usuque Ecclesiæ communi semper consueverit ecclesia etiam tempore Apostolorum sacras imagines Christi, & postea Beatæ Virginis, & Sanctorum adhibere, easque adorandas exhibere fidelibus, & Deus pluribus miraculis usum harum imaginum earumque cultum approbaverit, sibique gratum fuisse per patrata miracula ostendit, sequitur earum usum in ecclesia, & cultum esse honestum, licitum, & Deo gratum; non enim Deus singularibus suis beneficiis, quibus sacrarum imaginum cultores cumulavit, rem turpem, & superstitiosam, ut censent Hæretici approbasset; cum enim miracula sint opera naturalia excedentia vires totius naturæ nonnisi à solo Deo, ut à causa principali fieri possunt & cùm Deus non possit nos decipere, nec potest ea miracula perpetrare in approbatione rei turpis, & superstitiosæ, alioquin nos deciperemur, cum nobis sit exploratum non posse miracula fieri nisi à solo Deo, vel à se, vel ad intercessionem Sanctorum, cum igitur Deus plura contulerit beneficia cultoribus sacrarum imaginum, & plura perpetraverit miracula ob talem cultum sacris imaginibus exhibitum perspicuum est, hujusmodi cultum esse honestum, & sanctum.

Evincitur hæc eadem assertio etiam ratione, quia honor imagini exhibitus redundat in prototypon adeo ut, qui honorem exhibent statuæ Imperatoris vel pictæ imagini, ipsum etiam Imperatorem colant, pertinet ad honorem personæ, ut non solùm in se, sed etiam in sua imagine honoretur, qua ratione præcisè asserunt Sancti Patres hominem, quia conditus ad Dei imaginem esse honore dignum, & antiquitus moris fuit, ut Imperatorum imagines honorificè colerentur; & id fuisse etiam à Christianis observatum, liquet ex Juliani fraude cujus meminit Nazianzenus orat. 3. jusserat ipse suam propriam imaginem ad falsorum Numinum collocari idola, ut Christiani Imperatori salutantes imaginem, crederentur idola colere; quo pacto etiam contumeliæ imagini illatæ censentur pertinere ad personam repræsentatam per imaginem adeo ut injuria, quæ infertur statuæ vel imagini Imperatoris censeatur fieri ipsi Imperatori, unde cum honor, qui imagini tribuitur, redundat in prototypon sequitur imagines Christi, & Sanctorum verè, & propriè esse adorandas honorandas, & laudandas quamvis sint res inanimes; id tamen interest discriminis inter laudem, honorem, & adorationem, ut notat D. Thomas 2. 2. *quæst.* 84. 91. & 103. quia laus est quædam testificatio excellentiæ quæ in verbis consistit, quatenus laudator manifestat excellentiam, vel virtutem personæ laudatæ eamque verbis deprædicat; honor non verbis alterius excellentiam prodit, sed factis, aliisque signis externis eam testatur. Adoratio verò præter illam testificationem excellentiæ includit etiam essentialiter aliquam submissionem erga id, quod adoratur, in quo differt à laude, & honore; siquidem laudamus, & honoramus etiam æquales, vel inferiores, & non adoramus nisi superiores,

riores, & excellentiores, quibus submittimus nostram inferioritatem, unde adoratio definitur à S. Joanne Damasceno *orat. 3. cap. 4.* animi cedentis, demissi, & humilis significatio, hinc possumus laudare, & honorare nobis pares, imò & inferiores, & adorare non possumus nisi superiores, & nobis excellentiores, & quia duplex est excellentia una infinita independens, imparticipata, & alia finita, & dependens, ita adoratio alia dicitur latria, qua Deum adoramus ob excellentiam infinitam, imparticipatam: & alia qua creaturas veneramur & hæc adoratio bipartitur in hyperduliam, qua adoramus Deiparam ob singularem excellentiam Matris Dei, & alia dicitur Dulia, qua veneramur Sanctos cœlesti beatitate donatos, unde cultus ille religiosus, qui ob creatam excellentiam communiter defertur Sanctis vocatur dulia, quæ vox ex usu Ecclesiæ significat servitutem, & submissionem non quamlibet abjectam, & vilem, qualis est mancipiorum; neque honorariam, & politicam qualis est, subditorum erga Principes, & inferiorum erga superiores; sed pia, & religiosa, quæ sanctis defertur ob eorum virtutem, & sanctitatem, & hæc adoratio, adhuc est duplex, una exterior, quæ externo aliquo signo sensibili. ac significatione nostræ submissionis exhibetur ut adgeniculatione, capitis inclinatione, & similibus; & altera interior, quæ consistit in actione mentis, & dicitur veluti anima informans externam adorationem, & fit dupliciter, quatenus per intelligentiam cognoscimus, & profitemur excellentem dignitatem illius, qui à nobis colitur, & voluntatis affectu in eundem rapimur, cum enim consistat homo ex mente, & corpore, seu ex natura intelligibili, & sensibili, ideo æquum est, ut duplicem adorationem nostro offeramus Conditori. Non enim ex solo actu exterioris discerni potest, an cultus, qui alteri defertur sit latriæ, vel Duliæ, quia iisdem actibus, & signis externis, quibus per capitis inclinationem, & adgeniculationem Deum adoramus persæpe etiam Sanctos colimus, quare id nonnisi ex interno mentis affectu, & voluntate cognosci potest, si enim illa capitis inclinatio dirigatur ad protestandam infinitam Dei excellentiam supra omnes creaturas & nostram à Deo omnimodam dependentiam tunc talis actus est adoratio latriæ: sin verò per eandem capitis inclinationem intendamus cultum religiosum alicui Sancto ob ejus virtutem, & gloriam deferre, tunc adoratio dicitur duliæ. Solet tamen adhiberi à viris prudentibus aliqua distinctio inter cultum, quo Deum, & quo creaturas colimus: siquidem Deo solemus genuflectere, & creaturis tantùm caput inclinare.

Quòd verò hæc adoratio, qua colimus Christum, & Sanctorum imagines sit respectiva, prout simpliciter terminatur ad imagines, ex eo est itidem probatu facile, quia imagines non adorantur nisi propter excellentiam, & Sanctitatem eorum, quos repræsentant: Sed adoratio terminata ad imaginem propter excellentiam, & Sanctitatem illius, quem imago repræsentat est respectiva, non absoluta, consequenter imagines adoratione tantùm respectiva adorantur: siquidem terminus in quem fertur adoratio absoluta, & in quem propterea sistit, est excellentia & sanctitas illius, quem adoramus: imagines autem quia inanimatæ non sunt capaces Sanctitatis absolutæ, seu gratiæ sanctificantis, nec habent illam excellentiam, ob quam adorentur sed tota ratio adorandi imagines est, quia istæ repræsentant Christum, vel Sanctos: ex quo liquet totam rationem adorandi imaginem esse Sanctitatem & excellentiam prototypi, & ex eo firmatur, quia imagines ob relationem, quam dicunt ad Sanctos, quos repræsentant sunt aliquo modo Sanctæ Sanctitate respectiva: siquidem in scripturis res inanimatæ ob relationem ad munera sacra, vel personas sacras, sanctæ dicuntur, & ob hanc rationem censentur dignæ veneratione, hinc Exodi 3. Cum Moyses ascendisset ad montem Dei Horeb ut videret Rubum, qui cum arderet, non comburebatur, dixit ei Deus, *ne appropinques huc solve calceamentum de pedibus tuis locus enim, in quo stas terra sancta est*, adeo ut terra illa, in qua speciali præsentia Deus aderat, Sancta esse dicatur, & Exodi cap. 12. dies festi sancti, & venerabiles dicuntur, ut etiam vestes sacerdotales cap. 28. dicuntur sanctæ sanctitate respectiva ob sacerdotem, quem tegunt, ut enim rectè notat D. Augustinus *lib. 2. de peccator. meritis, & remiss. cap. 26. & serm. 14. de verbis Apostol.* duplex est significatio intrinseca una, & absoluta, & alia extrinseca, & relativa: intrinseca, quæ est vera, & proprie Sanctitas, est ipsa gratia sanctificans inhærens personæ, quam constituit Sanctam, extrinseca & relatica habetur per habitudinem & ordinem ad veram Sanctitatem: unde cùm sacræ imagines repræsentent personas sanctas, ad quas dicunt habitudinem, dicuntur & ipsæ Sanctæ sanctitate relativa, consequenter sunt & ipsæ adorandæ adoratione respectiva, non enim in imagine adoratur illa forma, seu figura propter se; quia figuræ & colores, non sunt per se adorabiles; sed adoratur imago propter excellentiam, & Sanctitatem prototypi; qui enim amaret pulcbritudinem imaginis ex eo duntaxat, quòd fuerit ab excellente pictore delineata, & ob ejus tantùm singularem excellentiam non diceretur amare imaginem illam propter prototypon, sed propter se, & ob excellentiam ejusdem, adeo ut cum illo amore imaginis possit simul cohærere odium in prototypon, neque hoc pacto adoratur imago, sicut potest amari, quia tametsi habeat excellentiam, ob quam sit digna amore, non tamen habet excellentiam, qua sit digna adoratione: Sin autem quis amet imaginem ex eo præcisè, quia repræsentet amicum, tunc is dicitur quidem amare imaginem, sed taliter ut tota ratio amandi sit persona repræsentata per talem imaginem, & hoc pacto adorantur imagines, quia tota ratio eas adorandi est Sanctitas, & excellentia eorum, quos repræsentant. Quamvis sacræ imagines non colantur propter se, sed ob excellentiam prototypi adorantur tamen verè & propriè in se licèt adoratione respectiva; quo pacto adoramus instrumenta dominicæ passionis non enim solum adoramus Christum crucifixum in eis, verùm etiam ipsa instrumenta in se ipsis propter Christum, ut etiam imagines propter excellentias prototyporum, id enim fuit definitum in septima *Synodo* act. 7. & anathemate feriuntur negantes imagines esse à nobis adorandas, quapropter Sancti Patres communiter asserunt Sacras imagines esse adorandas, & non possunt Concilia, & Patres intelligi de adoratione impropriè, & abusivè sumpta: siquidem hujusmodi adoratio abusiva tantùm non terminatur ad imagines, proinde per illam non adorantur imagines.

Firmatur quia vel imagines verè, vel in re ipsa sunt objectum adorationis saltem materiale, totale, vel partiale, adeo ut adoratio ad ipsas terminetur, ut ad aliquid pertinens ad ejus objectum materiale, vel nullo pacto imagines pertinent quoad objectum materiale adorationis: si dicatur primum ergo non abusive, sed verè, & realiter adorantur Sacræ imagines,

gines, adeo ut hæ perinde dicantur adorari sicut veritas propriè dicitur credi, eò quia actus fidei versetur circa illam, & res dicitur amari ad quam amor terminatur sive propter se, sive propter alium. Quamobrem eo ipso quod adoratio terminatur ad imaginem ut ad objectum materiale, totale, vel partiale, non abusivè sed verè, & realiter dicitur imago adorari, licet propter excellentiam prototypi. Si dicatur, secundum scilicet imagines nullo pacto esse objectum materiale adorationis, sequitur nullo modo coli, neque abusivè siquidem imagines non sunt objectum formale adorationis cum adoratio non fiat ratione illarum, sed prototyporum: neque sunt objectum materiale, consequenter nullo pacto adorantur nec abusivè. Quòd si dicas imagines dici abusivè adorari, eò quia ad earundem præsentiam adorentur prototypa, quæ per imagines ad memoriam revocantur contra est, quia inde non sequitur adorari imagines, sed tantùm has esse occasiones, vel signa excitantia hominem ad adoranda prototypa: sicut quis visa pulchra specie alicujus creaturæ excitaretur ad laudandum & glorificandum Creatorem non diceretur tunc laudare, & glorificare creaturam, tametsi hæc excitaret ad laudem, & gloriam Creatoris ergo idem dicendum de adoratione imaginum, si tantum ad eorundem præsentiam adorarentur prototypa: quia tunc imagines essent tantum signa excitantia amorem, sed hoc est contra septimam Synodum Act. 6. ubi reprahenduntur asserentes imagines esse quidem retinendas propter memoriam non propter adorationem. Præterea quia in eadem septima Synodo statuitur, quòd imagines Christi sint adorandæ, & quod hæc adoratio non sit latria summè perfecta, sed si verè, & realiter non adorarentur imagines hæc adoratio circa Christi imagines esset perfectissima latria, quia per recordationem, & in præsentia imaginis Christi adoraretur solus Christus, cui ratione divinitatis convenit perfecta, & summa latria: ergo si Christi imagines non adorantur latria summè perfecta, sequ tur adorari adoratione vera, & propriè terminata ad ipsos tanquam ad objectum materiale propter formale, seu excellentiam prototypi, Quapropter eadem septima Synodus Act. 3. non solùm definit adorari exemplar in imagine, sed etiam imaginem propter exemplar, seu prototypon: ex quo liquet imagines verè, & realiter adoratione respectiva propter excellentiam prototyporum.

Quòd verò Sacræ imagines non solùm per signa externa significantia animi nostri submissionem, & humiliationem, verùm etiam per interiorem intentionem cultus adorentur ex eo est probatu facile, quia sola exterior actio sine interna colendi intentione non est adoratio nisi fortassis ficta: siquidem actio externa & ex diversa intentione, qua fit, esse potest vel bona, vel mala, adeo ut ex se sit indifferens ad utrumlibet, ut elargitio eleemosynæ bona est, & commendabilis si fiat ex intentione subveniendi alienæ miseriæ, sit verò prava, si ex intentione vanæ gloriolæ, vel ad extorquendum consensum ad turpia, quapropter intentio est veluti anima actionis externæ consequenter etiam adorationis. Neque sufficit, si dicas adorationem procedere ex simplici affectu exhibendi imagini illud honoris signum, quamvis non procedat ex intentione honorandi imaginem sed tantùm prototypum; quo pacto adorantes sanctos dicuntur deosculari eorum imagines eisque genua flectere caput aperire, & inclinare. Nam contra est, quia adoratio est signum honoris exhibitæ rei, quæ adoratur: unde si signum honoris quod circa imagines exercetur non procedit ex intentione honorandi imaginem sed tantùm prototypum, talis honor non est imaginis, neque adoratio aut signum honoris exhibiti eidem, consequenter non est adoratio imaginis. Tum quia vel imagines exosculari eisdem genua flectere caput aperire sunt signa externa honoris exhibiti tantum coram imagine: vel sunt signa honoris, qui exhibetur ipsi imagini: si sint signa honoris tantum exhibiti coram imagine, sine intentione adorandi imaginem, sequitur per talia signa nullo pacto adorari imaginem perinde ac si quispiam in campo, vel sylva ante arbores, & animalia genua flecteret ex intentione Deum adorandi, non diceretur animalia, & plantas adorare, quamvis coram ipsis genua flecteret, & alia signa externa depromeret adorationis: & ratio est, quia signa externa adorationis debent fieri cum interna intentione adorandi, quapropter ut imago dicatur adorari, non sufficit, si coram illa quis genua flectat sed ulterius requiritur intentio eam adorandi: neque voluntas flectendi genua coram imagine includit intrinsecè voluntatem adorandi: quia aliud est formaliter, & moraliter loquendo velle genua flectere coram re aliqua, & aliud velle rem illam adorare: possumus enim coram arboribus genua flectere absque voluntate adorandi circumstantes arbores; sed cum vera intentione colendi Deum; illa enim præsentia arborum tantùm se habet materialiter, & per accidens, & intentio adorandi Deum se habet formaliter, & per se. Hinc si voluntas exhibendi signum honoris coram imagine tantùm cadit in illud signum, ut est quædam materialis actio, nequit dici exhibitio talis signi respectu imaginis verè, & propriè adoratio imaginis, est enim adoratio actio humana & voluntaria exigens procedere ex voluntate adorandi. Quamobrem qui exterius tantùm exhibet idolo signum honoris sine intentione illud colendi non dicitur propriè adorare idolum, sed tantùm simulare ejus adorationem, & præscindendo à scandalo non comitteret propriè peccatum idololatriæ, sed tantùm peccatum simulationis idololatriæ, quinimò si hæc externa signa exhiberentur etiam sine ovluntate simulandi adorationem, tunc nec dicerentur adorationes simulare, & hac ratione Abulensis excusat factum Naaman Syri 4. Reg. 5. Ut ipse habet ibid. quæst. 25. quia ratio adorationis dependet à voluntate adorandi, adeo ut sublata intentione tollatur ratio adorationis. Sin autem præfata signa externa flectendi genua, aperiendi caput coram imagine fiant cum intentione exhibendi debitum honorem iisdem imaginibus, hunc talia signa proprie, & verè sunt adorationes terminatæ ad imaginem, ut ad objectum materiale propter formale, seu excellentiam prototypi.

Si dicas, res inanimatas, cujusmodi sunt imagines non trahere secum capacitatem, ut ad illas dirigatur intentio cultus respondetur, quod tametsi hæc objectio sit præcipuum fundamentum cui innituntur Hæretici negantes cultum sacrarum imaginum, non tamen est ullius ponderis quia ut constat, ex hactenus declaratis ad res inanimatas, cujusmodi sunt imagines potest referri intentio adorationis respectivæ, qua adorantur imagines propter excellentiam prototyporum adeo ut per hanc respectivam adorationem adoremus prototypa in imaginibus, & imagines propter prototypa, ut loquitur septima Synodus act. 7. ex quo liquet imagines esse adorandas propter prototypa, tanquam propter rationes adorandi, quapropter quando cultus non est absolutus, sed respectivus dirigi potest in imagines inanimatas, quia tunc cultus, dirigitur ad ipsas propter excellentiam

tam prototyporum. Neque necesse est, ut res quæ adoratur adoratione respectiva percipiat honorem qui illi defertur. Neque est de ratione adorationis, ut hac intentione tribuatur, sed tantùm ut una quæque res juxta propriam capacitatem revereuter tractetur, & signa externa significent, hanc religiosam venerationem, quam de imaginibus sacris habemus, non verò de aliis profanis.

Objiciunt tamen Hæretici Concilium Francofurtiense, quod damnavit, & reprobavit secundam Synodum Nicænam, eò quia cultum, & adorationem approbaverit imaginum, ajunt enim Concilium Francofurtiense tantùm judicâsse imagines retinendas esse non cultus causa, sed memoriæ gratia, quod evincunt ex eodem Concilio, & ex historiis referentibus hanc definitionem Concilii, Francofurtiensis & ex libris Caroli Magni contra imagines, in quibus asseritur esse retinendas non propter adorationem, sed ob solam memoriam, & ajunt hos libros editos fuisse à Carolo magno, & oblatos Patribus Concilii Francofurtiensis, à quibus etiam fuerunt approbati. Huic tamen objectioni occurrunt Catholici, quia dato etiam, quòd vera sint omnia, & singula, quæ de Concilio Francofurtiensi afferuntur ab Hæretici, adhuc nullius essent roboris: siquidem authoritas Concilii Francofurtiensis non debet comparari cum authoritate septimæ Synodi: sicut neque testimonium Caroli Magni cum illa Adriani summi Pontificis; quia de rebus fidei definiendis, & declarandis non Imperator, sed Pontifex fuit à Christo judex constitutus. Synodus Nicæna fuit Oecumenica, & à summo Pontifice approbata, & confirmata, secus Concilium Francofurtiense non fuit generale, & si aliquid contra imagines docuit, id Pontifex quoad illam partem non approbavit, & confirmavit. Adrianus enim Papa VII. Synodum confirmavit, & scripsit contra imaginum impugnatores; quapropter non videtur probabile neque verosimile, quod Eclesia, quæ in septima Synodo approbavit imagines esse adorandos postea in Concilio Francofurtiensi hoc idem voluerit reprobare.

Circa historiam Concilii Francofortiensis dissentiunt Authores, ferè omnes concedunt, Concilium illud de imaginibus tractâsse, & aliquid definivisse, sed quid specialiter illud fuerit non declarant, neque pars illa, in qua de imaginibus agitur amplius extat. Bellarminus cum pluribus aliis concedit Concilium Francofortiense damnasse Nicænam Synodum, non tamen errasse in doctrina fidei, sed tantum in facto, eò quia non satis perspectam habuerit definitionem Nicænæ Synodi; adeo ut Concilium Francofurtiense erraverit, primo quia putaverit, Nicænam Synodum non fuisse authoritate Pontificis congregatam, & confirmatam: Secundo quia Patres in Concilio Francofurtiensi putarunt, Nicenam Synodum definivisse imagines sanctorū esse adorandas latriâ & ideò illum Synodum damnasse, quia creaturis non convenit cultus latriæ, qui soli Deo competit. Alii volunt, Concilium Francofortiense definivisse potius veritatem, scilicet sacras sanctorum imagines esse adorandas adoratione duliæ, & consensisse Nicænæ Synodo ut docent Sanderus lib. 2. de imaginibus cap. 5. Alanus dialog. 4. cap. 18. & 19. Surius Tom. 3. Concilii in Præfat. Idque firmatur etiam authoritate Concilii Senonensis in decretis fidei cap. 14. ubi dicitur, quòd Carolus Magnus Francorum rex Christianissimus in Concilio Francofurtiensi Iconomachorum suppresserit insaniam, quod etiam refert Platina in vita Adriani Papæ. Alii asserunt Concilium Francofurtiense septimam Synodum Græcorum non intellexisse secundam Nicenam, sed Pseudo Synodum Constantinopolitanum, quæ sub Constantino Copronymo ab Iconomachis coacta fuit, & quam Græci universalem septimam Synodum appellârunt, ut referunt Zonaras in vita Constantini Alanus, Sanderus, Surius, & alii plures, & constat etiam ex Synodo Nicæna Act. 7. ubi tota illa Synodus ex professo impugnatur, & refellitur, & ostenditur, non suisse universalem, & veram Synodum sed profanam, & nullius authoritatis: & Historiographi antiquiores communiter asserunt Concilium Francofurtiense tantùm damnasse hanc Græcorum Synodum profanam, & adulterinam, non verò secundam Synodum Nicænam in qua adoratio imaginum fuit approbata, hinc ex historiis non potest ullum erui argumentum, quo deducatur Concilium Francofurtiense aliquid definivisse contra imaginum adorationem, vel aliquid decrevisse contra Nicænam Synodum, cum Historici sint inter se dissidentes, & alias Concilium illud Francofurtiense se submiserit judicio, & obedientiæ summi Pontificis, & non videtur credibile Adrianum Papam unà cum suis Legatis approbasse Concilium, quod reprobavit cultum Sacrarum imaginum quem semper Ecclesia religiosè observavit à tempore Apostolorum, & Concilium Nicænum Secundum eum approbavit. Unde verosimilius est, Patres Concilii Francofurtiensis damnâsse Pseudosynodum Constantinopolitanam, quam Græci Septimam vocarunt, in qua adoratio imaginum damnata fuit, ut censet Paulus Æmilius *lib. 2. de gestis Francor. prope fin.* ubi refert Concilium Francofurtiense egisse contra Hæreticos damnantes imagines, ut etiam referunt Sabellicus *lib.* 8. *Ened.* 8. Nauclerus in *Chronol. vol. 2. genes* 27. Galizardus Arelatensis in *Chronolog. anno* 816. Alanus *Dialog.* 4. *cap.* 19.

# CAP. VII.

## An imagines una eademque adoratione possint adorari cum suis Prototypis.

JUvat observare, dupliciter posse intelligi imagines adorari; primò per directionem totius intentionis ad solum exemplar in imagine repræsentatum, ut ad objectum propriè & per se adoratum, & non ad imaginem; & hic modus adorationis quamvis possibilis sit quatenus ad præsentiam imaginis crucifixi possimus recordari personæ Christi, & in illum dirigere omnes actus internæ nostræ subjectionis, & non ad imaginem, qua tantùm utimur, ut medio excitante ad Christum adorandum, non propterea per talem adorationem verè & propriè adoramus imaginem, cum ad ipsam nostra adoratio non terminetur, ut ad objectum materiale, totale, & partiale. Secundo potest imago adorari per directionem adorationis ad totum complexum ex prototypo repræsentato & imagine repræsentante per modum unius, adeo ut mens nostra ex utroque conficiat unum

unum objectum adæquatum, ad quod per se terminetur adoratio: Sitaque adæqua tamateria circa quam versatur ex intentione adorantis. Ex Authoribus docentibus imagines posse propriè & per se adorari plures eunt inficias posse imagines eadem adoratione adorari cum suis prototypis, & innituntur ea ratione, quia adoratio imaginis est respectiva, & propter exemplar distinguitur ab adoratione, qua adoratur prototypon. quia adoratio prototypi est absoluta, & propter se, & cum ratio relativa non sit absoluta sequitur adorationem imaginis utpote relativam distingui ab adoratione prototypi, quæ est absoluta hinc concludunt fieri non posse, ut una eademque adoratione simul adorentur imago & prototypon. Rursus asserunt imaginem adorari tantùm ut *quo* quatenus est ratio qua adoratur Prototypon: & exemplar adorari ut *quod*. Hinc ex Thomistis plures quamvis doceant imaginem, & prototypon adorari una, eademque adoratione, illud tamen intelligunt de una adoratione non quoad actum internum, sed quoad habitum quatenus una, & eadem virtus inclinans ad adorandum prototypon propter se, inclinat etiam ad adorandam imaginem propter prototypon, eodem pacto quo eodem habitu charitatis diligitur Deus ut objectum primarium, & propter se; & proximus ut objectum secundarium propter Deum, hic autem modus docendi non videtur cohærere cum doctrina D. Thomæ, quia S. Doctor 3. *part. quæst.* 25. *art.* 3. expressè asserit eodem actu adorare simul imaginem, & prototypon. Tertiò intelligitur imago adorari per directionem adorationis ad solam imaginem ut ad materiam per se adoratam, & ad prototypon, ut ad rationem adorandi, seu ut ad objectum formale, & excellentiam propter quam adoratur imago adeo ut licet imago adoretur per se, non tamen propter se, quia etiam medium per se & in se amatur, licet non propter se sed propter finem ad cujus assecutionem conducit, & hoc pacto imago licet adoretur per se, quia tamen ejus adoratio est respectiva, & terminatur ad excellentiam prototypi, quatenus est formalis ratio adorandi imaginem inde sequitur, quod imago nonnisi respectivè adoretur per se, & in se & prototypon absolutè propter propriam excellentiam, quæ est ratio adorandi imaginem. His præmissis,

Dicendum est posse uno eodemque actu adorationis interiori, & exteriori simul adorari prototypon in imagine, & imaginem propter prototypon, ut docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 25. *art.* 3. quem sequuntur communiter Thomistæ & D. Bonaventura *art.* 1. *quæst.* 2 *&* 3. Major, Almainus, Marsilius, & alii plures. Prodetit observare, quod tametsi imago in se revera non contineat prototypon secundùm proprium esse reale illud tamen continet in esse repræsentativo, quo fit ut homo, qui movetur ex sensibilibus proposita hujusmodi imagine statim simul cum ipsa imgine apprehendat ipsum prototypon, & per modum quasi unius utrumque simul concipiat, & uno eodemque adorationis actu primario in prototypon feratur, & concomitanter in imaginem, quam deosculando Christum adorat, non quia credat imaginem esse Christum realiter; sed quia imago ibi repræsentat Christum, quem primariò adorat, & imaginem concomitanter secundariò, & respectivè propter Christum.

Probatur assertio, quia in septima Synodo act. 4. ex Basilio contra Sabellium, & Athanasio serm. 4. contra Arianos habetur, *qui adorat imaginem Regis in eadem ipsum Regem adorat* ex hac propositione, quæ fuit approbata à Patribus illius Concilii Joannes Legatus Orientis intulit: *unde beatus Pater indicavit non esse duas adorationes, sed unam imaginis prototypi.* Hoc idem etiam approbavit Concilium Tridentinum sess. 25. ubi ait *per imagines quas osculamur, & coram quibus procumbimus Christum adoramus, & Sanctos veneramur*, ubi per verbum adoramus latriam, & per verbum veneramur duliam significat, adeo ut una, ac eadem adoratio, ut terminata ad Deum prototypon sit latria, & ut terminata ad imaginem Christi sit Dulia sitque propterea unus ac idem actus qui secundum diversos respectus ad plures terminos inter se connexos sit latria, & dulia hanc eandem assertionem docuerunt Sancti Patres præsertim Basilius lib. de Spiritu S. cap. 18. ubi ait *Rex dicitur regis imago & non duo Reges: neque imperium scinditur, neque gloria dividitur, quia sicut potestas est una, ita & glorificatio est una.* Damascenus lib. 4. de fide cap. 12. *Nobis faciendum est, ut crucis signum adoremus, ubi enim signum fuerit, illi quoque & ipse erit.* Hinc Athanasius dixit, qui imaginem regis aspicit in ea regem aspicit, quatenus prototypon repræsentativè est imago. Ratio id evincens etiam est, quia juxta vulgatum axioma Aristotelis *lib. de memor. & reminisc.* idem est motus in imaginem, & in id cujus est imago, ex quo infert D. Thomas loc. cit. motum adorationis imaginis ut imago est, terminari ad exemplar, ut in objectum primarium, & principale, quo pacto sancti Patres communiter asserunt, honorem imaginis ferri ad prototypon, ut ad idquod primario, & principalius adoratur, adeo ut adoratio ita feratur in imaginem, ut simul termineiur ad prototypon tanquam ad rem per se primariò, ac principaliter adoratam, unde unà ac eadem adoratione possunt simul adorari imago, & prototypon, adeo ut adorans per se primò tendat in prototypon, & concomitanter in imaginem propter excellentiam prototypi. Neque id videtur rationi dissentaneum, quia potest creatura alioquin per se incapax latriæ coadorari latria, si hæc terminetur per se primò ad ipsum Deum: quo pacto humanitas Christi, quamvis sit aliquid finitum, adhuc coadoratur adoratione latriæ una cum verbo divino cui hypostaticè unitur, unde licèt imago sit quid inanimatum, & distinctum à prototypo nil obstat, quominus unà eademque adoratione possit simul adorari cum prototypo, dummodo adoratio per se primò tendat in prototypon, & in imaginem concomitanter propter prototypon.

Si dicas paritatem de Christi humanitate non esse ad rem, eò quia ex verbo divino & humanitate constituitur Christus, cui ratione divinitatis debetur adoratio latriæ: secus ex imagine, & prototypo non fit quid unum. Contra est, quia tametsi ex imagine, & prototypo non fiat quid unum per se, fit tamen unum per habitudinem, & apprehensionem, quatenus prototypon repræsentatum in imagine adoratur quasi circumvestitum imagine consequenter per modum unius objecti, unà cum imagine. Verum tamen est, quod hoc actu adorationis directè, & primariò adoretur prototypon in imagine repræsentatum propter propriam excellentiam quam in se habet; & tantum concomitanter, & secundariò propter excellentiam prototypi ipsa imago, adeo ut vere adoretur imago in se, quamvis non

pro-

propter se,; sed propter exemplar eodem prorsus actu, quo exemplar; Perinde ac species Sacramentales adorantur eadem adoratione qua Christus sub iisdem contentus, tota enim ratio hujus adorationis semper est excellentia prototypi, quia hæc constituit prototypon adoratione dignum, ut etiam ejus imaginem, quatenus hæc refertur ad prototypon quod adoratur per se, & propter se, & imago tantùm propter prototypon ut definitum fuit in Concilio Tridentino sess. 25. ubi habetur: *Imaginibus debitum honorem, & venerationem impertiendum esse non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, propter quam sint colenda, sed quoniam honor qui eis exhibetur refertur ad prototypa, quæ repræsentant.* Si dicas ex Tridentino in imagine Christi nullam includi divinitatem consequenter non posse adorari eadem adoratione qua Christus: Siquidem Christus ratione verbi divini quod includit adoratur adoratione latriæ atqui imago Christi non includit hanc divinitatem ex Tridentino, consequenter non videtur posse adorari adoratione latriæ, quæ tantùm convenit divinitati. Contra est distinguitur antecedens: Nulla includitur divinitas realiter, & per se, conceditur, repræsentativè, & respectivè, negatur antecedens, & consequentia, quia tametsi imago Christi secundùm se & præcisè quatenus est aliquid materiale non includat divinitatem, ut loquitur Tridentinum, illam tamen repræsentat, & ad illam refertur; & sicut imago Christi, & Christus concipiuntur per modum unius, ita adoratio imaginis Christi proprie est adoratio latriæ ex habitudine ad objectum primarium, seu Christi personam, quæ per se primo adoratur, ex habitudine enim ad illam ejusque excellentiam hujusmodi adoratio est summa, & vera latria. Quia verò idem actus indivisibilis terminatur simul ad imaginem. & Christum magis propriè dicitur illa imago coadorari adoratione latriæ, quatenus verò simul adoratur eadem adoratione qua Christus cui ratione divinitatis convenit latria non enim hæc adoratio habet, quòd sit latria ex imagine Christi, sed ex persona Christi, sicut etiam Christi humanisas verè adoratur latria, quamvis hæc adoratio non habeat, quod sit latria ex humanitate, sed ex hypostasi divina unita humanitati. Potest enim imago considerari secundùm se præcisè, ut est res aliqua manufacta ex ligno, vel coloribus, vel lauro, aut argento, & sub hac ratione non dicitur imago adorari. Secundo quatenus repræsentat prototypon, cui ob propriam excellentiam convenit adoratio; & imago tunc potest coadorari cum prototypo, quatenus ipsum repræsentat, & ad ipsum refertur, adeo ut adoratio per se primò tendat in prototypon, & secundariò, ac concomitanter in imaginem propter prototypon, & quatenus imago Christo simul coadoratur cum ipso Christo talis adoratio sumpta denominatione à potiori, seu persona Christi dicitur latria, & ut præcisè concipitur terminata ad solam imaginem, cum hæc sit finita, & limitata dicitur adoratio duliæ, quatenus verò concipitur simul terminata ad imaginem, & Christum simul per modum unius dicitur adoratio latriæ eò quia terminetur ad personam divinam complentem Christi humanitatem, quapropter secundum diversos respectus unus, & idem actus est adoratio latriæ & duliæ.

Si dicas imaginem Christi esse realiter, & secundùm totum suum esse distinctam ab ipso Christo nec esse tantæ excellentiæ, quantæ Christus, eò quia imago Christi non sit Christus, consequenter non posse imagissem adorari eadem adoratione qua prototypon; respondetur cum Cajectano imaginem, ut imaginem esse Christum quoad rationem formalem, & materialem terminandi adorationem, quia hæc terminatur ad Christum in imagine: sed adhuc oritur difficultas, quia imago etiam reduplicativè ut imago est semper quid distinctum à Christo, & quid inferius illo, est enim imago inanimata & materialis, consequenter non videtur posse adorari eadem adoratione cum Christo: siquidem perinde est falsa hæc propositio: *imago Christi est Christus*: sicut est falsa hæc alia: *homo pictus est homo*: ergo non videtur imago Christi adoranda eadem adoratione quâ Christus. Quod si respondeas, imaginem Christi esse Christum non in esse reali, sed in esse repræsentativo; urgetur; quia tametsi imago Christi realiter, & simpliciter non sit Christus, bene tamen secundum quid, quatenus illud esse repræsentativum est diminutum, si conferatur cum Christo secundùm suum esse reale, consequenter licèt imago secundum illud esse diminutum esset adoranda, non tamen eadem adoratione cum Christo. Si dicas in adoratione imaginis adorari Christum in ipsa; consequenter eadem adoratione adorari imaginem, & Christum: adhuc contra; quia quando adoratur Christus in imagine, vel solus Christus est totum objectum talis adorationis; & sic adoratio est eadem, quâ adoratur Christus sine imagine, consequenter per ipsam non adoratur imago, cum totum objectum adorationis sit solus Christus. Vel objectum hujus adorationis est complexum ex Christo, & ejus imagine simul; & sic sequitur imsginem esse partem hujus objecti: quòd si ita est sequitur, rem creatam esse partialiter objectum latriæ, quod est absurdum.

Recte ergo respondetur: quòd tametsi argumentum videatur plurimum habere roboris: nihilominus solùm evincit imaginem Christi per se seorsim à Christo realiter sumpto non posse adorari latriâ eò quia sit, quid finitum: non tamen probat non posse imaginem coadorari simul cum prototypo eodem cultu, quo adoratur prototypon: quia tunc adoratio per se primo tendit in prototypon, ratione cujus nonnisi concomitanter adoratur imago; adeò ut eadem adorato entitativè, & realiter sumpta tendat primariò, & per se in prototypon, & secundario, ac concomitanter propter excellentiam prototypi in imaginem; adeò ut una ac eadem adoratio eutitativè & realiter sumpta sit absoluta, & respectiva absque ulla conditione, quia id contingit ratione diversorum, est enim absoluta respectu prototypi; & respectiva ratione imaginis; penes diversos respectus salvatur contradictio, est enim absoluta, ut respicit ac terminatur ad excellentiam prototypi; & est relativa, ut terminata ad representationem prototypi in imagine; & quamvis hi duo respectus realiter entitativè sint quid unum; formaliter tamen & ex natura rei distinguuntur. Persæpe contingit, unam, eandemque indivisibilem actionem entitativè respicere diversos terminos simul connexos, & per habitudinem ad illos sortiri diversas rationes, seu denominationes, quarum una non est alia: cum enim ratio absoluta non sit relativa; sequitur in una, eademque entitate dari distinctas rationes objectibiles, seu formalitates distinctæ formaliter, licet realiter entitativè sint unus ac idem actus. Non enim eundem actum diversas sortiri respectus: etenim Beati in cælesti Patria eadem indivisibili visione vident Deum, & creaturas in Deo; & nihilominus eadem visio est beatitudo prout terminata in Deum non ut terminata ad creaturas. Rursus in sententia asserentium posse

uno, ac indivisibili acta voluntatis amari Deum, & proximum talis actus tunc ut terminatus ad Deum est actus amoris super omnia, non ita ut terminatus ad creaturas. Pari pacto tametsi idem motus adorationis tendat ad prototypon in imagine, & ad imaginem propter prototypon adhuc idem actus respectu prototypi est latria absoluta quatenus terminatur ad illud, ut ad objectum in se summè excellens, & per se summè adorabile; & ut terminatur ad imaginem est latria respectiva, est secundùm quid; quia non adoratur ut objectum in se & per se summè excellens; sed tantùm coadoratur cum objecto includente in se summam excellentiam, ad quam imago dicit habitudinem, ac propterea dicitur adoratio imaginis respectiva, & secundùm quid intra tamen lineam adorationis, quâ adoratur prototypon. Ad id quod addebatur, imaginem esse rem distinctam, & inferiorem prototypo, & esse repræsentativam secundum se, & in ratione inferiori, quàm sit ipsum repræsentatum secundùm esse reale. Respondetur exinde tantùm sequi imaginem per se solam non posse adorari illo cultu, qui secundum se debetur prototypo; non verò inde evincitur, quòd imago non possit simul adorari cum exemplari, seu coadorari cum prototypo eodem cultun reali, & evètitati, cum non repugret, eundem actum terminati ad diversa objecta, & inde sortiri diversas denominationes, ac diversos respectus distinctos formaliter ex natura rei, ostensum fuit in actu visionis beatificæ terminatæ ad essentiam divinam, & creaturas; & in actu amoris terminato ad Deum, & proximum. Neque obstat, quod addebatur, imaginem esse in ordine inferiori, ac sit prototypon quia inde tantùm sequitur quod non possit adorari per se, & in se absque habitudine ad prototypon; non verò quòd non possit coadorari unà cum prototypo eadem adoratione, quæ ut terminata ad prototypon sit perfecta & absoluta, & ut terminata ad imaginem sit respectiva, minusque principalis. Quia igitur eadem adoratio respicit Christum ut objectum summè excellens & per se adorabile, & imaginem ut quid referibile, ac dicens habitudinem ad ipsum Christum; ideo eadem adoratis quæ ut respiciens Christum est perfecta latria, respectu imaginis non est tam perfecta latria, sed tantùm est adoratos latriæ minus pefecta seu respectiva secundum quid, & diminuta; quia tametsi adoretur eadem adoratione, quâ Christus, non tamen adoratur ut summum objectum; sed duntaxat ut aliquid ad illud pertinens, ac propterea dicitur coadorari cum principali objecto: unde una eademque adoratione aliter adoratur prototypon, & aliter ejus imago; illud dicitur adorari per se primo; & propter se hæc autem concomitanter, & propter aliud: sicut eadem adoratione, quâ colimus virum Sanctum, colimus etiam ejus vestes, corpus, ossa cineres, non tamen æquè, quia magis anima, quàm corpus.

Ad ultimum quod addebatur, quòd si imago esset objectum adorationis sequeretur aliquod creatum fore objectum latriæ; respondetur creaturam ut potè finitam, ac essentialiter dependentem non posse esse objectum totale nec partiale per se primo adoratum adoratione latriæ, non tamen repugnare posse esse objectum partiale coadoratum, seu odoratum concomitanter cum objecto per se primò adorato propter habitudinem, quam dicit ad ipsum. Sicque inde nullum sequitur inconveniens, quin imo perquam consentaneum est, ut simul cum Deo adorentur etiam, quæ illi conjuncta sunt per habitudinem ad ipsum; hinc quamvis Christi humanitas sit quid creatum; adoratur tamen adoratione latriæ, eo quia conjuncta sit Personæ divinæ: pari pacto quamvis imago Christi sit quid creatum inanimatum distinctum à Christo ut realiter est in se, quia tamen repræsentat Christum ad quem propterea dicit habitudinem rectè potest coadorari cum Christo, adeo ut eadem adoratio terminetur primariò per se ad ipsum Christum secundum suum esse reale, & secundario, & concomitanter ad imaginem propter excellentiam prototypi; adeò ut una ac eadem adoratio realiter, & entitativè feratur ad imaginem, & prototypon simul sitque absoluta ut terminata ad excellentiam prototypi, & relativa ut terminata ad imaginem repræsentantem prototypon; & hæ rationes absoluta, & respectiva tantùm distinguuntur formaliter & natura rei, non realiter entitativè.

Si instes, quia si eadem adoratione latriæ possent simul adorari Christus, & ejus imago, sequeretur quod etiam imagini, posset sacrificium offeri saltem concomitanter simul cum Christo: quia si non posset offerri sacrificium imagini maximè quia continet cultum latriæ. Sed ex hactenus dictis imago Christi potest coadorari simul cum Christo adoratione latriæ; ergo saltem concomitanter posset sacrificium etiam offerri imagini Christi. Sed contra quia ut ritè notat Scotus *in 3. dist. 9. ult.* non omnes actus possunt dirigi in res inanimatas; sunt enim aliqui actus, qui exigunt respicere objectum animatū, & personam intelligentem, ut talem; adeo ut per hos actus tantùm colantur personæ, ad quas diriguntur; non verò imagines vestes, & alia id genus: non enim à veste, scriptura, calamo, & aliis id genus, quibus vir sanctus fuit usus petimus aliquid, ut illud obtineamus; neque ut hujusmodi res inanimatæ intercedant pro nobis: sed si quid desideramus, id petimus ab ipsa persona sancta, in qua habemus fiduciam; hinc Concilium Tridentinum sess. 25. postquam definivisset imagines esse adorandas; postea subjungit, non quod ab eis sit aliquid petendum; vel sit nostra fiducia in imaginibus figenda, cum imagines per se non audiant, nec intelligant: petitio enim & fiducia sunt ex illis actibus, qui exigunt dirigi essentialiter ad personam intelligentem, quaque nostras possit audire preces, easque exaudire.

Quòd si dicas, ecclesiam præces fundere ad crucem quamvis inanimatam, & ab illa petere gratiam, & remissionem peccatorum: canit siquidem ecclesia in hymno Dominicæ passionis: *O crux ave, spes unica, piis adauge gratiam Reisque dele crimina*s contra est quia exinde non sequitur petitionem, & fiduciam dirigi in res inanimatas; Ecclesia enim in præcitato hymno loquitur figuratè, fit enim illa oratio ad crucifixum, qui invocatur nomine crucis, & per metonymiam sumitur continens pro contento. Id tamen verum est, quod idem honor & cultus tribuitur ab ecclesia Christo & ejus cruci, quia quamvis oratio ut est petitio non dirigatur nisi ad prototypon; quatenus tamen continet oratio quemdam honorem, & signum nostræ submissionis, potest etiam verbis, vel signis nostræ humilitatis, oratio dirigi ad imaginem, quam propterea intendimus colere. Ita dicendum de Sacrificio, quod licet referatur ad divinam personam in recognitionem supremi dominii, & sub hac formali ratione non possit imaginibus offerri, nihilominus quatenus Sacrificium continet rationem cultus, & signa nostra submissionis, & honoris, quo intendimus eum honorare, cui offerimus Sacrificium, non repugnat actiones, & cæremonias, quibus perficitur Sacrificium redundare in honorem imaginum.

Cæte-

Cæterum imago non potest aliter adorari, quàm propter excellentiam prototypi, & simul cum prototypo; quia Patres, & Concilia definientia imagines esse adorandas totam rationem hujus adorationis in eo ponunt, quod exemplaria adorentur in imaginibus, quod perinde est ac imagines adorari propter exemplaria, adeo ut earundem adoratio transeat ad ipsa exemplaria: neque absque hoc transitu, & respectu ad excellentiam prototypi essent imagines per se adorandæ: hic autem transitus ab imagine ad exemplar fit, quando licet adoratio fiat ad imaginem, dirigitur tamen ad prototypon, tanquam ad objectum primariò adoratum.

Hinc Concilium Tridentinum sess. 25. cum definivisset imagines esse adorandas, hoc dicit, non quod aliquid in se includant divinitatis: sed quoniam honor eis exhibitus transit ad prototypa repræsentata in imaginibus; non enim quando imaginem Beatæ Virginis colimus in ecclesia intendimus solam imaginem Beatæ Virginis solam imaginem illam colere, sed etiam ipsam Virginem, quæ est in cælis, quæque potest ad Deum pro nobis intercedere, quapropter nostra adoratio transit ab imagine ad ipsum prototypon, quem transitum explicans Tridentinum ait: *Ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus procumbimus Christum adoremus, & Sanctos quorum illa similitudinem gerunt*, & hæc definitio utpote doctrinalis habet vim universalis definitionis, adeo ut omnis honesta adoratio imaginis se habeat eodem modo, & excluditur qualibet alia adoratio, per quam imago colitur sine respectu & transitu ad prototypon, unde imago non potest adorari, nisi per eandem adorationem cum prototypo, quia ut ait D. Thomas Motus est in imaginem, & in id cujus est imago, ex quo principio D. Thomas infert dupliciter posse imaginem considerari, primò ut est res quædam constans ex coloribus, vel ligno, vel metallo, vel lapide absque alia habitudine ad aliud, & hoc pacto sumpta imago terminat motum in ipsam, ut distinctum à motu, qui terminatur ad remper imaginem repræsentatam, adeo ut alius sit motus in imaginem, & alius in prototypon; & sub hac ratione non est imago digna cultu, & adoratione, quia est res inanimata materialiter sumpta: secundo potest considerari imago formaliter ut est imago referens in actu exercito, ac repræsentans prototypon: & sub hac ratione adoratur imago propter excellentiam prototypi, & sub hac ratione motus adorationis imaginis, & prototypi est unus tantùm quia non potest imago considerari, ut relata ad prototypon, quin adoratio tendens in imaginem ut reduplicativè relatam ad prototypon terminetur etiam ad ipsum: siquidem unum correlativum ut tale non potest considerari sine alio.

Præterea quia imago præscindendo à prototypo est res inanimata consequenter non est adorabilis sola sine illo siquidem res inanimata non est capax honoris, nec adorationis per se sine consortio alterius præditi ratione, honor enim exigit essentialiter referri ad rem intelligentem, quæque possit cognoscere honorem, qui eidem defertur præterea adoratio nequit rationabiliter tribui nisi superiori, & res irrationalis, cujusmodi est imago materialiter sumpta pro tali dispositione colorum, est quid inanimatum & per se inferius homine, unde licet possit una eademque adoratione simul adorari cum prototypo, non tamen seorsim, & præcisè à prototypo, quia sine hoc imago non dicit habitudinem ad aliquod superius, & excellentius, quod possit nostras preces audire & exaudire. Firmari etiam ex eo potest, quia adoratio est actus religionis, seu virtutis, quæ non potest exercere suos actus circa res ratione destitutas, & vitâ; nesse est enim ut ad aliquam cognoscentem & rationalem omnes suos dirigat actus: unde cum adoratio sit actus virtutis, & pertineat ad religionem, non potest versari circa imaginem inanimatam, nisi principaliter dirigat suum actum in prototypon animatum, & rationale repræsentatum per imaginem.

# CAP. VIII.

## An ex præcepto teneamur sacras imagines adorare? & per quid hæc adoratio differat ab idololatria, & quomodo Reliquiæ Sanctorum sint adorandæ.

Duo considerantur in adoratione Sacrarum imaginum scilicet usus, & modus, & quæritur, an sit præceptum aliquod, quod teneamur exercere hunc Sacrorum imaginum adorationem. Et an modus hujus adorationis cadat sub aliquod præceptum, & quale sit. Certum est simpliciter & absolutè nullum exstare præceptum naturale, vel divinum sacris utendi imaginibus, & eas adorandi, quia in sacris scripturis nullibi hujusmodi præceptum reperitur, neque ex sola traditione inferri potest adesse aliquam divinam legem præcipientem hanc adorationem imaginum, quamvis enim Christus Dominus facto suo hanc consuetudinem approbaverit, non inde probatur illam præcepisse: neque per solam naturalem rationem potest hoc præceptum evinci, quia licet teneamur Deum, & sanctos colere: non tamen ex sola naturali ratione obligamur ad certum modum externi cultus, consequenter nulla datur lex naturalis, qua teneamur Sanctos colere per imagines, neque qua obligemur uti imaginibus, aut earundem cultu.

Quamobrem ex sola consuetudine; & traditione, ecclesiæ usus sacrarum imaginum dici potest cadere aliquo pacto sub præceptum. Ratio est, quia hæc consuetudo involvit in ecclesia temporibus Apostolorum, ut templa, & altaria sacris ornentur imaginibus, neque sine scandalo, & gravi irreverentia possent nunc templa Deo dicata Sacris omnibus expoliari imaginibus more Hæreticorum, qui ab Ecclesiis omnes excludunt Sacras imagines; proinde superstitiosè & perperam agerent fideles, si omnes sacras imagines ab ecclesiis arcerent, quia si judicarent hunc usum imaginum malum esse hæreseos redarguerentur: sin autem judicarent non esse conveniens ad profectum spiritualem uti talibus imaginibus, id saperet superstitionem, & errorem, & scandalum ingeneraret, cum usus sacrarum imaginum sit communis in tota ecclesia Catholica hinc supposito in ecclesia usu sacrarum imaginum duplex circa illarum cultū oritur ex natura rei præceptum, unum negativum non inferendi iisdem injuriam, & hoc præceptum obligat sub peccato mortali ob materiam gravem pertinentem ad virtutem Religionis: alterum affirmativum in eo situm, quod teneamur sacris imaginibus debitum tribuere cultum: quod præceptū tantum obligat temporibus necessariis, perinde ac cætera præcepta affirmativa; id enim

enim interest discriminis inter præceptum negativum, & affirmativum, quia illud obligat semper, & pro semper, adeo ut pro quovis tempore, ac semper teneamur abstinere ab injunis inferendis sacris imaginibus; secus affirmativum non obligat pro semper, sed tantùm pro certis, & determinatis temporibus, ut siquis deberet fidem confiteri per adorationem Sacrarum imaginum, vel si publica esset adoratio exercenda cum cæteris fidelibus, tunc hoc præceptum affirmativum obligaret scilicet pro tali tempore, & occasione. Præterea est præceptum naturale divinum servandi debitum modum in hac imaginum adoratione, adeo ut teneamur nos abstinere ab omni superstitioso cultu.

Hinc adoratio sacrarum imaginum non est idololatria; sed cultus pius, & sanctus: siquidem ut aliquis cultus sit idololatricus, ad peccatum idololatriæ duo requiruntur, quorum primum est ut id honoris, & cultus, quod creaturæ tribuitur uni tantùm Deo debeatur: secundùm ut quidquid est honoris divini, ita creaturæ tribuatur; sicut Deo debet tribui, quorum urrumque complexus est S. Ambrosius in comment. super. 5. caput. epist. ad Ephes. ubi dicitur: Idololatria Dei honorificentiam usurpat, & vendicat creaturæ: hinc utroque concurrente in aliquo adorationis actu committitur idololatria, non ita alterutro vel utroque simul deficiente: in cultu autem, quem sacris adhibemus imaginibus, non concurrunt hæc duo essentialiter requisita ad idololatriam consequenter cultus à fidelibus sacris exhibitus imaginibus non est idololatricus. Minor, in qua tantùm potest esse difficultas, est probatu facilis; quia idololatria tunc committitur cum divinus cultus usurpatur, & exhibetur ceeaturæ, eo modo, quod deberet Deo exhiberi: atqui quando nos Catholici sacras veneramur imagines, nunquam hæc duo conjungimus cultum divinum, nec eum, qui debet Deo exhiberi, siquidem Deo exhibettur cultus summus, qui dicitur latria, supponens terminum, in quem fertur, essentialiter in dependentem, infinitum sanctum, & per se excellentissimum: & cultus, quem sacris exhibemus imaginibus terminatur ad creaturas dependentes finitas, & essentialiter participantes bonitatem Dei, qui cultus est tantùm duliæ distinctus à cultu summo latriæ quo Deum colimus: siquidem alia ratione adoramus Deum, ac Sanctos, hos enim absolutè, & secundùm se adoramus juxta proprias excellentias, scilicet Deum propter summam infinitam increatam, ac perfectissimam excellentiam: & sanctos propter excellentiam finitam, & participatam, quo fit, ut cultus, quem absolutè exhibemus sanctis, sit longè inferior, illo quem Deo tribuimus: ex quibus liquet, quam impudenter, & inverecundè Hæretici idololatriæ Cathólicos insimulent, ex eo quia sacras adorent imagines, tametsi propter extrinsecam prototypi excellentiam dicant se imagines adorare.

Occurrunt huic responsioni Hæretici, asserentes etiam Ethnicos dixisse se non cultum exhibuisse suis idolorum statuis, eò quia simpliciter erant statuæ exsculptæ ligno, vel lapide, vel fusæ metallo; sed quatenus erant tales statuæ scilicet Deorum, qui in iisdem repræsentabantur adeo ut etiam ipsi adoraverint statuas propter prototypa, & nihilominus à vitio idololatriæ non fuerunt excusati. Quòd Ethnici adoraverint in statuis prototypa testatur Eusebius lib. 8. de præparat. evang. cap. 3. ubi loquens de Ethnicis ait: *Adorant idola ut imagines eorum, qui nonnihil ad vitam contulere*, hoc idem adstruit Lactantius *lib. 1. de divin. instit. cap. 15.* Cui visus est adhæsisse D. Augustinus *concion. 2. in Psal.* 113. ubi expendens verba illa: *Simulacra gentium argentum & aurum*, scilicet simulacra repræsentantia idola gentium, sive fuerint simulacra repræsentantia idola gentium, sive fuerint simulacra argentea sive lapidea, sive lignea, aut ex alia materici crassitie compacta. Sozomenus *lib. 7. histor. cap.* 15. Ut gentiles consolaretur, quorum idola Christiani confregerant, ait: *Simulacra erant ex materia corruptioni obnoxia, & ideo comminui potuerunt; quæ verò in eis erant cœlestes potestates, in cœlum evolarunt.* Et firmant ex eo, quia non videtur probabile homines alioquin doctissimos, ac pluribus instructos scientiis, et virtutum addictos studiis, in eam fuisse cæcitatem prolapsos, ut statuas, ligneas, lapideas æreas, argenteas aureas propter se tantùm censuerint adoratione dignas, cum ipsi non adoraverint aurum, vel argentum ut est in se, alioquin illud etiam adorassent extra statuam idoli, quod non præstiterunt, sed tantum in auro, & argento, vel in alia materia repræsentationem idoli fuerunt venerati: ex quo inferunt, Ethnicos nonnisi propter excellentias prototyporum exhibuisse cultum statuis illis, & nihilominus à vitio idololatriæ non fuerunt excusati, etenim Exodi 21. cum Hebræi adorâssent aureum vitulum, non illum propter se, sed Deum in illo visi sunt adorâsse, quapropter dixit Aaron: *Solemnitas Domini est*, & nihilominus à vitio non fuerunt ab idololatria excusati, neque impunè dimissi. Nituntur etiam alio exemplo, deprompto ex cap. 17. Judic. ubi Michas dicebat, *Sanctificavi hoc argentum Domino*, seu erexi hanc imaginem Deo, & tamen ejus cultus vitio non caruit idololatriæ: & hæc sunt potiora argumenta quibus innitunrur Hæretici, ut probent Catholicos sacras adorantes imagines esse idololatras.

Sed cóntra, quia, ut superius evicimus, adoratio Sacrarum imaginum toto cælo distat ab errore, & cæcitate idololatriæ, & quia id est ipsa luce meridiana clarius, est etiam probatu facillimum: siquidem Ecclesia veneratur unamquamque imaginem in suo gradu, & ordine & juxta suum modum referenda omnia in cultum unius Dei, unde Augustinus *lib. 3. de doctrina Christ, cap. 6.* clarè ostendit cultum, qui videtur esse sub rebus, aut signis corporalibus, ac temporalibus, si ad unius Dei cultum referatur: longè à Gentium cultu, & superstitione distare. *Præ*terea Ethnici statuas ære, argento, vel auro conflatos erigere consueverant non verò Deo, non viris sanctis; sed dæmonibus, vel pravis hominibus, & eas vel creaturas in illis repræsentatas colebant propter se, ac si essent suprema Numina, ideoque talis cultus iisdem vitio vertebatur idololatriæ; eò quia cultus soli Deo debitus creaturis tribueretur quod à mente Catholicorum semper alienum fuit. Rursus putabant Ethnici, quos ut Deos colerent esse corporeos, & per eorundem imagines, ac statuas repræsentari, eo pacto quo sunt in se, & nihilominus iisdem sacrificia offerebant, cultumque divinum, ac honorem exhibebant, quæ omnia aliena sunt à cultu, quem ecclesia Catholica sacris exhibet imaginibus: & hæc ratio fuit, cur septima Synodus act. 7. prohibuerit, ne sacræ imagines idola vocarentur: quia idolum propriè est falsa imago, quæ vel repræsentat, quod non est, & quale non est, scilicet ut Sanctum, quod non est tale, ut notavit Origines *homil.* 8. *Exod.* & Apostolus 1. *ad Corinth.* 8. ait: Idolum nihil esse in mundo, quia non repræsentat, quod verè ita sit, unde *Osea* 7. de idololatris dicitur *Operati sunt mendacium* scilicet idolum, ut expendit S. Hieronymus, quia sicut simulacrum

Deo

Deo adversatur ita idolum veritati, quapropter Jerem. 2. idolum dicitur vanitas, ut explicat S. Hieronymus ambulaverunt post vanitatem, & vani facti sunt, eò quia in simulacris colerent plures Deos, qui in rerum natura nunquam fuerunt, nec sunt, nec erunt: Secus imago sacra qualis in ecclesia colitur refertur ad aliquod verum exemplar, quia ut ait S. Gregorius Nazianzenus orat. 26. quæst. 4. de Theol. num. 83. *Imaginis natura est, ut exemplar suum imitando referat*, & S. Damascenus *orat. 2. de imaginib.* ait: Imaginem esse typum prototypi, quem exprimit, & declarat, quapropter tantum abest, ut sacræ imagines, quas ecclesia veneratur, sint idola, ut potius ad destructionem idolorum fuerint ab Apostolis erectæ, ac institutæ, ut notat Turianus lib. 1. pro canonibus Apostolor. cap. 25. ubi adfert Apostolorum canonem, ut loco idolorum, quæ fuerunt destructa, incontaminatè veri Dei, simul & hominis, servorumque ejus manibus efformatæ imagines contra idola, & Judæos erigerentur.

Quapropter sacræ imagines non sunt idola ut putant Hæretici, sed idolorum eversiones, neque fideles sacras adorantes imagines in ullam incidunt idololatriam; quia tunc peccatum committitur idololatriæ, quando adoratio quæ uni soli debetur Deo alteri tribuitur, qui Deus non est, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 94. *art.* 1. quo pacto ad vitium pertinet idololatriæ Deo erigere imaginem, ut propriam ejus naturam sicut est, repræsentet, quia autem Deus est Spiritus, & actus purissimus, non potest repræsentari per ea, quæ cadunt sub sensus; quapropter Ethnici multipliciter in cultu idolorum errârunt, primò quia prorsus ignorârunt unum tantùm adesse verum Deum supremum rerum omnium Dominum, cui supremam tribuerent adorationem. Secundò quia tametsi aliquo pacto Deum cognoscerent, non tamen sicut Deum glorificaverunt, ut ait Apostolus ad Roman. 1. eò quia supremum cultum uni tantum debitum Deo, plura dividerent inter Numina, ut rectè ostendit D. Augustinus *lib.* 8. *de civit. cap.* 14. & *lib.* 20. *contra Faustum cap.* 19. ac putarent Neptunum præesse mari, Junonem aeri; Martem bello, Palladem scientiis, & ita de aliis. Tertiò quia hanc divini cultus partitionem variis modis communicarunt etiam creaturis, & hominibus insignioribus quos tanquam Numina colebant, & venerabantur offerentes iisdem sacrificia; ut enim notat Eusebius *lib.* 8: *de præpar. evangel. cap.* 3. talia sacrificia etiam exhibebant hominibus, quos plerumque ut Deus adorabant, ut constat ex *Daniel. cap.* 2. Quartò etiam creaturas sensibus destitutas, ut cœlos solem, elementa, & alia id genus, ut Deos colebant, ac venerabantur, quibus etiam simulacra erigebant, vel propter formam exteriorem cadentem sub sensus; vel ob virtutem quandam latentem, quam iisdem simulacris inesse falsò autumabant, ut refert Augustinus *lib.* 20. *contra Faustum cap.* 5. & 19. & *lib.* 4. *de civit. cap.* 10. ut etiam *lib.* 2. *cap.* 5. ubi refert, Ethnicos simulacra construxisse ut per illa mundi animam conspicerent, & sub humana specie, ut Deos hominibus similes esse edocerent. Et hæc ratio fuit, cur quædam idola velut fingerentur superiorum virtutum receptacula; existimabant siquidem supremos Spiritus in iisdem uniri simulacris, & in eis responsa dare, ut enim ait D. Augustinus can. 2. in Psal. 113. *loquendo de simulacris Ethnicorum*; *sine vivo aliquo habitatore esse non putant.* Unde Psalmista vocat hujusmodi simulacra non solum idola lapides, & ligna, sed etiam Dæmones, Psal. 95. *Omnes Dii gentium dæmonia*, & Deuter. 32. *Immolaverunt dæmoniis, & non Deo, Diis, quos ignorabant*; eò itidem devenerunt dementiæ, ut ipsas statuas putarent Deos esse ac absolutè eas adorarent; quæ ratio fuit, ut Act. 19. *Monerentur nil divinitatis esse posse in rebus manu factis, quia non sunt Dii, qui manibus fiunt*, quamobrem Hebræi, qui imitati fuerunt hos Ethnicorum ritus circa statuas, & simulacra, vitio redarguuntur idololatriæ; ut Jeroboam, qui 3. Reg. 12. vitulos aureos erexit, & idololatriæ cultores in adoratione aurei vituli fuerunt imitati, quia immolaverunt Dæmoniis, & non Deo; unde liquet cultum quem ecclesia sacris exhibet imaginibus omnino alienum esse à quavis idololatriæ suspicione, eò quia Ecclesia eas tantùm imagines in veneratione habeat, quæ personas adoratione dignas repræsentant; nec eas colat absolutè, & propter aliquam propriam excellentiam, sed propter sanctitatem prototypi, & cultu tantum Duliæ.

Neque urget, quod respondent Hæretici cultum hunc Sacrarum imaginum non esse tolerandum, eò quia quamvis in tali cultu ritè explicato non involvatur idololatria, fieri tamen potest, ut rudes, & rustici facilè decipiantur, solique imagini tribuant illum cultum, qui prototypo deberetur, præsertim, cum isti censeant unam imaginem in uno loco majorem habere potestatem, ac virtutem, quam in alio loco, ac propterea libentius illam adeant, quàm aliam. Nam contra est, quia semel quòd sacrarum imaginum adoratio sancta est, & ab omni erroris suspicione libera, non est abroganda, nec damnanda ob periculum, quod ex ignorantia unus vel alter possit sacras imagines adorare aliter, ac ipsis conveniat; siquidem Ecclesia supposita vera ejus fide, & doctrina nunquam in tali versatur periculo; quòd si ex Pastorum incuria, & defectu veræ doctrinæ aliquis error in uno vel altero irreperet, id per accidens contingeret, nec eam ob causam universa Ecclesia tanta deberet utilitate privari. Ad aliud quod addebatur de rudibus existimantibus plus authoritatis inesse uni, quàm alteri imagini, respondetur Catholicos non esse in hoc errore, sed omnes existimare imaginem ex se, & per se nihil posse sed totam virtutem esse in prototypo repræsentato per talem imaginem. Verùm tamen est quod majoris causa devotionis cupiant populi ad unam potiùs, quàm alteram accedere imaginem, vel quia ad majorem excitentur devotionem, vel etiam ut commodiùs eam venerentur hac de causa magis afficiuntur circa unam, quàm aliam imaginem, vel propter antiquitatem, vel artificis sanctitatem, ut sunt imagines Beatæ Virginis à S. Luca depictæ, vel propter similes circumstantias majorem excitantes devotionem, vel etiam quia magis placet Omnipotentiæ Dei interdum ad præsentiam unius imaginis majora impertiri hominibus beneficia quàm ad præsentiam alterius.

Quod verò ad sanctorum reliquias cultûs gratiâ asservandas, & adorandas attinet videntur aliquot adesse difficultates. Primò quia Christus Luc. 11. Judæos reprehendens dixit: *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum*, & Matth. 23. æquiparat Pharisæos sepulchris dealbatis, eò quia in extima facie aliquid præseferant pulchri, & elegantis, & interius plena sint fœtidis semicorruptis mortuorum ossibus, ut indicet hujusmodi ossa immunda esse, ac propterea nulla veneratione digna. Secundò quia Concilium Elibertinum can. 34. expressè prohibet accendi cereos ad Martyrum sepulchra, ergo quia censuit eorum ossa non esse ulla veneratione digna, utpote inanimata, & honoris incapacia. Tertiò

tiò quia in reliquiis sanctorum in sententia Thomistica, quod superest, est sola materia prima, præsertim in eorundem Cadaveribus; vel ad summum, juxta probabilem opinionem, remanet eadem quantitas cum aliquibus accidentibus, quæ non sufficiunt, ut ossa sanctorum adorentur alioquin essent digna cultu, si converterentur in vermes, quia adhuc maneret eadem quantitas, atqui absurdum est asserere vermes dignos esse cultu; consequenter sanctorum reliquiæ non sunt habendæ in veneratione, neque cultûs gratia asservandæ, & adorandæ. Has ob rationes negant Hæretici, Sanctorum reliquias esse adorandas, & à fidelibus honorificè custodiendas, & Author hujus hæresis, ut refert D. Hieronymus epist. ad Riparium, fuit Eunomius cui adhæsit Vigilantius; verùm ante Eunomium refert Irenæus lib. 3. cap. 20. Gnosticos contempsisse Martyres ac eorum reliquias flocci fecisse, & in hoc imitati fuerunt Judæos, & Samaritanos abominantes humana cadavera. Ab hisce putidis fontibus suos hauserunt errores etiam Lutherani, Calvinistæ, Zvvingliani, & quotquot hujus furfuris homines inficias iverunt sanctorum reliquias esse cultu, & veneratione dignas.

Dicendum est, reliquias sanctorum dignas esse, ut à fidelibus revereantur, custodiantur, & religioso cultu colantur, & hoc esse de fide, etenim discessurus ex Ægypto Moyses habetur Exodi cap. 13. v. 29. *Tulit ergo Moyses ossa Joseph secum &c.* quæ postea sepelivit in terra Sichem; de Christi sepulchro prædixit Isaias cap. 2. *Et erit sepulchrum ejus gloriosum.* Quod exponit Hieronymus de concursu, & veneratione fidelium erga illud, ut *in epist.* 17. Et Exodi 30. Ossa Patriarcharum Jacob, & Joseph leguntur fuisse solemni cultu sepulturæ tradita, & speciali veneratione conservata, *Deuter. ult.* ut ex antiqua traditione refert Epiphanius *hæres.* 9. & Angeli creduntur sepelivisse corpus Moysis, & *Actor.* 8. legimus à viris timoratis fuisse Stephanum sepulturæ traditum, non sine honore, & planctu. Hinc moris semper fuit in Ecclesia, ut ossa eorum virorum, qui vel sanctitate fuerunt insignes, vel martyrii palma celebres in honore haberentur, & veneratione à cæteris fidelibus; Et Cornelius Papa, ut constat ex epistola 1. singulari cultu, ac veneratione à Catacumbis transtulit corpora Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli ad ea loca, in quibus gloriosum consummârunt martyrium, & refert eorum reliquias ab eo tempore, quo fuerunt passi, in magna semper fuisse habitas veneratione, & cum honore asservatas, adeo ut S. Hieronymus contra Vigilantium, hujus meminerit cultus reliquiis sanctorum exhibiti, & ait summos Pontifices consuevisse super reliquias Sanctorum Apostolorum sacrificia offerre & die, noctuque coram eisdem jugiter splenduisse accensa luminaria.

Et mos iste viguit etiam in ecclesia Constantinopolitana ad quam tempore Constantini Magni translatas fuisse reliquias sanctorum Andreæ, Lucæ, & Timothei testatur Sanctus Hieronymus contra Vigilantium; & eodem honore fuisse itidem translatas reliquias S. Pauli Episcopi, & Martyris tempore Theodosii Senioris, ut dicitur lib. 9. tripart. cap. 17. ut etiam illas S. Joannis Chrysostomi tempore Theodosii junioris teste Theodoreto *lib.* 5. *cap.* 3. & in Antiochena ecclesia corpus S. Ignatii Martyris in magna fuisse veneratione habitum à primis ecclesiæ fidelibus refert Evagrius *lib.* 1. *cap.* 16. & hoc idem de Sancto Meletio narrat Sozomenus *lib.* 10. *cap.* 12. & de S. Babila Rufinus *lib.* 1. *cap.* 35. ubi etiam recenset obmutuisse dæmones in idolis coram sacris hisce lipsanis nec in suis idolis ulla ampliùs dedisse responsa. Præterea caput S. Joannis Baptistæ in ecclesia Alexandrina summo cum honore, ac veneratione diu fuisse asservatum, refert Rufinus *lib.* 2. *cap.* 28. ut etiam in ecclesia Jerosolymitana Cathedram S. Jacobi, ut narrat Eusebius *lib.* 7. *cap.* 15. in Smirnensi corpus S. Polycarpi Nicephorus *lib.* 3. *cap.* 35. & in Hispania etiam nunc magno honore asservantur reliquiæ S. Jacobi Apostoli ac solemni cultu adorantur à fidelibus, qui religionis causa Compostellam confluunt ex dissitissimis Europæ partibus veneraturi reliquias Apostoli. Reliquiæ itidem Sanctorum Dionysii, Martini, & Hilarii singulari cultu, & veneratione asservantur, & adorantur in Gallia. De vestimentis Redemptoris nostri Jesu Christi habemus apud S. Marcum *cap.* 25. *v.* 26. mulierem quæ erat in profluvio sanguinis annis duodecim cum audivisset, quòd Jesus transiret, accessit statim, & retro tetigit vestimentum ejus, & confestim pristinam recuperâsse sanitatem, & siccatum fuisse fontem ejus sanguinis. De umbra D. Petri in actis Apostolorum cap. 5. v. 15. habemus, quòd in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis, & grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberantur ab infirmitatibus suis; & in eisdem actis Apostolorum refertur cap. 19. de Paulo, *ut super languidos deferrentur à corpore ejus Sudaria, & semicinctia & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Ut etiam de admirabili virtute reliquiarum testatur Justinus Martyr quæst. 28. his verbis: *Abominationi Græcorum subdita esse sanctorum corpora, & sepulchra Martyrum, quæ & dæmonum amoliuntur insidias, & morborum ab arte medica comploratorum conferunt sanitatem.* Et Eusebius lib. 7. histor. refert honorem, quem Asterius Romanus vir Consularis detulit corpori S. Marini Martyris quod splendida eleganti, ac pretiosa veste ornavit, & induit, suisque humeris impositum inde portavit, & cum sumptuoso linteo involvisset decenti sepulchro condidit. D. Hieronymus in vita D. Pauli Eremitæ Tom. 1. in fin. refert. honorem delatum ab Antonio vesti Pauli inquiens: *Tunicam ejus sibi vindicavit, quam in sportarum modum de palma foliis ipse sibi contexuerat; ac sic ad monasterium reversus discipulis cuncta ex ordine replicavit; & diebus solemnibus Paschæ, & Pentecostes semper Pauli tunica vestitus est.* S. Basilius homil. in Psal. 115. ait: *Pro legis Mosaicæ ritu, si qui moriebantur, horum morticinia habebantur abominationi; contra, mors si cuipiam irrogatur pro Christi nomine pretiosa censentur reliquiæ Sanctorum ejus &c.* Quinimò eadem veneratio, quæ debetur corporibus Sanctorum eadem etiam cuilibet eorundem minimæ particulæ est debita, ut ait S. Gregorius Nazianzenus adversus Julianum Apostatam *orat.* 3. *circa medo.* ubi ait: *Tu post Pilatum Christicida, post Judæos Dei hostis; non victimas pro Christo cæsas veritus est,* & paucis interjectis subdit: *Quorum vel sola sanguinis gutta, atque exigua passionis signa idem possunt, quod corpora, hæc non colis, sed contemnis, siquidem habetur Psal.* 33. *Custodit Dominus omnia ossa eorum unum ex his non conteretur.* S. Chrysostomus præfert honorem, quem Roma reportavit ex reliquiis Apostolorum, aliis quibuscunque triumphis, & similibus; ut in homil. 32. in cap. 10. ad Roman. ait: *Ego & Romam propterea diligo, tametsi aliunde queam illam laudare nempe à magnificentia, ab antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, à potentia, à divitiis, & à rebus in bello fortiter gestis, sed relictis istis omnibus*

ob

*vi illam beatam predico ; quod erga illos Paulus dum viveret adeo fuit benevolus , adeo illos amavit , eorum dissernit , & postremo apud eos vitam finivit. Unde & civitas ista hinc facta est insignis , plus quàm à reliquis omnibus.* Et paulo post subdit : *Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli ? affigi sepulchro? videre pulverem corporis illius?* &c. *Oris hujus pulverem videre vellem , per quod Christus magnalia & ineffabilia locutus est ; non solùm autem oris , sed & cordis illius pulverem videre vellem* &c. *Videre vellem rursus pulverem manuum illius , quæ in vinculis fuerunt , &c. pulverem videre vellem oculorum bene excæcatorum , deinde ad orbis salutem respicientium , qui & Christum in corpore videre meruerunt. Vellem & pedum illorum videre pulverem , qui per orbem currentes laborârunt. Vellem videre sepulchrum , quo recondita sunt arma illa justitiæ , arma lucis , membra nunc viventia , tunc verò cum in hac vita essent emortua.* S. Ambrosius epistola 51. quæst. 1. lib. 7. in serm. in festo Sanctorum Gervasii & Protasii ait : Severus ut etigit fimbriam de veste Martyrum , qua sacræ reliquiæ teguntur clamat sibi restitutum esse lumen.

Hoc idem etiam testatur S. Augustinus lib. 9. cap. 7. & epist. 103. ad Quincianum de reliquiis Sancti Stephani loquens ait : *Portant sane reliquias beatissimi , & gloriosissimi Martyris Stephani , quas non ignorat Sanctitas vestra , sicut & nos fecimus , quam convenienter honorare debeatis.* & lib. 1. de civit. cap. 13. ait : *Si enim paterna vestis , & annulus , ac si quid hujusmodi tantò carius est posteris , quantò erga parentes major exstitit affectus ; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora , quæ utique multo familiarius atque conjunctius , quàm qualibet indumenta gestamus.* S. Hieronymus in vita S. Hilarionis ait : *Postquam Palestinæ sanctus vir Hesichius Hilarionem mortuum , & sepultum audivit perrexit ad Cyprum , & simulans se velle habitare in eodem hortulo , ut diligentis custodia suspicionem Accolis tolleret cum ingenti vitæ suæ periculo corpus ejus furatus est quod Majonam deferens totis Monachorum , & oppidorum turbis prosequentibus in antiquo monasterio condidit illæsa tunica , cuculla , & palliolo , & toto corpore quasi adhuc vivente integro tantisque flagrante adoribus , ut delibutum unguento putares.*

Imò in tanta voluit veneratione haberi sepulchra Martyrum , ut eadem ope Angelorum construi ac erigi voluerit , ut ex Metaphraste constat de corpore S. Catharinæ Martyris in monte Sinai per Sanctos Angelos mirabiliter collocato in sepulchro invisibili Angelorum manibus constructo , ut etiam refert Baronius anno Christi 307. ut etiam de corpore S. Clementis Romani Pontificis in mare , ubi fuit submersus , ubi Deus dedit illi habitaculum in modum templi ab Angelicis manibus præparatum , de quo refert Gregorius Turonensis , singulis annis in die illius Martyris aquas illas consuevisse se retrahere ab eo sacrato loco , ut quisque siccis pedibus , siccoque vestigio posset templum illud adire , & in eo corpus invisere S. Clementis Martyris.

Hinc plurimus honor sanctorum reliquiis à fidelibus fuit semper delatus , etiam à Græcorum Imperatoribus , qui tabulam auro , gemmisque pretiosam multorum sanctorum reliquiis ornatam , diebus festis aurea catenula obligatam juxta pectus deferre consueverint , ut refert Odoricus Raynaldus anno Christi 1205. n. 14. Cæterum cum veneramur Martyrum , & Sanctorum reliquias , hoc peragimus , ut honor in eos deferatur , quorum fuerant reliquiæ , ait D. Hieronymus epist. 53. ad Riparium : *Honoramus autem reliquias martyrum , ut eos quorum sunt martyres adoremus , & ut veneremur eos , qui templum Sancti Spiritus fuêre ;* quia ipsis reservatur gloria resurrectionis , & immortalitatis , & ut consolemur in absentia animarum ipsorum ; & dum memoramur eorum labores , luctas , & triumphos , excitemur ad imitationem eorum , quorum corpora corruptioni erant obnoxia , perinde ac nostra. Hoc idem asserit Damascenus histor. de Barlaam , & Josaphat cap. 22. & 23. ubi ait : *Hæc pura , & sancta ossa idcirco circumferimus ; ut admirabilium virorum , quorum ipsa sunt , desiderium utcunque leniamus , eorumque religiosam exercitationem , Deoque charam vitam nobis in memoriam revocemus , atque ad ejusdem vitæ studium nos ipsos mutuò acuamus ;* & nonnullis interjectis subdit : *Quoniam mortis memoriam , quæ permagnam utilitatem affert , atque ad religiosæ vitæ certamina promptos nos , ac veluti pennatos reddit , nobis hinc comparamus , ac præterea ex eorum contactu sanctitatem haurimus.*

Idcirco sepulchra sanctorum etiam veneramur , quoniam ex his virtutem eorum apprehendimus ; ait enim S. Ambrosius serm. 92. *Honoro ergo in carne exceptos pro Christo cicatrices , honoro perennitatem virtutis , honoro per confessionem Domini sacratos cineres , honoro corpus , quod me propter Dominum docuit mortem non timere.* Et S. Chrysostomus orat. Sanctorum Juventii , & Maximi , ut eorum intercessionibus exaudiamur à Deo , ait : *Sanctorum tumulos adoremus magna fide contingamus , ut benedictiones consequamur ; etenim quæ volunt , apud cælorum Regem impetrare possunt , proinde magna promptitudine huc veniamus , quo inde magnos thesauros undequaque colligamus.* Imò etiam peregrinationes suscipiebantur causa invisendi sepulchra sanctorum Martyrum , & eorum reliquias venerandi ; & idem S. Chrysostomus homil. 32. in epist. ad Roman. ostendit ardens desiderium quo ipse flagrabat invisendi Romæ Sanctorum Martyrum reliquias ; ait enim homil. 8. in epist. ad Ephes. loquens de catenis D. Petri : *Nihil est illa catena veracius , vellem nunc esse in illis locis , in quibus dicuntur manere illa vincula , & meritò viros illos admirare propter Christi desiderium. Vellem videre catenas , quas pertimescunt quidem , & horrent dæmones , reverentur autem Angeli.* Cui consentiens D. Augustinus in Psal. 88. ait : *Olim Principes Seculi ad urbem Romam venerunt , non ad templum Imperatoris , sed ad memoriam piscatoris.* Peregrinationum itidem ad Sanctum Christi sepulcrum , & Sancta Palestinæ loca meminit D. Hieronymus epist. 13. ad Paulam de toto corde concurritur : *Plena est civitas universi generis hominum , & tanta utriusque sexus constipatio ; ut quod alibi ex parte fugiebas hic totum sustinere cogaris ;* & rursus epist. 17. ad Marcell. *Longum nunc esset ab abscensu Domini usque ad præsentem diem per singulas ætates currere , qui Episcoporum , qui Martyrum , qui eloquentium in doctrina ecclesiastica virorum venerunt Jerosolymam putantes minus se religionis , minus habere scientiæ , nec summam , ut dicitur , manum accepisse virtutum , nisi in illis adorassent Christum locis , in quibus primum evangelium de patibulo coruscaverat.*

Et

Et Socrates lib. 7. cap. 46. ait: *Theodosius Imperator Eudociam conjugem Jerosolymam misit, quique pollicitus erat, illam hoc voto persoluturam, si filiam in matrimonium collocatam cerneret.*

Nec solùm reliquiæ sanctorum colebantur, sed etiam eas exosculabantur, ut scribit D. Hieronymus contra Vigilantium & floribus spargebantur, & D. Augustinus de civit. lib. 22. cap. 8. ait, moris fuisse, ut sanctorum lipsana in sericis linteis vasisque aureis deferrentur honoris causa, & D. Hieronymus contra Vigilantium asserit: Ante eorum thecas argenteas, aureas gemmis illuminatas incessisse pœnitentes cilicio indutos, cujus moris etiam meminit Rufinus *histor. eccles. lib. 2. cap.* 33. Et hujusmodi venerationis ritus fuisse à Deo miraculis comprobatos, ostendit Augustinus lib. 9. confess. cap. 7. ubi de corporibus Martyrum Gervasii, & Protasii ait: Cum enim propalata, & effossa digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam Basilicam, non solùm quos immundi vexabant spiritus confessis eisdem dæmonibus sanabantur, verùm etiam quidam plures annos cæcos civis totique civitati, notissimus cum populi tumultuantis lætitiæ causam quæsivisset, atque audisset, exilivit, eoque se ut duceret suum ducem rogavit, quo perductus impetravit admitti ut sudariolo tangeret feretrum quod ubi fecit, & oculos admovit confestim aperti sunt.

Sancti Patres consensu unanimi etiam censuerunt hunc cultum sacris esse reliquiis exhibendum; præ cæteris Clemens Romanus lib. 6. constit. cap. 30. ait: *Eorum, qui Deo vivunt neque reliquiæ sine honore manent*, & Basilius expendens verba illa: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*, eleganter ait: *In lege veteri morticina habentur abominatione, nunc contra si mors cuipiam irrogetur pro Christi nomine pretiosa censentur ejus reliquia, tunc si quis tangeret cadaver immundus erat; nunc Martyris ossa quisquis attigerit ob gratiam corpori insidentem fit sanctificationis particeps.* Et Tertullianus lib. 2. ad uxorem ait, consuevisse fideles summa animi demissione corporisque modesta compositione raptare in carceres ut ferrea martyrum deoscularentur vincula; sed quia nimis prolixum foret singula hic attexere, quæ sancti Patres in commendationem sanctorum Martyrum eorumque venerationem, & honorem adstruunt satiùs erit ab illis abstinere, & tantùm aliquot addam miracula, quæ evincunt hujusmodi cultum exhibitum sanctorum reliquiis pergratum Deo esse, ac ab ipso approbatum; sunt enim miracula per sanctorum reliquias patrata veluti organa divinæ omnipotentiæ, qua earundem adoratio comprobatur, etenim 4. *Reg. cap.* 13. Ossa Elisæi mortuum ad vitam revocârunt. *Actor.* 19. Sudaria Pauli pristinæ sanitati gravi morbo retentos restituebant, & Spiritus nequam adigebant ex obsessis corporibus discedere; quinimò Petri sola umbra infirmos sanitati restituit, & reliquiæ Sancti Stephani dederunt visum cæcis, ait enim Augustinus *lib. 22. de civit. Dei. cap.* 8. *In Castello Sinicensi, quod Hipponensi Coloniæ vicinum est ejusdem loci Lucillus Episcopus populo præcedente atque sequente Proto-Martyris Stephani portabat reliquias, & fistula, cujus molestia casu diu laboraverat, & familiarissimi sui Medici, qui eam secaret, operiebatur manus illius pia sarcina vectatione repente sanata est.* Pleraque similia miracula per sanctorum reliquias perpetrata passim leguntur in historicis ecclesiasticis, adeo ut nulli possit dubium esse quin sanctorum venerari reliquias non sit Deo gratum cum miraculis eandem comprobet venerationem, & etiam subinde per revelationem occultas sanctorum reliquias manifestet, ut in honore habeantur, ut satis exploratum est, de reliquiis sanctorum Marcellini, Gervasii & Protasii, & aliorum plurium, adeo ut Felix I. qui sedit Romæ circa annum 271. una cum Concilio Romano epistola decretal. hanc veritatem definierit, & in septima Synodo act. 2. in confess. Catholica Theodosii, & Basilii Ancyrani dicatur esse traditio Apostolica & Act. 4. & 7. præcipitur, ut ecclesiæ non consecrentur absque sanctorum reliquiis, imò & in Concilio Bracharensi III. cap. 5. statuitur, ut sanctorum reliquiæ debita reverentia, & veneratione deferantur in publicis solemnitatibus.

Ratione potest etiam id evinci; quia majorem cum sanctis spiritibus seu animabus habent reliquiæ conjunctionem, quàm ipsæ imagines, quæ tantum repræsentant sua prototypa; unde à fortiori propter excellentiam sanctorum, & habitudinem ad illam erant eorum reliquiæ in terris superstites in honore, & veneratione habendæ, idque vel maximè quia easdem honorificè conservare, & submissè colere signum est amoris, erga sanctos, consequenter si sacræ imagines dignæ sunt veneratione ob excellentiam prototyporum à fortiori sanctorum reliquiæ erunt cultu dignæ, præsertim cum fuerint partes, & membra illius corporis, quod pro Christo vel martyrium toleravit, vel mortificationes, dolores, flagellationes, cilicia membrorum lacerationes sustinuit.

Neque rationes, quæ in oppositum ab Hæreticis afferuntur ullius sunt momenti. Ad primam petitam ex Luc. 11. respondetur Christum Judæos reprehendisse, eò quia ædificaverint monumenta Prophetarum in approbationem scelerum, quæ à suis prædecessoribus perpetrata fuerunt; duplici enim ex causa potest sepulchrum demortuo construi. Primò misericordiæ, & honoris causa circa defunctum. Secundò in memoriam operis ab interfectore patrati, quasi in erectione sepulchri honorificum ponatur monumentum; qui hoc posteriori modo sepulchrum ædificat, apertè testificatur, se consentire operibus interfectoris, & quia hoc modo Judæi visi sunt sepulchra ædificâsse Prophetarum, meritò à Christo reprehenduntur, Luc. 11. *Væ vobis qui ædificatis sepulchrum Prophetarum, Patres enim vestri occiderunt illos. Profectò testificamini, quia eorum operibus consentitis*; atqui hæc reprehensio nullo modo referri potest ad eos, qui reliquias venerantur Sanctorum; hinc Christus Matth. 23. comparaverat Pharisæos sepulchris dealbatis, quæ inter plena sunt ossibus immundis, non quòd hæc reprobatio reprobâsset cultum sanctarum reliquiarum siquidem Christus usus fuit illa metaphora, ut Pharisæorum indicaret hypocrisin; non enim dixit Christus ossa omnium mortuorum esse immunda. Ad secundam petitam ex Concilio Elibertino prohibente accendi cereos ad Martyrum sepulchra; respondetur, prohibuisse accendi cereos, non ut cultum abrogaret sanctarum reliquiarum, sed ne tali cæremonia fideles convenirent cum ritu Ethnicorum, qui ægrè ferebant talem cultum, & id consultius censuit Concilium Elibertinum, ne occasio ulla daretur scandali rudioribus; ait enim Concilium: *Cereos per diem placuit in cemeterio non incendi, inquietandi enim Sanctorum Spiritus non sunt.* Ubi Concilium per Sanctos Spiritus non intellexit animas mortuorum, quia istæ, sive beatæ sint, sive in purgatorio detineantur, non possunt ex accensis apud nos cereis perturbari, quapropter per Sanctorum Spir. Concilium intellexit fideles viventes, accedentes ad sepulchra mortuorum, quorum

quorum Spiritus per talem ceremoniam perturbantur, eò quia hujusmodi cæremonia eisdem videretur habere aliquid commune cum ritu gentilium; siquidem Ethnici, ut refert Suetonius in Tiberio cap. 90. consueverant, & ipsi ad sepulchra defunctorum faces accendere. Quòd si dicas Concilium per Sanctorum Spiritus animas intellexisse mortuorum respondetur, fuisse usum metaphoricè illo verbo *inquietandi*, quatenus displicet Sanctis, si homines aliquid superstitiosum præstent in eorundem honorem: in quo sensu S. Ambrosius lib. 2. epist. 8. loquens de quadam defuncta dixit: *Non esse mæstificandam lachrymis, sed orationibus juvandam*; quamobrem valde probabile est Concilium Elibertinum prohibuisse tunc talem ceremoniam, eò quia fortassis aliquid in eadem irrepserit de ritu, & errore gentilium, in quo sensu Concilium dixit: Non esse Sanctorum Spiritus inquietandos, eò quia iisdem displiceat ritibus honorari superstitiosis. Cessante verò omni periculo superstitionis cæremoniâ hæc cereos accendendi ad sepulchra Sanctorum in eorundem cultum mala non est, sed honesta, & religiosa, quia ordinatur ad divinum honorem, & ad excitandam devotionem & amorem erga Sanctos, ut explicat S. Augustinus de moribus Eccles. cap. 34. ubi eos reprehendit, qui ad sepulchra Martyrum epulas deferunt reprehendit enim excessum, & superstitionem, eò quia luxuriosissimè super tumulos biberent, & exquisitas epulas cadaveribus exhiberent.

Ad tertiam ex eo desumptam, quia in reliquiis non supersit nisi materia prima respondetur in sententia Scoti, & communiori præter materiam primam manere etiam formam substantialem ossium; adeò ut in cadavere sint eadem numero ossa quoad materiam, & formam corpoream: quæ erant antea; cum corpus anima informaretur, licet tunc forma ossium respectu animæ fuerit partialis, & subordinata: in hac sententia facilè occurritur objectioni, & explicatur, quomodo reliquiæ sint veræ, & reales partes corporum Sanctorum, ac proinde cultu & veneratione dignæ. Quod si velimus adhærere sententiæ D. Thomæ, & negare formas partiales substantiales, ac propugnare in cadavere non remanere, nisi materiam primam ex præcedenti corpore animato, adeo ut in separatione animæ, & corpore producatur nova forma cadaverica; adhuc respondetur cum eodem D. Thoma, has Sanctorum reliquias esse adoratione & cultu dignas: siquidem in hac sententia non sunt considerandæ reliquiæ metaphysicæ, quoad prædicata constitutiva talis compositi, nec physicè ratione talis formæ, sed moraliter, quatenus in reliquiis Sanctorum remanet habitudo ad eosdem Sanctos: sicut enim imagines propter habitudinem ad prototypa, quæ repræsentant, adorantur adoratione respectiva; ita etiam reliquiæ dignæ sunt eadem respectiva adoratione, & cultu propter habitudinem quam dicunt ad Sanctos quorum sunt reliquiæ. Hæc enim habitudo est quædam dignitas, quæ tamdiu censetur perseverare, quamdiu Sanctorum reliquiæ sub tali forma, figura, & accidentibus conservantur, adeo ut moraliter seu in hominum æstimatione censeantur esse eædem, quæ ad tales Sanctos pertinuerunt, quamdiu enim reliquiæ conservantur in eadem dispositione figura, & accidentibus quam habuerunt, vel non multum ab hoc statu immutentur, censeantur dignæ cultu, & veneratione respectiva, quia tunc eandem retinent habitudinem. Quòd si reliquiæ ita corrumpantur ut non amplius servent eandem formam, figuram, & accidentia, ut quando in iisdem generantur vermes, tunc amittunt illam habitudinem, qua constituebantur reliquiæ adorabiles, consequenter non sunt amplius cultu dignæ, non enim vermes & alia animalcula, quæ passim ex reliquiis oriuntur, sunt cultu digna, quia non censentur amplius esse reliquiæ Sanctorum. Quòd si quæras, qua adoratione reliquiæ Sanctorum colantur? Respondetur eadem adoratione entitativè sumpta, qua adorantur ipsi Sancti, ut superius diximus de imaginibus quia tametsi reliquiæ sint re ipsa separatæ à personis quarum dicuntur reliquiæ, mente tamen apprehenduntur, ut quid conjunctum cum ipsis ratione habitudinis, & relationis quam dicunt ad ipsos Sanctos; adeo ut formaliter adoratio reliquiarum sit respectiva, siquidem adorantur propter excellentias Sanctorum & eadem adoratio entitativè sumpta, ut terminata ad ipsos sit absoluta; ut superius explicuimus de adorati imaginum, quia totus reliquiarum cultus fundatur in excellentia illius Sancti, cujus sunt reliquiæ: cum enim istæ sint per se inanimatæ, carentes ratione, proinde nec cultu, nec honore dignæ sunt per se absolutè; sed tantùm respectivè, scilicet respectu excellentiæ Sanctorum; & propter sanctitatem prototypi.

Hinc cultus reliquiarum honestus est, & religiosus fundatus in excellentia personæ Sanctæ, ad quam principaliter refertur: Et S. Hieronymus narrat de se ipso in cap. 40. Ezechiel. quod cum adhuc adolescens Romæ immoraretur; nil magis cordi ei fuerit, quia diebus festis, & præsertim Dominicis sepulchra invisere Apostolorum, ac Martyrum cultûs causa, & Ruffinus lib. 3. Histor. cap. 33. narrat Constantinum Magnum coram Apostolorum sepulchris, ac Martyrum thecis jacuisse cilicio tectum & humi prostratum venerationis causa, & ob hanc eandem habitudinem reliquiarum ad Sanctos fit, quòd contemptus reliquiarum in Sanctorum redundet injuriam, & quòd reliquiæ sint res sacræ, ac propterea earumdem venditio Simoniaca censeatur, ut habetur in cap. nunc ex eo, de reliquiis & veneratione Sanctorum.

Quia verò reliquiæ Sanctorum ubique locorum plures sunt, etiam pertinentes ad eundem Sanctum, ut de capite S. Ioannis Baptistæ dicitur in pluribus Ecclesiis asservari, ut etiam de corpore S. Lucæ, & aliorum Sanctorum, oritur dubium; an Sanctorum reliquiæ adorandæ sint sub conditione, si revera pertineant ad talem Sanctum; quia cum sint incertæ, si absolutè colantur, possunt falsæ pro veris adorari. Respondetur dupliciter posse reliquias Sanctorum adorari publicè, & privatè. Ut reliquiæ publicæ colantur ab universa Ecclesia necessè est, constet de sanctitate personæ ad quam pertinent reliquiæ, idque vel per summi Pontificis solemnem apotheosim, quâ celebri pompa canonizantur Sancti, vel per totius Ecclesiæ consensum, & majorum traditionem. Rursus debent reliquiæ publica authoritate declarari ut veræ ac pertinentes ad talem Sanctum: hæc authoritas inest summo Pontifici, & Episcopis, qui ante approbationem sufficientem tenentur adhibere diligentiam, prout exigit humanus operandi modus, quia tunc piè credendum est, Deum non esse permissurum errorem in publico cultu Sacrarum reliquiarum. Quod si subinde aliquis videretur error intercedere, ut cum corpus ejusdem Sancti in pluribus videatur asservari locis, in quibus solemniter adoratur: tunc error non tam est in substantia rei adoratæ, quàm in aliqua conditione: potuit enim contigisse, ut in utroque loco fuerit tale corpus, & etiam nunc in utroque pars aliqua asservetur illius, & ab illa parte dicatur ibi asservari totum corpus. Præterea potuit id contigisse,

quia plures sancti ejusdem fuerunt nominis, & successu temporis utriusque reliquiæ ad eandem censeantur pertinere personam ob nominis ambiguitatem. tunc sufficit, si absque errore reliquiæ colantur sanctorum; si revera reliquiæ illæ ad aliquem pertineant sanctum. Ut autem reliquiæ privatim coli possint, sufficit, si viri fide digni testificentur talem particulam pertinere ad talem sanctum; vel aliunde de hoc habeatur conjectura ita probabilis, ut sufficiat ad prudenter ita judicandum; quia in hoc cultu reliquiarum non est major requirenda certitudo, quam ad exercendos actus cœterorum virtutum. Quòd si reliquiæ fuerint dubiæ & incertæ, tunc licèt non sint colendæ, non tamen habendæ sunt contemptui, sed debent separatim custodiri. Possunt etiam particulæ reliquiarum à viris piis secum deferri appensæ colo, vel alio modo devotionis causa ut docet S. Thomas 2. e. q. 96. art. 4. ad 3. quia cum fiet ex sola devotione ob venerationem Sanctorum nullam includit indecentiam. Nec Ecclesia id unquam prohibuit: cum enim pietas fidelium exardesceret erga Martyres, & alios Sanctos, & optarent ipsi obtinere aliquam particulam ex eorundem reliquiis, ut plurium devotioni satisfieret necesse fuit, dividere Sanctorum Martyrum, & Confessorum corpora & in plures partes dispertiri, ut notat S. Basilius homil. 4. in SS. Martyr. inquiens: *Non uno in loco se se clauserunt, sed in multis locis hospitio recepti multorum patrias ornaverunt*; & cum singulæ parres retinerent nomen ejusdem sancti unde fuerunt extractæ produxernnt multiplicationem corporum; & sumpta parte pro toto: præsertim cum antiquitus altaria dicerentur sepulchra Sanctorum: & memoriæ nuncupabantur, donec Concilium Carthaginense sub Pontificibus Bonifacio, & Cælestino can. 14. tom. 1. decreverit: *ibi: & omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ sint, aut ubi origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur.* Hinc non facta fuerit divisio corporum Sanctorum potuit facilè inde oriri æquivocatio, & sumi pars reliquiarum pro toto corpore: hæc enim divisio processit, ut singula particularia loca retinerent in tutelam cælitum illum, cujus reliquias servarent, & colerent, quamvis essent exiguæ tantum partes corporis: hinc S. Ambrosius lib. 5. in Lucam, & lib. 1. de Abrahamo cap. 5. ait: *unde discimus, quantus sit murus patriæ vir justus, quemadmodum non debeamus invidere vivis Sanctis, nec temere derogare; illorum enim nos fides servat, illorum justitia ab excidio defendit: Sodoma quoque si habuisset vivos decem justos, potuit non perire.*

# CAP. IX.

## Quomodo Sancti sint invocandi; & an in veteri Testamento fuerint in Cœlo.

DOctrina Catholica est Sanctos cum Christo regnantes in cœlesti Patria sanctè, & cum fructu posse à nobis invocari, quamvis oppositum doceant hæretici; eo quia id cedat in Dei injuriam, quia solus Deus vult invocari, Deuteronomii 6. & 13. & Matth. 4. v. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & isti soli servies.* Secundò quia id videtur injuriam inferre Christo, quatenus prædicatum, quod illi soli convenit tribuitur creaturæ: solus enim Christus est mediator, & intercessor pro nobis ad Deum 1. ad Timoth. 2. v. 5. *Unus mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus.* Tertiò quia est signum diffidentiæ, quia quando confugimus ad Sanctos videmur de divina bonitate diffidere; quia cum sit paratissimus nos juvare, recurrimus ad creaturas ut ipsæ pro nobis intercedant. Quartò quia inutiliter rogantur Sancti, cum ipsi non audiant preces nostras, quas ad ipsos dirigimus, ut pro nobis intercedant, ait Calvinus, Sanctos in cœlis non habere jam longas aures, oculosque tam perspicaces, ut ad nostras porrigantur preces, nostrisque adinvigilent necessitatibus. Quintò quia nullum extat præceptum, quo debeamus Sanctos invocare: & nihil detur agere, quod præceptum non sit, Deuter. 11. v. 59. *Quod tibi præcipio hoc tantùm facito.* Sextò quia hæc invocatio non fuit in primitiva Ecclesia.

Sed hæc omnia falsa esse facilè deprehendemus. Invocatio enim Sanctorum maximè confert ad religiosum eorumdem cultum; & utilis est invocantibus, & intercedentibus: siquidem quotidie experimur, Catholicos per intercessionem Sanctorum à Deo exaudiri, ac compotes fieri suorum votorum; pluribusque cumulari gratiis: siquidem alii sanitatem corporis, alii donum castitatis, alii profectum in pietate, & studiis experti sunt accepisse, ut etiam cæci visum, surdi auditum, claudi gressum; semimortui vitam; in periculis imminentibus versantes à malo liberati per intercessionem Sanctorum, quos invocârunt, plura id generis exempla cognerunt S. Ambrosius lib. 4. epist. 34. quæ est de sancta Agnete. Augustinus lib. 25. de civitate Dei c. 8. Theodoretus lib. 4. Histor. c. 24. Gregorius Turonensis lib. de Gloria Martyrum, & Confessorum; & alii plures. Quamobrem invocatio Sanctorum utilis est, & Deo grata, quia per patrata miracula eam approbat, & pertinet ad religiosum Sanctorum cultum duliæ: etenim si in aulis principum in terris versantium reges & Imperatores gaudent, si à suis administris carioribus, ac fidelioribus rogentur pro gratia aliqua impertienda suis subditis implorantibus eorum intercessionem; Deo est itidem gratum; neque de ulla injuria sibi illata conqueritur, si à suis sanctis in cœlesti Patria rogetur pro gratiis conferendis alicui ex suis clientibus.

Sed zelum mentientes Hagiomachi tuendi divini amoris, propugnant, hunc cultum soli Deo deberi, ac illi duntaxat esse deferendum, & non ulli creaturæ. Verùm hæretici non distinguunt cultum latriæ soli deo debitum, qui propterea sine idololatriæ sacrilegio non potest in creaturam transferri, à cultu duliæ, qui sanctis debetur ob excellentiam divinæ gratiæ, qua participes sunt divinæ naturæ, cælesti beatitate donati. Cultus latriæ soli Deo convenit ob excellentiam infinitam independentem, ac totam includentem perfectionum plenitudinem. Hic enim cultus nulli potest creaturæ convenire, bene tamen cultus duliæ, quia hic dirigitur ad personam ob excellentiam participatam, & finitam à Deo dependentem. Neque verum est, quod ajunt Hæretici cum Calvino lib. 3. instit. cap. 20. asferentes

ferentes, Papistas nullam unquam Christi mentionem facere in suis precibus, cum semper orent, & exorent sanctos, & nunquam ferme Christum vel Deum; hoc enim mendacium est, cum Ecclesia suas inauguretur litanias sanctorum per invocationem Dei, & Christi initium ducentes à verbis illis *Kyrie eleison* seu *Domine miserere*, *Christeeleison*, *Christe audi nos*, & orationes Ecclesiæ semper concludantur, *per Christum Dominum nostrum.*

Dicendum est, Sanctos in cœlesti patria æterna donatos beatitate non esse quidem invocandos absolutè, ut datores beneficiorum, ut patratores miraculorum, bene tamen ut intercessores, & deprecatores deferentes nostras preces Deo, à quo nobis impetrant beneficia, & miracula, siquidem interventione sanctorum, eorumque intercessione preces nostræ sunt Deo acceptabiles, & gratæ Christo, idque claret ex scripturis Psal. 83. *gratiam, & gloriam dabit Dominus*, Psal. 170. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi auxilium meum à Domino qui fecit cœlum, & terram.* Per montes D. Augustinus in expositione hujus Psalmi & tract. in Joan. & lib. de pastoribus cap. 8. intelligit viros sanctos in cœlesti patria æterna gloria perfusis, qui propterea ob eminentiam sanctitatis & gloriæ à Davide dicuntur montes adeo ut jubeamur levare oculos nostros ad sanctos & ab eis auxilium expectare: verum auxilium expectamus ab ipsis, ut impetratoribus, & intercessoribus, non verò ut authoribus, & datoribus, propterea subdit: *auxilium meum à Domino*, quasi diceret, montes, ad quos levavi oculos meos, seu sancti in cœlesti patria quos invocavi, & preces meas direxi, intercesserunt pro me, sed auxilium accepi à Domino ob eorundem intercessionem, quia ut habetur Jacob. 1. *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum*, hoc est, à Deo qui bonorum omnium est largitor.

Idque etiam evincitur ex usu, & praxi Ecclesiæ, quæ in singulis orationibus, quæ leguntur in missa, vel officio, aliud non petit, quàm ut per intercessionem Sanctorum Deus nobis concedat sua beneficia, & hoc idem docent communiter sancti Patres, præsertim Augustinus *lib. 8. de civit. cap. ult.* & *lib. 12. cap.* 10. & Theodoretus *lib.* 8. qui dissertè asserit, Sanctos non esse invocandos ut Deos sed ut qui impetrare possunt à Deo, quod volunt, adeò ut preces nostræ non terminentur finaliter ad ipsos, sed ut relativè & transitoriè, rectè tendant ad Deum à quo est omne bonum. Idque ex eo etiam evincitur, quia plerumque, quæ petimus, superant vires totius naturæ, consequenter & omnium creaturarum, ac Sanctorum, perinde non possumus Sanctos rogare, nisi ut à Deo impetrent, quæ nobis utilia sunt. Juvat tamen observare, quòd cum dicimus, nos non debere à Sanctis petere, nisi ut pro nobis orent, id esse intelligendum non de verbis, sed de eorundem sensu, quia quantum ad verba licitè possumus dicere: Sancte Paule, Sancte Antoni, miserere mei, da mihi sanitatem, concede donum castitatis, dummodo intelligamus, quòd ipse intercedat pro nobis ad Deum, ut misereatur nostri, nobis impertiatur sanitatem, detque donum castitatis, sancti enim nonnisi per suas preces, & merita, quæ petimus, nobis conferunt, cum solus Deus omnia bona, & author & largitor primarius ad intercessionem Sanctorum eadem nobis elargitur, in quo sensu canit Ecclesia in hymno Beatæ Virginis: *Tu nos ab hoste protege &c.* & in hymno Apostolorum: *Sanate mentes languidas, augete nos virtutibus*, & D. Paulus ait de se ipso ad Roman. 11. *Ut salvos facerem aliquos ex illis*, & 1. Corinth. 9. *ut omnes salvos facerem*, hoc est, non ut Author primarius, qui est solus Deus, sed tantum juvando per meas conciones, & fusas preces. Et hunc esse verum sensum Ecclesiæ liquet ex litaniis, & aliis orationibus; siquidem cum oratio dirigitur ad Deum, vel Christum dicitur, *miserere nostri, exaudi nos*. Cum verò dirigitur ad Sanctos ait: *Orate pro nobis*, quapropter distinguit Ecclesia invocationem, qua Deum invocamus, ut Authorem & Largitorem per se immediatè bonorum, quæ petimus ab invocatione, qua sanctos, quia hac eos tantùm invocamus, non ut nobis bona largiantur, sed ut pro nobis intercedant apud Deum, ut Deus ea nobis largiatur. Præterea licitum est eos invocare, qui nobiscum in hac vita degunt, ergo à fortiori ipsos sanctos cœlesti beatitate donatos, antecedens liquet, quia Apostoli id præstiterunt, & præsertim D. Paulus ad Colos. 4. scribens: *Orationi instate, orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.* Quòd si D. Paulus scripsit ad Colos. ut instarent orationibus apud Deum simulque orarent pro ipso, cur non possunt etiam rogari in cœlesti patria Sancti, ut & ipsi Deum pro nobis orent, ac intercedant? Hoc idem repetit Apostolus ad 1. Thessalon. 5. *Fratres, orate pro nobis*, hoc est, preces fundite, easque dirigite ad Deum, ut nobis suam impertiatur opem. Et ut proficeret in evangelii promulgatione, etiam rogavit Thessalonicenses cap. 3. ut Deum orarent: *de cætero fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat*, & Jacobi 5. v. 16. *Orate pro invicem, ut salvemini.* Quòd si ex fidelibus potest unus Deum oarre pro alio à fortiori hoc idem præstare poterunt in cœlesti patria beati, ut nobis Deus suam elargiatur gratiam, qua possimus & nos æternam salutem consequi.

Neque hæc invocatio ullo pacto cedit in injuriam Dei aut Christi, neque potest esse signum diffidentiæ, alioquin Apostoli Paulus & Jacobus nullo pacto hanc usurpâssent invocationem creaturarum. Neque ulla potest sufficiens afferri ratio, quæ suadeat invocationem, quam facimus ad Sanctos in cœlo regnantes, cedere in injuriam Dei, & Christi, sicut nec fit injuria Regi, vel Imperatori, si subditus roget suum administrum, cui solet Rex vel Imperator favere, ut Principem roget, ut ad ejus intercessionem dignetur ipsi impertire hanc, vel illam gratiam.

Hinc dicendum secundò sanctos sive Angelos, sive homines religiosè, piè ac utiliter ab aliis hominibus invocari, idque constat ex scriptura, Genes. 48. ubi Jacob benedicens filiis Joseph ait: *Angelus qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis.* Job. 5. *Voca, si quis est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere*: per nomen Sanctorum D. Augustinus intelligit Angelos. Exodi 32. habetur hæc ratio Moysis: *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Israel, servorum tuorum*, quæ verba expendens Theodoretus quæst. 67. ait: Moysem cum se non existimaret sufficientem ad placandum Deum, adhibuisse etiam patrocinium Patriarcharum.

Notandum est, quòd ante Christi adventum, qui moriebantur, non ingrediebantur cœlum, nec statim cœlesti donabantur beatitate, neque cognoscere poterant ordinariè preces supplicantium, quapropter non fuit tunc licitum dicere: S. Abraham ora pro me, sed tantùm Deus rogabatur

& homines merita allegabant Sanctorum, qui obiecrant, ut ex justitiæ sanctitate eorum à Deo juvarentur.

Respondet tamen Calvinus, per hujusmodi verba non peti auxilium à meritis Sanctorum, sed tantùm commemorari pactum, quod Dominus pepigit cum Patriarchis de protegendis, & adjuvandis eorum Posteris; sed hoc falsum est, quia non solùm fit commemoratio pacti Dei, verùm etiam justitiæ Sanctorum, qua propter David Psal. 131. ait: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus*; & infra subdit: *Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui*: unde commemorantur merita, & virtutes Sanctorum, & non solùm pactum, quod pepigit Deus cum Patriarchis de protegendis eorum posteris; rursus Daniel. 3. habetur: *Ne auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum.* Hoc idem etiam Concilium Chalcedonense definivit, eo quia Patres dixerunt: Flavianum post mortem vivere Martyrem, & pro nobis orare, & in sexta Synodo Generali cap. 7. habetur: *Solo Deo Creatore adorato invocet Christianus Sanctos, ut pro se intercedere apud Divinam Majestatem dignentur.* Et in septima Synodo Generali habentur hæc verba: *Cum timore omnia agamus postulantes intercessiones incontaminata Deiparæ, & sanctorum Angelorum omniumque sanctorum.* Quòd si omnium Sanctorum intercessionem rogare possemus, jam ex Conciliis claret, non solùm ad Deum immediatè, verùm etiam ad Sanctos dirigi posse nostras preces, ut pro nobis intercedant. Hæc enim consuetudo invocandi Sanctos viguit in primitiva ecclesia; ecclesia enim in suis liturgiis inseruit nomina Beatæ Virginis Deiparæ, & sanctorum Martyrum, ac Confessorum, ait enim, *quorum precibus, & meritis concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio*, unde ecclesia ipsa preces, & merita Sanctorum interponit apud Deum, ut ab ipso valeat, quod petit, obtinere: & ita in aliis liturgiis habentur intercessiones Sanctorum: Cyrillus Jerosolymitanus loquens de liturgia sui ævi refert, fuisse his verbis expressam: *Offerimus tibi Domine hoc Sacrificium in commemorationem eorum, qui decesserunt Patriarcharum, & Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut intercessione eorum orationes nostras exaudias*: Et liturgia Sanctorum Basilii, & Chrysostomi, qua Græci utuntur, hæc eadem prorsus habet. ex quo evincitur ritum in Ecclesia invocandi sanctos, ut pro nobis intercedant apud Deum descenderé ab Apostolica traditione juxta regulam S. Augustini de baptismo contra Donatistas cap. 7. *quod ab universa observatur Ecclesia, nec ab illius ævi Conciliis fuit institutum, est traditionis Apostolicæ.*

Sancti Patres hanc eandem sententiam docuerunt. S. Dionysius cap. 7. Eccles. Hierarch. Sanctæ & ipse invocavit, & hortatur alios, ut eos invocent suis precibus; ait ipse, *qui sanctorum flagitat preces, & naturæ ipsorum consentaneas operationes abigit, superflua spe ille suspensus est.* Irenæus lib. 5. contra hæreticos ait: *sicut illa Eva seducta est, ut effugeret Deum, ita hæc Maria suasa est obedire Deo, ut Virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata.* Quòd si Maria fit advocata, intercedit in favorem creaturarum. S. Athanasius in serm. de annuntiat. *Inclina autem tuam Mariæ in preces nostras, & ne obliviscaris populi tui,* Basilius orat. 20. in 40. Martyr. *Qui aliqua premitur angustia ad hos confugiat, qui rursum lætatur, hos oret, ille, ut à malis liberetur, hic, ut duret in rebus lætis.* Damascenus lib. 4. de fide cap. 16. ait: *Per sanctos jam defunctos Damones abiguntur, infirmi curantur, cæci vident, leprosi mundantur, tentationes, & tristia solvuntur: omne donum bonum à Patre. luminum, per eos, qui inhæsitabili fide petunt, descendit*, & ex Latinis Patribus S. Hilarius in Psal. 129. ait: *Intercessione Angelorum indiget infirmitas nostra; missi enim sunt propter eos qui hæreditabunt salutem; Deo nihil ex his quæ agimus ignorante.* D. Ambrosius lib. de viduis ait: *Obsecrandi sunt Angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt, obsecrandi Martyres quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vendicare possunt pro peccatis rogare nostris, qui propriò sanguine, si qua habuerunt, laverunt peccata.* D. Hieronymus in vita S. Hilarionis: *Non mihi videtur tacenda Constantiæ illius sanctissimæ mulieris devotio; filia hæc erat Constantini Imperatoris: solita has erat per vigiles in sepulchro ejus noctes ducere, & quasi cum præsente adjuvandas orationes suas sermocinari.* Et in Epitaphio Paulæ ait: *Vale ò Paula, & cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva fides, & opera tua Christo te sociant, præsens facilius quod postulas impetrabis.* D. Augustinus tract. 84. in Joann. *Ideo quippe ad ipsam mensam nos sic Martyres commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace Christi requiescunt, ut etiam pro nobis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis orent*; & serm. 17. de verbis Apostoli ait: *Habet Ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt; cum Martyres eo loco recitant ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem defunctis oretur. Injuria enim est pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.*

Neque obstat, quod ajunt sectarii, Sanctos Patres variasse sententiam, & plura eorum fuisse inserta, quæ si viverent, sua non esse faterentur: sed gratis hoc asseritur, nec videtur probabile fuisse scriptis sanctorum Patrum addita, quæ Sectarii somniant: siquidem nulla celebritas Martyrum produci potest, quin notentur veræ & reales orationes & invocationes Sanctorum, per quorum merita Deus ipse supplicabatur; hæc enim Sanctorum festa, & celebritates in Ecclesiis, & Basilicis Deo dicatis in memoriam San[illegible]orum celebrabantur, & quidem eo tempore, quo in honore Sanctorum festa agebantur

Ratione etiam hoc idem ostenditur, quia ex scriptura constat pium, & utile esse, Sanctos invocare in terra adhuc degentes, eosque apud Deum Patronos adhibere, Numer. 11. ait populus Moysi: *Ora ut tollat à nobis serpentes, & oravit Moyses*, & lib. 1. Reg. cap. 7. dicunt filii Israel ad Samuelem: *Necesse est pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum*, Judic. 8. *Ora pro nobis Dominum, quia mulier sancta es*, & Job. ult. ait Deus: *Ite ad servum meum Job, ille orabit pro vobis*: quòd si pium, & utile est invocare homines adhuc in hac vita degentes pietate, & sanctitate insignes, ut pro nobis intercedant apud Deum, à fortiori pium, & utile etiam erit invocare sanctos in cœlesti patria cum Christo regnantes, præsertim cum horum intercessio sit longè efficacior, & ipsi sint Deo chariores. Nulla enim potest ratio discriminis adferri, imò magis consentaneum est, si beatorum authoritatem interponamus, quàm si tantùm mortalium hominum,

cum

cum ipsi sint sanctiores, & amplioris meriti, & de nostra salute magis soliciti, & eorum intercessione magis honoretur Divina Majestas, quàm hominum in terris adhuc viventium.

Neque obstat, quod cum Calvino respondeant Sectarii, aliam esse invocationem vivorum, & aliam mortuorum, quia vivi homines subnixi una intercessione tum pro se, tum pro aliis Deum rogant, eò quia sint invicem membra, & scriptura hortetur, ut oremus pro invicem, Jacob. 5. Sed hæc responsio non enervat invoationem Sanctorum, quia de ipsis etiam dici potest, quòd sint membra ecclesiæ, & una Christi intercessione nitantur; ipsi enim quidquid nobis petunt à Deo, etiam per Christum petunt. Quòd si respondeant, nullum extare in scripturis mandatum, vel exemplum, vel promissionem de invocatione Sanctorum ut de interventu viventium. Contra est, quia si non explicitè, implicitè tamen hoc præceptum habetur in scripturis, & fundatur in præcepto naturæ Psal. 30. *declina à malo, & fac bonum*, si preces fundere ad sanctos cœlesti beatitate donatos, est opus bonum, jam tenemur illud agere, si non semper, saltem aliquando: prætetea habetur ex traditione Apostolorum, & per analogiam ad præceptum datum à Deo Job. ult. Deinde quando ipsa necessitas aliquid nos adigit, non est necessarium aliud mandatum, quàm ipsa necessitas: Cæterum quod attinet ad promissionem innumerabilia possent ex scripturis exempla produci ad evincendum, quod Deus sua præstiterit beneficia ad Sanctorum invocationem; quibus testatur eos audire, qui patrocinium adhibent Sanctorum, ex quibus liquet, invocationen Sanctorum saltem Deo esse gratam. Tum quia ad Hæreticos pertineret, textum aliquem ex Sacris Scripturis adferre, quo efficaciter hæc prohibitio exprimeretur.

Cæterum vel preces dirigere ad Sanctos est inutile & supervacaneum, vel aliquid secum adfert utilitatis; sed preces has non esse inutiles tot possumus exemplis ostendere, quot hactenus fuerunt à Deo beneficia hominibus collata, & miracula perpetrata ad invocationem, & intercessionem Sanctorum, quorum exempla implent historias ecclesiasticas, & Sanctorum vitas, & ut aliquot producam, sub Clodoveo Francorum Rege Vienna urbs celebris in Delphinatu cum insolitis quateretur terræ motibus, & ursi omnia infestarent, ut refert D. Gregorius Turonensis lib. de gestis Francor. cap. 34. Sanctus Mamertus loci illius Episcopus, ut tantum malum à loco illo averteret, litanias instituit, quarum usu statim clades omnis sublata est, adeo ut propter manifestam harum precum efficaciam mos illas recitandi introductus fuit in ecclesia universali, adeo ut quot annis recitentur: neque quid aliud sunt litaniæ quàm breves orationes directæ primò ad Deum, ut Authorem primarium, & largitorem bonorum omnium, deinde ad ordines omnium Sanctorum, ut sint intercessores pro nobis apud Deum. Innumera propemodum possent recenseri miracula à Deo per invocationem Sanctorum vel nominis Jesu leguntur patrata, etenim S. Petrus Apostolus invocato nomine Jesu Jerosolymis gressum impertivit Claudo, Lidæ paralytico restituit sanitatem, in Joppe Tamitham viduam suscitavit, Romæ mortuo vitam restituit: Simonem Magum à crudelissimo cane liberavit, & eundem in pertinacia persistentem, ac magicis artibus populum decipientem, in aërem Diabolica virtute sublevatum mirè præcipitavit. S. Paulus Apostolus invocato itidem nomine Jesu Lystris Claudum sanavit, in Macedonia adolescentulam à dæmone liberavit, Troadæ & Romæ mortuum suscitavit, & alia plura patravit miracula. S. Joannes Apostolus invocato nomine Jesu in ferventis olei injectus dolium nil inde hausit nocumenti, mortuam Drusianam resuscitat, venenum absque detrimento ebibit, & pleraque alia operatus est miracula. S. Jacobus Major Apostolus in virtute nominis Jesu paralyticum sanavit; & in vitis Sanctorum plura leguntur miracula, quæ sola invocatione Sanctorum sunt perpetrata; quæ invocatio nisi pergrata ipsi fuisset, miracula illa non egisset. S. Bernardinus Senensis dum in frequenti quadam civitate ad constipatam populi multitudinem de rebus divinis concionem haberet, adeo illius Auditores permoti fuerunt, ut tesseras, tabulásque lusorias, quarum ingens erat in urbe illa abusus, flammis absumerent; qua de causa indignatus faber, qui ex iisdem non mediocre sibi lucrum acquirebat, ad beatum virum accessit, eique conquestus est, eò quia ad inopiam ferme redactus esset. Sciscitante Bernardino, num aliud calleret artificium, & eo negante, Bernardinus Circino circulum expressit, in quo solem depinxit, & in medio solis Sacrosanctum nomen Jesu, cujus ut par erat, præcipuus fuit cultor, & venerator, imò affirmant plures Romæ tam luculenter, ac sublimiter de illo dulcissimo nomine concionatus fuit, ut quidam ejus non intelligentes verba hæresim ei impingere voluerint: at postera die illo concionante, ut superioris concionis veritas miraculo indicaretur, nomen Jesu in hujusmodi forma, quali illud pinxerat, hanc eandem effigiem jussit fabrum illum deinceps sua arte imitari, ex qua ad non modicas cumulandas divitias pervenit, & ob hanc causam S. Bernardinus pingi cum sole, & nomine Jesu consueverit. Sylos in *histor. Clericor. Regular. part. 3. lib. 9.* ait: tantam fuisse venerabilis Alberti Mariæ Ambiveri Missonarii Apostolicis fidem in Deum, ut invocato Sancto Cajetano ejus intercessione innumeras cujuscunque generis infirmitates sanaverit: facto enim in nómine Jesu præcepto, ut cessarent, illico morbos omnes depulerit, & ægros pristinæ restituerit Sanitati. Rursus Sylos in *histor. Cler. Regul. part. 2. lib. 5.* narrat Panormi in Sicilia quandam fœminam quosdam habuisse Capillos Sancti Andreæ Avellini Cler. Regul. quos adhiberet ad morbos fermè omnes depellendos. Hinc Hieronyma Homodea consueverat, quoties aliquo affligebatur morbo, capillos aqua immergere, ex cujus haustu invocato S. Andrea Avellino statim pristinæ restituebatur sanitati, & hæc invocatio fuit postea in urbe illa fermè panacea, cujus beneficio fermè omnes depellebantur infirmitates. In vita Beatæ Colectæ Virginis frater Petrus Goleri in monasterio Visoncieńsi adeo graviter ex apostemate guttur opprimente decumbebat, ut postridie manè omnino moriturus crederetur. Superveniente Petro de Osiaco Visitatore, qui cùm apud se capillos haberet Beatæ Coletæ una cum regula S. Francisci, capiti imposuit cum morte luctantis, signùmque sanctæ crucis iisdem expressit, & statim apostema crepuit, & ipse pristinæ fuit restitutus Sanitati. In vita S. Vincentii Ferrerii cap. 4. Venetiis servatur culcitra, in qua beatus Vincentius decubuit, cum è corpore migraret, & compertum est supra 400. homines, qui ex devotione in ea aliquandiu jacuerunt, invocato S. Vincentio ab ardentissimis febribus aliisque diversis languoribus illico liberati fuerunt, Bzovius ad annum Christi 1260. num. 13.

ait de beato Dominico Valeriano ordinis Prædicatorum, qui cùm ad extremam infirmitatem deductus esset, nullibi voluit quiescere, quàm in Xenodochio inter decumbentes; ubi cum vita defunctus fuisset, & ejus calceamenta cuidam peregrino præfectus Xenodochii dedisset, utrique Beatus apparuit, quos reprehendit temeritatis & abusus, & postquam calcei cœnobio restituti fuissent ad invocationem beati Dominici plura perpetravit Deus miracula. Sigebertus Gemblacensis lib. de miraculis S. Sigeberti III. Regis Francorum ait: Quidam nomine Hugo cum in litaniis memoria nominis S. Sigeberti celeberaretur, non in hoc de catalogo litaniarum in quo quotidie invocabatur, abradere & delere præsumpsit. Verùm cum postea idem Hugo ad S. Sigeberti tumulum incensum afferret, tanta invalitudine diriguit, ut pedem movere non posset, nec prius restitutus fuit, quamvis ipse, & reliqui fratres pro reatu ante Sanctum Dei pœnitentiam agerent, nisi postquam Sanctum nomen in eodem catalogo, & loco eodem propria manu rescripserit. In vita Venerabilis Francisci Olympii Cler. Regul. lib. 1. cap. 24. Quidam ejusdem Ordinis Theatinus totaliter obsurduerat, adeo ut neminem amplius potuerit audire loquentem, & clamantem altiori voce, & cum venerabili Olympio se commendasset, eumque apud Deum Intercessorem implorâsset, ejusque capillos obsurdescentibus auribus appulisset, expertus fuit illico se fuisse exauditum; amoto enim obice ex auribus singulos statim loquentes audivit, quamvis submissa voce loquerentur. Pari pacto cuidam piæ fœminæ Olympius intercessor per eosdem Capillos desperatam restituit sanitatem, siquidem abnegatis medicæ artis studiis per novem omnino menses molestissimo morbo frustra adhibitis diuturnæ ægritudini Francisci capillos adhibere secum decrevit, & cum primum implorata Olympii intercessione capillos adhibuit loco pharmaci pristinæ sanitati fuit statim restituta. Ribadeneiera in vita S. Ignatii Loiolæ narrat Olympiam Norinam tanto cruciatu oculorum doloris afflictam fuisse, ut trium spatio mensium usu fuerit oculorum destituta, nihilque viderit, & ad cæcitatem addebatur febris continua & acerbissimus capitis dolor, qui nullam partem nec diurnæ, nec nocturnæ quietis eam capere patiebatur; verum hæc inter cruciamenta autographum nomen Beati Ignatii ei affertur, moxque ad frontem, & oculos applicatur, & protinus visum recepit ab omni febri, & doloris molestia liberata. Innumera alia propemodum leguntur miracula à Deo perpetrata ad intercessionem Sanctorum, qui à Catholicis coluntur, invocantur, & in suis necessitatibus præsto sint, opemque ferant, exorantur, hæc indicâsse sufficiant in confirmationem nostræ assertionis: siquidem viris sanctis in cœlesti patria æterna donatis beatitate à Deo concessum est, ut possint velintque suis intercessionibus nobis esse præsidio, quoties à nobis piè, ac devotè invocantur: honor enim servis adhibitus redundat in Dominum, ut ait D. Hieronymus. Neque preces, quas in Sanctos dirigimus, possunt frustraneæ esse, nec supervacaneæ, cum sis interpositis plura nobis obtingant proficua, quæ alias eadem non obtineremus, eò quia velit Deus Sanctos suos inde honorari, quapropter ad Job servum suum remittit Elipham Themanitem & socios, ut oratione sua illis veniam impetret, inquiens: *Ite ad servum meum Job, orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut non imputetur vobis stultitia*, ac si Deus noluisset ipsis parcere nisi ad intercessionem servi sui Job, Quòd si dicas, nos subinde plura à Sanctis postulare, quæ tamen non assequimur? quid ni, etiam quandoque plura immediatè à Deo petimus, quæ justo ejus judicio impetramus. Jacob. 4. *petitis, & non accipitis*, adeo ut nemo conqueratur, si ab imploratis viris sanctis, quæ petunt, non accipiant, & tamen inde quamvis à Deo petita non accipiamus, non tamen sequitur preces irritas esse, & supervacaneas, siquidem Deus interdum non elargitur, quod petitur, quia instanter non petitur, vel si instantes, meliùs est nobis ejus loco quid aliud obtinere, quàm quod à nobis petitur, quo pacto meliùs fuit Claudo in porticu Salomonis gressum accepisse, quàm aurum, & argentum, quod ab Apostolo Petro petierat Act. 3. petebat enim eleemosynam pecuniariam, & illi gressum impertivit, ut ambularet. Quamobrem tametsi per fusas preces non semper, quæ à Sanctis petimus, eadem obtineamus, non tamen frustraneæ sunt preces, nec vana oratio, quia semper prodest oranti.

# CAPUT X.

## An in lege veteri Patriarchæ fuerint in cœlis beati.

DUo de Sanctis Patriarchis Veteris Testamenti inquiruntur, quorum primum est, an tunc fuerint in cœlo, & aliud, an cœlesti beatitudine fruerentur, adeo ut prima quæstio versetur circa locum, in quo tunc extiterint, & secunda de statu, neque una quæstio ab alia dependet, cum neque locus à statu, neque status à loco necessariam habeat dependentiam, siquidem Christus in hac mortali vita fuit in statu beatitudinis, & tamen non fuit in cœlo. Rursus Angeli Custodes nostri nobiscum versantur, & non sunt in cœlo, & nihilominus in statu sunt beatorum, quia tametsi sint hic apud nos, adhuc tamen fruuntur clara Dei visione Matth. 19. v. 10. *Dico enim vobis quòd Angeli eorum in cœlis semper videant faciem Patris mei qui in cœlis est.* Angeli autem Custodes nostri sunt ex numero Angelorum Dei, consequenter evident & ipsi faciem Patri, qui est in cœlis. Demum quia Dæmones initio creationis, antequam deficerent à statu gratiæ, & peccarent, fuerunt in cœlo, & tamen nondum fuerunt beati. Hinc

Dicendum est sanctos Prophetas in Veteri Testamento post obitum non ascendisse in cœlum, sed migrâsse in locum alium. Ratio est, quia ob peccatum primi parentis cœlum semper clausum fuit, donec per Christum nobis iterum reseraretur, adeo, ut nullus ante Christum fuerit illud ingressus, quod variis potest scripturæ testimoniis probari, etenim ad Hebræos 6. v. 20. scribit Apostolus, *Usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introiit Jesus secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum*, ubi per interiora velaminis

minis, quæ erant in templo Salomonis cœlum intelligitur, & cœlestis gloria, ut explicant expnentes verba illa Apostoli, adeo ut sensus sit, quod Christus fuerit cœlum ingressus veluti præcursor reliquorum, quatenus primus omnium inter homines post peccatum primi parentis cœlum ingressus est: ex quo sequitur, sanctos veteris testamenti, cum fuerint mortui ante Christi adventum non fuisse cœlum ingressos. Hoc idem etiam innuit D. Paulus ad Hebræ. 9. v. 8. scribens, *hoc significante Spiritu Sancto, nondum propalatam esse viam Sanctorum adhuc priore tabernaculo habente statum.* cum Judæi in Veteri Testamento non possent ingredi in Sanctum Sanctorum, sed solus Pontifex, significavit Spiritus S. viam ad cœlum nondum fuisse apertam, quamdiu Vetus Testamentum extitit, sed aperiendam tantùm fuisse tempore passionis, eò quia tunc velum templi scissum est in partes duas, seu cœli janua per merita passionis Jesu Christi aperta fuit, ut Sancti Novi Testamenti possent illud ingredi, hinc idem Apostolus ad Hebr. 10. 19. ait: *habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi, initiavit nobis viam novam per velamen, id est, carnem suam*, ecce apertè asserit Apostolus Christum suo sanguine stravisse nobis viam ad cœlum, eò quia antea clausa fuerit, quòd si clausa, & per Christi Sanguinem tantum nobis aperta fuit hæc janua, sequitur clausam fuisse antequam Christus suum in passione sanguinem effunderet, quòd si cœlli janua clausa fuerit, non potuerunt Sancti Veteris Testamenti cœlum ingredi, consequenter constat eos in cœlo non fuisse, hinc D. Hieronymus in epistola ad Dardanum vocat Sanguinem Christi Clavem Paradisi, & D. Thomas 3. *part. quæst.* 49. *art.* 5. ait: Per Passionem Christi aperta est nobis janua regni cœlestis.

Quòd si objicias, Enochum & Eliam fuisse in cœlum translatos ante Christi adventum: siquidem de Enoch legimus Genes. 5. v. 24. *Ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*, scilicet ex terra, quam inambulaverat, in cœlum, quòd etiam clariùs exprimitur Eccles. 44. 16. *Enoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum.* Paradisus autem in cœlo est, consequenter ante Christi adventum fuit Enoch cœlum ingressus, ut etiam Elias, de quo 4. Reg 2. v. 12. dicitur: *Ascendit Elias per turbinem in cœlum*: ascendere autem in cœlum perinde est, ac cœlum ingredi. Verùm communiter respondent sacri interpretes Enoch, & Eliam non fuisse in cœlum translatos, in quo nunc reperiuntur sancti, bene tamen in alium locum: siquidem ut constat ex prædictis, cœlum, in in quo nunc sancti degunt, clausum fuit hominibus per peccatum protoparentis Adæ neque aperiri potuit, nisi per Sanguinem Christi Jesu, & per clavem crucis illius: neque allata testimonia de Enoch, & Elia evincunt oppositum; siquidem Enoch ex eo, quòd translatus fuerit in paradisum, non inde sequitur fuisse translatum in cœlum beatorum, quia paradisi nomine intelligi potest, vel paradisus terrestris, in quo Adam fuit, vel quid aliud. Tum quia Christus probo latroni dixit, *hodie mecum eris in Paradiso*, quod tamen non intellexit de paradiso beatorum, cum constet Christum eodem die non ascendisse in cœlum, sed tantùm in die ascensionis. Similiter dicimus de Elia per turbinem rapto in cœlum, per talem raptum nil aliud significari quàm Prophetam ex terra elevatum fuisse in aërem & alio transportatum; est enim in scripturis valdè frequens per aërem cœlum intelligi Psal. 8. v. 9. *Volucres cœli, & pisces maris*, & Matth. 6. v. 26. *Respicite volatilia cœli*: Cæterum in quem locum speciatim translati fuerint Enoch & Elias, non videtur ita certum; plures opinantur eos fuisse translatos in paradisum terrestrem, ex quo Adam per peccatum expulsus fuerat, & hanc sententiam docet D. Thomas 1. *part. quæst.* 49. *art.* 5. *ad* 2. ubi ait: *Enoch raptus est in paradisum terrestrem, ubi cum Elia simul creditur vivere usque ad Christi adventum*, & hæc sententia præsertim ob authoritatem Angelici Doctoris plurimum præsefert probabilitatis. Alii putant paradisum illum aquis diluvii obrutum, ac deletum fuisse, & censent Enoch, & Eliam, in alio quodam amæno loco translatos fuisse, ac ibi degere, donec Christus sit venturus ut Judex in extremo mundi judicio. Hinc nihil certi possumus circa locum, in quem translati fuerunt, asserere: neque mirum; plura enim ignoramus, quæ tamen in se certa sunt, & scripura testatur nemini nunquam constitisse, quo loco Moyses sepultus sit, ut habetur Deuter. 34. 6. deinde quis scire possit, ex quo loco Elias post raptum scripserit epistolam ad Joram Regem Juda 2. Paral. 21. v. 12. & qui epistolæ illius nuntius fuerit? quis dicat Eliæ currum cum equis flammantibus in cœlum ascendisse, & Prophetam illuc vectum cùm nemo in terris id potuerit videre, & quinam fuerint equi illi, & quo pabulo vescerentur, & etiam nunc vescantur: quamobrem plura ignoramus, quæ tamen certa sunt in se.

Dicendum secundò, neque Sanctos, qui in Veteri Testamento decesserunt ante Christi adventum fuisse in statu beatitudinis; ita enim docent Sancti Patres, & communiter Catholici, asserentes Sanctos Veteris Testamenti non fuisse beatos usque ad mortem Christi, cœpisse tamen esse beatos post mortem Christi. Quòd non fuerint beati ante Christi mortem, docet expressè D. Thomas 3. *part. quæst.* 49. *art.* 5. & *quæst.* 52. *art.* 5. & solet id probari ex illo Apostoli ad Hebr. 11. v. 13. ubi ait: *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed à longè eos aspicientes*, & nonnullis interjectis v. 39. subdit: *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem Deo pro nobis meliùs aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Ex quibus textibus manifestè deducitur, Noë, Abraham, & alios Sanctos Veteris Testamenti, de quibus loquitur Apostolus, non statim post hanc vitam accepisse præmium æternæ gloriæ iisdem promissum; sed debuisse expectare adventum Christi. Si dicas, ex D. Paulo colligi Sanctos Veteris Testamenti fuisse statim post exutam mortalitatem æterna donatos beatitate: siquidem Apostolus ad Hebr. 11. 33. expressè ait: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones*: loquitur Apostolus de Sanctis Veteris Testamenti, qui ante Christi adventum adepti sunt repromissionem vitæ æternæ. Sed contra quia duplex promissio à Deo facta fuit Patribus antiqui Testamenti, unam vitæ æternæ, quam non consequerentur, nisi post adventum Christi, & solutum pretium humani generis redempti per Christi Sanguinem, cum scribat Apostolus ad Hebr. 11. v. 39. *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem*; quamvis probati fuerint, ac digni judicati æterna gloria, non tamen illam receperunt, sed tantum iisdem promissa fuit post Christi adventum, & pretiosissimi sui sanguinis solutum pretium humanæ redemptionis in ara crucis. Altera promissio

missio fuit alicujus boni temporalis, quam per fidem consecuti, quapropter Apostolus ad Hebræ. 11. v. 33. ait: Adepti sunt repromissiones, cùm igitur in eadem epistola ad Hebræos Apostolus dicat, quòd *testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem*, & v. 33. dicat, *Adepti sunt repromissiones*, ne sibi contradicat, necesse est fuerit ultimis hisce verbis locutus de præmio temporali, quod de facto adepti fuerunt adhuc viventes in hoc sæculo. Prior enim promissio erat una, & eadem respectu hominum justorum. Posterius diversa & multiplex & respectu paucorum, quo pacto Abrahamo in extrema senecta fuit promissus filius, quem obtinuit; Davidi regnum quod fuit consecutus; Ezechiæ gravi correpto morbo sanitatem, quam fuit adeptus, & aliis quid aliud temporale, quod fuerunt consecuti; & id significant verba illa Apostoli ad Hebræ. 11. v. 33. *Adepti sunt repromissiones*, neque id intelligirur de omnibus Sanctis Veteris Testamenti, sed tantùm de aliquibus, adeo ut sensus sit, quod aliqui per fidem vicerunt regna, ut Josue: alii adepti sunt repromissiones temporales, ut Abraham, David. Ezechias, alii extinxerunt impetum ignis. ut adolescentes in fornace Babylonica: sed hi *omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem*, quia quamvis virtutum cultura & sanctitatis studio fuerunt insignes, & singuli per fidem aliquid eximium fuerint in hac vita consecuti: nemo tamen accepit præmium vitæ æternæ, quod illis promissum fuit, quia Deus non prius voluit illud extradere, quàm Christus veniret, cujus merito, & intercessione illis donaretur, quod innuerat Apostolus cap. 9. v. 15. *ut morte ejus intercedente expromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis.* Congruum enim fuerat, ut Deus nollet quemquam admittere ad cœlestem gloriam, nec ulli dare cœlestis beatitudinis coronam, nisi prius Christus pretio sui Sanguinis eos redimeret, & à statu servitutis ad statum libertatis filiorum adoptati per gratiam essent: & quia hoc pretium non fuit persolutum, nisi cùm Christus in ara crucis suum sanguinem fudit, ideo congruum fuerat, ut Sancti Veteris Testamenti non priùs à statu servitutis ad libertatem transirent, quam eorum Redemptor pretium redemptionis persolveret in sua passione; tunc enim Sanguis Christi in cruce fusus delevit, ut scribit Apostolus ad Colos. 2. v. 14. *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & cruci affixum est.* Erat enim chirographum mortis & servitutis & protoparentis peccatum, quod Christi Sanguis in ara crucis fusus obliteravit, & totaliter delevit, utpote nobis contrarium.

Potest tamen in contrarium objici illud ecclesiastici 11. v. 27. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique vias suas*, ex quibus verbis colligimus, unumquemque statim post mortem accipere præmium juxta merita, vel pœnam ob peccata, eò quia id facilè sit coram Deo, idque confirmatur exemplis Epulonis, & Lazari, quorum ille cruciatum, & locum tormentorum fuit statim assecutus, eò quia splendidè epularetur, ac nimium gulæ indulgeret, & iste ob toleratam paupertatem, & famem præmium legitur percepisse in sinu Abrahæ *Luc.* 16. *v.* 25. Sed contra, quia inde tantùm sequitur justos, qui in hac vita affliguntur, statim post discessum animæ à corpore gaudium percipere, & consolationem, impios verò, qui hic perfruuntur voluptatibus, dolores, & cruciatus experiri, ac iisdem dirè extorqueri; siquidem potest duplex esse gaudium post hanc vitam mortalem, unum de superatis adversitatibus, toleratis miseriis, exantatis laboribus, in hac vita cum degerent, & simul de securitate æternæ beatitudinis obtinendæ post aliquot tempus, & alterum gaudium esse potest de ipsa beatitudine jam obtenta, & de ipsa corona jam acquisita in cœlesti patria. In Veteri Testamento sancti post exutam mortalitatem percipiebant primum gaudium de toleratis miseriis, & de beatitudine obtinenda, non tamen posterius, nisi post mortem Christi. Quòd si dicas, impios statim post mortem esse æterna torquendos damnatione, consequenter etiam justos esse statim æterna beatitate donandos, ut debita utrique servetur proportio, quia sicut justitia exigit pœnam, quâ impii, juxta propria demerita affligantur, & quod hujusmodi pœna non differatur, ita etiam de præmio justorum dicendum est, juxta illud Levit. 19. 13. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.* Sed contra quia hæc proportio in Veteri Testamento non potuit servari: siquidem erat dispar ratio pœnæ & præmii damnationis, & beatitatis, siquidem via ad pœnam, & æternam damnationem jam erat aperta per Adæ peccatum, ut ait Apostolus ad Roman. 5. v. 12. secus via ad præmium, & beatitatem æternam in cœlis in Veteri Testamento nondum fuerat aperta, sed tantùm aperienda per mortem Christi, qui cruce usus fuit veluti clave, ut nobis cœli januas reseraret, & aditus vitæ nobis pateret. Præterea qui in veteri lege lethaliter delinquebant per se merebantur pœnam, & damnationem absque ulla dependentia ab alio; qui verò bene agebant, non merebantur per se præmium, & beatitudinem cœlestem simpliciter, & absolutè, sed dependentur à futuro merito & passione Christi. Tum quia per Adæ peccatum tota ejus posteritas, seu universum genus humanum erat deperditum sub Diaboli servitute, à qua ut liberaretur, & simul Divinæ justitiæ satisficeret, debuit pretium nostræ redemptionis Christus. priùs solvere sui sanguinis fusione, & hæc fuit ratio, cur Sancti Veteris Testamenti debuerunt expectare Christus ejùsque passionem, antequam libertate donarentur, & ad cœlestem gloriam admitterentur, secus qui malè agebant, cùm jam essent in statu perditionis, poterant statim puniri absque ulla dependentia à futuro tempore. Quòd non est asserendum de Sanctis Veteris Testamenti. Tum quia non videbatur decere, ut Sancti Veteris Testamenti priùs adirent hæreditatem cœlestis regni, quàm Sancti Novi Testamenti, cum illi fuerint filii Synagogæ, & ancillæ, & isti filii ecclesiæ & liberæ, unde erat, ut filii ancillæ expectarent filio liberæ, ut simul cœlestis regni adirent hæreditatem, seu ut ait Apostolus, debuerunt expectare, ne sine nobis consummarentur, seu in statu æternæ beatitudinis collocarentur. Huc etiam pertinet parabola de Denario diurno, qui non priùs datus est illis operariis, qui summo manè conducti fuerant ad vineam, quàm aliis, qui circa horam undecimam tantùm ad laborandum in vinea accesserunt. Cæterum Sancti Veteris Testamenti statim post mortem Christi consecuti sunt statum beatitudinis, seu visionis intuitivæ Dei, quia sicut Adam suo peccato exclusit nos à beatitudine, ita Christus per suam mortem nos admisit, ut ait Apostolus ad *Rom.* 5. 18. & ad *Hebra.* 9. *v.* 15. *& sequent.* ubi ait: *Christus Novi Testamenti Mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento*

*repro-*

*repromissionem acciperent*, *qui vocati sunt æternæ hæreditatis*, ait Apostolus, Sancti, qui fuerunt sub priori testamento seu in lege veteri, non accipere repromissionem, seu gloriam æternam, nec adire hæreditatem cœlestis regni, nisi Christus novi testamenti mediator esset, & per suam mortem nobis aditum aperiret ad æternam vitam. Tum quia Deus, utpote liberalissimus, statim confert præmium, si aliunde nullus alius adsit obex ex pacto præcedente non removendus, nisi aliqua conditione adimpleta; sed post mortem Christi nullum aderat impedimentum ex pacto Dei cui jam satisfactum erat à Christo per solutionem pretii nostræ redemptionis, seu per effusionem proprii sui sanguinis: nec ex parte Sanctorum, qui ab omni peccato erant expiati, consequenter post mortem Christi Sancti veteris testamenti erant statim cœlesti beatitudine donandi, tum quia per mortem Christi nobis cœlum fuit reseratum, Matth. 27. v. 51. *Velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum*, & quamvis hic textus varias patiatur interpretationes, non tamen obliquè accommodatur ad significandam cœli apertionem, quia per scissionem veli templi apertio significatur, adeo ut Christo moriente in cruce aperta fuerit janua vitæ æternæ, quæ antea per peccatum primi parentis clausa fuerat, nec ulli liceret ingredi. Velum enim templi Salomonis prohibebat Judæis aditum ad Sancta Sanctorum, & fuit figura indicans non patere nobis accessum ad cœlestem gloriam ad Sanctuarium æternæ beatitatis nisi per mortem & Sanguinem Christi quapropter scribit Apostolus ad Hebræ. 10. v. 19. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id est, carnem suam*, ait Apostolus, carnem Christi fuisse veluti velum illud templi, quod scissum aditum aperuit ad Sancta Sanctorum, perinde caro Christi in cruce scissa per inflicta vulnera manibus, pedibus, ac pectori nobis aditum reseravit ad cœlestem beatitudinem, quod etiam indicatum fuit per arcam veteris testamenti, quæ crucis Christi figura fuit, sicut enim per arcam quam deferebant Aaronici sacerdotes divisæ fuerunt aquæ Jordanis, & populo Hebræorum apertus aditus ad terram promissionis, ut habetur Josue 3. v. 14. Ita per Christi crucem divisum est velum templi, & populo Dei reserata janua, seu introitus apertus ad æternam felicitatem promissam fidelibus.

Hinc Sancti veteris testamenti post dies quadraginta à morte Christi unà cum Christo simul ascenderunt in cœlum, seu sedem beatorum, ut ait Apostolus ad Ephes. 4. v. 8. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*; cum enim Christus debellasset infernum, vicisset Dæmones, & suos fideles ab eorundem servitute liberâsset, triumphis oppletus ascendit in cœlum secumque duxit captivam captivitatem, seu Patriarchas Prophetas, & alios Sanctos veteris testamenti, qui diu detenti fuerant captivi, quosque post mortem, cum descendisset ad inferos à captivitate liberavit, adeo ut Sancti illi Patres veteris testamenti priùs fuerint beati quàm in cœlum cum Christo ascenderent, siquidem statum beatitudinis adepti sunt statim post mortem Christi, & in cœlum non ascenderunt nisi post quadraginta dies: hinc etiam bonus latro cum in cruce penderet, dixit Christus: *Hodie mecum eris in paradiso*, id est, donaberis æterna gloria, frueris per visionem beatificam divina essentia, licet non statim sis in cœlum ascensurus, siquidem & ipse sicuti Sancti veteris testamenti nonnisi post quadraginta dies expletos ascendit in cœlum. Posset tamen ab aliquo quæri, ubinam fuerint per illos quadraginta dies Sancti veteris testamenti, & bonus latro, cui Christus dixit: *Hodie mecum eris in paradiso*, variæ sunt expositorum responsiones, censent nonnulli eos omnes perseverâsse in limbo Patrum, donec Christus in cœlum ascenderet, & in limbo illo vidisse divinam essentiam, ac beatos fuisse. Alii volunt Sanctos illos fuisse cum Christo conversatos super terram, quamvis cæteris hominibus invisibiles essent. Alii censent fuisse pro interim translatos ad paradisum terrestrem cum Enoch, & Elia. Verùm id potiùs est divinare, quàm certum aliquid definire, hoc unum tantùm asserere possumus, in quocunque loco fuerint Sancti illi Patres, semper fuisse per totos illos quadraginta dies in statu beatitudinis, antequam cum Christo cœlum conscenderent. Quòd si petatur, quinam speciatim fuerint Sancti illi Patres veteris testamenti, qui post Christi mortem fuerunt statim æterna beatitate donati, quamvis nondum in cœlum ascenderint; Respondetur fuisse omnes illos Sanctos Patres, qui nil expiandum in purgatorio habuerunt, & ii sunt, qui laudantur ab Ecclesiastico cap. 44. & sequent. scilicet Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, Aaron, Phinees, Josue, Caleb, Samuel, Nathan Propheta, David, Elisæus, Ezechias, Josias, Ezechiel: duodecim Prophetæ, Zorobabel, Neemias, Joseph, Set, Sem, quibus addendus est bonus latro crucifixus cum Christo, & pueri innocentes interfecti ab Herode ut etiam Joannes Baptista, Adam, & Eva, Job, Tobias, Melchisedech, Abel, & alii quos recenset Apostolus *ad Hebræ.* 11. exceptis tamen Enoch, & Elia, qui dicuntur adhuc alibi commorari.

Dicendum tertiò ante Christi mortem prærecentas omnes Patres veteris testamenti fuisse detentos in quodam loco subterraneo, quia variis nominibus in sacris scripturis indicatur, ut nomine inferni Genes. 37. v. 35. *descendam ad filium meum lugens in infernum*, nomine locus exiccati absque ullo humore Zachar. 9. v. 11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*. Nomine sinus Abrahæ Luc. 16. v. 22. *Factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*. Nomine carceris 1. Petri 3. v. 19. *in quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit*. Theologi verò & Sancti Patres malunt locum illum vocare limbum Patrum, estque locus ille, in quem Christi anima post mortem, seu separationem à corpore descendit, & de quo ait Apostolus ad Ephes. 4. 9. *descendit in inferiores partes terræ*, & in symbolo Apostolorum dicitur descendisse ad inferos, & D. Augustinus. lib. 20. de civit. Dei cap. 15. ait: *Non absurde creditur antiquos Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis Christi & ad ea loca descensus erueret*, cui adhærens S. Cyprianus in serm. de unct. Chrismat. in fin. ait: *Passus est Rex illudi, & vita occidi, descendensque ad inferos captivam ab antiquo captivitatem reduxit*, & ut non reticeam D. Hieronymum in cap. 4. ad Ephes. ait: *Inferiora terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noster salvatorque descendit, ut Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusa, secum ad cœlos victor adduceret.* Unde omnes Sancti Patres loquen-

loquentes de limbo asserunt fuisse sinum Abrahæ, in quo Lazarus quiescebat apud Lucam cap. 16. & licet ex communi ferè omnium sententia hæc sit historia, adhuc tamen licèt diceretur esse parabola, certum est Christum fuisse locutum juxta communem omnium sensum, & tunc per sinum Abrahæ Hebræis cognitum intelligebatur limbus, seu locus subterraneus, qui esset sedes quietis, instar portus ad quem naufragantes confugerent, ut exponit Theophylactus & etiam Christus Dominus intellexit Matth. 8. *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, Jacob in regno Cœlorum.* Hunc enim locum fuisse subterraneum docet nos Apostolorum Symbolum, inquiens; *descendit ad inferos*, & D. Petrus prædicat Israelitis post Spiritus S. adventum Act. cap. 2. *Viri Israëlitæ audite verba hæc: Jesum Nazarenum quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo: David enim dicit in eum: non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Et pulo infra, v. 31. *providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* S. Irenæus de Christi mora cum Patribus in limbo lib. 4. cap. 45. alludens ad verba D. Petri in 1. epist. cap. 3. v. 19. *in quo & his qui in carcere erant Spiritu veniens prædicavit*, ait expendens illam prædicationem, *ea propter Dominum in ea, quæ sunt sub terra, descendisse; evangelizantem & illis adventum suum, & remissum peccatum.* Christus enim descendens Spiritu, seu quoad animam prædicavit Spiritibus, qui erant in limbo: non enim de damnatis id potest intelligi quorum salus desperata est: & D. Petrus loquitur de iis, qui detinebantur in carcere veluti clausi, & hodie non amplius reperiuntur in carcere, cujusmodi fuerunt Sancti Patres in limbo, quos Christus retraxit ex limbo, ait enim S. Athanasius homil. de semente: *Jesus autem propter nos mortuus est, descendit ad inferna in medium mortuorum, & inter mortuos incedens non solùm liber sed & liberator mortuorum erat.* Et S. Joannes Chrysostomus accommodat prædicationem Isaiæ animabus, quæ in limbo retinebantur, homil. 5. de resurrectione inquiens: Hodie *sol justitiæ Christus ascendit evangelizatis Sanctorum animis ab inferis elevans secum corpora Sanctorum*, & paulò, infra: *Exclamaverunt, qui erant in tenebris; quia lumen viderunt magnum: & qui erant in regione umbræ mortis lux orta est eis*, & Isaias cap. 45. v. 2. & 3. *Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam & dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum.* Pertinet etiam huc illud quod legitur de Samuele viso de terra ascendere lib. 1. Reg. cap. 28. tametsi plures censeant fuisse imaginem aut phantasma Samuelis, alii tamen probabilius fatentur fuisse ipsum Samuelem, qui ex loco subterraneo, seu limbo Patrum ascenderit annuntiaturus Sauli, quæ eventura essent in bello contra Philistæos suscepto, ut putant Basilius, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, & alii plures, qui fundantur, eò quia Ecclesiast. cap. 46. v. 23. expressè dixerit: Samuelem post mortem prophetâsse; ait enim: *Post hæc dormivit Samuel & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ*: ostendit autem inquiens 1. Reg. 28. v. 19. *Cras tu, & filii tui mecum eritis.* Cæterum Sancti veteris testamenti detenti in limbo subterraneo servarunt semper fidem de Christo venturo, spem & charitatem usque ad mortem Christi: & post Christi necem solam charitatem quia cum fides sit rerum non apparentium, & spes de rebus futuris, quæ sperantur, non amplius opus fuit, ut duæ illæ virtutes Theologicæ perseverarent post Christi necem cum fuerint statim beatitate donati & per claram Dei visionem omnem excusserint fidei obscuritatem, & per actualem possessionem gloriæ spem eam consequendi de futuro. Quod autem ante Christi mortem retinuerint fidem, spem & charitatem ex eo est probatu facilè quia cum essent justi non poterant charitate destitui, & cum non marcescerent, perpetuo otio non poterant esse sine actu charitatis, actus autem charitatis utpote supernaturalis exigit aliquam cognitionem supernaturalem sibique proportionatam; quæ cognitio ante Christi necem non poterat esse clara visio divinæ essentiæ in qua beatitudo consistit; consequenter debuit esse cognitio obscura fidei cum hac autem fidei cognitione conjuncta fuit spes futuræ beatitudinis, quam impensè expectabant. Quòd verò post Christi necem solam retinuerint charitatem ex eo liquet, quia tunc fuerunt clara, & intuitiva Dei visione plenè satiati, in qua consistit beatitudo, & fides cùm sit obscura non potest simul cohærere cum clara divinæ essentiæ visione. Et sublata fide tollitur etiam spes, quapropter mansit sola charitas, de qua a t Apostolus 1. Corinth. 13. v. 8. *Charitas nunquam excidit.* Non tamen ita Sancti existentes in limbo Patrum retinerent fidem, spem, & charitatem per actus earundem virtutum poterant aliquid de condigno mereri: quia tametsi hujusmodi actus essent boni laudabiles, & Deo grati non tamen erunt meritorii propter circumstantiam status in quo exercebantur. Deus enim voluit, ut nullus actus esset meritorius nisi eliciatur in statu viæ, seu in hac mortali vita, quod tempus voluit esse laboris certaminis, meriti, & demeriti, non vero post hanc vitam, unde frequenter scriptura nos hortatur, ut si quid apud Deum mereri cupimus, in hac vita faciamus 2. Corinth. 6. v. 2. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, & ad Galat. 6. cap. 8. *Dum tempus habemus operemur bonum,* hoc est, in statu præsentis vitæ, in quo tantum nobis datum est posse mereri; hinc Augustinus in Enchirid. cap. 110. *Hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quisquam; vel gravari. Nemo autem desperet, quod hic neglexerit, cum obierit apud Deum promereri.* Quapropter Sancti ante Christi adventum existentes in limbo, tametsi essent confirmati in gratia & charitate non tamen peccare amplius poterant, nec gratiam, & charitatem deperdere, quia cum essent extra statum viæ mereri amplius, & demereri non poterant, quia Deus ita res nostras disposuit, ut talis quisque maneret post hanc vitam, qualis fuit in morte, cum ex hac vita decessit, juxta illud Ecclesiast. cap. 1. v. 3. *qui ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit ibi erit*: quæ verba ita explicant Sancti Patres, ut per casum mortem significent, per austrum statum gratiæ, & per aquilonem statum peccati, adeo ut sensus sit, omnem hominem vel in gratia, vel in peccato mortali ex hac vita decedere, & in eo statu in quo decedit perpetuò permanet, ut explicat S. Hieronymus, & quia Sancti veteris testamenti decesserunt ex hac vita in statu gratiæ, ut supponimus, non potuerunt peccando gratiam deperdere, sed omnino impeccabiles perseverarunt, non quidem ex propria natura, quia præter Deum nemo ex natura est impeccabilis, quapropter dicit Apostolus ad Rom. 3. v. 4. *Omnis homo*

*homo mendax*, unde impeccabilitas creaturæ potest oriri tantùm vel ex unione hypostatica, quo pacto solus Christus est impeccabilis vel ex visione beatifica, qua ratione omnes beati sunt impeccabiles vel ex singulari Dei protectione, & gubernatione, & sic beata virgo, & omnes justi in limbo Patrum, & etiam animæ, quæ purgatorio igne expiantur, dicuntur esse impeccabiles. Potuerunt tamen Sancti existentes in limbo non solum pro se, & redemptione sua verùm etiam pro aliis in hac vita mortali degentibus Deum exorare. Prior pars constat, quia Isaiæ cap. 45. v. 8. Patres in sinu Abrahæ existentes ante adventum Christi enixim rogabant pro se, & redemptione sua dum adhuc in hac vita degerent Isaiæ 45. v. 8. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum aperiatur terra; & germinet Salvatorem.* & cap. 64. *Utinam disrumperes cœlos, & descenderes*, & Psal. 78. v. 8. *citò anticipent nos misericordiæ tuæ:* quòd si cum viverent in hac mortali vita ita rogârunt pro se, & redemptione sua multò magìs id præstiterunt post hanc vitam, cum adorandum liberiores, & expeditiores essent propter depositionem corporis, quod assolet devotioni esse impedimento, corpus enim dicitur aggravare animam præsertim cum non minus tunc expectarent Salvatorem, quàm antea. Posterior pars etiam colligitur ex scripturis; nam lib. 2. Machab. cap. 15. v. 12. expressè dicitur Oniam & Jeremiam, qui jam defuncti erant visos esse: *orare pro omni populo Judæorum, & universa civitate Sancta.* Et huc etiam spectat illud Jeremiæ 15. *Si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima ad populum istum.* Quasi diceret, tanta est ingratitudo Judæorum, ut tametsi Moyses, & Samuel, qui tunc erant in limbo Patrum, pro illo ad Deum intercederent, non fuerint exauditi, licèt aliàs consueverint exaudiri, ut expendit Maldonatus. An verò Sancti existentes in limbo oraverint pro viventibus in communi tantùm vel etiam pro hoc vel alio in particulari, respondetur dupliciter intelligi posse aliquem pro uno vel altero orare in particulari scilicet, ut oret pro persona particulari non tantùm in negotio aliquo speciali verùm etiam generatim sub hac forma: oro, seu deprecor pro Petro, ut omnia feliciter illi succedant, & ut ita oret, non solùm pro persona particulari, verum etiam pro negotio speciali: ut oro pro Petro, ut ex febri, qua affligitur convalescat. Sancti igitur in limbo potuerunt utroque modo pro viventibus orare: priori modo, quia habuerunt notitiam personæ particularis, quamvis in particulari ipsis non innotuerit ejus status, & necessitas. Posteriori modo, quando ipsis innotuit non solùm persona particularis verùm etiam ejus specialis status, & necessitas, & tunc poterant dupliciter cognoscere primò ex ea notitia, quam ex hac vita secum detulerant, quo pacto Epulo divitiis affluens in hac vita in inferno fuit recordatus status, & necessitatis suorum fratrum Luc. 16. v. 28. vel ex relatione aliorum hominum qui quotidie ex hac vita ad illos commigrabant, quo pacto plura hic Monachii scimus, quæ contingunt Parisiis in Gallia & Londini in Anglia ex relatione eorum, qui ex iisdem civitatibus ad nos revertuntur. Vel etiam ex colloquio Angelorum, qui aliquando consolandi causa ad eos accedebant, quo pacto Tobias plura cognovit ab Angelo Raphaele cum ab illo in regionem Medorum duceretur, Tob. 6. hinc liquet, Sanctos veteris testamenti in limbo potuisse orare non solùm pro viventibus in communi, verùm etiam pro uno, vel altero in particulari.

Quòd si dicas, inde secuturum, quod si Sancti in limbo potuissent pro viventibus in particulari orare, sicut jam explicatum est; potuissent etiam à viventibus invocari, & tamen nunquam legimus in veteri testamento à viventibus fuisse Sanctos in limbo existentes, seu mortuos invocatos, nullus enim legitur, qui invocaverit Abrahamum, vel Isaacum, aut Jacobum, nec alios, cùm tamen in novo testamento dicamus: Sancte Petre, Sancte Paule, Sancte Andrea, orate pro nobis. Contra est, quia tametsi potuerint Sancti pro nobis orare non tamen potuerunt à nobis invocari, ut orarent pro nobis, siquidem ut ipsi orent pro nobis, non requiritur alia cognitio quàm vel solius personæ pro qua orant, vel simul etiam particularis necessitatis, in qua persona constituta est, sed ut à nobis invocentur, alià requiritur cognitio, qua scilicet intelligant, & præcipiant preces, quas ad ipsos dirigimus, & in hoc est discrimen inter Sanctos veteris, ac novi testamenti, quia isti ratione sui status possunt infallibiliter dignoscere orationem viventium, quæ ad ipsos diriguntur: illi verò ratione sui status non poterant hoc cognoscere. Cæterum dupliciter possunt Sancti à nobis invocari, primò directè, & tunc fit, quando oratio nostra immediatè dirigitur ad ipsos Sanctos, ut si quis dicat: Sancte Antoni, ora pro me, secundò indirectè, & tunc fit, quando oratio immediatè dirigatur ad Deum repræsentando illi merita hujus vel alterius Sancti, ut si dicam Deus meus adjuva me propter merita Sancti Antonii. Priori modo non fuerunt invocati Sancti in veteri testamento, scilicet directè, & immediatè, bene tamen posteriori modo, ut patet exemplo Moysis, & Azariæ; Moyses enim Exodi 32. ita oravit: *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Jacob servorum tuorum.* Pari pacto Azarias in fornace Babylonica Daniel. 3. 34. *Ne quæsumus Domine tradas in perpetuum propter nomen tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel Sanctum tuum.* Sicut enim duobus modis possumus patrocinium petere, aut subsidium alicujus amici apud Imperatorem. Primò directè ut si dicam, illi: Obsecro te, ut promoveas causam meam apud Principem. Secundò indirectè ut si dicam obsecro te humillimè Serenissime Princeps, ut præstes mihi hoc beneficium si non mei causa, saltem in gratiam filii tui primogeniti, quem scio tibi esse percharum, qui si hic adesset certo scio, quòd pro me intercederet. In priori casu necesse est, ut Pettus cognoscat meam petitionem non ita in posteriori. Non tamen Sancti veteris testamenti existentes in limbo, carebant omni pœna ignis, & ab omni tristitia erant immunes, adeo ut magno gaudio, & consolatione afficerentur. Tum ob statum gratiæ, in quo sciebant se esse confirmatos. Tum ob infallibilem spem futuræ gloriæ, quam à venturo Messia expectabant, idque ostenditur exemplo Lazari, de quo dicitur Luc. 16. 25. *Nunc autem hic consolatur.* Quòd si quæras, an etiam ab omni pœna immunes fuerint, respondetur, ipsos habuisse temporalem pœnam damni sitam in carentia visionis beatificæ usque ad Christi adventum, & probabile est ex hac dilatione secutum fuisse aliquem animi dolorem, juxta Doctrinam D. Thomæ

3. *part. quæst.* 22, *art* 2. *ad* 2. ubi citat illud Proverb. 13. 12. *Spes quæ differtur, affligit animam*: hinc D. Gregorius lib. 13. Moral. cap. 16. ait: Grave tædium electis fuit post solutionem carnis adhuc speciem non videre Creatoris: & tædium hoc S. Job. tenebras vocat, eò quia secum trahat carentiam luminis gloriæ, ait enim Job, cap. 17. v. 13. *Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris stravis lectulum meum.*

# CAPUT XI.

## An Sancti Novi Testamenti, si nil supersit expiandum, statim cœlesti beatitudine donentur, & an in cœlis sciant, quæ apud nos geruntur in terris?

CErtum est ex Sanctis Patribus, & Concilio Tridentino, Sanctos Novi Testamenti, seu legis Evangelicæ, si nihil habeant purgandum nec expiandum, statim cum ex hac vita decedunt, donari in cœlis beatitudine, & regnare ibi cum Christo, ratio est, quia cum Deus jam pretium persolverit nostræ redemptionis, nosque sua morte liberaverit à servitute peccati, & Dæmonis. & ad statum libertatis filiorum Dei adoptaverit, nil est, quod possit retardare animas fidelium ex hac vita decedentium, quin statim cœlesti donentur beatitate, si nil ipsi supersit expiandum purgatorio igne, est enim Deus per se liberalissimus, & quantum est ex se, vult æternam salutem, & gloriam omnibus extradere, & cum hæc voluntas non impediatur à creatura ob reliquias peccatorum purgandas in expiatorio igne, sequitur, quod statim ad cœlestem gloriam admittantur. Tum quia cœlum in lege evangelica est apertum, & reseratum omnibus fidelibus, & in lege evangelica fideles non sunt deterioris conditionis, quàm Sancti Veteris Testamenti: atqui isti post mortem Christi, & reseratas cœli januas statim ad cœlestem gloriam fuerunt admissi, consequenter etiam Fideles Novi Testamenti, si hinc decedant absque reliquiis peccatorum expiandis purgatorio igne, debent statim cœlestem gloriam percipere; hinc Apostolus 2. Corinth. 1. ait: *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, non manufactam, æternam in cœlis.* Vult enim Apostolus, quòd cùm discedimus ex hoc mortali corpore, sumus cum Deo in cœlis, & quidem statim, si nil obsit expiandum purgatorio igne; pergit enim Apostolus inquiens: *Deum sumus in corpore, peregrinamur à Domino, audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum*, quapropter duo connectit, scilicet puòd dum sumus in corpore, peregrinemur à Domino, & similiter dum peregrinamur à corpore, præsentes sumus ad Dominum: atqui Sancti qui in Novo Testamento moriuntur, peregrinantur à corpore, consequenter præsentes sunt ad Dominum. Hinc hac Apostoli authoritate convictus Calvinus in Psychopannychia ait: Ut nihil addamus verbo Apostoli absque interprete, hoc loquuntur nos sensuros Dei præsentiam, cùm ab hoc corpore separabimur: jam non per fidem ambulaturos, sed per speciem, quoniam hoc terræ pondus, quo premimur, nos à Deo quasi maceries loco intervallo separat. Rursus quia Apostolus scribens ad Philipp. cap. 1. v. 23. ait: *Coarctor è duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, quod multo magis melius: permanere autem in carne magis necessarium propter vos*, quasi diceret, cupio ex una parte mori, ut possim statim esse cum Christo; & ex altera vivere percupio, ut possim vobis prodesse: neque Apostolus hoc dixisset, si Sancti statim, cum hinc decedunt, non essent cum Christo, sed alibi delitescerent usque ad diem judicii; hoc idem etiam docent communiter Sancti Patres, & ratio petitur ex eo, quia Deus pronior semper est ad miserendum, quam ad puniendum, quapropter aiebat David, Psal. 144. v. 9. *Suavis Dominus universis; & miserationes ejus super omnia opera ejus*, in quo sensu docent communiter Theologi, Deum citra condignum punire impios; & justos remunerari ultra condignnm, sed impios statim punit, postquam hinc decesserint in gehenna æternis cruciatibus torquendos, *Luc.* 16. *v.* 22. ergo etiam justis, si aliundo nil obest, statim post hanc vitam confert præmium in cœlo, sed ex parte cœli nil obstat, quia hoc per Christi Sanguinem reseratum nobis fuit, & Sancti Veteris Testamenti, cum primum Christus illud aperuit, fuerunt illud ingressi: ex parte Sanctorum hinc decedentium, nec etiam quidquam impedit: siquidem supponuntur nil habere expiandum igne purgatorio.

Quòd si dicas, animas Sanctorum non donari cœlesti beatitudine ante corporum resurrectionem, adeo ut Joannes XXII. Romanus Pontifex docuerit, animas Sanctorum ante diem judicii non esse visuras Deum in Patria. Contra est: quia nulla potest ratio assignari, cur non debeant statim æternam assequi beati gloriam in cœlis, si nihil ipsis supersit expiandum in Purgatorio. Joannes XXII. nonnisi ut Doctor privatus existimavit, animas Sanctorum ante resurrectionem corporum non esse visuros intuitivè Dei essentiam, ut colligitur ex Extravag. quæ incipit: *Benedictus Deus*, quam refert Alphonsus de Castro lib. 4. adversus hæreses verbo *beatitudo* hæresi 6. prope finem; non verò id

id docuit ut Pontifex è cathedra, nec id proposuit fidelibus ad credendum, quia cum ad definitionem hujus controversiæ, quam examinandam dederit Cardinalibus separare, morte præventus est, ut refert Benedictus XII. ejus successor, quique fuerat unus ex Cardinalibus qui eandem controversiam vivente Ioanne examinaverat, & qui postea assumptus ad Pontificatum definivit animas hinc dimigrantes, si nil purgandum ipsis superfit, statim admitti ad visionem beatam perinde ac animæ damnatorum statim æternis adducuntur cruciatibus quam veritatem etiam definivit in Concilio Florentino Eugenius IV. his verbis in eodem comprehensis: *Illorumque animæ, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam vel in suis corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & unum sicuti est*; ex quo liquet animas fidelium ante tempus extremi judicii accipere beatitudinem essentialem fuisse in Ecclesia definitum. Quòd si Joannes supervixisset, & post examen ad authenticam decisionem controversiæ accedere voluisset, non permisisset Deus hunc errorem credendum proponi ex Apostolica cathedra. Quamobrem

Dicendum est contra plures hæreticos tum veteres tum recentiores animas Sanctas hinc decedentes absque ulla culpa post discessum à corpore, & ante resurrectionem corporum perfectâ, & essentiali donari in cœlis beatitate, adeo ut consortium corporis ad hanc beatitudinem non fit absolutè necessarium quamvis congruum sit, ut beatorum corpora post diem judicii resurrectura sint gloriosa; ita docent cum D. Thoma 1. 2. *quæst.* 4. *art.* 5. Omnes Catholici. Prima pars assertionis ex eo evincitur, quia Christus moriturus dixit Latroni Luc. 22. *Hodie mecum eris in paradiso*; id enim non potest intelligi de loco corporeo, ut per se liquet, sed de sola societate beatitudinis non enim est necesse, ut qui beati sunt, eos quoad locum esse semper in cœlo; Christus enim beatus erat, & fruebatur divina essentia, quam ejus anima clarissimè intuebatur, tametsi esset in terris, ac inter homines versaretur. Angeli itidem custodes nostri clarè intuentur divinam essentiam, & beati sunt, tametsi non fint in cœlis, sed in terris ad nostram invigilent custodiam: unde tametsi quoad locum non fuerit in cœlo, adhuc per claram Dei visionem potuit divinam intueri essentiam, & etiam in terris beatum, hinc D. Paulus ad Philipp. 1. scribit: *cupio dissolvi & esse cum Christo*, quatenus sibi persuadebat statim post corporis solutionem posse Deum intueri, ut est in se, & æterna donari beatitudine, quod etiam indicat 2. ad Corinth. 5. *Audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum* idque confirmat ad Ephes. 4. ubi loquens de ascensione Christi in cœlum ait: *Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem*, seu Sanctorum animas sine consortio corporum, & expressius hæc veritas habetur Actor. 7. ubi legitur: *vidit Stephanus Cœlos apertos & Jesum stantem à dextris Dei*, quo scilicet statim eorat profecturus. Definita itidem fuit hæc veritas à Concilio Tridentino & statuto à Benedicto XI. & Innocentio III.

Ratio evincens hanc veritatem ex eo desumitur, quia consortium corporis non requiritur ad operationem illam, quæ nullo modo à phantasmate dependet, visio autem beata, in qua sita est formalis beatitudo, non dependet à phantasmate; consequenter non indiget beatus consortio corporis, ut divinam intueatur essentiam, siquidem eatenus intellectus pro præsenti statu intelligit per ministeria sensuum, quia dependet à phantasmate. Præterea quia certum est, Deum sine ulla culpa non detrudere in gehennam animas torquendas æternis illis cruciatibus, quòd si ob delicta patrata statim addicuntur æternis cruciatibus, par erat, ut animæ justorum ob sibi cumulata merita per toleratas passiones, exantlatos labores, exercitia virtutum, & studia pietatis statim æterna donarentur beatitate, quia Deus eas non torquet nec denegat eis bonum, quo dignæ sunt, & cujus sunt capaces: torquerentur autem si illis defferretur essentialis beatitudo, quam merentur usque ad extremum judicii diem, quia carent maximo bono, seu clara divinæ essentiæ visione, quæ carentia miseriarum est maxima. Prætera quia nulla potest sufficiens causa assignari differendi animabus justis, quæ ab omni purgatæ macula hinc demigrarunt, beatitudinis mercedem cum animæ separatæ à corpore sint ejusdem capaces. Demum quia reproborum animæ statim ab excessu à corpore detruduntur in tartara & igne torquentur; atqui Deus pronior semper est ad miserendum, & benefaciendum, quàm ad puniendum ergo cum Deus sit summè pius non erit promptior ad pœnam infligendam, quàm ad mercedem exhibendam animabus justis. Sed dices præmia non distribuuntur nisi præmisso examine, & judicio sed in novissimo primum die fiet examen, & judicium, Matth. 25. v. 31. ergo tunc primum erunt præmia distribuenda, & cum cœlestis beatitudo sit præmium justorum sequitur hanc non esse consecuturos justos nisi post diem judicii. Sed contra, quia duplex datur judicium unum speciale statim post hanc vitam, & cum primùm anima separatur à corpore, & in hoc judicio distribuuntur præmia, & pœnæ animarum, & de hoc plures interpretantur illud ad Hebræ. 9. v. 27. *statutum est hominibus semel mori; post hoc autem judicium*; alterum autem generale in novissimo die in quo distribuentur præmia, & pœnæ corporum, de quo Matth. 24. v. 30. dicitur: *tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cœli cum virtute multa & majestate*. De utroque judicio disserit D. Augustinus *lib. de anima ejusque origine cap.* 4. Quòd si instes, animam Christi non ascendisse in cœlum, nisi priùs resumpto corpore consequenter neque animas Sanctorum cœlum ascendere, nisi resumptis priùs corporibus, quòd non continget, nisi post universale judicium, & finem mundi, alioquin discipuli essent melioris conditionis quàm magister, & famuli quàm Herus. Sed respondetur inde potius sequi oppositum, quia ex speciali privilegio factum est, quòd Christus ante generalem corporum resurrectionem resumpserit corpus suum gloriosum, quod privilegium illi debebatur ratione unionis hypostaticæ. Sed dices, ex pluribus scripturæ locis non obscurè inferri, animas justorum non fore participes beatitudinis essentialis nisi post corporum resurrectionem: siquidem Apocal. 6. legimus Joannem vidisse animas sub altari, ubi videbantur quiescere, donec impleretur numerus fratrum, & 1. Petri 5. habetur: *cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam*, cui adhærens Ioannes epist. 1. cap. 3. ait: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*; ergo animæ Sanctorum non sunt parti-

omnibus. Quamvis paucis concessum sit, scilicet Moysi, & Paulo, ut plures putant videre in terris essentiam Dei, in cœlo tamen omnes eam intuentur. In hac vita Stephanus Protomartyr vidit Filium hominis sedentis à dextra Dei, Actor. 7. 55. in cœlo omnes hac visione donabuntur.

Præterea quia quicquid convenit Angelis ratione beatitudinis, id etiam convenit aliis Sanctis in cœlo existentibus, quia & ipsi beati sunt: atqui Angeli ratione beatitudinis cognoscunt, quæ à nobis in terris geruntur, consequenter etiam alii Sancti in cœlo existentes Major ostenditur, quia Angeli tametsi natura differant ab aliis Sanctis, non ita in beatitudine, in qua omnes sunt æquales, Luc. 20. v. 25. *Illi verò, qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis neque nubent, neque ducent uxores: neque enim ultro mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, & filii sunt Dei*; ex quo infertur, omnia quæ competunt Angelis ratione beatitudinis, quatenus sunt filii Dei, aliis etiam competere, qui in eodem statu sunt. Minor evincitur, quia quòd Angeli infallibiliter cognoscant, quæ apud nos fiunt, præsertim internas preces, contritionem, resipiscentiam internam, hoc non habent ex solis naturæ viribus, non enim juxta propriam naturam Angeli cognoscunt secreta cordium hominum, alioquin etiam Dæmones, qui in natura iisdem sunt æquales, infallibiliter ea cognoscerent, quod falsum est, sed id habent ex statu beatitudinis, sed in hoc statu, in quo beatitudinem non dicuntur differre ab aliis Sanctis, consequenter alii Sancti ratione sui status possunt idem præstare. Quòd si dicas Angelos cognoscere nostras orationes, indigentias, necessitates, id non habere ratione beatitudinis, sed officii, quia cum ex officio sint custodes hominum, iisdem debetur cognitio eorum, quæ circa homines fiunt. Respondetur, opposito esse adhærendum, quia si haberent notitiam illam ratione solius officii, inde sequeretur quòd non omnes Angeli, sed tantùm Custodes nostri, qui nobiscum versantur haberent illam cognitionem non ita reliqui existentes in cœlo, quod à vero aberrat, Luc. 15. cap. 10. *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pænitentiam agente*, quòd si coram Angelis Dei, absque ulla exceptione sequitur, omnes Angelos Dei cognoscere internam resipiscentiam peccatorum. Quòd si omnes Angeli sive in cœlo, sive in terra cognoscunt internas nostras cogitationes, & affectiones, sequitur hanc non habere ex eo præcisè, quia sint ad nostram custodiam deputati, cum non omnes ad id officii deputentur, sed tantùm ex eo, quòd beati sint.

Evinci etiam assertio potest ex eo, quod amicorum omnia debeant communia esse non solùm quoad bona externa, quibus se mutuo juvant in necessitatibus, verùm etiam quoad interna consilia, & secreta; hanc enim legem amicitiæ, & communionis omnium non solùm Ethnici commendârunt Philosophi, verùm etiam Christus in Evangelio inquiens Joan. 15. 15. *Jam non dico vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus, vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* unde cum Sancti in cœlo sint amici Dei, & intimè cum illo conjuncti; lex amicitiæ exigit, ut eueus, qui omnia novit non patiatur amicos suos ea ignorare, quæ apud nos fiunt, & præsertim orationes, quas nos ad ipsos dirigimus.

Nec inde sequitur, quòd etiam Sancti existentes in limbo potuisse cognoscere secreta cordium, quia etiam illi ratione gratiæ sanctificantis erant amici Dei, & filii adoptivi, consequenter Deus ex lege amicitiæ debuisset iisdem revelare orationes, quæ ad ipsos dirigebantur. Nam contra, quia amicitia alia est inter æquales, ut inter cives, milites, Principes: & altera inter inæquales, ut inter Deum, & homines, inter Principem, & subditum: prior amicitia vocatur æqualitatis; posterior excellentiæ, seu proportionis, de qua in præsenti agitur. Lex igitur amicitiæ inter inæquales exigit quidem ut bona amicorum sint communia, non tamen simpliciter, & absolutè, sed servata proportione cujusque status, & conditionis. Tametsi Princeps varios dicatur habere amicos, nobiles, ignobiles, domesticos, & extraneos, non tamen ex lege amicitiæ tenetur æqualiter omnibus sua bona communicare, sed tantùm unicuique juxta exigentiam proprii status, & ordinis, & ita asserendum de amicitia Dei, quamvis enim Deus habeat varia amicorum genera, plures in hac vita mortali alios in limbo vel purgatorio, & alios in cœlesti patria, quia tamen horum omnium status est diversus, eò quia primi sint statu fidei obscuræ & obnoxii periculo excidendi à tali amicitia, si peccent lethaliter, seque à summo bono avertant; ut scribit Apostolus ad Roman. 11. 20. Qui ante adventum Christi fuerunt in limbo, fuerunt quidem in statu etiam fidei obscuræ, sed diversimodè, quia non fuerunt amplius obnoxii periculo peccandi, ut etiam qui flammis expiatoriis mundantur in purgatorio. Qui verò sunt in patria, hi sunt in statu claræ visionis, quatenus contemplantur Deum, suntque omnis miseriæ expertes, Apocal. 22. 5. Hinc Deus ratione hujus diversitatis statuum, non æqualiter sua omnibus bona communicat, sed proportionem servat: siquidem cœlesti donatur beatitate, immediatè donat se ipsum per intuitivam visionem divinæ essentiæ, in qua comprehenditur perfectissimè omne bonum. Aliis verò, qui nondum sunt in patria, non communicat clarè, & immediatè, sed tantùm obscurè, mediatè, & in ænigmate creaturarum, in quibus tantùm obscurè relucet Dei bonitas, & sapientia, ut scribit Apostolus ad Roman. 1. 20. & partim per fidem, cujus beneficio ex auditu percipimus, quæ sub sensus non cadunt, quæque excedunt speculum naturæ nostræ lumen. Hinc ex eo, quod beati in cœlo nostras cognoscant orationes, non sequitur Sanctos in lymbo debuisse etiam eas cognoscere, discrimen est quia Sancti in cœlo intuitivè vident divinam essentiam, in qua veluti in vivo speculo creaturæ omnes repræsentantur: unde sicut is, qui speculum corporeum intuetur clarè & distinctè videt, quæ in illo apparent, ita etiam Sancti, qui divinam intuentur essentiam, clarè ac distinctè vident creaturas in illo apparentes. Hoc tamen discrimine quia speculum corporeum, quale apud nos est, naturaliter ea tantùm ostendit, quæ in ipso repræsentantur, nec habet potestatem liberam ex iisdem reliqua occultandi. Deus verò, in quo omnes creaturæ tanquam in vivo exemplari continentur, potest quasdam nobis manifestare, & alios occultare, prout ipsis magis placuerit, qua ratione à Theologis dici solet speculum voluntarium, & in hoc speculo omnes Sanctos intueri clarè preces hominum mortalium, quæ ad ipsos diriguntur, & quæ ad ipsos pertinent in terris, adeo ut fundatores Ordi-

Ordinum Religiosorum videant in hoc voluntario speculo, quæ in propria religione aguntur, quia hæc ad ipsos etiam referuntur, secus Sancti qui ante Christi adventum extiterunt in limbo non erant in statu claræ visionis, sed in statu fidei obscuræ, ac proinde non poterant quidquam cognoscere in essentia divina velut in speculo repræsentante sed quæ cognoverunt ex alio capite, debuerunt illa possidere vel ex notitia quam secum detulerunt ex mortali vita: vel ex revelatione aliorum, qui decedentes ex hac vita ad illos veniebant, vel ex colloquio Angelorum, qui interdum causa eos consolandi accedebant ad eos, & ex nullo horum capitum poterant semper, & infallibiliter cognoscere orationes viventium, non ex primo, quia Pater Abraham ex ea notitia quam ex hac vita secum in limbum detulerat, non potuit scire, quid reliqui homines superstites in hac vita post ipsius mortem agerent, vel peterent, neque alii Patres decedentes, & venientes ad limbum poterant Abrahamo referre, quid superstites in hac vita orarent. Neque Angeli semper erant in limbo, ut iisdem, quæ agerentur inter homines mortales revelarent. Sancti Patres etiam hanc assertionem asserunt, præsertim Augustinus lib. 22. de civit. Dei cap. 29. ubi ait: Si Propheta Elisæus puerum suum Giezi absens corpore vidit accipientem munera, quæ dedit illi Naaman Syrus; quantò magis Sancti videbunt omnia etiam unde sunt corpore absentes. Tunc enim erit perfectum illud de quo loquens Apostolus: *ex parte*, inquit, *scimus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*, & Augustinus ad id confirmandum profert illud 1. Corinth. 13. v. 11. *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus, quando autem factus sum vir evacuavi quæ erant parvuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Si ergo in hac vita, ubi hominum mirabilium prophetia ita comparanda est illi vitæ, quasi parvuli ad juvenem vidit, tamen Elisæus accipientem munera servum suum ubi ipse non erat: quando cum venerit, quod perfectum est: illi Sancti ad ea, quæ videnda sunt oculis corporeis, quibus Elisæus absens ad servum suum videndum non indiguit, indigebunt? Nam secundùm interpretes 70. ista sunt ad Giezi verba Prophetæ: Nonne cor meum tecum ibat: & novi quod conversus est vir de curru suo obviam tibi, & accepisti pecuniam, &c. Sicut autem ex Hebræo interpretatus est Presbyter Hieronymus: Nonne cor meum, inquit, in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui? corde ergo suo se dixit hoc vidisse Propheta adjuto quidem mirabiliter nullo dubitante divinitus; sed quantò ampliùs tunc omnes munere isto abundabunt, cum Deus erit omnia in omnibus.* Gregorius Magnus lib. 4. dialog. cap. 33. *Quia in illa æterna hereditate omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est, quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt?* Beda ad cap. 16. Luc. *Qui Creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quod videre non possint.*

Solent tamen in oppositum objici sacræ scripturæ, præsertim illud 3. Regum 8. v. 39. ubi dicitur: *tu cognoscis solus cor omnium filiorum hominum*, ergo solus Deus est scrutator cordium, & ipse solus cognoscit desideria, & consilia hominum. Ergo extra Deum nullus erit Beatus, qui possit cordis cogitationes alterius hominis cognoscere. Sed contra, quia diversimodè hæc cognitio secretorum cordium convenit Deo, & aliter hominibus, etenim Deo convenit per essentiam, & independenter creaturis verò per participationem, & dependenter hinc plura tribuuntur soli Deo, quæ etiam creaturis conveniunt, sed diversimodè hinc solus Deus dicitur bonus *Matth.* 19. 17. Solus Deus dicitur justus, 2. Machab. 1. 25. Solus pius Apocal. 15. 4. Solus potens, & immortalis 1. Timoth. 6. v. 15. Solus faciens mirabilia, Psal. 71. v. 18. & nihilominus hæc omnia conveniunt etiam hominibus non tamen per essentiam ut Deo sed per participationem, Deus enim hæc omnia habet à se & homines à Deo, à quo dependent, perinde solus Deus dicitur nosse corda hominum, quia solus ex se & per essentiam illa novit: alii possunt quidem nosse, non quidem ex se nec per essentiam, & virtute propria, sed per virtutem à Deo acceptam. Solent Hæretici alium textum objicere desumptum ex cap. 9. Eccles. 5. viventes sciunt se morituros, mortui verò nihil norunt amplius, quæ verba expendens Lutherus ait, Salomonem sentire mortuos sic dormire, ut prorsus nihil sciant, & plane credo non esse in scripturis locum fortiorem pro mortuis dormientibus, & nihil intelligentibus rerum nostrarum, contra Sanctorum invocationem. Sed contra, quia quid sentiat Salomon, non potest melius, & clarius dignosci, quàm ex toto contextu, ait enim: *Nemo est, qui semper vivat, & qui hujus rei habeat fiduciam, melior est canis vivus Leone mortuo, viventes enim sciunt, se esse morituros; mortui verò nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem*, unde ex Salomonis sententia si spectemus negotium æternæ salutis de eo in hac vita laborandum est, non post mortem, quia hæc vita utilior est, ad merendum quàm tempus post mortem. Quamdiu enim hic vivimus, cogitamus nos morituros, consequenter possumus resipiscere, agere pœnitentiam, & per bona opera incrementa acquirere meritorum, & æternæ gloriæ, quòd mortui non amplius possint, quia non sunt amplius in statu viæ, nec capaces meriti, & demeriti. Tertiò objiciunt illud Job. 14. 21. *sive nobiles fuerunt filii ejus, sive ignobiles non intelliget.* Verùm hunc textum Jobi D. Gregorius lib. 12. moral. cap. 14. interpretatur de hominibus carnalibus, qui in hac vita valde soliciti sunt de suis filiis: & post hanc vitam, quando sunt in inferno, nihil illis prodest filiorum status, aut conditio, quia tunc nesciunt, an bene, vel malè gerant in hac vita, hæc est explanatio S. Gregorii, cujus hæc sunt verba: *Sicut hi qui adhuc viventes sunt, mortuorum animæ quo loco habeantur, ignorant: ita mortui vita in carne viventium post eos qualiter disponatur nesciunt, quod tamen de animabus Sanctis sentiendum non est, quia quæ intus Omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent. Sed carnales quique, quia amorem præcipuum Filiis impendunt, hoc eos beatus Job nescire postmodum asserit, quod hic vehementer amaverunt, ut sive nobiles sint, sive ignobiles sint filii, nesciant, quorum eos semper cura fatigabat.* Quartò objiciunt illud Isaiæ 63. 16. *Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos.* Sed respondetur facilè,

cipes essentialis cujus beatitudinis statim cùm primum anima separatur à corpore, tametsi nil iisdem supersit expiandum in purgatorio : sed contra quia ex prædictis scripturæ locis non infertur essentialem beatitudinem Sanctorum differri usque ad corporum resurrectionem, etenim animæ, quas Joannes Apocal. 6. vidit sub altari fuerunt in cœlesti patria, in qua etiam est altare visum à Joanne. Tum quia ibidem justorum animæ dicuntur esse ante thronum Dei, ac inservire ejus templo die, ac nocte. Quod verò attinet ad SS. Petrum, & Joannem ipsi tantum loquuntur remuneratione, quæ publicè fiet in ultimo judicio, ut inde magis accendemur ad tolerendas passiones, subeundos labores. Sed dices, ut beatitudo sit perfecta, necesse est perfectè, & adæquatè satiat appetitum. Sed quamdiu anima existit extra corpus, non est perfectè satiata, quia adhuc appetit unionem cum corpore; anima enim naturali appetitu fertur in unionem cum corpore, perinde ac forma dicit appetitum ad materiam, quam informet, ergo anima nequit beata esse perfectè ante carnis resurrectionem, ex quo sequitur donari essentiali beatitudine tantùm post corporum resurrectionem. Sed contra quia tametsi anima non sit corpori unita, inde non sequitur non posse esse perfectè beatam: quia tunc tantùm non habetur perfecta beatitudo, quando superest aliquid optandum cum anxietate : & quamvis anima separata appetat unionem cum corpore, non tamen cum anxietate, & solicitudine, adeo ut inquieta non sit, quia tali impletur gaudio ex Dei visione, ut nulla afficiatur molestia nulla teneatur solicitudine.

Dicendum secundò, Sanctos in cœlis scire & cognoscere, quæ apud nos geruntur in terris, non tamen simpliciter, & absolutè omnia, sed tantùm orationes, quæ à nobis diriguntur ad ipsos, & alia pertinentia aliquo modo ad ipsos. Quòd Angeli speciatim ea cognoscant, quæ apud nos geruntur, manifestè testantur scripturæ eos cognoscere nostras orationes, & illas Deo offerre, ut dicitur de Angelo Raphaele, Tobiæ, 12. v. 12. Raphael ait : *quando orabas cum lachrymis ego obtuli orationem tuam Domino*, & de alio Angelo habetur Apocal. 8. v. 3. *Alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altere aureum, quod est ante thronum Dei, & ascendit unus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo.* Per incensa multa intelliguntur orationes Sanctorum, quæ de manu Angeli Deo offeruntur, imò cognoscunt etiam beati Angeli internam hominum peccatorum conversionem, & pœnitentiam, Luc. 15. v. 7. *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo, super uno peccatore pœnitentiam agente quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia*, & paulo infra v. 10. *Ita dico vobis gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Imò cognoscunt etiam omnium cultum, quem homines Deo exhibent, quapropter aiebat David, Psal. 137. *In conspectu Angelorum psallam tibi*, id est, inspicientibus Angelis, qui modus loquendi frequens est in Sacris Scripturis. Cognoscunt itidem habitum, & honestatem mulierum in publicis conventibus : ubi fit oratio, etenim Apostolus 1. Corinth. 11. v. 5. scribit : *Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite deturpat caput suum*, & infra v. 10. *debet mulier velamen habere supra caput, propter Angelos* : seu cum preces in ecclesia mulier ad Deum fundit, debet suum velare caput propter Angelos quos habeat testes, & Inspectores sui pudoris, & obedientiæ erga virum; siquidem velamen, quod mulier gestat in capite eam subjectam esse potestati viri : & virum quasi insidere, ac dominari ejus capiti, ut docent Sancti Patres præsertim Chrysostomus, Theodoretus, Anselmus, & D. Thomas in Comment. illius loci.

Quòd verò non solùm Angeli, verum etiam alii Sancti in cœlo viventes cum Christo ea cognoscant, quæ à nobis geruntur in terris, præsertim preces, quos ad ipsos fundimus, & indigentias, in quibus versamur, etiam ex variis scripturis probari potest, ut ex *Apocal. cap.* 5. ubi Sancti dicuntur non solùm cognoscere nostras preces, verum etiam eas Deo offerre, ait enim Joannes : *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum, &c. & venit, & accepit de dextra sedentis in throno librum. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*, ubi Joannes describens visionem, quam in raptu habuit, ait se vidisse Deum Patrem sedentem in throno & tenentem in manu dextra librum signatum septem sigillis, & quem nemo poterat aperire, seu interpretari, nisi Christus qui est verus agnus pro nobis occisus, qui cum hunc librum aperuisset, adoraverunt illum quatuor animalia unà cum viginti quatuor senioribus habentibus phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Hi autem seniores erant præcipui Sancti tunc regnantes cum Christo, & habentes in manibus phialas aureas plenas ordomentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, scilicet offerebant Deo orationes degentium in hac vita. Allúsit Joannes ad ritum, quo in templo Salomonis ante altare collocabantur phialæ aureæ, & argenteæ, quæ plenæ essent odoramentis; siquidem, ut liquet 2. *Paralip.* 4. 8. & 22. Salomon Rex curavit fieri centum phialas ex puro puto auro, & post captivitatem Babylonicam cum Cyrus restituisset Judæis vasa aurea, & argentea, quæ abstulerat Nabuchodonosor, numeratæ fuerunt, aureæ phialæ triginta, & argenteæ mille, 1. Esdræ. 9. juxta Prophetiam Zachariæ, 14. 20. *Et erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari*, scilicet tam plures erant lebetes in templo ad coquendas carnes victimarum, quàm multæ phialæ ad odoramenta Deo offerenda. Quod verò per hæc odoramenta Joannes intellexerit orationes ab hominibus justis fusas in hac vita ad ipsos Sanctos vel Deum, ex eo arguitur, quia perinde ac odoramenta orationes justorum sursum ascendunt. Secundò quia sunt suavissimi odoris cum Deo, & utrumque indicat Propheta David, Psal. 140. inquiens : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, unde æquiparat orationem odoramento incensi, quod sursum inscendit, rursus vidit has orationes à senioribus Deo offerri in phialis aureis, quia justorum preces, quas Deo fundunt, ex vera procedunt charitate significata per aurum, quod sicut metallorum est princeps, ita charitas inter virtutes habetur præstantissima, & quia orationes justorum sunt apud Deum maximi pretii, perinde ac aurum apud homines. Per quatuor vero animalia intellexit quatuor Evangelistas, vel alios cum Christo in cœlo regnantes, hi enim quicunque fuerint, pro-

probarunt orationes Sanctorum, & gratiarum actiones, quæ fiebant ab iis non solùm qui in cœlo, sed etiam qui in terra, & sub terra erant, ex quibus clarè infertur sanctos in cœlis non ignorare, quæ à nobis geruntur in terris, si hæc præsertim ad ipsos à nobis dirigantur.

Præterea hæc eadem veritas ex eo itidem evincitur, quia quæ sanctis in hac vita degentibus conceduntur, hæc itidem multò magis concedenda sunt Sanctis in cœlo regnantibus: si eorum statui non repugnent, si eidem fuerint consentanea: atqui viri sancti adhuc in mortali vita degentes cognoscunt occulta aliorum secreta, desideria, machinationes, imò & opera, etiam absentiam, consequenter multò magis hæc omnia erunt concedenda viris Sanctis in cœlis cum Christo regnantibus, quia non solùm hæc omnia non repugnant statui beatifico, sed eidem perquam consentanea sunt. Major videtur per se nota, quia quæ conveniunt statui inferiori, à fortiori etiam statui superiori, seu perfectiori, si eidem non repugnet, cujùs modi est cognoscere in cœlesti patria, quæ à nobis geruntur in terris, non enim hæc cognitio repugnat statui beatifico, cum beati hæc omnia videant in verbo. Quòd verò viri sancti in statu viæ hujus mortalis vitæ, qui procul dubio imperfectior statu beatifico, cognoverint occulta aliorum desideria, secreta cordium, machinationes, & alia hujusmodi, plura nobis Sacræ scripturæ suppeditant exempla, etenim 1. Regum 9. v. 19. Samuel dicitur cognovisse, quæ erant in corde Saulis, 1. Reg. 9. v. 19. *Et respondit Samuel Sauli, dicens omnia quæ sunt in corde tuo indicabo tibi. Et de asinis, quas nudius tertius perdidisti ne solicitus sis, quia inventæ sunt.* 4. Reg. 5. Elisæus omnia cognovit, quæ à famulo suo Giezi absente facta fuerant, v. 25. & sequent. Et dixit Elisæus: *Unde venis Giezi? qui respondit, non ivit servus tuus quoquam. At ille ait: nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo ad occursum tui? nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & servos & ancillas, sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo usque in sempiternum.* Rursus Elisæus cognovit omnia secreta, consilia Regis Syriæ, quæ & revelavit Regi Israël, 4. Reg. 6. v. 8. *Rex autem Syriæ pugnabat contra Israël consiliumque iniit cum servis suis dicens: in loco illo, & illo ponamus insidias, misit itaque vir Dei ad Regem Israel dicens: cave ne transeas in locum illum, quia ibi Syri in insidiis sunt, misit itaque Rex Israel ad locum quem dixerat ei vir Dei, & praeoccupavit, & observavit se ibi non semel neque bis. Conturbatumque est cor Regis Syriæ pro re hac & convocatis servis suis ait: Quare non indicatis mihi, quis proditor mei sit apud Regem Israel? dixitque unus servorum ejus: nequaquam Domine mi Rex, sed Eliseus Propheta, qui est in Israel indicat Regi Israel omnia verba, quæcunque locutus fueris in conclavi tuo.* Rursus Danieli innotuerunt occulta Somnia Nabuchodonosoris, quorum interpretationem etiam explicuit declaravitque Daniel. 2. v. 26. *Et dixit Rex Danieli: Putasne verè potes mihi indicare somnium, quòd vidi, & interpretationem ejus? & respondens Daniel coram Rege ait: Mysterium quod Rex interrogat Sapientes Magi arioli, & aruspices nequeunt indicare Regi. Sed est Deus in cœlo revelans mysteria*, & somnium illud fuit interpretatus, & quid significaret aperuit. Imò non solùm viri sancti Veteris Testamenti, sed etiam novæ legis noverunt secreta cordium, & cogitationes aliorum: siquidem Actor. 1. 5. Petro Apostolo explorata fuit occulta fraus Ananiæ, & Sapphiræ circa pretium divenditi agri, habetur enim, *Vir quidam nomine Ananias cum Sapphira uxore sua agrum vendidit; & fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua: & adferens partem quandam ad pedes Apostolorum posuit. Dixit autem Petrus: Anania cur tentavit Satanas cor tuum mentiri Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri.* Propemodum infinita sunt hujusmodi exempla in lege evangelica virorum justorum, qui secreta cordium in aliis introspexerunt consilia, & cogitationes nemine revelante ex aliis hominibus cognoverunt, plenæ enim sunt historiæ ecclesiasticæ, plenæ sanctorum vitæ, à quibus propterea supersedendum censeo, ne nimius sim in illis congerendis. Quòd si Samuel, Elisæus, Daniel, & in lege nova Petrus aliique plures potuerunt, dum adhuc degerent in hac mortali vita, cognoscere occulta consilia, internas cogitationes etiam absentium, potuerunt etiam nunc ea omnia in cœlis cognoscere, cum sint in statu longè perfectiore; non enim vero simile est viros justos in statu viæ, seu exilii esse melioris conditionis, quàm in patria, ergo si cùm viverent inter mortales cognoverunt aliena secreta cordium, & internas cogitationes, à fortiori in cœlis hæc eadem cognoscent in Verbo, cum sint lumine gloriæ collustrati. Si dicas, ex hoc tantùm sequi, quod sicut in hac vita nonnisi paucis concessum est cognoscere aliorum cogitationes & secreta cordium, ita etiam in cœlis nonnisi paucis concessum sit, adeo ut inde non posset inferri, quòd omnibus in cœlo existentibus sit hæc cognitio communis. Sed contra quia id optimè inferri potest, si divinam providentiam spectemus, quod enim Deus in hac vita solet paucis, & nonnisi raro concedere per modum privilegii transeuntis, hoc in altera concedit omnibus per modum doni permanentis. Idque liquet in Christo, cui speciatim in hac vita pro brevi tempore quædam concessa sunt quoad usum, & exercitium, ut quòd ejus facies splenduerit sicut sol. Matth. 17. 2. Ut ambularet super aquas Matth. 14. 25. ut clausis januis fuerit ingressus in cœnaculum Joan. 20. v. 19. ut statim evanesceret ex oculis hominum, quasi forèt invisibilis, Luc. 24. 21. & tamen hæc omnia, quæ nonnisi Christo, & paucis aliis fuerunt concessa, omnibus Sanctis post diem judicii concedentur. Tunc enim habebunt corpora gloriosa unà cum quatuor dotibus, scilicet claritate, subtilitate, agilitate, & impassibilitate, ut docent Theologi, etenim de claritate Matth. 13. v. 43. dicitur: *Tunc justi fulgebunt sicut sol*, de impassibilitate, 1. Corinth. 15. v. 53. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem.* De agilitate Sap. 3. v. 7. *Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent*, & de omnibus simul 3. Corinth. 15. v. 44. ait Apostolus: *Seminatur in corruptione, & surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, & surget corpore spirituali:* quamvis hæ dotes corporis nonnisi paucissimi, & rarissimè concedantur, attamen post diem judicii omnibus beatis concedentur non ad breve tempus, sed in perpetuum: perinde servata proportione dicendum est de dotibus animæ, tametsi paucis concedatur cognoscere aliorum secreta cordium, desideria, & cogitationes, in cœlis tamen id erit commune omni-

cipes essentialis cujus beatitudinis statim cùm primum anima separatur à corpore, tametsi nil iisdem supersit expiandum in purgatorio: sed contra quia ex præcitatis scripturæ locis non infertur essentialem beatitudinem Sanctorum differri usque ad corporum resurrectionem, etenim animæ, quas Joannes Apocal. 6. vidit sub altari fuerunt in cœlesti patria, in qua etiam est altare visum à Joanne. Tum quia ibidem justorum animæ dicuntur esse ante thronum Dei, ac inservire ejus templo die, ac nocte. Quod verò attinet ad SS. Petrum, & Joannem ipsi tantum loquuntur remuneratione, quæ publicè fiet in ultimo judicio, ut inde magis accendemur ad tolerendas passiones, subeundos labores. Sed dices, ut beatitudo sit perfecta, necesse est perfectè, & adæquatè satiat appetitum. Sed quamdiu anima existit extra corpus, non est perfectè satiata, quia adhuc appetit unionem cum corpore; anima enim naturali appetitu fertur in unionem cum corpore, perinde ac forma dicit appetitum ad materiam, quam informet, ergo anima nequit beata esse perfectè ante carnis resurrectionem, ex quo sequitur donari essentiali beatitudine tantùm post corporum resurrectionem. Sed contra quia tametsi anima non sit corpori unita, inde non sequitur non posse esse perfectè beatam: quia tunc tantùm non habetur perfecta beatitudo, quando superest aliquid optandum cum anxietate: & quamvis anima separata appetat unionem cum corpore, non tamen cum anxietate, & solicitudine, adeo ut inquieta non sit, quia tali impletur gaudio ex Dei visione, ut nulla afficiatur molestia nulla teneatur solicitudine.

Dicendum secundò, Sanctos in cœlis scire & cognoscere, quæ apud nos geruntur in terris, non tamen simpliciter, & absolutè omnia, sed tantùm orationes, quæ à nobis diriguntur ad ipsos, & alia pertinentia aliquo modo ad ipsos. Quòd Angeli speciatim ea cognoscant, quæ apud nos geruntur, manifestè testantur scripturæ eos cognoscere nostras orationes, & illas Deo offerte, ut dicitur de Angelo Raphaele, Tobiæ, 12. v. 12. Raphael ait: *quando orabas cum lachrymis ego obtuli orationem tuam Domino*, & de alio Angelo habetur Apocal. 8. v. 3. *Alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altere aureum, quod est ante thronum Dei, & ascendit unus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo.* Per incensa multa intelliguntur orationes Sanctorum, quæ de manu Angeli Deo efferuntur, imò cognoscunt etiam beati Angeli internam hominum peccatorum conversionem, & pœnitentiam, Luc. 15. v. 7. *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo, super uno peccatore pœnitentiam agente quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia*, & paulo infra v. 10. *Ita dico vobis gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Imò cognoscunt etiam omnium cultum, quem homines Deo exhibent, quapropter aiebat David, Psal. 137. *In conspectu Angelorum psallam tibi*, id est, inspicientibus Angelis, qui modus loquendi frequens est in Sacris Scripturis. Cognoscunt itidem habitum, & honestatem mulierum in publicis conventibus: ubi fit oratio, etenim Apostolus 1. Corinth. 11. v. 5. scribit: *Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite deturpat caput suum*, & infra v. 10. *debet mulier velamen habere supra caput, propter Angelos:* seu cum preces in ecclesia mulier ad Deum fundit, debet suum velare caput propter Angelos quos habeat testes, & Inspectores sui pudoris, & obedientiæ erga virum; siquidem velamen, quod mulier gestat in capite eam subjectam esse potestati viri: & virum quasi insidere, ac dominari ejus capiti, ut docent Sancti Patres præsertim Chrysostomus, Theodoretus, Anselmus, & D. Thomas in Comment. illius loci.

Quòd verò non solùm Angeli, verum etiam alii Sancti in cœlo viventes cum Christo ea cognoscant, quæ à nobis geruntur in terris, præsertim preces, quos ad ipsos fundimus, & indigentias, in quibus versamur, etiam ex variis scripturis probari potest, ut ex *Apocal. cap.* 5. ubi Sancti dicuntur non solùm cognoscere nostras preces, verum etiam eas Deo offerre, ait enim Joannes: *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum, &c. & venit, & accepit de dextra sedentis in throno librum. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*, ubi Joannes describens visionem, quam in raptu habuit, ait se vidisse Deum Patrem sedentem in throno & tenentem in manu dextra librum signatum septem sigillis, & quem nemo poterat aperire, seu interpretari, nisi Christus qui est verus agnus pro nobis occisus, qui cum hunc librum aperuisset, adoraverunt illum quatuor animalia unà cum viginti quatuor senioribus habentibus phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Hi autem seniores erant præcipui Sancti tunc regnantes cum Christo, & habentes in manibus phialas aureas plenas ordomentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, scilicet offerebant Deo orationes degentium in hac vita. Allúsit Joannes ad ritum, quo in templo Salomonis ante altare collocabantur phialæ aureæ, & argenteæ, quæ plenæ essent odoramentis; siquidem, ut liquet 2. *Paralip.* 4. 8. & 22. Salomon Rex curavit fieri centum phialas ex puro puto auro, & post captivitatem Babylonicam cum Cyrus restituisset Judæis vasa aurea, & argentea, quæ abstulerat Nabuchodonosor, numeratæ fuerunt, aureæ phialæ triginta, & argenteæ mille, 1. Esdræ. 9. juxta Prophetiam Zachariæ, 14. 20. *Et erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari*, scilicet tam plures erant lebetes in templo ad coquendas carnes victimarum, quàm multæ phialæ ad odoramenta Deo offerenda. Quod verò per hæc odoramenta Joannes intellexerit orationes ab hominibus justis fusas in hac vita ad ipsos Sanctos vel Deum, ex eo arguitur, quia perinde ac odoramenta orationes justorum sursum ascendunt. Secundò quia sunt suavissimi odoris cum Deo, & utrumque indicat Propheta David, Psal. 140. inquiens: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, unde æquiparat orationem odoramento incensi, quod sursum inscendit, rursus vidit has orationes à senioribus Deo offerri in phialis aureis, quia justorum preces, quas Deo fundunt, ex vera procedunt charitate significata per aurum, quod sicut metallorum est princeps, ita charitas inter virtutes habetur præstantissima, & quia orationes justorum sunt apud Deum maximi pretii, perinde ac aurum apud homines. Per quatuor vero animalia intellexit quatuor Evangelistas, vel alios cum Christo in cœlo regnantes, hi enim quicunque fuerint, appro-

probarunt orationes Sanctorum, & gratiarum actiones, quæ fiebant ab iis non solùm qui in cœlo, sed etiam qui in terra, & sub terra erant, ex quibus clarè infertur sanctos in cœlis non ignorare, quæ à nobis geruntur in terris, si hæc præsertim ad ipsos à nobis dirigantur.

Præterea hæc eadem veritas ex eo itidem evincitur, quia quæ sanctis in hac vita degentibus conceduntur, hæc itidem multò magis concedenda sunt Sanctis in cœlo regnantibus: si eorum statui non repugnent, si eidem fuerint consentanea: atqui viri sancti adhuc in mortali vita degentes cognoscunt occulta aliorum secreta, desideria, machinationes, imò & opera, etiam absentiam, consequenter multò magis hæc omnia erunt concedenda viris Sanctis in cœlis cum Christo regnantibus, quia non solùm hæc omnia non repugnant statui beatifico, sed eidem perquam consentanea sunt. Major videtur per se nota, quia quæ conveniunt statui inferiori, à fortiori etiam statui superiori, seu perfectiori, si eidem non repugnet, cujùs modi est cognoscere in cœlesti patria, quæ à nobis geruntur in terris, non enim hæc cognitio repugnat statui beatifico, cum beati hæc omnia videant in verbo. Quòd verò viri sancti in statu viæ hujus mortalis vitæ, qui procul dubio imperfectior statu beatifico, cognoverint occulta aliorum desideria, secreta cordium, machinationes, & alia hujusmodi, plura nobis Sacræ scripturæ suppeditant exempla, etenim 1. Regum 9. v. 19. Samuel dicitur cognovisse, quæ erant in corde Saulis. 1. Reg. 9. v. 19. *Et respondit Samuel Sauli, dicens omnia quæ sunt in corde tuo indicabo tibi. Et de asinis, quas nudius tertius perdidisti ne solicitus sis, quia inventa sunt.* 4. Reg. 5. Elisæus omnia cognovit, quæ à famulo suo Giezi absente facta fuerant, v. 25. & sequent. Et dixit Elisæus: *Unde venis Giezi? qui respondit, non ivit servus tuus quoquam. At ille ait: nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo ad occursum tui? nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & servos & ancillas, sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo usque in sempiternum.* Rursus Elisæus cognovit omnia secreta, consilia Regis Syriæ, quæ & revelavit Regi Israël, 4. Reg. 6. v. 8. *Rex autem Syriæ pugnabat contra Israël consiliumque iniit cum servis suis dicens: in loco illo, & illo ponamus insidias, misit itaque vir Dei ad Regem Israël dicens: cave ne transeas in locum illum, quia ibi Syri in insidiis sunt, misit itaque Rex Israel ad locum quem dixerat ei vir Dei, & præoccupavit, & observavit se ibi non semel neque bis. Conturbatumque est cor Regis Syriæ pro re hac & convocatis servis suis ait: Quare non indicatis mihi, quis proditor mei sit apud Regem Israel? dixitque unus servorum ejus: nequaquam Domine mi Rex, sed Elisæus Propheta, qui est in Israel indicat Regi Israel omnia verba, quæcunque locutus fueris in conclavi tuo.* Rursus Danieli innotuerunt occulta Somnia Nabuchodonosoris, quorum interpretationem etiam explicuit declaravitque Daniel. 2. v. 26. *Et dixit Rex Danieli: Putasne verè potes mihi indicare somnium, quòd vidi, & interpretationem ejus? & respondens Daniel coram Rege ait: Mysterium quod Rex interrogat Sapientes Magi arioli, & aruspices nequeunt indicare Regi. Sed est Deus in cœlo revelans mysteria*, & somnium illud fuit interpretatus, & quid significaret aperuit. Imò non solùm viri sancti Veteris Testamenti, sed etiam novæ legis noverunt secreta cordium, & cogitationes aliorum: siquidem Actor. 1. 5. Petro Apostolo explorata fuit occulta fraus Ananiæ, & Sapphiræ circa pretium divenditi agri, habetur enim, *Vir quidam nomine Ananias cum Sapphira uxore sua agrum vendidit; & fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua: & adferens partem quandam ad pedes Apostolorum posuit. Dixit autem Petrus: Anania cur tentavit Satanas cor tuum mentiri Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri.* Propemodum infinita sunt hujusmodi exempla in lege evangelica virorum justorum, qui secreta cordium in aliis introspexerunt consilia, & cogitationes nemine revelante ex aliis hominibus cognoverunt, plenæ enim sunt historiæ ecclesiasticæ, plenæ sanctorum vitæ, à quibus propterea supersedendum censeo, ne nimius sim in illis congerendis. Quòd si Samuel, Elisæus, Daniel, & in lege nova Petrus aliique plures potuerunt, dum adhuc degerent in hac mortali vita, cognoscere occulta consilia, internas cogitationes etiam absentium, potuerunt etiam nunc ea omnia in cœlis cognoscere, cum sint in statu longè perfectiore; non enim vero simile est viros justos in statu viæ, seu exilii esse melioris conditionis, quàm in patria, ergo si cùm viverent inter mortales cognoverunt aliena secreta cordium, & internas cogitationes, à fortiori in cœlis hæc eadem cognoscent in Verbo, cum sint lumine gloriæ collustrati. Si dicas, ex hoc tantùm sequi, quod sicut in hac vita nonnisi paucis concessum est cognoscere aliorum cogitationes & secreta cordium, ita etiam in cœlis nonnisi paucis concessum sit, adeo ut inde non posset inferri, quòd omnibus in cœlo existentibus sit hæc cognitio communis. Sed contra quia id optimè inferri potest, si divinam providentiam spectemus, quod enim Deus in hac vita solet paucis, & nonnisi raro concedere per modum privilegii transeuntis, hoc in altera concedit omnibus per modum doni permanentis. Idque liquet in Christo, cui speciatim in hac vita pro brevi tempore quædam concessa sunt quoad usum, & exercitium, ut quòd ejus facies splenduerit sicut sol. Matth. 17. 2. Ut ambularet super aquas Matth. 14. 25. ut clausis januis fuerit ingressus in cœnaculum Joan. 20. v. 19. ut statim evanesceret ex oculis hominum, quasi foret invisibilis, Luc. 24. 21. & tamen hæc omnia, quæ nonnisi Christo, & paucis aliis fuerunt concessa, omnibus Sanctis post diem judicii concedentur. Tunc enim habebunt corpora gloriosa unà cum quatuor dotibus, scilicet claritate, subtilitate, agilitate, & impassibilitate, ut docent Theologi, etenim de claritate Matth. 13. v. 43. dicitur: *Tunc justi fulgebunt sicut sol*, de impassibilitate, 1. Corinth. 15. v. 53. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem.* De agilitate Sap. 3. v. 7. *Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent*, & de omnibus simul 1. Corinth. 15. v. 44. ait Apostolus: *Seminatur in corruptione, & surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, & surget corpore spirituali:* quamvis hæ dotes corporis nonnisi paucissimi, & rarissimè concedantur, attamen post diem judicii omnibus beatis concedentur non ad breve tempus, sed in perpetuum: perinde servata proportione dicendum est de dotibus animæ, tametsi paucis concedatur cognoscere aliorum secreta cordium, desideria, & cogitationes, in cœlis tamen id erit commune omni-

cipes essentialis cujus beatitudinis statim cùm primum anima separatur à corpore, tametsi nil iisdem supersit expiandum in purgatorio: sed contra quia ex præcitatis scripturæ locis non infertur essentialem beatitudinem Sanctorum differri usque ad corporum resurrectionem, etenim animæ, quas Joannes Apocal. 6. vidit sub altari fuerunt in cœlesti patria, in qua etiam est altare visum à Joanne. Tum quia ibidem justorum animæ dicuntur esse ante thronum Dei, ac inservire ejus templo die, ac nocte. Quod verò attinet ad SS. Petrum, & Joannem ipsi tantum loquuntur remuneratione, quæ publicè fiet in ultimo judicio, ut inde magis accendemur ad tolerendas passiones, subeundos labores. Sed dices, ut beatitudo sit perfecta, necesse est perfectè, & adæquatè satiat appetitum. Sed quamdiu anima existit extra corpus, non est perfectè satiata, quia adhuc appetit unionem cum corpore; anima enim naturali appetitu fertur in unionem cum corpore, perinde ac forma dicit appetitum ad materiam, quam informet, ergo anima nequit beata esse perfectè ante carnis resurrectionem, ex quo sequitur donari essentiali beatitudine tantùm post corporum resurrectionem. Sed contra quia tametsi anima non sit corpori unita, inde non sequitur non posse esse perfectè beatam: quia tunc tantùm non habetur perfecta beatitudo, quando superest aliquid optandum cum anxietate: & quamvis anima separata appetat unionem cum corpore, non tamen cum anxietate, & solicitudine, adeo ut inquieta non sit, quia tali impletur gaudio ex Dei visione, ut nulla afficiatur molestia nulla teneatur solicitudine.

Dicendum secundò, Sanctos in cœlis scire & cognoscere, quæ apud nos geruntur in terris, non tamen simpliciter, & absolutè omnia, sed tantùm orationes, quæ à nobis diriguntur ad ipsos, & alia pertinentia aliquo modo ad ipsos. Quòd Angeli speciatim ea cognoscant, quæ apud nos geruntur, manifestè testantur scripturæ eos cognoscere nostras orationes, & illas Deo offerre, ut dicitur de Angelo Raphaele, Tobiæ, 12. v. 12. Raphael ait: *quando orabas cum lachrymis ego obtuli orationem tuam Domino*, & de alio Angelo habetur Apocal. 8. v. 3. *Alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altere aureum, quod est ante thronum Dei, & ascendit unus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo.* Per incensa multa intelliguntur orationes Sanctorum, quæ de manu Angeli Deo offeruntur, imò cognoscunt etiam beati Angeli internam hominum peccatorum conversionem, & pœnitentiam, Luc. 15. v. 7. *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo, super uno peccatore pœnitentiam agente quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia*, & paulo infra v. 10. *Ita dico vobis gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Imò cognoscunt etiam omnium cultum, quem homines Deo exhibent, quapropter aiebat David, Psal. 137. *In conspectu Angelorum psallam tibi*, id est, inspicientibus Angelis, qui modus loquendi frequens est in Sacris Scripturis. Cognoscunt itidem habitum, & honestatem mulierum in publicis conventibus: ubi fit oratio, etenim Apostolus 1. Corinth. 11. v. 5. scribit: *Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite deturpat caput suum*, & infra v. 10. *debet mulier velamen habere supra caput, propter Angelos:* seu cum preces in ecclesia mulier ad Deum fundit, debet suum velare caput propter Angelos quos habeat testes, & Inspectores sui pudoris, & obedientiæ erga virum; siquidem velamen, quod mulier gestat in capite eam subjectam esse potestati viri: & virum quasi insidere, ac dominari ejus capiti, ut docent Sancti Patres præsertim Chrysostomus, Theodoretus, Anselmus, & D. Thomas in Comment. illius loci.

Quòd verò non solùm Angeli, verum etiam alii Sancti in cœlo viventes cum Christo ea cognoscant, quæ à nobis geruntur in terris, præsertim preces, quos ad ipsos fundimus, & indigentias, in quibus versamur, etiam ex variis scripturis probari potest, ut ex *Apocal. cap.* 5. ubi Sancti dicuntur non solùm cognoscere nostras preces, verum etiam eas Deo offerre, ait enim Joannes: *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum, &c. & venit, & accepit de dextra sedentis in throno librum. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*, ubi Joannes describens visionem, quam in raptu habuit, ait se vidisse Deum Patrem sedentem in throno & tenentem in manu dextra librum signatum septem sigillis, & quem nemo poterat aperire, seu interpretari, nisi Christus qui est verus agnus pro nobis occisus, qui cum hunc librum aperuisset, adoraverunt illum quatuor animalia unà cum viginti quatuor senioribus habentibus phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Hi autem seniores erant præcipui Sancti tunc regnantes cum Christo, & habentes in manibus phialas aureas plenas ordomentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, scilicet offerebant Deo orationes degentium in hac vita. Allúsit Joannes ad ritum, quo in templo Salomonis ante altare collocabantur phialæ aureæ, & argenteæ, quæ plenæ essent odoramentis; siquidem, ut liquet 2. *Paralip.* 4. 8. & 22. Salomon Rex curavit fieri centum phialas ex puro puto auro, & post captivitatem Babylonicam cum Cyrus restituisset Judæis vasa aurea, & argentea, quæ abstulerat Nabuchodonosor, numeratæ fuerunt, aureæ phialæ triginta, & argenteæ mille, 1. Esdræ. 9. juxta Prophetiam Zachariæ, 14. 20. *Et erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari*, scilicet tam plures erant lebetes in templo ad coquendas carnes victimarum, quàm multæ phialæ ad odoramenta Deo offerenda. Quod verò per hæc odoramenta Joannes intellexerit orationes ab hominibus justis fusas in hac vita ad ipsos Sanctos vel Deum, ex eo arguitur, quia perinde ac odoramenta orationes justorum sursum ascendunt. Secundò quia sunt suavissimi odoris cum Deo, & utrumque indicat Propheta David, Psal. 140. inquiens: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, unde æquiparat orationem odoramento incensi, quod sursum inscendit, rursus vidit has orationes à senioribus Deo offerri in phialis aureis, quia justorum preces, quas Deo fundunt, ex vera procedunt charitate significata per aurum, quod sicut metallorum est princeps, ita charitas inter virtutes habetur præstantissima, & quia orationes justorum sunt apud Deum maximi pretii, perinde ac aurum apud homines. Per quatuor vero animalia intellexit quatuor Evangelistas, vel alios cum Christo in cœlo regnantes, hi enim quicunque fuerint, appro-

probarunt orationes Sanctorum, & gratiarum actiones, quæ fiebant ab iis non solùm qui in cœlo, sed etiam qui in terra, & sub terra erant, ex quibus clarè infertur sanctos in cœlis non ignorare, quæ à nobis geruntur in terris, si hæc præsertim ad ipsos à nobis dirigantur.

Præterea hæc eadem veritas ex eo itidem evincitur, quia quæ sanctis in hac vita degentibus conceduntur, hæc itidem multò magis concedenda sunt Sanctis in cœlo regnantibus: si eorum statui non repugnent, si eidem fuerint consentanea: atqui viri sancti adhuc in mortali vita degentes cognoscunt occulta aliorum secreta, desideria, machinationes, imò & opera, etiam absentiam, consequenter multò magis hæc omnia erunt concedenda viris Sanctis in cœlis cum Christo regnantibus, quia non solùm hæc omnia non repugnant statui beatifico, sed eidem perquam consentanea sunt. Major videtur per se nota, quia quæ conveniunt statui inferiori, à fortiori etiam statui superiori, seu perfectiori, si eidem non repugnet, cujùs modi est cognoscere in cœlesti patria, quæ à nobis geruntur in terris, non enim hæc cognitio repugnat statui beatifico, cum beati hæc omnia videant in verbo. Quòd verò viri sancti in statu viæ hujus mortalis vitæ, qui procul dubio imperfectior statu beatifico, cognoverint occulta aliorum desideria, secreta cordium, machinationes, & alia hujusmodi, plura nobis Sacræ scripturæ suppeditant exempla, etenim 1. Regum 9. v. 19. Samuel dicitur cognovisse, quæ erant in corde Saulis, 1. Reg. 9. v. 19. *Et respondit Samuel Sauli, dicens omnia quæ sunt in corde tuo indicabo tibi. Et de asinis, quas nudius tertius perdidisti ne solicitus sis, quia inventæ sunt.* 4. Reg. 5. Elisæus omnia cognovit, quæ à famulo suo Giezi absente facta fuerant, v. 25. & sequent. Et dixit Elisæus: *Unde venis Giezi? qui respondit, non ivit servus tuus quoquam. At ille ait: nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo ad occursum tui? nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & servos & ancillas, sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo usque in sempiternum.* Rursus Elisæus cognovit omnia secreta, consilia Regis Syriæ, quæ & revelavit Regi Israël, 4. Reg. 6. v. 8. *Rex autem Syriæ pugnabat contra Israël consiliumque iniit cum servis suis dicens: in loco illo, & illo ponamus insidias, misit itaque vir Dei ad Regem Israël dicens: cave ne transeas in locum illum, quia ibi Syri in insidiis sunt, misit itaque Rex Israël ad locum quem dixerat ei vir Dei, & præoccupavit, & observavit se ibi non semel neque bis. Conturbatumque est cor Regis Syriæ pro re hac & convocatis servis suis ait: Quare non indicatis mihi, quis proditor mei sit apud Regem Israël? dixitque unus servorum ejus: nequaquam Domine mi Rex, sed Elisæus Propheta, qui est in Israël indicat Regi Israël omnia verba, quæcunque locutus fueris in conclavi tuo.* Rursus Danieli innotuerunt occulta Somnia Nabuchodonosoris, quorum interpretationem etiam explicuit declaravitque Daniel. 2. v. 26. *Et dixit Rex Danieli: Putasne verè potes mihi indicare somnium, quòd vidi, & interpretationem ejus? & respondens Daniel coram Rege ait: Mysterium quod Rex interrogat Sapientes Magi arioli, & aruspices nequeunt indicare Regi. Sed est Deus in cœlo revelans mysteria*, & somnium illud fuit interpretatus, & quid significaret aperuit. Imò non solùm viri sancti Veteris Testamenti, sed etiam novæ legis noverunt secreta cordium, & cogitationes aliorum: siquidem Actor. 1. 5. Petro Apostolo explorata fuit occulta fraus Ananiæ, & Sapphiræ circa pretium divenditi agri, habetur enim, *Vir quidam nomine Ananias cum Sapphira uxore sua agrum vendidit; & fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua: & adferens partem quandam ad pedes Apostolorum posuit. Dixit autem Petrus: Anania cur tentavit Satanas cor tuum mentiri Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri.* Propemodum infinita sunt hujusmodi exempla in lege evangelica virorum justorum, qui secreta cordium in aliis introspexerunt consilia, & cogitationes nemine revelante ex aliis hominibus cognoverunt, plenæ enim sunt historiæ ecclesiasticæ, plenæ sanctorum vitæ, à quibus propterea supersedendum censeo, ne nimius sim in illis congerendis. Quòd si Samuel, Elisæus, Daniel, & in lege nova Petrus aliique plures potuerunt, dum adhuc degerent in hac mortali vita, cognoscere occulta consilia, internas cogitationes etiam absentium, potuerunt etiam nunc ea omnia in cœlis cognoscere, cum sint in statu longè perfectiore; non enim vero simile est viros justos in statu viæ, seu exilii esse melioris conditionis, quàm in patria, ergo si cùm viverent inter mortales cognoverunt aliena secreta cordium, & internas cogitationes, à fortiori in cœlis hæc eadem cognoscent in Verbo, cum sint lumine gloriæ collustrati. Si dicas, ex hoc tantùm sequi, quod sicut in hac vita nonnisi paucis concessum est cognoscere aliorum cogitationes & secreta cordium, ita etiam in cœlis nonnisi paucis concessum sit, adeo ut inde non posset inferri, quòd omnibus in cœlo existentibus sit hæc cognitio communis. Sed contra quia id optimè inferri potest, si divinam providentiam spectemus, quod enim Deus in hac vita solet paucis, & nonnisi raro concedere per modum privilegii transeuntis, hoc in altera concedit omnibus per modum doni permanentis. Idque liquet in Christo, cui speciatim in hac vita pro brevi tempore quædam concessa sunt quoad usum, & exercitium, ut quòd ejus facies splenduerit sicut sol. Matth. 17. 2. Ut ambularet super aquas Matth. 14. 25. ut clausis januis fuerit ingressus in cœnaculum Joan. 20. v. 19. ut statim evanesceret ex oculis hominum, quasi foret invisibilis, Luc. 24. 21. & tamen hæc omnia, quæ nonnisi Christo, & paucis aliis fuerunt concessa, omnibus Sanctis post diem judicii concedentur. Tunc enim habebunt corpora gloriosa unà cum quatuor dotibus, scilicet claritate, subtilitate, agilitate, & impassibilitate, ut docent Theologi, etenim de claritate Matth. 13. v. 43. dicitur: *Tunc justi fulgebunt sicut sol*, de impassibilitate, 1. Corinth. 15. v. 53. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem.* De agilitate Sap. 3. v. 7. *Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent*, & de omnibus simul 3. Corinth. 15. v. 44. ait Apostolus: *Seminatur in corruptione, & surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, & surget corpore spirituali:* quamvis hæ dotes corporis nonnisi paucissimi, & rarissimè concedantur, attamen post diem judicii omnibus beatis concedentur non ad breve tempus, sed in perpetuum: perinde servata proportione dicendum est de dotibus animæ, tametsi paucis concedatur cognoscere aliorum secreta cordium, desideria, & cogitationes, in cœlis tamen id erit commune omni-

cipes essentialis cujus beatitudinis statim cùm primum anima separatur à corpore, tametsi nil iisdem supersit expiandum in purgatorio: sed contra quia ex præcitatis scripturæ locis non infertur essentialem beatitudinem Sanctorum differri usque ad corporum resurrectionem, etenim animæ, quas Joannes Apocal. 6. vidit sub altari fuerunt in cœlesti patria, in qua etiam est altare visum à Joanne. Tum quia ibidem justorum animæ dicuntur esse ante thronum Dei, ac inservire ejus templo die, ac nocte. Quod verò attinet ad SS. Petrum, & Joannem ipsi tantum loquuntur remuneratione, quæ publicè fiet in ultimo judicio, ut inde magis accendemur ad tolerendas passiones, subeundos labores. Sed dices, ut beatitudo sit perfecta, necesse est perfectè, & adæquatè satiat appetitum. Sed quamdiu anima existit extra corpus, non est perfectè satiata, quia adhuc appetit unionem cum corpore; anima enim naturali appetitu fertur in unionem cum corpore, perinde ac forma dicit appetitum ad materiam, quam informet, ergo anima nequit beata esse perfectè ante carnis resurrectionem, ex quo sequitur donari essentiali beatitudine tantùm post corporum resurrectionem. Sed contra quia tametsi anima non sit corpori unita, inde non sequitur non posse esse perfectè beatam: quia tunc tantùm non habetur perfecta beatitudo, quando superest aliquid optandum cum anxietate: & quamvis anima separata appetat unionem cum corpore, non tamen cum anxietate, & solicitudine, adeo ut inquieta non sit, quia tali impletur gaudio ex Dei visione, ut nulla afficiatur molestia nulla teneatur solicitudine.

Dicendum secundò, Sanctos in cœlis scire & cognoscere, quæ apud nos geruntur in terris, non tamen simpliciter, & absolutè omnia, sed tantùm orationes, quæ à nobis diriguntur ad ipsos, & alia pertinentia aliquo modo ad ipsos. Quòd Angeli speciatim ea cognoscant, quæ apud nos geruntur, manifestè testantur scripturæ eos cognoscere nostras orationes, & illas Deo offerre, ut dicitur de Angelo Raphaele, Tobiæ, 12. v. 12. Raphael ait: *quando orabas cum lachrymis ego obtuli orationem tuam Domino*, & de alio Angelo habetur Apocal. 8. v. 3. *Alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei, & ascendit unus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo.* Per incensa multa intelliguntur orationes Sanctorum, quæ de manu Angeli Deo offeruntur, imò cognoscunt etiam beati Angeli internam hominum peccatorum conversionem, & pœnitentiam, Luc. 15. v. 7. *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo, super uno peccatore pœnitentiam agente quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia*, & paulo infra v. 10. *Ita dico vobis gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Imò cognoscunt etiam omnium cultum, quem homines Deo exhibent, quapropter aiebat David, Psal. 137. *In conspectu Angelorum psallam tibi*, id est, inspicientibus Angelis, qui modus loquendi frequens est in Sacris Scripturis. Cognoscunt itidem habitum, & honestatem mulierum in publicis conventibus: ubi fit oratio, etenim Apostolus 1. Corinth. 11. v. 5. scribit: *Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite deturpat caput suum*, & infra v. 10. *debet mulier velamen habere supra caput, propter Angelos*: seu cum preces in ecclesia mulier ad Deum fundit, debet suum velare capùt propter Angelos quos habeat testes, & inspectores sui pudoris, & obedientiæ erga virum; siquidem velamen, quod mulier gestat in capite eam subjectam esse potestati viri: & virum quasi insidere, ac dominari ejus capiti, ut docent Sancti Patres præsertim Chrysostomus, Theodoretus, Anselmus, & D. Thomas in Comment. illius loci.

Quòd verò non solùm Angeli, verum etiam alii Sancti in cœlo viventes cum Christo ea cognoscant, quæ à nobis geruntur in terris, præsertim preces, quos ad ipsos fundimus, & indigentias, in quibus versamur, etiam ex variis scripturis probari potest, ut ex *Apocal. cap. 5.* ubi Sancti dicuntur non solùm cognoscere nostras preces, verum etiam eas Deo offerre, ait enim Joannes: *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum, &c. & venit, & accepit de dextra sedentis in throno librum. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*, ubi Joannes describens visionem, quam in raptu habuit, ait se vidisse Deum Patrem sedentem in throno & tenentem in manu dextra librum signatum septem sigillis, & quem nemo poterat aperire, seu interpretari, nisi Christus qui est verus agnus pro nobis occisus, qui cum hunc librum aperuisset, adoraverunt illum quatuor animalia unà cum viginti quatuor senioribus habentibus phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Hi autem seniores erant præcipui Sancti tunc regnantes cum Christo, & habentes in manibus phialas aureas plenas ordomentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, scilicet offerebant Deo orationes degentium in hac vita. Alludit Joannes ad ritum, quo in templo Salomonis ante altare collocabantur phialæ aureæ, & argenteæ, quæ plenæ essent odoramentis; siquidem, ut liquet 2. *Paralip.* 4. 8. & 22. Salomon Rex curavit fieri centum phialas ex puro puto auro, & post captivitatem Babylonicam cum Cyrus restituisset Judæis vasa aurea, & argentea, quæ abstulerat Nabuchodonosor, numeratæ fuerunt, aureæ phialæ triginta, & argenteæ mille, 1. Esdræ. 9. juxta Prophetiam Zachariæ, 14. 20. *Et erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari*, scilicet tam plures erant lebetes in templo ad coquendas carnes victimarum, quàm multæ phialæ ad odoramenta Deo offerenda. Quod verò per hæc odoramenta Joannes intellexerit orationes ab hominibus justis fusas in hac vita ad ipsos Sanctos vel Deum, ex eo arguitur, quia perinde ac odoramenta orationes justorum sursum ascendunt. Secundò quia sunt suavissimi odoris cum Deo, & utrumque indicat Propheta David, Psal. 140. inquiens: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, unde æquiparat orationem odoramento incensi, quod sursum inscendit, rursus vidit has orationes à senioribus Deo offerri in phialis aureis, quia justorum preces, quas Deo fundunt, ex vera procedunt charitate significata per aurum, quod sicut metallorum est princeps, ita charitas inter virtutes habetur præstantissima, & quia orationes justorum sunt apud Deum maximi pretii, perinde ac aurum apud homines. Per quatuor vero animalia intellexit quatuor Evangelistas, vel alios cum Christo in cœlo regnantes, hi enim quicunque fuerint, appro-

probarunt orationes Sanctorum, & gratiarum actiones, quæ fiebant ab iis non solùm qui in cœlo, sed etiam qui in terra, & sub terra erant, ex quibus clarè infertur sanctos in cœlis non ignorare, quæ à nobis geruntur in terris, si hæc præsertim ad ipsos à nobis dirigantur.

Præterea hæc eadem veritas ex eo itidem evincitur, quia quæ sanctis in hac vita degentibus conceduntur, hæc itidem multò magis concedenda sunt Sanctis in cœlo regnantibus: si eorum statui non repugnent, si eidem fuerint consentanea: atqui viri sancti adhuc in mortali vita degentes cognoscunt occulta aliorum secreta, desideria, machinationes, imò & opera, etiam absentium, consequenter multò magis hæc omnia erunt concedenda viris Sanctis in cœlis cum Christo regnantibus, quia non solùm hæc omnia non repugnant statui beatifico, sed eidem perquam consentanea sunt. Major videtur per se nota, quia quæ conveniunt statui inferiori, à fortiori etiam statui superiori, seu perfectiori, si eidem non repugnet, cujus modi est cognoscere in cœlesti patria, quæ à nobis geruntur in terris, non enim hæc cognitio repugnat statui beatifico, cum beati hæc omnia videant in verbo. Quòd verò viri sancti in statu viæ hujus mortalis vitæ, qui procul dubio imperfectior statu beatifico, cognoverint occulta aliorum desideria, secreta cordium, machinationes, & alia hujusmodi, plura nobis Sacræ scripturæ suppeditant exempla, etenim 1. Regum 9. v. 19. Samuel dicitur cognovisse, quæ erant in corde Saulis. 1. Reg. 9. v. 19. *Et respondit Samuel Sauli, dicens omnia qua sunt in corde tuo indicabo tibi. Et de asinis, quas nudius tertius perdidisti ne solicitus sis, quia inventa sunt.* 4. Reg. 5. Elisæus omnia cognovit, quæ à famulo suo Giezi absente facta fuerant, v. 25. & sequent. Et dixit Elisæus: *Unde venis Giezi? qui respondit, non ivit servus tuus quoquam. At ille ait: nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo ad occursum tui? nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, ut emas olivera, & vineas, & oves, & boves, & servos & ancillas, sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo usque in sempiternum.* Rursus Elisæus cognovit omnia secreta, consilia Regis Syriæ, quæ & revelavit Regi Israël, 4. Reg. 6. v. 8. *Rex autem Syriæ pugnabat contra Israël consiliumque iniit cum servis suis dicens: in loco illo, & illo ponamus insidias, misit itaque vir Dei ad Regem Israël dicens: cave ne transeas in locum illum, quia ibi Syri in insidiis sunt, misit itaque Rex Israel ad locum quem dixerat ei vir Dei, & praeccupavit. & observavit se ibi non semel neque bis. Conturbatumque est cor Regis Syriæ pro re hac & convocatis servis suis ait: Quare non indicatis mihi, quis proditor mei sit apud Regem Israel? dixitque unus servorum ejus: nequaquam Domine mi Rex, sed Elisæus Propheta, qui est in Israel indicat Regi Israel omnia verba, quæcunque locutus fueris in conclavi tuo.* Rursus Danieli innotuerunt occulta Somnia Nabuchodonosoris, quorum interpretationem etiam explicuit declaravitque Daniel. 2. v. 26. *Et dixit Rex Danieli: Putasne verè potes mihi indicare somnium, quod vidi, & interpretationem ejus? & respondens Daniel coram Rege ait: Mysterium quod Rex interrogat Sapientes Magi arioli, & aruspices nequeunt indicare Regi. Sed est Deus in cœlo revelans mysteria,* & somnium illud fuit interpretatus, & quid significaret aperuit. Imò non solùm viri sancti Veteris Testamenti, sed etiam novæ legis noverunt secreta cordium, & cogitationes aliorum: siquidem Actor. 1. 5. Petro Apostolo explorata fuit occulta fraus Ananiæ, & sapphiræ circa pretium divenditi agri, habetur enim, *Vir quidam nomine Ananias cum Sapphira uxore sua agrum vendidit; & fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua: & adferens partem quandam ad pedes Apostolorum posuit. Dixit autem Petrus: Anania cur tentavit Satanas cor tuum mentiri Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri.* Propemodum infinita sunt hujusmodi exempla in lege evangelica virorum justorum, qui secreta cordium in aliis introspexerunt consilia, & cogitationes nemine revelante ex aliis hominibus cognoverunt, plenæ enim sunt historiæ ecclesiasticæ, plenæ sanctorum vitæ, à quibus propterea supersedendum censeo, ne nimius sim in illis congerendis. Quòd si Samuel, Elisæus, Daniel, & in lege nova Petrus aliique plures potuerunt, dum adhuc degerent in hac mortali vita, cognoscere occulta consilia, internas cogitationes etiam absentium, potuerunt etiam nunc ea omnia in cœlis cognoscere, cum sint in statu longè perfectiore; non enim vero simile est viros justos in statu viæ, seu exilii esse melioris conditionis, quàm in patria, ergo si cùm viverent inter mortales cognoverunt aliena secreta cordium, & internas cogitationes, à fortiori in cœlis hæc eadem cognoscent in Verbo, cum sint lumine gloriæ collustrati. Si dicas, ex hoc tantùm sequi, quod sicut in hac vita nonnisi paucis concessum est cognoscere aliorum cogitationes & secreta cordium, ita etiam in cœlis nonnisi paucis concessum sit, adeo ut inde non possit inferri, quòd omnibus in cœlo existentibus sit hæc cognitio communis. Sed contra quia id optimè inferri potest, si divinam providentiam spectemus, quod enim Deus in hac vita solet paucis, & nonnisi raro concedere per modum privilegii transeuntis, hoc in altera concedit omnibus per modum doni permanentis. Idque liquet in Christo, cui speciatim in hac vita pro brevi tempore quædam concessa fuit quoad usum, & exercitium, ut quòd ejus facies splenduerit sicut sol. Matth. 17. 2. Ut ambularet super aquas Matth. 14. 25. ut clausis januis fuerit ingressus in cœnaculum Joan. 20. v. 19. ut statim evanesceret ex oculis hominum, quasi foret invisibilis, Luc. 24. 21. & tamen hæc omnia, quæ nonnisi Christo, & paucis aliis fuerunt concessa, omnibus Sanctis post diem judicii concedentur. Tunc enim habebunt corpora gloriosa unà cum quatuor dotibus, scilicet claritate, subtilitate, agilitate, & impassibilitate, ut docent Theologi, etenim de claritate Matth. 13. v. 43. dicitur: *Tunc justi fulgebunt sicut sol*, de impassibilitate, 1. Corinth. 15. v. 53. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem,* De agilitate Sap. 3. v. 7. *Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent*, & de omnibus simul 3. Corinth. 15. v. 44. ait Apostolus: *Seminatur in corruptione, & surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, & surget corpore spirituali:* quamvis hæ dotes corporis nonnisi paucissimi, & rarissimè concedantur, attamen post diem judicii omnibus beatis concedentur non ad breve tempus, sed in perpetuum: pe[r]inde servata proportione dicendum est de dotibus animæ, tametsi paucis concedatur cognoscere aliorum secreta cordium, desideria, & cogitationes, in cœlis tamen id erit commune omni-

omnibus. Quamvis paucis concessum sit, scilicet Moysi, & Paulo, ut plures putant videre in terris essentiam Dei, in cœlo tamen omnes eam intuentur, In hac vita Stephanus Protomartyr vidit Filium hominis sedentis à dextra Dei, Actor. 7. 55. in cœlo omnes hac visione donabuntur.

Præterea quia quicquid convenit Angelis ratione beatitudinis, id etiam convenit aliis Sanctis in cœlo existentibus, quia & ipsi beati sunt: atqui Angeli ratione beatitudinis cognoscunt, quæ à nobis in terris geruntur, consequenter etiam alii Sancti in cœlo existentes Major ostenditur, quia Angeli tametsi natura differant ab aliis Sanctis, non ita in beatitudine, in qua omnes sunt æquales, Luc. 20. v. 25. *Illi vero, qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis neque nubent, neque ducent uxores: neque enim ultro mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, & filii sunt Dei*; ex quo infertur, omnia quæ competunt Angelis ratione beatitudinis, quatenus sunt filii Dei, aliis etiam competere, qui in eodem statu sunt. Minor evincitur, quia quòd Angeli infallibiliter cognoscant, quæ apud nos fiunt, præsertim internas preces, contritionem, resipiscentiam internam, hoc non habent ex solis naturæ viribus, non enim juxta propriam naturam Angeli cognoscunt secreta cordium hominum, alioquin etiam Dæmones, qui in natura iisdem sunt æquales, infallibiliter ea cognoscerent, quod falsum est, sed id habent ex statu beatitudinis, sed in hoc statu, seu quoad beatitudinem non dicuntur differre ab aliis Sanctis, consequenter alii Sancti ratione sui status possunt idem præstare. Quòd si dicas Angelos cognoscere nostras orationes, indigentias, necessitates, id non habere ratione beatitudinis, sed officii, quia cum ex officio sint custodes hominum, iisdem debetur cognitio eorum, quæ circa homines fiunt. Respondetur, opposito esse adhærendum, quia si haberent notitiam illam ratione solius officii, inde sequeretur quòd non omnes Angeli, sed tantùm Custodes nostri, qui nobiscum versantur haberent illam cognitionem non ita reliqui existentes in cœlo, quod à vero aberrat, Luc. 15. cap. 10. *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*, quòd si coram Angelis Dei, absque ulla exceptione sequitur, omnes Angelos Dei cognoscere internam resipiscentiam peccatorum. Quòd si omnes Angeli sive in cœlo, sive in terra cognoscunt internas nostras cogitationes, & affectiones, sequitur hanc non habere ex eo præcisè, quia sint ad nostram custodiam deputati, cum non omnes ad id officii deputentur, sed tantùm ex eo, quòd beati sint.

Evinci etiam assertio potest ex eo, quod amicorum omnia debeant communia esse non solùm quoad bona externa, quibus se mutuo juvant in necessitatibus, verùm etiam quoad interna consilia, & secreta; hanc enim legem amicitiæ, & communionis omnium non solùm Ethnici commendârunt Philosophi, verùm etiam Christus in Evangelio inquiens Joan. 15. 15. *Jam non dico vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus, vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* unde cum Sancti in cœlo sint amici Dei, & intimè cum illo conjuncti; lex amicitiæ exigit, ut Deus, qui omnia novit non patiatur amicos suos ea ignorare, quæ apud nos fiunt, & præsertim orationes, quas nos ad ipsos dirigimus. Nec inde sequitur, quòd etiam Sancti existentes in limbo potuisse cognoscere secreta cordium, quia etiam illi ratione gratiæ sanctificantis erant amici Dei, & filii adoptivi, consequenter Deus ex lege amicitiæ debuisset iisdem revelare orationes, quæ ad ipsos dirigebantur. Nam contra, quia amicitia alia est inter æquales, ut inter cives, milites, Principes: & altera inter inæquales, ut inter Deum, & homines, inter Principem, & subditum: prior amicitia vocatur æqualitatis; posterior excellentiæ, seu proportionis, de qua in præsenti agitur. Lex igitur amicitiæ inter inæquales exigit quidem ut bona amicorum sint communia, non tamen simpliciter, & absolutè, sed servata proportione cujusque status, & conditionis. Tametsi Princeps varios dicatur habere amicos, nobiles, ignobiles, domesticos, & extraneos, non tamen ex lege amicitiæ tenetur æqualiter omnibus sua bona communicare, sed tantùm unicuique juxta exigentiam proprii status, & ordinis, & ita asserendum de amicitia Dei, quamvis enim Deus habeat varia amicorum genera, plures in hac vita mortali alios in limbo vel purgatorio, & alios in cœlesti patria, quia tamen horum omnium status est diversus, eò quia primi sint statu fidei obscuræ & obnoxii periculo excidendi à tali amicitia, si peccent lethaliter, seque à summo bono avertant; ut scribit Apostolus ad Roman. 11. 20. Qui ante adventum Christi fuerunt in limbo, fuerunt quidem in statu etiam fidei obscuræ, sed diversimodè, quia non fuerunt amplius obnoxii periculo peccandi, ut etiam qui flammis expiatoriis mundantur in purgatorio. Qui verò sunt in patria, hi sunt in statu claræ visionis, quatenus contemplantur Deum, suntque omnis miseriæ expertes, Apocal. 22. 5. Hinc Deus ratione hujus diversitatis statuum, non æqualiter sua omnibus bona communicat, sed proportionem servat: siquidem cœlesti donatur beatitate, immediatè donat se ipsum per intuitivam visionem divinæ essentiæ, in qua comprehenditur perfectissimè omne bonum. Aliis verò, qui nondum sunt in patria, non communicat clarè, & immediatè, sed tantùm obscurè, mediatè, & in ænigmate creaturarum, in quibus tantùm obscurè relucet Dei bonitas, & sapientia, ut scribit Apostolus ad Roman. 120. & partim per fidem, cujus beneficio ex auditu percipimus, quæ sub sensus non cadunt, quæque excedunt speculum naturæ nostræ lumen. Hinc ex eo, quod beati in cœlo nostras cognoscant orationes, non sequitur Sanctos in lymbo debuisse etiam eas cognoscere, discrimen est quia Sancti in cœlo intuitivè vident divinam essentiam, in qua veluti in vivo speculo creaturæ omnes repræsentantur: unde sicut is, qui speculum corporeum intuetur clarè & distinctè videt, quæ in illo apparent, ita etiam Sancti, qui divinam intuentur essentiam, clarè ac distinctè vident creaturas in illo apparentes. Hoc tamen discrimine quia speculum corporeum, quale apud nos est, naturaliter ea tantùm ostendit, quæ in ipso repræsentantur, nec habet potestatem liberam ex iisdem reliqua occultandi. Deus verò, in quo omnes creaturæ tanquam in vivo exemplari continentur, potest quasdam nobis manifestare, & alios occultare, prout ipsis magis placuerit, qua ratione à Theologis dici solet speculum voluntarium, & in hoc speculo omnes Sanctos intueri clarè preces hominum mortalium, quæ ad ipsos diriguntur, & quæ ad ipsos pertinent in terris, adeo ut fundatores

Ordi-

Ordinum Religiosorum videant in hoc voluntario speculo, quæ in propria religione aguntur, quia hæc ad ipsos etiam referuntur, secus Sancti qui ante Christi adventum extiterunt in limbo non erant in statu claræ visionis, sed in statu fidei obscuræ, ac proinde non poterant quidquam cognoscere in essentia divina velut in speculo repræsentante sed quæ cognoverunt ex alio capite, debuerunt illa possidere vel ex notitia quam secum detulerunt ex mortali vita: vel ex revelatione aliorum, qui decedentes ex hac vita ad illos veniebant, vel ex colloquio Angelorum, qui interdum causa eos consolandi accedebant ad eos, & ex nullo horum capitum poterant semper, & infallibiliter cognoscere orationes viventium, non ex primo, quia Pater Abraham ex ea notitia quam ex hac vita secum in limbum detulerat, non potuit scire, quid reliqui homines superstites in hac vita post ipsius mortem agerent, vel peterent, neque alii Patres decedentes, & venientes ad limbum poterant Abrahamo referre, quid superstites in hac vita orarent. Neque Angeli semper erant in limbo, ut iisdem; quæ agerentur inter homines mortales revelarent. Sancti Patres etiam hanc assertionem asserunt, præsertim Augustinus lib. 22. de civit. Dei cap. 29. ubi ait: Si Propheta Elisæus puerum suum Giezi absens corpore vidit accipientem munera, quæ dedit illi Naaman Syrus; quantò magis Sancti videbunt omnia etiam unde sunt corpore absentes. Tunc enim erit perfectum illud de quo loquens Apostolus: *ex parte*, inquit, *scimus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*, & Augustinus ad id confirmandum profert illud 1. Corinth. 13. v. 11. *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus, quando autem factus sum vir evacuavi quæ erant parvuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Si ergo in hac vita, ubi hominum mirabilium prophetia ita comparanda est illi vitæ, quæ si parvuli ad juvenem vidit, tamen Elisæus accipientem munera servum suum ubi ipse non erat: Itane cum venerit, quod perfectum est: illi Sancti ad ea, quæ videnda sunt oculis corporeis, quibus Elisæus absens ad servum suum videndum non indiguit, indigebunt? Nam secundùm interpretes 70. ista sunt ad Giezi verba Prophetæ: Nonne cor meum tecum ibat: & novi quod conversus est vir de curru suo obviam tibi, & accepisti pecuniam, &c. Sicut autem ex Hebræo interpretatus est Presbyter Hieronymus: Nonne cor meum, inquit, in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui? corde ergo suo se dixit hoc vidisse Propheta adjuto quidem mirabiliter nullo dubitante divinitus; sed quantò ampliùs tunc omnes munere isto abundabunt, cum Deus erit omnia in omnibus.* Gregorius Magnus lib. 4. dialog. cap. 33. *Quia in illa æterna hereditate omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est, quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt?* Beda ad cap. 16. Luc. *Qui Creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quod videre non possint.*

Solent tamen in oppositum objici sacræ scripturæ, præsertim illud 3. Regum 8. v. 39. ubi dicitur: *tu cognoscis solus cor omnium filiorum hominum*, ergo solus Deus est scrutator cordium, & ipse solus cognoscit desideria, & consilia hominum. Ergo extra Deum nullus erit Beatus, qui possit cordis cogitationes alterius hominis cognoscere. Sed contra, quia diversimodè hæc cognitio secretorum cordium convenit Deo, & aliter hominibus, etenim Deo convenit per essentiam, & independenter creaturis verò per participationem, & dependenter hinc plura tribuuntur soli Deo, quæ etiam creaturis conveniunt, sed diversimodè hinc solus Deus dicitur bonus *Matth.* 19. 17. Solus Deus dicitur justus, 2. Machab. 1. 25. Solus pius Apocal. 15. 4. Solus potens, & immortalis 1. Timoth. 6. v. 15. Solus faciens mirabilia, Psal. 71. v. 18. & nihilominus hæc omnia conveniunt etiam hominibus non tamen per essentiam ut Deo sed per participationem, Deus enim hæc omnia habet à se & homines à Deo, à quo dependent, perinde solus Deus dicitur nosse corda hominum, quia solus ex se & per essentiam illa novit: alii possunt quidem nosse, non quidem ex se nec per essentiam, & virtute propria, sed per virtutem à Deo acceptam. Solent Hæretici alium textum objicere desumptum ex cap. 9. Eccles. 5. viventes sciunt se morituros, mortui verò nihil norunt amplius, quæ verba expendens Lutherus ait, Salomonem sentire mortuos sic dormire, ut prorsus nihil sciant, & plane credo non esse in scripturis locum fortiorem pro mortuis dormientibus, & nihil intelligentibus rerum nostrarum, contra Sanctorum invocationem. Sed contra, quia quid sentiat Salomon, non potest melius, & clarius dignosci, quàm ex toto contextu, ait enim: *Nemo est, qui semper vivat, & qui hujus rei habeat fiduciam, melior est canis vivus Leone mortuo, viventes enim sciunt, se esse morituros; mortui verò nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem*, unde ex Salomonis sententia si spectemus negotium æternæ salutis de eo in hac vita laborandum est, non post mortem, quia hæc vita utilior est, ad merendum quàm tempus post mortem. Quamdiu enim hic vivimus, cogitamus nos morituros, consequenter possumus resipiscere, agere pœnitentiam, & per bona opera incrementa acquirere meritorum, & æternæ gloriæ, quòd mortui non amplius possint, quia non sunt amplius in statu viæ, nec capaces meriti, & demeriti. Tertiò objiciunt illud Job. 14. 21. *sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles non intelliget.* Verùm hunc textum Jobi D. Gregorius lib. 12. moral. cap. 14. interpretatur de hominibus carnalibus, qui in hac vita valde soliciti sunt de suis filiis: & post hanc vitam, quando sunt in inferno, nihil illis prodest filiorum status, aut conditio, quia tunc nesciunt, an bene, vel malè gerant in hac vita, hæc est explanatio S. Gregorii, cujus hæc sunt verba: *Sicut hi qui adhuc viventes sunt, mortuorum animæ quo loco habeantur, ignorant: ita mortui vita in carne viventium post eos qualiter disponatur nesciunt, quod tamen de animabus Sanctis sentiendum non est, quia quæ intus Omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent. Sed carnales quique, quia amorem præcipuum Filiis impendunt, hoc eos beatus Job nescire postmodum asserit, quod hic vehementer amaverunt, ut sive nobiles sint, sive ignobiles sint filii, nesciant, quorum eos semper cura fatigabat.* Quartò objiciunt illud Isaiæ 63. 16. *Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos.* Sed respondetur facilè,

Abrahamum, & Israelem id temporis, seu in veteri lege nondum fuisse in cœlis beatitudine donatos, sed fuisse detentos in limbo Patrum ubi expectabant adventum Christi, ideoque cum nondum essent in cœlis nec beati destituti lumine gloriæ rectè sequitur Abrahamum nescivisse nos, & Israelem ignorasse nos, sed id nostræ assertioni nil officit, quia tantùm loquimur de Sanctis in cœlesti patria existentibus. Præterea respondetur sensum Isaiæ non fuisse, qualem Hæretici existimant, ut colligitur ex antecedentibus & sequentibus; ait enim Isaias: *Attende de cœlo, & vide de habitaculo Sancto tuo &c. tu enim Pater noster, & Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos: tu Domine Pater noster, Redemptor noster, à sæculo nomen tuum*, ac si diceret, tibi supplicamus, & ad te rogantes confugimus, ò Pater cœlestis, quia tu solus tantùm potes nos liberare, & ducere in libertatem seu redimere à servitute Dæmonis, & peccati: Abraham enim & Jacob non possunt tantum beneficium nobis impertiri, sed tu solus ideoque ad te tantùm confugimus. D. Hieronymus etiam aliter interpretatur verba Isaiæ, scilicet Abrahamum, & Israelem amplius nescire nos, & ignorare Israelem quia adeo luridè vivimus, adeo voluptatibus sensus indulgemus, adeo peccata peccatis addimus, & ab iisdem deturpamur, ut Abraham, & Jacob amplius in suis filiis imaginem parentum non agnoscant, & nos ignorent filios suos. Ad ultimum quod objiciebat Calvinus lib. 3. Instit. cap. 20. §. 24. Sanctos in cœlis non habere tam longas aures, ut nostras in terris precarias voces audiant; neque oculos tam perspicaces, qui nostris advigilent necessitatibus, etenim ut Sancti in cœlis nostras audiant voces in terris non est necesse ut aures habeant asininas, & ut videant, quæ in terris agimus, non est necesse perspicacissimos habere oculos sicut nec D. Paulus cum adivit vocem Christi in cœlis existentis sibique dicentis, *Saule, Saule quid me persequeris*, necesse fuit, ut haberet aures longas, tametsi, ut fatetur Calvinus, Christum in cœlis existentem præfatas voces emisisse certum sit. Neque Stephano fuerunt necessarii perspicaces oculi ut è terris videret in cœlo Jesum stantem à dextris virtutis Dei: Sancti enim in cœlesti patria ut nostras audiant p eces, ut quæ à nobis geruntur, videant, non est necesse aures habeant oblongas nec oculos perspicaces, quia & preces audiunt sine auribus corporeis, & quo geruntur à nobis in terris, videant ipsi in cœlis sine oculis corporis, sed sufficit iisdem lumen gloriæ, quo in verbo veluti in speculo, & audiunt, & vident, quæ apud nos geruntur, & preces, quæ à nobis ad ipsos diriguntur.

# CAP. XII.

## An utiliter à nobis invocantur Sancti in cœlis, & ipsi intercedant pro nobis?

CErtum est à nobis posse Sanctos in cœlis existentes invocari, tametsi nullum habeamus præceptum quo teneamur eos invocare: siquidem plura sunt, quæ tametsi nobis non præcipiantur, nihilominus licitè à nobis fiunt, etenim licitè, honestè, & meritoriè servamus Evangelica consilia, quamvis nobis non præcipiantur, quis dicat illicitum esse servare virginitatem, & tamen nullum adest præceptum, quo teneamur eam servare, cum Apostolus dicat 1. Corinth. *Solutus es ab uxore noli quærere uxorem*, & infra ait: *Beatior erit, qui sic permanserit secundum meum consilium*; unde tametsi non sit præceptum, sed tantum consilium adhuc est laudabile & honestum, servare virginitatem, ut etiam flexis genibus orare tametsi id non sit præceptum, ut etiam plura alia possumus licitè exercere, & utiliter ut artes exercere, agros excolere; ex hisce enim deferimus emolumentum, tametsi non præcipiamus ea exercere. Præterea apud Jeremiam cap. 35. habemus Rechabitas cum tota sua posteritate semper abstinuisse à vino, & nunquam construxisse domos, nec vineas plantâsse, & nihilominus fuisse à Deo laudatas, quamvis nullo præcepto divino ad id adigerentur. Neque obstat, quod Sectarii objiciunt ex illo Deuter. 12. 32. *Quod præcipit tibi, hoc tantum facito*, ex quo inferunt, ea tantùm à nobis agenda esse, quæ à Deo nobis præcipiuntur: sed si ita esset, Sectarii non possent plures vestes induere, pluries in die comedere & bibere, nullam exercere artem, nec vineas plantare, nec agros colere, eo quia nullum de iis habetur divinum præceptum, & tamen Sectarii inhiantes divitiis agros excolunt, mercaturam exercent, & plura alia præstant licitè, quæ non præcipiuntur à Deo. Quamobrem præfata verba Deuter. non debent intelligi pro quacunque re, quam agimut, sed speciatim pro sacrificio, de quo ibi est sermo, sitque propterea sensus, quod tibi præcipio, hoc tantùm debes offerre in sacrificium, & non aliud; & hunc esse verum sensum illius textus liquet ex antecedentibus, & subsequentibus, Quamobrem

Dicendum est licitè, & utiliter à nobis invocari Sanctos existentes in cœlo, idque evincitur ex scripturis Apocal. 1. v. 4. ubi habetur: *Joannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, gratiâ vobis & pax à Deo, qui est, & qui erat, & qui venturus est: & à septem spiritibus, qui in conspectu Throni ejus sunt: & à Jesu Christo qui est testis fidelis, & primogenitus mortuorum*, ubi Joannes orat pro fidelibus, qui erant in Asia, & pacem ac gratiam precatur à Deo Patre à septem Angelis & à Christo Jesu mundi redemptore. Quòd si Deus, & Christus invocatur propter aliquod bonum spirituale impetrandum, ita possunt invocari Angeli, & beati in cœlis, ut ipsi pro nobis intercedant & impetrent à Deo bonum illud, quod petimus: Joannes enim pro fidelibus tunc in Asia existentibus petebat bonum aliquod spirituale pacem scilicet & gratiam non solùm à Deo, & Christo, verum etiam Angelis, consequenter poterit etiam ab aliis Sanctis in cœlis existentibus hoc idem bonum peti per eorundem invocationem. Non tamen eodem modo à Deo petimus bonum, quod optamus, sicut ab Angelis, & hominibus beatis siquidem à Deo petimus, ut ab Authore omnium bonorum, & à munificentissimo largitore primario juxta quod ait Jacobus 5.17. *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio.* Rursus à Christo petimus, ut ab eo, qui per solutionem pretii sui sanguinis, & mortem crucis promeruit nobis omne bonum spirituale ut scribit Apostolus ad Ephes. 1. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi,* qui

*qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo scilicet per merita Christi.* Rursus ab Angelis bonum petimus tanquam ab iis qui curam nostri habent, ut scribit D. Paulus ad Hebræ. 1. v. 14. *Omnes sunt Administratores Spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*, & tandem à reliquis beatis, quos invocamus, aliquid petimus tanquam ab iis, qui possunt pro nobis intercedere, quia ut ait Augustinus in expositione Psalmi 85. sub finem: *Dominus noster Jesus Christus adhuc interpellat pro nobis. Omnes Martyres, qui cum illo sunt, interpellant pro nobis, non transeunt interpellationes ipsorum nisi cum transierit gemitus noster.*

Dicendum secundò Sanctos in cœlis intercedere pro nobis, & quidem de Angelis apertè constat ex scripturis ipsos orare pro nobis de aliis tamen Sanctis negant Sectarii, quorum aliqui asserunt nonnisi generatim pro Ecclesia intercedere, & alii nec generatim, nec speciatim volunt pro nobis orare; fundamentum, quo innituntur, est, quia gaudium cœleste, quo fruuntur in cœlo, non permittit illos cogitare de nobis, nec ad res nostras attendere, est enim gaudium in cœlesti patria adeo ingens, ut plane avocet mentem à rebus inferioribus, fixamque teneat in contemplatione divinitatis, cujus intuitu, seu aspectu faciali fruuntur. Catholici autem asserunt, docentque, Angelos non solùm generatim verùm etiam in nostris particularibus necessitatibus curam gerere nostri, ac pro nobis intercedere: idque probant ex illo Zachariæ 1. 12. *Respondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum usquequo tu non misereberis Jerusalem, & urbium Juda, quibus iratus es? iste jam septuagesimus annus est.* Orat enim Angelus enixim Deum pro restauratione Jerusalem, & aliarum urbium, quæ à Nabuchodonosore tempore Babylonicæ captivitatis eversæ, vel solo æquatæ fuerant. Rursus ex illo Tob. 12. v. 12. ubi Angelus intercedit pro Tobia, & ex illis aliis scripturæ locis, in quibus Angeli dicuntur nostras orationes Deo offerre, ut Apocal. 8. v. 3. siquidem eo ipso, quod nostras orationes Deo offerunt, censentur etiam suas adjungere, ut nostræ facilius à Deo exaudiantur. Rursus ex Doniele cap. 18. ubi introducuntur quatuor Angeli quorum, unus erat Princeps Persarum, alter Græcorum tertius captivorum in Perside quartus populi Dei, & singuli curam eorum gerebant. Quit sibi fuerunt concrediti. Tandem Angeli nostri custodes plura pro nobis intercedunt, quæ ad nostram spectant salutem. Et sicuti Angeli pro nobis orant, ita etiam viri Sancti, qui in cœlis sunt, pro nobis intercedunt, orantque pro nobis in particulari, quia sicut Angeli offerunt orationes nostras Deo, ita & Sancti audientes nostras preces, nostrasque videntes necessitates in divina essentia velut in speculo, nil obstat, quin possint & ipsi nostras preces offerre Deo, & pro nobis intercedere; siquidem eo ipso, quod Sancti in cœlo sigillatim cognoscunt nostras necessitates ex charitate, & benevolentia, qua nobis conjunguntur, cum simus omnes membra unius Ecclesiæ Christi, tametsi sint ipsi membra Ecclesiæ triumphantis in cœlo, & nos militantis in terra, ideo nostris ex charitate, & benevolentia opitulantur necessitatibus, quatenus & ipsi nostras preces ad ipsos directas Deo offerunt perinde, ac Angeli boni, quod est pro nobis intercedere apud Deum. Quòd si homines in terris, vel sanguinis necessitudine, vel vinculo conjuncti amicitiæ se juvant, adeo ut non sinat unus alium in angustiis, ac indigentiis semper immorari, quin illum aliquando sublevet per subsidia charitatis eidem impertita, à fortiori Sancti qui sunt in cœlis nostras agnoscentes necessitates, & preces audientes, eos Deo offerunt, cùm non minus nos diligant, quàm alii homines, quos in terris habemus amicos. Quòd si Epulo ille dives Evangelicus fuit in inferno solicitus pro suis fratribus, quanto magis id in cœlis pro nobis erunt Sancti soliciti? Quòd si Onias, & Jeremias, nondum beatitate donati orabant pro populo Judæorum, quantò magis nunc, cùm sint beati putandum erit orare pro omnibus? Hinc nervosè D. Hieronymus contra Vigilantium cap. 3. ait: *Dicis in tuo libello, quòd cum vivimus, mutuò pro nobis orare possumus; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio; præsertim cum Martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes impetrare non quiverint. Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti: quantò magis post coronas victorias & triumphos? unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam, & Stephanus imitator Domini sui & primus Martyr in Christo pro persecutoribus veniam deprecatur, & postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt? Paulus Apostolus ducentos septuaginta sex sibi dicit in navi animas condonatas: & postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro iis, qui in toto orbe ad suum Evangelium crediderunt, mutire non poterit?* unde liquet ex D. Hieronymo Sanctos in cœlis intercedere pro suis Clientibus in terris qui suas ad ipsos preces dirigunt, & id probat, quia si cùm viverent in terris destituti lumine gloriæ potuerunt pro aliis intercedere à fortiori poterunt id in cœlis præstare. S. Cyprianus lib. 1. ad Cornel. prope finem hanc eandem adstruit veritatem, inquiens: *Memores nostri invicem simus, concordes, atque unanimes utrobique pro nobis semper oremus pressuras, atque angustias mutua charitate relevemus, & si quis hinc nostrum prior divina dignationis celeritate decesserit, perseveret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus, & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cessat oratio.* Ex Patribus Græcis D. Gregorius Nissenus in orat. funeb. Meletii Episcopi ait: *In adytis & penetralibus sacerdos est, in interioribus velis, quo præcursor pro nobis ingressus est Christus, reliquit carnis tegumentum: non amplius signo & umbra cœlestium servit, sed in ipsam rerum imaginem intuetur: non amplius per speculum atque per transennam, & ænigma, & ipse facie cum facie collata intercedit pro nobis apud Deum; intercedit autem pro nobis & populi erratis*, ubi expressè asserit, Sanctos homines in cœlis intercedere apud Deum pro nobis, si ad ipsos nostræ dirigentur preces. D Athanasius de interpretatione Psalmorum ad Marcellinum ait: *Verum cavendum, ne quis psalmos sæcularibus, & ad loquendum verbis ornet, neve conetur dictiones immutare, aut omnino aliud pro alio substituere, sed simpliciter ut scripta sunt, recites, & psallas, ut Sancti, qui verba ista suppeditârunt, sua esse agnoscentes, comprecentur nobiscum, ut potius Spiritus Sanctus, qui ita locutus est in Sanctis, conspiciens ibi sua verba resonare nostram operam coadjuvet.* Imò hanc veritatem adiguntur etiam fateri ipsi Hæretici; etenim Lutherus in responsione ad condemnationem doctrinalem Lovaniensium ait: Non negavi unquam, nos meritis & precibus Sanctorum, quantumlibet imperfectis juvari, ut legitur tom. 1. Jenensi edito anno 1584. pag. 472. Philippus Melanhon in locis communibus Malii fol. 151. ait:

ait: dicam tibi manifestum testimonium ex novo testamento probans, quod mortui sint soliciti de Ecclesia, & nobis, ita enim ait Matthæus: Elias & Moyses loquebantur cum Christo de rebus futuris. Non dubium est, quin Sancti ipsi, qui sunt in cœlo, nostri cura in terra viventium afficiantur. Et Ioannes Oecolampadius ad serm. Chrysostomi de Juventio, & Maximo Martyribus ait: Sancti in cœlis sua adhuc charitate fragrantes non desinunt pro nobis intercedere. Neque obstat, quod ajunt Hæretici alii gaudium cœleste esse tantùm ut non permittat beatos cogitare de nobis neque ad res nostras in terris attendere, quia si visio beata lumen gloriæ, & gaudium obstarent, quo minus Sancti possint nostri curam gerere, & ad res nostras attendere, inde sequeretur, quòd nec Christus secundùm humanitatem, neque Angeli nostri custodes, cum & ipsi videant divinitatem, & cœlesti gaudio perfruantur possint curam, nostram gerere, neque ad res nostras attendere, quod falsum est.

Neque ex eo, quod à nobis invocentur Sancti in cœlis, ut pro nobis intercedant, inde nulla injuria Deo infertur, ut putant adversarii id deducentes ex illo Deuter. 6. 16. & Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies:* ex quo inferunt, Catholicos invocantes Sanctos injuriam inferre Deo, nam id non sequitur, quia si solus Deus vult tantum invocari juxta latas scripturas ut censent Hæretici sequeretur à fortiori injuriam esse Deo inferre, eos, qui in hac vita existentes alios Sanctos invocant, quapropter etiam Apostolus injuriam Deo intulisset, cum injunxit Thessalonicensibus *fratres orate pro nobis*, imò etiam D. Jacobus cum Christianos fuit hortatus ut orarent pro se ipsis invicem ad eum finem, ut æternam consequerentur salutem: *Orate pro invicem, ut salvemini*, absurdum autem est asserere, utrumque Apostolum injuriam Deo intulisse eò quia populo suaserit, ut pro invicem orarent. Quamobrem verba illa præcitata, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, ita debent intelligi, ut non debeamus alios falsos Deos adorare: sicut Ethnici sua illis præstant obsequia, sed unum tantum verum Deum colamus, cui soli tanquam vero honorem debitum, & cultum latriæ exhibeamus; & hunc esse verum sensum illius textus clarè deducitur, quia Exodi 20. v. 3. dicitur: *Non habebis Deos alienos coram me, non adorabis eos, neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus.* Quamobrem sicut contra hoc præceptum de solo Deo colendo non impedit, quin viventes in terra petant ab alio suffragia, & mendici supplicent divitibus, ut ab ipsis stipem obtineant & eleemosynam quibus propriis consulant necessitatibus ita nec impedit viventes in terris ut suffragia petant in cœlo à Sanctis. Ratio ex eo petitur, quia invocantes Sanctos existentes in cœlis eos non colimus ut Deos, sed tantùm rogamus, ut intercessores quatenus velint preces nostras Deo offerre, & pro nobis intercedere, adeo ut eorum tantùm petamus intercessionem, eò quia cum sint Deo grati, & amici ob statum beatitudinis facilius nobis possunt obtinere quàm si nos immediatè Deum rogemus: hanc autem petere intercessionem Sanctorum apud verum Deum non est eos colere, & adorare, ut falsos Deos, nec ullam Deo irrogare injuriam; etenim si civis optet gratiam aliquam à Principe obtinere, cum ipse non sit Aulicus, supplicat alicui Administro, quem noverit percharum esse Principi, quatenus velit pro ipso intercedere, ut facilius moveatur Princeps ad optatam gratiam impertiendam, tunc civis non dicitur injuriam ullam Principi irrogare, perinde quando Sanctis existentibus in cœlis per nostras preces supplicamus, ut velint pro nobis intercedere apud Deum eos non colimus ut Deos sed tantùm rogamus, ut intercessores.

Neque per invocationem Sanctorum ullam Christo inferimus injuriam, ut nobis objiciunt Sectarii eò quia Christus sit unicus Mediator noster, per quem habemus accessum ad Patrem, ut ait Apostolus ad *Ephes.* 2. 18. & *ad Timoth.* 2. 5. ex quo inferunt, non esse recurrendum ad Sanctos qui in cœlis sunt, eò quia injuria inde infertur Christo quasi ejus intercessio non sufficeret, sed adhuc indigeret auxilio Sanctorum. Nam contra est, quia argumentum æquè procedit de Sanctis hujus vitæ, ac de Sanctis alterius, quapropter si ex eo, quod Christus sit unicus mediator noster non liceret recurrere ad Sanctos in cœlo existentes, eadem ratione neque liceret ad eos recurrere, qui nobiscum adhuc vivunt in terris quod non concedunt adversarii, quòd si absque ulla Christi mediatoris injuria possumus invocare Sanctos nobiscum degentes, cur non etiam Sanctos in cœlis existentes? Secundò respondetur Christum esse unicum Mediatorem nostrum, eò quia ipse est principalis Mediator, sine quo nullus alius posset esse mediator, adeò ut cœteri Mediatores dependeant, & subordinentur Mediatori Christo principali; etenim Christus est principalis Mediator, quia non tantùm ex officio, verùm etiam ex natura est medius inter Deum & hominem, utpote particeps utriusque naturæ, sunt enim in Christo duæ naturæ, divina, & humana in unica persona divina, quæ propterea est media inter homines & Deum, estque Mediator principalis per naturam. Secundò quia nos Deo reconciliavit non deprecando tantùm, & intercedendo, sed etiam condignum pretium pro nostra redemptione solvendo, ac plenissimam satisfactionem exhibendo. Tertiò quia non ex alieno, sed ex proprio solvit, habebat enim in se sufficientissimum pretium, ut superabundanter solveret pro totius humani generis redemptione, & hanc vim solvendi, & satisfaciendi, habuit ex se, & ex propria natura & persona. Quartò quia est Mediator omnium, quatenus pro omnibus mortuus est Christus, ait enim Apostolus ad Roman. 5. v. 18. & sequent. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per unius obeditionem *justi constituentur multi.* Tota efficacia Paulinæ antithesis eò collimat, ut probet Christi justitiam id est, meritum impensam fuisse omnino pro omnibus hominibus perinde ac Adæ peccatum omnibus obfuit hominibus una excepta Deipara Virgine immuni ab hac avita labe ex specialissimo Dei beneficio, cui Tridentinum Concilium nihil habuit in oppositum. Et rursus 1. ad Corinth. 8. v. 11. ait Apostolus: *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est*; & ad Timoth. 1. cap. 2. v. 1. & 5. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes orationes, gratiarum actiones pro universis hominibus pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt*, & postea adserens causam, subdit *Unus:*

*enim*

*enim Deus unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Vult Apostolus ideo pro omnibus etiam infidelibus esse preces fundendas ad Deum, quia unus est omnium Deus unus omnium Mediator Principalis, quippe qui dedit redemptionem semetipsum etiam infidelibus, Regibus, & aliis in sublimitate constitutis, & ex historiis constat, eo tempore quo ad Timothtum scripsit D. Paulus, Neronem fuisse Imperatorem Romæ, Parthos & Medos Reges suos habuisse, & vectigales Romanas Provincias ab infidelibus fuisse administrantes; & nihilominus jubet Apostolus preces fundi ad Deum pro omnibus, eò quia pro illis mortuus etiam fuerit. Secus Sancti sunt tantùm Mediatores secundarii subordinati Mediatori primario, à quo dependent; neque & propriis reconciliant nos Deo; neque per modum solutionis; sed tantùm per modum deprecationis, & intercessionis; neque sunt mediatores respectu omnium; sed tantum respectu aliquorum, pro quibus intercedunt; sed quia verè intercedunt, verè itidem dicuntur Mediatores, sed secundarii, dependentes, subordinati primario Mediatori, quatenus & ipsi Dei dona suis intercessionibus nobis impetrant à Deo. Sicut enim Mediator dicitur sequester, & medius inter Deum & populum, Deuter. 5. quia pro populo ad Deum loquutus est, & pactum Dei ad populum detulit. Neque hæc mediatio Secundaria ullo modo minuit officium Mediatoris primarii, neque obscurat: Sicut enim intercessio viventium in terris illud non minuit; ita neque intercessio Sanctorum in cœlis existentium. Præterea quia sicut nos pro nobis possumus orare Deum absque eo quòd ulla inferatur Christo injuria; ita Sancti nobiscum possunt hoc præstare, siquidem adhibentur, ut comprecatores, ut suas nostris orationibus adjungant. Tertiò quia omnem virtutem, & efficaciam quam habent, acceperunt ex meritis Christi: hinc potius ad honorem ipsius cedit Regis, si omnes alii quod rectè agunt ex eorum imperio faciant, in suo regno.

Neque Sanctorum invocatio signum est diffidentiæ, quasi orantes Sanctos existentes in cœlo diffidant de bonitate Dei. Etenim D. Paulus non diffidebat de bonitate Dei, quando à fidelibus adhuc in hac vita mortali degentibus petebat suffragia, & ut preces funderent ad Deum pro ipso: ergo neque nos diffidimus de bonitate Dei cum viventes cum Christo in cœlis rogamus, ut pro nobis intercedant. Præterea quia tametsi Deus paratus sit nos audire, quando soli ipsum rogamus, magis tamen pronus est ad nos audiendum, & exaudiendum si non soli sed simul cum suis amicis sibique charis ad illum rogaturi accedimus: hinc Deus dixit ad amicos Job. cap. 42. *Ite ad servum meum Job, & afferte holocaustum pro vobis; Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.* Si Deus ipse jubet amicos Job ire ad Job, cúmque rogare, ut pro iisdem offerat holocaustum; sequitur licitum esse, & honestum, ac nobis utile rogare amicos Dei, & Sanctos sibi charos, ut pro nobis intercedant. Job siquidem pergratus Deo erat eique amicus, & præcipit Deus amicos Job ad ipsum accedere, ut offerat holocaustum pro ipsis, & intercedat: ergo rogare Sanctos intercessores, ut pro nobis apud Deum intercedant, nostrasque preces illi offerant licitum, & honestum est. Hinc Genes. 10,7. dicit Deus ad Abimelech Regem Geraræ: *Nunc ergo redde viro suo*, id est, Abrahamo, *uxorem*, quia *Propheta est, & orabit pro te, & vives:* ergo Sancti orant pro suis clientibus Deum; consequenter possumus eos rogare, ut pro nobis intercedat. Præterea Actor. 7. 59. Stephanus oravit pro persecutoribus suis inter quos erat Saulus, qui postea Paulus, & vas electionis a Deo factus est, & oratio Stephani exaudita fuit: unde D. Augustinus serm. 1. de Sanctis ait: *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* Neque obstat quòd Sectarii objiciant illud Apostoli ad Rom. 10. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* ex quo inferunt nos tantum posse eum invocare, in quem credimus: Sed non credimus nisi in Deum: ergo ipsum solum possumus invocare, non Sanctos. Sed contra, quia Apostolus agit de illo quem invocamus ut Deum, qui cum sit unus tantùm, ipsum solum possumus invocare ut verum Deum; sed inde non sequitur, quòd non possimus invocare Sanctos ut amicos, & servos fideles Dei ut pro nobis intercedant apud Deum. Sanctos invocamus ut Intercessores; & Deum ut bonorum omnium munificum largitorem. Deum autem non possumus invocare, nisi credamus ipsum esse Deum: qui enim Deum non credunt, illum non invocant; non enim invocamus eum, quem non credimus existere: proinde ait Apostolus: *quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* perinde non possemus Sanctos invocare, nisi crederemus ipsos posse pro nobis intercedere apud Deus: unde credimus, Sanctos esse intercessores nostros; non verò credimus esse Deos, sed amicos, & servos Dei. Objiciunt adhuc novatores illud Matth. 6. & Luc. 11. *cum Christus cessasset orare; discipulus quidam dixit ad eum, doce nos orare; & ait: cum oratis, dicite: Pater noster &c.* ex quo inferunt Sectarii solum Patrem esse invocandum, quapropter Christus solum Patrem rogavit Joan. 12. & 17. *Pater clarifica me*, non igitur Angeli nec mortui sunt invocandi. Sed contra, quia cum Christus docuit suos discipulos orare, modum tantùm docuit orandi; non vero egit, de illis ad quos fundendæ ac dirigendæ sunt nostræ preces; & de illis quæ petenda sunt, cum oramus Patrem; non enim Apostoli dubitarunt, an Deus, & Pater æternus esset orandus; sed de modò quæsierunt orandi; & de rebus quæ essent in orationibus petendæ, quando dixerunt: *doce nos orare.* Alioquin cum Christus ad solum Patrem direxerit orationem: Pater noster qui es in cœlis sanctificetur nomen tuum sequeretur ex novatorum objectione, ad solum Patrem posse nos nostras dirigere preces; non verò ad Filium, neque ad Spiritum Sanctum; neque Christus esset à nobis orandus, quod Novatores non concedunt. Quòd si non obstantibus Christi verbis, quibus oratio dominicalis dirigitur ad solum Patrem adhuc possumus orare Filium, & Spiritum Sanctum ut fatentur Magdeburgenses, & evincitur ex verbis in forma Baptisini, sequitur, Christum non fuisse tunc loquutum de personis, ad quas essent preces nostræ dirigendæ sed tantum de modo orandi, & de rebus in oratione petendis. Non enim tunc opportunum fuit loqui de personis, nec de Sanctis, cum nondum apertum esset cœlum, nec quisquam ex creaturis illud introiisset. Cœterum invocatio Sanctorum est una ex veritatibus revelatis Apostolorum cœtui in die Pentecostes, de quibus dixerat Christus: ille vos docebit omnem veritatem. Neque obstat, quod ait Calvinus lib. 3. Instit. cap. 20. §. 23. *Unde vermibus tanta licentia, ut Deo patronos obtrudant, quibus munus injunctum legitur?* Nam Catholici non obtrudunt Deo Pa-

tronos, non constituunt causidicos Sanctos, nec Patronos ejusdem generis ut habentur in terris, qui juxta jura causas agunt, & defendunt clientes, qui non misericordiam sed justitiam petunt, sed Sanctis illud tantum scribunt munus, quod in aulis Principum familiares eorundem notantur habere, qui persæpe à miseris rogantur, pro quibus à principe intercedunt. Rogantur igitur Sancti, quia amici Dei, ut velint pro nobis intercedere. Instant tamen hæretici asserentes hanc mortuorum invocationem esse plenam superstitionibus, & Paganismum revocare in lege Evangelica: siquidem ad imitationem Paganorum Sancti ut tutelares coluntur, ut particulares curationes eisdem tribuuntur: imò officia iisdem recitantur, & missæ propriæ leguntur pro diversis officiis, cum tamen in primitiva Ecclesia non nisi solus Deus à Fidelibus coleretur, ac invocaretur; & ad nullum alium quàm ad ipsum Christum preces fidelium dirigerentur.

Quòd verò Pagani plures habuerint tutelares quos Ecclesia Romana imitatur, ex eo probant; quia Babylonii Belum, Ægyptii Isim, & Osirim, Africani Neptunum, Rhodii solem habuerunt tutelares, & ut Deos proprios coluerunt; ut etiam Samii Junonem, Rhodii Solem, Samii Junonem, Paphii Venerem; Delphii Apollinem, Romani Quirinum, Athenienses Minervam, Ephesii Dianam: & ex Papistis ajunt ipsi Galli S. Dionysium, Hispani Jacobum, Germani Georgium, Helvetii S. Mariam, Romani S. Petrum, Mediolanenses S. Ambrosium, Veneti S. Marcum, Genuenses S. Sirum, Parisienses S. Genovefam. Quòd si Ethnici Deos habuerunt Elementares Jovem cœli, & ignis: Junonem terræ, Neptunum Maris, Plutonem inferorum; etiam Papistæ invocant S. Agatham pro igne; Nicolaum Myrrensem pro mari, Valesianum & Theodorum procellis præsidentes colunt. Quòd si Ethnici Deos fructibus terræ assistentes Apollinem pro fructibus generatim sumptis, Bacchum pro uvis, & vino, Cererem pro frumento; à Papistis S. Jodocus imploratur pro servandis fructibus S. Urbanus pro racemis & vino. Si Pagani Singulis Bestiarum speciebus sua Numina assignarunt Apollinem & Pana; Papistæ ovibus tribuunt S. Eligium, equis & bobus Pelagium, porcis Antonium. Si Pagani mœchanicis artibus sua specialia tribuerunt Numina; studiis literarum Apollinem & Minervam, Fabris ferrariis Vulcanum cum suis Cyclopibus, Medicæ arti Æsculapium, militibus Martem, venatoribus Dianam, Nautis Castorem & pollucem, meretricibus Venerem, & Floram; ita Papistæ Gregorius Cantherina. Thomas Aquinas habentur pro Studiosis, Lucas pro Pictoribus; Cosmas & Damianus pro Medicis; Ivo pro causidicis; Eligius pro Marescallis, Crispinus pro Sotulariis, Eutmanus pro Sutoribus, Guarus pro Figulis, Eustachius pro venatoribus, Magdalena pro Libidinosis. Quòd si ab Ethnicis morbis, & ægritudinibus sua tribuerentur specialia Numina, ut Apollo Epidemiæ, Hercules morbo caduco, Partui Lucina: & universis morbis Æsculapius: ita Papistæ contra Epidemicam Luem invocant Sebastianum & Rochum, contra febres Petronillam, contra dolores dentium Apolloniam, contra calculum Liberium, contra morbum caducum Valentinum; contra dolores capitis Anastasiam, pro doloribus partûs Margaretam; contra venena Benedictum, contra morbos oculorum Otiliam & Luciam; contra pleuritidem Erasmum; contra faucium occlusiones Blasium. Quod si diis penatibus canis custos, & fideles imbuebatur; etiam Papistæ Rochi imagini canem appingunt. Jam figuræ claves addebantur, quæ etiam Petro Principi Apostolorum tribuuntur; si Jupiter Amonius cornutus exhibebatur; etiam Papistæ Moysem repræsentant cornibus notatum; si Ethnici Isidem cum cythara repræsentabant, Papistæ Gervasium cum cimbalo. Imò in diebus festis, ac solemnioribus Ethnicos imitantur Catholici Romani. Celerbarunt Ethnici Lupercalia, Agonalia, Carmentalia, Censualia, Compitalia, Imperialia: quidni Romanenses, ajunt Acatholici, hæc eadem festa aliis sub titulis etiam nunc agunt, de quibus eleganter D. Augustinus lib. 8. de civit. cap. 27. Ethnici Quirinale seu festum stultorum celebrè habuerunt die 18. Februarii, & Papistæ festum instituerunt Innocentium; imò & festum candelarum, quod successit festis Ethnicorum Februariis, Lupercalibus, Proserpinalibus, & Floralibus, quæ eodem die celebrari consueverant cum luminaribus, & cereis in honorem Cereris ac Proserpinæ tota nocte accensis, adeo ut nox illa visa fuerit diem imitari. Festum Martis solemniori cum apparatu celebrabatur initio verni temporis: & una cum magna Matre Cybele Principem in Pantheo sedem occupavit & Catholici per mentem integrum ante quadragesimā Bacchanalia agunt, seu festa Bacchi plena impudicitiis. Si Ethnici festa Palilia agebant Pali deæ Pastorum sacrata, in quibus consueverant ignes in plateis accendere, eosque saltu transilire, hisce festis Papistæ pervigilium substituerunt S. Joannis Baptistæ. Rursus festum vinculorum S. Petri successit diei consecrato catenæ aureæ Augusti: Sicut & festum cathedræ S. Petri subrogatum fuit diei, quo Pagani cibos cum vino consueverunt diis offerre, adeout hoc festū vocaretur convivium. Festum celebrarunt Pagani pro conservatione vini, & à Papistis hoc datur S. Martino. Robigaliis festis à Paganis institutis pro conservatione annonæ substitutæ fuerunt rogationes. Hæc sunt, quæ Sectarii opponunt Catholicis, & quæ ajunt ab ipsis fuisse à Paganis usurpata ut inferant Catholicos introduxisse, ac renovâsse in lege Evangelica Paganismum.

Contra tamen est, quia Catholici omnia recensita Paganorum Numina execrantur ut falsa: & nonnisi unum colunt ipsi Deum verum, infinitè bonum, misericordem, justum, omniscium, & datorem bonorum omnium: & Sanctos, quos Catholici adorant, seu colunt, eos venerantur atque rogant ut intercessores, ut nostras preces pro nobis offerant Deo, & intercedant, eò quia sint Deo amici, & perchari, ad quorum propterea intercessionem faciliùs quæ petimus, nobis impertitur. Sancti igitur, qui dicuntur præesse speciebus animalium, vel artium aut fructuum non sunt Numina, sed creaturæ sanctæ, quæ cum cœlesti beatitate donentur, à nobis rogantur, ut velint apud Deum intercedere pro nostris bonis, etiam temporalibus ne pereant. Ad festa quæ in Ecclesia Catholica dicuntur successisse ad hilares Paganorum solemnitates respondetur, festa instituta ab Ecclesia fuisse non in honorem Numinum, ac falsorum Deorum, sed ad recolendam memoriam Christi, ejus Passionis, Deiparæ, & Sanctorum, ut frequentemus Ecclesias, tempus impendamus in concionibus, & sacris audiendis, precibusque fundendis aliisque piis operibus exercendis, quæ omnia sancta sunt, & ab Ecclesia Catholica instituta, & totaliter diversa ab iis, quæ in suis festis ac solemnitatibus ab Ethnicis, & Paganis exercebantur. Præterea ad eum finem Pagani diversa instituebant festa, ut diversa colerent Numina, eorumque memoriam excitarent: secus Catholici in suis festis unicum semper eundemque Deum colunt cultu latriæ, & alios Sanctos venerantur cultu inferiori ad eum finem, ut preces nostras uni soli offerant Deo, apud quem etiam pro nobis velint intercedere. Rursus ex intentione Ecclesiæ festa fuerunt instituta, ut fideles per sacramentalem exomologesin conscientiam purgarent, & per sumptionem sacræ Synaxis vires animæ refice-

reficerent, & incremento divinæ gratiæ validiores fierent contra hostes: secus Pagani in suis feriis, ac solemnitatibus per indulgentiam sensuum, per laxamenta libertatis, saltus, choreas, sympolia conscientiam deturpabant. Quod si Novatores dicant, Sanctos in cœlis nescire, quæ à nobis aguntur in terris; consequenter non posse preces nostras offerre, neque pro nobis intercedere, quòd probant ex illo Job. 14. Eccles. 9. Isai. 63. 4. Reg. 22. & aliis locis, in quibus solus Deus dicitur scrutator cordium. Respondetur Sanctos in cœlis cognoscere, quæ à nobis geruntur in terris, si ad ipsos aliquo pacto spectent, vel dirigantur, ut etiam preces nostras, quas ad ipsos fundimus, & quidem in ipsa divina essentia, & in verbo nostras preces & opera repræsentante Beatis illis, qui propterea cum cognoscant nos ipsorum intercessionem implorare, pro nobis intercedunt 1. Joan. 3. *Videbimus enim sicuti est & similes ei erimus.* Hinc Tobiæ 12. *Ego sum Raphael Angelus, quando orabas, obtuli orationem tuam Domino.* Quod si Angeli in cœlis vident in verbo divino, quæ à nobis aguntur in terris, & preces quæ ad ipsos à nobis diriguntur, etiam Beati hæc cognoscunt in verbo, quia & ipsi sunt lumine gloriæ collustrati, intuentur divinam essentiam, & verbum; proinde sicut Raphael Angelus orationem Tobiæ Deo obtulit, possunt & ipsi nostras preces Deo offerre, & pro nobis intercedere, quia ut habetur Matth. 22. *In resurrectione hominis erunt sicut Angeli in cælo:* Et Angeli non possunt preces nostras Deo offerre, quin eas noverint; unde & homines Angelis æquiparati easdem in cœlis vident, & cognoscunt. Daniel. 9. Gabriel apparuit ei, & dixit: *Ex exordio precum tuarum, veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es.* Luc. 15. *Gaudium erit in cælo coram Angelis super uno peccatore pænitentiam agente.* Quòd si gaudent Angeli in cœlis de pœnitentia, seu resipiscentia peccatorum in terris; sequitur, ipsos cognoscere nostras preces, cogitationes, quæ ad ipsos à nobis diriguntur: gaudium enim est passio, quæ ex consecutione rei desideratæ in appetitu rationali generatur; & nemo potest gaudere de objecto quod non cognoscit. Neque obstat illud Job 14. Eccles. 9. Jsai. 63. 4. Reg. 22. quia præfatæ scripturæ loquuntur de Patribus ante Christi adventum existentibus in Limbo, quibus cum nondum collatum fuerit lumen gloriæ non poterant in divina essentia, ac verbo videre, quæ ab hominibus agerentur in terris; sed tantum subindè illis revelabantur, quæ ab hominibus fierent in terris viventibus. Cæterum dicitur Deus solus scrutator cordium, quia ipsi soli per essentiam & propria virtute competit scrutari secreta cordium: Sanctis vero vel per visionem Dei; vel per internam revelationem; & nonnisi dependenter à Deo. Præterea Sancti in cœlo Matth. 22. *Erunt sicut Angeli Dei in cælo*, sed Angeli in cœlo vident quæ apud nos aguntur, ut constat ex præcedentibus Job. 12. *Ego sum Raphael Angelus, quando orabas, obtuli orationem tuam Domino:* Ergo etiam Sancti quas ad ipsos dirigimus preces cognoscunt, ac Deo offerunt, pro que nobis intercedunt; imò D. Ambrosius lib. de viduis vocat Sanctos præsidentes esse, ac speculatores actionum nostrarum, & D. Basilius lib. de vera virginitate ait loquens de Sanctis in cœlesti patria. *Nullus est eorum, qui ubicunque omnia non videat*, cui assentitur D. Prosper lib. de vita contemplat. cap. 4. inquiens: *Nihil secretum occultum erit perfectè Sanctis, mira res! Deum ipsum pura mentis acie videbunt.* Hinc Augustinus in Soliloq. *Quoties rectè agimus, lætantur Angeli.* Non enim repugnat Sanctorum spiritus nostras cognoscere preces in divina essentia, & Verbo, nostra desideria, nostraque vota; quia etiam Angeli, qui sunt creati spiritus, desideria, & preces nostras cognoscunt; hanc enim cognitionem illis tribuunt Scripturæ, *Luc.* 15. in Verbo enim divino repræsentantur omnia desideria nostra, & preces, ac vota, & à Beatis cognoscuntur in Verbo repræsentante. D. Thomas. 3. *part. quæst.* 10. & 22. *quæst.* 83. *artic.* 4. docet, Sanctos videre in Deo omnia, & quidem initio suæ beatitudinis, quæ ad ipsos aliquo modo pertinent, consequenter preces nostras ad ipsos directas. Alii verò asserunt tunc à Deo iisdem revelari, cum primum à nobis funduntur; quo pacto Prophetæ Deo revelante cognoverunt futura. & plures Sancti adhuc in hac mortali vita degentes secreta cordium aliorum hominum cognoverunt, ut legitur de Samuele 1. Reg. 9. de Elisæo 4. Reg. 5. de D. Petro Actor. 5. Sed putarim adhærendum sententiæ D. Thomæ, alioquin si Sancti semper indigerent nova revelatione, Ecclesia in Litaniis non diceret absque ulla hæsitatione: Orate pro nobis; si enim tantum revelaventur, hæreremus ancipites, an talis revelatio semper iisdem fieret; cum igitur ecclesia asseveranter dicat, *orate pro nobis*, sequitur Sanctos, & Beatos in Verbo divino cognoscere nostras preces, quæ ad ipsos diriguntur, ac nostra desideria, quæ volumus ipsis explicata esse. Tum quia ecclesia non peteret à Sanctis, ut pro nobis orarent; sed prius à Deo ut ipsis nostras preces revelaret: sed instant Sectarii, quia non videtur posse intelligi, quomodo creaturæ, quorum operationes, & duratio successivè mensurantur possint in momento innumeras propemodum audire orationes in locis dissitis, ac protensis; & à pluribus simul personis fusis, & ad ipsos directas; neque id absque ubiquitate posset fieri; ubiquitas autem nec Angelis, nec hominibus, nec ulli congruit creaturæ. Sed contra, quia cum Sancti in cœlesti patria videant in Verbo preces nostras, quas ad ipsos dirigimus, ut & nostra desideria, si ad ipsos pertineant, non multum laborant, ad ea omnia cognoscenda, quæ ad ipsos ab hominibus diriguntur, & in terris aguntur. Mendaces sunt Sectariorum stateræ, si æqua lance expendere velint, quæ ab hominibus cognoscuntur ab aliis peracta, & quæ à Beatis isti enim eodem intuitu quo vident Verbum, & divinam essentiam vident etiam nostras preces, & vota, quæ ad ipsos diriguntur; homines verò nonnisi per species immissas in sensus exteriores ab iis, quæ ab ipsis percipiuntur. Beati in cœlo non indigent haurire species à rebus creatis, sed eodem lumine gloriæ, quo divinam intuentur essentiam, nostras percipiunt preces, & vota; hinc D. Petrus 2. epist. 1. loquens de hac visione beata ait: *Ne oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit:* & Joan. 1. ait: homines in cœlis æterna beatitate donatos divinæ futuras consortes naturæ; quia sicut Deus unico intuitu omnia cognoscit independenter ab objectis cognitis; ita Beati in cœlo unica intuitione, quâ divinam intuentur essentiam, omnia quæ in terris ad ipsos aliquo pacto pertinent, intuentur in Verbo ea omnia repræsentante: ait enim Apostolus 1. Corinth. 13. *Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est*, scilicet imperfecta cognitio, quæ habetur per species desumptas à creaturis; quia tunc beneficio luminis gloriæ plura simul intelligent in Verbo. Sed urgent, quia si Sancti in cœlis attendunt ad hominum preces, quæ ad ipsos diriguntur; necesse est, eorum quies interrumpatur; ac felicitas aliquibus afficiatur molestiis ob precum importunitatem. Sed hæc consequentia non sequitur, quia, ut diximus, eadem visione quâ divinam intuentur essentiam, preces quæ ab hominibus diriguntur ad ipsos, ut & desideria, vident sibi in Verbo repræsentata; & sicut eadem visio non cessat; ita neque eorum felicitas interrumpitur, nec quies cessat: sicut neque interrumpitur quies Angelorum ex eo

quod

quod mittantur in ministerium, ac nostræ intendant custodiæ studere ait enim Apostolus ad Hebræ. 1. loquens de Angelis: *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* Instant adhuc quia plures ex Sanctis Patribus saltem dubitarunt de hac notitia precum nostrarum D. Hieronymus epist. ad Nepotianum ait: *Quam felix est Nepotianus, qui hec terrestria non videt*: unde supponit, beatos in cœlis non cognoscere, quæ ab hominibus aguntur in terris. Et D. Augustinus lib. de cura pro Moravis cap. 13. ait; *Si Parentes non intersunt, qui sunt alii mortuorum, qui noverunt, quid agamus, quid verò patiamur? Isaias Propheta dicit Abraham nos nescit, & Israel nos non cognovit.* Et S. Gregorius Nazianzenus in orat. ad Gorgoniam sororem suam ait: *Si tibi aliqua nostri sermonis est ratio, & hoc Sanctis animis à Deo munus, ut talia resciscant, suscipe nostrum sermonem Epitaphiorum loco.* Sed contra quia D. Hieronymus, & Augustinus loquuntur de cognitione, & conversatione naturali, quo pacto ajunt, mortuos non conversari nobiscum; neque esse sollicitos de rebus nostris, nec eas cognoscere, sicut eos cognoverunt, cum hic degerent in terris. Cæterum quod Sancti in cœlis supernaturaliter & per divinam revelationem, vel repræsentationem in verbo videant quæ apud nos in terris aguntur, expressè fatetur in lib. de cura pro mortuis cap. 15. quòd attinet ad S. Gregorium, verba illa non sunt dubitantis, sed affirmantis, quo pacto etiam D. Paulus ad Philemonem ait: *Si habes me socium, suscipe illum*: etenim Sanctus Gregorius passim asserit Sanctos nostra videre: & orat. 53. ait, se negotiis nostris præsidere ex divina providentia: & de Athanasio ait, *de cœlo omnia nostra videt, hoc non ignoro.* Dices ex Apostolo ad Hebræos 7. *Christus accedit per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis*: ergo superflua est Sanctorum invocatio. Sed contra, quia tametsi Christus interpellat pro nobis non tamen superfluæ sunt orationes, quæ ad Sanctos in cœlis diriguntur; quia & hi intercedunt pro nobis, ad Christum, sicut Christus ad Patrem. Quamvis una Christi oratio efficax sit ad interpellandum pro nobis apud Patrem. Sancti tamen si à nobis rogentur sunt itidem efficaces ad interpellandum pro nobis apud Christum, ut per Christum quæ petunt, à Patre & tota Trinitate impetrent. Si dicas, Christum orare pro mundo, consequenter orationem ad Sanctos directam esse superfluam. Sed contra, quia hæc oratio quam ad Sanctos fundimus inservit ad promovendam communionem Sanctorum, seu communicationem ecclesiæ triumphantis in cœlis cum militante in terris, estque communio Sanctorum, quæ habetur in Symbolo Apostolorum. Alioquin si ex eo quod Christus interpellat pro nobis, inutilis esset oratio, quæ ad Sanctos dirigitur, inde sequeretur, quòd superflua itidem esset oratio mutua inter vivos, vanum esset unum pro alio orare; sicque derogaretur communioni inter vivos; quæ tamen non habetur superflua, quamvis Christus interpellat pro nobis. Si instes, nullam fieri mentionem orationis fidelium ad Sanctos existentes in cœlis ante tempora S. Cornelii Martyris, qui sedit Anno Christi 250. Respondetur id contigisse ob humilitatem, ac modestiam Apostolorum, qui cum toti intenti essent prædicationi, ac promulgationi evangelii, rerumque aliarum, quæ magis ad substantiam salutis pertinerent, ideo intenti præcipuè fuerunt ut fideles recens conversi ad fidem suas preces funderent ad Deum Patrem, & Christum. Tum quia sub illis primis temporibus non plures fuerunt Sancti, de quibus certò constaret testimonio ecclesiæ æterna beatitate in cœlis donari. Et forsam distulit Deus usque ad tempora Cornelii Martyris manifestare, posse fideles ad Sanctos in cœlis suas dirigere preces, quia post explosam idololatriam insurrexerunt hæretici negantes carnis resurrectionem. Neque Deus voluit omnia simul in ecclesia manifestari; sicut neque omnia fidei dogmata unâ die simul Apostoli prædicârunt, sed paulatim, & successivè, etenim Christi divinitas, & Filii consubstantialitas cum Patre non passim ab Apostolis, neque omnibus fuit statim promulgata; sed tantùm seorsim, & iis tantùm, qui possent hoc mysterium intelligere: sicut cibus solidus non statim datur infantibus vix in lucem editis, cum vix trimuli sint illo capaces.

# CAPUT XIII.

## De cultu, quo Catholici Sanctorum reliquias venerantur.

QUamvis præcipuus honor & cultus Sanctorum consistat in recta de eorum gratia opinione, & de eorum virtutibus vitæque Sanctitate, cum viverent in terris, & gloria in cœlis firma existimatio, ut docet D. Augustinus: adhuc ratio naturalis suadet, ut quorum Sanctitatem, & gloriam admiramur, corpora etiam & ossa, vestes, cineres, & alia id generis, quæ ad ipsos vita sunt pertinuisse, religioso cultu honoremus, ac veneremur: maximè cum hujusmodi pignora interdum assumantur à Deo ad miracula, perpetranda ad dæmones abigendos, ad morbos depellendos, imò & ad mortuos resuscitandos; si enim cultus, quo Sanctorum reliquias veneramur, non placeret Deo; hæc signa quæ vires superant totius naturæ, non efficeret. Honore igitur, ac veneratione dignæ sunt Sanctorum reliquiæ, cum partes sint eorum, qui cum viverent in terris, habitacula fuerunt Spiritus Sancti, & sint in cœlis glorificandæ, siquidem ut scribit Apostolus 1. Corinth. 6. *Post diem judicii, cum mortale hoc induerit immortalitatem, à Deo coronabimur gloria & honore.* Novatores tamen, præsertim Lutherus, & Calvinus, hanc piam, & religiosam reliquiarum venerationem nituntur funditus eliminare. Lutherus siquidem Sanctorum reliquias ut seductiones fidelium in sermone de cruce vult altissimè sub terra esse abscondendas, ne dent Christianis occasionem incidendi in superstitionem ac idololatriam. Calvinistæ reliquias Sanctorum flammis extradunt, absumunt, & cineres in flumina abjiciunt: quia, ut ait Calvinus lib. de necessitate reformandæ ecclesiæ, asserens Sanctos à Papistis non solùm adorari loco Christi; verùm etiam eorum ossa, vestes, calceos, & simulacra; cui impudenti mendacio olim respondit D. Hieronymus contra Vigilantium, Christianos reliquias Sanctorum venerari, & colere ut Sacra pignora suorum intercessorum; minori tamen cultu quàm eorundem spiritus, sicut & Sanctos minori cultu, quàm venerentur Deum, quem colunt cultu latriæ ut supremum creatorem, Dominum cum omnimoda independentia omnium creaturarum, & largitorem omnium bonorum; à quo omnes creaturæ Sacræ quidquid boni habent acceperunt, ac dependent.

Quamobrem contra Novatores, dicendum est, reliquias Sanctorum esse in ecclesia habendas in honore ac esse pio cultu venerandas, & hunc cultum honestum esse utilem, & religiosum, ac redundare in honorem eorum, quorum sunt reliquiæ, ut & in Deum ipsum, qui in reliquiis Sanctorum glorificatur; Nam ut docet D. Hieronymus epist. 52. ad Riparium contra Vigilantium: *Reliquias Martyrum hono-*

*honoramus, ut adoremus eum, pro quo sunt Martyres; Servos colimus, ut honor in eorum Dominum redundet.* Est contra Hæreticos olim , Eunomium , & Vigilantium ; & nunc contra Lutherum , & Calvinum, qui debacchantur contra cultum , quem Catholici reliquiis exhibent Sanctorum , qui fidelium pietatem , & obsequium habent pro stoliditate. Calvinus enim asserit esse reliquias Sanctorum igne cremandas ; & Lutherus aquis vel terra absorbendos , ne Christiani seducantur,quos cum Sanctorum venerantur reliquias superstitionis , ac idololatriæ insimulat.

Veneratio tamen quæ sacris debetur reliquiis ex sacris desumitur scripturis : etenim Moses Exod. 13. discessurus cum populo ex Ægypto in Palæstinam, noluit ibi relinquere ossa Josephi ; sed ea honorificè secum asportavit Exod. 13. v. 19. *Tulit ergo Moyses ossa Joseph secum*, quæ postea sepelivit in terra Sichem. 4. Reg. 13. Ossa Elisæi cum tetigissent mortuum quendam hominem statim ad vitam illum revocarunt : quod miraculum tam insigne probat clarissimè voluntatem Dei esse , ut reliquias Sanctorum debito prosequantur honore , & cultu. Rursus cum Josias delubra everteret idolorum, & omnem velet idololatriam delere , tantum abest quòd existimaverit reliquias Sanctorum delendas esse , ut cum aliorum mortuorum ossa effodisset, ac in cineres redigisset, ossa tamen Prophetæ ibidem reperta honorificè asservari voluerit , venerationis , & memoriæ causa ; quia ut ait David Psal. 33. *Custodit Dominus ossa justorum , unum ex his non conteretur* & Psal. 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Ossa Patriarchæ Jacob fuisse solemni cultu tradita sepulturæ , & speciali veneratione servata legimus Deuter. ult.Et ex antiqua traditione refert Epiphanius Hæresi 9. Angelos sepelivisse corpus Moysis loco hominibus incognito , eò quia Judæi tunc proclives essent ad idololatriam. Cum igitur voluerit Deus ossa Moysis honorificè , & per Angelorum ministeria sepeliri , ac decenter tractari ; argumento nobis est , reliquias Sanctorum , cultus causâ esse asservandas, & non tantum memoriæ gratia. Hinc liquet quàm malè , ac protervè insurgant hæretici contra ipsas, quas subducendas autumant ob periculum idololatriæ. Non enim Catholici cultum exhibent latriæ Sanctis , neque eorum reliquiis ; sed tantum duliæ, qui cultus est longè inferior , ac diversus ab idololatria. Legimus itidem à viris timoratis fuisse Stephanum sepulturæ traditum non sine honore; moris enim semper fuit in Ecclesia , ut ossa eorum virorum , qui vel sanctitate fuerunt insignes , vel Martyris palma celebres in honore haberentur à cæteris fidelibus , ac veneratione , quapropter Cornelius Papa, ut constat ex epistola 1. singulari cultu & veneratione , à catacumbis transtulit corpora Sanctorum Apostolorum Petri , & Pauli, ad ea loca in quibus Martyrium fuerunt passi, & ab eo tempore eorum reliquiæ in magna semper fuerunt veneratione, ac singulari cultu asservatæ , qua ratione S. Hieronymus contra Vigilantium meminit hujus cultus, & ait summos Pontifices consuevisse super reliquias Sanctorum Apostolorum sacrificium Deo offerri, & die noctuque coram eis accensa lumina splenduisse: & mos iste colendi Sanctorum reliquias, ac venerandi ossa non solùm viguit in Ecclesia latina verùm etiam in Græca siquidem in Ecclesia Constantinopolitana aliqua singulari veneratione, & cultu fuisse translatas tempore Constantini Magni reliquas Sanctorum Andreæ, Lucæ, & Timothei, testatur S. Hieronymus contra Vigilantium , & eodem honore fuisse translatas reliquias S. Pauli Episcopi , & Martyris tempore Theodosii senioris habetur lib. 9. Tripartit. cap. 17. ut etiam reliquias S. Joannis Chrysostomi tempore Theodosii Junioris refert Theodosius lib. 5. cap. 3. & in Ecclesiam Antiochenam fuisse translatum corpus S. Ignatii Martyris & in magna semper ibi habitum veneratione à primis Ecclesiæ fidelibus testatur Evagrius *lib.* 1. *cap.* 16. Hoc idem etiam narrat de S. Meletio S. Sozomenus *lib.* 10. *cap.* 12. ut & de S. Pabula Rufinus *lib.* 1. *cap.* 35. ubi etiam refert Dæmones coram sacris hisce reliquiis obmutuisse, nec suis in idolis ulla amplius responsa dedisse. Præterea caput S. Ioannis Baptistæ fuisse in Ecclesia Alexandrina insigni honore , & veneratione fidelium diu asservatum testis est Rufinus *lib.* 2. *cap.* 28. ut etiam in Ecclesia Jerosolymitana cathedram S. Jacobi narrat Eusebius *lib.* 7. *cap.* 15. ut etiam in Smirnensi corpus S. Polycarpi, recensuit Nicephorus *lib.* 3. *cap.* 35. Scimus etiamnum reliquias S. Jacobi Apostoli magno cultu , & fidelium veneratione asservari in Hispania , & religionis causa Compostellam confluere ex dissitissimis Europæ partibus fideles ut reliquias venerentur Apostoli. In Gallia itidem asservantur, & coluntur insigni veneratione reliquiæ Sanctorum Dionysii , Martini , Hilarii, adeo ut ex universalis Ecclesiæ consensu constet, Sanctorum reliquias semper in Ecclesia Catholica fuisse habitas à fidelibus in veneratione , & honore. De vestibus Redemptoris Nostri habemus Marci *cap.* 25. *v.* 26. ad earum contactum plura fuisse à Deo patrata miracula , mulier enim , quæ erat in profluvio sanguinis annis duodecim cum audivisset de Jesu, venit retro, tetigitque ejus vestimentum, & statim exsiccatus est fons sanguinis; de umbra Petri in actis Apostol. cap. 5. v. 15. consuevisse primos fideles suos ejicere in plateas infirmos, ac ponere in lectulis , & grabbatis: *ut veniente Petro saltem umbra illius obumbaret quemquam illorum , ac inde liberarentur ab infirmitatibus suis*; & ex eodem Act. Apostol. de Paulo refertur cap. 19. v. 12. *Quod super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria , & semicinctia , & recedebant ab iis languores , & Spiritus nequam egrediebantur.* Eusebius *lib. Histor.* refert, honorem , quem Astyrius Romanus vir consularis detulit corpori S. Marini Martyris, cujus ossa eleganti , & pretiosa veste cooperuit , & sacrum illud pignus propriis impositum humeris inde deportaverit : cumque sumptuoso linteo involvisset, decenti postea condidisse sepulchro ; & D. Hieronymus in vita D. Pauli Eremitæ meminit honoris, quo S. Antonius prosequi consueverat reliquias , seu vestem D. Pauli inquiens : Tunicam ejus sibi vindicavit, quam in sportarum modum de palmæ foliis ipse sibi contexuerat, ac sic ad monasterium reversus discipulis cuncta ex ordine replicavit ; diebusque solemnibus Paschæ , & Pentecostes semper Pauli tunica vestis fuit : Neque Reges & Imperatores dedignati sunt reliquias venerari, Sanctorum ait enim Augustinus epist. 42. ad Maudarenses ; *Videtis imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare:* & lib. 1. de civit. Dei c. 13. ait: *Si enim paterna vestis , & annulus, ac si quid hujusmodi tanto charius est posteris , quanto erga parentes major extitit affectus ; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora , qua utique multo familiarius atque conjunctius quam qualibet indumenta gestamus:* Et D. Chrysostomus in lib. quod Christus sit Jesus, ait: *Roma urbium & regalissima relictis omnibus ad sepulchra Piscatoris , & Pellionis currunt Reges , & Præsides, & milites.* Quinimò voluit Deus, ut sacris Martyrum reliquiis Angelorum

ministeriis sepulchra erigerentur ut de corpore S. Catharinæ Martyris in monte Sina per Sanctos Angelos mirabiliter collocato habetur ex Metaphraste in ejus vita, & refertur à Cardinale Barone sub anno 307. ut etiam de corpore S. Clementis Romani Pontificis in eodem Magistratu, quo fuit submersus, dedit enim Deus reliquiis S. Martyris habitaculum angelicis manibus præparatum, de quo refert Gregorius Turonensis, singulis annis die illius Martyris aquas illas se retrahere ac contrahere ab eo sacrato loco, ut quisquis ex fidelibus possit siccis vestigiis siccatoque pede sepulchrum illud S. Martyris invisere. D. Hieronymus in vita S. Hilarionis loquens de obsequio Sanctorum reliquiis debito ait: *Postquam Palestina Sanctus vir Hesychius Hilarionem mortuum, & sepultum audivit, perrexit ad Cyprum, & simulans se velle habitare in eodem hortulo ut diligentis custodia suspicionem accolis tolleret, cum ingenti vitæ suæ periculo corpus ejus furatus est, quod Majomam deferens, totis Monachorum, & oppidorum turbis prospicientibus in antiquo monasterio condidit, illæsa tunica, cucula, palliolo, & toto corpore quasi adhuc viveret, integro tantisque flagrante odoribus, ut delibutum unguento putares.* De miraculis reliquiarum S. Ambrosius epist. 51. quæ est prima lib. 7. & in serm. de festo Sanctorum Gervasii & Protasii ait: *Severus ut contigit fimbriam de veste Martyrum, qua sacra reliquia vestiuntur, clamat sibi restitutum lumen.* Quod etiam refert D. Augustinus lib. 9. confess. cap. 7. Hinc D. Chrysostomus refert cultum, & honorem quem Roma reportavit ex reliquiis Apostolorum aliis quibuscunque triumphis priscorum Imperatorum, & homil. 32. in cap. 10. ad Rom. ait: *Ego & Romam propterea diligo; tametsi aliunde queam illam laudare, nempe à magnificentiâ ab antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, à potentatu, à divitiis, & à rebus in bello fortiter gestis: sed relictis istis omnibus, ob id illam beatam prædico; quòd erga illos Paulus, dum viveret, adeo fuit benevolus, adeo illos amavit, coram disseruit, & postremo apud eos vitam finivit. Unde & Civitas ista hinc facta est insignis, plus quàm à reliquis omnibus.* Et paulò post: *Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli? affigi sepulchro, videre pulverem corporis illius? &c. Oris hujus pulverem videre vellem, per quod Christus magnalia, & ineffabilia loquutus est: non solùm autem oris, sed & cordis illius pulverem, videre vellem &c. videre vellem rursus pulverem manuum illius, quæ in vinculis fuerunt, &c. pulverem videre vellem oculorum bene excæcatorum, deinde ad orbis salutem respicientium, qui & Christum in corpore videre meruerunt. Vellem & pedum illorum videre pulverem, qui per orbem currentes laborarunt. Vellem videre sepulchrum, quo recondita sunt arma illa justitiæ, arma lucis, membra nunc viventia tunc vero, cum in hac vita essent, emortua.*

Sancti Patres unanimi consensu etiam censuerunt hunc cultum sacris esse reliquiis exhibendum. Clemens Romanus lib. 6. constit. cap. 30. ait: *Eorum, qui Deo vivunt, neque reliquiæ sine honore manent:* & D. Basilius expendens verba illa: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*, eleganter ait: *In lege veteri morticina habentur abominatione: nunc contra si mors cuipiam irrogatur pro Christi nomine pretiosa censentur reliquiæ ejus. Tunc si quis tangeret cadaver, immundus erat: nunc Martyrum ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem, sit sanctificationis particeps.* Et Tertullianus lib. 2. ad uxorem ait: *Consuevisse fideles summa animi dimissione, corporisque modesta compositione raptare in carceres, ut ferrea Martyrum deoscularentur vincula.* Et D. Ignatius Martyr Apostolorum discipulus ad Tralianos affirmat feroces bestias corpora venerari Martyrum, ait enim: *quas invitabo ad devorationem mei, & deprecabor, ne forte quod cum nonnullis fecerunt, timeant attingere corpus meum.* Hæretici autem bestiis ipsis se fatentur crudeliores, ac immaniores, cum cultum, & reverentiam denegent Sanctorum reliquiis, quos bruta animalia ipso instinctu, & voluntate Dei reverentur, & colunt: quinimò etiam insensibiles creaturæ muta elementa signum depromunt reverentiæ Sanctis viris eorumque corporibus. Narrat Eusebius lib. 4. cap. 14. quòd cùm D. Polycarpus Joannis Evangelistæ auditor mitteretur in rogum validissimum ignis in modum cameræ sese extulerit, ne corpus illud quidquam læderet, sed tantùm cingeret, ut coronaret, splenderet, ut collustraret, unde gladio transverberatur à tyranno, & ex profluvio sanguinis totus ignis extinctus fuit, & cùm Judæi instetissent, ut sanctæ illæ reliquiæ in cineres redigerentur, & Ethnicus Judex annuisset illorum votis collegerunt Christiani incredibili aviditate superstites illas reliquias, qnas lapidibus pretiosissimis ornârunt & cultui exhibuerunt, ait enim Eusebius epist. ad Smirnenses: *Collegimus ossa combusta, ac sicut conveniebat ex more condidimus, quo in loco etiam nunc testante Domino solemnes agimus, celebresque conventus, maximè quidem in die passionis ejus; sed & cum eo eorum memorias, qui prius passi fuerant, celebramus.* Et Eusebius lib. 10. suæ hist. refert quod cum tempore Diocletiani grassaretur inaudita persecutio Christianorum, consueverint Pagani effodere corpora Martyrum, ac projicere in mare, *ne forte Dii efficerentur Christianorum, & illi qui Deos adorare nollent, servos nostros incipiant adorare*; tanta enim erat religio, & Christiana devotio circa venerationem corporum Sanctorum, ut Ethnici externa specie honoris decepti putarent Christianos reliquias Martyrum habere ut propria Numina. S. Athanasius Legatarius Pallii triti & absumpti, quod ipse novum donaverat Antonio Eremitæ; Antonium in Antonii muneribus, & tanquam magna hæreditate ditatus gaudens per vestimentum recordabatur imaginem sanctitatis, & pallium illud consueverat deosculari, ac in magna habere veneratione. D. Basilius insigne etiam exhibet testimonium cultus exhibiti sacris reliquiis primo in sermone de S. Barlaam Martyre, ubi ait: *Antea flebant Sanctorum mortes, ut Joseph, & Moyses, & Samuel, nunc non prosequimur lachrymis Sanctorum Martyres, sed tripudiis divinitus inspiratis super sepulchra eorum choreas ducimus*, vocat honores à fidelibus exhibitos reliquiis Martyrum honores divinitus inspiratos, quomodo verò exhibitus fuerit honor superstitibus Martyrum reliquiis explicat in concione, quam habuit de Progordio Martyre inquiens: *Qui vitas eorum, qui in pietate perseverarunt, recensemus, & glorificamus primum Dominum per*

*servos*

*ſtros. Laudamus autem juſtos per teſtimonium eorum, quæ novimus, populum verò per honeſtorum factorum narrationem exhilaramus, Pſal.115. quando judaice quis moriebatur abominabilia erant mortuaria; cum pro Chriſto autem contingit mors pretioſa ſunt reliquæ Sanctorum. Antea dicebatur de ſacerdotibus, & Deo dicatis: non contaminabitur ex aliquo mortuo: nunc autem qui contingit oſſa Martyris quandam ſanctificationis ſocietatem aſſumit ex gratia corpori inſidente*, ait ineſſe Sanctorum cineribus peculiarem aliquam virtutem, quæ devotè cos tractantibus communicetur, hinc Damaſcenus lib. 4. de Orthodoxa fide cap. 16. ait: *Fontes nobis ſalutares Deus præbuit Sanctorum reliquias multimodis beneficiis ſcaturientes*, & S. Gregorius Nazianzenus orat. in S. Cyprianum ait: *Omnia poteſt pulvis Cypriani cum fide ut ſciunt hi, qui ipſi experti ſunt, & miraculum ad nos uſque tranſmiſerunt.* Et D. Hieronymus plura, & mira recenſet, de veneratione reliquiarum in diſſertatione, quam habuit cum Vigilantio impugnante eorum cultum contra quem præſertim cap. 2. 3. & 4. ait: *Ergo ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum Baſilicas ingredimur; ſacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim in quarum præſentia Dæmones rugiunt.* Et in epiſt. 17. ad Marcellam ſcribit: *Martyrum ubique ſepulchra veneramur, & ſancta Favillam oculis apponentes ſi liceat, etiam ore contingimus.* Et D. Leo Papa epiſt. 307. adgratulatur Pulcheriæ Auguſtæ eò quia reliquias S. memoriæ Flaviani ad Eccleſiam cui bene præfuit, curavit cum honore debito revocari.

Probatur ex Conciliis cultum ſacris Martyrum reliquiis exhibitum eſſe religioſum, honeſtum & utilem colentibus, etenim Concilium Nicænum II. coactum anno 781. cum ſtatuiſſet act. 3. Apoſtolicas Eccleſiæ traditiones decrevit debitam venerationem, & cultum ſanctorum reliquiis eſſe exhibendum, ait enim *reliquias eorum fontes ſalutares multimodis beneficia fundentes, Martyrum enim oſſa virtutes multas operantur, atque illud per Chriſtum qui in ipſis habitat.* Et hoc decretum ſubſcripſerunt Epiſcopi trecenti quinquaginta. Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 66. prohibet ob fraudis periculum ne novas reliquias ullus publicè venerari præſumat, ſine authoritate Papæ, & ne antiquæ reliquiæ extra capſam, vel ciſtam oſtendantur; nec venales exhibeantur, quapropter habetur lex canonica cap. cum ex eo de reliquiis, & cap. Sanctorum veneratione & huic decreto conſonat ſtatutum à Tridentina Synodo ſeſſ. 25. de non admittendis novis miraculis, & reliquiis niſi Epiſcopo approbante. Concilium Gangrenſe in Paphlagonia circa annum 324. can. ult. anathemate percutit eos qui ad confeſſiones, ſeu loca ubi ſunt Martyrum reliquiæ celebratos conventus, & miniſteria execrabantur. Euſtachiani enim contra quos coactum fuit Concilium detrectabant Baſilias Martyrum ingredi, ne eorum corpora (quæ immunda putarent) venerari viderentur: & Concilium Carthaginenſe 1. jubet cap. 14. ut nullæ Baſilicæ, nullæ Eccleſiæ conſecrentur ſine reliquiis Martyrum, & habetur *in can. Placuit. de conſec. diſt.* 1. Concilium Bracharenſe III. ſtatuit, ut majoris venerationis, & cultûs causâ can. 5. theca reliquiarum geſtaretur

à Levitis; quòd ſi Epiſcopus per ſe reliquias deportare voluerit, pedeſter eat. In Concilio Epaunenſi coacto in Gallia can. 25. jubetur non poni reliquias Sanctorum niſi in Eccleſiis, ubi ſint Clerici, qui iiſdem pſallendo famulentur. In Concilio Moguntino can. 51. coacto anno 813. ſtatuitur, ne corpora Sanctorum transferantur de loco ad locum ſine conſilio Epiſcopi, & licentia S. Synodi, quod certè ad honorem non exiguum ſacrarum reliquiarum pertinet. Præterea hunc cultum debitum Sanctorum, ac Martyrum reliquiis eſſe honeſtum, & placere Deo plura, quæ ob talem cultum patrata ſunt à Deo miracula facilè ſinunt conjicere: plura enim recenſentur ſigna & miracula, quæ per Sanctorum reliquias veluti per divina organa Dei omnipotentia effecit, ut eorundem adoratio comprobaretur, etenim 4. *Reg. cap.* 13. ut ſuperius innuimus, oſſa Eliſæi Prophetæ mortuum ad vitam revocârunt, & Act. 19. Sudaria Pauli plures graviſſimis morbis laborantes priſtinæ reſtituerunt ſanitati, & tartarei Spiritus ex obſeſſis corporibus expulerunt: quinimò etiam Petri umbra per lucis privationem ſanitatem conferebat, & reliquiæ S. Stephani viſum cæcis contulerunt, ait Auguſtinus lib. 22. de civit. Dei cap. 8. *Ad aquas Tibilitanas Epiſcopo afferente Projecto reliquias Martyris glorioſiſſimi Stephani ad ejus memoriam veniebat magna multitudinis concurſus, & occurſus. Ibi cæca mulier ut ad Epiſcopum portantem pignora Sancta duceretur, oravit, flores, quos ferebat, dedit, recepit, oculis admovit, protinus vidit*, & paulo infra ait: *In Caſtello Sinatenſi, quod Hipponenſi Colonia vicinum eſt, ejusdem loci Lucillus Epiſcopus populo præcedente atque ſequente memorati Martyris portabat reliquias, & fiſtula, cujus moleſtia jam diu laboraverat, & familiariſſimi ſui Medici, qui eam ſecaret, operiebatur manus illius pia ſarcina vectatione repente ſanata eſt.* Alia ſimilia miracula per cultum exhibitum Sanctorum reliquiis perpetrata leguntur paſſim in hiſtoriis Eccleſiaſticis, adeo ut nulli poſſit dubium eſſe, quin debita reliquiarum veneratio ſit Deo grata, alioquin Deus per patrata miracula non comprobaret hanc venerationem. Tum quia plerumque occultas Sanctorum reliquias Deus revelavit, ut debitus illis honor exhibeatur à fidelibus, ut conſtat de reliquiis Sanctorum Marcellini, Gervaſii & Protaſii, quæ Deo revelante manifeſtatæ ſunt.

Ratione etiam poteſt evincis, honeſtas hujus cultûs exhibiti Sanctorum reliquiis, etenim corpora Sanctorum & in Martyribus tormenta vulnera, & alia id genus fuerunt pro Chriſto paſſa: & in Sanctis Confeſſoribus, dolores, mortificationes, imbecillitates, infirmitates macerationes, virium deſtitutiones, defectiones flagellationes, cilicia, lacerationes, & alia id genus ſubierunt, à quibus propterea fuerunt ſanctificata, ac Deo dicata, propterea aliquo ſpeciali cultu digna ſunt. Præterea quia cum fuerint templa animarum Sanctarum, & futura ſint conſortio æternæ beatitatis, in qua in honore erunt, nunquam peritura, ſequitur, quod ob hanc habitudinem, quam Sanctorum reliquiæ dicunt ad ſanctos ſpiritus dignæ ſunt cultu, & veneratione: ſiquidem majorem cum ſanctis animabus habent reliquiæ conjunctionem, quàm imagines, quæ tantùm repræſentant ſua prototypa unde ſi ob excellentiam Sanctorum imagines eorundem ſunt cultu & vene-

& veneratione dignæ, à fortiori etiam reliquiæ erunt in veneratione, & honore habendæ: præsertim cum eas honorificè conservare, & submissè colere signa sint amoris erga Sanctos, & excitent ad devotionem erga eosdem quapropter si imagines dignæ sunt veneratione, à fortiori eorumdem superstites in terris reliquiæ. Præterea ex eo, quòd corpora Sanctorum fuerint templa Spiritus Sancti, à quo etiam post mortem retinent sanctitatem; non enim ut perversè censuit Constantinus Copronymus instar crumenæ pecuniis vacuæ existimanda sunt sanctorum ossa, quia semper habent relationem ad animam quæ informata, vel informanda sunt, debent consortium habere cum illo in cœlo, ubi erunt in perpetuo honore, & persæpe hic sunt instrumenta Dei ad miracula perpetranda per gratias fidelibus concedendas consequenter veneranda sunt. Alia ratio ex eo peti potest, quia Deus reliquias Sanctorum vult à fidelibus honorari, ac custodiri, Psal. 115. *Custodit omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur*, quapropter ait David Psal. 33. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Et quamvis id vel maximè verum sit post resurrectionem, in qua singula Sanctorum ossa ad incorruptionem immortalitatis reducentur, nihilominus id etiam verum est de pluribus in hac vita Sanctorum corporibus quæ speciali Dei miraculo suavissimo fragrant, & perseverant incorruptæ ut Romæ corpus S. Cæciliæ, quod anno 821. extractum fuit integrum, & incorruptum è cœmiterio S. Sixti, & Assisii corpus S. Francisci, quod absque fulcris stare super sedes, & instar orantis manus, & oculos in cœlum tendere testes fuerunt summus ipse Pontifex & omnes qui eum fuerunt comitati, & ejus sepulchrum in subterranea Ecclesia visitârunt. Neque honor iste Sanctorum reliquiis à Deo impensus sistit tantùm in ipsorum simplici conservatione verùm etiam, quia in occultis terræ visceribns, cum laterent subductæ à mortalium oculis, has Deus eduxit è tenebris, & revelavit, ut à fidelibus colerentur, quo pacto anno Christi 485. S. Barnabas Apostolus in Insula Cypri Anthemio Salaminæ Episcopo apparuit, cui ubi suum jaceret corpus integrum cum Evangeliis S. Matthæi juxta pectus revelavit, ut è loco illo extraheretur. S. Sebastianus ad eundem finem apparuit Lucinæ; S. Gervasius Ambrosio; S. Stephanus Luciano Presbytero ut eorum sacra pignorin loco honorato collocarentur, ac colerentur. Quòd si reliquiarum cultus Deo displiceret, vel fideles periculum incurrerent idololatriæ minimè hujusmodi miracula patraret, quæ nonnisi in confirmationem veritatis fieri consueverunt, quinimò interdum ex reliquiis Sanctorum lilia, vel rosas visæ sunt germinâsse adeò ut de ipsis rectè canat Ecclesia; *Sancti tui Domine florebunt sicut lilium, & sicut odor Balsami erunt ante te*, tametsi ossa Sanctorum pullulare & germinate opportunius dicantur, quia ab iisdem non solùm beneficia corporalia, sed etiam spiritualia in animas deriventur fidelium, eatenus reliquiæ Sanctorum cultui exhibentur fidelium, ut ab iisdem desideria exercendæ virtutis ad eorundem imitationem in nobis tanquam flores novelli ac decori oriantur. Quòd ex ipsis in nos deriventur beneficia corporalia testantur fermè innumera miracula, quæ in beneficium fidelium patrata sunt, ut visus restitutus cæcis, auditus surdis, gressus claudis, sanitas infirmis. S. Basilius orat. in Mamantem ait: *nota esse miracula, quibus Martyr aliis sanitatem, aliis vitam restituerit*; & orat. in Julittam ait: *Cum reliquiæ S. Julittæ ad quemdam locum, ubi penuria aquæ incolæ laborabant, adductæ fuissent, mox è terra erupit fons aquæ dulcissimæ*, & D. Chrysostomus in lib. contra gentiles de reliquiis S. Babylæ Martyris ait: *Sententiæ nostræ fidem abundè faciunt, quæ quotidiana à Martyribus eduntur miracula.* Et D. Augustinus: tot asserit miracula facta à sacris lipsanis S. Stephani, quorum ex parte testis fuit oculatus ut ad libros conscribendos sufficiant, & serm. 32. testatur asservari Anconæ in Italia unum ex lapidibus quo lapidatus fuit S. Stephanus, ex quo plura facta fuerunt miracula. Quinimò viget hactenus Neapoli in Campania insigne, ac perenne miraculum sanguinis S. Januarii Episcopi Beneventani, qui vitrea in ampulla concretus separatim à corpore servatur, & quoties capiti admovetur, quasi proximus illius Martyris coronæ lætetur, aspectu statim ebullit, liquefit, & fluit non sine ingenti adstantium admiratione; & cùm primum à capite disjungitur, in pristinam sphæricam formam obdurescit, ut antea, & hoc miraculum singulis annis visitur. Rursus S. Gregorius Turonensis lib. de gloria Martyrum refert, ex Sanctorum reliquiis persæpe scaturivisse suave unguentum; & cap. 34. ait: *Andreas Apostolus magnum miraculam in die suo solemnitatis profert, seu manna in modum farinæ vel oleum cum odore nectareo, quod de ejus tumulo exsudat, estque signum fertilitatis vel sterilitatis anni sequentis; si enim exiguum proftuit, modicum terræ fructum futurum indicat, sin verò abundet, copiosiorem proventum fructuum significat: & ferunt subinde tantùm è tumulo oleum superfluxisse, ut usque ad medium Basilicæ fluxerit rivus ille, & cum oleum defluxit, tantum odorem naribus præstitit, ac si ibi multorum aromatum sparsa fuisset congeries, ex quo cum plures fiant unctiones plura fideles accipiunt beneficia præsertim corporis, æstus enim febriles extinguuntur, tenebræ cæcitatis exterguntur, aurium surditates aperiuntur, & alia corporis infirmitates expelluntur*: & subdit, hæc Patracenses enarrare, apud quos crucifixus fuit Andreas. Omnibus itidem notum est, ex corpore S. Nicolai Myrensis Episcopi liquorem scaturire ad medelam plurium ægritudinum, ut etiam testatur Emanuel Imperator novella de feriis, & Bosius Tom. 12. lib. 1. cap. 10. refert è corpore S. Januariæ Virginis sudorem quendam sanguineum emitti, quem Moniales S. Spiritus Eugubii, in quo jacet, abluunt, & mirabiliter prodest infirmis. Nicephorus refert de S. Euphemia, quòd ejus corpus exsudet sanguinis liquorem quem Episcopus loci, in quo jacet, ipso passionis ejus die in omnium conspectu spongiis quibusdam haurit, quem temperatum odoriferis unguentis, vitreisque exceptum vasculis, donat turbæ advenienti ad medelam. In corde S. Claræ de monte Falco instrumenta repræsentari dominicæ passionis mille sunt testes oculati, quæ digito Dei vivi miro artificio in illo exarata sunt, funiculis hinc inde in utraque parte cordis dispositis, & in felle præfatæ Virginis tres repertæ sunt pelliculæ rotundæ magnitudinem habentes trium parvarum nucum ejusdem magnitudinis & ponderis ac coloris, quarum una tantum ponderat, quantum altera, & una sola quantum aliæ duæ simul, idque in fidem Mysterii sanctissimæ Trini-

Trinitatis, & Christi passionis effecit Deus. Hæc & pleraque alia similia efficaciter probant, Deum maximo in honore reliquias Sanctorum habere, eorumque cultum ei percharum esse.

Accedit etiam alia ratio ex eo desumpta, quia Angeli honorificam sepulturam reliquiis Sanctorum dederint. Scimus enim ex scripturis Angelos quædam Sanctorum corpora honorificè sepelivisse, ut à fidelibus colerentur, ac in honore haberentur, & Apostolus Judas in sua epistola canonica innuit, corpus Moysis sepultum fuisse ab Angelo Michaele, & S. Catharinæ corpus fuisse depositum in monte Sinai, & ibi post toleratum Martyrium fuisse honorificè sepultum, habetur ex officio Ecclesiæ, & historiæ Ecclesiasticæ fidem faciunt de sepulchro S. Agathæ, cui epitaphium inscripserunt Angeli, ut ex veteri traditione memorant Catanenses. Reliquiis S. Clementis Papæ ædiculam in mari, in quod submersus fuerat, construxerunt marmoream Angeli, adeo ut intus appareret arca lapidea ubi corpus conditum fuerat, quo miraculo permoti incolæ Urbis Chersonæ Christi fidem susceperunt. Item corpus S. Bartholomæi cum in Asia existeret, in dira Christianorum persecutione dejectum fuit in mare, quod Angelis sublevantibus delapsum fuit in Insulam Liparitanam, & revelatum Christianis, ut illud colligerent, & sepelirent, & plura inde facta fuerunt miracula, ut refert Gregorius Turonensis. Et Sigebertus refert corpus S. Quintini Angelica revelatione detectum fuisse. Rursus ex Angelorum custodia Sanctorum reliquias & corpora à ferarum laniatu, aliisque elementorum injuriis reservata fuisse, præsertim ab igne, aqua, a corruptione legitur in martyrologio. Sanctis eisdem cadaveribus obsequium & reverentiam belluas ipsas feroces impendisse exploratum est; scimus enim duos Leones è penetralibus deserti accessisse ad locum, ubi occubuerat S. Paulus, quem S. Antonius sepelire cupiebat, cum enim sarculum quo terram effoderet, non haberet, Leones ex unguifera Sylva exilientes certatim pedibus terram effoderunt, & foveam, quæ hominem caperet, effecerunt, & statim abierunt, quinimò Sanctorum corpora vel ipsæ belluæ propugnarunt, ac defenderunt, ut Vincentii corpus corvi, Stanislai aquilæ, Edmundi Lupi. Quòd si animalia irrationalia Sanctorum corpora debito prosequuntur honore, cur iisdem detrectant homines rationis compotes debita impendere obsequia. Alia itidem ratio ex honorifica petitur reliquiarum translatione, quæ antiquissima probatur in Ecclesia Catholica; etenim corpora Apostolorum Petri & Pauli translata fuerant è catacumbis partim ad Vaticanum, & partim in Prædium Lucinæ in via Ostiensi, ubi munifica fuerunt templa erecta, & Rufinus lib. 2. cap. 28. describit translationem reliquiarum S. Joannis Baptistæ ex Palestina in Alexandriam; D. Hieronymus lib. contra Vigilantium refert, translatas Constantinopolim reliquias S. Andreæ, Lucæ, & Timothei tempore Constantini Imperatoris, & tempore Arcadii reliquias Samuelis Prophetæ ex Judæa in Thraciam translatas tanto honore, ut in vase aureo ab Episcopo delatæ fuerint, comitante immensâ populorum caterva; D. Chrysostomus serm. de S. Ignatio Episcopo Antiocheno describens ejus translationem & ait: *quindecim Leonum dentibus in theatro dilaniatus Martyrium consummavit Romæ anno Christi 110. & Traiani Imperatoris undecim post necem ejus Syri, qui eum comitati erant Romam, susceptas ejus reliquias Antiochiam ovantes magno omnium civitatum, qua in itinere essent, accursu, & applausu solemniter retulerunt.* D. Hieronymus asserit collatas esse in suburbio ad portam Daphniticam, & ibi magnis, ac continuis coruscare miraculis: ex quo conjicitur quanta fideles tunc temporis habuerint in veneratione reliquias sanctorum, quas solemni ritu ingenti populorum frequentia in loca nobiliora transtulerunt, & non sine ingenti pecuniarum sumptu, præsertim cum antiquo jure Romanorum defunctorum reliquiæ prohiberentur transferri absque licentia collegii Pontificum, ut ait Plinius lib. 10. epist. 73. ad Traianum, adeo ut non sine sumptu, & quidem ingenti, poterint ab Urbe Roma Martyrum corpora extrahi, & alio asportari. Constat etiam, anno 438. corpus S. Chrysostomi è Comanis, ubi exul obierat, translatum fuisse Constantinopolim ingenti pompa, ac jussu Theodosii Imperatoris fuisse senatores missos ad illud transferendum, qui cum non potuissent illud dimovere loco Theodosius Imperator ex consilio Procli, ac aliorum, qui in opinione sanctitatis viverent, supplices litteras misit veniam pro parentibus petens ad ipsum Chrysostomum, quem rogavit, ut dignaretur Constantinopolim redire; & hisce litteris super cadaveris pectus positis, potuit statim dimoveri, & in theca argentea humeris sacerdotum translatum fuit magna populorum frequentia primò Chalcedonem, deinde ab Imperatore & Proclo Episcopo perductum Constantinopolim, universo Clero, & Senatu Bosphorum navigantibus, & ardentibus cereis, & ad Sanctorum Apostolorum Ecclesiam positum, ibique requirente populo in throno episcopali collocatum circumstantibus dixisse, *pax vobis*, ac demum ad basim altaris conditum fuit, cui Imperator humi prostratus supplicavit pro cessatione motûs continui; & tumuli matris Eudoxiæ: hæc omnia narrantur à Nicephoro, ex quibus nulli potest dubium superesse, quin Sanctorum reliquiæ sint honore, & cultu dignæ.

Objiciunt tamen Sectarii, reliquias Sanctorum nullo esse cultu dignas, eò quia Christus Luc. 1. Judæos reprehenderit, dixeritque: *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum*, tum quia Matth. 23. æquiparat Pharisæos sepulchris dealbatis, eò quia in extima facie aliquid præseferant pulchri & elegantis at interius pleni sint fœtidis mortuorum ossibus, ut indicaret hujusmodi mortuorum ossa immunda esse, ac propterea nulla veneratione digna: hinc ajunt Concilium Elibert. can. 34. expressè prohibuisse accendi cereos ad Martyrum sepulchra, eò quia censuerit eorum ossa nulla esse veneratione digna, utpote inanimata, & honoris incapacia. Sed contra, respondetur, Christum Judæos reprehendisse, eò quia ædificaverint monumenta Prophetarum in approbationem scelerum, quæ à suis majoribus fuerunt perpetrata: duplici enim ex causa potest sepulchro alicui demortuo construi; primò misericordiæ, vel honoris causa circa defunctum. Secundò in memoriam operis patrati ab interfectore quasi in erectione sepulchri honorifi-

ob Sanctorum excellentiam, quorum sunt reliquiæ, & quia hic cultus honestus est, ac religiosus, fundatus in excellentia ipsius sancti, debent in honore, & veneratione haberi, & Rufinus lib. 3. histor. cap. 33. refert Constantinum Magnum coram sepulchris Apostolorum, & Martyrum thecis consuevisse jacere humi prostratum, & cilicio tectum venerationis causâ.

Objiciunt tertiò illud D. Pauli 2. Corinth. 5. *Nos ex hoc neminem novimus secundùm carnem, & si cognovimus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Ex quo inferunt Sectatores cum Calvino oblivioni dari quidquid in eo carnale fuit, ut non quæ corporis sunt, quæramus in eo, sed quæ ad spiritum pertinent, ex quo inferunt cultum omnium reliquiarum esse abolendum. Sed contra quia Apostolus non asserit memoriam corporis Christi esse obliterandam, alioquin deberemus oblivisci passionis Christi, quæ tota fuit in corpore. & humanitate, quapropter teneremur oblivisci nostræ redemptionis quo nil potest excogitari deteriùs, nil magis ingratum. Tum quia hoc est contra scripturas, quibus Christus sanxit, quando instituit Eucharistiam, ut in mortis perpetuam memoriam eam conficeremus, adeo ut ipse Apostolus Paulus 1. Corinth. 11. ex Christi institutione dicat, *quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis*, cum igitur Paulus velit, ut Corinthii recolerent mortem Domini, quotiescunque Eucharistico epulo se reficerent, ne sibi contradicat 2. Corinth. 5. non potest intelligi, quòd debeamus oblivisci ejus corporis quod passiones sustinuit, cruciatus toleravit, & mortem subivit propter redemptionem humani generis. Quamobrem Apostolus tantum vult agnoscendum esse Christum non ut antea morti obnoxium, sed ut immortalem, & impassibilem, hoc enim indicant verba illa, *Et si cognovimus secundùm carnem Christum*, scilicet secundùm carnem passibilem, mortalem, fami, frigori doloribus obnoxiam: Sed nunc jam non novimus, scilicet in carne mortali possibili passionibus & morti obnoxium, bene tamen immortalem, & impassibilem, ut explicat Concilium Nicænum II. art. 6. & D. Chrysostomus in 2. ad Corinth. 5. quamobrem ex Apostolo non sunt negligendæ, nec contemnendæ Christi, & Sanctorum reliquiæ, sed honori, & cultui habendæ propter excellentiam prototypi. Manichæus itidem textum D. Pauli perperam intelligens aiebat, Christum veram non habuisse carnem, eò quia D. Paulus cum dixisset eum cognovisse secundùm carnem, postea suum corrigens errorem subdidit, nunc jam eum non cognoscere, quæ extorsio hæretica est, & pretium nostræ redemptionis in Christi sanguine delet.

Objiciunt quartò Hæretici asserentes cultum, & venerationem reliquiarum omnino abolendam & delendam, eò quia plura contineat superstitiosa circa pulveres, capillos, vestes, & alia inanimata quæ venerationis non sunt capacia. Sed contra quia ut jam explicuimus reliquiæ Sanctorum non coluntur absolutè, sed tantùm respectivè propter excellentiam, quam continet Sanctus ille, cujus dicuntur esse reliquiæ, quæ propterea sive pulveres, sive capilli sive vestes sint, asservari & honorari debent, tanquam instrumenta sanctitatis, aut sacra pignora ob respectum, & ordinationem, quam dicunt ad excellentias Sanctorum. Neque ullum facessit negotium, quod non vivant: siquidem neque vivebat arca Testamenti; neque sentiebant tabulæ in eadem inclusæ; neque vivebat amplius virga quæ olim fronduerat; neque manna, neque ejus urna, in qua servabatur, & nihilominus hisce omnibus, quamvis vita destitutis, insignis olim fuit honor, & cultus exhibitus, adeo ut nulli fuerit licitum præter quam Sacerdoti arcam tangere, & David nonnisi accinctus Ephod lineo, & omnis domus Israël eam ducebant in jubilo, & clangore buccinæ majoris honoris causâ & tamen David nec superstitiosus fuit, neque idololatra; Nec domus Israël fuit idololatriæ nota deturpata; eò quia honorem illum exhibuerit arcæ, & iis quæ in ipsa continebantur. Quamobrem licèt vita destituantur corpora Sanctorum, & aliæ eorundem reliquiæ, vivunt tamen ipsi, quibus honor impenditur in suis reliquiis rebusque superstitibus in terra, sunt enim hæc nobis relicta quasi eorundem trophea, ut in ipsis Sancti colantur, ait enim S. Leo Papa: *Quæque in trophea transierunt, & ad gloriam spectant Victoris.* Quamobrem flagella, quibus diverberata fuit Christi caro, ac dilacerata, fusóque cruore maduit, spinas, quæ sacratissimum Christi caput penetrârunt, lanceam, quæ Christi latus aperuit, crucem; in qua Christi corpus pependit, & alia instrumenta passionis veneramur, & colimus, non ut fuerunt instrumenta impietatis, & iniquitatis carnificum & tyrannorum, sed ut fuerunt instrumenta victoriæ. quibus Christus triumphator mortem ipsam debellavit, & nobis vitam impertivit, quo pacto etiam colimus illa instrumenta, quibus Christi Martyres gloriosam pro Christo subierunt mortem, non ut instrumenta carnificum, sed ut trophea Sanctorum Martyrum. Etenim etiam gladius Goliathi, quo obtruncatus fuit ipse à Davide repositus fuit in templo, & sacer habitus ut instrumentum celebris victoriæ, & tropheum insigne delatæ victoriæ Davidis contra gigantem, quem lapide prostravit. Præterea hunc cultum præstitum vestibus, & aliis reliquiis Sanctorum esse Deo gratum testantur apertè innumera propemodum miracula, quam Deus per vestes, & per ossa Sanctorum fuit operatus. Quamobrem Deiparæ Zonam, qua se consueverat adstringere; & pretiosas fascias, quibus Christi corpusculum colligaverat, tametsi res essent vita destitutæ tali tamen cultu venerata est Græcia, & in tanto honore eas habuit, ut templum in utriusque honorem erexerit ad omnem magnificentiam, cujus consecrationem S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus oratione habita in laudem Virginis celebravit, & plura recensentur facta fuisse miracula. Quid ni neque domus Lauretana, quam beata Virgo inhabitavit, gaudet vita, cum non sit nisi constructio lapidum, qui vita destituuntur, & in qua Verbum divinum caro factum suam transegit cum Maria Matre ejus & S. Josepho infantiam, & tamen plura dietim in ipsa miracula fiunt, & ex quavis terrarum parte confluunt fideles, cum donariis pretiosissimis suum exhibituri [illegible] ei domui, quam Deipara cum D. Josepho, & divino Verbo caro facto inhabitavit: hæc enim Domus ann. 1294. ex Nazareno solo ab Angelis translata fuit in Piceni sylva in tractu Lauretano.

Objiciunt quintò, catenus vestes, & domus

Beatæ

liquet ex illius constitutione, in qua ait: *feriatus est dies 23. Aprilis*, quia tum magnificus Martyr Georgius honoretur. Et ex Pontificibus Gelasius Papa, quamvis plura quæ narrantur de S. Georgio incerta esse dicantur, ipsum tamen Georgium recepit in numerum Martyrum. S. Gregorius Magnus lib. 9. Epist. 68. ad Marinianum Abbatem scribit se velle, ut Ecclesia Sancti Georgii restauretur. Zacharias Pontifex caput invenit S. Georgii cum inscriptione nominis, & in templo ejusdem Martyris reposuit, ut dicitur in vitis Pontificum. Cæterum modus quo in picturis, vel statuis solet repræsentari Sanctus Georgius, videtur esse emblematicus, cujus sensus mysticus fundatur in veritate, quæ est anima historiæ. Consueverant enim Orientales per figuras, & hieroglyphica conceptus suos exprimere, qua de causa S. Georgium equitantem repræsentant, quia in bello solet à Præfectis exercituum invocari, cujus opem plures fuerunt experti; per Draconem idololatriam significarunt, quæ Ecclesiam DEI oppugnaverat, & à S. Georgio propugnata fuit. Quòd verò ad S. Christophorum attinet, respondetur ex Ecclesiæ traditione, & attestatione Sanctorum Patrum, satis constare S. Christophorum extitisse, etenim de ipso loquuntur S. Gregorius Magnus lib. 8. Epist. 33. Beda, Ado, Usuardus in martyrologio die 25. Julii & in Martyrologio Romano legimus in Lycia S. Christophori Martyris, qui sub Decio ferreis virgis attritus, & à flammæ æstuantis incendio Christi virtute sanatus ad ultimum sagittarum ictibus confossus martyrium capitis obtruncatione complevit. In Hispania Cordubæ fuit templum, & Monasterium S. Christophori, Petrus Damianus elegantem recitavit Panegyrim de S. Christophoro, qui est sermo 34. in 1. Tom. Unde ex traditione Sanctorum Patrum, quibus major fides præstanda est, quam Sectariis recentioribus constat S. Christophorum verè extitisse.

Quæres, an possint reliquiæ Sanctorum sub conditione venerari? respondetur dupliciter Sanctorum reliquias posse adorari, publicè, & privatè. Ut reliquiæ publicè colantur ab universa Ecclesia, debet constare de sanctitate personæ, ad quam pertinent reliquiæ, idque per summi Pontifici solemnem Apotheosim, qua celebri pompa canonizantur Sancti, vel per totius Ecclesiæ consensum, vel per Majorem traditionem. Præterea debent reliquiæ publica authoritate declarari ut veræ, & pertinentes ad talem Sanctum, & hæc authoritas inest summo Pontificis, & Episcopis, qui antequam approbent reliquias verè esse talis personæ, tenentur adhibere diligentiam, prout exigit humanus operandi modus, quia tunc piè credendum est, DEum non permissurum errorem in publico cultu Sacrarum reliquiarum, quòd si videatur subinde aliquis irrepere error, ut cum corpus ejusdem Sancti in pluribus existimatur locis asservari, in quibus à fidelibus Solemniter adoratur, tunc error non tam est in substantia rei adoratæ, quam in aliqua conditione, siquidem potuit contigisse, ut in utroque loco extiterit tale corpus, & etiamnum in utroque pars aliqua asservetur illius, à qua dicatur totum ibi asservari corpus, & tunc sufficit pro veritate adorationis pars illa, quæ superstes remansit in tali loco. Rursus potuit id contigisse, quia plures Sancti ejusdem fuerunt nominis, & successu temporis utriusque reliquiæ ad eandem censeantur pertinere personam ob nominis æquivocationem: & tunc satis est, ut sine errore reliquiæ Sanctorum colantur; si revera illæ reliquiæ, quæ in tali loco asservantur, & religiosè coluntur, ad talem pertineant Sanctum. Verùm ut reliquiæ privatim coli possint, sufficit, si viri fide digni testificentur talem reliquiam pertinere ad talem Sanctum, vel aliunde habeatur de hoc conjectura ita probabilis, ut sufficiens sit ad prudenter ita judicandum: quia in hoc reliquiarum cultu non est major requirenda certitudo, quàm ad exercendos actus cæterarum virtutum. Quòd si reliquiæ dubiæ fuerint, & incertæ, tunc quamvis non sint colendæ, non tamen debent contemptui haberi, sed separatim custodiri. Particula, tamen reliquiarum possit licitè à viris piis secum deferri devotionis causâ, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 96. art 4. ad 3. quia cum deferantur ex sola devotione ob majorem Sanctorum devotionem nullam includit indecentiam, & Ecclesia id nunquam prohibuit.

# CAPUT XIV.

## De Crucis adoratione, & ritu ordinandi priscorum fidelium.

NEmini apud fideles potest dubium esse, quin crux illa, in qua Christus pependit, adoranda sit, eò quia fuerit præcipuum instrumentum, quo Christus nostram fuit operatus salutem, & voluerit in illa mori, ut nos à morte peccati liberaret. Fuit enim crux illa sacrum illud altare, in quo Christus cruentum obtulit sacrificium æterno Patri, ut significavit Apostolus ad Hebræ. 7. Fuit scala per quam Christus ad sui nominis pervenit exaltationem, ut scripsit idem Apostolus ad Philipp. 7. fuit clavis illa, qua Christus nobis clausas cœli januas reseravit, ac cœlum aperuit. Præterea quia tactu sacratissimi corporis, & sanguinis Christi fuit consecrata, qua ratione adorantur etiam spinæ, clavi, lancea, columna, & alia instrumenta Dominicæ Passionis: quia hæc omnia ex tactu Sanctissimi corporis & sanguinis Christi fuerunt sanctificata, & supernaturalem ad se traxerunt excellentiam, qua sint cultu, & veneratione digna, hunc; enim cultum esse DEO pergratum testantur plura ea miracula, & beneficia, quæ DEus contulit hominibus ob religiosum cultum talium instrumentorum: plura enim contigisse miracula præsertim in inventione, & exaltatione sanctæ Crucis satis exploratum est in historiis Ecclesiasticis, & etiam referuntur in Romano breviario.

Quòd si dicas, licèt crux tunc potuerit adorari, cùm Christus actu in ea pependit, non ita nunc, cum Christus ab ea separetur, ut enim ait Augustinus serm. 58. de verbis Domini, Purpuram conjunctam Regi simul cum ipso adoramus, sin verò à rege separetur non, meretus amplius honorem regium.

Contra est, quia ut docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 25. *art.* 4. *ad* 1. Nos non adoramus crucem sub illa ratione, quâ fuerunt Judæi ea usi ad injuriam, pœnam, & mortem inferendam Christo Domino, sed crucem veneramur sub alia ratione, eò quia fuerit ab ipso Christo sanctificata ejus sanguine imbuta, & illi gloriam attulerit, & nominis exaltationem, & sub hac ratione etiam Filius honorat, ac veneratur gladium, quo suus Pater, non ut malefactor, sed ut innocens Martyr gloriosam subivit mortem, per quam ad æternam emigravit beatitudinem, quia tunc fuit instrumentum gloriæ, non supplicii, honoris, non dedecoris, vitæ, non mortis. Ad aliud, quod addebatur de ipsa cruce nunc non adoranda, eò quia separetur à Christi Corpore; Respondetur, quod tametsi realiter non sit nunc crux unita Christi Corpori; mente tamen illam adoramus ut conjunctam Christo, adeo ut eandem adoratione latriæ primò, & principaliter adoremus Christum per se, & propter se, & concomitanter, seu in ordine ad Christum ipsum sacrum crucis lignum, adeo ut eadem adoratio extitativè sumpta sit absoluta respectu Christi, & respectiva, ut terminata ad crucem, quæ propter Christum adoratur.

Major difficultas est de aliis crucibus, quæ Christi Corpus non tetigerunt, sed tantùm figuram præferunt veræ crucis, cui Christi Corpus affixum fuit, & dicuntur potius imagines crucis, quia cum cruces istæ, quæ verè non tetigerunt Christi Corpus, non repræsentent Personam Christi, sed tantùm eam crucem, in qua Christus pependit, non videtur quomodo cruces quæ Christi Corpus non tetigerunt sint adorandæ, alioquin si fierent clavi illis similes, quibus Christus fuit cruci affixus, deberent & isti adorari & coli, ut etiam si fierent flagella iis similia, quibus fuit Christus verberatus, & ita de aliis instrumentis dominicæ Passionis, quæ sacrosanctum Corpus Christi tetigerunt, hæc enim omnia instrumenta essent cultu & veneratione digna, eò quia repræsentarent eo instrumenta, quæ immediatè tetigerunt Christi Corpus. Nihilominus dicendum est crucem per modum imaginis Christi crucifixi debere religiosè coli, ac venerari, ut definitum fuit in sexta Synodo cap. 73. & in septima Synodo act. 7. idque etiam evincitur ex Apostolica traditione, adeo ut D. Ambrosius serm. 56. dixerit: *Sicut navis sine arbore, ita neque Ecclesia sine cruce stare potest*, adhibetur enim signum crucis ad dæmones fugandos, & ad divinum petendum auxilium, qua ratione consueverunt Missionarii Apostolici apud Ethnicos, & Indos in signum introductæ fidei, ac devictæ idololatriæ sanctam erigere crucem, quam adorandam exhibent nobis fidelibus, & hanc consuetudinem semper viguisse in Ecclesia, ex eo colligi potest, quia Constantinus Magnus cum primum fidem accepit, & lustrali aqua ablutus fuit, Romanorum vexillum in crucem mutavit Christianorum, & referunt Nicephorus, Sozomenus, Eusebius, & alii signum crucis eidem Constantino in cœlo apparuisse, ac certam victoriam de prostrato Maxentio promisisse, quod etiam obtigisse Arcadio Imperatori refert D. Prosper lib. de prædictionibus ac promissionibus Dei part. 1. cap. 14. ubi ait: Arcadium aureos numos cudi & cruce obsignari decrevisse. Præterea quia constat ex historiis, ante mille trecentos annos morem fuisse in Ecclesia deferendi in publicis processionibus crucem accensos inter cereos, quam consuetudinem refert, ac defendit Cyrillus lib. 6. contra Julianum.

Ratio ex eo itidem petitur, qui crux sumpta per modum imaginis Christi crucifixi est res sacra, ex relatione, quam habet ad Christum ut Crucifixum: sicut enim imagines Sanctorum ob relationem, quam dicunt ad prototypa, dicuntur Sanctæ, ita rei inanimatæ, ex ordine, & relatione ad munera sacra, & sacras personas dicuntur Sanctæ, quapropter Deus Exodi 3. dixit Moysi pascenti greges in Orebo monte: *Solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est*, & cap. 12. dies festi dicuntur Sancti, & venerabiles, eò quia sint Deo dicati, vel sancti; quod si res dicuntur sanctæ, & cultu dignæ, ac veneratione, tametsi tantùm sanctitate respectiva sint sanctæ, sequitur etiam crucem per modum imaginis Christi crucifixi esse dignam adoratione, eò quia per modum rei sacræ ad Christi honorem pertineat, ac propterea possit coli adoratione respectiva, & secundaria, quo pacto Rubertus Abbas lib. 6. de divinis offic. cap. 9. & 21. ait: Adoramus crucem fidei præsidium, pacis vexillum, & Damascenus lib. 4. cap. 12. de cruce expendens illud Psal. 131. *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus*, ait: *Nam crucem ibi intelligi argumentum est id, quod sequitur: surge, Domine, in requiem tuam, comes enim est crucis resurrectio.* Tum quia crux per se non solum repræsentat crucem, in qua Christus pependit, verum etiam Christum ipsum per modum crucis extensum brachiisque expansis. Neque est paritas de cruce, & aliis instrumentis Dominicæ Passionis, ut sunt clavi, lancea, columna, spinæ, quia sola crux est figura ipsius Christi, proinde ex hisce instrumentis imago crucis, quia imago Christi est adorabilis, non ita imago columnæ, lanceæ, clavi, quia hujusmodi imagines instrumentorum non sunt imagines crucifixi, hinc docet D. Thomas, solam figuram crucis semper habuisse usum sacrum, & religiosum, clavi autem, lancea, columna, & alia instrumenta ordinariè non assumuntur ad significandam Passionem Christi, sed ad humanos usus, & tantùm ut instrumenta passionis digna sunt veneratione, si pingantur & exhibeantur ad repræsentandam Christi passionem una cum cruce, quia tum habent usum sacrum, & rationem sacræ imaginis.

Cæterum tempore, quo supplicium crucis frequens fuit apud Ethnicos in reos, & latrones fideles primitivæ Ecclesiæ nonnisi cum circumspectione exhibebant imaginem Christi patientis affixi ad crucem. Sed ad horrorem excutiendum, & omne dedecus delendum gemmis potius, & margaritis ornârunt, ut quæ erat horrori, inciperet fieri illicii, & decoris. & Ecclesia canit: *O crux splendidior cunctis astris* & ad pedes crucis appingebant aliquando imaginem agni effundentis sanguinem ex pectore, & ex quatuor pedibus in symbolum Christi crucifixi, ut ex opere musivo in absideantiquæ Vaticanæ Basilicæ visebatur. Cum enim plures erubescerent Christum crucifixum, ut Deum adorare, scripsit enim Apostolus 1. ad Corinth. 1. Nos quidem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, & *sub cruce sanguinea nivo stat Christus in agno.* Est enim agnus ille mansuetus, de quo dixit Isaias cap. 53. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non*

*aperiet*

*aperiet os suum*, & hunc judicavit præcursor Joannes Baptista, cum dixit: *Ecce Agnus, ecce qui tollit peccata mundi*, & ad hanc imaginem Sanctissimæ crucis, agnique immaculati, ex cujus latere sanguis in calicem effunditur respiciens Innocentius III. dixit lib. 4. cap. 44. *non solùm lavit nos Christus à peccatis nostris in sanguine suo, quando sanguinem suum fudit in crucis patibulo, verum etiam quotidie nos lavat à peccatis nostris in sanguine suo, quando ejus sanguinem accipimus in calicis poculo.* Nec mirum nobis videatur, si fragilitati illorum priscorum fidelium ut indulserunt Sancti Patres circa ritus, qui directè Christianæ Religioni non repugnabant, siquidem suaviter ad verum cultum erant trahendi, ut D. Gregorius Magnus scribens Melito Abbati in regist. lib. 9. epist. 71. ait: Nam duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esse dubium non est: quia is qui locum summum ascendere nititur; gradibus vel passibus non autem saltibus elevatur. Sic Israelitico populo in Ægypto Dominus, sed quidem innotuit: sed tamen eis sacrificiorum usus, quos diabolo solebat exhibere, in cultu proprio reservavit, ut eis in sacrificio suo animalia immolare præciperet.

Cæterum crux à cruciatu suam sortitur nomenclaturam, eò quia rei apud Judæos, & Ethnicos torquerentur in cruce, & duplex est, materialis, seu exterior, quæ consistit in opere, & spiritualis, seu interior, quæ portatus in corde, & licet corporalis communis sit bonis, & malis, spiritualis tamen convenit bonis, ut notat S. Bonaventura *serm. 3. de S. Andrea* post initium, ubi ait: Crucem exteriorem fuisse ligneam, interiorem auream, illam fuisse passionis & pœnitentiæ, hanc compassionis, & misericordiæ, & tres fuerunt cruces prima latronis desperantis, secunda latronis deprecantis, & tertia Christi mundum redimentis; prima est crux diaboli, secunda justi, & tertia Christi; prima malitiæ, secunda pœnitentiæ, tertia justitiæ; ad crucem malitiæ pertinet pœna, ad crucem pœnitentiæ spectat venia, & ad crucem justitiæ gloria. Crux Christi errantes ad semitam reducit, pœnitentibus gratiam confert, pugnantibus fortitudinem impertit, diligentibus misericordiam promittit, & morientes ab hostibus tuetur, & bene viventibus est clavis cœli, vectis arcæ, maris navis, qua inter procellas hujus vitæ mortalis ad portum vehimur æternæ salutis, & palma victrix, & fructibus redundans, & ferculum Salomonis, est porta Paradisi; salus animarum, vita beatorum, thesaurus perfectorum, speculum virtutis, dux salutis, spes Christianorum, resurrectio mortuorum, lux cæcorum, via desperatorum, baculus claudorum, dissipator superborum, sustentatio inopum, periclitantium portus. obsessorum murus, justorum consolatrix, tribulatorum requies; ipsa est scala Jacob, clavis cœli, anchora salutis, cœlestis militiæ vexillum, & arbor navis Ecclesiæ, & lignum vitæ in medio Paradisi; in ipsa enim est salus vitæ & protectio, ipse est Clypeus Martyrum, salus credentium, gloria Apostolorum, diadema Virginum.

Quæres, an liceat uti signo crucis? respondetur affirmativè, quia est Christianæ fidei quædam professio, quapropter D. Augustinus exponens verba Psal. 141. *In die hac, qua ambulabam,* ait: *Usque adeo de cruce non erubesco, ut non occulto loco, sed in fronte eum ponam, insultet ille crucifixo Christo, videam ego in frontibus Regum crucem Christi*: etenim de virtute crucis sanctificamur, & munimur contra dæmonum insultus, ut tradit D. Chrysostomus homil. 71. ad populum inquiens: *Crucem fronte imprime, sic enim nec ipse diabolus lædere poterit.* Et Lactantius lib. 4. de vera sapientia cap. 27. ait: Hoc signum terrori esse dæmonibus, & eos de corporibus obsessorum fugare. Valet etiam signum crucis ad aliquid à Deo impetrandum, quo pacto oratio Moysis victoriam populo à Deo impetravit, quando in crucis figura manus ad cœlum elevavit: demum quia signum crucis memoriam excitat passionis Christi fiduciam indicavit, & cum significat, qui illo utitur in Christi cruce gloriari, ex quibus omnibus infertur, signum crucis adhibendum esse in modum sacræ ceremoniæ, & sacram habere significationem; neque refert, si dicatur fieri per actionem transeuntem: siquidem quando figuræ significatio est eadem, non impedit adorationem quocunque modo fiat, sive per modum permanentiæ, sive per modum transeuntis.

Quòd verò ad ritum pertinet orandi priscorum fideiium, certum est nullam viguisse unquam religionem, quæ preces suas Numini non funderet, & quæ certam Deo supplicandi rationem non haberet, adeo ut qui religionem mutaverunt, & ipsam orandi rationem pariter mutaverint, hinc Præcursor Joannes Baptista, qui in id incubuit studii in eremo, ut homines à veteri religione Mosaicæ legis averteret, & ad Christum converteret, hoc in primis curavit, ut suis Discipulis modum præscriberet orandi, & ut Christus idem præstaret, qui venerat novam instituere Religionem, Discipuli rogarunt, Luc. cap. 11. *Domine doce nos orare, sicut docuit Joannes Discipulos suos.* Sectarii, Joannis, & Christi abutentes exemplis, modum etiam edocuerunt, quo suas preces funderent; nulla enim fuit hæresis, quæ suas in Deum preces non dirigeret, ut de Arianis testatur Athanasius, de Valentinianis Irenæus, & de Marcionistis Tertullianus, & de Manichæis & Donatistis Augustinus, & de omnibus simul Hæreticis S. Epiphanius, & nostris itidem temporibus Sectarii, Lutherani præsertim & Calvinistæ, suas habent precandi formulas, quæ cum nostris minimè conveniunt neque inter se.

Inter varios autem priscorum fidelium ritus in fundendis precibus, & Numini supplicando hic vel maximè servabatur, ut orantes se ad orientem verterent, quod etiam plures ex sanctis Patribus observârunt, præsertim S. Athanasius ex Psal. 137. *Adorabimus ubi steterunt pedes ejus*; censet enim ex Zacharia cap. 14. Pedes Domini stetisse supra montem olivarum, qui est contra Hierusalem ad Orientem, cui assentitur Baronius ad annum Christi 34. Hunc orandi modum versus Orientem fuisse ab Apostolis traditum plures asserunt ex Sanctis Patribus, præsertim Justinus quæst. 118. Origenes homil. 9. in Numer. Athanasius lib. 9. cap. 14. Basilius de Spiritu Sancto cap. 23. Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 13.

Plures solent ab iisdem SS. Patribus rationes adferri hujus ritus in fundendis precibus, quarum prima est, quia Deus Lux est, & creator lucis nuncupatur; qua rationes Numini supplicantes, ac ovantes respiciendo orientem solem mentem discerent elevare ad creatorem lucis, ut ait D. Augustinus lib. 2. de orat. Domini in monte tom. 4. ubi ait: *Cum ad orationem stamus, convertimur ad orientem, ut admoneatur animus ad naturam excelsiorem se convertere. id est, ad Dominum; cum ipsum corpus ejus, quod est terrenum, ad corpus excelsius, id est, ad corpus cœleste convertatur; quoniam necesse est, ut cœlum præferant terræ: & cum aliquando cognoverint dignitatem animæ cœleste etiam corpus excedere; magis Deum quærant in anima, quàm in corpore etiam cœlesti: & cum cognoverint, quantum distat inter peccatorum animas, & justorum: sicut non audebant, cum adhuc carnaliter saperent eum in terra collocare, sed in cœlo; sic postea meliori intelligentia, magis eum in animis justorum, quàm in peccatorum requirant.* Præterea, quia Christus, quem oramus, est *lux mundi* Joan. 8. & Zachar. 6. *Et vir oriens nomen ejus*: Ut ergo significemur nos in oratione, cum Numini supplicamus illustrari à Christo sole Justitiæ; perinde ac illustrantur à sole corporeo, qui ad orientem respiciunt.

Secunda quia ad orientem erat Paradisus Genes. 2. *Plantaverat Deus Paradisum à principio*, ubi septuaginta interpretes vertunt ad orientem, seu ad partem mundi anteriorem. Oramus igitur conversi ad orientem, quia nos profitemur peregrinos, & ad patriam nostram, unde expulsi fuimus in persona Adæ post transgressionem præcepti à Deo injuncti, suspiramus, ut expendit S. Gregorius Nyssenus.

Tertia quia ab oriente cœlum surgere, ac moveri incipit, estque propterea pars illa totius mundi corporei excellentissima, proinde orantes convertere consueverant, fideles facies, & oculos, ad excellentissimum corpus lucidum, quia, ut notat Justinus Deo semper meliora sunt danda, & ut inde admoneamur convertere faciem spiritualem animæ, sed affectum ad Spiritum excellentissimum, qui est Deus, ut exponit D. Augustinus lib. 2. de orat. domin. in monte.

Quarta quia Dominus ipse moriens in cruce respiciebat Occidentem propterea nos ad Orientem oramus, ut obtutus mentis, & oculorum in faciem crucifixi dirigamus, & quia ipse ascendit in cœlum cœlorum ad Orientem, ut ait David Psal. 67. Ita & fideles ad Orientem faciem convertebant, ut quasi eum ascendentem vobis ac precibus comitarentur; & quia ipse ab Oriente venturus erit ad judicium Matth. 24. *Sicut fulgur erit ab Oriente, & paret usque in Occidentem, ita erit adventus Filii hominis*, hinc & nos ad orientem precamur quasi venturum judicem expectantes, ut explicat Damascenus.

Quinta, quia Judæi orabant ad Occidentem Exodi 26. ubi dicitur: *Ostium tabernaculi ad Orientem versum fuisse*, & Ezechiel 8. *Ecce in ostio templi Domini inter vestibulum, & altare quasi viginti quinque viri habentes dorsa contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad Ortum solis*, redarguit scriptura quosdam, qui contra ritum illius temporis adorabant conversi ad Orientem. Primi igitur fideles Numini supplicantes, & suas fundentes preces ad orientem respiciebant cum Judæi ad Occidentem, respicerent, eò quia eorum littera occidens erat, quatenus ad finem vergebat, & Christianorum Spiritus vivificans erat.

Sexta, quia Oriens, & Occidens sunt Symbola lucis, & tenebrarum, quapropter mos antiquitus in Ecclesia erat, quo baptizandi respicerent ad Occidentem, & ibi per tres vices abrenuntiato Dæmone vertebant se versus Orientem, ubique per alias tres vices confitebantur nomen Christi.

Septima, quia Christus ascendens in cœlum Occidentem intuebatur, unde congruum erat, ut homines orantes orientem aspicerent, quasi expectantes ejus adventum, dixerunt enim Angeli Discipulis post ejus ascensionem: *Quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum, ita veniet*, & S. Damascenus *lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 3.* ait: Tale fuisse institutum Apostolorum, quamvis non scriptum, quod etiam confirmat Justinus Martyr *lib. 6. quæst.* 118. & S. Basilius *lib. de Spiritu S. cap.* 27. eidem opinione adhæret.

Quia verò ex hoc ritu religiosè olim à Christianis observato quædam in nonnullos cœpit Romæ superstitio clanculo irrepere, adeo ut viderentur Priscillianistis solem adorare, ideo S. Leo Papa, qui floruit anno 443. cœpit contra hunc ritum acriter invehi serm. 7. de nativit. contra populum se vertentem ad Orientem in atrio Vaticanæ Basilicæ S. Petri, antequam templum illud ingrederentur, ait enim Leo Papa: *Quòd non nulli etiam Christiani adeo se religiosè facere putant, ut prinsquam ad Beati Petri Apostoli Basilicam, quæ uni Deo vivo & vero est dedicata perveniant, superatis gradibus, quibus ad suggestum aræ superioris ascenditur converso corpore ad nascentem se solem se flectant, & curvatis cervicibus in honorem se splendidi orbis inclinent: quod fieri partim ignorantiæ vitio, vanitatis Spiritu multum tabescimus, & dolemus: quia & si quidam forte Creatorem potius pulchri luminis quam ipsum lumen, quod est creatura, veneratur: abstinendum tamen est ab hujusmodi specie officii.* Cum enim Pontifex invigilaret contra Manichæos & Priscillianistas; quorum errores computaverat, inter quos erat, quòd solem orientem respicerent & adorarent; ut fideles ab Hæreticis distinguerentur, ritum hunc extinguere sategit, ut refert Baronius in anno Christi 58. quia verò hoc non obstante adhuc plures ex fidelibus sequentibus temporibus in eodem ritu perseverâssent, seque in atrio S. Petri ad Orientem verterent solem aspecturi Orientem anno 1300. Jottus Florentinus excellens pictor ex mandato Cardinalis Stephanesis, Nepotis Bonifacii Octavi summi Pontificis confecit ex opere musivo navem, in qua conspicerentur Christus, S. Petrus, & reliqui Apostoli, idque in eum finem, ut ad illam imaginem Orientem versus positam orarent fideles, & omnis umbra deleretur superstitionis, & occasio evitaretur solem adorandi: hæc autem figura prædictæ navis jussu Urbani VIII. Pontificis Maximi collocata postea fuit supra majorem portam ex parte interiori Basilicæ Vaticanæ.

Consueverunt etiam prisci fideles Deo supplicare, & preces suas fundere manibus elevatis in crucis formam, ut inde memoriam patientis Christi in se excitarent: hinc D. Ambrosius de cruce serm. 56. ait: *Homo cum manus levaverit, crucem pingit, atque ideo elevatis manibus orare præcipimur, ut ipso membrorum gestu passionem Domini fateamur.*

Et

Et Tertullianus lib. de orat. num. 11. in fine ait: *Nos verò non attollimus tantùm, sed etiam expandimus à Dominica passione modulatum, & orantes confitemur Christo.* Cum verò fideles orarent, virtuti humilitatis, & submissionis studebant, quo Oratio magis grata esset Deo, ait enim Tertullianus de orat. num. 13. *Cum modestia, & humilitate adorantes magis commendabimus Deo preces nostras: ne ipsis quidem manibus sublimiùs elatis; sed temperatè, ac probè elatis: ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille Publicanus, qui non tantùm prece, sed & vultu humiliatus ac dejectus orabat, justificatior Pharisæo procacissimo discessit.* Sonos itidem vocis submissos esse volebant, ne aliis orantibus essent impedimento, ait enim Tertullianus num. 13. DEus non vocis, sed cordis auditor est, sicut & conspector: quomodo & oratio Jonæ de ventre Ceti per tantæ bestiæ viscera per tantam æquoris molem ad cœlum potuit evadere.

Neque priùs orationem inchoaverant, quàm si contractum dissidium cum aliquo prius composuissent, & invicem reconciliarentur, & injurias sibi illatas remitterent, ac oblivione totaliter delerent, ait enim Tertullianus lib. de orat. num. 13. *Quomodo placabit Patrem iratus in fratrem, cum omnis ira ab initio interdicta sit nobis? quam autem temerarium est, aut diem sine oratione transigere, dum cessas fratri satisfacere; aut perseverante iracundia orationem perdere.* Reconciliatis igitur animis cum silentio, & dimissione se humi prostrabant, & silentes mente potiùs quàm voce orantes DEO humiles supplicabant, ut opem in suis acciperent necessitatibus; ait enim Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte: *Non verbis nos agere debere apud DEum, ut impetremus, quod volumus, sed rebus, quas animo gerimus, & intentione cogitationis cum dilectione pura, & simplici affectu.* Et paulo infra subdit: *Quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenat, capaciusque efficit ad excipienda divina munera, quæ spiritaliter nobis infunduntur.*

Mundities itidem cordis ad orationem requirebatur, quia oratio ex mundo corde proveniens facilius DEum flectit in vota orantis sunt tamen munditiæ, quæ per resipiscentiam maculas, quas peccando contraximus, abstergimus & lachrymis dolemus, ait enim Tertullianus de orat. num. 11. *Hæ sunt veræ munditiæ, non quas plerique superstitiosè curant ad omnem orationem etiam cum lavacro totius corporis aquam sumentis, quæ ratio est manibus quidem ablutis, spiritu quidem sordente orationem obire? Cæterum satis munda manus, quas cum toto corpore in Christo semel lavimus.*

Fuit etiam moris, ut jejunantes, cum preces funderent fratribus pacis osculum infigerent, quod erat signaculum orationis, ut ait Tertullianus de orat. num. 14. *Quando magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cum oratio commendabilior ascendit, ut ipsi de nostra operatione participes jam audeant de sua facie fratri transigere; siquidem quæ perfecta erit oratio cum divortio Sancti osculi, quod Dominus præstandum præcepit? Quale erit sacrificium, à quo sine pace receditur?* Consueverunt itidem prisci fideles non solùm DEum, sed etiam Sanctos adorare, & ut plurimum etiam genua flectere, ut refert Tertullianus de pœnitentia cap. 9. inquiens; *Presbyteris advolvi, & Choris Dei adgeniculari, omnibusr fatribus legationes deprecationis injungere,* & D. Augustinus serm. 1. in Festo Apostolorum Petri & Pauli de multitudine Ethnicorum, qui recens ad fidem conversi fuerant, ait: *Nam beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutis adorat gentilium credentium multitudo*; & serm. 4. in eodem festo ait: *Nunc ad memoriam Piscatoris flectuntur genua Imperatoris; ibi radiant gemmæ diadematis, ubi fulgent beneficia Piscatoris.* Quòd si aliquando sæva videretur necessitas urgere, vel persecutio oriri, tunc fideles humi prostrati junctis vel etiam expansis manibus DEO supplicari consueverant, ut ab imminentibus liberarentur periculis. Cæterum sedendo adorare extra disciplinam esse, ait Tertullianus de orat. imò neque quando lectiones in Ecclesia legebantur, vel DEI verbum promulgebatur, permittebantur fideles sedere nisi aliqua infirmitate laborarent, vel viribus destituerentur, & imbecilles stare non possent, & nisi lectiones prolixiores essent: tunc enim qui stare non poterant, humiliter & cum silentio sedentes attentis auribus, quæ legebantur, audiebant, ut refert D. Augustinus homil. 26. in princ. & per tot.

Circa corporis habitum moris itidem fuit, ut viri detecto capite, & è contra fœminæ obvelato capite in Ecclesia orarent, estque institutio Apostoli ad Corinth. Epist. 1. cap. 11. imò & in ipsis precationibus ritus etiam fuit, ut orantes pugno pectus tunderent, ut pœnitudinem animi proderent, seque resipiscentes declararent, uti fuerunt illi, qui post Christi passionem revertebantur percutientes pectora sua, Luc. 23. Hinc ex hisce ritibus constat pectus percutere, genua flectere, seque in terram prosternere, & similes obsequii actus, & interni affectus non semper esse actus adorationis latriæ; cum etiam circa Sanctos, seu Creaturas hujusmodi actus obsequii exercerentur, quapropter dirigenda in adoratione DEI, & Sanctorum est intentio mentis, de qua intentione est populus instruendus, ut præcipit Tridentina Synodus sess. 25. de invocat. & venerat. & reliquiis Sanctorum: siquidem summa excellentia, cui debetur summus honor, est Divina, cui respondet latria, quæ sumitur pro superna prima adoratione Soli DEO debita: secunda excellentia est major quàm humana, & minor, quàm Divina, & consistit circa dona supernaturalia gratiæ, & gloriæ, quæ Sanctorum sunt propria, & huic respondet cultus duliæ, nempe honor major quàm politicus, & minor cultu latriæ. Tertia excellentia est etiam infra Divinam, sed longè eminentior illa communi Sanctorum & cui propterea debetur cultus hyperduliæ, cujusmodi est obsequium, quod debetur humanitati Christi si hæc separatim consideretur ab hypostasi, Divina, & hoc obsequio etiam veneramur Deiparam propter excellentiam maternitatis DEI, & præeminentias alias supra reliquas creaturas. Quarta species excellentiæ est naturalis, & humana prævenitque ex virtutibus moralibus, seu dignitatibus, aliisque qualitatibus in humana mundi politia apparentibus, & huic excellentiæ naturali respondet etiam suus honor, quem virtute præditis exhibemus, & hoc obsequium communiter civile politicum, & naturale nominatur, quo pacto veneramur Imperatores, Reges, Principes, & Superiores nostros, ut etiam quos virtute cognoscimus illustres, hinc Apostolus ad Ephes. cap. 6. ait: Servi obedite Dominis carnalibus, cum timore, & tremore in simplicitate cordis, vestri sicut Christo: non ad oculos servientes quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem DEI ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino, & non hominibus,

 Mori

Moris itidem fuit, ut fideles ſtato tempore, certisque horis ſuas ad DEum preces funderent, de quo ritu S. Leo ſerm. 7. de jejunio ſeptimi menſis, quæ conſuetudo etiam nunc in Eccleſia viget, ubi diſtribuuntur horæ canonicæ, preces matutinæ, & veſpertinæ, habentur media nocte vel mane ſub diluculo ante ſolis ortum, horæ Divinæ in ipſo ſolis ortu prima, & poſtea tertia, ſexta, & nona, quas horas Tertullianus refert ab Apoſtolis ex Judæorum fontibus in Eccleſiam Catholicam derivâſſe, quod verò ad nocturnas preces pertinet, in actis Apoſtolorum cap. 16. legimus, Paulum & Sylam media nocte orantes laudâſſe DEum, quod ante ipſos præſtitit Rex David inquiens Pſal. 118. *Media nocte ſurgebam ad confitendum Domino.* Quod fideles imitantur ex traditione Apoſtolorum, & qui non ſurgunt media nocte, ſaltem horis antelucanis matutinas preces fundunt. Moris fuit, ut fideles media nocte ſurgerent DEO ſupplicaturi per preces ea ratione, quia media nocte Dominum ad judicandum orbem terrarum ex improviſo crederent venturum eſſe, Matth. 25. *Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit*, quamvis non ſatis exploratum habeamus, qua hora Dominus venturus ſit dicente ipſo apud Marcum cap. 13. *Vigilate: neſcitis enim quando Dominus veniet, ſero, an media nocte: an galli cantu, an mane.* Hinc ex fidelibus præſertim ex Religioſis alii ſurgunt media nocte ad preces fundendas DEO, & alii aliis horis ejuſdem noctis vel ante, vel poſt mediam noctem, ut declarat Clemens Alexandrinus Pædag. cap. 9. & fortaſſis illis quatuor noctis temporibus expectandi Dominum ab ipſo Domino recenſitis reſpondent tres illæ nocturnæ preces, quibus adduntur matutinæ laudes, quæ omnes hodie ſimul uno compendio abſolvuntur, & de quibus agit D. Hieronymus Epiſt. 7. 8. & 22. & refert idem Hieronymus, veſpertinam orationem fundi conſueviſſe à fidelibus accenſis lucernis, & D. Epiphanius in compendio de ipſis horis agens ait: Pſalmos, qui prima noctis hora cani conſueverunt, lucernales vocat, & harum lucernalium precum meminit etiam Clemens *lib. 8. conſtit. cap.* 38. & Caſſianus lib. 3. cap. 3. & D. Chryſoſtomus in Pſal. 118. vocat lucernarum officium, quod de nocte recitabatur, & Tertullianus ad uxorem lib. 8. cap. 4. vocat nocturnas convocationes, eò quia fideles non in propriis privatis ædibus, ſed publicè in unam convocarentur Eccleſiam, in qua ſimul preces funderent ad lumen lucernarum.

De uſu Sacrarum vigiliarum in Eccleſia plures Sancti Patres non ſolùm agunt, verùm etiam plures gentiles, qui ad pietatem Chriſtianorum commovebantur, & plures etiam convertebantur, & Plinius ad Traianum Imperatorem, à quo juſſus fuerat ritus obſervare Chriſtianorum ait: *Solemne eſt mihi, Domine, omnia de quibus dubito ad te referre. Quis enim poteſt melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam inſtruere? Cognitionibus de Chriſtianis interfui nunquam: ideo neſcio, quid & quatenus aut puniri ſoleat, aut quæri, nec mediocriter haſitavi, ſit ne aliquod diſcrimen ætatum, an verò teneri à robuſtioribus differant, deturne pœnitentiæ venia, an ei qui omnino Chriſtianus fuit, deſiiſſe non proſit nomen ipſum, etiamſi flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur*, & nonnullis interjectis: *Affirmabant autem hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carménque Chriſto quaſi Deo canere, dicere ſecum invicem, ſeque Sacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent.* S. Ambroſius in Pſal. 19. commendans exactà vigiliarum obſervatione ait: *Jejunamus ſabbatho vigilias celebrabimus orationibus pernoctantes inſtitimus.*

Uſus etiam invaluit, quo Vigiliæ nocturnæ ad plures horas protraherentur, ut teſtatur D. Auguſtinus in Concion. ad Catechum. contra Judæos cap. 6. ad quas frequentandas ſuos etiam conſueverat Diſcipulos hortari: & hæ ſacræ vigiliæ ad id potiſſimum fuerunt introductæ, ut Ethnicorum hilaria abrogarentur, ac totaliter delerentur, ait enim Auguſtinus ſerm. in die natali S. Cypriani *aliquando ante annos non valde multos iſtum locum invaſerat petulantia ſaltatorum; iſtum ſanctum locum, ubi jacet Sancti Martyris corpus, invaſerat peſtilentia, & petulantia Saltatorum. Per totam noctem cantabantur nefaria, & cantantibus ſaltabatur, ex quo hic cœperunt Sancta Vigilia celebrari, illa peſtis aliquantulum reluctata poſtea ceſſat diligentia, erubuit Sapientia*; ex quibus clare conjicitur, non Ambroſium, nec Auguſtinum, nec alium quempiam Orthodoxorum hiſce temporibus Vigilias nocturnas Eccleſiaſticas abrogâſſe, primus tamen, qui has Sacras Vigilias impugnavit fuit Hæreſiarcha Vigilantius qui proprii nominis hoſtis eas delere vel impedire adnixus fuit, ut notat D. Hieronymus adverſus Vigilantium, & tradit Baronius in ſuis notis ad martyrologium die 5. Jan.

Ut de loco etiam aliquid dicamus, in quem conſueverint fideles convenire ad preces DEO fundendas quamvis privatas orationes quiſque propriæ domi ageret, & inter privatos Domeſticos parietes; exemplo tamen Apoſtolorum fideles ad publicas preces fundendas in unum locum publicum ſeu Eccleſiam convenire conſueverant, ut Sanctus Ignatius Martyr hortatur Magneſianos, ut ad preces haſce communes fundendas conveniant, exemplo Chriſti Domini, qui cum Jeroſolymis eſſet in templo, docebat, & Apoſtoli ad exemplum Chriſti Doctrinæ Cathedram exercuerunt in Eccleſiis, vel in atriis Eccleſiarum, adeo ut ſimul fideles convenirent, ut legimus in *act. Apoſtol. cap.* 5. ubi dicitur, eos omnes fuiſſe unanimes in porticum Salomonis, ad quod alludens Tertullianus lib. de præſcript. cap. 7. ait: Inſtitutionem Chriſtianorum de porticu Salomonis eſſe, & inde conſuetudo invaluit concionandi in Eccleſiis coram populorum frequentiis, adeo ut fideles publicè in Eccleſiis preces ſuas Deo fundant, & ſimul verbum Dei audiant.

Quod verò ad formulas precum pertinet, conſtat plures fuiſſe in primitiva Eccleſia, quibus fideles uterentur, & Conſtantinus Imperator has precationum formulas non ſolùm Chriſtianis impertivit, verùm etiam militibus gentilibus, ut diebus Dominicis in amplis, & patentibus ſuburbiorum campis in unum convenientes ſimul orarent, ait Euſebius in vita Conſtantini lib. 4. hanc Imperatorem militibus orandi formulam dediſſe: *Te Deum agnoſcimus, te Deum profitemur, te auditorem invocamus, per te victorias conſecuti ſumus, per te hoſtes ſuperavimus, à te & præſentem felicitatem conſecutos fuiſſe fatemur, & futuram adepturos ſperamus, tibi omnes ſupplices ſumus: abs te petimus, Conſtantinum Imperatorem una cum piis ejus liberis quàm diutiſſimè nobis ſalvum, & victorem conſerves.* Et hanc formulam etiam refert Baronius ad annum Chriſti 321. imò non ſolùm ab infidelibus, & Ethnicis ſubditis pro Principibus Chriſtianis preces fundebantur, verùm etiam pro Principibus Ethnicis à ſubditis Chriſtianis, ut teſtatur Athenagoras Athenienſis in fine ſupplicationis, quam habuit ad Imperatores Antoninum, & Commodum, his verbis:

*Vos*

*Vos igitur, qui in omnibus omni modo tum natura, tum institutione boni, moderati, humani, & imperio digni estis, mihi cum nunc objecta confutarim, & quod nos pii, justi, & animo contemperati simus, demonstraverim, regali capite annuite, quos obtinere justius est, quod petunt, quàm nos qui pro imperio vestro oramus, ut & Filius à Patre, sicut æquissimum est, imperium per manus accipiat, & ipsum imperium vestrum subjectis omnibus incrementum, & accessum capiat,* & in Commentario ad præcitatum textum legitur: *Quod autem hic dicit Athenagoras Christianos pro imperio Cæsaris orare Deum, id nunc longa consuetudine pro Christiano Imperatore in Ecclesia solemniter observatur,* unde liquet sub initiis Ecclesiæ Christianos consuevisse pro Ethnicis Principibus suas ad Deum preces fundere, præsertim cum tyrannica servitute premerentur.

Neque piget historiolam hic attinere. Cum enim Romani ab ingenti hostium multitudine tam arctè apud Cornutum oppidum in expeditione Marcomannica conclusi fuissent, ut nulla iisdem exeundi via pateret, nec arte ulla facultas daretur inde evadendi, & præ aliis incommodis ardentissima siti torquerentur; & Marcus Aurelius Imperator, quamvis pluries preces ad sua Numina fudisset, ac suppetias petiisset, nil inde obtinuerit subsidii, tunc Christiani milites, qui plurimi essent in exercitu flexis ad Deum verum genibus preces suas fudissent statim exauditi fuerunt, & non solum aquam Romani, squa sitim extinguerent, seque reficerent, immisit, verùm etiam eodem momento hostes grandine, igne, & fulminibus vel absumpsit, vel fugavit: hæc historia à pluribus refertur Authoribus, & maximè à Xiphilino arguente ter mendacio voluntario Dionem id magicis artibus tribuentem. Imperator enim in remunerationem tanti beneficii sibi impertiti à Deo Christianorum litteris suis generali edicto sanxit: Neminem, quod Christianus esset, in judicium vocari, & eorum accusatores voluit vivos exuri; & hujusmodi edictum etiam tempore Commodi Marcii filii viguisse Romæ refert Eusebius lib. 5. histor. cap. 20. Ut etiam testatur Tertullianus in Apologet. cap. 5. inquiens: *Si litteræ Marci Aurelii gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam germanicam sitim Christianorum forte militum precationibus impetrato imbre discussam contestatur,* & paulò infra addit: Adjecta etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore. Hinc legio illa, in qua Christiani militarunt, nomen imposterum nacta fuit fulminatricis, & ex admiranda illa fulminum excussione fulminatrix, seu fulminea nuncupata fuit. Et etiam nostris temporibus extat Romæ hujus miraculi præclarum monumentum in nobilissima Marci Antonini columna Cochlide insigniter sculptum simul cum aliis Marci Aurelii facinoribus fortiter gestis in bello Marcomannico: visuntur etiamnum in eadem Christiani milites flexis genibus Deum deprecantes, & in iisdem clipeis crucis signum sculptum, & rursus visitur Jovis figura fundentis imbres, & fulgura, ac fulmina eiaculantis: & quamvis Marcus Aurelius Imperator publicis suis litteris tantum divinitus impetratam gratiam precibus adscripserit Christianorum militum, adhuc eam à Jove fuisse concessam arbitratus fuit, forsan eò quia nomen Christianorum à gentilibus diffamaretur: hinc Tertullianus cap. 4. ad Scapulam de dicta pluvia per Christianos milites à Deo impetrata ait: *Marcus Aurelius in Germanica expeditione Christianorum militum orationibus ad Deum factis imbres, in siti illa impetravit, quando non genculationibus, & juvantibus nostris etiam civitates sunt depulsæ, tunc & populus acclamans Deo Deorum, qui solus potens est in Jovis nomine Deo nostro testimonium reddidit,* hac ratione imago Jovis pluvias effundentis in columna illa expressa fuit. Hanc enim columnam Christianæ fidei præclarum monumentum barbarorum furore eversam, deformatam, & collabentem Sixtus V. Pontifex Maximus solerti studio in pristinum splendorem restituendam curavit, in cujus vertice ærea, & inaurata D. Pauli Doctoris gentium sacra effigie collocata, ut etiam hisce temporibus apparet in columna Antoniana.

# CAPUT XV.

## De Festivitatibus Ecclesiæ.

Diei Festi solemnitas jure optimo præscribitur in tertio decalogi mandato: Memento, ut diem Sabbathi sanctifices: siquidem cum duobus præcedentibus præceptis impedimenta removeantur veræ Religionis, idololatriæ & infidelitas, congruum erat addi tertium, quo homines pertraherentur ad veri Numinis cultum, & ad veram Religionem, ad quam pertinet externo signo exhibere vero Deo debita obsequia. Docet D. Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 4. Præceptum celebrationis Festorum esse partim naturale, & partim cæremoniale, & partim humanum, & quatenus est naturale omnes homines obligat, cum omnes lumine naturæ cognoscant, deputandos esse cultui divino certos dies, quibus omnes, & singuli rebus divinis dent operam ac à servilibus, se abstineant: siquidem observantia diei festi duo continent præcepta, affirmativum unum, quo jubemur debita obsequia Deo præstare, & alterum negativum, quo præcipimur ab opere servili abstinere. Nunc verò præceptum affirmativum consistit in auditione missæ, seu sacri diebus festis: quod præceptum quamvis naturale sit, ab aliquibus solet etiam morale dici, quatenus determinat tempus aliquod impendendum divino cultui; hoc enim pertinet ad mores. Quatenus autem est præceptum ceremoniale, non obligat Ipso die Sabbathi, eò quia ceremonialia legis Mosaicæ mortua sint, & deleta in Christi nece, ut docet idem D. Thomas 1. *part. quæst.* 100. & communiter Sancti Patres, demum ut est præceptum humanum certos habet dies, & stata tempora ab Apostolis, & eorum Successoribus statuta, ut diem dominicum loco Sabbathi dies Natalis Domini, Circumsionis, Epiphaniæ, Paschalis, Pentecostes, quos de Apostolica traditione derivari in Ecclesiam Catholicam docet D. Augustinus Epist. 118.

Epist. 118. & sequent. ac legitur in Constitutionibus nomine Clementis evulgatis: siquidem quo tempore aliæ Sanctorum festivitates fuerint institutæ, aliqua habetur in Ecclesia memoria: & de Festo Natalis Domini, Passionis, Paschatis, & Pentecostes nullum reperitur institutionis exordium, & antiqui Patres, qui iisdem diebus homilias ad populum habuerunt, harum festivitatum exordii non meminerunt, & tanquam antiquissimas in Ecclesia supposuerunt, etenim S. Ignatius, qui vixit tempore Apostolorum, scilicet Christi anno 58. D. Petri 14. & Traiani Imperatoris 11. suas in itinere Romam veniens scripsit Epistolas, quibus prohibet Philippensibus, ne Festum Paschatis cum Judæis agerent, & eos monet specialiter, ne Festivitates dehonestent, quibus verbis expresse declarat, alias eodem tempore fuisse in Ecclesia festivitates introductas: & in alia Epistola, quam ad Magnesianos direxit, meminit diei Dominicæ, quam vocat Reginam, & Principem omnium dierum, unde constant ab ipso initio, & primo exordio nascentis Ecclesiæ festos dies observari cepisse à fidelibus, & festivas solemnitates fuisse institutas ab Apostolis ob Christi Domini resurrectionem, quæ ea die contigit, qua legales ceremoniæ, & Judaici ritus à Synagoga celebrarentur, & Judæorum festa paulatim cœperunt explodi ac obliterari.

Cæterum prima Christianorum festivitas dies fuit Pentecostes, quia tunc cœpit Evangelium publicè promulgari completis jam humanæ redemptionis mysteriis, hinc Apostoli, quæ præcipua videbantur Judæorum festa, scilicet Pascha, & Pentecostes, celebrârunt, ita tamen ut retento tantùm nomine ritum, moremque omnino immutaverint: est enim discrimen inter festa Christianorum, & Judæorum, illa enim post Christum veram habent significationem non verò illa, quia Judæorum primarius finis erat significare futura, ut habetur Colos. 2. *Nemo vos judicet in cibo aut in parte diei festi, aut Neomeniæ vel Sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum*, finis verò Christianorum est agnoscere Dei beneficia, ob quæ dies festi instituti. Rursus summa præcepti in festis Judæorum erat nòn operari corporaliter, in festis verò Christianorum potior præcepti pars est interesse divino sacrificio, & vacare ab opere corporali, ne Christiani distrahantur à Dei laudibus.

Præter Apostolos eorum Successores in Ecclesia alios itidem dies festos instituerunt, ac ceremonias, quæ procul dubio rerum altissimarum signa sunt, & maxima quæque continent Sacramenta arcanorum cœlestium ad Dei Majestatem contemplandam, quæ omnia in veteri testamento initium habuisse ostenditur. Legimus enim Gen. 28. v. 18. *Surgens Jacob mane tulit lapide, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper; appellavitque nomen urbis illius Bethel*, seu domus Dei, & in lib. Esder Synagoga instituit diem festum, qui singulis annis celebraretur quarta decima, & quinta decima mensis Beadar, seu Februarii, & in Exodi cap. 18. Jetro ad Moysem ait: *esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas, quæ dicuntur ad eum, ostendasque populo ceremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant*, unde nulli dubium, quin Synagoga ceremonias habuerit ac dies festos, cum David moriturus dixerit ad filium Salomonem 3. Reg. cap. 2. *Concordare, & esto vir fortis, & observa, ut custodias mandata Domini Dei tui, & custodias ceremonias ejus, & praecepta ejus, & judicia, & testimonia.* In Ecclesia itidem fuisse institutas ceremonias, & dies festos, habetur in act. Apost. cap. 15. ubi Apostoli præcipiunt, ut Ethnici recens baptizati *abstineant se à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine*, tameth hoc Judæorum tantum esset præceptum, quorum lex per mortem Christi jam fuerat abrogata. Et in eod. lib. cap. 1. Apostoli elegerunt Sanctum Matthiam, tradentes sordes absque ullo sacræ scripturæ testimonio; & cap. 4. & sequent. bona temporalia communia fuerunt, habetur enim cap. 4. *Possessores agrorum, & domorum vendentes offerebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum*, & in cap. 6. Apostoli elegerunt septem diaconos. Rursus dies Sabbathi, quem Deus solemnem præceperat Exodi 20. ubi habetur: *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: septimo autem die Sabbathum Domini tui est, non facies omne opus in eo*, & nihilominus dies Sabbathi commutatus fuit in diem dominicum ex sola Ecclesiæ authoritate. De Festo Annnntiationis Virginis, & incarnationis Verbi divini in utero Virginis die 25. Martii ait D. Athanasius: *Festum Annuntiationis Mariæ unum ex dominicis festis, atque adeo primarium, utpote quod pro ordine, & digestione rerum earum, quæ in Evangelio de Christo prædicantur sacrosanctum habeatur, quippe in quo de filii Dei de cœlis descensu agatur.*

Cæterum ut intelligatur, quomodo ab Apostolis festum diei Sabbathi fuisse translatum in diem dominicum, cum Festum Sabbathi ex divina institutione sanctum & solemne esset populo, nonnisi afflatu Sancti Spiritus potuisset ab Apostolis in diem dominicum transferri, idque ob resurrectionem Christi Domini, quæ die dominico contigit, & de quo ait David Psal. 117. *Hæc est dies, quam fecit Dominus*, scilicet dies dominica ab Apostolis ita nuncupata, eò quia propriè dictata fuerit Domino instinctu S. Spiritus, ut memorat S. Ignatius, & D. Joannes Apostolus meminit diei dominici Apocal. 1. inquiens: *Ego Joannes fui in Spiritu in die dominica*, quæ verba Sancti Patres explicant, & intelligunt de die dominica, quæ ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio observari cæpit, ac religiosè coli, & eadem die consueverant fideles ad sacram convenire Synaxim, sacrasque obire functiones, & promulgationem Evangelii audire, unde tametsi festum Sabbathi antiquissimum fuerit, ac præstantissimum apud Judæos, adeo ut solius Sabbathi mentio fiat in decalogo, & esset festum excellentissimum, quia cum omnia festa celebrentur vel in memoriam beneficii præteriti, vel ad significandum aliquid futurum: in utroque festum Sabbathi excellebat, quia quantum ad præteritam memoriam excitabat creationis mundi, ac beneficii communissimi, & illam quietem, qua Deus post mundum conditum septima die dicitur quievisse ab opere quod patrârat: sicut enim Reges præcipiunt subditis festum coli suorum filiorum, perinde Deus coli voluit natalem diem operis sui, seu mundi, quapropter plurimum etiam præsetulit utilitatis ad excludendum errorem Philosophorum, qui erant dicturi mundum non habuisse initium: Quantum

verò

vito ad futurum figura erat triplicis beneficii: siquidem in sensu allegorico fuit figura quietis Christi in sepulchro, quia sicut Deus Sabbatho quievit ab opere creationis, perinde Christus ab opere redemptionis quievit in sepulchro, ut notavit D. Paulus ad Hebræ. 5. rursus in sensu tropologico fuit Symbolum quietis mentis humanæ ab operibus servilibus peccatorum: siquidem Judæi otiantes die Sabbatho præsignabant venturum tempus gratiæ, quo liberati homines per Christum à servitute peccati quiete, & otio spirituali fruerentur, ut explicat D. Augustinus Tract. 30. in Joan. & tandem in sensu anagogico figura fuit quietis Sanctarum animarum, quam post mortem expectabant in sinu Abrahæ, ut docet D. Augustinus Epist. 119. & infertur ex Apostolo ad Hebræ. 4. has ob causas, quibus Sabbathum fuit olim institutum, congruum fuit, ut post Christi adventum mutaretur in dominium, quia quoad memoriam præteritorum dies dominica longè excellit Sabbatho, quia refert nobis memoriam Natalis Domini, & resurrectionis ejusdem, ut etiam adventus Spiritus Sancti, quo die suum Ecclesia sumpsit exordium; etenim Christus natus est die dominica, quia illo anno littera dominicalis fuit B. ut docent Mathematici, & potest etiam ostendi retrocedendo in Ciclo litterarum dominicalium, ubi constat litteram B, haberi die 25. Decembris, quo die natus fuit Christus.

*Ipsum* itidem resurrexisse die dominica, constat ex Evangelio, ut etiam quod adventus Spiritus Sancti fuerit dies dominica, ex eo patet, quia fuit in die Pentecostes, id est, quinquagesimo à Paschate, qui necessario est dies dominicus: quamobrem dies dominica utrumque repræsentat & Christi natalem, & Ecclesiæ exordium. Quantum ad futurorum significationem debuit etiam Festum Sabbathi cessare, quia omnia, quæ per Sabbathum significabantur futura, jam sunt completa: siquidem Christus jacuit in sepulchro, & quies animarum jam in Deo agitur, & quies defunctorum Spirituum in sinu Arahæ jam mutata est in gloriam cœlestem, & beatitatem æternam, nec amplius expectamus simplicem illam quietem in sinu Abrahæ sed gloriasam in cœlis: & gloria melius significatur per diem dominicum, quàm per diem Sabbathum, hinc Augustinus Epist. 119. ait: Sabbathum rectè datum fuit Hebræis, qui post mortem ibant ad solam quietem, & Christianis datus est dies dominicus, quia jam revelata est gloria resurrectionis in Christo; siquidem quod præcessit in capite, ejusdem fit particeps totum corpus.

Ritus antiquus celebrandi diem dominicum notatur non anniversario revoluto tantum mensium orbe, verùm etiam cujuslibet hebdomadis recurrente die in memoriam, & gratiarum actionem dominicæ resurrectionis, & eodem die Christiani simul consueverant in Ecclesiam convenire ad lectionem, communionem, sacrificium, & concionem, ut ex Justino patet Apolog. 2. Rursus die dominico vacabant ab operibus servilibus, ut patet ex D. Hieronymo Epist. ad Eustochium de Virgin. Tertio non jejunabant die illo, ut refert Tertullianus lib. de corona militis. Quartò non flectebant genua, sed stantes suas ad Deum fundebant preces, ut habetur in Nicæna Synodo can. 20. *Quoniam sunt in dominica die quidam ad orationem genua flectentes, & in diebus Pentecostes propterea utique statutum est à Sancta Synodo, quoniam consonat & conveniens per omnes Ecclesias custodienda est consuetudo, ut stantes ad orationem vota reddamus*, & multo ante de die dominico dixerit Tertullianus, non esse jejunium servandum, ait ipse: *die dominico jejunare nefas ducimus, & de geniculis adorare.* Et D. Augustinus ait Christianos diebus Dominicis à Pascha usque Pentecostem stantes oràsse, ut significarent eo ritu Christi resurrectionem: hinc non licet nunc Christianis Sabbathum Judæorum servare, nec alias ferias veteris testamenti, erat enim Sabbathum præcipua ceremonia judaica, ac præcipua figura, ut patet ex Apostolo ad Colos. 2. quia ubi Christus advenit, Sabbathum cessavit, & legalis observantia una cum nece Christi mortua fuit, adeo ut resurgente Christo mortuæ ceciderint omnes judaicæ ceremoniæ, & Concilium Laodicenum cap. 29. anathema iis dicit, qui Sabbathum colunt, & in eo vacant ab operibus, ut Judæos imitentur.

Quòd si dicas, Festum Sabbathi dici perpetuum Exodi 31. *Pactum est sempiternum*, signumque *perpetuum*, respondetur non simpliciter, sed donec staret status illius Reipublicæ, quod explicat Moyses, cum addit: *Vobis aut in generationibus vestris*, aut *filiis vestris*, quapropter pactum tantùm fuit perpetuum, quamdiu perseveravit lex Mosaica quoad ceremonialia, quæ extincta fuerunt cum Christi morte. Hujusmodi pacta sempiterna habentur etiam de sacerdotio Exodi 28. quatenus sacerdotium antiquæ legis, quamdiu erat lex illa duratura, debuit perseverare. Consueverant etiam fideles die dominico oblationes in Ecclesia facere, ut constat ex Cypriano lib. de operib. & eleemosynis, ubi invehit contra divites, qui nihil offerentes eadem die in Ecclesiam convenirent, de qua oblatione ait Concilium Matiscon. can. 1. *Custodire debemus diem dominicam, qua nos denuo peperit, & à peccatis omnibus liberavit; nullus vestrum litium fomitibus vacet, nullus causarum actiones exerceat, nemo sibi talem necessitatem exhibeat, quæ jugum cervicibus jumentorum imponere cogat. Estote omnes hymnis, & laudibus Dei animo, & corpore intenti*: & can. 4. *Item statuimus, ut omnibus dominicis diebus altaris oblatio ac omnibus viris, & mulieribus offeratur tam panis, quàm vini.* Rursus sexta Synodus Generalis can. 8. jubet die dominica obiri sacrum, & nulla opera corporalia fieri præter ea, quæ ad victum necessaria sunt, & alia taliter necessaria, & extat rescriptum, promulgatum à Valentiniano, & Valente Imperatoribus anno Christi 365. ubi habetur: *An Christiani, ab Exactoribus die dominico conveniri possent*, eò quia, ut ait Augustinus serm. 251. *Dominicum diem Apostoli religiosa solemnitate habendum sanxerunt.*

Quoad alios solemnes dies Festos, præsertim Paschæ, Pentecostes, diversimodè nomen Paschæ sumi potest, plures enim Patres censent, Pascha derivari à verbo pati, quia Passionis Domini memoria in Paschate celebratur, juxta illud Apostoli: *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*, cui sententiæ adhæret D. Ambrosius lib. de mysterio Paschæ cap. 1. quapropter etiam Tertullianus lib. contra Judæos ait Pascha Domini significare Passionem Christi. Hanc tamen sententiam rejicit D. Augustinus Epist. 119. eò quia Pascha sit nomen hebraicum non græcum, hebraicè enim idem significat, ac transiliæ, quapropter primariò non significat immo-

immolationem agni, ut Author comment. in cap. 14. Marci apud D. Hieronymum docet: Imò nec transitum populi per mare rubrum ad terram promissionis, ut docet Nazianzenus orat. 2. de Pascha, neque transitum Angeli per Ægyptum, ut videntur significare verba illa Exodi 12. *Est enim Phase*, id est, transitus Domini. Sed Pascha significat transcensionem Angeli, & quasi saltum super domos Judæorum, siquidem Exodi 12. ubi dicitur, *est enim phase*, statim additur ratio: *Transibo enim per terram Ægypti nocte illa, & percutiam primogenita Ægyptiorum: erit autem sanguis vobis signum in ædibus vestris, & videbo sanguinem, & transibo vos, nec erit in vobis plaga.* Pascha igitur simpliciter, & primario significat transilire, quasi per saltum, & non simpliciter transire, quapropter Joseph. Hebræus *lib. 2. antiq. cap.* 13. dicit Pascha significare transcensionem, ut etiam docent Hieronymus in *cap. 26. Matth.* & Theodoretus *quæst. 24. in Exod.* Cæterum communiter hoc nomen Pascha tria significat, scilicet transilitionem Angeli, ut explicuimus: Secundò ipsum agnum Paschalem, qui per immolationem transibat de vita ad mortem Luc. 22. *Necesse erat occidi Pascha.* Tertiò transitum populi, qui illa ipsa nocte, à Tyrannide liberatus Pharaonis pertransivit mare rubrum, & profectus fuit in terram promissionis, & huic significationi adhærent plures Sancti Patres, præsertim Gregorius Nazianzenus *orat. 2. de Pascha*, & D. Augustinus *Tractat. 55. in Joan.* Rursus significat etiam ipsum diem Festum, quia Luc. 22. *Appropinquabat dies Festus azymorum, qui dicitur Pascha.* Cæterum Ecclesia utitur græco potius vocabulo, quàm Latino, quia lingua græca apud Christianos tantæ fuit authoritatis, ut dies solemnes nominibus græcis significarentur, ut Pascha, Pentecostes, Epiphania; Pascha enim ex divina institutione videtur compositum ex verbo *pati*, & nomine hebraico *phase*, latinè transitus: hæc enim duo maximè congruunt Paschæ, quia in Passione Christi factus fuit transitus, quo Christus transivit à morte ad vitam, unde non immerito nomen Pascha utriusque nominis habet significationem scilicet pati, & transire, cum Christus in Passione sua de morte temporali ad vitam transierit æternam, quam & hominibus redemptis pretio sui sanguinis impertivit. Usus tamen invaluit, ut per hoc nomen Pascha diem festum resurrectionis significemus.

Quoad errores, qui irrepserunt circa Festum Paschæ celebrandum, primus fuit cujusdam Blasti Presbyteri Romanæ Ecclesiæ, qui referente Tertulliano *lib. de præscript.* docuerat, Pascha esse necessario celebrandum eo ipso die, quo à Judæis celebratur, seu decima quarta luna, sive incidat in diem dominicum sive non, cui errori visi sunt adhæsisse plures Episcopi Asiæ Minoris, ut constat *ex lib. 5. histor.* Euseb. *cap. 24. & sequent.* ubi etiam recitatur Epistola Polycratis Episcopi Ephesini ad Victorem Papam, qua ille asserit, omnes suos prædecessores usque ad S. Joannem Evangelistam semper celebrâsse Pascha die 14. & hæc sententia placuit pluribus, qui ab Epiphanio hæres. 50. Quartodecimani vocantur. Hunc tamen errorem rejecerunt Concilia ferè omnia Ecclesiarum, & à Romano Pontifice Pio, qui sedit anno Christi 159. & Pontificatus sui anno 2. hic enim Pontifex decretum evulgavit, quo injunxit fidelibus Sanctum Pascha esse celebrandum dominica proxima lunæ quartædecimæ post æquinoctium vernum, ut refert Eusebius: & huic decreto divinum accessit suffragium, siquidem Hermes frater ipsius Pii librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepisset Angelus Domini apparens in habitu Pastoris, ut S. Pascha die dominico celebraretur. Hic autem liber Hermetis Pastor inscribitur, & à plerisque Sanctis Patribus citatur S. Ignatius Martyr, qui Christum Dominum in carne vidit, & diu cum Apostolis conversatus est, ac sedem Antiochenam quam Petrus fundaverat, & Paulus erudierat, administravit, nec alia ipse docuit, vel scripsit, quàm quæ ab eis acceperat; is Epistola ad Magnesianos directa ait: diem dominicam esse celebrandam ut Virginem, & principem dierum consecratam resurrectioni Jesu Christi, & contestatur Epistola ad Philippenses, quòd si quis cum Judæis Pascha celebraret, particeps fieret eorum erroris, & sceleris, quo Christum Dominum occiderunt, & Apostolos, ait ipse in Epistola ad Philippenses directa: *Dico Episcopo, & Presbyteris in Domino: quicunque cum Judæis Pascha egerit, aut solemnia dierum festorum susceperit, comparticipabit eis, qui Dominum & Apostolos ejus occiderunt.* Et Constantinus Imperator Epistola ad omnes Ecclesias apud Eusebium lib. 3. de vita Constantini triplici ratione probat esse Pascha celebrandum die dominico proximo quartæ decimæ Lunæ post vernum æquinoctium, quarum prima est, ne Christi fideles simul conveniant cum Judæis interfectoribus Christi.

Secunda quia par est, ut in tota Ecclesia sit una par ratio celebrandi, & æquitas exigit, ut pauciores pluribus cedant, unde quia potiores Ecclesiæ Italiæ, Africæ, Galliæ, Hispaniæ, Lybiæ, Asiæ Festum Paschæ celebrant die dominico, æquum est, ut pauci Orientales cedant ceteris omnibus fidelibus, & Pascha celebrent juxta traditionem Majorum dominica proxima quarta decimæ Lunæ post æquinoctium vernum. Tertia ratio producta à Constantino est, quia absurdum videtur, uno anno bis Pascha celebrari, & anno subsequente, nec semel: idenim contingebat illis, qui Pascha agebant Luna quarto decima, quia illi non observantes æquinoctium, sed tantum duodecim menses lunares Pascha celebrabant quartadecima Luna mensis primi, seu Martii, parum curantes, an contingeret ante, vel post æquinoctium: quapropter interdum accidebat, ut uno anno Pascha celebraretur post æquinoctium, & anno sequenti ante æquinoctium proinde bis in uno anno: cum tamen lex Exodi 12. præcipiat celebrari Pascha post æquinoctium vernum, jubet enim fieri decima quarta Luna mensis primi, seu Martii. & is erat mensis primus, cujus quartus decimus dies incidebat in æquinoctium vernum, vel illud proximè sequebatur; quamobrem Josephus lib. 3. antiquit. ait: Pascha fieri existente sole in ariete opposito ipsi Lunæ; & Judæi posteriores non amplius observabant æquinoctium, ut notat Epiphanius hæref. 70. Ecclesia igitur omne impendit studium, ac sollicitudinem, ne fideles in celebratione Pascha convenirent cum Judæis, adeo ut ante Concilium Nicænum consuetudo inoleverit in Ecclesia, ut à Romano Pontifice dies Paschatis quæreretur, seu quo die illo anno esset Pascha celebrandum, ut asserit Concilium I. Arelatense can. 1. Alii etiam fuerunt in errore quorundam

Capa-

Capadocum celebrantium Pascha die 27. Martii, sicut Ecclesia solet diem natalem Christi Domini semper celebrari die 25. Decembris: arbitrabantur enim Christum eo die passum fuisse, & putatabant ipso die Passionis celebrandum esse Festum Paschæ. Alii itidem putarunt Christum surrexisse 25. Martii, ut refert Beda lib. de ratione tempor. cap. 45. Qui error placuit Luthero lib. de conc. part. 2. ubi cupit eodem die 25. Decembris, & Martii Festa Natalis Domini, & Pascha celebrari absque observatione lunaris cursûs, ne fideles videantur judaizare. Hic tamen error facilè refellitur, quia ex traditione Apostolica Ecclesia semper consuevit Pascha celebrare die dominica. Rursus quia falsumest, Christum resurrexisse 25. Martii, & eodem die fuisse mortem passum: siquidem ut communior est Sanctorum Patrum sententia, passus fuit die Veneris, & resurrexit die dominico, juxta omnia Evangelia, siquidem constat Christum passum fuisse, ac resurrexisse anno ætatis suæ 33. vel secundum alios 34. atqui anno Christi 33. die 25. Martii non fuit feria sexta, nec dies dominica, sed feria quarta, & anno Christi 34. dies 25. Martii fuit feria quinta. Præterea D. Augustinus Epist. 119. ait: hoc interesse discrimen intèr diem Natalis Domini, & diem resurrectionis, quia dies Natalis celebratur tantum ob memoriam, ideoque semper ipsa die 25. Decembris fixæ celebratur: die verò resurrectionis non solùm ob memoriam, verum etiam hoc Sacramentum, est enim Pascha transitus ad æternitatem temporis nesciam, proinde congruum fuerat, ut dies resurrectionis variaretur. Cæterum Concilium Nicænum tres constituit regulas ad inveniendum diem Paschæ quarum prima fuit, ut Pascha celebraretur post diem 21. Martii, quia illo die æquinoctium vernum erat, & Pascha debet celebrari post æquinoctium. Secunda regula fuit, ut post 20. Martii expectaretur Luna decima quarta, postquam dies quæreretur resurrectionis, quia Pascha debet celebrari in tertia hebdomada Lunæ, seu à Luna quartadecima exclusivè usque ad 22. exclusivè, & ad Lunam inveniendam compositus fuit ciclus aurei numeri. Ubicunque enim in Kalendario invenitur aureusnumerus illius anni, id est, novilunium. Tertia tandem regula fuit, ut post lunam quartamdecimam occurrentem post 20. diem Martii expectetur dies Dominicus, ille enim est Pascha.

Tametsi hujusmodi regulæ per plures sequentes annos optimè inservierint, eò quia tunc æquinoctium esset 25. Martii, & aureus numerus tunc indicaret diem novilunii, à pluribus tamen sæculis experientia probat æquinoctium non esse fixum 21. Martii, sed interdum anticipare. Et rursus constat aureum numerum antiquum non amplius judicare novilunia. Nunc enim novilunium invenitur quatuor diebus ante aureum numerum, ex quo patet tempore Concilii Nicæni non fuisse tam exactè commensum motum solis, & lunæ, adeo ut opus fuerit, ut Gregorius XIII. Kalendarium corrigeret anno Christi 1582. & ut æquinoctium vernum restitueretur ad 21. Martii, proinde statuit, ut eo anno decem dies in mense Octobris detraherentur, adeo ut post quartum diem Octobris, qui S. Francisco sacer est, sequens non esset dies quintus, sed decimus quintus Octobris, & hoc pacto restituit æquinoctium vernum in pristinam suam sedem, à qua à tempore Concilii Nicæni usque ad Gregorium XIII. per decem intergros dies deflexerat.

De solemni Pentecostes die certum est, hanc solemnitatem fuisse ab Apostolis institutam, quam propterea primitiva Ecclesia magno devotionis ardore consueverat celebrare 1. Corinth. 16. & Act. 20. ait Lucas de D. Paulo: *Festinabat, ut si quomodo posset, Pentecostem ageret Jerosolymis*, & Sancti Patres intelligunt de Pentecoste Christianorum, quo die Spiritus Sanctus descendit ad Apostolos in cœnaculo congregatos. Apud Judæos celebris etiam fuit hic dies, qui post quinque decades Paschæ solemnis habebatur, fuit enim Pentecostes apud Judæos Festum datæ legis in monte Sina, ut ait Augustinus Epist. 119. cap. 16. D. tamen Hieronymus in cap. 4. ad Galat. ait: fuisse Festum hebdomadarum: Sed Christiani Pentecosten celebrârunt propter adventum Spiritus Sancti: An verò rectè Pentecoste celebretur die 50. à die resurrectionis videtur esse aliqua difficultas. Sed certum est à Christianis hoc festum celebrari propter adventum Spiritus Sancti, qui videtur advenisse ipso die Pentecostes Judæorum, non enim D. Lucas loc. cit. per Pentecostem aliam potuit intelligere Festivitatem, quam illam Judæorum, quæ fuerat festum datæ legis, sed neutrum videtur incidisse in diem dominicum anno Passionis Christi: siquidem festum datæ legis celebrabatur die 33. Mensis, ut habetur Exodi 19. ex quo Augustinus deducit numerari 50. dies à Pascha Judæorum seu à die 14. primi mensis inclusivè; fuit autem dies Paschæ Judæorum anno Passionis Christi dies Jovis, proinde etiam dies Pentecostes complebantur die Jovis, seu triduo ante nostram dominicam Pentecostes.

Rursus festum hebdomadarum, quod magis propriè Festum dicitur Pentecostes, incipiebat numerari à secundo die azymorum, seu à 23. Levitici, ubi præcipitur, ut altera die Sabbathi offerant manipulos primitiarum, & inde numerent septem hebdomadas, quæ comprehendunt dies quadraginta novem, & sequenti die seu 50. festum agant Pentecostes. Præterea nomine Sabbathi intelligitur primus azymorum dies, qui solemnis erat, & generali nomine dicebatur Sabbathum, ut exponunt Interpretes. præsertim Lyranus, Tostatus, Cajetanus. & alii. Cum igitur primus dies azymorum tempore Passionis Christi fuerit dies, veneris, si ab illo die exclusivè numeremus 50. dies inveniemus dies Pentecostes completos fuisse die Sabbathi, non die dominico. Quòd si dicas, Spiritum Sanctum non descendisse ad Apostolos die dominica, qui est 50. à dominica resurrectionis: sed Ecclesiam voluisse die dominico celebrare adventum Spiritus Sancti, & ejus memoriam colere, tametsi Clemens lib. 5. constit. cap. 21. Theophylactus lib. 1. Augustinus Epist. 119. & alii asserant revera die 10. ab ascensione, & 50. à resurrectione venisse Spiritum Sanctum, respondetur, festum hebdomadarum, & festum veteris legis datæ Moysi fuisse unum ac eundem diem, & eodem die consuevisse Judæos diem celebrare Pentecostes in memoriam datæ legis, & in gratiarum actionem pro collectis frugibus, & hoc unum incidisse anno Passionis in diem dominicum, qui fuit 50. à resurrectione, quæ ut facilius intelligantur, expendenda sunt duo textus Exodi 19. & Levit. 23. *Mense tertio egressionis de Ægypto, in die hac venerunt in solitudinem Sinai*, ubi non explicatur, quo die mensis tertii venerint in desertum Sinai,

Sinai, consequenter non certò scimus, unde numerentur illi tres dies, de quibus dicitur, *estoti parati in tertium.* D. Augustinus Epistola 119. quæst. 70. in Exod. ait: Populum venisse in Sina primo die mensis tertii, & die tertio datam fuisse legem, & hunc diem esse 50. à primo die Paschatis. Verum si ita numeremus, non videtur coincidere festum datæ legis cum festo hebdomadarum, quod magis propriè dicitur Festum Pentecostes, siquidem Pentecoste est dies 50. à secundo die azymorum, non à Festo Paschatis, & tamen debent coincidere; vel nullum erit Festum datæ legis, quod est absurdum, & contra ipsum Augustinum, qui festum datæ legis ait esse Festum Pentecostes. Rursus non evacuatur difficultas, quia si lex data est die 50. à Paschate Judæorum, & talis dies est Festum Pentecostes, sequitur Spiritum Sanctum non descendisse ad Apostolos die Dominico seu Jovis. Demum quia si tertia die mensis tertii lex data est, deberent prima die mensis plura esse facta quàm tempus unius diei videatur pati: siquidem dicuntur Filii Israël mense tertio pervenisse in Sina, ex quo apparet, aliquam illius diei partem insumptam fuisse in itinere: non enim credibile est eos summo manè pervenisse ad radices montis, cum non consueverint Hebræi noctu iter agere: rursus ubi primum pervenerunt, necesse erat, ut sua figerent tabernacula, in quo plurimum temporis absumebatur. Rursus cum procederent ordinatim, ut solent exercitus, non eadem hora omnes pervenerunt ad radices montis sed post primos postremi nonnisi post plures horas, adeo ut si primi venerint hora meridiana, ultimi non potuerint illuc appellere nisi horis vespertinis, deinde Moyses ascendit in montem Sina, cujus fastigium altissimum erat, & cum Deo locutus postea descendit de monte, convocavitque omnes majores natu, ad quos concionem habuit; & per illos ad omnem populum, deinde iterum conscendit montem, & descendit, & cum populo locutus præcepit, ut omnes lavarent vestimenta sua, quæ cùm fuissent abstersa, dixit eis *estote parati in diem tertium.* Hæc omnia potuisse contingere uno, & eodem die, non videtur captu probabile. Quamobrem Tostatus in *cap.* 19. *Exod.* censet, legem datam fuisse die tertio tertii mensis, & eum diem non esse 50. sed 59. à Paschate, ideoque Festum Pentecostes non celebrari propter legem datam, sed propter initum fœdus inter Deum, & populum, idque contigisse die 4. mensis, ut constat *Exodi* 24. Verum in hac sententia periret figura Pentecostes Christianorum, siquidem Pentecostes Judæorum fuit Festum datæ legis, & figura, ac umbra legis novæ, & Pentecostes Christianorum est Festum datæ legis novæ, cujus beneficio suum Ecclesia sumpsit exordium.

Alii verò cum Lyra censent, Moysem venisse in desertum montis Sinai die tertio mensis tertii, deinde die quarto dixisse: *Estote parati in diem tertium*, & die sexta datam fuisse legem, qui dies fuit 50. à secundo azymorum inclusivè, & secundum hanc computationem Festum Pentecostes coincidit cum festo hebdomadarum, & hæc sententia videtur conformior sacro textui, ubi dicitur: *Mense tertio egressionis in die hac venerunt in solitudinem*, ubi illud, *in die hac*, refertur ad numerum supra dictum, scilicet tertium, sitque propterea sensus mense tertio, & die ipsa ejusdem numeri, quamvis etiam posset referri ad initium mensis. Quamobrem lex data fuit sexta die, tametsi populus venerit primo, vel tertio juxta probabiliorem sententiam.

Quod verò ad secundum textum attinet ex Levit. cap. 23. *Numerabitis ab altera die Sabbathi, in quo obtulistis manipulum septem primitiarum hebdomadas plenas usque ad alteram diem expletionis hebdomada septima, id est 50. dies & sic offeretis sacrificium novum:* quorum verborum duplex est expositio, Hesychii, & Ruperti una, hi enim per alteram Sabbathi aiunt, esse intelligendam primam Sabbathi seu diem Dominicam, quæ immediatè sequitur post Sabbathum; Hebræi enim totam hebdomadam denominabant à Sabbatho, adeo ut Sabbathum idem esset ac hebdomas, & prima Sabbathi, dies Dominica, secunda Sabbathi dies Lunæ, & sic de reliquis diebus hebdomadis, adeo ut sensus esset, ut dies Pentecostes numerarentur à prima Dominica, quæ occurrit post Festum Paschæ, & in hac sententia Festum Pentecostes Judæorum occurrisset in die Dominica; & quia anno Passionis Christi Dominica post Pascha Judæorum fuit Dominica resurrectionis, sequitur dies Pentecostes eodem anno fuisse completos die 50. à resurrectione, Altera expositio est Lyrani, Tostati, Cajetani, & Rabbinorum, Josephi Hebræi lib. 3. antiquit. cap. 13. qui per alteram diem Sabbathi intelligunt primam diem post festum azymorum, verum si adhæreamus huic expositioni, annus Passionis numerari cœpit in Sabbatho Pentecostes, quia eo anno proximo non occurrebat post festum azymorum, ex quo sequitur dies Pentecostes compleri in Sabbatho. Sed respondent plures cum Bellarmino, verùm esse, quòd ordinariè dies Pentecostes cœperint numerari à die 2. azymorum: verùm si secunda illa dies esset Sabbathum, tunc incipiebant numerari à die 3. azymorum: causæ enim, cur 50. illi dies non incœperint numerari à primo azymorum, sed à secundo fuit, quia oportebat illa die festo prohibebantur: siquidem necessum erat metere segetes, easque in manipulos colligare, exiccare, & adferre ad sacerdotem; quæ omnia magis prohibita erant die Sabbathi, quàm die primo azymorum, & hæc causa fuit, cur in secunda die azymorum, quando occurrebat Sabbathum, non liceret inchoare illos 50. dies: hinc in textu dicitur *altera dies Sabbathi*: non verò altera die Paschæ, vel azymorum, quia volunt generatim includere festa, quæ immediatè occurrerent post Pascha, sive esset unum, sive plura, adeo ut *altera dies Sabbathi* significet primam diem profanam post Festum Paschæ, & quia ut plurimum post Pascha non occurrebat festum, nisi primo die azymorum rectè Josephus loquens de eo, quod ut plurimum accidebat, asseruit, Pentecostem incipere Luna decima sexta, tametsi anno Passionis Christi inceperit Luna 17. quia scilicet Sabbathum fuit 16. Sin autem dies Pentecostes anno, quo Christus passus est, cœperunt numerari à Luna 17. qui dies erat Dominicus, sequitur dies Pentecostes fuisse completos die Dominico.

Festum Sanctissimæ Trinitatis non fuit institutum ab Apostolis, quia Alexander III. in cap. *quoniam. de feriis*, asserit suo tempore fuisse quidem in usu apud quasdam Ecclesias, non tamen Romæ, adeo ut Festum Sanctissimæ Trinitatis non celebraretur tempore Alexandri III. in tota Ecclesia Catho-

Catholica; & tametsi præfatio de Trinitate composita à Pelagio II. Papa, caneretur ab Ecclesia universali diebus Dominicis, non tamen habebatur ut propria festi Trinitatis; cujus officium composuit Alcuinus Præceptor Caroli Magni suasu Bonifacii Archi-Episcopi Moguntini, & ipsemet obtulit Leoni III. circa annum 800. cui Papa respondit, non esse celebrandum festum de Trinitate, sicut nec de Unitate quia singulis diebus fieret festum de Trinitate, & Unitate Divina, eò quia semper ab Ecclesia caneretur Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & quamvis tunc non admiserit officium, nihilominus fuit postea Romæ receptum & institutum festum de Trinitate die octava Pentecostes, ut DEO gratiæ speciales agerentur pro declaratione mysterii Trinitatis ab Apostolis facta fidelibus. Festum corporis Christi est recens institutum ab Urbano IV. occasione miraculi, quod contigit in templo S. Christinæ, de Bolsena Orvietæ Diœcesis anno 1264. ubi cum Sacerdos missam celebrans hæsitaret anceps post consecrationem de realitate corporis Christi sub speciebus illis Evcharisticis, profluxit statim ab hostia sanguis, qui totum intinxit corporale; quod miraculum fuit occasio, quòd in Ecclesia festum institueretur Corporis Christi, cujus officii hymnos & prosam composuit S. Thomas Aquinas, & totum officium obtulit Pontifici anno 1364. & usus deferendi processionaliter Evcharistiam Papiæ in Longobardia dicitur inchoâsse, quam consuetudinem reliquæ per occidentem Ecclesiæ susceperunt. Festum transfigurationis est antiquius, cum de ipso sermones habuerint Antiqui Patres, ut S. Leo Papa, Cyrillus Alexandrinus, & Andreas Cretensis apud Surium, & ab Ecclesia moris fuit, ut celebraretur die 6. Augusti, eò quia tali die Christi transfiguratio in vertice Taboris montis occurrerit, de qua tamen nullum fecerunt verbum Apostoli, qui interfuerunt nisi post Christi resurrectionem, ut ipse iisdem præceperat. Quapropter Calixtus Papa III. Festum Transfigurationis instituit, vel potiùs renovavit anno 1456. ad excitandam memoriam insignis victoriæ, quam die 6. Augusti Hunniades præfectus exercitus Christiani, & bellica fortitudine clarissimus detulit de Machumete Belgradum, seu Albam Græcam cum ingenti exercitu obsidente.

Circa festivitates Sanctorum constat ex Apostolica traditione, fuisse in Ecclesia derivatas, ut habetur ex Constitutione Clementis *lib.* 8. *cap.* 33. ubi indicantur festa, quibus famuli ab operibus servilibus debent abstinere; habetur enim: *In diebus Apostolorum vacent &c. In die Stephani Protomartyris pariter vacent &c.* & Clemens lib. 8. constit. cap. 3. scribit Apostolos sanxisse, ut singulis annis dies Martyrii Sancti Stephani publicè festus celebraretur; qua de causa S. Martialis Discipulus Apostolorum in Galliis Altare S. Stephano dedicavit, ut ipsemet fatetur in Epistola ad Burdegalenses, cujus exemplum secutæ postea fuerunt plures aliæ Ecclesiæ, quæ Altaria eidem Protomartyri erexerunt, ac dedicârunt, imò etiam magnifica templa; & non multo post Apostolorum tempora Ecclesia Smirnensis diem festum celebravit S. Polycarpi Martyris, ac sui Pastoris, & aliorum Martyrum, ut refert Eusebius *lib.* 4. *historiar. cap.* 14. & Origenes, qui vixit sub Severo Imperatore lib. 3. in Job. ait: *Mortis diem celebramus, utpote omnium dolorum depositionem; diem mortis celebramus, quia non moriuntur hi, qui mori videntur, propterea & memorias Sanctorum facimus* & homil. 3. in Matth. notat: Bene, & secundùm voluntatem DEI Sanctos Patres mandâsse, perpetuam in Ecclesiiis memoriam celebrari infantium innocentium. S. Cyprianus Epistola 34. de Celerino, & cæteris Martyribus ait: *Sacrificia pro iis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus*, & Tertullianus lib. de corona militis cap. 3. asserit ex eadem Majorum traditione Christianos annuis diebus natalitia Martyrum celebrari consuevisse. Eusebius Alexandrinus *homil. de Sanctis colendis* Felix I. *Epistola* 2. Eusebius Cæsareensis *in vita Constant. lib.* 4. *cap.* 23. Ephrem Syrus *lib.* 2. *de pœnit.* & alii, sic plures Sancti Patres de festis Sanctorum agunt, & non solùm de festis Martyrum, sed etiam Sanctorum Confessorum; etenim Gregorius Nissenus in festo die fratris sui Basilii eum pro concione laudavit, ut etiam D. Gregorius Nazianzenus, qui S. Athanasium jam pridem vitâ functum pluribus excepit laudibus, hinc consuetudo postea inolevit, ut in Ecclesiis orationes panegyricæ in laudes Sanctorum, quorum dies festi agebantur, publicè recitarentur. Accedit etiam authoritas Conciliorum; etenim Laodicæna Synodus habita anno Christi 364. ait: *Non oportet in quadragesima Martyrum natalitia celebrari, sed eorum in Sabbatho & Dominica tantùm memoriam fieri.* Ex quo sequitur extra quadragesimam moris fuisse in ea Provincia, ut festa Sanctorum celebrarentur. Ratio itidem id suadet, quia dies festi instituuntur ad recolenda divina beneficia, & gratias DEO rependendas, ut liquet in scripturis de festo Sabbathi apud Judæos, & de festis Domini, ut de nativitate Christi, & Epiphania: Pascha, Pentecoste apud Christianos, quapropter D. Augustinus lib. 10. de civit. DEI cap. 4. ait: *Beneficiorum DEI solemnitatibus festis, & statutis diebus dicamus sacramúsque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio*: atqui non est reputandum exiguum DEI beneficium aliquos fideles consummâsse gloriosum martyrium, vel totam vitam exercitiis heroicarum virtutum insignivisse, quia inde universæ Ecclesiæ in terris militanti exhibentur exempla fortitudinis, ac insignium virtutum, & novi adsciscuntur Patroni, & Intercessores apud DEum: & Ecclesiæ triumphanti novum datur gaudium de novis civibus acquisitis, ac novus de debellato dæmone additur triumphus: quæ omnia beneficia digna habentur, ut recolantur à fidelibus. Tum quia si instituuntur dies festi ob natalitia Principum vel assumptionem ad supremam dignitatem, vel ob partam insignem aliquam victoriam, à fortiori possunt dies festi institui in obitus Sanctorum, eò quia tunc incipiant vitæ æternæ nasci, & cælesti gloria donari, quapropter eorum mors vocatur ab Ecclesia natale, per mortem enim exaltantur ad cœlestem gloriam, quæ maxima est omnium dignitatum; quapropter licitè, & honestè ab Ecclesia festa instituuntur Sanctorum. Neque hujusmodi institutio, ut ajunt Hæretici redolet idololatriam, eò quia Sabbatha sanctificare sit præceptum primæ tabulæ, & ad cultum solius DEI spectat; nam festa institui, & DEO dicari in memoriam Sanctorum imò, etiam templa erigi DEO in memoriam eorundem, non est quid idololatricum, quia hoc totum dirigitur in DEum unum tantùm & verum. Quòd si velimus honorem

norem festorum pertinere immediatè, & terminativè ad Sanctos adhuc referuntur in DEum, sex autem tantùm referantur ad ipsos Sanctos, ut sunt invocationes eorundem, tunc hæ invocationes Sanctorum nullam sapiunt idololatricam, quia nullus Sanctis adhibetur cultus latriæ, sed tantùm duliæ, siquidem cultus Religionis non est specialis virtutis nomen, sed generale, & diversos complectitur cultus, scilicet latriæ, estque supremus, qui soli & uni tantùm convenit, & duliæ, estque cultus, qui ob excellentiam supernaturalem debetur creaturis, & Sanctis, & hyperduliæ, qui habetur cultus medius inter cultum latriæ, & duliæ, & convenit Deiparæ, ob excellentiam Matris DEI. Sed objiciunt Sectarii, quia tametsi aliqui dies festi concedantur, non tamen sunt illi cæteris Sanctiores, sed tantùm ordinis, & politiæ gratiâ instituuntur. Rursus negant esse celebrandos dies festos nisi paucissimos, quos & ipsi solemnes habent, ut nativitas Christi, festum Paschæ, & Pentecostes. Sed contra, quia dies festi ex sua institutione ordinati sunt ad cultum DEI: siquidem pertinent ad præceptum ptimæ tabulæ, & legem naturæ: quod autem ex institutione sua ordinatum est ad cultum DEI, nulli potest dubium esse, quin sanctum sit & venerabile, consequenter dies festi non sunt ordinati ad politiam primario, sed ad cultum DEI, consequenter dies festi Sancti sunt & venerabiles, & sanctiores, ac sacratiores habendi aliis diebus ad hunc finem peculiariter non ordinatis. Præterea quia si dies festi tantùm causa ordinis, & politiæ fuissent instituti, inde sequeretur omnes dies Festos esse inter se æquales, & omnes præter diem Dominicum, qui eundem semper servat ordinem, tolli deberent, quia cum dies illi sæpe ordinem mutent, occurrantque vel in Sabbathum aut alium diem proximum Dominica, sequeretur, quod ordinem politicum potiùs turbarent, quàm constituerent, consequenter ut ordo manuteneretur, ac conservaretur, essent dies festi tollendi. Rursus si causa soliùs ordinis in Ecclesia celebrarentur dies festi, omnes essent æquales, ac una & eadem esset ratio Festa omnia celebrandi; non esse festa omnia æqualia etiam ipsi Sectarii fatentur, quia plura ipsi observant festa per totam diem à summo mane ad vesperam, cujusmodi sunt festa Nativitatis Christi, & Paschatis, & alia nonnisi per medium celebraut, quo cultu dimidiato indicant apertè hæc festa esse inferiora aliis, & non omnes dies festos esse pares. Quòd verò plures dies festi possint institui ab Ecclesia, ex eo evincitur, quia ubi eadem est ratio tam hunc, quàm illum diem ut festivum celebrandi, ubi potest uterque dies ut festivus celebrari, atqui eadem ratio concurrit in pluribus, consequenter etiam plures poterunt celebrari, quia celebramus festa Apostolorum ad eorum memoriam recolendam, ita possumus aliorum Martyrum memoriam singulis annis solemniter recolere, eò quia gloriosum & ipsi consummaverint Martyrium, & sanguinem suum pro DEO & Ecclesia effuderint, & ita concurrentibus iisdem circumstantiis, & rationibus plures possunt ab Ecclesia dies festi Sanctorum institui, quia cum certum sit, dies aliquos festos ut tales in genere esse jure Divino celebrandos ex præcepto decalogi, sequitur dies festos obligare in conscientia ad eorum observantiam fideles, neque obstat, quod præter Sabbathum alii dies determinati fuerint ab hominibus: siquidem jus Divinum nullum diem determinat, sed tantum præcipit DEI cultum, & debitam reverentiam ei exhibendam à Creaturis, ideo debuit in Ecclesia esse potestas determinandi aliquos speciales dies, in quibus fideles abstinerent ab operibus servilibus, & obsequium DEO exhiberent. Alioquin si talis potestas Ecclesiæ non inesset, neque dies Dominicus, neque Paschatis, nec Pentecostes fideles obligaret, quia in decalogo jubetur tantùm servari Sabbathum, sed quia cætera, quæ ab Ecclesia instituuntur festa, fundantur in jure Divino, ab eodem etiam desumunt efficaciam obligandi, propterea Ecclesia rectè aliquot determinavit dies, in quibus fideles abstinerent ab operibus servilibus, ut sua obsequia soli DEO præstarent, hinc Concilium Lugdunense celebratum quinto Sæculo apud Gratianum de consecrat. dist. 3. ait: *Pronuntiandum est, laicis, ut sciant sua tempora feriandi per annum, id est, omnem Dominicam natale Domini &c. Purificationem Sanctæ Mariæ, Assumptionem, & Nativitatem.* Quòd verò ad festa pertinet Sanctorum, tametsi Sectarii velint per has solemnitates debitum DEO tolli honorem, id non sequitur, quinimò magis tunc DEus honoratur, cum honor exhibitus Sanctis referatur in DEum. Præterea liquet ex scripturis, Judæos habuisse Neomenias per singulos menses, festa Paschalia, & Pentecostes, nec non tabernaculorum celebrando per septem dies præter Sabbatha à DEO illis constituta, & rursus celebrâsse festa pro Victoria Judith; pro liberatione populi mediante rogatione Esderis Reginæ coram Asuero, unde non debet mirum videri, si etiam in lege Evangelica festi dies celebrentur pro diversis beneficiis præstitis à Christo, vel Sanctis populo Christiano, & gratias pro iisdem rependamus; hinc Augustinus sermon. 26. de Sanctis ait: Qui honorat Martyres, honorat & Christum, & qui spernit Sanctos, spernit Christum Dominum. Tum quia ritus celebrandi dies festos Sanctorum antiquus est in Ecclesia, ut superiùs innuimus. Quòd si dicas plura festa hodie coli, de quibus nihil novit antiquitas: Respondetur, id non officere, quia eadem authoritas, quam habuit Sedes Apostolica tempore Apostolorum, eandem etiam nunc habet. Neque absurdum est, aliquas Festivitates esse modernas, quando beneficia DEI pariter sunt moderna, & propter quæ ab Ecclesia instituuntur festa pro gratiarum actione beneficii à DEO nobis præstiti, unde Sedes Apostolica habet authoritatem indicendi, & abrogandi dies festos in Ecclesia universali, etenim etiam apud Judæos in veteri testamento plura fuerunt de novo instituta præter illa quæ DEus per Moysem statuerat, ut liquet de festo sortium ob liberationem populi per Esder, & de alio festo ob victoriam Judith, quæ obtruncato Holophernis capite Betuliam ab obsidione vindicavit Assyriorum, ut etiam de festis dedicationum templi tempore Salomonis. Unde possunt etiam in lege Evangelica nova festa institui, unde quòd sint nova festa, quorum nulla fiat mentio in primitiva Ecclesia, id non debet absurdum videri, quia ubi eadem sæpe ratio ponitur celebrandi festa; potest itidem & idem effectus sequi, seu festi celebratio, & quia postremis sæculis plures viros sanctitate, ac miraculis claros, & in homines beneficos à Deo accepimus, quá tempore primitivæ Ecclesiæ; sequitur eorum festa licèt recens instituta tam rectè posse celebrari, quàm priora.

Ne-

Neque festorum observatio tametsi obligationem inducat, censendum est jugum intolerabilius, quàm illud Judæorum, de quo ait D. Petrus in Act. *Nec nos, nec Patres nostri portare potuimus*, quia Christiani in lege Evangelica longè plura festa celebrant, quàm olim Judæi in lege veteri; siquidem lex vetus à D. Petro non fuit vocata jugum intolerabile propter festa ejusdem legis, sed ob alias innumeras cæremonias, quæ in tali lege observandæ erant, tametsi quamvis D. Petrus vocâsset Judæorum festa jugum intolerabile, id non obstat, quia festa Judæorum servatu erant difficiliora, & modi permolesti erant iisdem annexi, ideoque potuerint festa illa dici jugum intolerabile, & quamvis fuerint pauca, fuerunt tamen difficiliora quàm festa Christianorum, licet numero plura.

# CAPUT XVI.

## De Processionibus, & Peregrinationibus ad Loca Sacra.

PRocessionum usus consistit in precibus, quæ ambulante à populo per urbium plateas recitantur, & ad DEum funduntur, ad suam implorandum opem; adeo ut nomen processionis derivetur à verbo procedo, quod apud Grammaticos significat incedere, ambulare, progredi; apud Philosophos, & Theologos emanare, originem trahere ab alio, ut à suo principio, vel causa. Hinc nomen processionis duo significat, motum localem hominum, & aliorum animalium; & originem, seu emanationem unius ab altero ut à principio; in quo sensu à Philosopho definitur generatio processio viventis à vivente in similitudinem naturæ. Hic vero nomen processionis sumitur in prima significatione ut significat motum localem, itionem, profectionem: & in hoc sensu definitur processio Ecclesiastica à Gretsero de Sacris processionibus lib. 1. cap. 1. quod sit populi Christiani profecto ad locum quempiam Sacrum certo cum ordine, ritu, ac dispositione, causa precum fundendarum DEO. Seu processio est supplicantis cœtus cum ordine, ritu & ceremonia circuitio. Vel, ut placet Serrario in opusculis lib. 1. de Process. cap. 1. est Religiosa precabundi populi certo cum ritu ambulatio, quæ omnes definitiones videntur in idem coincidere; & ex eo videntur difficultatem pati, quia constituunt Ecclesiasticas processiones sub motu locali, ut sub genere proximo; cum constet esse functiones sacras, & actus virtutis religionis, seu species orationis, ac supplicationis ad Deum; unde motus localis, seu circuitio videtur potius constituere differentiam, quâ à reliquis Ecclesiasticis functionibus differunt processiones. Satius posset processio Ecclesiastica describi: Publica supplicatio quâ cœtus fidelium procedendo certo cum ordine, & ritu de loco sacro in locum sacrum DEO supplicat pro aliqua gratia impetranda. Primæ particulæ ponuntur loco generis, quia hæc precatio, quæ fit DEO in processionibus, convenit cum aliis Ecclesiæ precibus, & recitatione divini officii, processus cum ordine de loco sacro in locum sacrum loco differentiæ. Dicitur certo cum ordine, & ritu, ut præferatur ut, & crux bini bini incedant; primò juniores, & minus digni, deinde gradatim digniores; per illas particulas de loco sacro in locum sacrum ponitur differentia à reliquis publicis supplicationibus, quæ publicè fiunt in Ecclesia absque motu. Rursus preces in processionibus possunt recitari alta, vel submissa voce; & finis primarius, ob quem instituuntur, est cultus latriæ DEO debitus, ac primariò intentus ab Ecclesia. Finis secundarius est populi Christiani ædificatio, excitatio ad pietatem, & impetratio à Deo alicujus auxilii, vel gratiæ, & ratione hujus finis differunt accidentaliter inter se processiones, quia aliquæ instituuntur ad impetrandam aëris serenitatem, vel pluviam tempore siccitatis, fructuum, & annonæ ubertatem, vel aversionem alicujus imminentis mali. Aliæ instituuntur pro gratiarum actione ex beneficiis à DEO susceptis, vel ob partam victoriam; vel in memoriam vindicatæ obsidionis, aut liberatione alicujus alterius mali. Rursus à causa instituente, quæ reducitur ad efficientem; aliæ dicuntur generales, suntque quæ per universam fiunt Ecclesiam. Et hæ instituuntur vel à summo Pontifice vel à Conciliis Generalibus per totam Ecclesiam Catholicam, cujusmodi sunt processiones rogationum, palmarum, corporis Christi, & aliæ sunt particulares indictæ ab Episcopis pro sua Diœcesi, ut ad petendam pluviam, vel serenitatem, vel ad gratias rependendas DEO pro aliquo beneficio suscepto, ut pro extinctione pestis, liberatione ab obsidione hostili. Solent etiam distingui processiones ex parte materiæ, qua constant, seu ratione personarum vel rerum, ex quibus componuntur, quo pacto quædam dicuntur constare ex solis personis Ecclesiasticis, quædam ex solis Clericis sæcularibus, aliæ ex Religiosis regularibus, & aliæ dicuntur mixtæ, & constant tam ex Ecclesiasticis, quàm sæcularibus, Religiosis, & Clericis, ex parte itidem materiæ, seu rerum, quæ in processionibus deferuntur, solent etiam distingui, siquidem in aliquibus deferuntur Reliquiæ Sanctorum, Sacræ imagines, vexilla, & cætera hujusmodi, quæ committuntur in aliis, in aliquibus etiam defertur Venerabile corporis Christi, & in aliis non, ut etiam subinde interveniunt Chori Musicorum, qui in aliis non audiuntur, neque interveniunt. Differunt etiam ratione formæ, seu ordinis vel rituum, quibus processiones itidem variantur; quædam enim ordinario & communi ritu instituuntur, aliæ ritu peculiari extra ordinem; per varias itidem circumstantias etiam differunt, ut ratione loci, ad quem diriguntur; si enim instituantur ad lustrandos agros, vocantur ambervales, ab agris ambiendis, vel etiam ad lustrandas urbes per murorum circuitum, comuniùs tamen proceditur ab una Ecclesia in aliam. Differunt etiam ratione habitus, quo utuntur personæ in processionibus; quandoque enim utuntur vestibus Sacris, & benedictis juxta gradum cujusvis personæ, idque præsertim servatur in solemni processione corporis Christi, & nonnunquam Clerici procedunt solis superpelliciis induti. Ratione temporum etiam differunt, eò quia aliæ sint nocturnæ, aliæ diurnæ, aliæ anniversariæ, aliæ menstruæ, prima Dominica vel tertia decurrentis cujusvis mensis per annum rursus aliæ sunt mœste, & lugubres, ut in triduo sepulturæ Christi Domini in Parasceve, vel grassante peste

peste, in quibus plures Sacris induti nudis pedibus incedunt, alii ciliciis tecti cruces bajulant, & alii flagellis se cædentes proprium corpus dilacerant; aliæ è converso sunt festivæ, & plenæ lætitia, in quibus plateæ floribus sternuntur, ornantur parietes domorum in extima facie aulæis sericis, vel tabellis pictis.

Quod verò ad originem, & causam efficientem attinet, certum est originem processionum antiquissimam esse, siquidem Tribus Filiorum Israel, cum descendisset de monte Domini arca fœderis præcedebat per diem, cum incederent, & cum arca elevaretur, clamabat Moyses Numer. cap. 10. v. 33. *Surge Domine, dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, a facie tua.* Rursus 2. *Esdræ* 12. refertur post instauratam Jerosolymam, & solutam captivitatem Babylonicam fuisse institutam solemnem processionem in gratiarum actionem, cui Sacerdotes interfuerunt, & Levitæ una cum frequentia populi canentis DEO Laudes. Josue itidem 6. in Jerichontina civitatis obsidione fuit processio instituta ab Israelitis circumientibus per septem dies Civitatem illam, certo cum ordine, & ritu, siquidem ferebatur arca fœderis, quam præcedebant septem alii Sacerdotes cum buccinis, & exercitus militum, & postremò reliquum vulgus sequebatur arcam 2. *Reg* 6. & 3. *Reg*. 8. David & Salomon ejus Filius dicuntur instituisse processiones in translatione Arcæ fœderis ex uno in alium locum. Imò etiam Christo Domino quædam fuerunt exempla processionum extradita, siquidem ascensurus Christus in Jerusalem ad perficiendum mysterium nostræ Redemptionis solemni ritu voluit Sanctam Civitatem illam ingredi, quem plures fuerunt secuti, & turbæ civitatis straverunt vestes suas in via, & qui præcedebant, & sequebantur clamabant: *Osana Fili, David.* In aliis itidem Christi itineribus cum suis Discipulis similia exempla exhibuit, ad quorum similitudinem fuerunt in lege Evangelica institutæ processiones, sicut enim in lege veteri à Sacerdotibus reverenter, ac devote portabatur Arca fœderis, quam sequebatur populus etiam in lege Evangelica defertur in processionibus solemnioribus Sacratissima Evcharistia, cujus figura fuit Arca. Cæterum usum processionum in lege Evangelica referunt plures, incepisse tempore Constantini Magni cum enim vidisset signum crucis in cœlo splendidè collocatum ac dictum sibi fuisset, *in hoc Signo vince*, jussit viros eruditione claros ex auro, & lapidibus pretiosis in vexillum S. Crucis transformare signum, quod labaorum diceretur, & fuit signum bellicum cæteris pretiosius, quod Imperatorem præcederet, & moris fuit, ut à militibus coleretur, ut refert Rupertus Abbas *do Divin. offic. lib. 9. cap.* 5. Tertullianus qui floruit anno Christi 200. *lib. 2. ad uxorem*. D. Hieronymus *Epistol.* 507. D. Augustinus *lib. 22. de Civit. DEI.* Meminerunt processionum, quæ à primis illis fidelibus institutæ fuerunt, & S. Ambrosius *serm. 7. & Epist.* 29. refert Monachos psallentes consuevisse ex usu veteri sepulchra Martyrum invisere cum prævia cruce. ex quo liquet ab eo tempore fuisse usum processionum jam institutum in Ecclesia Catholica, & in festo S. Marcellini Papæ, & Martyris die 26. Aprilis habetur in breviario Romano, quod projecta corpora Marcellini, & aliorum Martyrum cum 36. dies jussu Imperatoris caruissent sepultura, beatus Marcellus à S. Petro in somnis admonitus cum Presbyteris, & Diaconis, aliisque fidelibus hymnis & luminibus adhibitis ad locum processisse ubi inhumata corpora jacerent, quibus honorificam dederunt sepulturam, ex quo apparet processionem illam habuisse DEum institutorem, cum ab ipso peculiari visione jussa fuerit Antiquitatem processionum in Ecclesia Catholica etiam evincunt Concilia, in quibus fuerunt processiones indictæ, ut in Conciliis Laodiceno cap. 17. Lugdunensi cap. 6. Bracarensi II. in quibus processiones, quæ fiunt triduo ante ascensionem. Et D. Hiæronymus ad Eustachium de Custodia Virginum Epist. 12. ait; *Martyres tibi quarantur in cubiculo tuo; nunquam deerit causa procedendi, si semper quando necesse erit, processura sit.* Meminit enim antiqui moris procedendi ad invisendas Martyrum reliquias una cum aliis fidelibus; & in Concilio Bracharensi III. cap. 5. habetur: Reliquias ab Episcopo, seu Levitis deferendas esse in processionibus, ut etiam refert S. Augustinus de civitate DEI lib. 22. cap. 8. & Theodoretus refert consuevisse Imperatorem Marcianum nudis pedibus subinde in processionibus procedere una cum Episcopo Anatholio: & lib. 1. collect. ait: Marcianus ad supplicationes, quæ in campo fiebant, pedes egressus multa largitus est egenis. Sozomenus refert, Reliquias Martyris Meletii solemniter in processione Antiochiam fuisse translatas alternatis Psalmorum cantibus, ut narrat lib. 7. cap. 10. hoc idem etiam testatur Socrates in translatione corporis S. Babilæ Martyris lib. 1. cap. 16. ubi narrat Dæmonem, qui in delubro Apollinis Daphnæ habitabat, cum nullum Imperatori Responsum dabat vicinum formidâsse Martyrem, quod cum intllexisset Imperator, loculum Martyris quam celerrimè inde transferri jussit. Rufinus etiam refert, Theodosium Imperatorem ante indictum Eugenio bellum processionem indixisse, ait ipse lib. 2. histor. cap. 33. *Cum Sacerdotibus & populo ad omnia orationũ loca rediens ante Martyrum, & Apostolorum thecas jacebat cilicio prostratus, & auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscebat*: & Nicephorus lib. 14. cap. 3. histor. Eccles. refert Theodosium Juniorem processionem indixisse, ait ipse: *Litania instituta est supplicantes processerunt; atque una concors Ecclesia civitas tota, & ipse medius Theodosius hymnis canendis praivit habitu privato incedens. Minimè vero eum opinio fefellit: statim enim cœlum aërem turbidum serenitate commutavit, & frumenti non mediocrem inopiam quadam frugum copia, & ubertas est consecuta.* Et D. Augustinus lib. de civit. DEI 22. cap. 8. meminit processionis in translatione corporis Martyris Stephani, ait ipse: *Memorati memoriam Martyris Stephani, quæ posita est in Castello Squinicensi ejusdem loci Lucillus Episcopus populo pracedente atqae sequente portabat: fistula cujus molestia jam diu laboraverat illius pia Sarcina vectatione repente sanata est.*

Moris itidem fuit præsertim post Constantinum Imperatorem, ut crucis in processionibus Ecclesiasticis procederent procedentes; hunc enim ritum antiquissimum esse refert Cassiodorus *histor. tripart. lib. 2. cap.* 8. & Socrates *lib. 6. cap.* 8. ut etiam Baronius ad annum Christi 401. & hoc ritu memoria excitabatur in piis turbis procedentibus Christi pro Redemptione humani generis mortem passi in cruce; non enim nuda crux deferebatur, sed etiam Christus Dominus Cruci affixus, ut turbæ non solum incessu Christum sequerentur, sed etiam imitatione in tolerandis patienter adversitatibus, cum dixerit Christus Matth. 16. *Qui vult venire*

*post*

*post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me*, ferebatur enim crux in Processionibus, ut vexillum vel labrum, sub quo militabant fideles, cum dixerit Job cap. 6. *Militiam esse vitam hominis super terram*, cujus arma spiritualia sunt, ut scribit Apostolus 2. Corinth. cap. 2. inquiens: *Non secundum carnem militamus*, nostri enim adversarii, contra quos fortes pugnamus, tres sunt, caro, mundus, & diabolus, ut scribit Apostolus ad Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus mundi Rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitia in cœlestibus*, & D. Petrus Epistola 1. cap. 2. ait: *Obsecro vos abstinere à carnalibus desideriis, qui militant adversus carnem.* Casalius de Processionibus cap. 30. refert, tempore Eugenii III. Romani Pontificis crucem Domini Romæ quadragesimali tempore sumi consuevisse ex altari D. Petri, & hanc præcessisse populum pœnitentem toto quadragesimali tempore procedentem ad stationes, & quod in majori litania vel generali Processione Basilia S. Petri ductrix, & rectrix præambula esset, ut denotaretur beatus Petrus vexilliferus, & totius Ecclesiæ præductor, & D. Antoninus 3. part. histor. tit. 22. cap. 3. §. 22. ait: Fideles processisse, non indutos pretiosis vestibus, sed excalceatos, cinere sparsos, & cilicio tectos nisi infirmitas aliqua impediret, & refert etiam moris quo populi in albis vestibus procederent, inquiens: Per hæc ipsa tempora anni 1388. mirabilis factus est populorum motus: Omnis quippe multitudo vestes exteriores induit albas lineas tamen ad pedes usque protensas cum capuciis ad modum capparum Religiosorum, quibus facies velabant, relictis tantùm duobus foraminibus ad oculos, ut videre possent: Omnes mares, & fœminæ, laii, clerici, Religiosi cujusque Ordinis, grandes, parvuli similibus vestibus incedebant, & incredibili devotionis ardore longa hæc dealbatorum agmina ad vicinas urbes comeabant processionaliter bini pergentes, pacem & misericordiam supplici clamore sæpe clamantes, & laudes ac hymnos decantantes, & præsertim sequentiam illam, quam dicunt D. Gregorium edidisse, *stabat Mater dolorosa juxta crucem lachrymosa &c.* & in illa Peregrinatione novem, vel decem dierum plures consueverant jejunare solo pane, & aqua contenti, & diebus singulis communicabant, & hæc erat una ex Processionibus Extravagantibus, quarum plures fuisse refert Gretserus *lib. 1. de processionibus cap.* 9. & Durandus in suo rituali ait, in nonnullis Ecclesiis Processiones ita fuisse institutas, ut septem Acolythi cum luminaribus significantes eos, qui per septiformem Spiritus Sancti Gratiam lumen scientiæ fidelibus administrant. Hos sequebantur septem Subdiaconi cum phalariis indicantes eos, qui plenitudinem divinitatis in Christo possiderent, deinde septem Diaconi eos indicantes, qui Spiritualem de Christo habuerunt gratiam, & post istos duodecim Priores significantes eos omnes, qui fide Sanctissimæ Trinitatis, quatuor virtutum operibus coruscarunt, & quos fuerunt comitati tres Acolythi cum Thuribulis, & incenso fumigante, indicantes tres Reges Magos, qui nato Christo munera obtulerunt.

Deinde Pontifex à duobus veluti in curru vehebatur, quem turba populi comitabatur preces fundens DEO. In aliis Processionibus moris itidem fuit ut præcederent tubicines buccinantes, ac tubis canentys cum tempanistis pulsantibus tympana, quos sequebantur militum cohortes cum variis armorum generibus, ac bellicis instrumentis, postea sequebantur nobiliores milites deferentes vexilla, & alia signa bellica, quos sequebantur ordines Religiosorum cum suis crucibus flore vel serico ornatis, deinde clerus sæcularis, & post clericos procedebant Canonici Basilicarum cum propriis vexillis, & post Canonicos Prælati vel cum Venerabili Sacramento Eucharistiæ, vel aliqua Reliquia insigni alicujus Martyris, vel Confessoris. Nunc verò præcipuus ritus servandus in Processionibus est, ut omnes decenti habitu vel superpelliceis vel aliis sacris vestibus induti, compositi; & modesti procedant fundendis precibus absque ulla populorum evagatione. Præfertur crux ideo, ut quilibet Religiosorum ordo suam propriam sequatur crucem delatam ab aliquo ex iisdem Religiosis, ut etiam clerus sæcularis suam propriam habeat crucem, quæ ordinariè est argentea, non tamen crux defertur instar militum, sed deferens crucem procedit medius duos inter Ceroferarios cum candelis accensis, & cum contingit locum pertransire angustum, præcedunt ceroferarii quos sequitur, qui crucem defert. Post crucem sequuntur Religiosi bini vel etiam Clerici adeo ut digniores postremo loco incedant, & ultimo loco celebrans. Post Ecclesiasticos sequuntur Processionem laici suo loco, & ordine, adeo ut nobiliores incedant primo loco, & alii minus digni sequantur, & post viros fœminæ; quæ incedunt à viris separatæ, & omnes modestæ, & fundentes preces incedunt. Præfertur in qualibet Processione crux, à qua incipit Processio ex antiquissimo ritu, ut refert S. Cyrillus *lib. 6. contra Julianum*, & Sozomenus *lib. 1, cap.* 8. & hac ceremonia obtestantur fideles se in terris militare sub vexillo Christi Domini, quapropter canit Ecclesia, *Vexilla Regis prodeunt, fulget crucis mysterium.* Hoc signum crucis efficacem habet vim fugandi Dæmones, ad cujus præsentiam contremiscunt, quapropter canit Ecclesia: *Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ*, quapropter merito in Processionibus præcedit crux, qua procedentes incedunt, ordinati, ut acies castrorum. Post crucem sequuntur procedentes cum ordine ac recta dispositione, quæ necessaria est, ad cujuslibet rei perfectionem, ac decorem; & præsertim in sacris ac religiosis Processionibus ordo requiritur, quia multitudo sine ordine est potius quædam turba, & confusio, quapropter D. Bernardus serm. in Purificatione Beatæ Virg. ait: Turba Processionum qui suo loco, & debito ordine non incedit, unde ad omnem arcendam confusionem in Processionibus, præscribitur ab Ecclesia, quo bini procedentes incedant idque exemplo Christi, qui Luc. 10. miserat Discipulos suos binos in omnem civitatem, & locum, quo erat ipse venturus, & ratio hujus ordinis adducitur à D. Bernardo serm. in Purificat. Beatæ Virginis ubi ait: *Merito bini, & bini incedimus, sic enim commendationem fraternæ charitatis, & socialis vitæ missos à Salvatore Discipulos Evangelia sacra testantur.* Et D. Gregorius in præcitatum locum Luc. 10. ait: *bini incedimus, ut alter alteri sit auxilio, solatio, stimulo, & excitamento ad virtutes*, juxta illud Ezechielis: *melius est duos esse simul quam unum*; habent enim emolumentum Societatis, quia si unus ceciderit, potest ab alio juvari,

imò hic ordo potest etiam impedire, ne socius quid agat inconcinuè, & immodestè cum testis adsit, ait enim Seneca Epist. 25. *Mala omnia solitudo persuadet: prodest sine dubio custodem sibi imposuisse*; & Epistol. 11. *Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis adsit*; hinc moris est, ut religiosi etiam extra Processiones incedant bini, & nunquam soli, ut unus testis sit alterius, quia ait D. Thomas Monachus, solus incedens est diabolus solitarius. Præterea quia lex Evangelica Matth. 11. dicitur jugum Christi. *Jugum meum suave est, & onus meum leve*, & jugum trahi solet à duobus jumentis simul junctis. Modestia præ cæteris servanda est in Processionibus, adeo ut omnes decenti habitu induti oculis in humum dejecti procedant, à mutuo colloquio abstineant, vanoque aspectu adeo ut nil nonnisi grave, & modestum reluceat, quia ex hac exteriori modestia dependet majestas, & decor sacræ functionis: sicut enim pulchritudo, & decor corporis naturalis, præsertim humani corporis, in apta consistit & debita proportione membrorum, & in recto partium dispositione, ut docet Tullius lib. 4. Tuscul. quæst. 99. ita ad venustatem & decorem sacræ Processionis, quæ est morale compositum, requiritur proportio religiosa singularum compositio, qui intersunt Processioni, & ex quibus tanquam ex membris totius corporis coalescit processio, & ad virtutem modestiæ pertinet, debitum modum, & regulam singulis partibus corporis imponere, etenim ut docet D. Ambrosius lib. 1. officior. hac virtute proscribitur oculis demissio, vultui gravitas, & verecundia, linguæ frenum, manibus compositio, pedibus moderatio, ne incessus sit properatior, nec nimis tardus, ait enim D. Ambrosius de Virginib. lib. 1. *Non gestus sit fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species figura sit probitatis*, ex quibus conjicitur, modestiam absolutè esse necessariam in procedentibus ad processionem ad populi ædificationem in quem finem etiam instituuntur ab Ecclesia Processiones: siquidem homines, qui nonnisi exteriora vident, ex iisdem arguunt Religiosorum interna.

Hinc Ecclesiastica Processio est verus actus Religionis, & cultus divini, siquidem sunt actus orationis, & supplicationis, quibus recognoscentes Deum tanquam supremum omnium Dominum, & piissimum omnium bonorum largitorem nos ipsos ei subjicimus expectantes ab ipso aliquod beneficium, & postulamus aliquam gratiam. Et cultus, cuilibet exhibitus eo est amplior, ac perfectior, quo à pluribus defertur, quapropter Deus ad majorem sui gloriam, & majus obsequium propemodum innumeros creavit in novem Choris Angelos, ait enim Daniel cap. 7. *Milla millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*, unde quò ad processiones concurrunt plures fideles, eò cultus Deo exhibitus est major. Et cultus publicus præfertur privato, sicut honor, qui exhibetur publicè Principi, eò est major, quò plures sunt eidem exhibentes honorem, quàm sit honor eidem exhibitus privatim, & à paucioribus, perinde ac è contra contumelia eò est turpior, quò est magis publica, & coram pluribus, ita in Processionibus cultus Deo exhibitus est major, quia publicus, quam in aliis functionibns sacris, quia plures concurrunt publicè, & Deo supplicatur per plateas publicas.

Propterea cultus Christo crucifixo & Redemptori nostro exhibitus in publicis supplicationibus populorum est ipsi Christo magis acceptus, quia tunc procedentes gloriantur in ejus cruce procedente, quod magis placet Christo, Luc. 9. *Qui me erubuerit coram hominibus, hunc erubescet Filius hominis, cum venerit in majestate sua*; & è converso, *qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Hinc Processiones sunt media efficacia ad impetranda, quæ à Deo petimus; etenim si unius justi oratio multum valet apud Deum, ut ait D. Jacobus in sua Epist. cap. 1. à fortiori, quando plures eodem Spiritu ad orationem conveniunt, multò efficacior est oratio, hinc Christus Matth. 18. *Si duo ex vobis consenserint super terram de quacunque re, quum petierint, fiet illis à Patre meo*, adeo ut concors plurium oratio efficacior sit, quàm unius tantùm vel alterius, & eò erit efficacior, quò plures concurrerint supplicantes, hinc etiam Apostoli quò efficacius orarent, seque disponerent ad S. Spiritus adventum, simul congregati unà cum Maria Matre JEsu simul erant perseverantes in oratione *Actor.* 10. Hinc D. Chrysostomus Homil. 79. ad populum ait: Magna est vis orationis concorditer à populo Deo oblatæ, quia unanimitas & consonantia est fortius vinculum Charitatis, etenim communitas peculiarem habet dignitatem, ratione cujus commune bonum divinius censetur, & facilius impetratur, præsertim si petatur nomine Ecclesiæ, quæ cum sit Christi Sponsa, semper est ei gratior. Tum quia ubi plures concurrunt, unus ab alio juvatur, & defectus unius ab alio suppletur, consequenter oratio plurium simul est semper perfectior ac magis efficax. Tum quia modus orandi in Processionibus per urbium plateas majus præsefert specimen humilitatis, ac animi demissi, cum quisque non erubescat coram aliis propriam fateri indigentiam, & miseriam, & oratio hæc humilis est semper efficacior ad impetrandum à Deo quod petimus, hinc in Evangelio debiles, claudi, & infirmi, qui publicè Christum orârunt, palam coram omnibus à Deo fuerunt misericordiam consecuti, & pristinæ incolumitati restituti, ut duo illi cæci Matth. 20. Secus viam sedentes & clamantes, miserere nostri fili David, confestim enim fuerunt illuminati, & Act. 1. plures infirmi in publicis plateis expositi ad solam Petri umbram sanitatem fuerunt consecuti, & ratio etiam est, quia publica supplicatio pavit ædificationem proximorum, & in Processionibus plures excitantur ad laudandum, & glorificandum Deum, consequenter est Deo magis grata. Demum quia in Processionibus publicis cum oratione conjungitur etiam corporis mortificatio ob laborem, & defatigationem itineris, quapropter majorem obtinet oratio publica apud Deum efficaciam, hinc D. Bernardus explicat illud Cant. 3. *Quæ est illa, quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris*, de oratione conjuncta cum mortificatione; per myrrham siquidem ait significari mortificationem, & per thus orationem. Quòd si dicas Christum Matth. 6. asserere: *Cum oratis, non eritis sicut Hypocritæ, qui amant in angulis platearum stantes orare. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum ex abscondito*, ex quo inferunt Sectarii, has Catholicorum Processiones adversari doctrinæ Christi. Sed contra, quia à Christo non damnatur in publico loco absolutè fusai sed quatenus

us fundebatur ad vanam ostentationem, & inanem gloriam, ait enim Christus: *sicut Hypocritæ orant, ut videantur ab hominibus*, hypocritæ autem non nisi apparenter orant, ut videantur ab hominibus esse pii.

Cæterum Christus non prohibet orationem publicam, sicut nec pia opera, si publicè peragantur, quinimò ea commendat Matth. 5. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui est in cælis*, & Tobiæ 12. *Benedicimus Deum cæli, & confitebimur ei coram omnibus viventibus*: quamobrem Christus non orationem publicam damnat, sed jactantiam prohibet, & hypocrisim, quapropter in utraque lege vteri & Evangelica oratio publicè semper gratia fuit Deo. Commendatur etiam à Christo oratio secreta, quæ fit clauso ostio, ad evitandam ostentationem, & ad mentem colligendam, & distractionem amovendam, si fundatur ex privata devotione. Cæterum si ab Ecclesia indicatur publica oratio, melius semper est convenire cum aliis, & publicè orare, tunc enim oratio est utilior ad impetrandum, quod à Deo petimus; plura enim historiæ Ecclesiasticæ nobis suppetunt exempla ad id evincendum; etenim refert Gretserus de Processionibus lib. 1. cap. 11. D. Herebertum Coloniensem Archiepiscopum indictis publicis supplicationibus & litaniis pluries grassantem pestem extinxisse & populi sui excidium evitasse teste Ruperto Tuitiensi in ejus vita apud Surium Tom. 2. Gregorius Turonensis lib. 1. histor. cap. 29. ait: Sedatam fuisse pestiferam luem in agro Turonico, & Nannensi per indictas publicas Processiones. Sigonius lib. 1. de regno Italiæ ait Bononiæ grassante sævissima peste anno 1631. per indictam publicam supplicationem & circumlatam per urbis plateas devotam imaginem Dei Genitricis à S. Luca depictam pestem statim evanuisse, & Bononienses incolumes evasisse à peste.

Conferunt etiam publicæ Processiones ad annonæ ubertatem impetrandam; refert enim Serrarius de Processionibus lib. 1. cap. 5. in Insula Chio annonæ Charitatem ob terræ siccitatem ad extremam penuriam populos illos perduxisse: & cum inhabitâssent Insulam illam promiscue Christiani, & Turcæ, & inter Christianos plures Hæretici; ad avertendam famem, præfectus Turcarum solemnes Turcicio ritu suis subditis indixit ad impetrandam pluviam: Orarunt itidem Hæretici unà cum Turcis, quorum tamen oratio aërem tantum verberavit, non Deum in vota sua flexit, Catholici postea in proximum ascendentes collem piam instituerunt Processionem, in qua deferebant imaginem Virginis Matris Dei, & tunc vix absolutæ fuerunt preces, & statim nubes una conglobatæ ingentes pluvias summa omnium lætitia effuderunt per tractus illos, & cum terras, & plantæ se refecissent, pinguis successit fertilitas. Petra Sancta in sua Taumasia Tomo 3. cap. 22. ait in Diœcesi Novocomensi, quoties periculum famis imminet ex nimia telluris siccitate consuetudinem esse per indictas publicas preces ad Ecclesiam S. Æmilii, & S. Miri statim fieri voti compotes intercedentibus apud Deum dictis Sanctis. Subinde annonæ charitas è contra procedit ex nimia pluviarum humilitate terræ, qua semina corrumpuntur, & putrefiunt, cui malo obviatum etiam fuit per sacras Processiones publicas, unde Anastasius Bibliothecarius de Pontifice à Deo dato ait: Post ejus transitum tantæ pluviæ, & tonitrua fuerunt, quales nulla ætas hominum meminit, & nonnisi per litanias, & Processiones, quæ quotidie fiebant, Dominus esset propitiatus, nec potuissent homines triturare, vel frumenta recondere. Alia itidem mala avertuntur per publicas in Processionibus preces. Fortunatus Pictaviensis apud Bellettum *disquis. cler. part.* 1. §. 1. *num.* 78. & Gretserum *de process. lib.* 1. *cap.* 12. referunt dracones efficacia Processionum, precumque publicarum fuisse expulsos vel etiam extinctos. Dignum etiam est memoratu illud, de quo testatur Delrius *disquis. lib.* 6. *monitu* 11. scilicet fuisse olim Cantabriam totamque Hispaniam Taraconensem à vermibus infestatam, qui singulis annis fructus omnes terræ absumebant, cumque missus fuisset illuc à Romano Pontifice Gregorius Episcopus Ostiensis vir insignis Sanctitatis, cùm primùm in Hispanias appulit, indixit fieri publicas Processiones, & missas etiam in agris calamitosis celebravit, & statim infesti vermes fugati fuerunt, & per multos annos agri illi à vermibus fuerunt immunes, & plures dederunt fructus.

Cæterum in Processionibus fideles orant ambulantes per plateas publicas, de quo ritu denotatur anxia solicitudo, & inquisitio Authoris nostræ salutis, tunc enim Ecclesia repræsentans Sponsam ait Cant. 3. *Surgam, & circuibo civitatem per vicos, & plateas, quaram, quem diligit anima mea.* Rursus ambulantes suas Deo fundunt preces, ut se cognoscant viatores in hoc sæculo, & peregrinari à Domino, ac consequenter discant hisce perituris non adhærere, sed ad cælestem patriam unicè tendere. Deferuntur itidem in publicis Processionibus candelæ accensæ, ut & faces ardentes, præsertim si noctu fiant Processiones, quam tamen consuetudinem videntur Sectarii irridere, sed cum cæcutientes sint talpæ terrenis tantùm inhiantes, & nunquam ad cœlestia mentes erigentes, ideo tenebras luci præferunt, ut olim Vigilantius, quem carpit D. Hieronymus inquiens: Non enim candelas accendimus ad fugandas tenebras rutilante sole: sed in signum lætitiæ, videlicet spiritualis gaudii, quia lumine fidei, & gratiæ à Christo illustrati ac tenebris infidelitatis, & ignorantiæ eruti sumus.

Moris enim antiquitus fuit, quo in signum lætitiæ publicæ, ignes accenderentur, & amica lux exosas noctis tenebras propulsaret, ac populos recrearet: hinc etiam Ecclesia hunc morem usurpavit, & præscripsit accendi à fidelibus lumina in templis & deferri candelas, & faces ardentes in Processionibus in signum spirituale lætitiæ, eò quia in lege Evangelica à Christo illuminentur vera fide, ac clarissima luce doctrinæ Evangelicæ, qua fideles diriguntur ad cœlestem patriam; hinc ait Joannes cap. 1. de Christo: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; quod olim vaticinatus fuerat Isaias cap. 42. dicens: *Dedi te in lucem Gentium, ut aperires oculos cæcorum, ut educeres de domo carceris sedentes in tenebris.* Hæcque ratio est, cur protestetur Ecclesia piò candelarum ritu, ac luminum publicas peragere Processiones, tum quia delatio candelarum, quæ accenduntur in Processionibus, designat exemplum bonorum operum,

operum, quo Ecclesiasticis debent reliquo populo præire, eumque dirigere per viam salutis, quapropter Christus dixit Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris; lumbos autem præcingimus*, ait D. Gregorius homil. 13. in Evangelicum *carnis luxuriam vel continentiam coarctamus, & lucernas ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exemplum monstramu, de quibus operibus Dominus dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Rursus candela accensa mysticè significat gladium præpotentem Christi, & Ecclesiæ, qui in Processionibus defertur ab iis, qui procedunt, ut castrorum acies contra inimicos visibiles, & invisibiles; gladius enim est verbum Dei, & doctrina Evangelica, quæ significatur per candelas accensas; & figuram hujus luminis exhibuit Gedeon, Judic. 6. cum lucernis splendentibus hostes perterruit, & fugavit. Flammis itidem, ac luminibus solemus domos purgare; ita etiam candelis accensis utitur Ecclesia ad significandas flammas orationum, & precum ad purgandas civitates à fœtore & putredine peccatorum.

Hinc ad altare majus, ubi solet Eucharistia asservari, semper lampas ardere solet, ut etiam candelæ accensæ in altaribus minoribus; cum sacrificia peraguntur in iisdem, hinc Christus in veteri testamento Levit. 6. præcepit, ut ignis ante altare semper arderet, in quo à populo Dei majestas colebatur, eique sacrificia offerebantur; est enim ignis & lumen unum ex potissimis symbolis divinæ Majestatis, quapropter Deus in lege veteri persæpe in igne voluit apparere, ut in flamma Rubi in monte Orebo, in columna ignis in deserto, in flamma in monte Sina, & alibi; David Psal. 49. Manifestè veniet ignis, in conspectu ejus exardescet, id est, prælucebit tanquam vero Regi. Moris itidem fuit, ut Imperatoribus, teste Herodiano, ignis præferri consueverit, eò quia sit ignis symbolum principatus, utpote inter elementa præcipuus, & eminentior imo potentior efficacia, virtute, & splendore, quibus significantur Dei attributa, unde cum in Eucharistia verè, & realiter contineatur Christus verus Deus & verus homo, Rex Regum, & Dominus dominantium, meritò ante altare, ubi Eucharistia asservatur, lumen perpetuum servat:r. In adventu itidem Spiritus Sancti dispertitæ linguæ igneæ apparuerunt, quæ ad promulgandam Christi gloriam, ejusque Evangelium Apostolos accenderent, & flammulæ lampadum in Ecclesiis ardentes sunt veluti linguæ igneæ Deum glorificantes, imò accenduntur etiam lumina, & cerei ante sepulchra, & reliquiæ Sanctorum: quo ritu protestamur, eosdem Sanctos in hac vita præfulsisse doctrina, & virtutibus, & nunc in cœlo micare gloriæ lumine, ut ait D. Augustinus serm. 215. de tempore; quinimo etiam in funeribus piè defunctorum utimur accensis cereis, & facibus, in signum, quod tametsi corpora, sint extincta animæ tamen eorum vivunt vita gratiæ: & si sint in purgatorio, fulgebunt postea in gloria, quapropter Ecclesia canit: *Lux perpetua luceat eis.*

Contentiones, dissidia, & rixæ pro loco honoratiore occupando debent omnino declinari, hujusmodi enim rixæ, & contentiones periculis non carent, & hominum ambitionem produnt, quæ Deo displicet, & non demissionem, ac humilitatem, quæ Deo placet; Christus enim homines docturus humilitatem de cœlis descendit ad terram, & nostram humanitatis vilitatem induere voluit, ac nasci in stabulo, & lavare pedes Discipulorum, ac Barrabæ postponi, ac tandem humiliari usque ad mortem crucis; & ubi contentio orta fuit inter Discipulos de majoritate, ac præeminentia dixit illis Luc. 22. *Qui major est vestrum fiat sicut minor, & qui precessor est, tanquam ministrator, ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat:* hinc veri Christi Sectatores infimum sibi semper locum in terris eligunt, quo sublimiores in cœlis esse possunt in antris, & cavernis terræ latuerunt, ut honores fugerent, & maluerunt humiliari cum bestiis quam ab hominibus exaltari, quorum exemplis plenæ sunt historiæ Ecclesiasticæ. Ratio suadens electionem loci inferioris, quia homines ambitiosos odisse consueverunt, quos propterea deprimunt, cum humiles è contra extollant, & Deus ipse sua lege sanxit, ut humiles exaltentur, & superbi dejiciantur, jentacula itidem & comessationes in processionibus sunt declinandæ, quia tunc non est ventri indulgendum, sed menti, est enim abusus, si in processionibus paulo longius procedatur, plures ad jentacula & comessationes in hospitia, & cauponas divertant, ut escis ventrem impleant, quibus mentem evacuant devotione, & precibus, non enim cum processiones instituuntur procedentes non ventrem escis, sed mentem piis affectibus implere debent, quapropter dixit Sidonius lib. 5. Epist. 14. *Hebetantur supplicationes prandiorum obicibus*, quem abusum clamant Ecclesiasticæ Sanctiones, & in Concilio Coloniensi III. tit. censuræ, id prohibetur. In Processionibus Clerici non divertant ad jentacula, & in rituali Romano tit. de Processs. etiam injungitur Parochis, ut abusum bibendi, & edendi in Processionibus studeant omnino eradicare; ait enim Apostolus 1. Corinth. 11. *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum aut Ecclesiam Dei contemnitis?* & cap. 6. ait: *Esca ventri, & venter escis; Deus autem hunc, & has destruet.*

Quoad Processiones quæ ab Ecclesia in particulari fieri solent, habentur præsertim in Festo Purificationis beatæ Virginis; illustratur enim hoc Festum Processione luminum, & candelarum, quia Christus, qui est vera mundi lux, Jerosolymis primum fuit in templo præsentatus ac mirabiliter refulsit, & caligantes senescentis Simeonis oculos ita recreavit, ut gestiens, exclamaverit; *Nunc dimittis servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Hæc Processio, qua parvulus Christus præsentatus fuit in templo, non multitudine hominum visibilium copiosa fuit; siquidem venerunt in templum Maria, Joseph, cum puero JEsu, quibus obviarunt Simeon senex, & Anna cum hymnis, & canticis; sed Angelorum comitatu invisibili fermè innumera; & Ecclesia in ejus memoriam solemnem instituit Processionem cum candelis; ait D. Bernardus serm. 2. de Purificat. *Joseph, & Maria Sacrificium laudis, sacrificium offerunt matutinum; Simeon & Anna suscipiunt: ab iis quatuor celebrata est Processio, quæ per quatuor orbis climata solemnibus hodie gaudiis ad memoriam revocatur.* Celebratur in Festo Purificationis Processio candelarum ex pura, & candida cera, ut declaret Ecclesia, Mariam non indiguisse Purificatione, sed fuisse totam puram, splendidam

supra

supra lunam, & solem, ut notat Rubertus Abbas *de Divin. offic. lib.* 3. *cap.* 25. est enim Beata Virgo tota splendida absque ulla umbra culpæ, à qua fuit immunis: hinc prudentes Virgines, quarum beata Virgo fuit caput, ut ipsam imitarentur nonnisi accensa lampade castitatis, & bonorum operum, voluerunt illam imitari.

Alia specialis processio fit Dominica palmarum ab Ecclesia quot annis in memoriam celeberrimæ illius processionis, initæ à Christo cum suis Apostolis ante passionem, & cui Jerosolymam ascendenti obviaverunt turbæ cum ramis palmarum & olivarum clamantes: *Osanna Fili David*: quibus verbis cognoverunt Christum ut verum Messiam, & Redemtorem mundi. De mysteriis hujus processionis, & triumphi agunt Isidorus *lib.* 1. *de Eccles. offic.* & fusius D. Ambrosius *serm.* 45. *de tempore* asserentes, in hac processione imitandam nobis exhiberi fidem, & piam turbarum devotionem, ac puerorum Christo obviantium, ut homines & præsertim Judæi cognoscerent, Christum esse verum DEum, & hominem, & Authorem nostræ, & totius mundi salutis. Cum ramis palmarum, & olivarum obviaverunt ei turbæ, quia tunc de triplici hoste, mundo, carne, & Dæmone victoriam deferimus, & triumphamus, cujus symbolum est palma, & virentes oleas æternæ pacis possidemus in cœlesti Patria, quando Christo adhæremus, eumque sequimur piis operibus. Quòd si turbæ vestimenta prosternebant in via, fideles Christum sequentes superfluis facultatibus, ac divitiis se expoliant, & pedibus Christi, qui sunt pauperes, offerunt, ut explicat D. Augustinus *Tract.* 50. *in Joan.* Quòd si Christus Jerosolymam ingrediens insedit Asinæ, tunc jumentum coërcemus, eique præsumus, si nostras domemus Passiones, & Corpus adigamus Spiritui inservire, ac DEO obedire, quia tunc Christus, seddet super eo nostrum, quando hoc ejus imperio subjicimus, unde D. Paulus 1. Corinth. 6. ait: *Glorificate, & portate DEum in corpore vestro*, & David Psal. 72. ait: *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*; quapropter Bernardus serm. 1. in ramis ait: *Felices qui se Christo humiliant, & ut jumentum suum corpus tractant: quia in Angelos convertentur: è contra væ impiis insipientibus, qui fiunt Diaboli, cui obsequuntur, ab eo trahendi in infernum: sic Psal.* 48. *comparatus est jumentis insipientibus, via illorum scandalum ipsis, & sicut oves in inferno positi sunt.* Sed si Christus consueverat semper pedibus incedere, cur nunc voluit Jerosolymam ingredi insidens jumento asinæ? vel si pedes noluit incedere, cur non potius equo phalerato, vel curru deaurato, se vehi permiserat? nimirum eligit in occursum turbarum asello vehi, ut humilitatem edoceret, & ut ostenderet regnum suum esse alterius ordinis, scilicet spirituale, seu humile in contemptum populi, & divitiarum hujus sæculi; ait enim Augustinus Tract. 10. in Joann. Regem Israel quo mentes regeret, frœnum eis injecisse humilitatis; & D. Fulgentius serm. 5. de Epiphania ait: *Christus non venit reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subjugare, non ut pugnet vivus, sed ut triumphet occisus*, qui igitur volunt Christo adhærere, eumque sequi ac participes fieri ejus triumphi in cœlis, necesse est pompam hujus sæculi contemnant, & Christi imitentur humilitatem ac mansuetudinem.

Tertia specialis processio est, quæ feria quinta majoris hebdomadis, seu in Cœna Domini ab Ecclesia fit ad sepulchrum, locus enim ad quem hæc processio dirigitur, est ad observandam hostiam consecratam in crastinum, & ut congruè fiat hæc processio, debent in ea procedentes pios in corde affectus excitare amoris, & gaudii ob cœleste convivium à Christo nobis exhibitum, & simul ad dolorem, & tristitiam, ac compassionem ob ejus amarissimam passionem, & sepulturam. Non tamen recolitur hac die ab Ecclesia mysterium sepulturæ, neque locus ad quem dirigitur processio, propriè est sepulchrum, sed tantùm locus reservatus ad conservandam hostiam consecratam, alioquin memoriam sepulturæ præcederet institutionem Evcharistiæ, siquidem pridie quàm pateretur, instituit Evcharistiam. Sed respondetur repræsentari quidem ab Ecclesia Christi sepulturam, sed per anticipationem, cujus causa est, quia sepulchrum Christi vere fuit gloriosum, ut prædixit Isaias cap. 11. propterea meritò instituit Ecclesia, ut cum gloria, & pompa repræsentetur, scilicet cum magnificentia, & magnatu, & quia hæc pompa, & festivus apparatus non videbatur congruere in Parasceve, quando Ecclesia utitur paramentis nigris, & denundantur altaria, & ubique apparet luctus, ac mœror propter mortem Christi, ideo per anticipationem fit repræsentatio gloriosi sepulchri feria quinta, quia tunc magis congruit apparatus festivus.

Quarta processio est lugubris instituta ab Ecclesia die Parasceve, de qua prædixerat Joel. 1. *Accingite vos Sacerdotes, & plangite Ministri altaris, plange quasi virgo plebs mea, quia venit dies Domini magna & amara valde, quia pendens in ligno mortua vita fuit.* Hinc procedunt Clerici, & Religiosi ad Christi sepulchrum taciturni, & cum silentio, & candelis extinctis, in signum mæstitiæ, & quòd Christus mortuus sit, quapropter hujus diei processio magis celebranda est lachrymis, quàm vocibus, magis suspiriis, quàm hymnis, & celebratur ab Ecclesia hæc processio ob memoriam illius viæ quam obivit Christus à domo Pilati, ad montem Calvariæ, quando prolata à Pilato mortis sententia exivit bajulans sibi crucem medius inter latrones, cum turba innumera, comitantibus militibus, & ministris justitiæ, ac impietatis, aderant tamen etiam plures timentes DEum, & exspectantes Redemptionem Israel, & cum ipsis etiam mulieres lugentes Dominum, quibus in via se adjunxit Mater ejus Maria, acutissimo doloris gladio in corde transfixa, cum Joanne dilecto Discipulo.

Quinta Processio habetur in die Sabbathi Sancti ante benedictionem cerei Paschalis, estque plena lætitia, eò quia per hanc Ecclesia incipit celebrare mysteria gloriosissimæ Resurrectionis JEsu Christi. Inchoatur processio ad atrium templi ante fores ejusdem, & in primis benedicitur novus ignis, qui accenditur ex scintillis de lapide excussus, postea benedicuntur quinque grana incensa affigenda cereo. Adest itidem arundo multiplici ornata flore, in cujus fastigio affiguntur tres Candelæ describentes figuram trianguli, quæ in processione successivè accenduntur, & cùm processio Ecclesiam ingreditur, intra portam accenditur una ex tribus Candelis in arundine, & Diaconus intonat *Lumen Christi*, & reliqui omnes genuflectentes respondent, *Deo gratias*, eodem ritu in media Ecclesia accenditur secunda Candela, & prope Altare majus tertia ex parvo lumine accenso ex brunis & excussis è silice scintillis accenso. Excuditur enim novus ignis è lapide,

lapide, quo accenduntur brunæ, & benedicuntur, quia cum Christus sit lapis angularis in glorioso hoc resurrectionis mysterio novus, & admirabilis splendor refulsit, quo corda nostra excussis umbris tristitiæ cœlesti gaudio inflammaretur. Rursus omnia templi luminaria sunt extincta, quæ annuntiata Christi Resurrectione iterum accenduntur, quo ritu significatur, quòd in Christi resurrectione extincta, cum remansissent præcepta & cæremoniæ legis veteris, lex nova, seu Evangelica, quæ est lex charitatis, & ardoris divini oriebatur. Benedicuntur etiam quinque grana incensa, quæ denotant quinque Christi vulnera, quæ noluit abolere, sed maluit retinere in signum triumphi devicta morte reportati, & ad confirmandos Discipulos in fide resurrectionis, & ut vulnera Christi essent in ipso incitamentum beneficentiæ in nos, & nobis etiam documentum fidelitatis erga Christum. Accenduntur itidem tres Candelæ in summitate arundinis, quia lumen & gloria resurrectionis Christi in tres regiones diffusa est, in Cœlum in Terram, & in limbum, seu subtus terram, adeo ut repleverit gaudio Angelos in Cœlis, homines in terra, & animas Patrum antiquorum in limbo, & quia Christus tripliciter triumphavit de peccato, morte, & Dæmone: & quia renovavit tres virtutes theologales per novum lumen fidei, & spem communis resurrectionis, ac charitatem legis Evangelicæ. Demum solemni præconio benedicitur cereus magnus, quo Christus significatur, quia sicut cereus coalescit ex cera, lychno, & flamma: ita Christus constat ex carne purissima, anima, & Divinitate.

Sexta specialis processio est litaniarum majorum in die S. Marci 25. Aprilis, de qua processione, utpote in Ecclesia antiquissima, plures scripserunt antiqui interpretes, ut Alcuinus *de Divinis officiis cap.* 33. Durandus *in rationali lib.* 6. *cap.* 102. Amalarius *de offic. Eccles. lib.* 1. *cap.* 37. Hæc processio nuncupatur à litaniis majoribus, dicuntur enim majores Litaniæ, eò quia cum majori solemnitate institutæ, & celebratæ fuerint, scilicet cum majori frequentia populi, ac præsentia Ecclesiasticorum, & etiam cum majori apparatu, & copia luminum, & quia in hisce solemnitatibus Litaniæ S. Marci superarent illas rogationum usus, invaluit in Ecclesia, ut istæ dicerentur minores, & illæ in die S. Marci majores, & quamvis processu temporis cessaverit major illa pompa ac solemnitas, retenta tamen fuit, hæc differentia nominum majorum & minorum. Quis verò fuerit primus institutor harum majorum litaniarum, censent plures fuisse compositas, & institutas à S. Gregorio Magno, quæ opinio tamen communiter rejicitur, quia plura Concilia antiquiora temporibus D. Gregorii meminerint harum litaniarum majorum, & minorum, unde S. Gregorius ex eo fortassis, quòd sæpius eas indixerit, ac solemni ritu celebrari præceperit, dicitur earundem institutor. Quamobrem primus earundem institutor, ut etiam primus Author hujus processionis nobis non innotescit. Cur verò hæc processio litaniarum, quotannis ab Ecclesia 25. Aprilis celebretur, quamvis contingat officii S. Marci transferri, videtur ea esse ratio, ut autumat Alcuinus de divinis officiis cap. 23. quia eo tempore veris solent bella moveri, & hostiles exercitus incedere, contra quos Ecclesia præmuniri intendens Christianorum Regna, & Civitates ope Divina, Sacras has Litanias instituit; vel quia omnes segetes tunc per novum solis influxum crescunt, vegetant lætiores, & pullulant uberiores, arbores florescunt, & tota vegetabilium natura restauratur. Quamobrem ut DEus & Cœlites omnes fructus terræ conservet, & ad perfectam perducat maturitatem, ut colligi possint in commodum fidelium, Ecclesia instituit hanc processionem litaniarum fixam 25. diei Aprilis.

Septima Processio habetur triduo rogationum ante ascensionem, cujus Author fuit S. Mamertus Viennensis Episcopus, à quo primò fuerunt indictæ circa annum Domini 452. ut referunt Rupertus Abbas, uterque Durandus, Walfridus, & Amalarius, & licèt ante S. Mamertum fuerunt aliæ supplicationes cum Litaniis, non tamen nondum fuerant institutæ hæ triduanæ processiones ante ascensionem, adeo ut Author hujus tridui processionalis fuerit S. Mamertus, qui Litanias indixit ad avertendas calamitates, quibus suo tempore affligebatur urbs Viennensis in Delphinatu, quarum seriem narrant Gregorius Turonensis lib. 2. histor. cap. 34. & Sidonius lib. 7. Epist. Ab Ecclesia autem indicuntur singulis annis, ac præcipiuntur, ut DEus propitietur peccatis populi sui, & ab eo flagella iræ suæ avertat, aëris salubritatem concedat, fructus terræ conservet & augeat, & pacem inter fideles promoveat, ac omnibus eorundem necessitatibus benignè prospiciat, ut liquet *ex ordine Romano tit. de Rogat.* quia verò hæ processiones rogationum ordinantur, præsertim ad impetrandum à DEO conservationem frugum, & segetum, mos etiam est in Agris lustrare campos, & cum rusticis à Parochis instituuntur processiones, quæ peraguntur supplicantes DEO pro frugum conservatione, & hujusmodi processionis ab arvis ambiendis vocari solent ambarvales, de quibus agit Concilium Mediolanense *tit. de Process.* & benedicuntur etiam agri, aspergunturque aqua lustrali, ut benedictionis crucibus fideles repleantur juxta benedictionem, quam dedit Isaac filio suo Jacob: Genes. 27. *de rore cœli, & de pinguedine terræ det tibi DEus abundantiam.* Fuerunt igitur ab Ecclesia approbatæ, & institutæ processiones rogationum per triduum ante ascensionem, quia processio est typus præsentis vitæ mortalis, & peregrinationis ad Patriam cœlestem, & completur in hoc sæculo; tunc enim justi post labores itineris si completè satisfecerint pro peccatis ascendunt & ipsi cum Christo in cœlum. Cursus autem præsentis vitæ triplici completur periodo, scilicet adolescentiâ comprehendente pueritiam & infantiam, ætate virili, & senectute,

Tum quia sicut Christus in sua passione ter oraverit in horto, & tribus horis pependerit in Cruce, ac triduo jacuerit in sepulchro, & ita pervenit ad gloriam resurrectionis, & ad triumphum ascensionis, ita Ecclesia ante festum ascensionis trinam nobis indicit rogationem, ut ter oremus cum Christo, & tribus fere horis, quibus videtur processio continuare, Crucis mortificationem cum Christo feramus, & demum hoc triduo ad pœnitentiam destinato descendamus in fœtitum sepulchrum noxarum nostrarum, quas contritione, & lachrymis deleamus, & tandem resurgamus ad vitam spiritualem.

Octava

Octava processio habetur in festo Corporis Christi, quam instituit Urbanus VI. Pontifex Maximus circa annum Domini 1261. & confirmavit Clemens V. in Concilio Viennensi anno 1311. & nova Sanctione roboravit Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 5. Causæ verò instituendi solemnem hanc processionem plures fuerunt, prima ut fideles memores hujus immensi beneficii, quo Christus summa munificentia dat nobis suam carnem in cibum, & suum sanguinem in potum, debeamus & nos debitas gratias ei rependere pro tanto beneficio, quo se ipsum nobis elargitur, & per hanc gratiarum actionem disponamur ad nova promerenda beneficia, quæ abunde promanant ex reali Christi præsentia in hoc Sacramento præsertim in hoc festo, & processione solemni: sicut enim Christus perambulans Judæam cæcos illuminavit, claudos erexit, obsessos à Dæmone liberavit, eò quia virtus de illo exiret, & sanaret omnes: perinde Christus in hoc Sacramento contentus eadem virtute præditus discurrendo in hujus festi processione per plateas civitatis suos fideles omni replet benedictione, quia semper manat ex illo virtus ad sanandas omnes infirmates.

Indicitur etiam solemnis hæc processio ad inimicos nostros tam visibiles, quàm invisibiles coërcendos, & superandos, imò ad eos prosternendos, & ut nobis vires suppeditet ad fortiter pugnandum. Hinc D. Chrysostomus homil. 61. ad populum: *Tanquam Leones, ignem spirantes ab hac mensa recedamus facti Diabolo terribiles, & caput nostrum mente revolventes.* Tum instituta fuit solemnis hæc processio in publicam Catholicæ fidei professionem, & gloriam Catholicorum, & in concussionem, ac detestationem Hæreticorum, qui suis deliramentis nituntur obscurare veram, & realem Christi præsentiam sub speciebus Eucharistiæ peiores belluis sunt Hæretici, quia istæ plerumque in terram pronæ Augustissimum Sacramentum Eucharistiæ adoraverunt, ut de apibus enarrat Thomas Cantipratensis *lib.* 2. *cap.* 4. de Agno, S. Bonaventura in vita S. Francisci, de Mulo, Author vitæ S. Antonii Patavini apud Surium *Tom.* 3.

Quia verò diximus in processionibus S. Marci, & rogationum moris esse, ut Litaniæ majores, & minores recitentur, aliquid superest de Litaniis dicendū. Litaniæ nomen est Græcum, & Latinè dicuntur rogationes, & id interest discriminis inter litanias, & exomologesin; quia hæc ex sola confessione peccatorū agitur, litaniæ verò ad rogandum Deum, & impetrandam aliquam ejus misericordiam, ut refert Rabbanus Maurus *de institut. Clericor. cap.* 15. Litaniæ majores recitantur septima Kalend. Maii, eò quia post aquarum inundationem insuetam luémque grassantem fuerunt plures litaniæ institutæ, ut recitarentur, & à DEO ac cæteris cœlitibus mala hæc *à fidelibus* averterentur; & Paulus Diaconus in Imperatore Mauritio refert, septenam fuisse ordinatam litaniam, hoc ordine, ut in primo choro processerint Cleri. In secundo Abbates cum suis Monachis. In tertio Abbatiſſæ cum suis Congregationibus. In quarto omnes pueri. In quinto omnes Laici. In sexto omnes viduæ. In septimo omnes mulieres conjugatæ. Hinc litaniæ sunt preces, quibus invocationem DEI, & Sanctorum desideratam nobis Divinæ propitiationis abundantiam, & malorum expulsionem efficacius impetramus, & dividuntur litaniæ in communi in illas, quæ dicuntur Sanctorum, & in Lauretanas, quæ dicuntur Beatæ Virginis Mariæ, & quamvis plures aliæ circumferantur litaniæ de Sanctis in particulari, non tamen ab Ecclesia Romana sunt approbatæ, quapropter satius est eas omissas facere. Litaniæ beatæ Virginis sunt sacræ deprecationes ad DEum per invocationem specialem ejusdem Virginis Mariæ variis nominibus, encomiis vel propriis, vel metaphoricis, quæ varietas in majorem resultat Virginis gloriam majorémque excitat devotionem in eas recitantibus. Litaniæ verò Sanctorum possunt dividi ratione finis, ob quem recitantur, in pœnitentiales, quando recitantur in satisfactionem peccatorum ad impetrandam eorundem veniam, & græcè dicuntur exomologeses, & solent recitari post psalmos pœnitentiales; & in puras, seu simplices, quando recitantur ob alios fines, ut ad impetrandum per preces Sanctorum, ut liberemur ab aliquo periculo imminente, velut impetremus sanctitatem corporis, vel aliud simile beneficium. Aliæ litaniæ præter supra dictas Sanctorum, & Beatæ Virginis, prohibentur, nec recitari publicè possunt absque speciali licentia Sacræ rituum Congregationis, ut statuit Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit *Sanctissimus*, promulgata anno 1601. ubi habetur: *Quoniam multi prætextu alendæ devotionis novas quotidie litanias evulgant, eis præcipimus, ut retentis communibus, quæ in breviariis continentur, nec non litaniis beatæ Virginis, quæ in Sacra ade Lauretana decantari solent, aquiescant. Quicunq; aliis litaniis sive in processionibus sive aliàs uti voluerint, eas ad sacram rituū Congregationem recognoscendas, & si opus fuerit corrigendas mittere teneatur: neque sine licentia & approbatione prædictæ congregationis eas in publicum edere, aut publicè recitare præsumant sub pœnis ultra peccatum arbitrio Ordinarii & Inquisitoris infligendis.* Ad perfectam autem orationem quatuor requiruntur partes seu affectuum expressiones, ut deducitur ex Apostolo 1. Timoth. 2. ubi ait: *Obsecro fieri obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus.* Obsecratio est proponere motivum valde excitans, & conducens ad concedendum, quæ petimus, quo pacto dicimus Christum obsecrare, cum proferimus hæc verba: Per Viscera misericordiæ tuæ, per Nativitatem, per Mortem tuam: Secunda pars dicitur oratio, estque invocatio, cum dicimus: Deus meus, ad te de Luce vigilo, & in oratione Dominica: *Pater noster, qui es in cœlis*, & ab hac parte suam trahit nomenclationem oratio simpliciter dicta, quæ definitur adscensio mentis ad DEum, quia per invocationem magis expressè ascendimus ad ipsum DEum. Tertia pars dicitur postulatio, seu petitio gratiarum, ut cum in missa dicimus, *Concede quæsumus, præsta quæsumus.* Quarta pars est actio gratiarum, qua cognoscimus DEum ut supremum Authorem & omnium bonorū nostrorum obsequia, & famulatum illi offerimus in compensationem, quantum pro nostra imbecillitate possumus.

Cæterum litaniæ Sanctorum mira dispositione perfectissimè componuntur ex quatuor prærecensitis partibus, suntque propterea in Ecclesia preces exquisitæ, ac Deo gratissimæ, & efficaces ad impetrandum, quæ petimus: siquidem initium trahunt ab invocatione DEI, & quidem tripliciter in venerationem supremi sanctissimæ Trinitatis mysterii. Primò enim dicitur *Kyrie eleison*, ad Patrem, quæ verba

verba Græca Latinè sonant: Domine miserere; deinde *Christe eleison* ad Filium, & iterum Kyrie eleison ad Spiritum Sanctum, & additur bina invocatio Christi propter mysterium incarnationis duplicisque naturæ in filio, scilicet Divinæ, & humanæ in una eadémque persona, deinde invocatur Sanctissima Trinitas propriis personarum nominibus: *Pater de cœlis DEus &c.* Et tertia invocatio est totius Trinitatis simul: *Sancta Trinitas unus DEus*, qua confitemur unitatem in Trinitate & Trinitatem in unitate, seu Consubstantialitatem Divinarum Personarum. Hinc inferimus, tripliciter posse nos DEum invocare, ut notat Serrarius *lib. 1. de Litaniis cap.* 1. scilicet sub nomine Divinæ essentiæ, vel essentialis alicujus attributi, cui correspondet prima invocatio *Kyrie*, secunda sub personæ vel personalis alicujus proprietatis ratione, cui correspondet secunda invocatio: *Pater de cœlis DEus.* Tertia utroque modo simul, cui correspondet invocatio totius Trinitatis: *Sancta Trinitas unus DEus.*

Rursus ita ex institutione Ecclesiæ incipiunt Litaniæ Sanctorum, quibus per suos amicos, administros suos, DEum rogamus, ut nobis dignetur impertire, quæ petimus per intercessionem Sanctorum, quos rogamus, ut ipsi intercedant pro nobis, nostrásque preces DEO offerant, prius enim submittimus nos ipsos DEO, & postea Sanctis fatentes nostram miseriam, & indigentiam ex una parte, & recognitione Divinæ majestatis, & pietatis ex altera, quo pacto adimplemus illud Apostoli Jacobi Epist. 4. *Humiliamini in conspectu DEI, ut vos exaltet*, sic incipimus litanias à Kyrie eleison, quibus verbis recognoscimus DEum tanquam supremum omnium Dominum, & per *eleison* seu miserere fatemur nostram miseriam, & indigentiam, ut DEus dignetur nos exaudire. Sancti verò quorum intercessionem invocamus in Litaniis, in varias distribuuntur ab Ecclesia classes & ordines, siquidem post invocationem DEI, & Sanctissimæ Trinitatis invocamus Sanctos ordinatè habito respectu ad dignitatem, vel ad antiquitatem eorundem; qui enim sunt gradu sublimiores præferuntur inferioribus, & qui tempore sunt antiquiores, posterioribus, nisi peculiaris ratio aliter exigat: hinc statim post DEum recurrimus ad patrocinium Virginis Matris, quia hac dignitate, & potentia apud DEum supereminet omnibus creaturis, Angelis, & Sanctis; & Thronum in cœlo obtinet singularem super omnes Choros Angelorum, tanquam omnium Regina; postea invocantur Angeli, cœlestis Curiæ Spiritus, defœcati à quavis corporea crassitie, quibus propterea debetur præcedentia ante homines ratione excellentioris naturæ, & antiquitatis, quia à DEO fuerunt Angeli ante hominem conditi, cum DEus dixit, *fiat lux*, Genes. 1. & inter Angelos Principem Sedem occupat Archangelus Michael velut Princeps militiæ cœlestis, ac Præpositus Paradisi, secundum locum occupat Archangelus Gabriel, eò quia fuerit missus ad Mariam, Virginem cui nuntiavit Verbi Divini Incarnationem, de quo ait D. Gregorius homil. 34. in Evangel. *Ad hoc enim mysterium summum Angelorum venire dignum fuit, quia summum omnium nuntiabat*, scilicet verbum Divinum, futurum hominem. Tertio loco recensetur S. Raphael, dux peregrinorum, & illuminator cæcorum, nec fit in particulari alia mentio, eò quia in Sacris Scripturis aliud non habeatur peculiare eorum nomen: post invocationem Beatæ Virginis, & Angelorum primus omnium invocatur S. Joannes Baptista, eò quia inter natos mulierum non surrexerit major; & post ipsum invocantur statim omnes Patriarchæ, & Prophetæ veteris testamenti; quibus ratione antiquitatis debetur præcedentia, & etiam quia Patriarchæ fuerint Christi ut hominis progenitores, deinde inter Sanctos novi testamenti, legisque Evangelicæ, locus honoratior tribuitur Sanctis Apostolis, eò quia fuerint à Christo Principes super omnem terram constituti, & futuri judices sæculorum, ducésque triumphis martyrii celeberrimi. Postea sequuntur Confessores, & Doctores, tum Pontifices, qui Doctrina, & exemplis Ecclesiam illustrarunt, quique fuerunt Heroes inclyti, qui habuissent contemptui mundi illecebras, Dæmonum fallacias, postea carnis concupiscentias coërcuerunt, & ipsam catnem profligarunt, ac de triplici humani generis hoste gloriosè triumphârunt, & in quibus DEus verè se mirabilem ostendit, quatenus stultitiam propter Christum affectantes ad culmen veræ Sapientiæ attigerunt.

Rursus viris gloriosis adduntur in Litaniis mulieres Sanctæ, sexu quidem inferiores, sed devotione non impares, quæ geminata gloria una cum mundo etiam ipsum sexum vicerunt, & inter fœminas sanctitate gloriosas suo candore illustres emicant Virgines, quæ ob puritatis decorem, & ob Sponsalia Spiritualia cum Christo inita specialiter naturam humanam in Angelicam transmutarunt, ac propterea inter ipsas veluti in Lilia cœlestis paradisi libentius perambulat cœlestis Sponsus. Virgines sequuntur Sanctæ Viduæ, quibus ab Ecclesia attribuitur fortitudo, & virtus mascula, Proverb. 31. *Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus*, quas propterea honorari præcipit Apostolus 1. Timoth. 5. fuerunt enim accuratæ domorum instauratrices, magistræ pietatis, cultrices pudicitiæ, directrices adolescentulorum, jejuniis, & orationibus assiduæ, cujusmodi fuerunt in veteri testamento Anna Prophetissa, Judith, & aliæ plures, quarum virtutes recenset D. Augustinus *lib. 9. Confess. cap. 9.* ut etiam apud D. Hieronymum S. Paula Romana, Melania, Bletilla, quarum ipse meminit, ut etiam plures aliæ Viduæ, ut Sancta Brigita, S. Elisabeth, filiæ Regis Hungarorum, & Marcella Romana, & aliæ plures, quorum laudes recenset S. Ambrosius *lib. de Viduis*, & alii Sancti Patres, præsertim D. Augustinus *lib. de bono viduitatis.*

Quòd si quæras, cur in Litaniis nulla fiat mentio de Sanctis conjugibus, cum constet in statu conjugali plures fœminas floruisse cultura virtutum, & Sanctitatis; respondetur, quia in Litaniis invocantur tantùm Sancti, & Sanctæ, quæ in cœlo regnant cum Christo, ubi cessat omnino status conjugalis, ut declaravit Christus Matth. 22. *In resurrectione non nubent, neque nubentur: sed erunt sicuti Angeli*, unde de statu, quo in terris fuerunt, vinculo matrimonii junctæ viris, nulla fit mentio, quia in cœlis ubi invocantur generatim comprehenduntur in numero viduarum, cum ibi non amplius adsit vinculum matrimonii. An verò ordo præscriptus ab Ecclesia in Litaniis etiam servetur in cœlis, respondetur, in cœlesti patria beatos non donari æquali gloria, neque à DEO collocari in paribus sedibus, & mansionibus,

bus, sed alios aliis esse beatiores, ac cœlesti gloria cumulatiores, tametsi sint omnes contenti, & felices, ac totaliter expleti juxta propriam capacitatem, quam habent ex meritis propriis, idque clarè evincitur ex sacris scripturis Joan. 14. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, quem locum Sancti Patres explicant de diversitate, & inæqualitate gloriæ essentialis inter Sanctos, qua ratione Apostolus 1. Cor. 15. ait: *Sicut differt stella à stella claritate, sic erit resurrectio*, & hoc etiam fuit definitum in Concilio Florentino in litteris unionis: hæc enim inæqualitas majoris vel minoris mensuræ gloriæ essentialis inter beatos oritur ex diversitate meritorum eorundem, seu ex majori, vel minori in virtutibus, & exercitiis spiritualibus profectu in statu viæ, in qua unus est alio justior, unus alio multiplicatior, unus alio sanctior, quapropter scribit Apostolus 1. Corinth. 9. *Qui parcè seminat, parcè & metet*, & 1. Corinth. 13. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem*; facilè itidem ex eo desumitur, quia gloria essentialis communicatur beatis ut præmium, & corona laborum, ac certaminum, ex Apostolo 2. Timoth. 4. ubi ait: *Præposita est mihi corona justitiæ*, quatenus impertitur hæc mensura gloriæ essentialis secundùm leges justitiæ distributivæ servata proportione meritorum cujusque, & habito respectu ad labores, & certamina singulorum, adeo ut qui majores exantlarunt labores, & plura fuerunt supplicia pro Christo passi, ampliorem mercedem, ac majorem à DEO gloriam consequantur.

Hinc ordo præcedentiæ, quo Sancti in litaniis distribuuntur, non correspondet simpliciter eorundem præeminentiæ in cœlo quoad gradus gloriæ essentialis, & sublimitatem sedium. Ratio est perspicua, quia plures Confessores fuerunt majoris meriti, & excellentioris virtutis, quàm plures alii etiam Martyres, & Apostoli, imò etiam Patriarchæ, consequenter in cœlis fuerunt majorem gloriam consecuti. Imò nec omnes Martyres sunt æqualis meriti, consequenter neque æqualem consequuntur gloriam, & ita de Virginibus, & Viduis. Hujus diversitatis ratio ex eo petitur, quia prædicta inæqualitas Sanctorum quoad merita varia, & gradus varios gloriæ, quâ fruuntur in cœlo, est Ecclesiæ militanti ignota, adeo ut non possit hæc hanc inæqualitatem discernere, consequenter nec potest in litaniis hunc ordinem præeminentiæ Sanctorum servare in patria: sed tantùm in eis attenditur præeminentia ac diversitas dignitatum, & statuum, quo fuerunt in statu viæ, seu vitæ mortalis professi.

Rursus neque ex prædestinatis hominibus constituuntur in cœlo novæ Hierarchiæ, nec novi ordines, & chori distincti à novem Angelorum Choris: sed assumuntur homines ad Hierarchias & choros Angelorum sublimiores vel minus sublimes, pro varietate meritorum, cujusque ratio ex eo petitur, quia tametsi homines sint natura Angelis inferiores, adhuc quoad gratiam & gloriam sunt Angelis similes, neque habetur ex scripturis sufficiens fundamentum asserendi novas Hierarchias, novosque in cœlo Choros, ut docet D. Thomas 1. *part. quæst.* 108. *art.* 3. excipitur tamen ab regula Virgo Maria, Mater DEI, quæ elevata est à DEO ad singularem gloriæ thronum super omnes Hierarchias, Ordines, & Choros Angelorum, ut canit Ecclesia in officio Deiparæ assumptæ. Quid verò dicendum, sit de parvulis decedentibus statim, postquam aqua lustrali baptismi abluti fuerunt; hi enim, quia carent propriis meritis, quoad gloriam sunt inferiores omnibus Angelis etiam ultimi ac infimi Chori, proinde videntur constituere inferiorem novum chorum infimo Angelorum, nihilominus dicendum est, hos parvulos assumi ad infimum chorum Angelorum post alios Angelos, quia tametsi careant propriis meritis, salvantur nihilominus ex meritis JEsu Christi, fiuntque similes Angelis.

Constat igitur ex hactenus expensis summam fidelibus oriri utilitatem ex devota litaniarum recitatione, siquidem hæ preces perfectam continent orationis formam; secundo quia per ipsam habemus intercessores omnes Sanctos, quos invocamus, siquidem omnis pia, & devota oratio prodest ad salutem, & est proficum tum ipsis orantibus, tum aliis, pro quibus funditur, consequenter à fortiori, quæ funditur à recitantibus litanias, valde salubris erit, ac summæ utilitatis ob summam, quam continent, perfectionem. Antecedens liquet ex doctrina Sanctorum Patrum mirificè extollentium vim, & potentiam orationis in genere; etenim Augustinus serm. 226. ait: *Oratio justi clavis est cœli, ascendit oratio, & descendit Dei miseratio.* Præterea oratio ab aliis Patribus dicitur aurea catena è terra in cœlum protensa, & per quam dona DEI ad nos descendunt, & nos è converso ad DEum ascendimus, adeo ut ab aliis parietur Scalæ Patriarchæ Jacobi, per cujus gradus Angeli è cœlo ad terram descenderent, & iterum è terris cœlum inscenderent, nostras delaturi ad Deum preces, & indigentias. Cassiodorus in Psal. 59. ait: *Orationem esse, per quam ira DEI suspenditur, & venia procuratur; pœna refugitur, & præmiorum largitio impetratur; oratio serenat cor, abstrahit à terrenis, mundat à vitiis, & sublevat ad cœlestia*: & quia litaniæ preces sunt perfectæ, & excellentes cum omnibus suis requisitis, quibus veluti in fasciculo unita & colligata habentur omnia, quæ sparsim in aliis orationibus comprehenduntur, dubitari nequit, quin plurimum eas recitantibus inferant utilitatis.

Sunt enim claves cœli, quibus cœlestis gloriæ janua nobis reseratur, & cœlestia beneficia ad nos descendunt; catena aurea, cujus beneficio in cœlum trahimus, sublimis scala pertingens ab imo terræ ad summum cœli, per cujus gradus Angeli descendunt, & ascendunt, ut nobis opitulentur, ac divina beneficia ad nos adferant. Quòd etiam sicut litaniæ nobis perutiles ratione copiosæ invocationis Sanctorum, ex eo etiam videtur probatio facilis, quia si unius Sancti invocatio, & intercessio plurimum nobis adfert auxilium, cum dicat Apostolus Jacobus Epist. cap. 1. *Multum valet deprecatio justi*, multo potentior ac fortior erit oratio, in qua plures concurrunt deprecationes; ac intercessiones omnium ferè Sanctorum, quos per litanias invocamus, quo enim magis crescit numerus intercessorum, eo copiosior est gratia, quam petimus.

Præterea litaniarum utilitas desumi etiam potest ex prosperis effectibus re ipsa secutis, in favorem eas piè recitantium, habent enim vim ad extinguen-

quendam divinam iram impetrandi eas misericordiam, aperiendi cœlos, ut fluat pluvia,quæ siccitati terræ frugumque necessitati subveniat, nubes discutiat, cœlumque serenet, si humilitas nimia fuerit, sistat terræmotus, pestem, famem, & bellum avertat, carnis concupiscentias compescat, & dæmones fuget.

Hinc quamvis Sanctorum invocatio non sit de præcepto, est tamen nobis perquam utilis, adeo ut Sanctorum invocatio pertineat ad consilium, quamvis non ad præceptum: siquidem nullibi id præcipitur, nec lex ulla extat universaliter obligans fideles ad invocandos Sanctos: siquidem ex duplici capite oriri potest obligatio orandi, & invocandi in auxilium,primo eò quia oratio sit medium, ad salutem necessarium,ut probat D. Thomas 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 3. Secundò quia indigemus Mediatore apud Deum: atqui ex neutro capite sequitur obligatio invocandi Sanctos. Probatur minor, non sequi ex primo capite,quia præcepto rationis necessario ad salutem satis fit, si preces nostras immediatè ad Deum dirigantur veluti ad fontem omnium gratiarum; neque ex secundo, quia tametsi necessarius nobis sit Mediator: quia tamen solus Christus est noster Mediator absolutè necessarius,in cujus meritis fundatur vis omnis nostrarum orationum: sequitur solam Christi invocationem, & obsecrationem per ejus merita esse necessariam, quoties urget præceptum orandi,quapropter Ecclesia semper orat,per JEsum Christum Dominum Nostrum,ut liquet ex Collectis, quarum conclusio semper est, *per Dominum Nostrum JEsum Christum &c.* unde cum invocamus Sanctos eos non rogamus, ut Redemptores Nostros, neque ut absolutè Mediatores, & tantum ut intercessores, & Patronos super numerarios ex consilio: Ecclesiastici tamen ratione peculiaris status, quem profitentur,per accidens obligantur ad invocationem Sanctorum, eò quia teneantur ratione status ad recitandum divinum officium, ad orandum & invocandum Sanctos, quorum suffragia in ipso divino officio præscribuntur, ut etiam,quando totum officium ordinatur ad Venerationem Sanctorum, ut etiam quoties Litaniæ Sanctorum cadunt sub præcepto,quoties enim adest aliquod speciale præceptum,ex illo oritur obligatio invocandi Sanctos. An verò melius fit orare immediatè Deum per nos ipsos, vel per Mediatores Sanctos.

Certum est cæteris paribus orationem immediatè directam ad Deum esse meliorem, quam tantùm mediatè per Sanctos interpellatores: siquidem oratio, quæ immediatè dirigitur ad Deum, continet cultum latriæ, & quæ immediatè funditur ad Sanctos,cultum duliæ, eo quia Sancti,ad quos terminatur oratio, sint ordinis longè inferioris, & creaturæ. Præterea quia oratio immediatè ad Deum nititur argumentis, ac motivis sublimioribus, quia ad Deum recurrimus, eò quia sit infinitè bonus, misericors, liberalis, ac propterea speramus ob ejus bonitatem, & liberalitatem impetrare, quæ petimus. Præterea modum hinc orandi mediatè Deum nos edocuit Christus in Dominica oratione Matth. 6. *Pater Noster, qui es in cœlis*, quæ oratio procul dubio est omnium perfectissima, cæterum dixi,per se loquendo esse perfectiorem, ac meliorem illam orationem, quæ immediatè à nobis dirigitur ad Deum, quia cum ad perfectam orationem plures requirantur conditiones ut fervor devotionis, firma in Deum fiducia, sedula attentio, ac perseverantia fieri potest, ut quis non audeat Deum adire immediatè ejus territus Majestate, vel etiam ex humilitate,quia dignum non se existimet Deum immediatè rogare, propterea recurrat ad Sanctum aliquem, ut per se intercedat, eumque ferventius, ardentiusque roget: sicut olim populus Israeliticus dicebat ad Moysem Exodi 20. *Loquere tu nobis, non loquatur nobis Deus,ne fortè moriamur*, in hisce enim casibus, quia cætera non sunt paria, sed ferventior est oratio ad Sanctum, potest oranti utilior esse, eò quia ille Sanctus efficacius Deum oret pro nobis, hoc autem provenit ex accidenti, non verò quod cultus duliæ possit esse perfectior, cui semper præfertur latria.

Hinc quamvis oratio immediatè fusa ad Sanctos non sit ita perfecta, ac præcedens; est nihilominus valde pia, & commendabilis, & plurium virtutum præsefert insignia; etenim in oratione nostra directa ad Sanctos virtus relucet humilitatis, eò quia nos cognoscamus indignos ut immediatè velimus cum Deo loqui; unde DEI amicos rogamus, ut velint ipsi nostras preces DEO sistere, ac pro nobis intercedere: Sicut non audentes immediatè Principem alloqui, suos alloquuntur administros, quo velint pro ipsis apud Principem intercedere. Secundo dirigentes preces nostras immediatè ad Sanctos,profitemur fidei articulum,seu communionem Sanctorum. Rogamus enim Sanctos, ut legatione fungi velint ad communem Dominum, & sua nobis dona, ac intercessiones communicent. Rursus cognoscimus, & fatemur eos gloriosos, & fatemur eorum amicitiam cum Deo, ac familiaritatem, quâ possint nobis prodesse, eò quia nos itidem impensè diligant. Rursus detestamur errorem hæreticorum negantium intercessionem Sanctorum. Præterea quia invocatio Sanctorum cedit etiam in gloriam DEI; siquidem quo plures ante divinam majestatem se prosternunt, supplicabundi Deum adorant; eo plus honoris, & gloriæ externæ ei defertur: sed cum Sanctos immediatè oramus, ut velint ipsi pro nobis intercedere apud Deum; hoc ab eis petimus,ut ipsi pro nobis velint supplicabundi Deum orare, eique supplicare,ut nobis conferat quæ petimus. Non enim Sanctos rogamus,ut ipsi,quæ petimus nobis, concedant; sed ut ipsi utpote digniores nobis, & amici DEI ipsum orent, & intercedant pro nobis.

Cæterum ille modus orandi est per se perfectior, quo immediatè Deum rogamus per nos ipsos, & simul mediatè per Sanctos, quos in auxilium nostrarum precum invocamus, quia hoc pacto oratio complectitur plures perfectiones superius recensitas. Hinc Ecclesia in collectis orationem primò ad Deum dirigit, & simul mediatè per Sanctos,quos rogat, ut velint pro nobis intercedere. Hinc Ecclesia in collectis Deum primò immediatè precatur, deinde intercessiones addit Sanctorum, ut, Adesto Domine supplicationibus nostris, ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, eorum, qui tibi placuerant, precibus adjuvemur. Et convenienter potest uterque modus adhiberi, quia consociantur veluti naturali sequela. Et oratio ad Deum immediatè terminata continet supremum

tum latriæ cultum, & ut terminata ad Sanctos eum cultum Duliæ, qui subordinatur cultui latriæ, & uterque depromitur ab eadem virtute Religionis, vel si à diversis virtutibus eliccantur, eæ sunt affines, cum uterque actus sit cultus Religiosus, sicuti in Aula Principis, si civis aliquis supplicationem porrigat Principi, statim rogat ejus Administros, & aulicos Amicos, ut velint pro se intercedere apud Principem, eumque rogare, ut velit, quam petimus, gratiam nobis impertiri.

Neque obstat, quod Hæretici negent intercessionem Sanctorum, eò quia non cognoscant, nec audiant nostras preces ob nimiam locorum distantiam, quia sint Sancti in cœlis à Viatoribus in terris quam longissimè dissiti, & quantum distat cœlum empyreum à terra; quod argumentum est valde frivolum, & nullius momenti, & satis indicant sensui tantum adhærere carni indulgere, & DEI Spiritu carere, de quibus scribit Apostolus 1. Corinth. 2. *Hi sunt, qui omnia judicant secundum sensum, & captum sensibilem, & non secundum Spiritum DEI*: siquidem DEus, qui Prophetis indidit lumen, quo non solùm, quæ longissimè distarent, possent cognoscere, verum etiam futura, quæ nondum extarent. Quòd si Prophetæ beneficio luminis Prophetici potuerunt futura prævidere, etiam beati beneficio luminis supernaturalis possunt, quæ in terris aguntur, cognoscere: etenim dupliciter possunt à Sanctis in cœlis existentibus dupliciter cognosci, quæ in terris aguntur. Primò naturaliter per Angelos Ministros, qui hic in terris nobiscum degunt, & ad nostram deputantur custodiam, vel etiam ad regimen, & tutelam Ecclesiarum, & Regnorum, hi enim in ictu oculi cœlum conscendunt, & iterum descendunt, nil enim prohibet, quin hujusmodi Spiritus nuntient Sanctis, quos invocamus nostras preces, & nobis inspirent devotionem in eosdem Sanctos, ut docet D. Thomas *lib. de cura pro mortuis cap.* 15.

Secundò cognoscuntur à Sanctis orationes, quæ à suis clientibus funduntur in terris, & ad ipsos diriguntur per lumen supernaturale, quo eas Deus ipsis revelat, vel ut communius docent Theologi, quia Sancti in cœlis beneficio luminis gloriæ vident in Verbo orationes, quæ ad ipsos diriguntur in terris, adeo ut eadem visione, qua DEum intuentur, cognoscant orationes, quæ ad ipsos à viatoribus diriguntur; in DEO etenim velut in speculo politissimo omnia repræsentantur, & manifesta sunt beatis præsertim quæ pertinent ad statum eorundem Sanctorum, adeo ut habeatur celebre illud effatum D. Gregorii relatum à D. Thoma 1. *part. quæst.* 12. *art.* 8. *Quid non vident, qui videntem omnia vident?* ex eo igitur, quod visio beatifica beatos compleat, & impleat eorum desiderium, & appetitum satiet, quod nonnisi rationabile esse potest, ideo rationabiliter appetunt beati cognoscere orationes, quæ à viatoribus ad se diriguntur, id enim pertinet ad eorum statum & ad mutuam communicationem inter comprehensores & Viatores, & quam profitemur de fide in symbolo Apostolorum profitentes Communionem Sanctorum, ideo sequitur manifestè, ut scribit Apostolus ad Galat. 4. ex vi status beatifici competere Beatis conditionem nostrarum orationum, & pro nobis intercedunt.

Sed respondent Acatholici, vel Beati in cœlis cognoscunt eventum suarum intercessionum, & orationum, vel non; si primum prænoscunt, & vident se non esse exaudiendos, quia non vult Deus concedere id, quod pro nobis petunt, & in hoc casu orant, seu non petunt id, quod non placet DEO concedere, quia voluntas Beatorum est omnino conformis voluntati divinæ. Quòd si dicatur secundum, & prænoscere effectum ille esse futurum, tunc etiam non orarent, quia frustra peterent, quod ex decreto DEO infallibiliter est eventurum, petitio enim Sanctorum tunc superflueret, sin verò Sancti dicantur ignorare eventum suarum orationum in jam incidimus in illud conveniens, quod non essent perfectè Beati: siquidem illa incertitudo vel ignorantia est quædam imperfectio, cujus oppositum perficeret, ac compleret eorum beatitudinem. Contra est, quia est certum de fide, Sanctis & beatis competere hoc munus intercedendi pro nobis apud DEUM, idque ostenditur ex sacris scripturis, in quibus habemus etiam ante Christi adventum, quando nondum animæ Sanctæ erant in gloria, sed detinebantur in sinu Abrahæ, seu limbo terræ, orabant tunc pro viventibus, ut refertur 2. Machab. ut etiam de Jeremia, & Onia, & Jerem. 15. de Samuele, & Moyse, & de aliis *Daniel.* 3. Unde à fortiori id sequitur de Sanctis in gloria. Hinc habetur usus Ecclesiæ recurrentis passim ad suffragia, & intercessiones Sanctorum, non enim Ecclesia id præstaret, si Sanctis in cœlis deesset hæc facultas orandi, & intercedendi pro nobis, quinimò hæc veritas definita etiam fuit in pluribus Conciliis, & præsertim in Tridentino *sess.* 25. Et patet etiam experimento, quia per invocationem Sanctorum fideles plura dietim recipiunt beneficia, cæci visum, claudi gressum, surdi auditum, & pluribus infirmitatibus laborantes pristinæ restituuntur sanitati, imo etiam subinde mortui vitæ. Unde nulli potest dubium esse de intercessione apud Deum ad invocationes, & orationes Sanctorum, nisi velit quis negare tot miracula, & gratias, quæ singulis ferme diebus recipiunt in terris fideles à DEO per intercessionem Sanctorum.

Quamobrem ad argumentum Hæreticorum respondetur, quòd Sancti in cœlis, sive prænoscant eventum suarum intercessionum, sive non, nulla ratione posse eos retardari ab hoc charitatis officio orandi, & intercedendi pro nobis, quoties à nobis invocantur. Dato etiam, quod prævidérent, fore, ut à Deo non concedatur id, pro quo orant, adhuc suas apud Deum preces fundunt pro nobis ex simplici affectu, & benevolentia, quam erga nos profitentur, ut fusè probat D. Augustinus *lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 8. idque confirmari potest exemplo Christi orantis in horto, ac dicentis, *transeat à me calix iste*; noverat enim Patrem decrevisse, ut calicem biberet, & quod non esset ipsum exauditurus, eò quia vellet liberè mori pro humano genere redimendo, & tamen quamvis novisset Patrem decrevisse, ut calicem biberet, mortem subiret, oravit nihilominus ad ostendendum instinctû naturæ humanæ, quam assumpserat, & hæc ostensio cedebat in cultum Dei posita simul omnimoda conformitate, cum voluntate divina propterea dixit Christus, *verum tamen non mea voluntas, sed tua fiat*, eodem modo asserimus de Sanctis cognoscentibus, in cœlis non esse exaudiendos à Deo juxta votû sui in terris clientis non enim cessant propterea orare Deum, quia tametsi non impetrent, quod

quod erat in votis sui clientis, impetrant tamen semper alia bona spiritualia, quæ cedunt in favorem sui clientis, & sursam in majorem perfectum spiritualem, tunc enim orant Deum pro nobis ex simplici affectu, & benevolentia, quam erga nos profitentur, ut D. Augustinus *loc. cit.* & eorum oratio est semper utilis suis in terra clientibus. Quibus aliud impetrat bonum spirituale. Quòd si Sancti norunt suas intercessiones futuras esse efficaces, & cognoscunt à Deo esse concedendum, quod petunt in gratiam Viatorum, tunc etiam libentius orant, quia simul etiam cognoscunt Deum disposuisse talem gratiam concedere mediantibus eorum intercessionibus proinde adhibent medium à Deo præordinatum in eum effectum. Rursus dato etiam quòd Sancti in cœlo ignorent, quem effectum sint habituræ eorum intercessiones non tamen inde sequitur, non esse perfectè beatos; siquidem ad statum beatitudinis non requiritur, ut beati videant omnes dispositiones divinæ providentiæ, ut fusè probatur *in Tractat. de beatitudine.* Cæterum orationes Sanctorum pro viatoribus fusæ plurimum semper obtinent efficaciæ, ad impetrandum quod petitur, quia si justorum preces in statu viæ sunt efficaces ad impetrandum, & gratæ sunt Deo, ac plurimum valent: à fortiori majorem habebunt efficaciam orationes Sanctorum existentium in cœlis, & participantium æternam gloriam: siquidem arctius DEO conjunguntur & intimius ipsi adhærent, cui etiam sunt gratissimi: & præsertim cum eorum preces sint puriores, & perfectiores, & sinceriori charitate erga nos ardeant, sintque ad miserandum propensiores, quo enim sunt tutiores de sua salute, eò sunt magis soliciti de nostra, ut ait S. Cyprianus *lib. de mortalitate.*

Quamobrem piè, & utiliter invocamus Sanctos in cœlis, ut apud Deum nos adjuvent in terris, quia persæpe orationes nostræ nonnisi imperfectè ad Deum funduntur, & pluribus defectibus contaminatæ, quos supplent purissimæ Sanctorum preces, adeo ut quod fragilitas, & imperfectio nostra non obtinet, id oratio à Sanctis fusa nobis impetret. Præterea quia invocatio Sanctorum quædam est cum iisdem communicatio, adeo ut moveantur Sancti ad compatiendum nobis, & ad opem nobis ferendam nobisque opitulandum, & nos excitamur ad eorum amorem, & imitationem, ut probat Eckius in Enchir. cap. 15. & cum illo alii plures. Hinc factu optimum erit, si quisque fidelis eligat sibi speciales aliquos Patronos in cœlis, præsertim Beatissimam Virginem Deiparam, eo quia apud Deum sit omnium Sanctorum potentissima, & universalis dispensatrix gratiarum, postea unum vel plures ex aliis Sanctis pro devotione cujusque, quia si ad declinandam mortem corporalem, vel jacturam bonorum temporalium soliciti eligimus Patronos, & defensores, quanto majori cura Patronos & Defensores debemus eligere apud supremum Judicem ad vitandam æternam mortem, & jacturam bonorum spiritualium.

Quòd si viri pientissimi, & morum candore purissimi hos Patronos, cum in terris viverent, sibi elegerunt in cœlis, quanto magis id curare debet quilibet fidelis, si peccatorum pondere prematur, & trahatur ad inferos, ut scribit D. Hieronymus Epist. ad Paulam de obitu Plasillæ. Quapropter dicitur specialis prærogativa inesse aliquibus Sanctis, ad impetrandas speciales gratias pro aliis, adeo ut contra dolorem dentium majori fiducia invocetur auxilium S. Apolloniæ, contra morbos oculorum, S. Luciæ, contra calculos S. Liborii, & Florentii, contra pestem S. Sebastiani, & S. Rochi, contra procellas, & tempestates S. Nicolai, contra fulmina, & mortem improvisam S. Barbaræ, hæ siquidem invocatiotiones horum Sanctorum piæ sunt, & probè fiunt.

An verò hujusmodi Cœlites à DEO Propositi sint adpro curandam aversionem talium morborum, Hæretici id negant & rident Catholicos invocantes S. Apolloniam contra dolores dentium, S. Luciam contra morbos oculorum, & alios, & Lutherani ac Calvinistæ asserunt, hanc invocationem esse quoddam inventum Catholicorum, ac simplicium Vetularum, eo quia omnes Sancti habeant æqualem accessum ad Deum, neque ponendum sit ullum discrimen inter ipsos. Sed contra, quia hic usus fidelium est omnino, rationabilis, & pius; siquidem pie credimus, his potius Sanctis quàm aliis demandatum esse patrocinium beatorum quoad has potius functiones quam ad alias, ut ostendit D. Augustinus Epist. 137. ad Clerum, & populum Hipponensem idque etiam evincitur ex proportione inter Hierarchiam, Ecclesiasticam, & cœlestem; in Ecclesia enim militante habetur convenientissimus ordo functionum, ac distributio munerum, ut constat ex D. Paulo ad Roman. 12. inquiens: *Habentes donationes secundum gratiam differentes sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui miseretur in hilaritate.* Et 1. Corinth. 12. scribit: *Quosdam posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, deinde virtutes, & exinde gratias curationum*, & nonnullis interjectis subdit: *Nunquid omnes virtutes, nunquid omnes gratiam habent curationum*, eodem pacto dicendum est de Hierarchia Cœlesti diversa esse munia exercenda à variis Sanctis, qui non omnes pares sunt, neque eisdem prærogativis decoratos; sed ad varia munera, & diversas functiones esse à Deo destinatos, adeo ut diversimodè pro variis indigentiis nobis opitulentur, ait enim Apostolus 1. Corinth. 15. *Sicut stella differt à stella in claritate ita & resurrectio mortuorum*, cum enim splendor gloriæ impertiatur beatis juxta mensuram meritorum, quia non omnes eadem secum detulerunt merita, ita neque eodem fuerunt splendore, ac lumine gloriæ donati in cœlis, & sicut stellæ diversos ad nos dimittunt influxus, aliæ calorem, aliæ frigus, humorem, salubritatem pro diversis earundem proprietatibus, pari pacto beati diversas exercent in cœlis munia, quibus nobis opitulantur pro varietate prærogativarum, ad quas ex Dei providentia destinantur.

Tum quia etiam Angeli varia exercent munera, unde D. Ambrosius lib. 8. in Lucam sub finem ait: Sicut Angeli præsunt, ita & hi, qui vitam promeruerunt Angelorum, & sicut à Deo delegantur Angeli ad varia officia, ut patet Matth. 18. Daniel. 7. & Psal. 81. ut habemus de Michaële, Raphaële, perinde dicimus, Sanctis in cœlis datas esse diversas gratiarum prærogasiva.

Tum quia sicut damnatis ultra communes cruciatus specialis pœna infligitur in gehenna, quæ correspondeat specialibus singulorum flagitiis Sapient. 11. *Per quæ quis peccat, per hæc torquetur*, dives enim ille Epulo conviciis assuetus torquebitur in

in Lingua: *Pater Abraham, crucior in hac flamma*, propterea rogabat, ut mittere dignaretur Lazarum, qui digitum in aqua intingeret, & ardorem temperaret linguæ: ita quia contrariarum eadem eſt ratio, beati ultra gloriam eſſentialem omnibus communem adhuc ſpecialibus condecorantur prærogativis juxta ſpecialia obſequia ab iiſdem præſtita, cùm in terris viverent, hinc quia S. Apolloniæ fuerunt dentes omnes contuſi, ac evulſi, cùm hîc viveret, & glorioſum conſummaverit martyrium, dicitur in cœlis gaudere ſpeciali prærogativa contra dolores dentium; ut etiam D. Liborius contra dolores calculi, quibus etiam ipſe fuit obnoxius, & ita de reliquis, unde non eſt, quod Lutherus, & Calvinus hunc pium uſum Catholicorum irrideant veluti inventum ſimplicium vetularum.

Cæterum poſſunt etiam ad eosdem propulſandos dolores invocari alii Sancti, qui tamen ſæpe ſimiles gratias impetrant quidem, ſed non ita frequenter ſicut alii, qui ad id muneris ſunt ſpecialiter deſtinati. Imò non ſolùm Sancti in cœleſti Patria æterna gloria jam donati poſſunt à Viatoribus utiliter invocari verùm, etiam ipſæ animæ, quæ purgatorio igne expiantur, & nondum beatæ poſſunt utiliter à nobis invocari, ut intercedant pro nobis ad DEum, quamvis enim non ſint in ſtatu merendi, vel demerendi, eò quia non ſint amplius in ſtatu viæ; ſunt nihilominus in ſtatu orandi, & pro ſe ipſis, & pro nobis, quapropter poſſunt piè & rectè à nobis invocari, ut pro nobis intercedant, & orent; hæc enim ſententia eſt hodie in ſcholis communis; quia tamen ut rectè notavit D. Thomas animæ purgatorio igni addictæ magis ſunt in ſtatu, ut oretur pro illis, quàm ut ipſæ orent pro nobis, eò quia ipſæ torquentur igne ideo, ſolicitiores eſſe debemus ad conferendum illis auxilium miſſarum ſuffragiis, & fuſu orationum, vel eleemoſynarum elargitione, aliorúmque piorum operum, ut ſolutæ à pœnis citius in cœlum advolent, ubi pro ſuis benefactoribus ferventiùs erunt DEum oraturæ, quapropter devoti animarum purgatorii, qui pluribus miſſarum ſuffragiis illis opitulantur, tot Patronos ſibi accumulant apud DEum in cœlo, quot animas liberant è purgatorio, vel earundem exitum accelerant, quapropter D. Antoninus *part. 33. tit. 32. num. 2. §. 4.* ait: *Mortuus, cui ſuffragium præſtatur, tenetur orare pro faciente ſuffragium, alioquin ingratus eſſet*, cui adſtipulatur S. Vincentius Ferrerius ſerm. 2. Dominicæ 1. poſt Trinitatis, inquiens: Quando anima exit è purgatorio, & in paradiſum intrat, duo præſtat, primò gratias agit DEO, ſecundò orat pro illis, qui miſerunt ſibi ſuffragia.

Circa peregrinationes ad loca Sacra eſt traditio in Eccleſia, quòd fideles conſueverint peregrinari ad loca Sacra, præſertim in Ægyptum ad Chriſti Domini ſepulchrum, & ad alia per Palæſtinam inviſenda loca, ubi Chriſtus aliquid fuit operatus, vel ubi manſit. Ex ſcripturis etiam habemus has peregrinationes, ſiquidem 1. Reg. 1. *Aſcendebat Elcana de civitate ſua Ramata ſtatutis diebus, ut adoraret, & ſacrificaret Domino exercituum in Silo.* Et Johan. 12. *Chriſtus ſæpe ad templum Jeruſalem ibat*: quamvis enim nec lege teneretur, nec à DEI præſentia potuiſſet amoveri, ac disjungi, adhuc tamen ut hujuſmodi peregrinationes ad loca Sacra approbaret, voluit ipſe ſuo exemplo confirmare. Apoſtolus itidem Paulus Actor. 20. *Feſtinabat, ut diem Pentecoſtes faceret Jeroſolymis*, quem locum adfert D. Hieronymus Epiſt. 17. ad Marcellam, ut oſtenderet bonum, & pium eſſe ad loca Sacra peregrinari, imò etiam ipſi Ethnici adoraturi veniebant in Jeruſalem propriis relictis Regionibus, ut liquet de Eunucho Æthyope, qui erat ſuper omnes Gazas reginæ Candacis. Sancti Patres has itidem peregrinationes ad loca Sacra referunt, & approbant. Anno Chriſti 42. illuſtris habebatur tumulus S. Theclæ Virginis, ac Martyris Iconienſis, ad quem magno fidelium concurſu confluebant Chriſtiani; & anno Chriſti 69. cum Petrus & Paulus Chriſtianæ Religionis Coriphæi glorioſum Martyrium Romæ conſummaſſent ad inviſenda eorum ſepulcra ex qualibet Chriſtiani orbis parte peregrinari fuerunt fideles, etiam inter perſecutiones, ut refert Euſebius lib. 2. hiſtor. cap. 24. Et Cajus antiquiſſimus Theologus trophæa victoriæ ab illis Chriſtianis ſummo in honore fuiſſe habita, eò quia conſueverint Chriſtiani etiam inter perſecutores venire Romam, ut martyrum reliquias inviſerent, ac venerarentur; ut referunt Sancti Patres: & ex Perſide veniſſe Martham, Mariam, & Audifacem temporibus Claudii junioris Imperatoris, habetur in martyrologio Romano 19. Januarii, ex Africa Maurum ſub Numeriano Imperatore; & alios & aliis orbis partibus fuiſſe Romam peregrinatos causâ tantùm inviſendi SS. Martyrum Sepulcra, præſertim Petri & Pauli, teſtantur hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Anno 229. Hyppolitus, quem Gelaſius Papa Metropolitanum Arabiæ vocat, illuſtris Doctrina, & clarior triumpho martyrii, Romam venit ſuaſu Clementis Alexandrini præceptoris, ut limina inviſeret Apoſtolorum, ac Sanctorum Martyrum cœmeteria. Beda lib. 5. Hiſt. cap. 7. narrat Regem Ceadullam ſuſcepiſſe peregrinationem ad limina Apoſtolorum, ac deſideràſſe ibi luſtrali baptiſmi aqua ablui; & baptiſmo ſuſcepto à Sergio Papa Sabbato Sancto levi morbo correptum evolâſſe in cœlum. Et cap. 20. refert Regem Cenredum relicto regno peregrinationem ſuſcepiſſe ad limina Apoſtolorum; & apud eadem limina perſeveràſſe in jejuniis, & precibus usque ad finem vitæ.

Nicolaus I. in Epiſtola ad Michaëlem Imperatorem refert, multa milla hominum ex omnibus terræ finibus confluere ad limina Apoſtolorum tantùm devotionis causâ, ac inviſendi Martyrum ſepulcra, D. Baſilius reprehendit nundinas, quæ inſtituebantur in locis Sanctis ad quæ devotionis cauſa à fidelibus fierent peregrinationes: ait ipſe Interrog. 44. *Peregrinandi quidem poteſtatem ei permittito, qui in peregrinatione ſine animæ ſuæ detrimento, & cum utilitate eorum, quibus congrediatur, poſſit verſari.* Et nonnullis interjectis ſubdit: *Illud enim hoc loco intelligendum eſt, nundinationes, quæſtus illos omnes, qui caupones attingunt, fratrum conventus longiſſimè fugere debere.* Peregrinationes fidelium ad Sancta Hieroſolymorum loca, ut & per tractum Palæſtinæ refert S. Hieronymus Epiſt. 13. ad Paulum, inquiens: *de toto hoc orbe concurritur, plena eſt civitas converſi generis hominum; & tanta utrinſque ſexus conſtipatio, ut quod alibi ex parte fugiebas, hic totum ſuſtinere cogaris*; & Epiſt. 17. ad Marcell. ait: *Longum eſt, nunc ab aſcenſu Domini uſque ad præſentem diem per ſingulas ætates currere, qui Epiſcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Eccleſiaſtica viro-*

*virorum venerunt Hierosolymam, putantes minus se Religionis, minus habere scientiæ, nec summam, ut dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, in quibus primum Evangelium de patibulo coruscaverat.* Socrates lib. 2. cap. 46. ait: *Theodosius Imperator Eudoxiam uxorem Hierosolymam misit, quique pollicitus erat illam hoc votum persoluturam, si filiam in matrimonium collocatam cerneret.* Anno Christi 398. S. Paulinus Nolanus Episcopus venit Romam ex solemni consuetudine ad Sanctorum Apostolorum Natalem, quem honorificè suscepit Anastasius Papa anno 398. ut ipse testatur Epist. 23. ad Severum. Rursus anno 449. Valentinianus Imperator unà cum uxore Eudoxia & Matre Placidia visitarunt Sacra limina Apostolorum. S. Nicolaus adhuc adolescens teste Metraphraste peregrinationem suscepit ad loca Sancta Hierosolymitana: Et Eusebius lib. 3. de vita Constantini, & Ambrosius orat. de obitu Theodosii commendant pluribus laudibus Helenam Imperatricem, eò quia Religionis causa fuerit Hierosolymam peregrinata.

Ratio itidem id suadet ob triplicem utilitatem, quæ ex peregrinatione derivatur in peregrinos. Primo peregrinatio ad loca Sancta nulli quit dubium esse, quin cedat in honorem DEI, ac Sanctorum; est enim manifestum signum, DEum, & Sanctos à nobis magni fieri, cum plurium itinerum labores exantlamus causa devotionis, & invisendi martyrum sepulcra: Secundò quia hujusmodi peregrinatio opus est pœnitentiæ, quia laboriosum, & pœnale. Tertiò quia adauget devotionem; siquidem vix explicari potest, quantum incutiant Sacri horroris Martyrum sepulcra, præsertim Romæ in catacumbis; quantam excitent devotionem, ac reverentiam, & licet ubique reperiantur loca Sacra, alia tamen sunt aliis sanctiora, alia aliis illustriora, ac miraculis clariora.

Neque obstat, quod objiciunt Sectarii, DEum esse ubique, & non magis in uno, quàm alio loco. Sed quamvis sit DEus ratione immensitatis ubique præsens, non tamen ubique sunt sepulchra martyrum; non ubique sacræ imagines miraculis claræ. DEus, quamvis sit ubique præsens, non tamen sunt reliquiæ Sanctorum, per quas DEus tot mirabilia specialiter solet ad eorum gloriam operari. Instant ex D. Hieronymo Epist. ad Paulinum Institut. Monachorum; ubi pluribus argumentis probat, non expedire peregrinationem ad loca Sacra suscipere, & adfert exemplum S. Antonii, ac aliorum, qui profitebantur Evangelicam professionem, qui tametsi in viciniis habitarent locorum Sanctorum, nunquam tamen ad illa peregrinantes venerunt. Sed respondetur, peregrinationes non esse necessarias ad salutem, & ad id evincendum scripsit D. Hieronymus ad Monachos, qui putabant, se non posse perfectos esse, nisi loca Sancta inviserent, ac peregrinationem susciperent; quia moniales perfectæ sunt in suis monasteriis, tametsi non suscipiant peregrinationes, ob pericula quæ fœminæ divagantes incurrunt amittendæ pudicitiæ: non enim omnia, quamvis bona, omnibus conveniunt.



LIBER

# LIBER QUINTUS.

## De Limbo parvulorum decedentium cum originali; Inferno, Purgatorio, Suffragiis, & Indulgentiis.

HActenus disseruimus de Sanctis, qui in cœlesti Patria æterna donantur beatitudine, quomodo ipsi cognoscantur, quæ à nobis geruntur in terris, & quomodo audiant preces, quas è terra ad ipsos dirigimus, ac eas DEO offerant, ac pro nobis intercedant. Superest agendum de parvulis, qui decedentes cum peccato originali destituti cœlesti beatitudine detinentur in Limbo, & an aliqua ibi torqueantur pœna; quæque sint tormenta damnatorum in inferno, qualis sit infernus locus. Ut etiam, an detur locus subterraneus, in quo Purgatorio igne expientur animæ, quæ demigrarunt sine lethali noxa, & quomodo suffragiis, ac indulgentiis juventur.

## CAPUT I.

### Quid, & quotuplex sit Limbus.

DUplex supponitur dari Limbus, unus Prophetarum ac Patriarcharum, ac Sanctorum Patrum veteris testamenti præstolantium Christi adventum. Alius parvulorum in peccato originali decedentium. Quod attinet ad limbum Sanctorum Patrum, fatentur omnes fuisse hunc limbum Sinum Abrahæ, in quo Lazarus quiescebat Luc. cap. 16. & quamvis à Sanctis Patribus communiter habeatur, ac sit vera historia; adhuc tamen, licèt esset parabola, Christus tunc fuit loquutus, ut se accommodaret communi omnium sensui, & communiter tunc temporis censuerunt homines dari hunc locum quietis, qui sinus diceretur Abrahæ, ubi Sancti Patres veteris testamenti expectabant adventum Christi, Matth. 8. *Multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cœlorum* in, futuro recumbent, quia tunc, cum adhuc viveret Christus, nondum erant beati in cœlis, quamvis pluribus præcib; sæculis, antequam Christus nasceretur, demortui fuerint: unde cum Christus viveret, detinebantur in Sinu Abrahæ, seu limbo Sanctorum Patrum; non enim expectarunt in Paradiso terrestri, ut nonnulli fuerunt opinati, quia Paradisus terrestris à lappu primi parentis clausus semper fuit, & cuilibet prohibitus ingressus; unde fuerunt præstolati Christi adventum in ipso Abrahæ Sinu, donec Christus in cœlum ascendens eos liberaverit, ut ait Apostolus ad Ephes. 4. v. 8. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? qui descendit ipse est, quia & ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Hunc Sanctorum Patrum Limbum fuisse sub terram nos, docet Symbolum Apostolorum, ubi de Christo post mortem dicitur, quòd *descendit ad inferos*; unde D. Petrus in act. cap. 2. ait: *Viri Israelitæ, audite verba hæc: JEsum Nazarenum, quem DEus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quòd impossibile erat teneri illum ab eo; David enim dicit in eum: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*; & infra cap. 2. verf. 31. *Providens loquutus est de resurrectione Christi; quia neque derelictus est in inferno; nec caro ejus vidit corruptionem*, & 1. Petri cap. 3. v. 19. *In quo & his qui in carcere erant, spiritu veniens prædicavit*: Hoc est, Christus veniens spiritu, scilicet quoad animam, prædicavit spiritibus, quia in triduo necis fuit Christi anima separata à corpore, & descendit ad inferos seu Limbum, ac Sinum Abrahæ, non vero intelligitur, quod descendit ad damnatos in gehenna, quia eorum salus erat desperata; maximè cum loquatur D. Petrus de his, qui in carcere erant; & consequenter de iis qui hodie non reperiuntur amplius in carcere; & tales fuerunt Sancti Patres in Limbo, ubi fuerunt præstolati adventum Christi, à quo fuerunt de carcere liberati, & ad æternæ felicitatis perducti libertatem. Hinc Origenes homil. 15. in Genef. *Quod dixit* ad Latronem: *Hodie mecum eris in Paradiso, hoc non illi soli dictum est, sed & omnibus Sanctis dictum intelligitur, pro quibus in inferna descenderat.* Et S. Augustinus declarans Christi promissionem ad Latronem, *Hodie mecum eris in Paradiso*, asserit non esse id intelligendum de cœlo Empyreo Epist. 17. ad Dardanum inquiens: Neque enim ipso die in cœlo futurus erat homo Christus JEsus, sed & in inferno secundum animam, in sepulcro autem secundum carnem;

carnem; & de carne quidem quod eo die in sepulchro sit porsita, manifestissimum est Evangelium. Quod vero illa anima in infernum descenderit Apostolica, Doctrina prædicat: quamobrem S. Petrus ad hanc rem testimonium de Psal. adhibet, ubi de ipso prædictum esse præmonstrat; *Quoniam non derelinquet animam meam in inferno.* D. Athanasius homil. de Semente ait: *JEsus Redemptor propter nos mortuus est, descendit ad inferna in medium mortuorum, & inter mortuos incedens, non solùm liber, sed & Liberator mortuorum erat.*

Alius Limbus est, in quo detinentur parvuli hinc decedentes sine baptismo, cum peccato originali, & parvuli, qui mortui nascuntur, seu extrahuntur ab utero matris, qui omnes à visione beatifica, & cœlesti Paria excluduntur, Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum cœlorum*, & Genes. 17. v. 14. *Masculos, cujus preputii Caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo.* In veteri lege figura baptismi fuit arca Noetica, de qua loquens S. Petrus Epist. 1. cap. 3. v. 20. & 21. *Quando in diebus Noe, cum fabricaretur Arca, in qua pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, quod & vos nunc similis forma salvos fecit baptisma.* Figura circumcisionis fuit culter lapideus, de quo dicitur Josue cap. 5. vers. 2. *fac tibi cultros lapideos, & circumcide secundo Filios Israel*, hæc enim circumcisio ex cultro lapideo denotabat, neminem esse ingressurum terram promissam, nisi petra angularis quæ Christus est, applicuisset virtutem ex Sacramentis. Idque provenit ex eo, quia omnes in peccato concepti simus, & nascimur filii iræ, quamvis ex laudabilibus parentibus ortum trahamus, ait enim Rursus in Psal. 50. *David natus erat de Jesse Viro justo, & conjuge ejus, quid est ergo, quòd de se dicit: In iniquitatibus conceptus sum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam, nemo nascitur nisi trahens culpam, & culpa pœnam.* Apostolus etiam & ipse natus fuit ex commendabili Tribu Beniamin, ut ipse fatetur, & tamen asserit, se filium iræ natum fuisse, ob peccatum scilicet, quod in matris utero originale contraxerat, scribit ipse de se ad Philippens. cap. 3. v. 5. Ex genere Israel de Tribu Beniamin, *Hebreus ex Hebrais, secundum legem Pharisæus, secundum æmulationem persequens Ecclesiam DEI, secundum Justitiam, quæ in lege est, conversatus sine querela.* Et tamen fatetur se in peccato natum, ad Ephes. cap. 2. v. 3. *Eramus natura filii iræ sicut cæteri.* Quòd etiam asserit D. Ambrosius in Apolog. David cap. 11. inquiens: *Antequam nascamur, maculamur contagio*, & S. Hieronymus in Epist. ad Letam, ait: *Christiani non nascuntur, sed fiunt.* Et causa, cur non nascamur Christiani, sed filii iræ, alia non est quàm traductio Adæ peccati in posteros, ut refert D. Augustinus lib. 3. contra Pelagium cap. 6. & 7. hanc tamen traductionem præter Judæos negavit Pelagius, cujus, ut loquitur D. Augustinus lib. de Hæres. Hæresi 88. *proprius fuit error negare peccatum originis, ut sic contra gratiam Christi pro natura integritate pugnaret*; censuit enim Pelagius, parvulos ex peccato primi parentis nullam contrahere maculam, nullamque peccati pœnam, & asseruit, mortem, morbos, concupiscentias, & reliquas ærumnas, quibus sumus obnoxii, esse nobis naturales, & docuit, quòd tametsi Adam non peccâsset adhuc eosdem fuissemus experti, hinc asseruit Adamum per proprium peccatum sibi tantùm dammum intulisse, non verò humano generi, & omnes parvulos, quotquot nascuntur, in eodem esse statu, in quo fuit Adam ante prævaricationem, quinimò asserebat eos insanire, qui de Adamo per traducem asserunt ad nos venire peccatum, ex quibus inferebat, neutiquam nos indigere interna gratia ad reparandos hujus peccati ruinas, & parvulos recens natos indigere quidem baptismo, non tamen ut mundentur à peccato, sed ut assequantur DEI Regnum. Quinque præsertim fuerunt Pelagii propositiones damnatæ, quarum prima erat, Adamum per peccatum proprium sibi soli nocuisse, non posteris. Secunda, parvulos nullam contrahere culpam, nec pœnam, ex eo, quia originem trahant ab Adamo. Tertia baptismum non esse necessarium hominibus ad remissionem peccatorum, sed tantùm, ut fiant filii adoptionis, & jus acquirant ad hæreditatem DEI. Quarta morbos, mortem, & alia, quæ humano corpori contingunt miseriæ, & dolores quibus dietim torquemur, non esse effectus peccati originalis, sed tantùm necessitatis humanæ naturæ, cujus prærecensitas miserias ajebat esse defectus. Quinta concupiscentiam, seu carnis rebellionem adversus Spiritum non esse malum pœnæ, nec malum culpæ, sed bonum naturæ, quod in ipso Adamo, etiam in statu innocentiæ ante peccatum fuit. Hos Pelagii errores secuti postea fuerunt Armeni apud Castrum lib. 12. hæres. 1. Albigenses citati à D. Antonino 4. part. tit. 7. cap. 11. Petrus Abaglardus Epist. 188. & postea alii recentiores Sectarii, ut Anabaptistæ, Zvvinglius, Erasmus & alii, tametsi in uno, vel altero dissideant, omnes tamen in eodem conveniant, ut ex peccato Adami nihil culpæ traducatur ad posteros. Contra quos

Dicendum est, parvulos descendentes ex Adamo non solùm pœnam peccati, verùm etiam culpam ex unico illo primi parentis peccato contrahere, ac nasci peccatores, & inimicos DEI, ac justè ab eo exosos, estque assertum de fide, cui assentiuntur omnes Catholici, quos refert Albertus Bichius *controversia* 1. & Vega *lib. 2. in Concil. Trident cap.* 11. & 12. Lindanus in panoplia *lib.* 4. *cap.* 10. & 11. idque de sumitur ex scripturis in quibus Rex David hanc fatetur veritatem inquiens Psal. 50. *Ecce enim, in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, ubi D. Thomas, & D. Augustinus asserunt, non posse Davidem intelligi fuisse locutum de peccato actuali parentum, ut perperam interpretantur Hæretici hunc Scripturæ textum, adeo ut sensus sit, quod parentes David peccaverint, tunc quando ipsum generarunt, perinde ac noti, ac illegitimi dicuntur ex peccato generari, quatenus generando filium illigitimum peccant: Siquidem David conceptus fuit, & natus ex legitimo matrimonio, quapropter non possunt verba Dàvidis retorqueri in perversum sensum, sed debent intelligi de peccato originali, ut communiter docent Sancti Patres. Neque obstat, quod objiciunt Hæretici, Davidem fuisse. Locutum de iniquitatibus, & peccatis in plurali, non verò de peccato, & iniquitate in singulari etenim cum peccatum originale sit putidus ille fons ex quo corrupti rivuli scaturiunt omnium peccatorum ideo in radice, & virtualiter est multiplex; proinde scitè dixit Davi, dse conceptum fuisse in iniquitatibus, & peccatis, præterea in scripturis moris est, ut pluralis numerus usurpetur pro singulari, ut liquet Matth. 2. ubi de obitu Herodis Regi dicitur *Defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.* Rursus peccatum originale à protoparente traduci in posteros, liquet ex Job. 14.

Qui

*Qui potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es*, seu ut vertunt septuaginta Interpretes: *Nemo est mundus à sorde, nec infans unius diei super terram.* Unde parvuli omnes descendentes ab Adamo nascuntur sorte spirituali peccati originalis infecti, ut communiter cum D. Augustino in Psal. 50. asserunt Sancti Patres.

Neque Job fuit locutus de immunditia corporea, & putarunt Hæretici, sed de macula spirituali, ut inferri facilè potest ex verbis præcedentibus, *& dignum ducis super hujusmodi aperire oculos tuos, & abducere eum tecum in judicium*; loquitur Job de sorde, ratione cujus homo ducitur in judicium, in quod nemo trahitur nisi propter culpam, & flagitium aliquod patratum: quis enim dicat ob immunditiam corporis, & præsertim naturalem, quam avertere, & declinare non fuit in potestate immundi, eum esse ad judicium trahendum ac puniendum? unde Job fuit locutus de immunditia spirituali, quam per culpam contrahimus, hinc ad Ephes. 2. ait: *Eramus natura filii iræ*, scilicet originaliter, ut interpretatur D. Augustinus. Rursus ut plures alias missas faciamus scripturas satis clarè, & expressè hanc veritatem explicat Apostolus ad Roman. 5. *Sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors; ita in omnes homines mors intravit, in quo omnes peccaverunt*, hunc textum Paulinum non posse retorquere in alium sensum, quam de peccato originali per quod obnoxii sumus morti, & in quo omnes peccaverunt scilicet peccato protoparentis fuit definitum in Conciliis Milevitano, Arausicano, & Tridentino *sess.* 5. *can.* 2. *&* 4. idque evincit D. Augustinus *lib. de natura, & gratia cap.* 39. *& lib.* 1. *de peccatorum meritis cap.* 9. *&* 12. ubi nitebatur Pelagius infringere clarissimum hoc Apostoli testimonium illud explicando de transitu peccati in posteros, non per originem, sed per imitationem, quatenus primus parens viam nobis aperuit, & suo exemplo ad peccatum nos invitavit: Quæ interpretatio est directè contra Concilium Tridentinum sess. 5. decreto de peccato originali can. 4. ubi statuit, præfatum Apostoli testimonium esse intelligendum de peccato originali, quod per baptismum deletur. Hinc rejicitur etiam Zvinglii interpretatio asserentis nomine peccati Apostolum non intellexisse ipsum reatum culpæ sed pœnæ, quia cum ex Tridentino, & pluribus aliis Conciliis definitum fuerit peccatum originale per baptismum deleri, & reatus pœnæ, seu pœna peccati per baptismum non tollatur, ut nec etiam ipsa potentia ad peccatum, sequitur evidenter Apostolum fuisse locutum de peccato originali quoad reatum culpæ: siquidem tametsi per baptismum fuerit in nobis deletum peccatum originale, adhuc tamen experimur concupiscentiam carnis rebellem legi mentis & nos esse obnoxios pluribus miseriis, morbis, doloribus, & morti, quæ omnia dicuntur esse pœnæ peccati originalis. Rursus D. Paulus non solum adultos, verum etiam parvulos comprehendit, cum & ipsi plerumque decedant ante usum rationis, mors illa præmatura, est effectus peccati originalis, quod parvuli contraxerunt: atqui in parvulis decedentibus ante usum rationis non transit peccatum Adæ per imitationem: siquidem parvuli ante usum rationis non possunt peccando imitari Adamum: siquidem sine usu rationis nemo dicitur peccare, nec esse capax peccati. Rursus hæc eadem veritas definita fuit in pluribus Conciliis, præsertim Milevitano, Arausicano, Toletano, & Tridentino sess. 5. ubi definitur, quod peccatum originale sit unum origine, & multiplex propagatione transfusum omnibus, & proprium singulis.

Sancti Patres unanimi consensu hanc eandem semper docuerunt veritatem, quæ tametsi ratione purè naturali non demonstretur evidenter; rationibus tamen deductis ex principiis fidei, satis manifestè ostenditur, etenim D. Augustinus lib. 6. contra Julianum cap. 4. & Generali redemptione per Christum eam clare infert: quia si Christus est Salvator, ac Redemptor omnium parvulorum decedentium post baptismum & ante usum rationis, sequitur parvulos omnes contrahere peccatum originale: sed Christus est Salvator, ac omnium Redemptor, ergo parvuli nascendo contrahunt culpam originalem. Major liquet, quia Redemptio supponit essentialiter servitutem & liberationem ab ipsa: est enim propriè redimere, pretium solvere pro homine detento in servitute, ut liber dimittatur, & Christus pretium sui sanguinis solvit pro omnibus hominibus, quia ut ait Apostolus ad Roman. 3. *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei.* Minor itidem est clara, & definita ab Innocentio X. contra Jansenium, quia Christus mortuus fuit pro omnibus, ut scripsit Apostolus 2. ad Corinth. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Aliud Augustini argumentum habetur *lib.* 4. *de peccatorum meritis cap.* 24. ubi ait: Baptismum esse necessarium omnibus, & singulis ad eum finem, ut abluatur peccatum in origine contractum. *Quid nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum cœlorum*, ut dixit Christus Joan. 3. v. 5. Ergo cum detur baptismus in remissionem peccatorem, ut constat ex scripturis: sequitur omnes, quotquot ex Adamo nascuntur contrahere peccatum originale, & omnes indigere baptismo, eò quia institutus sit à Christo in remedium peccati originalis, & exhibeatur pueris juxta communem Ecclesiæ consuetudinem, & cum in parvulis ante usum rationis non detur peccatum actuale, cujus nondum sunt capaces, sequitur dari peccatum originale, juxta illud Joan. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Sin autem immunes nascerentur à peccato non verificaretur.

Objiciunt tamen Sectarii asserentes, plures Ecclesiæ Patres inficias ivisse peccatum hoc per originem ab Adamo traductum in posteros, consequenter omnes parvulos non contrahere ex vi generationis peccatum originale; antecedens probant, quia D. Hieronymus expendens verba illa Ezechielis 19. *Transibit per se*, ait; animam infantis esse sine peccato, D. Joannes Chrysostomus Tom. 5. Epist. ad Neophytos asserit parvulos baptizari, non quia sint coinquinati peccato sed ut recipiant Sanctitatem, ait ipse hac de causa: Infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, ut ei detur Sanctitas, & adoptio. Et D. Ambrosius in Psal. 48. expendens illud Davidis, *iniquitas calcanei mei*, asserit nos ex Adamo non contraxisse peccatum, sed tantum lubricum delinquendi, unde ex Sanctis Patribus videtur concludendum parvulos minime nasci culpa infectos. Sed contra, quia Sancti Patres unanimi consensu fatentur parvulos omnes, quotquot ex vi generationis humanæ nascuntur, & originem trahunt ex Adamo ex vi generationis contrahere culpam Adæ ad ipsos traductam, ut fusè ostendit D. Augustinus lib. 1. contra Julianum cap. 2. & sequent. ubi etiam ostendit, D. Hieronymum in illud Jonæ cap. 3. *Vestiti sunt*

*sunt saccis*, D. Ambrosium in illud Lucæ 1. *In Spiritu, & virtute Eliæ*, & demum D. Joannem Chrysostomum homil. de Lazaro resuscitato expressè asserere, hos tres Sanctos Patres peccatum per originem traductum ab Adamo in omnes posteros, quorum verba per extensum refert D. Augustinus loc. cit. ubi etiam ait: Citata verba D. Chrysostomi fuisse dolose ab Hæreticis super addita scriptis Chrysostomi, ut authoritate tanti Præsulis viderentur inniti, verba enim D. Chrysostomi ex græco Codice sincere interpretatur D. Augustinus latine, & sunt hæc: *Ideo & infantes baptizamus, & quamvis peccata non habentes scilicet quamvis non habentes peccata propria actualia, & personalia.* Quamobrem cum Sancti Patres subinde asserunt parvulos recens natos nulla esse infectas culpa, loquuntur de culpa propria, actuali, & personal, non vero culpa per originem ab Adamo traducta, in posteros. Patres igitur in locis supra citatis tantum negarunt in parvulis nondum utentes ratione peccatum actuale personale, quod non committitur, nisi ab ipsa persona utente ratione, non vero de culpa per originem ab Adamo in posteros traducta. Instant tamen Hæretici, eò quia D. Ambrosius docuerit parvulos ex Adamo non contrahere peccatum, sed tantùm lubricum delinquendi: siquidem D. Ambrosius non potest aliter intelligi, quam de peccato personali, & actuali, alioquin sibi contradixisset. Ideo enim negans in parvulis peccatum actuale affirmat in iisdem actuale lubricum delinquendi, eò quia sit pœna peccati Originalis, & sumit Ambrosius lubricum delinquendi quoad principium, non verò quoad actum, quia non omnes parvuli, licet habeant principium lubrici delinquendi, non tamen experiuntur tale lubricum ob ætatis teneritudinem, & corpus nimis infirmum, imò ex eo, quod D. Ambrosius asserat parvulos contrahere lubricum delinquendi, sequitur eos contrahere peccatum originale, cujus hoc lubricum sequitur essentialiter, & posito uno essentialiter alteri connexo, sequi, etiam poni & alterum.

Objicit Julianus, quia si omnes parvuli ex vi generationis contraherent culpam in ipsos ab Adamo traductam sequeretur matrimonium forè illicitum, quod adversatur scripturis, in quibus habetur, non debere hominem separare, quos Deus conjunxit, ergo si matrimonium est licitum, sequitur parvulos ex vi generationis non contrahere culpam originalem. Ostenditur sequela antecedentis: siquidem conjuges in actu gignendi filios, ad quos ordinatur conjugium peccarent, quia per actum illum gignendi filios, traducerent in prolem originale peccatum, quia qui est causa peccati, non excusatur à peccato, & conjuges per actum gignendi filios essent causa peccati in prole genita: siquidem essent causa, cur proles peccato infecta generaretur. Respondetur hoc argumentum fuisse potissimum, cui innitebatur Julianus, ut negaret peccatum originale: ex suppositio enim, quod nuptiæ sint licitæ, inferebat esse itidem licitum actum gignendi filios, eò quia nuptiæ sint propter talem actum, ex eo autem, quod actus gignendi filios sit licitus inferebat, non posse parvulos ex vi generationis culpam ullam contrahere, nec originalem, nec actualem, imò & ulterius progrediebatur, inferens, asserentes peccatum originale propagatione traduci ad posteros Adæ, convinci de hæresi Manichæorum, quia tenentur cum Manichæis asserere Deum non esse Authorem prolis, seu Diabolum, igitur respondent plures ad argumentum negando sequelam antecedentis, ad cujus probationem respondent conjuges per actum generationis, quo prolem generant peccato originali infectam non peccare, quia generando filios utantur jure suo, à quo non tenentur abstinere ob damnum prolis: secus qui cum alio concurrunt ad peccatum, non utuntur jure suo consequantur, eò quia sint causa vel occasio peccati. Hæc tamen solutio videtur pati difficultatem, quia inde sequitur solutos, qui simul conveniunt propter luxuriam; & filios generant illegitimos præter malitiam luxuriæ contrahere etiam malitiam scandali, seu odii, ratione damni illati proli ex peccato originali: siquidem in tali actu gignendi prolem soluti non utuntur jure suo: & quia ex alio capite damnum prolis sequitur ex tali actu, ideo soluti præter malitiam luxuriæ contrahunt etiam malitiam scandali, quod Theologi non concedunt. Accurratius igitur respondetur cum D. Augustino *lib. 1. de nuptiis cap. 1. & lib. 2. cap. 4.* in prole genita duo esse consideranda: Primum quod simpliciter, & præcisè sit homo, scilicet aliquod bonum, imò & opus divinum. Secundùm quod sit peccator, & est malum quoddam ac opus diabolicum: & quia actus generationis terminatur ad prolem, ut præcisè & simpliciter est homo, non verò ut est homo peccator, rectè stat nuptias licitas esse, quamvis ex actu generationis proles gigneretur infecta peccato originali, ait D. Augustinus: *Nuptiarum fructus sunt, qui ordinariè inde generantur non peccatum, quo nascuntur, neque ideo sunt homines sub diabolo, quia homines sunt, sed ut sunt fructus nuptiarum.*

Firmari ex eo potest, quia sicut Deus, ut communiter docent Theologi, licet concurrat ad materiale peccati, non tamen peccat, eo quia suo concursu attingat tantùm entitatem actus, quæ est bona, non verò malitiam moralem: ita conjuges, quia per actum gignendi prolem, attingunt tantùm hominem, ut hominem, non verò ut peccatorem, nec influant in ipsam malitiam peccati, quæ tantum derivatur in prolem ex alio principio, seu protoparente Adamo, sequitur conjuges in actu generationis non peccare, nec esse causam peccati, nec ipsis posse attribui peccatum prolis, etenim peccatum originale contrahitur tantùm ex malitia primi parentis, non vero per se ex ipsa generatione. Neque obstat, quod hac posita ponatur etiam peccatum originale in prole genita, quia peccatum non sequitur in prole genita, prout hæc est ab utroque conjuge, sed prout trahit suam originem à radice infecta, seu ab Adamo: quamobrem ex eo, quòd ad prolem genitam sequatur peccatum originale, inde non potest rectè inferri conjuges esse causam peccati in prole: sicut non valet hæc illatio posito materiali culpæ, sequitur ad illud ipsa culpa: sed materiale culpæ ponitur ex vi divini concursus: ergo etiam culpa formalis non sequitur ad divinum concursum, quia, ut docent Theologi formalis culpa sequitur ad materiale, non prout est à Deo, sed quatenus procedit à vitiata hominis voluntate, ita à pari tametsi ad prolem genitam sequatur culpa originalis, quia tamen hæc non sequitur, prout hæc est ab utroque conjuge, sed quatenus descendit, & suam trahit originem à prima radice infecta, seu ab Adamo, bene stat conjuges non esse causam culpæ originalis in prole

prole, ac consequenter nuptias licitas esse ad conservationem humani generis. Quòd si dicas, Ezechiel. 12. haberi, quod filius non portabit iniquitatem Patris: consequenter, neque prolem posterorum iniquitatem Adæ, qui magis distat à Filio, quam Pater: Secundò quia est contra Dei bonitatem, & clementiam velle omnes homines sibi inimicos ob peccatum unius tantum. Tertio quia probabile est Adamum fuisse liberatum à peccato, priusquam generaret, consequenter non potuit transfundere in prolem peccatum, quod amplius non erat, unde parvuli qui recens nascuntur, non contrahunt culpam originalem.

Contra est, quia illud Ezechielis intelligitur de patre proprio particulari, & qui non est caput humani generis, secus quia Adam fuit caput humani generis, ut statim dicemus, ideo non ut Pater, sed ut caput transfudit in posteros veluti in membra influxum peccati originalis. Ad secundum distinguitur antecedens, si peccatum sit unius tantùm particularis personæ, omittitur antecedens; si sit capitis universalis, negatur antecedens, & consequentiam, non enim est contra clementiam Principis, quod offensus ab alio Principe offensione publica habeat pro suis inimicis subditos omnes Principis offendentis. Ad tertium omisso antecedente, negatur consequentia, quia Adam priusquam generaret non fuit à culpa liberatus, ut erat caput totius humani generis, sed tantùm ut erat persona particularis, proinde beneficium liberationis non communicatur posteris, bene tamen peccatum originale, quia beneficium liberationis tantùm respexit Adamum ut personam privatam, & particularem, & transfusio culpæ in posteros oritur ab Adamo, ut est persona publica, & caput omnium posterorum.

Sed dices, ad peccatum requiri voluntarium, adeout quomodocunque explicetur naturæ essentia, & quidditas originalis peccati, quod contrahitur à parvulis debet necessario semper salvari ratio voluntarii, atqui pueri nondum septennes, & parvuli ante usum rationis cum primum nascuntur, non sunt capaces voluntarii physici cum actu exercito ergo non videtur quomodo potuerint peccasse in voluntate Adæ. Sed contra quia sicut rectum ordinatæ Reipublicæ Regimen exigit superiorem aliquem Sapientem, qui omnibus præsit, subditos dirigat, ac ptomoveat piis legibus bonum totius communitatis, cujus est caput morale, ita Sapientissimus mundi conditor Deus providè constituit Adamum caput morale totius Reipublicæ humani generis, in cujus voluntate etiam alligavit posterorum voluntates, adeo ut per hanc alligationem voluntas Adæ fuerit virtualiter, & interpretativè voluntas omnium posterorum: cum enim Deus habeat longissimum dominium in omnes creaturas, quæ suæ sunt totaliter, quatenus iisdem fuit impertitum totum esse, quod possident, nihil sit in creatura, quod non sit sub pleno ac despotico jure, ac dominio Dei, ideo Deus ratione hujus dominii in omnes hominum voluntates potuit constituere Adamum personam publicam, & in ejus voluntate includere moraliter voluntates omnium hominum, quotquot erant post ipsum nascturi per successivas descendentias, alioquin non habuisset plenissimum dominium in creaturas à se conditas, & quia regimen humanæ Reipublicæ exigebat caput aliquod, ac Principem qui præesset, & in cujus voluntate includeretur moraliter omnium hominum voluntates, ideo Deus de facto constituit Adamum caput totius humanæ Reipublicæ in cujus voluntate inclusit voluntates omnium posterorum, adeo ut voluntas Adæ fuerit virtualiter, & interpretativè voluntas cæterorum omnium hominum.

Hinc voluntas Adæ fuit etiam voluntas omnium posterorum: etenim voluntatem unius posse censeri ac esse moraliter vel virtualiter ac interpretativè voluntatem alterius, ex eo liquet, quia Magistratus humanus constituit voluntatem pupilli in voluntate Tutorum, adeo ut teneatur ratum habere quidquid Tutores disponunt, ut constat ex *l. cum plures. ff. de Administr. Tut.* rursus constituit voluntatem Minorennis in voluntate Curatoris & Filii familias in voluntate Patrisfamilias, imò & voluntatem adoptati in voluntate adoptantis, & voluntatem impuberis in voluntate Testatoris quoad substitutionem pupillarem, adeo ut in quibusdam actionibus obligetur prior per voluntatem posterioris: ergo etiam Deus potuit constituere voluntatem posterorum in voluntate Adæ, ut capitis totius Reipublicæ humanæ, in ordine ad derivationem gratiæ, vel privationem ejusdem, adeo ut in æstimatione morali perinde sit, ac posteros ipsos exercuisse in Adamo actionem illam propter alligationem voluntatum omnium posterorum in voluntate Adæ, ut capitis, id exigente rectum regimen humani generis. Quòd si dicas, Magistratum humanum non posse ita constituere voluntatem unius in voluntate alterius, ut per peccatum unius etiam alter censeatur peccare, consequenter exemplum de Magistratu non esse ad rem. Contra est, negatur consequentia ob disparitatem: quia eatenus Magistratus humanus non potest constituere voluntatem unius in voluntate alterius, adeo ut per peccatum unius non censeatur peccare alter, quia Magistratus humanus non habet in potestate, & dominio actiones liberas, & internas Subditorum, sed tantùm externas; secus Deus cum habeat plenissimum dominium supra omnes nostras actiones, adeo ut possit bonas præde-finere, & malas permittere; ita etiam in ordine ad actiones tum bonas, tum malas potuit alligare voluntates posterorum in voluntate Adæ ut capitis. Et id congruum fuit ac consentaneum divinæ providentiæ, ut voluntates omnium posterorum transfunderentur in voluntatem Adæ in ordine ad propagandam, vel interrumpendam justitiam originalis.

Ratio à priori ex eo desumitur, quia gratia Sanctificans utpote involvens permanentem amicitiam, ac desponsationem spiritualem animæ cum Deo juxta illud Oseæ. 2. *Sponsabo te mihi*, exigit connaturaliter infundi in animam mediante propria dispositione libera & consensu voluntatis, exigunt enim sponsalia celebrari mutuo consensu libero atqui gratia sanctificans animam, & promissio perpetuæ unionis animæ cum Deo, & quoddam sponsalium inter animam, & Deum, sitque propterea commune assertum Theologorum asserentium etiam Adamo fuisse infusam gratiam Sanctificantem dependenter à propria dispositione: ergo justitia posteris Adæ elevatis intrinsecè, ad ordinem supernaturalem debuit connaturaliter infundi, vel dependenter à propria dispo-

dispositione physicè voluntaria, vel saltem voluntaria moraliter, & interpretativè in voluntate Adæ, qui est caput morale totius humanæ Reipublicæ: sed longè nobis utilius fuit ac divinæ congruum providentiæ, ut directio, & bonum totius communitatis,qualis fuit justitia in posteros propaganda committeretur arbitrio Sapientioris nobilioris, ac prudentioris hominis,qualis fuit præ cæteris aliis Adam factus à Deo rectus, Genes. 1. & à quo immediatè accepit optimam animæ & corporis dispositionem, fuitque etiam enim iis donis cumulatus: cum igitur Deus perfectus fuit in suis operibus, eo ipso, quod voluit constituere universam hominum Rempublicam congruum erat, ut eligeret in caput ejus morale hominem nobiliorem, & sapientiorem,cujus arbitrio alligarentur voluntates omnium posterorum;juxta enim Philosophum in Politicis, & juxta Jus Gentium expetit ut leges obligantes posteros committantur arbitrio Præsidis prudentissimi, ac amantissimi posterorum.

Quòd si dicas peccatum originale propriè non esse peccatum posterorum, eò quia ab ipsis commissum non fuerit. Contra est, non est propriè peccatum personale, & actuale ab ipsis positum quoad actum conceditur, non est propriè peccatum originale, & voluntarium non physicè sed interpretativè negatur. propriè enim peccatum originale, quamvis non sit physicè voluntarium, sed tantùm interpretativè est peccatum, ut constat ex Concilio Tridentino *sess. 5. in decret. de peccat. origin.* ubi habetur: *Si quis per JEsu Christi Domini Nostri gratiam quæ in baptismate confertur,reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non totum tolli id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, anathema sit.* Cum igitur Concilium expresè asserat per baptismum tolli veram ac propriam rationem peccati,sequitur peccatum originale veram & propriam includere rationem peccati, quia per baptismum tollitur, & quia de ratione peccati est, ut verè, ac propriè sit voluntarium, sequitur: quod sicut omnes parvuli contrahant peccatum originale, quod verè & propriè est peccatum, sequitur itidem esse voluntarium verè, & propriè, sed non voluntariè physicè: sed tantùm interpretativè,quatenus voluntas Adæ in transgressione præcepti divini interpretatur fuisse voluntas posterorum: siquidem illud est alteri voluntarium voluntate capitis, quamvis respectu capitis sit physicè voluntarium, eo quia dicat in capite actum positivum physicum productum per verum influxum physicu,madhuc respectu alterius est etiam voluntarium, si non physicè,saltem moraliter virtualiter, ac interpretativè, quatenus voluntas subditi alligatur voluntati Principis: quod autem est voluntarium moraliter, & interpretativè ac virtualiter est verè, ac propriè voluntarium,consequenter, quod est voluntarium voluntate capitis est etiam voluntarium illi, qui tali capiti subditur, unde peccatum quod Adæ fuit physicè voluntarium illud idem fuit moraliter, interpretativè, & virtualiter etiam voluntarium omnibus posteris. Hinc D. Basilius homil. 7. de laudib. jejunii: *Quia non jejunavimus in primo parente, ideo exulamus à paradiso.* Et D. Ambrosius de fide resurrectionis ait: *Lapsus sum in Adam, ejectus de Paradiso, mortuus in Adamo,* ergo illud idem peccatum, quo Adam fuit prævaricatus,fuit etiam nobis voluntarium propter alligationem nostrarum voluntatem in voluntate Adæ: alioquin perperam dixisset D. Basilius: Quia non jejunavimus in primo parente,ideo exulamus à Paradiso, si injunctum præceptum Adæ non obligâsset etiam posteros, quatenus voluntates posterorum continebantur in voluntate Adæ ut capitis, ex quibus constat voluntates omnium posterorum: cum voluntate Adæ esse unam voluntatem physicè respectu Adæ, & moraliter,ac interpretativè respectu posterum: siquidem ut quis obligetur ad aliquid præstandum ex voto,requiritur, ut votum illud sit illi verè & propriè voluntarium, ut docent omnes atqui obligatio voti potest oriri ex voluntario non voluntate propria, sed voluntate capitis: siquidem votum emissum ab iis, qui præsunt Reipublicæ,in honorem alicujus peculiaris Sancti vacandi ab operibus die festo illius obligat omnes cives ejusdem Reipublicæ, tametsi unus vel alter etiam recusaverit talem emissionem voti: sed hujusmodi votum physicè non est voluntarium omnibus civibus, sed tantùm illi, qui vicem gessit capitis, & qui nomine omnium tale votum emisit, interpretativè tamen est voluntarium omnibus voluntate capitis: unde constat, posse oriri obligationem ad aliquid præstandum ex voluntario voluntate capitis, unde eo ipso, quod peccatum fuit physicè voluntarium Adæ ut capiti totius humanæ Reipublicæ fuit etiam voluntarium omnibus hominibus in capite.

An verò ut peccatum Adæ esset posteris voluntarium necesse fuerit, ut peccatum aliquod intercesserit, respondetur,necessarium fuisse pactum aliquod, ut Adam constitueretur caput morale omnium posterorum,quorum voluntates transfunderentur in voluntatem Adæ;hoc enim pactum DEI cum Adamo initum fundatur expresè in sacris scripturis Genes. 2. *In quacunque die comederis, morte morieris*; esse enim hæc verba intelligenda de pacto à Deo inito cum Adamo, docent Theologi, & Sancti Patres, præsertim Rubertus *lib. 5. in Genes. cap. 33.* Theophylactus *in cap. 2. Epist. ad Coloss.* quia Deus non solùm præfatis verbis cominatus fuit Adamo mortem corporalem, sed etiam mortem animæ, seu carentiam gratiæ Sanctificantis quæ est vita spiritualis; atqui mortem corporalem fuit cominatus Adamo,ut suorum posterorum capiti, & quidem ut transfundendum etiam ad ipsos posteros: consequenter comminatus fuit etiam mortem spiritualem transfundendam ad suos posteros, idque ex eo firmatur,quia Apostolus ad Roman. 5. ait: Per unum hominem mortem intrâsse in mundum; & per unum hominem omnes peccâsse, & posteaæquiparat Christum Adamo subdens: Quòd sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius scilicet Christi, obedientiam multi constituti sunt justi: sed sine decreto, & pacto Dei non potuit justitia Christi ad nos transire, ergo neque sine pacto potuit injustitia, & peccatum Adæ in posteros transfundi.

Rursus hoc pactum communiter adstruunt SS. Patres ex sacris scripturis: etenim D. Hieronymus illud evincit ex verbis Oseæ. 6. *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum meum, ipsi prævaricati sunt in me.* D. Joannes Chrysostomus ex verbis

D. Pauli

D. Pauli ad Colos. 2. *delens quod adversus nos erat chirographum decreti.* D. Augustinus lib. 16. de Civit. cap. 17. ex verbis Genes. 17. *Delebitur anima illa de populo meo, quia pactum meum irritum fecit:* hinc Augustinus plerisque in locis præsertim lib. 3. de peccatorum meritis ait: *Peccaverunt in illo omnes, quoniam in illa natura, in qua omnes generare poterat, adhuc omnes ille unus homo erant,* scilicet omnes posteri continebantur moraliter in Adamo, in quo propterea omnes peccaverunt, & serm. 47. de diversis ait: *quia secundum propaginem carnis omnes in illi eramus antequam in parente, tanquam in radice ibe tramus: sic venenata est arbor ista, ubi eramus:* Sed non eramus in illo nisi per pactum, quo Adam constitutus est omnium posterorum morale caput non enim potuit Adam ex natura sua esse caput; omnium posterorum, alioquin quilibet parens foret caput descendentium à se ipso: neque sufficiebat Adamo, si esset caput posterorum inesse naturæ seu caput naturale, alioquin peccatum transfunderentur in filios, qui ex iisdem maculas contraherent noxarum: siquidē quilibet parens dicitur esse caput suæ posteritatis in esse naturæ, quam in se virtualiter, & in radice continet: ergo cùm constet Adamum non habuisse ex se & ex sua natura, ut esset caput morale omnium posterorum evidens est fuisse constitutum caput morale omnium posterorum ex DEI ordinatione, & pacto inito cum Adamo. Ratio etiam suffragatur, quia cum certum sit de fide omnes homines peccasse in Adamo, & peccatum Adæ non nobis imputari, nisi sit nobis voluntarium: repugnat nos peccâsse in Adamo, & illud peccatum esse nobis voluntarium, nisi ponatur pactum, quo Adamus fuerit constitutus caput morale in ordine ad transfusionem justitiæ; vel peccati, secus posito hoc pacto inito cum Adamo, ut esset caput morale totius posteritatis adeo ut voluntates posterorum continerentur in voluntate Adami, ut capitis facilè, intelligitur, quomodo transfundatur in nos peccatum Adæ; & quomodo peccatum originale sit verè; & propriè nobis voluntarium, unde sine hoc pacto inito cum Adamo non fuisset Adam caput mortale omnium posterorum, nec nos contraxissemus peccatum originale. Hoc autem pactum in eo situm fuit, quod DEus vellet sicut Adæ, ita & Posteris ejus dare justitiam originalem, & statum innocentiæ cum omnibus donis supernaturalibus, & naturalibus Adæ, si Adam non fuisset transgressus præceptum sibi injunctum de non comendo de fructu scientiæ boni & mali: quòd si fuisset illud transgressum, deberet ipse, & tota ejus posteritas donis illis supernaturalibus spoliari, ac morti obnoxium esse ipsum Adamum cum suis posteris. Quòd si dicas, non intervenisse in hoc pacto consensum ex parte Posterorum Adæ, Respondetur, hunc consensum non fuisse necessarium, quia DEus jure supremi Dominii potest quemlibet, etiam non consentientem, imò & reluctantem obligare suis legibus, consequenter potuit DEus ratione supremi, plenissimi, ac dispotivi Dominii super Adamum, & omnes posteros constituere Adamum caput morale omnium posteriorum, & in voluntate Adami includere voluntates omnium posterorum, & posteros etiam reluctantes obligare in Adamo.

Dices, DEus non potest transferre meam voluntatem in voluntatem alterius magis quàm appetitum bruti in voluntatem meam: quamvis DEus habeat plenissimum, ac despoticum dominium supra creaturas omnes tum rationales, tum irrationales: atqui nemo dicet posse DEum transferre appetitum bruti in meam voluntatem, ergo nec potuit transferre meam voluntatem in illam Adæ, proinde ex supremo, ac despotico DEI Dominio non rectè probatur, DEum ex pacto inito cum Adamo eum constituisse caput morale omnium posterorum. Præterea quia si Adam ante peccatum procreasset liberos, non potuisset DEus efficere, ut peccante Adamo illi etiam peccarent, ergo nec potuit DEus efficere, ut illi peccarent peccante Adamo, antequam posteri nascerentur. Sed contra quia tametsi DEus ratione supremis Dominii potuerit transferre voluntatem meam in illam Adæ, eumque constituere caput meum morale; non tamen potuit ratione ejusdem supremi Dominii transferre appetitum bruti in voluntatem hominis; ratio discriminis est, quia brutum quando existit, non est capax liberæ operationis, secus voluntates posterorum, quia liberæ sunt, potuerunt transferri in voluntatem Adæ. Ad id quod addebatur de filiis genitis ab Adamo ante peccatum, respondetur in hac hypothesi, si Adam ante peccatum filios genuisset, potuisset etiam DEus in illa suppositione constituere Adamum caput morale respectu talium filiorum, perinde ac potuit constituere Christum caput eorum, qui jam existebant. Verum tamen est, quod ut Adæ peccatum in nos transfunderetur, necessarium fuit, ut pactum illud, seu prædicta ordinatio Adæ innotesceret, quia ut Adæ peccatum esset nobis voluntarium, necesse erat, ut Adam delinqueret non solum, ut persona particularis, verùm etiam, ut caput morale omnium posterorum, & nisi pactum illud, seu ordinatio innotuisset Adamo, non peccasset ut caput morale totius humani generis, sed tantùm ut persona particularis, consequenter ut peccatum Adæ transfunderetur in posteros, necessaria fuit in illo notitia hujus pacti; major ostenditur, quia peccata, quæ Adamus perpetrâsset ut persona particularis, non potuissent in nos transfundi, alioquin peccata cujusvis parentis ut personæ privatæ transfunderentur in filios, quod falsum est, unde tota ratio, quod peccatum Adæ transfundatur in posteros, falsa est, quia peccavit non ut privata persona, sed ut caput morale totius humani generis, & ratione cujus voluntates omnium posterorum continebantur moraliter in voluntate Adæ: hæc enim est vera ratio, cur Adæ peccata transfundantur in posteros, non ita peccatum parentis in filios. Minor etiam evincitur, quia si Adam ut privata persona non cognovisset se esse obligatum aliqua lege, non potuisset ut particularis persona peccare, ergo à pari nisi cognovisset se esse prædicta lege obligatum ut caput naturæ, ac morale omnium posterorum, non potuisset ut caput morale totius humani generis peccare. Hinc docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 1. *art.* 4. eò ipso quod Adam peccavit ut caput morale omnium posterorum, ejus peccatum fuit cæteris paribus gravius, quòd si tantùm peccâsset ut persona privata: & hæc major gravitas non posset Adæ imputari, nisi esset voluntaria; nec potuit illi esse voluntaria, nisi fuisset cognita circumstantia inducens gravitatem, quia ut communiter docent Theologi, circumstantia, quæ nullo modo cognoscitur, non imputatur ad culpam, consequenter ut Adam delinqueret tanquam caput morale omnium posterorum, necessum eit fuit, ut cognosceret pactum, ac DEI ordinationem, qua fuit con-

constitutus caput morale totius posteritatis, unde desiderabatur, ut Adamo innotesceret, pactum illud & peccatum suum esse peccatum omnium posterorum, unde Augustinus lib. 5. contra Julianum loquens de Adamo ait: *Scivit ille, quid fecerit, in quo omnes peccaverunt, & singuli malum inde traxerunt.* Neque inde sequitur Adamum commisisse peccata propemodù infinita quia, Adam non cognovit distinctè omnes posteros, sed ejus cognitio ferebatur in illos per modum unius, consequenter ejus peccatum non fuit nisi unum, licèt gravius.

# CAPUT II.

## De causa efficiente peccati originalis.

HÆc quæstio de traduce peccati, seu de causa, ratione cujus animæ parvulorum, quæ à Deo solo creantur absque omni peccati macula, in ipsa unione cum corpore inquinantur peccato originis, & contra Pelagium fuit nervosè exagitata, & difficultas præcipua est de causa efficiente, quia causa subjectiva peccati originis, seu subjectum proximum inhæsionis hujus maculæ, quam omnes Adæ posteri contrahunt, est voluntas, & subjectum denominationis est anima, imò totus homo. Non enim, ut fuerunt arbitrati, nonnulli peccatum originis subjectatum in semine vel in carne: siquidem ad summum dici potest causa subjectiva instrumentalis, ut asserit D. Thomas *hic quæst.* 83. *art.* 1. *in corpore*, eò quod per virtutem activam seminis traducatur peccatum originale in prolem simul cum natura humana. Causa finalis si intelligatur de fine secundùm se fuit illa, quam Adamus habuit in transgressione legis, scilicet assimilatio cum DEO in scientiâ boni, & mali, juxta illud Genes. *Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum.* Sin autem sermo sit de causa finali, ob quam DEus peccatum illud originis permisit, plures à Theologis solent assignari: siquidem permisit DEus peccatum, ut thesauros suæ misericordiæ nobis ostenderet, ut significat Apostolus ad Roman. 11. verum ut ex illo majus bonum in nobis resultaret in redemptione, ut canit Ecclesia: *O felix culpa, quæ talem, & tantum meruit habere Redemptorem.* Vel ut homo propriam agnosceret humiliationem, & infirmitatè, ac indigentiam divini auxilii, ut significat D. Paulus ad Roman. 3. *Omne os obstruatur, & omnis mundus fiat subditus DEO*: siquidem perditio nostra ex nobis, & salus nostra tantum à Deo, ut habetur Oseæ 13. Causa formalis peccati originis in concreto est ipsius essentia, perinde ac formalis causa albi est albedo, unde formalis causa peccatoris est ipsum peccatum originale ob suam essentiam, siquidem loquimur tantùm de peccatore per peccatum originale solùm. Major igitur difficultas est de causa efficiente, & quæritur, quænam sit.

Dicendū, causam effectivam imediatā peccati originalis Adæ aliam non esse quàm peccatum personale Adami, quo fuit transgressus divinam legem, non tamen quia tale simpliciter, sed quia primum, adeo ut si aliud peccatum prius tempore commisisset, totam infecisset naturam: peccatum verò Evæ, & aliorum parentum non esse causam peccati hujus originis. Prima pars asseritur ab Apostolo ad Roman. 5. *per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, & id pluribus exemplis explicat D. Augustinus, ut exemplo Patris, qui ex intemperantia sibi podagram creavit, eámque in posteros transmisit: Adam enim ex intemperantia, quia noluit abstinere ab esu fructus vetiti, se ipsum spoliavit statu innocentiæ, & donis omnibus supernaturalibus præsertim habitu gratiæ sanctificantis, & suos itidem posteros omnes spoliavit iisdem habitibus. Secundò explicat exemplo radicis vitiatæ, ait enim lib. 3. contra Julianum cap. 12. *Nec mirum, nec injustum est, quod radix profert damnata damnatos*: & etiam exemplo fontis, è quo tales scaturiunt rivuli, & cum iisdem qualitatibus, quas continet fons ipse, ait D. Augustinus: *Nihil mali habent parvuli, nisi quod de fonte traxerunt, sed de protoparente Adamo*, quem Augustinus æquiparatetiam Patrifamilias transmittenti in prolem morbos, quos ipse ob intemperantiam contraxit: è quibus claret ex Augustino, causam efficientem peccati originalis aliam non esse, quàm peccatum personale Adæ, & quo fuit transgressus præceptum sibi injunctum de non comedendo de fructu illo scientiæ boni, & mali, hinc Genes. 2. habetur: *Quacunque die comederis ex eo, morte morieris*: sed illud peccatum est causa peccati originalis, quod est causa mortis: ergo si peccatum actuale Adæ, quo fuit transgressus præceptum divinum, fuit causa mortis, & fuit etiam causa efficiens peccati originalis. Quòd si dicas, superbiam fuisse causam totius ruinæ, consequenter causam efficientem peccati originalis non fuisse illud peccatum actuale, quo Adamus fuit transgressus præceptum Divinum de non comedendo fructum arboris vitæ. Contra est, quia superbia dicitur tantùm causa totius ruinæ, ut juncta cum illa transgressionis Divini præcepti, non enim motivum transgressionis: fuit sola voluptas gulæ, sed appetitus illicitus gloriæ: *Eritis sicut Dij*, tum quia hæc transgressio fuit primum peccatum, quod Adam commisit, & tantùm primum peccatum ut primum infecit totam naturam. Sed dices, peccatum actuale Adæ causativum originalis verè & propriè est peccatum, atqui peccatum externum manducationis non est verum peccatum, quia nihil addit malitiæ supra appetitum ipsum internum, consequenter internus ille appetitus, non verò externa manducatio fuit causa peccati. Præterea quia voluntates nostræ transfusæ in voluntatem Adæ priùs peccaverunt, quàm Adamus pomum comederet, ergo tametsi Adam non comedisset pomum vetitum, adhuc ejus posteri contraxissent culpam originalem. Sed contra, quia manducatio illa prohibita, seu peccatum externum sumi potest solitariè, & secundùm se præcisè, quatenus tantùm dicit actum externum, & quatenus nectitur cum actu externo, cum quo constituit unum peccatum completum ex utroque actu interno, & externo: si consideretur comestio illa priori modo, ut ex se præcisè est pura comestio sine actu interno, deordinato non est peccatum, nec causat originale: in posteriori verò sensu quatenus constituit quid unum cum actu interno

interno est verum peccatum, & causat efficienter peccatum originale in posteris; etenim de ratione peccati est, ut sit voluntarium, & sine actu interno externa comestio non est voluntaria, est enim de ratione voluntarii procedere à principio intrinseco cum cognitione, estque actu voluntatis præsupponens essentialiter cognitionem, & libertatem, consequenter ut externa comestio induat rationem peccati, necesse est nectantur cum actu interno. Ad id quod addebatur, voluntates posterorum transfusas in voluntatem Adam, prius peccasse quam Adamus pomum comederet; respondetur voluntates nostras tantum peccâsse, quando Adamus commisit unum peccatum, & quia primum Adæ peccatum fuit transgressio divinæ legis per comestionem pomi vetiti, adeo ut primum Adæ peccatum non fuerit solus actus internus, sed etiam externus, siquidem primum Adæ peccatum fuit consummatum opere externo, & tunc nostræ voluntates transfusæ in voluntatem Adæ peccaverunt, quando Adam peccavit, tum per actum internum, tum per externum; quia hi duo actus in ordine ad peccatum se habent per modum unius, adeo ut actus externus non sit novum peccatum distinctum ab actu interno, sed complementum peccati.

Ostenditur secunda pars, scilicet peccatum Adæ esse causam transfusionis culpæ originalis, non quia sit tale simpliciter, sed quia sit primum peccatum, ut expresè docet D. Thomas in 2. 23. in expositione litteræ ad secundum argumentum, ubi ait: *Ad secundum dicendum, quod hoc est per accidens, quod tale nocumentum naturæ humanæ inhabit, quia scilicet fuit primum peccatum, quod naturam humanam vitiavit*, & paucis Interjectis addit: *Quodcunque autem aliud peccatum fuisset hoc modo primum, etiam effectum habuisset, si fuisset peccatum operis sive voluntatis: quamvis quidam aliter censeant dicentes: si Adam alio modo peccasset, non incurrisset necessitatem moriendi, eò quia hæc pœna illi tantum culpæ seu comestioni, ut complementum externum actus interno videtur ordinata esse à Deo, cum dixit, quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Ratio etiam id videtur suadere, quia eatenus transgressio legis, quæ fuit primum peccatum, in Adamo inficit totam naturam & ad posteros transit, quia per ipsum Adamus amisit justitiam originalem, quæ erat donum illi pro se, & sua posteritate concreditum, sed quodvis aliud peccatum prius tempore commissum eosdem præstitisset effectus: ergo peccatum Adæ non præcise simpliciter ut peccatum, sed ut primum corrupit naturam, & causavit transfusionem originalem in posteros. Firmari ex eo potest, quia eo ipso quod Adamus primo peccasset per quodcunque peccatum, amisisset dignitatem capitis in ordine ad transfundendam justitiam originalem in posteros; non enim conveniens erat, ut Adamus privatus ex sua culpa justitia originali, siquidem ex vi præsentis divini decreti justitia erat transfundenda in posteros Adæ dependenter ab illo, ut à capite, vel dependentia meriti de congruo, vel saltem ut conditione, sed privatio originalis justitiæ in parvulis est pœna, quæ necessario debet culpam aliquam supponere, quæ cum non sit personalis, eò quia parvuli non sint illius capaces ante usum rationis, sequitur quod fuisset pœna primi peccati commissi ab Adamo, ut capiti morali totius posteritatis, consequenter peccatum Adæ non simpliciter & præcisè ut peccatum, sed ut primum peccatum totam infecit naturam, & est causa transfusionis culpæ originalis. Quòd si dicas, de facto Adamum priùs peccasse peccato superbiæ, quàm gulæ, ut docent Sancti Patres, præsertim Augustinus *lib.* 8. *de Genes. ad litteram cap.* 13. *lib.* 11. *cap.* 30. D. Gregorius *lib.* 4. *moral. cap.* 9. Cyprianus *serm. de tentationib. & jejunio.* D. Basilius *serm. quod Deus non sit Author malorum*; & D. Leo Papa *serm.* 5. *de Natal. Domini*, & plures alii docentes, primum peccatum fuisse superbiam, idque evincunt ex ipsius serpentis suasione: *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*, stat igitur, Sanctos Patres asserere, primum Adæ peccatum fuisse superbiam: sed peccatum Adæ, quod est causa transfusionis culpæ originalis, non est peccatum superbiæ, sed inobedientiæ contra legem, de non comedendo pomum vetitum, ut colligitur ex Apostolo Roman. 5. *per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*: cui consonant Sancti Patres, & nominatim D. Basilius orat. 1. de jejunio, inquiens: *Quia non jejunavimus, excidimus de Paradiso*, ergo illa transgressio præcepti, seu inobedientia non ideo fuit moralis causa transfusionis peccati in posteros, quia fuit præcisè primum peccatum, sed quia fuit tale peccatum, cui erat annexa transfusio peccati originalis in posteros, siquidem antè peccatum inobedientiæ fuit in Adamo peccatum superbiæ. Sed contra, quia superbia in Adamo non fuit priùs tempore quàm peccatum inobedientiæ, sed tantùm ad summum prioritate naturæ in genere causæ finalis; eodem enim instanti temporis, quo peccavit peccato superbiæ, peccavit etiam peccato inobedientiæ, adeo ut peccatum Adæ utramque malitiam contraxerit superbiæ, & gulæ, hoc tamen discrimine, quod malitia superbiæ præcesserit prioritate naturæ in genere causæ finalis, quatenus finis, qui movit Adamum ad transgressionem præcepti, fuit assimilatio cum Deo in scientia boni & mali; ex hoc autem non sequitur, comestionem prohibitam, & in eodem instanti existentem cum malitia superbiæ non fuisse primum peccatum, quia, tametsi non neget malitiam superbiæ esse priorem prioritate naturæ, negat tamen prioritatem temporis; sed instabis, malitia superbiæ ex concessis est prior prioritate naturæ quam peccatum inobedientiæ, ergo saltem pro illo priori naturæ malitia superbiæ antevertit malitiam gulæ: sed pro illo priori debuit ab Adamo excludere justitiam originalem, siquidem peccatum lethale pro nullo priori potest cum gratia cohærere: ergo si tale peccatum fuit capitale, habuitque vim privandi justitia originali, de facto pro illo priori naturæ peccatum superbiæ destruxit justitiam originalem. Hinc comestio prohibita & exercita ab Adamo in signo posteriori secundum suam specialem rationem nullam exercet causalitatem circa transfusionem culpæ originalis in posteros. Sed contra, negatur minor, quia quamvis peccatum, & gratia pro nullo instanti reali temporis, imo nec pro ullo instanti naturæ simul compatiantur, necesse tamen non est, quod pro omni priori naturæ intelligatur expulsio gratiæ, siquidem prioritates naturæ sunt tantum prioritates causalitatis, in quibus tantùm intelliguntur, quæ desiderantur ad causalitatem, quæ tunc exercetur: hinc quia prioritas superbiæ prioritate naturæ est prioritas in genere causæ finalis per modum intentionis, & electionis, non est necesse, quod malitia superbiæ pro priori, quo antevertit mali-

malitiam inobedientiæ exerceat causalitatem expulsivam gratiæ, sed sufficit, si in eodem instanti reali per utramque malitiam superbiæ, & inobedientiæ expellatur ab Adamo & posteris justitia originalis.

Quòd verò peccatum Evæ non sit causa transfusionis peccati originalis, ex eo liquet, quia Apostolus expresè ait: quod per unum hominem mors intravit simul cum peccato; & nulla fit in scripturis mentio de peccato Evæ in ordine ad causandam hanc transfusionem culpæ originalis in posteros. Præterea quia solus Adamus fuit à DEO constitutus morale caput totius humani generis, & peccatum originis derivatur in posteros tantùm ex eo, quia fuit capitale, seu commissum à capite, consequenter non peccatum Evæ, sed solùm peccatum Adami est causa transfusionis culpæ originalis in posteros; illud enim peccatum fuit capitale, quod corrupit naturam, & quod expoliavit illam justitia originali, quam DEus concredidit Adamo tum per se, tum pro tota posteritate, & hunc effectum tantùm præstitit peccatum Adæ. Hinc si Eva tantùm peccâsset, & non Adamus, posteri non contraxissent culpam originalem: quia peccatum originale ab illo contrahitur, qui activè movet ad generationem filiorum: atqui concurrere ad hanc generationem convenit tantùm Adamo, quia mulier potiùs se habet tantùm passivè, ergo peccante sola Eva, non ba Adamo non fuisset peccatum originale transfusum in posteros. Verùm hæc ratio à pluribus non censetur efficax, docent enim neque activè marem & fœminam concurrere ad generationem, sed quidquid sit de hoc concursu, probatur aliter assertum, quia si peccante sola Eva peccatum originale ad nos traduceretur, cum esset sufficiens causa transfusionis culpæ in posteros: hoc autem est falsum, quia cum peccatum Evæ de facto præcesserit peccatum Adæ, si ex se fuisset sufficiens causa traductionis culpæ, inde sequeretur, quòd priusquam Adam peccâsset, jam tota posteritas amisisset justitiam originalem, ex quo itidem sequeretur contra Scripturas, & Concilia, peccatum Adæ de facto nihil nobis intulisset nocumenti, neque ab ipso in nos derivari, quod apertè adversatur Scripturis. Rursus ut peccatum Evæ, vel seorsim ex se, vel simul cum peccato Adæ, fuisset causa transfusionis culpæ originalis in posteros, necesse erat, ut voluntates nostræ transfusæ fuissent in voluntatem ejusdem Evæ: sed ex Scripturis voluntates posterorum transfusæ tantùm fuerunt in voluntatem Adami, ut capitis moralis omnium posterorum: unde peccatum Evæ neque ex se seorsim, neque simul cum peccato Adæ fuit causa transfusionis culpæ originalis. Præterea quia in Scripturis unum tantùm assignatur peccatum causans transfusionem culpæ originalis in posteros, ut liquet ex D. Paulo ad Rom. 5. sin autem peccatum Evæ simul cum peccato Adæ fuisset causa hujus transfusionis: sequeretur, quòd plura peccata fuissent causa moralis culpæ ad nos derivatæ, quod adversatur Scripturis ergo, peccatum Evæ nec per se & seorsim, nec simul cum peccato Adæ fuit moralis causa culpæ originalis: ergo tametsi Eva sola peccâsset, adhuc ejus peccatum non fuisset causa transfusionis culpæ originalis. Neque obstat, quòd in pluribus Scripturæ locis peccatum Evæ dicatur initium omnium miseriarum & peccati, Ecclesiast. 25. *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.* Nam contra est, quia Scripturæ tantùm loquuntur de peccato Evæ occasionaliter, quatenus fuit occasio Adamo transgrediendi præceptum sibi injunctum non comedendi de fructu scientiæ boni, & mali. Non verò peccatum Evæ originativè fuit causa peccati Adæ; unde peccatum Evæ non fuit causa originativè, à qua oriatur transfusio culpæ in Posteros; sicut fuit origo talis transfusionis peccatum Adæ. Tum quia Concilia, & Patres intelligunt verba D. Pauli ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*, scilicet de ingressa per originem, idque ex eo evinitur, quia subdit: in quo omnes peccaverunt; non enim dicimur propriè in illo peccare, qui nobis tantùm occasio fuit peccandi: alioquin diceremur peccare in Diabolo, qui per pravas suggestiones plerunque est nobis occasio peccandi; diceremur etiam peccare in malis sociis, eo quia sint interdum nobis occasio peccandi: unde catenus dicimur peccare in Adamo, non in Dæmone, quia Adam fuit causa transfusionis culpæ originalis, non Dæmon. Quod si instes præceptum de non comedendo fructum arboris scientiæ boni & mali fuisse injunctum utrique protoparenti Adamo, & Evæ: consequenter peccatum utriusque parentis esse causam transfusionis culpæ originalis. Contra est, quia diversimodè fuit utrique injunctum, Adamo ut capiti totius humani generis, Evæ ut Personæ privatæ; eò quia voluntates posterorum transfusæ fuerunt tantùm in voluntatem Adæ, non Evæ. Hinc Apostolus ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*, scilicet per unum hominem, non per duos. Quamvis uterque fuerit transgressus divinum præceptum, hoc tamen discrimine; quod Eva peccaverit ut Persona, quæ sibi tantùm per originem nocuit, & fuit occasio Adæ peccandi, qui & peccavit ut caput morale posterorum. Hinc si Adam non peccâsset; sed tantùm peccâsset Cain, Posteri non contraxissent peccatum originale. Quia Cain non fuit à DEO constitutus caput morale omniũ posterorum; neque voluntates istorũ fuerunt transfusæ in voluntatẽ Cain, cujus peccatũ propterea non esset Capitale, sed personale quia ex vi præsentis decreti, de quo procedit quæstio, solum intervenit pactum cum Adamo, ratione cujus fuit ipse solum constitutus caput morale omnium posterorum: unde defectu capitis peccatum Cain non fuisset in posteros transfusum; catenus peccatum originis transfunditur in posteros, quatenus horum voluntates intelligebantur inclusæ in voluntate Adæ, peccatum enim debet aliquo pacto esse voluntarium vel voluntate propria, si sit actuale, vel interpretativa, si sit peccatum originis; & transfundatur per propagationem seminis. Quod si aliquis formaretur miraculosè sine semine viri, constitueretur ex humana carne; non contraheret peccatum originis, quia non prodiret ab Adamo, neque originem suam traheret ab illo per successivas generationes: & cum illi soli contrahant peccatum originale, qui suam ab Adamo originem trahunt; sequeretur, hunc non contracturum peccatum originale. Hinc Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 3.* ait: homines, nisi ex semine propagati nascerentur, injustos non nascituros. Ratio assignatur à D. Thoma: quia peccatum eatenus à primo parente traducitur in posteros, quatenus moventur ab ipso per generationem; sicut membra moventur ab anima ad peccatum actuale: & sicut membra corporis subduntur animæ; ita omnes posteri subduntur Adæ capiti veluti primo motori intra lineam generationis: & motio ad generati-

generationem est tantùm per virtutem activam in generatione ab illo originaliter derivatam, qui est omnium primus, à quo reliquæ generationes profluxerunt; consequenter illi soli peccatum originale contrahunt, quia ab Adamo descendunt mediante tali virtute activa: unde homo ille non descendens per successivas generationes ab Adamo, non contraheret peccatum originale.

Si petas quomodo peccatum originis traducatur in Posteros? respondetur, hanc quæstionẽ excitasse Jansenium Iprensem Episcopum lib. 1. de statu naturæ lapsæ cap. 6. & sequent. ubi ait, ex abditissimis D. Augustini thesauris, se novum dogma eruisse nunquam antehac auditum inter Theologos: vult enim veram causam hujus transfusionis, non esse peccatũ Adæ supposito Dei pacto, & generatione ordinaria: vocat enim hanc sententiam somnium, & chimæram; & ipse solus putat veram posse rationem assignare; & hanc aliam non esse, quam libidinem parentum, & concupiscentiam carnis, seu delectationem illam carnalem, quam blande sentiunt parentes, cum actu prolem generant, ait hanc delectationem esse causam cur proles contrahat peccatum originale. Hinc si parentes absque ulla delectatione prolem gignerent, fœtus inde genitus nullam contraheret originalem maculã. Probat hanc sententiam quia D. Augustinus lib. 1. de Nuptiis cap. 23. ait; *Hæc concupiscentia, quæ solo Sacramento regenerationis expiatur, profectò peccati vinculum trajicit in posteros*, & ex lib. 1. de Peccatorum meritis cap. 9. *Occultatale concupiscentiæ in se omnes de sua stirpe nascentes*, & lib. 2. cap. 18. *Propter hanc concupiscentiam fit, ut de justis, ac legitimus nuptiis filiorum Dei, Non filii Dei, sed filii generentur sæculi*, ex quibus infert ex sententia D. Augustini, solã infectionem concupiscentiæ esse causam propagationis peccati: ait enim D. Augustinum passim adæquatam causam propagationis peccati esse corruptionem naturæ infectæ per concupiscentiam, ratione cujus fit, ut cum natura vitium quoque ipsum communicetur, quia naturale est, simile nonnisi à simili produci; quod probat Jansenius ex D. Augustino lib. 1. de Nuptiis cap. penult. ubi ait: *Illo magno primi parentis peccato, natura nostra in deterius commutata non solùm facta est peccatrix; sed genuit etiam peccatores.* Rursus ex eodem libro Augusti probat, quod si homo aliquis sine voluptate carnali gigneret prolem, hæc non contraheret culpam originalem ait Augustinus Epist. 89. *Proindè isti, qui forte invenerint infantem, non ex illius hominem concupiscentia procreatum, illum dicant non tali peccato*, & lib. 1. de nuptiis ait: *Ex hac concupiscentia carnis tanquam filia peccati, quæcunque nascitur proles originali est obligata peccato.* Idque firmat ex eodem Augustino lib. 5. contra Julianum cap. 15. ub Augustinus assignans rationem, cur Christus sine peccato originali conceptus fuerit ait: *Cum itaque Christi mortalitatem de mortalitate materni corporis traxit, contagium peccati originalis non traxit, quia concumbentis concupiscentiam non invenit*; quod si carentia concupiscentiæ, seu delectationis carnalis causa fuit, cur Christus non fuerit conceptus cum peccato, sequitur, cæteros homines eatenus originalem culpam contrahere, quia ex concupiscentia carnis, seu delectatione, & libidine generantur.

Sed hæc quæ Jansenius congessit ex D. Augustino ad probandum suum dogma ei non favent: quia D. Augustinus passim satis apertè se explicat, asseritque, causam cur parvuli peccatum contrahant originale, aliam non esse, nisi ipsum Adæ peccatum, ut capitis totius humani generis, in cujus voluntatem transfusæ fuerunt per pactum cum Deo initum omnes posterorum voluntates. Unde ad primas authoritates ex Augustino congestas; respondetur concupiscentiam peccati vinculum transfundere in posteros; sed per concupiscentiam intelligere generationem ordinariam, cujus comes est ipsa concupiscentia, quatenus est effectus peccati originalis: Augustinus subinde loquitur tropicè sumendo effectum pro causas & quando *lib. 1. de peccatorum meritis cap. 9.* ait, quod occulta tabe concupiscentiæ suæ tabificavit in se omnes de sua stirpe nascentes: per concupiscentiam intelligit Augustinus pravam illam Adami appetitionem, quã peccando se ipsum coinquinavit, & posteros; hæc enim appetitio prava fuit ipsum peccatum. Ad aliam authoritatem desumptam ex Epist. 89. Augustini respondetur, per corruptionem intellexisse ipsum peccatum Adami, quod corrupit totam naturam, & depravavit concupiscentiam, quæ est effectus talis corruptionis, seu Adæ peccati. Ad ultimam authoritatem quã Jansenius probat, Christum Dominum, nullum contraxisse peccatum, quia genitus fuerat sine concupiscentia, respondetur, per concupiscentiam Augustinum intellexisse generationem via ordinaria factam; proinde ait, quod tametsi Christus Deus non esset, adhuc non contraxisset peccatum originale, eò quia non fuerit genitus per generationem via ordinaria, nec propterea descenderit ab Adamo; neque voluntas humana Christi fuit comprehensa in voluntate Adami; & ita explicant D. Augustinum omnes Theologi; voluit enim D. Augustinus concupiscentiam traducere peccatum originale in posteros non ut causam physicam ut asserebat Jansenius, neque ut causam moralem, sed tanquam per signum à posteriori, quatenus concupiscentia est signum à posteriori peccati originalis; quatenus concupiscentia carnis est effectus peccati originalis.

Quamobrem dicendum est cum communi Theologorum sententia, causam per se, quia peccatum originale traducitur in posteros nullo modo esse concupiscentiam, nec voluptatem carnis, sed solum peccatum Adæ supposito Dei pacto inito cum ipso, & generatione per viam ordinariam facta. Etenim absurdum est, asserere cum Jansenio concupiscentiã, seu voluptatem, ac libidinem parentum, quam sentiunt, cum actu generant prolem physicè, & necessario traducere in prolem culpam originalem quia quod est corporeum & materiale agit in Spiritum: hinc desudant Theologi in explicando modo quo ignis corporeus in inferno, & purgatorio possit dæmones, & animas rationales torquere; sed libido, voluptas carnalis, delectatio, quam sentiunt parentes cum actu prolem generant, est corporea, & materialis, seque tenet ex parte corporis: ergo non potest agere in animam. Præterea si peccatum traduceretur physicè per hanc libidinem parentum, potius peccata personalia parentum transfunderentur in prolem, quam peccatũ originale; cum ad ipsos personaliter pertineat hæc voluptas, & carnis delectatio. Demum quia si perseverasset status Innocentiæ non fuisset in ipso facta generatio prolis sine delectatione parentum; quia adhuc fuisset hominũ propagatio per veras generationes, ac per carnalem delectationem, quia hæc est naturalis, & per se simpliciter in generatione legitimæ prolis non est mala; & tamen proles non contraxisset culpam originalem: ergo ipsa carnis delectatio in generatione prolis non potest esse causa hujus transfusionis culpæ originalis in parvulos. Neque satisfit quodà nonnullis Jansenistis respondetur, in illa suppositione status innocentiæ parvulos non contraxisse culpam originalem, eò quia in illo statu voluptas carnalis non fuisset dissona rationi. Quia etiam in statu naturæ lapsæ delectatio, quam conjugati experiuntur cum prolem generant est dissona rectæ rationi; & nihilominus fœtus contrahit originalem maculam; non enim illa carnalis voluptas inter conjuges actu generantes prolem est mala, alioquin malum itidem esset matrimonium, ac illicitum, & conjugati legitimè non possent uti matrimonio, quia peccarent, quod est falsum. Vera igitur causa

hujus transfusionis peccati originalis in posteros est, quia omnes nos peccavimus in Adamo, in cujus voluntatem transfusæ erant voluntates posterorum; quia cum Adamus fuerit à Deo constitutus morale caput totius humani generis, à quo dependebat conversatio vel deperditio originalis justitiæ, ideo peccante Adamo, in cujus voluntatem transfusæ erant voluntates posterorum; ideo peccante Adamo, & nos in ipso peccavimus, quatenus ejus voluntas fuit virtualiter, ac interpretativè nostra voluntas. Hinc Apostolus assignans causam hujus transfusionis peccati in posteros ait ad Rom. 7. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; ita in omnes homines pertransivit, in quo omnes peccaverunt*, expressè asserit omnes homines peccavisse in Adamo, & hanc esse veram causam, cur omnes contrahant peccatum originale; non verò quod delectatio carnalis sit causa hujus transfusionis.

# CAPUT III.

## Expenditur formalis quidditas peccati originalis.

Certum est, dari peccatum originale quod à posteris Adæ contrahitur juxta præsentam ordinationem; sed in explicanda ejus quidditate plurimum insudârunt Doctores, ac in varias abicrunt sententias ob varias difficultates, quæ inde oriebantur; hinc Augustinus loquens de peccato originali ait: *nihil est ad prædicandum notius; sed nihil ad intelligendum secretius.* Origenes censuit, peccatum originale nihil aliud esse, quàm peccatum aliquod prius ab anima contractum, quàm corpori uniretur: supponebat Origenes, animas existere, antequam corporibus suis uniantur, & negabat Adæ peccatum transfundi in posteros per originem, quorum utrumque est fidei dissonum, quia animæ creantur à Deo in ipsis corporibus, quæ infirmant, neque existunt, neque peccarunt, antequam corporibus copularentur. Magister sententiarum censuit, peccatum originale nil aliud esse, quàm pravam quandam qualitatem derivatam ex infectione carnis ordinario modo seminatæ in ipsam animam, quæ ratione hujus pravæ qualitatis propensa sit ad prosequendum bonum delectabile. Volut enim corpus Adæ infectum fuisse per proprium actuale peccatum; & cum ipso corpore etiam semen, ex quo derivatur infectio in corpus seminatam, adeo ut ab isto transeat in animam; hanc sententiam secuti fuerunt Henricus Sandavensis ætatis. Illyricus apud Valentiam voluit peccatum originis esse substantiam quamdam novam invectam à dæmone ad ejus imaginem: quia sicut homo theologicè sumptus per inditam sibi intrinsecam formam factus fuit ad imaginem Dei, à qua accepit pronitatem ad studia virtutum; ita per peccatum aliam accepit à dæmone contrariam formam, per quam propensus sit ad omnia vitia, quibus subinde indulget. Verùm hæc sententia est omnino falsa, quia inde sequeretur, aliquam naturam substantialem importatam per hanc formam esse malam per se, ac esse à malo principio, seu dæmone, quæ hæresis fuit Manichæorum. Rursus peccatum actuale non est substantia, sed qualitas; est enim operatio dissentanea rectæ rationi, consequenter nec peccatum originale potest esse substantia vel forma ulla substantialis. Præterea quando adultus baptizatur, remittitur ei peccatum originale absque ulla mutatione substantiali, adeo ut nihil deperdat substantiæ, licet deleatur peccatum originale, quod propterea nequit esse forma ulla substantialis, neque obstat fundamentum, cui innititur Illyricus, estque illud D. Pauli ad Rom. 6. *Vetus homo noster crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* Ubi Apostolus vocat peccatum corpus, quod est aliquid substantiale; nam contra est, quia sensus verborum D. Pauli, ut communiter interpretantur Sancti Patres, est, quod virtute crucis Christi corpus peccati, seu corpus infectum peccato destruatur, hoc est, emundetur à macula per lavacrum sanguinis Christi, non verò est sensus, quod peccatum sit corpus aliquod, nisi locutio sit metaphorica, perinde ac quamvis scriptura vocat peccatores semina serpentis, genimina viperarum & ex patre diabolo, quæ locutiones sunt metaphoricæ. Demum quia liquet, animas defunctorum sejunctas à corpore infectas esse labe peccati, tametsi nulli adnectantur corpori.

Cæterum sententia, quæ minus videntur probabilitatis præseferre, tres sunt quarum prima docet, nihil aliud esse peccatum originale quàm institam homini concupiscentiam depravatam per peccatum primi hominis, ac rebellem rationi. Secunda asserit, peccatum originale esse privationem gratiæ non simpliciter, sed ut causatam per primum peccatum Adæ. Tertia censet esse etiam culpæ originalis nihil aliud esse, quam ipsum reatum pœnæ. Sed dicendum est primò, peccatum originale non esse ipsam concupiscentiam, seu illud, quod sentimus in nobis inclinari in bono delectabili, ac reluctari rationi, sicut fere omnes Hæreticos censent, nil aliud esse in nobis peccatum originale quàm appetitum illum rebellem rationi quo caro concupiscit adversus Spiritum. Lutherus enim, & Calvinus docuerunt, hanc accensam in nobis concupiscentiæ fornacem esse maculam, & totum peccatum originale; quod falsum est, quia habemus certum de fide, maculam peccati originalis tolli per lavacrum baptismi, adeo ut totum illud deleatur, quod habet rationem peccati; ait enim Apostolus ad Rom. 6. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vita ambulemus*: atqui non possumus in novitate vitæ ambulare cum Christo, nisi deleta esset in nobis macula peccati originalis, quod etiam significat Apostolus ad Rom. 8. Ubi scribit, *nil esse damnationis iis, qui sunt in Christo JEsu.* seu nihil superesse peccati in iis, qui per lavacrum baptismi mundati sunt, quia post baptismum, ratione cujus sumus in Christo JEsu, nihil remanet, quod maculam sapiat peccati originalis. Certum est in renatis

per

per baptismum, & purgatio ab omni peccato manere concupiscentiam etiam inclinantem ad bona sensibilia, & reluctantem rectæ dictaminibus rationis, ut etiam ipse Apostolus experiebatur in se, cum scripserit ad Roman. 7. *Sentio in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meæ*, ergo certum est de fide, in nullo vero sensu dici posse concupiscentiam habere rationem peccati originalis. Rursus quia concupiscentia esse potest absque ulla transgressione divini præcepti, non ita peccatum originale, alioquin non posset pœna ulla ei imponi, quia hæc semper dicit relationem ad culpam, sine qua non infligitur pœna, propterea, si concupiscentia potest esse absque ulla transgressione divini præcepti, sequitur, non posse habere rationem peccati originalis, quapropter Concilium Tridentinum sess. 5. can. 5. ait: *Manere autem concupiscentiam in baptizatis, hac Sancta Synodus fatetur, & sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, non valet*: ergo si in baptizatis ex Tridentino manet concupiscentia, evidens est hanc non esse peccatum originale, quod per baptismum totaliter deletur quoad maculam ut definivit Tridentinum loc. cit. asserens. Per baptismum tolli totum id, quod habet veram ac propriam rationem peccati.

Objiciunt tamen Hæretici illud D. Pauli ad Rom. 7. *Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, sed quod operatur peccatum, est ipsa concupiscentia, quæ invitat ad peccatum, consequenter peccatum originale, quod contrahitur à parvulis, non potest in iisdem quid aliud esse, quàm concupiscentia, idque firmant ex D. Augustino *lib. 5. contra Julianum cap.* 3. ubi expresse vocat concupiscentiam peccatum, & *lib.* 1. *de nuptiis, & concupiscentia cap.* 22. & 28. asserit concupiscentiam per baptismum remitti, & ante baptismum constituere hominem reum: sed quod remittitur per baptismum, & ante illum constituit hominem reum est ipsum peccatum originale, quod propterea ex D. Augustino nil aliud est, quàm ipsa concupiscentia: sed contra, quia D. Paulus tantum vocat concupiscentiam peccatum tropicè per figuram metonymiæ sumendo effectum pro causa, quatenus concupiscentia est à peccato, & ad peccatum excitat, in quo sensu Concilium Tridentinum sess. 5. can. 5. explicat verba D. Pauli, & asserit: Ideo concupiscentiam dici à D. Paulo peccatum, non quia sit formaliter peccatum, sed quia est ex peccato originali, cujus est effectus, quem Apostolus sumit tropicè pro ipsa causa, seu pro peccato originali, & hæc concupiscentia inclinat ad peccatum actuale: unde vocatur peccatum, qui est effectus peccati originalis, & etiam est causa peccati actualis. Subinde in scripturis habetur locutio metaphorica, qua sumitur causa pro effectu, vel è converso, ut constat ex D. Paulo 2. ad Corinth. 5. ubi loquens de Christo ait: *Eum, qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fuit*, seu obtulit se hostiam pro peccatis, in quo sensu etiam sacerdotes dicebantur comedere peccata populi, seu hostias pro peccatis oblatas; alioquin si Paulus non fuisset metaphoricè locutus, sibi manifestè contradixisset, cum frequenter inculcet, nihil damnationis remanere in renatis ex baptismo, & ex alia parte asserat, in iisdem remanere concupiscentiam, ut paulo superius ostendimus; hæc enim duo nequeunt sibi cohærere absque manifesta contradictione. Quamobrem nulli dubium esse potest, quin D. Paulus vocaverit concupiscentiam peccatum, non in sensu proprio, & formaliter, sed per metonymiam sumendo effectum pro causa, vel è converso, quia concupiscentia est effectus peccati originalis, & rursus est causa peccati actualis. Ad aliud, quod in confirmatione allatum fuit ex D. Augustino vocante concupiscentiam peccatum, respondetur D. Augustinum etiam itidem fuisse locutum figuratè, sumpsitque effectum pro causa, scilicet concupiscentiam pro peccato originali, à quo causatur. Cæterum quando D. Augustinus vocat concupiscentiam causam peccati, loquitur relativè ad peccatum actuale, ad quod concupiscentia inclinat, & hunc esse verum sensum D. Augustini liquet ex lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia cap. 22. ubi ait: *Hac concupiscentia sic vocatur peccatum, quia ex peccato facta est, cum in jam regeneratis non sit ipsum peccatum, si ei ad illicita opera non consentitur: sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua, & manus vocatur scriptura, quam facit manus, itemque vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit*, clarius, & expressius non potuit loqui, neque exempla magis propria adducere ad significandum concupiscentiam esse effectum peccati originalis, & causam actualis, eo quia inclinet ad peccatum actuale. Præterea lib. 6. contra Julianum cap. 5. ait: *Regeneratus omni peccato caret, non omni malo, quia scilicet perseverat in regenerato per baptisma ipsa concupiscentia, quæ est effectus malus peccati originalis.* Demum concupiscentiam non esse peccatum originale in sententia D. Augustini, liquet ex lib. 1. retract. cap. 15. ubi ait: *Hoc peccatum, de quo sic locutus est Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia à peccato factum est, & pœna peccati est, quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur.* Sed dices, quod repugnat legi divinæ, est peccatum, sed hujusmodi est appetitus destitutus justitiâ originali, seu concupiscentia, consequenter ipsa est peccatum originale. Contra quia concupiscentia in actu primo non repugnat legi divinæ, sed tantùm actualis concupiscentia, si eidem accesserit consensus; ipsa enim concupiscentia per se non est peccatum originale; ex eo enim evincitur, quia in statu, puræ naturæ fuisset in nobis concupiscentia inclinans ad bonum sensibile delectabile, & nihilominus non fuisset peccatum originale, quinimo concupiscentia non est defectus aliquis quem habere prohibeantur: sed tantum est malum assentiri concupiscentiæ.

Dicendum est secundò, peccatum originale non esse privationem gratiæ, seu justitiæ originalis, ut causatam à peccato actuali Adami. Idque ex eo evincitur, quia quod est effectus peccati originalis, nequit formaliter esse quidditas ipsius peccati: siquidem repugnat effectum esse suam causam, alioquin esset, & non esset à causa: sed privatio justitiæ originalis est effectus peccati originalis: siquidem est pœna homini inflicta pro peccato originali, consequenter privatio justitiæ originalis non potest esse ipsum peccatum originale formaliter; non enim unum peccatum potest esse pœna alterius, ut cum D. Thoma *quæst.* 87. *art.* 2. docent ferè omnes Theologi: pœna enim supponit in subjecto obligationem, seu reatum ad illam, & obligatio ad pœnam, at reatus ad illam, sunt proprietates, culpæ, ad quam se habent consecutivè consequenter necessario præsupponere ipsam essentiam culpæ. Præterea quia pœna peccati est à Deo, non ita culpa, quæ tantum est à voluntate creata deficiente, & vitiata. Major, & consequentia tenent; ostenditur minor, scilicet pri-

vationem justitiæ originalis esse pœnam peccati originalis, quia D. Thomas *quæst.* 85. *art.* 5. *in corpore circa finem* ait: *Subtractio autem originalis justitiæ habet rationem pœnæ, sicut etiam subtractio gratiæ*: Rursus quæst. 87. art. 7. in corp. ait: *Principaliter quidem pœna originalis peccati est, quod natura humana sibi relinquitur destituta auxiliis originalis justitiæ*, unde constat ex sententia D. Thomæ privationem justitiæ originalis non esse peccatum originale, sed ejus effectum, quod etiam repetit in 2. dist. 33. quæst. 2. art. 1. ad 2. ubi ait: *Privatio gratiæ non est culpa, sed pœna*. Neque urget, quod respondent aliqui, privationem justitiæ originalis esse tantum effectum peccati actualis perpetrati ab Adamo, non verò effectum peccati originalis, quod contrahitur ab omnibus Posteris, quia hoc originale peccatum est effectus peccati actualis Adæ, consequenter est formaliter ipsa privatio justitiæ originalis, quæ itidem est effectus illius peccati actualis Adæ. Nam contra est, quia ex suppositione, quod Deus voluerit conferre omnibus justitiam originalem, eosque ad supernaturalem ordinem elevare per auxilia gratiæ supernaturalis, non potuit ex vi talis decreti illis justitiam denegare, nisi in pœnam alicujus peccati: quemadmodum ex suppositione, quod alicui contulerit gratiam, qua mediante illum destinaverit ad finem supernaturalem non potest subtrahere suum concursum conservativum talis gratiæ, nisi ratione alicujus culpæ, qua subjectum fit indignum tali gratia: ergo quod Deus non conferat justitiam originalem, postquam statuerit elevare homines ad finem supernaturalem, & illam conferre omnibus, debet esse pœna alicujus peccati, consequenter privatio justitiæ originalis ex suppositione, quod Deus condiderit hominem cum ipsa justitia originali, non potest non esse pœna peccati originalis, non verò esse ipsum peccatum originale in posteris Adæ. Adæ, quod privatio justitiæ originalis est disconveniens ipsis parvulis, quibus propterea est malum quoddam: sed hæc privatio est à solo Deo, non enim homines vellent hanc privationem, sed à Deo non potest esse culpa, consequenter hæc privatio non habet rationem culpæ, sed tantùm pœnæ. Præterea quia peccatum, quodcunque illud sit, exigit liberè provenire ab ipso peccatore: sed privatio justitiæ originalis non procedit à peccatore, sed solùm à Deo volente subtrahere participationem suæ naturæ ab avertentibus se à fine simpliciter intimo: ergo illa privatio justitiæ originalis non potest habere rationem peccati originalis. Quòd si dicas, talem privationem procedere quidem à Deo prout est carentia justitiæ originalis in posteris, sed non procedere à Deo, ut talis carentia est privatio, quia quod sit privatio justitiæ originalis est tantùm ab homine, qui debuit conservare justitiam originalem. Carentia enim dividitur in negationem, & privationem, negotio non supponit formam, quam privatio præsupposuerat. Contra est, quia carentia non potest procedere à Deo nisi ob demeritum, sed illa carentia est potius effectus demeriti, quod fundatur in ipso peccato, consequenter carentia justitiæ originalis etiam ut est talis carentia, seu privatio, nequit esse formalis ratio peccati originalis, sed tantùm ejus effectus, etenim licet homo meruerit, ut ipsi infligeretur talis pœna, seu carentia justitiæ originalis, non propterea hæc pœna dici potest peccatum, quia secundum se non est libera homini, quia procedit immediatè à Deo.

Suaderi etiam potest secundò, quia hæc carentia se habet consecutivè ad peccatum originale proinde non potest se habere constitutivè, quia supponit rem, ad quam sequitur, quod verò privatio justitiæ originalis se habeat consecutivè, non vero constitutivè ad ipsum peccatum originale, ex eo liquet, quia hæc causalis est vera, eatenus homo justitiam amisit originalem, quia fuit legem transgressus: sed hoc quod est transgredi legem, est ipsum peccatum, quod debet essentialiter præcedere privationem justitiæ originalis, alioquin causalis vera non esset: ergo privatio justitiæ originalis cum se habet consecutivè, non constitutivè ad peccatum originale non potest esse formale constitutivum ejusdem peccati. Neque urget, si dicas privationem justitiæ, quæ est habituale donum, se habere consecutivè ad peccatum originale, cujus est pœna; sed privationem subjectionis, seu conjunctionis hominis ad Deum non se habere consecutivè ad peccatum originale, non esse pœnam illius, sed esse ipsum formale constitutivum peccati originalis. Contra est, quia subjectio, seu conjunctio hominis ad Deum ante peccatum non fuit formaliter ipsa justitia originalis, sed effectus illius, ut concedunt ipsi Thomistæ; ergo nec privatio præfatæ subjectionis seu conjunctionis hominis ad Deum potest esse formalis ratio constitutiva originalis culpæ, siquidem hæc privatio conjunctionis hominis ad Deum fuit ob aliquod demeritum consequenter fuit pœna ejusdem demeriti, & peccati; quia, ut diximus, ex suppositione, quod Deus voluerit hominem condere in statu justitiæ originalis eumque promovere ad finem supernaturalem, non potuit hominem privare illa conjunctione, quam habebat ad Deum, nisi propter aliquod demeritum, adeo ut hæc privatio non possit non esse pœna demeriti, & peccati, quod autem se habet consecutivè repugnat se habere constitutivè, consequenter non potest privatio subjectionis, & conjunctionis hominis ad Deum esse formale constitutivum peccati originalis. Præterea quia effectus formalis, & forma ut communicata subjecto, sunt idem, consequenter etiam privatio effectus formalis, & privatio formæ, ut communicatæ subjecto, debent pariter esse idem, adeo ut non possit unum habere rationem pœnæ, & aliud rationem culpæ. Rursus illud in parvulis est peccatum originale, quod in Adamo fuit peccatum personale habituale, sed quod in Adamo fuit peccatum personale habituale, non fuit privatio justitiæ originalis, ergo in parvulis peccatum originale non est privatio justitiæ originalis. Major liquet ex Concilio Tridentino sess. 5. can. 1. & 2. ubi definit peccatum Adæ, quod origine unum est, propagatione transfusum in Posteros inesse unicuique proprium, unde illud solum est peccatum originale, quòd fuit peccatum Adæ in nos transfusum, adeo ut quod non fuit peccatum Adæ, non fit in nos transfusum: ergo, cum in Adamo peccatum personale habituale sit proprium ejus peccatum, illud fuit in nos transfusum, consequenter peccatum originale non potest formaliter consistere in privatione justitiæ originalis. Tum quia ex Concilio Tridentino *sess.* 6. *in decreto de justificatione cap.* 7. In Justificatione, quæ fit per baptismum, reperiuntur duo, scilicet remissio peccati, & infusio gratiæ; sin autem sola privatio gratiæ foret peccatum originale perperam consilium distinxisset illa duo, quia per baptismum infusio gratiæ non

non esset quid distinctum à remissione peccati: ergo privatio gratiæ non potest esse formaliter ipsum peccatum originale.

Suadetur ulterius assertum, quia peccatum habituale in nobis non est privatio gratiæ, quia hæc est pœna peccati actualis, & quod est pœna, se habet consecutivè ad peccatum, ergo privatio justitiæ originalis non potest esse ipsum peccatum originale, sed tantùm ejus pœna seu effectus, se habens ad ipsum consecutivè. Si dicas, id verum esse respectu peccati personalis Adæ, non verò respectu peccati parvulorum, quia in parvulis non est peccatum personale, sed tantùm capitis. Contra est, quia hoc pacto posset etiam quis asserere, privationem gratiæ esse pœnam respectu peccati actualis, non vero respectu habitualis: Præterea quia DEus est vera causa hujus privationis, non verò est causa peccati: ergo privatio justitiæ originalis non potest esse formalis ratio constitutiva peccati originalis. Si dicas esse discrimen de peccato habituali in nobis, & originali in parvulis, quia privatio gratiæ in nobis personaliter peccantibus supponit etiam malitiam, seu actum præteritum non retractatum nec remissum à DEO, consequenter non in privatione gratiæ, sed in illa priori malitia consistit peccatum habituale personale, sed in Posteris Adæ nihil intelligitur præcedere ad privationem justitiæ, consequenter essentia peccati originalis debet consistere in sola privatione justitiæ originalis: Contra est, quia eatenus privatio gratiæ supponit in nobis priorem illam malitiam, quia revera peccamus, peccato personali opponimur legi: sed etiam parvuli peccârunt peccato capitali. Et fuerunt transgressi legem juxta illud Oseæ 6. *Ipsi sicut Adam transgressi sunt caput meum*, ergo ipsa privatio justitiæ originalis debet etiam supponere in parvulis non solùm actualem capitalem malitiam, verùm etiam habitualem: Consequenter ex data responsione, sicut in nobis peccatum habituale non constituitur formaliter per privationem gratiæ sanctificantis, quia hæc supponit malitiam præcedentem, ita similiter, quia privatio justitiæ originalis supponit malitiam prævìam, nec potest peccatum originale constitui per privationem justitiæ originalis.

Dices peccatum originale formaliter esse id, quod per se primò tollitur per baptismum: Sed hoc est privatio justitiæ, ut conjungentis hominem DEO, quia hæc privatio opponitur directè & imediatè ipsi justitiæ, seu gratiæ conjugenti hominem cum Deo, quæ gratia confertur per baptismum: ergo peccatum originale de suo formali importat privationem justitiæ conjungentis hominem cum Deo. Major constat ex Tridentino sess. 5. can. 6. ubi definitur, per baptismum tolli omne id, quod habet veram rationem peccati. Sed contra distinguitur major, peccatum originale consistit in eo, quòd per se primò, & formaliter expellitur per baptismum per modum extremi privativè oppositi gratiæ, quæ confertur per baptismum, negatur major, quia hoc extremum est pura privatio justitiæ, in quæ negamus consistere formaliter peccatum originale, cujus potiùs est effectus, proinde non formaliter, sed tantùm effectivè dicitur illa privatio esse peccatum originale, consistit in eo, quòd per se primò expellitur per modum extremi contrariè, & positivè oppositi gratiæ, conceditur major: & eodem pacto distincta minore negatur consequentia: ratio est, quia gratia duo habet opposita in peccatore, quorum unum est privativum contradictoriè oppositum gratiæ, estque carentia ipsius gratiæ: & aliud positivum, quod tantùm contrariè opponitur gratiæ, & quamvis utrumque extremum tollatur per se primò beneficio baptismi, non tamen eodem modo, quia extremum privativè oppositum, tollitur per se primò privativè & aliud positivè, peccatum verò originale, tametsi tollatur per se primò per baptismum, ut rectè fuit definitum in Tridentino, non tamen inde sequitur consistere formaliter in privatione justitiæ conjungentis hominem cum DEO, sed in alio extremo positivo, ad quod consequitur privatio in ipso fundato, unde peccatum originale consistit quidem in eo, quod primariò tollitur per baptismum, non tamen per modum extremi privativè oppositi, sed tantùm per modum extremi contrariè oppositi gratiæ. Si dicas, peccatum originale consistere in eo, quod formaliter est mors animæ, juxta Conciliũ Arausicanum II. cap. 2. & Tridentinũ sess. 5. can. 3. Sed mors consistit in sola privatione vitæ, ergo peccatum originale consistit in privatione vitæ spiritualis, seu in carentia justitiæ conjungentis hominem cum DEO: consequenter peccatum originale non consistit formaliter in positivo, sed in privativo, & ex eo firmari potest, quia D. Anselmus lib. de conceptu virginali cap. 16. expressè ait: peccatum originale consistere formaliter in nuditate justitiæ debitæ, quæ nuditas cum supponat in subjectum debitum, & capacitatem ad formam oppositam est quid privativum, ait D. Anselmus, *hoc, quod peccatum originale dico, aliud intelligere nequeo in infantibus nisi ipsam, quam supra posui factam per inobedientiam Adæ justitiæ debitæ nuditatem*, ergo peccatum originale consistit formaliter in sola privatione justitiæ conjungentis hominem cum DEO. Sed contra, distinguitur major, peccatum originale est mors animæ, vel privatio conjungentis hominem cum DEO causativè, quatenus causat talem privationem per expulsionem gratiæ, conceditur, formaliter negatur, & concessa minore negatur consequentia: quia non solùm originale, sed etiam quodlibet peccatum lethale inducit mortem animæ per expulsionem gratiæ, & nihilominus peccatum lethale tum actuale, tum habituale dicit formaliter, quidditativè prædicatum positivum, ergo ex eo, quod peccatum originale inducat privationem justitiæ conjungentis hominem cum DEO, inde non sequitur consistere formaliter in privativo peccatum, enim de sua formali ratione dicit relationem, seu respectum ad objectum dissonum rectæ rationi, & in quod voluntas per peccatum fertur, hoc autem prædicatum relativum est positivum, non privativum, & ad illud consequitur privatio justitiæ originalis. Ad aliud, quod addebatur ex D. Anselmo respondetur, D. Anselmum tantùm ab effectu explicuisse peccatum originale per nuditatem justitiæ debitæ, quatenus peccatum originale causat per se hanc nuditatem; moris enim fuit apud Sanctos Patres explicare essentiam peccati originalis à Posteriori per privationem justitiæ conjungentis hominem cum DEO: hæc enim explicatio est captu facilior, & ostendit damnum illatum per peccatum: quamobrem cum Sancti Patres asserunt, peccatum originale esse nuditatem vel privationem, vel expoliationem justitiæ conjungentis hominem cum DEO, loquuntur in sensu causali, quatenus peccatum est causa talis nuditatis.

Dicendum est tertiò, neque peccatum originale consistere formaliter in reatu pœnæ. Ratio est clara

clara, quia hujusmodi reatus est formaliter obligatio ad pœnam, vel est ipsa dignitas pœnæ, neque excogitari potest, quod aliud possit formaliter importare reatus culpæ: sed sive reatus consistat formaliter in obligatione ad pœnam, vel in dignitate ejusdem, nequit formaliter constitutiva peccati originalis salvari per hujusmodi reatum: siquidem obligatio ad pœnam est quid consequens peccati, quia eatenus tenetur quis pœnam luere, quia deliquit; hæc enim causalis vera est, perinde ac obligatio satisfaciendi creditori, sequitur ad debitum contractum, quòd si debitor non possit in bonis externis satisfacere, obligatur luere pœnam in corpore, ita obligatio ad pœnam sequitur ad peccatum, quod propterea nequit consistere formaliter in hac obligatione subeundi pœnam. Præterea quia nemo à DEO obligatur ad pœnam, nisi quia per delictum se constituit dignum pœna: alioquin si DEus obligaret ad pœnam, & per hanc obligationem constitueretur peccatum, inde sequeretur DEum obligare ad peccatum, quod repugnat: unde stat hæc causalitas, eatenus est in homine obligatio luendi pœnam, quia se dignum pœnâ constituit per patratum delictum: sed dignitas pœnæ fundatur in culpa, quam supponit, consequenter nequit peccatum originale formaliter consistere in hoc reatu pœnæ. Præterea quia perseverante culpa potest non perseverare reatus ad pœnam: siquidem potest DEus ratione sui Dominii remittere peccatori obligationem ad pœnam, licèt non remittat culpam. Præterea certum est obligationem ad pœnam esse à DEO ut supremo legislatore taxante pœnam pro culpa: sed peccatum originale, nec adæquatè, nec inadæquatè potest causari à DEO, ut per se manifestum est: ergo non potest peccatum originale ullo peccato consistere in reatu pœnæ. Si dicas hanc obligationem ad pœnam non esse à solo DEo, sed etiam ab homine, quia tametsi DEus pœnam taxaverit pro culpa, adhuc si homo non peccet, non habetur in ipso hæc obligatio ad pœnam: ergo tametsi DEus taxet hanc pœnam, adhuc peccatum originale potest formaliter consistere in hac obligatione, quatenus hæc ponitur à creatura. Contra est, quia tota, & adæquata essentia peccati originalis est à solo homine, à quo tantùm fuit causata per prævaricationem, quando fuit divinam legem transgressus: sed obligatio ad pœnam saltem inadæquatè, ut conceditur, est à Deo: ergo obligatio ad pœnam non potest ingredi formaliter essentiam peccati originalis.

Quòd si instes, hanc obligationem ingredi essentiam culpæ originalis, quatenus est à solo homine. Contra quia ut obligatio ad pœnam, quatenus est à solo homine, ingrederetur essentiam culpæ formaliter, utique deberet esse ab homine tanquam terminus voluntarius suæ actionis; peccatum enim exigit essentialiter esse voluntarium: atqui hæc obligatio ad pœnam non est hominis voluntaria, quia si posset peccare, & contrahere hanc obligationem; libentius id præstaret; nemo enim est, qui desideret obligari ad pœnam: ergo obligatio ad pœnam, etiam prout dicitur esse à solo homine, non potest ingredi essentiam peccati originalis. Si instes, peccatum originale consistere in reatu pœnæ, non quatenus reatus dicit obligationem ad pœnam, sed prout importat dignitatem ad illam. Contra est, quia sicut dignitas præmii est dignitas meriti, ac bonitatis moralis, ad quam consequitur ut proprietas, ita dignitas pœnæ, è converso debet esse proprietas malitiæ moralis, ad quam sequatur: sed quod se habet consecutivè non potest se habere constitutivè, ut per se liquet, consequenter non potest hæc dignitas pœnæ ingredi essentiam peccati originalis; neque urget, si dicas, dignitatem pœnæ esse tantùm proprietatem culpæ actualis, & non ingredi essentiam ejus, eò quia se habeat consecutivè ad illam; non verò esse proprietatem culpæ habitualis cum hæc se habeat consecutivè ad actualem, consequenter non potest formaliter consistere in hac dignitate pœnæ, contra est, quia dignitas pœnæ perinde bipartitur in dignitatem actualem, & habitualem, sicut ipsa culpa: quis enim neget in peccatore tum actuali, tum habituali esse dignitatem pœnæ, unde sicut dignitas actualis est proprietas culpæ actualis: ita dignitas habitualis est proprietas culpæ habitualis, est enim utrinque par ratio. Tum quia dignitas pœnæ, quæ ante baptismum parvulis inest, si tantùm præsupponeret culpam actualem, cujus ipsi sunt incapaces, tantùm præsupponeret peccatum actuale Adami, & non culpam aliquam intrinsecam ipsis parvulis, qui, propterea punirentur non propter culpam propriam, sed tantùm propter culpam Adami, quod est hæresis Pelagianorum, non enim DEus punit innocentem ob culpam alterius nocentis, ergo peccatum originale nequit formaliter consistere in hac dignitate pœnæ, sed tantùm causaliter, quatenus causat in peccatore hanc dignitatem, in quo sensu intelligendi sunt Sancti Patres, docentes peccatum originale esse reatum pœnæ, sumunt enim effectum pro causa, quatenus reatus pœnæ est effectus culpæ, ad quam sequitur.

Dicendum quartò neque, peccatum originale consistere formaliter in ipso actuali peccato Adami non simpliciter, sed prout denominat extrinsecè omnes posteros peccatores propter divinam imputationem, & evincitur ex eò, quia Apostolus ad Roman. 5. ait: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*: verba Apostoli non possunt verificari de peccato actuali Adæ: siquidem tale peccatum se habuit per modum fluxus; & statim quoad suam actualitatem cessavit, id enim est de ratione cujusvis actus, qui distinguitur ab habitu quia, hic se habeat per modum permanentiæ, & ille per modum fluxus, sed peccatum quod parvuli contrahant, non se habet per modum fluxûs, sed per modum permanentiæ, quia tamdiu durat, quamdiu per baptismum non deletur: ergo peccatum originale non potest formaliter consistere in peccato actuali Adami prout denominante extrinsecè omnes posteros peccatores. Præterea, quia Apostolus asserit peccatum intrâsse mundum, sed verbum introire significat aliquid intrinsecum, quod transeat ad Posteros, alioquin, si peccatum secundùm sua propria prædicata intrinseca non transiret ad Posteros nonnisi impropriè diceretur ab Apostolo intrare in ipsos, ergo præter actuale Adami peccatum debet necessario quid aliud concedi, quod secundùm suum esse intrinsecum transeat ad posteros, in quos propterea dicatur introire, ergo peccatum originale non potest salvari per solam extrinsecam denominationem desumptam ab actuali peccato Adæ. Præterea quia denominatio extrinseca non ponit formam in subjecto denominato, paries enim extrinsecè denominatur visus non per formam inhærentem parieti, sed per visionem, quæ subjectatur in potentia visiva, & extrinsecè ter-

terminatur ad parietem, unde si peccatum originale esset tantùm ipsum peccatum actuale Adæ, prout extrinsecè denominat peccatores omnes postero inde sequeretur peccatum originale non contrahi à posteris, neque per lavacrum baptismi quidquam deberetur in parvulis baptizatis, quod esset illis intrinsecum, quod dici nequit, quia macula peccati contrahitur à parvulis, & intrinsecè iisdem inest. Firmatur ex eodem Apostolo ad Roman. 5. Ubi ait: *Sicut enim per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituuntur multi*: Sed in regeneratione homines non justificantur formaliter per Christi obedientiam, sed tantùm effectivè, quatenus ejus obedientia efficit in nobis justificationem, quia obedientia Christi est tantùm aliquid extrinsecum & in regeneratione spirituali non constituimur justi tantùm extrinsecè per imputationem justitiæ Christi; sed per veram intrinsecam justitiam nobis inhærentem: ergo pari pacto in generatione naturali non extrinsecè peccatores denominamur per imputationem peccati Adæ, sed per propriam iniquitatem nobis intrinsecè inhærentē maculamur, consequenter peccatum originale non potest salvari per solam extrinsecam denominationem, vel imputationem peccati Adæ; ex Apostolo enim sicut per unius obedientiam justi constituuntur multi, non per extrinsecam denominationem tantùm sed per gratiam sanctificantem intrinsecè, homines justi, & à qua intrinsecè denominantur justi, ita per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi non per extrinsecam denominationem, sed per formam intrinsecam inhærentem peccatoribus, ac eos intrinsecè denominantes, ac constituentes peccatores, alioquin paritas Apostoli suam non sortiretur energiam. Ergo peccatum originale salvari non potest per solam extrinsecam denominationem, vel imputationem peccati Adæ. Præterea quia Concilium Tridentinum sess. 5. can. 3. oppositum definivit: ait enim *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum inest unicuique proprium.* Hinc juvat argumentari peccatum originale ex Concilio Tridentino ad nos transfunditur non per imitationem, sed per propagationem: sed quod ita transfunditur, supponit esse intrinsecum illius, quod transfunditur in eis ad quos transfunditur: ergo peccatum originale non extrinsecè, sed intrinsecè debet posteris inhærere: ergo juxta definitionem Concilii Tridentini peccatum originale non consistit in sola extrinseca denominatione, sed in macula intrinsecè inhærente posteris. Præterea quia Concilium can. 5. definit, per baptismum tolli in nobis, ac remitti peccatum originale, non verò Concilium ait, quòd per baptismum nobis amplius non imputetur peccatum, atqui si peccatum, originale non esset nisi sola imputatio peccati Adami, per Baptismum tantùm tolleretur hæc imputatio, ergo peccatum originale non est sola denominatio extrinseca desumpta à peccato actuali Adami, sed revera est aliqua macula intrinseca posteris Adæ; juvat enim argumentari: Essentia peccati originalis ex Tridentino est aliquid, quod inest unicuique proprium, seu est aliquid quod intrinsecè constituit parvulos ante baptismum peccatores: sed peccatum actuale Adæ nonnisi intrinsecè comparatur ad parvulos, qui recens nascuntur, ergo peccatum actuale nequit constitui per peccatum actuale Adæ. Major constat ex Tridentino. Tum quia tametsi parvuli tantùm peccaverint in alios, sunt nihilominus verè & propriè peccatores in capite, & in se alioquin peccatum Adæ non inesset unicuique proprium contra Tridentinum: sed per formam extrinsecam parvulis, & intrinsecam capiti non possunt constitui peccatores in se, sed tantùm in capite: ergo ut sint peccatores habitualiter, non in alio, sed in se ipsis debet dari aliquid eis intrinsecum, in quo consistat peccatum originale.

Rejectis igitur aliorum sententiis dicendum est, peccatum originale quod contrahitur à parvulis, esse formaliter illud ipsum peccatum, quod habitualiter remansit in Adamo transacto actuali, adeo ut illud quidem peccatum habituale ad nos transfusum sit formaliter in Posteris peccatum originale, ita docent plures Theologi, & Sancti Patres, quia cum voluntates Posterorum fuissent transfusæ in voluntatem Adæ, ut capitis totius humani generis, adeo ut voluntas Adæ quoad transgressionem præcepti divini fuerit voluntas posterorum, sequitur, quod peccante Adamo actualiter per actum proprium elicitum ab ipso peccaverint etiam interpretativè & virtualiter omnes posteri; & sicut post actum ab Adamo elicitum remanserit in eodem habitus ejusdem peccati, ita etiam in posteris, hoc tamen discrimine, quòd si habitus peccati fuerit in Adamo deletus per pœnitentiam illi injunctam à DEO, in posteris non deleatur, nisi per actum fidei in parentibus, ut in lege naturæ vel per eundem actum, & circumcisionem, ut in lege Moysis, vel per baptismum in lege Christi. Suadetur assertum, quia peccatum originale debet aliquid esse, quod verè, & propriè sit peccatum, consequenter quod sufficienter sit voluntarium, & unicuique intrinsecum, & proprium, juxta Concilium Tridentinum; atqui hæc omnia non possunt convenire peccato originali, nisi sit macula singulis hominibus propria, ac intrinseca, eique persimillima, quam habuit Adam transacto actu, neque enim quid aliud habere potest propriam rationem peccati, ac esse singulis proprium, ac intrinsecum, consequenter peccatum originale in posteris est illud idem peccatum, quod mansit in Adamo habitualiter transacto actuali; & ut ad nos transfunditur, est formaliter peccatum originale. Major liquet ex Tridentino. Minor etiam patet, quia neque concupiscentiæ, neque privationi gratiæ, neque reatui pœnæ, neque peccato actuali Adæ, prout vobis imputata possunt illa omnia convenire, ut constat ex præcedentibus: ergo peccatum originale est formaliter illud habituale, quod remansit in Adamo transacto actuali, & ad nos transfunditur. Tum quia peccatum Adæ transfunditur in posteros, ut est certum de fide, & liquet ex præcitatis Scripturis, sed si quod in Adamo habuit rationem peccati, non esset peccatum in nobis, non posset peccatum Adæ dici transfundi in posteros, contra Concilium Tridentinum sess. 5. can. 3. ubi ait, peccatum Adæ propagatione, non imitatione transfusum inesse omnibus, ergo juxta definitionem Concilii, quod in Adamo habuit rationem culpæ, & transfunditur ad nos, est formaliter id, in quo consistit peccatum originale; consequenter peccatum originale est illud ipsum peccatum, quod habitualiter remansit in Adamo transacto actuali, & quod ad nos transfunditur.

Firmari ex eo potest, quia eo ipso, quod DEus constituit Adamum caput morale totius humani generis, & per pactum initum cum Adamo, ut superius

perius ostendimus, transtulit in voluntatem Adæ omnium posterorum voluntates, adeo ut voluntas Adæ fuerit moraliter, & interpretativè voluntas omnium posterorum, sequitur quod omnes posteri peccante Adamo peccaverint in ipso uti in capite, etenim si quis suam voluntatem transferat in voluntatem alterius, adeo ut quidquid hic faciat nomine illius censeatur facere, si peccet in utroque, resultat idem terminus specificè, quo in facto esse constituuntur ambo peccatores, sed DEus ob supremum suum Dominium transtulit in voluntatem Adæ voluntates omnium posterorum, adeo ut omnes posteri peccaverint in Adamo, ut in capite, ergo terminus ex tali peccato ad nos derivatur, & ratione cujus sumus peccatores in facto esse ejusdem est speciei cum illo qui permansit in Adamo transacto peccato actuali, & quo fuit constitutus Adam habitualiter peccator, ergo peccatum originale formaliter est illud ipsum peccatum, quod transacto actuali permansit habitualiter in Adamo, & ad nos fuit transfusum. Præterea quia ex eodem peccato actuali non possunt peccata habitualia specie diversa causari; perinde ac ex actibus ejusdem speciei non possunt causari habitus specificè diversi, sed peccatum originale, quod contrahunt parvuli & peccatum habituale, quod remansit habitualiter in Adamo transacto habituali causantur ex eodem specificè peccato actuali: ergo peccatum originale, quod contrahunt parvuli, non potest esse specie diversum à peccato habituali, quod mansit in Adamo transacto actuali: alioquin ab eodem actu causarentur plures habitus specificè distincti, quod adversatur veræ philosophiæ. Quod vero illud idem peccatum actuale Adæ causaverit tum peccatum habituale, quod remansit in Adamo transacto habituali, tum peccatum originale, quod contrahunt posteri, ex eo constat, quia Scripturæ Concilia, & Patres asserunt peccante Adamo omnes nos eodem peccato actuali etiam peccâsse propter transfusionem nostrarum voluntatū in voluntatem Adæ ut capitis totius humani generis: ergo quod remansit ex tali peccato actuali per modum termini in Adamo, & ratione cujus Adam fuit constitutus habitualiter peccator, illud idem contrahitur à Posteris in ratione illius constituuntur originaliter peccatores: ergo peccatum originale formaliter est illud ipsum peccatum, quod remansit habitualiter in Adamo transacto actuali, adeo ut idem illud peccatum habituale in Adamo, ut transfusum in posteros sit formaliter peccatum originale.

Ostenditur secundò veritas hujus assertionis, magisque declaratur assertum, quia si peccatum actuale Adami fuit moraliter, ac interpretativè peccatum omnium posterorum, adeo ut peccante actualiter Adamo nos etiam omnes moraliter peccaverimus eodem peccato, sequitur eadem specifica macula, quæ remansit habitualiter in Adamo transacto actu remanserit etiam in posteris, ad quos transfunditur; non enim ab eodem numero actu possunt causari habitus specie distincti, sed peccante actu & physicè Adamo, nos etiam omnes moraliter, & interpretativè peccavimus; ait enim Apostolus ad Roman. 5. *Et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Nec quid aliud est peccare in Adamo, quàm peccante Adamo etiam nos peccare, adeo ut illud idem peccatum actuale, quod physicè perpetravit Adam, omnes nos etiam moraliter perpetraverimus, unde peccatum originale est illud idem peccatum, quod habitualiter mansit in Adamo transacto actuali, & illud idem quatenus ad nos transfunditur, habet rationem formalem culpæ originalis. Præterea si fieri potuit, ut delinquente Adamo etiam omnes posteri moraliter deliquerint, necesse est asseramus peccante Adamo nos omnes in ipso etiam peccâsse: sed hoc fieri non potuit, quia ut peccante Adamo interpretativè peccare potuerint ejus posteri, nihil aliud desiderabatur, nisi ut DEus potuerit transfundere voluntates omnes posterorum in voluntatem Adæ ut capitis, adeo ut ejus physica operatio fuerit moraliter operatio omnium posterorum: sed potuit DEus ita transferre voluntates omnium posterorum in voluntatem Adæ, ut tenentur concedere omnes admittentes peccatum originale, quia non potuissemus aliter in Adamo peccare, si in voluntate Adami non fuissent inclusæ voluntates omniū posterorum; quia per hanc inclusionem fuit Adam constitutus caput morale totius humani generis, ut demonstravimus in præcedentibus, ergo illud idem peccatum actuale, quod Adam physicè elicuit, etiam nos moraliter, & interpretativè, quatenus voluntates nostræ erant ipsa voluntas Adæ ut capitis, elicuimus: consequenter sicut peccatum actuale causavit in Adamo peccatum habituale, seu maculam, quæ remansit transacto actuali: ita & posteri omnes: quotquot habebant voluntates inclusas in voluntate Adæ ut capitis, quia moraliter & interpretativè elicuerunt in Adamo peccatum illud idem actuale, causavit hoc idem actuale in omnibus posteris etiam peccatum habituale, seu maculam, quæ remansit transacto peccato actuali; adeo ut peccatum originale, quod contrahunt omnes parvuli, sit formaliter illa macula, quæ remansit habitualiter in Adamo transactio actuali, quatenus eadem macula contrahitur à Posteris. Si ita explicemus quidditatem peccati originalis solvantur Scripturæ, & Concilia, & facilè solvuntur, quæ ab Hæreticis objiciuntur.

Dicendum secundò hanc habitualem maculam causatam in Adamo à peccato actuali, quæque, prout transfusa in posteros est, formaliter peccatum originale consistere in termino positivo morali, quo omnes Adæ posteri ante baptismum sunt habitualiter conversi in ultimum finem creatum, & áversi à DEO; siquidem homo transacto peccato actuali lethali non solùm manet aversus à DEO, verum etiam positivè conversus ad creaturam, ut ad finem ultimum; sed hæc positiva conversio ad finem ultimum creatum est difformis regulis morum, & legi divinæ, ac fundat privationem justitiæ, & conversionis in DEum ut finem simpliciter ultimum, consequenter est conversio peccaminosa constituens hominem peccatorem: Sed hæc positiva conversio manet moraliter, & habitualiter transacta actuali conversione: ergo peccatum originale, quod mansit transacto peccato actuali Adæ, consistit in termino positivo morali seu in ipsa morali, perseverantia conversionis positivè in finem ultimum creatum: major, in qua potest esse difficultas, ex eo suadetur, quia homo semper habet vel actualiter, vel habitualiter finem aliquem ultimum, ad quem est formaliter conversus, proinde, si cum est in statu gratiæ, revera est positivè habitualiter conversus in DEum ut in finem ultimum; ita si existat in statu peccati vel lethalis vel originalis, est positivè conversus in finem ultimum creatum, consequenter transacto actu, per quem voluntas actu ferebatur positivè in finem ultimum creatum, remanet positiva habi-

habitualis conversio in eundem finem ultimum creatum, quia intelligitur moraliter perseverare eadem positiva conversio in eundem finem ultimum creatum, donec retractetur vel deleatur macula hujus conversionis. Praeterea quia aversio ab uno fine fundatur supra conversionem ad alium, atqui transacto peccato actualis manet peccator aversus à Deo, consequenter conversus in creaturam, quia non potest creatura se avertere à Deo, quin se convertat in creaturam: siquidem recessus à Deo non habetur nisi per accessum ad creaturam, seu conversionem ad illam, ergo transacto peccato actuali manet positiva conversio ad finem ultimum creatum, consequenter peccatum originale consistit in prædicato positivo.

Sed dices, si peccatum habituale consisteret in hac perseverentia conversionis in finem creatum, sequeretur, quod homo viribus propriis posset se à peccato liberare: siquidem posset illam positivam conversionem tollere per retractationem, quæ esset tantum attritio purè naturalis; sed hoc est contra fidem, ergo non potest peccatum habituale consistere in hac perseverantia conversionis in finem ultimum. Contra est, negatur sequela majoris, quia non quæcunque retractatio est sufficiens ad tollendam illam perseverantiam conversionis in finem ultimum creati, sed debet esse talis retractatio, quæ convertat creaturam in finem ultimum supernaturalem, eò quia conversio ad finem ultimum creatum, secum traxit aversionem à fine ultimo supernaturali: sed hæc conversio in finem ultimum supernaturalem non potest haberi per retractationem purè naturalem, nec per simplicem attritionem seorsim à Sacramento: sed vel per attritionem junctam cum Sacramento, vel per contritionem, sed pura creatura neutrum actum sine speciali auxilio supernaturali potest elicere, quo fit, ut non possit homo propriis duntaxat innixus viribus tollere hanc conversionem in finem ultimum creatum. Sed dices, si peccatum originale verè consisteret in hac positiva morali conversione in finem ultimum creatum plura inde sequerentur absurda. Primò quod parvuli permansissent habitualiter conversi ad pomum vetitum, eò quia Adam per conversionem ad illud se avertit à Deo. Secundò quia deberetur parvulis aliqua pœna sensus; hæc enim sequitur ad conversionem in finem ultimum creatum, quia talis conversio est peccaminosa, & præfert creaturam creatori, finitum infinito. Tertiò, quia ut remittetur culpa originalis, esset necessaria contritio in parvulis, quod absurdum est: siquidem conversio habitualis non tollitur ex natura rei, sed tantùm per retractationem: neque ex alia ratione requiritur in adulto præcedens retractatio ad remissionem peccati personalis nisi quia in ipso reperitur conversio in finem ultimum creatum: ergo peccatum originale non potest consistere in hac positiva conversione in finem ultimum. Contra tamen, quia nullum sequitur inconveniens ex eo, quod parvuli dicantur ante baptismum moraliter positivè converti in idem objectum ad quod se convertunt per peccatum actuale capitis: sicut enim voluntates posterorum fuerunt transfusæ in voluntatem capitis, & voluntas capitis fuit conversa in pomum vetitum ita & voluntas posterorum, & sicut post transactum actum voluntatis Adæ perseveravit eadem conversio, ita etiam in posteris, in quibus non tollitur nisi per baptismum in lege Evangelica. Ad secundum negatur sequela, quia pœna sensus non debetur cuilibet conversioni, sed ei duntaxat, qua voluntas per actum proprium physicè ab ipsa elicitum convertitur in finem ultimum creatum, parvuli autem non se converterunt in finem ultimum creatum per actum physicè ab ipsis elicitum, sed tantùm moraliter, & interpretativè per actum physicè elicitum ab ipsa voluntate Adami, ut capitis totius humani generis, ex quo sequitur parvulorum conversionem positivè in finem ultimum creatum non esse debitam pœnam ullam sensus. Ad tertium itidem negatur sequela quia retractatio tantùm requiritur ex natura rei ad remissionem culpæ, quæ per actum proprium & physicè elicitum à propria voluntate contrahitur: parvuli autem non contrahunt culpam originalem per actum, qui physicè eliciatur ab eorum voluntate, sed tantùm moraliter, & interpretativè quatenus eorum voluntates fuerunt transfusæ in voluntatem Adæ, ut capitis totius humani generis.

# CAPUT IV.

## De pœnis peccati originalis in præsenti, & altera vita.

Certum est, peccatum protoparentis, quo præceptum sibi à Deo injunctum non comedendi de fructu arboribus scientiæ boni & mali, transgressus fuit, posse dici siquidem illam Pandoræ, è qua, ut aiunt Poëtæ, omnia scelerum portenta, supplicia, calamitates, dolores, ægritudines, ærumnæ, hominum cædes, fames, bella morborum agmina, & mors ipsa eruperunt; inde enim ruunt è cœli procellis tonitrua, fulgura, fulmina, turbines, grandines. Morsus enim, quo Adam pomum momordit, è Paradiso ipsum & totum humanum genus exclusit, eiecitque in hanc lachrymarum vallem, ubi miseriæ sunt continuæ, fluctus ingentes, & naufragia quotidiana, & ipse Adam commeruit pœnam solus diffudit in omnes, seque & posteros omnes morti effecit obnoxios, & quod unus deliravit, omnes plectuntur posteri. Hinc dicendum est, mortem corporis, & omnes prærecensitas miserias esse pœnas, quas nobis influxit Adæ peccatum, adeo ut morbi dolores, ærumnæ, & alia id genus mala, quæ nostrum corruptibile torquent corpus, pœnæ sunt, & effectus peccati Protoparentis, & ita censent Catholici omnes contra Pelagium, ejusque asseclas, negantes ullum in nos transiisse malum ex Adæ peccato, asserentes, illi soli nocuisse; quod est contra doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, & adversatur Concilio Palestino I. & aliis Conciliis, Milevitano, Carthaginensi, Arausicano, & tandem Tridentino, quæ Concilia in contrarium statuunt, ac definiunt, quod si Adam perstitisset in veritate, ejus Posteri futuri essent immortales, ab omni corporea afflictione liberi, non ex

ex vi ipsius naturæ, ut censuit Michael Baldus, sed ex sola gratia, & speciali privilegio. Hæc veritas evincitur ex sacris scripturis Sapien. 2. *Fecit Deus hominem inexterminabilem, & ad imaginem & similitudinis suæ fecit illum*, seu ut habetur in textu Græco: *Fecit Deus hominem ad immortalitatem: ad imaginem sempiternitatis suæ fecit illum.* Rursus mortem nobis infligi ob Adæ peccatum, expressè habetur Genes. 2. *In quacunque die comederis, ex eo morte morieris*, adeo ut transgressio præcepti fuerit causa, cur homines sint morti obnoxii: hinc habetur stipendia peccati mors: *Per unum hominem mors intravit in mundum*: Nec ullum facessit negotium, quod consueverant respondere Pelagiani, fuisse puerum in illo statu mortuum, quem parentes sine omni cibo, & potu reliquissent, siquidem id non erat possibile in statu illo innocentiæ, quia Deus impedivisset causas illas, ex quibus potuisset natura deficere. Rursus peccatum originale aliqua pœnæ puniri, veritas est catholica, & colligitur ex D. Paulo ad Ephes. 2. ubi comparat Judæos cum Gentilibus & Judæorum nomine ex quorum numero erat Paulus, qui ait: *Eramus netura filii iræ sicut & cbteri*, seu ut explicat D. Thomas lect. 1. in fin. *Eramus natura, id est, per originem naturæ, non quidem naturæ, ut natura est, quia sic bona est, & a Deo, sed naturæ ut vitiata est, filii iræ, vindictæ, pœnæ, & gehennæ*, quapropter possumus argumentari omnes homines sunt natura filii iræ, seu objectum divinæ indignationis, consequenter sunt natura digni pœna, sed non ratione naturæ ut simpliciter est natura, quia hæc est bona, & à Deo consequenter incapax constituendi hominem dignum pœna, quia hæc soli culpæ est debita, consequenter mors & ærumnæ hujus vitæ tantum debentur homini ratione culpæ in conceptione contractæ una cum ipsa natura, ergo mors, & ærumnæ hujus vitæ sunt pœnæ, quæ infliguntur ob peccatum originale; si enim homo non peccâsset, esset immortalis, in hoc sensu, ut nunquam moreretur, sed ad statum gloriæ migrâsset absque separatione animæ à corpore, seu absque interventione mortis corporalis, idque ratione originalis justitiæ, seu status innocentiæ, sed si Adam non peccasset hæc eadem justitia originalis fuisset in posteros transfusa, quia propterea fuissent in eodem statu innocentiæ originalis, ergo non peccante Adamo, nec nos cuissemus obnoxii morti; consequenter mortalitas est pœna peccati originalis, quia mors sequitur carentiam justitiæ originalis atqui carentia hujus justitiæ est pœna originalis peccati, ergo etiam mors: hinc Genes. 2. *In quacunque die comederis, ex eo morte morieris*, quæ verba explicant communiter Sancti Patres de morte corporali inducenda in mundum per peccatum protoparentis: unde si Adam non peccasset, nunquam fuisset homo huic morti obnoxius, hinc sequitur, quod mors sit pœna peccati originalis, quapropter Apostolus ad Roman. 5. ait: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit*, seu omnes homines sunt morbis doloribus, miseriis, & morti obnoxii, per peccatum Adæ, quod interpretativè & moraliter fuit etiam peccatum Posterorum, quorum voluntates transfusæ fuerunt voluntati Adæ.

Objiciunt tamen Hæretici, quia non videtur, quomodo mors corporalis esse possit pœna peccati originalis, siquidem, ut docet Philosophus, cessante causa necessè est cesset etiam effectus à tali causa causatus: quapropter cessante causa mortis corporalis deberet hæc etiam cessare: sed peccatum originale, quod dicitur causa mortis corporalis, deletur, & cessat per lavacrum baptismi, & nihilominus adhuc homines baptizati obnoxii sunt morti corporali: ergo mors non videtur esse effectus peccati originalis: neque pœna inflicta pro peccato originali: siquidem pœna est effectus delicti, ad quod necesse est, dicat relationem: sed contra distinguitur major cessante causa per se, & adæquata, cessat effectus, transeat major, quia non semper est necesse, si semel causa effectum produxit, iste cesset cessante causa; semel enim quod effectus accepit esse à causa, potest perseverare in suo esse, quamvis causa cesset: siquidem non omnis effectus in conservari dependet à causa creata. Quamobrem cessante causa per se & adæquatè dicitur cessare effectus in hoc sensu, quatenus effectus cum recipiat primum suum esse à causa, si hæc non esset, neque posset effectus ab illa suum esse recipere: sed cessante causa per accidens, & inadæquate non est necesse cesset effectus & in hoc sensu negatur major, & concessa minore negatur consequentia; quia peccatum originale est tantùm causa per accidens, quatenus Deus statuit conferre homini gratiam præservantem à morte; & hanc gratiam non auferri, nisi in pœnam peccati, quod non est causa adæquata mortis, quia cessante peccato potest remanere moriendi necessitas, ut de facto contingit: quia Deus licet per lavacrum baptismi remittat peccatum quoad reatum culpæ, & pœnæ æternæ, non tamen removet hoc, quod est esse hominem morti corporali obnoxium: siquidem vult Deus hominem esse passibilem, pluribusque obnoxium doloribus, ærumnis, & infirmitatibus, ut inde beneficio gratiæ divinæ occasionem desumat merita cumulandi.

Neque inde sequitur, quod per baptismum non remittatur perfectè, & adæquatè peccatum originale, ut inferebant Hæretici, eò quia non remittatur perfectè peccatum, nisi remissa omni pœna; non enim offensus perfectè reconciliatur offendenti, nisi restituatur totum, quod fuit oblatum per offensam: unde si mors est pœna peccati originalis, cum hæc pœna non tollatur, sequitur peccatum originale non remittitur totaliter, & adæquatè per baptismi lavacrum. Nam id non sequitur, quia peccatum originale per baptismum remittitur totaliter, & adæquatè, quoad causam, & effectum principaliorem, seu pœnam æternam: secus pœna temporalis qualis est mors non remittitur per baptismum, sicut neque extinguitur concupiscentia, neque eradicantur pravi, qui homini insunt, affectus rebellantes rectæ rationi, neque cessant ærumnæ, labores, dolores, & alia miseriæ, quibus est homo baptizatus obnoxius, quia Deus nos voluit post peccatum milites ac pugiles in hac vita, ut per pugnas ac victorias æternam nobis comparemus gloriam, juxta illud D. Pauli: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Quamobrem cum Deus ad virtutum exercitia has temporales pœnas nobis per peccatum inflictas non remittat, inde non sequitur Deum per baptismi lavacrum non remittere perfectè & adæquatè peccatum, quoad causam, & primarium ac principaliorem effectum, qui est pœna æterna, quam per peccatum promeruimus: aliæ pœnæ corporales relictæ

iſtæ propter tales fines ſunt potius media ad pugnam, & victoriam, quò inde majus acquiramus gloriæ incrementum.

Dices ſecundò mors corporalis eſt homini connaturalis, ſicut cæteris animantibus ratione materiæ & corporeitatis: quod autem convenit homini connaturaliter non poteſt in ipſo dici pœna peccati, quia eſt in homine ex neceſſitate naturæ non ex malitia delicti, conſequenter mors non videtur eſſe peccati originalis. Minor, in quo ſola eſt difficultas ex eo oſtenditur, quia quod naturaliter convenit alicui, debetur illi ex principiis intrinſecis naturæ: quod autem mors ſit homini connaturalis, ex eo etiam evincitur, quia ſi fuiſſet homo conditus in ſtatu puræ naturæ, adhuc fuiſſet homo in tali ſtatu morti obnoxius; quamvis nullum præceſſiſſet in tali ſtatu peccatum, ex quibus conſtat mortem eſſe homini connaturalem, & non pœnam peccati originalis, ſine quo adhuc fuiſſet homo morti obnoxius. Sed contra diſtinguitur minor, quod naturaliter convenit homini, non eſt in ipſo pœna peccati, ſi ſit aliquod naturale per modum vel prædicati eſſentialis vel proprietatis metaphyſicè emanantis, ac virtualiter fluentis ab eſſentia hominis conceditur minor; ſi ſe habeat per modum accidentis connaturalis ſubdiſtinguo, ſi non ſupponatur impeditum per gratiam concedo minorem; ſecus nego minorem & conſequentiam: mors autem non eſt prædicatum ullum eſſentiale, quod conſtituat hominem phyſicè vel metaphyſicè in eſſe hominis, ſiquidem mors non eſt prædicatum poſitivum, ſed pura privatio: nec eſt proprietas metaphyſicè dimanans ab eſſentia hominis, quia hujuſmodi proprietates ſunt poſitivæ, cujuſmodi ſunt in homine ratio admirativi, riſibilitas, quæ ſunt proprietates metaphyſicè fluentes ab eſſentia hominis, ſuntque poſitivæ.

Mors igitur eſt tantùm quoddam accidens naturale, & ſeparabile, ac de facto ſupponebatur impeditum in homine per juſtitiam originalem, ſi permanſiſſet in ſtatu innocentiæ ſiquidem juſtitia originalis talem conferebat animæ virtutem ut corpus ſibi ſubjiceret, ac eximeret à corruptione: ſiquidem amiſſio juſtitiæ originalis, quæ impediebat corruptionem, & mortem, fuit pœna peccati originalis, etiam mors, quæ inde ſecuta fuit ad carentiam juſtitiæ originalis dicitur & ipſa pœna, & effectus peccati originalis, quatenus peccatum abſtulit juſtitiam originalem, quæ mortem impediebat: unde cum mors ſe habeat conſecutivè ad privationem juſtitiæ originalis, cujus perſeverantia mortem impediviſſet; ex eo, quod eſt privatio juſtitiæ fuerit pœna, & effectus peccati bene ſtat etiam mortem effectum dici, & pœnam peccati.

Neque obſtat, ſi dicas mortem perinde homini competere, ac cæteris animantibus, quibus convenit naturaliter, & non in pœnam peccati, cujus non ſunt capacia; conſequenter etiam homini convenire naturaliter, & non in pœnam peccati. Contra eſt; diſtinguitur major perinde convenit homini, ac cæteris animantibus, adeo ut in homine non potuerit impediri per juſtitiam originalem præſervantem à morte, nego majorem; adeo ut potuerit impediri concedo majorem, & conceſſo itidem minore, negatur conſequentia, quia tametſi mors ſumpta materialiter conveniat homini perinde ac cæteris animantibus, nihilominus hoc habet homo ſpeciale præ animantibus, quia eſt capax gratiæ præſervantis à morte: & quia hæc gratia præſervans à morte erat in homine virtus juſtitiæ originalis, cujus beneficio fuiſſet homo ſemper conſervatus in vita, & cum ipſa ſemper manſiſſet homo, niſi peccâſſet; ideo quia peccavit, & amiſit juſtitiam originalem, conſtituit ſe obnoxium morti, quia mors ſublata juſtitia originali, ſequitur naturaliter in homine perinde ac in cæteris animantibus: hinc eſt, quod in ſolo homine non in cæteris animantibus ſit mors pœna peccati, quia quamvis homo, & alia animalia, eò quia conſtent ex materia, quæ eſt radix corruptionis ſint naturaliter morti obnoxia; quia tamen DEus condidit hominem cum juſtitia originali, quæ præſervabat à morte, & corruptione, ideo fuit homo conditus immortalis per gratiam ſeu originalem juſtitiam, quam cum poſtea per peccatum amiſerit, ad privationem juſtitiæ originalis mors fuit ſecuta ut effectus talis peccati.

Si urgeas neceſſitatem moriendi, & mortalitatem non eſſe in homine pœnam peccati originalis, ſed eſſe prædicatum eſſentiale homini, id ſolet etiam definiri, animal rationale mortale: conſequenter neque mortem poſſe eſſe pœnam peccati, eò quia ſe habeat conſecutivè ad mortalitatem in homine contra eſt, quia dupliciter poteſt conſiderari mortalitas, eſt prædicatum eſſentiale; quæ ſi ſumatur inadæquatè ſecundum quod dicit poſitivè tantùm conceditur; ſi ſumatur adæquatè prout complectitur poſitivum, & negativum ſimul negatur antecedens, & conſequentia, quia mortalitas præter principium corruptionis, ſeu materiam primam, quæ à Philoſopho dicitur radix corruptionis, & eſt quid poſitivum, includit in homine aliud prædicatum negativum ſitum in carentia juſtitiæ originalis impedientis corruptionem, & mortem: mortalitas igitur inadæquatè, prout dicit principium poſitivum corruptionis, eſt homini eſſentialis perinde ac materia prima, quæ radix eſt corruptionis, loquimur enim de eſſentia phyſica, ſeu de compoſito phyſico coaleſcente ex anima rationali & corpore, hinc mortalitas radicatur in principio, quod eſt homini eſſentiale, ſed ſi ſumatur mortalitas, ut dicit privationem juſtitiæ originalis impedientis corruptionem, & mortem, non eſt eſſentialis, nec proprietas hominis, ſed quoddam accidens & ſeparabile, ut de facto ſeparabitur mortalitas in cœleſti patria per dotem incorruptibilitatis, & in damnatis per extrinſecam Dei providentiam: ſi enim Adam non peccâſſet fuiſſet etiam hoc accidens ſeparatum ab homine per juſtitiam originalem, conſequenter mors eſt pœna peccati originalis, quatenus per hoc peccatum amiſit homo juſtitiam originalem, quæ præſervabat à corruptione ſiquidem inerat juſtitiæ originali virtus, quâ corpus ſubjiciebatur perfectæ animæ, & à corruptione reddebatur immune: & quia hæc juſtitia originalis perſeverâſſet in homine, ſi non peccaſſet, ideo quia per peccatum amiſit juſtitiam originalem ad cujus privationem ſequitur in homine naturaliter mors, dicitur eſſe mors effectus, & pœna culpæ originalis.

Præter mortem ſunt etiam effectus peccati originalis quatuor vulnera animæ illata, quæque fuerunt ſubſecuta per ſubtractionem juſtitiæ originalis, quorum primum fuit inflictum in intellectu, eſtque ignorantia tum negativa, quatenus plura, imò & propemodum innumera nunc ignoramus quæ in ſtatu innocentiæ nobis innotuiſſent: tum poſitiva, qua in multis decipimur,

in quibus clarissimè eramus perspecturi charitatem, ac de iisdem rectè judicaturi: siquidem ex justitia originali emicuisset quidam radius, qui omnes ab intellectu excussisset caligines, ac errorum tenebras omnemque expulisset obscuritatem. Nunc verò per peccatum originale tenebris obsiti cæcutimus, ac cæci vivimus, deque tenebris interioribus, nisi opem ferat gratia Dei per JEsum Christum ruimus in tenebras exteriores æternæ damnationis.

Secundum vulnus inflictum fuit voluntati, estque malitia, quæ voluntatem corrumpit: humana voluntas, si non peccâsset homo, per justitiam originalem mansisset addicta bono honesto juxta dictamina rectæ rationis, nec declinaret pravo affectu ad bona sensibilia per peccatum verò originale destituitur voluntas hoc frœno gratiæ, & adhæret bono delectabili etiam contra dictamen rectæ rationis ad hanc etiam adhesionem ad bona sensibilia sequitur torpor circa superna, & cælestia, & quædam propensio ad creaturas, ad quas voluntas se facilè convertit, deferens creatorem & præferens temporalia æternis.

Tertium vulnus inflictum fuit appetitui concupiscibili, estque illa concupiscentia, quæ radix dicitur omnium malorum, & corruptrix bonorum estque veluti aversa fornax intra ipsam animam, quam excitat ad prosequendum bonum delectabile etiam rationi dissonum: quamobrem concupiscentia, quæ est tertium vulnus nobis inflictum per peccatum originale, est ipsemet appetitus bonorum sensibilium, & temporalium, ut tumultuans & rebellis rationi, quam prævenit, & cui adversatur, neque expectat, ut ei voluntas imperet, imò si hæc subinde imperet, non audit, & dici etiam solet fomes peccati.

Quartum vulnus est in appetitu irascibili, estque infirmitas, qua homo negligit studia pietatis torpet in exercitiis virtutum, & circa bona honesta languescit: è converso est semper vegetus, facilis, & erectus circa prosecutionem bonorum sensibilium adversantium rationi. Sancti Patres eleganter explicant hæc vulnera exemplo illius hominis, qui descendebat ab Jerusalem in Jericho, ubi in itinere à grassatoribus pluribus inflictis vulneribus saucicatus fuit, ac semivivus relictus. Neque audiendi sunt Novatores, qui circa prærecensita quatuor vulnera inflicta per peccatum originale plura adstruunt prorsus absona; etenim circa primum vulnus asserunt hominem talem per peccatum contraxisse ignorantiam, ut hæc quamvis sit invincibilis, & non possit vitari, non tamen excuset à peccato; asserunt enim, sufficere, si Adamus hanc scientiam habuerit, ac peccaverit, adeo ut nunc ad peccata nostra, quæ sunt pœna peccati nulla exigantur malitiæ notitia, quæ doctrina falsa est, fuitque propositio 68. Michaelis Bay inter damnatas à Pio V. & Gregorio XIII. Secundus error est circa concupiscentiam; censent enim, hanc non esse naturalem potentiam, sed qualitatem impressam ex peccato, seu sentinam omnium peccatorum, adeo ut omnes motus concupiscentiæ, actusque amoris circa creaturas propter se ipsas sint semper peccata gravia, ut etiam quævis delectatio, quæ actu non refertur ad Deum; qui errores fuerunt etiam propositiones Bay inter damnatas à Pio V. & Gregorio XIII. 74. & 75. Tertiò circa libertatem etiam gravissimè errant Jansenii Asseclæ docentes per peccatum extinctam penitus esse omnem libertatem à necessitate, & nullam superesse nunc indifferentiam ad agendum vel non agendum, & ad peccatum sufficere liberatem à coactione, non verò à necessitate; adeo ut libertas, quæ in statu naturæ integræ constituebatur per indifferentiam ad agendum, vel agendum nunc ratione peccati mutata natura, tantùm consistat in ratione voluntarii, cui non repugnet necessitas, adeo ut ipsa gratia omnino necessitet, qui errores fuerunt etiam damnati in propositionibus 65. & 66. Michaelis Bay.

An verò concupiscentia sit pœna peccati originalis, respondetur affirmativè, quia Concilium Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali cap. 5. statuit; Concupiscentiam in renatis ad agonem remanere, & non consentientibus non nocere; & à D. Paulo vocatur etiam peccatum, non quod verè, & propriè in renatis per baptismum sit peccatum, sed quia est ex peccato, & ad peccatum excitat, proinde dicitur non formaliter; sed causativè peccatum: ex quo probatur facilè concupiscentiam esse pœnam & effectum peccati: siquidem ex D. Paulo eatenus Concupiscentia dicitur peccatum, quia procedit à peccato; sed non aliter à peccato procedit, nisi demeritoriè in genere causæ moralis, & quod ita procedit à peccato, est pœna peccati: ergo concupiscentia est pœna peccati originalis. Præterea quia concupiscentia ideo est mala, quia est lex carnis, quæ adversatur legi mentis, & motus ex illa procedentes sunt dissoni rectæ rationi, quapropter ajebat D. Paulus; *sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ.* Sed lex mentis est lex rectæ rationis, & bona consequenter lex, quæ ei repugnat, est mala, ac principium motuum, qui adversantur rationi, quapropter constat, concupiscentiam ut causantem motus rationi adversantes esse malam, & homini ut rationali disconvenientem: sed certum est concupiscentiam non esse malum culpæ, siquidem perseverat in hominibus justificatis per gratiam, ut etiam de se ipso testatur D. Paulus, ergo sequitur, esse malum pœnæ: sed malum pœnæ est effectus præcedentis delicti: ergo concupiscentia est pœna peccati originalis. Concupiscentiam non esse malum culpæ ex eo itidem est probatu facile, quia per baptismum non extinguitur, tametsi deleatur omne id quod habet rationem culpæ, ut fuit definitum in Tridentino, ergo non est malum culpæ sed tantum pœnæ. Præterea quia concupiscentia est à Deo ut à sola causa efficiente. Sed à Deo non potest esse culpa, ut per se liquet, ergo superest, ut sit tantum malum pœnæ, & effectus peccati originalis. Alii tamen respondent, concupiscentiam non esse malum culpæ, nec pœnæ, sed tantùm malum physicum, & naturale, quod consequitur naturam rationalem coalescentem ex utroque appetitu sensitivo & rationali, idque ex eo firmant, quia in statu puræ naturæ, in quo nullum præcessisset peccatum, fuisset homo expertus concupiscentiam, quæ propterea non est malum pœnæ, nec culpæ, sed tantùm physicum, & naturale, sed contra, quia concupiscentia dupliciter sumitur, ut dicit principium positivum motuum, qui oriuntur ex concupiscentia; & secundò ut connotat privationem subjectionis ejusdem ad dictamina rectæ rationis: si consideretur concupiscentia priori modo, utique est proprietas naturalis se habens consecutivè ad naturam rationalem compositam ex utroque appetitu, rationali & sensi-

sensitivo: sin autem consideretur, ut dicit privationem subjectionis ad rationem, est pœna peccati; quia DEus condidit hominem cum justitia originali; ratione cujus concupiscentia subjiciebatur rationi; & perseverâsset homo cum eadem subjectione, si non peccâsset; hinc quia in pœnam peccati fuit homo spoliatus justitia originali, fuit etiam privatus hac subjectione concupiscentiæ ad rationem; hinc liquet quomodo concupiscentia ut privata hac subjectione ad rectam rationem sit pœna peccati originalis.

Quod si dicas, omnem pœnam esse à DEO, ut effectum illius, eò quia pœna propter delictum à DEO taxetur: atqui concupiscentia non potest à DEO causari, quia, ut asserit D. Paulus ad Roman. 7. Concupiscentia est lex carnis repugnans legi mentis; & lex carnis opposita legi mentis non potest esse à Deo alioquin duæ legis contrariæ essent à Deo positivæ; consequenter concupiscentia non potest esse pœna peccati originalis. Sed contra, negatur minor; quia concupiscentia non dicitur à D. Paulo esse directivè, aut regulativè lex carnis, quasi ipsa sit regula nostrarum actionum; sed tantùm participativè, quatenus est effectus divinæ legis punientis; unde D. Paulus nostræ non adversatur assertioni, sed potiùs illam affirmat, quia concupiscentia, tantùm ut dicit privationem subjectionis ad rationem; eidem adversatur, quia illi non subjicitur, in quo sensu dicitur à D. Paulo lex carnis, non regulativè; sed participativè, quatenus est effectus divinæ legis punientis: siquidem concupiscentia, quæ in statu justitiæ originalis habuisset subjectionem ad rationem, cui non repugnâsset: sublata in pœnam peccati hac subjectione ad rationem, adversatur eidem, ut est pœna peccati, consequenter rectè ajebat D. Paulus: *Sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ.* Sed instabis, quia tametsi concupiscentia non sit formaliter peccatum, nihilominus inclinat ad peccatum, ac invitat ad illud, qua ratione à D. Paulo, & Augustino dicitur peccatum, non formaliter, sed causativè: sed DEus non potest effectivè inclinare ad peccatum, nec incitare, & invitare ad illud, alioquin foret causa peccati: etenim quia consilium & persuasio inclinant ad opus consiliatum, non potest DEus persuadere peccatum, consequenter cum concupiscentia inclinet ad peccatum, non potest esse à DEO, proinde neque pœna peccati originalis: siquidem pœna peccati infligitur à solo DEO, à quo taxatur pœna pro peccato: sed contra; distinguitur major concupiscentia excitat & inclinat ad peccatum formaliter in ratione malitiæ, negatur: materialiter in ratione entis physici, conceditur, eodem pacto distinguitur minor: DEus non potest effectivè inclinare ad formalem malitiam peccati, concedo minorem ad entitatem materialem physicam, nego minorem, & consequentiam: ratio est, quia concupiscentia ex se non inclinat ad formalem malitiam peccati, sed tantùm ad bonum sensibile, cui subinde adnexa est malitia, ad quam inclinat voluntas, ut vitiata. Docent verò Theologi, DEum concurrere ad materiale peccati juxta exigentiam causæ secundæ, & per concursum universalem debiti causæ primæ in ordine ad concurrendum cum secundis juxta illarum exigentiam, in quo sensu dicitur inclinare ad materiale peccati; neque in hoc ulla relucet inconvenientia, quia materiale peccati non est peccatum, quia materiale in id est indifferens, ut bonum sit vel malum.

Quid verò dicendum sit de pœnis peccati originalis in altera vita, adeo difficilis visa est hæc quæstio de pœna infligenda parvulis decedentibus cum peccato originali ante lavacrum baptismi, ut Augustinus Epist. 28. dixerit: *Ad pœnas tum ventum est puerorum, magnis mihi crede coarctor angustiis; nec quid respondeam, prorsus invenio.* Duplex consideratur pœna, in decedentibus cum peccato originali ante baptismum damni una; altera sensûs, certum est parvulos decedentes cum peccato originali puniri pœna damni æterna, perinde est ac privari perpetuo cœlesti beatitate; ac visione clara DEI; & est certum de fide, & definitum in pluribus Conciliis contra Pelagium, & ultimò contra Calvinum, quorum primus asserebat, pueros decedentes sine baptismo æterna donari beatitate, sed extra cœlestem patriam: Calvinus verò voluit, parvulos fidelium sanctificari per fidem parentum adhuc existentes in matris utero. Major difficultas est circa pœnam sensûs, an parvuli decedentes sine baptismo defacto torqueantur utraque pœna, damni, & sensus: quod enim puniantur pœna damni est certum de fide. Hinc dicendum est, spectata gravitate culpæ originalis sub ratione offensæ DEI posse parvulos decedentes sine baptismo puniri absque ulla injustitia utraque pœna, damni & sensus; ut docet D. Thomas in 4. dist. 46. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 1. ubi ait: *Ad quartum dicendum, quòd pro peccato originali secundùm rigorem justitiæ non solum debetur naturæ pro pœna carentia visionis divinæ, sed etiam ipsius annihilatio, & ideo ex eo, quòd conservantur pueris non baptizatis naturalia bona, citra condignum puniuntur.* Hinc Jeremias Thren. 3. *Misericordia Domini, quòd non sumus consumpti*: sed eo ipso, quòd peccatum originale est adeo grave, ut absque ulla injustitia possint parvuli non solùm puniri æterna pœna damni, verùm etiam in nihilum redigi, sicque DEI misericordia, si non annihilentur: sequitur, quod possint etiam puniri absque ulla injustitia æterna pœna sensus: siquidem est minus malum, miserè esse, quàm simpliciter non esse, ut fusè probat D. Augustinus 3. *de libero arbitrio.*

Ex eo itidem evincitur, quia voluntas in esse naturæ non potest appetere, potius non esse quàm miserè esse, ac perpetuis miseriarum cumulis angi: siquidem voluntas in esse naturæ habet sibi impressam propensionem ad id, quod est sibi consentaneum, & conveniens, seu ad proprium quietativum, adeo ut quivis naturalis motus voluntatis sit propter quietem: illuc enim tendunt motus potentiarum, in quod ipsæ potentiæ naturalem habent propensionem, & quia talis motus dirigitur à propensione potentiæ, ideo quo vergit potentia illuc, & ejus motus tendunt. DEus enim ut sapientissimus naturæ author, cuique potentiæ quoddam impressit veluti pondus, quo propenderent in sibi conveniens ac bonum: & quia appetitus est propensio explebilis, habet sibi impressum pondus ad proprium expletivum, & quietativum, adeo ut quilibet motus appetitus, utpote emanans & directus, ab hac propensione ei à DEO impressa sit propter quietem, seu expletivum potentiæ: sed non esse simpliciter non potest esse expletivum, neque quietativum naturæ, seu appetitus considerati in esse naturæ, quia expletivum, seu quietativum perficit explebile, & non esse simpliciter tantum abest, quod perficiat, ut potiùs interimat ac destruat: ergo claret, non posse quempiam motu naturali appetere, potius simpliciter

citer non esse quàm miserum esse. Firmari ex eo itidem potest, quia natura non odit pœnale, nisi propter desiderium quietis ab illa pœna, qua torquetur, & male se habet, unde non optat natura omnimodè non esse, sed tantùm esse sine miseriis; hinc Augustinus lib. 3. de libero arbitrio ait: *Si quis dicat, non esse magis, quàm misere esse vellem, respondebo mentiris, quia cum esse miserum nolis, esse tamen vis*: Et revera id est nolle miseriis angi, quàm velle à miseriis quiescere? quies autem, aut quies non est, aut est perfectiva; quòd si est perfectiva, est manifesta contradictio asserere hanc quietem esse ipsum non esse simpliciter cum hoc sit destitutum omni esse. Firmari ex eo itidem potest quia cui concessum est esse in rerum natura, is plane aliquid possidet boni, quia esse, & bonum mutuo reciprocantur: sed cui negatum est esse in rerum natura caret omni bono siquidem primarium fundamentum, cui cætera bona inædificantur, est habere esse simpliciter in rerum natura; atqui optabilius est, aliquam saltem partem bonum participare, quàm omni destitui bonitatis particulâ. Experimur enim omnia in id ferri, ut sint, & pro sui conservatione enixè operari.

Suadetur secundò, quia mala eatenus mala sunt, quia non privant aliquo bono nobis congruo, ut docet D. Augustinus lib. 3. de lib. arbitrio cap. 30. & in Enchir. cap. 11. Sed qui ex rerum universitate omnino expungitur, non solum removetur ab aliquo bono; sed omni prorsus bono destituitur, eò quia non sit in rerum natura; cum enim careat proprio esse, caret etiam bonitate, quæ est proprietas entis ad quod consequitur, & quod bonum non est, nequit à voluntate appeti, quia objectum appetitus est solùm bonum consequenter omnino non esse non potest appeti, neque ullo modo præferri misero esse: sicut enim appetitus fertur in bonum, ita aversatur malum, quod nihil aliud est, quàm privatio boni; hinc nobis eatenus est mala naturaliter, quia est vitæ privatio, & Statius nomine mortis intellexit omne malum, quo premitur homo, & cæcitatem vocavit quandam mortem imperfectam; unde si alicui auferatur totum omnino esse, nihil quidpiam illi dimittitur mali, sed potius totum malum additur scilicet privatio totius esse, quapropter repugnat, aliquem, ut miseriis, & omni malo careat exceptare potius non esse, quam miseriarum cumulis angi, quia ipsum non esse est maxima miseriarum. Præterea quia quælibet electio semper fertur in bonum aliquod, & non esse simpliciter nullam includit boni rationem, consequenter simpliciter non potest esse objectum electionis, etenim ut voluntas eligat, necesse est aliquid eligat, sed non esse non est aliquid, sed nihil: siquidem non esse negat, & removet quod ponit esse, hinc acutè concludit D. Augustinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 8. *Non tantum prudenter non potes, sed nulla penitus ratione potes eligere, ubi nihil est, quod electione amplectaris*, ergo si peccatum, ut diximus, meretur subjecti annihilationem, utique meretur id, quod est miserius, quàm perpetuis torqueri molestiis, quia illud excludit omnino esse non istud, & semper melius est esse, quam omnino non esse. Firmatur, quia si in sententia D. Thomæ pro peccato originali secundum rigorem justitiæ non solùm debetur naturæ pro pœna carentia visionis beatæ, verùm etiam ipsius annihilatio sequitur, manifestè quod spectata gravitate culpæ originalis sub ratione offensæ DEI possent parvuli decedentes absque baptismo, sine ulla injustitia puniri utraque pœna damni, & sensus. Tum quia DEus, cum sit misericors, semper punit infra condignum & præmiat supra condignum: quod etiam in punitione peccati originalis verificatur: sed si peccatum originale mereretur solum pœnam damni, puniretur à DEO ad æqualitatem per solam carentiam visionis beatæ, ergo cum DEus puniat infra condignum, & præmiet supra condignum, ut fatentur omnes Theologi, si peccatum originale punitur sola pœna damni, sequitur mereri ex se pœnam sensus, quod tamen DEus misericors non patitur eos puniri, ut eos puniat infra condignum. Si dicas, peccatum originale esse dignum annihilationis subjecti, qua tamen DEus de facto non punit parvulos decedentes sine baptismo, cum illos non annihilet: Consequenter ex eo præcisè parvuli puniuntur infra condignum, quia à Deo non annihilantur. Contra est, quia ipsa annihilatio etiam pertinet ad pœnam sensus, quia si mors qua homines puniuntur in pœnam delicti, pertinet ad pœnam sensus, ita etiam annihilatio subjecti, quæ consistit in non esse totius subjecti, quoad omnes sui partes, spectat ad pœnam sensus.

Præterea quia eo ipso, quod peccatum originale meretur absque ulla injustitia annihilationem subjecti, quæ ut constat ex prædictis est, longe majus malum quàm misere esse, & torqueri pœna perpetui sensus à fortiori meretur etiam puniri absque ulla injustitia æternâ pœnâ sensus; siquidem quod meretur, est semper majus malum; annihilatio enim, quam in sententia D. Thomæ secundùm rigorem justitiæ meretur homo ob peccatum originale, est semper majus malum quàm miserè esse, & torqueri utraque pœna, damni & sensus, quia cum utraque pœna cohæret ipsum esse, quod est semper aliquod ens, ad quod sequitur ut proprietas, & bonitas, quam excludit omnino non esse.

Si dicas, plerosque propriam pertæsos conditionem ingenuè fuisse confessos, voluisse potiùs removeri totaliter de numererorum, quàm perseverare in tali misera conditione. Contra est, quia eatenus nonnulli interdum appetunt non esse, quia delusi, ac decepti quietem aliquam fingunt, sibi comparare, quatenus putant esse tunc immunes à miseriis, & extra calamitates posse quietem aliquam enancisci, consequenter non expetunt simpliciter non esse, sed tantùm illam quietem exoptant, quæ procul dubio perfectior est molestiis, quibus quis angitur, ut scitè notat D. Augustinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 8. Quod quietum est magis, quàm quod inquietum est, alioquin si re seriò considerata aliquis appeteret sui non esse, id non appeteret juxta præscriptum rectæ rationis, sed tantùm absurda, ac depravata

depravatâ animi persuasione, ut scitè notat Augustinus loc. cit. inquiens : *Stultè is eligit, à quo si quæras, quid eligat, respondebit nihil.* Argumentatur Augustinus acutè, eò quia ea duntaxat possimus rationabiliter appetere, quibus possumus meliores fieri : sed non esse simpliciter, sicut nullum adfert emolumentum, neque quidquam ponit in subjecto, cum potius illud destruat, ita neque potest quis melior fieri, ait Augustinus : Quod quisque rectè eligit appetendum cum ad id pervenerit, necesse est, ut melior fiat, melior autem esse non poterit, qui non erit, unde cum ex D. Augustino non esse sit magis malum, quam miserum esse, adeo ut non esse nullo pacto sit optabile ob exclusionem totius bonitatis, cujus aliquam partem saltem includit miserum esse, evidenter concluditur, quod si peccatum originale meretur absque ulla justitia annihilationem subjecti, ut docet D. Thomas, inde sequitur, quod posset etiam à DEO puniri absque ulla injustitia utraque pœna damni, & sensus.

Dicendum tamen secundo, de facto parvulos decedentes cum solo originali peccato non puniri pœna sensus, estque assertum commune omnium Catholicorum, & evincitur ex scripturis Apocal. 18. ubi de Babylone in stagnum ignis mittenda dicitur; *Quantum se glorificavit & in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum, & luctus :* sed parvuli nunquam se glorificaverunt, neque vixerunt in deliciis, proinde non pertinent ad Babylonem, quæ sola dicitur mittenda in stagnum ignis, seu in infernum, ut torqueatur pœna sensus : ergo parvuli decedentes cum solo peccato originali, non subeunt pœnam sensus. Præterea quia Marci 9. cùm de iis, qui torquentur pœna sensus, dicitur : *Ignis eorum non extinguetur*; dicitur etiam de iisdem, quòd vermis eorum non moritur : ex quo infertur, eos non torqueri pœna sensus, quos vermis non torquet, seu remordet conscientia : sed parvuli, qui nunquam personaliter peccarunt peccato actuali, nihil habent, quod remordeat eorundem conscientiam, consequenter non est, cur debeant torqueri pœna sensus. Hoc idem etiam desumitur ex Epist. decret. Innocentii III. quæ habetur lib. 3. decret. tit. 42. de baptismo & ejus effectu cap. Majores; siquidem habentur in Epistola decretali hæc verba. Præterea pœna originalis peccati est carentia visionis DEI. Actualis verò pœna peccati est gehennæ perpetuus cruciatus, ubi Pontifex distinguit originale peccatum ab actuali, eò quia hoc puniatur utraque pœna, damni & sensus, & originale tantùm pœna damni. Ratio etiam id evincit, quia pœna debet proportionari culpæ, adeo ut si hæc fuerit sensibilis etiam pœna illis respondens debeat sensibilis esse : sin autem culpa non fuerit sensibilis, neque pœna ei debeatur sensibilis, ut detur proportio : peccatum autem originale non est culpa sensibilis, quia parvuli illud contrahentes nil personaliter sentiunt, ergo non debent personaliter torqueri pœna sensus, quia hæc est sensibilis. Quod verò peccatum originale non sit culpa sensibilis, seu non includat sensibilem delectationem culpæ ex eo ostenditur, quia delectatio operationem sequitur, sine qua non habetur delectatio : sed peccatum originale non consistit in operatione actuali elicita personaliter ab ipsis parvulis, consequenter in ipsis nullam potuit delectationem habere : ergo peccatum originale non punitur pœna sensus : siquidem pœna debet esse proportionata culpæ sub præcisa ratione offensæ : sed pœna sensus non est proportionata culpæ originali sub præcisa ratione offensæ, quia pœna sensus contingit per passionem hujus particularis personæ : & peccatum originale est per voluntatem naturæ seu capitis; non verò per voluntatem parvuli, ut sejunctam à voluntate Adæ ut capitis moralis totius humani generis : puniri autem per passionem personalem, non proportionatur cum peccato originali, quod parvulus personaliter non commisit per propriam voluntatem personalem, ut distinctam à voluntate Adæ, sed tantum per voluntatem ipsius Adæ, ut fuit caput morale totius humani generis, unde peccatum originale non punitur pœna sensus. Præterea quia parvuli, cum non influant physicè, & ex se in peccatum originale : siquidem nullum physicè eliciunt actum, qui sit peccaminosus, non enim parvuli sentiunt se peccare, unde cum pœna exigat proportionari culpæ, non debet peccatum originale puniri pœna sensus, idque vel maximè verum est, quia tormentum pœnæ sensus fuit taxatum juxta mensuram delectationis sensibilis culpæ, Apocal. 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum, & luctus:* sed in culpa originali nullam parvuli fuerunt delectationem experti, consequenter peccatum originale non exigit puniri pœna sensus.

In oppositum tamen videtur stare illud Matth. 25. ubi Christus duas tantùm pronuntiat sententias in extremo judicio; unam, qua vocat benedictos ad possidendum sibi paratum regnum, & alteram, qua maledictos mittit in ignem æternum : sed inter utramque sententiam nihil mediare docet D. Augustinus serm. 11. de verb. Apostoli cap. 3. contra Pelagianos : Ergo parvuli decedentes cum peccato originali vel vocandi erunt ad possidendum paratum regnum cum benedictis, vel mittendi cum maledictis in ignem æternum : sed certum est, ipsos non esse vocandos cum benedictis ad possessionem Regni cœlestis, quia *nisi quis renatus fuerit ex aqua baptismi, non intrabit in regnum cœlorum*, ergo erunt mittendi cum maledictis in ignem æternum torquendi pœnâ sensus. Hinc Concilium Florentinum sess. ult. in litteris unionis ait : *animas eorum, qui cum peccato mortali, vel cum solo originali decedunt, in gehennam descendere pœnis cruciandas disparibus*, ergo parvuli decedentes cum macula peccati originalis torquentur pœna sensus. Sed contra, quia Christus Matth. 25. ut Judex de iis tantum loquitur, quibus dixerat : *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* Unde neutra sententia pertinet ad parvulos decedentes cum solo originali peccato, sed tantùm ad adultos, qui exercuerunt opera pietatis, & bene egerunt, vel illa neglexerunt, & perperam fuerunt operati, unde loquitur de adultis peccantibus, & qui non bene operantur, cùm possint, & teneantur bene agere, quod parvulis minimè convenit. Rursus dato etiam, non concesso, quod parvuli fuissent comprehensi in illa Christi sententia : *Ite in ignem æternum*, non tamen inde infertur, animas parvulorum torqueri in gehenna pœnâ sensus; quam obrem licèt concederimus, etiam ipsos mittendos in ignem æternum, adhuc commodè possumus negare, parvulos torqueri pœna sensus quia

quia ad id requiritur non solùm ut sint in loco, ubi est ignis, sed ulterius, ut ignis in illos agat, quod Christus non asserit in illa sententia: *ite in ignem æternum*: potest enim DEus cohibere efficaciam ignis, ut illam coercuit in fornace babylonica, ne quidquam damni inferret pueris in eadem injectis, qui propterea nullum ibi dolorem fuerunt experti, nullam pœnam sensus: A fortiori, potest ignis compesci, ne agat in animas parvulorum hinc decedentium cum peccato originali. Ad id, quod addebatur ex Concilio Florentino parvulos cruciari pœnis disparibus, respondetur, hanc pœnarum disparitatem in eo sitam esse, quia pueri tantùm puniuntur pœna damni, ut habetur in cap. Majores de baptismo, ubi Innocentius III. tradit pœnam peccati actualis esse gehennam, seu utramque pœnam damni, & sensus, & pœnam peccati originalis esse solam pœnam damni.

Quòd si dicas Sanctos Patres expresse asserere parvulos decedentes cum peccato originali torqueri pœna sensûs, ut præ cæteris docet D. Augustinus serm. 14. de verbis Apostoli contra Pelagianos, qui asserebant parvulos decedentes sine baptismo excludendos esse quidem à Regno cœlorum non tamen à vita æterna, sed æterna donari beatitate extra cœlum. Contra quos argumentatur D. Augustinus, & assumit verba Christi Matth. 25. *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus*, sumit Augustinus: *Qui non baptizatur, non erit in dextera, sed in sinistra, ergo non erit mittendus in Regnum, sed in ignem æternum, consequenter non mittetur in vitam æternam*, & urget argumentum subjungens: *Non est locus medius inter dextram, & sinistram: ergo neque inter regnum, & ignem æternum, sed parvuli non pertinent ad Judicis dextram, ergo ad sinistram: sed in sinistra non est vita, sed ignis æternus, cum quo vita æterna non potest componi: ergo mittentur in ignem æternum, & consequenter parvuli non baptizati non solum excludentur à Regno cœlorum, sed etiam à vita* ergo sentit D. Augustinus parvulos decedentes cum originali culpa pertinere ad sinistram, & torqueri in gehenna pœna sensus. Sed contra negatur consequentia, quia D. Augustinus loc. cit. argumentabatur contra Pelagianos asserentes, parvulos decedentes sine baptismo excludi quidem à Regno cœlorum, non tamen à vita æterna, quam assertionem ut impugnaret Augustinus, dixit, non dari locum medium inter dextram, & sinistram, seu inter beatitudinem, & illos, qui destinantur ad ignem, & sunt in sinistra: deinde subdit parvulos non pertinere ad Judicis dexteram, sed ad sinistram, ex quo infert excludendos esse non solùm à Regno cœlorum, sed etiam à vita æterna, & beatitudine: imò ut se, extremè opponeret Pelagianis, dixit parvulos mittendos in ignem æternum, moris enim fuit, quod Sancti Patres disputantes cum Hæreticis extremum oppositæ partis assererent, quo fortius eorundem errores oppugnarent; unde D. Augustinus disputans contra Pelagianos asserentes parvulos decedentes cum peccato originali donandos esse æterna beatitate, respondit, parvulos mittendos in ignem æternum, quod extremum videtur opponi beatitudini assertæ à Pelagianis, sed non inde sequitur, parvulos ex sententia D. Augustini ob solum originale peccatum esse torquendos pœna sensus, sed tantùm esse puniendos pœna damni, & est conclusio illata à D. Augustino ex suo argumento; etenim concludit: *Et consequenter parvuli non baptizati non solum excludentur à regno cœlorum, verum etiam excludentur à vita*: per hanc autem exclusionem à vita, quæ infertur ex suo discursu ab Augustino intelligitur tantùm pœna damni non sensûs, non enim ex eo, quòd parvuli pertineant ad sinistram Judicis, dicanturque mitti in ignem æternum, inde sequitur, eos torqueri pœna sensus, quia possunt parvuli detineri in loco, ubi est ignis, quamvis ignis non agat in animas parvulorum. Præterea quidquid sit, an animæ parvulorum decedentium cum solo originali detineantur in loco, ubi est ignis, licèt ab igne non torqueantur, adhuc commodè potest responderi, per ignem æternum non significari determinatè pœnam sensus, sed pœnam æternam, sive sit pœna damni tantùm pro parvulis, sive damni & sensus simul pro adultis, & id infertur ex eo, quia Christus post prolatam sententiam, illius executionem non ignis nomine, sed supplicii significat, dicens de reprobis: Ibunt in supplicium æternum: sed supplicium generatim comprehendit omnem pœnam sive damni tantùm pro parvulis, sive damni & sensus simul pro adultis, unde neque ex scriptura, neque ex D. Augustino infertur, parvulos decedentes cum solo peccato originali torqueri in gehenna pœna sensus. Præterea D. Augustinus, cui à plerisque præsertim tribuitur sententia adstruens, parvulos cum solo originali decedentes torqueri pœna sensus, cuidam interrogationi ab imperitis factæ de parvulorum loco in futuro judicio, quibus nec inter justos deputari potest locus, cum nihil rectè egerint, nec inter malos, quia nunquam peccato proprio & personali delinquerunt, respondet lib. 3. de libero arbit. cap. 28. Non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media inter rectè factum atque peccatum: sententia Judicis media esse non potest inter præmium, & supplicium, & si parvuli utraque pœna torquerentur, damni & sensus, eorum sententia media non esset inter præmium, & supplicium, consequenter ex sententia Augustini parvuli decedentes in solo originali puniuntur tantùm pœna damni. Quòd si dicas, per sententia mediam Augustinum intellexisse pœnam sensus, sed longè mitiorem illa, qua torquentur adulti, contra est, quia etiam inter adultos unus altero mitius punitur, ut colligitur ex illo Apocal. 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum daté illi tormentorum & luctus*, & tamen adulti, qui mitius puniuntur, non dicuntur esse audituri sententiam mediam inter præmium, & supplicium, ergo si parvuli ex mente Augustini sententiam mediam audient inter præmium, & supplicium, concludendum est necessario ex Augustino parvulos decedentes cum solo originali non torqueri pœna sensus, sed tantùm damni, hæc enim pœna est media inter utramque sententiam, quia adulti puniuntur utraque pœna damni & sensus, & qui bene egerunt donantur æterna beatitate. Tum quia D. Augustinus lib. 5. contra Julianum cap. 8. sub fin. objiciente Juliano illud Matth. cap. 26. *Melius esset illi si natus non fuisset*: quæ verba Julianus interpretabatur de parvulo nato cum peccato originali, respondet Augustinus: *Ego autem non dico parvulos sine Christi baptismate morientes tanta pœna esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret*, & nonnullis interjectis subdit: *Quis dubitaverit parvulos non baptizatos qui solùm habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur in damnatione omnium levissima futuros, qua, qualis & quanta erit*,

*trit, quamvis deſinire non poſſim, non tamen audeo dicere, quod eis ut nulli eſſent, quàm uti ibi eſſent, potius expediret*, alioquin illa ſententia Matthæi 26. quam Julianus objiciebat, Auguſtino non poteſt accommodari ex eodem Auguſtino ipſis parvulis, ſed propriè intelligitur de Juda Proditore, de quo loquitur Evangeliſta, quia ſi Judas natus non fuiſſet, ſed tantùm in utero matris conceptus, & in eodem periiſſet, non contraxiſſet, niſi peccatum originale conſequenter non meruiſſet niſi pœnam damni puerorum: quia verò natus fuit, & plura perpetravit actualia peccata, inter quæ illud proditionis Chriſti ideo meruit præter pœnam damni intenſiſſimam pœnam ſenſus, proinde melius fuiſſet illi, ſi natus non fuiſſet, ſed mortuus in utero matris, quia non experiretur pœnam illam intenſiſſimam ſenſus: hoc pacto facile, & ad litteram explicatur, quomodo melius fuiſſet illi, ſi natus non fuiſſet.

An verò parvuli decedentes cum ſolo originali peccato triſtentur de amiſſa beatitudine, ſeu ex eo quod deſtituantur lumine gloriæ, ac viſione beatifica. Ratio dubitandi eſt, quia Eccleſia de hac pœna ſenſus ſita in ſola triſtitia de amiſſa beatitudine, nihil hactenus definivit, & ſi velimus rationibus inniti videtur concludendum parvulos decedentes cum originali triſtari de amiſſa beatitudine, etenim qui cognoſcit, ſe perpetuò privari felicitate, quam poterat aſſequi non poteſt non triſtari de propria miſeria, quia habet omnia requiſita ad triſtitiam abſque motivo ad oppoſitum: ſiquidem carentia boni in ſubjecto capaci, ad quod aliquo modo ordinetur, triſtitiam excitat, alioquin multi damnati poſſint non triſtari, de amiſſa beatitudine: ſed parvuli decedentes cum peccato originali cognoſcunt, ſe deſtitutos beatitudine, cujus erunt capaces, & quam potuiſſent conſequi ex meritis JEſu Chriſti, alioquin in hac vita fuiſſent extra ſtatu inſalutis, quod eſt falſum, cum Deus velit omnes homines ſalvos fieri, ergo parvuli decedentes cum peccato originali præter pœnam damni torquentur aliqua pœna ſenſus ſita in triſtitia de amiſſa beatitudine; minor, & conſequentia tenent, major eſt clara, quia objectum triſtitiæ eſt malum conjunctum vel præſens, ut docet Philoſophus, ſed amiſſio boni, cujus ſubjectum erat capax eſt aliquod malum, quia malum eatenus eſt tale, quatenus eſt privatio alicujus boni, cujus ſubjectum erat capax: unde amiſſio boni poſſibilis in ſubjecto capaci, & ad illud ordinato naturaliter excitat triſtitiam.

Neque urget, quod reſpondet Durandus *in 1. diſt. 23. quæſt.* 3. pueros decedentes cum peccato originali non triſtari de amiſſa beatitudine, eò quia non cognoſcant beatitudine ſupernaturali, qua privantur per peccatum originale, quia viſio beata ſit objectum ſupernaturale nequit naturaliter cognoſci, ſed tantum per fidem mediante prædicatione, vel ſpeciali revelatione divina, pueri autem non habent hanc fidei cognitionem, nec doctrinam credendorum, cum non ſuſceperint fidei Sacramentum; conſequenter non videtur, quomodo poſſit triſtari de amiſſa beatitudine, quam non cognoſcunt, quia triſtitia, ut etiam gaudium, debet neceſſario ſupponere prævium cognitionem objecti. Nam contra quia parvuli decedentes cum peccato originali comparebunt in judicio univerſalis non ſolum ut gloriam Judicis videant, verùm etiam ut judicentur, ſicut docet D. Thomas ex verbis illis Apoſtoli: *Omnes enim nos manifeſtare oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſive bonum, ſive malum*: ex quibus infert D. Thomas, quod tametſi parvuli quoad diſcuſſionem meritorum, non pertineant ad finale judicium, ad illud tamen pertinent, qua prolatione ſententiæ, quia damnabuntur ob peccatum capitis, ſeu Adami, ſeu excludentur à cœleſti patria, & beatitudine æterna, quod etiam docet D. Bonaventura in 4. *diſt.* 42. *art.* 1. *quæſt.* 3. ergo parvuli cognoſcent ſe privatos eſſe æterna beatitudine, & cognoſcent cauſam, cur ab illa excluſi ſint, ut expreſsè docet D. Thomas in 1. *diſt.* 33. *quæſt.* 2. *art.* 2. *in corp.* ubi ait: *Parvuli perfectam eorum cognitionem habebunt, quæ naturali ſubjacent cognitioni, & vita æterna ſe privatos eſſe cognoſcent, & cauſam, quare ab illa excluſi ſint.*

Rurſus ex reſponſione Durandi ſequeretur, neque adultos infideles triſtari ex amiſſa beatitudine in gehenna, quia eatenus parvuli decedentes cum peccato originali non cognoſcunt beatitudinem ſupernaturalem, quia hæc ſola fide cognoſcitur, ſed adulti infideles, ad quos prædicatio fidei non pervenit, fidem non habuerunt, alioquin non eſſent infideles negativè, ſed peccâſſent non credendo, & damnarentur propter infidelitatem, quod adverſatur D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 1. Quod ſi adulti infideles cognoſcunt ſe privatos eſſe beatitudine ſupernaturali, etiam parvuli hoc idem cognoſcent contra Durandum.

Alii reſpondent, parvulos decedentes cum peccato originali non triſtari de amiſſione beatitudinis, quia illam non amiſerunt ob culpam propriam perſonalem, ſed ex aliena voluntate. Sed contra, quia amittere bonum aliquod ſummi momenti ob culpam alterius tantum abeſt, quod minuat ut potius augeat triſtitiam: etenim acrius dolet exhæredatus ex amiſſione hæreditatis ob culpam alterius, quàm ſi ex hæreditate excluderetur ob culpam propriam: ergo ex eo, quod parvuli cognoſcant ſe deſtitutos beatitudine ob culpam Adæ, non minuitur ipſis dolor, ſed potius augetur. Præterea quia licet carentia propriæ culpæ poſſet aliquod lenimentum adferre, non tamen poſſet totaliter triſtitiam tollere.

Alii reſpondent, parvulos non triſtari ex amiſſa beatitudine, eo quia non apprehendant carentiam beatitudinis, ut ſibi diſconvenientem, & malum, quia ad id requirebatur cognitio beatitudinis ſupernaturalis, ut ſibi poſſibilis, qua cognitione carent parvuli decedentes cum culpa originali. Sed contra quia parvuli cognoſcunt ſe excluſos à beatitudine æterna ob peccatum originale, propterea cognoſcunt hanc excluſionem ut pœnam peccati originalis; atqui pœna propter peccatum eſt mala, ſaltem in cauſa, quia peccatum, ob quod infligitur malum, eſt diſconveniens naturæ rationali: ergo parvuli cognoſcunt carentiam beatitudinis, ut ſibi diſconvenientem. Præterea quia parvuli cognoſcunt carentiam beatitudinis eſſe privationem: ſiquidem cognoſcunt ſe fuiſſe capaces illius; atqui privatio, qua talis, eſt diſconveniens, & mala, quia dicit carentiam formæ poſſibilis, ac perfectivæ ſubjecti,

jecti, ergo parvuli cognoſcunt carentiam beatitudinis,ut ſibi diſconvenientem. Alii tamen reſpondent,parvulos non triſtari de amiſſa beatitudine,eò quia Deus noluit concurrere cum iiſdem ad actum triſtitiæ. Sed contra quia id aſſeritur abſque ſufficienti fundamento: non enim ex ſcripturis conſtat, Deum denegare parvulis hunc concurſum; & ex alio capite Deus ſe accommodat exigentiis cauſarum ſecundarum, adeo ut præſtet ipſis concurſum, quem exigunt, conſequenter ſine ſufficienti fundamento aſſeritur hæc ſubtractio concurſus. Unde

Dicendum eſt, parvulos decedentes cum peccato originali nulla torqueri triſtitia ob amiſſam beatitudinem; ita cum D. Thoma in 2. *diſt.* 33. *quæſt.* 4. *art.* 2. & *quæſt.* 5. *de malo art.* 3. ferè omnes Theologi, & evincitur aſſertum ex Sanctis Patribus,præſertim ex Auguſtino in Enchirid.cap. 93. & lib. 1. in Julianum cap. 8. ubi docet,pœnam parvulorum decedentium cum ſolo peccato originali eſſe mitiſſimam, ſin autem parvuli triſtarentur ex amiſſa beatitudine,eorum pœna mitiſſima non eſſet, quia ut docet D. Chryſoſtomus *homil.* 47. *ad populum Antioch.* triſtitia, quam damnati patiuntur, ob amiſſam beatitudinem, major eſt, & acrior, quocunque dolore ſenſibili cauſato ab igne gehennali: unde ſi præfati parvuli è D. Auguſtino pœnam ſuſtinent mitiſſimam, ſequitur,eos non triſtari de amiſſa beatitudine. Neque obſtat, quod reſpondent nonnulli hanc parvulorum triſtitiam adeo eſſe exiguam, ut renati ad triſtitiam adultorum cenſeatur mitiſſima. Nam contra eſt, quia eo ipſo, quod triſtitia interior oritur ex cognitione boni amiſſi, quo hoc eſt excellentius, eò triſtitia eſt acrior, unde ſi præfati parvuli triſtarentur ex amiſſa beatitudine, eorum triſtitia ut eſſet proportionata bono amiſſo, deberet eſſe maxima, conſequenter verum non eſſet, parvulos iſtos mitiſſimam ſolvere pœnam.

Præterea quia pœna ſenſus proportionatur delectationi ſenſitivæ, quam peccator habuit, ſibique indulſit per peccatum, ut communiter fatentur Theologi, & deſumitur ex illo Apocal. 18. *Quantum ſe glorificavit, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum & luctus*, atqui peccatum originale non infert delectationem nec fuit peccatum perſonale, ſed capitis ſeu Adæ, ergo parvuli pro peccato originali non ſunt puniendi pœna ſensûs: ſed triſtitia pertinet ad pœnam ſenſus, ergo parvuli non triſtantur ex amiſſa beatitudine.

Si reſpondeas eſſe diſparem rationem, eò quia pœna ſenſus, quæ non eſt triſtitia de amiſſa beatitudine,ſit per ſe taxata, & non videtur conveniens,ut pro culpa,quæ delectationem non infert, taxetur pœna: ſecus quia triſtitia conſequens ex carentia boni amiſſi non eſt pœna per ſe primum inſtituta ad puniendum peccatum originale; ſed conſequitur ad carentiam beatitudinis quæ fuit pœna per ſe primum inſtituta propter peccatum originale, ideo bene ſtat,parvulos triſtari de amiſſa beatitudine. Contra eſt, quia vera triſtitia eſt per ſe annexa carentiæ & amiſſioni beatitudinis,quæ conſequitur ad illam per accidens, ſed neutrum dici poteſt: non primum,alioquin hæc triſtitia eſſet per ſe conſtituta pro pœna peccati originalis, quod ab adverſariis non conceditur: ſi dicatur ſecundum exinde ſequitur hujuſmodi triſtitiam poſſe vitari, quia quod per accidens ſe habet adeſſe poteſt,& abeſſe, quod ſi poſſit triſtari, de facto triſtabitur,ne peccatum originale puniatur pœna ſibi improportionata.

Præterea quia,ut docet D. Thomas *quæſt.* 5. *de malo art.* 3. *in corpore*,eo ipſo,quod parvuli decedentes abſque lavacro baptiſmi torquerentur, triſtitia ob amiſſam beatitudinem nulla ratione probari poſſit, cur etiam non eſſent excruciandi aliis pœnis ſenſibilibus: ſiquidem triſtitia, quæ in damnatis oritur ex amiſſa beatitudine,gravior eſt cæteris pœnis ſenſus. Præterea ſi parvuli hinc demigrantes cum peccato originali triſtarentur ob amiſſam beatitudinem,inde ſequeretur, quod deberent torqueri verme, ſeu remorſu conſcientiæ: ſiquidem ſi parvuli triſtarentur de amiſſa beatitudine,deberent itidem triſtari de culpa,quamvis voluntate capitis contracta; quod perinde eſt, ac torqueri verme conſcientiæ;ſiquidem culpa originalis eſſet ipſis cauſa triſtitiæ,ſicut eſt cauſa carentiæ beatitudinis, ad quam ſequitur triſtitia; ſiquidem qui triſtatur de effectu, non poteſt non triſtari de cauſa ejuſdem effectus; parvuli autem non torquentur verme conſcientiæ,ut docent adverſarii, conſequenter non triſtantur de amiſſa beatitudine, neque torquentur pœna ſensûs.

Hinc ad rationem dubitandi reſpondetur,non ad omnem carentiam boni ſequi naturaliter triſtitiam: ſed tantùm ad carentiam boni debiti ratione juris ad ipſum; etenim ſi bonum, quo quis caret, non erat ipſi debitum ratione juris, non ſequitur ad ejus carentiam triſtitia, quod enim ruſticus careat dignitate Regia,non inde ex cognitione hujus carentiæ triſtatur, idque non alia ratione, niſi quia dignitas Regia non eſt debita Ruſtico ratione juris ad ipſam: ſed parvulis non erat debita beatitudo ratione juris ad ipſam, quia hoc jus aliunde non habetur, niſi ratione gratiæ, quam nunquam parvuli habuerunt, unde cognitio terminata ad amiſſam beatitudinem nequit eſſe in parvulis cauſa triſtitiæ.

Quòd ſi dicas plures adultos damnatos nunquam habuiſſe jus ad beatitudinem, ut ſunt ii,qui nunquam fuerunt baptizati, ſicut Ethnici,qui nunquam habuerunt gratiam, quæ dat jus ad gloriam, & nihilominus certum eſt, hos adultos triſtari de amiſſa beatitudine, conſequenter etiam parvulos triſtari, quia quoad carentiam juris ad gloriam ratione non habitæ gratiæ, eſt utrinque par ratio. Sed contra, quia non omni adulto damnato debita fuit beatitudo debito actuali ratione juris actualis ad illam; bene tamen debito poſſibili ratione juris poſſibilis, quia omnibus adultis fuit poſſibile habere gratiam, quæ dat jus actuale ad gloriam, & quia propria culpa perſonali non habuerunt hanc gratiam, ideo debent perpetuo triſtari de amiſſa beatitudine parvulis autem qui ex hac vi migrârunt ſine baptiſmo, non fuit proximè poſſi-

possibile habere gratiam, nec consequenter jus ad gloriam, proinde non debent sicut adulti tristari de amissa beatitudine: siquidem adultis fuit proximè possibilis gratia, quam si non habuerint, sit iisdem vertendum culpæ: parvulis autem non fuit proximè possibilis. Si urgeas baptismum fuisse proximè possibilem parvulis, consequenter etiam gratiam, & jus ad gloriam, consequenter si eatenus adulti tristantur de amissa beatitudine, eò quia gratia fuerit illis proximè possibilis, etiam parvuli debent de eadem beatitudinis amissione tristari. Contra est, quia baptismus non fuit parvulis proximè possibilis à se ipsis per propriam dispositionem, sed tantùm ab extrinseco ratione supervenientis gratiæ in applicatione baptismi; est enim discrimen de adultis & parvulis quia illi habuerunt liberum arbitrium, & fuerunt proportionati per gratiam vel intrinsecè receptam, vel saltem iisdem oblatam, ut se ad gratiam habitualem disponerent per proprios actus, & hac mediante ad gloriam: quamobrem cum fuerit in potestate eorum habere gratiam fuit etiam ipsis proximè possibile jus ad gloriam, quam cum ex propria culpa non fuerint assecuti, sequitur, ut de amissa beatitudine maximè tristentur. Parvuli autem nec habuerunt in se gratiam habitualem, nec fuit in eorundem potestate eam habere, sed tantùm fuit illis ab extrinseco possibilis per actionem aliorum applicantium iisdem baptismum, consequenter non fuit illis proximè ab intrinseco possibilis gratia, quæ dat jus ad gloriam: sed tantum proximè ab extrinseco ratione aliorum applicantium illis baptismum. Secus adultus fuit proximè possibilis ab intrinseco, ut explicuimus, & hæc est ratio, cur adulti tristentur de amissa beatitudine non verò parvuli.

# CAPUT V.

## De inferno pœnisque inferorum.

INfernus locus est subterraneus, in quo reprobi per sententiam æterni Judicis daturi erunt pœnas propriorum scelerum tam in corpore, quàm in anima, & hunc locum esse subterraneum asserit Scriptura Numer. 16. *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit eos, descenderuntque in infernum operti humo.* Quod si terra aperuit os suum eosque deglutivit, ac descenderunt in infernum operti humo, sequitur locum inferni esse sub terram, hinc David Psal. 54. *Veniat mors super illos, & descendent in infernum viventes*, quòd si descendent viventes, necesse est, locus iste damnatorum sit prope centrum terræ; & Psal. 105. *Aperta est terra, & deglutivit Dathan, & operuit super congregationem Abiron*, hinc Apostolus ad Ephes. 4. scribit: *Quod autem ascendit, quod est, nisi quia & descendit, primum in inferiores partes terræ.* Vocat Apostolus inferos partes inferiores terræ, & ait Christum descendisse ad inferos, seu in imas terræ Regiones: Matth. 12. *Sicut fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*, ait Evangelista in corde terræ, quia sicut cor in corpore animalis est in parte intima, ita est infernus in intimis terræ visceribus, adeo ut Christus descenderit in imas partes terræ, hinc infernus Regio est mortis, carcer dæmonis, ubi nulla affulget spes inde exeundi, cujus parta est desperatio, parietes caligines, & tenebræ, mensæ cistæ, vincula, & compedes, fercula fames, & sitis torquens: thalami ignes gehennales, lecti flammæ absumentes, horologia ullulatus damnatorum, & tota hæc dæmonis Regio chaos est confusionis, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat: est enim infernus tenebricosum ergastulum æternis undique seris, claustris, repagulis, & catenis obseratum, cui supernæ iræ Judicis imminet sigillum; ibi enim jugiter ardet ignis, qui non consumitur, urit, non adurit, & una cum frigore rigente associatur suppliciis multiplicandis suppetias exigens ab ipsis damnatis, siquidem ibi vermis immortalis viscera corrodit, fœtor intolerabilis humores corrumpit, tenebræ palpabiles cæcitatem adducunt, & omnia suppliciorum genera reprobos distorquent sicut enim solet urbis Præfectus, quamdiu potest, mollibus remediis prædura curare ingenia à legum honestate deflectentia; qui tamen si non ipse proficiat, & cives non emendentur ad tristiorem etiam transit curationem, qua monet, & exprobrat, imò & pœnas minatur, fulmina ostendit intorquenda, cruciatus prædicit infligendos, ac tandem extremis sceleribus extrema imponit supplicia, ut à quibus levior ac blandior medela non extorsit odium vitiorum, & pretium non exegit virtutum, saltem interminati supplicii incussus horror licentiam coerceat delinquendi, ne hæc ultra metas æquitatis effrenis prosiliat.

Perinde cœlestis Medicus curandis animæ nostræ ægritudinibus perhumaniter prius se gessit, voluitque ita humanitati adhærere, ut eam semel assumptam nunquam demiserit, & quamvis plura adhibuerit dulcia ac mollia pharmaca admonitionum, ad normam vitæ rectè instituendæ, ne morbos contraheremus vitiorum, quia tamen maluimus ejus abuti clementia, ejusque documenta negligere, ideo quem Medicum habuimus clementem Judicem postea experimur furentem, & nos ad æterna supplicia detrudentem, & peccatores ad gehennæ cruciatus damnantem; ait enim Evangelista Matthæus c. 25. v. 46. *Ibunt hi in supplicium æternum*, ubi prodest observare verbum illud, *ibunt*; non enim dicit rapientur ad æternos cruciatus, sed ibunt, quasi sponte & pedibus suis: qui enim rapitur, vi quadam externa trahitur. Mirum tamen, quod non sint rejiciendi, ac violenter trahendi ad æterna supplicia, sed ipsimet sint ultro illac ituri, cum reorum nemo ultrò videatur ad extremum ire supplicium, & omnes potius violenter ad ipsam rapian-

capiantur, voluptas enim eſt, quæ allicit, & quam ultrò properamus, ſupplicia vero terrent, & ea fugimus, & tamen de reprobis ait Evangeliſta: *ibunt hi in ſupplicium æternum*; hoc eſt ibunt ſponte, ultro, quia volentes perambulant vias iniquitatis, quæ viæ ſunt gehennæ, volentes indulgent carnis voluptatibus, praviſque concupiſcentiis, quæ gehennæ flammas accendunt.

Infernum negarunt Sectarii olim Athei, Marcionitæ, & Albigenſes, & poſtremis noſtris temporibus, Calvinus, Bucerus, Beza, contra quos dicendum eſt eſſe certum de fide dari locum aliquem ſubterraneum, qui infernus dicitur in quo pœnas pro ſuis peccatis in corpore, & anima damnati erunt æternum daturi. Hanc Catholicam veritatem evincunt præcitati ſcripturarum textus, præſertim Numer. 16 *Diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum devoravit illos, deſcenderuntque vivi in infernum operti humo*; ubi aſſeritur locus ſubterraneus in quem deſcenderunt rebelles vivi, eò quia terra ſuum adaperiens os vivos illos deglutiverit; & cum iterum os ſuum clauſiſſet, remanſerunt operti humo; idque aſſeruit itidem David Pſal. 105. *Aperta eſt terra, & deglutivit Dathan, & operuit ſuper congregationem Abiron*, & Pſal. 54. *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes.* Adeo ingens eſt terror, quem timor gehennalis ſupplicii incutit, ut hæretici ne à mundi voluptatibus, carniſque illecebris dimoveantur perterriti, maluerint hunc ſubterraneum carcerem, hunc ſuppliciorum locum, commentum adſtruere Poëtarum, quàm inconcuſſum Chriſtianæ veritatis fundamentum. Siquidem militantes die, ac nocte gehennæ incendia æternum perennatura voluntatem ſuam à lege Domini non diſtrahit, ſed neceſſitatem quandam ſibi injungit eam die, ac nocte meditandi, ut ad unguem ea ſervetur, & ne quid fiat ei diſſonum: hæc eſt enim illa utilis neceſſitas, qua hominem à cœno extrahit vitiorum, & ad ſtudia adigit virtutum. Quis adeo pervicax, & imprudens ac à ſana mente dejectus, qui in ſeria gehennæ meditatione ſinat ſe à voluptatum illecebris ad ſcelera pertrahi, & non potius pœnarum metu quandam ſibi neceſſitatem imponat honeſtè agendi perpendens, quod in gehennali carcere omnia ſuppliciorum genera toto impetu ſævient in impios, qui quantum deliciarum, cum viverent, hauſerunt, tantum & ſuppliciorum erunt, & cruciatuum æternum ſubituri: hæcque cauſa fuit, cur Hæretici olim Marcionitæ, Albingenſes, & Ahæi, Calvinus, Lutherus, & alii negaverint dari hunc carcerem ſubterraneum, quem infernum dicimus, & in quo æternum cruciabuntur damnati tum anima, tum corpore, ne ſcilicet ſe, & ſuos aſſeclas averterent à mundi deliciis, à carnis voluptatibus, quibus impensè ſolent Hæretici adhærere, boniſque temporalibus inhiare: Sed ſi ſcripturas non negent, neceſſe eſt fateantur, dari hunc ſubterraneum carcerem, in quem ipſi erunt detrudendi, & ſuppliciis nunquam finiendis torquendi, hanc enim veritatem docet ſcriptura, & præter loca ſuperius citata expreſsè ſignificatur Iſaiæ 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit cum ardoribus ſempiternis?* ubi juxta interpretationem D. Hieronymi Deus terret impios exemplo ignis, qui devorabit copias Regis Senacherib breviſſimo tempore, Pſ. 48. *Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos*, & Pſal. 93. *Niſi quia Dominus adjuvit me paulo minus habitaſſet in inferno anima mea*, & frequenter in veteri teſtamento ſit mentio inferni, ut etiam in novo Apoſtoli, & Evangeliſtæ ſatis clarè ſignificant dari propriè, & verè infernum; etenim D. Petrus Epiſt. 2. cap. 2. ſcribit: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, & rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, in Evangelio itidem Chriſtus Dominus ſatis apertè ſignificat, hunc carcerem ſubterraneum, qui infernus dicitur, & in quo impii erunt pœnas daturi ſcelerum, quæ perpetrarunt, *Bonum eſt tibi debilem, vel claudum intrare vitam æternam, quam duas manus & duos pedes habentem mitti in gehennam, in ignem æternum, in ignem inextinguibilem*; & rurſus: *Eum timete, qui poteſt corpus & animam mittere in gehennam*; & rurſus: *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno.* Joannes itidem Apocal. cap. 12. 14. 20. & ſequent. deſcribit infernum, eſſe locum iræ Dei, torrentem ignis & ſepulchris, de quo bibunt, qui adoraverunt beſtiam, & potaverunt voluptatem mortiferam in calice Babylonis, & ait, ibi eſſe ſtagnum ignis, & ſulphuris, & puteum abyſſi, de quo exit fumus in ſæcula ſæculorum, unde nulli poteſt dubium eſſe, quin in terraquei globi meditullio vaſtiſſima ſit cavitas, ſeu carcer gehennalis in quo miſerè detinentur, & torquentur reprobi hinc decedentes lethali noxa infecti, & in hoc loco horroris & confuſionis damnatorum Princeps is ſit, qui in ſcripturis à fœditate, & truculentia dicitur *draco*, à verſutia, & calliditate *ſerpens*, à nocendi deſiderio *leo rugiens*, à magnitudine & potentia *Behemot*, & ab ira magna *Diabolus*, in hoc enim loco incolæ nulla erunt amicitia ſimul devincti, quinimò inteſtino odio ſe ſe damnati erunt proſecuturi, eruntque abominationi Beatis, Angelis; imò & dæmonibus, omnibuſque creaturis, erunt inviſi, exoſi, execrabiles, & abominabiles: ſocios, quos ſibi adſciſcent malitia, erunt improbi conditione miſeri, rabie furioſi, malevolentia obſtinati, deſperatione execrabiles & ſpecie horrifici; erit quidem ſpatium, ſed oppletum ſuppliciis plenum patibulis, fœtum ignibus, adeo ut exclamet D. Bernardus lib. 4. de anima cap. 13. *O regio dura, & gravis; Regio extimeſcenda, regio fugienda, terra oblivionis, terra afflictionis, terra miſeriarum, in qua nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat! locus mortis, in quo ignis ardens, ubi frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, horribiles Dæmonum facies! totus contremiſco, & horreo ad memoriam ipſius Regionis, & concuſſa ſunt omnia oſſa mea.*

Hinc Eccleſia hanc veritatem nobis de fide credendam proponit dicens in ſymbolo Apoſtolico *Chriſtum deſcendiſſe ad inferos*, & in ſymbolo Athanaſii canens: *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum*, & aſſerit hanc eſſe fidem Catholicam, *quam niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.* Hanc itidem eſſe veritatem fidei, docuerunt Concilia,

lia, præsertim Toletanum IV. Arelatense IV. & Florentinum sess. ult. in litteris unionis.

Sancti Patres hanc eandem semper docuerunt veritatem. Tertullianus lib. de anima cap. 55. ait: *Inferos Plato velut gremium terræ describit in Phædone, quo omnes labes mundialium sordium confluendo, & ibidem desinendo exhalent*, & paucis interjectis addit: *Nobis inferi non nuda cavositas, & subdivallis aliqua mundi sentina creduntur; sed in fossa terræ & in alto vastitas, & in ipsis visceribus ejus abstrusa profunditas.* Explicat hinc Tertullianus communem Christianorum sententiam, quam etiam evincit ex illo Matth. 12. inquiens: *Siquidem Christum in corde terræ triduum mortis legibus expunctum idest, in recessu intimo, & interno, & in ipsa terra operto, & intra ipsam cavato, & inferioribus adhuc abyssis superstructo*, & hoc postremum addit, quia infernus damnatorum est infra limbum Patrum, ad quem Christus descendit, quapropter concludit: *Habes Regionem inferorum subterraneam credere*, & in Apologetico cap. 47. ait: *Si gehennam comminemur, quæ est arcani ignis subterraneus ad pœnam thesaurus, decachinnamur*, loquitur enim de Ethnicis, qui rident pœnas inferorum, quos etiam imitantur Hæretici nostri temporis ridentes pœnas inferorum: & purgatorii, D. Hieronymus in cap. 4. Epist. ad Ephes. ait: *Inferiora terræ infernus accipitur, ad quem Dominus Noster Salvatorque descendit*; & nonnullis interjectis subdidit: *Quod autem infernus in inferiori parte terræ sit, & Psalmista testatur, dicens: Aperta est terra, devoravit Datham, & operuit super congregationem Abiron.* Et D. Petrus Damianus serm. 59. ait: *Regio gehennalis, regio dura, regio extimescenda terra afflictionis, terra oblivionis, terra miseriarum, terra tenebrarum, terra turbinis & caliginis, terra maledictionis, & mortis, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Totus tremo, atque horreo ad memoriam regionis istius, & concussa sunt omnia ossa mea. Ille est ignis, qui non succenditur, vermis, qui non moritur, frigus horrendum, ibi fœtor intolerabilis exoritur, percutientes mallei resonant incessanter, offusæ tenebræ cumulatius indensantur. Illic confusio peccatorum, horribilis facies Dæmonum, inextricabilium vinculorum fertilis multitudo. Ibi fletus, & stridor dentium, planctus, & gemitus, & alternativa mala impios sine pietate discerpunt.* S. Augustinus lib. 12. de Genes. ad litteram cap. 34. in medio ait: *Inferi eo quod infra sint, latinè appellantur: sicut autem secundùm corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora, ita secundùm spiritum inferiora sunt omnia tristiora, unde & in græca lingua origo nominis, quo appellantur inferi ex eo, quòd nihil suave habeant, resonare perhibetur*; & Cassiodorus in Psal. 9. ait: *Infernum dictum esse ab eo, quòd illic animæ jugiter inferantur.* Et Hugo Cardinalis in Numer. cap. 16. ait infernum esse locum tormentorum, ubi animæ igne perpetuo cruciantur. Hinc Augustinus de vera Religione cap. 52. circa finem: *Cavendi sunt inferiores inferi, ubi nulla potest esse commemoratio veritatis, quia nulla ratiocinatio, & ubi nemo est, qui memor DEI sit*; & de fide ad Petrum cap. 3. paulo post medium: *In inferno etsi erit stimulus pœnitudinis, nulla tamen ibi erit correctio voluntatis: à talibus enim iniquitas sua ita culpabitur, ut nullatenus possit ab eis vel desiderari justitia. Voluntas eorum talis erit, ut habeant in se semper malignitatis suæ supplicium, nunquam tamen percipere possint bonitatis effectum*, & lib. de Spiritu, & anima cap. 56. ante medium ait: Loquens de inferno: *Mors perimet; & non extinguet; dolor cruciabit, & pavorem non fugabit; flamma comburet, & tenebras non discutiet; erit enim in igne obscuritas, in obscuritate pavor, in combustione dolor*, & nonnullis interjectis subdit: *Ibi erit metus & pavor, luctus, & dolor, tunc vere nil nisi lugere erit, nisi flere: quia pœnitere tunc nulli poterit valere, ibi erit tortor cædes, vermis corrodens, ignis consumens, sitis intolerabilis, pœna famis, pœna fœtoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna angustiæ, pœna tenebrarum, sæveritas tortoris præsentia Dæmonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, & dilaceratio immortalium vermium.* S. Bernardinus Senens. *Ignis inferni semper ardebit, nunquam lucebit, semper uret, nunquam deficiet. O mors quam dulcis esses, quibus tam amara fuisti, te solam ibi desiderantes optabunt, qui te solam vehementer oderunt.* Hinc Cassiodorus in Psal. 20. post medium: *Ignis infernalis sic absumit, ut servet, sic servat, ut cruciet*, & in Psal. 51. *Pœna ingens, formidolosa damnatio de amœnissimo Domini tabernaculo evelli, & in perpetuis ignibus mancipari, ubi nec virere cuiquam datum est, nec florere concessum, sed tanquam arbor grandæva radicitus evulsa æterna sterilitate siccari.* S. Fulgentius: *Ibi mors miserorum talis erit, quæ non animam de corpore dolentis excludat: sed in dolente corpore ita jugiter teneat, ut anima simul, & corpus æternitate doloris affligat: ac per hoc semper in corpore suo morietur anima, cum quo sine fine cogitur æterna communicare tormenta.* Et lib. 2. de remiss. peccat. cap. 13. sub finem: *Ibi mors animæ corporisque non moritur, quia cruciatus corporis, & animæ non finitur.* S. Gregorius Magnus lib. 26. Moral. cap. 24. post medium: *Quem rapit iniquitas, infernus absorbet*, & cap. 38. *Inferni claustra tenebrosa terra nominantur, quia quos puniendos accipiunt, nequaquam pœna transitoria vel phantastica imaginatione cruciant, sed ultione solita perpetuæ damnationi servant.* S Petrus Damianus: *Regio gehennalis, regio dura, regio extimescenda, terra afflictionis, terra oblivionis, terra miseriarum, terra tenebrarum, terra turbinis, & caliginis, terra maledictionis, & mortis.* S. Joannes Chrysostomus homil. 24. in Matth. *In inferno damnatus duplex invenit supplicium: in gehenna enim uritur, & cœlorum Regnum prorsus amittit, quæ pœna major est quàm cruciatus ille flammarum.* S. Prosper describens gehennæ cruciatus ait: *Ubi continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor summus, ubi pœnales sensus torquent animas, non extorquent, puniunt corpora damnata, nec finiunt.* Omissos facio alios Patres, qui absque dubio hanc eandem tradunt sententiam, quia vel ex ipso nomine inferorum, & ex modo loquendi, quo impii dicuntur descendere ad inferos, satis constat, dari hanc subterraneam cavitatem, in qua damnati cruciabuntur pro suis delictis in anima, & corpore. Ratio itidem id evincit: quia DEus justus non esset, si tot crimina, quæ ab impiis perpetrantur, tot peccata, quæ congeruntur, tot scelera,

quæ diætim committuntur, impunita manerent: Sed per sæpe non puniuntur in hac vita, experimur plerumque hominibus malis bona contingere etiam usque ad vitæ extremum, adeo ut nullam luerint pœnam pro suis sceleribus: ergo æquum omnino est, si non puniuntur in hac vita, saltem pœnas luant in altera, ut exerceatur justitia, unde æquum est, ut peccatores pro suis demeritis torqueantur in aliquo destinato supplicii loco, ut divinæ satisfaciant justitiæ & cognoscant, quàm malum & amarum sit dereliquisse DEum, & bonis adhæsisse caducis.

Dicendum est secundò, infernum esse locum corporeum, & specialiter destinatum ad pœnam & effossum in imis terræ visceribus profundissimis, ubi detinentur tum mali Angeli, tum reprobi homines. Probatur, quia hunc speciatim locum destinatum ad pœnas malorum Angelorum, & hominum significant Scripturæ, Eccles. 21. *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi tenebræ, & pœnæ*, describit locum istum dissertè Job. cap. 10. ubi eum vocat, *Terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, & cap. 20. loquens de hominibus, qui indulgent voluptatibus, ait: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendent*, quod etiam Isaias fuerat cominatur Regi Babylonio: *Verumtamen ad infernum detraheris usque ad profundum loci*, in novo etiam testamento hoc idem habetur, præsertim in Evangelio: *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno*; hoc idem significant omnia illa Scripturæ loca, ubi infernus vocatur abyssus, puteus abyssi, & profundum locus. Ratio etiam id convincit, quia nusquam extra terram ejusque profundum convenienter poni potest hæc cavitas; seu carcer damnatorum: Elementa enim aëris & aquæ non suppeditant locum idoneum, in quo hæc damnatorum cavitas tenebricosa struatur, quia cum hæc duo Elementa confluxa, & lucida sint, sunt humanæ naturæ magis consona, quàm opposita; neque poni potest in sphæra ignis, quia ibi hoc elementum suas non exerit vires, nec agit in alia corpora, juxta sententiam Philosophi, unde superest, ut carcer iste damnatorum sit subterraneus, & non procul à centro terræ, ut indicant Scripturæ superiùs citatæ. Præterea quia sicut domicilium, & sedes beatorum est in supremo, & nobilissimo loco, ita congruum erat, ut è converso carcer damnatorum esset in infimo, & ignobilissimo terræ loco, ut longissimè abesset à sede Beatorum. Hinc sequitur hanc damnatorum carcerem quem infernum vocamus, non multum distare à mundi centro, quia infimum terræ est mundi centrum, & nisi ponatur in centro, non distabit eo majori distantia, qua posset à cœlo, quod tamen ipsa ratio postulare videtur. Verùm id non ita est intelligendum, ut infernus debeat esse in puncto illo centrali terraquei globi, quòd & centrum mundi dicitur: sed ita potius est intelligendum, ut sit in medio terræ, adeo ut centrum terræ, & mundi coincidat, cum centro inferni, siquidem spatium inferni latius extenditur, quam ipsum centrum, idque apertè colligitur ex Patribus: siquidem D. Chrysostomus ait: Christum descendisse ad infimas partes terræ, post quas non est aliquid aliud; unde descendit ad specum illum, quem dicimus esse in medio terræ, quia infra medium terræ, seu punctum mundi centrale, nil ulterius superest. Quòd si dicas, Christum non descendisse ad infernum damnatorum, sed ad limbum Patrum, qui inferioribus abyssis seu inferno damnatorum est substructus, ut loquitur Tertullianus, & cum ipso communiter Doctores; respondetur, has cavitates esse inter se valde proximas, adeo ut instar unius reputari possint, & communi nomine vocari inferi, qui dicuntur esse in puncto mundi centrali, non quòd Sinus Abrahæ, seu limbus Patrum, sit eadem prorsus cavitas subterranea, ac infernus, sed quia sit alia vicina cavitas: adeo ut punctum centrale non sit centrum limbi, sicut est centrum inferni, idque videtur innuere D. Hieronymus in cap. 2. Jonæ. Ubi ait: *Infernum esse in medio terræ; sicut cor est in medio animalis*; sed cor verè est in medio animalis, quantum fieri potest; est enim si non in ipso medio totaliter, saltem prope medium, cui sententiæ favet modus loquendi Sacræ Scripturæ dicentis, Christum fuisse in corde terræ, sicut fuit Jonas in ventre ceti; sed Jonas erat in infima cavitate ceti, ergo etiam limbus Patrum fuit in infima parte terræ; quod etiam ex eo evincitur, quia descensus Christi opponitur ascensui per extremos terminos: siquidem Christus ita ascendit super omnia, ut congruè ulteriùs non posset, ergo etiam ita descendit infra omnia, ut ulteriùs non conveniret. Neque potest ulla efficax ratio in contrarium adferri, quæ urgeat; ambæ enim cavitates in terræ visceribus limborum, & inferni ob vicinitatem instar unius censetur, qua de causa communi inferorum nomine gaudent, ac eadem subindicantur nomenclatione, dicuntúrque in terræ meditullio latere rationem majoris, ac celebrioris partis, quapropter D. Hieronymus ait: Infernum esse in medio terræ, perinde ac cor in medio dicitur esse animalis; cor autem dicitur esse in medio animalis, prout congruentius fieri potest; & Sacra Scriptura huic loquendi modo videtur etiam adhærere asserens, Christum fuisse in corde terræ, sicut fuit, Jonas in ventre ceti. Quamobrem dicendum est, in terraquei globi meditullio vastissimam esse cavitatem, seu carcerem gehennalem, in quo miserè detinentur & torquentur reprobi, hinc decedentes infecti lethali noxa.

CAP. VI.

# CAPUT VI.

## Quanta sit cavitas inferni, & quæ tormenta in eadem.

Diximus, infernum esse quandam cavitatem in terræ meditullio, cujus centrum sit etiam centrum terræ, & mundi, superest examinandum, quanta sit hujus cavitatis capacitas. Certum est, debere tantam esse, ut sufficiat pro innumerabili propemodum damnatorum numero, ut possit omnes capere, facta autem supputatione hominum, qui nunc in mundo vivunt, & habita etiam consideratione ad sexaginta sæcula, quibus creditur mundus duraturus, videtur quasi ascendere ad vicies, vel tricies mille milliones, quæ multitudo certe comprehendi non potest exiguo spatio, hanc inferorum capacitatem, & amplitudinem, censet Ribera, posse colligi ex cap. 14. Apocal. ubi Joannes ait: *Et misit, qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, & demessa est terra, & alius Angelus exivit de templo, quod est in cœlo, habens & ipse falcem acutam. Et alius Angelus exivit de altari, qui habebat potestatem supra ignem; & clamavit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ sunt uvæ ejus, & misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ, & misit in lacum iræ DEI magnum, & calcatus est lacus extra civitatem, & exivit sanguis de lacu usque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta.* Lacus magnus iræ DEI est ipse infernus, seu gehennale stagnum ignis, & sulphuris, cujus meminit ipse Joannes. Uvæ reprobos significant, qui veluti racemi per vindemiam amputati, seu è vivis abrasi in inferno perinde ac in torculari prementur, ac torquebuntur: hinc carcer gehennalis dicitur torcular vini iræ DEI omnipotentis. Sanguis significat tormenta, & cruciatus, quibus damnati torquentur: diffusio sanguinis per stadia mille sexcenta non videtur aliud commodius indicare, quàm spatium loci, per quod tormenta, & homines torquendi se extendunt: & conficiunt hujusmodi stadia milliaria Italica ducenta; & milliare Italicum continet mille passus, seu pedum quinque millia. Quamobrem Inferni structura ita concipi potest, ut in terræ meditullio sit cavitas quædam perampla, cujus centrum idem sit ac illud mundi, cujus planities ita extendatur, ut ejus diameter sit centum leucarum, & ambitus trecentarum, in cujus medio sit stagnum amplum, ac profundissimum igne oppletum, ac sulphure, in quod demersi reprobi iniquiores torqueantur cruciatibus acerbioribus. Alii vero reprobi, qui cum paucioribus noxis lethalibus hinc decesserunt, disponuntur extra tale stagnum, per totum tamen ambitum horridum, & planitiem illam oppletam caligine, & tenebris. Ita cum Ribera censent plures interpretes. Verum hæc sententia videtur aliquot pati difficultates; quia tam vasta laxitas non videtur necessaria, & vigesima pars assignati spatii videtur sufficere, quamvis damnati essent duplo plures; non enim videtur credibile, eos esse ita disponendos, ut per planitiem illam possint pedibus insistere, & de loco moveri in locum, & huc illucque pergere, prout ipsis magis libuerit: quin potius in unum videntur colligendi ac congerendi cumulum, instar carbonum ardentium, ut indicat scriptura. Mutua enim corporum compressio plurimum adfert incommodi, ac acerbitatis ad incrementa cruciatuum; sicut enim laxitas mitigationi favet; ita compressio supplicia adauget: & in gehennali carcere supplicia erunt acerbissima. Præterea quia stagnum illud ignis, & sulphuris totum complectitur infernum; habetur enim Apocal. 20. v. 15. *Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*; scilicet in infernum indicatum per stagnum ignis. Unde probabilius videtur, quod opinantur alii; Infernum in terræ meditullio esse cavitatem, in cujus medio sit stagnum illud sulphuris ardentis, cujus pluries meminit scriptura, & ita, ut centrum stagni sit centrum inferni: quòd verò ad illius cavitatis attinet magnitudinem, probabile itidem est, non excedere quatuor, vel sex milliaria Italica, quia hoc spatium videtur sufficere ad recipienda omnia damnatorum corpora. Si dicas, Joannem in Apocalypsi assignare laxius inferorum spatium; Responderi potest: illa mille sexcenta stadia posse referri ad spatium, quod impii occupabunt tempore judicii, quando pœna æterna per sententiam judicis illis irrogabitur: tale enim spatium sufficiet ad comprehendendum tricies mille milliones hominum in terra existentium.

Quod verò ad supplicia & instrumenta attinet pœnarum, duo statuuntur pœnarum genera, quibus reprobi in gehenna damnati torquentur: alia siquidem est pœna sensus, & alia pœna damni; hæc privatio est æternæ gloriæ, omniúmque bonorum, quibus beati fruuntur in cælesti patria: illa est, quâ detrusi in gehennali carcere dolores, mœrores, tristitias, & alia tormenta, quæ tum animam, tum corpus acerbissimè affligent, erunt æternum experturi; dicitur pœna sensus, quia sensus internos, & externos afficiet; hæcque pœna à causis extrinsecis infertur, ut à loci conditione, ab igne sulphure, fœtore teterrimo, planctu horrisono, ululatu terribili, ac à Dæmonibus sævientibus in miseros damnatos: omnes enim dolores, ac afflictiones ab hisce causis imediatè profectæ sive in corpore sive in anima pectant ad pœnam sensûs; ut & illa tristitia, quæ ex consideratione horum dolorum, ac pœnæ sensus oritur; & præsertim ex consideratione, quia hæc omnia mala erunt æternùm duratura; neque ulla amplius affulgebit spes ea declinandi. Et quamvis non desint ex Sectariis, qui asserant in gehenna non esse verum, ac realem ignem, nec sulphur; imò neque tenebras; & hæc omnia, quorum Scriptura meminit, esse intelligenda metaphoricè, ei nihil aliud designare, quàm miserum damnatorum statum. Veritas tamen Catholica est, ibi adesse verum, ac corporeum ignem, Deuter. 30. *Ignis succensus est in furore meo; & ardebit usque ad inferni novissima*, seu ut habetur in textu Hebræo, *usque ad voraginem inferiorem*. Psal. 20. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui. Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis*. Psal. 139. *Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent*. Judic. 16. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum; ut urantur, & sentiant usque in sempiternum*. In novo itidem testamento fit passim mentio hujus veri, ac realis ignis; adeo ut Calvinus, Beza, & plures alii Calvinistæ, negantes verum ac realem ignem dari in gehenna, apertè adver-

adverſentur ſcripturis Matth. 25. *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo*, & Matth. 13. *Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & ſtridor dentium*, & Luc. 15. Ubi Evangelicus dives in gehennali detruſus carcere ſuos depromens dolores ait: *Crucior in hac flamma*; cùm igitur ſcriptura loquens de pœnis, quibus torquentur improbi in gehenna, meminerit ignis, quem inculcat, & etiam minatur, perſpicuum eſt eſſe ibi verum, & realem ignem, & non ſolum metaphoricè: ſiquidem quoties aliquid in ſcripturis dicitur metaphoricè, non ſemper iiſdem verbis, ſed ex uſu Sacræ Scripturæ deprehenditur diverſis verbis id exprimi, ut cognoſcatur, quando locutio ſit propria, & quando metaphorica: quòd ſi ignis gehennalis eſſet intelligendus metaphoricè, ut Calvinus, & Peza putant, non ſemper exprimeretur eodem nomine, ſed ſubinde per cumulum miſeriarum, quem ignis ſignificat, ut putant plures Calviniſtæ aſſerentes totam miſeriam in eo conſiſtere, quòd apprehendant DEum ſibi iratum mirè exaggerantes hanc apprehenſionem quam vocant maximè formidabilem abyſſum, ut videantur aliquid aſſerere, cum revera veram, & realem impiorum pœnam in gehenna, negent, & nihil ibi relinquant niſi vanam apprehenſionem, & errores panicos; ſemel enim, quòd tota pœna ſita eſt in vana apprehenſione, nil pœna continet veri, nilque realis à parte rei, ſed tantùm in pura imaginatione contra ſcripturas, præſertim Matth. 13. ubi Chriſtus duplici parabola explicat veros & reales gehennæ cruciatus, inquiens: *Sicut colliguntur Zizania, & igne comburuntur, ſic erit in conſummatione ſæculi, mittet Filius hominis. Angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium*: ubi per omnia ſcandala hi omnes intelliguntur, qui aliis ſunt cauſa peccandi, vel imperio, ut tyranni, vel doctrina, ut Hæretici, vel conſilio, ut mali Socii, vel exemplo, ut impii peccatores, qui alios excitant ad perperam agendum: & per operantes iniquitatem intelliguntur cæteri peccatores, qui non aliis, ſed ſibi tantùm ſunt cauſa peccati, hi enim omnes veluti Zizania in faſciculos colliguntur, & in ignem mittuntur æternum ad comburendum: unde quod in inferno ſit vera, & realis pœna orta ex gehennali igne clarè Chriſtus edocet. Secunda parabola hunc eundem verum, & realem ignem confirmans eſt, quam proponit idem Chriſtus, eſtque parabola ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congregantis: ſicut enim qui retia in mare extenderunt ad capturam piſcium, retrahunt ad ſe eandem ſagenam, & in littore ſeligunt bonos, quos collocent in vaſis, & ſeparent a malis quos abjiciunt: *ſic erit* (ait Chriſtus) *in conſummatione ſæculi, exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Rurſus Marci 9. *Si ſcandalizaverit te manus tua, abſcinde illam, bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*, & hoc idem bis repetit, agens de pede, & oculo, ubi gehennam ait eſſe ignem inextinguibilem; ſtatim enim repetit, *ubi ignis eorum non extinguitur*: Quòd ſi non extinguitur loquitur de vero, & reali igne, qui inter nos poteſt extingui, ſed in gehenna erit inextinguibilis; ſemper enim ardebit, & uret. Rurſus addit: *Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur*, ubi indicat cauſam, cur peccatores erunt igne comburendi, perinde ac omnis victima, quæ Domino juxta legis præſcriptum offerebatur, erat ſale aſpergenda juxta illud Levitici 2. v. 13. *Quidquid obtuleris ſacrificii, ſale condies*: & quia omnes peccatores ſunt veluti victimæ ſacrificandæ divinæ juſtitiæ, ideo igne quaſi ſole condiendi erunt; confert enim peccatores cum victimis, & igne cum ſole: unde ſicut victimæ interimuntur, & igne cremantur in DEI honorem ad expianda peccata, & placandam iram divinam: perinde tota iniquorum multitudo æterno igne cremabitur, & DEO quodammodo ſacrificabitur, quatenus eorum peccata æternis ſuppliciis expiabuntur, & ita divina quaſi ſatisfactione quadam ſibi exhibita conquieſcat. Comparatur igitur ignis ſali, quia ſal vim quandam dicitur igneam habere, qua urit, & conſervat corpora, præſervatque à corruptione: ita ignis urit corpora damnatorum, ita tamen, ut ea non abſumat, ſed integra conſervet, ne unquam ceſſent torqueri. Meminit etiam hujus ignis veri, & realis Joannes Apocal. 14. ubi comparans Antichriſtum magnæ beſtiæ ait: *Si quis adoraverit beſtiam, cruciabitur igne, & ſulphure in conſpectu Angelorum Sanctorum, & ante conſpectum agni, & fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum.* Præterea ex eo, quod corpora damnatorum poſt diem finalis judicii ſint igne exurenda, nulla poteſt ratio adduci, cur de vero & reali igne non ſint loca Scripturæ intelligenda; tunc enim dicet Chriſtus Judex omnium: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus.* Neque ex eo, quòd Diabolus ſit incorporeus, neceſſe eſt, ut ignis ſit pariter incorporeus, ut torqueat Dæmones & impios in gehenna; quia poteſt DEus aſſumere ignem, ut aptiſſimum inſtrumentum Angelis & impiis hominibus torquendis in gehenna: ſiquidem poteſt igni corporeo ſpiritus alligare, & ex hac alligatione torqueri, ac vehementer triſtari, eò quia quodammodo ſubjiciantur Spiritus igni corporeo, ac à nobilitate proprii ſtatus dejiciantur. Eſt enim ignis torquendis reprobis inſtrumentum aptiſſimum, ſiquidem eſt ignis ſuppliciorum ultimum, neque humana crudelitas in inquirendis pœnarum acerbitatibus ingenioſa attrociora igne potuit invenire ſupplicia. Neque humana barbaries ullos adinvenit cruciatus acerbiores, quàm vivum hominem ita flammis extradere, ut lentè aſſetur, & comburatur; eſt enim cruciatuum acerbiſſimum aliquem vivum comburi. Quòd ſi eſt tormentorum horribiliſſimum igne noſtro lentè comburi, quatenus non erit cruciatus igne torqueri gehennali, cum teſte Auguſtino noſter ignis collatus cum gehennali pictus potiùs & fictus eſſe videatur, quàm verus, quantum enim experiretur doloris, qui per fluxum unius tantùm horæ brachium, vel manum, imò & extremum digitum unius gracilis cerei igniculo admoveret comburendum? Quòd ſi uberiori flammæ totam manum admoveret, vel etiam brachium atrociſſimus procul dubio foret cruciatus: & quantus non erit dolor toto corpore non per unam vel alteram horulam, nec per unum vel alterum annum, aut ſæculum, ſed per totam æternitatem nullo fine claudendam, nec finiendam ſemper torqueri jugiter comburi; hinc David ad hanc pœnarum acerbitatem, ac dolorum exp

pensionem toto Spiritu perhorruit, eò quia ignis gehennalis sit devoraturus corpora damnatorum Psal. 20. v. 10. *Devorabit eos ignis; Dominus in ira sua conturbabit eos*, seu ignis ita penetrabit damnatorum corpora, ac intima pervadat viscera, ut hæc videantur igne absorpta, non secus ac in ustrina ferrum candens ita igne imbibitur non in extima tantum superficie, sed intus etiam ut merus videatur ignis esse, tametsi verum maneat, & ejus forma persevèret: perinde in gehenna flamma ita ipsis damnatorum ossibus, ossiumque medullis implicabitur, ut solo igne videantur ardere. Hunc ignem gehennalem corporeum esse fatentur etiam communiter Sancti Patres, & quamvis D. Augustinus videatur aliquis hærere de flamma illa, de qua Luc. 16. dicitur: *Crucior in hac flamma*, absolutè tamen definit gehennalem ignem corporeum esse; ait enim lib. 21. de civit. cap. 10. *At gehenna, sed stagnum ignis & sulphuris corporeus ignis erit, cruciabit corpora damnatorum*, cui etiam adhærens D. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 29. ait: *Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari.* Quòd si dicas, Damascenum censuisse hunc gehennæ ignem materialem non esse; siquidem ait: *Impios & peccatores projiciendos in ignem æternum, non materialem; qualis est apud nos; sed qualem novit Deus.* Contra est; quia inde non sequitur, Damascenum censuisse, ignem gehennalem corporeum non esse, sed tantùm non esse materialem eo modo, quo noster ignis; quod verùm est, quia ignis gehennalis non indigebit assiduè nova materia, qua alatur; neque absumet; destruetque corpora, neque lucebit ut noster, nec poterit extingui; & in hoc sensu verè dixit Damascenus, ignem gehennalem non esse materialem, sicut est noster ignis; hunc esse sensum Damasceni ex eo liquet, quia ipse asserit, impios corpore indutos esse in gehennalem ignem projiciendos, consequenter non potuit asserere, talem ignem incorporeum esse, quia non potest intelligi, quomodo corpora projici possunt in ignem incorporeum, & ab illo uri, & torqueri: quod enim incorporeum est induit naturam spiritus, estque indivisibile, id quod non potest intelligi; quomodo corpora projici possint, ut torqueatur. Quamobrem ignis gehennalis verè corporeus est; & materialis, tametsi alias induat, proprietates, & qualitates: siquidem noster ignis ardet; & simul lucet, tartareus verò ardebit divina statuit justitia; sed non lucet, nisi in augmentum supplicii, ut qui dum viverent, societatem iniverunt, ac nequitiis indulserunt, sese socios etiam in suppliciis agnoscant, quo pacto adulteram cognoscet, & contabescet, malletque cæcus esse, quàm videndo aliena supplicia proprium adaugere, ut censet Isidorus inquiens: *Ignis gehennæ lucebit miseris ad miseriæ augmentum, & ad damnationem, ut videant impii, unde doleant; & non ad consolationem, ne videant, unde gaudeant.*

Prætereà ignis gehennalis est sulphureus, ut constat ex Isaia: *Convertentur enim torrentes ejus in picem, & fumus ejus in sulphur*: & David: *Pluet super eos laquens ignis; & sulphur pars calicis eorum*, hinc Sodoma & finitimæ civitates igne sulphureo subversæ fuerunt: siquidem sulphur est instrumentum aptissimum impiis puniendis ob vim ignream, qua facile & vehementer exardescit, & ob tetri odoris acrimoniam, quæ fœtori congruit peccatorum; hinc mbris olim fuit, ut testatur Plinius; quo sulphureo suffitu domus expiarentur, & à fœditatibus, quas contraxerant, purgarentur: & quia impii domum suam, seu animam per patrata scelera coinquinarunt, dum viverent, ideo conveniens erat, ut Deus igne sulphureo has domos, quantum fas est, expiaret; est enim delinquentium supplicium genus quoddam expiationis. Hæcque fortassis ratio, cur sulphurea materia bitumine immixta sub terra lateat, ac in intimioribus stabuletur montium finibus, ac visceribus; ut colligitur ex thermis montibusque ardentibus, inter quos clarissimus est Æthna in Sicilia; cæteris finitimis eminentior, quem prisci homines; ac Poëtæ à flammarum globis; saxisque ignitis, quæ sursum identitem evibrat, Vulcani regiam dixerunt. Mons enim iste æstuans nativo sulphure ventorum vi materia concipienlis flammis præparata intus accenditur, & carceris impatiens per hiantes ruinas cacuminis foras erumpit. Illustris est etiam; & suis flammis clarus in agro campano Væsuvius, qui interdum, & ipse tonat ruinis, & è suo hiatu flammas ejaculatur; ignesque evomit sulphure, & bitumine immixtos, ac deorsum per montis parces & præcipitia defluentes instar cujusdam torrentis. Thermæ itidem sulphur sapuint; quin & ipsa fulmina, quæ divinæ iræ sunt symbola, igne constant sulphureo, & sulphur olent.

Rursus ignis elementalis, qui apud nos est, omnia absumit, quæ afficit; gehennalis verò ita torquet, ut non absumat; ita urit; ut non comburat, ut scitè expendit D. Augustinus Tom. 5. lib. 21. de civit. cap. 4. & cap. 7. init. ut etiam cap. 9. ait enim: *Si salamandra in ignibus vivit, & notissimi Siciliæ montes tota diuturnitate temporis, atque vetustate usque nunc; & deinceps flammis æstuat; atque integri perseverant; satis idonei testes sunt, non omne quod ardet absumi; & anima indicat; non omne, quod dolore potest, posse etiam mori, his docemur, qua ratione hominum sempiterno supplicio puniendorum corpora; & in igne animam non amittant; & sine detrimento ardeant; & sine interitu doleant: Quis nisi Deus Creator omnium dedit mortui pavonis carnibus; ut vel in annum solitum, asservata sint faciles? Quis paleæ dedit vel tam frigidam vim; & obrutas nives servet, vel tam fervida, mut poma immatura maturet? Jam verò quàm mirum est; quod cum calx extinguitur; tunc accenditur? cur itaque facere non possit Deus, ut & resurgant corpora mortuorum; & igne æterno crucientur corpora damnatorum.* Tertullianus cum hanc gehennalis ignis perpenderet virtutem vocavit hunc ignem thesaurum ad pœnam; quatenus ita propria restaurat detrimenta; ut in reprobis torquendis nihil deperdat virium, nilque propriè virtutis; & ut thesaurus semper ditescat, & nunquam detrimentum patiatur; nec pauper fiat, ait Tertullianus in Apolog: *Si gehennam comminemur; quæ est ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus, proinde decachinnamur*, utitur vocabulo thesauri; & gehennalem subterraneum ignem vocat thesaurum ad pœnam; & innuit pœnalissimæ exustionis perennitatem, vocat ignem arcanum ob mirabilissimam vim, qua potitur ad comburenda corpora, & animas damnatorum, & quidem æterna deflagratione absque ullo consumptionis detrimento. Est igitur gehennalis ignis thesaurus, quia ditescens acerbioribus cruciatibus hos abundè refundet in carnem inex-

inexpiabilem damnatorum, & infectas peccatis medullas, quas suo æstu intimè penetrabit, ac instar ferventium metallorum inextinguibili ardore totam hominis substantiam depascentibus flammis ita pabulum igni suppeditabit, ut nil deperdat, quod à cruciatu per desitionem cesset. Quinimò medios inter ignium globulos, spirasque flammarum fumantes ita damnatorum corpora pabulum suppeditabunt incendiis gehennalibus, ut incrementa suscipiant suppliciorum, ut non decrementa propriæ substantiæ torquendæ experiantur: depascet quidem ignis reproborum damnata corpora, quæ tamen non absumet, ne in detrimento incrementum subeant solatii facitque à supplicio immunia, si esse desinant, pulchrè igitur Tertullianus gehennalem ignem thesaurum vocat, eò quia semper ditescat, & jugi reparatione jacturas restaurat, quatenus utit quidem, sed non comburit, torquet non absumit, quia servantur, quæ hoc igne torquentur corpora & Spiritus in sua manet integritate, ne hac deperdita meliorarentur à cruciatibus immunia. In hoc igitur thesauro ignis arcanus inter stagna ferventia æstuantis gurgitis propria reparat detrimenta, eo quia execranda damnatorum corpora non absumit, quamvis sævissimis eos torqueat ardoribus. Scitè Eusebius homil. 1. ad Monach. *Escas ardoribus crimina ministrabant, manebit præceptum, & Authoris, & Judicis, ut viscera doloribus obnoxia, & solis cruciatibus consecrata, ignis arbiter depasta non devoret, sed ad hoc non pereat, ut semper interimat, ut opus ac figmentum in antiquis sceleribus mortuum & ad sola tormenta redivivum, finem in ipso confinio non inveniat, sed exinanita jamque tolerantia virtus sic pereat, ut resurgat. Illa enim non causalis, sed rationabilis. & pœnalis exustio, quia culpam jubetur inquirere, substantiam nescit absumere; flamma illa, non tam reum persequitur, quàm reatum.* Explicat Eusebius hujus arcani ignis naturam asserit qualitates Philosophis ignotas eò quia urit quidem ignis gehennalis, sed ejus ustio non est casualis, sed rationabilis culpam inquirens, quam absumat; quod si reum torquet reatum invenit, & certè arcanus est ignis, cujus exustio ut perennet in supplicium sceleris ita scelestos torquet, ut non absumat, ita urit, ut non comburat: quærit enim in impio impietatem, quam inquirendo torqueat, & inveniendo puniat. Non enim in hoc igne ullas poterit palladium latebras invenire, sicut fertur invenisse flagrante Troia asylum in flamma, siquidem abdita quæque scrutabitur gehennæ ignis, & omnia quæret absconsa, ut quidquid delinquentis hominis vanis perdidit suggestionibus rapida flammarum populatione complectatur. Ignis enim gehennalis noxis omnibus attemperabitur, & Dei Vindicis justitia eo perinde ac flagello utetur, Deuter cap. 25. v. 2. Pro mensura peccati erit & plagarum modus: nimirum respondebunt supplicia delictis, & qui deliciis, dum viverent, affluere studuerunt supremam in iisdem quærentes felicitatem, & qui plumis mergebantur, flammis obruentur acrioribus, & pro sceleribus levioribus acrius in gehenna cruciabuntur captivi, & qui mundi gaudiis adhæserunt, luctus dabunt, & lachrymas, quique concupiscentiis carnis indulserunt sævioribus subjicientur cruciatibus tortoris ignis, cujus tormentarius pulvis, quo ejus flamma succendetur furor erit irati Judicis, quem viventes per patrata scelera pluries irritavimus: hunc ignem nobis exhibet Jeremias inquiens cap. 17. v. 14. *Ignem succendisti in furore meo; usque in æternum ardebit*, imò & ipse Moyses, cum vices Dei gereret, eundem ignem perennantem audivit Deuter. cap. 32. v. 22. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima.* Unde est furor irati Nominis veluti tormentarius pulvis, quo æternus hic ignis succenditur.

An verò præter ignem detur etiam apud inferos frigus, quo damnati torqueantur. Non desunt plures, qui censent dari in gehenna præter ignem intentissimum frigus, quo detrusi in gehennali carcere in stagno ignis transferuntur in stagnum nivis, & hinc vicissim rapiantur in stagnum ignis, idque perpetua quadam vicissitudine, & fundatur hæc sententia in verbis Job. 24. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, & usque ad inferos peccatum illius*, & ita sentit D. Hieronymus in cap. 10. Matth. explicans versiculum illum: *Sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam*, ubi ait: Duplicem dari gehennam, unam nimii ignis, & alteram nimii frigoris, cui adhæret Beda in commentario loci illius Job. 24. inquiens: *Quasi duas gehennas Job dicere mihi videtur ignis, & frigoris, per quas diabolus, Hæreticus, & homo impius commutetur*, & alii plures eidem videntur adhærere sententiæ; quorum aliquos recenset Pineda in locum illum Job; imò tribuitur etiam Augustino lib. de triplici habitaculo cap. 2. ubi ait: *principalia duo sunt tormenta in inferno frigus intolerabile, & ignis inextinguibilis.* Verùm ab aliis dubitatur, an revera liber ille scriptus fuerit: ab Augustino eò, quia non extet in ejus indiculo, & stylus valdè discrepet, tum quia D. Augustinus de hisce quæ nostrum videntur captum excedere non solet absolutè pronunciare, præsertim si scripturæ expresse non faveant. Contrariam tamen sententiam propugnant plures recentiores cum Abulensi quæst. 559. in cap. 25. Matth. primò quia scriptura, ubi de gehenna loquitur, nunquam meminit hujus frigoris, sed tantum ignis, unde non debemus temere asserere, quod expresse non habetur in scripturis: Tum quia si stagnum nivis vel aquæ gelidissimæ esset apud inferos Evangelicus dives non rogavisset Abrahamum, ut mitteret ad se Lazarum, ut aquæ gutta suam refrigeraret linguam, potuisset enim facile ardores illos temperare per accessum ad nivem. Tum quia illa vicissitudo, ac transitus de stagno ignis ad stagnum nivis esset potius damnatis solatio, quam cruciatui, non esset tormentum, sed potius lenimentum doloris: siquidem constituti in medio ignis nil magis appetunt, quam ad stagnum aquæ nivalis transire, ut vel extinguant, vel temperent ignis ardores; contraria enim contrariis sicut curantur, ita & mitescunt, ac vires deperdunt. Tum quia frigus non habet vim torquendi sicut calor quin potius inducit stuporem, & absque ingenti cruciatu mortem infert, ut experimento deprehenditur in his excubiis, quæ rigente hyeme ex nimio frigore in speculis præsertim nocte decedunt. Præterea videtur difficile captu quomodo stagnum illud nivis vel aquæ immenso calore, qui ibi adest non incalescat. Quod si dicas eo quia procul distat à stagno ignis, hic videtur crescere difficultas de amplitudine utriusque stagni, & quomodo infinita multitudo possit transferri ab uno in aliud. Quamobrem probabilius est, ibi nullum esse tale frigus, facile enim respondetur ad illud Job 24. esse imprecationem in adulteros, ait enim: *Maledicta sit pars ejus in terra, nec ambulet per viam vinearum*; loquitur enim de pœna temporali, qua peroptat puniendos esse adulteros quos vult loca deserta

procul

procul ab omni amœnitate, ac fertilitate transire, ideo subdit, *ad nimium calorem transeat ab aquis nivium*, seu uratur æstu, & gelu, affligatur omnibus suppliciis hujus vitæ, & usque ad inferos peccatum illius, quinimò vult pœnam adulterii durare usque ad sepulchrum, vel donec rapiatur ab inferno, ut explicat Pineda, apud quem plura eruditè expenduntur.

Utrum verò in inferno sint veri, & reales vermes corrodentes corpora damnatorum plures affirmat, eò quia vermes expresse in scipturis significentur, Judic. 16. *Dominus vindicabit in eis in die judicii visitabit illos: dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiantur in sempiternum*, ubi est sermo de inimicis populi Dei, rursus Ecclesi. 7. *Mementoira, quoniam non tardabit. Humilia valdè spiritum tuum, quia vindicta carnis impiì ignis, & vermis*; & rursus Isaiæ ult. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*: & alibi fit etiam mentio vermium, ut Marci 9. Verum probabilior Sanctorum Patrum sententia est, neque in gehenna dari veros, & reales vermes corrodentes damnatorum corpora. Neque obstat, in præcitatis scripturarum locis fieri mentionem vermium, quia Sancti Patres per vermes in gehenna corrodentes damnatos intelligunt remorsum conscientiæ, ac perpetuam delictorum accusationem, ut S. Hieronymus in cap. ult. Isaiæ, S. Ambrosius in cap. 14. Luc. prope finem, & plures alii cum D. Thoma in 4. dist. 50. quæst. 2. art. 3. & alii passim doctores, & licet D. Augustinus lib. 21. de civit. cap. 9. utramque partem videatur censeri probabilem magis tamen propendet, per vermes esse intelligendum remorsum conscientiæ, quo damnati intus torquentur. Ratio etiam videtur suadere, non esse in gehenna ponendos hos vermes corporeos, quia cum omnis morsus bestiarum respectivè ad dolores, quos ignis gehennæ ingerit, sit lusus, ac parvi momenti non videtur operæ pretium vilissimas bestiolas absque necessitate novo prægrandi miraculo asserere immortales, ac vivere in acerrimo igne ad eum tantum finem, ut corpora corrodent damnatorum, & homines torqueant præsertim cum vermium morsus perquam exiguus sit, molestiamque potius adferat, quam acrem cruciatum, quapropter potius serpentes, & dracones poni deberent, si bestiæ aliquæ ibi accersendæ essent ad homines excruciandos: adeo enim ingens est tormentum, quod sulphureus ignis adfert in arcto gehennæ carcere, ut nihil vel a vermibus, vel aliis insectis, imò neque à frigore videtur posse incrementum supplicii addi.

Præterea cùm in scripturis agitur de pœnis impiorum, quæ explicantur per instrumenta ignis, & vermis simul juncta, necesse est per vermem aliquid magni denotari, quod cum igne totum nobis supplicium exhibeat, & hoc aliud non est, quam conscientiæ remorsus, & accusatio, ut notat S. Thomas; dicitur enim vermis, quia nascitur ex putredine peccati, & corrodit animam perinde ac vermis corporalis, nascitur ex carnis putredine, & carnem corrodit, & quia assiduè conscientiæ damnatos accusat, & remorsus patrati sceleris eos torquet, bene dicitur vermem conscientiæ jugiter eos torquere, ex eo præsertim, quia æternam amiserint gloriam, quam facilè potuissent obtinere, & æterna incurrerint in inferno supplicia, quapropter duplex inde oritur dolor, qui quadam immensa acerbitate cor eorum tanquam vermes infestissimus corrodet, quia scilicet ex propria negligentia, & incuria tantum bonum neglexerint, & in tanta se mala præcipitaverint, hæ cogitationes vermes sunt acerbissimi, quorum morsus est præcipuum damnatorum tormentum: plus enim eos affligunt apptehensio amissæ æternæ beatitudinis, & coempti tanti supplicii nunquam finiendi consolitarius forsan ignis; hinc per vermem detrusos in gehenna corrodentem duplex potest facilè intelligi cogitatio amissæ beatitudinis, & contracti supplicii æterni, Hinc Marci 9. per vermes hæ intelliguntur cogitationes. Neque obstat, si dicas, has ambas cogitationes spontè sequi ex ipsa sententia damnationis; quia tametsi aliquo pacto sponte sequantur, nisi tamen quid aliud accesserit, non erunt ita intensæ, & continuæ, quapropter Deus peculiari influxu id operatur, ut damnati clarè & assiduè hæc apprehendant, nec possint ab his cogitationibus mentem avertere, ut acrior sit dolor, & rabies intensior. Ad illud Judic. 16. ubi dicitur, quod *Deus dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum*, respondet D. Thomas, carnem ibi accipi pro anima, & communius dixisse carnem phrasi hebræa pro toto homine, sitque propterea sensus, quòd cum Dominus judicabit orbem, & impii resurrexerint, dabit ignem, & vermes in carnes eorum, seu in ipsos damnatos post diem judicii indutos carne, & urantur igne, & sentiant morsus horum vermium in sempiternum. Pari pacto Ecclesi. 7. dicitur, *vindicta carnis impii*, scilicet impii carne induti. Ignis sumitur, ut torqueat carnem, & vermis animam, cujus tamen dolor in carnem redundet, siquidem Spiritus tristis dicitur ossa exiccare, & pari phrasi Apostolus ad Corinthios dixit: *nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus; foris pugnæ, intus timores*, ubi ponitur timor pro afflictione carnis, seu hominis induti carne passibili.

Supersunt explicandæ tenebræ, fumus, & alia, quæ gehennali carceri tribuuntur: quod enim ibi adsint tenebræ, seu cavitas illa in centro terræ obscura sit, & tenebrosa clarissimè innuit Job 10. ubi vocat *infernum terram miseria, & tenebrarum opertam mortis caligine, ubi sempiternus horror inhabitat*, quod si est terra tenebrarum operta mortis caligine sequitur gehennalem carcerem obscurum esse tetrum, ac tenebricosum, hinc Ecclesiastici 21. *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœna.* Rursus Matth. 8. *Filii Regni* (scilicet Judæi increduli) *ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.* Per tenebras exteriores intelligitur infernus in quem damnati erunt ejiciendi: vocantur exteriores tenebræ, quia sunt extra locum convivii, & totum Regnum Sanctorum, & 2. Petri 2. *Quibus caligo tenebrarum reservatur*, loquitur Princeps Apostolorum de Seductoribus, qui merito privantur omni luce corporali, eò quia lucem spiritualem, & divinam contempserint: neque obstat, si dicas, in inferno jugiter ignem ardere, cujus proprietas est splendores emittere, caligines excutere, & tenebras ejicere; nam ignis gehenna-

hennalis sulphureus est, qui ex se parum, vel nihil licet, nec lux illa cum pallida sit, & plena mœstitiæ, potis est tenebras excutere; ait enim Plinius lib. 35. cap. 15. *Ignem sulphureum suo repercussu pallorem dirum præsentibus suffundere*: hisce tenebris incrementum addet fumus sulphureus, ac tetricus, quo omnia oppleta erunt, hinc Joannes Apocal. 14. ait: *Et fumus tormentorum ascendet in sæcula sæculorum*, quod repetitur Apocal. 19. Non enim fumus iste sulphureus sursum ascendet, sed infra incubabit ad majorem gehennalis carceris tetricitatem; non enim fumus ille sicut noster evanescit, sed jugiter erit perseveraturus. Imò probabile est, eodem fumo ingentes itidem excitari in gehenna procellas, cum David dixerit Ps. 10. *Ignis, & sulphur, & Spiritus procellarum pars calicis eorum*, & in Epistola Judæ, quibus procella tenebrarum servata est, scilicet cum sursum tendens undique à suis inferorum partibus, repellitur vehementius exardescit ignis; Isaiæ 30. *Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Imò præter fumum, & tenebras erunt itidem fletus, gemitus, & ululatus horribiles, sine tamen lachrymarum fusione, ut docet D. Thomas *dist.* 50. *quæst.* 3. *art.* 3. quia cum in gehenna non fuerit ulla humorum resolutio, nec erit lachryma fusio, tum quia absque cœli motu nulla potest alteratio fieri, ut docent Philosophi, & sine alteratione nequit resolutio fieri: & etiam quia DEus non permittet corpora dissolvi, quo torqueri jugiter possint: neque ut quis verè fleat, necesse est in lachrymas solvatur, sufficit enim illa perturbatio oris, oculorum, & totius vultus, ac dissolutio cum ejulatu, & vociferatione, quæ in amarissimè flentibus esse solent. Fletus iste signum erit peracerbæ tristitiæ, & stridor dentium index summi doloris, quem sentient ex igne. Quemadmodum sunt duæ partes præcipuæ afflictionum damnatorum, scilicet summa tristitia animi ex apprehensione æternæ beatitatis deperditæ, & æterni supplicii contracti, & summus dolor corporalis ex igne aliisque causis externis, ita quoque duplex est signum externum hujus afflictionis, fletus, & stridor dentium, illa duo indicavit Christus per vermem & ignem, & hæc, cum dixit, ibi erit fletus, & stridor dentium. Quamobrem triplex erit in damnatis afflictio, primò erunt summi dolores sensuum, ac totius corporis interius, exteriusque. Secundò erit summ animi atristitia ex consideratione horum malorum, in quæ inciderunt. Et tertiò erit summa tristitia ex consideratione bonorum, quæ ex pura incuria, & negligentia, ut perituris adhærerent perdiderunt, & supra modum eos affliget seria propensio æternitatis, & quod nullo unquam tempore erunt hæc mala cessatura, nec unquam supplicia interrumpenda, ex qua consideratione oritur desperatio, furor, & maledictio.

Circa tamen suppliciorum æternitatem non videtur captu facile, quomodo pro noxa unica lethali, quæ in momento absolvitur, debeat quis æterna supplicia pati; quatuor enim dicuntur captu difficilia, tametsi fide divina à nobis credantur, scilicet Mysterium Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, ac gehennalium suppliciorum æternitatis; de tribus prioribus fusè egimus in Theologia, unde superest tantum breviter suppliciorum æternitas expendenda, circa quam plures irrepserunt hæreses, & Athei omnes hanc suppliciorum æternitatem negârunt, eò quia Authorem ipsum mundi, & gehennæ eunt inficias. Anabaptistæ itidem æterna hæc supplicia negant, eò quia videatur id à recta adhorrere ratione, & à Dei bonitate propter peccatum momentaneum pœnas infligere æternas, & nunquam cessaturas. Hinc Origenes docuit, animas impiorum; imò & ipsos dæmones revolutionem plurium sæculorum liberandos esse, & angelicæ luci, pristinæque felicitati restituendos. Et censuit hanc felicitatem neque perpetuam fore, sed rursus post aliquot sæcula in miseriam commutandam, eò quia longo sæculorum decursu foret, ut tædio divinæ contemplationis affecti sint se peccato contaminaturi; ob quæ iterum detruduntur in corpora, in quibus si iniquè vixerint, demergendi iterum erunt in gehennam: hanc felicitatis, & miseriæ vicissitudinem hominis futuri nec beati, nec miseri, refert S. Hieronymus Epist. ad Pammachium contra errores Joannis Jerosolymitani, ut etiam D. Augustinus *de hæresibus cap.* 43. Verùm hæc vicissitudo felicitatis, & miseriæ evertit fundamentum Christianæ Religionis, ac negat, falsasque asserit divinas promissiones; & irritum, ac inane reddit pretium sanguinis Christi, ac omnia salutis nostræ remedia: etenim si æterno quodam circulo volvuntur animæ defunctorum per miseriam, & felicitatem; nunquam liberi essemus à tyrannide peccati, unde Christus per suam Passionem, non securam nobis beatitudinem contulisset, quia possemus iterum illam deperdere, neque unquam liberi essemus à tyrannide peccati; quia postquam enacti fuerimus aliquid veræ felicitatis in cœlis, adhuc essemus miseri, ob timorem, imò & expectationem futuri lapsus: unde optabilius esset nunquam extitisse in rerum natura, quam semper tyrannidi subjici peccati. Præterea si daretur circulus iste revolutionum post plura sæcula inde sequeretur, quod Christus deberet infinities mori, vel saltem pati, ut animæ quæ post plura sæcula iterum suis unirentur corporibus redimerentur, quæ omnia absurda sunt. Unde

Asserendum est, pœnas damnatorum æternas esse, neque ullo unquam tempore finiendas esse; adeo ut nulla damnatis spes affulgeat inde evadendi: hæc veritas est de fide, ac desumitur ex sacris scripturis Isaiæ 66. ubi Propheta loquens de pœna damnatorum, ait: *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Danielis 12. *Multi, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium*, hebraicè legitur, in contemptum sempiternum. Judith. 16. *Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum.* Psal. 91. *Ut intereant in sæculum sæculi; tu autem Altissime, in æternum Domine.* Ps. 48. *Introibit usque in progenies Patrum suorum, & usque in æternum non videbit lumen*: seu semper erit in afflictione, tristitia, & tenebris absque ulla consolatione, sine spe ullius solatii. Hæc eadem veritas habetur expressè in novo testamento, Matth. 25. *Ite in ignem æternum: ibunt in supplicium æternum*, seu, ut legit D. Augustinus: *in combustionem æternam.* Matth. 3. *Paleas comburet igne inextinguibili*; & cap. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, quod si ignis erit æternus, æternum torquebit damnatos; & infra: *Ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam*: scilicet eodem pacto supplicium erit æternum, sicut & præmium. Sed hoc in

in cœlesti Patria nunquam deficiet; ergo supplicium in gehenna nunquam cessabit; sed erit æternùm duraturum: in Symbolo Apostolorum credimus vitam futuram, non simpliciter, sed æternam. Tandem hæc veritas desumitur ex omnibus illis Scripturæ locis; in quibus vita æterna, seu præmium beatorum, ac cælestis beatitudo dicitur *hæreditas incorruptibilis, immarcessibilis, æterna; ubi non erit amplius mors, neque luctus*, cum igitur quoad durationem supplicia gehennæ conferantur cum beatitudine, ex eo, quòd hæc sit æternum duratura, rectè infertur æternitas gehennalium suppliciorum, adeo ut sint in perpetuum hæc supplicia duratura, & nunquam finienda: hinc Apostolus ad Thessal. 2. 1. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, cum venerit glorificari in Sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt*; & tandem Apocal. 14. *Si quis adoraverit bestiam* (seu consenserit Antichristo) *cruciabitur igne, & sulphure in conspectu Angelorum Sanctorum, & ante conspectum agni, & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, nec habent requiem in sæcula sæculorum.* Major difficultas est in assignanda ratione, cur pro noxa una lethali, debeant damnati in gehenna æternùm torqueri; & cur cum culpa sit temporalis, & plerumque momentanea, debeat eidem correspondere pœna æterna nunquam finienda; respondent aliqui, quòd tametsi actus peccati re ipsa brevis fuerit, citoque transierit; affectu tamen peccantis fuit æternus, quatenus vellet peccans, quantum est in se, semper perseverare in eodem actu, seu oblectatione, qua peccando fruitur; ita videtur opinari S. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 44. inquiens: *Vellet sine fine* vivere, *ut posset sine fine peccare; districtius autem judex corda pensat, & affectus, non facta. Ad magnam ergo justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.* Verùm tametsi hæc ratio optimam contineat congruentiam, non tamen plenè videtur satisfacere: siquidem plures peccant, qui talem non habent, nec sentiunt affectum; plures enim furantur, qui pro illa tantùm vice optant pecunias, quin sibi proponunt non amplius furari, quia tantùm cupiunt hic, & nunc suum commodum. Quòd si dicas, cum iisdem circumstantiis semper velle furari, ac peccare. Contra est, quia sicut re ipsa non semper manent eædem circumstantiæ, ita nec talem voluntatem peccandi. Prætereà tametsi in omnibus, qui peccant, esset talis affectus, quo cuperent semper vivere, & peccare, ut semper possent in voluptatibus oblectari, hic tamen affectus adhuc esset inefficax, neque posset æquari affectui æterno aut peccatis, quæ æterno tempore perpetrarentur, proinde ex hoc capite non videtur, quomodo unica simplex lethalis noxa supplicium mereatur æternum nunquam finiendum. Alii hoc meritum æterni supplicii refundunt, in naturam lethalis noxæ, quæ tollit principium vitæ spiritualis, scilicet charitatem, & inferat mortem animæ, quod damnum cum sit irreparabile, ideo lethalis non supplicium meretur æternum, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæst.* 87. *art.* 3. Quem sequuntur plures alii, & ratio in eo est sita, quia omne peccatum meretur puniri, donec sufficiens pro eo exhibeatur satisfactio: vel donec peccator reparet ordinem, quem peccando violavit convertendo se per charitatem ad DEum, à quo se avertit, sed qui peccavit mortiferè nullo unquam tempore potest exhibere sufficientem satisfactionem nec, potest restaurare ordinem, quem violavit, consequenter meretur æternum puniri: hæc ratio tametsi videatur satisfacere intento, adhuc aliquam patitur difficultatem, quia tametsi pro merito crimen puniatur, donec reus plenam exhibeat satisfactionem, quando potest eam exhibere, & non vult, quia tunc peccatum suum cum liberè continuet, liberè etiam illud vult, & in eo contumaciter persistit: attamen nulla ratio, vel æquitas postulat, ut semper puniatur, quando peccator nullo modo potest satisfacere vel injuriam, & damnum illatum compensare: unde huic rationi esset quid aliud addendum, unde putârim ideo peccatum lethale æternum puniri, quia tamdiu est puniendum, quamdiu integer perseverat reatus pœnæ, qui per illud contrahitur, quia quamdiu manet obligatio ad pœnam, subiri etiam pœna debet: sed reatus pœnæ, qui contrahitur per peccatum lethale manet integer per totam æternitatem: siquidem per peccatum lethale æquè Angelus ac homo constituitur in tali statu, ut non possit satisfacere DEO offenso ex defectu gratiæ, ratione cujus opera constituuntur satisfactoria, ac meritoria, consequenter reatus pœnæ, qui contrahitur per peccatum lethale, integer perseverat per totam æternitatem; proinde decedens in lethali noxa, meretur puniri per totam æternitatem. Sed dices, tametsi Scripturæ comminentur pœnas æternas, explicari tamen commodè possunt de mora longissimi temporis, quia persæpe in scripturis sumitur æternitas pro diuturnitate temporis, quo pacto in Psal. 88. de Semine Davidis dicitur, quòd in æternum manebit, & luna in æternum perfecta, hoc est, in longum tempus; quamobrem Scripturæ asserentes, pœnas Angelorum esse æternas, explicari commodè possunt, quòd sint duraturæ in longum tempus, sed contra quia tametsi in Scripturis ad significandum aliquid duraturum per longum tempus, dicatur duraturum in æternum: non tamen quando significant æternitatem pœnarum, intelligi possunt, tantùm significare longum tempus: quia sæpe significant pœnas illas nunquam esse finem habituras, ut cum dicitur, vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Tum quia peccatum per se meretur pœnæ durationem infinitam, eò quia per se infinitam contineat malitiam ratione termini, seu ratione personæ offensæ, quæ est infinita; quò enim dignitas personæ offensæ est major, eo etiam crescit mensura culpæ, & ut secundùm legem justitiæ ei respondeat supplicium, si culpa ratione personæ offensæ est infinita, meretur supplicium itidem infinitum; & quia non potest esse intensivè infinitum, debet tale esse extensivè quoad durationem. Peccatum enim mortiferum per se meretur aliquam pœnam ei ex æquo respondentem, quæque à DEO cognoscitur, vel igitur est finita, vel infinita extensivè quoad durationem: sed finita non est, alioquin foret aliquando exorienda, & quidquid ulterius pœnæ irrogaretur, esset supra condignum, & excederet limites justitiæ, unde necesse est, sit infinita, ac consequenter ipsum peccatum secundùm se, & ratione propriæ malitiæ pœnam meretur infinitam extensivè.

 CAP. VII.

# CAPUT VII.

## An detur Purgatorium, & quid sit; & quomodo ex Scripturis probetur.

NOmen Purgatorii generatim sumptum, id omne significat, quod intelligitur inservire purificationi, ac expiationi peccatorum, quapropter hoc nomen primò, & principaliter convenit sanguini JEsu Christi, eò quia genus humanum purgaverit à peccatis, ut scribit Apostolus ad Hebræ. cap. 1. v. 3. *Purgationem peccatorum faciens, sedet ad dextram Majestatis in excelsis.* Secundò tribuitur hoc nomen bonis operibus, quæ meritis inhærent Filii DEI, quapropter bona opera, & eleemosynæ, quæ pauperibus distribuuntur, dicuntur & ipsæ peccata purgare, Luc. 11. v. 41. *Date eleemosynam, & ecce, omnia munda sunt vobis.* Tertiò sumitur pro pœnis, & flagellis, quibus utitur DEus erga nos in mundo, & etiam adversitates, persecutiones ac, quas viri pientissimi, ac patientes tolerant, & piè sufferunt, & hæc enim omnia etiam dicuntur purgatoria, quatenus purgant animam à maculis peccatorum, vel saltem illas impediunt, ne contrahantur, hinc Sapient. cap. 3. v. 6. dicitur: *Tanquam aurum in fornace probavit illos.* Juxta tamen nostrum institutum nomine purgatorii Ecclesia Catholica locum aliquem specialem intelligit, quo post mortem animæ fidelium, quæ cum adhuc viverent in corpore obstrictæ erant reatu alicujus temporalis pœnæ, vel saltem coinquinatæ aliquibus peccatis venialibus, in quibus ex corpore migrârunt, hæ siquidem juxta divinæ justitiæ rationem cruciantur, donec penitus expiatæ ab hisce peccatis venialibus, & reatu beatitudinem consequantur æternam: & hæc est prima veluti notio nominis purgatorii, juxta quam Ecclesia Catholica ex scripturis, & antiquissimis traditionibus credit, ac statuit dari purgatorium.

Dicendum est, dari purgatorium, seu locum quemdam à cœlo & inferorum carcere distinctum, ubi animæ novis levioribus coinquinatæ, vel aliquo reatu pœnæ ob condonatis peccatis adhuc obstrictæ, & nondum meritas pœnas pro delictis in hac vita dederunt flammis purgantur expiatoriis, antequam ad claram DEI admittantur visionem, est de fide contra Hæreticos, quibus exosæ semper fuerunt pœnæ, quas animæ hinc demigrantes luere debent in purgatorio, antequam cœlesti donentur beatitate, & præsertim est contra Calvinum, cujus hæc sunt verba: *Clamandum non modo vocis, sed gutturis & laterum contentione purgatorium exitiale Sathanæ esse commentum, quod Christi crucem evacuat.* Calvino adhæsit Lutherus, qui tametsi ab initio suæ apostasiæ ab Ecclesia Romana absque ulla hæsitatione, & dubio asseruerit dari purgatorium, ut constat ex ejus disputatione Lipsiaca, ubi ait: *Ego, qui credo firmiter, imò ausim dicere, scio purgatorium esse, facile persuadeor in scripturis de eo fieri mentionem*: postea adhæsit Calvino, & purgatorium etiam ipse negavit, in quo errore fuerunt quingentis circiter abhinc annis ante Calvinum, & Lutherum Waldenses, & alii Hæretici antiquiores, ut Pseudo-Apostoli. Primus tamen omnium, qui hunc invexit errorem, fuit quidam Aerius, qui, referentibus Epiphanio hæres. 75. & Augustino hæresi 53. docuit, non esse orandum pro mortuis, consequenter eos non indigere precibus, neque juvari posse, quorum utrumque adversatur doctrinæ, quam fides Catholica docet de Purgatorio. Sancti Patres communiter hunc errorem impugnant, & asserunt dari, purgatorium seu locum distinctum ab illa cavitate subterranea, quam in mundi centro diximus infernum esse damnatorum, & à cœlo, adeo ut purgatorium sit locus medius, &, ut pluribus placet, subterraneus, in quo animæ, quæ divinæ justitiæ non satisfecerunt in hoc mundo, pro peccatis ignis temporalis miris, sed veris modis purgantur, & de quo ait D. Augustinus, *qui forte agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis; & post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam*: & Christus Dominus apud S. Lucam cap. 12, 58. vocat purgatorium carcerem, de quo non exeunt animæ ibi detentæ, donec totaliter purgatæ fuerint, & novissimum minutum reddiderint: Zacharias Propheta etiam vocat purgatorium lacum sine aqua, eò quia ignis in eo tantum stabulatur, quo purgantur animæ, ait ipse cap. 9. v. 11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua*; hinc D. Ambrosius in Psal. 118. ait: *Igne purgabuntur Filii Levi* (id est, flammis expiatoriis) seu purgatoriis, (non verò aqua) *igne Ezechiel, igne Daniel: sed hi etsi per ignem examinabuntur, dicent tamen transivimus per ignem, & aquam: alii in igne remanebunt; illis verò rorabit ignis, ut Hebræis pueris.* Hinc etiam David, tametsi dixerit justos transituros per ignem, & aquam, antequam deducantur in refrigerium, transimus per ignem & aquam, & duxisti nos in refrigerium, per aquam non debet intelligi verum elementum aquæ, sed ipsamet purgatio, quæ fit per ignem, adeo ut sensus sit, quia per ignem expiati, ac purgati fuimus eduxisti nos in refrigerium; cùm enim sit proprium aquæ purgare, & delere maculas, quæ in vestibus contrahuntur, ideo tropicè sumitur causa pro effectu, seu aqua pro ipsa purgatione à maculis hinc Origenes in homil. 25. in Num. cap. 31. ait: *Videte, quomodo purificatione indiget omnis, qui exierit de prælio vitæ hujus.* Hæc autem efficacia ignis purgatorii ignis quoad delendas culparum maculas dependet, à sanguine, & satisfactione JEsu Christi, quæ satisfactio mediante fide, & charitate nobis applicatur; non enim Christi Passio prodesset peccatori ad pœnarum remissionem, nisi condignam pœnitentiam præmitterent ex parte sua, & aliquam darent satisfactionem, quapropter Apostolus ad Roman. 6. v. 8. ait: *Si mortui sumus cum Christo: credimus, quia simul vivemus cum Christo*, & in hoc sensu etiam intelligitur alius Apostoli textus: *Adimplentes quæ desunt Passioni Christi*, quasi dicat, quod nisi per pœnitentiam, & bona opera cooperemur satisfaciendo divinæ justitiæ inanis sit nobis Christi Passio: Tametsi DEus remittat peccatum quoad culpam, non propterea deletur etiam quoad reatum pœnæ, neque

neque quoties remittitur culpa, censetur abolita pœna ejusdem, sed pro ipsa nobis remanet satisfaciendum, ut nobis ostenditur ex sapientia Salomonis cap. 10. ubi habetur: *Hæc illum, qui primum formatus est à DEO & Patre orbis terrarum &c. eduxit à delicto suo*; & nihilominus DEus eidem primo parenti dixit Genes. 3. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: spinas, & tribulos germinabit tibi &c. in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es*, tametsi Adam fuerit eductus à delicto suo, adhuc tamen debuit pœnas luere, & in laboribus comedere ex fructibus terræ, quæ spinas, & tribulos ei germinavit, imò & pœnæ pro delicto primi parentis in posteros transierunt, qui tametsi per baptismum à quavis purgentur culpa, non tamen à pœnis absolvuntur, cùm sint homines obnoxii morti, & laborent ignorantia in intellectu obtenebrato habeántque voluntatem aversam à vero bono, infirmitates, bella, fames, & alia innumera mala, quæ sunt appendices peccati ad se trahunt, sitque verum illud Apostoli ad Roman. 6. *Stipendium peccati mors.* Rursus ad preces Moysis pepercit DEus populo Idololatræ: & nihilominus dicit DEus Exodi 32. v. 54. *In die ultionis visitabo peccatum eorum*, unde tametsi culpa sit deleta, non tamen sequitur, quòd pœna sit abolita. Moyses itidem, quamvis DEO dilectus, & cui DEus facie ad faciem loquebatur, adhuc tamen propter peccatum commissum ad aquas contradictionis dixit DEus ad Moysem, & Aaron Numer. cap. 20. v. 12. *Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*: quamvis peccatum commissum ad aquas contradictionis deletum fuisset quoad culpam, non tamen quoad reatum pœnæ, quam luere debuerunt, ac mortem subire, antequam introducerent populum in terram promissionis, quamvis Moyses fuerit à DEO electus, ut vices suas in terris gereret, & populum Israelis ab Ægyptiaca servitute liberaret. David etiam tametsi suum confessus fuerit peccatum, quod remissum à divina bonitate fuit, ac deletum quoad culpam, non tamen remissum quoad reatum pœnæ, cùm dixerit ad eum Nathan Propheta 2. Reg. cap. 2. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris: Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur*; etenim præter alia mala, quæ advenerunt domui Davidicæ post condonatum peccatum quoad culpam, fuit etiam præmatura mors filii, quem unicè habuit in deliciis: Quamobrem tametsi viri justi decedant ex hac vita sine ulla lethali noxa, adhuc tamen, si peccata lethalia perpetrarunt, quæ fuerint illis remissa, illis superest satisfacere pro reatu pœnæ, & cum sufficienter in hac vita non satisfecerint, debent in alia satisfacere, quapropter ait Eccles. cap. 5. v. 5. *de propitiato peccato noli esse sine metu*, quoniam superest pæna luenda de peccatis remissis in alia vita: hinc si contingat hominem mori ante debitam satisfactionem pro patrato peccato, tenetur pro eodem satisfacere, ac pœnas luere in loco speciali, qui purgatorium dicitur, ubi expiatorio igne expiantur per applicationem satisfactionis JEsu Christi.

Dari igitur contra Hæreticos purgatorium, liquet ex scripturis & Sanctis Patribus, etenim ex veteri testamento id expresè habetur in 2. lib. Machab. 12, ubi commendatur factum Judæ Machabæi, eò quia facta collatione duodecim mille drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccato sacrificium bene, & religiosè de resurrectione cogitans (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret) superfluum videretur, & vanum, orare pro mortuis: & quia considerabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo, & salubris est cogitatio orare pro defunctis, ut à peccatis solvantur, ex quo loco manifestè infertur, aliquorum animas post mortem peccatorum reatu alioquin impediri, & obstrictas detineri, donec divinæ justitiæ satisfiat, vel per earundem pœnas, quas ipsæmet luant; vel per vivorum suffragia, ut ita deinde à peccatis solvantur: sunt enim præfata verba adeo clara, ut nil possit in oppositum opponi, quapropter D. Augustinus *lib. 1. de cura pro mortuis cap. 1. & lib. 22. de civit. cap. 24.* ex eo loco probat orandum esse pro iis fidelium defunctorum animabus, de quibus loc. cit. affirmat constare, quòd pœnis temporalibus excrucientur, donec à peccatis solvantur; tales enim fideles constat, ait ipse lib. 21. de Civit. cap. 24. *Ante judicii diem per pænas temporales, quas eorum spiritus patiuntur purgatos receptis corporibus æternis supplicii ignibus non tradendos.* Quia verò textus desumptus ex 2. Machabæor. præcipuum est fundamentum adstruendi purgatorium, eò quia sit clarum & expressum testimonium, quod detur purgatorium, quo animæ defunctorum purgantur, antequam cœlesti donentur beatitate, maluerunt Hæretici negare, secundum Machabæorum librum esse Canonicum, contra evidentem veritatem, & authoritatem Sanctorum Patrum, nam D. Augustinus lib. 18. de civit. cap. 36. de hisce libris ita scripsit: *Machabæorum libros non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet*, eò quia in canone Hebræorum non fuerit scriptus, sed quid mirum, quia canon ille compositus fuit ab Esdra, antequam scriberetur liber secundus Machabæorum; cùm enim nondum esset, non potuit in canone illo scribi: D. Hieronymus in prologo secundi libri Machabæorum ait: *Machabæorum libri quamvis non habeantur in Hebræorum canone, ab Ecclesia tamen inter divinorum voluminum annotantur historias*, quia constat ex Concilio Carthaginensi III. anno Christi 397. celebrato, cui etiam interfuit D. Augustinus, quod Concilium confirmatum postea fuit à Constantinopolitana Generali Synodo, siquidem enumerant Concilium Carthaginense, & Synodus Constantinopolitana inter alios libros divinitus inspiratos librum hunc secundum Machabæorum, adeo ut D. Augustinus lib. 18. de civit. cap. 86. expresè asserat libros Machabæorum Canonicos esse: & cum Calvinus fatebatur, esse extra Controversiam, nihil à principio usque ad ætatem Augustini & aliorum veterum mutatum fuisse in doctrina, necesse est fateatur, hunc secundum Machabæorum librum esse Canonicum, quia Patres, qui Concilio Carthaginensi Concilium Augustino interfuerunt, Doctrinam ab Apostolis acceptam, & continua serie in Ecclesia propagatam definiverunt. Quamobrem cum Hæretici negantes purgatorium asserant in Ecclesia non mutatam doctrinam usque ad tempus Augustini necesse est concedant purgatoriũ: siquidem vel Ecclesia ætate D. Augustini Doctrinæ puritatem ab Apostolis receptam retinuit, vel non: si dicant hoc secundum ergo non rectè asserunt ipsi antiquos Patres, & Augustinum adhæsisse Doctrinæ ab Apostolis traditæ, & continua serie in

Eccle-

Ecclesiâ propagatæ, in enim perinde esset, ac sibi contradicere: si dicant, Ecclesiam retinuisse hanc doctrinæ puritatem, Calvinus, & alii Hæretici debent cum Ecclesia antiqua libros Machabæorum necessario habere pro canonicis. Præterea quia D. Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 1. ait: *In Machabaorum libris legimus oblatum pro mortuis Sacrificium; sed & si nunquam omnino in scripuris veteribus legeretur, non parva tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino DEO ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Quamobrem nulli potest dubium esse, quin ex D. Augustino Ecclesia pro canonicis semper habuerit libros Machabæorum, hinc apparet, quam leve sit, quod respondet Wittacherus Calvini Assecla libros illos Machabæorum communi quadam hujus nominis usurpatione quadam vocari canonicos, *eò quia in Ecclesia leguntur, & in aliquo pretio habentur. Quamquam non omnino parem cum reliquis authoritatem, fidemque sumant,* cujus responsionis fundamentum nititur eruere ex verbis antecedentibus D. Augustini, quæ sunt: *Quorum supputatio temporum* ( à restituto templo usque ad Aristobulum) *non in Scripturis Sanctis, quæ Canonicæ appellantur, sed in aliis invenitur, in quibus sunt & Machabæorum libri, quos non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet.* Nam contra est, quia D. Augustinus, ubicunque Canonici vel canonis nomen usurpat, non alia significatione nomen illud usurpat, quàm ea, qua Epistola 19. dixit: *Se solis scripturarum libris, qui jam Canonici vocantur eum habere honorem, ut omnem ab illis errorem, & falsitatem abesse credat.* Tum quia si Eccesia eatenus Machabæorum libros Canonicos vocaret, eò quia in Ecclesia leguntur, ut fuit opinatus Wittacherus & in aliquo pretio haberentur, inde sequeretur, quod etiam omnes libri Sanctorum Patrum, Augustini, Anselmi, Hieronymi, Chrysostomi, Basilii, & aliorum, qui publicè in Ecclesia leguntur, & in magno solent pretio haberi, etiam ipsi dicendi essent libri Canonici, ac illi Machabæorum, quod nemo prudens asserit.

Quòd si dicas, D. Augustinum eos tantùm vocare libros canonicos, qui in canone habentur Hebræorum, quibus eum defert honorem, ut omnem ab illis errorem, & falsitatem abesse credat; respondetur, D. Augustinum vocare quidem libros canonicos eos, qui in canone continentur Hebræorum; sed non illos tantùm, verùm etiam plures alios posteriores, qui nondum existebant, & dictati nihilominus fuerunt à Spiritu S. perinde ac primi comprehensi in canone illo Hebræorum: siquidem duorum meminit Augustinus Canonum, à quibus libri Sacræ Scripturæ denominentur canonici; unus Hebræorum compositus temporibus Esdræ in magna Synodo; & alter posterior compositus tempore Apostolorum, qui dicitur canon Ecclesiasticus; quamvis libri Machabæorum non comprehendantur in primo canone Judæorum, eò quia nondum scripti fuerint, neque extiterint; continetur tamen in secundo canone Ecclesiastico, eò quia tunc cum pluribus aliis libris Sacræ Scripturæ extiterint; non enim ii tantùm sunt & denominantur libri canonici, qui in primo canone Judæorum continentur, sed etiam plures alii, qui dictati fuerunt à Spiritu Sancto, & in primo canone non continentur, ut quatuor Evangelia, libri Epistolarum D. Petri, Pauli, & Epistolæ Canonicæ aliorum Apostolorum, ut etiam acta Apostolorum, & libri Machabæorum primus, & secundus, ut etiam liber Apocalypsis D. Joannis hi omnes habentur, & dicuntur Canonici, quamvis non comprehendantur in illo primo canone Hebræorum composito tempore Esdræ in magna Synodo, eò quia tunc libri Canonici contenti in canone Ecclesiastico, & dictati à Spiritu Sancto, perinde ac libri contenti in primo canone, nondum extiterint; quamobrem D. Augustinus libros Canonicos non solùm vocat eos, qui continentur in primo canone Judæorum, verùm etiam omnes illos, qui continentur in Sacro Ecclesiæ Canone cujusmodi sunt libri Machabæorum, Evangelia, Acta, & Epistolæ Apostolorum, & Apocalypsis; unde sensus D. Augustini est, supputationem temporum haberi in Scriptura non canonica tantùm apud Judæos, non verò apud Christianos, quia apud istos habetur in Scriptura Canonica: & hunc esse verum sensum D. Augustini, ex eo constat, quia lib. 2. de Doctrina Christi recensens accuratè Canonem Divinorum librorum enumerat inter illos duos libros Machabæorum, scilicet primum, & secundum hinc ex consuetudine antiquæ Ecclesiæ, & ex authoritate Sanctorum Patrum, præsertim D. Augustini dubitari non potest librum secundum Machabæorum verè esse Canonicum, & ex Scriptuтis constare, dari purgatorium. Sed respondent Sectarii negantes purgatorium, quòd tametsi Evangelia, Epistolæ, & acta Apostolorum, & Apocalypsis sint libri Canonici, non tamen libri Machabæorum, eò quia eorum Author sub finem secundi libri petit veniam, si minus bene scripserit; ait enim: *Et ego etiam in iis faciam finem sermonis, & siquidem bene, & ut historia competit, hoc & ipse velim, sin autem minus dignè, concedendum est mihi*, ex quibus verbis censet Kemnitius, evidenter posse intelligi, non esse certa, quæ in libris Machabæorum narrantur, eò quia eorum Author petat sibi condonari, si quid minus bene scripserit. Nam contra est, quia Author dubium illum non retulit ad ipsas res ibi narratas, nec ad veritatem historiæ quam scripsit, quasi velit sibi veniam dari, si quid minus certum in illis narraverit, sed tantum dubium retulit ad modum scribendi, & narrandi, eò quia elegantius, & exactius potuissent res illæ veræ enarrari, & exprimi; etenim etiam D. Paulus agnoscebat, se non satis eleganti ac erudito sermone fuisse locutum, tametsi dubium non sit, quin verissima, ac certissima loqueretur: perinde intelligenda sunt verba Authoris secundi libri Machabæorum; petit enim excusationem si minus exactè, & eleganter scripserit, tametsi certa & verissima sint in ipsis ab illo narratis, idque constat manifestè ex ratione, quam inde subjungit, ut velit sibi modum illum dicendi condonari; ait enim, *legentibus, si semper exactus est sermo, non erit gratus &c.* Hæcque ratio est, cur Spiritus S. qui Authorem illum in scribendo penitus dirigebat, noluit eum semper æquè exactè, atque commodè res enarrare, quapropter intelligimus, illum habuisse in re illa optimam excusationem: siquidem non tam ille, quàm ipsemet Spiritus Sanctus in eo loquebatur, quod ipse etiam fortassis cogitari ad suam excusationem voluit, cùm dicit, *concedendum est mihi*, quasi dicat, qui ita locutus sum, sicut Spiritus S. voluit, cui fuit tantùm instrumentum, seu calamus velociter scribentis: quamobrem illud, *minus dignè*, non significat, quod malè perperam, & falsò scripserit, sed quòd minus exactè, & exquisitè: siquidem dictante Spiritu S. nihil Author potuit scribere, quod falsitatem, vel errorem oberet. Sed instat

Kemni-

Kemnitius, quia tametsi tota illa narratio vera esset, Judas tamen non alicujus scripturæ fundamento ductus fuit ad ea scribenda, quæ ibi narrantur de mortuis, & eorum resurrectione, sed humana duntaxat cordis cogitatione ductus ea scripsit, præsertim cum in scriptura veteris testamenti nullibi præcipiatur sacrificium pro mortuis. Sed contra, quia hæc interpretatio, quàm falsa sit, ex eo convincitur, quia cogitatio illa Judæ pia, & religiosa dicitur, quòd si pia, ergo non falsa, si religiosa, falsitatem non continet, non enim Spiritus Sanctus falsitatem dictat simul cum pietate, & falsitatem cum Religiositate: neque vocabulum illud quo Judas dicitur *bene & religiosè de resurrectione cogitans*, illud verbum *cogitans* significat aliquod figmentum, quasi idem sit cogitâsse, ac finxisse; verbum enim *cogitans* perinde significat, ac considerans, quod in se ita est, unde scriptura significat, qua ratione Judas piè, & rectè fulciverit fidem suam de utilitate, atque fructu sacrificiorum, quæ fierent pro defunctis, eò quia, verè sacrificia plurimum iisdem adferant utilitatis. Adhuc tamen instat Kemnitins cogitationem, & consilium illud Judæ non fuisse, ut efficacia Sacrificiorum solverentur defuncti à reato alicujus pœnæ, quam pro peccatis lethalibus jam condonatis post hanc vitam luerent, sed ut per illa peccata mortalia, quantumvis in hac vita ipsis non fuissent remissa effugerent in extremo judicio, & in illa communi omnium resurrectione sententiam æternæ damnationis, idque ait esse, quod Judas de resurrectione cogitavit, scilicet num etiam illa sacrificia, quæ ex præscripto veteris legis fiebant, tantum vim haberent, ut non modo valerent pro peccatis vivorum, verùm etiam pro peccatis jam defunctorum, ne scilicet illi ob ea incurrerent in extremo judicio damnationem. Et firmat Kemnitius hanc suam interpretationem ex eo, quia paulò ante, in eodem cap. 12. perhibentur fuisse inventa sub vestibus illorum cæsorum donaria illa idololatrica, unde videtur corrigi posse, illos omnino fuisse mortuos in peccato lethali quod commiserant in accipiendis illis donariis adversus legem. Verùm hæc interpretatio non subsistit, cum ex textu scripturæ manifestissimè constet, Judam illa sacrificia non curavisse offerri, nisi pro iis defunctis, qui ex illo numero ab omni peccato mortali per veram pœnitentiam, vel ante mortem, vel in ipsa morte resipuerunt, & non pro iis, qui cum lethali noxa decesserunt; ait enim scriptura, ideo Judam curavisse id fieri, eo quia inter cætera etiam consideraret: *Quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.* Unde supponit, eos decessisse cum pietate, & in statu gratiæ, unde quòd scriptura postea pronuntiet *Sanctam & salubrem esse cogitationem pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*, pro peccatis intelligit reatum pœnæ, qui contrahitur per peccatum, & remanet post condonatum peccatum. Propterea dicitur esse Sancta, & salubris cogitatio pro defunctis exorare. Quòd si, ut censet Kemnitius, sensus esset, pium & salubre esse orare pro defunctis, ut in extremo judicio peccata lethalia ipsis remittantur, quibus in vita non fuerunt remissa, adeoque ut propter illa tunc non damnentur; ita cogitare sanctum non esset, nec salubre, quia contra legem ordinariam Dei, quia decedentes ex hac vita cum peccato mortali in gehennalem carcerem detruduntur sine spe amplius evadendi: unde libri Machabæorum nullum includunt errorem, qui indigeat emendari, & dictati sunt à Spiritu Sancto, suntque veri libri canonici, & ex scriptura canonica clarè probatur, dari purgatorium, seu locum quendam à cœlo, & inferorum carcere distinctum, ubi animæ noxis levioribus inquinatæ, vel quæ nondum meritas pœnas pro delictis in hac vita divino deprehenderunt judicio, flammis purgantur expiatoriis, antequam æterna in cœlesti patria donentur beatitate.

Ex novo testamento etiam clarè ostenditur dari purgatorium, ex 1. Corinth. 3. ubi D. Paulus scribit: *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc* (scilicet Christum) *aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Dei declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus, quale sit, iis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, æquiparat Apostolus Corinthiorum Doctores, aliosque Evangelii promulgatores Architectis, quorum aliqui supra fundamentum ab ipso positum aurum, argentum, & lapides pretiosos seu opera sancta, & præsertim doctrinam sanam & sanctam absque inani eloquentiæ ostentatione aliove vanitatis affectu superædificant: alii verò lignum, fœnum, stipulam, scilicet doctrinam curiosam, & inutilem, vel sanam quidem, sed pomposam, & phaleratam; & subdit: has doctrinas examinandas in die Domini, hoc tamen discrimine, & cujus opus manserit, seu fuerit repertum solidum instar auri, & argenti, acceptuurus sit mercedem; cujus verò opus propter vanitatem arserit instar fœni, aut stipulæ, is passurus sit detrimentum, & futurus sit salvus, quia sic quasi per ignem mulctabitur, sed non in cœlo, quia locus ille non est destinatus puuitioni, sed præmio non supplicio, sed gloriæ; neque in inferno, quia inde nemo salvus fiet; ergo hæc punitio, seu purgatio fiet in loco aliquo tertio distincto à cœlo, & inferno, scilicet purgatorio; unde ex D. Paulo, seu ex scriptura canonica clarè constat, dari purgatorium. Neque urget, quod respondent Hæretici negantes purgatorium textum adductum D. Pauli obscurum esse, & explicatu perdifficilem, consequenter non posse ex illo fidei dogma probari. Nam contra est, quia communiter Sancti Patres interpretati fuerunt verba Apostoli de igne purgatorii, & præ cæteris D. Augustinus in Psal. 37. post initium, ubi Deum sic alloquitur: *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emmundatorio igne non sit opus, propter illos, qui salvi erunt, sic tamen quasi per ignem.* Præterea hoc idem confirmat serm. 41. de Sanctis, ubi ait: *Illo enim transitorio igne, de quo dixit Apostolus, Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, non capitalia, sed minuta peccata purgantur*; & in eodem sensu explicat verba Apostoli D. Ambrosius 1. Corinth. 3. ubi ait: *Sed cum Paulus dixit, Sic tamen quasi per ignem, ostendit quidem illum salvum futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus, & non sicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur.* Neque Sancti Patres explicant Apostolum fuisse locutum de alio igne quàm de expiatorio, quo animæ defunctorum purgantur per cruciatus. Et in Concilio Florentino post accuratam disputationem habitam inter Græcos & Latinos ait verba illa D. Pauli esse intelligenda de igne purgatorio post hanc vitam. Neque obstat, quod

quod asserunt Hæretici ignem illum, de quo etiam posterioribusverbis locutus fuit Apostolus nonnisi metaphoricè esse exponendum, eò quia verba antecedentia usurpentur etiam metaphoricè, scilicet aurum, argentum, lapides pretiosi, lignum, fundamentum, & ædificium. Neque videtur conveniens, & rationi consentaneum, omnia in eadem oratione interpretari metaphoricè, & non ipsum ignem, quod est patricula ejusdem orationis, quam usurpat Apostolus, dicens; *quasi per ignem*, illa enim particula quasi satis apertè indicat propriè non esse ignem, unde sicut reliqua usurpantur metaphoricè, ita etiam ignis; idque firmat Kemnitius, quia Apostolus absolutè non dixit. salvus fiet per ignem, ut per eam particulam *quasi* nos admoneret de similitudine metaphoræ. Sed contra, quia si hæc objectio aliquid valeret, posset etiam commodè responderi, nec voces illas, *opus*, *& salvus*, esse intelligendas propriè, sed tantum metaphoricè: quod si non obstante metaphorica usurpatione illorum vocabulorum fundamentum, ædificatio, argentum, lignum, opus, salvus, detrimentum, & alia similia possumus in Apostoli oratione propriè intelligere cur non etiam vocabulum ignis, neque opus est, quod quando in aliqua oratione adhibetur aliqua metaphora, tota oratio debeat & ipsa metaphorica esse, & quia in proposito voluit Apostolus significare opera quædam indigere expiatione ignis emundatorii in purgatorio, ideo metaphoram in vocabulis fœnum, lignum, stipulæ, commodè usurpavit, eò quia significent materiam peraptam flammis concipiendis: quod autem addat: *Salvus fiet, sic tamen quasi per ignem*, non ideo voluit significare metaphoræ similitudinem, sed potius cum quadam emphasi rei veritatem, & proprietatem.

Etenim voluit Apostolus ea oratione fideles deterrere, ne supra fundamentum ædificent lignum, fœnum, stipulas, quod si id faciant, non aliter salvi futuri sint, nisi per cruciatum acerbissimum, qualis est tortura ignis. Unde illa particula, quasi per ignem, significat superædificantes supra fundamentum, lignum, fœnum, stipulas, non aliter salvos fieri nisi per ignem, hoc est salvi quidem erunt, sed per cruciatum ignis, qui maximus censetur cruciatuum, unde illa particula *quasi* non significat ullam metaphoræ similitudinem nec minuit rei veritatem, ac proprietatem, sed potius emphaticè auget expressionem veritatis: utitur enim scriptura hac particula *quasi* ad hunc majorem expressionem invehendam Joan. 1. *Vidimus illum plenum gratia, & veritatis quasi unigeniti à Patre*, ubi particula *quasi* nullo pacto potest metaphoram significare, neque minuere rei veritatem, ac proprietatem, sitque sensus, mirum non esse, si Chtistus plenus erat gratiæ, & veritatis, eò quia erat unigenitus, & naturalis Dei Filius. Instant Sectarii eò quia verbis antecedentibus Apostolus dicat: *Uniuscujusque opus manifestum fiet, quia dies Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit*, ubi ignis non intelligitur emundatorius in purgatorio, sed alterius generis, adeo ut sumatur ignis pro acri, & exactissimo examine judicii particularis vel pro ultima conflagratione mundi, unde Apostolus neque in subsequentibus verbis agit de expiatorio igne, quia Apostolus repetit futurum, ut uniuscujusque opus ignis probet, & ut is, qui ædificaverit lignum, fœnum, & stipulas, salvus fiat quasi per ignem; etenim ubique in eadem illa oratione Apostolus fuit locutus de igne in uno semper, & eodem sensu, consequenter nunquam de igne illo expiatorio, quo per cruciatus purgantur justorum animæ, antequam æterna donentur visione beata. Sed contra quia ex illa Apostoli repetitione colligi potius debet, quod loquatur de vero igne expiatorio, cum ait, uniuscujusque opus per ignem purgatum iri, quia quod per ignem districti examinis in judicio, vel in illo die conflagrationis uniuscujusque opus quale fuerit, sit manifestandum, id jam Apostolus per verba antecedentia dixerat. Quamobrem cum postea repetit per ignem uniuscujusque opus probandum esse, de alterius ignis probatione loqui putandum est, neque est extra consuetudinem scripturarum, quod diversimodè usurpetur idem vocabulum in eodem serm. cum ratio ejusdem vocis subinde præbeat occasionem transeundi de re una in alteram, quæ eodem vocabulo significetur. Neque obscuritas quam objiciunt Sectarii ullum facessit negotium; non enim rectè Acatholici exigunt pro omnibus fidei articulis perspicua ac evidentia scripturæ testimonia etenim credunt Hæretici articulum illum, qui habetur in symbolo S. Athanasii: *Spiritus Sanctus, à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus sed procedens*, & tamen non omnes particulæ hujus articuli fidei habentur clarè, & evidenter in scripturis, in quibus licet clarè negamus, Spiritum Sanctum procedere à Patre, non tamen evidenter & perspicuè habemus procedere à Filio. Præterea non idem est, locum aliquem scripturæ obscurum esse, & captu difficilem & aliud eundem adhibito studio explicari non posse ad confirmandam Catholicam assertionem, imò plerique loci scripturæ, ex quibus contra Hæreticos pro fide Catholica argumentamur, solent esse vel per se, vel si relativè ad alios locos considerentur, obscuri, & perdifficiles captu, ex quo datur occasio Hæreticis deflectendi à veræ fidei sententia, quia scripturæ loci, in quibus illa assertio continetur, non satis sint plani, & perspicui, ac proinde possit in varios sensus interpretari, ut notavit D. Augustinus, sed adhibito studio, possumus ex iisdem obscuritatibus fidei eruere veritatem; ait enim Augustinus in Psal. 67. *Multi sensus scripturarum Sanctarum latent, & paucis intelligentioribus noti sunt, nec asseruntur commodius, & acceptabilius, nisi cum respondendi Hæreticis cura compellit.*

Sed objiciunt Sectarii plures Sanctos Patres, qui aliter interpretantur ignem illum, de quo loquitur D. Paulus; etenim D. Chrysostomus in Epist. 1. ad Corinth. ait: Ignem ibi interpretari ipsum ignem inferni, quo damnati cruciantur, & per fœnum, lignum, & stipulas intelligi peccata lethalia, quibus fides ipsa contaminatur. Quod autem Apostolus asserat, futurum, ut quis salvus fiat per istum ignem, ait Chrysostomus, ita esse intelligendum, quod ignis ille inferni sic damnatos torquebit, ut maneat illorum substantia perpetuo salva, eò quia gehennales cruciatus non destruent corpora damnatorum. Theodoretus Oecumenius, Alcuinus per ignem ab Apostolo recensitum intelligi volunt ignem ultimæ conflagrationis, quo dicunt eos, qui super fundamentum ædificaverint lignum, fœnum, seu peccata leviora, esse in postremo illo die purgandos: aliis verò qui ædificaverint aurum,

&

& argentum, quamvis item per illum ignem erunt transituri, tamen futurum ignem illum potius refrigerio & colatio, sicut fuit tribus adolescentibus in fornace Babylonica. D. Augustinus per ignem illum interpretatur tribulationem, & cruciatum quem aliquis experitur, cum amittit bona aliqua temporalia, quæ in hac vita inordinatè amabat, tametsi venialiter tantum salvo scilicet fundamento: quia ut ait D. Augustinus, sine dolore non amittuntur, quæ cum delectatione possidentur; & ait, hanc tribulationem juxta phrasim scripturæ ignem appellari. Verùm variæ hæ interpretationes non officiunt; quia unus ac idem scripturæ textus plures potest facilè sensus habere, ac diversimodè explicari. Dummodo inter se, neque cum aliis scripturæ locis, ac fidei dogmatibus pugnent, ut notavit D. Augustinus lib. 1. de civit. cap. ult. & alibi. Quòd si scripturæ sextus ex eo, quod variè possit interpretari non posset assumi ad probandum aliquem fidei articulum sequeretur, articulos fidei nullo quas; posse scripturæ sexta confirmari, quia posset semper textus ille diversimodè explicatur. Non igitur varietas illa interpretationum obstare debet purgatorio igni asserto ab Apostolo Paulo; quia nullus ex illis Patribus ita suam asserit interpretationem, ut aliam de purgatorio igne explicationem minimè refellat; quapropter expiatorius purgatorii ignis, non est ille, gehennæ quo torquentur damnati, quia per ignem inferni nemo ex damnatis salvus sit; sicut Apostolus ait, per ignem expiatorium purgatorii emundari animas, & salvas fieri, quæ supra fundamentum ædificaverint lignum, fœnum, stipulas, seu perpetrarunt peccata venialia indicata ab Apostolo per fœnum & stipulas, quæ res parvæ sunt & aptæ flammæ concipiendæ; vel quibus superest solvendus pœnæ reatus pro peccatis gravioribus remissis quoad culpam: hi omnes, quia supra fundamentum ædificaverint lignum, fœnum, stipulas mercedem accipient, si eorum opera arserint, & salvi erunt, seu æternam consequentur salutem, sic tamen quasi per ignem. D. Paulus duplicis hominum generis meminit 1. ad Corinth. 3. ubi peccata leviora, imperfectiones, & inutilem doctrinam lignis, fœno, stipulis que comparat, primum eorum, qui suorum operum, quæ aurea, argentea, seu bona, & perfecta fuerunt. plenam mercedem accipient. Alterum eorum, qui ob aliquam vanitatem doctrinæ, vel imperfectiones, & negligentias, & peccata venialia salutem consequentur quidem, sed non sine punitione; ait Apostolus: *ipse autem salvus est*, quasi per ignem; ut & illi, quibus peccata graviora fuerunt quidem condonata quoad culpam; sed non quoad reatum pœnæ, quia hi etiam salvi fient, sed quasi per ignem, seu dummodo promeritas luant pœnas. Et cum Apostolus in præcitato textu nullum habeat verbum de iis, qui æternum damnabuntur, non potest intelligi, quod fuerit loquutus de igne gehennali ut asserunt Sectarii ex D. Chrysostomo: agit enim Apostolus de iis tantum, qui stabilito fundamento Christi, docendo, vel operando superædificant vel sollidè, vel cum aliqua imperfectione, ac mixtura vanitatis, ac vanæ gloriosæ: hi salvi quidem fient, sed per ignem, quo emundentur à maculis imperfectionum, quas contraxerunt, vel noluerint pro reatu pœnæ. De aliis, qui Christum penitus evertunt, perversè docentes, quæ contra ejus doctrinam sunt, non loquitur Apostolus, quia isti nunquam per ignem salvi fient. Cum igitur Apostolus nullum de inferno verbum proferat, non potest intelligi fuisse loquutum de igne gehennali, ex eo autem, quod Apostolus duo ponat genera salvandorum; unum sine pœna, suntque qui superædificârunt argentum, & aurum; & alterum cum pœna, seu mediante purgatorio igne, sequitur necessariò præter cœlestem patriam, & infernum dari locum medium, quem purgatorium vocamus, in quo emundatorio igne animæ hinc decedentes cum peccatis venialibus, vel reatu pœnæ solvendæ pro peccatis gravioribus condonatis quoad culpam, non quoad reatum pœnæ emundentur, quia nil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum. Neque adhærendum puto secundæ interpretationi Theodoreti, Occumenii, & Alcuini asserentium D. Paulum fuisse loquutum, ac esse intelligendum de igne ultimæ conflagrationis: quia conflagrationi illa ignis, quæ erit in die judicii, non probat nunc uniuscujusque opus, nec per illam conflagrationem salvi fiunt hi, qui ante judicii diem salvi fiunt, quia isti salutem consequuntur ante hanc conflagrationem, quamvis super fundamentum ædificaverint lignum, fœnum, stipulas, seu peccata commiserint venialia expianda in altera vita. Absurdum est asserere hos istos debere extremam illam expectare conflagrationem, donec expientur. Neque per ignem, de quo loquitur Apostolus potest tribulatio intelligi, ut putarunt hæretici ex D. Augustino, quia per tribulationes justi acrius affliguntur in præsenti vita; & tamen non obstantibus tribulationibus toleratis adhuc iisdem aliquid superest expiandum in altera vita seu in purgatorio loco distincto ab inferno, & cœlesti Patria.

Tertius scripturæ locus, quo probari solet, dari Purgatorium, est iste: *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Quòd si non remittitur peccatum in Spiritum Sanctum neque in hac neque in altera vita, sequitur manifestè peccata non solum in præsenti vita, verùm etiam in altera remitti. Sed in inferno non remittuntur peccata, quia ibi nulla est amplius redemptio, nulla resipiscentia; sed æterna desperatio: neque in cœlesti Patria, quia nil coinquinatum ascendit in cœlum: ergo superest, ut remittatur in loco medio inter infernum, & cœlestem Patriam, quem locum vocamus purgatorium: hinc D. Augustinus lib. 21. de civit. cap. 24. ait: *Non veraciter de quibusdam diceretur, quod non eis remittatur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro sæculo*: expressius itidem D. Gregorius lib. dialog. cap. 39. inquiens, *de quibusdam culpis levibus esse ante judicium purgatorius ignis credendus est; pro eo quod veritas dicit, quia si quis in Spiritum Sanctum blasphemiam dixerit; neque in hoc sæculo remittetur, neque in futuro: in qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo quasdam verò in futuro posse laxari.* S. Bernardus serm. 66. in Cant. *Non credunt ignem purgatorium restare post mortem; sed statim animam solutam à corpore, vel ad requiem transire; vel ad damnationem quærant ab eo qui dixit, quoddam peccatum esse, quod nec in hoc sæculo, neque in futuro remittetur, cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio purgatione peccati.* Eodem pacto argumentantur Beda Rabanus lib. 2. de Instit. cleric. cap. 44. Petrus Cluniacensis in Epist. contra Petro-

Petrobrusianos, & alii, qui ex hac loco inferunt dari purgatorium distinctum ab inferno, & cœlesti patria, seu locum medium, in quo superstites labeculæ culparum venialium, vel reatus pœnarum pro peccatis condonatis quoad culpam purgantur, ac solvuntur. Objicit tamen Kemnitius: non sequi, esse post hanc vitam purgatorium ignem, si post hanc vitam possunt aliqua peccata remitti; quia si remittuntur in alia vita, non est necesse, remittantur per ignem purgatorium, quia possunt gratuito condonari, ac remitti, absque eo, quòd Deus exigat aliam pœnam. Sed contra; quia de lege ordinaria peccata non remittuntur in alia vita, nisi per ignem purgatorium, ut ait Apostolus 1. Corinth. 3. adeo ut remissio non intelligatur aliter fieri in alia vita nisi per ignem purgatorium: si enim conferantur simul textus D. Pauli; remissio peccatorum non fit in alia vita, nisi per mundatorium ignem, quo purgantur leviores maculæ peccatorum venialium, deleanturque reatus pœnarum. Præterea in altera vita non est locus nisi justitiæ vel in retribuendo præmium pro meritis, vel pœnam pro culpis ac demeritis hujus vitæ; proinde si in altera vita peccata remittuntur, debet id fieri, quatenus per solutionem pœnæ satisfit divinæ justitiæ; id autem perinde est, ac peccata venialia, vel reatum pœnæ pro gravioribus purgatorio igne expiari; vel gehennali igne ob peccata non condonata quoad culpam æternum torqueri in inferno, quo pacto etiam satisfit divinæ justitiæ: ex quo liquet in alia vita non remitti peccata, nisi emundatorio igne deleantur. Sed instant Sectarii, quia sensus illorum verborum: *non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro*, est, quia nunquam remittetur; & qui illud commisit, damnabitur in gehenna luiturus pœnam nunquam finiendam. Firmant ex eo, quia illud, idem quod Matthæus partitione illa verborum usus significavit, D. Marcus cap. 3. retulit absque ulla partitione; inquit enim: *Qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet remissionem in æternum*, sed reus erit æterni delicti. Sed contra, quia tametsi Matthæus, quamvis usus tali partitione, velit, peccatum in Spiritum Sanctum nunquam esse remittendum, quod etiam D. Marcus asserit; nihilominus D. Matthæus non otiosè id expressit per illam partitionem; *non remittetur ei neque in hoc seculo nec in alio*; ut nobis indicaret, solere Christum etiam aliqua peccata remittere in alia vita, si venialia fuerint per emundatorium ignem, cum dixerit nihil coinquinatum esse cœlestem patriam ingressurum; plerumque etiam remittuntur quoad culpam peccata lethalia in hac vita, in qua nihilominus peccantes non satisfaciunt divinæ justitiæ, quapropter superest exolvendus reatus pœnæ in altera vita per emundatorium ignem. Respondent Sectarii, remissionem peccatorum obtineri beneficio fidei in hac vita; non in alia. Sed contra beneficio fidei solius cum exclusione aliorum mediorum negatur; beneficio fidei simul cum aliis mediis divinæ gratiæ, charitatis, suppliciis voluntariis in hac xita. & igne emundatorio in altera, quod reatum pœnæ, & peccata venialia conceditur antecedens, & negatur consequentia. Fructus enim Passionis Christi nobis applicetur non per solam fidem, sed etiam per plura alia media, inter quæ habetur etiam purgatorii ignis expiatio, quod attinet ad pœnam temporalem reliquam post peccata lethalia condonata quoad culpam; vel etiam quod attinet ad culpam, si hæc tantum venialis fuerit.

Sunt etiam alia sacræ scripturæ loca, quibus probatur, dari purgatorium, ut 1. Joan. 5. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita; est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut oret quis*: ex quo loco constat, orandum esse pro hominibus, qui decesserunt cum peccatis quæ non fuerunt ad mortem, scilicet vel quia fuerunt tantum venalia, vel quia si lethalia fuerunt, vel per actum contritionis vel per actum attritionis unà cum Sacramento pœnitentiæ condonata fuerunt quoad culpam; & quia illis superest luenda pœna in altera vita, seu igne expiatorio ideo jubemur pro iis preces nostras Deo fundere, ut ab illis pœnis liberentur. Quòd si peccatum fuerit ad mortem, non debemus pro illo orare: per peccatum ad mortem communiter intelligunt Catholici peccatum finalis desperationis; & quia sic decedentes certum est, descendere in gehennam in qua nulla est amplius spes inde evadendi, ideo ait Joannes, non esse pro ipsis orandum, quia damnatis nostræ preces non prosunt. Pro iis verò, qui aliis peccatis admissis ex hac vita migrarunt, utiliter, & bona cum spe possumus orare; ut si quid ipsis expiandum superest ex iisdem peccatis, penitus exolvatur, posito tamen quod in statu gratiæ hinc decesserint, & tantum illis supersit expiandum reatum pœnæ. Alius scripturæ locus petitur ex Apostolo 1. Corinth. 15. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* quæ verba Apostoli ita communiter intelligi solent, ut baptizari pro mortuis perinde sit, ac spontaneas afflictiones suscipere, voluntaria supplicia & flagella tolerare; corpus castigationibus, jejuniis, vigiliis, verberibus pro mortuis affligere, mortificare. Verbum enim baptizari plerumque in scripturis sumitur pro affligi, ut apud Lucam 13. *Baptismo habeo baptizari*, Marci 11, *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Sancti Patres sæpe vocant baptismum lachrymarum, pœnitentiæ, afflictionis, ut Cyprianus serm. de cœna Domini, *Lachrymis se baptizat*, & D. Gregorius Nazianzenus orat. de Epiphan. ait: *Quartum baptismum, quod per Martyrium, & sanguinem fit, scio & quintum lachrymarum & pœnitentia*; unde cum Apostolus dicat 1. Corinth. 15. fideles baptizari pro mortuis seu castigare corpus jejuniis, vigiliis, verberibus, pro defunctis signum evidens est has corporis afflictiones ipsis prodesse: atqui non possunt damnatis prodesse, quia ipsis nulla amplius affulget spes se ab illis cruciatibus liberandi, neque prosunt beatis, quia eorum gloriæ nullum amplius subest incrementum, unde superest, ut prosint viventium afflictiones, & preces mortuis, qui in igne emundario purgatorii expiantur, quia tametsi decesserint in statu gratiæ quatenus remissa illis fuerunt, quæ lethalia peccata commiserunt quoad culpam, adhuc illis superest reatus pœnæ, ut satisfiat divinæ justitiæ, & pœna temporalis exolvenda, quia non semper remissa culpa alicujus gravi delicti remittitur pœna temporalis; ait enim D. Paulus ad Roman. 6. *Stipendium peccati mors*, unde quamvis peccatum originale remittatur per baptismum, non tamen remittitur ejus pœna, quod pluribus potest exemplis depromptis ex sacra scriptura demonstrari; etenim Moyses, & Aaron postquam obtinuerunt remissionem peccati incredulitatis, in quod incurrerunt, adhuc puniti fuerunt pœna mortis temporalis ne terra promissionis fruerentur. *Deuter.* 32. & 2. *Reg. v.* 13. tametsi David adulterii, & homicidii reus postea resipiscens meruerit audire: *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris*; non fuit tamen

tamen adhuc remissa pœna; subditur enim: *Verumtamen quia blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi morte morietur;* unde habemus peccati pœnam, non tamen illa sufficit, sed addit etiam aliam ob idem peccatum subdens: *Ego suscitaba de domo tua super te malum, & tollam uxores tuas, in oculis tuis,* 2. Reg. 16. v. 4. imò & 2. Reg. cap. 24. post enumeratum à Davide populum, & ob peccatum condonatum addit: *Trium tibi datur optio,* scilicet eligendi ex tribus flagellis, quod tibi magis placuerit. Sunt plura alia exempla in Sacris Scripturis, quibus clarè constat, non semper remissa culpa remitti pœnam temporalem, hæc enim superest exsolvenda, si non in hac vita, saltem in alia, non solum ad terrorem & exemplum aliorum, sed primario ob præteritum peccatum commissum, quod tametsi condonetur quoad culpam, adhuc divina justitia id exigit, ut promerita pœna luatur; etenim si Reges terræ, & Principes post capitalem culpam condonatam subditis reis adhuc mitiorem pœnam iisdem statuunt, ut exilium è patria, remigare in triremibus, vel mulctam pecuniariam solvere; perinde DEus tametsi patrata scelera graviora condonet hominibus quoad culpam, adhuc justè potest ab iisdem exigere pœnam aliquam temporalem, ut satisfiat divinæ justitiæ.

Neque quod respondent Sectarii, Christi merita abunde sufficere non ad reatum tantum culpæ delendum, verùm etiam ad omnes etiam pœnas tollendas; cum enim merita Christi æternus Pater susceperit, ut sufficientissimam satisfactionem pro peccatis hominum, hinc fieret injuria Christo, si Pater adhuc satisfactionem aliquam ab hominibus exigeret, ac si satisfactio eidem à Christo exhibita non sufficeisset. Sed contra; quia tametsi Christi merita utpote infinita sufficiant tam ad culpam, quàm ad pœnam omnem delendam, & fuerint à Patre æterno accepta pro satisfactione peccatorum hominum, adhuc tamen, ut hæc Christi merita nobis applicentur necesse est, ut media proportionata adhibeamus, quia hoc pacto tantùm, & non aliter participes efficimur meritorum Christi. Quamobrem cum homo adultus per actus proprios, habentes tamen vim à Christi meritis, debeat disponi, ac proportionari ad participationem meritorum Christi, inde fit, ut sæpe per totalem proportionem requisitam illos suos actus non adhibeat, ac propterea supersit adhuc aliqua pœna pro satisfactione persolvenda. Neque obest, quod ajunt Sectarii, hanc totam in morte per fidem solvi: quia inde sequeretur, non majorem pro magno, quàm pro parvo peccato pœnam solvi, quod justitiæ repugnet, tum quia fieri frequenter potest, ut quis morte subitanea præventus in morte nullum actum fidei eliciat, ideoque per fidem non posse deleri reatum pœnæ, quapropter hæc pœna nonnisi post mortem superest luenda. Quamobrem Christi meritis infinitis & acceptis à Patre pro peccatis omnium hominum non fit incuria, neque alia præter Christi merita exigitur ab hominibus satisfactio: quamvis enim Christi merita utpote infinita ad superabundantiam sufficiant; quia tamen homines frequenter non satis ea sibi applicant, sequitur, quòd eorundem participes non fiant, ac propterea debeant in alia vita temporalem aliquam pœnam subire. Opponunt adhuc Sectarii illud D. Pauli ad Rom. 3. v. 14. ubi Apostolus ait: *Nos justificari gratis per gratiam Christi;* hoc autem non verificaretur, si ex parte nostra foret adhuc necessaria compensatio, consequenter fieret semper injuria meritis Christi, quasi ipsa non sufficerent, nisi aliqua ex parte nostra poneretur compensatio, tum Ezech. 15. v. 21. ait DEus: *Si impius pœnitentiam egerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor:* sed redordaretur, si culpa jam remissa adhuc satisfactionem exigeret. Sed contra, quia homo omnino gratis justificatur, eò quia gratis accipiat divinam gratiam, qua possit resipiscere; non enim hæc gratia est debita homini, sed accipitur ab homine ex meritis JEsu Christi, & beneficio gratiæ homo justificatur gratis quoad reatum culpæ, & æternæ pœnæ, non verò quoad pœnam temporalem, quæ cum DEI amicitia cohæret, ut evicimus in Moyse, Aarone, Davide, & aliis, quibus tametsi condonatum fuerit peccatum quoad culpam, non tamen, quoad pœnam temporalem. Ad aliud quod addebatur ex Ezechiele, respondetur, DEum post condonatum peccatum quoad culpam non amplius recordari illius, prout culpa lethalis DEI amicitiam dissolvit; non enim DEus habet ut inimicum eum, cui peccatum condonavit quoad culpam gravem, in quo sensu dicitur DEus non amplius recordari iniquitatum ejus, sed recordatur quoad pœnam temporalem, quia DEus suos etiam amicos punit, & castigat; ait enim Exod. 32. v. 34. *Ego autem in die ultionis visitabo, & hoc peccatum eorum,* ex quibus constat, homines, tametsi per justificationem in gratiam receptos, persæpe teneri temporales pœnas luere, ut divinæ satisfiat justitiæ, & cum plerumque in hac vita has pœnas non subeant, ideo debent eas in alia luere, sed non in cœlo, nec inferno, ut superiùs ostendimus, proinde in loco medio seu purgatorio.

Præterea certum est, nihil coinquinatum posse cœlum ingredi, & plerumque homines quamvis justi, & in statu gratiæ adhuc cum peccatis venialibus decedant; dantur enim plures, culpæ leves per quas tamen homo non excidit DEI amicitia, & hujusmodi culpæ sunt, de quibus dicitur Proverb. 24. v. 16. *Septies in die cadit justus;* & quia, ut ait Joannes Apocal. 21. v. 27. *nihil coinquinatum intrat in Regnum cœlorum,* & sæpe contingat justos levioribus hisce culpis coinquinatos migrare ex hac vita, sequitur cum iisdem non posse cœlum ingredi, cum nil coinquinatum intret in cœlorum Regnum, sed neque detruduntur in gehennalem carcerem, eò quia sint DEI amici, & in statu gratiæ decesserint, ergo necesse est, in aliquo tertio loco ponantur, ubi expiatorio igne ab hisce levioribus maculis purgentur, alioquin si justi decedentes cum culpis levibus non eas purgarent emundatorio igne, cœlum ingrederentur coinquinati, quod dici nequit, vel deberent illis hæ culpæ leves condonari, & quidem vel per ipsam mortem, vel per fidem morientium, ut volunt Sectarii, vel per non, imputationem, ut censent iidem: atqui neutro ex his tribus modis condonantur culpæ leves: non per ipsam mortem præcisè, quia si vis ista morti inesset, inde sequeretur, quod infideles æquè ac fideles à peccatis moriendo purgarentur; quod cum falsum sit, sequitur morti præcisè non posse hanc vim delendi peccata tribui. Quod nec etiam fides morientium, est probatu facile, quia id ex nulla scriptura probatur: & subinde contingit, ut præsertim in subitanea morte nullus possit actus fidei elici, unde tunc per actualem fidem non delerentur peccata, cum nullus tunc fidei actus eliciatur: neque fides habitualis sufficiens est ad delenda hæc peccata; quia cùm omnes fideles hanc habeant, inde sequeretur, quod vel nullus unquam fidelis posset peccare, vel si posset peccare, statim ejus peccatum deleri

deleri posset per fidem habitualem, quam habet, hinc sequeretur, quòd nullus unquam fidelis damnari posset, quod sacris repugnat scripturis. Quòd nec etiam deleri possint per non-imputationem, ex eo itidem probatur; quia alicui peccatum non imputetur, requiritur fides, adeo ut si fidem actualem non habeat, ei imputetur, ut fatentur Sectarii, sed persæpe contingit ut absque ullo actu fidei elicito in fine quis moriatur, proinde, ut peccatum iisdem imputetur, eò quia non eliciatur actus fidei. Præterea quamvis peccatum in morte imputetur, eò quia actus fidei non eliciatur, adhuc dici non potest, quod per hanc imputationem damnetur; siquidem supponimus peccata esse tantùm venialia, & leviora, unde in hoc casu decedens cum culpis hisce levioribus non detruderetur in carcerem gehennalem, cum supponatur in statu gratiæ, & amicitia Dei, neque cœlesti gloria donaretur, quia adhuc esset coinquinatus, & nihil coinquinatum ingreditur Regnum cœlorum, ergo necesse est, ut in aliquo loco medio has maculas exuat, easque deleat, donec purgatus ac mundatus sit totus, & hæc purgatio non fit nisi emundatorio igne in loco illo tertio, quem purgatorium vocamus.

Objiciunt tamen Sectarii asserentes hunc locum tertium, quem purgatorium vocamus, non fuisse cognitum in primitiva Ecclesia Apostolica, sed esse inventum, quod in Ecclesia tantum incepit tempore D. Augustini. Sed contra est, quia constat, hunc locum tertium, seu purgatorium agnitum fuisse ab ipsis Apostolis, ut liquet ex eorundem liturgiis, & præsertim D. Petri, & D. Jacobi, quas Synodus Constantinopolitana, & genuimas, & authenticas approbavit. Tum quia in liturgiis D. Matthæi, D. Andreæ, & D. Marci, leguntur orationes pro defunctis, & pro quibus etiam oràsse sequentes Ecclesiæ Apostolicæ Doctores legimus; scilicet Clemens Romanus lib. 5. Apostol. constit. cap. 4. ubi ait: *Oremus pro fratribus nostris, qui in Christo requieverunt, ut Deus, qui animam defuncti suscepit, remittat ei omne peccatum.* S. Dionysius Areopagita Ecclesiast. Hierarch. cap. 7. *Accedens deinde venerandus antistes recens sacram super mortuum peragit & precatur orationem divinam clementiam rogans, ut cuncta dimittat, per infirmitatem humanam admissa peccata à defuncto cum viveret, eunque in luce statuat, & regione vivorum.* Tertullianus de testimonio animæ adversus gentes cap. 4. ait: *Cui gratiam debes, ossibus, & cineribus ejus refrigerium comprecaris, & ut bene quiescat cupis*, & de corona militis cap. 3. ait: *Oblationes pro defunctis facimus: harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem postules scripturarum, nullam invenies, traditio tibi prætenditur nutrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Verùm ex scripturis satis apertè constare dari locum hunc medium, quem purgatorium vocamus satis ex præcedentibus constat. Origenes homil. 14. in Levit. & in Psal. 38. homil. 2. & lib. 8. in Epist. ad Roman. cap. 11. ait: *Hæc ipsa purgatio, quæ per pœnam ignis adhibetur, quantis temporibus, quantis sæculis de peccatoribus exigat cruciatus, solus scire potest, cui Pater omne judicium tradidit*, & ita antiquiores Augustino Patres docuerunt dari hunc locum tertium, quem purgatorium dicimus, in quo decedentes in statu gratiæ leviores maculas purgant & reatum pœnæ pro gravioribus peccatis condonatis quoad culpam exsolvunt, hinc mendacii redarguuntur Sectarii, & ignorantia convincuntur, asserentes, D. Augustinum primum fuisse purgatorii assertorem, cum enim tota Apostolica Ecclesia statim post Apostolos Sancti Patres oraverint pro defunctis; certum est eos credidisse potuisse iisdem preces prodesse, alioquin supervacanea fuisset eorum oratio, atqui sciebant non prodesse damnatis in inferno, neque beatis in cœlis esse utiles, consequenter crediderunt dari aliquem tertium locum, in quo detinerentur animæ, capaces nostrarum oblationum, & precum, qua in re si Sancti Patres erràssent, eo tempore erràsset tota Apostolica Ecclesia. Neque obstat, Ecclesiam, & primitivos Patres non fuisse usos vocabulo purgatorii, quia locum illum per tale vocabulum significatum ite clarè descripserunt, ut huic animarum statui congruat vocabulum illud, quamobrem de nomine purgatorii quæstionem non instituimus, sed tantùm de re vel loco ipso per nomen illud significato.

# CAPUT VIII.

## Ostenditur authoritate Sanctorum Patrum, & rationibus, dari purgatorium.

TAmetsi nomen purgatorii Græcis notum non fuerit, eo quia sit vocabulum latinum, nihilominus quoad rem Patres Græcis in primitiva Ecclesia æquè, ac Latini concesserunt dari locum aliquem medium subterraneum supra damnatorum infernum, ubi animæ, quæ divinæ justitiæ in hac vita non satisfecerunt pro peccatis ab iisdem perpetratis, tametsi ipsis eadem fuerint condonata, luunt nihilominus pœnam temporalem in loco hoc medio intra cœlestem patriam & carcerem gehennalem; quapropter ait D. Augustinus lib. 2. in Genes. cap. 30. *Qui forte agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam*, & hunc locum tertium Christus Luc. cap. 12. v. 58. vocat carcerem purgatorium de quo quis non exibit, donec etiam novissimum minutum reddiderit. Et dari propterea hunc locum, in quo animæ hinc decedentes vel cum reatu pœnæ, vel cum maculis peccatorum venialium purgentur mundatorio igne, communiter fatentur Sancti Patres, quorum authoritas plurimum habet momenti ad hanc veritatem asserendam contra Sectarios. D. Augustinus lib. 21. de civit. cap. 24. ait: *constare in Ecclesia, quod Spiritus aliquorum fidelium pœnas aliquas temporales post mortem patiuntur*, atqui has pœnas non patiuntur in carcere gehennali, quia ibi pœnæ non sunt temporales, sed æternæ, neque eas patiuntur in cœlesti patria, quia illius incolæ cœlesti donantur gloria, cumque nulla potest pœna cohærere, nulla animi molestia, ergo has pœnas Spiritus, de quibus loquitur Augustinus,

dant

dant post mortem in loco purgatorii, hinc lib. 12. de Genes. ad litteram cap. 33. accomodat tali loco illud Apostoli ad Philippenses 2. *In nomine JEsu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum & omnis lingua confiteatur &c.* ubi nomine infernorum non possunt intelligi damnati, qui detinentur in inferno, quia, ut ait David Psal. 113. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum*, non enim damnati in gehenna capaces sunt amplius eliciendi actus virtutum, unde nomine infernorum intelliguntur Spiritus, qui in carcere purgatorii detinentur, & lib. 20. de civit. cap. 25. accommodat illud Isaiæ 4. *Abluet Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem lavabit de medio ejus in spiritu judicii, & in spiritu ardoris*, seu in igne purgatorii, ut etiam aliud apud Malach. 3. *Ipse quasi ignis conflans, & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in justitia: sed in cœlesti patria non habebunt maculam neque rugam ullam.* Ergo hæc emundatio fit in purgatorio. In pluribus aliis locis etiam D. Augustinum asserere dari hunc locum tertium, quem purgatorium vocamus, & in quo emundatorio igne expiantur animæ hinc decedentes, constat etenim lib. 2. de Genes. contra Manichæos cap. 10. & in enarrat. Psal. 37. ait: Quòd quamvis qualis sit futurus in purgatorio ignis, utrum scilicet tribulationis ob dolorem rerum temporalium jam amissarum, vel alterius modi in aliquibus quidem locis significat Augustinus non satis adhuc suo tempore fuisse exploratum, cum enim ignem illum de, quo loquitur Apostolus exposuisset in Enchirid. cap. 68. de igne tribulationis in hac vita propter res temporales amissas inquiens: *Tale aliquid post hanc vitam fieri incredibile non est, & ut ita sit, quæri potest, aut inveniri, aut latere: nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium* (seu salem, qualem exhibet per tribulationes) *quanto magis, minusve bona pereuntia dilexerunt, tantò tardiùs salvari*; & lib. 21. de civit. cap. 26. *cum eodem modo ignem illum tribulationem esse dixisset, subjungit: Post istius corporis mortis donec ad illum veniatur, qui post resurrectionem futurus est damnationis, & remunerationis ultimus dies, si hoc temporis intervallo Spiritus defunctorum ejusmodi ignem* (seu tribulationis) *dicuntur perpeti, quem non sentiant illi, qui non habuerunt tales mores, & amores in hujus corporis vita, ut eorum lignum, fœnum, & stipula consummatur, alii vero sentiant, qui ejusmodi ædificia secum portaverunt, sive ibi tantùm sive hic & ibi, sive ideo hic, ut non ibi sæcularia quamvis à damnatione venialia cremantem ignem transitoriæ tribulationis inveniant; non redarguo, quia forsitan verum est.* Ex quibus constat, Augustinum non docere ipsam per se assertionem ignis purgatorii post hanc vitam esse dubiam, sed tantùm posse de qualitate, & ratione illius ignis diversimodè disputari, utrùm scilicet aliud non sit, quàm transitoriæ illius tribulationis, seu doloris, & sensus propter res temporales amissas, sicut solet esse in hac vita: & hanc fuisse mentem Augustini, ex eo constat, quia lib. de fide, & operibus cap. 15. ait: Dari hunc locum medium in quo Spiritus defunctorum, antequam cœlestem ingrediantur patriam, purgentur, & clarius etiam hoc idem confirmat lib. 21. de civitat. cap. 24. ubi clarè, & expressè affirmat, animas defunctorum post hanc vitam pœnas pati temporales, & igne aliquando tandem expiari, apertè constare in Ecclesia.

Origenes dari purgatorium asserit homil. 12. in Jerem. inquiens: *Si post fundamentum non solùm aurum superædificaveris, verùm lignum, & stipulam; quid tibi vis fieri cum anima sejuncta fuerit à corpore? utrum ingredi vis Sancta cum lignis & stipulis tuis, ut polluas templum DEI: an propter stipulas vis foris, residere, & pro auro nihil mercedis recipere? Sed neque hoc æquum est: quod igitur sequitur nisi primum, ut propter ligna ignis tibi detur, qui consumat stipulam.* Unde ex verbis scripturæ ostendit Origenes dari purgatorium, est Origeni ignis purgatorii corporalis, quo tantum Spiritus justorum, qui in hac vita non impleverunt pœnitentiam, & satisfactionem condignam affliguntur; Et Richardus à S. Victore vocat ignem purgatorium, per quem in salvandis peccati rubigo consumitur, & S. Vincentius Ferrerius vocat purgatorium, domum plenam ignis, qui virtute Divina cruciat animas acrius, quam si essent in furno ardenti. S. Ambrosius in Apocal. cap. 20. in medio ait: *Multos instante mundi fine ignis purgatorius purgando cremabit; sed ante judicium absoluti in Sanctorum Collegium recipientur*, & ibidem cap. 21. expendens illud Apocal. *Habens fundamenta duodecim*, eleganter ait: *Sicut aurum, quod ex aliis permixtionibus sordium afficitur, per ignem purgatur, ita & defuncti à sordibus, quas ex mundanis actibus contraxerunt, per ignem purgatorii mundantur.* Sanctus Antoninus part. 1. cap. 5. tit. 5. §. 1. ait: *Sciendum est, quod cum anima recedit à corpore, si non est plenè purgata, & libera ab omni culpa, & debito pœna, non est idonea ad intrandum Regnum cœleste, sed est medius locus, qui purgatorium dicitur, quo destinatur ob sui purificationem ad tempus.* Sunt autem, ait S. Antoninus quatuor animarum pœnæ, quæ sunt in purgatorio, quarum prima oritur ex privatione visionis DEI ad tempus; secunda ex insultatione, & visu Dæmonis; tertia excruciatione materialis ignis; & quata ex consideratione negligentiæ subventionis. Et cap. 5. §. 3. ait: Quatuor modis ab hisce pœnis liberari; primò per modum intercessionis, secundò per modum redemptionis; tertiò per modum solationis, & quartò per modum alienæ pro eis afflictionis. S. Bonaventura serm. in die cinerum ait: *Quantò minus satisfaciunt in mundo, tantè plus tardi conversi ardebunt in purgatorio.* Et serm. 1. de S. Laurentio ait: *Qui in statu salutis sufficienter se in præsenti non punit, ad ignem purgatorii, velit, nolit, perveniet*; & ibidem asserit, ignem purgatorii esse pœnam graviorem, quam quidquid in hac vita portari ab aliquo possit, & esse hac præsenti diuturniorem, & titulo 10. Dixtæ cap. 1. ait: pœnam purgatorii gravissimam esse, adeo ut sit gravior eâ quacunque, quæ in mundo tolerari possit. Cæsarius Arelatensis, homil. 8. circa init. apud Bibliothecam Patrum Tom. 5. part. 3. pag. 758. ait: Illo transitorio igne non capitalia, sed minuta peccata purgari; & ibidem post initium ait: *Quicunque aliqua de peccatis criminalibus in se dominari cognoverit, nisi dignè pœnitentiam egerit, & à peccatis ipsis abstinuerit, illo transitorio igne purgari non poterit, sed æterna flamma cruciabitur*; & paulò post subdit: *Quidquid de minutis peccatis à*

*nobis*

*nobis redemptus non fuerit illo igne purgandum est*, & ibidem ait : *Ita peccata in hoc sæculo purgentur, ut in futuro ille ignis purgatorius aut non inveniat, aut parum inveniat, quod exurat*; & postea explicans magnitudinem pœnarum ait : *Ipse purgatorius ignis durior erit, quàm quidquid potest pœnarum in hoc sæculo aut cogitari, aut videri, aut sentiri.* Cassiodorus in Psal. 65. post medium loquens de igne purgatorii ait : *Iste ignis non consumptorius, & purgatorius est, datur enim argenti exemplum, quo igne ideo decoquitur, ut purius inde reddatur.* Et S. Cyrillus in prosec. *Si omnes, quæ in mundo sunt, cogitari possunt pœna, tormenta, & afflictiones, minori, quæ in purgatorio habetur, pœnæ & tormento comparentur, solatio erunt.* S. Eusebius Emissemus loquens de purgatorio igne ait : *Quantum accrevit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit flamma rationabilis disciplina, & quantum stulta iniquitas gessit, tantum sapiens purgatorii pœna desæviet*, & homil. 1. ad Monach. circa finem in Bibliotheca Patrum Tom. 5. part. 1. ait : *Flamma purgatorii non tam reum persequitur quàm reatum; & si modus fuerit delictorum, erit & mensura cruciatuum.* D. Gregorius Magnus lib. 4. Dialog. cap. 39. post init. de quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est, & in *Psal. pœnit. in Psal. 3. sub init.* ait : *post hujus vitæ exitum, alii flammis expiantur purgatoriis, alii sententiam subeunt æternæ damnationis*; & postea subdit, *illum purgatorii transitorium ignem omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorem*, & lib. 2. in 1. Reg. cap. 3. infra med. explicans illud Lucæ 23. *Hodie mecum eris in paradiso*, ait : *Post mortem purgatoria pœna peccatores ad vitam transeunt, si ad delenda peccata sufficientem vim amoris hic nequaquam habuerunt*; & Gregorius Missenus serm. de mortuis ante medium ait : *Vitia post obitum per expurgantis ignis fornacem expiantur, ut ad pristinam redire valeat anima felicitatem*; & ibidem ante medium ait : *Non poterit divinitatis particeps fieri è corpore alius egressus nisi maculas sibi immixtas purgatorius ignis abstulerit.* Hugo à S. Victore de quæst. circa Epist. 1. ad Corinth. quæst. 4. ait : *Perfecti statim ad cognitionem summi boni transeunt, in quo est æterna beatitudo : minùs autem perfecti, antequam ad æternam beatitudinem perveniant per pœnas purgatorii transeant*, & postea subdit : *Minutissima pœna purgatorii gravior est qualibet pœna temporali*, & lib. 4. de anima cap. 17. in fine ait : *Firmiter credere debemus, quod nullum peccatum sine vindicta relinquitur; aut enim hic per pœnitentiam unusquisque peccatum suum delet, aut Dominus piè per flagellum suum purgat, aut post mortem igne purgatorio purgabitur, aut in ignem descendet æternum.* Hugo Cardinalis in Matthæum cap. 5. ait : *Qui pro Christo moriuntur, statim in cœlum ascendunt, quia falce martyrii resecatur, quidquid purgandum erat*, & in Apocal. cap. 7. ait : *In mundo magna tribulatio, sed major in purgatorio, & maxima in inferno*, & alibi : *Qui pro Christo terrena abiiciunt, non statim cum moriuntur ad cœlum evolant, sed quandoque igne purgantur.* Petrus Blessensis serm. 35. de festo Omnium Sanctorum ante medium ait : *Hi, qui cum ligno, fœno, & stipula de mundo transeunt, in purgatorio poliuntur*; & serm. 40. post medium : *Fideles, cum transierint, quod humidum erit in eis, igne purgatorio siccabitur*; & D. Thomas Aquinas in supplement. part. 3. quæst. 71. art. 6. in corpore ad 4. *Pœna purgatorii temporalis est, quamvis quantum ad æternam retributionem, nullus defraudari possit, nisi per propriam culpam*; & in compendio Theologiæ cap. 181. in fine Tom. 2. ait : *Certum est, post hanc vitam esse quasdam purgatorias pœnas, quibus pœnitentiæ implentur, non impletæ*; & in 4. sententiarum dist. 21. art. 1. ad 4. Pœna purgatorii est gravissima propter conditionem patientis animæ.

Probari etiam solet purgatorium ex animarum apparitionibus fide dignis, de quibus D. Gregorius lib. 4. dialog. plura refert exempla, quæ omnia putare fabulosa protervorum est hominũ; hinc Ecclesia definivit dari purgatorium, in quo igne emundatorio expientur animæ defunctorum, si vel maculas venialium peccatorum contraxerint, vel reatum pœnæ pro peccatis jam condonatis; etenim in Concilio Constantienti sess. 8. damnatur articulus quintus Wicleffi, qui negabat, esse à Christo missas ordinatas, in quibus commemoratio fiat pro defunctis; rursus in Concilio Florentino in decret. unionis, quia Schismatici Græci recentiores contra veterum Græcorum Patrum testimonia negavissent purgatorium, definita fuit illius assertio tamquam certissima ex fide; & tandem in Concilio Tridentino sess. 6. can. 30. & sess. 25. in decreto de purgatorio definita itidem fuit hæc veritas, seu dari locum tertium, quem purgatorium vocamus, in quo animæ hinc decedentes emundantur, si maculas aliquas venialium peccatorum contraxerint, vel iisdem supersit exsolvendus reatus pœnæ pro condonatis in hac vita culpis gravioribus; & hæc eadem veritas constat ex traditione Apostolica, cum in liturgis D. Petri, & D. Jacobi, Andreæ, & Marci legantur orationes pro defunctis, & pro quibus ostendimus superius orasse Sanctos Patres primitivæ Ecclesiæ, hinc quòd non adsint definitiones Ecclesiæ antiquiores, argumento est, quia primis illis temporibus habebatur ab Ecclesia, ut certa de fide hæc assertio contra Aerium oppositum docentem, & habetur etiam ex variis antiquiorum Conciliorum decretis, quæ circa rationem ac modum suffragandi defunctis edita fuerunt, ut in Concilio Carthaginensi can. 79. & 95. in Concilio Triburiensi cap. 15. & 16. in Bracharensi II. can. 10. & in pluribus aliis antiquis Conciliis passim. Neque obstat, quòd asserant Sectarii in Synodo quinta genreali fuisse rejectum dogma purgatorii, quale ab Ecclesia Catholica assertitur; nam id falsum omnino est, quia in tota illa Synodo nulla fit mentio talis rejectionis, unde repudiantes hanc sententiam, ac definitionem Ecclesiæ in hac quæstione, Spiritus S. præceptum impiè violant. Præterea quia plures Sancti Patres pleraque recensent exempla, quibus animæ defunctorum, quæ flammis expiatoriis purgabantur, deprehenduntur apparuisse; præsertim plura ex istis congerit D. Gregorius lib. 4. dialog. Neque obstat, quod respondent Sectarii, in Scriptura Sacra divinitus esse prohibitum, à mortuis testimonium petere. Tum quia simul ac homo est mortuus, non potest iterum ad vivos redire, ut asserunt Sancti Patres, præsertim Athanasius lib. 1. de cura pro mortuis cap. 13. & quæst. 19. ad Antiochum. D. Chrysostomus homil. 29. in Matthæ. Nam contra est, quia eatenus in scripturis prohibetur à mortuis testimonium petere, ne magicis artibus ab Ariolis aliisque seductoribus procurentur testimonia mortuorũ & usurpentur; quo pacto dicitur in Deuter. *nec inveniatur in te, qui Ariolis sciscitetur*; & apud Isaiam ait DEus : *Cum dixerint ad vos*,

*vos, quærite à Pythonibus, & divinis qui student incantationibus suis: Numquid non populus à Deo suo requiret visionem.* Secus est, quando ex apparitionibus animarum, quæ divina dispositione aliquando contigerunt, veritatem aliquam confirmare intendimus, quo pacto cum S. Stanislaus Polonus cum per calumniam fuisset in judicium vocatus, ac si pagum occupâsset, quem Ecclesiæ suæ nomine coëmerat, & talem emptionem non posset tabulis probare, & testes veritatem dicere timerent, promisit Episcopus se Petrum pagi venditorem, qui triennio ante obierat, intra tres dies in judicium adducturum. Conditionem cum risu accepit Judex, credens id impossibile esse, mortuos posse ad vivos iterum redire, sed Stanislaus toto triduo jejuniis, & orationibus vacavit, & ipso sponsionis die post oblatum missæ sacrificium jussit Petrum è sepulchro surgere, qui statim redivivus Episcopum ad Regis tribunal euntem sequitur, ibique Rege & cæteris stupore attonitis de agro à se vendito, & pretio rite sibi ab Episcopo persoluto testimonium dixit, & iterum obdormivit in Domino. Possunt igitur Deo permittente, quæ in mundatorio igne purgantur animæ, ad nos reverti præsertim ad confirmandam veritatem, & fidei dogma de essentia purgatorii.

Ad aliud quod addebatur, Patres passim disputare, an possint mortui ad vivos redire, respondetur, Patres asserere, non posse mortuos propriis viribus & ordinariè pro suo libitu ad vivos remeare, non verò negare posse divina dispensatione interdum ad vivos redire; id enim quandoque contingere, confirmat ex divinis scripturis S. Augustinus lib. de cura de mortuis cap. 15. ubi ait: *Mihi quoque ad vivos aliquos ex mortuis, sicut è contrario Paulus ex vivis in paradisum raptus est, divina scriptura testatur*: hoc idem etiam evincit exemplo Samuelis qui jam defunctus Regi Sauli apparuit, & mortem instantem prædixit; etenim quod non fuerit spectrum magicum, sed vera & realis anima Samuelis, quæ apparuit, probat D. Augustinus in Eccles. 46. ubi in recensendis Samuelis laudibus ait: id etiam dandum esse ei laudi, eò quia etiam defunctus prophetaverit. Rursus hoc idem evincit Augustinus exemplo certiore desumpto ex Deuter. 34. ubi Moyses, qui jam defunctus erat, cum Elia nihilominus, apparuit Christo, & Apostolis in Taboris montis fastigio, ut perhibetur in transfiguratione quæ describitur præsertim à Matth. 17. D. Augustinus, ut explicaret, quo sensu disputâsset defunctos non interesse rebus vivorum, expresse ait cap. 15. *Defuncti per naturam propriam vivorum rebus interesse, non possunt*, & exinde colligit, Martyres alioquin, cum rebus vivorum opitulandi causa intersint, nonnisi divina dispensatione id fieri, unde Patres asserentes defunctos ad vivos non remeare, loquuntur de defunctis propriis viribus, proprioque arbitrio, non verò id inficiari ex divina propositione.

Cæterum dari purgatorium duplici etiam solet ratione evinci, quarum prima est, quia remissa culpa, ut superius dicebamus, non semper remittitur tota pœna debita pro tali culpa. Quòd si in hac vita non remittitur tota pœna superest hæc luenda in altera vita. Secunda, quia tametsi peccata venialia non avertant à Deo, exigant nihilominus purgari eò, quia nihil coinquinatum introducitur in cœlestem patriam. Verùm respondent Sectarii ad primam rationem, non posse remitti peccatum, nisi simul remittatur pœna debita peccatori pro perpetrato peccato. Verùm id falsum est, quia tametsi Deus remittat peccatum lethale & pœnam æternam, non tamen tenetur Deus omnem remittere pœnam: siquidem deprecante Moyse condonavit Deus populo peccatum idololatriæ, & nihilominus subdit: *se in die ultionis peccatum visitaturum*; & Nathan Propheta quamvis dixerit Davidi, Transtulit Dominus peccatum tuum, adhuc rex David ob peccatum jam condonatum quoad culpam pluribus fuit incommodis afflictus, & filium perdidit quam Dominus morte extinxit. Præterea si licet Principibus post capitalem culpam reis condonatam levem adhuc pœnam iisdem statuere, ut carcerem, exilium, mulctam pecuniariam, à fortiori id potest à Deo fieri, quia ita ostendit viscera misericordiæ suæ in condonandis peccatis, ut etiam manifestet justitiam in eorundem punitionem saltem temporariam; neque est implicatorium, ut putant Hæretici, remitti culpam, & remanere pœnam, qua peccatum præteritum & jam dimissum puniatur: siquidem ex quolibet actuali peccato duplex in peccatore oritur reatus, culpæ, & pœnæ, & in Deo duplex jus ad condignè odio habendum ipsum peccatorem, & ad condignè eundem puniendum juxta gravitatem delicti, & quia hæc duo jura realiter distinguuntur, potest Deus uni eorum cedere, non verò alteri. Quamvis de facto in justificatione peccatorum nunquam cedat jure, quod habet ad odio habendum peccatorem, quin simul cedat alteri juri, quod habet ad eum puniendum morte æterna; hoc tamen non obstat, quo minus possit reservare jus ad pœnam aliquam temporalem infligendam pro anteacto peccato jam remisso.

Quòd si dicas, scripturam subinde significare Deum, cum peccata remittit, nolle eorum amplius recordari, ac nolle iisdem amplius imputare, quia his, & similibus verbis tantum significatur remissio peccati lethalis quoad culpam, & pœnam æternam, non verò quoad pœnam temporalem, in quo sensu dixit Apostolus ad Roman. 8. *Nihil damnationis esse in iis; qui sunt in Christo JEsu per gratiam.* Non verò concludi, Deum nulla ratione recordari peccatorum dimissorum, quia tametsi non puniat pœna æterna, ea tamen punit, pœna temporali, ut liquet ex scripturis, & exemplis Moysis, & Davidis, quibus tametsi fuerint à Deo peccata condonata, adhuc pœnam temporalem subierunt.

Urgent tamen Hæretici, eò quia remissio peccatorum sit gratuita, & talis non esset si ex parte nostra aliqua exigeretur compensatio, ergo ex eo, quòd remittatur peccatum, utique remittitur quoad omnem pœnam. Præterea quia Christus cumulatissimè, ac plenissimè satisfecit pro peccatis totius mundi, atqui satisfactio Christi cum sit infiniti valoris, non indiget nostra Satisfactione, ut plene solvatur pro toto mundo; quia vel Christi satisfactio fuit sufficiens, vel non: si primum, ergo frustranea est omnis nostra satisfactio pro solvendo debito. Secundum nequit dici, alioquin detraheretur honori ac plenitudini satisfactionis Christi. Sed contra, quia tametsi remissio peccatorum quoad reatum culpæ, & pœnæ æternæ sit merè gratuita, quatenus Deus ob infinitam suam bonitatem confert

fert gratis homini gratiam justificantem, non tamen semper condonat omnem pœnam temporalem, ut constat ex Davide, Moyse, & aliis, qui tametsi acceperint gratuitam peccatorum remissionem, adhuc tamen temporali aliqua pœna fuerunt puniti. Ad aliud, quod addebatur de infinita satisfactione Christi, respondetur, argumentum minus probare: etenim Christus etiam oravit pro nobis, & pro remissione peccatorum, sicut pro eadem satisfecit in cruce. Unde possemus argumentari. Vel Christi oratio fuit sufficiens, vel non; si dicatur hoc secundum, detrahitur sufficientiæ orationis Christi: si primum, ergo oratio nostra non est necessaria, & frustraneè diceremus: *Dimitte nobis debita nostra.* Licèt igitur Christi satisfactio fuerit valoris infiniti; voluit tamen, ut hic valor nobis non applicetur, nisi per talia media; scilicet per fidem, Sacramenta, & satisfactiones proprias: voluit etiam, ut mereremur, & satisfaceremus pro peccatis mediante gratia nobis communicata per merita JEsu Christi: Rursus voluit etiam, ut nobis non communicaretur valor satisfactionis Christi, nisi in tali, vel tali mensura juxta ejusdem voluntatem: unde quòd non remittatur unà cum culpa tota pœna etiam temporalis, id non debet refundi in defectum sufficientiæ operum Christi: sed quia Christus voluit ad majorem nostram utilitatem non solum per suam, verum etiam per nostram satisfactionem æterno suo Patri debitum illud solvere; sicut unicâ sanguinis guttâ Christus potuisset abundantissimè satisfacere pro integro debito peccatorum totius mundi, & nihilominus ipsi placuit pluries sanguinem fundere, & mortem crucis subire; & per omnes suas passiones voluit debitum illud persolvere. Ad aliud, quod addebatur de peccatis venialibus, negant Sectarii dari hujusmodi peccata venialia, ajunt enim omnia peccata digna esse æterna damnatione. Sed falsum est, & Sacris adversatur Scripturis, Proverb. 24. *septies in die cadit justus, & resurget*: non dicit homo; sed justus, ut intelligamus, lapsus illos non esse lethales, neque peccata moralia, cum quibus non cohæret gratias, seu justitia, quâ homines denominantur justi: unde lapsus illi justorum sunt tantùm peccata venialia, quæ possunt cohærene cum gratia sanctificante, ut explicant SS. Patres, præsertim Augustinus, & Chrysostomus homil. 12. in Epist. 1. ad Corinth.

Supersunt refellendæ aliquot objectiones, quæ opponuntur à Sectariis contra hunc locum tertium alterius vitæ, quem Purgatorium esse dicimus. Primò quia nullibi in tota Scriptura nominatur Purgatorium; ex quo inferunt non dari, neque ex Scripturis probari posse Purgatorium. Sed contra, quia ut superius explicuimus, quamvis hoc nomen Purgatorium expresse non reperiatur in Scripturis, res tamen per nomen hoc significata pluries describitur in Scripturis, ac satis apertè explicatur. Unde vel Sectarii agunt de puro nomine, vel de re per tale nomen significata, si de puro nomine, fatemur hoc vocabulum Purgatorium non haberi in Scripturis; sed inde non sequitur, quòd non detur res per tale nomen significata; etenim neque in Scripturis habemus baptismum, & Evcharistiam vocari Sacramenta, & nihilominus esse vera Sacramenta credimus, eò quia in Scripturis ea sint, quæ ad Sacramentum requiruntur; perinde licet hoc nomen Purgatorium expresse non reperiatur in Scripturis, res tamen per ipsum nomen significata nobis describitur in Scripturis, consequenter credere tenemur dari Purgatorium, sicut credimus baptismum esse Sacramentum. Sin autem agatur de ipsa re falsum est antecedens, quia plura dantur Scripturæ, loca, quibus res, quam Purgatorium esse dicimus, clare ostenditur, ut superius ostendimus.

Objiciunt secundò, duo tantum dantur animarum receptacula, cœlestis Patria, & infernus: ergo malè affingitur tertium, seu Purgatorium, cujus nullibi meminit Scriptura. Sed contra, negatur antecedens: quia animæ per intercessiones Sanctorum ad corpora pristina revocatæ fuerunt, & plures mortui resuscitati tempore autem separationis alicubi fuerunt; sed non in cœlo, quia si inde fuissent avocatæ, nullam accepissent gratiam; neque in inferno, quia ab illo carcere non extrahuntur animæ damnatorum: ergo præter cœlorum, & infernum datur locus medius inter utrumque, quem Purgatorium dicimus. Præterea in triduo mortis anima Christi Domini, tametsi beata esset, nondum tamen in cœlum ascenderat; neque descendit in infernum damnatum; sed tantùm apud inferos seu in sinum Abrahæ, qui fuit locus subterraneus, in quo detinebantur animæ Patriarcharum, ac Prophetarum præstolantium Messiæ adventum, qui locus limbus dici solet: ergo constat præter cœlum, & gehennæ carcerem dari alia loca media, ut sinum Abrahæ, seu limbum, & Purgatorium.

Objiciunt tertiò, quia ex Scripturis ostenditur, animas justorum, cum primùm separantur à corpore, statim donari cœlesti beatitate, & recipi in Paradisum, ut in Psal. 126: v. 4. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filii, merces.* Apocal. 14. v. 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis* Ad Rom. 8. v. 1. & 2. *Nihil ergo damnationis ex in iis, qui sunt in Christo JEsu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vita in Christo JEsu liberavit me à lege peccati, & mortis*: ergo non datur locus iste medius, qui Purgatorium dicitur. Sed contra, quia licet per Scripturas probetur, justos statim post mortem futuros in statu salutis, non tamen convincitur hoc statim fieri sine purgatorio, quia ipsum Purgatorium est etiam status salutis. Præterea quamvis aliqui justi immediatè donentur cœlesti beatitudine, eò quia nullâ sint peccati venialis maculâ inquinati, non tamen, qui hinc decedunt cum peccatis, venialibus vel cum reatu pœnæ de peccatis gravioribus jam condonatis quoad culpam. Scripturæ enim loquuntur de justis primæ classis, non de aliis, quibus superest aliquid purgandum. Sed Instant, quia latro post multa patrata peccata gravia, & pro quibus nullam egerat pœnitentiam, audivit à Christo Luc. 23. v. 43. Hodie mecum eris in paradiso: ergo si pro illo nullum fuit Purgatorium, à fortiori neque pro justis secundæ classis, eo quia simul cum reatu culpæ remittatur etiam reatus pœnæ. Sed contra, quia particulare exemplum non præjudicat consequentiæ universali; id enim contigit de via extraordinaria. Cæterum Moysi, & Davidi fuerunt peccata condonata quoad culpam, sed non quoad pœnam temporalem, quam debuerunt luere, unde falsum est, quod asserunt Acatholici, simul cum reatu culpæ remitti semper reatum pœnæ. Sed urgent, quia soli justi seu decedentes in statu gratiæ dicuntur pœnis cruciari Purgatorii, ut expientur à peccatis venialibus; sed hoc deprehenditur repugnare Sacræ Scripturæ, Sapient. 3. v. 1. *Justorum animæ in manu DEI sunt, & non tanget illos tormentum mortis, seu malitia*: ergo non

datur

datur locus iſte medius, quem dicimus purgatorium; ſed contra, quia per tormentum mortis SS. Patres intelligunt ſupplicia inferni; ut etiam nomine malitiæ intelligitur debitum hominum damnatorum, à quorum ſuppliciis juſtorum animæ non tanguntur. Præterea ſapiens loquitur de juſtis, qui in vita ſua plures tribulationes paſſi ſunt; hi enim poſſunt ſtatim donari gloria cœleſti, quia jam ſatis fuerunt per tribulationes purgati.

# CAPUT IX.

## An ſit bonum & utile orare pro defunctis ?

QUèm bonum ac utile ſit orare pro defunctis ex communi praxi, & judicio primitivæ Eccleſiæ ſatis edocemur, extant enim liturgiæ Apoſtolorum, in quibus comprehenduntur orationes pro defunctis, quibus ſi non prodeſſent, ac utiles eſſent minimè ab Apoſtolis fuiſſent inſtitutæ. Habetur enim liturgia Jeroſolymitana, quod D. Jacobo Apoſtolo attribuitur, & Romæ liturgia D. Petri; Alexandriæ liturgia S. Marci, in Æthyopia S. Matthæi; Mediolani S. Ambroſii; Capadociæ & Syriæ S. Baſilii, Conſtantinopoli S. Andreæ, & S. Chryſoſtomi, & demum habentur omnes liturgiæ Græcæ, & Armenæ, in quibus nemine excepto mentio fit orationis pro defunctis, in ipſis enim continentur collectæ, quas hodiè in miſſis pro defunctis recitamus, imò non ſolum quæ à nobis funduntur preces defunctis proſunt, verum etiam afflictiones, flagellationes, & pœnitentias, quas pro iiſdem agimus: unde Apoſtolus 1. Corinth. cap. 15. v. 29. ait: *Alioquin quod facient, qui baptizantur pro mortuis ſi omnino mortui non reſurgunt*, quæ verba non referuntur ad Sacramentum baptiſmi, ſed ad baptiſmum pœnitentiæ, & afflictionis, de quo loquebatur Chriſtus Matth. 10. *Poteſtis bibere calicem quem ego bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* apud Lucam cap. 12. v. 50. *Baptiſmo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur.* Unde ſenſus Apoſtoli 1. Corinth. cap. 15. eſt, quare igitur jejunant, orant, lugent, lachrymas fundunt, imò & per flagellationes ſanguinem, & eleemoſynas pauperibus diſtribuunt, offeruntque ſacrificia Deo pro mortuis niſi ſit reſurrectio. Talis fuit afflictio Judæ Machabæi lib. 2. cap. 12. v. 43. *Et facta collatione duodecim millia drachmas miſit Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, bene, & religiosè de reſurrectione cogitans, (niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis) Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccantis exſolvantur*, quæ verba clara ſunt, ut expreſsè ſignificant bonum, ac utile eſſe orare pro defunctis, ut à peccatis ſolvantur: & quia Sectarii ex præfatis verbis nequeunt inficiari, hanc veritatem, non aliter reſpondent quàm negando authoritatem aſſerentes librum Machabæorum non eſſe canonicum; quod quàm falſum ſit, ſuperius expreſsè oſtendimus; cum enim libri Machabæorum ſcripti fuerint poſt Eſdram, qui canonem compoſuit Hebræorum: non potuerunt in eodem contineri, bene tamen in canone Apoſtolorum & Eccleſiæ, ut nos docet Concilium III. Carthaginenſe cap. 47. celebratum tertio ſæculo, in quo inter canonicas ſcripturas approbantur libri Machabæorum, & D. Auguſtinus lib. 1. de cura pro mortuis gerenda cap. 1. ait: *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis ſacrificium, ſed & ſi nuſquam in ſcripturis veteribus omnino legeretur, non parva tamen eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret authoritas, ubi in precibus ſacerdotis quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur locum etiam ſuum habet commemoratio mortuorum.* Ad hunc finem, ut ſuperſtites in vita mortali poſſint defunctis prodeſſe, tendebant jejunia antiquæ legis, poſtquam quis deceſſerat; ait enim Venerabilis Beda in ſuis expoſitionibus allegoricis in Samuelem lib. 4. cap. 10. v. 12. & cap. 3. v. 35. *David jejunat poſt mortem Saulis, & Jonathæ, ut afflictio iiſdem eſſet ſolatio.* Flevit etiam, & jejunavit David mortuo Abner, ut habetur lib. 2. Reg. cap. 1. & cap. 3. quæ actiones referendæ ſunt ad pietatem, & Religionem potius, quàm ad dolorem: ſicut etiam Salomon poſt obitum Regis Patris ſui dixit 3. Reg. cap. 2. v. 33. *David autem & ſemini ejus, & domui, & throno illius ſit pax uſque in æternum à Domino*; quinimò offeruntur etiam preces, & pia opera exhibentur, pro iis, qui deceſſerunt ex vera pœnitentia dum anima ſeparatur à corpore nondum plenè peracta de peccatis ſatisfactione, ut habetur in Concilio Florentino in decreto contra Græcorum proterviam negantium pœnas purgatorii in altera vita contra omnes Sanctos Patres Græcos: habetur enim in decreto Florentino Synodi: *Si verò pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus commiſſis ſatisfecerint & omiſſis; eorum animas pœnis purgatoriis purgari; ut à pœnis hujuſmodi releventur, prodeſſe his virorum fidelium ſuffragia, miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt ſecundum Eccleſiæ inſtituta.*

Hanc doctrinam ex traditione Apoſtolica, & miraculis pluribus confirmatam, exhibet Baronius in annum 34. & Spondanus in Epitom. num. 33. Hinc S. Damaſcenus in orat. de his, qui in fide Orthodoxa dormierunt, ait: *Quod Salvatoris Diſcipuli, & divini Apoſtoli &c. in tremendis, intemeratis, & vivificantibus myſteriis commemorationem fieri de his, qui fideles ob dormière ſanxerunt*, quod ſemper abſque ulla controverſia tenuit, & docuit Eccleſia Catholica, docebitque uſque in finem mundi. S. Dionyſius Areopagita in myſtica ſua de mortuis conſideratione ait: *Cum divinam bonitatem pectamur, peccata defuncto condonari petimus, quæ ob humanam imbecillitatem admiſſa ſunt in Regione viventium eum collocari in ſinu Abraham, Iſaac, & Jacob, in quo loco abeſt mœror, triſtitia, & gemitus.* Vixit autem Areopagita tempore Apoſtolorum, imò & tem-

pore necis Christi, videns enim eclipsin solis, cum luna esset quinta decima per diametrum opposita soli, protulit verba illa: *Aut Natura Deus patitur, aut mundi machina dissolvetur*; ubi dubitari non potest, quin in primitiva illa Ecclesia temporibus Apostolorum moris fuerit orare pro defunctis, quibus preces nisi utiles, & salubres fuissent, minime viri Sancti pro iisdem orâssent, nec alias subivissent afflictiones, nec pœnitentias, sed quia crediderunt posse tali pacto juvari, ideo jejunia, preces, flagellationes, aliasque pœnitentias instituebant, quibus mortuis prodessent, unde Chrysostomus in serm. de mortuis ait: *Iterum excogitemus, quomodo mortuis prosimus, præstemus his auxilium, quod valemus, eleemosynas dico, & oblationes, quæ quidem res ipsis utilitatem, magnum lucrum, & commodum affert*, & S. Gregorius Nissenus ait: *Nihil inconsulto, neque absque emolumento à Christi Præconibus, & Discipulis traditum est: sed res plena utilitatis est, Deoque accepta, commemoratio scilicet, quæ habetur in divino, & admirabili sacrificio pro his, qui in fide obdormierunt.*

Verùm adversarii tribus nituntur principiis ad evertendam hanc veritatem Catholicam, quorum primum desumunt ex illo Apostoli ad Roman. 14. v. 23. ubi habetur: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*; asserunt enim, id esse intelligendum de ea fide, quam idem Apostolus ad Hebræ. 11. v. 1. ait esse *hypostasin, seu substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Secundum principium ex eo desumunt, quia fides excludit omnem hæsitationem, & ignorantiam, & nulla potest cum ipsa cohærere dubitatio, pua quis ignoret statum illius, pro quo orat, adeo ut is non censeatur orare ex fide, sed contra fidem, qui dubitat, vel ignorat, in quo statu is sit, pro quo orat. Tertium petitur ex eo, quia generatim, quicunque orat pro defunctis, ignorat statum, in quo sunt. Sed hæc principia utpote infirma facile corruunt. Ad primum enim respondetur, plures scripturæ interpretes apertè docere fidem, de qua Apostolus loquitur ad Roman. 14. non sumi pro hypostasi rerum sperandarum, sed potius pro persuasione, & dictamine conscientiæ, adeo ut sensus sit, omne, quod non est ex fide, seu juxta dictamina rectæ rationis, seu non est ex conscientia, peccatum est; est enim dictamen conscientiæ, quo quis judicat hoc vel illud esse sibi licitum, aut prohibitum, adeo ut tunc homo peccet, quando agit contra dictamen, vel persuasionem propriæ conscientiæ, etenim quod agitur reclamante vel renitente conscientia, sive alias ex se bonum sive malum sit, peccatum est, ut censent fere communiter Patres in commentario illius loci, præsertim Chrysostomus, Ambrosius, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius, & hunc esse legitimum Apostoli sensum, ex eo deducitur, quia ibi Apostolus instruit novos Christianos, qui partim ex Judæis, partim ex gentilibus conversi erant ad Christum, quomodo deberent se gerere in usu esculentorum ex Judæis enim plures arbitrabantur legem Moysaicam de ciborum differentia adhuc servandam esse, & propterea se abstinebant ab his esculentis, quæ secundum legem Mosis erant immunda, ac prohibita, secus gentiles recentes conversi nullum adhibebant discrimen inter esculenta, quibus propterea promiscuè utebantur, idque causa erat contentionis inter ipsos; Judæi enim judicabant gentiles perperam agere, ex eo quod à quibusdam cibis non se abstinerent, & vicissim gentiles redarguebant Judæos, ut superstitiosos, eò quia ab iisdem cibis abstinerent, & utrosque reprehendit, ac instruit Apostolus in toto illo cap. 14. ad Roman. ait enim: *Is qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum assumpsit*, ac si diceret, Gentilis, qui manducat cibos, qui in lege Moysis prohibentur, non spernat Judæum ab iisdem abstinentem: & Judæus, qui abstinet, non judicet gentilem male agere, si non abstineat, sed unusquisque in proprio sensu abundet, nam hæc ciborum differentia est indifferens, quia tunc lex Moysis cum nece Christi mortua erat, & abrogata, neque ejus obligatio amplius vigebat, unde Judæus, si velit, potest abstinere, vel manducare, & gentilis manducare, si vult, sed neuter alterum judicet, quasi malè agat. Nam qui manducat Dominum manducat, sed gratias agit Deo, ex eo autem, quod manducare, vel non, sit res indifferens, deducit Apostolus, neutrum; scilicet Judæum, & gentilem malè agere, ac proinde non esse temerè judicandum, quia gentilis manducans cibos lege Mosaica prohibitos, ad Dei gloriam manducat, & Judæus, qui abstinet, ad Dei gloriam abstinet, & uterque gratias Deo agit, ille, quia promiscuè omnibus utitur, & is, quia vescitur licitis, & in lege Mosaica concessis, quapropter Apostolus subjungit, *non ergo amplius invicem judicemus, sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum*: siquidem uterque rectè agit, sive manducet gentilis, sive abstineat Judæus, & neuter debet alterum judicare, quasi perperam faceret, propterea cavendum vel maximè est, ne alter alteri sit offendiculo, & scandalo; subjungit Apostolus: *Scio, & confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum nisi ei, qui existimat, quid commune est, illi commune est*, ubi illud commune perinde est, ac immundum, seu leges Moysis prohibitum, ut liquet ex illo Actor. 10. 14. *Nunquam manducavi omne commune, & immundum*, adeo ut sensus sit, quamvis lex Mosaica ponat discrimen inter esculenta munda, & immunda, à Christo tamen cum fuerit abrogata, & mortua cum Christo in cruce, ideo nullum esculentum apud Christianos est amplius immundum, nisi illi, qui ex conscientia erronea judicat immundum esse, eo quia censeat legem Mosaicam ex ea parte adhuc obligare; is enim quia manducat, cum credat ex lege obligari ad non manducandum, utique manducat contra conscientiam, & præceptum legis obligantis, propterea peccat contra legem, transgrediendo ejus præceptum proinde rectè dixit Apostolus, *omne quod non est ex fide peccatum est*, seu non est ex conscientia, proinde præmiserat, *qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide*, scilicet non ex conscientia & rectæ rationis dictamine: siquidem discernens inter cibos mundos & immundos existimans non licere sibi manducare immundos, si nihilominus eos manducet proprio judicio damnatur, quia operatur contra persuasionem, ac dictamen propriæ conscientiæ, unde liquet Apostolum ad Rom. 14. non fuisse locutum, de ea fide, quam ad Hebræ. 11. definit *substantiam rerum sperandarum argumentum non apparentium*, & à qua homines propriè fideles denominantur, sed tantum de ea fide, quæ consistit in persuasione conscientiæ circa honestatem vel turpitudinem facti. est enim discrimen inter utramque fidem, ea enim quæ definitur ab Apostolo ad Hebræ. 11. Substantia rerum sperandarum argumentum non apparentium versatur circa mysteria à Deo revelata, & posterior de qua loquitur Apostolus ad Rom. 14. versatur circa res licitè per-

peragendas, vel non: per primam credimus vera esse, quæ à Deo revelata sunt; per posteriorem judicamus licitè aliquid fieri, vel non fieri posse. Prior excludit omnem errorem circa suum objectum; & posterior potest errori obnoxia esse: siquidem qui credit vera esse, quæ à DEO revelantur, non errat: qui verò judicat, hoc licitum esse, & illud prohibitum, potest errare, & sæpe errat: de priore fide ait Apostolus ad Hebræ. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est placere DEO*: de posteriore intelligenda est regula Juris in 6. *Possessor malæ fidei non præscribit*: unde Judæi, & gentiles ad Christum recentes conversi habuerunt contrarias persuasiones, non tamen circa mysteria fidei à Deo revelata, sed circa esculenta licitè manducanda, vel non; Judæi putabant non esse licitè manducanda, quia lege Mosaica prohibita ut immunda: Gentiles verò arbitrabantur, nulla esse esculenta illicita, & immunda, unde neutri erant culpandi, quia uterque juxta propriam persuasionem, & dictamen conscientiæ operabatur, eò quia manducare, vel non manducare erat potius de re indifferente, alioquin si fuisset circa aliquod mysterium fidei à DEO revelatum non fuisset de re indifferente. Propterea non fuissent sine culpa. Hinc Catholici orantes pro defunctis, quibus possint prodesse, non peccant, sed opus virtutis, ac pietatis exercent: siquidem is peccat, qui aliquid operatur contra dictamen propriæ conscientiæ, sed Catholici suas fundentes preces pro defunctis nil agunt contra dictamen propriæ conscientiæ, consequenter non peccant, sed bene agunt.

Quoad secundum principium, quo Adversarii asserebant fidem excludere omnem hæsitationem, & ignorantiam, respondetur, fidem Christianam, quæ est substantia rerum sperandarum, & qua homines denominantur Christiani, excludere omnem prorsus dubitationem, non verò aliam, quâ quis ignorat statum illius, pro quo orat. Nam potest quis licitè orare sub conditione, imò etiam absolutè pro illo defuncto, tametsi oranti non constat, num sit in purgatorio, & dubitet, an revera in illo loco sit; quia fidelis tantùm tenetur non dubitare circa articulos à DEO revelatos quique fide divina credantur, nam de iisdem non licèt hæsitare, bene tamen de aliis rebus, quæ à DEO revelatæ non sunt, quia nil prohibet, quin de iis salva fide possimus dubitare, etenim non possumus dubitare de morte, & passione Christi, de ejus resurrectione, ascensione ad cœlum, nec de redemptione humani generis, ut nec de missione Spiritus S. nec de Trinitate personarum, nec de futura mortuorum resurrectione, quia hæc omnia à DEO revelata sunt, de aliis autem non revelatis potest homo fidelis dubitare, quorum dubitatio non pertinet ad fidem: v.g. an omnes erunt resurrecturi in eadem corporis quantitate? hæc enim, & similia, quia specialiter non fuerunt à DEO revelata, potest aliquis de iisdem dubitare, pari pacto, qui orat pro alio defuncto non potest dubitare de iis, quæ sub fidem cadunt, ut quòd ejus anima existat in aliquo loco in cœlo, vel purgatorio, aut inferno, nec potest dubitare de illius reunione ad corpus, quia hæc fuerunt à DEO revelata; bene tamen potest dubitare, an revera sit in purgatorio, vel in inferno, proindè tametsi dubitet de illius statu, adhuc potest preces fundere pro defuncto illo, præterea non potest dubitare de promissione DEI, quòd sit exauditurus nostras orationes, si debitò modò aliquid à DEO petamus, & aliunde nihil obstet, neque potest quis dubitare de veracitate, & fidelitate in suis promissis, quia utrumque fuit revelatum à Deo, prius *Joan. 16. 23. Amen, amen, dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*, & posterius *ad Hebræ. 10. v. 24. Fidelis est, qui repromisit*: qui autem orat pro defuncto, de neutro dubitat, sed utrumque ut revelatum firmiter credit, potest tamen dubitare, an ipsemet debitò modò oret, vel an revera defunctus ille sit in purgatorio, quia neutrum est specialiter oranti revelatum, consequenter potest orare pro defuncto illo, unde potest dubitare etiam, an sit impetraturus, quod petit pro se, & etiam pro alio, in quo statu sit ille alter, pro quo aliquid petit, quia hæc non sunt specialiter revelata: Qui enim orat, potest salva fide dubitare, an sit impetraturus, quod petit pro se, quia tametsi de fide sit, hæc promissio à DEO facta, *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, non tamen est promissio absoluta, sed tantùm sub duplici conditione, quorum una est, quod dabit vobis si piè ac perseveranter petieritis. *Luc. 11. v. 8.* & altera dabit vobis si expedierit, & nos persæpe dubitamus, an expediat nec ne, etenim etiam D. Paulus ter Dominum rogavit, ut auferatur ab eo stimulus carnis, seu ne tentationes experiretur, quod absque dubio existimabat expedire, ut ab illo periculo liberaretur, & nihilominus non expediebat, proinde licet petierit, non tamen obtinuit, ut ipse testatur *2. Corinth. 12. v. 7. Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis mei, Angelus Sathanæ qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me. Et dixit mihi, sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Hinc D. Augustinus Tractat. 7. in Joann. ait: *Novit DEus, quid nobis expediat. Id agamus tantùm, ut cor nostrum sanum sit à peccatis. Et quando flagellamur forte incorpore, ipsum deprecemur. Rogavit eum Paulus Apostolus, ut auferret ab eo stimulum carnis, & noluit auferre. Nunquid perturbatus est? & nunquid contristatus dixit se desertum? magis dixit se non desertum, quia non ablatum est, quod volebat auferri, ut illa infirmitas sanaretur.* Rursus potest etiam quis salva fide dubitare, an impetraturus sit, quod petit pro alio: quia persæpe fit, ut alius, pro quo aliquid petimus, indignus sit propter sua peccata, ut notat *D. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 7. ad 1.* ubi ait: *Contingit quandoque, quod oratio pro alio fusa non impetrat, etiamsi fiat piè, & perseveranter propter impedimentum, quod est ex parte ejus, pro quo oratur*, quia alius sæpè ponit impedimentum, quo tali beneficio se indignum constituit; hinc ait DEus *Jerem. cap. 7. v. 16. Tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te*, & addens causam subdit: *Quia libant Diis alienis, & ad iracundiam me provocant.* Hinc Christus, quamvis oraverit pro omnibus crucifigentibus se, *Luc. 23. v. 34. Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt*; & pariter D. Stephanus Protomartyr rogavit pro omnibus lapidantibus se, *Actor. 7. v. 59. Domine, ne statuas illis hoc peccatum*, & nihilominus neuter pro omnibus impetravit, quia propter superbiam, & cordis duritiem non erant digni. Præterea potest quis salva fide dubitare de statu alterius, pro quo orat: siquidem potest dubitare, an dignus vel indignus sit, justus vel impius, in cœlo sit, vel detrusus in carcerem gehennalem; hæc enim omnia non cadant sub fidem, nec enim Stephanus, quando oravit pro lapidantibus, sciebat, in quo

quo ſtatu eſſet, quisque illorum: ſcilicet an ex eorum numero, quibus ad ſalutem profutura eſſet oratio, ſicut profuit Saulo, an ex numero aliorum, quibus non eſſet profutura, ut erant plerique Phariſæi, & nihilominus pro omnibus ſine ulla exceptione oravit: *Ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Rurſus Apoſtolus Paulus, dum vinctus detineretur Romæ, ſcribebat Epheſiis, & Coloſſenſibus, ut inſtanter, & omni tempore pro ipſo orarent, ad Epheſ. 6. 19. & ad Col. 4. v. 3. Et nulli eſt dubium, quin uterque populus enixè DEum oraverit pro ſalute Pauli, quamvis id præſtiterint pro abſente, de cujus ſtatu minimè certi eſſe poterant, ſcilicet num adhuc Romæ vinctus detineretur, an capite jam diminutus eſſet, & tamen non obſtante hoc dubio orabant ex fide, idque contingit ſingulis diebus, quando oramus pro abſentibus, quorum ſtatus minimè innoteſcit orantibus, & tamen orantes non putant ſe peccare, quaſi non orent ex fide, quia oratio ſemper dirigitur ad DEum prout is, pro quo oratur, indiget. Quod ſi non indigeat, non ideo fruſtranea eſt oratio, ſed in utilitatem refunditur orantis.

Neque tertium principium, cui innituntur Sectarii, firmum eſt, eò quia preces fundimus pro defunctis, quorum ſtatum ignoramus; hoc enim principium ſi abſolutè proferatur, ſtatim corruit; Siquidem dupliciter poſſumus orare pro defunctis: Primò generatim pro iis omnibus, qui flammis expiantur purgatoriis, quicunque illi ſint, quo pacto non ignoramus ſtatum eorum, pro quibus noſtras fundimus preces, quia ſemper plures ſunt qui purgatorio igne expiantur, qui virtutibus fulciuntur Theologicis, fide, ſpe, charitate, & ſcimus eos eſſe in ſtatu gratiæ, ac utiliter nos pro ipſis orare, imò notum eſt nobis eos futuros hæredes æternæ vitæ, & antéquam cœleſtem adeant hæreditatem, quod debeant aliquid à mundatorio igne pati, quod per noſtras preces minui poteſt, ac remitti, & ipſos defunctos per ſuffragia juvari, ut citiùs ab illis cruciatibus liberentur, hinc tutius, & utilius pro defunctis dicimur preces fundere. Secundò poteſt quis ſpeciatim orare etiam pro aliquo defuncto in particulari, ut pro Patre, matre, & amico, & tunc verum eſt, orantem ut plurimum ignorare ſtatum illius, pro quo orat, eò quia neſcit, an Pater, vel alius, pro quo orat, detineatur in purgatorio vel alibi, nihilominùs orat utiliter; quia non requiritur in orante, ut ſciat ſtatum illius, pro quo orat, ut jam oſtendimus; nam poteſt conditionatè orare, & offerre DEO, quas fundit preces pro tali ſpeciali defuncto, ſi indiget. Neque inutiliter orat, tametſi nihil impetret illi, pro quo orat, quia ejus oratio nec vacua eſt, nec infructuoſa, quia ſemper prodeſt ipſi oranti, juxta illud Davidis Pſal. 24. v. 13. *Oratio mea in ſinu meo convertetur*; ſcilicet quamvis non profit aliis, pro quibus oravi, eò quia digni non eſſent, non tamen fruſtratus ſum mea mercede, ut explicat D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 7. *ad* 2. etenim oratio ab homine juſto fuſa præter conſolationem ſpiritualem, quam menti ingerit orantis triplicem habet efficaciam. Unam merendi, quatenus procedit ex charitate, alteram ſatisfaciendi, quatenus eſt pœnalis, & tertiam impetrandi quatenus eſt petitio, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 15. & *in ſupplemento quæſt.* 15. *art.* 1. & prima vis & efficacia eſt communis illi, cum quolibet opere bono, quod procedit ex charitate: ſiquidem omne opus bonum hominis juſti in hac vita, quod elicitur à charitate, meritorium eſt, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 15. perinde ac e converſo. quod procedit ab homine deſtituto charitate, licet opus illud bonum, & honeſtum, non tamen eſt meritorium, quia, ut ajebat Apoſtolus 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut Symbolum tinniens, & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Secunda vis eſt illi communis, cum quovis opere pœnali, quia omne opus hominis juſti, quod in executione aliquam pœnam, vel moleſtiam adfert operanti, ſatisfactorium eſt pro pœna temporali peccatis debita, qua ratione moris eſt in Eccleſia, ut Sacerdotes audientes Sacramentales confeſſiones, injungant pœnitentibus pro ſatisfactione opus aliquod laborioſum, ut jejunium flagellationem corporis, preces fundendas, & ſimilia pietatis exercitia, quia ſicut per confeſſionem, & abſolutionem remittuntur, & delentur peccata quoad culpam, ita per opera pœnalia tolluntur quoad reatum pœnæ, quorum utrumque fit ex meritis Chriſti, quæ nobis per hujusmodi media applicantur. Tertia tandem efficacia eſt illi propria, quia ſicut jejunium præter communem vim merendi, & ſatisfaciendi eſt proprium corpus macerare, illudque Spiritui ſubjicere, ſicut etiam proprium eſt eleemoſynæ alienæ miſeriæ opitulari, ita proprium eſt orationi, ſemper aliquid impetrare, vel in beneficium illius, pro quo preces funduntur, vel in beneficium ipſius orationis.

Sed objiciunt Sectarii, eatenus preces, quas fundimus, pro defunctis illis prodeſſent, quatenus pœnas quas ſuſtinent minuerent, ac mitigarent: atqui has pœnas non poſſunt minuere, quia ſi defuncti in gehennali ſint detruſi carcere, non poſſunt per noſtras preces, & ſuffragia juvari, ſin verò non ſint in gehenna non indigent noſtris precibus, & ſuffragiis, eò quia cum iisdem fuerint remiſſa peccata quoad culpam, utique fuerunt etiam condonata quoad reatum pœnæ; nam non remittitur culpa, quin etiam remittatur pœna, & ideo in damnatis non remittitur pœna, quia culpa non fuit condonata. Sed contra primò falſum eſt, quòd remiſſa culpa ſemper remittatur pœna temporalis: tametſi remiſſa culpa lethali remittatur ſemper pœna æterna, non tamen remittitur pœna temporalis, quapropter ſatisfaciendum eſt divinæ juſtitiæ, virtute meritorum, & ſatisfactionis Chriſti. Ad id enim tenemur ob peccatum Protoparentis, quod Chriſtus, ut ſcribit Apoſtolus ad Col. 2. *delens, quod adverſus nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci*, nihilominus adhuc ſuperfuit plaga tumens, ut jam minatus eſt DEus ad Evam, Geneſ. 3. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos in dolore paries filios*, eſtque pœna temporalis, quam ob peccatum ipſi condonatum, pati debuit: neque eadem caruit Adam, cui dixit DEus: *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ, in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec revertaris de terra, de qua ſumptus eſt.* Quamvis igitur condonato peccato lethali remittatur pœna æterna, non tamen ſemper remittitur pœna temporalis ut pluribus exemplis deſum-

desumptis ex Sacra Scriptura constat, etenim Numer. 12. *Locuta est Maria, & Aaron contra Moysen propter uxorem ejus Æthiopissam*, graviter deliquerunt, sed Moyses preces pro illis fundit, & DEus iisdem peccatum condonat; sed sibi reservat pœnam in die ultionis, eò quòd in terram promissam non fuerint ingressi. Deliquit populus contra Moysem, & Aaron, sed quamvis DEus eidem indulserit, remiseritque peccatum, servavit tamen sibi pœnam, eò quia nemo ex iisdem fuerit terram promissam ingressus. Numer. 14. *Locutúsque est Dominus ad Moysem, & Aaron dicens: Usque quo multitudo hæc pessima murmurat contra me querelas filiorum Israel? Dic ergo eis vivo ego, ait Dominus, sicuti locuti estis, audite me, sic faciam vobis. In solitudine hac jacebunt cadavera vestra.* Peccavit David, & puer qui natus est ex adulterio, mortuus est, quamvis oràsset Pater, cui peccatum erat condonatum, tamen plures alias debuit calamitates tolerare, 2. Reg. 12. *Ecce, ego suscitabo super te malum de domo tua, ecce, tollam uxores tuas in occulis tuis, & dabo proximo tuo.* Rursus Daniel dixit ad Regem cap. 4. *Quamobrem, Rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Neque de culpa id potest intelligi, quia hæc absque contritione non remittitur, his qui ad usum pervenerunt rationis, & D. Paulus tametsi sciret sibi condonata fuisse peccata, & esse electum in vas electionis, adhuc ut divinæ satisfaceret justitiæ, pœnitentiam egit. 1. Corinth. cap. 9. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Contra secundò; nam Sancti Patres etiam inculcàrunt pœnitentiam, ut divinæ satisfiat justitiæ post condonata peccata quoad culpam sic ex patribus Græcis Origenes in Exod. homil. 6. ait: *Misericors, & miserator Dominus: & creaturæ suæ non vult mortem, sed ut convertatur, & vivat, pœnitendo, flendo, satisfaciendo deleat, quod admissum est, dicit enim Propheta, quia si conversus ingemueris, tunc salvus eris.* D. Basilius homil. 14. Quæ est contra ebrietates, & luxum, ait: *Medicina magna delicta sedabit; jejunium ebrietatem curet; Psalmus cantus tristes sonet, lachryma risum coërceat; pro saltatione genua DEO flectantur; pro tripudiis pectus DEO pulsetur, pro vestium sumptu, & ornatu humilitas, in omnibus vero eleemosyna peccata diluat. Redemptio animæ, viri divitiæ in societatem, communionemq; orandi DEum plures admittite eorum, qui tribulati sunt, si quo pacto tibi malitia culpæ remittatur.* Et de ritu, quo in Ecclesia Romana per pœnitentiam consueverunt fideles divinæ satisfacere justitiæ, ait Sozomenus Eccles. histor. lib. 1. cap. 16. *Privatim deinde sponte sua quisque vel jejuniis, vel lotionum, ciborúmque abstinentia, vel aliis, quibus est semetipsum affligens, tempus expectat, in quantum Episcopus constituit: elapso demum ac præfinito die pœna jam quasi debito quopiam exoluta à peccatis absolvitur, & populo in Ecclesia conjungitur. Hæc Romani Sacerdotes ab ipso inde exordio etiam ad nostram usque memoriam custodiunt.* Inter Patres Latinos Cyprianus lib. de lapsis ante fin. ait: *Confiteantur singuli quasi delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti ejus confessio potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est*, postea subjungit, *agite pœnitentiam plenam, dolentis, & lachrymantis, & lamentantis animi probate mœstitiam.* D. Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 16. ait: *Cognovi quosdam in pœnitentia sulcasse vultum lachrymis, exaràsse continuis fletibus genas, stravisse corpus suum calcandum omnibus, jejunio ore semper, & pallido, mortis speciem spiranti in corpore prætulisse.* D. Hieronymus Epist. 22. ad Eustoch. de custodia virginit. ait: *O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum Monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis, sedebam solus, quia amaritudine repletus eram: horrebant sacco membra deformia, & squallida, cutis situm Æthyopicæ carnis obduxerat, quotidie lachryma, quotidie gemitus; & si quando somnus imminens oppressisset nuda humo vix ossa hærentia collígebam.* Et S. Augustinus homil. ult. inter 50. ait: *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfaciam DEO per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitus per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleemosynis: Beati enim misericordes, quoniam ipsorum miserebitur DEus; non enim dictum est, ut tantùm abstineant à peccatis, sed de præteritis inquit deprecare Dominum, ut tibi dimittantur*, & communiter Sancti Patres hortantur fideles, ut tametsi confessi fuerint peccata sua, quamvis absoluti à Sacerdote, adhuc pœnitentiam agant, & reatum pœnæ ipsi solvant, deleántque, eò quia tametsi peccata fuerint nobis condonata quoad culpam, remanet tamen reatus pœnæ, pro quo si non satisfecerimus divinæ justitiæ in hac mortali vita, tenebimur in alia pœnas luere temporales, sed non in inferno; quia ibi pœnæ æternæ sunt, non temporales. Neque in cœlesti Patria, quia ibi beati nulla sunt pœna affligendi, unde superest, ut has pœnas luant in loco medio, quem purgatorium vocamus.

CAP. X.

# CAPUT X.

## De ſatisfactione applicabili per indulgentias, & quid ſit Indulgentia.

DIximus in præcedentibus condonatâ culpâ non ſemper pœnam remitti, quæ luenda ſupereſt; ſed dupliciter poteſt hæc pœna remitti. Primò per propriam ſatisfactionem vel ſatispaſſionem ipſius peccatoris. Secundò beneficio indulgentiæ ad id conceſſæ, ut fidelibus, qui eam lucrantur, remittatur pœna temporalis adhuc debita ob peccata per claves Eccleſiæ jam remiſſa. Certum eſt enim poſt condonatam culpam perſæpe remanere reatum pœnæ temporalis, qui extinguitur, vel per propriam ſatisfactionem peccatoris, vel per conceſſam eidem peccatori indulgentiam. Tametſi vox iſta indulgentia juxta proprietatem Latini idiomatis uſurpetur pro quadam laxæ licentia, & facili permiſſione impunè agendi contra jus: interdum tamen ſignificat honeſtam, & moderatam alicujus pœnæ, vel debiti remiſſionem conceſſam ex ſola vel liberalitate, vel miſericordia; quinimò Cicero *lib. de officiis* vocavit etiam indulgentiam naturalem amorem parentum erga filios, & *lib. de legibus* mutuam amicitiam, quam homines inter ſe fovent ad humanam promovendam ſocietatem, etiam explicavit per hanc vocem indulgentiam. Verùm ex inolita conſuetudine indulgentia dici ſolet quælibet gratia, ac liberalis conceſſio, vel debiti alicujus remiſſio; ut hanc vocem uſurpavit Cyprianus *lib. de lapſis*, imò ſubinde etiam ſignificat ipſum jus, ſi contineat benignam aliquam conceſſionem, ſeu moderationem. An verò inſit Eccleſiæ hæc poteſtas concedendi fidelibus indulgentias peccatorum, ſeu remittendi alicui pœnam temporalem debitam pro peccato condonato in Sacramento pœnitentiæ abſque propria ſatisfactione illius, cui remittitur hic reatus pœnæ temporalis.

Dicendum eſt, hanc poteſtatem concedendi indulgentias, per quas remittuntur fidelibus pœnæ debitæ apud DEum pro peccatis condonatis in Sacramentali confeſſione ineſſe Eccleſiæ, & hanc poteſtatem accepiſſe Eccleſiam à Chriſto Domino; idque eſſe de fide, ut colligitur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 21. cap. 9. de reform. Ubi vocat indulgentias cœleſtes theſauros, & ſeſſ. 25. in decreto de indulgentiis expreſsè ait: *Cum poteſtas conferendi indulgentias à Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit*, poſtea anathemate eos ferit, qui auſi fuerint aſſerere indulgentias inutiles eſſe, vel negare ineſſe Eccleſiæ hanc poteſtatem eas concedendi, & evinci ſolet hæc poteſtas in Eccleſia ex illo Scripturæ textu, quo Chriſtus promiſit D. Petro Claves Regni cœlorum; declarans enim hanc poteſtatem clavium, & efficaciæ vim ſubdit Matth. 16. *Et quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum, & in cœlis, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis*: intelligitur communiter textus de poteſtate remittendi pœnas temporales beneficio indulgentiarum; ſunt enim verba generalia, per quæ Chriſtus promittit D. Petro primatum univerſalis Eccleſiæ, proinde ſignificant quandam ſupernaturalem poteſtatem promiſſam D. Petro, propterea hæc poteſtas complectitur etiam actum concedendi indulgentias, ſeu remiſſiones pœnarum temporalium, quæ debentur pro peccatis condonatis in Sacramentali confeſſione beneficio abſolutionis: alioquin ſi poteſtas à Chriſto tradita Eccleſiæ, & Petro hunc actum non comprehenderet, non eſſet poteſtas univerſalis in ordine ad regimen Eccleſiæ, ad quod pertinet, ut Rector poſſit interdum pœnas has temporales remittere. Quod verò hæc poteſtas à Chriſto tradita D. Petro fuerit univerſalis, liquet ex contextu, quod etiam fuerit ſupernaturalis, liquet ex fine, fuit enim poteſtas claudendi, vel aperiendi januas regni cœlorũ, qui actus ſignificatur per verba ligandi & ſolvendi; effectus itidem hujus poteſtatis excedunt vires cujusvis poitentiæ naturalis, proinde ſupponunt, poteſtatem eſſe ſupernaturalem; quia cum non poſſit potentia excedi à ſuo effectu, ſic hic fuerit ſupernaturalis, talis erit etiam ejus potentia, à qua dimanat.

Quod ſi inficiantur Sectarii, negantes indulgentias, hanc poteſtatem includi in illa ligandi, atque ſolvendi. Sed contra, quia Chriſtus illam poteſtatem non limitavit; non enim dixit, quemcunque ſolveris à peccatis, vel cenſuris: *Sed quodcunque ſolveris*, ſignando in neutro genere *quodcunque* ſcilicet *Vinculum*, ac impedimentum, quod niſi tollatur, non poteſt quis regnum cœlorum ingredi. Sed inſtant, quia Chriſtus per verba illa Matth. 6. non dedit hanc poteſtatem D. Petro, ſed tantùm eam illi promiſit: non enim dicit de præſenti, tibi do; ſed tibi dabo, de futuro. Sed contra, quia Chriſtus Matth. 16. tantùm prædixit, quid eſſet poſtea facturus, cum *Joan. 2. c.* dixit de præſenti: *Paſce oves meas*, in verbo paſcendi includitur tota poteſtas, quæ ad rectum regimen requiritur, ſcilicet poteſtas ſolvendi à vinculis, & impedimentis, ac ligandi. Ratio eſt, quia hæc poteſtas non fuerat à Chriſto Matth. 16. promiſſa Petro in propria ſpecie, ſeu in particulari; ſed ſub poteſtate univerſali aperiendi, claudendi, ligandi, quando ei promiſit claves, proinde hæc promiſſio tunc impleta fuit, quando Joan. 21. dixit Petro: *Paſce oves meas*; quia verbum paſcendi includit omnem actum jurisdictionis, qui conferre poteſt ad claudendum, vel aperiendum regnum cœlorum; ſed remiſſio reatûs pœnæ eſt unus ex iis actibus, quibus aperitur regnum cœlorum; ergo hic actus debet comprehendi ſub illa univerſali poteſtate paſcendi Dominicum gregem.

Replicant, verbum paſcendi non ſignificare poteſtatem concedendi indulgentias, ac remittendi reatum pœnæ temporalis; ſed tantùm facultatem ſpiritualiter paſcendi, ſeu inſtruendi Dominicum gregem. Contra eſt, quia verbum paſcendi indefinitè ſumptum ſignificat habere officium Paſtoris, & curam Dominici Gregis, ut bene, ſe habeat; ſed ad hanc facultatem gerendi hanc curam pertinet etiam poteſtas remittendi reatum pœnæ temporalis per indulgentias: ſiquidem fideles per has indulgentias melius ſe habent in ordine ad aſſecutionem finis ſupernaturalis; per hoc tollitur enim impedimentum, quò citius perveniatur ad cæleſtem gloriam. Tum quia privilegia Principum debent ampliſſimè interpretari, quantum verba principum & finis conceſſionis patitur juxta regulam rectæ rationis, ut

conſtat

constat ex utroque jure, & liquet *in cap. quamvis de Prabend. in 6. ex lib. Benef. de constit. principi* unde cum eadem amplitudine debemus nos interpretari privilegium à Christo concessum Petro pascendi suum gregem: cui enim conceditur grex, datur facultas ea omnia agendi, ac disponendi, quæ eidem gregi possunt esse utilitati, & commodo; ut in præsenti est remissio pœnarum temporalium per concessionem indulgentiarum: pertinet enim hæc facultas concedendi indulgentias ad perfectum Ecclesiasticum regimen, ac fidelium gubernationem: quando autem alicui conceditur facultas aliqua; intelligitur hæc concedi cum extensione ad omnia, quæ vel necessaria sunt, vel perquam utilia ad assecutionem finis ejusdem concessæ facultatis, ut docetur *cap. Præterea de offic. deleg. l. 2. ff. de jurisdict. om. jud.* quando igitur Christus Joan. 21. dedit Petro facultatem pascendi suum gregem, seu gubernandi Ecclesiam, non solum illi concessit facultatem docendi, dirigendi, condendi leges, easque dispensandi, abrogandi; verùm etiam ea omnia quæ ad commune bonum animarum pertinent, cujusmodi est concessio indulgentiarum.

Respondent hæretici negantes indulgentias, hanc indulgentiarum concessionem tantùm initium habuisse in Ecclesia temporibus S. Gregorii Magni, qui cœpit his concedere indulgentias, qui stationes Romæ visitarent. Sed contra, quia usus indulgentiarum, quâ remitteretur pœna temporalis post condonatam culpam cœpit exerceri ab ipso Christo qui Joan. 5. v. 14. remittit Paralytico pœnam peccatorum: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Eadem remissio quoad culpam, & pœnam facta itidem à Christo fuit Adulteræ Joan. 8. v. 10. *Vade, jam amplius noli peccare*, ut notavit S. Augustinus tract. 3. in Joan. ubi ait: *Si peccatorum fautor esset, diceret ut ego te condemnabo, unde, & vive, ut vis; de mea liberatione esto secura; ego, quantumcunque peccaveris, te ab omni pœna, etiam gehennæ, & inferni terroribus liberabo; non hæc dixit*, quia voluit Adulteram sibi cavere, ne in ullum laberetur peccatum, si non virtutis amore, saltem timore pœnarum; est enim pœna pedissequa culpæ & frænum peccandi licentiæ coercendæ peridoneum: sed interdum, prout opportunitas exegerit, una cum culpa remittitur etiam pœna; hinc Corinthii instanter rogarunt D. Paulum, ut vellet pœnam remittere injunctam incestuosis, quod in Christi persona concessit 2. Corinth. cap. 2. v. 10. *Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donavi, si quod donavi, propter vos, in persona Christi, ut non circumveniamur à Sathana: non enim ignoramus cogitationes ejus.* Ita tunc locum exponunt Theodoretus, & S. Thomas. Neque possumus dubitare, quin S. Petrus potuisset eximere à morte Ananiam, ejusque conjugem Saphiram concedendo iisdem indulgentiam, quæ procul dubio remisisset pœnam illam temporalis mortis, quæ fuit sequuta ad peccatum Ananiæ. Statim post Apostolos viguit etiam in primitiva illa Ecclesia mos remittendi pœnas temporales post condonatam culpam; Episcopi enim referente Tertulliano ad intercessionem, & preces Martyrum consueverunt per indulgentias reatum pœnæ superstitem culpæ condemnatæ remittere, & has indulgentias Tertullianus vocat pacem lib. ad Maryres cap. 1. inquiens: *Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes à Martyribus in carcere exorare consueverunt*, ut notat Famelius num. 12. hoc idem adstruit Cyprianus lib. 15. cap. 3. ubi admonet Martyres considerare, pro quibus intercedant. Rursus Sæculo III. & IV. plura Concilia Oecumenica, & principalia per concessas indulgentias pœnas, quas pœnitentes debuerant luere remisserunt, juxta Episcoporum judicium, cum antea fuissent statutæ pœnæ respondentes delictis, ut in Nicæna Synodo I. can. 12. ubi habetur: *Licebit Episcopo humanius circa eos aliquid cogitare*, & paulo ante dixerat: *Placuit Synodo, licet indigni sint misericordia, aliquid tamen circa eos humanitatis ostendi.* Rursus in Concilio Angrano can. 5. dicitur: *Statuimus, ut Episcopi modo conversationis examinato potestatem habeant vel utendi clementia, vel plus temporis adjiciendi*; & in Concilio Laodicensi can. 2. *Oportet, ut parvo tempore transacto vacent orationibus & jejuniis, quibus etiam juxta indulgentiam communionem reddi decrevimus.* Et hæ omnes indulgentiæ fuerunt in Ecclesia concessæ ante S. Gregorium Magnum, qui tantùm in sexto Sæculo contulit indulgentias eis, qui visitarent Romæ stationes, ut refert D. Thomas 1. *sententiar. dist. 20. quæst. 1. art. 13. quæstiunc.* Post S. Gregorium septimo, & octavo Sæculo S. Leo Papa concessit indulgentias Germaniæ, & Galliæ, ut scribit Ludgerus Sancto Svviberto in Tom. 2. Surii in vita ejusdem, ubi legitur: *Leo multa alia monasteria, & altaria, & capellas per Alemanniam, & Galliam consecravit, ubique multas indulgentias conferendo*, Sergius Papa sub finem noni Sæculi scilicet anno 884. concessit indulgentias trium annorum, triumque quadragenatum iis, qui Romæ visitarent Ecclesiam S. Martini ad montes in die festivitatis ejusdem; ut apparet in antiquo marmore ad altare ejusdem Ecclesiæ. Neque præfati Pontifices, Gregorius, Leo, & Sergius, indulgentias concessissent, nisi Christus suæ Ecclesiæ hanc potestatem dedisset.

Rursus in Concillio Oecumenico Claramon. coacto anno 1116. Urbanus Papa concessit plenariam indulgentiam his, qui ad recuperandam terram sanctam arma susciperent; & anno 1213. Summus Pontifex Innocentius III. promulgat plenariam indulgentiam pro suppeditatis auxiliis ad recuperandam terram Sanctam; & in Concilio Generali rursus celebrato anno 1215. Romæ in Ecclesia Lateranensi inter alia actum fuit de corrigendo abusu quarundam indulgentiarum, ut refertur in capitulo 1. de pœnit. & remiss. in 6. & in Concilio Generali Constantiensi Martinus V. plenariam etiam concessit indulgentiam, ut habetur sess. 8. Demum etiam Concilium Tridentinum anathematizat negantes usum indulgentiarum; & sess. 25. in decreto de indulgentiis ait: *Cum potestas conferendi indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit; atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit usum; Christiano populo maximè salutarem; & sacrorum Conciliorum authoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit: eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.* Et revera hanc in Ecclesia potestatem comprobatunt miracula, quæ plerisque in locis ubi fideles indulgentias lucrabantur, patrata à Deo fuerunt: quinimo D. Bernardus plura etiam edidit miracula in promulgandis & publicandis indulgentiis concessis à Papa Eugenio

nio illis, qui militarent contra Saracenos pro recuperatione terræ Sanctæ, ut narratur in ejus vita lib. 3. cap. 4. Hinc apparet, quam falso asserant Sectarii morem concedendi indulgentias non fuisse in primitiva Ecclesia, neque antiquitus fuisse in Ecclesia hujusmodi indulgentias concessas, cum à Christo, & Apostolis constet fuisse concessas, & per Pontifices, & Episcopos per subsequentia sæcula ad nostra usque tempora, adeo ut de hac potestate in Ecclesia non possit dubitari; fuit enim hæc potestas concedendi indulgentias à Christo promissa Petro ejusque legitimis successoribus per se, & immediatè Math. 16. & postea data soli Petro, ejusque Successoribus, Joan. 21. cum dixit Petro, *Pasce oves meas*, adeo ut solus summus Pontifex habeat immediatè à Christo & ex divino jure hanc facultatem indulgentias concedendi, eò quia illi soli immediatè data sit hæc potestas, cui fuit immediatè promissa, & cum Matth. 16. fuerit immediatè promissa soli Petro ejusque Successoribus, sequitur hanc facultatem immediatè à Christo concedi summo Pontifici, seu D. Petro & ejus Successoribus: siquidem omnis potestas jurisdictionis ordinariæ, & perpetuo duraturæ in Ecclesia soli Petro fuit immediatè à Christo tradita, & ejus Successoribus, & per summum Pontificem potest aliis communicari, ut habetur in cap. *cum ex eo*, & cap. *nostro de pœnit. & remiss.* ubi Pontifex præscribit modum concedendi indulgentias, quas Episcopi, & ArchiEpiscopi possunt concedere; & posset Pontifex si vellet eandem authoritatem minuere, imò & tollere, si id in bonum cederet Ecclesiæ, & illi soli retinere, cui à Christo fuit immediatè concessa. Neque inde sequitur, hanc potestatem concedendi indulgentias esse in Episcopis delegatam: siquidem non omnis potestas concessa ab homine est delegata, alioquin omnis jurisdictio Episcoporum, ac Parochorum esset delegara, quod est falsum, potestas enim ordinaria est, quæ conceditur ex vi alicujus muneris, cui per se est conjuncta juxta Ecclesiæ institutum: hæc autem facultas concedendi indulgentias est per se conjuncta cum officio Episcopi, consequenter est potestas ordinaria, non delagata.

Hinc potestas concedendi indulgentias pertinet formaliter ad potestatem jurisdictionis, non verò ordinis, ut cum D. Thoma in 4. dist. 2. quæst. 1. Quod non pertineat ad potestatem ordinis, est probatu facile, quia ex vi solius potestatis ordinis, nemo intelligitur habere subditos, siquidem simplex sacerdos habet potestatem ordinis, & tamen ex vi ejusdem potestatis non dicitur habere subditos, atqui nemo potest indulgentias concedere nisi suis subditis, ut constat *ex cap. quod autem, de pœnit. & remiss.* unde non pertinet ad potestatem ordinis, sed jurisdictionis, quia sola jurisdictio ordinem dicit ad subditos. Præterea quia hæc potestas concedendi indulgentias potest per se augeri, vel minus, seu restrictionem pati, ut habetur in *cap. cum ex eo. de pœnit. & remiss.* & *cap. Romano. eod. tit. in* 6. & quia potestas ordinis per se non potest resteingi, unde potestas concedendi indulgentias nequit formaliter consistere in potestate ordinis, sed tantùm in potestate jurisdictionis: siquidem potestas concedendi indulgentias propriè est potestas applicandi satisfactiones Christi, & Sanctorum pro pœnis temporalibus relictis ex condonatis peccatis: atqui hæc potestas concedendi & applicandi Christi, & Sanctorum satisfactiones, non exigit potestatem ordinis; si aliquem enim exigeret ordinem, is vel maximè esset sacerdotalis (alii enim inferiores ordines per se non ordinautur ad remittenda peccata) sed tantum administrandum sacerdoti exercenti potestatem in verum Christi Corpus, si igitur non requiritur necessario Ordo sacerdotalis, à fortiori non requiruntur alii inferiores ordines. Tum quia consecratio Episcopalis per se non ordinatur ad remissionem peccatorum, sed ad alia munera exercenda. Præterea quia persæpe Cardinales, non sacerdotes, solent ex commissione summi Pontificis indulgentias concedere, ut etiam alii non Presbyteri, ut etiam ipse summus Pontifex electus, quamvis non fuit antea initiatus sacerdos, nec nondum consecratus. Ratio est, quia hæc potestas sacerdotalis ordinis per se tantum desideratur ad perficiendum Sacramentum Eucharistiæ: sed remissio, quæ fit per indulgentias, non est ullus actus Sacramentalis, sed tantum quædam dispensatio bonorum spiritualium, quæ in Ecclesiastico thesauro asservantur, & hæc dispensatio fit extra Sacramentum, proinde non potest hæc potestas concedendi indulgentias formaliter consistere in potestate ordinis: sed tantùm in potestate jurisdictionis supponentis jus in eos, quibus indulgentiæ conceduntur, ut definivit Alexander III. in *cap. Quod autem. de pœnit. & remiss.* ubi Pontifex definit, indulgentias iis non prodesse, qui non subsunt eas concedentibus. Ratio etiam id suadet, quia nullus ligari potest, vel absolvi à suo non-Judice: & hæc est ratio, cur applicatio indulgentiarum facta pro defunctis dicatur per modum suffragii, quia cum defuncti non sint amplius Viatores, non subjiciuntur summo Pontifici, cujus non sunt amplius subditi, qui propterea non habet jurisdictionem in defunctos, quibus tantum indulgentias applicat non per modum jurisdictionis, sed tantum per modum certæ, & sufficientis solutionis. Prosunt enim indulgentiæ per modum suffragii defunctis, qui emundatorio igne expiantur ad remissionem pœnarum, eò quia decesserunt in statu gratiæ non verò prosunt damnatis in gehenna, quia hi mortui fuerunt in peccato lethali, quibus non prosunt indulgentiæ, quia ex D. Thoma in 3. part. quæst. 27. art. 1. virtute indulgentiarum non remittitur culpa, sed tantum pœna culpæ pedissequa, neque remittitur pœna æterna, quæ supponit peccatum lethale, sed pœna temporalis, quæ adjicienda erat culpæ condemnatæ, ut divinæ satisfieret justitiæ etiam post reconciliationem, idque propter exuberantiam meritorum, seu potiùs satisfactionum Salvatoris nostri, Deiparæ, & Sanctorum omniumque justorum, ex quibus constituitur locupletissimus in ecclesia thesaurus pro conferendis in pios fideles indulgentiis, una enim Christi sanguinis gutta ad delenda omnia peccata sufficit, imo & infinita. Quatuor modis sanguis Christi meruit nobis remissionem culpæ, & ad condonationem etiam pœnæ nobis applicantur. Primo per participationem Sacramentorum ex opere operato, ex quibus pars pœnæ debita peccatis nobis remittitur. Dicitur pars non tota pœna, alioquin sola participatio Sacramenti sufficeret animæ, ad confirmationem plenitudinis gratiarũ, tametsi culpa semper tota remittatur: siquidem non debetur, nisi mediante gratia sanctificante, qua homo denominatur justus, & sanctus, & Sanctitas non possit cohære cum peccatò lethali, sequitur, quod culpa semper tota, & non in parte tantum deleatur: secus pœna licet remittatur cum peccato lethali æterna non ita tamen alia temporalis, quia hæc cohæret in homine justo & cum gratia sanctificante.

Secundo

Secundò remittitur pœna per charitatem, quæ idem posset operari, quod Martyrium, ut ait D. Petrus Epist. 1. cap. 4. v. 9. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, & ut dicitur Cant. cap. 18. v. 8. *Fortis est ut mors dilectio.* Tertio remittitur pœna ex operibus satisfactoriis, quia sicut nos Deum offendimus in bonis fortunæ corporis vel animæ; ita condecens est, ut eleemosynis, jejuniis, orationibus & similibus nos Deum honoremus. Quartò remittitur pœna ex usu indulgentiarum, quia sicut Christi satisfactio regulariter nobis applicatur mediantibus Sacramentis, charitate & operibus pœnalibus, ita etiam extra ordinem de eadem satisfactione participamus ab eo, qui potestatem habet dispensandi indulgentias ex thesauris, quos Christus suæ reliquit Ecclesiæ. Remittuntur tamen tantum pœnæ temporales per indulgentias, non verò pœna æterna, quia hæc à culpa lethali provenit, & supponit peccatorem non reconciliatum Deo; & quamvis interdum publicentur indulgentiæ à culpa, & pœna, intelliguntur tamen, quod tunc temporis conferatur potestas confessoriis approbatis absolvendi pœnitentes à censuris Ecclesiasticis, & ab omni casu reservato absque exceptione, vel quod intelligatur de pœna culpæ remissæ, seu condonatæ per Sacramentalem confessionem.

Posset tamen opponi contra superiùs dicta, potestatem concedendi indulgentias non se tenere ex parte jurisdictionis: siquidem actus jurisdictionis possunt exerceri in subditos invitos, ac repugnantes: siquidem superior potest semper uti suo jure: atqui indulgentiæ non possunt dari invitis, vel renitentibus, consequenter non sunt actus jurisdictionis, cum hæc exerceatur etiam in invitos. Sed contra distinguitur major: aliqui actus jurisdictionis possunt exerceri in invitos, conceditur; omnes, negatur major, & concessa minore, negatur consequentia, non enim omnis actus jurisdictionis potest exerceri in invitos: siquidem absolutio Sacramentalis est verus actus jurisdictionis, & tamen non potest conferri invito, unde non omnis actus jurisdictionis potest in invitum exerceri, sed tantùm ille, qui nullum requirit consensum in eo, in quem est exercendus, applicatio autem indulgentiarum exigit aliquem consensum ex parte illius, cui applicantur indulgentiæ, quia hæc applicatio datur ut pastus, quo Pontifex suas potest oves pascere: pastus est actus voluntatis: non enim pascitur, nisi qui vult: ergo concessio indulgentiarum licèt non posset in invitos exerceri, adhuc est actus jurisdictionis.

Sed instant, quia si concessio indulgentiarum esset actus jurisdictionis, non posset Pontifex sibi applicare indulgentias, quia nemo potest jurisdictionem in se ipsum exercere, alioquin sibi subjiceretur, esset se ipso major, & minor, quod est contradictorium: sed potest Pontifex indulgentias sibi applicare, alioquin esset deterioris conditionis quàm sint cæteri fideles, quibus potest indulgentias applicare, ergo non videtur hæc concessio indulgentiarum esse actus jurisdictionis. Sed contra negatur sequela majoris, ad cujus probationem respondetur, quod tametsi nemo possit in se ipsum secundum eandem rationem consideratam exercere jurisdictionem: potest nihilominus secundum diversos respectus eam in se ipsum exercere; si enim consideretur Pontifex ut Pastor, & caput Ecclesiæ, cui à Christo data est facultas dispensandi thesauros Ecclesiæ, tunc secundum hanc rationem non potest; si vero consideretur Pontifex, ut simul est privata persona & membrum Ecclesiæ, tunc potest sibi ut privatæ personæ contentæ sub corpore Ecclesiæ, sibi concedere indulgentias, sed hoc non est in se ipsum directè, & immediatè exercere jurisdictionem, sed tantùm mediatè, & indirectè, quatenus servatis conditionibus pro acquirendis indulgentiis etiam ipse Pontifex consideratus ut persona privata, & qua talis ut membrum Ecclesiæ illas participat: Quamvis ut Pontifex non habeat supra se jurisdictionem coercitivam: quia tamen ut caput Ecclesiæ habet potestatem pascendi Christi oves, & ipse ut privata persona sit etiam ovis Christi, potest & ipse, hunc pastum participare, ut membrum Dominici ovilis nullam exercendo in se jurisdictionem coercitivam, sed tantum indultivam. Hinc Episcopi extra propriam diœcesim non possunt indulgentias concedere ex *cap. nostro de pœnit. & remiss.* siquidem extra propriam diœcesim nequeunt jurisdictionen. exercere. ArchiEpiscopus autem toti Provinciæ potest indulgentias concedere *ex cap. nostro*, quia potest esse ordinarius Judex totius Provinciæ, hinc summus Pontifex quamvis non possit in se ipsum exercere actum jurisdictionis coercitivæ, potest tamen actum jurisdictionis benefactivæ, seu favorabilis sub diversis rationibus. Hinc summus Pontifex ut Christi Vicarius est caput Ecclesiæ non exercet actum jurisdictionis in se ipsum, sed tantum ut est privata persona, & tunc non exercet jurisdictionem coercitivam, sed tantum benefactivam. Hinc potest indulgentia definiri actus spiritualis jurisdictionis, quo peccator in foro Dei liberatur à reatu pœnæ temporalis extra Sacramentum.

Quòd si petas, an hæc concessio indulgentiæ sit absolutio, vel solutio, videtur esse aliqua difficultas, potest tamen hæc concessio dupliciter fieri. Primo ut Pontifex veluti dispensator Ecclesiastici thesauri solvat pro aliquo debitore applicando partem aliquam ejusdem thesauri ad hunc effectum necessariam. Secundo taliter, ut non solum hoc præstet, verum etiam ut Judex absolvat debitorem. Sed vel indulgentiæ conceduntur pro vivis, & tunc cum communiori sententia dicendum est, talem concessionem esse simul solutionem, & absolutionem, quod se habet per modum solutionis, ex eo constat, quia, quando indulgentia conceditur vivis non est pura, & sola condonatio pœnæ; quia revera summus Pontifex tunc de thesauro spirituali Ecclesiæ exhibet, quantum sufficit ad compensandum pro pœna illa temporali, perinde ac si Princeps debitorem aliquem pecuniarum ita absolveret à debito, ut juberet à carcere liberari, & simul solvere ex publico ærario totam illam pecuniam debitam creditori; tunc enim Princeps solveret totum debitum ex communi ærario, simulque debitorem absolveret à debito, quod non teneretur ulterius solvere. Hoc idem præstat summus Pontifex in concessione indulgentiarum pro vivis; solvit enim ex thesauro, & ærario spirituali, cujus habet claves, quantum sufficit ad compensandum pro pœna illa temporali. quæ superfluit ex peccatis in Sacramentali confessione condonatis, quapropter concessio indulgentiæ non est mera absolutio, sed etiam vera solutio; quia non solum absolvitur debitor ab onere solvendi debitum, verum etiam Pontifex ipse solvit in thesauro Ecclesiæ, quantum sufficit ad com-

compensandum pro debito. Rursus hunc actum non esse meram solutionem, ex eo etiam liquet, quia alioquin posset homo privatus concedere indulgentias applicando proprias satisfactiones alteri, & solvendo pro illo, quod absurdum est, siquidem humo privatus ita solvit, ut ipse non absolvat. Præterea quia actus concedendi indulgentias exigit potestatem jurisdictionis in subditos, consequenter non est mera solutio, quia ad hanc non requiritur ulla jurisdictio. Quamobrem Pontifex quando indulgentias concedit, simul debitum solvit, & simul absolvit ab onere iterum solvendi. Secus respectu defunctorum, se habet per modum solius solutionis, & non absolutionis, quia Pontifex tunc nullam habet jurisdictionem in defunctos, in quos propterea nequit exercere actus jurisdictionis, quia hic actus supponitur exerceri in subditos, & cum defuncti non sint amplius subditi Pontificis, non potest hic in illos exercere actum jurisdictionis, sed tantum sufficientis, & certæ solutionis, quod perinde est, ac concedere, indulgentiam per modum suffragii, quatenus Pontifex ex thesauro Ecclesiæ spirituali, cujus ipse claves sibi à Christo concreditas tenet ex meritis Christi Deiparæ, & Sanctorum, tantum applicat, solvitque quantùm pro toto pœna extinguenda, quam defunctus teneretur luere.

# CAPUT XI.

## De Effectibus Indulgentiarum.

INdulgentiam etiam plenariam non posse per se conferri ad remissionem lethalis culpæ docent omnes Theologi, licet nonnunquam concomitanter secum aliud adferat, quod faciliorem sternit viam ad remissionem obtinendam ejusdem peccati mortiferi; quia subinde cum indulgentia conceditur facultas absolvendi à peccatis reservatis, vel à censuris, vel ad commutanda vota, quæ omnia prosunt ad obtinendam peccatorum remissionem. Præterea quia ad obtinendam indulgentiam sæpe exiguntur opera, per quæ remissio obtinetur culparum: sed tunc indulgentia non est per se causa talis remissionis, sed tantum eidem adnectitur facultas, quâ facilius hæc remissio peccatorum obtinetur. Cæterum non posse indulgentiam per se absolvere fideles à peccato lethali, est probatu facilè, quia de facto nulla mortifera culpa remittitur absque infusione gratiæ sanctificantis: sed per indulgentias non infunditur hæc gratia sed tantum remittitur pœna, quæ remanet temporalis ex condonatis peccatis in Sacramento pœnitentiæ, unde per indulgentias non remittitur peccatum lethali. Major est certa de fide definita in Concilio Tridentino cap. 7. ubi definitur, *quod justificatio peccatoris non sit sola peccatorum remissio, sed etiam sanctificatio, ac renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum.* Postea assignans causam formalem nostræ justificationis concludit, hanc esse justitiam nobis inhærentem; hoc enim est participatio divinæ naturæ, & gratia sanctificans, quæ nos sanctos constituit, & participes divinæ naturæ & heredes Regni cœlorum. Minor etiam liquet, quia gratia, qua justificamur, & à peccato lethali mundamur, per se non infunditur nisi per Sacramenta baptismi, & pœnitentiæ, vel per actum contritionis cum voto ad hæc Sacramenta: dico per se, quia per accidens potest gratia sanctificans infundi etiam per alia Sacramenta. Tum quia si indulgentia per se remitteret culpam lethalem, vel id præstaret mediante aliqua prævia dispositione peccatoris, vel independenter ab hac dispositione: hoc secundum saltem de lege ordinaria non contingit, quia nullum peccatum remitti solet sine propria peccatoris retractatione. Si dicatur primum, contra est, quia vel hæc prævia dispositio est contritio, & hæc quia delet peccatum antecedenter ad indulgentiam illud remitteret: neque dici potest, contritionem remittere peccatum in voto indulgentiæ, quia id adversatur Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. ubi definit: *Peccatorem non justificari in alterius rei voto, quàm pœnitentiæ vel baptismi.* Quod etiam habet sess. 6. cap. 4. Neque hæc prævia dispositio potest esse attritio, quæ virtute indulgentiarum constituat hominem ex attrito contritum, sicut virtute Sacramenti pœnitentiæ, quia Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. definit, attritionem nonnisi ut junctam Sacramento pœnitentiæ posse peccatorem justificari.

Quinimo indulgentiæ neque de lege ordinaria delent peccata venialia: siquidem remissio venialium de lege ordinaria non fit, nisi per infusionem alicujus gratiæ præsupposita aliqua dispositione ex parte subjecti. Hinc per indulgentiam non remittitur nisi pœna relicta ex peccato veniali jam condonato sicut remittitur pœna, quæ remanet ex mortali, itidem in Sacramentali confessione jam condonato, ac remisso. Neque obstat, quod Pontifex interdum in indulgentiis, quas concedit, afferat fideles absolvi à culpa, & pœna, quia per culpam Pontifices intelligunt vel reatum pœnæ, qui est effectus culpæ, vel sumunt indulgentiam non per se solam, sed simul cum opere conjuncto in ipsa concessione indulgentiæ, seu simul cum Sacramentali confessione, quæ ut prævia dispositio solet ad fructum indulgentiæ præscribi, etiam ut conditio necessaria, ut possit quis indulgentiam lucrari: quamobrem indulgentia per se tantum remittit pœnam temporalem relictam à peccatis sive lethalibus, sive venialibus jam condonatis quoad culpam vel per Sacramenta, vel per infusionem gratiæ. Dicitur indulgentia remittere pœnam temporalem, quia pœna æterna debita peccato lethali non remittitur, nisi virtute Sacramenti vel in re, vel in voto, seu per actum contritionis, remissio enim pœnæ æternæ, & ejus commutatio in temporalem, non est effectus indulgentiæ, sed ipsius contritionis vel Sacramenti pœnitentiæ: adeoque ante fructum indulgentiæ supponitur pœna æterna jam remissa, & commutata in temporalem ad quam remittendam tantum applicatur indulgentia: & hæc remissio non solum fit in foro Ecclesiæ, sed etiam in foro Dei, adeo ut Deus non amplius exigat pœnam debitam pro peccato: Ecclesiæ enim inest potestas remittendi hanc pœnam etiam in foro Dei; nam verba, quibus indulgentia conceditur, hoc

hoc idem significant. Præterea quia Conciliũ Tridentinum sess. 25. in decreto de indulgentiis asserit; Indulgentiarum usum populo Christiano plurimum adferre utilitatis, ac esse maximè salutarem: siquidem obligatio illa luendi pœnas relictas ex condonatis peccatis deletur, per subtractionem, materiæ, quatenus Pontifex ex spirituali thesauro Ecclesiæ, cujus habet claves, solvit, quantum sufficit ad compensandum debitum: & posita hac solutione remanet homo liber etiam curam DEO ab illo debito luendi talem pœnam.

An verò per indulgentias, quæ sunt in usu remittatur pœna, quæ solùm correspondet pœnitentiis à Confessario injunctis, an verò etiam pœna, quæ correspondet aliis peccatis, pro quibus non est pœnitentia injuncta, Cajetanus *Opuscul. de indulgentiis cap. 2. & 9.* Petrus Sotto *lect. 2.* & alii opinati fuerunt tantùm remitti pœnam, pro qua fuit pœnitentia injuncta: & nituntur eo fundamento, quia in concessione indulgentiarũ soleant apponi illa verba ex pœnitentiis injunctis, quæ tametsi non semper opponantur, retinetur tamen eorundem sensus, cum Pontifex concedit tot quadragenas, vel tot dies indulgentiæ, quia hi dies, & anni correspondent illis, qui juxta antiquos canones pœnitentiales imponebantur, ac taxabantur ad pœnitentiam agendam; & Cajetanus asserit: Hoc idem etiam esse intelligendum de indulgentia plenaria, quia semper intelligitur in eadem materia, quapropter infert ex indulgentia plus utilitatis, & commodi eum accipere, cui à Confessario graviores fuerunt pœnitentiæ injunctæ, quàm si leviores fuissent impositæ: Hinc dat pœnitenti consilium, ut roget Confessarium gravissimus imponere pœnitentias, ut beneficio indulgentiæ à gravissima ei correspondente pœnæ liberaretur. Alii tamen asserunt effectum indulgentiæ non limitari ad solas pœnitentias à Confessario injunctas in Sacramento pœnitentiæ, seu ad remittendas pœnas respondentes iisdem pœnitentiis, sed ulterius extendi ad pœnas correspondentes aliis peccatis, pro quibus nulla est pænitentia injuncta, & id verum esse, quamvis opponantur expresse verba *illa de pænitentiis injunctis*, eò quia hæc verba non sint restrictiva, sed ampliativa, at dum in concessione indulgentiarum expresse ponuntur verba illa *de injunctis pænitentiis*, tunc per concessas, & susceptas indulgentias remitti pœnam solam correspondentem pœnitentiis à Sacerdote in Sacramentali confessione injunctis. Ratio videtur desumi ex usu indulgentiarum, qui potiori ex parte fuit introductus ob gravissimas pœnitentias, quæ juxta canones pœnitentiales Apostolorum consueverant injungi fidelibus confitentibus primitivæ Ecclesiæ, quos refert Guilelmus Durandus, ut etiam pœnitentias, quæ pro singulis peccatis injungebantur, & à fidelibus resipiscentibus Sancto, ac religioso fervore adimplebantur. Verum quia decursu temporis cœpit fervor ille deficere: cæperunt paulatim Pontifices concedere indulgentias circa injunctas pænitentias remittendo annos, vel dies aliquot ex illis injunctis pro pœnitentia, adeo ut intentio superioris concedentis indulgentias fuerit tunc minuere, vel moderari onus injunctum pœnitentibus, & eò quia illud non nisi difficulter ferre poterant: quamobrem cum finis concessæ indulgentiæ fuerit diminuere pœna, injunctas pœnitentibus, sequitur quòd quoties in concessione indulgentiæ adduntur illa, verba, *de injunctis pænitentiis*, tunc non remittatur alia pœna, quam quæ continetur in pœnitentia injuncta à Sacerdote in Sacramentali confessione, neque valet illa regula, in qua dicitur, cui conceditur plus etiam intelligi concessum minus, quia hæc regula tanùm intelligitur esse vera, quando minus est connexum cum majori, quo pacto qui dispensatus est ad Sacerdotium, intelligitur etiam dispensatus ad ordines inferiores ob connexionem cum Sacerdotio, non autem è contra, qui est dispensatus à voto castitatis ob majus violationis periculum, censetur etiam dispensatus à voto jejunandi diebus Sabbathinis, tametsi hoc sit levius: sed dices, vel hæc remissio intelligitur de pœnitentiis non impletis, vel de omnibus; si primum, sequitur eum esse melioris conditionis, qui neglexit pœnas sibi injunctas implere; si secundum, vel nihil remittitur, cum jam fuerit satisfactum per pœnitentiam, vel debet remitti pœna æqualis aliunde delicta pro aliis peccatis, sed hoc est remittere pœnam distinctam ab illa, quæ injungitur in Sacramento pœnitentiæ à Confessario. Sed contra, quia, ut superiùs diximus, hæc remissio est intelligenda de reatu pœnæ relicto ob peccata, pro quibus pœnitentiæ fuerunt injunctæ, & illæ non sunt impletæ, vel ex oblivione, vel ex negligentia, vel alia ratione.

Quando verò in concessione indulgentiæ non adduntur verba illa de injunctis pœnitentiis, tunc concessio est universalis, ac indifferens ad pœnam etiam pro aliis peccatis debitam. Ratio ex eo petitur, quia superior concedens indulgentiam habet facultatem solvendi de spirituali thesauro Ecclesiæ pro compensatione omnis pœnæ debitæ etiam pro aliis peccatis, quia verba concessionem non limitant, consequenter tunc indulgentia extenditur ad remittendam omnem pœnam etiam pro aliis peccatis debitam. Et firmari hoc solet ex Bonifacio VIII. *in Extravag. Antiquor. de pænit. & remiss.* ibi enim plenariam indulgentiã concedit visitantibus illo anno per dies quindecim Basilicas Sancti Petri, & Pauli; & hanc indulgentiam adeo amplam esse voluit, ut dixerit, se intelligere eam concedere cum omni possibili amplitudine, imò & ægerè tulit, quòd Confessarii eo anno pœnitentias injungerent lucrantibus illud Jubilæum, ut habet Glossa ibi. Tum quia persæpe indulgentiæ conceduntur verbis illis generalissimis, quantum se extendunt, tunc enim remissio extenditur ad omnem pœnam relictam etiam ex aliis peccatis, prout fieri potest. Imò interdum etiam conceduntur indulgentiæ non exigentes ut prævlam dispositionem ipsam Sacramentalem confessionem, ut sunt illæ recitantibus quinquies orationem Dominicam, & salutationem angelicam.

An verò, qui lucratur indulgentiam, liberetur ab onere implendi pœnitentiam sibi injunctam in Sacramentali confessione. Respondetur eum liberari ab obligatione implendi talem pœnitentiam sibi injunctam in vindictam suorum peccatorum in foro judicii Sacramentalis, si tamen fuerit moraliter certus, se fuisse indulgentiam lucratum, alioquin quia semper potest quis esse dubius, consultius semper est, injunctam sibi pœnitentiam in vindictam suorum peccatorum adimplere, tametsi sibi videatur moraliter certus, quòd fuerit indulgentiam lucratus, & ita docet, D. Thomas *in 4. dist. 28. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1.* ubi asserit, esse tunc solum de consilio pœnitentiam implere, idque vel maximè nostris temporibus, ubi, adeo exiguæ injunguntur pœnitentiæ, ut vix videantur pro

pro medicina sufficere. Præterea quia nunquam est pœnitens totaliter certus, quòd fuerit consecutus effectum indulgentiæ. Præterea quia satisfactio injuncta virtute clavium, non solùm ex opere operato remittit pœnam ex peccatis relictam, sed etiam confert gratiam, si in statu adimpleatur gratiæ. Ratio est, quia per indulgentias tollitur obligatio implendi pœnitentiam injunctum in Sacramentali confessione in vindictam peccatorum, quæ pœnitens subjecit clavibus; nemo enim tenetur bis pro eodem debito solvere, si per primam solutionem debitum totaliter extinguitur, siquidem cessante debito, necesse, est cesset & obligatio ad illud solvendum; dicit enim obligatio ordinem ad debitum nondum extinctum, quod si semel fuerit extinctum, cessat obligatio, & cessante uno correlativo cessat etiam aliud: atqui pœnitens per indulgentiam, quam lucratur, liberatur à debito adimplendi pœnitentiam sibi injunctam, quia Pontifex ex thesauro spirituali Ecclesiæ adæquatè solvit, quantum sufficit pro eadem pœna, consequenter pœnitens non tenetur pro eadem iterum solvere per propriam satisfactionem, hinc *in cap. cum ex eo. in fine de pœnitent. & remiss.* Innocentius III. ait: *per indiscretas ac superfluas indulgentias satisfactiones Sacramentales enervari*, hoc autem non contingeret, si per indulgentias non extingueretur obligatio, implendi pœnitentias, quia si remaneret obligatio etiam in ratione medicinæ enervaretur satisfactio, ergo per indulgentiam tollitur obligatio implendi pœnitentiam pro peccatis in Sacramentali confessione injunctam.

Quòd si dicas, non esse licitum mutilare Sacramentum pœnitentiæ; & si per indulgentiam extingueretur obligatio adimplendi pœnitentiam in Sacramentali confessione injunctam, posset Confessarius illam non injungere: sicque mutilaretur à Confessario hoc Sacramentum, cujus pœnitentia est pars; illud enim dicitur, mutilari, cujus pars aliqua tollitur, consequenter non videtur licitum omittere pœnitentiam sibi in Sacramentali confessione injunctam, quamvis pœnitens indulgentiam lucretur. Contra enim distinguitur major, non est licitum mutilare Sacramentum pœnitentiæ quoad partem essentialem, conceditur; quoad partem integralem subdistinguitur, si eadem pars non compensetur per aliud æquivalens, conceditur: si compensetur, negatur: sub eadem distinctione minoris negatur consequentia, quia per consecutionem indulgentiæ pœnitens satisfacit per æquivalens, & solvit pro tota pœna debita peccatis.

Sed dices, ratio cur, qui indulgentiam lucratur, maneat in conscientia liber ab adimplenda pœnitentia sibi injuncta in Sacramentali confessione, est, quia per indulgentiam solvitur debitum pœnæ relictæ ex peccatis in Sacramentali confessione condonatis: atqui hæc ratio non probat lucrantem indulgentiam manere omnino liberum ab adimpletione pœnitentiæ sibi injunctæ: siquidem pœnitentia non solum imponitur ad satisfaciendum pro peccatis anteactis: sed in medicinam præservativam, ac remedium ad præcavendum in futurum, ut fuit definitum *in Tridentino sess.* 14. *cap.* 8. ergo tametsi per assecutionem indulgentiæ cesset obligatio satisfaciendi pro pœna relicta ex peccatis condonatis in Sacramentali confessione, adhuc pœnitentia debet impleri saltem, ex qua ratione fuit injuncta, ut medicina ad præcavendum in futurum. Sed contra, quia quamvis pœnitentia plerumque injungatur etiam, ut medicina ad præcavendum in futurum: Confessarius tamen non potest obligare, nisi quatenus illam imponit in pœnam peccatorum, quæ pœnitens subjecit Ecclesiæ clavibus, sicut Judex sæcularis, quamvis debeat attendere, ut pœna delinquentis talis sit, ut simul sit medicina in futurum, non tamen posset pœnam illam imponere, si pœna fuisset à Principe Reo condonata, & Princeps Reo totam remisisset pœnam, unde Confessarius quamvis sit simul Medicus, & Judex, & ita debeat pœnitentias injungere, quæ simul satisfaciant pro peccatis anteactæ vitæ, & simul sint pœnitenti remedio ad præcavendum in futurum; si tamen pœna aliunde totaliter pœnitenti condonetur, non potest tunc Confessarius adigere pœnitentem ad implendam eandem pœnitentiam, ut medicinam, alioquin contra suppositum non esset totaliter remissa, & condonata. Præterea Confessarius ut fungitur munere Medici, tantùm consulit, quia Medicus ut talis consulit, non obligat. Quod tamen intelligitur de medicina non simpliciter necessaria ad præcavenda peccata futura. Potest itidem pœnitens in aliquibus circumstantiis indigere aliquo remedio ad declinandum peccandi periculum sibi necessario, ut si Confessarius injungeret abstinentiam ab ingressu in talem domum ab invisa puella, cum qua consueverat peccare, vel removere aliam occasionem peccandi; tunc enim, si Confessarius injungeret etiam has pœnitentias medicinales, indulgentia non tolleret obligationem eas adimplendi, quia tunc obligatio non oritur ex præcepto Confessarii, sed ex ipso naturali jure, quo quilibet homo obligatur ad declinandum peccatum futurum, & ad removenda pericula æternæ damnationis, proinde tenetur tunc uti iis mediis, ac remediis, quæ censentur moraliter necessaria ad declinandum peccatum. Neque Confessarius tunc injungendo præfatas pœnitentias ullam novam imponit pœnitenti obligationem, sed tantùm declarat naturalem, quæ eidem inerat.

Ad id, quod asserebatur ex Tridentino, respondetur Concilium in præcitato textu, non dixisse, Sacerdotem posse obligare præcipiendo medicinam, ut talis simpliciter est, sed tantùm monuisse Sacerdotes, ut pœnitentias in Sacramentali judicio injungant, quæ non solùm essent medicinæ ad præcavenda peccata in futurum, verum etiam vindictæ pro præteritis; ait enim Concilium *sess.* 14. *cap.* 8. *Nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed ad ligandum concessas esse, antiqui Patres & credunt, & docent*; & hæc ratio ostendit, Sacerdotes non posse obligare, nisi quatenus injungunt pœnitentiam, ut pœnam, alioquin si ligarent etiam imponentes pœnitentiam ut medicinam, incongruè Concilium moneret, debere Sacerdotes non solùm medicinam, sed etiam pœnam injungere, eò quia etiam habeant potestatem ligandi; hic enim modus loquendi supponit potestatem ligandi, non exerceri à Confessario, quando injungit pœnitentiam, ut medicinam. Præterea quia si præsupposita condonatione pœnæ adhuc Confessarius obligaret ad jejunium per modum medicinæ; vel hoc jejunium injungeretur ut satisfactio Sacramentalis, quæque sit pars Sacramenti, vel non: primum non est dicendum, quia tota pœna injuncta pro satisfactione supponitur condonata, & qui nihil debet

bet pro peccatis non potest obligari ad solvendum: neque is puniri potest à Judice, cui tota pœna est condonata, unde illud jejunium non imponitur, ut satisfactio, consequenter non est pars integralis Sacramenti, neque imponi potest, ut pura medicina, quia pœnitens ex mero præcepto Confessarii non potest obligari ad aliquid, quod, si ponatur, nequeat esse pars integralis Sacramenti pœnitentiæ; Omnes enim docent satisfactionem Sacramentalem, quæ est tertia pars hujus Sacramenti esse illa opera, quæ à Confessario injunguntur pœnitenti.

Neque obstat, si dicas pœnitentem obligari à Confessario ad restituendum ablatum; & tamen restitutio non est pars integralis confessionis, sed aliquid extrinsecum. Sed contra quia nonnisi impropriè dicitur Confessarius obligare pœnitentem ad restitutionem. Propriè enim Confessarius non obligat, sed tantùm declarat obligationem restituendi ablatum independenter à confessione. Sacerdos enim propriè non obligat, nisi ad implendam pœnitentiam, quam injungit pœnitenti, quia hæc impletio pertinet ad partem integralem hujus Sacramenti; & quia positâ indulgentiâ non potest pœnitens obligari ad aliam satisfactionem exhibendam, sequitur nullam ampliùs superesse obligationem ortam à Confessario.

Censent tamen aliqui, obligationem adimplendi pœnitentiam adhuc manere post assecutionem, & lucrum indulgentiæ, idque ratione reverentiæ debitæ Sacramento, & ut ejus ponatur integritas, quia sine adimpletione pœnitentiæ injunctæ non poneretur satisfactio, quæ est pars integralis hujus Sacramenti, quod propterea foret imperfectum, & mutilum. Sed alii respondent, Sacramentum pœnitentiæ exigere hanc integritatẽ satisfactionis, nonnisi ad effectum satisfaciendi pro pœna: unde postquã pœnitens beneficio indulgentiæ assecutus est hunc effectum, non est ampliùs contra reverentiam hujus Sacramenti, quod hæc integritas omittatur. Imò cum judicium hoc sacramentale sit justum, postulat potiùs, ut non exigatur satisfactio ab eo, qui vel debitum jam solverat, vel aliunde remissionem debiti assecutus est.

# CAPUT XII.

## Quinam sint capaces Indulgentiæ.

CErtum est, Beatos in cœlesti Patriâ non esse capaces indulgentiæ; quia nullus in Beatis remanet reatus pœnæ temporalis relictus ex condonatis peccatis; & de ratione indulgentiæ est remittere, consequenter etiam supponere tunc reatum pœnæ temporalis, cujus cùm sint Beati incapaces, sunt etiam indulgentiæ incapaces, cùm careant omni reatu, & non possint peccare. Hâc eadem ratione fuit etiam indulgentiæ incapax B. Virgo Maria, cùm in hac vita mortali viveret, siquidem fuit ab omni labe peccati originalis, & actualis præservata; cùm fuerit semper à quovis peccato libera, & immunis ab omni reatu pœnæ non fuit capax indulgentiæ; quia ubi dari non potest effectus indulgentiæ, ibi nequit indulgentia locum habere: Sed in B. Virgine Maria remissio pœnæ temporalis ex condonatis peccatis personalibus, quæ est effectus indulgentiæ non erat possibilis; ergo neque erat capax indulgentiæ. Neque capaces sunt indulgentiæ damnati, qui detinentur detrusi in gehennali carcere: quia sicut non sunt capaces remissionis culpæ, ita neque censentur capaces remissionis pœnæ. Quamvis plures damnati præter pœnam æterni contractâ ex peccatis remissionis, & non condonatis habeant etiam pœnam temporalem relictam ex peccatis in hac vita condonatis, quia non condignam egerunt pœnitentiam, hæc tamen pœna, quia nectitur cum peccato irremissibili constituitur, & ipsa per accidens irremissibilis, & æterna, cùm in inferno non amplius sit redemptio. Quamobrem non rectè docuerunt aliqui suffragia vivorum prodesse damnatis per modum cujusdam mitigationis, ac remissionis pœnarum, quas infelices illi ac miserimi damnati patiuntur, imò neque capaces sunt indulgentiæ infantes, & alii carentes usu rationis, quia sicut isti proprium non possunt personale peccatum habere, ita neque pœnam relictam ex proprio condonato peccato; neque obstat, quòd infantes contrahant peccatum originale, quia indulgentia non se extendit ad remittendas pœnas contractas ex peccato originali, etenim hæ pœnæ sunt omnes illæ miseriæ, dolores, infirmitates, quibus omnes homines sunt in hac vita obnoxii. Quamobrem difficultas tantùm est, de hominibus utentibus ratione, an isti capaces sint indulgentiæ, & possunt in tres classes dividi, scilicet in viatores baptizatos, viatores non baptizatos, & animas, quæ adhuc expiantur mundatorio igne in purgatorio.

Asserendum est: omnes homines Viatores baptizatos, qui peccata personalia contraxerunt, vel possunt contrahere, sunt capaces indulgentiæ; ratio est, quia in omni proprietate omnes illi baptizati sunt capaces indulgentiæ, qui vel habent pœnam aliquam temporalem relictam ex propriis condonatis peccatis, vel possunt eam habere: sed tales sunt omnes Viatores baptizati, qui vel contraxerunt pœnam aliquam temporalem debitam pro peccatis commissis, vel possunt eam contrahere, quatenus possunt peccare, & illorum peccatorum pœnitere; quia cum pro reatu pœnæ nondum sufficienter satisfecerint, indigent indulgentia, cujus beneficio ipsis remittatur hæc pœna.

Sed dices, possunt in hac vita adeo multiplicari peccata ab aliquo impio baptizato, ut cumulum illum impleant, ad quem cùm peccator pervenerit, non sit amplius capax resipiscendi, consequenter neque indulgentiæ, quia hæc loco pœnitentiæ succedit in satisfactionem pœnæ relictæ ex condonato peccato: ergo falsum est omnes, viatores baptizatos esse capaces indulgentiæ; antecedens docent plures, inter quos Armacanus *lib.* 9. Abulensis in *Exod. cap.* 4. *quæst.* 12. Roffensis *art.* 36. *contra Lutherum.* §. *neutrum.* Catharinus *discept.* 5. Michael Medina *lib.* 3. *de recta in DEum fide cap.* 1. hi omnes censent, quòd peccator possit ad tantam gravitatem, vel multitudinem peccatorum pervenire, ut se constituat indignum divina gratia, sine qua non potest resipiscere; tunc enim, cùm non sit amplius capax veræ pœnitentiæ, nec remissionis peccatorum,

neque

neque capax erit indulgentiæ, cùm hæc sit remissio pœnæ relictæ ob condonata peccata, quia ubi delicta non condonantur, nec pœna potest superstes esse peccatis condonatis, consequenter nec potest remitti per indulgentias; ubi enim culpa non remittitur, ibi nec pœna laxatur. Evincunt hanc assertionem, eò quia DEus in Scripturis dicatur aliquos indurare, repellere, deserere, despicere, excæcare, ingravare, ac in tentationem inducere, & cor in malum convertere, odium excitare, & in reprobum sensum tradere: hæc enim omnia important subtractionem auxilii necessarii ad bene operandum, & defectu cujus dicebantur Judæi non posse in Christum credere, *Joan.* 12. & Apostolus, *ad Thessal.* 2. asserit, *Iram DEI pervenisse super peccatores usque in finem*, quod perinde est, ac peccatores attigisse ultimum illum terminum, ultra quem non possint progredi, & probant etiam authoritate D. Augustini *de natura, & gratia cap.* 67. ubi ait: *Illa est peccati pœna justissima, ut amittat quisque, quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet, id est, autem, si quis sciens rectè non facit, amittat scire quod rectum est; & qui rectum facere, cùm posset, noluit, amittat posse, cùm velit.* Imò Augustino videtur etiam adhærere D. Ambrosius *in cap.* 11. *ad Roman.* ubi ait: *Quidam in pertinacia manentes severitatem sententia non evaserunt in perpetuum curvati*, hoc est, *excæcati, ne de cætero possint veritatis viam aspicere: & qui, cùm intellexisset, credere noluit, id debet consequi, quod vult, ne de cætero posset fidem recipere, & salvari, quam sciens prudensque abnuit.* Præterea quia sicut DEus aliquos confirmat in bonum, ne possint amplius peccare, perinde alios indurat in malum, ne possint amplius resipiscere. Sed contra, negatur absolutè, peccatorem posse tandem pervenire ad tantam gravitatem, vel multitudinem peccatorum, ut si velit mediante divino auxilio, quod non deest, resipiscere non possit: siquidem DEus in hac vita ob quamcunque multitudinem peccatorum nunquam denegat auxilia gratiæ ad salutem necessaria, ut docent communiter Theologi cum D. Thoma, quia DEus, quantum est ex se, vult semper ob propriam bonitatem omnes homines salvos fieri, & ad id illis suppeditat auxilia sufficientia, quibus, si velint, possint salutem consequi: hinc omnes vocat, qui labore in hac vita premuntur, ac peccatorum pondere onerantur. Rursus Christus *Matth.* 9. se declarat, venisse in mundum, ut peccatores ad pœnitentiam vocaret: *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam*, & cùm hæc propositio sit indefinita, æquivalet universali. Christus igitur indefinite omnes vocat peccatores, quamvis gravissimis, ac innumerabilibus peccatis irretitos, ut mediante ejus auxilio resipiscant, & ad ipsum veniant: unde falsum est, peccatores subinde pervenire ad tantam gravitatem, vel multitudinem peccatorum, ut si velint, non possint amplius resipiscere: siquidem hæc sententia adversatur Scripturis, & derogat divinæ bonitati, & est contra Sanctos Patres expressè docentes, in hac vita semper dari locum pœnitentiæ, adeo ut in *cap. Tali. de pœnit. dist.* 3. habeatur, quòd tametsi ad summum quis pervenerit malorum, & inde tamen velit reverti ad virtutis viam, eum suscipit DEus, ac libenter amplectitur in sinu infinitæ suæ bonitatis: alioquin, si daretur in statu viæ peccator, cui non esset amplius possibile juvari per divinum auxilium ad resipiscendum, sequeretur, quòd in tali statu, quamvis adhuc esset viator, non teneretur supernaturaliter credere, sperare, diligere, & resipiscere, consequenter non teneretur hujusmodi præcepta supernaturalia servare, quia sine auxilio supernaturali sunt observatu impossibilia, & hujusmodi auxilium ex facta suppositione esset tali peccatori impossibile: quinimò in tali statu peccator non amplius peccaret: siquidem ad peccandum requiritur libertas, quæ non potest dari, ubi non est potentia ad utrumlibet: sed ubi non est auxilium necessarium ad superandas difficultates occurrentes in evitandis peccatis, ibi non est potentia ad utrumlibet, quia sine auxilio supernaturali non possumus superare gravissimas tentationes, neque actum ullum supernaturalem elicere. Quamobrem peccator in tali statu sine DEI auxilio non esset liber ad resipiscendum, quia careret aliquo principio essentiali ad resipiscendum, seu divina gratia, sine qua non est possibile, ut peccator possit resipiscere: imò neque posset alium actum supernaturalem elicere, quia ad omnes actus supernaturales requiritur semper divina gratia, ut conprincipium necessario requisitum. Imò neque posset ulterius peccare, quia ad peccatum requiritur libertas seu potentia ad utrumlibet, & sicut sine gratia non superantur gravissimæ tentationes, neque peccator potest resistere peccato, ideo in tali statu fieret etiam impeccabilis.

Neque obstat, quod respondet Abulensis *Deuter. cap.* 2. *quæst.* 12. ubi asserit, hujusmodi peccata non esse quidem libera formaliter, bene tamen causaliter, eo quia peccator liberè posuerit causam, ut illa peccata sequerentur. Nam contra est: quia mala, quæ nequeunt prævideri, neque causaliter dici possunt libera: & peccator ignorat, quænam sit multitudo hæc peccatorum, ad quam consequitur subtractio auxilii sufficientis. Neque est par ratio de ebrio, qui potest in ebrietate peccatum committere, quod causaliter sit tale; quia id tantùm contingit, quando ebrius ante ebrietatem prævidet, quòd erit tale peccatum commissurus, quapropter semper dicitur esse peccatum in causa. Rursus ex eo hæc sententia deprehenditur falsa, quia quamdiu homo in hac vita degit, semper est in via ad terminum, consequenter sunt ei debita omnia necessaria ad illum constituendum in via: sed inter alia necessaria recensentur etiam auxilia, quia hæc constituunt hominem potentem assequi terminum, alioquin esset, & non esset in via, esset enim ex suppositione, & non esset, quia non posset amplius tendere in terminum, & illum assequi.

Quòd si dicas hunc peccatorem reverà non esse amplius in via, sed in termino, quia defectu divini auxilii non possit amplius beatitudinẽ assequi. Nam sicut est in via ad pœnam per nova peccata, quæ potest committere, ita debet esse in via ad beatitudinem, quam per auxilia sufficientia & bona opera possit consequi. Si respondeas non semper DEum actu excitare peccatorem ad pœnitentiam, consequenter non esse semper in potestate peccatoris resipiscere, & pœnitere: siquidem hi actus sunt supernaturales, qui non possunt elici sine excitatione divina, quæ est morale principium ex parte intellectus. Contra est, quia ut docet D. Thomas 3. *contra Gentes cap.* 59. Quòd peccator non semper excitetur à divina gratia, id non provenit ex parte DEI nolentis excitare, sed ex parte peccatoris ponentis obicem, ne excitetur à DEO, siquidem DEus semper stat ad ostium, & pulsat per auxilia actualia, & prævenientia, ut intret in animam per gratiam justificantem: sicut in pote-

poteſtate hominis eſt non ponere obicem auxiliis prævenientibus, quibus illuſtratur intellectus, & plerumque inflammatur voluntas ad bonum honeſtum; ita eſt in poteſtate peccatoris à Deo excitari, non quidem poſitivè merendo excitationem, ſed tantum negativè, non apponendo impedimentum ad illam, quod exemplificat D. Thomas 3. *contra Gentes cap.* 159. Quod enim aliquis à ſole non illuminetur, defectus non oritur à ſole non illuminante, ſed ab homine voluntariè oculos claudente: ſimiliter, quod aliquis peccator non illuminetur à divina gratia, id non provenit ex defectu Dei non illuminantis omnem hominem venientem in hunc mundum, ſed defectus oritur ex parte hominis claudentis per peccatum oculos intellectus.

Neque rationes, quibus nititur oppoſita ſententia ſunt magni momenti, etenim, cum Deus in ſcripturis dicitur aliquos indurare, repellere deſerere, deſpicere, excæcare, ingravare, ac in tentationes inducere, & alia id generis, intelliguntur de ſubtractione auxilii effcacis, cujus negatio in homine pluribus irretito peccatis, ac in vitiis radicato conſtituit voluntatem difficilem ad confeſſionem, & quaſi moraliter impotentem, unde ſenſus non eſt, quod peccator obcæcatus, & obduratus, non poſſit abſolutè æternam conſequi ſalutem: ſed quod converſio ſit illi de lege ordinaria longe difficilior, quam alteri, qui tanta non irretitur peccatorum multitudine; hinc D. Proſper *lib.* 1. *de vocatione Gentium cap.* 12. in illam propoſitionem D. Pauli, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, ait: *Quod quia ipſi præſtare ſibi nequeunt, mala conſuetudinis pondere oppreſſi, & diaboli vinculis alligati, neque receptiones ſuas evincere valent, quibus tam pertinaciter inhæſerunt, ut quantum amanda eſt veritas tantum diligant falſitatem.* Neque D. Auguſtinus, & S. Ambroſius locis ſupra citatis de alia loquuntur impotentia, quàm de morali. D. Paulus etiam *ad Theſſal.* 2. loquitur de ira Dei uſque in finem vitæ per ſubtractionem auxilii efficacis. Ad aliud, quod addebatur de confirmatione in gratia, reſpondetur, eſſe diſcrimen, quia per confirmationem in bono non tollitur potentia ad malum, quæ ſalvatur in ſola natura liberi arbitrii, quæ per gratiam confirmantem non tollitur, ſed corroboratur: ſecus per ſubtractionem auxilii ſufficientis, tollitur ipſa potentia ad bonum honeſtum ſupernaturale, quia ſola natura ſine auxilio ſupernaturali nullum poteſt ſupernaturalem actum elicere, nec ſe promovere ad conſecutionem beatitudinis, conſequenter non habet potentiam ad illam, tametſi ſit de ratione hominis viatoris, adeo ut tali potentia deſinat homo eſſe viator, quia non poſſe ad patriam venire, ac beatitudinem conſequi; dicitur enim homo viator, eò quia tendit in patriam, ad quam ſi non poteſt amplius tendere, non eſt amplius viator, quia non movetur ad illam, nec poteſt moveri; licet enim peccatum mortale impediat actu talem tendentiam, non tamen tollit potentiam, quæ ſi beneficio divinæ gratiæ juvetur, poteſt in illam tendere.

Catechumeni tametſi viatores ſint, non tamen ſunt indulgentiæ capaces; ratio eſt, quia nullus poteſt capax eſſe indulgentiæ, qui non ſubjicitur juriſdictioni Eccleſiæ: ſed Catechumenus viator non ſubjicitur juriſdictioni Eccleſiæ, conſequenter non eſt capax indulgentiæ; major liquet ex *cap. Quod autem de pœnit. & remiſſ.* ubi expreſsè definitur, indulgentias non prodeſſe, niſi ſubditis Eccleſiæ, & ratio eſt clara, quia conceſſio indulgentiæ eſt actus juriſdictionis Eccleſiaſticæ, qui actus non exercetur niſi in ſubditos, ad quos juriſdictio tantum dicit ordinem. Minor etiam conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 15. *cap.* 2. ubi docet Eccleſiam in neminem poſſe actum juriſdictionis exercere, quin prius in ipſam per januam baptiſmi fuerit ingreſſus & citat illud Apoſtoli 1. *ad Corinth.* 10. *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* Sed Catechumeni ſunt foris, ſeu extra Eccleſiam, quia nondum ſunt ingreſſi januam Eccleſiæ, ſeu nondum ſuſceperunt baptiſmum, per quem homines ingrediuntur Eccleſiam, & ſubjiciuntur juriſdictioni Eccleſiaſticæ. Præterea quia Catechumeni ante baptiſmum non ſunt capaces gratiæ Sacramentalis, conſequenter neque effectus indulgentiæ, ſiquidem uterque effectus confertur ex Chriſti meritis, & ex ejus opere operato.

Quod ſi dicas, ſummum Pontificem poſſe cum Catechumeno diſpenſare in votis, adhuc id negatur, quia diſpenſatio in votis eſt actus ſpiritualis juriſdictionis ſupponens ſuperioritatem in diſpenſante, & ſubjectionem in eo, cui fit diſpenſatio; & cùm Catechumeni nondum ſubjiciantur Eccleſiaſticæ juriſdictioni, non videtur, quomodo poſſint à votis diſpenſari, ſi hujuſmodi diſpenſatio eſt actus Eccleſiaſticæ juriſdictionis.

Si dicas; Catechumenos juſtificatos in voto baptiſmi fieri membra viva Eccleſiæ per fidem, & charitatem, quibus eidem copulantur, & membra Eccleſiæ eſſe capacia ſpiritualium bonorum, conſequenter etiam indulgentiarum, proinde Catechumenos eſſe participes bonorum ſpiritualium & capaces indulgentiarum. Tum quia Catechumeni beneficio unionis, quam per vinculum charitatis habent cum Eccleſia, ſunt capaces ſatisfactionis per modum ſuffragii à privata perſona ſibi oblati: ergo ratione ejuſdem rationis ſunt itidem capaces ſatisfactionis per modum abſolutionis à publica perſona habente legitimam poteſtatem ex communi Eccleſiæ theſauro ſibi applicatæ. Contra eſt, diſtinguitur minor, membra Eccleſiæ ſunt capacia indulgentiæ, ſi uniantur cum capite per ſuſceptum baptiſmnm; conceditur; ſi tantum uniuntur vinculo charitatis ſine baptiſmo in re ſuſcepto, negatur minor, & conſequentia, etenim ad fructum indulgentiæ percipiendum non ſolum requiritur unio charitatis membrorum cum capite Eccleſiæ; ſed ulterius eſt etiam neceſſaria ſubjectio quoad ſpiritualem juriſdictionem, quæ, cùm non habeatur, niſi ratione baptiſmi, ſequitur, Catechumenos carentes baptiſmo carere itidem ſpirituali ſubjectione in ordine ad juriſdictionem Eccleſiaſticam, conſequenter non ſunt capaces indulgentiæ. Ad id, quod addebatur, Catechumenum beneficio unionis, & vinculo charitatis eſſe capacem ſatisfactionis per modum ſuffragii, conſequenter etiam per modum abſolutionis à publica perſona habente legitimam poteſtatem; negatur conſequentia, & ratio diſcriminis eſt, quia ad participandam ſatisfactionem per modum ſuffragii oblatam à privata perſona, non requiritur ſubjectio, quia hujuſmodi oblatio non eſt actus juriſdictionis, ſed puræ eleemoſynæ ſpiritualis, quam poteſt quiſque de

de ſuis bonis operibus, quorum eſt abſolutus Dominus aliis elargiri. Secus conceſſio indulgentiæ eſt verus actus juriſdictionis, qui non exercetur, niſi in ſubditos Eccleſiæ: & quia homines tantùm ratione baptiſmi ingrediuntur Eccleſiam, & conſtituuntur ſubditi Eccleſiæ, ideo catechumeni, cùm adhuc careant baptiſmo in re ſuſcepto (nondum ſunt ingreſſi januam Eccleſiæ, neque ſubjiciuntur juriſdictioni Eccleſiaſticæ) proinde non ſunt capaces indulgentiarum, cum iſtæ non poſſint concedi niſi ſubditis Eccleſiæ, quique ſubjiciuntur Eccleſiaſticæ juriſdictioni.

Sed inſtabis, Catechumeni defuncti ſunt capaces indulgentiæ per modum ſuffragii: ergo etiam in ſtatu viæ poſſunt indulgentiæ iiſdem prodeſſe. Sed contra, negatur conſequentia: ſi intelligatur de capacitate indulgentiæ directè, & immediatè, quia, cum non ſubjiciantur juriſdictioni Eccleſiaſticæ, non poteſt Eccleſia directè, & immediatè ipſis applicare indulgentias, ſed tantum indirectè & mediatè, quatenus poteſt Pontifex concedere fidelibus viventibus in ſtatu viæ indulgentias, ut ab ipſis juventur Catechumeni defuncti, quatenus poſſunt pro illis orare. Neque eſt par ratio de Catechumenis defunctis, & adhuc viventibus, quia defuncti ſecundum probabilem ſententiam ſunt capaces indulgentiarum per modum ſuffragii, ſecus in ſtatu viæ, cùm non ſint ſub juriſdictione Eccleſiæ ob nondum ſuſceptum baptiſmum, non ſunt capaces directè, & immediatè indulgentiæ: hinc etiam defuncti defectu ſubjectionis Eccleſiaſticæ juriſdictioni nonniſi per modum ſuffragii poſſunt à viventibus juvari per indulgentias; Eccleſia enim nonniſi limitatè habet poteſtatem concedendi indulgentias ſubditis Eccleſiæ tantum in ſtatu viæ, & quia Catechumeni in ſtatu viæ non ſunt ſubditi Eccleſiæ, non poteſt hæc in ipſos exercere actum juriſdictionis, qualis eſt conceſſio indulgentiæ. Secus Catechumenis defunctis poſſunt indulgentiæ prodeſſe per modum ſuffragii, quia tunc non requiritur, quod ſint ſubditi Eccleſiæ, ſed ſufficit, ſi ſint ſub poteſtate Chriſti, quia ſua paſſione omnis profuit, & ſicut Chriſtus eſt Redemptor Catechumenorum quoad condonationem culpæ, & infuſionem gratiæ: ſiquidem ſupponuntur Catechumeni deceſſiſſe in ſtatu gratiæ mediante baptiſmo in voto, vel actu contritionis elicito, ita Chriſtus eſt perfectus eorundem Redemptor quoad remiſſionem pœnæ.

Imò etiam excommunicati, ſi per contritionem fuerint juſtificati, tametſi nondum ab excommunicatione abſoluti, capaces ſunt indulgentiæ, quamvis oppoſitum etiam videatur probabile; ratio eſt, quia pœna excommunicationis, ut ait Innocentius IV. *cap.* 1. *de ſent. excommun. in* 6. eſt medicinalis, non mortalis, ædificativa, non deſtructiva, & quam Eccleſia adhibet ad coercendam ſubditorum contumaciam, ac eorundem reprimendam inobedientiam, conſequenter eo uſque præſumitur Eccleſia velle excommunicatos ſuis privare ſuffragiis, quia non reſipiſcunt, ſed perſeverant in contumacia: atqui per actum contritionis excommunicati reſipiſcunt, contumaciam deponunt, & paratos ſe exhibent parere Eccleſiæ, cui totaliter ſe ſubjiciunt, adeo ut per ipſos non ſtet, quo minus ab excommunicatione abſolvantur, & admittantur ad communia Eccleſiæ ſuffragia, vel ſaltem ad ea, quæ non indigent publico Eccleſiæ miniſterio, ergo ſaltem probabile eſt, excommunicatos, qui per actum contritionis ſunt juſtificati, tametſi nondum ſint ab excommunicatione abſoluti, eſſe capaces indulgentiæ. Præterea ſi excommunicatus publicè peteret abſolvi à vinculo excommunicationis, ac deponeret contumaciam, ſeque totaliter ſubjiceret obedientiæ Eccleſiæ, & adhuc Judex nollet ipſum abſolvere ab excommunicatione, vel procul abeſſet, tunc excommunicatus deberet effectu indulgentiæ carere, quod non videtur vero ſimile, non enim in his caſibus mens Pontificis talis videtur eſſe, ut reſipiſcentes defectu abſolutionis ab excommunicatione injuſtè denegatæ careant fructu indulgentiæ.

An verò, & quomodo poſſint indulgentiæ applicari, & concedi pro defunctis, cenſent communiter poſſe indulgentias defunctis communicari, iis ope prodeſſe; hoc enim declaravit Leo X. in quadam Bulla contra Lutherum miſſa ad Cajetanum Auguſtam Vindelicorum, in illa ſiquidem contra Lutherum authoritate Apoſtolica expreſsè declarat, indulgentias prodeſſe defunctis, quod etiam confirmat communis Eccleſiæ praxis; nil enim Eccleſiæ magis uſitatum, quàm applicare indulgentias defunctis, & ratio etiam id ſuadet, quia animæ emundatorio igne expiantes ob unionem Charitatis cum Eccleſia militante ſunt capaces ſuffragiorum, quæ ipſis offeruntur à vivis, ut definit Pius IV. in Bulla de forma juramenti profeſſionis in Tridentino, ait enim: *Conſtanter teneo, purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari.* Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. & *can.* 3. etiam definit, Sacrificium miſſæ non ſolum pro vivis, verùm etiam pro defunctis nondum plenè purgatis ritè juxta traditionem Apoſtolorum offerri: Sed non eſt major ratio, cur defuncti ſint capaces ſuffragii per Sacrificium miſſæ, vel per alia pia opera oblati, & non ſint etiam capaces ſuffragii oblati per indulgentias à Pontifice conceſſas viventibus.

Si dicas Catechumenos Viatores eſſe capaces ſuffragiorum, quæ iiſdem à privatis perſonis offeruntur, & tamen non eſſe capaces ſuffragii applicati per indulgentias, proinde quamvis animæ, quæ purgatorio igne expiantur capaces ſint ſuffragii ipſis oblati à perſona privata, non tamen inde ſequitur eſſe capaces fructus indulgentiæ. Contra eſt, negatur conſequentia ob diſcrimen inter Catechumenos adhuc in vita mortali degentes, & animas defunctorum, quæ expiantur igne purgatorio, quia viventibus indulgentiæ applicantur immediatè à Pontifice per modum abſolutionis, ſupponentis eſſentialiter juriſdictionem in concedente, & ſubjectionem in ſuſcipiente; & quia Pontifex nullam habet juriſdictionem in Catechumenos defectu baptiſmi in re nondum ſuſcepti, ſequitur, non poſſe iiſdem concedere indulgentias, quia hæc conceſſio eſt actus juriſdictionis, quæ non exercetur, niſi in ſubditos, quo fit, ut Catechumeni Viatores nondum baptizati non ſint capaces ſuffragii applicati per indulgentias, tametſi capaces ſint ſuffragii per modum eleemoſynæ ſpiritualis oblatæ à privata perſona. Secus, cum applicantur indulgentiæ defunctis, Pontifex nullum in ipſos exercet actum juriſdictionis; quia tunc indulgentiæ applicantur à Pontifice defunctis dependenter à voluntate Chriſti,

qui

qui habet ſupremam jurisdictionem in animas expiantes purgatorio igne, quamobrem quando conceduntur indulgentiæ pro defunctis, non eſt Pontifex, qui immediatè ipſas applicet defunctis, ſed eſt Christus, qui habet plenam jurisdictionem etiam in defunctos.

Difficultas tamen ſupereſt explicanda, quomodo indulgentiæ dicantur prodeſſe defunctis. Communiter Theologi aſſerunt, indulgentias non prodeſſe defunctis per modum abſolutionis, ſed tantùm per modum ſuffragii, ac certè ſufficientis ſolutionis, hæcque cauſa eſt, cur Pontifices concedentes indulgentias defunctis, ſemper addant verba illa: *per modum ſuffragii*, & quia nullam habeant authoritatem, nec jurisdictionem in illas animas defunctorum, defectu enim jurisdictionis nequeunt iiſdem applicari indulgentiæ per modum abſolutionis: eſt enim abſolvere actus jurisdictionis, ſupponens jurisdictionem in abſolvente, & ſubjectionem in abſoluto. Demum quia omnis actus jurisdictionis exigit aliquam notitiam illius, in quem exercetur; & de animabus expiantibus purgatorio igne nullam Eccleſia poteſt certam notitiam habere.

Quòd ſi dicas, nonnunquam Pontifices excommunicare defunctos, & etiam eos interdum abſolvere. Reſpondetur tunc Pontifices propriè non excommunicare defunctos, in quos nullum poſſunt actum jurisdictionis exercere, ſed duntaxat obligare viventes, in quos habent jurisdictionem, ne pro defunctis orent, neque dent debitam ſepulturam, ex quo ſequitur, quod tantum indirectè priventur defuncti Eccleſiæ ſuffragiis. Hinc dicuntur itidem defuncti abſolvi ab excommunicatione, eò quia Pontifex removeat prohibitionem, quia viventibus prohibebatur, orare pro defunctis, ac iiſdem debitam dare ſepulturam. Quamobrem Pontifex nonniſi in viatores fideles propriè dicitur jurisdictionem exercere, quibus injungit ne orent pro defuncto excommunicato, & ne illi dent Eccleſiaſticam ſepulturam, ex quo indirectè privatur defunctus excommunicatus ſuffragiis Eccleſiæ à Pontifice exercente directè jurisdictionem in fideles viatores.

Sed difficultas adhuc ſupereſt, quale ſit diſcrimen inter applicationem indulgentiæ per modum abſolutionis, & per modum ſuffragii, pro qua explicanda relictis aliorum ſententiis, mihi videtur dicendum cum D. Thoma in 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſtione* 2. indulgentias tantum per modum ſuffragii concedi defunctis, eo quia iiſdem nonniſi indirectè, & ſecundariò concedantur: vivis verò principaliter immediatè, & directè, & quidem per modum abſolutionis, adeo ut in ſententia D. Thomæ non poſſit Pontifex immediatè concedere indulgentiam defuncto, ſed tantùm mediatè, quatenus poteſt eam concedere alicui ſubdito viventi, per quem transfertur in defunctum. Hoc diſcrimen ſignificavit Leo X. in decretali directa ad Cajetanum, quia, cum in eadem dixiſſet, indulgentiam aliquando per modum abſolutionis concedi; & aliquando per modum ſuffragii transferri, verbum transferendi ſatis apertè ſignificat hanc transmiſſionem debere fieri per alium, eò quia beneficium indulgentiæ non poſſit immediatè conferri defunctis, quia non ſunt ſub jurisdictione Romani Pontificis: quamobrem diſcrimen inter conceſſionem indulgentiæ per modum abſolutionis, & ſuffragii eſt, quia per modum abſolutionis non transfertur, ſed directè, & immediatè conceditur viatori fideli, & ſubdito Pontificis, ſecus per modum ſuffragii transfertur, adeo ut prius concedatur alicui ſubdito viventi, per quem transferatur in defunctum, ex quo conſtat Pontifices immediatè principaliter, & directè tantùm poſſe concedere indulgentias vivis fidelibus, & defunctis nonniſi ſecundariò mediatè, & indirectè.

Sed difficultas adhuc ſupereſt, quomodo poſſit Pontifex concedere viventibus hanc facultatem applicandi pro defunctis indulgentias ſibi conceſſas; & reſpondetur id contingere, quia Pontifex concedit quidem directè, & immediatè indulgentiam viventibus cum facultate tamen, ut ſicut ipſi poſſunt transferre propriam ſatisfactionem ad defunctum, ita poſſint illam ſatisfactionem ſibi ex indulgentia provenientem non retinere ſibi, ſed illam transferre in defunctum, ac eidem applicare per modum ſuffragii eodem pacto, quo ſolent viventes ex propriis ſatisfactionibus ſuffragia communicare defunctis: ſiquidem poteſt fidelis jejunare, flagellis ſe excipere, ſeque cruentare, eleemoſynas pauperibus elargiri, & alia id generis opera pia exercere, & fructum ex iiſdem provenientem applicare defunctis, ſeu animabus purgatorio igne expiantibus, & tunc Pontifex directè, & immediatè tantùm diſtribuit theſaurum Eccleſiæ ſuis propriis ovibus, ſeu Dominico gregi, in quem jurisdictionem exercet, conceſſa tantum facultate viventibus, ut poſſint partem ſuam aliis communicare: tametſi Oeconomus nequeat pecunias Domini diſtribuere, niſi famulis inſervientibus eidem Domino, poſſunt nihilominus famulis acceptam ab Oeconomo pecuniam aliis diſtribuere, & ſi Oeconomus hanc det famulis facultatem, non dicitur ipſe perperam diſtribuere pecunias Domini. Perinde quamvis ſummus Pontifex concedat fidelibus viventibus indulgentiam cum facultate, ut poſſint ejus fructum applicare pro defunctis, non debet dici diſtribuere theſaurum Eccleſia extraneis.

Videntur tamen contra hanc explicationem indulgentiarum per modum ſuffragii aliquot urgere difficultates: quia ſi indulgentia prius, & immediatè conceditur ſubdito viventi cum facultate eam applicandi pro defunctis, & ad ipſos transferendi, inde ſequeretur, quod fidelis vivens poſſet eam ſibi retinere, non transferendo fructum indulgentiæ ad defunctum, hinc quoties Pontifex concederet indulgentias pro defunctis, poſſent viventes eosdem ſibi lucrari. Præterea videtur captu difficile, quomodo poſſint viventes transferre in defunctos ſatisfactiones ſibi applicatas ex theſauro Eccleſiæ: quia deberent priùs fieri propriæ viventium, in quibus proprium tantum ſortirentur effectum remiſſionis pœnæ, qui effectus ſemel poſitus non poteſt amplius auferri; neque pœna ſemel remiſſa poteſt amplius redire. Quod ſi ſatisfactiones nondum dicantur factæ propriæ viventium, non videtur quomodo viventes poſſint cedere juri ſuo, & illas transferre in defunctos. Quod ſi viventes nullum habent jus in præfatas ſatisfactiones; ſequitur

quòd Pontifex non viventibus, sed defunctis directè, & immediatè applicet illas satisfactiones ex thesauro, quia si viventes non acquirunt jus in illas sibi, defuncti acquirunt primum jus, & sic directè, & immediatè concederetur defuncto remissio pœnæ. Sed contra, hæc omnia inconvenientia facilè cessant, si asseramus, Pontificem in concessione indulgentiæ per modum suffragii non concedere indulgentiam immediatè defuncto, imò etiam viventi, sed tantum ex thesauro Ecclesiæ elevare opera honesta, & pia, quæ fiunt à viventibus, ut non solum ex opere operantis, verum etiam ex opere operato sint satisfactoria, si pro defunctis offerantur, perinde ac Christus, qui est supremus dispensator thesauri Ecclesiæ, plerumque applicat ex eodem pretium absolvendum pro aliquo, ut in baptismo, qui tametsi recipiatur in somno, vel per aliquam actionem venialiter malam, adhuc ex voluntate Christi confertur solutio totius pœnæ; & quemadmodum Christus pluries elevat nostras satisfactiones, & ex opere operato, & ultra condignum majorem sortiantur effectum, supplendo ex thesauro, quod deest condignitatis nostræ satisfactioni, quo pacto etiam confessarius nomine Christi elevat satisfactionem Sacramentalem, perinde summus Pontifex ut Christi Vicarius utroque modo in fidelium utilitatem dispensat thesaurum, siquidem subinde accipit ex thesauro ad simpliciter solvendum pro aliquo, ut, si non petito aliquo opere, concedat indulgentiam ob causam jam præteritam, & præsertim in mortis articulo, interdum etiam in concessione indulgentiæ exigit aliquod opus satisfactorium, & quia ex se non esset sufficiens ad pœnæ remissionem, accipit ex thesauro Ecclesiæ pretium, quod deest, & addit operi satisfactorio, quod propterea elevat ad majorem effectum satisfactionis supra condignum: hinc quando Pontifex concedit indulgentiam pro defunctis, elevat opus honestum satisfactorium, quod elicitur à vivente Viatore, & quia hoc opus ex se non esset sufficiens ad remissionem pœnæ, ideo Pontifex accipit pretium ex thesauro Ecclesiæ quod addit tali operi satisfactorio, ut fiat sufficiens ad remissionem pœnæ, quod tamen pretium non additur, nisi quando à vivente opus illud pium, & honestum exercetur, & simul offertur pro defuncto; in hac enim oblatione Pontifex tantùm addit pretium sufficiens pro tali remissione pœnæ, quòd si non offeratur pro defuncto illi non additur pretium sufficiens ad talem remissionem pœnæ, nec est amplius idem opus, quod Pontifex elevavit, quia tantum elevat, quod offertur pro defuncto, quo pacto clarè intelligimus, quomodo Pontifex concedat per modum suffragii indulgentias pro defunctis, nec possit Viator, qui talem lucratur indulgentiam transferendam in defunctum, eam sibi applicare, & lucrari, & simul intelligitur, quomodo Pontifex non dispenset thesaurum directè, & immediatè nisi suis propriis subditis: siquidem pretium, quod accipit ex thesauro Ecclesiæ, addit operibus satisfactoriis fidelium viventium, quæ propterea elevat ad majorem valorem; id enim per se loquendo cedit in commodum, ac bonum Ecclesiæ, & tantum per accidens contingit, quod in aliquo casu valor operis satisfactorii cedat in utilitatem defuncti: siquidem est per se utile fidelibus viventibus, quod eorum satisfactiones, vel satispassiones, possint habere majorem valorem, & quod possit Pontifex per additionem pretii eruti ex thesauro Ecclesiæ, elevare ad majorem valorem ex opere operato; hæc enim elevatio procul dubio cedit in utilitatem fidelium viventium, quia viventes, qui ponunt tale opus satisfactorium, dant eidem ex opere operantis valorem ex se insufficientem ad remissionem pœnæ: & ex eo, quod eidem operi satisfactorio Pontifex addat pretium ex thesauro, ut habeat effectum satisfactorium ultra condignum ex opere operato, fit tale opus sufficiens ad remissionem pœnæ, quod procul dubio cedit in utilitatem fidelium viventium, tametsi hæc remissio applicetur defunctis; siquidem non solùm est utile fidelibus posse liberari à suo debito pœnæ, verum etiam habere satisfactiones majoris valoris, quibus possint etiam aliis prodesse, quia tunc virtus in satisfaciendo crescit major, & extenditur utilior. Hinc constat, quomodo non possit indulgentia defuncto concedi, nisi interveniente aliquo fideli vivente, cujus opera satisfactoria eleventur ad majorem valorem satisfactionis, applicando defuncto; & quomodo non possit, qui pro defuncto lucratur indulgentiam, ejus fructum sibi retinere, quia non elevatur opus ejus satisfactorium ad majorem valorem, nisi tunc, quando indulgentiam lucratur, opus suum pro defuncto offerat, adeo ut hujusmodi oblatio sit conditio, sine qua ex thesauro non additur operi satisfactorio ille valor major ex opere operato, & non posita obligatione pro defunctis opus satisfactorium positum à fidele vivente tantum remanet cum suo valore ex opere operantis, consequenter est opus insufficiens ad remissionem pœnæ. Constat itidem, quomodo fructus illius operis satisfactorii pro defunctis non debeat prius fieri proprius viatoris, nec debeat ipsi prius applicari, ut valeat postea ipse illum defuncto applicare: sed tantum fructus ille fit proprius Viatoris in actu primo perinde ac ipsa satisfactio, quam potest ponere, vel non ponere, quamobrem valor ille satisfactorius nonnisi in actu primo dicitur propriè viatoris, eò quia possit hic ponere, vel non ponere satisfactionem elevatam ad majorem valorem.

Sed dices, si posset Pontifex eadem infallibili authoritate à pœna liberare animas purgatorio igne expiantes, ac potest in terris remittere viventibus pœnas debitas, ac relictas pro condonatis peccatis: sequeretur, quod brevi totum purgatorium per frequentes plenarias indulgentias evacuaretur: quinimo, una duntaxat plenaria indulgentia semel applicata, pro uno defuncto, frustra pro eodem applicarentur alia suffragia, & indulgentiæ, quod est contra communem fidelium sensum, & contra praxim Ecclesiæ offerentis plura suffragia, & indulgentias pro uno eodemque defuncto. Contra est, quia tametsi Pontifex, eadem infallibili authoritate, possit per concessas indulgentias remittere pœnas animabus expiantibus igne purgatorio, perinde ac eas remittit fidelibus viventibus; non tamen id præstat eodem modo, quia viventibus remittit pœnam per modum juridicæ absolutionis, defunctis verò per modum suffragii; est enim purgatorium Christi tribunal, in quo sibi tantum reservat causas judicandas. Cæterum Pontifex in animas purgantes nullum jus habet, sed tantùm indirectè potest illas juvare, elevando opera satisfactoria viventium, ut sortiantur effectum satisfactionis ultra condignum; sicut enim solus Christus est, qui pœnas illas animarum purgantium taxat, ita

ad

ad ipsum pertinet eas relaxare: & quia nobis non constat, an Christus, per talia opera satisfactoria adnexa indulgentiis, relaxet totam pœnam, vel applicet illam indulgentiam secundùm totum suum valorem, hinc est, quod Ecclesia pro eodem defuncto rectè applicet illa suffragia, & indulgentias.

Si dicas inde sequi quòd indulgentiæ defunctis applicatæ possent non esse illis utiles, quia possent à DEO non acceptari. Contra est, quia tametsi DEus non teneatur satisfactiones viventium pro defunctis acceptare, ex sua tamen benignitate, ac bonitate semper illas acceptat, si non pro toto saltem pro parte, si non pro quibus offeruntur, saltem pro quibus ipsi magis placet, id enim est piè credendum de divina pietate, quamvis nobis non constet, quantum nostra suffragia purgantibus animabus prosint: quæ causa est, cur pro eodem defuncto ab Ecclesia plura applicentur sacrificia, & indulgentiæ, quæ tamen semper aliquò modo iisdem prosunt; etenim merita Christi, quæ pro defunctis offeruntur, suo jure videntur etiam exigere, ut pro iisdem oblata suum sortiantur effectum. Cæterum ut indulgentiæ dicantur prodesse defunctis, non est necesse, quòd debeant omnes & singulæ semper prodesse, sed satis est, si ut plurimum prosint: hæc enim propositio dogmatica: indulgentiæ prosunt defunctis, est affirmativa; ad cujus verificationem tantùm requiritur, si ut plurimum prosint: sicut etiam habetur propositio dogmatica, quòd orationes Ecclesiæ prosint defunctis, & tamen id non contingit ex certa lege, sed tantùm ex divina bonitate, qua DEus dignatur orationes Ecclesiæ suscipere pro defunctis.

# CAPUT XIII.

## De Requisitis in eo, qui pro defuncto vel pro se Indulgentiam lucratur.

QUia Pontifices solent indulgentias concedere pro vivis, & defunctis, dubitatur, quænam requisita sint necessaria, ut possit quis indulgentias lucrari, & primò pro defunctis, & dubitatur, an necesse sit, ut habeat intentionem determinatam eam lucrandi pro tali speciali defuncto, & respondetur affirmativè, quia sicut requiritur intentio determinata applicandi proprium suffragium defunctis, ita requiritur intentio applicandi eidem indulgentiam, quæ tantùm potest ei convenire per modum suffragii. Præterea ut viator pro defuncto lucretur indulgentiam, necesse est, sit in statu gratiæ, quia indulgentia nonnisi indirectè acquiritur defuncto, quatenus opera pia, & honesta viventium elevantur ad majorem valorem satisfactionis ex opere operato, quapropter debet operans esse capax illius valoris, & fructus, & non potest viator operans esse capax illius valoris, nisi sit in statu gratiæ: siquidem opera, quæ fiunt à peccatore in statu peccati lethalis accensentur operibus mortuis, & nullius valoris. Præterea quia hæc elevatio operis satisfactorii positi à viatore procedit à potestate Pontificis, quæ per se ordinatur ad utilitatem subditi: unde potestas illa debet supponere subjectum capax, ut ejus opera eleventur, & possint habere effectum satisfactorium ultra condignum.

An verò viator fidelis, qui pro defuncto lucratur indulgentiam, debeat esse in statu gratiæ, quando ponit omnia opera pia injuncta in concessione indulgentiæ, an verò sufficiat, si sit in statu gratiæ, tunc quando lucratur indulgentiam, ut si Pontifex concedat fidelibus, ut possint indulgentiam lucrari pro defunctis, dummodo jejunent diebus mercurii, vel Sabbathi, & postea die Dominica communicent, & visitent talem Ecclesiam, in qua orent pro defunctis, & iisdem applicent communionem, cui Pontifex adnectit indulgentiam plenariam pro defunctis, quæritur, an necesse sit, ut fidelis sit in statu gratiæ, quando die mercurii incipit jejunare, & debeat in eodem perseverare, donec die Dominico lucretur indulgentiam, vel sufficiat, si tantùm die Dominico confiteatur, seque ponat in statu gratiæ, & visitet Ecclesiam, ac communicet in eodem statu, quamvis diebus præcedentibus, quando jejunavit, fuerit in peccato lethali: Communior Doctorum sententia est, sufficere, si sit in statu gratiæ in fine operis injuncti, & in eodem lucretur indulgentiam pro defunctis, adeo ut non sit necesse ad lucrandam indulgentiam, ut opus, sub cujus conditione conceditur, impleatur in statu gratiæ, sed sufficit, si fidelis sit tunc in gratia, quando indulgentiam lucratur pro defuncto; ratio est, quia opus, sub cujus conditione conceditur indulgentia est, tantum simplex conditio, non verò causa, quæ DEum moveat ad concessionem indulgentiæ, quæ non inficitur ex malitia personæ operantis, sicut nec sacrificium missæ ex malitia Sacerdotis sacrificantis, quia non habet suum valorem ex persona proximè operante, sed ex meritis, & satisfactione Christi, quatenus Pontifex illi communioni peractæ die Dominico addidit pretium ex thesauro Ecclesiæ erutum, quo communio illa acquirit valorem pro remittenda pœna, qua defunctus igne purgatorio expiatur. Præterea in eo, qui lucratur indulgentiam pro defuncto, tantùm requiritur status gratiæ, ut sit capax, ut ejus opera possint elevari in ejus utilitatem; & hæc capacitas tantùm requiritur, quando elevatio operis adfert fructum indulgentiæ, & quia est ipsa communio peracta die Dominico, cui Pontifex addit pretium ex thesauro Ecclesiæ, ideo sufficit, si tunc sit in statu gratiæ: quamobrem possunt opera nostra elevari à Pontifice habito tantùm respectu ad tempus, quo effectus indulgentiæ ponitur.

Quòd si dicas, fidelem viatorem existentem in statu peccati lethalis, & recitantem septem Psalmos pœnitentiales pro defunctis, vel etiam jejunantem per hujusmodi opera non prodesse defunctis, consequenter neque per indulgentiam. Contra est, negatur consequentia, ob discrimen inter suffragium, quod privata persona in proprio opere fundatum offert Deo pro defunctis, & indulgentiam à Pontifice concessam, & quam viator pro iisdem lucratur: etenim eatenus suffragium procedens à persona privata, si hæc non fuerit in statu gratiæ, non prodest defunctis, quia opus privatum desumit suum valorem à persona operante, quæ, si existat in lethali, nequit suum

suum valorem communicare suis operibus. Secus indulgentia desumit suum valorem à satisfactione, & meritis Christi, & Sanctorum, seu à thesauro, consequenter hic valor non amittitur per peccatum operantis.

Quòd verò ad indulgentiam attinet, qua viator in hac vita per se lucratur; certum est, neminem posse indulgentiam lucrari, nisi baptizatus fuerit, quia, ut constat ex præcedentibus, nequit Pontifex dispensare thesaurum Ecclesiæ, nisi iis, qui sunt de ovili Christi, & quorum est Pontifex pastor institutus: quapropter Catechumenis, & defunctis nonnisi indirectè possunt indulgentiæ communicari per modum suffragii. Præterea qui indulgentiam pro se lucratur, necesse est, sit sui compos, usúmque habeat rationis: licèt hic usus, non requiratur in eodem instanti; quo effectum consequitur indulgentiæ, quia si Pontifex concederet indulgentiam jejunanti die Sabbathi, si fidelis jejunaverit juxta mentem Pontificis, si sub noctem in amentiam incideret, adhuc absoluto jejunio fructum consequeretur indulgentiæ, ut etiam si dormiret vel ex febri incidisset in delictum; tunc enim sufficit voluntas præterita, dummodo non fuerit retractata. Ratio, cur requiratur usus rationis, est, quia homo sine tali usu non est capax peccati, consequenter, si nondum ipsum habuerit, supponitur nunquam peccásse, consequenter non est capax indulgentiæ, quæ conceditur ad tollendum reatum pœnæ temporalis relictæ pro peccatis condonatis; & qui nunquam peccatum commisit actuale, hunc pœnæ reatum non contraxit, consequenter non est capax indulgentiæ, cujus effectus est remittere talem reatum pœnæ. Probabile tamen est posse indulgentiam concedi ei, qui post usum rationis incidit in amentiam. Ratio videtur esse, quia fructus indulgentiæ per modum suffragii à Petro applicati Joanni acquiritur ab ipso, tametsi id ignoret; quod non solùm verum est in fructu ex opere operantis, ut si pro Joanne jejunet, det eleemosynam, verùm etiam pro fructu ex opere operato; ut si Sacerdos pro Joanne inscio sacrificium offerat, ut ei prosit; ergo id dicendum de fructu indulgentiæ, ratione cujus Pontifex solvit pro alio partem necessariam ex communi thesauro Ecclesiæ. Si enim mihi ignoranti prodest sacrificium missæ, quod Sacerdos pro me applicat, ergo potest etiam quis lucrari indulgentiam, & eam applicare pro amente; si habuerit antea usum rationis. Plures tamen docent non posse indulgentiam applicari amenti quamvis habuerit usum rationis, & nituntur ea ratione, quia indulgentia conceditur per modum privilegii, quod ignorant, non acquiritur; siquidem ut concedatur privilegium, requiritur scientia, & acceptio privilegii, qua ratione dicunt non lucrari indulgentias, qui eas ignorant, quamvis adimpleant omnia opera injuncta. Sed hæc ratio non videtur magni momenti; non enim indulgentia est ex iis privilegiis, quæ exigunt scientiam, & acceptionem privilegiati, sed potius est quædam solutio, seu remissio pœnæ, ad quam se ille habet passivè, cui applicatur: unde sicut possumus solvere pecuniam pro Petro, etiam ipso ignorante solutionem debiti, ita potest Pontifex ex communi thesauro solvere pro debito Petri, quamvis Petrus id ignoret: & ratio est, quia licèt causa passiva non concurrit liberè, & voluntariè, potest tamen esse capax effectus, tametsi ipsum non cognoscat, & sciat, unde mihi videtur probabile, posse Pontificem indulgentias concedere, quas etiam ignorantes lucrentur: quinimò plerumque omnibus præsentibus in aliqua Basilica post missam à se celebratam concedit Pontifex indulgentias tametsi non omnes sint ita præsentes, ut audiant Pontificem loquentem, & indulgentias concedentem, & id sciant: hinc potest etiam Pontifex indulgentiam, & benedictionem concedere moribundo jam sensibus destituto.

Rursus certum est, requiri statum gratiæ in eo, qui lucratur indulgentiam, quia sicut aliena suffragia iis non possunt, qui non sunt in gratia, ita nec Christi, nec Sanctorum satisfactiones applicari per indulgentias, siquidem ratione peccati lethalis inferentur peccatores, ut nulla satisfactio pro illis acceptetur, quamdiu perseverans in eodem statu. Præterea, quia omnis pœna etiam ex veniali remisso quoad culpam pro eo statu debet per accidens esse æterna, quatenus adnexa reatui pœnæ æternæ: sed indulgentia non remittit statum pœnæ æternæ, sed tantum pœnæ temporalis relictæ ob condonata peccata: & hæc est ratio, cur status gratiæ sit illi necessarius, qui lucratur indulgentiam, ut possit ejus effectum recipere, quamvis non requiratur status gratiæ toto eo tempore, quo fiunt opera requisita ad indulgentiam obtinendam, sed sufficiat, si viator, sit in gratia, quando actu lucratur ipsam indulgentiam. Hinc si Pontifex concedat indulgentiam visitantibus aliquam Ecclesiam sub conditione, quod priùs jejunent per tres præcedentes dies, & dent pauperibus eleemosynam; tunc quamvis fidelis fuerit in statu peccati lethalis per totum præcedens triduum, quo jejunavit, & etiam tempore, quo fuit eleemosynam elargitus, si tamen die Dominico confitentur, & restituatur statui gratiæ, lucratur postea indulgentiam, si præscriptam Ecclesiam visitet. Verùm si opera injuncta concedantur dependenter à prævia confessione, tunc, qui lucratur indulgentiam, debet esse in statu gratiæ, quando tali opera injuncta adimplet.

Dubitari tamen primò solet, an si quis omnia injuncta opera in ordine ad lucrandam indulgentiam adimpleret in statu peccati lethalis, si postea toto transacto tempore, quo fuit indulgentia concessa resipisceret, ac justificaretur, tunc effectus indulgentiæ reviviscеret, cum primùm justificatur. Affirmant nonnulli, inter quos Henriquez *lib. de indulgentiis cap. 2. num.* 3. Paludanus, Sylvester, & alii. Verum nonnisi impropriè videtur dicendum, quòd tunc effectus indulgentiæ reviviscat; quia quod reviviscit, supponitur ante vixisse, & per aliquid temporis fuisse mortuum, & iterum postea restitutum vitæ; quo pacto merita, quæ per bona opera acquiruntur in statu gratiæ, dicuntur vivere, & per subsequens peccatum lethale dicuntur mortificari, & iterum reviviscere, si peccator resipiscat, atqui effectus indulgentiæ in eo, qui adimplevit omnia opera injuncta, nunquam fuit, neque dici potest, quòd habuerit vitam in illo, consequenter non potest propriè dici tunc reviviscere, quando post tempus concessum pro indulgentia justificatur, quia omnia opera injuncta adimplevit statu peccati mortalis. Cæterum præscindendo à reviviscentia difficultas potiùs videtur dependere à mente Pontificis concedentis indulgentiam, quia potest Pontifex ita concedere indulgentiam, ut adimpletis omnibus injunctis operibus, tunc fideles eam lucrentur, si fuerint in statu peccati, cùm primùm resipiscant: siquidem potest Pontifex differre effectum indulgentiæ

gentiæ usque ad primam justificationem sequentem. Verùm an de facto intentio Pontificis sit talis, potest id conjici ex forma, qua indulgentiam concedit, si enim dicat, qui jejunaverit ter in hebdomada, & fuerit elargitus eleemosynam pauperibus, & postea contritus & confessus visitaverit hanc vel illam Ecclesiam, lucrabitur plenariam indulgentiam, tunc si non determinetur tempus visitationis, quamvis Petrus existens in peccato lethali, adimpleret opera injuncta jejunii, ac eleemosynæ hac hebdomada in statu peccati lethalis, & post mensem contritus, ac confessus visitaret Ecclesiam, tunc lucraretur indulgentiam, quæ, cùm sit favor, debet amplè interpretari. Sin autem Pontifex adnectat indulgentiam determinato diei, ut festo alicujus Sancti, vel diei Dominico statim postquam quis egerit injuncta opera, tunc dilapso tali die non amplius lucraretur indulgentiam, quia Pontifex eam tantùm alligavit tali diei: quoties enim Pontifex ob aliquam legitimam causam concedit fidelibus indulgentiam, quam possunt lucrari tali speciali die festo, tunc mens Pontificis non est, differre indulgentiam, vel ejus effectum in alium diem; sed ut fideles confessi, & contriti visitent tali die festo illam specialem Ecclesiam, unde si subjectum ea die sit incapax indulgentiæ, caret ejus effectu, quia alligavit indulgentiam illi speciali diei tantùm, aliud enim est Pontificem concedere indulgentiam visitantibus Ecclesiam tali die, speciali festo, & aliud eam concedere, cùm primùm fideles restituti statui gratiæ visitaverint talem Ecclesiam absque ulla temporis determinatioe in hoc enim secundo casu Pontifex applicat tantùm satisfactionem Christi, quando fideles in statu gratiæ visitant præscriptam Ecclesiam hac, vel illa die. Verum hic modus concedendi indulgentias non est in usu; solet enim indulgentia præfigi alicui speciali diei festo, ut fideles diligentius, & pro majori celebritate diei festi satagunt conscientiam purgare, ac divinis ferventius vacare.

An verò qui lucratur indulgentiam, teneatur necessario aliquod opus bonum, & pium exercere respondetur probabilius non teneri simpliciter & necessariò, idque solet evinci authoritate Gregorii VII. qui *lib.* 2. *Epist.* 61. absque ullo opere injuncto concessit indulgentiam Episcopo Laodicensi, & *lib.* 6. *Epist.* 15. concessit indulgentiam plenariam absque ullo opere injuncto fratribus Monasterii Massiliensis, ratio ex eo peti solet, quia ad valorem indulgentiæ tria sufficiunt, scilicet authoritas in concedente, gratia in recipiente, & pietas in causa, hæc autem omnia haberi possunt, tametsi sine ullo opere injuncto concedatur indulgentia, quo pacto Pontifex plerumque concedit indulgentiam plenariam moribundo existenti in statu gratiæ. Præterea quia Episcopi sola benedictione nullo opere injuncto solent populo concedere indulgentiam 40. dierum, quam ipsi de potestate ordinaria possunt concedere. Ex inolita tamen consuetudine solet indulgentia semper concedi sub conditione alicujus operis pii injuncti, & tunc nulla est profutura indulgentia, nisi adimpleto opere injuncto, & quidem eo modo, quo à concedente exigitur; docet enim D. Thomas *in supplemento ad 3. part. quæst. 27. art. 3.* eum non lucrari indulgentiam, qui etiam absque culpa, & ratione impotentiæ nequit opus injunctum exequi, hinc, qui tantùm exhibet dimidiam partem operis injuncti pro lucranda indulgentia, non lucratur dimidium ejus fructum: quia indulgentia non conceditur divisibiliter pro tanto opere, sed indivisibiliter pro toto opere, unde requiritur adimpletio totius operis, ut dicatur quis lucrari indulgentiam, quod tamen est intelligendum de totalitate morali, quæ sufficeret ad præceptum Ecclesiæ implendum.

An verò, si opera injuncta ad lucrandam indulgentiam fiant non solùm in peccato, verum etiam cum peccato, eò quia vitiantur ex aliquo malo fine, tunc prosint ad lucrum indulgentiæ, si in fine operum peccator resipiscat, & in statu gratiæ Ecclesiam visitet, cui est indulgentia adnexa: ut si Pontifex concedat plenariam indulgentiam iis, qui fuerint elargiti eleemosynam pauperibus, & postea visitaverit talem specialem Ecclesiam: ex suppositione, quòd Petrus existens in peccato lethali exequatur opus injunctum, & talem eleemosynam distribuat ob vanam gloriam, & ut videatur, ac laudetur ab hominibus, proinde vitiet opus aliàs ex se bonum, dubitatur, an si postea die Dominico contritus, & confessus statutam Ecclesiam visitet, indulgentiam lucretur. Respondetur cum sententia communiori affirmativa: siquidem probabilior Doctorum sententia est, quòd opera injuncta à Confessario possint ad satisfactionem ex opere operato, tametsi in se ex fine aliquo vitientur, volunt enim communiter sufficere, si opera sint ex se satisfactoria, ut possint injungi, ac elevari ad effectum satisfactionis ex opere operato. Quia tametsi opus illud in individuo per accidens ratione finis operantis non sit bonum; est tamen in genere ex se, seu ex fine ipsius operis bonum, & ex illius exercitio habetur gloria DEI, & utilitas communis, eò quia potior pars fidelium honestè, ac piè exercet illud idem opus: quòd si opus injunctum fuerit actus purè internus; tunc si eliciatur ex pravo fine, vel vitietur ex aliqua circumstantia, nulli fini est actus ille amplius utilis, nec ipsi operanti: neque est eadem ratio de opere externo, quia externa oratio, eleemosyna, & alia id genus, tametsi vitientur ex opere operantis, cedunt nihilominus semper in gloriam DEI, & sublevationem pauperum, proximique ædificationi, prout intendit, qui indulgentiam concedit.

Sed dices, potest quis lucrari indulgentiam absque ullo opere injuncto, ergo etiam cum opere purè interno vitiato ex prava aliqua circumstantia, aut fine operantis. Sed contra negatur consequentia, quia ex eo, quòd possit indulgentia concedi sine ullo opere injuncto, non sequitur, quod quando Pontifex illam concedit propter actum purum internum, ut quando eam concedit iis, qui examinant conscientiam, vel actum contritionis eliciunt, tunc lucrentur indulgentiam, qui tales injunctos actus internos vitiant: siquidem eo ipso, quod actus contritionis est vitiatus, non est amplius actus contritionis, consequenter neque opus illud à Pontifice injunctum: & ita dicendum de cæteris actibus purè internis: opus enim, quod à Pontifice injungitur, semper est bonum, & actus quilibet internus fit malus ex quacunque prava circumstantia, cæterum non semper est necesse ad lucrandam indulgentiam concessam pro vivis aliquod opus pium externum, idque constat ex praxi, & usu Pontificum, qui persæpe concedunt indulgentiam moribundis benemeritis de Ecclesia absque ullo

opere

opere injuncto: non enim causa justa, quæ ad dispensationem requiritur, alligatur ad solum opus pium exercendum, quia potest etiam haberi causa justa ex titulo gratitudinis remunerationis, & solatii.

An verò quando Pontifex plenariam indulgentiam concedit fidelibus mediante prævia confessione Sacramentali teneantur fideles, qui nullius peccati lethalis sibi sunt conscii eam præmittere, affirmant plures, inter quos Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disput.* 15. *num.* 19. Nugnus & alii apud Dianam *de Bulla Cruciata resol.* 110. Verùm contraria sententia, cui adhæret ipse Diana est probabilis, quia usus Ecclesiæ est, ut quoties præcipitur confessio peccatorum intelligatur de confessione mortalium, quia sicut peccata simpliciter intelliguntur de mortalibus, ita confessio peccatorum est itidem simpliciter intelligenda de confessione mortalium, alioquin, si intelligeretur de venialibus, non esset major ratio, cur fideles tenerentur hæc potiùs venialia, quàm alia aperire in confessione, nihilominus consultius censeo præmittendam esse Sacramentalem confessionem, quia hæc potest à Pontifice requiri, ut conditio, sine qua non lucretur quis indulgentiam.

Dubitari solet, an indulgentia absolutè concessa sine verbis limitantibus tempus, intelligatur esse perpetua. Respondetur affirmativè, si nulla intercesserit limitatio formalis, vel virtualis temporis; nec per clausulam generalem facta fuerit limitatio: debet enim concessio indulgentiæ esse absque limitatione formali, vel virtuali, quia multipliciter, potest indulgentia habere tempus limitatum, tametsi expresè in forma concessionis non præscribatur numerus dierum, vel annorum: siquidem indulgentia, quæ conceditur ad unum tantùm actum, limitatur ad tempus, quo talis actus absolvitur: Quòd si forma concessionis præscripserit tempus, intra quod actus ille debeat persici, erit tunc indulgentia magis expresè limitata. Præterea limitatur, quandò ita conceditur, ut possit quis eam sibi lucrari semel tantùm, vel etiam iterum in vita: quia tunc habet determinatum tempus vitæ, & hoc pacto omnis indulgentia personalis dici potest limitata, eò quia limitetur ad dies vitæ ejusdem personæ, cui conceditur: secus indulgentiæ locales sunt diuturniores, eò quia loca sint majoris durationis, verùm quia etiam loca, templa, sacella, & altaria possunt deficere, súntque destructioni obnoxia, videntur etiam ipsa habere tempus limitatum, nisi eadem loca restaurentur, ut moraliter censeantur eadem perseverare; cæterum diuturniores sunt illæ indulgentiæ, quæ conceduntur ordinibus Religiosorum, Sacris Familiis, & Communitatibus, quæ per successiva personarum incrementa durant perpetuo; non enim ex parte indulgentiæ habetur temporis limitatio, & præfatæ communitates per successiva personarum incrementa semper durant, ergo cùm nulla adsit ratio, qua hujusmodi indulgentiæ debeant limitari, censendæ sunt perpetuæ; si enim superior eas non limitat, neque ab inferiore debent limitari. Verùm quamvis indulgentia sit perpetua, & in ejus forma concessionis explicitè dicatur concedi in perpetuum, non propterea est ita perpetua, ut auferri non possit, licèt enim indulgentia expresè dicatur perpetua, semper tamen potest revocari ab ipsam concedente, vel ejus Successore: quam ob rem hæc perpetuitas indulgentiæ non est ei dissimilis, quàm in naturalibus habere potest effectus dependens in fieri, & conservari à sua causa, qui effectus est perpetuus, si ab illa jugiter conservetur, & nihilominus potest desinere, si possit causa suum suspendere influxum.

Si dicas interdum Pontifices concedere privilegia in perpetuum duratura, ut sint etiam irrevocabilia, adeo ut expressis verbis declarent hanc irrevocabilitatem, proinde eodem modo poterunt & indulgentiæ concedi irrevocabiliter, quia juxta vulgatum axioma: Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, & tunc forma indulgentiæ sonat perpetuitatem, ac irrevocabilitatem. Contra est: quia non est ita facile decidere, quid significet verbum *irrevocabile* additum privilegio vel indulto Pontificio, quidquid sit de cæteris privilegiis; certum est enim in forma concessionis indulgentiæ nunquam consuevisse Pontifices addere adverbium illud irrevocabiliter: neque est par ratio, de reliquis privilegiis, quia hæc eatenus conceduntur interdum cum addito irrevocabiliter, quia possunt jus aliquod conferre, vel Dominium, quatenus versantur circa res, quæ possunt donari, ideoque non tam facilè revocari possunt sine urgente nova causa. Secus indulgentia propriè non confert jus, sed tantùm quandam facultatem dependentem semper à voluntate superioris.

# CAPUT XIV.

## Ex qua causa concedi debeat Indulgentia, ut sit valida.

Loquimur de causa finali, quæ respectu indulgentiæ est duplex, intrinseca, & extrinseca, siquidem intrinsecus finis indulgentiæ est ipse effectus proprius ejusdem: sicut in qualibet actione immediatus ejus terminus dicitur esse finis intrinsecus ejusdem, perinde remissio pœnæ temporalis relictæ ob condonata peccata est finis intrinsecus indulgentiæ, qua ratione ad eum finem conceditur, ut liberetur homo à suo reatu pœnæ; & à pœnis, quas teneretur in Purgatorio luere: non enim ipsa remissio pœnæ est indulgentia, nisi laxè, & tropicè, quatenus nomen causæ tribuitur effectui: hæc enim remissio est, quæ causatur ab indulgentia, quæ formaliter consistit in ipsa absolutione; cujus beneficio fit talis remissio, vel tale suffragium: unde remissio pœnæ temporalis est effectus, seu finis intrinsecus indulgentiæ. Finis extrinsecus, de quo in præsenti quæritur, est, qui movet voluntatem superioris, ad concedendam indulgentiam, & de hoc extrinseco fine quæritur, qualis esse debeat, ut indulgen-

dulgentia suum sortiatur valorem. Certum est, causam extrinsecam moventem Pontificem ad concessionem indulgentiæ debere honestam esse, siquidem non potest Pontifex licitè indulgentiam concedere absque causa honesta, quæ ipsum moveat, ad hanc concedendam indulgentiam: ratio est perspicua, quia, cum concessio indulgentiæ sit dispensatio in pœnis temporalibus lege divina taxatis peccatori; ut licitè fiat, exigit causam honestam distinctam ab ipsa remissione pœnæ, & intrinseca utilitate, quam indulgentia secum adfert, unde difficultas est; nam hæc causa honesta necessaria sit ad valorem indulgentiæ, secundo quanta & qualis esse debeat.

Asserendum est, ad valorem indulgentiæ requiri aliquam causam extrinsecam finalem moventem Pontificem ad dispensationem indulgentiarum, qua non temerè, sed fideliter, & prudenter debet Pontifex eas concedere, adeo ut indulgentia præter intrinsecam utilitatem, quam adfert personæ, cui conceditur, redundet etiam in bonum commune, & utilitatem Ecclesiæ, & in extrinsecam Dei Gloriam, ut docent Theologi cum D. Thoma in 4. dist. 20. siquidem potestas concedendi indulgentias data est Ecclesiæ in ædificationem, & non destructionem; sed concessio indulgentiæ, si tantum spectetur in se ipsa, & in ordine ad suum effectum præcisè sump tum, absque alia causa est potius in destructionem, quam ædificationam, consequenter ad valorem indulgentiæ necessaria est aliqua honesta causa, & pia, & ob quam hic, & nunc expediat, indulgentiam concedere: major, & consequentia tenent, minor probatur, quia fideles ratione indulgentiarum non timerent pœnas in hac vita, nec in purgatorio, siquidem scirent justè, & sanctè posse illas sibi liberaliter condonari: hinc non essent adeo soliciti pro cavendis peccatis, ac declinandis periculis peccatorum: siquidem peccata subjicerent clavibus Ecclesiæ in Sacramentali confessione, & postea ut liberarentur à pœnis reliquis ex condonatis peccatis niterentur indulgentiam aliquam plenariam lucrari, quæ propterea magis obesset, quàm prodesset bono communi Ecclesiæ. Hinc Pontifex præter hanc remissionem pœnæ debet necessariò habere aliquam aliam honestam causam, ob quam moveatur ad concedendam indulgentiam. Quamvis sit Deus infinitè misericors, & munificus, non tamen statim remittit omnem pœnam temporalem; ut homines liberet à miseriis, sed in hoc vult servari ordinem justitiæ: ergo neque à fortiori Pontifex sine causa honesta potest licitè has pœnas per indulgentiam remittere; quia Pontifex nonnisi ut minister Dei dispensat indulgentias, & miuister tenetur se accommodare voluntati Principis, & operari juxta illius intentionem.

Quòd si dicas, posse Deum piè, ac sanctè remittere omnem pœnam absque alia causa pia, & honesta, sed tantum ex propria infinita bonitate, ac proprio beneplacito, proinde hoc idem poterit etiam præstare Pontifex. Contra est, quia in Deo duplicem possumus rationem considerare, unam supremi Gubernatoris, Legislatoris, & Judicis; & aliam supremi Domini. Si consideretur Deus priori modo sub hac formali ratione, nequit omnino gratis, & absque ulla causa remittere pœnas debitas, ob patrata delicta, id enim adversatur justitiæ legali, quam Gubernator tenetur observare, qua talis, & ut Judex debet res dirigere juxta propria merita, & exigentiam boni communis, consequenter eos punire, qui digni sunt punitione, & illos remunerari, qui præmium merentur. Secus si consideretur Deus sub ratione supremi Domini, & quatenus habet supremum despositicum, ac plenissimum dominium in res omnes, certum est sub hac consideratione posse pœnas omnes remittere, sicut & omnia debita condonare, prout ipsi magis libuerit, quia Deus, cujus voluntas est ipsa bonitas, omnia convertit in majus bonum: sed Pontifex ut constitutus Christi Vicarius est supremus dispensator ministerialis, non verò Dominus absolutus, quapropter tenetur studere indemnitati legis, justitiæ legalis, quam procul dubio violaret si temerè, & absque causa pœnas remitteret peccatorum, imò ageret contra justitiam commutativam, quæ obligat, ut rectè, & juxta regulas æquitatis minister suo utatur officio Gubernatoris.

• Siquidem potestas concessa inferiori in ordine ad dispensandum in lege superioris, ut suum validè posiit actum exercere, exigit sufficientem causam distinctam ab utilitate, quam ipsa dispensatio adfert personæ, cum qua dispensatur, siquidem omnis dispensatio in jure, & lege superioris præjudicat communi observantiæ legis, quæ ob bonum publicum expedit semper, ut ab omnibus observetur: unde nisi interveniat aliqua major utilitas, quæ prævaleat observantiæ hujus communis legis, dispensatio non potest validè concedi; siquidem potestas supponitur inferiori concessa à superiore sub hac conditione, quod exerceatur in majus bonum: sed potestas concessa Pontifici in ordine ad concedendas indulgentias, & solvendum ex thesauro Ecclesiæ in ordine ad remittendas pœnas debitas pro peccatis est potestas dispensandi in lege divina, siquidem est potestas remittendi pœnas, quas, propter actualia peccata condonata DEus ex lege justitiæ vindicatricis taxavit peccatoribus, consequenter sine causa aliqua honesta, & pia, ob quam expediat hîc, & nunc indulgentiam, ejusque effectum concedere non censetur Pontifex valide indulgentiam concedere. Neque sola utilitas, quam dispensatio ipsa confert personæ, cui fit dispensatio, est sufficiens causa, ut dispensatio censeatur valida, alioquin si esset sufficiens hæc utilitas prævaleret observantiæ legis, consequenter esset etiam sufficiens, ut lex ipsa ab initio non sanciretur, quod cùm falsum sit, sequitur legem prævaluisse huic utilitati, quam persona privata haberet ex non-impositione legis, unde sola dispensatio in lege non prævalet observantiæ legis, consequenter nec est causa sufficiens, ut inferior validè dispenset in lege superioris. Præterea de ratione indulgentiæ est, relaxare pœnitentias injunctas, & quæ remanent post condonata peccata, & hæc relaxatio non solùm præjudicat justitiæ vindicativæ, quam tenetur peccator servare jure naturali, ac divino, verum etiam majori utilitati, quam pœnitens perciperet, si sibi injunctas adimpleret pœnitentias, siquidem per indulgentiam tantum lucratur remissionem pœnæ temporalis, quam teneretur in purgatorio luere: per pœnitentias verò peractas non solùm remissionem talis pœnæ, verùm etiam augmentum gratiæ, & gloriæ, quapropter nisi interveniat aliqua causa distincta ab ipsa remissione pœnæ temporalis quam indulgentia causat in pœnitente, non videtur indulgentia esse valide concessa. Quo

pacto neque dispensatio in votis, præsertim in solemnibus, ut nec etiam in matrimonio rato, & non consummato erit valida, nisi præter utilitatem, quam dispensatio confert personæ, cum qua dispensatur, concurrat alia causa, quæ prævaleat observantiæ voti, & matrimonii.

Quòd si dicas, Pontificem habere immediatè à Christo potestatem concedendi indulgentias, & solvendi alia debita, ex thesauro Ecclesiæ: atqui ad validè dispensandum non semper requiritur causa distincta ab ipsa utilitate, quam secum adfert dispensatio: etenim si quis accipiat bona temporalia dispensanda egenis, ut validè ea dispenset, non prærequiritur causa distincta ab ipsa sublevatione egestatis: ergo ita dicendum de summo Pontifice, qui cum immediatè acceperit à Christo hanc potestatem dispensandi fidelibus indigentibus thesaurum Ecclesiæ: ut validè illum dispenset, non requiritur causa distincta ab ipsa sublevatione spiritualis indulgentiæ. Sed contra; est enim discrimen, quia plerumque accipiens potestatem dispensandi egenis bona temporalia sufficit, si simpliciter pauperes sublevet, eò quia mens concedentis talem potestatem fuit simpliciter pauperibus opitulari: secus quando dispensatio bonorum non solùm ordinatur ab sublevandam indigentiam pauperis, verum etiam ad alias utilitates, tunc non sufficit, si talis dispensatio, tantùm sublevet indigentiam pauperis, sed ulterius necesse est, conferat alias utilitates, quamobrem, si distributio bonorum temporalium ex institutione principalis Domini non solùm ordinata esset ad sublevandos pauperes, sed etiam ad eorundem animas in spiritu levandas, si hæc secunda conditio non adimpleretur non esset valida illa bonorum temporalium distributio, quia esset contra voluntatem Domini: pari pacto, quia potestas dispensandi per indulgentias thesaurum Ecclesiæ non solùm ordinatur ad sublevandam fidelium egestatem, verùm etiam ad utilitatem Ecclesiæ, & honorem Dei, si hæ conditiones desint, non adimpletur Christi voluntas consequenter concessio est invalida.

Quòd si dicas hanc piam causam esse quidem necessariam, ut indulgentia rectè concedatur, non verò esse de substantia indulgentiæ, neque necessariam ad ejus valorem. Sed contra quia communiter docent Theologi, hanc piam causam esse de substantia indulgentiæ, adeo ut non possit Pontifex sine ulla justa causa, & procul ipsi magis libuerit, indulgentias concedere, non enim summus Pontifex est Dominus thesauri Ecclesiæ, sed tantùm dispensator fidelis quapropter aiebat Apostolus 1. *ad Corinth*. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, & D. Petrus *Epist*. 1. *cap*. 4. ait: *Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*. ergo summus Pontifex non est Dominus, sed dispensator, proinde non potest, prout, ipsi magis libuerit sine justa causa validè dispensare thesaurum Ecclesiæ: sicut si Paterfamilias suas pecunias concederet famulo, ea conditione, ut eas pauperibus distribueret, non posset famulus in alios usus eas impendere, eò quia id esset contra voluntatem Domini. Hoc idem etiam valet de curatore in testamento relicto, quia nisi legata distribuat juxta testatoris voluntatem, perperam, & invalidè agit: perinde dicendum de Pontifice, qui habet hanc potestatem dispensandi Ecclesiæ thesaurum non absolutè, sed sub conditione rationabilis causæ, ut declaravit Clemens VI. *in Clement. Unigenitus de pænit. & remiss.* & definitum hoc etiam fuit à Martino V. in fine Concilii Constantiensis, ubi post damnatos articulos Wicleffi & Joannis Huss ait, Suspectos de hæresi interrogandos esse, an credant habere Pontificem potestatem concedendi indulgentias ex rationabili causa.

Sed dices, quamvis Pontifex non sit Dominus, sed tantum dispensator thesauri Ecclesiastici juxta voluntatem, & intentionem Dei, inde non sequitur, quod si absque pia causa indulgentiam concedat, non sortiatur hæc suum valorem, quia licèt dispensator debeat operari, ac dispensare bona juxta intentionem Domini; hæc tamen non semper est æquè efficax, adeo ut conformitas dispensatoris cum bonitate Domini non sit necessaria ad valorem operis, quamvis necessaria sit ad aliquam honestatem: etenim quando Dominus præcipit Oeconomo Dispensatori, ut suas pecunias pauperibus elargiatur, intentio Domini est, ut dispensator prudenter id præstet, & plus det pecuniæ magis indigentibus, & nihilominus si in hoc non conformetur voluntati Domini, & plus tribuat amicis, & cognatis suis minus indigentibus, adhuc illa distributio est valida pari pacto, si Dominus præcipiat Oeconomo, ut triticum emat, intentio Domini est, ut talis emptio fiat tempore messis, quando viliori pretio vendi solet, & nihilominus si Oeconomus ex injuria differat triticum emere alio tempore, quando cariori pretio emitur, adhuc illa emptio valida est, quia tametsi Oeconomus tunc non se gerat, ut prudens, & fidelis non propterea est simpliciter injustus, ergo à pari, quamvis Pontifex immediatè acceperit à Christo potestatem dispensandi thesaurum Ecclesiæ, & dispensatio indulgentiæ facta sine causa non sit juxta Christi voluntatem, adhuc illa concessio indulgentiæ potest sortiri suum valorem. Sed contra quia in concessione indulgentiarum hæc conformitas cum voluntate Christi est de substantia actus, & licet id non constet ex speciali aliqua revelatione, sequitur tamen ex natura rei, adeo ut potestas concessa à Christo Pontifici dispensandi thesaurum includat essentialiter conditionem, ut prudenter, & ex rationabili causa fiat dispensatio: siquidem conditio necessaria ad finem principalem, propter quem conceditur potestas, est etiam necessaria ad substantiam, & valorem actus ejusdem potestatis, ut constat ex terminis: sed hoc pacto se habet hæc conditio dispensandi indulgentias ex rationabili causa, quia hæc potestas fuit à Christo concessa suis in terris Vicario, ut esset in ædificationem, non destructionem, ut ait Apostolus 1. *Corinth*. 4. & 2. *Corinth*. 11. alioquin si indulgentiæ non concederentur ex rationabili causa enervaretur, imò & everteretur Ecclesiastica disciplina, ut dicitur in *cap. ut ex eo. de pænit. & remiss.* Præterea quia si Pontifex sine ulla rationabili causa concederet indulgentiam plenariam omnibus animabus expiantibus in purgatorio ad omnino evacuandum locum illum, factum teneret, quod est absurdum ex quo liquet illam conditionem, ut concessio indulgentiarum fiat ex rationabili causa, esse de substantia actus.

Sed dices, plura prohiberi fieri, quæ si fiant, quamvis nonnisi illicitè fiant, si tamen facta fuerint suum sortiuntur valorem: ergo tametsi Pontifex indulgentiam illicitè concedat sine rationabili causa, nihilominus si semel concessa fuerit, possunt fideles valide eam lucrari: quia ex parte concedentis nullum adest principium, à quo invalidetur: etenim etiam excommunicatio injusta est valida, si procedat ab habente potestatem, consequenter à fortiori absolutio ab eadem excommunicatione valida est, quamvis injusta: ergo, licet indulgentia concedatur illicitè sine rationabili causa, semel tamen concessa suum sortitur valorem. Contra quia licèt plura prohibeantur, & fiant illicitè, quæ,

quæ, si facta fuerint, suum sortiuntur valorem; non tamen hoc contingit in concessione indulgentiæ absque rationabili causa: siquidem Pontifex non habet hanc potestatem concedendi indulgentias sine rationabili causa, licet habet immediatè à Christo potestatem eas concedendi, non tamen absolutè simpliciter, sed sub conditione, quod concessio fiat ex aliqua rationabili causa, unde potestas concessa Pontifici, est tantùm ad indulgentias legitimas concessas ex aliqua pia, & rationabili causa. Nec quidquam probat, quod exemplificabatur de excommunicatione injustè inflicta, quæ valida est, siquidem ut plurimum hujusmodi excommunicationes nullius sunt valoris, & tunc præsertim, quando feruntur absque ulla legitima causa, unde posset potius argumentum retorqueri, quia tunc tantùm contingit excommunicationem injustam esse validam, quando injustitia non omnino tollit causam justam excommunicationis. Cæterum absolutio ab eadem excommunicatione est valida, si ab eo procedat, à quo fuerat excommunicatio posita, quia tunc superior solvit vinculum, quod dependebat ab ejus voluntate; & ita dicendum: si absolutio fiat à superiore continente virtualiter voluntatem inferioris: secus si, qui absolvit, inferior sit, tunc absolutio non est valida.

Quinimo ad valorem indulgentiæ non solum requiritur causa justa ex se pia, & honesta, verùm etiam proportionata effectui, seu quantitati indulgentiæ, ut communiter docent Theologi. Ratio est, qui à Pontifices ad valorem indulgentiarum non solùm exigunt piam causam, verùm etiam quæ sit justa, & rationabilis, ut ait Clemens VI. *in Extravag. Unigenitus. de pœnit. & remiss.* ubi non solùm ad concedendas indulgentias ex communi Ecclesiæ thesauro exigit piam causam, sed etiam rationabilem, adeo ut hæc sit diversa pro partiali, & totali indulgentia; totalis autem est plenaria, quæ procul dubio majorem exigit causam, quam partialis, quæ, cum plenaria non sit, exigit minorem causam; ait enim Pontifex: Quem thesaurum salubriter fidelibus dispensandum ex propriis & rationalibus causis nunc pro totali, & nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis debitæ pro peccatis. Vult Pontifex, ut habeatur proportio inter causam, & indulgentiam, adeo ut pro majori indulgentia sit causa major, & pro minori minor, quo pacto si ad impetrandam Hæreticorum conversionem concederetur plenaria indulgentia omnibus semel recitantibus tantum salutationem Angelicam, non videretur hoc opus esse medium proportionatum ad talem finem, seu assecutionem indulgentiæ: hinc persæpe causa, propter quam conceditur indulgentia, integratur ex opere, sub cujus conditione conceditur, quia plerumque opus injunctum assumitur et medium in ordine ad assecutionem finis, ob quem movetur Pontifex ad concedendam indulgentiam. Præterea quia Pontifices semper asseruerunt, requiri ad indulgentias concedendas rationabilem causam ut exprefsè significavit Leo X. in Bulla directa ad Cajetanum, & Martinus V. in Concilio Constantiensi *sess. ult.* Non enim sufficit ad causam rationabilem, si sit honesta, sed ulterius debet esse rationi consona, ac proportionata: siquidem recta ratio reprobat, quidquid est improportionatum, consequenter tantum approbat, quod est proportionatum, unde si causa debet esse rationabilis, debet itidem esse proportionata: alioquin sine proportione rationabilis non esset, quamvis ex se honesta, & hæc ratio est, cur Innocentius III. in *cap. Cum ex eo. de pœnit. & remiss.* superfluas indulgentias, quæ suis non sunt proportionatæ causis, ob quas conceduntur, vocet indiscretas, seu irrationabiles, & ut perniciosas reprehendit: dicuntur indulgentiæ superfluere, quando largius, quam causa exigit, conceduntur, quamvis causa ex se pia sit, & honesta, ut recitatio salutationis Angelicæ, si pro illa concederetur indulgentia plenaria, hæc enim superflueret: unde causa rationabilis ultra pietatem, & honestatem operis injuncti exigit ulterius adæquationem, & proportionem, idque exemplificari potest; quia si quis ad redimendum hominem rusticum captivum apud Turcas effunderet decem millia aureorum, quamvis hæc solutio esset ex causa pia, seu ad redimendum hominem captivum, non tamen esset solutio rationabilis, quia redemptio hominis rustici non tanti æstimatur; cùm ad id subinde sufficiant viginti, vel triginta aurei, quapropter talis effusio esset imprudens profusio, & si fieret ex alienis divitiis alicui concreditis, ad eas dispensandas rationabiliter, esset tunc donatio invalida quoad excessum mensuræ, pari pacto, ut Pontifex in concessione indulgentiarum prudenter, ac fideliter segerat, debet ex causa non solùm pia, & honesta, verùm etiam proportionata eas concedere, quia Pontifices sunt fideles administratores, & absolutè exigunt causam justam, ut validè concedant indulgentias; & illud non est justum, quod non est adæquatum, ac proportionatum, ergo concedendæ sunt indulgentiæ non solùm ex causa pia, & justa, sed etiam proportionata.

Quòd si dicas, causam piam semper esse rationabilem, & non posse esse rationabilem, quin sit justa. Contra est, distinguitur antecedens, nequit esse causa pia, quin sit rationabilis, si sit pia tantùm ex se absolutè, & non referatur ad aliud conceditur, antecedens, quia quod est pium simpliciter in se, est semper juxta rationem: si causa in se pia dicat ordinem ad aliquid aliud, tunc potest illi non æquivalere, consequenter non censetur in ordine ad illud causa pia: plerumque contingit rem aliquam esse in se honestam, & piam, quæ si sumatur relativè, seu in ordine ad aliquem effectum non sit amplius honesta: hinc recitatio salutationis angelicæ, quantum est ex se, & absolutè, est procul dubio opus pium, & honestum, verùm, si hoc opus assumeretur pro lucranda indulgentia plenaria remissiva cujusvis pœnæ tam in hac vita, quàm in alia, non diceretur opus honestum in ordine ad illam indulgentiam, quæ procul dubio cederet in maximum detrimentum Ecclesiasticæ disciplinæ: qua ratione Pontifices semper damnarunt hujusmodi indulgentias ut indiscretas, eò quia Ecclesiasticam disciplinam exercent. Præterea certum est in omnium sententia indulgentias non esse dispensandas nisi ex rationabilibus, & justis causis, seu juxta rectam rationem, sed tam dissonum est rationi pro exigua causa magnam concedere indulgentiam, quam pro nulla causa concedere parvam indulgentiam, atqui parva indulgentia concessa ex nulla causa est invalida: ergo etiam erit invalida magna indulgentia pro parva causa, quæ non sit proportionata indulgentiæ. Firmari etiam ex eo potest, quia in dispensandis votis, non quæcunque causa censetur sufficiens, sed ea tantùm, quæ perpensis omnibus existimatur

matur Deo magis placitura, quam placeret ipſa voti obſervantia; ergo, nec quælibet cauſa cenſenda eſt ſufficiens ad diſpenſandum in jure divino in ordine ad remittendas pœnas à Deo peccatori taxatas, ſed ea tantum quæ cenſetur Deo magis placitura, quam placeret obſervantia divinæ legis de pœna ſolvenda.

Si dicas D. Thomam *in 4. diſt. 20. queſt. 1. ad 3.* expreſsè docere quantitatem effectus indulgentiæ non commenſurari quantitati, ſeu gravitati cauſæ: ſed ad valorem indulgentiæ ſufficere, ſi cauſa ſit pia, tametſi minor ſit quam effectus indulgentiæ, ait enim *in ſolutione ad primum, ſi Prælatus inordinatè concedat indulgentias, ità ut homines quaſi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat, faciens tales indulgentias, nihilominus quis plenam indulgentiam conſequitur*: ergo ad valorem indulgentiæ non requiritur proportio, ſed ſufficit, ſi cauſa ſit pia. Verùm reſpondent plures Thomiſtæ S. Doctorem loc. cit. fuiſſe locutum de indulgentiis tantum per modum ſuffragii, eò quia poſſit majus ſuffragium offerri, quam cauſa poſtulet, hæc tamen reſponſio non ſatisfacit, quia D. Thomas loquitur abſolutè de indulgentia, & negat ad valorem indulgentiæ requiri ſemper cauſam adæquatam, quamvis neceſſaria ſit pietas in cauſa; quod affirmatur de quacunque indulgentia: Præterea etiam indulgentia per modum ſuffragii, eſt vera diſpenſatio theſauri, conſequenter vera indulgentia, quæ, ut valida ſit, debet eſſe pia, juſta, rationabilis, & proportionata. Quamobrem D. Thomas per cauſam piam intellexit cauſam convenientem, ac proportionatam; alioquin non eſſet pia ſimpliciter in ſe, & reſpectivè, ſeu in ordine ad effectum: & hanc fuiſſe mentem D. Thomæ ex eo conſtat, quia S. Doctor *diſt. 45. queſt. 2. art. 3.* cum dixiſſet indulgentias poſſe concedi pro defunctis indirectè, ſeu per actiones vivorum, ſubdit poſtea: Nec tamen ſequitur, quod Prælatus Eccleſiæ poſſit pro ſuo arbitrio animas à purgatorio liberare: quia ad hoc, ut indulgentiæ valeant, requiritur cauſa conveniens concedendi indulgentias: hoc autem cauſa, non ſolùm eſt pia, honeſta, & rationabilis, ſed etiam proportionata, ſiquidem, quæ carent proportione, non conveniunt. Hoc etiam videtur declaràſſe *in ſolutione ad 5*, ubi docet requiri cauſam legitimam, ut validè concedantur indulgentiæ, & cauſa non cenſetur legitima, ſi non fuerit proportionata. Hinc, quando *in ſolutione ad primum* ait, Prælatum inordinatè concedentem indulgentias peccare: ſubditos verò indulgentias lucrari; non loquitur tunc de inordinatione ſubſtantiali, qualis eſt defectus cauſæ legitimè proportionatæ, ſed tantùm de inordinatione accidentali ſita in nimia frequentia, vel in conſideratione alicujus nocumenti, quod ex abuſu ſubditorum interdum ſequitur.

Si dicas, eſſe uſum, & conſuetudinem Eccleſiæ, ut pro eadem cauſa majores vel minores plerumque concedantur indulgentiæ: quinimò interdum pro levi cauſa Pontifex amplam concedit indulgentiam, ut cùm ſola ſua benedictione concedit indulgentiam plenariam omnibus adſtantibus, qui interdum ſunt plura millia hominum, atqui non eſſet pium, neque tutum aſſerere has indulgentias temerè tunc concedi, ex quo ſequitur, ad valorem indulgentiæ non ſemper requiri cauſam proportionatam, ſed contra negatur conſequentia, quia, tametſi pro eadem cauſa nonnunquam concedatur major, vel minor indulgentia, ſemper tamen cauſa eſt proportionata; quia in cauſa proportionata poteſt eſſe latitudo, vel quia poteſt Pontifex non concedere indulgentiam adæquatam cauſæ, ſed minorem, in quo non errat, ſed tantùm videtur eſſe minor liberalis. Tum quia licet materialiter videatur eſſe eadē cauſa ob ſimilitudinem operis, non eſt tamen eadem ſecundum valorem, & moralem æſtimationem perpenſis omnibus circumſtantiis, ob quas poteſt eſſe major utilitas, vel neceſſitas uno tempore, quàm alio. Cæterum quando pro eadem cauſa conceduntur indulgentiæ majores, vel minores, tunc illa cauſa eſt proportionata indulgentiæ majori, & ſuperabundans pro minori, quod non videtur inconveniens, quia Pontifex non ſemper tenetur concedere totum, quod poteſt. Quamobrem liquet, non eſſe cenſendum facile, poſſe ab aliquo judicari, graves indulgentias concedi à Pontificibus propter leves cauſas: ſiquidem gravitas cauſæ non ſolum penſatur ex opere injuncto, ſed etiam ex alio altiori bono, quod ad Dei Gloriam & Eccleſiæ utilitatem, ob tale medium vult ut fideles conſequantur.

An verò ad valorem indulgentiæ ſufficiat, ſi tantum probabiliter cauſa cenſeatur ſufficiens, & proportionata, quamvis in re talis non eſſet: communior ſententiæ eſt, cauſam tantùm putatam proportionatam ſufficere ad valorem indulgentiæ. Ratio eſt, quia Chriſtus conceſſit hanc facultatem ſuo in Eccleſia militanti Vicario diſpenſandi theſaurum Eccleſiæ, ut exercendam humano more, quia cùm Chriſti Vicarius ſit in terris homo, non aliter de lege ordinaria poteſt operari quam humano more. Sed mos humanus eſt, ut ex probabili notitia ſufficientis cauſæ moveatur Pontifex ad concedendam indulgentiam; non enim poteſt homo ſemper res cognoſcere, ut revera ſunt in ſe, præſertim cùm ad illas fertur per alienas ſpecies: unde ad valorem indulgentiæ ſufficit, ſi cauſa prudenter cenſeatur ſufficiens. Præterea, quia ab Oeconomo non requiritur, niſi ut operetur juxta regulas prudentiæ: & quia hoc modo operatur, dicitur à Chriſto fidelis ſervus & prudens; ergo quoties Pontifex putet cauſam indulgentiæ concedendæ eſſe proportionatam & ſufficientem, indulgentia ſuum ſortitur valorem, tametſi re ipſa talis cauſa proportionata non eſſet, nec ſufficiens. Chriſtus enim in omnibus, in quibus plenam poteſtatem ſuo tradidit Vicario, eam conceſſit, ut exercendam humano more, ſeu dependenter ab hominis judicio, & prudentia, ut conſtat de poteſtate, quæ ineſt Pontifici in ordine ad diſpenſanda vota, & in ordine ad ligandum, & ſolvendum à cenſuris, & ad conferenda beneficia; hæc enim ut rata habeantur, ſufficit, ſi eorum cauſæ cenſeantur probabiliter, & prudenter ſufficientes, id enim videbatur exigere rectus Eccleſiæ ordo, alioquin magna eſſet in Eccleſia turbatio, & ſcrupuli conſcientias torquerent fidelium, ſi poſſent dubitare de validitate eorundem actuum. Advertendum tamen eſt, quod circa Sacramenta exercenda non tradidit Chriſtus plenam Eccleſiæ poteſtatem, ut eorum validitas dependeret ab humano, & prudenti judicio Miniſtri, quia cum Sacramenta ſint potiora fundamenta, quibus nititur Eccleſia, exigunt dependere ex ſolo infallibili Chriſti judicio, ut firmiora eſſent, adeo ut in ipſis non poſſit Eccleſia quoad ſubſtantialia quidquam immutare.

Si dicas, indulgentiam collatam ab habente poteſtatem exiſtimatam tantum probabiliter non ſortiri ſuum valorem, conſequenter neque collatam ex cauſa probabiliter tantum putata. Contra eſt, poſſet enim negari antecedens, quia non repugnat, poſſe Chriſtum habere ratas indulgentias applicatas ab habente poteſtatem tantum probabiliter putatam, etenim etiam lex *Barbarius* habet ut validos, & ratos publicos actus celebratos ab habente poteſtatem tantum

tùm probabiliter putatam, sed quidquid sit de antecedente, quòd fortassis verius non concederetur, eò quia expediens non sit, cùm quis tantùm probabiliter putat se habere potestatem concedendi indulgentias eas defacto concedet, ne occasio daretur fidelibus credendi plura esse in Ecclesia capita, cùm ad solum caput pertineat indulgentias dispensare, unde negatur consequentia, quia ad conservandam authoritatem Christi Vicarii congruum erat, ut indulgentiæ ex causa probabiliter tantùm putata collatæ suum sortirentur valorem.

Si dicas, absolutionem collatam pœnitenti tantùm putativè attrito non esse validam, consequenter neque indulgentiam; contra est, negatur consequentia, & ratio discriminis est, quia attritio essentialiter cum Sacramento requiritur ad mortalium remissionem. Quapropter attritio non solùm est necessaria in Sacramento pœnitentiæ, verùm etiam respectu adulti in Sacramento baptismi, quamvis ad baptismum non concurrat, ut pars essentialis. Indulgentia verò, ut etiam quidquid Sacramentum essentialiter nos integrat, nec infert, nec est necessarium ad effectum Sacramenti, suum sortitur valorem, quamvis procedat ex causa tantùm putativa proportionata: unde si peccator probabiliter putat se esse in statu gratiæ, validè lucratur indulgentiam.

Sin verò causa non sit sufficiens pro tota indulgentia, tunc tantùm est valida quoad illam partem, ad quam datur causa proportionata, quia Pontifex in concessione indulgentiæ semper intendit ponere illam remissionem, in quantum potest, seu ex illa pœna remittere quantum potest, quapropter, si non possit illam totam remittere, saltem remittit illam partem, quam potest. Tum quia quando Episcopus concedit indulgentiam majorem, quam potest, tunc indulgentia est valida solum quantum ad id, quod potest, & quod non excedit ejus potestatem: pari pacto quando Pontifex indulgentias 40. annorum, si non habeat causam sufficientem nisi pro 20. valet indulgentia pro illis 20. quia quoties Pontifices concedunt indulgentias, habent absolutam, & efficacem voluntatem, ut illæ, quantum fieri potest, sint fructuosæ iis, quibus conceduntur, consequenter semper habent implicitam voluntatem, ut, si indulgentia non valet pro toto, saltem valeat pro parte, & quantùm potest, quapropter nunquam, dubitandum est, an indulgentia fuerit à Pontifice concessa ex sufficienti, & proportionata causa, quia non requiritur, ut causa re ipsa, & in se sit sufficiens, sed sufficit, si probabiliter, putetur talis, atqui de Pontifice semper præsumitur, ut indulgentias non concedat, nisi ex causis probabiliter judicatis sufficientibus: quia si concederet indulgentias ex causa non judicata sufficiente, ipsi verteretur culpæ, ac peccaret, quia excederet terminos suæ potestatis.

An verò indulgentia valida sit, si ex pravo fine concedatur, respondetur negativè, quia indulgentia, ut valida sit, necesse est procedat ex causa justa, & pia: sed eo ipso, quod concederetur ob malum finem, non procederet ex justa, & pia causa, consequenter non sortiretur suum valorem.

Quòd si dicas, posse indulgentiam ex pravo fine concessam habere piam causam externam, ut si elargientibus eleemosynam pro structura templi concederetur indulgentia, & nihilominus à concedente ordinaretur eleemosyna illa ad malum finem, ut ad vanam gloriam, tunc procedendum est cum distinctione; quia si malus finis concedentis innotesceret lucraturo indulgentiam, nihil hæc illi prodesset, quia indulgentia nequit valida esse, nisi propter piam causam saltem probabiliter putatam talem, quia debet esse propter aliquid, quod probabiliter putetur magis placiturum DEO, quam ipsa legis observantia desolvenda pœna à DEO taxata peccatori: & malus finis cognitus ut talis non potest DEO placere. Quòd si malus finis concedentis non innotescat lucraturo indulgentiam, & bona fide exequatur omnia opera injuncta, tunc indulgentia sortitur suum valorem, & prodest eam lucraturo: quia concessio indulgentiæ, quamvis depravetur pravo fine concedentis, non tamen depravatur ipsa injuncti operis executio, præsupponitur honestè fieri à lucrante indulgentiam, unde si tale opus fuerit ex se pium, justum, rationabile, ac proportionatum tali indulgentiæ: pravus finis concedentis non irritat valorem indulgentiæ, quia tunc, si pravus finis concedentis non innotescat lucraturo indulgentiam, potest executio operis injuncti honesta fieri, ac esse utilis Ecclesiæ, & DEO honorifica, quia, cùm efficiatur ab eo, cui conceditur indulgentia, non inficitur ex pravo fine concedentis. Neque ad utilitatem causæ, ob quam indulgentia conceditur, sufficit, si adferat bonum aliquod temporale, quod sit Ecclesiæ utile, tametsi finis sit pravus: non tamen si causa sit purè temporalis prodest ipsi lucranti indulgentiam, quia hæc ordinatur ad finem supernaturalem, & concedere indulgentiam ob purum lucrum, temporalem sapit Simoniam.

Quòd si quæratur, qualisnam causa judicanda sit proportionata ad lucrandam indulgentiam, respondetur, omnem illam causam dici proportionatam, quod secum adfert aliquod, quod probabiliter censetur magis placiturum DEO, quam ipsa observantia legis de solvenda pœna à DEO peccatori taxata: hinc omnis illa causa censetur proportionata, quæ utilis est Ecclesiæ, ut veneratio Sanctorum, constructio templi, propagatio Religionis, interesse divinis officiis, pugnare pro fidei defensione; hæc enim omnia ordinatur ad finem supernaturalem; & pro temporalibus causis non conceduntur indulgentiæ, nisi quatenus ad spiritualem utilitatem possunt conducere, ut sunt quæ adferunt auxilia ad coercendos Ecclesiæ hostes, vel concurrunt ad commodum pauperum, ut esset suppeditare pecunias pro constructione pontium, viarumque communium instauratione, quia hæc redundant in bonum pauperum, & commodum fidelium. Generatim omnis illa dicitur causa proportionata, quando omnibus prudenter perpensis major DEI honor, & spiritualis utilitas sequitur ex indulgentiæ concessione, quam posset ex ejus non concessione sperare per rigorosam punitionem peccatorum; tunc enim semper utilius dispensatur thesaurus ad fidelium ædificationem.

Cæterum si indulgentia pertineat ad bonum commune, requiritur ut causa, ob quam conceditur, sit etiam communis, & publica, quæ immediatè pertineat ad utilitatem totius Ecclesiæ, vel saltem alicujus principalis partis ejusdem, seu unius Regni, vel Provinciæ; ratio est, quia causa, ob quam conceditur indulgentia, non sufficit, si sit simpliciter pia, & honesta, sed ulterius requiritur, ut sit proportionata effectui indulgentiæ, sed, quando indulgentia conceditur toti Ecclesiæ, ejus effectus est communis omnibus fidelibus, ergo causa, ob quam indulgentia

 conce-

conceditur, non solùm debet esse pia, sed etiam communis, adeo ut pertineat immediatè ad utilitatem totius Ecclesiæ, vel saltem alicujus principalis partis ejusdem, quia sæpè conceditur indulgentia toti Ecclesiæ pro defensione unius tantùm Provinciæ, cujusmodi est plenaria indulgentia, quæ pro recuperanda terra Sancta conceditur in calce Concilii Lateranensis, quæ etiam extenditur ad pugnantes contra Hæreticos, ut habetur *in cap. excommunicamus 1. §. Catholici de Hæreticis*: siquidem bonum unius partis principalis est maximum bonum totius corporis & membra debent se mutuò juvare in iis maximè rebus, quæ magna ex parte attingunt totum corpus. Sin verò indulgentia non concedatur immediatè personis, sed tantùm mediante aliquo loco, tunc sufficit, si causa indulgentiæ locum immediatè attingat, ut aliquam Beatæ Virginis imaginem, vel sanctum aliquem, qui specialiter in eo loco colitur, tametsi ex parte personarum concedatur indifferenter omnibus fidelibus; quo pacto amplissimæ conceduntur indulgentiæ visitantibus loca Sacra Jerosolymæ, vel Romæ, rursus in dedicatione alicujus templi solet etiam specialis indulgentia concedi omnibus illud visitantibus, ac in eodem orantibus, ut habetur in cap. *Quod autem de pœnit. & remiss.* siquidem juxta modum causæ debet esse ejus utilitas, & hoc pacto servatur proportio; & quamvis templum sit particulare, ejus tamen celebritas, & favor redundant in utilitatem omnium fidelium, non tamen est necesse, ut causa, ob quam indulgentia conceditur, adferat semper immediatè spiritualem utilitatem; interdum enim potest esse immediatè temporalis, quæ tamen dicat ordinem ad spiritualem utilitatem, cujusmodi sunt propulsare hostes Ecclesiæ, extinguere pestem, expellere famem, & alia id genus, quæ solent à DEO impetrari per fusas ad ipsum preces, etenim sicut honestum est hæc bona à DEO petere pro conservatione fidelium, & totius communitatis, à qua DEus ritè colatur: ita censetur etiam bonum, si eisdem precibus adnectatur favor indulgentiæ, ut ferventius fundantur, & hæc videtur esse ratio, cur persæpè concedantur indulgentiæ in solemnitate alicujus festi, ut majori celebretur cum devotione, & pietate, ut habetur *in Clement. unica de reliquiis, & veneratione Sanctorum*: Bona enim temporalia Ecclesiæ, & ejus temporalis tranquillitas, & pax ad pacem diriguntur spiritualem, ac DEI honorem, quapropter *in cap. cum ex eo de pœnit. & remiss.* conceditur indulgentia iis, qui hospitale erigunt, ac sustentant; quia tametsi finis proximus hujus operis videatur esse corporalis, ipsum tamen opus per se pium est, & ordinatur ad bonum commune, & Charitatis incrementum, hoc idem etiam dicitur de instauratoribus corruentium Ecclesiarum, vel rerum aliarum Sacrarum: quinimo mos fuit antiquitus, ut indulgentiæ non concederentur nisi propter hos fines, neque aliud pium opus requirebatur ad consecutionem indulgentiæ præter eleemosynas, quæ dicebantur manus adjutrices, quem morem imitatus Leo X. pro construenda Romanæ Basilica D. Petri concessit omnibus fidelibus indulgentiam obtinendam mediante eleemosyna data pro structura ejusdem templi: etenim à Pontifice exigebatur illud temporale subsidium non in eo sistendo, sed in Sacro opere, cultúque religioso, ad quem collecta pecunia dirigebatur: quamvis Lutherus hanc contra indulgentiam cæperit insanire, & contra authoritatem Pontificis, sedisque Apostolicæ plura effutire, eandemque crambem plurium errorum recoquere, ac innovare, ex quo suum traxit initium Lutheranorum hæresis, quæ totam propemodum Germaniam infecit, & corrupit.

Sin verò indulgentia non sit communis, sed tantùm concedatur alicui privatæ personæ, non requiritur tunc causa communis, sed sufficit privata proportionata personæ, ratio est, quia sufficientia hujus causæ non fundatur in universalitate, sed in sola honestate, & proportione, sed causa privata proportionatur indulgentiæ, quæ conceditur personæ privatæ, quia tunc effectus indulgentiæ non excedit suam causam, unde quando indulgentia est particularis, seu personalis, sufficit, si causa sit ejusdem ordinis, scilicet personalis, quia tunc censetur proportionata; perinde ac in distributione materialis thesauri, quamvis non intercedat communis necessitas, vel causa, si tamen hæc reperiatur in una persona illa sufficit, ut eidem subveniatur ex communi illo thesauro.

Sed dices, si causa particularis sufficeret ad concedendam indulgentiam alicui personæ particulari, hæc posset esse necessitas declinandi pœnas purgatorii; proinde posset Pontifex cuilibet fideli moribundo concedere indulgentiam plenariam solùm ob hanc personalem causam, ut fideli ex hac vita demigraturus pœnas evadat purgatorii. Sed contra, quia Pontifex non concedit morientibus has indulgentias ad eum duntaxat finem, ut evadant pœnas purgatorii, sed præter hanc causam requiritur aliqua alia in iisdem morientibus honesta, & gravis, & proportionata quantitati indulgentiæ, hæc autem particularis causa peti potest ex pietate vel officiis exhibitis Ecclesiæ à personis particularibus, quo pacto solent Potifices Romæ concedere indulgentiam plenariam morientibus Cardinalibus absque nova causa, eò quia hi honestate vitæ excelluerint, vel plura Ecclesiæ exhibuerint servitia: quæ causa honesta est, ut in præmium virtutis, & ad gratificandos bene merentes concedatur morientibus hæc amplissima indulgentia, ut reliqui ad inserviendum Ecclesiæ ferventiori excitentur Spiritu; & tali videtur fuisse indulgentia, quam Martinus V. in fine Concilii Constantiensis concessit omnibus, qui eidem interfuerunt: & Paulus IV. concessit Sancto Ignatio Loiolæ, cùm Romæ animam ageret. Quòd si morti proximus nimium esset animo dejectus, & veluti diffidens de propria salute, si per concessionem indulgentiæ crederetur in spem erigendus, & uberiori fervore disponendus ad mortem; hæc itidem censeretur sufficiens causa concedendi eidem indulgentiam; siquidem esset causa extrinseca pia, & proportionata; & hac ratione D. Paulus 2. *Corinth.* 2. concessit veniam peccatori, ut non circumveniretur à Satana, aut nimia absorberetur tristitia.

CAP. XV.

# CAPUT XV.

## De Thesauro Ecclesiæ, qui per indulgentias dispensatur.

Thesaurus Ecclesiæ, à quo summus Pontifex dicitur pretia desumere indulgentiarum ad remittendas pœnas, quæ supersunt luendæ pro peccatis jam condonatis quoad culpam, nihil aliud est, quam ipsa merita JEsu Christi, Deiparæ, & satisfactiones omnium Sanctorum, ac fidelium, qui supra id, quod debuerant pati pro peccatis, plura alia coacervârunt merita, quæ in utilitatem Ecclesiæ, ac aliorum fidelium inserviunt. Sectarii hunc Thesaurum negant, eo quia non possit locus assignari, in quo asservetur, quasi esset quid materiale, vel coacervatio ex auro, argento, lapidibus pretiosis, ac gemmis, & non quid spirituale in mente DEI. Ex Catholicis ausus itidem fuit Mayronus *in 4. dist.* 19. hunc negare thesaurum, eo quia supponitur constare ex meritis Christi, & Sanctorum, quod ipse impugnat, nixus eo fundamento, quia tam merita Christi, quàm Sanctorum fuerunt à DEO sufficienter remunerata: etenim censet, merita Christi sufficientem habuisse remunerationem in ipso Christo homine, quando ob eadem merita exaltatus est, & accepit nomen, quod est super omne nomen; hæc sententia videtur corroborari ex sententia Scoti, Durandi, & aliorum negantium, Christi merita fuisse infiniti valoris, unde, cùm fuerint finita, concludunt non posse construere hunc thesaurum, quia exhauriretur, & merita ibi asservata non sufficerent pro tanta pœnarum remissione, quæ debentur pro condonatis peccatis; præsertim, cùm Christi merita jam fuerint applicata, & oblata pro redemptione totius humani generis; quòd si aliquid de Christi meritis supersit irremuneratum coram DEO fortassis hoc totum adhuc necessarium est ad persolvendas gratias omnes, ac remissiones hominibus concedendas propter Christum, & applicandas per Sacramenta, & sacrificia usque ad finem mundi. Sed hæc sententia communiter rejicitur; quia ex suppositione, quòd Christus aliquid meruerit, ejus meritum fuit infinitum, ac sufficientissimum ad construendum thesaurum Ecclesiæ. Quòd enim meruerit, est certum de fide, ut constat ex Tridentino *Sess. 6. cap. 3.* ubi definitur, Christum fuisse causam meritoriam nostræ justificationis; & hæc eadem veritas evincitur ex Scripturis *Isaiæ cap.* 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, videbit, & saturabitur.* Quibus verbis promittitur Christo morienti pro humano genere præmium, quod essentialiter supponit meritum; adeo ut Christus sua Passione promeruerit redemptionem humani generis, & salutem hominum. Hinc Apostolus *ad Philip.* 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, propter quod DEus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen:* attribuit Apostolus exaltationem, ac nominis glorificationem ejus humilitatis, & obedientiæ veluti præmium. Ratio itidem hoc evincit, quia opus per se honestum, si liberè fiat à principio informato charitate, & in DEI obsequium, per se ordinatur ad præmium, estque meritorium apud DEum: sed Christi opera fuerunt liberè posita, honesta, charitate informata, elicita in DEI obsequium, & ordinata ad præmium: ergo fuerunt meritoria, quia nulla iisdem defuit conditio requisita ad rationem meriti; & per illa Christus promeruit.

Cum igitur certum sit de fide, Christum suis operibus meruisse, ut dignoscamus, qualis, & quantus sit thesaurus Ecclesiæ, à quo eruuntur solutiones indulgentiarum pro remittendis pœnis remanentibus ex condonatis peccatis, superest inquirendum, an valor meritorius Christi fuerit infinitus in genere moris; quia in genere physico, certum est operationes Christi Domini non fuisse simpliciter infinitas: quia in genere physico fuerunt ejusdem rationis, ac aliæ elicitæ à puro homine, quæ, cùm proveniant à principiis remotis, & proximis finitis, non possunt, & ipsæ operationes in genere physico non esse finitæ, non enim potest effectus suos causas, & principia excedere, alioquin secundùm mensuram excessûs daretur effectus sine causâ, quod repugnat. Quæritur igitur, an Christi operationes fuerint in genere moris infinitæ dignitatis: & dicendum est, operationes Christi fuisse infiniti valoris simpliciter, ut docet D. Thomas pluribus in locis, præsertim 3. *part. quæst.* 48. *art.* 2. *ad* 4. ubi ait: *Dicendum, quòd dignitas carnis Christi non est æstimanda solùm secundùm carnis naturam; sed secundùm personam assumentem, in quantum scilicet erat caro DEI, ex quo habebat dignitatem infinitam.* Loquitur D. Thomas absque ullo addito diminuente, proinde significant infinitatem simpliciter in genere moris; & ostenditur etiam ex Clemente VI. *in extravag. de Pœnitentiis & remissionibus* ubi, loquens de thesauro Ecclesiæ ait: *De cujus consumptione, aut diminutione non est aliquatenus formidandum propter infinita merita Christi,* quibus verbis judicat Clemens VI. opera Christi fuisse infiniti valoris simpliciter in genere moris: quia, si valor operum Christi non esset infinitus simpliciter, non essent dicenda merita Christi infinita simpliciter, & absolutè, sed cum aliquo addito diminuente: quia infinitum absolutè prolatum, supponitur pro infinito simpliciter: proinde meritum absolutè infinitum, est meritum infinitum simpliciter: ergo cum Pontifex absolutè, & absque ullo addito diminuente asseruerit infinita Christi merita, censuit esse merita simpliciter infinita; alioquin, si non essent infinita, posset aliquando formidari, num peccata ita excrescerent, ut ob eorundem multitudinem thesaurus Ecclesiæ minueretur, & tandem exhauriretur: quia si Christi merita essent finita, thesaurus Ecclesiæ constaret ex meritis tantùm finitis, & possent peccata ita excrescere, ut tandem exhaurirent thesaurum, contra Pontificem definientem: *de cujus consumptione, non esse aliquatenus formidandum propter infinita merita Christi.* Si enim Christi merita non essent simpliciter infinita; neque in ratione satisfactionis essent infinita simpliciter, consequenter valor esset simpliciter finitus, & præfixis terminis clauderetur, ad quos posset perveniri: unde, si merita Christi non essent simpliciter infinita, possent peccata ad illam multitudinem crescere, ut tandem Christi merita in thesauro Ecclesiæ exhaurirentur; ut enim possent fieri solutiones pro remissione pœnarum, quæ solvendæ superessent ex condonatis peccatis, possent tam multæ esse hujusmodi solutiones, ut tandem satisfactiones exhaurirentur, si quæ in thesauro continentur Ecclesiæ, finitæ essent.

Proba-

Probatur secundò ratione à priori: quia opera Christi habent valorem simpliciter infinitum, si valoris tam satisfactorii, quam meritorii forma intrinseca constitutiva est simpliciter infinita, sed hujusmodi se habent opera meritoria Christi, ergo sunt valoris simpliciter infiniti. Major liquet, quia forma intrinsecè infinita, dat effectum formalem itidem infinitum: siquidem effectus formalis formæ, est ipsa forma, ut exhibita subjecto, consequenter, si fuerit forma infinita, etiam ejus effectus formalis erit infinitus, minor ostenditur, quia id quo operationes Christi per se primo formaliter accipiunt, ut sint acceptabiles ad præmium, & habeant compensationem pro peccatis est forma intrinseca constitutiva valoris meritorii, & satisfactorii: sed Christi operationes per infinitam dignitatem Verbi divini, accipiunt per se primò formaliter hanc acceptabilitatem ad præmium, & compensationem pro peccatis, quia sicut opera hominis justi à dignitate personæ operantis, seu à gratia habituali accipiunt intrinsecam condignitatem meriti, & satisfactionis pro peccato veniali, sequitur quòd etiam opera Christi à dignitate personali, & infinita Verbi divini accipiant valorem infinitum. Præterea quia opera Christi sunt intrinsecè theandrica, seu divina, & humana, ut communiter docent Sancti Patres, præsertim Damascenus *lib. 3. de fide cap.* 15. ubi ait Christi Passiones fuisse *vivificas, & salutares, quia humanas humano modo efficiebat, sed ut Deus.* Et D. Dionysius *Epist. 4. ad Cajum* ait: *Divina, non quatenus DEus est, perfecit, nec humana quatenus homo, sed cum nobis conversatus est. DEus homo factus, novam, quamdam DEI, virique actionem operatus est.* Quamobrem ex Sanctis Patribus constat operationes Christi esse infiniti valoris, eò quia sint theandricæ: sed actiones esse theandricas, nil aliud est, quam fuisse actiones totius concreti, quod est DEus, & homo: ergo operationes Christi sunt infiniti valoris, quia sunt actiones DEI hominis. Præterea quia operationes Christi ab illo principio, à quo habent, ut sint theandricæ, accipiunt infinitum valorem intrinsecum: sed ab infinita dignitate personæ divinæ habent, ut sint formaliter theandricæ, consequenter ab ipso accipiunt intrinsecum valorem infinitum.

Firmari etiam ex eo potest, quia operationes satisfactoriæ Christi procedebant à supposito infinito simpliciter, seu à persona divina, consequenter ex natura rei, & ab intrinseco erant simpliciter infiniti valoris in ratione satisfactionis. Antecedens constat, quia ut communiter docent cum Aristotele 1. Metaphys. actiones sunt suppositorum; consequentia ostenditur, quia valor satisfactorius crescit ex dignitate, & persona satisfaciente: sed persona satisfaciens est infinitæ dignitatis: consequenter ejus satisfactio est infiniti valoris: satisfactionem crescere ad incrementum dignitatis personæ satisfacientis, ex eo liquet, quia si Rex detegat suum caput, ut honoret alium, pluris æstimatur, quàm genuflexio viri nobilis, & præsertim, si Rex id faciat in recompensationem injuriæ alicui irrogatæ; quia tametsi operans non sit principium *quo* operationum, est tamen principium *quod.* Tum quia persona operans significat proprias operationes, & maximè eas, in quibus se subjicit; quo pacto operationes Imperatoris à persona operante Imperatoriam desumunt dignitatem, & operationes Christi theandricæ & DEI viriles, seu divinæ-humanæ à Sanctis Patribus vocantur, unde, cùm persona operans fuit infinita, dignitatem infinitam debuit illis communicare, si unde limitetur, non habuerit, neque à quo impediri potuerit infinitas, quod principium limitativum, & impediens non potest assignari, etenim non potest esse principium *quo* elicitivum operationum, quia limitatio principii *quo* elicientis operationes, non limitat influxum personæ: quia tametsi principium *quo* efficiat operationes quoad entitatem; dignitas earundem operationum non causatur efficienter à principio *quo*, sed à persona, quæ cùm sit infinita, non limitat dignitatem operationum. Neque potest limitari, hæc dignitas operationum ab unione ad suppositum Verbi, quia hæc unio est tantùm conditio, non autem ratio formalis recipiendi dignitatem, consequenter neque potest impedire infinitam dignitatem derivando à Verbo, ut à forma morali ad ipsas operationes. Præterea quia unio humanitatis ad Verbum, tametsi finita sit, non tamen impedit, quo minùs humanitas à Deitate, ut à personalitate Verbi recipiat dignitatem, consequenter nec unio operationum cum persona Verbi valorante, tametsi finita sit, impedire potest, ne operationes Verbo divino conjunctæ valorentur infinitæ. Denique neque limitatio ipsarum operationum potest hanc communicationem infinitatis impedire: siquidem limitatio humanitatis unitæ Verbo hypostaticè non impedit, quò minùs sit infinitè sancta, ac reddatur infinitè digna à Verbo, ergo limitatio physica ipsarum operationum elicitarum à Christo non impedit, quo minus à Verbo infinitam recipiant dignitatem.

Sed objici tamen in oppositum potest, quia de ratione meriti, & valoris simpliciter infiniti est, quod nullo præmio possit illius vis meritoria exhauriri, adeo ut quocunque præmio assignato semper maneat inexhausta: sed valor operationum Christi talis non est, consequenter operationes Christi non sunt valoris meritorii simpliciter infiniti. Major & consequentia tenent, minor probatur: quia si Pater æternus carnem assumeret intuitu alicujus operationis Christi, vis meritoria talis operationis adæquatè exhaurietur: quia tunc meritum exhauritur, quando ei correspondet præmium æqualis æstimationis: & incarnatio Patris est æqualis valoris, & æstimationis, cum quocunque Christi operatione, consequenter valor operationum Christi non est talis conditionis, ut quacunque præmio dato inexhaustus perseveret. Sed contra quia in data hypothesi, qua Pater assumeret carnem intuitu alicujus operationis meritoriæ Christi exhauriretur talis condignitas operationis, sed non inde sequeretur, quòd non esset infiniti valoris: quia infinitudo hæc valoris meritorii non exigit, ut non possit exhauriri à præmio, si hoc sit simpliciter etiam infinitum, sed tantum exigit, quod non possit exhauriri à finito præmio, quantumcunque multiplicato: perinde, ac de ratione potentiæ, quamvis infinita sit, non est quòd non exhauriatur productione termini infiniti, ut claret in potentia generativa Patris divini, quæ infinita est per essentiam, & tamen generatione unius filii exhauritur, eò quia gaudeat simili infinitate, & dicitur exhauriri, quatenus non potest alium filium generare ad intra. Similiter, quòd valor unius operationis Christi adæquatè sumptæ in data hypothesi exhauriretur

per

per Incarnationem Patris, quatenus illam adæquaret ut præmium, id non obstaret ejus infinitati: siquidem Incarnatio Patris non est minus in ratione præmii infinita, quàm in ratione meriti una Christi operatio. Hinc distinguitur major, si præmium sit finitum, conceditur, si infinitum negatur, & eodem pacto distincta minore negatur consequentia, quia in data hypothesi Incarnatio Patris, qua diceretur exhauriri valor meritorius operationis Christi esset præmium simpliciter iufinitum, quod non obstaret infinito valori meritorio operationis Christi. Præterea concessa majore, posset negari minor, quia Incarnatio Patris ut præmium non adæquaret valorem meritarium unius operationis Christi, nec esset in ratione præmii infinita, quia quamvis infinitè humanitatem sanctificaret, ita ut concretum Sanctitatis ex humanitate & persona Patris resultans esset moraliter infinitum, nihilominus ratio, sub qua illud concretum obtinerent rationem præmii meritorum Christi, non esset, quod persona Patris in ratione Sanctificantis dicit in recto; sed unio formæ Sanctificantis cum humanitate Sanctificata, quæ unio finita est, non infinita, consequenter concretum illud non esset infinitum ratione præmii formaliter. Ratio, cur id, forma increata sanctificans importat in recto, nequeat esse præmium formaliter, est, quia præmium in ratione præmii est effectus meriti in genere moris, & ab illo dependet moraliter; & forma increata secundum nullum prædicatum sibi intrinsecum potest dependere à Creatura physicè, nec moraliter: quia in quacunque ex his dependentiis semper importatur imperfectio repugnans formæ increatæ, secundum prædicata intrinseca: quamobrem concretum illud solùm potest rationem præmii sortiri, ratione unionis personæ sanctificantis cum humanitate sanctificata, quæ unio finita est, non infinita.

Objiciunt secundò, quia quoties in aliquo concreto unum est finitum, & alterum infinitum, non potest concretum esse infinitum simpliciter, sed opus meritorium personæ infinitæ, seu Christi Domini est concretum, in quo unum est finitum, & alterum infinitum, quia conditiones actus finitæ sunt, & dignitas personæ infinita: ergo opus meritorium & satisfactorium Christi Domini, non fuit simpliciter infinitum. Præterea, quia quoties ad unum & eundem effectum concurrunt plura principia finita, & unum infinitum, tunc effectus est tantum finitus, quia tunc principium infinitum limitatur per principia infinita, sed valor operum Christi est effectus, ad quem concurrunt plura principia finita, ut cognitio, intentio actus, potentia physica humanitatis, consequenter ille valor non est simpliciter infinitus. Præterea quia, quod in aliquo genere est simpliciter infinitum, non potest in eodem genere dari aliud, quod sit majus illo: sed unus actus meritorius, & satisfactorius Christi est majoris valoris satisfactorii, quàm alius! siquidem actus charitatis elicitus à Christo mediante humanitate adæquatur cum actu humilitatis in valore personali: & illud excedit in valore sumpto ex objecto, ergo valor satisfactorius Christi Domini non est simpliciter infinitus. Sed contra, distinguitur major: quoties concretum aliquod coalescit ex uno finito, & altero infinito nequit concretum illud esse simpliciter infinitum in omne genere, transeat major: quia fortassis quod est infinitum, potest in se includere omnem perfectionem in omni genere: non est infinitum simpliciter in determinato genere, negatur major: hinc actus sanctifactorius Christi, quamvis entitativè & in genere physico sit finitus, est tamen infinitus in genere meriti, & satisfactionis, quapropter concessa minore negatur consequentia, rursus posset aliter etiam distingui major: Concretum coalescens ex uno finito, & altero infinito, non potest esse simpliciter infinitum: si principium infinitum ingrediens constitutivum concreti non contineat eminenter alia principia finita, transeat, si illa contineat eminenter, negatur major, & sub eadem distinctione minoris, negatur consequentia, ratio est, quia valor desumptus à persona Verbi continet eminenter alios valores desumptos ex objecto, gratia habituali, & intentione actus: & sicut totum complexum, quod est Deus homo, est simpliciter infinitum, quamvis humanitas sit quid finitum, quia tamen Deus continet eminenter perfectionem humanitatis, ut etiam omnem aliam perfectionem creaturæ, ideo Christi satisfactio, est valoris satisfactorii, & meritorii simpliciter infiniti, eo quia valor personalis contineat eminenter omnes alios valores desumptos ex aliis capitibus. Præterea quia quoties concretum ita coalescit ex uno finito, & altero infinito, ut infinitum sit simpliciter tale, non potest tunc infinitum ex consortio alterius componentis finiti suam amittere infinitatem: consequenter totum concretum est simpliciter infinitum.

Hinc ad id, quod addebatur de effectu proveniente à pluribus principiis, quorum unum sit infinitum, & alia finita, tunc effectum esse finitum, respondetur, cum distinctione, tunc effectus est finitus, si ea principia tantum effectivè concurrant taliter, ut principium infinitum concurrat influxu finito, conceditur: si principium infinitum concurrat influxu infinito, & præsertim formaliter, negatur, quia, ut aliquis effectus sit formaliter infinitus, sufficit, si includat principium formale infinitum concurrens confluxu infinito. Rursus quamvis satisfactio Christi dependeat à pluribus causis, quarum aliquæ sint finitæ, ut humanitas, gratia habitualis, objectum, exinde tantum sequitur valorem talium operationum, ut provenientum à gratia habituali, objecto, & aliis finitis circumstantiis, non esse infinitum ratione sui, sed finitum, & limitatum: sed valor proveniens ex dignitate personæ operantis non dependet à gratia, nec ab aliis principiis concurrentibus ad actum, nisi tantùm præsuppositivè, quatenus præsupponitur ponere subjectum percipiens infinitatem à dignitate personæ Verbi: hæc autem præsuppositiva dependentia non obstat, quo minus persona Verbi refundat infinitum valorem in operationes satisfactorias Christi Domini.

Ad aliud, quod addebatur ex operationibus elicitis ab humanitate Christi Domini, quarum aliæ fuerunt aliis magis meritoriæ, respondetur, id verum esse, si loquamur de majoritate extensiva; non ita de intensiva: quo pacto hoc complexum, quod est Deus homo, dicitur etiam extensivè quid majus, quàm Deus solus, non verò intensivè; quia humanitas eminenter continetur in Deo. Ita à pari, quia valor meritorius in actu Charitatis à Christo elicito ex objecto continetur eminenter in valore actus humilitatis Christi desumpto à persona operante, sequitur, actum charitatis à Christo elicitum median-

te humanitate intensivè non excedere actum humilitatis, sed tantùm extensivè.

Quòd si dicas illud tantùm eminenter contineri in alio, in quo continetur per modum causæ; & valorem personalem operationum Christi non continere in se per modum causæ valorem desumptum ex aliis capitibus, consequenter verum non esse, quòd valor personalis operationum Christi contineat eminenter valorem desumptum ex aliis capitibus. Contra est, quia continentia eminentialis alia est causalitatis, & alia æquivalentiæ; & quamvis valor personalis operum Christi Domini non contineat eminenter eminentiâ causalitatis valorem desumptum ex aliis capitibus, eum tamen continet eminenter eminentiâ æquivalentiæ, quatenus ad nullum præmium promerendum extendi potest actus elicitus ab humanitate Christi ratione valoris desumpti ex aliis capitibus, ad quod non extendatur ratione valoris personalis desumpti à persona operante, in quo sensu valor satisfactorius desumptus à persona satisfaciente dicitur continere eminenter eminentiâ æquivalentiæ valorem desumptum ex aliis capitibus.

Objiciunt tertio, quælibet operatio Christi potuit habere majorem valorem satisfactorium quàm de facto habuit, sed eo ipso, quod operatio Christi ratione valoris potuit major esse, non fuit talis valor infinitus, quia non datur ullum infinitum majus altero consequenter valor satisfactorius Christi non fuit infinitus, major ostenditur, quia nulla est assignabilis Christi operatio, quæ non potuerit crescere ex objecto, ut si habuisset objectum præstantius, aut ex circumstantiis, si talis operatio fuisset elicita cum majori intensione, continuatione, vel duratione. Sed contra distinguitur major, quælibet operatio Christi potuit habere majorem valorem satisfactorium, quam de facto habuit extensivè, conceditur, intensivè, negatur, etenim, ut diximus, quælibet Christi operatio satisfactoria potuit habere majorem rationem meriti extensivè, non verò intensivè, quia quælibet Christi operatio satisfactoria ratione circumstantiæ personæ operantis habet valorem infinitum, proinde quamvis crescat ex parte objecti, & aliarum circumstantiarum, non tamen augetur intensivè, sed tantùm extensivè, quamvis infinito, ex qua parte est infinitum, non possit fieri additio, qua constituatur majus, bene tamen ex qua parte non est infinitum, & quia quælibet operatio satisfactoria Christi fuit infinita, secundum intensionem deo ex hac parte non potuit intensivè fieri major: secus quia Christi operationes satisfactoriæ non fuerunt infinitæ secundùm numerum, ideo valor satisfactorius ex hac parte potuit crescere, cum potuerit Christus plures alios actus elicere, quos de facto non elicuit imò potuit etiam cum majori intensione, ac duratione eos elicere, ex quo tantum sequitur, quod tantùm extensivè potuit valor satisfactorius esse major.

Sed dices valor desumptus ex circumstantia personæ operantis non continet formaliter, neque eminenter valorem desumptum ex objecto, & aliis circumstantiis: ergo valor desumptus ex circumstantia personæ operantis per addditionem valoris ex objecto & aliis circumstantiis fit major intensivè, & non solùm extensivè; antecedens constat, quia valor desumptus ex persona operante non continet alium valorem ex objecto, & aliis circumstantiis formaliter, quia distinguitur ab alio valore formaliter, nec eminenter, quia non habet rationem causæ respectu illius: consequentia itidem est evidens, quia omnis magnitudo & quantitas sive moris, sive virtutis crescit per additionem novæ quantitatis non solùm extensivè ratione numeri, sed etiam intensivè, quando quantitas, quæ additur, non continebatur in præexistente, etenim si per impossibile Deus nullo pacto contineret creaturas majorem perfectionem intensivè diceret complexum ex Deo, & Creaturis, quam Deus solus: ergo valor desumptus ex circumstantia personæ operantis non est simpliciter infinitus.

Sed contra, negatur antecedens, ad cujus probationem respondetur ut supra, valorem ex circumstantia, personæ divinæ continere eminenter eminentia non causalitatis, bene tamen æquivalentiæ valorem ex objecto, & aliis circircumstantiis desumptum; non enim, ut hic secundus valor contineatur eminenter in primo ex persona operante, est necesse, ut sit causa efficiens illius, sed sufficit, si in genere causæ formalis possit eundem præstare effectum, quem præstat valor desumptus ex objecto, & circumstantiis seclusa limitatione, & defectu, perinde ac anima rationalis dicitur continere eminenter perfectiones animæ vegetantis, & sentientis, non quia sit utriusque animæ causa efficiens, sed quia dat materiæ esse vegetativum, & sensitivum, & est principium potentiarum, & operationum utriusque gradus: perinde valor desumptus ex persona infinitè operante dicitur continere eminenter valorem desumptum ex objecto, & aliis circumstantiis, non quia sit causa illius, sed quia eidem æquivaleat in ordine ad totum effectum valoris satisfactorii, quatenus constituit opus condignum, ac proportionatum in ordine ad totam mercedem, quæ posset correspondere valori desumpto ex objecto, & aliis circumstantiis, & suo modo est causa ejusdem mercedis per modum valoris, & pretii oblati pro illa, siquidem, cùm persona Verbi sit simpliciter infinita in omni genere, & contineat omne bonum, à quo posset actus humanus aliquam haurire bonitatem, ideo dat actui satisfactorio Christi provenienti à supposito divino valorem simpliciter infinitum, & in hoc sensu valor desumptus ex persona operante dicitur continere eminenter eminentia æquivalentiæ omnes valores desumptos ex objecto, & aliis circumstantiis.

Quamobrem eatenus multiplicatio actus meritorii finiti auget valorem intensivè, adeo ut duo actus meritorii, quorum quilibet sit meritorius, ut duo, habent majorem valorem intensivè, quàm alter seorsim, quia sunt actus finiti, & unus non continetur eminenter eminentia æquivalentiæ in alio, proinde sunt capaces augmenti intensivè ex sola multiplicatione, perinde ac valor monetæ crescit intensivè ex sola multiplicatione: secus quia valor desumptus ex persona infinita est valor infinitus, & continet eminenter eminentia æquivalentiæ omnes alios valores, quos opus satisfactorium posset desumere ex objecto, & aliis circumstantiis, sequitur, valorem satisfactorium Christi ratione infinitatis non esse capacem augmenti intensivè.

Objiciunt

Objiciunt quarto: Quamvis objectum infinitum possit, quantum est ex se, communicare actui ipsum attingenti infinitam perfectionem; nihilominus si principium *quo* elicitivum talis actus finitum sit, & limitatum, limitat influxum objecti, & impedit ne objectum communicet actui suam infinitatem: ergo, licet persona infinita satisfaciens possit, quantum est ex se, dare infinitum valorem actui satisfactorio; si tamen operetur mediante principio *quo* finito, impeditur ab eodem principio, *quo* ac actui communicet infinitum valorem: sed principium *quo* in operationibus Christi meritoriis fuit finitum, & limitatum, quia fuit ipsa humanitas, quæ finita est, ac limitata, quamvis ornata donis gratiæ: unde, quamvis persona refundens valorem sit infinita; adhuc ejus influxus limitatur per principium *quo* finitum. Præterea, quia catenus objectum quantumvis infinitum limitatur à principio finito, quia à finito modo tendit in ipsum: sed etiam actus proveniens à persona infinitè operante, ut principium *quod* limitatur à principio *quo* finito: quia egreditur ab illo finito modo, consequenter semper est valoris finiti. Sed contra ad hanc difficultatem respondent communiter, dignitatem personæ satisfacientis plus influere in opera satisfactoria, quam objectum, consequenter ex eo, quod objectum limitetur à principio *quo*, non sequitur etiam personam satisfacientem ita limitari. Antecedens ex eo probatur, quia obsequium exhibitum à rege censetur regium ratione personæ operantis, non ita obsequium exhibitum regi à rustico censetur regium quamvis ejus objectum sit persona regia, ex quo infertur personam satisfacientem plus valoris influere in actus satisfactorios ratione dignitatis, quam ipsum objectum, quapropter operationes Christi Domini à Sanctis Patribus dicuntur theandricæ, eò quia procedant ab hoc complexo, quod est Deus homo, & nihilominus operationes, quæ Christum ut objectum respiciunt, eliciunturque à pura creatura non sunt theandricæ: ex quo liquet, ex objecto ad personam satisfacientem non duci efficax argumentum. Qnamobrem ex eo, quod objectum infinitum non det actui à se specificato infinitam perfectionem, eò quia limitetur ejus influxus objectivus à principio *quo* finito, & limitato, non valet inferri, personam operantem infinitam non dare operibus à se elicitis infinitam dignitatem, quamvis ab illa egrediantur mediante principio *quo* finito, & limitato.

Verùm hæc responsio videtur adhuc pati aliquam difficultatem, quia non videtur adæquatè explicare, cur principium *quo* limitatum eliciens operationem limitet concursum objecti infiniti, & non influxum personæ infinitæ: quamobrem ad pleniorem solutionem difficultatis, respondetur esse discrimen inter objectum & personam infinitam operante, quia objectum non dat ipse per modum formæ perfectionem, & dignitatem actui à se specificato, sed tantum concurrit specificativè ad illam sumendam effectivè à principio operante, & elicitivo actus: hinc si principium eliciens limitatum fuerit, non potest objectum communicare actui dignitatem infinitam: & ratio à priori est, quia quævis dignitas specificativè derivata ab objecto, debet præcontineri effectivè in principio *quo* elicitivo, quapropter si principium *quo* limitatum fuerit, non potest objectum, quantumvis infinitum, refundere infinitatem in actum ad se terminatum. Secus valor desumptus à persona operante ab eadem procedit, ut à forma, & quia principium *quo* elicitivum non influit in talem formam, nec eam effectivè præcontinet, sequitur principium *quo* non influere effectivè in valorem personalem desumptum à tali forma, sed tantùm ad illum concurrere antecedenter causando entitatem actus valorandi.

Hinc operationes Christi non solùm fuerunt infinitæ dignitatis ac infiniti valoris, verùm etiam infiniti meriti simpliciter, ut docent Thomistæ cum D. Thoma *in 2. sententiar. dist. 9. quæst. 1. art. 8. ad 2. & in 4. dist. 14 quæst. 2. art. 1, quæstiunc. 1. ad 4.* & pluries alibi, & probatur ex scripturis, quia Christi merita sunt *abundantes illæ divinæ gratiæ* quas Deus sua bonitate super nos ostendit in Christo JEsu, ut loquitur Apostolus *ad Ephes. 2. & cap. 3.* ubi eas vocat *investigabiles divitias Christi.* Quòd si investigabiles sunt, non possunt comprehendi, propterea sunt infinitæ. Idque evincitur etiam ex *Extravag. Unigenitus de pænit. & remiss.* ubi Clemens VI. ad concessionem plenissimæ indulgentiæ præsupponit hoc fundamentum, quod satisfactiones Christi fuerint infinitæ, non solùm quoad dignitatem, & valorem, verùm etiam quoad meritum, Pontifex enim vocat merita Christi absolutè infinita, & verba Pontificis sunt in sensu formali accipienda, nisi ex tali acceptione sequatur aliquod absurdum, & inconveniens, quod in præsenti non sequitur, ergo operationes Christi utpote infinitæ formaliter non solùm in ratione valoris, sed etiam in ratione meriti fuerunt infinitæ. Tum quia ex eo, quod fuerint infiniti valoris, ut superius ostendimus fuerunt itidem infinitæ condignitatis, consequenter etiam meriti condigni infiniti. Patet hæc consequentia, quia per valorem, & condignitatem constituitur meritum in ratione condigni, consequenter, si Christi satisfactiones fuerunt infiniti valoris, & condignitatis, fuerunt etiam infinitæ in ratione meriti condigni; nam ratio condigni est differentia contractiva meriti, quod dividitur in condignum & congruum, unde meritum infinitum ratione condigni, est etiam infinitum ratione meriti.

Si dicas, meritum esse veluti abstractum hujus concreti, quod est *merens*, consequenter, non includere solum valorem, aut solam condignitatem, sed insuper applicationem, aut directionem ad præmium, & jus actuale ad illud supra applicationem, & valorem fundatum, unde quamvis valor operationum Christi fuerit infinitus, applicatio tamen ad præmium fuit finita; quia non fuit ex intentione Christi applicata ad præmium infinitum, imò neque jus actuale ad præmium fuit infinitum; non enim fundaverunt jus ad infinitum præmium: consequenter quamvis fuerint infiniti valoris, non inde sequitur, fuisse etiam infiniti meriti: sed contra, quia, cùm merito Christi respondeat præmium infinitum, sequitur esse meritum infinitum, quia meritum commensuratur præmio. Etenim præmium operationum Christi fuit remissio peccati mortalis, quæ remissio in ratione præmii est infinita, siquidem tanti æstimatur remissio offensæ lethalis, quanti odio habetur offensa, quæ ut docet D. Thomas est infinita simpliciter in ratione offensæ, quatenus terminatur ad Deum infinitum simpliciter, & est læsiva juris divini, quatenus ab illo removet rationem ultimi finis, consequenter lethalis offensa meretur ut infinito odio habeatur: unde ejus remissio infinitè æstimatur, estque in ratione præmii infinita, & quia meritum Christi hanc remissionem ponit, sequitur in ratione meriti esse infinitum. Præterea ad rationem meriti infi-

infiniti non requiritur jus ad infinitum præmium, quod defacto actualiter illi respondeat: ergo quamvis Christi operationes non dederint Christo jus ad infinitum præmium, adhuc potuerunt esse infiniti meriti, ostenditur antecedens, quia sicut meritum importat jus ad præmium, ita Sanctitas dicit jus ad gloriam per modum hæreditatis, atqui, ut sanctitas sit infinita in ratione sanctitatis, non est necessarium jus actuale ad hæreditatem actu infinitam, quia humanitas Christi fuit infinitè sancta per gratiam substantialem unionis, & nihilominus non habuit jus actuale ad hæreditatem actu infinitam, quia nec beatitudo essentialis neque accidentalis fuerunt in Christo de facto infinitæ: ergo pari pacto ad meritum actu infinitum non est necessarium jus ad præmium actu infinitum; his positis.

Dicendum est, esse in Ecclesia thesaurum spiritualem constantem ex Christi potissimum & præcipuè meritis, & satisfactionibus Sanctorum, & posse hunc thesaurum præter alios modos etiam per indulgentias applicari, ac dispensari, estque assertio communis, & censetur de fide, ac dependet ex tribus principiis, quorum primum est Christi passiones, & multorum Sanctorum satisfactiones non fuisse sufficienter à Deo remuneratas: consequenter adhuc dignas esse ulteriori remuneratione. Secundum est, has easdem Passiones, & satisfactiones ut dignas ulteriori remuneratione, adhuc remanere sub potestate, & Dominio Ecclesiæ, ac proinde constituere ejus spiritualem thesaurum. Tertium est, potestatem dispensandi hunc thesaurum spiritualem inesse summo Pontifici, ut supremo capiti totius Ecclesiæ.

Probatur quia hæc veritas fuit expressè declarata à Clemente VI. *in Extravag. Unigenitus de pœnit. & remiss.* ubi ad concessionem plenissimæ indulgentiæ præsupponit hoc fundamentum de thesauro infinito, quem Christus militanti Ecclesiæ suæ acquisivit, quia, cum Pontifex dixisset, Christum Dominum per effusionem totius sui sanguinis nos redemisse, subjungit, quod potuisset hoc idem præstare per unicam tantum guttulam sui sanguinis propter unionem ad Verbum, quia unica tantùm gutta sanguinis, ratione hujus unionis; abunde suffecisset pro redemptione totius humani generis; & postea subdit: *Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis, aut superflua tanta effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater, ut sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt Dei amicitiæ participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum, cœli clavigerum ejusque Successores, suos in terris Vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum*, unde Pontifex duo declarat, nimirum dari in Ecclesia hunc spiritualem thesaurum & summum Pontificem, ut Christi Vicarium habere potestatem eundem dispensandi.

Probatur secundo, quia Christi Passiones supposita infinitate personæ sunt infiniti valoris, adeo ut opera Christi ob hanc infinitam excellentiam suppositi operantis habuerint infinitum valorem, non solùm ad meritum, verùm etiam ad satisfactionem, siquidem sunt hæ operationes *abundantes illæ divitiæ gratiæ, quas Deus in bonitate sua super nos ostendit in Christo Jesu*, ut ait Apostolus *ad Ephes. 2.* & *ad Ephes. cap. 3.* vocat Christi satisfactiones *investigabiles divitias, & dispensationem Sacramenti à sæculis in Deo.* Ex hisce Apostoli verbis videtur desumpta fuisse metaphora thesauri; accommodata Christi meritis, & satisfactionibus adhuc manentibus in Ecclesia. Quamvis thesaurus in propria significatione dicat; coacervationem quandam auri, argenti, & gemmarum, ac definiatur *in l. nunquam ff. de acquirendo rerum Dominio; depositio quadam pecuniæ, cujus non extat memoria*, laxe tamen solet etiam usurpari pro cumulo, in quo res pretiosiores reconduntur, ac asservantur, idque causæ, cur abundantissimus cumulus divitiarum Christi, thesaurus spiritualis Ecclesiæ dicatur: & quia hæ divitiæ, seu Christi merita sunt infinita; ideo Apostolus vocat thesaurum hunc investigabilem, & Christi Passiones divitias investigabiles: siquidem quodvis opus satisfactorium Christi propter unionem cum persona Verbi divini includit infinitam vim satisfaciendi: siquidem satisfactio desumit dignitatem à persona satisfaciente, quæ, ut forma intrinseca, & ipsa moraliter dignificat omnes naturæ actiones: & quia persona Verbi est infinitæ dignitatis, consequens est, ut infinito valore dignificet quamcunque operationem naturæ assumptæ, unde nulli dubium, quin Christi merita, & satisfactiones sint infiniti valoris, ac maneant in Ecclesia, in qua constituunt spiritualem thesaurum inter alios modos dispensandum, & applicandum etiam per indulgentias; quod enim Christi merita, & satisfactiones adhuc maneant in Ecclesia, ex eo evincitur, quia si non manerent, maximè, quia jam habuissent à Deo sufficientem remunerationem, sed illam non habuerunt, quia omnis remuneratio, quam Christi opera habuerunt, fuit finita, & opera Christi fuerunt infinita: consequenter eorum remuneratio non fuit sufficiens: unde Christi merita & satisfactiones adhuc manent in Ecclesia. Quòd verò Christi remuneratio fuerit finita, ex eo constat, quia vel fuit remuneratio, quam ipse per suam Passionem est consecutus; & hæc fuit tantùm nominis exaltatio, & corporis gloriosi dotes, quia Christus reliqua habuit non ex meritis, sed vel ratione unionis hypostaticæ, vel ut sibi debita jure naturali filiationis divinæ; quo pacto debebantur Christo gloria animæ, & habitus omnes supernaturales, & virtutes infusæ. Vel fuit remuneratio, quam Deus propter merita Christi contulit aliis, & hæc etiam est finita, perinde ac est finita omnis gratia, & gloria hactenus collata ob Christi merita: quapropter nullum est assignabile præmium, quod adæquatè correspondeat Christi meritis, & satisfactionibus, adeo ut Christi meritum infinitè superet omnia dona, & gratias hactenus communicatas, & imposterum communicandas creaturis, proinde merita Christi utpote inexhausta adhuc manent in Ecclesia, in qua asservantur.

Firmari hoc idem etiam potest ex *Epist. 1. Joan. cap. 2.* ubi ait; Christum esse propitiationem pro peccatis nostris, non pro nostris tantùm, sed etiam totius mundi, eò quia Christus redemerit omnes mundi homines; quamvis non omnes salutem consequantur; unde Christi merita, & satisfactiones ad plura sufficiunt, quàm actu efficiant, etenim sufficiunt pro salvandis omnibus hominibus, qui tamen non omnes salvantur, eò quia negligunt salutem assequi; unde constat evidenter, esse in Ecclesia hunc thesaurum spiritualem meritorum Christi, in quo asservantur merita, & satisfactiones pro illis hominibus, quibus non applicantur, eò quia nolint

lint per baptismum Ecclesiam ingredi, & in illa æternam consequi salutem, neque thesaurus iste spiritualis applicatur hominibus per solas indulgentias, verùm etiam per Sacramenta, sacrificia, & alia fidelium opera: ex quo liquet merita Christi, adhuc superesse in Ecclesia, neque totalem suam habuisse remunerationem, alioquin si fuissent totaliter remunerata, nil posset amplius de gratia nobis dari propter ejus merita: neque effectus Sacramentorum nobis darentur, ut justum præmium meritorum Christi: neque possemus cum vera fiducia postulare aliquid à DEO propter Christi merita; quæ omnia absurda sunt. Unde constat evidenter, adhuc manere in Ecclesia Christi merita, & satisfactiones, quæ ut divitiæ investigabiles, ut ait Apostolus, constituunt thesaurum. Hinc constat, quàm perperam petant Hæretici à Catholicis, ubinam sit in Ecclesia Catholica Romana hic thesaurus; ubinam asservetur, num Romæ vel alibi? nam cùm thesaurus iste non sit materialis, non exigit custodiri in loco aliquo speciali, in quo Christi merita veluti in cista clausa custodiantur, ac asserventur: non enim Christi merita, & satisfactiones sunt auri, argentique pondera, quæ exigant in clausis custodiri cistis; sed est thesaurus spiritualis, & moralis, existens in divina acceptatione, & præsentia, adeo ut non existat Romæ, neque alibi, sed tantùm coram DEO, quatenus cognoscit Deus merita Christi esse infinita infinita, & longè excedere omnia dona gratiæ, quæ omnibus conferuntur hominibus.

Hinc Christus in sua humanitate non recepit præmium adæquatum suis meritis, quia quamvis exaltatio, & gloria extrinseca, & accidentalis, quam Christus sibi commeruit, magnæ fuerit æstimationis, & valoris, nullo tamen modo comparabilis cum infinito valore meritorum Christi. Tum quia licèt Christi opera ei profuerint, ut meritoria, non ita tamen ut satisfactoria pro se ipso, quia, cùm Christus fuerit impeccabilis, nullum potuit in ipso esse debitum pœnæ solvendæ, & pro qua debuisset solvere, & satisfacere divinæ justitiæ: opera autem Christi non solùm continent meritum infinitum, sed etiam infinitam satisfactionem, quæ non sibi sed tantùm aliis prodesse potest. Asserere autem, valorem meritorum Christi non esse infinitum ad meritum, & satisfactionem est, apertè contra Apostolum vocantem Christi opera *ad Ephes.* 2. abundantes divitias gratiæ, quas DEus in bonitate sua super nos ostendit in Christo JEsu, & etiam opponitur rationi, quia quodvis opus satisfactorium Christi propter unionem cum persona Verbi Divini habet infinitam vim satisfaciendi, quia satisfactio desumit suam dignitatem à persona satisfacientе, quæ ut forma intrinseca se ipsa moraliter dignificat omnes actiones naturæ, cujus est persona; & quia persona Verbi est infinitæ dignitatis, dignificat infinito valore, & satisfactione quamcunque operationem naturæ assumptæ. Hinc quia Christi opera sunt infiniti valoris, & satisfactionis, & de facto acceptantur à DEO ut sufficientissima ad redimendum non solum quoad culpas, verum etiam quoad pœnas omnia, & singula peccata hominum, quæ à mundi initio fuerunt, sunt, & erunt usq; ad finem sæculi, ut habetur 1. *Joan.* 2. ubi Christus dicitur esse propitiatio pro peccatis nostris, & non tantùm pro nostris, sed etiam totius mundi; sequitur manifestè, thesaurum meritorum & satisfactionum Christi non esse exhaustum, neque posse exhauriri, quamvis per indulgentias, & alia plura media, ac plura pretia extrahantur in solutionem, seu compensationem pœnarum debitarum ex condonatis peccatis, siquidem hujusmodi debita, cùm sint in creaturis, quæ semper finitæ sunt, quantumvis multiplicentur in infinitum syncategorematicè, & Christi merita sunt actu infinita, quæ proinde manent semper in Ecclesia militante in beneficium fidelium absque periculo, ut deficiant, vel exhauriantur; non enim Christus meruit pro se, nec satisfecit pro aliquo suo debito, cùm fuerit impeccabilis, sed tantùm satisfecit pro creaturis, quæ, cùm suis debitis semper finitæ sint, nunquam possunt Christi merita exhaurire, hinc Christus *Isaiæ* 9. dicitur *Nobis datus, nobis natus*, & Apostolus 1. *Corinth.* dicitur *factus justitia, sanctificatio, & redemptio nostra*: siquidem ad eum finem Verbum Divinum, Filius æterni Patris, nostram assumpsit humanitatem, ut non solùm à peccato nos liberaret, ac redimeret, sed etiam à pœna debita pro peccatis, adeo ut Christus non solùm dederit pro nobis condignum pretium pro peccato, verùm etiam pro pœna relicta ex peccato, & quia hoc pretium non est consumptum, eò quia ex dignitate personæ, ex qua procedit, habeat infinitum valorem, sequitur, quod adhuc maneat in thesauro Ecclesiæ nobis applicabile per Christi in militante Ecclesia Vicarium.

Dicendum est secundò, spiritualem hunc thesaurum constare etiam ex satisfactionibus superabundantibus aliorum Sanctorum, adeò ut licèt sola Christi merita sufficerent ad constituendum hunc thesaurum inexhaustum, adhuc tamen in illo continentur & asservantur merita, & satisfactiones Deiparæ, & omnium Sanctorum, ut communiter docent Theologi, & desumitur hæc veritas ex verbis ejusdem Clementis VI. *in præcitat. Extravag. Unigenitus de pœnit. & remiss.* ubi Pontifex addit: *Ad cujus quidem thesauri cumulum Beatæ DEI Genitricis, & omnium electorum à primo justo, usque ad ultimum merita adminicula præstare noscuntur.* Hanc eandem veritatem etiam asserit Leo X. in Bulla ad Cajetanum, ubi expressè ait: Pontificem thesaurum JEsu Christi & Sanctorum posse dispensare: & hanc veritatem sub pœna anathematis præcipit teneri, & doceri. Rursus constat etiam ex Pio V. & Gregorio XIII. *in Bulla contra propositiones Michaelis Baii* cujus sexagesima fuit, *Per passiones Sanctorum indulgentiis communicatas, non propriè redimuntur delicta, sed per communionem Charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.* Ratio etiam id suadet: quia in operibus Sanctorum duo considerantur, quorum primum est ratio meriti, cui respondet proportionatum incrementum gratiæ, & gloriæ: & secundum est ratio satisfactionis, cui correspondet aliqua remissio pœnæ temporalis relictæ ex condonatis peccatis. Quamvis opera Sanctorum sint condignè remunerata in ratione meriti per condignum præmium gratiæ, & gloriæ: siquidem in cœlesti Patria quilibet beatus habet illum gloriæ gradum, qui correspondet mensuræ meritorum, non tamen supponuntur condignè remunerata in ratione satisfactionis per condignam relaxationem pœnæ temporalis relictæ ex condonatis peccatis: etenim Sancti plures habuerunt satisfactiones, quibus ipsi tunc non indigebant, eò quia

 vel

vel sufficienter jam solvissent, vel satisfecissent pro debito proprio, vel quia in pluribus major satisfactio, quàm debitum: vel quia eorum aliqui nullam pro se pœnam solvere tenebantur, ut Beata Virgo, quæ, cùm fuerit gratia plena, nullum contraxit debitum pœnæ. Et plures hoc idem etiam censent de Joanne Baptista: unde merita, & satisfactiones beatæ Virginis, & omnium martyrum, qui atrocissima fuerunt tormenta passi, excesserunt debitum pro solutione pœnarum ex peccatis condonatis; sed DEus ob suam bonitatem nullum meritum condignum relinquit sinè præmio, & quia illis operibus, ut satisfactoriis nullus correspondet effectus; congruentissimum fuit, ut hæc omnia opera, ut satisfactoria conservarentur in beneficium fidelium, ergo spiritualis thesaurus constat etiam ex satisfactionibus superabundantibus Sanctorum. Et ex eo firmatur, quia, cùm, Sancti sint nobilissima membra Ecclesiæ, ad quam strictiori jure pertinent, quàm cives temporales Reipublicæ; congruum erat, ut omnia eorundem bona spiritualia, quæ condigna præmio non fuerunt ipsis à Deo remunerata in communi relinquerentur Ecclesiæ thesauro, ut aliorum fidelium subveniretur indigentiis: quia sicut Respublica temporalis succedit in bona temporalia civium, quando ex familia nemo est superstes, qui possit legitimè succedere: perinde Ecclesia succedit in bona spiritualia Sanctorum, quando non adest, qui ad illa jure succedat hæreditario: sed ad satisfactiones Sanctorum, de quibus ipsi non disposuerunt applicando, vel donando eas aliis, sola Ecclesia habet jus, consequenter potest illas satisfactiones applicare aliis fidelibus: siquidem corpus Ecclesiæ constat ex Christo ut capite ex Sanctis ut membris, ideoque non solùm opera Christi, sed etiam illa Sanctorum computanda sunt inter bona Ecclesiæ, quapropter D. Paulus *ad Col.* 1. ait: *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus*, quod est Ecclesia: ubi Apostolus communes facit suas passiones cum illis Christi, quas pro Ecclesiæ corpore paritur: und constat thesaurum Ecclesiæ etiam comprehendere satisfactiones superbundantes aliorum Sanctorum, de quibus ipsi, cùm viverent non disposuerunt: quia, cùm fuerint suorum operum perfecti Domini, potuerunt illa in ratione valoris satisfaciendi transferre in alios, quamvis non ita in ratione meriti: siquidem solus Christus habet hoc privilegium applicandi aliis sua merita. Ex eo itidem videbatur congruum, ut hæ satisfactiones Sanctorum essent in Ecclesia applicabiles aliis fidelibus: quia sicut DEus nullum opus malum relinquit absque condigna pœna: ita nullum opus bonum sine condigno præmio: & quia plura Sanctorum opera non habuerunt condignam remunerationem quoad valorem satisfaciendi, non debuerunt quoad hunc valorem manere perpetuo irremunerata, consequenter adhuc manet in Ecclesia ad utilitatem membrorum cum jure ea dispensandi aliis fidelibus juxta proprias indigentias.

Potest tamen in contrarium objici, quia Pontifex, quando concedit indulgentias non absolvit à reatu pœnæ authoritate Sanctorum, consequenter non videtur concedere indulgentias sumendo pretium ex eorundem satisfactionibus. Verùm contra est negatur consequentia, quia tametsi solutio fiat ex Sanctorum satisfactionibus, non tameu fit per potestatem, quam Pontifex accipiat ab ipsis Sanctis, qui eam dare non potuerunt, sed per potestatem à DEO acceptam, quia solus DEus potest hanc satisfactionem præteritam acceptare pro pœna nunc debita, etenim solus Christus dixit Petro, & in ipso suis Successoribus, *pasce oves meas*; in hac enim potestate pascendi Dominicum gregem includitur etiam facultas concedendi indulgentias. Neque inde sequitur ex eo, quod Pontifex assumat satisfactionem Sanctorum, quas applicet ad extinguendum debitum pœnæ relictæ pro peccatis condonatis, quod etiam Sancti dicantur nos redimere, eò quia suis Passionibus non liberent à pœna, quam teneremur luere ob commissa peccata. Nam satisfactiones Sanctorum tametsi concurrant ad extinguend anostra debita, non tamen possunt dici concurrare ad nos redimendum, ut nec Sancti, dici possunt nostri Redemptores: siquidem redimere propriè est actus moralis procedens à voluntate redimendi: & riberatio nostra à reatu pœnæ per satisfactionem Sanctorum, non procedit ex intentione, qua Sancti pretium obtulerint pro nobis, sed tantùm ex voluntate DEI computantis illam satisfactionem Sanctorum pro nostri debiti solutione. Præterea quia Redemptor nostræ salutis juxta præsens institutum non est, qui aufert aliquod impedimentum, ac removet dilationem, sed qui liberat nos à servitute peccati, & damnatione æterna, quod præstitit solus Christus, non verò Sancti, qui tantùm per suas satisfactiones removent impedimentum ad beatitudinem seu pœnam illam, quam teneremur in purgatorio luere ob peccata condonata, & esset nobis impedimento citiùs videndi in cœlesti patria intuitivè divinam essentiam.

Sed dices, in Sacramentis non applicantur nobis satisfactiones Sanctorum, sed tantùm Christi merita: ergo neque per indulgentias, quia sufficiunt merita, satisfactiones Christi, quæ utpote infinitæ possunt nobis applicari per Sacramenta, & indulgentias. Sed contra, negatur consequentia, quia tametsi in Sacramentis nobis applicentur sola Christi merita, non inde sequitur, quòd eadem sola nobis itidem applicentur per indulgentias, quamvis ut infinita abunde sufficerent: ratio discriminis est, quia, cùm sint Sacramenta fundamenta nostræ Religionis, habeántque à solo Christo suam efficaciam, conveniens erat, ut in ipsis nobis applicarentur sola merita, & satisfactiones Christi: secus in relaxatione pœnarum, quæ fit per indulgentias, voluit Christus honorare Sanctos, eósque assumere, ut Socios ad solvenda nostra debita.

Sed dices, si per indulgentias applicarentur nobis satisfactiones electorum, inde sequeretur, quod etiam in lege antiqua fuisset thesaurus ex superfluis electornm satisfactionibus, ac potuisset tunc itidem esse usus indulgentiarum per distributionem communis thesauri, quod est contra communem Theologorum sententiam: unde thesaurus Ecclesiæ non constat ex Christi satisfactionibus, sed contra, quia licèt fuerit etiam in antiqua lege hujusmodi thesaurus, quem Clemens VI. ait, potuisse augeri à primo usque ad ultimum electorum, non tamen inde sequitur potuisse esse usû indulgentiarum; quia tunc thesaurus erat clausus, & nulli homini adhuc data erat potestas illum aperiendi, ac distribuendi, quia Christus nondum hanc potestatem dederat D. Petro, nec ejus Successoribus. Quamobrem usus indulgentiarum tantùm incœpit tempore Apostolorum, ut colligitur *ex 2. ad Corinth.* 2. ubi Apostolus cuidam incestuoso, quem 1. *ad Corinth.* 5. anathemate percusserat, ex persona Christi aliquid de pœna

remi-

remiserit, ne ille miser tristitia absorberetur. Et hanc remissionem pœnæ fuisse coram Deo, ex eo constat, quod illam fecerit in persona Christi. Unde viguit etiam tempore Apostolorum in Ecclesia usus indulgentiarum, quarum fructus frequenter applicabantur per Episcopos publicè resipiscentibus, ac publicas pœnitentias agentibus, ut referunt Tertullianus *lib. ad Martyr.* & Cyprianus *lib. de relapſ.* & quamvis temporibus primitivæ Ecclesiæ, præsertim Apostolorum, hæc vox indulgentia non fuerit in usu, fuit tamen in usu res per hanc vocem significata, quæ cùm sit gratuita condonatio, ac remissio pœnæ, placuit postea nomine indulgentiæ eam significare; & primus, qui hanc vocem usurpavit, dicitur fuisse S. Gregorius anno Christi 590. qui dicitur indulgentias concessisse visitantibus Basilicas Sanctorum Petri, & Pauli, & hac eadem potestate concedendi indulgentias usus postea fuit Leo III. ut refert Baronius anno 847. qui, referente eodem Baronio, concessit indulgentias orantibus in Ecclesia Sanctorum Sylvestri, & Martini, ad quam plures etiam transtulit Sanctorum reliquias: & anno 878. Joannes VIII. concessit indulgentias iis, qui pro defensione fidei, & Ecclesiæ in bello decumberent: & anno 1071. Alexander II. occasione dedicationis Basilicæ in honorem Sancti Benedicti in monte Cassinensi, plenariam concessit indulgentiam omnibus, qui tali interfuerunt Solemnitati anno 1116. Paschalius concessit indulgentiam 40. dierum visitantibus limina Apostolorum, anno 1118. Gelasius II. etiam concessit indulgentiam omnibus decedentibus in bello contra Saracenos, ut etiam anno 1122. Calixtus II. proficiscentibus Jerosolymam in subsidium Christianorum; & sic successivè plures Pontifices pro variis occasionibus indulgentias concesserunt, adeo ut hic usus semper in Ecclesia viguerit.

Cæterum docet D. Thomas in 4. *dist. 20. quæst.* 1. *art.* 3. indulgentias semper deberi necessario fieri ex thesauro Ecclesiæ, sive per modum absolutionis sive per modum auxilii aut suffragii concedantur, adeo ut divitiæ hujus thesauri sint in suo genere causæ necessariæ, & moraliter per se concurrentes ad effectum indulgentiarum: quod vel maximè est verum si sermo sit de eodem thesauro, prout continet etiam Christi satisfactiones, quatenus istæ distinguuntur formaliter à meritis ejusdem, & quamvis sola Christi merita ob suum infinitum valorem, abunde sufficerent, ut æternam assequeremur salutem per modum meriti condigni: attamen quia Christus de facto non solùm meruit, verùm etiam satisfecit, ideo potuit statuere, & ejus opera concurrerent non solùm ut meritoria, verùm etiam ut satisfactoria ad eos effectus, qui proprii sunt satisfactionis: etenim opera Christi non solùm fuerunt meritoria; verùm etiam satisfactoria; consequenter ratio postulabat, ut etiam quatenus satisfactoria concurrerent ad nostram salutem, alioquin Christi Satisfactiones, ut tales essent inutiles, & otiosæ, & absque ullo effectu, quia, cùm Christus non potuerit satisfecisse pro debito proprio, cujus erat incapax ob impeccabilitatem, ideo debuerunt esse opera satisfactoria in ordine ad debita aliorum, ut possent suum habere effectum. Præterea quia, cùm Deus nolit satisfactiones superfluas Sanctorum esse otiosas, & sine fructu, adeo ut earundem intuitu condonet aliorum pœnas per indulgentias: multò minus censendum est velle Christi satisfactiones inutiles, & otiosas esse, præsertim, cùm Christi meritum potuerit eidem prodesse. Cùm de facto sibi promeruerit exaltationem nominis: & satisfactiones ipsi non potuerint esse utiles in ordine ad se, cum nec pro culpa, nec pro pœna propria potuerit satisfacere ob utriusque incapacitatem, unde multò magis otiosa & inutilis esset satisfactio Christi, si nobis non applicaretur quàm meritum ejusdem, unde ne dicamus Christi satisfactiones fuisse inutiles, asserendum est, eas, ut formaliter distinctas à meritis, concurrere ad effectus indulgentiarum; adeo ut istæ semper necessario fiant ex thesauro, ut comprehendente Christi satisfactiones.

Addendum est Pontifices indulgentiæ concessionem vocare solutionem, & dispensationem thesauri: sed solvere non significat gratuitam remissionem, sed veram solutionem pretii: ergo remissio pœnæ debitæ, & relictæ ex condonatis peccatis non fit per sola merita Christi, sed etiam per ejus satisfactionem ex qua, utpote infinita desumitur pretium, quod per indulgentias solvitur, ut extinguatur debitum pœnæ relictæ ob condonata peccata. Præterea, quia modus iste extinguendi nostra debita per Christi satisfactiones videbatur exigi à divina justitia; quia tametsi ex parte peccatoris pœna illi gratis remittatur: adhuc tamen divinæ justitiæ erat satisfaciendum per condignum satisfactionem, & divinæ justitiæ exactius satisfit per applicationem satisfactionem, quia meritorum Christi: quando enim per Christi merita remittitur pœna, fit vera remissio, quia merita exigunt, ut intuitu eorundem remittatur pœna: secus quando offertur satisfactio condigna aliena, quamvis tunc etiam nobis dicatur remitti pœna, quatenus nos nihil de proprio solvimus: propriè tamen, & rigorosè nobis non remittitur pœna, sed potius redimitur debitum per oblationem æqualis pretii, ex quo liquet Christi satisfactiones concurrere ad effectum indulgentiarum.

Sed dices: Pontifex concedit indulgentiam per modum absolutionis, & condonationis: sed condonare non est solvere pretium ex thesauro: ergo quando Pontifex concedit indulgentiam absolvendo seu per modum remissionis, non solvit pretium ex thesauro. Contra est, quia eadem absolutio, seu condonatio est remissio ex parte nostra quatenus fit absque ullo nostro pretio; & est solutio in ordine ad Deum: quia tunc Pontifex extinguit nostrum debitum per oblationem Satisfactionis Christi, quod perinde est, ac extinguere debitum mediante solutione pretii, & utrumque significavit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 6.

Instabis, si per indulgentiam solveretur pretium desumptum ex thesauro ut continente Christi satisfactionem in ordine ad extinguendum debitum nostrum, sequeretur merita Christi in eodem thesauro fore otiosa, & non necessaria in ordine ad extinguendũ nostrum debitum: siquidem per oblationem pretii infinitæ satisfactionis Christi jam condignè solvitur; quapropter non est, cur merita Christi debeant etiam concurrere ad eandẽ solutionem. Sed contra quia tametsi pretiũ offeratur ex infinita Christi satisfactione, nihilominus merita Christi, quæ asservantur in thesauro, ad id valent, ut Deus acceptet satisfactionem Christi pro debito nostro; potest enim Deus illam non accipere, & à nobis exigere, ut debitas pœnas luamus. Unde Christi merita non sunt censenda otiosa, quia conducunt ad id, ut Deus acceptet alienam satisfactionem; hæc autem acceptio est maximum beneficium pertinens ad nostram salutem, & proveniens ex Christi meritis.

Si quæras an, pretium indulgentiæ desumatur ex eodem thesauro, ut continente satisfactiones Sanctorum. Respondetur thesaurum Ecclesiæ, ut constantem ex satisfactionibus Sanctorum, non esse simpliciter necessarium, ut indulgentiæ concedantur, ac suum sortiantur effectum: quia si per possibile, vel impossibile hic thesaurus, ex qua parte continet satisfactiones Sanctorum: exhauriretur (siquidem id simpliciter non repugnat, eo quia satisfactiones Sanctorum finitæ sunt, & indeterminata mensura, & hominum peccata propemodum innumera) nihilominus in hac hypothesi adhuc sola Christi satisfactio foret sufficientissima ad efficaciam indulgentiarum etiam secundum legem ordinariam; quia sicut Christus est solus & unicus omnium hominum Redemptor, ita etiam per se est sufficiens absque adminiculo aliorum Sanctorum. Præterea quia potestas à Christo data Petro pascendi Dominicum gregem per se non dependet ex meritis aliorum Sanctorum, sed fundatur in solis Christi meritis, & satisfactionibus, unde absque satisfactionibus Sanctorum posset adhuc remissio fieri per indulgentias ex illo thesauro tantùm continente Christi satisfactiones, quia hæ sunt infinitæ, & pro nullo eventu possunt exhauriri. Verùm ex usu! & praxi Ecclesiæ solutio, quæ fit per concessas indulgentias, supponit pretium desumptum ex hoc thesauro, ut continente Christi satisfactiones & simul eas Sanctorum, quæ nunquam supponuntur deesse. Hinc indulgentiæ à Pontifice semper conceduntur ex thesauro meritorum Christi, & Sanctorum, ut constat *ex Extravag. Unigenitus*. Ratio etiam est, quia sicut unus homo potest pro aliis satisfacere, & hoc pacto eidem obtinere remissionem pœnæ, quæ alioquin erat subeunda, ita etiam satisfactio alicujus Sancti, quæ effectum non habuit, & asservatur in thesauro Ecclesiæ, potest applicari ab habente hanc potestatem alteri in ordine ad satisfaciendum pro illo: & hæc satisfactio ita applicata est in suo genere sufficiens ad remissionem pœnæ illius, cui applicatur. Nulli igitur dubium quin ex Sanctorum satisfactionibus possint indulgentiæ concedi, non solùm per modum suffragii animabus expiantibus Purgatorio igne, verùm etiam viatoribus per modum absolutionis, eò quia ii subjiciantur jurisdictioni Ecclesiæ militantis, ut colligitur *ex Extravag. Unigenitus*, quamvis Sancti non possint alios absolvere, sed id pertineat ad Christum, ac ejus in terris Vicarium, conferunt nihilominus aliquid per proprias satisfactiones, quod potest esse pretium, ex quo fiat solutio inclusa in tali absolutione. Præterea neque Sancti sunt per se sufficientes sine Christo, adeo ut requiratur etiam Christi satisfactio, & meritum ratione cujus satisfactiones Sanctorum acceptentur ad hunc effectum, & fiat remissio ex perfecta ratione justitiæ.

An verò thesaurus Ecclesiæ nonnisi per indulgentias dispensetur; respondetur, quòd si thesaurus includat merita Christi, & Sanctorum, procedendum est cum distinctione, ac dicendum thesaurum Ecclesiæ, ut continentem satisfactiones Christi præcisè, dispensari etiam per Sacramenta, & etiam quoties extra Sacramenta remittitur aliqua culpa, vel etiam pœna absque condigna satisfactione. Ratio est, quia Sacramenta habent totam suam efficaciam ex meritis, & satisfactione Christi, proinde potest dispensari per sacrificia, & alia opera fidelium; imò potest etiam DEus ad preces Beatorum vel etiam Viatorum remittere pœnas, & applicare satisfactiones inclusas in hoc Ecclesiæ thesauro: quia quoties culpa, vel pœna nobis nobis remittitur; vel aliquod gratiæ beneficium nobis præstatur; tunc thesaurus meritorum Christi nobis applicatur, ac distribuitur. Secus thesaurus prout præcisè continet satisfactiones Sanctorum nonnisi per indulgentias dispensatur: quia de hoc thesauro, & ejus dispensatione nihil nobis constat, nisi per Doctrinam Ecclesiæ, quæ semper suos edocuit fideles Sanctorum satisfactiones nobis applicari per indulgentias. Præterea, quia hæc dispensatio consistit in applicatione satisfactionum Sanctorum in ordine ad remissionem alicujus pœnæ temporalis, quæ fit alicui ultra satisfactionem ab ipso exhibitam; non enim satisfactio est ad alium effectum accommodata, sed hujusmodi applicatio fieri potest à quovis indigente tali remissione, & propria voluntate ex illo thesauro tantùm satisfactionis, quantùm opus habet, & hoc pacto non dispensatur thesaurus, alioquin posset facile quisque pro omnibus suis peccatis satisfactionem exhibere sine ulla propria pœna à se suscepta. Secundò possunt satisfactiones Sanctorum applicari per homines, non tamen privata authoritate, sed publica adeoque per potestatem clavium à Christi concessam, & hæc potestas non operatur remissionem peccatorum quoad culpam, & pœnam apud DEum, nisi per Sacramenta, aut indulgentias: sed satisfactiones Sanctorum non applicantur per Sacramenta, quia, cùm hæc sint Ecclesiæ fundamenta, nituntur solis Christi meritis, & satisfactionibus: unde superest, ut satisfactiones Sanctorum, quæ continentur in thesauro Ecclesiæ, dispensentur per solas indulgentias.

Hinc infertur, thesaurum Ecclesiæ, ut constantem ex satisfactionibus Christi, esse simpliciter necessarium ad valorem, & efficaciam indulgentiarum de lege ordinaria, & juxta præsentem prævidentiam, quia DEus, non salvari homines, nisi per Christum, & ejus passiones, siquidem de potentia absoluta potuisset DEus decrevisse alios modos remittendi pœnas. Ratio est, quia Christus non solum operatus est nostram salutem per modum meriti, sed etiam per modum satisfactionis, quia ejus passio sufficiens imò & superabundans fuit ad satisfaciendum pro omnibus peccatis hominum quoad culpam, & pœnam, sed ut superius ex sufficientia satisfactionum Christi supervacanea esset, si non applicaretur ad ponendum effectum quantùm convenienter fieri potest; ergo nunquam hominibus remittitur peccatum quoad culpam, vel pœnam, nisi per Christi satisfactionem, cujus remissio est effectus.

LIBER SEX-

# LIBER SEXTUS.

## De divina gratia, ejusque participatione, ac multiplici naturæ statu.



Um in præcedenti libro egerimus de Indulgentiis, quæ distribuuntur fidelibus ex thesauro spirituali Ecclesiæ tam per modum absolutionis juridicæ, quam per modum suffragii, & nequeant fideles sine beneficio gratiæ divinæ eas lucrari, ideo superest hic agendum de divina gratia, præsertim contra Acatholicos eam impugnantes, & quænam sit ejus efficacia, & vis, quinam ejus effectus.

# CAPUT I.

## De Nomine, ac multiplici acceptione divinæ gratiæ.

GRatiam suam sortiri nomenclationem ex eo, quòd gratis detur, seu ex nullo præcedente merito, nec præeunte titulo, aut opere ex parte illam recipientis; ut scribit Apostolus *ad Rom.* 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia non est gratia*, adeo ut sit de essentia gratiæ, & ejus conceptu, dari sine ullo prævio merito, vel opere, aut titulo, sed sponte, & omnino gratis; & si aliter confeatur, non sit amplius gratia; & amittat propriam essentiam gratiæ. Hinc D. Augustinus *in Psal.* 144. *in Epist. ad Rom.* 10. relatis verbis Apostoli, *gratiâ salvi facti estis*, ait ipse: *Ubi audis gratiam, gratis intellige: si ergo gratis; nihil tu attulisti, nihil meruisti: nam si meritis aliquid redditum est, merces est, non gratia.* Ex hac nomenclatione gratiæ, variæ fuerunt acceptiones gratiæ ortæ, quas recenset D. Thomas *quæst.* 110. *art.* 1. inquiens: *Secundùm communem modum loquendi tripliciter gratia accipi consuevit. Uno modo pro dilectione alicujus, sicut consuevimus dicere, quod iste miles habet gratiam regis, id est, rex habet eum gratum. Secundò sumitur pro dono aliquo gratis dato: sicut consuevimus dicere: hanc gratiam facio tibi. Tertio modo sumitur pro recompensatione beneficii gratis dati; secundùm quod dicimus, agere gratias beneficiorum. Quorum trium secundum dependet ex primo: ex amore enim, quo aliquis habet alium gratum, procedit, quod aliquid ei gratis impendat; ex secundo autem procedit tertium: quia ex beneficiis gratis exhibitis gratiarum actio consurgit.* Hæ gratiarum acceptiones recensitæ à D. Thoma habentur in sacris scripturis. Prima enim habetur, cùm aliquis dicitur invenisse gratiam apud Deum, ut de Noë *Genes. cap.* 6. de Abraham *Genes. cap.* 12. *cap.* 18. 19. 20. de Moyse *Exod.* 33. in pluribus aliis locis. Est hæc gratia amor divinus, quo Deus rei amatæ vult bonum; & convenit cum amore amicitiæ inter homines; quia amicus amans amicum non vult illi bonum aliquod, non malum illi optat. Differt verò Dei amor ab illo hominis; quia voluntas hominis bonum quidem spectat tanquam proprium objectum; sed illud supponit, non ponit, quia illud non efficit volendo, neque producit: non enim homines, quod aliis volunt bonum, illud producunt. Deus verò quia summè, ac infinitè perfectus, per eandem voluntatem, quâ vult alicui bonum, illud efficit, ponitque in creatura, quam amat, ut etiam si bonum aliquod tribuit creatura, hæc eo ipso dicitur à Deo amari. Secunda acceptio, qua sumitur gratia pro aliquo dono gratis dato frequentior est in novo testamento, præsertim in Epistolis D. Pauli, in quibus nihil magis repetitum invenitur, quam nomen gratiæ sumptum pro dono, quod nobis à Deo gratis datur. Sed tertia acceptio, qua sumitur gratia pro gratitudine, seu gratiarum actione, non ita frequenter invenitur apud illum, & hæc tertia acceptio non servat propriè gratiæ etymologiam: siquidem gratiarum actio non datur omnino gratis, sed potius redditur ut debita, pro gratia, ut beneficiis prius acceptis: consequenter, nonnisi reductivè, & impropriè dicitur gratia, quatenus se habet consecutivè ad collationem gratiæ, quia enim aliquam gratiam ab alio accipit, ne inurbanus sit, ac ingrati animi laboret vitio, gratias eidem agit, in quo sensu aiebat Sophocles, *gratia gratiam parit.* Rursus præter has tres prærecensitas gratiæ acceptiones sumitur etiam gratia in sacris litteris aliqua proprietas personæ amatæ, qua sibi benevolentiam conciliet, ut corporis venustas, sermonis elegantia, oculorum pulchritudo, in quo sensu dicitur *Proverb.* 21. *Fallax est gratia, & vana pulchritudo*, & *Psal.* 44. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Cæterum, quia dona, quæ nobis à Deo gratis conferuntur, nos reddunt illi gratos, & acceptos, extenditur gratiæ vocabulum ad ea omnia significanda, per quæ objecta, quæ diligimus, grata & amabilia fiunt, tametsi illa non omnino gratis ipsis donemus & quia ut diximus amor, quo homo alium amat, seu illi vult bonum non est effectivus, sed tantum affectivus illud non ponit in esse, sed illud supponit: amor verò

verò divinus erga creaturas, quia est effectivus bonum illud, quod vult nobis, efficit, & in nos ponit, adeo ut Deus diligendo, & amando totum tribuat, quod amat: & rursus, quia amando gratis tribuit id, quod amat, & per id, quod gratis tribuit, constituit sibi objectum, quod amat, gratum, & amabile, sequitur, quod gratia dicitur, quidquid objectis confert amabilitatem, sive sit donum gratuitum, sive acquisitum, vel naturale. Hinc tam latè patet divinus erga homines amor generatim sumptus, quam bona omnia hominibus à Deo tributa. Neque fieri potest, ut, quo tempore homo nihil boni de novo à Deo recipit, vel ipse amittit: dicatur à Deo de novo diligi, vel non amari, neque enim est Deus ut homo, siquidem hominis effectus re immutata mutari potest, ut etiam de novo diligere, quamvis res amata nihil boni de novo accipiat, ut etiam desistere eam diligere, quamvis nihil boni ipsa res deperdat, est enim hæc mutatio imperfectio hominis, qui propterea dicitur mutationum vicissitudini obnoxius, apud Deum autem non est transmutatio, neque vicissitudinis ob umbatio, proinde de ipso respectu creaturarum non potest de novo quidquā affirmari, nisi secundùm earundem mutationem.

Cæterum quia amare perinde est, ac velle alteri bonum, & bona, quæ Deus vult creaturis, sint in diverso genere, adeo ut alia sint naturalia, & alia supernaturalia, ita & amor. Bona naturalia dicuntur, quæ oriuntur ex naturali dilectione, qua Deus diligit omnia, quæ sunt, & in hominem præsertim profluxerunt, homo enim duplici constat rerum gradu corporeo, quem cum brutis communem habet, & spirituali, quo proximius ad Angelorum perfectionem accedit. Rursus duplex in eodem adest vis cognoscendi, & appetendi, scilicet per intellectum, & sensum, per voluntatem rationalem, & appetitum sensitivum, & utrique accommodatur natura hominis, quæ particeps est rationis per intellectum, & voluntatem, & rationis sensitivæ, qua per sensus cognoscit, & per appetitum sensitivum bona sensibilia appetit, ut sibi consentanea, adeo ut homo versetur circa res omnes tum cognoscendas, tum appetendas, quæ perfectio est in homine magna, manans ex magna Dei in homines dilectione. Res aliæ corporeæ feruntur in aliquid tantùm determinatum, cum quo melius ipsis sit in ordine ad conservationem sui, & in ejus possessione totaliter conquiescunt; homo verò fertur in bona omnia, & in nullo eorum extra Deum conquiescit, quia finita, & limitata nequeunt ejus capacitatem totaliter explere, & nonnisi in solo Deo potest homo totaliter conquiescere, ac sua frui felicitate, quamvis enim intellectus hominis, & voluntas, nullis rerum contineantur limitibus, quidquid vel ratione comprehendit, vel voluntate habet, quandiu Deum infinitum perfectis operationibus harum potentiarum non assequitur, in quo omnia bona comprehenduntur, tamdiu necesse est, sit inquietus, quia nondum possidet, quod ei est optimum, & quia homo suapte natura sola id consequi nunquam potest, ideo ex sua natura est semper inquietus, & qui reliquas res corporeas perfectione vincit, in hoc ab illis videtur superari, nisi fortassis ad commendationem humanæ naturæ pertinet, quod, quæ rebus aliis ad felicitatem sufficiunt, adhuc hominem non satient: & quamvis potuisset Deus reliquisse hominem in hac sua natura inquieta absque eo, quod potuisset homo conqueri, cùm non possit *lutum dicere figulo suo, cur me ita facis*, ut habetur *Isaia* 45. non tamen voluit hominem tali inquietudine laborantem, sed cum placuit elevare ad perfectè videndam & amandam divinam essentiam, ac Deum possidendum ut finem ultimum, ut totaliter coquiesceret in pelago omnium bonorum, ac perfecta frueretur felicitate: & quia conveniens erat, ut debita interesset proportio inter opera, quæ supernaturalem beatitudinem paritura sunt, & ipsam beatitudinem, ideo ei contulit dona supernaturalia, quibus ad finem promoveretur supernaturalem, & ad possessionem summi Dei per intellectum, & voluntatem, ut illo cum facie ad faciem intuitivè videret, & hac jugiter amaret, ad quod requirebantur operationes supernaturales quas homo ex se producere non poterat, nisi munificus Deus varia ad id illi tribueret supernaturalia dona, sive præsidia, quæ, cum ad actiones excedentes naturalem facultatem referantur, neque hominis debeantur ex naturali lege divinæ voluntatis, qua voluit naturam hominis cum potentiis tantùm naturalibus condere; ideo supernaturalia, & gratuita dona ei confert, quibus potis sit opera supernaturalia elicere, seque ad finem supernaturalem promovere.

Hinc nomine gratiæ possumus intelligere omnia beneficia à Deo nobis collata, & in quibus relucet ratio doni gratuiti, & in hac latitudine nomen gratiæ, comprehendit bona omnia, quæ munificus Deus creaturis præsertim rationalibus tribuit, etiam ipsam substantiam, & naturam, ac naturales ejus proprietates, accidentia, & concursus, quia hæc omnia nobis conferuntur absque prævio ullo nostro merito, & sola Dei voluntate, ac liberalitate, consequenter etiam nomine gratiæ comprehendi possunt, & hinc desumpserunt Theologi illam gratiæ distinctionem, qua supernaturalem distinxerunt à naturali, ut D. Bonaventura *in 2. dist. 4. art. 1. quæst. 2.* Richardus *ibid. art. 2. quæst. 2.* & alii comprehendentes nomine gratiæ naturalis non solùm naturam ipsam rerum creatarum, sed & naturalia omnia, quæ suapte conditione natura exigit: & nomine gratiæ supernaturalis dona omnia supernaturalia, quæ sunt supra talem exigentiam, & D. Augustinus distinguens has gratias; naturalem vocavit gratiam creationis, eò quia creatio est primum beneficium, cui alia naturalia bona, quæ desiderabantur ad integritatem naturæ adjiciuntur: secundam gratiam vocavit gratiam redemptionis, prædestinationis, justificationis, eò quia ad hæc beneficia omnia, quæ sunt ordinis supernaturalis, referuntur. Hinc *in Psal.* 144. ait: *Discite gratiam, intelligite gratiam. Nos antequam essemus, omnino non eramus, & facti sumus homines cum antea nihil essemus, deinde jam ipsi homines ex traduce illius peccatoris, & maligni eramus: attendamus ergo gratiam Dei non solùm, qua fecit nos, verùm etiam, qua refecit. Cui ergo debemus, quia sumus, illi debemus, quia & justificati sumus.* Hoc idem etiam explicat *Epist. 95. quæ est ad Innocentium Papam*, ubi ait: *Etsi enim quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ut non nihil essemus, nec ita essemus aliquid, ut cadaver, quod non vivit, & arbor, quæ non sentit, aut pecus quod non intelligit, sed homines, qui & essemus, & viveremus, & sentiremus, & intelligeremus, & de hoc tanto beneficio Creatoris nostri gratias agere debemus: unde merito & ista gratia dici potest, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est, alia est tamen, qua prædestinati vocamur, justificamur, & glorificamur, ut dicere possemus, si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Quòd si dicas, Augustinum disputantem pro divina gratia contra Pelagium eum reprehendisse, eò quia nomine gratiæ comprehenderet dona naturæ, ideo & naturam ipsam, ejusque naturalem libertatem & arbitrium, consequenter non rectè dividitur gratia in naturalem, & supernaturalem, nec possunt nomine gratiæ comprehendi dona naturæ. Contra est, quia

quia Auguſtinus non ideo reprehendit Pelagium, eò quia dona naturæ gratiam vocaret; ſed quia nomine gratiæ doceret, nil aliud eſſe intelligendum, quam prædicta dona naturalia, Auguſtinus enim præter gratiam hanc naturalem ſitam in donis naturæ, & quam dicebat gratiam creationis; aſſerebat aliam gratiam ſupernaturalem, quam dixit gratiam Redemptionis, prædeſtinationis, juſtificationis, & hanc aiebat eſſe omnino ſuperexigentiam naturæ, & Chriſtum nobis promeruiſſe. Pelagius præter gratiam naturalem, ſeu dona naturæ, negavit omnia alia dona ſupernaturalia aſſerens ſolam naturam ſemel à Deo creatam, & conſervatam ſibi ſufficere ad declinanda peccata, & vitam æternam promerendam, quàm doctrinam, utpote diſſona, & totaliter contraria ſacris ſcripturis, & reliquis Patribus, omnino impugnavit, ac rejecit Auguſtinus. Controverſia inter Auguſtinum, & Pelagium non erat de gratia creationis comprehendente naturam, & bona naturalia, quæ eidem adjiciuntur, ut integretur in ſuo eſſe naturali, quia in hac gratia Pelagius conveniebat cum Auguſtino, ſed quæſtio erat de gratia redemptionis, prædeſtinationis, juſtificationis, & de aliis beneficiis ordinis ſupernaturalis: & hanc gratiam ſupernaturalem, & ſupervacaneam, & inutilem negabat Pelagius, eamque aſſerebat, ut neceſſariam, Auguſtinus, ut poſſet homo ſe promovere ad finem ſupernaturalem; ait enim Auguſtinus *Epiſt.* 95. *Alia eſt gratia, qua prædeſtinati vocamur, juſtificamur*, ſcilicet gratia, qua prædeſtinamur, & juſtificamur, eſt omnino alia à gratia naturali, ſeu creationis, quia per illam, non per hanc promovemur ad finem ſupernaturalem, deinde ſubdit Auguſtinus, *de hac gratia quæſtio vertebatur*, quando ab iis, quos Pelagius graviter offendebat, atque turbabat, dicebatur ei, quod eam ſuis diſpenſationibus oppugnaret, quibus aſſereret, non ſolùm ad facienda, verùm etiam ad perficienda mandata divina per liberum arbitrium humanum ſibi ſufficere naturam: hanc Apoſtolica doctrina gratiam iſto nomine appellat, qua ſalvamur, & juſtificamur ex fide Chriſti. *Cum itaque de hac gratia Chriſtianis fidelibus Catholicitque notiſſima illi objiceretur quæſtio, ut eam oppugnare deſineret, quid eſt, quod, cum hæc ſibi in libro ſuo velut adverſante perſona idem ipſe objeciſſet, ut ſe reſpondendo purgaret, nihil aliud reſpondit, niſi creaturam creati hominis referre gratiam creatori: atque ita ſe dicere ſine peccato implere poſſe juſtitiam per liberum arbitrium cum adjutorio divinæ gratiæ, quòd Deus hoc dederit ipſa poſſibilitate naturæ.*

Hiſce explicatis, & omiſſa gratia creationis, ſeu naturali ſita in ſolis bonis naturalibus, quæ eatenus gratiæ dicuntur, non quod elevent hominem ad ſtatum ſupernaturalem, ſed quia gratis, & abſque ullo prævio merito ex parte hominis fuerunt à Deo eidem datæ in præſenti contra Sectarios loquimur de gratia ſupernaturali elevante hominem ad ſtatum ſupernaturalem, quæ non incommodè deſcribi poteſt, quòd ſit donum per amorem ſupernaturalem divinitus homini conceſſum ſupra naturæ debitum ad beatitudinem ſupernaturalem conſequendam. Non enim donum ſupernaturale diſtinguitur à dilectione ſupernaturali, neque dilectio ſupernaturalis ſejungi poteſt à dono ſupernaturali. Hinc D. Paulus *ad Epheſ.* 2. ſcribit: *Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, donum enim Dei eſt.* Et hæc gratia ſupernaturalis plura complectitur dona itidem ſupernaturalia, quæ homini omnino gratis à Deo conferuntur, quæ dona numerantur à D. Paulo 1. *Corinth.* 12. ubi ait: Ad utilitatem aliorum dari, non tamen omnia dona ſupernaturalia gratum conſtituunt hominem, cui dantur, neque jus ad beatitudinem ſuppeditant, ſed tantùm ſunt quædam auxilia actualia, quibus homo excitatur ad ſe promovendum ad gratiam ſanctificantem ſuſcipiendam, hæc enim auxilia reperiuntur in hominibus peccatoribus, quos Deus plerumque illuminat, ut videant rectam viam, per quam ambulent, & reſipiſcant. Alia ſunt dona ſupernaturalia, quæ hominibus conferuntur, ut ipſimet per proprias actiones ſupernaturales propriam operentur ſalutem, & hæc varia etiam ſunt ex varietate principiorum, quæ ad ſupernaturales actiones eliciendas conſpirant: ſiquidem ea eſt ſuavitas Dei operantis juxta ſupernaturalem ſuam providentiã, & ſupernaturalia ita naturalibus accommodentur, ut hæc non deſtruantur, ſed perficiantur, non deprimantur, ſed ſubleventur, adeo ut natura donis hiſce ſupernaturalibus, ac ſupervenientibus ornata vocetur à D. Paulo *ad Galat.* 6. nova creatura, quia ſcilicet prima creatura naturalibus tantùm ſuis prædita facultatibus, ſuiſque proprietatibus inſtructa, ad veram conſequendam beatitudinem non ſufficiat, quapropter ſuavitas divinæ providentiæ, ita eam ſupernaturalibus donis fulcit, & ornat, ut nova videatur eſſe creaturæ, non quod prima deſtruatur; ſed quia perficitur, & mediantibus hiſce auxiliis ſupernaturalibus ad operandum ſupernaturaliter ſe promoveat. Sicut enim creatura naturalibus ſuis potentiis prædita efficit naturales ſuas actiones, ita ſupernaturalibus auxiliis munita ad ſupernaturaliter operandum ſe accingit, cùm quæ ad naturales hominis actiones concurrunt, tanquam baſis eſt ipſa hominis natura, quæ principium eſt non modo actionum, ſed etiam potentiarum, quibus actiones proximè eliciuntur. Ita eidem naturæ divina quædam qualitas ſupernaturalis à Deo gratis impertitur, quæ principium ſit actionum ſupernaturalium, elevans, ac juvans naturam, ejuſque facultates ad operandum ſupernaturaliter, ideoque, qui hac divina qualitate ornantur, non immeritò in ſcripturis regenerari dicuntur, quia reſipiſcentes recipiunt gratiam ſanctificantem, qua in ſcripturis dicuntur regenerari: ſiquidem novum eſſe novamque naturam recipiunt, qua efficiuntur divinæ naturæ conſortes, eſt enim gratia ſanctificans quædam naturæ divinæ participatio, qua homines idonei, & habiles redduntur ad percipiendam beatitudinem ſupernaturalem, ſeu ad intuitivè videndam divinam eſſentiam, & perfectè diligendum fontem illum inexhauſtum divinæ bonitatis, in quo creatura rationalis perfectè conquieſcit. Idque cauſæ fuit, cur D. Paulus hanc gratiam ſanctificantem, & inhærentem hominem dicat, 1. *Corinth.* 1 & *ad Epheſ.* 2. *Pignus hæreditatis noſtræ, quo ſignati ſumus* hoc eſt pignus cœleſtis beatitatis, & *Joan.* 3. dicitur: *Dei ſemen, in iis, qui ſunt ex Deo, manens*: quia ſicut ſemen ſuos profert fructus, quibus alitur homo, perinde divina gratia eas profert operationes, quibus fruimur fructibus cœleſtis beatitudinis: ſi tamen Dei ſemen in homine manſerit, quia etiam ſemen divini Spiritus gaudet in homine ſupernaturaliter dilecto manere *Joan.* 14. Deus apud eum dicitur facere manſionem, & in hoc ſcimus Deum in nobis manere, quia ut ait: 1. *Joan.* 4. *In hoc cognoſcimus, quoniam in Deo manemus, & ipſe in nobis, quonivm de Spiritu ſuo dedit nobis.*

Rurſus ſicut in prima creatura, ſeu in homine conſiderato ſecundum ſua naturalia tantùm, præter naturam, ſunt etiam potentiæ quædam, quæ metaphyſicè à natura ipſa profluunt, & quarum beneficio homo propendet, inclinaturque ad naturales operationes, quas veluti principiis proximis eliciat, pari pacto à prædicta gratia in intellectum, & voluntatem virtutes effluunt, præſertim Theologicæ, quibus hominis po-

tentiæ instructæ, & ornatæ operationes eliciunt supernaturales, quarum scopus est ipse Deus, & quamvis probabiliter dicamus, gratiam habitualem inesse homini naturâ distinctam à virtutibus omnibus theologicis, consequenter etiam à charitate, eò quia ab hac gratia sanctificante habituali profluat ipsa charitas, nihilominus est charitas etiam ipsa donum supernaturale manens in ipso, quia per supernaturalem Dei dilectionem, confertur homini donum aliquod habituale, seu manens in eodem distinctum ab aliis virtutibus theologicis fide, & spe, sive hoc donum supernaturale sit distinctum à charitate, sive non, ut controvertitur apud Theologos: siquidem nova creatura per aliquam Dei dilectionem debet nova constitui & plerumque aliæ virtutes Theologicæ fides, & spes manent sine hoc dono gratiæ, vel charitatis, etenim in peccatore manent habitus supernaturalis fidei & spei, tametsi destituatur dono gratiæ sanctificantis, & habitu charitatis licèt uterque habitus charitatis, & gratiæ per specialem Dei dilectionem de novo in eodem homine recipiatur, quatenus peccator resipiscit, & iterum in Deum convertitur, adeo ut hoc novum gratiæ donum habituale, & permanens sit distinctum à dono fidei, & spei, & hoc donum à D. Paulo vocatur thesaurus 2. *Corinth.* 4. thesaurum in vasis fictilibus inclusum, asserit esse thesaurum in vasis fictilibus, ut nos cautos redderet, ne donum illud tam pretiosum amittamus, quo Dei amici efficimur, seu justi, sancti, imaculati, abluti, mundi, recti, salvi, sani, Deo placentes, & dilecti. Quamobrem Sancti Patres hoc habituale donum charitatis communiter asserunt inhærere hominibus justis, & per hanc charitatem homines salvari adeo ut sola fides non sufficiat; sed ulterius requiratur gratia sanctificans, & charitas; *fides* enim est tantùm dispositio prærequisita, & prima radix salutis, quâ credit homo vera esse omnia; quæ à Deo revelata sunt, imò ut justificetur homo, requiruntur etiam aliæ dispositiones, ut *timor* Domini, judicii, pœnarum; *spes* divinæ misericordiæ, & remissionis peccatorum per Christi merita; *amor* in Deum; *odium* peccati, *propositum* melioris vitæ, ac observationis mandatorum Dei, quos actus subsequitur justificatio: neque recensitæ dispositiones, quæ justificationem dicuntur antecedere, sunt meritoriæ remissionis peccatorum, seu infusionis justitiæ, in qua justificatio consistit, siquidem justificamur gratis, & non ex nostris meritis; Quòd præter fidem requirantur alii actus constat; quia sicut scriptura asserit per fidem justificari peccatorem ita etiam per timorem *Eccles. 1. v. 27. Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit justificari.* De spe 1. *Joan.* 8. *Omnis qui habet hanc spem, in eo sanctificat se, sicut & ille Sanctus est*, scilicet non meritoriè, nec efficienter, sed dispositivè, de pœnitentia anteactæ vitæ *Ezech. 18. v. 21. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis vita vivet, ex non morietur. Luc. 13. v. 5. Gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam.* De Amore *Luc. 7. v. 47. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.*

# CAPUT II.

## De Partitione divinæ gratiæ.

Expendimus, quid nomine gratiæ significetur, superest explicanda ejus divisio, quæ plura solet membra comprehendere. Prima ac generalissima divisio bipartitur in gratiam increatam, & creatam, circa quam divisionem oritur statim difficultas, præsertim circa primum membrum: quia cum gratia sit essentialiter donum, non videtur, quomodo aliquid increatum possit dici, ac esse gratia, & quomodo possit importare rationem doni, quòd videtur tantùm convenire rei creatæ & finitæ. Quamvis gratia quatenus significat dilectionem comprehendat actus in creatos; non tamen ut dicit rationem doni, quia videtur includere imperfectionem, ratione cujus cujus nequit actui increato convenire; siquidem in conceptu doni videtur includi aliqua subjectio ad conferentem, distinctio, ac dependentia ab illo; videtur enim exigere, ut is, à quo confertur, habeat authoritatem, & dominium supra tale donum; & quod, antequam conferatur, sit sub Dominio conferentis, ac sub ejus potestate constitutum; & ut postquam collatum fuerit, sub dominio sit illius, cui donatur ob translationem juris à donatore ad eum, cui donatur; hæc enim omnia videntur includere imperfectionem incompatibilem cum actu increato.

Hisce non obstantibus communior Theologorum sententia docet gratiam sumptam pro dono gratis à Deo collato comprehendere etiam aliquid increatum, seu divinas ipsas personas, ac earum increatam perfectionem; ideoque non omnem gratiam creatam esse; sed rectè dividi in increatam, & creatam; adeo in alterum primæ partitionis membrum sit quid increatum, infinitum, independens; id evincitur ex sacra scriptura, ubi personæ divinæ Filii, & Spiritus Sancti dicuntur nobis donari, seu dari ex amore, & dilectione Dei. *Isaia 9 Filius datus est nobis. Joan. c. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*: & *cap.* 14. ait Christus: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*: hisce verbis supponitur Paraclitus, seu consolator à Patre nobis datus; imò & alius Paraclitus seu Spiritus Sanctus nobis dandus: hinc Apostolus *ad Rom. 8. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*; quæ verba expendens D. Augustinus 12. *de Trinit.* non solùm ait dari nobis dona increata, verùm etiam ipsam personam Spiritus Sancti, qui donum Dei dicitur per excellentiam: & *serm. 61. de verbis Domini* ait: *Gratia Dei donum Dei est: donum autem maximum ipse Spiritus Sanctus est, & ideo gratia dicitur*: cui consonat D. Isidorus *lib. 7. Etymol. c. 3.* ubi loquens de eodem Spiritu Sancto, ait: *Ipse est gratia, qua quia non meritis nostris, sed voluntate divina gratis datur, & inde gratia nuncupatur*: & *Joan.* 14. de tota Trinitate respectu hominis justi dicitur, *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Hoc idem etiam constat in mysterio Incarnationis, in quo secunda persona divina ex summo totius Trinitatis amore data est humanitati ut maximum, ac supremum donum, quod potuit conferri creaturæ. Rursus in cœlesti patria divina essentia dicitur etiam donari Beatis, quatenus isti beneficio luminis gloriæ eam intuentur, ac possident: ex quibus constat, non esse contra rationem divinæ, ac incratæ personæ, ac perfectionis, donari hominibus ex amore, & benevolentia Dei; ac habere rationem gratiæ.

Hinc

Hinc ad difficultatem, quæ objiciebatua, respondetur, posse solvari rationem doni, ac dati sine subjectione, ac dependentia ab aliquo: ac etiam sine distinctione, quæ ponat imperfectionem in re dono data: etenim Pater æternus dat suam essentiam filio; & uterque Spiritui Sancto, quamvis divina essentia à neutra persona distinguatur; sitque una ac eadem in tribus personis, sine ulla subjectione absque ulla dependentia, ac imperfectione; neque ponitur in illa ullus respectus dantis, vel accipientis: neque authoritas dantis habetur ulla supra rem, quæ datur; quia nulla intercedit distinctio, quando dator est idem ac datum; non enim idem dicitur distingui à se ipso, quamvis det se ipsum; sufficit enim, si dans habeat se ipsum, sitque sui ipsius per identitatem; sitque liber, ac sui juris ad se tribuendum: qua ratione in divinis non solùm Pater dat nobis Filium, & Spiritum Sanctum: verùm etiam divina essentia, & tota Trinitas, & quælibet persona dat se ipsam, ut habetur *Joan. cap.* 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: ac quamvis, ubi datur distinctio, adsit etiam authoritas ex parte dantis: nulla tamen per hoc ponitur imperfectio, nec subjectio in re, vel persona, quæ datur; sed tantum solus ordo originis à dante, ac donante; ut explicat D. Thomas 1. *part. quæst.* 38. *art.* 1. ubi quærit: *An donum in DEO dicatur tam essentialiter, quam notionaliter.* Et 1. *part. quæst.* 28. *art.* 1. ait: *Dare, vel donare dicitur dupliciter. Uno modo illud, quod habetur per modum dominii, ut possessio. Alio modo illud, quod habetur, quasi intrinsecum sibi, sicut aliquis habeat se ipsum, vel materiam suam, vel qualitatem. Quamvis autem in divinis personis non sit dominium unius respectu alterius; tamen est ibi authoritas principii. Dicendum igitur, quod datio potest importare authoritatem respectu dati, & sic donum, vel datum est notionale. Potest etiam non importare auctoritatem, sed tantum hoc, quod id, quod datur, liberè habeatur; & hoc modo essentia divina dicitur dari, vel donari. Et secundùm hoc donum, vel datum non est personale, sed essentiale, tamen semper importat distinctionem dantis ad eum, cui datur, quamvis non ad id, quod datur.* Nomen doni quamvis sub una acceptione sit nomen notionale proprium Spiritus Sancti; sub alia tamen consideratione est nomen essentiale seu commune toti Trinitati; & in hac secunda acceptione ratio doni non solùm convenit Spiritui Sancto, verùm etiam omnibus tribus personis, imò & ipsi essentiæ divinæ competit munus gratiæ, si sumatur pro dono gratis concesso: specialissimè tamen ratio doni, & gratiæ appropriatur Spiritui Sancto, ad quem referuntur omnes peculiares gratiæ, ac omnia dona: siquidem de ratione doni quovis modo sumpti est, ut conferatur ex amore, quo volumus bonum alteri: donum enim ex Philosopho 4. *Ethic. cap.* 2. *Est datio irredimibilis*, seu liberalis, non quæ recompensari non possit; sed quia proprium doni est non quærere recompensationem; ideóque dicitur donum fundari in amore, à quo procedit; & omnino gratis datur. Unde licet in divinis Pater det Filio suam essentiam, non tamen propriè à Patre donatur, quia non ex amore donatur; sed necessariò & naturaliter datur: perinde ac in humanis, quæ ab hominibus dantur, non omnino donantur, quia non ex solo amore; sed vel ex timore, vel propter quæstum, vel spe recompensatioinis magna ex parte tribuuntur: quia verò Spiritus Sanctus per voluntatem, & amorem procedit ex ipso modo processionis competit sibi, quòd possit donari, & quod per eum omnia alia donentur. Ad aliud quod addebatur, donum postquam datum est, fieri aliquid creaturæ, cui datur. Respondetur, in hoc simpliciter non importari ullum defectum: quia licèt fieri, vel esse creaturæ ad usum simpliciter dicat imperfectionem, eò quia dicatur propriè esse sub ejus dominis: non tamen esse illius ad fruitionem cognitionem, & amicabilem conversionem importat præfatam imperfectionem; & hoc posteriori modo dicuntur divinæ personæ fieri nostræ cùm se nobis donant.

Sed objicitur contra hanc divitionem gratiæ in increatam, & creatam; quia divinæ personæ non aliter se nobis dant, quàm mediante habitu gratiæ sanctificantis, qui est ejus effectus, & aliquod creatum; ideóque solùm dat justis talem habitum; ergo solus habitus, qui cùm sit in genere qualitatis, distinguitur à divinis personis, quæ includunt rationem veræ substantiæ, & quidem perfectissimæ, ac infinitæ: unde quando nobis donatur donum Spiritus Sancti, nobis tantùm confertur habitus charitatis, non verò ipsamet substantia Spiritus Sancti. Firmari ex eo itidem potest, quia si, quando gratia animæ infunditur, illi infunderetur; ac uniretur immediatè Spiritus Sanctus secundùm se, & secundùm suam substantialem præsentiam; & non solùm mediante gratia, inde sequeretur, quòd divina persona in sua substantiali præsentia mutaretur: quia secundùm illam haberet se aliter ad nos, ac antea se haberet, quod esse nequit, cùm Deus sit immutabilis. Verùm solutio hujus objectionis dependet à modo divinæ personæ dicuntur invisibiliter mitti ad creaturas. Certum est, divinas personas ex vi missionis invisibilis esse in nobis, non solùm ratione donorum supernaturalium gratiæ sanctificantis, & charitatis inhærentis, quæ dona nobis communicantur; sed etiam ratione earundem personarum; adeo ut quoties mittuntur divinæ personæ per missionem invisibilem, non solum donentur nobis dona gratiæ, & charitatis; sed etiam ipsæ personæ ut distinctæ à donis gratiæ, ita docent cum Magistro *in* 1. *sent. dist.* 14. & 15. D. Thoma *quæst.* 43. *art.* 1. *conc.* 3. communiter Theologi, adeo ut oppositum sit erroneum, parumque in fide tutum. Quia ut scribit Apostolus *ad Corinth.* 6. *Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in nobis est, quem habetis à DEO.* Sed eo ipso quod Spiritus Sanctus est in nobis, eo quia nos sumus templum illius; debet Spiritus S. esse in nobis, non solum per dona gratiæ, verùm etiam prout est talis peculiaris persona divina distincta ab ipsis donis gratiæ: quia non aliter sumus templum Spiritus Sancti, nisi per dona gratiæ, quibus creatura rationalis efficitur templum Sanctitatis: ergo cùm Spiritus Sanctus ut distinctus à templo sit in ipso templo, quod sunt justi, sequitur manifestè Spiritum S. esse in justis etiam, prout distinguitur à donis gratiæ; quia hæc pertinent ad structuram templi: & Spiritus Sanctus est in templo jam constructo per dona supernaturalia: ergo est in justis, prout distinguitur à donis supernaturalibus creatis. Quod etiam firmatur ex illo Apostoli *ad Roman.* 5. *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, ubi Apostolus distinguit donum charitatis ab ipso Spiritu Sancto; & ait, charitatem diffusam esse in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis: etenim si charitas nobis confertur per

Spiritum Sanctum, debet distingui ab illa, quia donum non est ipse donator; sed dicit relationem ad donatorem, à quo propterea distinguitur, perinde ac unum relativum ab alio, ad quod refertur; idque vel maximè, quando donum est in diverso ordine à donatore, ut charitas, quæ est in genere creato, & donator, seu Spiritus Sanctus in genere increato; illa in genere qualitatis, hic in genere substantiæ: unde ex Apostolo constat, charitatem, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum S. non esse ipsum Spiritum Sanctum: sed Apostolus expresse significat, Spiritum Sanctum ut distinctum à dono charitatis nobis donari: ait enim *per Spiritum S. qui datus est nobis*: ergo non solum nobis datur charitas, verùm etiam Spiritus Sanctus, ut distinctus à dono charitatis.

Difficultas in eo sita est, quomodo personæ divinæ, ut distinctæ à donis gratiæ dicantur inesse hominibus justis. Plures censent Personas divinas inesse hominibus justis, tanquam objectum cognitum in cognoscente, vel amatum in amante. Verum id videtur captu difficile: siquidem possumus cognoscere & amare res omnino dissitas, tametsi objecta, cognita, & amata secundùm præsentiam realem non sint in cognoscente, & amante, sed tantùm in ratione cogniti, & amati: & hoc pacto non rectè dicerentur personæ divinæ inesse justis ex vi missionis, cùm peccatores etiam cognoscant per habitum fidei personas divinas, adeo ut dicantur istæ inesse incognito etiam in peccatoribus, tametsi in iisdem non sint per dona gratiæ sanctificantis, & charitatis, neque per realem præsentiam, & secundùm proprium esse reale, quod habet in se. Rursus objectum cognosci, & amari ab aliquo nil aliud importat, quàm ejus cognitionem, & amorem esse in illo: sed per talem cognitionem, & amorem, non dantur nobis personæ divinæ, sed tantùm earum dona: ergo eo ipso, quòd personæ divinæ ex vi missionis, ut distinctæ à donis gratiæ sunt in justis, non possunt in illis esse, ut cognitum in cognoscente, vel amatum in amante. Præterea quia personæ divinæ ex vi missionis dicuntur venire ad hominem justum, juxta illud *Joan.* 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: atqui per hoc, quòd incipiamus aliquem absentem cognoscere, & amare, non dicitur ille absens venire ad nos, secundùm illud esse reale, quod habet in se, sed ad summum quoad esse cognitum, & amatum, quod non sufficit, ut divinæ personæ dicantur ut distinctæ à donis gratiæ esse in justis ex vi missionis. Demum quia inesse objectivo DEus est in creaturis rationalibus etiam per cognitionem, & amorem naturalem, consequenter, ut divinæ personæ dicantur ex vi missionis esse in nobis singulari ratione, & ut distinctæ à donis gratiæ, & charitatis, non sufficit, si sint in justis tanquam objectum cognitum in cognoscente vel amatum in amante.

Hinc alii respondent, gratiam justificantem habere quandam necessariam connexionem cum essentia divina, similem aliquo pacto connexioni, quam habet unico hypostatica cum Verbo incarnato; hoc tantùm discrimine, quòd unio hæc hypostatica sit substantialis, & connexio gratiæ justificantis cum essentia divina sit accidentalis, sicut gratia justificans est accidens supernaturale inhærens animæ, quam elevat ad statum supernaturalem, quapropter sicut ubicunque est natura hypostaticè unita personæ divinæ, ibi singulari & necessaria ratione est ipsa persona divina secundùm proprium suum esse reale; adeo ut etiamsi per impossibile posset DEus non esse ubique adhuc necessariò esset, ubicunque reperiretur talis natura ratione unionis hypostaticæ, perinde ratione connexionis gratiæ gratum facientis cum essentia divina dicunt DEum necessario esse in omni habente gratiam justificantem, ita explicant, & docent Suarez *lib.* 12. *de Trinit. cap.* 5. *num.* 13. cui adhærent plures asserentes, per missionem invisibilem non solùm nobis conferri dona creata, verùm etiam nobis donari personas divinas, ut distinctas ab iisdem donis creatis, adeo ut ex vi donorum gratiæ fiant divinæ personæ nobis realiter præsentes præsentia physica distincta à reali illa præsentia, qua DEus est rebus omnibus præsens per essentiam, præsentiam, & potentiam. Verum hæc sententia suas videtur difficultates pati, quia asserentes gratiam justificantem habere necessariam connexionem cum essentia divina illi quodammodo similem, quam habet unio hypostatica cum Verbo divino, vel intelligunt, quòd gratia sanctificans habeat ex se & ex intrinseca sua natura hanc connexionem physicam, sicut unico hypostatica in Christo habeat ex natura sua physicam connexionem cum Verbo divino, à quo non potest loco sejungi. Vel quòd habeat hanc connexionem cum divina essentia non physicam, & ex natura sua, sed tantùm moralem, & ex DEI voluntate decernentis omni justo ita esse præsentem: neque alio modo potest intelligi, quomodo gratia sanctificans connexa sit cùm essentia divina; quia præter connexionem physicam ortam ex intrinseca natura ipsius gratiæ, & moralem provenientem ab extrinsecò à DEI voluntate, non est excogitabilis alia connexio, quæ possit convenire gratiæ in ordine ad essentiam, prout in præsenti quærimus: sed nulla est ratio, quæ suadeat inesse gratiæ justificanti hanc physicam connexionem cum essentia; difficile enim potest intelligi, qualis sit hæc unico, quia accidens non habet ullam necessariam connexionem, nisi cum subjecto, cui inhæret, & causa efficiente: sed DEus non est subjectum inhæsionis gratiæ sanctificantis, quia hæc subjectatur in creatura, cujus est forma sanctificans; non enim DEus ulli potest accidenti subjici: unde gratia sanctificans nequit habere hanc physicam connexionem, cum essentia divina, ut cum subjecto inhæsionis. Et quamvis gratia sanctificans nectatur cum DEO, ut causa efficiente, non tamen hæc connexio est ratio, cur DEus sit præsens creaturæ illo speciali modo, qui requiritur ad missionem invisibilem, quia DEus ut sit causa efficiens, vel conservans, sufficit, si sit præsens præsentia illa generali, qua dicitur esse in rebus omnibus per essentiam, præsentiam, & potentiam; est enim Deus causa efficiens rerum omnium, & earundem conservatrix, & tamen ex eo, quòd sit talis causa efficiens, & conservatrix, est tantùm præsens rebus illis per essentiam, præsentiam, & potentiam: ergo gratia sanctificans non potest ita physicè connecti cum divina essentia, ut ex vi talis connexionis dicatur DEus præsens esse justis secundùm novum, & specialem modum, qui requiritur necessariò ad missionē invisibilem. Tum quia sola physica entitas gratiæ, ut docent plures Theologi, ex se non habet repugnantiā cum peccato, adeo ut non minus possit cohærere cum peccato lethali, ac habitus fidei, unde sicut habitus fidei secundùm se spectatus non infert hunc specialem modum necessario requisitum ad missionem invisibilem; perinde neque ipsa entitas gratiæ per se præcisè considerata

ſiderata poteſt inducere hunc ſpecialem modum neceſſariò requiſitum ad miſſionem inviſibilem.

Quòd ſi dicas, hanc connexionem gratiæ ſanctificantis cum divina eſſentia eſſe tantùm moralem, id ſine fundamento aſſeritur, quia neque ex Sanctis Patribus, neque ex ſcripturis habemus, gratiam ſanctificantem dicere hanc moralem connexionem cum divina eſſentia, neque hæc connexio videtur neceſſaria.

Si dicas, amorem amicitiæ ex propria ratione eſſe unitivam amicorum inter ſe, adeo ut eos incitet, ut, quantum fieri poteſt, ſint ſemper ſimul: ſed gratia juſtificans conſtituit creaturam rationalem amicam DEO, conſequenter realiter unit creaturam rationalem DEO, & DEum creaturæ. Hinc Auguſtinus *lib. 8. de Trinit. cap.* 10. ait: *Quid eſt enim amor, niſi quadam vita aliqua duo copulans, vel copulare appetens, amantem ſcilicet, & quod amatur*, quæ verba expendens D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 38. *art.* 1. *in corpore*, ait: *Quod autem dicit copulans, refertur ad unionem affectus; quod verò dicit copulare intendens, pertinet ad unionem realem.* Ex quo inferunt amorem amicitiæ eſſe ex ſe unitivum amicorum inter ſe: &, cùm hic amor oriatur in creatúra per dona gratiæ ſanctificantis, ſequitur, hanc habere connexionem cum eſſentia divina, perinde ac unio hypoſtatica cum Verbo divino. Sed reſpondetur, quòd tametſi ſit de ratione amoris amicitiæ unire inter ſe affectivè amantes, non tamen eſt de illius ratione conjungere localiter amicos, niſi fortaſſis per accidens, quando localis conjunctio eſt neceſſaria, ut ſe amantes amore amicabili perfectè uniantur effectus, ac poſſint ſe viciſſim frui, hinc autem effectus per ſe non requiritur ad amorem amicitiæ, præſertim ſi ſermo ſit de amicitia inter DEum & hominem, unde ex eo, quod amor amicitiæ nectat inter ſe amantes: quia tamen non eſt de ejus ratione eos conjungere localiter, ſed tantùm affectu, bene ſtat gratiam juſtificantem, à qua oritur amor amicitiæ DEum inter, & hominem, non includere illam connexionem cum eſſentia divina, adeo ut hæc ex vi talis connexionis debeat eſſe præſens novo ſpeciali modo, qui requiritur, ut perſonæ divinæ ſint in juſtis ex vi miſſionis inviſibilis. Ad id, quod addebatur ex Auguſtino *lib. de Trinit. cap.* 10. reſpondetur, D. Auguſtinum ibi expreſsè agere de conjunctione affectiva, non verò de locali, quia expreſsè agit de conjunctione vitali, quæ non poteſt eſſe conjunctio localis, ſed tantùm affectuum, vel aliarum operationum vitalium abſtrahentium à præſentia locali. Neque D. Thomas aſſerit amorem amicabilem tangere ad hanc localem conjunctionem, ſed tantùm per accidens, quatenus ſubinde eſt neceſſaria, ut poſſint amici ſe viciſſim frui.

Quòd ſi dicas, non repugnare accidens, quòd habeat hanc connexionem cum divina eſſentia, conſequenter eſſe perquam probabile, gratiam ſanctificantem eſſe hujuſmodi accidens, ac habere connexionem cum divina eſſentia, quapropter dicitur gratia ſanctificans nos unire Deo perfectiſſimo modo accidentali. Quòd non ſit impoſſibilis aliqua entitas, quæ ita uniat naturam humanam DEO ſubſtantialiter, adeo ut natura humana nequeat localiter ſejungi ex vi talis connexionis à perſona divina, clarè conſtat, in ipſa unione hypoſtatica, qua natura humana Chriſti unitur Verbo divino: proinde eſt perquam probabile, gratiam ſanctificantem habere hanc connexionem cum eſſentia divina, & ex eo firmari poteſt, quia ipſum lumen gloriæ, quod eſt in linea accidentis, hanc connexionem cum Deo includit; etenim exigit, ut beatus immediatè DEum videat, habeatque ipſum ſibi intimè præſentem, conſequenter non videtur improbabile, habitum charitatis, vel gratiam ſanctificantem habere hanc eandem connexionem cum divina eſſentia. Contra eſt, quia hoc accidens non poteſt eſſe connexum cum eſſentia divina connexione phyſica: ſiquidem accidens tantùm nectitur phyſicè cum illo ſubjecto, cui inhæret; & cùm Deus non ſit ſubjectum miſſionis reſpectu gratiæ ſanctificantis: ſequitur ex hac ratione non poſſe habitũ charitatis, nec gratiam ſanctificantem necti phyſicè cum divina eſſentia, Cæterum ex eo, quod dona ſupernaturalia gratiæ, & charitatis nectantur cum Deo, ut cauſa efficiente; ex vi hujus connexionis tantùm habetur præſentia illa generalis, qua Deus eſt præſens rebus omnibus per eſſentiam, præſentiam & potentiam; non vero habetur novus ille, & ſpecialis modus, quo divinæ perſonæ dicuntur juſtis ineſſe ex vi miſſionis inviſibilis; Neque eſt par ratio de unione hypoſtatica; quia tametſi perſona divina poſſit eſſe terminus inexiſtentiæ naturæ humanæ; non tamen poteſt eſſe ſubjectum inhæſionis alicujus accidentis. Tum quia modus unionis habet neceſſariam hanc connexionem cum rebus, quæ ſimul oriuntur, non ita accidentia abſoluta, cujuſmodi ſunt dona gratiæ ſanctificantis, & charitatis, quia hæc accidentia non habent hanc eſſentialem connexionem; cùm enim ſint accidentia abſoluta, poſſunt ſeparari, & ſeparata conſervari ſeorſim ab omni ſubjecto, ut conſtat in ſpeciebus Eucharíſticis; non enim repugnat Deum conſervare entitatem gratiæ ſeorſim ab omni ſubjecto. Ad aliud quod addebatur de viſione beatifica, reſpondetur ex vi talis viſionis videre quidem beatos DEum immediatè, ſed inde non ſequitur, quod ex hac viſione ſit neceſſaria per ſe conjunctio localis, quia ſi per impoſſibile poſſet beatus à Deo localiter diſtare, adhuc poſſet mediante lumine gloriæ divinam intueri eſſentiã: etenim etiam Angeli quamvis localiter diſtantes ſe intuitivè cognoſcunt, quapropter nulla adeſt ſufficiens ratio, qua probetur hæc connexio gratiæ ſanctificantis cum eſſentia divina.

Quamobrem putarim dicendum, ſpecialem hunc modum, quo perſona divina ratione gratiæ ſanctificantis incipit de novo eſſe in creatura, in eo conſiſtere, quia DEus per gratiam ſanctificantem exiſtit in anima veluti in ſponſa, & filia adoptiva: vel ut amicus dicitur eſſe in amico, eò quia eum impenſiùs amet, vel etiam, quo Pater dicitur eſſe in ſuo Filio, quem tenerrimè diligit, adeo ut ſemper cogitet de ipſo, ac de ejus promotione ad meliorem ſtatum, & piguiorem fortunam: quia cùm gratia ſanctificans gratum faciat hominem, cui ineſt, cumque conſtituat amicum, & filium DEI, exigit hominem ſpeciali modo gubernari, ac regi à DEO; etenim, ſi ita dicamus, rectè intelligimus, quomodo DEus ſit in juſtis modo omnino diſtincto ab iis, quibus eſt in aliis rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: quia tametſi DEus gubernet res omnes, ex vi tamen amoris peculiari ratione gubernat, & regit homines juſtos, adeo ut, cum primum perſonæ divinæ intelliguntur mitti per donum gratiæ ſanctificantis ad creaturam rationalem, intelligatur DEus hanc creaturam tanquam ſibi filiam peculiari amore diligere, & illam ſpeciali ratione dirigere, ac gubernare: hoc pacto perſonæ divinæ ex vi miſſionis inviſibilis dicuntur eſſe in juſtis ſpeciali modo, etenim juxta vulgatũ axioma anima dicitur magis eſſe in eo, quem amat, quam in eo, quem animat, eò quia amantis ſolicitudo, & cogi-

& cogitatio ſemper verſetur circa amatum; perinde perſonæ divinæ ex vi miſſionis inviſibilis dicuntur novo, & ſpeciali modo eſſe in juſtis, quatenus peculiari ratione illos gubernant: ac dirigunt, adeo ut ratio, qua perſonæ miſſæ gubernant, & dirigunt juſtos, diſtinguatur à ratione, qua DEus gubernat res alias: quia hæc gubernatio eſt univerſalis, & juxta exigentiam naturæ; illa verò eſt in ordine ad finem ſupernaturalem, ad quem ordinatur juſtus per gratiam ſanctificantem, & dirigitur ſpecialiter à DEO per habitum charitatis.

Si dicas, eò ipſo quòd DEus ex vi miſſionis inviſibilis dicitur eſſe in creatura, ut amicus in amico, debet eſſe præſens præſentia phyſica, quia DEus eſt in creatura tanquam bonum intimè præſens, & exiſtens intra ipſam creaturam à ſe amatam, quam peculiariter cuſtodit; ac dirigit, conſequenter divinæ perſonæ ex vi miſſionis inviſibilis ſunt in juſtis præſentia phyſica. Contra eſt, quia tametſi dicatur DEus eſſe in juſto, ut amicus in amico, inde non ſequitur præſentia phyſica perſonæ miſſæ in creatura, ad quam dicitur miſſa: etenim ex eo, quòd amicus tenerrimè, & intimè diligatur, non tamen per hoc conſtituitur phyſicè præſens amico, ſed tantùm affectivè, & objectivè, tanquam objecto intimè amato, ergo quamvis DEus per gratiam gratum facientem dicatur eſſe in creatura rationali, ut amicus in amico intimè dilecto, non ſequitur præſentia phyſica DEI in creatura amata ratione donorum gratiæ. Rurſus amor amicitiæ dicit amorem mutuum, & ut amicus amicum amet, & ab ipſo redametur: atqui amor, quo creatura rationalis DEum amat in ſtatu viæ, non terminatur ad DEum, ut objectum phyſicè præſens amanti: conſequenter hæc phyſica DEI præſentia in creatura rationali per dona gratiæ gratum facientis, & charitatis inhærentis, ac amoris amicitiæ non videtur neceſſaria, antecedens oſtenditur, quia amor, quem elicit creatura rationalis in præſenti ſtatu viæ circa DEum, vel eſt actus deſiderii, vel amor ſpecialiter dictus, vel delectatio, ſed actus deſiderii eſt de bono abſenti, in quod fertur, id enim deſideramus, quod non poſſidemus; amor ſpecialiter dictus præſcindit à præſentia, & abſentia boni amati. Et tertia ſpecies amoris, quæ delectatio dicitur, in præſenti ſtatu viæ non eſt de bono habito in re, ſed tantùm in ſpe, vel in jure, ut docet D. Thomas, ergo amor, quem creatura rationalis elicit in ſtatu viæ circa DEum, non exigit terminari ad DEum, ut bonum intimè præſens per realem, & phyſicam præſentiam amati.

Ad confirmationem, qua dicebatur, quod ſi ſpiritus, quando gratia animæ infunditur, infunderetur & ipſe, & uniretur animæ immediatè ſecundùm ſe & ſecundùm ſubſtantialem præſentiam, ſequeretur quòd in hac mutaretur, eò quia aliter ſe haberet ad nos ac antea ſe haberet, reſpondetur, inde non ſequi Spiritum Sanctum immutari in recto, ſecundùm propriam entitatem, & ſubſtantiam, ſed tantùm, hanc mutationem eſſe in creatura, ſeu in obliquo: ſiquidem DEus tantùm novo ſpeciali modo creaturam diligit: ſicuti abſque ſui mutatione, quoad ſubſtantiam, & entitatem dicitur de novo amare hominem reſipiſcentem ſpeciali amore ſupernaturali, quem antea non amabat peccantem. Eo ipſo quòd talis anima per receptionem gratiæ mutatur, & aliter refertur in DEum ac antea referebatur, intelligimus DEum ſine ſui mutatione in recto, terminare in obliquo prædictam relationem, ſeque aliter habere ad animam, ac ante ſe habuerit, & hic novus modus ſe habendi, eſt illa ſpecialis aſſiſtentia, qua DEus impensè diligit, ac dirigit creaturam per ſua dona ſupernaturalia gratiæ ſanctificantis, & charitatis inhærentis, ut notat D. Thomas *in* 1. *diſtinct.* 14. *quæſt.* 2. *art.* 1. ubi, cùm concluſiſſet Spiritum Sanctum procedere temporali proceſſione, vel dari, & non ſolùm dona ejus, poſtea probans hanc illationem ait: *Si conſideremus proceſſionem Spiritus Sancti ex parte ejus, à quo procedit, non eſt dubium, quin ſecundùm illum reſpectum ipſemet Spiritus Sanctus procedat. Sin autem conſideremus proceſſionem ſecundùm reſpectum ad id, in quo procedit, tunc (ſicut dictum eſt) reſpectus iſte in Spiritu Sancto ponitur, non quia ipſe realiter refertur, ſed quia alterum referatur ad ipſum. Cum igitur in acceptione donorum ipſius, non ſolùm relatio noſtra terminetur ad dona, ut ipſa tantùm habeamus, ſed etiam ad Spiritum Sanctum, quia aliter ipſum habemus, quàm prius, non tantùm dicentur dona ipſius procedere in nos, ſed etiam ipſemet: ſecundùm hoc enim ipſe dicitur referri ad nos. Secundùm quod nos referimur ad ipſum; & ideo procedit ipſe in nos, & dona ipſius, quia hæc dona ejus recipimus, & per eadem, ad ipſum nos aliter habemus, in quantum per dona ejus Spiritui Sancto conjungimur per donum nos ſibi aſſimilans*; ait D. Thomas, per dona ejus, quæ recipimus, nos aliter ad ipſum habere; *in quantum per dona ejus ipſi Spiritui Sancto conjungimur, & per donum nos ſibi aſſimilans*, quia ſpeciali quodam modo nos diligit, ac dirigit, ut ſimiles illi ſimus per dilectionem.

Poſt primam diviſionem gratiæ in increatam, & creatam, dividitur gratia creata communi, & celebri diviſione in gratiam ſanctificantem, ſeu gratum facientem, & eſt, quæ per ſe ordinatur ad ſanctificationem proprii ſuppoſiti; & in gratiam gratis datam, ſeu quæ per ſe tendit in aliorum utilitatem: tametſi de ratione cujusvis gratiæ ſit, ut gratis conferatur, ex uſu tamen hoc complexum, ut applicatum aliquibus gratiis minoris excellentiæ aliam ſortitur nomenclaturam: quia major ratio gratiæ reperitur in illa, quæ hominem ſanctificat, & gratum DEO conſtituit: alia dona quamvis etiam nobis à DEO gratis donentur, non tamen nomine gratiæ gaudent, ſed potiùs charismatum, quæ à DEO in Eccleſia aliquibus perſonis communicantur, non ſolùm, ut ipſæ juſtificentur, & perficiantur, verùm etiam, ut aliis proficiant, & ad eorundem juſtificationem, & perfectionem cooperentur, & hujusmodi gratiæ ab Apoſtolo 1. *Corinth. cap.* 12. vocantur *manifeſtationes Spiritus ad utilitatem*, & aſſignat earundem numerum, inquiens: *Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem, alii quidam per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia ſanctitatum in uno ſpiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum; Hæc autem omnia operatur unus, atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.* Ex hoc & aliis ſcripturæ locis Theologi cum D. Thoma dividunt genus gratiæ gratis datæ in novem ſpecies. ſcilicet in fidem, ſermonem ſapientiæ, ſermonem ſcientiæ, gratiam miraculorum, gratiam ſanitatum, donum linguarum, Prophetiam, diſcretionem ſpirituum, & interpretationem ſermonum.

Aliæ excellentiores gratiæ tametſi gratis itidem conferantur ſuam accipiunt nomenclationem ab effectibus, vel propriis rationibus, & cùm primariò tendant ad proprium ſuppoſitum ſanctificandũ, gratumque Deo reddendum, ideo gratiæ ſanctificantis vocabulo inſigniuntur, verum hoc nomen ſeu complexum

gratiæ

gratiæ sanctificantis sumitur plerumque strictè; & tunc tantùm significat illam formam, quæ immediatè, & formaliter expellit peccatum, sanctificat animam, & reddit illam Deo gratam, ac participem naturæ divinæ, estque una simplex qualitas habitualis, & permanens in specie atoma constituta, informátque animam, cui immediatè adhæret, & constituit sanctam, & Deo gratam: & hæc gratia, quia in specie atoma, capax non est ulterioris divisionis essentialis; accidentaliter tamen, & penes diversos modos vel status admittit divisionem accidentalem. Interdum etiam sumitur laxè, & minus propriè pro qualibet perfectione supernaturali, quæ per se ordinatur ad perficiendum & sanctificandum proprium suppositum sive formaliter, sive dispositivè, vel quovis alio modo possit ad illud tendere, & in hoc sensu subdividitur gratia in plures species; & primò in illam, quæ immediatè, & per se ordinatur ad dandum esse supernaturale, & in eam, quæ per se ordinatur ad operationem, vel receptionem: primum membrum hujus divisionis coincidit cum gratia sanctificante, quæ propterea vocatur gratia sanctificans, gratum faciens, gratia habitualis, quæ in idem coincidunt; non enim hæc nomina significant diversas species gratiæ, sed unam tantùm in specie atoma: Secundum membrum continet omnes habitus, dispositiones, præparationes, & similia, quibus disponimur, movemur, ac potentes reddimur ad agendum supra vires naturæ; vel etiam ad recipiendum, & subdividitur in gratiam, quæ est qualitas permanens, quæ reducitur ad gratiam habitualem, sub qua continentur dona Spiritus Sancti, virtutes per se infusæ, & characteres aliquorum Sacramentorum; & dividitur ultimatè sicut ipsa dona, & virtutes dividuntur; ut etiam in illam gratiam, quæ se habet per modum auxilii, vel motionis citò transeuntis; & proprio nomine dicitur gratia actualis, vel gratia per modum fluxûs, & auxilii: & aliquando est qualitas impressa potentiæ operativæ, ut moveatur, vel possit moveri ad agendum: interdum est operatio à nobis elicita virtute alterius prioris gratiæ: siquidem persæpe ab uno actu movemur ad alium eliciendum; & tunc primus actus habet rationem gratiæ, & auxilii respectu secundi. Unde illa gratia, seu auxilium, quod consistit in actuali operatione, dividitur sicut ipsa operatio, vel sicut partitur effectus, pro quo exhibetur. Cæterum gratia, quæ consistit in qualitate, vel motione impressa potentiis alia se habet per modum actus primi separabilis ab actu secundo: & alia per modum prædeterminationis, & applicationis efficacis ad ipsum actum, & est ab illo inseparabilis, ut docent Thomistæ; gratiæ enim actuales reducuntur ad auxilia, & motiones, & hæ motiones, ad species actuum, pro quibus conferuntur. Præter has divisiones gratiarum solent etiam aliæ assignari, quibus frequentiùs utuntur, quæque vel essentiales non sunt, vel ad prædictas reducuntur, ut cùm dividitur gratia in operantem, & cooperantem; in excitantem, & adjuvantem; in sanantem, & elevantem; in auxiliantem, & promoventem; in sufficientem, & efficacem; in moralem, & Physicam; in internam, & externam.

Gratia operans ea dicitur, per quam mens nostra à Deo movetur, & non movet: gratia cooperans illa, per quam & mens nostra movetur, & movet: gratia excitans, quæ hominem quasi dormientem, seu non attendentem evigilare, & attendere facit tangendo cor, ut excitetur, & dormire desinat, vel saltem mentem illuminet. Gratia adjuvans, proutdistinguitur ab excitante, explicatur eodem fere modo, sicut gratia cooperans, quia tribuit libero arbitrio, ut actu operetur, & in operatione persistat. Gratia præveniens vocatur, quæ tempore vel natura præcedit usum liberi arbitrii, quod movet, vel disponit ad operandum, & potest etiam dici gratia præperans, ut loquitur D. Augustinus, & continentur sub hac gratia non solum auxilia sufficientia, per quæ agere possumus, verum etiam præmotiones, prædeterminationes, quibus efficaciter applicamur ad agendum: gratia concomitans dici potest concursus simultaneus in nostram operationem, seu omnis illa gratia subsequens dici potest, quæ supponit aliam gratiam præviam, aliumque effectum gratiæ, ad quem consequitur, & denominatur subsequens relativè ad gratiam, quæ supponitur; adeo ut eadem gratia, quæ est consequens respectu unius, dici possit antecedens respectu alterius, nisi sit prima gratia, quæ ad nullam aliam consequatur, vel ultimus effectus præsupponens omnia alia.

Rursus dividitur gratia in Physicam, & moralem; illa est, quæ Physico modo influit in actum, vel quia est ejus principium elicitivum, vel quia est forma, vel motio constituens, elevans, aut applicans tale principium. Moralis dicitur, quæ non ita, sed morali modo, seu incitando, alliciendo, persuadendo nos movet ad bene operandum. Unde sicut sub gratia Physica continentur omnes habitus, auxilia, & motiones, quæ intrinsecè afficiunt animam ejúsque potentias, quibus inhærent; ità sub morali comprehenduntur omnia, & singula, quæ per modum objecti, vel ex parte illius, licèt sint actus intrinseci, ac potentiis inhærentes, concurrunt ad movendas ipsas potentias in ordine ad actus supernaturales, & hoc pacto se habent doctrina, quam audivimus, miracula, quæ vidimus, & plura alia, quæ cadunt sub sensus, ut etiam ipsi actus interni, quibus hæc objecta & cognoscimus, & penetramus.

Et cum hac partitione coincidit ea divisio, quâ gratia bipartitur in internam, & externam: nam gratia interna comprehendit omnes illas, quæ intrinsecè afficiunt animam, & ejus potentias præsertim spirituales, perinde eos afficiunt habitus, motiones, & auxilia, quæ gratiæ Physicæ dicuntur. Gratia externa complectitur, quidquid aliud à Deo nobis confertur in ordine ad spiritualem salutem; ut est externa ejus protectio, Angelorum Custodia, sacra doctrina, lex divina, & reliqua, quibus instruimur: ut etiam aliæ causæ, & objecta externa, quæ sensibus species tribuunt, mediis, quibus ad res divinas, & supernaturales animus excitatur, ut etiam effectus omnes divinæ providentiæ ordinati ad finem supernaturalem, imò in generali pro universitate hominum, sive in speciali pro alicujus privatæ personæ spirituali salute, adeo ut ipsa Christi passio, ejúsque redemptio activa, ut etiam Sacramenta, quæ nobis operata est, comprehendantur sub hoc genere gratiæ externæ: quia tametsi effectus justificationis, & sanctificationis, qui inde nobis proveniunt, sint intrinseci, ipsa tamen passio, Sacramenta, & activa redemptio sunt extra nos, quia hæc omnia fuerunt à Christo peracta, & à prædictis effectibus, & gratiis nobis intrinsecè inhærentibus distinguuntur. Cæterum divisio gratiæ

gratiæ in internam, & externam non attenditur absolutè, sed respectivè ad hominem, cui gratia fit. Et quamvis omnis gratia fiat in ordine ad aliquam internam hominis perfectionem, per quam sanctificetur, vel ad sanctificationem disponatur, nihilominus non omnis talis gratia internè hominem afficit, sed plures habent esse extra ipsum, perinde ac multæ causæ reperiuntur extra subjectum, ubi suos effectus causant, ideoque rectè dividitur gratia in internam, & externam.

Tametsi homo viribus à natura sibi inditis ad plura possit virtutum studia incumbere, variasque operationes exercere rectæ rationi, legisque consonas, nunquam tamen vita æterna dignas, neque ad finem ducentes supernaturalem, nisi gratia per Jesum Christum easdem significaverit, siquidem operationes naturæ semper sunt conditionis inferioris, & ordinis, si cum operibus gratiæ conferantur, quia sola gratia est, quæ naturæ terminos supergreditur, & ad finem elevat supernaturalem creaturam rationalem, & licèt naturam supponat, ab hoc tamen sine gratiæ subsidio elici nunquam possunt operationes, quibus creatura rationalis se ad beatitudinem possit supernaturalem promovere; hinc scitè D. Augustinus *lib. de prædestinat. Sanctorum cap.* 5. ait: *Posse habere fidem, & charitatem, natura est hominum; habere autem fidem, & Charitatem, gratia est fidelium:* gratia enim, ut docet D. Augustinus *passim de natura, & gratia* supponit ipsam naturam, quæ sine gratia supernaturali semper humi repit, neque propriis viribus potest assurgere ad aliquod dignum vita æterna: & hæc gratia est aliquod donum naturæ indebitum, & supra ejus vires, quodque ex amore nobis gratis tribuitur, in quo sensu dicitur *Joan. 1. De plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Hinc D. Augustinus *Tract. 3. in Joan.* interrogans, quid est gratia? respondet gratis data, donata, non reddita, & *in Psalm. 49.* sub finem ait: *Qui ad gratiam scit se pertinere, novit, quia indiget gratia: si gratia vocatur, gratis datur,* & confirmat hanc gratiæ notionem ex Apostolo, qui ad *Roman. 4.* opponit gratiam debito; eò quia gratia, si gratia est, debita non est, sed omnino gratis datur; ait enim *ei, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*; ubi distinguit mercedem à gratia, quia illa datur secundùm meritum ob anteactos labores, ad quos merces se habet relativè, & gratia omnino gratis detur, hinc gratia est quidquid boni à gratuita, & liberali Dei munificentia derivatur in creaturas, in quo sensu quodlibet Dei beneficium, etiam naturale, nobis à Deo gratuitè collatum dicitur gratia, sed naturalis, in quo sensu vocavit notionem gratiæ D. Hieronymus *in epist. ad Cyprianum Presbyterum de interpretatione Psal. 89.* inquiens: *Gratiam Dei esse, quod homo sit creatus,* cui adhærens D. Augustinus *epist. 95.* ait: *Quadam enim non improbando ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus,* & *serm. 11. de verbis Apostoli cap. 4.* naturam ipsam vocat gratiam, & rationem assignat, quia Deus omnino gratis fuit nobis naturam impertitus, ait enim Augustinus, *non enim, qui non erat homo, promeruit, ut esset,* quia homo, antequam esset, non potuit quidquam sibi promereri, quia meritum fundatur in operatione, & hæc sequitur ad esse, ergo necessario præsupponit: hinc quia homo, antequam esset, non potuit quidquam operari, nec promereri, ideo ipsum esse, quod per creationem accepit, fuit ipsi omnino gratuitè collatum, propterea est vera gratia gratis delata, in quo sensu habetur etiam in sexta Synodo Generali *act.* 11. Angelos, & animas immortales esse, non naturâ, sed gratiâ, quia gratuito beneficio creationis acceperunt immortalitatem. Verum juxta præsens institutum gratia non solum significat donum gratuitum, verùm etiam supernaturale, adeo ut superexcedat exigentiam, cujuslibet naturæ creatæ; quo pacto dona collata Angelis, & Protoparentibus nostris, ut rectè operarentur in ordine ad beatitudinem supernaturalem, fuerunt gratiæ supernaturales; quinimò etiam beneficia collata homini Christo, vocantur gratiæ à D. Augustino *lib. prædest. Sanctor. cap.* 21. inquiens: Eâ gratiâ fit ab initio fidei suæ homo Christianus, quâ gratiâ factus est ab initio ille homo Christus.

Hinc falsum est, quod asseruit Jansenius gratiam sanctificantem, & alia auxilia fuisse debita Angelis, & Adamo ex vi suæ creationis, adeo ut non potuerit Deus eos condere absque hisce supernaturalibus auxiliis, oppositum enim docent Sancti Patres cum Augustino asserentes; præfata auxilia fuisse omnino supernaturalia, & oppositum esse hæresim Pelagianorum: dicitur etiam gratia supernaturalis illud beneficium gratuitum supernaturale nobis collatum ex solis meritis JEsu Christi; quæ gratia propriè dicitur medicinalis, quatenus à Deo nobis parata fuit in remedium peccati per Jesum Christum, ut loquitur Apostolus *ad Roman. 3. Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu,* & ab Augustino dicitur medicinale Salvatoris auxilium, & hanc gratiam medicinalem omnino liberaliter, & gratuitè effundi in nos à munificentissimo Deo per Jesu Christi merita, semper censuit, ac inconcussâ propugnavit firmitate universa Ecclesia Catholica contra plures Hæreticorum errores, qui, ut loquitur D. Augustinus *epist. 95. naturam humanam ideo dicunt liberam, ne quærant liberatorem; ideo salvam, ut superfluum judicent Salvatorem,* etenim ex scripturis *Psal. 23.* habemus, *gratiam & gloriam dabit Dominus. Zachariæ, 12. Effundam super Domum David, & super omnes habitantes Jerusalem spiritum gratiæ. Act. 7. Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine,* & passim hanc veritatem inculcat Apostolus Paulus *ad Roman. 1. Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum; ad Ephes. Gratia estis salvati per fidem, ex hoc non ex vobis, donum Dei est,* & *cap. 4. Unicuique autem nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi,* & in omnibus suis Epistolis D. Paulus, significat hanc Dei gratiam dari nobis gratuitè à Deo, *Deo 2. ad Corinth. 9. Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in nobis.*

Et hæc veritas definita fuit in pluribus Conciliis contra Pelagium, & alios Hæreticos, ut in Concilio Palestino, in quatuor Africanis, in Ephesino, Arausicano, & tandem in Tridentino *sess. 6.* ubi hæc definitur veritas, quam Sancti Patres, contra Hæreticos propugnarunt, & præsertim D. Augustinus contra Pelagium, ut constat *ex præcitat. loc.* Summi Pontifices itidem hanc eandem veritatem fideles docuerunt, ut Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Sixtus, S. Leo, Hormisda, qui *epistola 7. ad Possessorem de libero arbitrio, & gratia Dei* ait: *Quid catholica sequatur, & asseveret Ecclesia, ex libris Augustini ad Hilarium, & Prosperum posse cognosci.* Ratio itidem evincens hanc veritatem

est,

est, quia Deus nos elevat destinátque ad finem supernaturalem, ut constat ex illo Apostoli *ad Ephes.* 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Sed qui finem intendit, & ordinat ad finem aliquem, debet media suppeditare proportionata ad assecutionem ejusdem finis, alioquin supervacanea, ac inutilis esset illa ordinatio ad finem, cùm sine mediis proportionatis non possit quis finem consequi. Quamobrem ex eo, quòd Deus nos destinaverit ex suo beneplacito, & omnino gratuitè ad finem supernaturalem, debuit etiam nobis suppeditare media, quibus possemus talem finem consequi, & sine quibus impossibilis est assecutio finis, sed media proportionata fini supernaturali debent itidem supernaturalia esse, quia debent finis, & media esse in eodem ordine; unde Deus nobis abundè suppeditat media supernaturalia, quibus finem possimus consequi supernaturalem: sed hæc supernaturalia media sunt auxilia gratiæ, quia hæc tantùm proportionantur fini supernaturali, unde negare non possumus Deum nobis suppeditare auxilia gratiæ, alioquin frustraneè nos destinasset ad finem supernaturalem, quem pro nullo eventu consequi possemus. Tum quia si Deus tot nobis quotidie media suppeditat, quibus finem assequi mur naturæ debitum; quanto magis decuit, ut media nobis impertiretur copiosissima ad finem illum obtinendum, quem nullis naturæ præsidiis assequi valemus, unde dubitare non possumus, quin nobis suppeditet auxilia supernaturalia, ut media proportionata ad assecutionem hujus finis.

Præterea quia, ut ait Apostolus *ad Rom.* 5. *Si enim in unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Unde pertinet ad Christi gloriam, ut non sit ejus passio, & mors nobis inutilis. Sed sublatis gratiæ auxiliis esset nobis inutilis, quia non possemus finem supernaturalem consequi, ad quem Deus per gratiam medicinalem Jesu Christi voluit, ut promoveremur: ergo, cùm Christi passio non fuerit nobis inutilis in ordine ad assecutionem finis supernaturalis, ac æternæ felicitatis, ad quam tenemur nos promovere per actiones nostras, & istæ nisi dignificentur per gratiam Jesu Christi, non sunt media proportionata ad talem finem, sequitur, ut nobis aliundè suppeditentur auxilia gratiæ; quia ut ait Apostolus *loc. cit. Si enim unius delicto multi mortui sunt multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Conveniens enim fuit, ut natura humana suaciata per peccatum Adæ, sanaretur, quod fieri non poterat, nisi per auxilia gratiæ.

Sed contra definitionem gratiæ objici potest, quia gratia dicitur, quæ omnino gratis datur, sed aliqua gratia non datur omnino gratis: siquidem augmentum gratiæ est vera gratia, quam tamen justus potest sibi promereri, adeo ut detur, ut præmium meriti, & non omnino gratis, proinde hoc gratiæ augmentum non esset gratia: siquidem omnes sentiunt hoc augmentum nobis dari, ut præmium, & non omnino gratis, quia datur ex operibus: sin autem detur ex operibus, jam non est gratia, ergo saltem non est de ratione omnis gratiæ, quod detur omnino gratis. Sed contra negatur sequela, & ad ejus probationem respondetur, illud gratiæ augmentum non dari omnino gratis proximè, bene tamen remotè, & in radice. Quamvis enim hoc augmentum detur ex meritis, adhuc tamen datur in radice omnino gratis; ratio est, quia meritum illud condignum, ad quod sequitur augmentum gratiæ, radicatur in prima gratia, quæ omnino gratis datur; consequenter in radice dicitur augmentum gratiæ omnino gratis dari. In quo sensu Sancti Patres gloriam cœlestem, & æternam beatitudinem vocant gratiam, quamvis non minus detur ex meritis, ac præfatum illud augmentum; idque non ob aliam rationem, nisi quia gloria, & æterna felicitas consequitur tanquam fructus ad primam gratiam, quæ omnino gratis confertur, quapropter augmentum gratiæ, & gloriæ cœlestis dicuntur gratiæ radicaliter, quatenus Originem trahunt à prima gratia, quæ omnino gratis confertur. Idque expressè docet D. Augustinus *cap.* 8. *de gratia & libero arbitrio.* ubi ait: *Vita æterna sine dubio, quæ bona vita redditur, gratia est, & ipsa enim gratis datur: quia gratis datur & illa, cui datur:* nimirum quia gratis datur prima gratia ratione cujus datur gloria, neque enim, ut ibi explicat D. Augustinus, alio modo vita æterna dici potest gratia, nisi quia datur intuitu operum, quæ oriuntur à gratia, quæ omnino gratis datur. Hoc idem etiam docet D. Thomas *lect.* 2. *in verba illa D. Pauli* 2. *Timoth.* 4. *In reliquis reposita est mihi, corona justitiæ.* Quærit enim, quomodo possit esse corona justitiæ, si vita æterna est gratia, & respondet juxta datam distinctionem: quia *quod est justitia, quantum ad actum, qui procedit à voluntate, est gratia; quantum ad radicem merendi.* In hoc sensu Sancti Patres explicant illud Joan. 1. *de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia,* & D. Augustinus *in Enchirid. cap.* 6. intelligit verba Joannis de gloria, quæ pro gratia nobis confertur in cœlesti patria, eò quia hæc gloria in radice sit gratia.

# CAPUT III.

## De Hæresi Pelagianorum negantium gratiam divinam.

HActenus enucleavimus quid sit gratia Dei, & in quot membra dividatur, supersunt nunc errores contra hanc gratiam detegere, eósque impugnare, ut Dei gratia propugnetur. Plures enim commendantes liberi arbitrii vires, & excellentiam, omnia, quæ à viris justis fiunt eidem tribuunt. Inter quos fuit Pelagius, qui nesciens contra Manichæos creatam libertatem defendere, negavit necessitatem, & causalitatem gratiæ, & objecit Catholicis odiosum, ac infamem Manichæismi titulum, adeo ut ipse factus fuerit novi dogmatis antesignanus, adeo ut dixerit Augustinus *lib.* 2. *contra duas epistolas Pelagii cap.* 1. *Isti Pelagiani hoc faciunt, Manichæis anathema dicere, & erroribus contradicere, sed faciunt duo mala, quibus & ipsi anathematizandi sunt. Unum, quod Catholicos Manichæorum nomine criminantur; alterum, quod etiam ipsi heresin novi erroris inducunt. Neque enim, quia Manichæorum morbo non laborant, propterea fidei sanæ sunt. Non unum pestilentiæ est genus, quemadmodum in corporibus, ita & in mentibus; sicut ergo Medicus corporis non continuo* pro-

*pronuntiâsset à mortis periculo liberum, quem negasset hydropicum, si alio lethali morbo perspexisset ægrotum: ita istis non ideo veritas gratulatur, quia Manichæi non sunt, si alio perversitatis genere insaniunt. Quapropter aliud est, quod anathematizamus cum eis; & aliud quod in eis. Delectamur enim cum eis, quod rectè displicet etiam ipsis, ita tamen, ut detestemur in eis, unde rectè displicent ipsi.* Pelagii igitur hæresis fuit, posse hominem absque Dei auxilio justè vivere, peccata declinare, virtutes in se parere, & alere, salutem consequi, quos errores ante Pelagium effutierunt Ethnici Philosophi, & plures ex Judæis, unde tametsi Vincentius Lyrinensis *lib. adversus hæreses* primum divinæ gratiæ oppugnatorem recenset Pelagium, inquiens: *Quis unquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per singulos actus adjuvandum necessariam Dei gratiam non putaret.* Certum tamen est, multò ante Pelagium hunc errorem irrepsisse, qui tamen postea inolevit authore Pelagio, etenim, ut refert Augustinus *epist. 95. Judæi per legem justificari arbitrabantur, sufficiente sibi ad eam custodiendam libero arbitrio*: etenim ex Ethnicis Philosophis ante Pelagium hunc errorem docuerunt, Cicero, Seneca, aliique Philosophi Stoici, siquidem ille *in lib. de natura Deorum in persona Cotæ* affirmat: *quia sibi quisque virtutem acquirit, & neminem unquam acceptam à Deo retulisse: propter virtutem enim jure laudamur, & de virtute rectè gloriamur: quod non contingeret, si id donum à Deo non à nobis haberemus.* Negat enim rectum usum liberi arbitrii posse conciliari, cùm necessitate divini auxilii, & omnem laudem humanarum operationum tribuit solis liberi arbitrii viribus. Seneca itidem *epist. 20.* Videtur hoc idem adstruere inquiens: *Huc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc apta omnia alia vota Deo remissurus, ut contentus sit te ipso, & te nascentibus.* Et *epist. 90.* ait: *Deorum immortalium est, quod vivimus, Philosophiæ, quod bene vivimus, itaque tanto plus nos debemus huic, quàm Diis, quantò majus beneficium est bona vita, quàm vita*: refert piè, honestè, ac rectè vivere ad ipsam Philosophiam, seu ad vires naturales naturæ humanæ, quasi gratia naturam non juvaret, sed hæc propriis suis viribus, se ad piè, & sanctè operandum promoveret. *epist. itidem* 124 affirmat *unum hominem esse, quod beata vita causâ, & firmamentum est, sibi fidere*: quibus verbis ita vires liberi arbitrii extollit, ut opem divini adjutorii excludat. Hos Ethnicorum errores postea excitavit Pelagius *epist. ad Demetriadem Virginem* inquiens: *Spirituales divitias nullus tibi præter te conferre poterit. In his ergo jure laudanda es, in his merito cæteris præferenda es, quæ nisi ex te, & in te esse non possint*, quam Pelagii sententiam acriter reprehendit D. Augustinus *epist. 143.* quæ dirigitur ad Julianam Demetriadis Virginis matrem, ubi ait: *Cernis, quanta in his verbis sit cavenda pernicies. Nam utique, quod dictum est, non possunt esse ita bona, nisi in te, optimè & verissimum dictum est; iste planè cibus est. Quòd verò ait: Non nisi ex te, hoc virus est, absit ut hæc libenter audiat virgo Christi, quæ piè intelligit paupertatem cordis humani, & ideo illic nisi sponsi sui donis nescit ornari.* Cæterum quod Stoici Philosophi Tullius, & Seneca antiquiores hunc excitaverint errorem asserit D. Hieronymus *comment. in Jeremiam lib. 4. in præfat.* ub. loquens de hæresi Pelagiana ait: *Commentarios in Jeremiam per intervalla dictabam, ut quod deerat otio, superesset industriæ; cum subjecto hæresis Pythagoræ, & Zenonis impassibilitatis, & impeccantiæ, quæ in Origine &c. olim jugulata est, cœpit revirescere, & non solum in Occidentis, sed & Orientis partibus sibilare.* Plures ex Judæis, quibus Dei notitia clarior fulgebat, hujus erroris contagium propagarunt, asserentes, novam gratiam non requiri ad justificationem, & ad observanda præcepta; sed sufficere ad salutem legem cum libero arbitrio, ut notat D. Chrysostomus *homil. 6. in epist. ad Roman.* & D. Augustinus *epist. 95.* ubi agens de lege, ac Dei gratia ait: *Ideo per illam fit cognitio peccati, & ex prævaricatione legis abundantia peccati, ut ad liberationem quærantur promissiones Dei, quod est gratia Dei, & incipiat esse in homine justitia, non sua, sed Dei, hoc est data dono Dei, quam etiam nunc quidam, sicut tunc Judæis dictum est: ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Per legem quippe & illi justificari se arbitrantur, sufficientes sibi ad eam custodiendam libero arbitrio, hoc est, justitia prolata ex natura humana, non donata ex gratia divina; propter quod justitia Dei dicitur*: hoc idem etiam significat *serm. 13. de verbis Apostoli* ubi expendit Paulum adeo gratiam *præ lege commendâsse, propter Judæos, qui de lege gloriabantur, & libero suo arbitrio legem sufficere arbitrabantur.* Præter Judæos præcipui laudatores virium liberi arbitrii fuisse Pharisæos, constat ex Josepho *lib. 2. de Bello Judaico cap. 7.* ubi ait: *Pharisæos quamvis omnia facto tribuerint, asseruisse tamen agere, quæ justa sunt, vel negligere secundùm majorem partem esse in hominibus, adjuvare autem in singulis, & fatum*: unde laudem honestæ operationis libero arbitrio hominis tribuebant, non verò dispositioni divinæ gratiæ, quam significabant vocabulo fati.

Quod verò deteriùs est, hic error invaluit etiam apud Christianos primitivæ Ecclesiæ: siquidem Basilides Alexandrinus sub Alexandro I. circa annum Christi 1024. necessitatem fidei infusæ negavit, quo errore infectus etiam fuit Valentinianus sub Higinio Papa circa annum Christi 1050. Ut refert Clemens Alexandrinus *lib. 2. Strom.* inquiens: *Fidem esse naturalem existimant Basilidis Sectatores. Valentiniani autem nec per fidem, nec gratiam, nec bonis operibus, sed sola cognitione salutem se esse assecuturos putabant.* Simon itidem Magus disputans cum D. Petro liberum arbitrium negavit, Origenes etiam Doctor Alexandrinus circa annum 307. minùs rectè de necessitate gratiæ divinæ, ejúsque concursu visus est censuisse, de quo ait D. Hieronymus *epist. ad Ctesiphontem, vis adhuc & aliud nosse tui erroris principium? doctrina tua Origenis ramusculus est.* Hinc D. Thomas *lib. 3. contra Gentes cap. 89.* ait: *Quidam verò non intelligentes, qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque præjudicio libertatis voluntatis, quà nati sunt, has authoritates malè exponere, ut scilicet dicerent, quòd Deus causat in nobis velle, & perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem sic, quod faciat nos velle hoc, vel illud, sicut Origenes exponit in tertio Periarchon, liberum arbitrium defendens contra authoritates prædictas*, sed ut res clariùs pateat, & qualis fuerit mens Origenis, exactiùs aperiatur, proderit ejus verba hic subjicere, ait enim Origenes lib. 3. Periarchon cap. 1. ubi plura profert contra divinam gratiam. *Post hæc insequebatur illa quæstio; quoniam, & velle, & perficere esset*

*ex*

*ex Deo:* & *ajunt: si ex Deo velle est, & ex Deo est perficere, sive mala agimus, vel volumus, ex Deo est. Quod si est, liberi arbitrii non sumus. Ad quod respondendum est, quod sermo Apostoli non dicit, quia velle mala ex Deo est, neque perficere bona, aut mala ex Deo est Sicut enim à Deo habemus hoc ipsum, quod homines sumus, quòd spiramus, quòd movemur, ita & quod volumus, à Deo habemus; ut si dicamus, quòd movemur, ex Deo est, vel quòd singula quæque membra officio suo deserviunt, & moventur, ex Deo est, ex quo utique non illud intelligitur, quia quòd movetur, manus ad verberandum injustè, vel ad furandum ex Deo est, sed hoc ipsum, quod movetur, ex Deo est: nostrum verò est motus istos, quibus motum ex Deo habemus, vel ad bona, vel ad mala convertere. Ita ergo est, quod dicit Apostolus, quia virtutem quidem voluntatis accipimus, nos autem abutimur voluntate, vel in bonis, vel in malis desideriis.* Ubi tatenus refundit nostra bona opera in Deum, quatenus nobis impertivit virtutem indifferentem volendi, non autem quia novo auxilio faciat nos velle ad bonum, refundens in liberum arbitrium totam honestatem boni operis, quod detegit D. Thomas discooperiens radicem hujus erroris inquiens: *Nunc superest ostendere, quod rerum distinctio non processit ex diversis motibus liberi arbitrii rationalium creaturarum; ut posuit Origenes in libro Periarchon. Volens enim resistere antiquorum Hæreticorum objectionibus, & erroribus, quibus nitebantur ostendere diversam naturam boni, & mali esse in rebus ex contrariis actoribus propter multam distantiam inventam &c. coactus est ponere omnem diversitatem in rebus inventam ex diversitate meritorum, secundùm Dei justitiam processisse: dicit enim, quòd Deus ex sola sua bonitate primo omnes creaturas æquales produxit, & omnes spirituales, & rationales, quæ per liberum arbitrium diversimodè sunt motæ quædam adhærentes Deo plus, vel minus, quædam à Deo recedentes magis, & minus: Et secundùm hoc diversi gradus in substantiis spiritualibus ex divina justitia sunt subsecuti, ut quidam essent Angeli secundùm diversos ordines, quidam anima humanæ secundùm diversos status, quidam etiam Dæmones in statibus diversis.* Hinc liquet, quòd stante omnimodâ æqualitate ex parte Dei, qui tantùm tribuit vim volendi, inferebant totam diversitatem inter Angelos, Dæmones, & homines ortum primo duxisse ex libero arbitrio, eò quia sine ullo discrimine ex parte Dei semetipsum applicuit, adhæsitque Deo, & recessit ab illo, fecitque discretionem in negotio salutis, quæ omnia olent Pelagianismum, & injuriam Deo inferunt: non solùm Origenes, sed & plures alii indignè censuerunt de divina gratia; sed Origenem plures nituntur excusare, inter quos Bitzus, qui librum edidit de salute Origenis. Verùm Synodus Oecumenica, sub Vigilio Papa, & Justiniano Imperatore Origenis doctrinam damnavit, eumque anathemate percussit his verbis: *anathema sit Origeni, qui & Adamantius dictus est, & hoc promulgavit una cum detestandis eius, & execrandis dogmatibus, & omni homini, qui hæc sentit, aut asserit, aut aliqua ex parte quocunque prorsus tempore ea defendere audet.* De historia hujus Concilii fusè refert Nicephorus *lib. 17. cap. 27.* & alii Pontifices etiam in Conciliis hanc eandem Origenis doctrinam damnârunt, præsertim, Martinus I. in Concilio, quod convocavit, & in quo interfuerunt centum quinquaginta Episcopi *in decreto 18.* & Anastasius Papa, *in epist. ad Joannem Jerosolymitanum* damnavit lectionem Periarchon, ut pluribus contra fidem erroribus scatentem, ut refert Baronius anno Christi 402. *lib.* 16. Nihilominus non defuerunt plures, qui non obstante anathemate ausi fuerunt, adhuc Origeni adhærere, ejúsque hæreses propugnare, qui propterea Origenistæ nuncupati sunt, & viam hæresi Pelagianæ non solùm aperuerunt, verùm & straverunt, ac proclivem ad eandem effecerunt, ut accessus facilior foret; & inter Origenistas primam videtur occupâsse sedem quidam Didimus; qui librum Periarchon variis illustravit notationibus, & sic illustratum per varii Ægypta sparsit monasteria: Cujus tamen veneno obstitit S. Bacthomius, qui Monachos hunc librum legentes fuit execratus, & in vitæ extremo pro testamento damnationem ejusdem libri reliquit, ut havarrat Baronius *loc. cit.* Fuerunt etiam alii plures, qui Origenis adhæserunt erroribus, & Evagrius, Ponticus, qui adhærens Origeni visus est hæresim Pelagianam invenisse. Jovinianus itidem Evagrium secutus est, docuitque hominem per vires liberi arbitrii posse omnia peccata declinare, ac ad dona recipienda supernaturalia se disponere; sed præ cæteris Origenis propugnator fuit Ruffinus Aquileensis, qui omnes Origenis Discipuli magistri fuerunt Pelagii, ut notavit D. Hieronymus *ad lib. 4. in Jeremiam*, ubi contra Pelagianos ait: *Commentarios in Jeremiam per intervalla dictabo, ut quod deerat otio, superesset industria, cùm subitò hæresis Pythagoræ, & Zenonis, id est, impassibilitatis, & impeccantiæ, quæ in Origene olim ejusque Grunnio,* ita enim per contemptum vocabat Ruffinum Aquileensem Presbyterum) *Evagrioque Pontico, & Joviniano jugulata est, cœpit reviviscere; & non solùm Occidentis, sed & Orientis partibus sibilare; & in quibusdam Insulis, præcipueque Sicilia, & Rodi maculare plerosque; & crescere per dies singulos, dum secretè docent & publicè negant.* Ruffinus enim præ cæteris doctrinam Origenis propugnavit; librum Periarchon pluribus scatentem erroribus Latinitate donavit, ac Romæ clanculum introduxit; & postea Apologiam promulgavit in favorem Origenis; ejúsque operum, sub titulo tamen, ac nomine S. Pamphiri Martyris; ut nomen Authoris plurimum adderet roboris, ac authoritatis operi à se evulgato; ut refert D. Hieronymus *in Dialogo adversus Pelagium*, ubi ait: *Ruffinus non urbi, sed orbi blasphemias Origenis, & libros Periarchon, quantum in se fuit, intulit; ita ut Eusebii quoque primum librum defensionis Origenis sub nomine Pamphiri Martyris ederet;* & *in Apologia adversus eundem Ruffinum* addit; *cur translaturus hæreticum, defensionem eorum præmittis; quas in Martyris librum; & in Romanis auribus ingeris, quod translatum nempe Periarchon totus orbis expavit.* Hac de causa Anastasius Papa, anno 400. errores damnaverat Origenis, Ruffinum Romam vocavit, ut suam diceret causam, sed ipse maluit damnationis sententiam ferre, quàm Romæ comparere, ut refert Baronius anno 404. *num.* 41. inquiens: *Tantum abfuit, ut parato à S. Hieronymo Antidoto curaretur; quin potius post Origenis errores, quos fovit, Pelagianæ hæresis aspides ex iis obortos percharum sibi sobolem enutrierit, quod proprium est Hæreticorum semper in deterius ferri, quousque in imum impietatis prolabantur.* Quòd verò Ruffinus perperam senserit de gratia, & libero arbitrio, hoc etiam persuadet, quia cum Cœlestius Pelagii discipulus urgeretur, ut aperiret, à quo suum hauserit dogma,

confessus fuit, se illud hausisse à Ruffino Aquileensi, ut refertur *in Act. Concilii Carthaginensis*, quapropter Ruffinus à proprio Discipulo proditus fuit: & eadem versutia edidit Commentarium Xisti Pythagorici sub nomine S. Sixti Martyris, ac Romanæ Ecclesiæ Pontificis, cùm etiam opus illud hæresim oleat Pelagianorum: & quidem pluribus in locis, ut notat Baronius anno 440. *num.* 7. censuit enim Ruffinus plurimum authoritatis accessurum, ac roboris causæ Pelagianorum, si ementito nomine titulo fulciretur Romani Pontificis S. & Martyris, quò faciliùs homines in aureo calice venenum ebiberent. Quia tamen liber ille non à Sixto, & à Ruffino compositus fuit, ut & Ruffini calliditas detecta, Gelasius Papa librum illum Proverbiorum sub nomine Sixti reprobavit, damnavitque, & nihilominus Pelagiani etiam post hanc damnationem contra Gelasium Papam surrexerunt, ut notat Cassiodorus *de divinis lectionibus cap.* 8. & 13. S. Pauli annotationes sub nomine Gelasii Papæ ediderunt, in quibus sui laterent errores.

Prima igitur Pelagianæ hæresis origo fuit putidus ille Origenis fons, ex quo plures scaturierunt errores, qui viam hæresi Pelagianæ straverunt, & quamvis Vincentius Lirinensis *lib. adversus hæreses* primum divinæ gratiæ oppugnatorem recenset Pelagium, inquiens: Quis unquam ante profanum illum Pelagium tantam liberi præsumpsit virtutem arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per singulos actus adjuvandam necessariam Dei gratiam non putaret, nihilominus certum est, ut vidimus ante Pelagium hunc errorem irrepsisse, qui tamen inolevit authore Pelagio. Etenim Judæi, referente D. Augustino *epist.* 95. ajebant, per legem justificari homines, sufficiente sibi ad eam custodiendam libero arbitrio. Rursus sub primis nascentis Ecclesiæ cunabulis Simon Magus, ut refert S. Clemens *lib.* 3. *recognit.* disputans cum D. Petro, liberum arbitrium negavit. Cæterum fuit Pelagius natione Britannus, ut refert S. Prosper, à quo in carmine de ingr... vocatur Coluber Britannus, & D. Hieronymus *epist. ad Ctesiphontem* ait: Pelagium fuisse natione Scotum, quem describit veluti Scotorum pultibus prægravatum, fuit puls cibi antiquissimi genus, qui constabat ex farina, & aqua additis subinde ovis, melle, & caseo, qui cibus vel maximè fuit in usu apud Scotos. Professione fuit Monachus & eximiæ apparentis sanctitatis, ac ementitæ pietatis fama toto orbe celeberrimus, & præsertim in Oriente, ubi monasticam egit vitam, ut refert D. Augustinus *lib.* 3. *de peccator. meritis cap.* 1. ubi ait: *Post paucissimos dies legi Pelagii quædam scripta viri, ut audio, sancti, nec parvo profectu Christiani.* Dicendi etiam facundia, & fandi elegentia commendatus fuit Pelagius, ut & ingenii vigore, & doctrinæ præstantiâ, ut refert D. Prosper citato carmine de ingratis. Hinc D. Augustinus *epist.* 222. *ad Marcellinum* ait: *Legi Pelagii quædam scripta, viri, aut audio, Sancti*, & infra: *Hæc igitur & alia, quæ hunc sequuntur errorem, credo, quòd vir ille tam egregiè Christianus omnino non sentiat*; & *lib.* 2. *retractat. cap.* 33. assignans causam, cur censeat Pelagium virum Sanctum, ait: Pelagii ipsius nomen non sine laude aliqua posui, quia vita ejus à multis prædicabatur, hinc eo creverat ejus Sanctitatis rumor, ut cùm primum D. Chrysostomus scivit, Pelagium in hæresim lapsum, ingenti fuerit dolore correptus: siquidem *in epist.* 4. *ad Olimpiadem* ait: *de Pelagio Monacho magno dolore affectus sum. Cogita igitur, quot, quantisque coronis digni sint, qui forti animo in acie steterunt; cum viros tam piè, & sanctè, tantaque cum tolerantia viventes abripi, atque in fraudem impelli videamus.* Sed Pelagius sub ovili pelle lupum tegebat, versutiis enim, & suadelis adeo valuit, ut plures etiam insignioris notæ homines in perditionem traxerit, inter quos Julianum Episcopum Capuanum, & Cœlestium, quos fidissimos habuit sui erroris fautores, ac promotores: quinimò Patres in Concilio Palestino contra Pelagium congregatos irrisit astuta tergiversationum ludificatione deceptos, & eadem dolosa arte ita Zosimum Pontificem circumvenit, ut quasi absolutus evaserit, verùm, quia Christus promisit Ecclesiæ suæ in terris militanti, portas inferi non prævalituras adversus eam, impensis viginti annorum laboribus à D. Augustino tandem victus, & debellatus fuit, & in duobus Conciliis, Carthaginensi, & Milevitano, nec non ab Innocentio I. Zosimo, & Cœlestino damnatus fuit circa annum à reparata salute 418. Quamvis enim sub specie Sanctitatis venenum spargeret, id tamen noverunt plures Ægypti Monachi, qui Pelagii legentes scripta cœperunt de illius Sanctitate suspicari, num esset hypocrisis, hinc scribit Isidorus Pelusiota *lib.* 1. *epist.* 314. invehens in Pelagium: *Cani effusi sunt in Ephraim, & ipse ignoravit, Oseæ* 7. *vitiosis nimirum affectibus juvenescens. Eodem modo tibi quoque ingens annorum turba canitiem invexit; & tamen rigidum, atque inflexum animum habes, & alio monasterio ad aliud subinde migrans, atque omnium mensas perscrutans, & explorans. Quamobrem si tibi carnium nidor, atque obsoniorum condimentum curæ est; iis qui magistratus gerunt, potiùs blandire, atque urbium caminos vestiga. Neque enim homines Eremitæ facultates eas habent, ut te, quemadmodum tibi gratum est, excipere valeant.* Qui enim divinam gratiam animæ, & spiritui denegatam voluit, non debuit nisi carnis adhærere deliciis. Notat tamen Baronius anno 405. n. 8. quòd hæc Pelagii vagatio per diversa monasteria non tam deserviebat, ut aliorum popinas absumeret, quàm ut calicem venenalis dogmatis aliis Monachis propinaret. Et D. Hieronymus Pelagium objurgat, & acriter reprehendit, quòd cùm esset professione Monachus, fœminarum cœtus frequentaret, & viduas demulceret laudum lenociniis, quod non bene olentem de ejus pudicitia ingeneraret opinionem, & in eodem Dialogo, quem scripsit contra Pelagium *lib.* 1. cum ita loquentem introducit: *Alii clausi cellulis, & fœminas non videntes, quia miseri sunt, & verba mea non audiunt, torquentur desideriis: ego, etiam si mulierum vallor agminibus, nullam habeo concupiscentiam, de me enim dictum est, Zachariæ* 9. *lapides sancti volvuntur super terram*, & *lib.* 3. *ejusdem operis* reprehendens Pelagium ait: *Eidem adulans viduæ non erubescis dicere pietatem, quæ nusquam reperitur in terra, & veritatem, quæ ubique peregrina est, in illa potissimum commorari, docere est hoc, an occidere? levare de terra, an præcipitare de cœlo?* &c. & *lib.* 1. ait: *Verùm tu tantæ es liberalitatis, ut favorem tibi apud Amazonas tuas concilies, ut in alio loco scripseris, scientiam legis etiam fœminas habere debere; cùm Apostolus* 1. *ad Timoth.* 2. *doceat, esse tacendum mulieribus in Ecclesia.*

Habuit Pelagius plures alios non infimi ingenii Discipulos, qui idem errorum venenum effuderint, & plures alios infecerint, præsertim Cœlestius, de quo ait D. Hieronymus *epist. ad Ctesiphontem contra Pelagium, hoc quod dico, non meum est argumentum.*

Unus

*Unus Discipulorum ejus, nempe Cælestius, imò jam Magister, & totius ductor exercitus, contra Apostolum ad Roman. 9. Vas perditionis per solæcismum, & non ut sui jactant, syllogismorum spineta differens, sic philosophatur, & disputat, si nihil ago absque Dei auxilio; & per singula opera ejus, quod gessero; ergo non ego, qui laboro; sed Dei in me coronabitur auxilium.* Hinc Patres Concilii Carthaginensis in epist. ad Innocentium Papam, quæ est 90. apud Augustinum vocant Pelagium, & Cœlestium Auctores illius erroris. Julianus itidem adhuc Juvenis, & Capuanus Episcopus creatus Pelagio adhæsit, cui & amicitia fuit addictissimus, pro cujus Patrocinio plura egit, quinimò & D. Augustinum amarulentis scriptis exagitavit, quibus S. Doctor, ut responderet, ita exorditur librum, quem scripsit contra Julianum *cap. 1. Contumelias tuas, & verba maledica, Juliane, quæ ardens iracundia libris quatuor anhelasti, si me contemnere dixero, mentiar;* & *cap. 4.* ait: *Cui Ecclesiæ* (scilicet Romæ) *præsidentem beatum Innocentium, si audire voluisses, jam nunc periculosam Juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses:* & de hoc Juliano inquit D. Prosper *in Chronic. hac tempestate Julianus Atellanensis jactantissimus Pelagiani erroris assertor, quem dudum amissi* (propter hæresim) *episcopatus intemperans cupido exagitabat: multimoda arte fallendi, correctionis spem præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere. Sed his insidiis Sixtus Papa Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit: & ita omnes Catholicos defectione fallacis bestiæ gaudere fecit, quasi tunc superbissimam hæresim Apostolicus gladius detruncâsset.* Fuit itidem Pelagii discipulus Annianus Pseudo-Diaconus Zelotensis, qui promovit Pelagianorum errorem, & ex Occidente in Orientem migrans, Alexandriam venit venenum Pelagiani erroris sparsurus, & plurimum intulisset Ecclesiæ illi detrimenti, nisi Eusebius Cremonensis D. Hieronymi Discipulus data epistola monuerit S. Cyrillum, ac periculum imminens esse, insinuaret, hisce verbis: *Alexandrinæ sedes, ex quo Christi nomen Universo Orbi innotuit, præ cæteris Provinciis semper Italiæ Christi glutino cohæsisse cognoscitur. Quomodo nunc, cùm beatæ memoriæ Innocentius Pelagium, Cælestiúmque cum suis capitibus condemnat, cunctis eos abjicientibus Orientalibus, Alexandrina Ecclesia in communionem receperit, quæ sola, & prima inter Comprovinciales suos tales refutare debuerat? sed ille est pestifer, de quo Sanctitudini tuæ ante annum scripseram, signifer, & confœderatus eorum Valerianus ventriloquus, qui gulæ* (ut Præceptor Pelagius) *operam præbens, quidquid otiosum suæ adulationis invenerit, ibi sanctos, ac fidelissimos nunciat, &c.* Fuit etiam hoc furfure Pelagianæ hæresis inspersus Vitalis Carthaginensis, quamvis hæresim Pelagianam in publico videretur detestari, ei tamen favit, cùm dixit non esse orandum pro Idololatris, & solam fidem tantum esse iisdem proponendam, ad quam amplectendam negabat necessariam esse gratiam supernaturalem, sed suffecturum liberum eorum arbitrium; ut ait D. Augustinus *epist. ad eundem Vitalem*: Plures etiam alios habuit Pelagius Discipulos, qui ejus errori favebant, inter quos etiam recensentur non pauci Nolani, ut constat *ex epistola* 166. D. Augustini ad S. Paulinum ejusdem Urbis Episcopum, ubi post alia ait: *quod propterea commemoravimus, quoniam quidem apud vos, vel in vestra potius civitate (si tamen verum est, quod audivimus) tantà pro isto errore quidam obstinatione nituntur, ut dicant, faciliùs esse, ut etiam Pelagium deserant, qui hæc sentientes anathematizavit, quàm ab hujus sententiæ; sicut eis videtur, veritate discedant.* Pelagianis amicitia, & errore se obstrinxerunt Nestoriani, eò quia progenies fuerit Pelagii: siquidem ejus Discipuli, cùm damnati fuissent in Occidente, suisque expulsi ædibus in Orientem trajecerunt, & Constantinopoli præsertim asylum quæsierunt apud Imperatorem, cujus auxilium etiam petierunt, & Nestorius tunc temporis degens Constantinopoli eos perbenignè excepit, quò suum etiam ebiberent venenum, & unà cum suo errore admiscerent, ut constat ex Joanne Cassiano *lib. 1. de Incarnatione*, ubi hæc habet: *Illud sanè unum prætereundum non arbitramur, quod peculiare, & proprium supradictæ illius hæreseos, quæ ex Pelagiano errore descenderat, fuit, quod dicentes quidam solitarium hominem Jesum Christum sine ullo peccati contagio vicisse, eo progressi sunt, ut assererent, homines, si velint, sine peccato esse posse;* & paulò infra de Nestorio addit: *Intercessionibus suis Pelagianistarum querelas fovit, & scriptis suis causam illorum asserit; quod subtiliter eis, ac (ut veriùs dixerim) subdolè patrocinatur; consanguineæ sibi pravitati improbo suffragatur affectu, sciens scilicet se ejusdem esse sensus, ejusdem spiritus.* Verùm hunc nexum, quo Pelagiani, & Nestoriani simul copulabantur, dissolvit S. Cyrillus in Concilio Ephesino, ubi acriter ambos hæreticos insecutus est, & Concilium hæresim ipsam, & Hæreticos postea damnavit; inter quos specialiter, & expressè nominantur Julianus, Præsidius, Florus, Marcellinus, Oriensius, qui omnes hæresim propugnabant Pelagii, ut constat ex epistola ad Cœlestinum Papam, cui initium est: *Sanctitatis quidem tuæ circa pietatem &c.*

Præcipuus Pelagii error fuit, asserere, hominem per solas vires liberi arbitrii posse peccata omnia declinare, omnésque tentationes vincere, imò & quodlibet opus bonum aggredi, ac perficere sine divinæ gratiæ, ac Dei concursus supernaturalis auxilio, & quamvis hoc dogma variis postea studuerit Pelagius modificationibus temperare, ne ut Hæreticus ab Ecclesia condemnaretur, & ut effugeret, imminentem sibi damnationem, ab initio tamen hunc errorem sine ulla tergiversatione, & docuit, & propugnavit, ait enim ipse *epist. ad Demetriadem Virginem: In his meritò cæteris præferenda est, qui nisi ex te, & in te esse non possunt.* Ex aliis itidem Patribus, qui hæresim Pelagianam impugnârunt, hoc idem referunt, scilicet Pelagium omnem Dei gratiam negâsse. Sed quia videbatur impugnari ab omnibus Christi fidelibus, cœpit postea varias excogitare modificationes, quibus aliquo pacto leniret suum dogma, ne ita contrarius Catholicis videretur. Cæterum Sancti Patres errorem illum tribuunt Pelagio, inter quos Augustinus *lib. de hæresibus hæres. 88. initio epist. 94. ad Hilarium* ait: *Nova quædam hæresis inimica gratiæ Christi contra Ecclesiam conatur exsurgere; sed nondum evidenter ab Ecclesia separata est, homines scilicet, qui tantum audent infirmitati humanæ tribuere potestatis, ut hoc solum ad Dei gratiam pertinere contendant, quod cum libero arbitrio, & non peccandi possibilitate creati sumus, & Dei mandata, quæ à nobis implerentur, accepimus. Cæterum ad eadem mandata servanda, & implenda nullo divino adjutorio nos egere.* Talem fuisse hæresim Pelagii, quam docuerunt, & evulgarunt

& cogitatio ſemper verſetur circa amatum; perinde perſonæ divinæ ex vi miſſionis inviſibilis dicuntur novo, & ſpeciali modo eſſe in juſtis, quatenus peculiari ratione illos gubernant: ac dirigunt, adeo ut ratio, qua perſonæ miſſæ gubernant, & dirigunt juſtos, diſtinguatur à ratione, qua DEus gubernat res alias: quia hæc gubernatio eſt univerſalis, & juxta exigentiam naturæ; illa verò eſt in ordine ad finem ſupernaturalem, ad quem ordinatur juſtus per gratiam ſanctificantem, & dirigitur ſpecialiter à DEO per habitum charitatis.

Si dicas, eò ipſo quòd DEus ex vi miſſionis inviſibilis dicitur eſſe in creatura, ut amicus in amico, debet eſſe præſens præſentia phyſica, quia DEus eſt in creatura tanquam bonum intimè præſens, & exiſtens intra ipſam creaturam à ſe amatam, quam peculiariter cuſtodit; ac dirigit, conſequenter divinæ perſonæ ex vi miſſionis inviſibilis ſunt in juſtis præſentia phyſica. Contra eſt, quia tametſi dicatur DEus eſſe in juſto, ut amicus in amico, inde non ſequitur præſentia phyſica perſonæ miſſæ in creatura, ad quam dicitur miſſa: etenim ex eo, quòd amicus tenerrimè, & intimè diligatur, non tamen per hoc conſtituitur phyſicè præſens amico, ſed tantùm affectivè, & objectivè, tanquam objecto intimè amato, ergo quamvis DEus per gratiam gratum facientem dicatur eſſe in creatura rationali, ut amicus in amico intimè dilecto, non ſequitur præſentia phyſica DEI in creatura amata ratione donorum gratiæ. Rurſus amor amicitiæ dicit amorem mutuum, & ut amicus amicum amet, & ab ipſo redametur: atqui amor, quo creatura rationalis DEum amat in ſtatu viæ, non terminatur ad DEum, ut objectum phyſicè præſens amanti: conſequenter hæc phyſica DEI præſentia in creatura rationali per dona gratiæ gratum facientis, & charitatis inhærentis, ac amoris amicitiæ non videtur neceſſaria, antecedens oſtenditur, quia amor, quem elicit creatura rationalis in præſenti ſtatu viæ circa DEum, vel eſt actus deſiderii, vel amor ſpecialiter dictus, vel delectatio, ſed actus deſiderii eſt de bono abſenti, in quod fertur, id enim deſideramus, quod non poſſidemus; amor ſpecialiter dictus præſcindit à præſentia, & abſentia boni amati. Et tertia ſpecies amoris, quæ delectatio dicitur, in præſenti ſtatu viæ non eſt de bono habito in re, ſed tantùm in ſpe, vel in jure, ut docet D. Thomas, ergo amor, quem creatura rationalis elicit in ſtatu viæ circa DEum, non exigit terminari ad DEum, ut bonum intimè præſens per realem, & phyſicam præſentiam amati.

Ad confirmationem, qua dicebatur, quod ſi ſpiritus, quando gratia animæ infunditur, infunderetur & ipſe, & uniretur animæ immediatè ſecundùm ſe & ſecundùm ſubſtantialem præſentiam, ſequeretur quòd in hac mutaretur, eò quia aliter ſe haberet ad nos ac antea ſe haberet, reſpondetur, inde non ſequi Spiritum Sanctum immutari in recto, ſecundùm propriam entitatem, & ſubſtantiam, ſed tantùm, hanc mutationem eſſe in creatura, ſeu in obliquo: ſiquidem DEus tantùm novo ſpeciali modo creaturam diligit: ſicuti abſque ſui mutatione, quoad ſubſtantiam, & entitatem dicitur de novo amare hominem reſipiſcentem ſpeciali amore ſupernaturali, quem antea non amabat peccantem. Eo ipſo quòd talis anima per receptionem gratiæ mutatur, & aliter refertur in DEum ac antea referebatur, intelligimus DEum ſine ſui mutatione in recto, terminare in obliquo prædictam relationem, ſeque aliter habere ad animam, ac ante ſe habuerit; & hic novus modus ſe habendi, eſt illa ſpecialis aſſiſtentia, qua DEus impensè diligit, ac dirigit creaturam per ſua dona ſupernaturalia gratiæ ſanctificantis, & charitatis inhærentis, ut notat D. Thomas *in 1. diſtinct. 14. quæſt. 2. art. 1.* ubi, cùm concluſiſſet Spiritum Sanctum procedere temporali proceſſione, vel dari, & non ſolùm dona ejus, poſtea probans hanc illationem ait: *Si conſideremus proceſſionem Spiritus Sancti ex parte ejus, à quo procedit, non eſt dubium, quin ſecundùm illum reſpectum ipſemet Spiritus Sanctus procedat. Sin autem conſideremus proceſſionem ſecundùm reſpectum ad id, in quo procedit, tunc (ſicut dictum eſt) reſpectus iſte in Spiritu Sancto ponitur, non quia ipſe realiter referatur, ſed quia alterum referatur ad ipſum. Cum igitur in acceptione donorum ipſius, non ſolùm relatio noſtra terminetur ad dona, ut ipſa tantùm habeamus, ſed etiam ad Spiritum Sanctum, quia aliter ipſum habemus, quàm prius, non tantùm dicentur dona ipſius procedere in nos, ſed etiam ipſemet: ſecundùm hoc enim ipſe dicitur referri ad nos. Secundùm quod nos referimur ad ipſum; & ideo procedit ipſe in nos, & dona ipſius, quia hæc dona ejus recipimus, & per eadem, ad ipſum nos aliter habemus, in quantum per dona ejus Spiritui Sancto conjungimur per donum nos ſibi aſſimilans*; ait D. Thomas, per dona ejus, quæ recipimus, nos aliter ad ipſum habere; *in quantum per dona ejus ipſi Spiritui Sancto conjungimur, & per donum nos ſibi aſſimilans*, quia ſpeciali quodam modo nos diligit, ac dirigit, ut ſimiles illi ſimus per dilectionem.

Poſt primam diviſionem gratiæ in increatam, & creatam, dividitur gratia creata communi, & celebri diviſione in gratiam ſanctificantem, ſeu gratum facientem, & eſt, quæ per ſe ordinatur ad ſanctificationem proprii ſuppoſiti; & in gratiam gratis datam, ſeu quæ per ſe tendit in aliorum utilitatem: tametſi de ratione cujusvis gratiæ ſit, ut gratis conferatur, ex uſu tamen hoc complexum, ut applicatum aliquibus gratiis minoris excellentiæ aliam ſortitur nomenclaturam: quia major ratio gratiæ reperitur in illa, quæ hominem ſanctificat, & gratum DEO conſtituit: alia dona quamvis etiam nobis à DEO gratis donentur, non tamen nomine gratiæ gaudent, ſed potiùs charismatum, quæ à DEO in Eccleſia aliquibus perſonis communicantur, non ſolùm, ut ipſæ juſtificentur, & perficiantur, verùm etiam, ut aliis proficiant, & ad eorundem juſtificationem, & perfectionem cooperentur, & hujusmodi gratiæ ab Apoſtolo 1. *Corinth. cap.* 12. vocantur *manifeſtationes Spiritus ad utilitatem*, & aſſignat earundem numerum, inquiens: *Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem, alii quidam per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia ſanctitatum in uno ſpiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum; Hæc autem omnia operatur unus, atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.* Ex hoc & aliis ſcripturæ locis Theologi cum D. Thoma dividunt genus gratiæ gratis datæ in novem ſpecies, ſcilicet in fidem, ſermonem ſapientiæ, ſermonem ſcientiæ, gratiam miraculorum, gratiam ſanitatum, donum linguarum, Prophetiam, diſcretionem ſpirituum, & interpretationem ſermonum.

Aliæ excellentiores gratiæ tametſi gratis itidem conferantur ſuam accipiunt nomenclationem ab effectibus, vel propriis rationibus, & cùm primariò tendant ad proprium ſuppoſitum ſanctificandũ, gratumque Deo reddendum, ideo gratiæ ſanctificantis vocabulo inſigniuntur, verum hoc nomen ſeu complexum

gratiæ

gratiæ sanctificantis sumitur plerumque strictè; & tunc tantùm significat illam formam, quæ immediatè, & formaliter expellit peccatum, sanctificat animam, & reddit illam Deo gratam, ac participem naturæ divinæ, estque una simplex qualitas habitualis, & permanens in specie atoma constituta, informátque animam, cui immediatè adhæret, & constituit sanctam, & Deo gratam: & hæc gratia, quia in specie atoma, capax non est ulterioris divisionis essentialis; accidentaliter tamen, & penes diversos modos vel status admittit divisionem accidentalem. Interdum etiam sumitur laxè, & minus propriè pro qualibet perfectione supernaturali, quæ per se ordinatur ad perficiendum & sanctificandum proprium suppositum sive formaliter, sive dispositivè, vel quovis alio modo possit ad id tendere, & in hoc sensu subdividitur gratia in plures species; & primò in illam, quæ immediatè, & per se ordinatur ad dandum esse supernaturale, & in eam, quæ per se ordinatur ad operationem, vel receptionem: primum membrum hujus divisionis coincidit cum gracia sanctificante, quæ propterea vocatur gratia sanctificans, gratum faciens, gratia habitualis, quæ in idem coincidunt; non enim hæc nomina significant diversas species gratiæ, sed unam tantùm in specie atoma. Secundum membrum continet omnes habitus, dispositiones, præparationes, & similia, quibus disponimur, movemur, ac potentes reddimur ad agendum supra vires naturæ; vel etiam ad recipiendum, & subdividitur in gratiam, quæ est qualitas permanens, quæ reducitur ad gratiam habitualem, sub qua continentur dona Spiritus Sancti, virtutes per se infusæ, & characteres aliquorum Sacramentorum, & dividitur ultimatè sicut ipsa dona, & virtutes dividuntur; ut etiam in illam gratiam, quæ se habet per modum auxilii, vel motionis citò transeuntis, & proprio nomine dicitur gratia actualis, vel gratia per modum fluxûs, & auxilii: & aliquando est qualitas impressa potentiæ operativæ, ut moveatur, vel possit moveri ad agendum: interdum est operatio à nobis elicita virtute alterius prioris gratiæ: siquidem persæpe ab uno actu movemur ad alium eliciendum; & tunc primus actus habet rationem gratiæ, & auxilii respectu secundi. Unde illa gratia, seu auxilium, quod consistit in actuali operatione, dividitur sicut ipsa operatio, vel sicut partitur effectus, pro quo exhibetur. Cæterum gratia, quæ consistit in qualitate, vel motione impressa potentiis alia se habet per modum actus primi separabilis ab actu secundo: & alia per modum prædeterminationis, & applicationis efficacis ad ipsum actum, & est ab illo inseparabilis, ut docent Thomistæ: gratiæ enim actuales reducuntur ad auxilia, & motiones, & hæ motiones, ad species actuum, pro quibus conferuntur. Præter has divisiones gratiarum solent etiam aliæ assignari, quibus frequentius utuntur, quæque vel essentiales non sunt, vel ad prædictas reducuntur, ut cùm dividitur gratia in operantem, & cooperantem; in excitantem, & adjuvantem; in sanantem, & elevantem; in auxiliantem, & promoventem; in sufficientem, & efficacem; in moralem, & Physicam; in inæternam, & externam.

Gratia operans ea dicitur, per quam mens nostra à Deo movetur, & non movet: gratia cooperans illa, per quam & mens nostra movetur, & movet: gratia excitans, quæ hominem quasi dormientem, seu non attendentem evigilare, & attendere facit tangendo cor, ut excitetur, & dormire desinat, vel saltem mentem illuminet. Gratia adjuvans, prout distinguitur ab excitante, explicatur eodem fere modo, sicut gratia cooperans, quia tribuit libero arbitrio, ut actu operetur, & in operatione persistat. Gratia præveniens vocatur, quæ tempore vel natura præcedit usum liberi arbitrii, quod movet, vel disponit ad operandum, & potest etiam dici gratia præperans, ut loquitur D. Augustinus, & continentur sub hac gratia non solum auxilia sufficientia, per quæ agere possumus, verum etiam præmotiones, prædeterminationes, quibus efficaciter applicamur ad agendum: gratia concomitans dici potest concursus simultaneus in nostram operationem, seu omnis illa gratia subsequens dici potest, quæ supponit aliam gratiam præviam, aliumque effectum gratiæ, ad quem consequitur, & denominatur subsequens relativè ad gratiam, quæ supponitur; adeo ut eadem gratia, quæ est consequens respectu unius, dici possit antecedens respectu alterius, nisi sit prima gratia, quæ ad nullam aliam consequatur, vel ultimus effectus præsupponens omnia alia.

Rursus dividitur gratia in Physicam, & moralem; illa est, quæ Physico modo influit in actum, vel quia est ejus principium elicitivum, vel quia est forma, vel motio constituens, elevans, aut applicans tale principium. Moralis dicitur, quæ non ita, sed morali modo, seu incitando, alliciendo, persuadendo nos movet ad bene operandum. Unde sicut sub gratia Physica continentur omnes habitus, auxilia, & motiones, quæ intrinsecè afficiunt animam ejúsque potentias, quibus inhærent; ità sub morali comprehenduntur omnia, & singula, quæ per modum objecti, vel ex parte illius, licèt sint actus intrinseci, ac potentiis inhærentes, concurrunt ad movendas ipsas potentias in ordine ad actus supernaturales, & hoc pacto se habent doctrina, quam audivimus, miracula, quæ vidimus, & plura alia, quæ cadunt sub sensus, ut etiam ipsi actus interni, quibus hæc objecta & cognoscimus, & penetramus.

Et cum hac partitione coincidit ea divisio, quâ gratia bipartitur in internam, & externam: nam gratia interna comprehendit omnes illas, quæ intrinsecè afficiunt animam, & ejus potentias præsertim spirituales, perinde eos afficiunt habitus, motiones, & auxilia, quæ gratiæ Physicæ dicuntur. Gratia externa complectitur, quidquid aliud à Deo nobis confertur in ordine ad spiritualem salutem, ut est externa ejus protectio, Angelorum Custodia, sacra doctrina, lex divina, & reliqua, quibus instruimur: ut etiam aliæ causæ, & objecta externa, quæ sensibus species tribuunt, mediis, quibus ad res divinas, & supernaturales animus excitatur, ut etiam effectus omnes divinæ providentiæ ordinati ad finem supernaturalem, imò in generali pro universitate hominum, sive in speciali pro alicujus privatæ personæ spirituali salute, adeo ut ipsa Christi passio, ejúsque redemptio activa, ut etiam Sacramenta, quæ nobis operata est, comprehendantur sub hoc genere gratiæ externæ: quia tametsi effectus justificationis, & sanctificationis, qui inde nobis proveniunt, sint intrinseci, ipsa tamen passio, Sacramenta, & activa redemptio sunt extra nos, quia hæc omnia fuerunt à Christo peracta, & à prædictis effectibus, & gratiis nobis intrinsecè inhærentibus distinguuntur. Cæterum divisio gratiæ

gratiæ in internam, & externam non attenditur absolutè, sed respectivè ad hominem, cui gratia fit. Et quamvis omnis gratia fiat in ordine ad aliquam internam hominis perfectionem, per quam sanctificetur, vel ad sanctificationem disponatur, nihilominus non omnis talis gratia internè hominem afficit, sed plures habent esse extra ipsum, perinde ac multæ causæ reperiuntur extra subjectum, ubi suos effectus causant, ideoque rectè dividitur gratia in internam, & externam.

Tametsi homo viribus à natura sibi inditis ad plura possit virtutum studia incumbere, variasque operationes exercere rectæ rationi, legisque consonas, nunquam tamen vita æterna dignas; neque ad finem ducentes supernaturalem, nisi gratia per Jesum Christum easdem significaverit, siquidem operationes naturæ semper sunt conditionis inferioris, & ordinis, si cum operibus gratiæ conferantur, quia sola gratia est, quæ naturæ terminos supergreditur, & ad finem elevat supernaturalem creaturam rationalem, & licèt naturam supponat, ab hoc tamen fine gratiæ subsidio elici nunquam possunt operationes, quibus creatura rationalis se ad beatitudinem possit supernaturalem promovere; hinc scitè D. Augustinus *lib. de prædestinat. Sanctorum cap.* 5. ait: *Posse habere fidem, & charitatem, natura est hominum; habere autem fidem, & Charitatem, gratiæ est fidelium:* gratia enim, ut docet D. Augustinus *passim de natura, & gratia* supponit ipsam naturam, quæ sine gratia supernaturali semper humi repit, neque propriis viribus potest assurgere ad aliquod dignum vita æterna: & hæc gratia est aliquod donum naturæ indebitum, & supra ejus vires, quodque ex amore nobis gratis tribuitur, in quo sensu dicitur *Joan.* 1. *De plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Hinc D. Augustinus *Tract.* 3. *in Joan.* interrogans, quid est gratia? respondet gratis data, donata, non reddita, & *in Psalm.* 49. sub finem ait: *Qui ad gratiam scit se pertinere, novit, quia indiget gratia: si gratia vocatur, gratis datur,* & confirmat hanc gratiæ notionem ex Apostolo, qui ad *Roman.* 4. opponit gratiam debito; eò quia gratia, si gratia est, debita non est, sed omnino gratis datur; ait enim *ei, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*; ubi distinguit mercedem à gratia, quia illa datur secundùm meritum ob anteactos labores, ad quos merces se habet relativè, & gratia omnino gratis detur, hinc gratia est quidquid boni à gratuita, & liberali Dei munificentia derivatur in creaturas, in quo sensu quodlibet Dei beneficium, etiam naturale, nobis à Deo gratuitè collatum dicitur gratia, sed naturalis, in quo sensu vocavit notionem gratiæ D. Hieronymus *in epist. ad Cyprianum Presbyterum de interpretatione Psal.* 89. inquiens: *Gratiam Dei esse, quod homo sit creatus,* cui adhærens D. Augustinus *epist.* 95. ait: *Quadam enim non improbando ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus,* & *serm.* 11. *de verbis Apostoli cap.* 4. naturam ipsam vocat gratiam, & rationem assignat, quia Deus omnino gratis fuit nobis naturam impertitus, ait enim Augustinus, *non enim, qui non erat homo, promeruit, ut esset,* quia homo, antequam esset, non potuit quidquam sibi promereri, quia meritum fundatur in operatione, & hæc sequitur ad esse, ergo necessario præsupponit: hinc quia homo, antequam esset, non potuit quidquam operari, nec promereri, ideo ipsum esse, quod per creationem accepit, fuit ipsi omnino gratuitè collatum, propterea est vera gratia gratis delata, in quo sensu habetur etiam in sexta Synodo Generali *act.* 11. Angelos, & animas immortales esse, non naturâ, sed gratiâ, quia gratuito beneficio creationis acceperunt immortalitatem. Verum juxta præsens institutum gratia non solum significat donum gratuitum, verùm etiam supernaturale, adeo ut superexcedat exigentiam, cujuslibet naturæ creatæ; quo pacto dona collata Angelis, & Protoparentibus nostris, ut rectè operarentur in ordine ad beatitudinem supernaturalem, fuerunt gratiæ supernaturales; quinimò etiam beneficia collata homini Christo, vocantur gratiæ à D. Augustino *lib. prædest. Sanctor. cap.* 21. inquiens: Eâ gratiâ fit ab initio fidei suæ homo Christianus, quâ gratiâ factus est ab initio ille homo Christus.

Hinc falsum est, quod asseruit Jansenius gratiam sanctificantem, & alia auxilia fuisse debita Angelis, & Adamo ex vi suæ creationis, adeo ut non potuerit Deus eos condere absque hisce supernaturalibus auxiliis, oppositum enim docent Sancti Patres cum Augustino asserentes; præfata auxilia fuisse omnino supernaturalia, & oppositum esse hæresim Pelagianorum: dicitur etiam gratia supernaturalis illud beneficium gratuitum supernaturale nobis collatum ex solis meritis JEsu Christi; quæ gratia propriè dicitur medicinalis, quatenus à Deo nobis parata fuit in remedium peccati per Jesum Christum, ut loquitur Apostolus *ad Roman.* 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu,* & ab Augustino dicitur medicinale Salvatoris auxilium, & hanc gratiam medicinalem omnino liberaliter, & gratuitè effundi in nos à munificentissimo Deo per Jesu Christi merita, semper censuit; ac inconcussâ propugnavit firmitate universa Ecclesia Catholica contra plures Hæreticorum errores, qui, ut loquitur D. Augustinus *epist.* 95. *naturam humanam ideo dicunt liberam, ne quærant liberatorem; ideo salvam, ut superfluum judicent Salvatorem,* etenim ex scripturis *Psal.* 23. habemus, *gratiam & gloriam dabit Dominus. Zacharia,* 12. *Effundam super Domum David, & super omnes habitantes Jerusalem spiritum gratiæ. Act.* 7. *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine,* & passim hanc veritatem inculcat Apostolus Paulus *ad Roman.* 1. *Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum; ad Ephes. Gratia estis salvati per fidem, ex hoc non ex vobis, donum Dei est.* & *cap.* 4. *Unicuique autem nostrûm data est gratia secund m mensuram donationis Christi,* & in omnibus suis Epistolis D. Paulus, significat hanc Dei gratiam dari nobis gratuitè à Deo, *Deo* 2. *ad Corinth.* 9. *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in nobis.*

Et hæc veritas definita fuit in pluribus Conciliis contra Pelagium, & alios Hæreticos, ut in Concilio Palestino, in quatuor Africanis, in Ephesino, Arausicano, & tandem in Tridentino *sess.* 6. ubi hæc definitur veritas, quam Sancti Patres, contra Hæreticos propugnarunt, & præsertim D. Augustinus contra Pelagium, ut constat *ex præcitat. loc.* Summi Pontifices itidem hanc eandem veritatem fideles docuerunt, ut Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Sixtus, S. Leo, Hormisda, qui *epistola* 7. *ad Possessorem de libero arbitrio, & gratia Dei* ait: *Quid catholica sequatur, & asseveret Ecclesia, ex libris Augustini ad Hilarium, & Prosperum posse cognosci.* Ratio itidem evincens hanc veritatem

est,

est, quia Deus nos elevat destinátque ad finem supernaturalem, ut constat ex illo Apostoli *ad Ephes.* 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Sed qui finem intendit, & ordinat ad finem aliquem, debet media suppeditare proportionata ad assecutionem ejusdem finis, alioquin supervacanea, ac inutilis esset illa ordinatio ad finem, cùm sine mediis proportionatis non possit quis finem consequi. Quamobrem ex eo, quòd Deus nos destinaverit ex suo beneplacito, & omnino gratuitè ad finem supernaturalem, debuit etiam nobis suppeditare media, quibus possemus talem finem consequi, & sine quibus impossibilis est assecutio finis, sed media proportionata fini supernaturali debent itidem supernaturalia esse, quia debent finis, & media esse in eodem ordine; unde Deus nobis abundè suppeditat media supernaturalia, quibus finem possimus consequi supernaturalem: sed hæc supernaturalia media sunt auxilia gratiæ, quia hæc tantùm proportionantur fini supernaturali, unde negare non possumus Deum nobis suppeditare auxilia gratiæ, alioquin frustraneè nos destinâsset ad finem supernaturalem, quem pro nullo eventu consequi possemus. Tum quia si Deus tot nobis quotidie media suppeditat, quibus finem assequimur naturæ debitum; quanto magis decuit, ut media nobis impertiretur copiosissima ad finem illum obtinendum, quem nullis naturæ præsidiis assequi valemus, unde dubitare non possumus, quin nobis suppeditet auxilia supernaturalia, ut media proportionata ad assecutionem hujus finis.

Præterea quia, ut ait Apostolus *ad Rom.* 5. *Si enim in unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Unde pertinet ad Christi gloriam, ut non sit ejus passio, & mors nobis inutilis. Sed sublatis gratiæ auxiliis esset nobis inutilis, quia non possemus finem supernaturalem consequi, ad quem Deus per gratiam medicinalem Jesu Christi voluit, ut promoveremur: ergo, cùm Christi passio non fuerit nobis inutilis in ordine ad assecutionem finis supernaturalis, ac æternæ felicitatis, ad quam tenemur nos promovere per actiones nostras, & istæ nisi dignificentur per gratiam Jesu Christi, non sunt media proportionata ad talem finem, sequitur, ut nobis aliundè suppeditentur auxilia gratiæ; quia ut ait Apostolus *loc. cit. Si enim unius delicto multi mortui sunt multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Conveniens enim fuit, ut natura humana sauciata per peccatum Adæ, sanaretur, quod fieri non poterat, nisi per auxilia gratiæ.

Sed contra definitionem gratiæ objici potest, quia gratia dicitur, quæ omnino gratis datur, sed aliqua gratia non datur omnino gratis: siquidem augmentum gratiæ est vera gratia, quam tamen justus potest sibi promereri, adeo ut detur, ut præmium meriti, & non omnino gratis, proinde hoc gratiæ augmentum non esset gratia: siquidem omnes sentiunt hoc augmentum nobis dari, ut præmium, & non omnino gratis, quia datur ex operibus: sin autem detur ex operibus, jam non est gratia, ergo saltem non est de ratione omnis gratiæ, quod detur omnino gratis. Sed contra negatur sequela, & ad ejus probationem respondetur, illud gratiæ augmentum non dari omnino gratis proximè, bene tamen remotè, & in radice. Quamvis enim hoc augmentum detur ex meritis, adhuc tamen datur in radice omnino gratis; ratio est, quia meritum illud condignum, ad quod sequitur augmentum gratiæ, radicatur in prima gratia, quæ omnino gratis datur; consequenter in radice dicitur augmentum gratiæ omnino gratis dari. In quo sensu Sancti Patres gloriam cœlestem, & æternam beatitudinem vocant gratiam, quamvis non minus detur ex meritis, ac præfatum illud augmentum; idque non ob aliam rationem, nisi quia gloria, & æterna felicitas consequitur tanquam fructus ad primam gratiam, quæ omnino gratis confertur, quapropter augmentum gratiæ, & gloriæ cœlestis dicuntur gratiæ radicaliter, quatenus Originem trahunt à prima gratia, quæ omnino gratis confertur. Idque expressè docet D. Augustinus *cap.* 8. *de gratia & libero arbitrio.* ubi ait: *Vita æterna sine dubio, quæ bona vita redditur, gratia est, & ipsa enim gratis datur: quia gratis datur & illa, cui datur*: nimirum quia gratis datur prima gratia ratione cujus datur gloria, neque enim, ut ibi explicat D. Augustinus, alio modo vita æterna dici potest gratia, nisi quia datur intuitu operum, quæ oriuntur à gratia, quæ omnino gratis datur. Hoc idem etiam docet D. Thomas *lect.* 2. *in verba illa D. Pauli* 2. *Timoth.* 4. *In reliquis reposita est mihi, corona justitiæ.* Quærit enim, quomodo possit esse corona justitiæ, si vita æterna est gratia, & respondet juxta datam distinctionem: quia *quod est justitia, quantum ad actum, qui procedit à voluntate, est gratia; quantum ad radicem merendi.* In hoc sensu Sancti Patres explicant illud Joan. 1. *de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*, & D. Augustinus *in Enchirid. cap.* 6. intelligit verba Joannis de gloria, quæ pro gratia nobis confertur in cœlesti patria, eò quia hæc gloria in radice sit gratia.

# CAPUT III.

## De Hæresi Pelagianorum negantium gratiam divinam.

HActenus enucleavimus quid sit gratia Dei, & in quot membra dividatur, supersunt nunc errores contra hanc gratiam detegere, eósque impugnare, ut Dei gratia propugnetur. Plures enim commendantes liberi arbitrii vires, & excellentiam, omnia, quæ à viris justis fiunt eidem tribuunt. Inter quos fuit Pelagius, qui nesciens contra Manichæos creatam libertatem defendere, negavit necessitatem, & causalitatem gratiæ, & objecit Catholicis odiosum, ac infamem Manichæismi titulum, adeo ut ipse factus fuerit novi dogmatis antesignanus, adeo ut dixerit Augustinus *lib.* 2. *contra duas epistolas Pelagii cap.* 1. *Isti Pelagiani hoc faciunt, Manichæis anathema dicere, & erroribus contradicere, sed faciunt duo mala, quibus & ipsi anathematizandi sunt. Unum, quod Catholicos Manichæorum nomine criminantur; alterum, quod etiam ipsi heresin novi erroris inducunt. Neque enim, quia Manichæorum morbo non laborant, propterea fidei sanæ sunt. Non unum pestilentia est genus, quemadmodum in corporibus, ita & in mentibus; sicut ergo Medicus corporis non continuò* pro-

*pronuntiâsset à mortis periculoliberum, quem negasset hydropicum, si alio lethali morbo perspexisset agrotum: ita istis non ideo veritas gratulatur, quia Manichai non sunt, si alio perversitatis genere insaniunt. Quapropter aliud est, quod anathematizamus cum eis; & aliud quod in eis. Delectamur enim cum eis, quod rectè displicet etiam ipsis, ita tamen, ut detestemur in eis, unde rectè displicent ipsi.* Pelagii igitur hæresis fuit, posse hominem absque Dei auxilio justè vivere, peccata declinare, virtutes in se parere, & alere, salutem consequi, quos errores ante Pelagium effutierunt Ethnici Philosophi, & plures ex Judæis, unde tametsi Vincentius Lyrinensis *lib. adversus hæreses* primum divinæ gratiæ oppugnatorem recenset Pelagium, inquiens: *Quis unquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per singulos actus adjuvandum necessariam Dei gratiam non putaret.* Certum tamen est, multò ante Pelagium hunc errorem irrepsisse, qui tamen postea inolevit authore Pelagio, etenim, ut refert Augustinus *epist. 95. Judai per legem justificari arbitrabantur, sufficiente sibi ad eam custodiendam libero arbitrio*: etenim ex Ethnicis Philosophis ante Pelagium hunc errorem docuerunt, Cicero, Seneca, aliique Philosophi Stoici, siquidem ille *in lib. de natura Deorum in persona Cote* affirmat: *quia sibi quisque virtutem acquirit, & neminem unquam acceptam à Deo retulisse: propter virtutem enim jure laudamur, & de virtute rectè gloriamur: quod non contingeret, si id donum à Deo non à nobis haberemus.* Negat enim rectum usum liberi arbitrii posse conciliari, cùm necessitate divini auxilii, & omnem laudem humanarum operationum tribuit solis liberi arbitrii viribus. Seneca itidem *epist. 20.* Videtur hoc idem adstruere inquiens: *Huc cogitationes tua tendant, hoc cura, hoc apta omnia alia vota Deo remissurus, ut contentus sit te ipso, & te nascentibus. Et epist.* 90. ait: *Deorum immortalium est, quod vivimus, Philosophia, quod bene vivimus, itaque tanto plus nos debemus huic, quàm Diis, quanto majus beneficium est bona vita, quàm vita*: refert piè, honestè, ac rectè vivere ad ipsam Philosophiam, seu ad vires naturales naturæ humanæ, quasi gratia naturam non juvaret, sed hæc propriis suis viribus, se ad piè, & sanctè operandum promoveret. *epist. itidem* 124 affirmat *unum hominem esse, quod beata vita causâ, & firmamentum est, sibi fidere*: quibus verbis ita vires liberi arbitrii extollit, ut opem divini adjutorii excludat. Hos Ethnicorum errores postea excitavit Pelagius *epist. ad Demetriadem Virginem* inquiens: *Spirituales divitias nullus tibi præter te conferre poterit. In his ergo jure laudanda es, in his merito cateris praferenda es, qua nisi ex te, & in te esse non possint,* quam Pelagii sententiam acriter reprehendit D. Augustinus *epist. 143.* quæ dirigitur ad Julianam Demetriadis Virginis matrem, ubi ait: *Cernis, quanta in his verbis sit cavenda pernicies. Nam utique, quod dictum est, non possunt esse ita bona, nisi in te, optimè & verissimum dictum est; iste planè cibus est. Quòd vero ait: Nonnisi ex te, hoc virus est, absit ut hac libenter audiat virgo Christi, qua piè intelligit paupertatem cordis humani, & ideo illic nisi sponsi sui donis nescit ornari.* Cæterum quod Stoici Philosophi Tullius, & Seneca antiquiores hunc excitaverint errorem asserit D. Hieronymus *comment. in Jeremiam lib. 4. in prafat.* ubi loquens de hæresi Pelagiana ait: *Commentarios in Jeremiam per intervalla dictabam, ut quod deerat otio, superesset industria; cum subjecto haresis Pythagora, & Zenonis impassibilitatis, & impeccantia, qua in Origine &c. olim jugulata est, cœpit revirescere, & non solum in Occidentis, sed & Orientis partibus sibilare.* Plures ex Judæis, quibus Dei notitia clarior fulgebat, hujus erroris contagium propagarunt, asserentes, novam gratiam non requiri ad justificationem, & ad observanda præcepta; sed sufficere ad salutem legem cum libero arbitrio, ut notat D. Chrysostomus *homil. 6. in epist. ad Roman.* & D. Augustinus *epist. 95.* ubi agens de lege, ac Dei gratia ait: *Ideo per illam fit cognitio peccati, & ex pravaricatione legis abundantia peccati, ut ad liberationem quærantur promissiones Dei, quod est gratia Dei, & incipiat esse in homine justitia, non sua, sed Dei, hoc est data dono Dei, quam etiam nunc quidam, sicut tunc Judais dictum est: ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitia Dei non sunt subjecti. Per legem quippe & illi justificari se arbitrantur, sufficientes sibi ad eam custodiendam libero arbitrio, hoc est, justitia prolata ex natura humana, non donata ex gratia divina; propter quod justitia Dei dicitur*: hoc idem etiam significat *serm. 13. de verbis Apostoli* ubi expendit Paulum adeo gratiam *pra lege commendasse, propter Judaos, qui de lege gloriabantur, & libero suo arbitrio legem sufficere arbitrabantur.* Præter Judæos præcipui laudatores virium liberi arbitrii fuisse Pharisæos, constat ex Josepho *lib. 2. de Bello Judaico cap. 7.* ubi ait: *Pharisaos quamvis omnia facto tribuerint, asseruisse tamen agere, qua justa sunt, vel negligere secundum majorem partem esse in hominibus, adjuvare autem in singulis, & fatum*: unde laudem honestæ operationis libero arbitrio hominis tribuebant, non verò dispositioni divinæ gratiæ, quam significabant vocabulo fati.

Quod verò deteriùs est, hic error invaluit etiam apud Christianos primitivæ Ecclesiæ: siquidem Basilides Alexandrinus sub Alexandro I. circa annum Christi 1024. necessitatem fidei infusæ negavit, quo errore infectus etiam fuit Valentinianus sub Higinio Papa circa annum Christi 1050. Ut refert Clemens Alexandrinus *lib. 2. Strom.* inquiens: *Fidem esse naturalem existimant Basilidis Sectatores. Valentiniani autem nec per fidem, nec gratiam, nec bonis operibus, sed sola cognitione salutem se esse assecuturos putabant.* Simon itidem Magus disputans cum D. Petro liberum arbitrium negavit, Origenes etiam Doctor Alexandrinus circa annum 307. minùs rectè de necessitate gratiæ divinæ, ejúsque concursu visus est censuisse, de quo ait D. Hieronymus *epist. ad Ctesiphontem, vis adhuc & aliud nosse tui erroris principium? doctrina tua Origenis ramusculus est.* Hinc D. Thomas *lib. 3. contra Gentes cap. 89.* ait: *Quidam verò non intelligentes, qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque prajudicio libertatis voluntatis, qua nati sunt, has authoritates malè exponere, ut scilicet dicerent, quòd Deus causat in nobis velle, & perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem sic, quod faciat nos velle hoc, vel illud, sicut Origenes exponit in tertio Periarchon, liberum arbitrium defendens contra authoritates pradictas,* sed ut res clariùs pateat, & qualis fuerit mens Origenis, exactiùs aperiatur, proderit ejus verba hic subjicere, ait enim Origenes lib. 3. Periarchon cap. 1. ubi plura profert contra divinam gratiam. *Post hac insequebatur illa quastio, quoniam, & velle, & perficere esset*

*ex*

*ex Deo: & ajunt: si ex Deo velle est, & ex Deo est perficere, sive mala agimus, vel volumus, ex Deo est. Quòd si est, liberi arbitrii non sumus.* Ad quod respondendum est, quod sermo Apostoli non dicit, quia velle mala ex Deo est, neque perficere bona, aut mala ex Deo est Sicut enim à Deo habemus hoc ipsum, quòd homines sumus, quòd spiramus, quòd movemur, ita & quod volumus, à Deo habemus, ut si dicamus, quòd movemur, ex Deo est, vel quòd singula quaque membra officio suo deserviunt, & moventur, ex Deo est; ex quo utique non illud intelligitur, quia quòd movetur, manus ad verberandum injustè, vel ad furandum ex Deo est, sed hoc ipsum, quod movetur, ex Deo est: nostrum verò est motus istos, quibus motum ex Deo habemus, vel ad bona, vel ad mala convertere. Ita ergo est, quod dicit Apostolus, quia virtutem quidem voluntatis accipimus, nos autem abutimur voluntate, vel in bonis, vel in malis desideriis.* Ubi eatenus refundit nostra bona opera in Deum, quatenus nobis impertivit virtutem indifferentem volendi, non autem quia novo auxilio faciat nos velle ad bonum, refundens in liberum arbitrium totam honestatem boni operis, quod detegit D. Thomas discooperiens radicem hujus erroris inquiens: *Nunc superest ostendere, quod rerum distinctio non processit ex diversis motibus liberi arbitrii rationalium creaturarum, ut posuit Origenes in libro Periarchon. Volens enim resistere antiquorum Hæreticorum objectionibus, & erroribus, quibus nitebantur ostendere diversam naturam boni, & mali esse in rebus ex contrariis actoribus propter multam distantiam inventam &c. coactus est ponere omnem diversitatem in rebus inventam ex diversitate meritorum, secundùm Dei justitiam processisse: dicit enim, quòd Deus ex sola sua bonitate primo omnes creaturas æquales produxit, & omnes spirituales, & rationales, quæ per liberum arbitrium diversimodè sunt motæ quadam adhærentes Deo plus, vel minus, quædam à Deo recedentes magis, & minus. Et secundùm hoc diversi gradus in substantiis spiritualibus ex divina justitia sunt subsecuti, ut quidam essent Angeli secundùm diversos ordines; quidam animæ humanæ secundùm diversos status, quidam etiam Dæmones in statibus diversis.* Hinc liquet, quòd stante omnimoda æqualitate ex parte Dei, qui tantùm tribuit vim volendi, inferebant totam diversitatem inter Angelos, Dæmones, & homines ortum primo duxisse ex libero arbitrio, eò quia sine ullo discrimine ex parte Dei semetipsum applicuit, adhæsitque Deo, & recessit ab illo, fecitque discretionem in negotio salutis, quæ omnia olent Pelagianismum, & injuriam Deo inferunt: non solùm Origenes, sed & plures alii indignè censuerunt de divina gratia; sed Origenem plures nituntur excusare, inter quos Binæus, qui librum edidit de salute Origenis. Verùm Synodus Oecumenica, sub Vigilio Papa, & Justiniano Imperatore Origenis doctrinam damnavit, eumque anathemate percussit his verbis: *anathema sit Origeni, qui & Adamantius dictus est, & hoc promulgavit una cum detestandis ejus, & execrandis dogmatibus, & omni homini, qui hæc sentit, aut asserit, aut aliqua ex parte quocunque prorsus tempore ea defendere audet.* De historia hujus Concilii fusè refert Nicephorus *lib. 17. cap. 27.* & alii Pontifices etiam in Conciliis hanc eandem Origenis doctrinam damnârunt, præsertim, Martinus I. in Concilio, quod convocavit, & in quo interfuerunt centum quinquaginta Episcopi *in decreto* 18. & Anastasius Papa, *in epist. ad Joannem Jerosolymitanum* damnavit lectionem Periarchon, ut pluribus contra fidem erroribus scatentem, ut refert Baronius anno Christi 402. *lib.* 16. Nihilominus non defuerunt plures, qui non obstante anathemate ausi fuerunt, adhuc Origeni adhærere, ejúsque hæreses propugnare, qui propterea Origenistæ nuncupati sunt, & viam hæresi Pelagianæ non solùm aperuerunt, verùm & straverunt, ac proclivem ad eandem effecerunt, ut accessus facilior foret; & inter Origenistas primam videtur occupâsse sedem quidam Didimus, qui librum Periarchon variis illustravit notationibus, & sic illustratum per varii Ægypta sparsit monasteria. Cujus tamen veneno obstitit S. Bacchomius, qui Monachos hunc librum legentes fuit execratus, & in vitæ extremo pro testamento damnationem ejusdem libri reliquit, ut navarrat Baronius *loc. cit.* Fuerunt etiam alii plures, qui Origenis adhæserunt erroribus, & Evagrius, Ponticus, qui adhærens Origeni visus est hæresim Pelagianam invenisse. Jovinianus itidem Evagrium secutus est, docuítque hominem per vires liberi arbitrii posse omnia peccata declinare, ac ad dona recipienda supernatutalia se disponere; sed præ cæteris Origenis propugnator fuit Ruffinus Aquileensis, qui omnes Origenis Discipuli magistri fuerunt Pelagii, ut notavit D. Hieronymus *ad lib. 4. in Jeremiam*, ubi contra Pelagianos ait: *Commentarios in Jeremiam per intervalla dictabo, ut quod deerat otio, superesset industriæ, cùm subitò hæresis Pythagoræ, & Zenonis, id est, impossibilitatis, & impeccantiæ, quæ in Origene olim ejusque Grunnio,* ita enim per contemptum vocabat Ruffinum Aquileensem Presbyterum) *Evagrioque Pontico, & Joviniano jugulata est, cœpit reviviscere, & non solùm Occidentis, sed & Orientis partibus sibilare, & in quibusdam Insulis, præcipuéque Sicilia, & Rodi maculare plerosque, & crescere per dies singulos, dum secretè docent & publicè negant.* Ruffinus enim præ cæteris doctrinam Origenis propugnavit, librum Periarchon pluribus scatentem erroribus Latinitate donavit, ac Romæ clanculum introduxit, & postea Apologiam promulgavit in favorem Origenis, ejúsque operum, sub titulo tamen, ac nomine S. Pamphiri Martyris, ut nomen Authoris plurimum adderet roboris, ac authoritatis operi à se evulgato; ut refert D. Hieronymus *in Dialogo adversus Pelagium*, ubi ait: *Ruffinus non urbi, sed orbi blasphemias Origenis, & libros Periarchon, quantum in se fuit, intulit; ita ut Eusebii quoque primum librum defensionis Origenis sub nomine Pamphiri Martyris ederet;* & *in Apologia adversus eundem Ruffinum* addit; *cur translaturus hæreticum, defensionem eorum præmittis; quas in Martyris librum, & in Romanis auribus ingeris, quod translatum nempe Periarchon totus orbis expiavit.* Hac de causa Anastasius Papa, anno 400. errores damnaverat Origenis, Ruffinum Romam vocavit, ut suam diceret causam, sed ipse maluit damnationis sententiam ferre, quàm Romæ comparere, ut refert Baronius anno 404. *num.* 41. inquiens: *Tantum abfuit, ut parato à S. Hieronymo Antidoto curaretur; quin potiùs post Origenis errores, quos fovit, Pelagianæ hæresis aspides ex eis obortos percharam sibi sobolem enutrierit, quod proprium est Hæreticorum semper in deterius ferri, quousque in imum impietatis prolabantur.* Quòd verò Ruffinus perperam senserit de gratia, & libero arbitrio, hoc etiam persuadet, quia cum Cœlestius Pelagii discipulus urgeretur, ut aperiret, à quo suum hauserit dogma,

 con-

confessus fuit, se illud hausisse à Ruffino Aquileensi, ut refertur *in Act. Concilii Carthaginensis*, quapropter Ruffinus à proprio Discipulo proditus fuit: & eadem versutia edidit Commentarium Xisti Pythagorici sub nomine S. Sixti Martyris, ac Romanæ Ecclesiæ Pontificis, cùm etiam opus illud hæresim oleat Pelagianorum: & quidem pluribus in locis, ut notat Baronius anno 440. *num.* 7. censuit enim Ruffinus plurimum authoritatis accessurum, ac roboris causæ Pelagianorum, si ementito nomine titulo fulciretur Romani Pontificis S. & Martyris, quò faciliùs homines in aureo calice venenum ebiberent. Quia tamen liber ille non à Sixto, & à Ruffino compositus fuit, ut & Ruffini calliditas detecta, Gelasius Papa librum illum Proverbiorum sub nomine Sixti reprobavit, damnavitque, & nihilominus Pelagiani etiam post hanc damnationem contra Gelasium Papam surrexerunt, ut notat Cassiodorus *de divinis lectionibus cap.* 8. & 13. S. Pauli annotationes sub nomine Gelasii Papæ ediderunt, in quibus sui laterent errores.

Prima igitur Pelagianæ hæresis origo fuit putidus ille Origenis fons, ex quo plures scaturierunt errores, qui viam hæresi Pelagianæ straverunt, & quamvis Vincentius Lirinensis *lib. adversus hæreses* primum divinæ gratiæ oppugnatorem recenset Pelagium, inquiens: Quis unquam ante profanum illum Pelagium tantam liberi præsumpsit virtutem arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per singulos actus adjuvandam necessariam Dei gratiam non putaret, nihilominus certum est, ut vidimus ante Pelagium hunc errorem irrepsisse, qui tamen inolevit authore Pelagio. Etenim Judæi, referente D. Augustino *epist.* 95. ajebant, per legem justificari homines, sufficiente sibi ad eam custodiendam libero arbitrio. Rursus sub primis nascentis Ecclesiæ cunabulis Simon Magus, ut refert S. Clemens *lib.* 3. *recognit.* disputans cum D. Petro, liberum arbitrium negavit. Cæterum fuit Pelagius natione Britannus, ut refert S.Prosper, à quo in carmine de ingr... vocatur Coluber Britannus, & D.Hieronymus *epist. ad Ctesiphontem* ait: Pelagium fuisse natione Scotum, quem describit veluti Scotorum pultibus prægravatum, fuit puls cibi antiquissimi genus, qui constabat ex farina, & aqua additis subinde ovis, melle, & caseo, qui cibus vel maximè fuit in usu apud Scotos. Professione fuit Monachus & eximiæ apparentis sanctitatis, ac ementitæ pietatis fama toto orbe celeberrimus, & præsertim in Oriente, ubi monasticam egit vitam, ut refert D. Augustinus *lib.* 3. *de peccator. meritis cap.* 1. ubi ait: *Post paucissimos dies legi Pelagii quædam scripta viri, ut audio, sancti, nec parvo profectu Christiani.* Dicendi etiam facundia, & fandi elegentia commendatus fuit Pelagius, ut & ingenii vigore, & doctrinæ præstantiâ, ut refert D.Prosper citato carmine de ingratis. Hinc D. Augustinus *epist.* 222. *ad Marcellinum* ait: *Legi Pelagii quædam scripta, viri, aut audio, Sancti*, & infra: *Hæc igitur & alia, quæ hunc sequuntur errorem, credo, quòd vir ille tam egregiè Christianus omnino non sentiat*; & *lib.* 2. *retractat, cap.* 33. assignans causam, cur censeat Pelagium virum Sanctum, ait: Pelagii ipsius nomen non sine laude aliqua posui, quia vita ejus à multis prædicabatur, hinc eo creverat ejus Sanctitatis rumor, ut cùm primum D. Chrysostomus scivit, Pelagium in hæresin lapsum, ingenti fuerit dolore correptus: siquidem *in epist.* 4. *ad Olimpiadem* ait: *de Pelagio Monacho magno dolore affectus sum. Cogita igitur, quot, quantisque coronis digni sint, qui forti animo in acie steterunt; cum viros tam piè, & sanctè, tantaque cum tolerantia viventes abripi, atque in fraudem impelli videamus.* Sed Pelagius sub ovili pelle lupum tegebat, versutiis enim, & suadelis adeo valuit, ut plures etiam insignioris notæ homines in perditionem traxerit, inter quos Julianum Episcopum Capuanum, & Cœlestium, quos fidissimos habuit sui erroris fautores, ac promotores: quinimò Patres in Concilio Palestino contra Pelagium congregatos irrisit astuta tergiversationum ludificatione deceptos, & eadem dolosa arte ita Zosimum Pontificem circumvenit, ut quasi absolutus evaserit, verùm, quia Christus promisit Ecclesiæ suæ in terris militanti, portas inferi non prævalituras adversus eam, impensis viginti annorum laboribus à D. Augustino tandem victus, & debellatus fuit, & in duobus Conciliis, Carthaginensi, & Milevitano, nec non ab Innocentio I. Zosimo, & Cœlestino damnatus fuit circa annum à reparata salute 418. Quamvis enim sub specie Sanctitatis venenum spargeret, id tamen noverunt plures Ægypti Monachi, qui Pelagii legentes scripta cœperunt de illius Sanctitate suspicari, num esset hypocrisis, hinc scribit Isidorus Pelusiota *lib.* 1. *epist.* 314. invehens in Pelagium: *Cani effusi sunt in Ephraim, & ipse ignoravit, Osea 7. vitiosis nimirum affectibus juvenescens. Eodem modo tibi quoque ingens annorum turba canitiem invexit; & tamen rigidum, atque inflexum animum habes, & alio monasterio ad aliud subinde migrans, atque omnium mensas perscrutans, & explorans. Quamobrem si tibi carnium nidor, atque obsoniorum condimentum cura est; iis qui magistratus gerunt, potiùs blandire, atque urbium caminos vestiga. Neque enim homines Eremitæ facultates eas habent, ut te, quemadmodum tibi gratum est, excipere valeant.* Qui enim divinam gratiam animæ, & spiritui denegatam voluit, non debuit nisi carnis adhærere deliciis. Notat tamen Baronius anno 405. n. 8. quòd hæc Pelagii vagatio per diversa monasteria non tam deserviebat, ut aliorum popinas absumeret, quàm ut calicem venenalis dogmatis aliis Monachis propinaret. Et D. Hieronymus Pelagium objurgat, & acriter reprehendit, quòd cùm esset professione Monachus, fœminarum cœtus frequentaret, & viduas demulceret laudum lenociniis, quod non bene olentem de ejus pudicitia ingeneraret opinionem, & in eodem Dialogo, quem scripsit contra Pelagium *lib.* 1. cum ita loquentem introducit: *Alii clausis cellulis, & fœminas non videntes, quia miseri sunt, & verba mea non audiunt, torquentur desideriis: ego, etiam si mulierum vallor agminibus, nullam habeo concupiscentiam, de me enim dictum est, Zachariæ 9. lapides sancti volvuntur super terram*, & *lib.* 3. *ejusdem operis* reprehendens Pelagium ait: *Eidem adulans viduæ non erubescis dicere pietatem, quæ nusquam reperitur in terra, & veritatem, quæ ubique peregrina est, in illa potissimum commorari, docere est hoc, an occidere? levare de terra, an præcipitare de cœlo?* &c. & *lib.* 1. ait: *Verùm tu tantæ es liberalitatis, ut favorem tibi apud Amazonas tuas concilies, ut in alio loco scripseris, scientiam legis etiam fœminas habere debere; cùm Apostolus 1. ad Timoth. 2. doceat, esse tacendum mulieribus in Ecclesia.*

Habuit Pelagius plures alios non infimi ingenii Discipulos, qui idem errorum venenum effuderint, & plures alios infecerint, præsertim Cœlestius, de quo ait D. Hieronymus *epist. ad Ctesiphontem contra Pelagium, hoc quod dico, non meum est argumentum.*

*Unus*

*Unus Discipulorum ejus, nempe Cœlestius, imò jam Magister, & totius ductor exercitus, contra Apostolum ad Roman. 9. Vas perditionis per solœcismum, & non ut sui jactant, syllogismorum spineta disserens, sic philosophatur, & disputat, si nihil ago absque Dei auxilio; & per singula opera ejus, quod gessero; ergo non ego, qui laboro; sed Dei in me coronabitur auxilium.* Hinc Patres Concilii Carthaginensis in epist. ad Innocentium Papam, quæ est 90. apud Augustinum vocant Pelagium, & Cœlestium Authores illius erroris. Julianus itidem adhuc Juvenis, & Capuanus Episcopus creatus Pelagio adhæsit; cui & amicitia fuit addictissimus, pro cujus Patrocinio plura egit, quinimò & D. Augustinum amarulentis scriptis exagitavit, quibus S. Doctor, ut responderet, ita exorditur librum, quem scripsit contra Julianum *cap.* I. *Contumelias tuas, & verba maledica, Juliane, quæ ardens iracundia libris quatuor anhelasti, si me contemnere dixero, mentiar;* & *cap.* 4. ait: *Cui Ecclesiæ* (scilicet Romæ) *præsidentem beatum Innocentium, si audire voluisses, jam nunc periculosam Juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses:* & de hoc Juliano inquit D. Prosper *in Chronic. hac tempestate Julianus Atellanensis jactantissimus Pelagiani erroris assertor, quem dudum amissi* (propter hæresim) *episcopatus intemperans cupido exagitabat: multimoda arte fallendi, correctionis spem præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere. Sed his insidiis Sixtus Papa Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit: & ita omnes Catholicos defectione fallacis bestiæ gaudere fecit; quasi tunc superbissimam hæresim Apostolicus gladius detruncâsset.* Fuit itidem Pelagii discipulus Annianus Pseudo-Diaconus Zelotensis, qui promovit Pelagianorum errorem, & ex Occidente in Orientem migrans, Alexandriam venit venenum Pelagiani erroris sparsurus; & plurimum intulisset Ecclesiæ illi detrimenti, nisi Eusebius Cremonensis D. Hieronymi Discipulus data epistola monuerit S. Cyrillum, ac periculum imminens esse, insinuaret, hisce verbis: *Alexandrina sedes, ex quo Christi nomen Universo Orbi innotuit, præ cæteris Provinciis semper Italiæ Christi glutino cohæsisse cognoscitur. Quomodo nunc, cùm beatæ memoriæ Innocentius Pelagium, Cœlestiúmque cum suis capitibus condemnat, cunctis eos abjicientibus Orientalibus, Alexandrina Ecclesia in communionem receperit, quæ sola, & prima inter Comprovinciales suos tales refutare debuerat? sed ille est pestifer, de quo Sanctitudini tuæ ante annum scripseram, signifer; & confœderatus eorum Valerianus ventriloquus, qui gulæ* (ut Præceptor Pelagius) *operam præbens, quidquid otiosum suæ adulationis invenerit; ibi sanctos, ac fidelissimos nunciat, &c.* Fuit etiam hoc furfure Pelagianæ hæresis inspersus Vitalis Carthaginensis, quamvis hæresim Pelagianam in publico videretur detestari, ei tamen favit, cùm dixit non esse orandum pro Idololatris, & solam fidem tantùm esse iisdem proponendam, ad quam amplectendam negabat necessariam esse gratiam supernaturalem, sed suffecturum liberum eorum arbitrium; ut ait D. Augustinus *epist. ad eundem Vitalem*: Plures etiam alios habuit Pelagius Discipulos, qui ejus errori favebant, inter quos etiam recensentur non pauci Nolani, ut constat *ex epistola* 166. D. Augustini ad S. Paulinum ejusdem Urbis Episcopum, ubi post alia ait: *quod propterea commemoravimus, quoniam quidem apud vos, vel in vestra potius civitate (si tamen verum est, quod audivimus) tanta pro isto errore quidam obstinatione nituntur, ut dicant, facilius esse, ut etiam Pelagium deserant, qui hæc sentientes anathematizavit, quàm ab hujus sententiæ, sicut eis videtur, veritate discedant.* Pelagianis amicitia, & errore se obstrinxerunt Nestoriani, eò quia progenies fuerit Pelagii: siquidem ejus Discipuli, cùm damnati fuissent in Occidente, suisque expulsi ædibus in Orientem trajecerunt, & Constantinopoli præsertim asylum quæsierunt apud Imperatorem, cujus auxilium etiam petierunt, & Nestorius tunc temporis degens Constantinopoli eos perbenignè excepit, quo suum etiam ebiberent venenum, & unà cum suo errore admiscerent, ut constat ex Joanne Cassiano *lib.* I. *de Incarnatione*, ubi hæc habet: *Illud sanè unum prætereundum non arbitramur, quod peculiare, & proprium supradictæ illius hæreseos, quæ ex Pelagiano errore descenderat, fuit, quod dicentes quidam solitarium hominem Jesum Christum sine ullo peccati contagio vicisse, eo progressi sunt, ut assererent, homines, si velint, sine peccato esse posse;* & paulò infra de Nestorio addit: *Intercessionibus suis Pelagianistarum querelas fovit, & scriptis suis causam illorum asserit; quod subtiliter eis, ac (ut veriùs dixerim) subdolè patrocinatur, consanguineæ sibi improbitati improbo suffragatur affectu, sciens scilicet se ejusdem esse sensus, ejusdem spiritus.* Verùm hunc nexum, quo Pelagiani, & Nestoriani simul copulabantur, dissolvit S. Cyrillus in Concilio Ephesino, ubi acriter ambos hæreticos insecutus est, & Concilium hæresin ipsam, & Hæreticos postea damnavit, inter quos specialiter, & expresè nominantur Julianus, Præsidius, Florus, Marcellinus, Oriensius; qui omnes hæresin propugnabant Pelagii, ut constat ex epistola ad Cœlestinum Papam, cui initium est: *Sanctitatis quidem tuæ circa pietatem &c.*

Præcipuus Pelagii error fuit, asserere, hominem per solas vires liberi arbitrii posse peccata omnia declinare, omnésque tentationes vincere, imò & quodlibet opus bonum aggredi, ac perficere sine divinæ gratiæ, ac Dei concursus supernaturalis auxilio; & quamvis hoc dogma variis postea studuerit Pelagius modificationibus temperare, ne ut Hæreticus ab Ecclesia condemnaretur, & ut effugeret, imminentem sibi damnationem, ab initio tamen hunc errorem sine ulla tergiversatione, & docuit, & propugnavit, ait enim ipse *epist. ad Demetriadem Virginem*: *In his meritò cæteris præferenda est, qui nisi ex te, & in te esse non possunt.* Ex aliis itidem Patribus, qui hæresim Pelagianam impugnârunt, hoc idem referunt, scilicet Pelagium omnem Dei gratiam negâsse. Sed quia videbatur impugnari ab omnibus Christi fidelibus, cœpit postea varias excogitare modificationes, quibus aliquo pacto leniter suum dogma, ne ita contrarius Catholicis videretur. Cæterum Sancti Patres errorem illum tribuunt Pelagio, inter quos Augustinus *lib. de hæresibus hæres.* 88. *initio epist.* 94. *ad Hilarium* ait: *Nova quædam hæresis inimica gratiæ Christi contra Ecclesiam conatur exsurgere, sed nondum evidenter ab Ecclesia separata est, homines scilicet, qui tantum audent infirmitati humanæ tribuere potestatis, ut hoc solum ad Dei gratiam pertinere contendant, quod cum libero arbitrio, & non peccandi possibilitate creati sumus, & Dei mandata, quæ à nobis implerentur, accepimus. Cæterum ad eadem mandata servanda, & implenda nullo divino adjutorio nos egere.* Talem fuisse hæresim Pelagii, quam docuerunt, & evulgârunt

gârunt ejus Discipuli, nuncupati à Præceptore Pelagiani, liquet ex Synodo Diospolitano, ubi producuntur errores Pelagii, quorum septimus erat: *Gratiam Dei, atque adjutorium non ad singulos actus* (scilicet conducentes ad salutem æternam) *donari, sed de libero arbitrio esse.* Decimus, *non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio: quoniam in propria voluntate habet unusquisque, facere aliquid, vel non facere.* Undecimus, *victoriam nostram non esse ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio.* Quibus clarè constat Pelagium ab initio suæ hæresis negâsse omnem prorsus gratiam, & solùm admisisse liberum arbitrium, quod ex se sufficiens esset sine gratia ad omnes actus bonos eliciendos. Quia verò non ita cæcutiebat Pelagius, ut non conjiceret suum errorem adversari fidei Catholicæ, & omnes Catholicos contra se concitare, non fuit ab initio ausus palam suam hæresin effutire, sed venenum spargere clanculum, & veluti per secretos cuniculos ignem deferre in subversionem Ecclesiæ. Non fuit quidem ausus suum errorem manifestare viris sapientibus, qui possent ipsi contradicere, sed dulcibus adulationis blandimentis nonnisi ignaris Monachis, ac simplicibus Eremiculis, nec non indoctis mulierculis, talibus exponere verbis, ut nulla videretur deformitas apparere, ajebat hominem esse sui juris, & per liberum arbitrium operari quoscunque actus, prout ipsi magis libuerit, neque ullo alio indigere auxilio, eò quia per se sufficiens esset homo ad ambulandum, sedendum, operandum, & quoscunque actus eliciendos, prout ipsi magis libuerit, & reticuit sub initium actus supernaturales, elevantes naturam ad statum supernaturalem, ne statim palam suam faceret hæresin. Hinc D. Hieronymus hanc detegens Pelagii calliditatem *in Jeremiam lib. 4. præfat.* ait: *Quibus loquor compendio, aut bona sunt quæ docetis, aut mala. Si bona, definite libere; si mala, quid occultè miseros jugulatis errore, rectaque fide ad decipiendos simplices quosque jactatis expositionem? Quæ si vera est, cur abscondatur? si falsa, cur scribitur?* Et epistolâ *ad Ctesiphontem* ait: *Sola hæc heresis, quæ publicè erubescit loqui, quod secreto docere non metuit.*

Ne verò ipse hæresis redargueretur, ita venenum suis spargi in scriptis voluit, ut tamen suo carerent nomine, nec sibi voluit ea tribui, sed tantùm quibusdam viris sanctitate, & martyrio claris, ut majorem acquirerent apud populos authoritatem, hinc *in epist. ad Demetriad. Virgin.* nonnulli existimarunt scripta illa esse D. Ambrosii, & alii aliis viris sanctis eadem tribuerunt. Sed tandem ab Augustino, & Hieronymo cognita fuerunt, & Pelagio tributa, & ut illius assertiones impugnarunt, verùm Pelagius sub initium vel reticuit, vel negavit fuisse à se scripta illa exarata, &, ut hæreseos notam effugeret, suis injunxit Discipulis, ne sententiæ, quæ in iisdem continerentur assertivè proponerentur, sed tantùm disputativè, & sub quibusdam duntaxat dubiis, quasi rogavit, quid alii de iis sentirent, ut ex actis Concilii Carthaginensis, relatis à Baronio anno Christi 412. *n.* 24. constat, hinc Cœlestius palam fassus est, quæstiones illas fuisse à se editas, & nullam in se continere hæresin, paratum esse ostendere, hinc hæresis Pelagiana incepit è latebris erumpere sub diverso nomine, & eam oppugnare totis viribus conatus est D. Hieronymus, qui curaturus hunc morbum monstravit, & palam fecit ac vulnus, quo vera Catholicæ fidei vulnerabatur doctrina, detexit, quapropter Pelagianos, quicunque essent, palam ad certamen vocavit, rationemque sui dogmatis aperitè coëgit. Hinc illæ Hieronymi voces contra Pelagium, & ejus Discipulos, & Sectatores *in epist. ad Ctesiphontem: loquere, quod credis, publicè prædica, quòd secretò ad Discipulos loqueris? qui dicis, te habere arbitrii libertatem, quare non liberè, quod sentis, loqueris? Ecclesia victoria est, vos aperte dicere, quod sentitis, aut enim responsuri estis, quod & nos loquimur, & nequaquam eritis adversarii, sed amici. Aut si contraria nostro dogmati dixeritis, in eo vincemus, quod omnes cognoscent Ecclesiæ, quid sentiatis, sententias vestras prodidisse, superâsse est. Patet prima fronte blasphemia. Non necesse habet convinci, quod sua statim professione blasphemum est.* Neque erravit D. Hieronymus, sed quod desideravit, assecutus est, Pelagianis deinde palam hæresim propugnantibus, & ubilibet spargentibus, de quo ait Baronius anno 411. *n.* 46. meritò potest hic usurpari illud Job. *Obstetricante manu ejus eductus est de caverna coluber tortuosus, quem semel progressum in medium horrendum visu sui deformitatem serpentem mox Apostolici viri Apostolica doctrinæ jaculis penitus confecère.*

Hinc hæresis Pelagiana, quæ anno 405. cœpit à suo Authore evomi, ac quibusdam in Ægypto Monachis innotescere, ac per varios simplices Monachos suum propagare fœtorem malè decoctæ crapulæ, ac fœtidæ doctrinæ, anno postea 411. manifestè erupit, orbique Christiano exposita fuit, & à Hieronymo, aliisque Catholicis Doctoribus expugnari cœpit, præsertim post conversionem Timasii, & Jacobi è secta Pelagiana ad veram Catholicam fidem, hi enim duo Pelagii Discipuli ope D. Augustini ad Catholicos fideles transierunt, & isti eundem D. Augustinum de erroribus Pelagii expressiùs, magisque specifice monitum effecerunt, quapropter nactus fuit Augustinus occasionem, librum scribendi contra Pelagianos, cui titulus est *de natura, & gratia ad Timasium, & Jacobum*, & de hac utili conversione, ac manifestatione errorum Pelagii loquitur S. Doctor *epist. 95. ad Innocentium Papam*, ubi ait: *Misimus tuæ reverentiæ librum, quem dederunt Religiosi quidam, & honesti adolescentes servi Dei, quorum etiam nomina non tacemus; nam Timasius, & Jacobus vocantur, qui (sicut audivimus, & jam nosse, dignaris) ipsius Pelagii exhortatione spem, quam habebant in sæculo, reliquerunt, & nunc continenter Deo serviunt; qui cùm eodem errore tandem aliquando per qualemcunque operam nostram Domino inspirante caruissent, protulerunt eundem librum, Pelagii esse dicentes, &, ut ei responderent impendio, rogaverunt. Factum est. Ad eosdem rescripta est responsio, agentes gratias rescripserunt. Utrumque misimus, & cui responsum est, & quod responsum est.* Ejusdem operis etiam meminit *epist. 102. ad Evodium*, ubi ait: *Scripsi etiam grandem quendam librum adversus Pelagii hæresim, cogentibus nonnullis fratribus, contra gratiam Christi opinionem perniciosissimam ille persuaserat.*

Verùm ubi Pelagiana hæresis larvam deposuit, seque orbi Christiano, qualis fuerit, ostendit, statim contra hoc exortum in Ecclesia monstrum arma sumpserant Catholicæ Ecclesiæ Episcopi, & Doctores, hanc hæresin oppugnantes, & expugnantes, ut observavit Baronius anno 412. *n.* 26. Hinc hæresis Pelagiana damnata fuit primò in Synodo Diospolitana in persona non Pelagii, sed Joviniani, qui Pelagiano errori viam aperuit: siquidem tempo-

tempore Joviniani, Pelagius sub fidei Catholicæ pallio Romæ delitescebat, & ne detegeretur, Roma aufugit in Siciliam, postea trajecit mare, & in Palæstinam navigavit, ubi tutius potuit suæ hæresis venenum propinare simplicibus Monachis, & rudibus Eremiculis, adeo ut error Joviniani fuerit velut radix hæresis Pelagianæ, adeo ut ea Concilia, quæ errores damnârunt Joviniani, eadem etiam hæresim Pelagianam aboleverint, quapropter D. Hieronymus *lib.* 2. *contra Pelagium subinitio* alloquens Pelagium, sub persona tamen Critobuli ait: *Non erubescis explosam, atque damnatam Joviniani sententiam sequi? sed ille enim his testimoniis, tuisque nititur argumentis, imo tu illius inventa sectaris, in Oriente docere desiderans, quæ olim Romæ, dudum in Africa condemnata sunt.* Quamobrem Pelagiana hæresis damnata fuit ab Ecclesia Africana, seu in Concilio Carthaginensi anno 411. ut refert Baronius, & constat *ex epist. Synodali alterius Concilii Carthaginensis* celebrati anno 416. ad Innocentium Papam, & apud D. Augustinum *epist.* 90. ubi ait: *Factum est, ut recensendum peteremus, quid ante ferme quinquennium sub Cœlestii nomine, hinc apud Ecclesiam Carthaginensem fuerit agitatum*, ex quo colligitur, plura Concilia fuisse coacta ad hæresim Pelagianam radicitus extirpandam, & quia occasionem celebrandi hoc Concilium dedit Cœlestius Pelagii inter Discipulos primus, qui eo tempore luem Pelagianæ hæresis in Africa dilatare incepit, & fortassis manifestiùs, quàm desideraret ejus Magister, adeo ut opus fuerit eum adigere ad suas explicandas sententias, mentem examinare, & jam effusum venenum coërcere, & hujus Concilii quædam fragmenta producit D. Augustinus *de peccato Originali contra Pelagium lib.* 2. *cap.* 3. Verùm Concilium illud magis intendit, hæresim Pelagianam damnare circa statum Protoparentis, & peccatum Originale, quàm circa vires liberi arbitrii, hoc enim secundum præstitit Ecclesia Africana in subsequenti Concilio, ut videtur indicare epistola illa Synodalis, quæ utrumque punctum complectitur.

Verum dum hæc in Africa contra errores Pelagii fierent, ipse Pelagius in Palestina errores suos non sine proventu, & fructu disseminare liberius incepit, adeo, ut Catholici compatientes simplicibus Monachis, & indoctis Eremiculis, qui facilè hanc luem contrahebant, & inficiebantur hæresi, Episcopos monuerint, periculum esse imminens infectionis totius Ægypti, nisi, ne latius lues serperet, ipsi remedium adferrent, quod ut præstarent Diospoli, quæ est antiqua Lidda Palestinæ, congregata est Synodus, in qua finitimi Episcopi interfuerunt usque ad quatuordecim, quorum nomina recenset D. Augustinus *lib.* 1. *contra Pelagium cap.* 5. & celebrata fuit hæc Diospolitana Synodus anno 415., ut notat Baronius, & in ea adactus fuit Pelagius suos errores anathematizare; quod, cùm præstitisset, absolutus fuit, & inter Catholicos admissus. Sed Patres illius Synodi fefellit versutia Pelagii, qui tametsi simplex vocabulum gratiæ concesserit, quid verò nomine gratiæ ipse intellexerit, non aperuit: siquidem per vocabulum gratiæ intellexit ipse legem, & solam possibilitatem arbitrii, ut ex ejus tergiversationibus, quas adhibuit, apertè conjicitur, unde quamvis prædicti Episcopi sanctè se gesserint in damnanda Pelagii doctrina, non tamen præmiserunt debitum & exactum examen circa ejus personam, quem proinde facilè absolverunt, ut refert D. Augustinus *lib.* 2. *retract. cap.* 47. in quo sensu D. Hieronymus *epist.* 79. *ad Alipium* loquens de Pelagio absoluto à Concilio illo Diospolitano ait: *Quidquid in illa miserabili Synodo Diospolitana dixisse se denegat, in hac apertè confitetur.* Vocat eam Synodum miserabilem, non quia aliquid contra fidem decreverit, sed quia absolvendo absque prævio, & legitimo examine Pelagium, tot criminum reum erravit in facto, quatenus Pelagius dolosè agens, non aperuit Patribus, quid nomine gratiæ ipse intelligeret, supponentes Patres ipsum concedere gratiam, ut est donum supernaturale elevans naturam supra seipsam, ut operetur supernaturaliter in ordine ad salutem æternam, quapropter, cùm acta Concilii Diospolitani oblata fuissent Innocentio Papæ, ea noluit approbare, nec confirmare, sed rescripsit ad Patres illius Synodi: *Non possumus illorum Episcoporum, nec probare, nec confirmare judicium; cum nesciamus, utrum vera sint gesta, aut si vera sunt, constet, magis subterfugisse, quàm se tota veritate purgasse.* Refert hæc verba Pontificis D. Augustinus *lib.* 2. *de peccato origin. cap.* 8. ubi addit: *Fefellit enim judicium Palestinum ipse Pelagius: propterea ibi videtur esse purgatus. Romanam vero Ecclesiam, ubi eum esse notissimum scitis, fallere usquequaque non potuit; quamvis & hoc fuerit utrumque conatus, sed ut dixi, minimè valuit*: erravit enim Concilium illud in facto tantùm, eò quia Pelagius non aperuerit, quid nomine gratiæ intellexerit.

Unde post primum Concilium in Africa, aliud fuit Carthagine celebratum anno 416. Horosius enim, qui superiori anno manserat in Palestina apud D. Hieronymum, cùm novisset Synodum Diospolitanam erraffe in facto in absolutione Pelagii fallentis verborum involucris Patres illos, à quibus extorsit absolutionem, è Palestina discessit, & Africam appulit & cuncta, quæ in Palestina contigerunt in causa Pelagii, Episcopis aperuit Africanis, qui cognoscentes Pelagium, se absolutum deprædicantem, liberiùs sua venena spargere, orbémque universum inficere, Concilium iterum convocârunt, ut acta in Concilio Diospolitano rescinderentur, quapropter Carthagine indictum fuit Concilium, cui interfuerunt septuaginta septem Episcopi, qui Pelagium, & Cœlestium iterum anathematizarunt, & eorum hæreses condemnârunt, unde scripserunt ad Innocentium Papam, ut refert Augustinus *epist.* 90. *His ergo lectis, Pelagium, & Cœlestium Authores Nefarii prorsus, & ab omnibus nobis anathematizandi erroris advertimus*, & post pauca addunt: *Nisi hac apertissimè anathematizaverint, ipsos anathematizare oportet, ut si ipsorum non poterit, saltem eorum, qui decepti sunt ab eis, vel decipi possunt, cognita sententia, quæ in eos lata est, sanitas procuretur*, & quia timuerunt, ne acta Diospolitanæ Synodi à Romano Pontifice confirmarentur, ipsum rogârunt, ut stante errore facti, vellet Synodum illam reprobare, & Innocentius justæ annuens petitioni Pelagium, Cœlestium, eorúmque doctrinam condemnavit, ut liquet ex epistola ejusdem Innocentii ad Episcopos congregatos ibi in Concilio, recitatúrque ab Augustino, estque *epistola* 91. & meminit hujus Pontificiæ condemnationis D. Hieronymus *epist. ad Demetriadem*, & Gennadius *lib. de vir. illust.* addit, decretum scriptum ab Innocentio, promulgatum post ejus obitum fuisse à Zosimo ejus successore.

Eodem anno fuit in Africa per paucos menses aliud celebratum Concilium Milevi, quæ civitas est in Numidia, cui interfuerunt Episcopi 61. & diversum fuit ab alio Milevitano celebrato anno 402. ut rectè probat Baronius an. 402. & an. 416. & in hac Synodo iterum damnata fuit hæresis Pelagiana, & per novem editos canones eam radicitus extirpant. Et hæc alia Synodus epistolam etiam direxit ad Innocentium Papam, quem Patres rogârunt, ut vellet Diospolitanum in Palæstina coactum omnino reprobare, ac Pelagianismum damnare, & præsertim Pelagium, Cœlestium, aliosque Pelagianæ hæresis Fautores, & propugnatores, & Pontifex Pelagium, & Cœlestium damnavit, eorúmque hæreses, ut constat ex ejus epistola ad prædictum Concilium, quæ *est* 93. *apud Augustinum*, in qua Pontifex severiùs loquitur contra Pelagium, & Cœlestium, quam in alia epistola directa ad Concilium Carthaginense ante paucos menses celebratum Carthagine, ait enim Pontifex post computationem Pelagianæ hæresis *Pelagium, Cœlestiúmque, id est, Inventores vocum novarum, quæ, sicut dixit Apostolus 2. Timoth. ædificationis nihilum, sed magis vanissimas consueverunt parere quæstiones, Ecclesiastica communione privari, Apostolici rigoris authoritate censemus, donec resipiscant de Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur, secundum ipsius voluntatem; eosque interim dominico ovili non recipi, quod ipsi perversæ viæ secuti tramitem deserere voluerunt. Abscindendi sunt enim, qui vos conturbant, & volunt convertere evangelium Christi; simul autem præcipimus, ut quicunque id pertinaciæ simili defensare nituntur, par eos vindicta constringat.*

Pelagius verò id temporis, cum in Palæstina moraretur, & audisset, purgationem à se Diospoli factam, ab Innocentio Papa non fuisse admissam, omnem conatus est diligentiam adhibere, ut tandem hos assequeretur, misitque propterea litteras, quibus promisit, se imposterum plenè judicio sedis Apostolicæ obtemperaturum, & visus est apparenter resipuisse. Cœlestius itidem, cùm fuisset à Conciliis Africanis hæreseos damnatus, appellationem itidem interposuit ad Romanum Pontificem, seque Sedi Apostolicæ visus est totaliter subjecisse. Verùm cum anno 417. Kalend. Augusti Innocentius mortalem hanc vitam exuerit, & post paucos elapsos dies Zosimus natione Græcus subrogatus Innocentio fuerit, hæc rerum mutatio ansam præbuit Pelagianis, iterum animum, ac supercilium erigendi, magisque in propria pertinacia obduruerunt, quaproter variis fallaciis falsisque obsequiis in id incubuerunt studii, ut novum Pontificem ad confirmandam propriam purgationem Diospoli factam suscipiendam, & ipsos ab omni hæreseos suspicione absolvendos inducerent, quod quidem fucatis obsequiis, ac variis humiliationibus ex parte assecuti sunt, adeo enim humiliter promiserunt, se judicio Ecclesiæ Catholicæ submissuros, & ita callidè, ac astutè suos sciverunt errores obtegere, ut Zosimus eos tanquam Hæreticos damnare non voluerit, sed suspendere ex parte judicium, & exactiori examine causam Pelagianam discutere, ut refert Baronius anno Christi 417. qui ob plures causas Pontificem excusat, sed interim Episcopi Africani, qui in zelo fidei toti erant, ut hæresim Pelagianam pœnitus extinguerent, cùm hæc intellexissent, nonnisi ægro animo ferre potuerunt, præsertim quia Zosimus Cœlestium ad audientiam admiserit, cujus errores clari, & noti erant, quapropter sequenti anno 418. aliud congregârunt Concilium Carthagine, cui interfuerunt ducenti, & quatuordecim Episcopi, qui omnes professi sunt, se in omnibus amplecti decretum Innocentii contra Pelagianos anno præcedenti editum, & litteras direxerunt ad Zosimum, quem monuerunt, quantis cavillis, & fallaciis Pelagiani suum niterentur obtegere errorem, ne in publica præsertim confessione appareret, nitentes venenum clam spargere, quo remedium præsto non esset. Respondit Zosimus, se non inconsideratè, neque ex præcipitantia, sed magna attentione suspendisse judicium, & potius in aliud tempus sententiam condemnationis transtulisse, eò quia non expediret, ut Pelagius ejusque socii se humiliter subjicientes, ac promittentes, velle se Sedi Apostolicæ obtemperare, ac stare judicio, non discussa eorum causa, condemnarentur: Verba Pontificis in illa responsione fuerunt: *Nunquam temerè, quæ sunt diu tractanda, finiuntur, nec sine magna deliberatione statuendum est, quod summo debet judicio disceptari*, ut refert Baronius anno 418. n. 4. Unde jussit Zosimus coram se institui judicium, & causam Pelagii novo examine, novaque discussione exactiùs ventilari, ex parte enim Pelagianorum aderat Romæ Cœlestius, & ex parte Africani Concilii Paulinus Diaconus Carthaginensis, qui apertè ostendit errores, ac hæreses Pelagianorum, adeo ut post varias controversias Cœlestium inter, & Paulinum, Zosimus cognita veritate Pelagii ac Cœlestii condemnavit asserta, & sententia sanxit, quod nisi Pelagius & Cœlestius suos errores recognoscerent, faterentur, eosque execrarentur, ac agerent pœnitentiam, damnati toto orbe Christiano censerentur, cujus sententiæ, & Decreti meminit Gelasius Papa *epist. ad Episcopos Galliæ*, Gennadius *lib. de Ecclesiast. dog.* & D. Prosper *lib. contra Collatorem cap.* 10. & *cap.* 41. inquiens: *Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zosimus sententiæ suæ robur adnexuit; & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit Antistitum.*

Non tamen Pontificis sententia potis fuit Pelagianorum audaciam compescere, neque valuit eorundem procellam, præsertim in Oriente excitatam, componere: siquidem, cùm cognovissent, se ab Innocentio, Zosimo, & Conciliis Africanis hæreseos damnatos, ausi sunt Concilium petere Oecumenicum, cui interessent, ut Judices omnes Orientis, & Occidentis Episcopi, ut refert D. Augustinus *lib.* 4. *contra duas epist. Pelagii cap.* 12. inquiens: *Verùm istorum superbia, quæ tantum se extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari: hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur.* Nimirum à sententia lata in supremo tribunali appellârunt ad aliud inferius, ut novam audiret decisionem, quasi Pontifex docens ex cathedra, & ut Pastor docens fideles veritatem, esset errori obnoxius, posśetque fideles fallere, cùm Spiritus S. ei promiserit suam assistentiam, ne erraret, & Apostolus dicat, esse Ecclesiam in suo capite docente ex cathedra firmamentum, & columnam veritatis. Verùm Pelagianorum audaciam repressit Bonifacius I. qui Zosimo successit anno 419., qui non solùm propria usus est authoritate, verùm etiam potentiam movit sæcularium, seu Imperatorum, ut tandem incendium, quod excitaverant Pelagiani, extingueretur, ut refert D. Prosper *lib. contra Collatorem cap.* 41. inquiens: *Sanctæ memoriæ Bonifacius Piissimorum Imperatorum devo-*

*devotione gaudebat, & contra inimicos gratia Dei, non solum Apostolicis, verum etiam regiis utebatur edictis*; sed non acquiescentes Pelagiani iterum in Concilio Ephesino reclamârunt, sed à Patribus illius Concilii iterum damnati fuerunt, ut refert D. Prosper *lib. contra Collat* cap. 41. ubi ait: *Venerabilis memoria Pontifex Cælestinus, cui ad Catholica Ecclesia præsidium multa Dominus gratia sua dona largitus est, sciens damnatis non examen judicii, sed solum pœnitentia remedium esse præstandum; Cælestium, quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italia finibus fecit extrudi; adeo prædecessorum suorum statuta, & decreta Synodalia inviolabiliter servanda censebat, ut quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari*, & paucis interjectis. *Per hunc virum etiam Orientales Ecclesia gemina peste purgata sunt, quando quando Cyrillo Alexandrina Urbis Antistiti gloriosissimo Catholica fidei defensore ad execrandam Nestorii impietatem Apostolico auxiliatus est gladio: quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderantur erroribus, iterum posternerentur.* Hæc sunt præcipua, quæ ex historia Pelagianorum fusiùs descripta à Cardinale de Noris Baronio, & aliis potui decerpere.

# CAPUT IV.

## An Pelagius aliquas tandem admiserit gratias, & quales hæ fuerint?

TAmetsi sub initium suæ hæresis Pelagius omnem negaverit gratiam, qua homo, elevaretur ad statum supernaturalem, quia tamen undique à Catholicis potissimis premebatur argumentis, quibus respondere non valuit, tandem adactus fuit, gratiam aliquam concedere; verùm subdolè, & callidè semper, ut Catholicorum argumenta effugeret, etenim palam adactus fuit concedere necessariam esse ad salutem aliquam Dei gratiam: sed nomine gratiæ intelligebat ipsum liberum arbitrium, eò quia gratis à Deo creatum fuerit, & legem, qua vos dirigit, & gubernat prohibendo malum, & præcipiendo bonum, quæ duo nudè sumpta non habent rationem gratiæ adæquatè sufficientis, & necessariæ ad salutem, adeo ut hanc Pelagianorum gratiam passim repetat, & rejiciat D. Augustinus *lib. de hæresibus hæres.* 88. inquiens: *illam verò gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantùm ipso adjuvante per suam legem, & doctrinam, ut discamus, qua facere, & qua sperare debeamus.* Quamobrem Pelagiani asserebant, gratias necessarias ad salutem esse liberum arbitrium, quo possit homo operari, si velit bene, vel malè, & legem ostendentem, quo bona sint eligenda, & quæ mala declinanda: & in hoc consistebat Pelagianæ hæresis error, quia Pelagiani nomine gratiæ intelligebant ipsum liberum arbitrium, seu naturam hominis absque ullo supernaturali auxilio sufficere ad quæcunque opera virtutum exercenda, imò etiam ad servanda Dei mandata, rectéque vivendum absque ullo peccato, ac denique ad sibi promerendam æternam felicitatem, ut colligitur ex epistola ipsius Pelagii, quam direxerat ad Demetriadem nobilissimam Virginem *cap.* 2. ubi hæc habet: *Quoties mihi de institutione morum, & sancta vitæ conversatione dicendum est, solet primo humana naturæ vim, & qualitatem demonstrare, & quid effici possit, ostendere, ac jam inde audientis animum ad species incitare virtutum*; postea subdit: *Optima enim talia incitamenta sunt, cùm docetur aliquis posse, quod cupiat.* Qui error, quo adeo extolluntur vires naturæ, & liberi arbitrii, ut asserat, posse hanc absque subsidio gratiæ supernaturalis æternam sibi comparare beatitatem, rejicitur à D. Augustino *lib.* 3. *contra Julianum cap* 3. ubi ait: *Natura ista in tantas, & tam manifestas collapsa miserias, liberatorem, mandatorem, redemptorem Christum habet necessarium, non Julianum, non Cælestium, non Pelagii laudatorem.*

Verùm ut dicebam, ne Pelagius malè audiret apud Catholicos, eò quia omnem gratiam negaret, & declinandam hæresis notam, & rejectionem ab Ecclesia, hanc cœpit moderationem adhibere, ac asserere, ipsum liberum arbitrium gratiam esse, eò quia gratis à Deo nobis donetur, seu nullis nostris præcedentibus meritis. Et dixit hanc liberi arbitrii gratiam nobis necessariam esse ad rectè operandum, & peccata fugienda, eò quia sine libero arbitrio non possumus rectè agere, neque abstinere à malo. Quamobrem nomine liberi arbitrii intelligebat Pelagius donum intra limites naturæ, non verò gratiam ullam supernaturalem, à qua natura elevaretur ad ordinem supernaturalem, hinc docebat posse naturam suis duntaxat viribus innixam rectè operari in ordine ad assecutionem æternæ felicitatis.

Quia verò Catholici opponebant Pelagio præter liberum arbitrium adhuc necessariò requiri gratiam extrinsecus advenientem, ac elevantem naturam ad ordinem supernaturalem, adeo ut liberum arbitrium non sit ex se sufficiens, ut homo ad finem se promoveat supernaturalem, ac operetur sicut oportet, ideo Pelagius præter naturam, & liberum arbitrium, quæ sunt dona naturalia homini perquam intrinseca; excogitavit aliquod extrinsecum necessarium ad bona opera exercenda; & hanc gratiam extrinsecus advenientem, dixit nihil aliud esse, quam legem, & doctrinam divinitus traditam, cujus auxilio fatebatur hominem indigere, ut rectè operaretur, & malum declinaret, ut refert D. Augustinus *lib. de spiritu, & littera cap.* 2. *de Pelag.* ubi ait: *Cùm urgeri cœperint, quomodo id præsumant asserere fieri sine ope divina, reprimunt se, nec hanc vocem audent dimittere, quoniam vident, quàm sit impia, & non ferenda: sed ajunt, ideo ista sine ope divina non fieri, quia & hominem Deus creavit cum libero arbitrio voluntatis, & dando præcepta ipse docet, quemadmodum homini sit vivendum.* Imò adeo Pelagius hanc legis gratiam extollebat, ut asseruerit ejus beneficio naturam pristino restitui nitori: & in epistola, quam Pelagius scripsit ad Demetriadem, æquiparat legem limæ, inquiens: *Lege velut lima natura expolitur, pristinoque fulgori restituitur.* Quod enim proprium est gratiæ supernaturalis elevantis naturam ad statum supernaturalem, ut possit per opera, supernaturalia æternam consequi salutem, hoc Pelagius legi attribuebat, & addebant Pelagiani doctrinæ legis exempla Christi, & remissionem peccatorum, docentes: Ab Adamo usque ad Moysem sufficientem fuisse legem naturalem, quia propter adhuc perseverantem vigorem legis naturalis, & illæsam arbitrii libertatem, censuerunt non fuisse necessariam aliam gratiam: sed quia peccandi libido, morumque licentia, ac consuetudo sensim postea magis gliscebat, asserebant naturam mala educatione pravisque exemplis corruptam, indiguisse legis scriptæ subsidio, quam legem tradidit Deus per Moysem. Deinum

quia ob excedentem humani generis corruptionem, quæ peccandi assuetudine inoleverat, lex Mosaica non videbatur amplius sufficere ad piè, & sanctè vivendum, ideo asseruerunt fuisse necessariam aliam legem medicinalem, seu Evangelicam, quæ per virtutum exempla nos instrueret.

Hæc fuit præcipua Pelagianorum doctrina, quam Catholici confutarunt, eò quia gratia adjuvet infirmitatem arbitrii, cui suppeditat vires, quas promoveret ad executionem boni, adeo ut necesse sit, ut gratia supponat arbitrium, sitque aliquid ab eo diversum. Lex & legis cognitio tantùm habent indicare, quæ facienda sunt, & quæ declinanda, & ad illa hominem dirigere; non autem proprium est legis suppeditare virtutem, & qualitatem intrinsecus inhærentem, & adjuvantem potentias, easque elevantem, ut actus eliciant supra naturam: quapropter vel gratia adhuc negatur, tametsi asserant liberum arbitrium, & legem, vel quid aliud præter legem ejusque notitiam, debet concedi, cùm enim lex sit homini extrinseca, non potest eidem vires suppeditare, nec ejus potentias ad statum superiorem elevare; hinc D. Augustinus *lib. de hæresibus hæres.* 88. ait: *Pelagius increpatus à fratribus, quod tribueris adjutorio gratia Dei ad ejus mandata facienda, correctioni eorum hactenus cessit, ut eam non libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret dicens: ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam. Dicendo utique, ut faciliùs possint, voluit credi, & si difficiliùs, tamen posse hominem sine gratia divina facere jussa.* Quia igitur Pelagiani argumentis urgebantur Catholicorum, quod liberum arbitrium simul cum lege solo non sufficeret ad operandum in ordine ad assecutionem æternæ salutis, eò quia præter hæc duo requiritur aliud principium, quod elevet naturam ad statum supernaturalem, ejusque potentias afficiat, corroboret, elevet, & simul adjuvet ad rectè operandum, ideo Pelagiani videntes necessitatem elevandi naturam, ejusque potentias ad statum supernaturalem. Excogitaverunt hanc gratiam superadditam libero arbitrio, & legi esse simultaneum Dei concursum habitualem vel actualem, & auxilium sanctæ cogitationis, ut etiam auxilium sufficiens dans posse. Sed adhuc non attigerunt Pelagiani gratiam hanc supernaturalem, siquidem concursus simultaneus est, quod Deus concurrit juxta exigentias creaturarum, & quia hæc exigentia profluit à natura, cujus est naturalis proprietas exigere, quæ sibi consentanea sunt, ideo est ipse concursus est naturalis. Et licèt dubitent aliqui, an ipse Pelagius hunc concesserit simultaneum concursum Dei cum voluntate, aliisque causis creatis, plures tamen, præsertim Alvarez. *disput.* 1. *de auxiliis n.*21. Joannes de S. Thoma 1. *Tract. de volunt. Dei disput.* 3. *art.* 3. Zumer. *in præfat. hujus controversiæ.* & alii innitentes doctrinæ D. Augustini *in Enchirid. cap.* 32. ubi assumit illud Apostoli: *Non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei*; ait enim Augustinus, quia ex utroque fit, id est, ex voluntate hominis, & misericordia Dei, tanquam diceretur non sufficit sola voluntas hominis, nisi si non sit etiam misericordia Dei: unde ex Augustino Pelagiani concesserunt concursum ex utroque, scilicet ex Deo miserente, & homine volente, qui concursus Dei est simultaneus; sed D. Augustinus hoc concursu à Pelagianis ita admisso adhuc non fuit contentus, eò quia ajebat, necessarium esse majorem aliquem Dei influxum, scilicet adjuvantem, & promoventem, seu elevantem ad statum supernaturalem liberum hominis arbitrium, unde rejecta hac Pelagianorum interpretatione addit: Restat, ut propterea dictum intelligatur, non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei, ut totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam. Tum quia concursus Dei simultaneus est in actionem, & effectum, dicitur enim simultaneus, quia simul cum actione causæ tendit in effectum, non verò est influxus in causam, ut illam elevet, ac vires suppeditet supra ejus naturam & exigentiam, unde, cùm non se habeat ex parte causæ, sed tantùm actionis, & effectus, non est hic simultaneus concursus illa gratia supernaturalis, quæ afficit potentias naturæ, easque elevat ad statum supernaturalem, hinc D. Augustinus *lib.* 1. *contra duas epist. Pelagii cap.* 19. ait: *Dixisti, hominem in bono opere Dei gratia semper adjuvari, tanquam sua voluntate, nullâ Dei gratiâ bonum aggressus, in ipso jam opere divinitus adjuvetur.* Pelagiani autem illum semper negarunt concursum per quem putârunt tolli liberum hominis arbitrium ac impediri ne homo se ipsum regeret. Et quamvis Pelagius aliquando negaverit etiam hunc Dei concursum simultaneum, tamen intellexit de concursu præveniente determinationem arbitrii, & applicante potentias ad agendum, sed tantùm voluit esse concursum simultaneè influentem in operationes liberi arbitrii: sed Augustinus præter hunc modum concurrendi simultaneè asseruit cum aliis Sanctis Patribus alium concursum, quo Deus sua gratia præveniret potentiam, & actionem ejusdem, & per modum influxus moveret potentiam ad operandum, quia auxilium propriè dictum, non significat verum influxum in effectum, sed etiam operationem in causam, præbendo ipsi vires, aut suppositas vires præmovendo ad operandum, hoc enim pacto intelligitur, quomodo potentia juvetur in ordine ad operationem, & ejus effectum.

Quòd si dicas, Pelagium non negâsse eum concursum Dei, quem Augustinus statuit contra ipsum, & Augustinum *lib. de gratia, & libero arbitrio cap.* 31. *& lib.* 4. *contra Julianum cap.* 3. & alibi statuisse concursum actualem Dei ad bonos, & malos actus, qui concursus alius nequit intelligi, nisi generalis, & simultaneus, unde Pelagius hunc tantùm concursum non admisit; sed contra, quia absque ullo fundamento asseritur, quòd Pelagius negaverit omnem Dei concursum, quem Augustinus asseruit, quia non fuit ita cæcus, ut non videret, causas secundas sinè concursu primæ juxta proprias exigentias non posse operari. Quamobrem concursus, quem adstruit Augustinus non fuit ille generalis, quo causa prima concurrit cum secundis indifferenter ad actus bonos, & malos, sed per concursum simultaneum intellexit Augustinus, & jam efficaciter præoperantem ad entitatem materialem cujuslibet actionis creatæ, quem negavit Pelagius, eò quia putavit hunc concursum officere libero arbitrio.

Si dicas ad opus naturale temperantiæ aliud non requiri adjutorium, nisi concursum simultaneum: atqui Augustinus *epistola* 130. agens de Polemone, qui hortatu Xenocratis Philosophi Ethnici temperatè vixit, asserit ad prædictum actum necessarium fuisse Dei adjutorium, consequenter censuit Augustinus admittendum esse generalem, & simultaneum Dei concursum, quem verò similiùs est fuisse negatum à Pelagio. Sed contra quia ad temperantiam naturalem juxta doctrinam Augustini non solùm requiritur Dei simultaneus concursus à Pelagio admissus, sed etiam prævius applicans, ac præoperans, quem

quem semper Pelagiani negarunt. Hinc Augustinus *lib. 1. contra duas epist. Pelagii cap. 20. & de gratia, & libero arbitrio cap. 24.* agens de conversione Regis Assueri ab ira in mansuetudinem, quæ conversio fuit actus virtutis acquisitæ, dixit: *Occultissima, & efficacissima potestate cor Regis Deus convertit, & transtulit ab indignatione in lenitatem*: hæc autem nequeunt applicari concursui purè simultaneo, sed concursui præparanti, & promoventi cor hominis.

An verò Pelagius concesserit gratiam habitualem sanctificantem, aliqui negant, eò quia gratia habitualis, & dona infusa conferuntur propter actus supernaturales, perinde ac virtutes, & habitus naturales dantur propter operationes naturales, &, cùm Pelagius non concesserit actus supernaturales, & asseruerit omnes virtutum actus fieri posse per solas vires liberi arbitrii, inferunt, Pelagium unà cum actibus supernaturalibus negâsse etiam gratiam habitualem. Secundò quia Pelagius asseruit, Adamum nullum habuisse donum supernaturale, sed omnia fuisse in ipso naturalia, unde hoc idem censuit etiam de ejus filiis. Tertiò quia D. Augustinus, cui noti erant Pelagianorum errores, quos propterea impugnavit *lib. de gratia Christi cap. 30.* asseruit, se nunquam legisse in scriptis Pelagii, & Cœlestii gratiam, quæ nos justificat, & charitatem, quæ in cordibus nostris diffunditur per Spiritum Sanctum. Quòd si Pelagiani concessissent hanc gratiam habitualem, illius meminissent in suis scriptis.

Verùm probabiliùs censent alii, Pelagium & Pelagianos concessisse gratiam habitualem, seu qualitatem mundantem hominem à peccatis, eumque ornantem, & Sanctificantem in se ipso, ac præstantem jus ad regnum cœlorum, etenim Pelagium admisisse gratiam delentem peccatum, & inhærentem animæ, fatetur D. Augustinus *epist. 94. & 95.* & *lib. de natura, & gratia cap. 18.* ubi ait: *Fatetur tamen esse expianda peccata commissa, & pro eis Dominum exorandum esse, propter veniam scilicet promerendam.* & *lib. de gratia, & libero arbit. cap. 13.* ait: *Dicunt Pelagiani, gratiam Dei, quæ data est per Jesum Christum, quæ nec lex est, nec natura, ad hoc tantùm valere, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur.* Hæc autem gratia, quæ nobis datur per Jesum Christum, & distinguitur à natura, libero arbitrio, & lege, & valet ad remissionem peccatorum anteactæ vitæ, non verò ad peccata futura vitanda, est ipsa gratia habitualis, cujus munus est, inhærere animæ, delere peccata lethalia, & distingui à natura, & libero arbitrio, ac esse donum supernaturale mundans hominem à peccatis, eumque ornans, ac sanctificans in se ipso, cui dat jus ad æternam beatitudinem ergo ex Augustino Pelagiani non iverunt inficias gratiam Sanctificantem. Rursus quia Pelagius *epist. ad Demetriadem cap. 8.* asserit: Nos expiari sanguine Christi, & mundari: non mundaremur autem, nisi esset donum supernaturale, seu excedens vires totius naturæ. Tum quia D. Augustinus *lib. 2. de peccat. orig. cap. 5.* ex libello à Cœlestio Romam misso refert hæc verba: *Infantes debere baptizari in remissionem peccatorum secundùm evangelium confitemur, quia Dominus statuit regnum cœlorum, nonnisi baptizatis posse conferri: quod quia vires naturæ non habent, conferre necesse est gratiæ libertatem.* Cum igitur Pelagiani senserint infantes, & homines non posse æternam salutem consequi per vires solius naturæ, necesse est, eam consequantur per gratiam intrinsecus inhærentem, & quidem supernaturalem, consequenter distinctam à libero arbitrio, & lege. Hinc D. Augustinus *lib. de natura, & gratia cap. 18.* Cùm dixisset Pelagium confiteri gratiam remissionis peccatorum, postea subdit rationem: *quia id, quod factum est, infectum facere multum ab isto laudata potentia naturæ, & voluntas hominis etiam, ipso fatente, non potest: quare ista necessitate restat, ut oret dignosci*: hisce verbis explicabant Pelagiani excessum beneficii remissionis peccatorum supra naturam, adeo ut non fuerit solùm liberum arbitrium, sed gratia supra arbitrium, quæ inhærens homini eum mundaret, ornaret, sanctificaret in se ipso, & eidem daret jus ad regnum cœlorum; hinc Pelagius *epist. ad Demetriadem cap. 8.* ait: *Nos, qui instructi per Christi gratiam, & in meliorem hominem renati sumus, qui sanguine ejus expiati, atque emundati, illiusque exemplo ad perfectam justitiam incitati, meliores illis esse debemus, qui ante legem fuerunt, meliores etiam, quàm fuerint sub lege*; recenset enim effectus gratiæ habitualis, cujus beneficio homo renascitur, expiatur, mundatur, & melioratur, quatenus fit filius Dei adoptivus cum jure ad cœlestem hæreditatem. Præterea ex eo firmari potest, quia cùm Pelagiani non concederent peccatum Originale, & assererent Sacramentum baptismi utiliter adhiberi parvulis ob alios effectus, qui alii revera non sunt, nisi effectus gratiæ habitualis internæ, & sanctificantis, consequens est, illos concessisse gratiam habitualem Sanctificantem, cujus effectus admittebant: quapropter Augustinus *lib. contra Julianum cap. 6.* refert hæc ejus verba: *Vides, quot sunt baptismatis largitates! & nonnulli deputant cœlestem gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere, nos autem honores computavimus decem. Hac de causa etiam infantes baptizamus, cùm non sint inquinati peccato, ut eis detur, vel addatur Sanctificatio, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint.* Qui effectus sunt gratiæ habitualis, quam propterea non est dubium, quin Pelagiani concesserint.

Neque rationes in oppositum urgent, ad primam negatur consequentia, qua inferebant, non concessisse Pelagium gratiam habitualem, eò quia negaverit actus supernaturales, ex quibus confertur gratia habitualis, siquidem Pelagiani potuerunt illam admittere, tametsi actus supernaturales non concederent ob alios effectus, scilicet in remissionem peccatorum, in sanctificationem hominis, in ornatum animæ, & ob alios effectus, quos ipsi Pelagiani recensent, & concedunt. Non enim actus supernaturales erant effectus gratiæ sanctificantis apud Pelagianos, sed ipsa remissio peccatorum, Sanctificatio, & pulchritudo animæ, ut etiam alii effectus, quos recensent ipsi Pelagiani. Ad secundam etiam negatur consequentia, quia, tametsi Pelagiani dicerent, parvulos nasci sine peccato, &, quantum ad hoc, esse æquales Adæ in statu innocentiæ, adhuc tamen asserebant nunc concedi hominibus uberiora bona per Christum, inter quæ computabant gratiam sanctificantem, ut clarè expressit Pelagius *in epist. ad Demetriad.*

An verò Pelagius concesserit hanc gratiam remissivam peccatorum, seu habitualem inhærentem homini, esse donum supernaturale distinctum à fide, contritione, aliisque actibus, quibus justificatur homo, probabilior sententia affirmat; siquidem Pelagius fatebatur prædictam gratiam excedere vires naturæ, & pro ea obtinenda debere homines preces ad Deum fundere; quod non dixisset, si existimâsset, hujusmodi gratiam ab illis actibus non differre;

ſiquidem ipſe aſſeruit, ad eos ſufficere vires naturæ. Ajebat tamen prædictam gratiam cadere ſub aliquo merito fidei, ac aliarum noſtrarum operationum, quod non reprehenditur à D. Auguſtino, ut liquet *ex epiſt.* 106. ubi ait: *Si quis autem dixerit, quod gratiam bene operandi fides meretur, negare non poſſumus, imò verò gratiſſimè ſuſcipimus, hanc enim fidem volumus, habeant, qua impetrent charitatem.* Erravit tamen in eo Pelagius, quia docuit ad fidem, contritionem, & alios actus, quibus diſponitur ad illam gratiam, vel merendam, vel impetrandam, non requiri gratiam Dei, ſed ad eoſdem actus eliciendos ſufficere vires naturales liberi arbitrii.

Quærunt alii, an Pelagius etiam conceſſerit gratiam actualem internam ad auxilium Sanctæ cogitationis; hæc enim duo ita ſe mutuo complectuntur, ut unum nequeat in hac controverſia facilè ſeparari ab alio. Cum enim in homine plures dentur potentiæ internæ, intellectus ſcilicet, & voluntas, & interdum duas poſſe gratias interiores diſtingui, unam ex parte intellectus, quæ ipſum illuminat, & aliam ex parte voluntatis, quæ illam excitet, afficiat, tangat, inflammet: & hic voluntatis contactus etiam eſt duplex, moralis unus, ſitus in ipſa præſentia objectiva boni repræſentati allicientis, & trahentis ad ſe voluntatem, & alius Phyſicus, magis propriè dicitur contactus, eò quia fiat per realem voluntatis immutationem, & per communicationem virtutis, ac ſpiritus ſubminiſtrationem. Non deſunt, qui cenſeant Pelagium nunquam conceſſiſſe hanc gratiam actualem, interiorem, excitantem, allicientem, & trahentem voluntatem, ad bonum. Verùm ex D. Auguſtino colligitur, Pelagium præter gratiam habitualem conceſſiſſe etiam gratiam aliquam actualem interiorem conſiſtentem in ſancta cogitatione, qua moraliter voluntas excitatur, applicatúrque ad bonum, tametſi ob hoc à commendatione legis non receſſerit, neque veram gratiam conceſſerit. Neque in præſenti controverſia aliud poſſumus firmius fundamentum quærere, quàm D. Auguſtinum, qui eo tempore, & vixit, & egregiè ſcripſit contra errores omnes Pelagianorum, ait igitur Auguſtinus *lib. de gratia Chriſti cap.* 7. loquens de Pelagio: *Adjuvat, inquit, nos Deus per revelationem, & doctrinam, dum cordis noſtri oculos aperit, dum futura demonſtrat, dum Diaboli pandit inſidias, dum nos multiformi, ac ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat.* Conceſſit Pelagius gratiam cœleſtem noſtra illuminantem interiora, quæ gratia procul dubio eſt intrinſeca, diſtincta ab auxilio extrinſeco legis, ut oſtendit Auguſtinus ex verbis ipſis Pelagii, ut etiam ex iis, quæ immediatè ſubjungit; *Quam gratiam, non, ut tu putas, in lege tantummodo, ſed in Dei adjutorio eſſe, confitemur.* Rurſus *lib. de gratia Chriſti cap.* 41. ait Auguſtinus loquens de Pelagio: *Ipſum verò auxilium, quo poſſibilitatem noſtram perhibet adjuvari, in lege conſtituit, atque doctrina, quam etiam fatetur Sancto Spiritu revelari; propter quod & adorandum eſſe contendit:* atqui hæc revelatio doctrinæ, ob quam Spiritui Sancto debetur adoratio, non eſt purè externa, cùm hæc fieri poſſit ab homine, & Angelo, ſed eſſe debet interior, quæ immutet immediatè intellectum, quem illuſtret, clarificet, & videat, quæ antea non erant eidem explorata. Sed Auguſtinus diſputans cum Pelagianis de hac gratia internæ illuminationis, & cognitionis non altercatur, quia jam à Pelagianis concedebatur, ſed ulteriùs petebat auxilium, quod voluntatem tangeret, immutaret, & traheret ad bonum, ait ipſe *lib. de gratia Chriſti cap.* 24. *Legant ergo, & intelligant, intueantur, ac fateantur non lege, atque doctrina inſonante forinſecus, ſed interna, atque occulta, mirabili, atque ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum non ſolum veras revelationes, (quod vos Pelagiani conceditis) ſed etiam bonas voluntates.*

Quòd verò Pelagius etiam conceſſerit gratiam ſanctæ cogitationis moraliter excitantis, tangentis, & moventis voluntatem, etiam oſtenditur ex verbis ipſius Pelagii apud D. Auguſtinum *lib. de gratia Chriſti cap.* 10. ubi expendens verba illa Apoſtoli, *Deus operatur in nobis velle*, ajebat Pelagius: *Operatur in nobis velle, quod bonum eſt; velle quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & multorum more animalium tantummodo præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum ſolicitatione ſuccendit; dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſuſcitat voluntatem; dum nobis (quod tamen alibi ait Auguſtinus negare non metuit) ſuadet omne, quod bonum eſt:* atqui pia cogitatio quæ voluntatem ſuccendit, ad virtutem eamque ſuſcitat in Deum ſuadens ipſi omne quod bonum eſt, nequit non eſſe motio moraliter tangens, ac movens voluntatem, ut ex ipſis terminis liquet: Tum quia Pelagius fatetur apud Auguſtinum *loc. cit. cap.* 7. *Deum nos adjuvare per doctrinam, & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit, dum nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat, dum diaboli inſidias oſtendit, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat.* Unde loquitur de gratia interiori, ſeu de pia, & ſancta cogitatione moraliter excitante, ac movente voluntatem: ſiquidem cogitatio oculos aperiens, & oſtendens futura, voluntatem noſtram dicitur adjuvare, & quidem non aliter, niſi eam moraliter tangat, & excitet per motionem metaphoricam ex parte objecti, & ipſius cogitationis ſuadentis. Proinde de hac pia cogitatione loquens ſubdit: *Quam nos, non, ut tu putas, in lege tantummodo, ſed & in Dei eſſe adjutorio confitemur:* unde Pelagius argumentis D. Auguſtini convictus tandem conceſſit gratiam aliquam, quæ voluntatem excitaret, eamque moraliter moveret.

Quòd ſi dicas, Pelagium negâſſe, veram gratiam ab Auguſtino & Catholicis aſſertam, & cogitationem ſanctam excitantem, ac moventem moraliter voluntatem, eſſe veram & realem gratiam, quam admittebat Auguſtinus, proinde Pelagium hanc non conceſſiſſe. Contra diſtinguitur antecedens, non eſt vera gratia adæquatè ſumpta, qualem Auguſtinus prædicabat, quæ non ſolum ſuaſione alliceret, ſed etiam virtute moveret voluntatem intra illam operantem, conceditur: non fuit vera gratia inadæquatè ſumpta, negatur antecedens, & conſequentia, non enim eſt neceſſe, ut adæquatè complectatur omnes gratias ſupernaturales, ſed, ut ſit vera & realis gratia, ſatis eſt, ſi perficiat intrinſecè intellectum, inde negatur conſequentia, quia tametſi ſancta cogitatio, de qua eſt controverſia, ſit vera gratia, non tamen eſt tota, & adæquatè gratia, quam Auguſtinus, & Catholici aſſerebant: ſiquidem præter illam aſſerebant dari auxilium ſubminiſtrationis Spiritus in voluntate, cujus beneficio ejus infirmitas, ac defectibilitas roboraretur, ac infallibiliter cum opere bono conjungeretur: Pelagius autem primum conceſſit, poſterius negavit, propterea non ſatisfecit intentioni Auguſtini, à quo reprehenſus fuit.

Quòd verò Pelagius, asserendo hanc gratiam sanctæ cogitationis excitantis, ac moventis moraliter voluntatem, non recesserit à commendatione legis, & doctrinæ, neque concesserit veram & adæquatam gratiam, qualem D. Augustinus docuit, facilè demonstratur ex eodem Augustino *lib. de gratia Christi cap.* 10. ubi cum retulisset Pelagii verba: *operatur Deus in nobis velle, quod bonum est, velle, quod sanctum est*, statim addit: *Quid manifestius nihil eum dicere gratiam, qua Deus operatur in nobis velle, quod bonum est, quàm legem atque doctrinam?* & post pauca ait: *Istam aliquando fateatur gratiam, qua futura gloria magnitudo non solum promittitur verum etiam creditur, & speratur; nec solum revelatur sapientia, verum etiam & amatur: nec suadetur solum omne, quod bonum est, verum & persuadetur.* Ex quibus constat, Pelagium ex eo, quòd concesserit gratiam sanctæ cogitationis excitantis, & moventis moraliter voluntatem, minimè recessisse à commendatione legis, & doctrinæ, neque pervenisse ad confessionem illius gratiæ, quæ datur per subministrationem Spiritus, & virtutis corroborantis voluntatem in se ipsa, eámque moventis ad bonum. Ratio, qua Augustinus innitebatur erat, quia ex Sacris litteris illuminare, docere, ostendere bonum, allicere, ac movere Metaphoricè voluntatem ad illud prosequendum, sunt officia propria legis, & doctrinæ: dare autem vires, confortare debilitatem arbitrii, suppeditare potentiis auxilium, voluntatem reducere determinatè, & infallibiliter ad prosecutionem boni, procul dubio excedit vim legis, & doctrinæ: & pertinet ad aliquam subministrationem Spiritus virtutis, ac determinationis intra ipsam voluntatem, quibus voluntas non metaphoricè tantùm, sed propriè, ac realiter movetur: auxilium autem piè, & sanctæ cogitationis sumptum simpliciter, & ut præcisum à nova gratia subministrationis spiritus, & virtutis, solùm habet illuminare, docere, & ostendere bonum, & ad illud voluntatem allicere, ac metaphoricè movere: unde ex eo, quod Pelagius, & ejus asseclæ concesserint auxilium Sanctæ cogitationis, præstantis munera proximè relata, claret non recessisse à commendatione legis, & doctrinæ, nec pervenisse ad veram, & Catholicam gratiam adæquatè sumptam, & propriè dictam: hæc enim gratia tantam secum trahit virtutem ad movendam voluntatem, ut per eam dicatur *duritiei cordis primitus offerri, & reluctanti voluntati studium virtutis immitti*, ut loquitur D. Augustinus *lib. de prædestinat. Sanctor. cap.*8. Alii Sancti Patres non negarunt, Pelagium tandem admisisse hanc gratiam sanctæ cogitationis, sed ejus suasiones metaphoricas etiam attribuunt legi & doctrinæ, à quibus propterea ajunt Pelagium non recessisse. Quòd si dicas, Augustinum *lib. de prædest. Sanctor.* asserere Massilienses, seu Semipelagianos admisisse gratiam excitantem, quam Pelagius noluit concedere: proinde nec piam illam admisisse cogitationem. Contra quia Massilienses admiserunt gratiam excitantem, & prævenientem assertam ab Ecclesia, quæ voluntati aliquid immediatè imprimeret, quod Pelagius nunquam voluit concedere, & per hoc posuit Augustinus discrimen inter Pelagianos, & Massilienses, quia isti errarunt, asserendo prædictam gratiam inniti merito fidei, & orationis, quod non opus, sed initium bonorum operum appellabant, & ajebant ex solo libero arbitrio ortum trahere. Pelagiani verò negabant hanc gratiam imprimentem aliquid in volnntate, quia arbitrabantur, id perinde esse ac destruere liberum arbitrium.

Dices, Pelagium eam gratiam excitantem negasse, quam D. Augustinus asseruit; sed D. Augustinus constituit gratiam excitantem in vocatione congrua, seu in pia cogitatione movente, & alliciente voluntatem ad bonum, consequenter probabile non est, Pelagium talem gratiam admisisse, alioquin non disputâsset Augustinus contra Pelagium, nisi iste negasset gratiam, quam Augustinus asserebat. Minor, in qua sola videtur esse difficultas, ostenditur, quia D. Augustinus *lib. de spiritu, & littera cap.* 24. ait: *Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus, sive extrinsecus per Evangelicas exhortationes, sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate sua, quid ei venit in mentem, sed dissentire, vel assentire propria voluntatis est.* Ubi D. Augustinus totam gratiam excitantem ait sitam esse in suasione, qua posita sequitur immediatè voluntatis dissensus vel assensus, idque etiam docet *lib. 2. de peccator. meritis, & remissione cap.* 18. ubi asserit: *Ideo Deum aliquando non tribuere sanctis suis, vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non à se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminantur tenebræ eorum*, ex quibus infertur, Augustinum significare totam vim gratiæ ad movendam voluntatem consistere in notitia objecti facientis delectationem, seu allicientis voluntatem, eique suadentis bonum. Hoc idem etiam expressius significat *lib.* 1. *ad Simplicianum quæst.* 2. ubi tractans, quare non omnes vocati sequantur suam vocationem, ait: *An fortè, qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut & illud verum sit: Multi vocati, pauci verò electi, ut quamvis omnes aliquo modo vocati sint, tamen, quia non omnes eo modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capienda reperiuntur idonei, & illud non magis verum sit: igitur non volentis, & currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui sequuntur vocationem*, ubi Augustinus illius meminit mutationis, seu subministrationis Spiritus, qua voluntas afficiatur, ac immutetur, moveatúrque, sed vim totam excitandi voluntatem ad solam reducit vocationem, ac piam cogitationem ex parte intellectus, quatenus hæc pia cogitatio allicit voluntatem, cui suadet bonum, hoc autem totum se tenet ex parte intellectus à Deo illuminati, adeo ut gratia excitans asserta à D. Augustino consistat in hac sola illuminatione, seu pia cogitatione suadente voluntati bonum, atqui Pelagius eam gratiam negavit, quam Augustinus asseruit, ergo negavit gratiam excitantem consistere in hac pia cogitatione, quam propterea Pelagius negavit. Sed contra, quia tametsi Pelagius negaverit gratiam, quam asseruit Augustinus adæquatè, non tamen negavit gratiam inadæquatè sumptam, quia sicut in homine datur duplex potentia interna, scilicet intellectus, & voluntas, ita etiam duplex gratia, excitans, & præveniens, quæ duplex gratia est una tantùm adæquatè sumpta: si enim sumatur, ut tantùm se tenet ex parte intellectus, & consistit in pia illa cogitatione suadente voluntatis bonum, hæc dicitur quidem ab Augustino gratia excitans, sed inadæquatè sumpta, & hanc non negavit Pelagius, sed tantùm gratiam adæquatè sumptam, quam asseruit Augustinus, quo pacto Pelagius negavit gratiam, quam asseruit Augustinus, si sermo sit de gratia excitante adæquatè sumpta, non verò negavit gratiam inadæquatè sumptam. Dividitur enim gratia excitans in binas partes, perinde ac potentia interna in intellectu, & volunta-

luntatem, prior pars dicitur intellectum illuminare circa bonum, & voluntatem moraliter, & metaphoricè movere invitando, suadendo ad boni prosecutionem: & hæc est gratia Sanctæ cogitationis, quam Pelagius cum Catholicis tandem admisit: alia pars integrans adæquatè gratiam excitantem est, quæ voluntatem confortat in se ipsa, & non solùm moraliter, verum etiam Physicè eam movet, & conjungit infallibiliter cum amore boni propositi hæcque est gratia subministrationis spiritus, & virtutis, quam Augustinus asseruit, & Pelagius nunquam concessit: quando ergo D. Augustinus explicat gratiam excitantem per illuminationem, persuasionem, vocationem, tantùm loquitur de gratia excitante se tenente ex parte intellectûs, & cum dicit dissentire, & assentire esse propriæ voluntatis, loquitur de gratia afficiente, ac intrinsecè movente, informante, ac perficiente voluntatem, quam minimè Pelagius voluit concedere. Neque ex Augustini citatis locis quid aliud inferri potest: siquidem loca illa tantum evincunt, quod gratia excitans complectatur illustrationem intellectus, seu donum sanctæ cogitationis, non verò ostendunt gratiam excitantem adæquatè consistere in hac pia cogitatione, seu illuminatione intellectûs, excludendo gratiam intrinsecè afficientem, informantem, ac moventem voluntatem, in utraque enim gratia perficiente intellectum, & voluntatem ex Augustino consistit gratia excitans adæquatè sumpta, quam adæquationem negavit Pelagius, quatenus nullam ex parte voluntatis voluit gratiam concedere, asserens, sufficere vires liberi arbitrii, quod Augustinus negavit. Hanc fuisse veram Augustini doctrinam satis apertè pluribus in locis ostendit præsertim *lib. de Spiritu & litt. cap.* 3. ubi ait: *Nos dicimus humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam justitiam, ut præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam, quæ ei præcipitur, quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum Sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectióque summi illius, & incommutabilis boni. Nam nec liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via. Et, cum id, quod agendum, & quo nitendum est, cœperit non latere; nisi etiam delectet, & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur. Ut autem diligatur, charitas Dei diffunditur in nobis non per liberum arbitrium, quod surgit in nobis, sed per Spiritum Sanctum: qui datus est nobis.* Unde ex Augustino clarè constat, auxilium Dei vocantis, & excitantis voluntatem non consistere in sola manifestatione boni, nec in sola suasione, vel morali allicentia ex parte intellectus, sed magis ultimatè in charitate afficiente, informante, corroborante, & movente voluntatem, quam charitatem infundit Spiritus Sanctus in voluntatem, & bonum cognitum delectet, ac diligatur; hocque evidentiùs, ac clariùs docet idem Augustinus *lib. de gratia Christi cap.* 14. inquiens: *Quis non videat, & venire quemquam, & non venire arbitrio voluntatis? sed hoc arbitrium potest esse solùm, si non venit: non autem potest esse nisi adjutum, si venit: & sic adjutum, ut non solum quid faciendum sit, sciat, sed, quid fuerit, etiam faciat, ac per hoc, quando Deus docet, non per legis litteram, sed per spiritûs gratiam ita docet, ut, quod quisque didicerit, non tantùm cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.* Vult Augustinus, quòd tametsi homo à Deo vocatus veniat per liberum arbitrium, non tamen venit per solum liberum arbitrium, sed per ipsum, ut adjutum, corroboratum Spiritus S. gratiâ, quæ non tantùm doceat, quid faciendum sit, quod pertinet ad gratiam sanctæ cogitationis, sed etiam faciat, voluntatem facere, quod spectat ad gratiam subministrationis Spiritus S. & virtutis, quapropter dissentiebat Pelagius ab Augustino, quia tametsi uterque concesserit gratiam excitantem inadæquatè sumptam seu piam cogitationem ex parte intellectûs allicientem voluntatem ad bonum, eique suadentem executionem ejusdem boni, Augustinus tamen ulterius ex parte voluntatis asseruit aliud donum supernaturale, seu gratiam in voluntatem effusam per Spiritum Sanctum, quod donum negavit Pelagius, docens, ex parte voluntatis sufficere vires liberi arbitrii positâ illâ illuminatione alliciente ex parte intellectus, adeo ut negaverit gratiam excitantem adæquatè sumptam, quam asseruit Augustinus.

Quod Pelagius ex parte voluntatis non admiserit nisi vires solius liberi arbitrii, & excluserit omne donum supernaturale, liquet ex omnibus Conciliis coactis contra Pelagium; nam in Synodo Palæstina, ubi Pelagius dolosè errorem suum retractavit, aiunt Patres illi Pelagium docuisse: *Arbitrium nostrum liberum non esse, si Dei egeat auxilio, victoriam nostram non ex Dei adjutorio esse, sed ex libero arbitrio,* ex qua Synodo satis apertè constat, Pelagium negasse gratiam supernaturalem ex parte voluntatis, ne læderetur in homine liberum arbitrium, se tenens ex parte voluntatis, unde ex solo timore, ne vires diminuerentur liberi arbitrii, negavit, donum gratiæ in voluntate: hanc fuisse Pelagii doctrinam, constat etiam ex Synodica epistola Concilii Carthaginensis ad Innocentium, quæ est 90. inter epistolas D. Augustini, ubi Patres Africani ajunt: *Id agebant damnabilibus suis disputationibus, ut non defendendo, sed in sacrilegam superbiam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquerent locum gratiæ Dei, qua Christiani sumus.* Unde etiam ex Concilio Carthaginensi constat, Pelagianorum gratiam excitantem non requiri necessariò ex parte voluntatis ad opera bona exercenda, eò quia ad hæc sufficientes vires habeat liberum arbitrium absque alio superveniente auxilio ex parte voluntatis. Patres itidem Africani loquentes de Pelagianis ajunt in epistola Synodica ad Innocentium: *Pelagiani autem asserunt, Dei gratiam in eo esse deputandam, quod talem hominis instituit creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei posset implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris exaratam.* Rursus in epistola Synodica Concilii Milevitani directa ad eundem Innocentium, & est 92. inter illas Augustini, loquentes Patres de iisdem Pelagianis, ajunt: *Isti asserunt, posse hominem in hac vita præceptis Dei cognitis ad tantam perfectionem justitiæ pervenire sine auxilio gratiæ Salvatoris per solum liberum arbitrium.* Unde constat, Pelagium, ejusque asseclas tantùm admisisse piam cogitationem, & illustrationem ex parte intellectus ostendentem bonum voluntati, eámque allicientem, ut bonum illud prosequatur, non verò concessisse ullam gratiam supernaturalem superadditam voluntati, ne liberum arbitrium læderetur, cui tantas concesserunt vires, ut absque alio adminiculo posset actus supernaturales elicere, & opus bonum efficere.

Hactenus ostendimus, quomodo Pelagius negaverit gratiam excitantem ex parte voluntatis, quam D. Augustinus asseruit, licet uterque admiserit piam illam cogitationem, seu illuminationem ex parte intellectus, qua bonum ostenditur voluntati, superest, nunc

nunc examinandum, an Pelagius concesserit gratiam sufficientem, seu auxilium supernaturale sufficiens ad operandum. Dicitur enim gratia sufficiens, quatenus dat posse agere; & complet illud posse, integrátque actum primum. Et communior sententia asserit à Pelagio hanc sufficientem gratiam fuisse admissam, quamvis pluribus limitationibus, quæ veram prædicti auxilii deprimebant naturam, & proprietates negarent. Quòd enim Pelagius admiserit auxilium hoc sufficiens, seu donum præstans, & complens ipsum posse, ac virtutem liberi arbitrii in actu primo (abstrahendo ab imperfectionibus, quibus prædictum adjutorium enervabat) ostenditur ex D. Augustino: siquidem *lib. de gratia Christi cap.* 5. de Pelagio ait: *Scire quippe debemus, quòd nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio: sed solam possibilitatem voluntatis, atque operis, quam solum ex his tribus nos habere affirmat, ex Deo, tanquam hoc sit infirmum, quod ipse Deus posuit in natura: cætera verò duo, quæ nostra esse voluit, ita sint firma & fortia, sibique sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio, & ideo non adjuvet, ut velimus, non adjuvet, ut agamus; sed tantummodo adjuvat, ut velle, & agere valeamus, sed* id quo quis adjuvatur, ut valeat agere, non verò ut agat, auxilium est sufficiens, præstans complementum ad agendum in actu primo, non verò ipsam actionem. Rursus eodem *lib. cap.* 4. refert, Pelagium distinxisse hæc tria, posse, velle & agere, seu potentiam, voluntatem, & opus, postea introducit Pelagium ita loquentem: *Ergo in voluntate, & opere bono laus hominis est, imò & hominis & Dei, qui ipsius voluntatis, & operis possibilitatem dedit; quique possibilitatem gratiæ suæ adjuvat semper auxilio.* Unde concedit Pelagius auxilium adjuvans possibilitatem, & complens in actu primo potestatem arbitrii, propterea concessit adjutorium illud, ut conferret arbitrio potestatem, seu potiùs potestatis complementum in actu primo in ordine ad promerenda opera salutaria, quod est minus proprium auxilii sufficientis. Hinc Augustinus *lib. de gratia Christi cap.* 14. ait: *Venire posse, in natura ponit Pelagius, vel etiam, ut modo dicere cœpit, in gratia, qualibet eam sentiat, qua, ut ipse dicit, possibilitas adjuvetur.* Hoc idem etiam asserit *cap.* 47. *ejusdem libri* supponendo enim auxilium sufficiens, seu ipsum posse possibilitatis, ac liberi arbitrii concedi à Pelagio, mox concludit: *quapropter quantum attinet ad istam de divina gratia & adjutorio quæstionem; quia ista, quæ apertissimè distinxit, attendite, posse, velle, esse, id est, possibilitatem, voluntatem, actionem: si ergo consenserit nobis non solùm possibilitatem in homine, etiam si nec velit, nec agat, sed ipsam quoque voluntatem, & actionem, id est, ut bene velimus, & agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando bene vult, & bene agit: si, ut dixi consentiat, ipsam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil benè velimus, & agamus, eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum Dominum Nostrum, in qua nos suâ, non nostrâ justitiâ justos faciat: nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur.* Quòd si Pelagius non concederet auxilium sufficiens, dans posse opera salutaria efficere, adhuc plurimum superesset controversiæ inter ipsum, & Catholicos: siquidem non sufficit confiteri auxilium efficax pertinens ad volitionem, & actionem, sed necesse est, concedere auxilium sufficiens, quo det proximum posse, & ad potestatem pertineat agendi. Unde nulli dubium, quin Pelagius concesserit auxilium sufficiens, seu donum præstans, & complens posse, ac virtutem liberi arbitrii in actu primo.

Verùm, quòd per limitationes hoc donum fermè destruxerit, ex eo liquet, primò, quia sentiebat prædictam gratiam sufficientem dari ex meritis præcedentibus, quamvis non ausus fuerit, palam id asserere, etenim ut ait Augustinus *lib.* 1. *contra duas epist. Pelagian. cap.* 4. *timuit Episcopale judicium palæstinum, &, cùm ei fuisset objectum, quod diceret gratiam Dei secundùm merita nostra dari, negavit, se dicere, & eos, qui hoc dicerent, anathematizando damnavit.* Sed quòd aliter in se judicaverit, ex iis constat, quæ immediatè subjungit D. Augustinus, inquiens: *Nec aliud tamen defendere invenitur in libris, quos postmodum scripsit, fraudem se putans hominibus judicantibus fecisse, mentiendo, aut nescio, quomodo suum sensum verbis ambiguis obtegendo.* Unde ex eo, quòd asseruerit, hanc gratiam sufficientem dari ex meritis præcedentibus, destruebat, quod asserebat, scilicet ipsam gratiam, quia si est gratia, ut ait Apostolus, non ex meritis datur, sed omnino gratis impertitur. Cæterum Pelagius merita præcedentia ipsam gratiam ajebat consistere in fide, & desiderio boni, quæ merita voluit procedere ex solo libero arbitrio suis innixo naturalibus viribus; hinc non posuit hæc merita inter opera bona, sed asseruit, esse initia bene operandi, ex quo inferebat D. Augustinus, gratiam ex sensu Pelagii dari ex meritis, ait enim ipse *lib. de gratia Christi c.* 8. *Si enim sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum; cui tanquam ex debito gratiæ veniat adjutorium, Ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed meritum nostrum dabitur.* Rursus limitavit Pelagius gratiam sufficientem, eò quia asseruit, non esse necessariam simpliciter, sed tantùm ad posse facilius, ut refert D. Augustinus *lib. de gratia Christi cap.* 7. ubi introducit Pelagium asserentem: *Quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, faciliùs possunt per gratiam implere*, unde tantùm ad faciliùs posse concessit gratiam sufficientem, concedens libero arbitrio sufficientes vires ad posse etiam sine gratia sufficiente, quam tantùm voluit concedere ad facilius posse. Rursus *cap.* 20. Augustinus refert hæc Pelagii verba: *Divinam mereamur gratiam, ut faciliùs nequam spiritui Spiritus Sancti auxilio resistamus*, & statim subjungit: *In quibus ejus verbis manifestum est, ita eum velle nos adjuvare gratia Spiritus Sancti; non quia sine illo etiam per solam naturæ possibilitatem non possimus resistere tentatori; sed ut faciliùs resistamus.* Quamobrem per hos limitationes Pelagius destruebat gratiam sufficientem, quam adstruebat.

An verò Pelagius etiam aliquando admiserit gratiam efficacem, dubitant nonnulli: dicitur gratia efficax, quia infallibiliter infert operationem nostram, est enim, qua Deus homines ex nolentibus vel ex non volentibus facit volentes, ut passim loquitur D. Augustinus. Deus enim præter adjutorium, quo dat hominibus vires, & proximam potestatem bene operandi, adjuvat etiam in opere faciendo voluntatem facere, quatenus eam infallibiliter trahit ad exercitium operis; ab hoc enim actuali exercitio dicitur gratia efficax. Concedunt plures, Pelagium admisisse hoc auxilium supernaturale efficax, inter quos Jansenius *lib.* 6. *de heresi Pelag. cap.* 1. Joannes Gonzales *disput.* 68. *conclus.* 4. Verùm isti addunt, Pelagium corrupisse conditionem prædicti auxilii, eò quia asseruerit dari ex præcedentibus meritis, & non esse necessarium simpliciter ad bene operandum,

ſed tantum deſervire ad faciliùs operari, idque probant ex textu D. Auguſtino *lib. de gratia Chriſti c.*23. ubi referens verba Pelagii ait: *Qui currit ad Deum, & à Deo ſe regi cupit, id eſt, voluntatem ſuam ex ejus voluntate ſuſpendit; qui ei adhærendo jugiter unus ſecundum Apoſtolum cum eo ſit Spiritus; non hoc niſi de arbitrii efficit voluntate, qua qui bene utitur, ita ſe totum tradit Deo, omnémque ſuam mortificat voluntatem, ut cum Apoſtolo poſſit dicere, vivo ego jam non ego, vivit autem in me Chriſtus, ponitque cor ſuum in manu Dei, ut illud, quo voluerit, Deus ipſe declinet:* atqui auxilium, per quod Deus vult, prout vult, & cor noſtrum inclinat, eſt auxilium, quod nectitur cum ipſa operatione, conſequenter eſt gratia efficax efficax pertinens, non ad poſſe, ſed ad agere; ideoque Auguſtinus cognoſcens, aſſertam à Pelagio gratiam efficacem eſſe, ait: *Magnum profectò adjutorium divinæ gratiæ, ut cor noſtrum, quo voluerit, Deus ipſe declinet*, unde Pelagius non viſus eſt negaſſe gratiam efficacem, tametſi per additas conditiones eam deſtruxerit, ajebat enim hanc gratiam nobis dari ex meritis, quæ merita ajebat conſiſtere in fide, & deſiderio boni, ut declaravit Auguſtinus *de gratia Chriſti cap.* 23. inquiens: *Sed hoc tam magnum adjutorium ſicut iſte deſipit, tunc meremur, cùm ſine ullo adjutorio, nonniſi de arbitrii libertate ad Dominum currimus, ab eo nos regi cupimus, voluntatem noſtram ex ejus voluntate ſuſpendimus, eique adhærendo jugiter unus cum eo efficimur Spiritus. Hæc ſcilicet tam ingentia bona nonniſi arbitrii ſecundùm iſtum afficimur libertate, ut his præcedentibus meritis, ſic ejus gratiam conſequamur, ut cor noſtrum, quò voluerit, Deus ipſe declinet.* Pelagianos conceſſiſſe gratiam efficacem, ut liberum arbitrium facilius operaretur bonum, aſſerit itidem Auguſtinus *ſerm.* 13. *de verbis Apoſtoli cap.* 11. ubi ſermonem inſtituens de Pelagianis ait: *Jam verò dicant, adjutorium eſſe gratiam ad faciliùs faciendum, iſta ſunt verba illorum: Ad hoc dedit, inquiunt, Deus gratiam ſuam hominibus, ut quod facere jubentur, per liberum arbitrium faciliùs implere poſſint per gratiam, velo facilius, remo difficilius, tamen & remo itur: jumento facilius, pedibus difficiliùs, ſed tamen & pedibus pervenitur. Quomodo ſi aliquis dicat remis quidem pervenimus, ſed cum labore; at ſi ventum habeamus, faciliùs pervenimus.* Ex quibus claret, Pelagianos conceſſiſſe auxilium efficax, ſeu pertinens ad opus, quamvis in hoc erraverint, ut cenſuerint hoc auxilium non eſſe neceſſe, niſi ad faciliùs operandum, propterea refelluntur ab Auguſtino, inquiente contra ipſos: *Non ſic loquitur verus Magiſter, idemque Salvator, ſed ait: ſine me nihil poteſtis facere*, hoc eſt, ſine divino auxilio, & quidem ſupernaturali, non poteſt creatura ullum opus facere in ordine ad aſſecutionem æternæ ſalutis, adeo ut liberum arbitrium cum ſolis ſuis naturalibus viribus nequeat etiam difficulter quidquam agere ſupernaturale in ordine ad ſalutem æternam, quia ſine Dei adjutorio non poteſt elevari ad ſtatum ſupernaturalem, nec quidquam ſupernaturaliter agere, ſed ad id eſt ſimpliciter neceſſarium Dei adjutorium, à quo elevetur ad ſtatum ſupernaturalem & corroboretur, ſimulque juvetur ad piè & ſanctè operandum, cùm Chriſtus dicat, Sinè me nihil poteſtis facere; hinc Auguſtinus *lib. de gratia Chriſti cap.* 27. loquens de Pelagio ait: *In libro quippe ad virginem Sacram, cùm dicit: divinam mereamur gratiam, ut faciliùs Spiritui nequam Sancti Spiritus auxilio reſiſtamus; ſignificat profectò, quid ſapiat. Ut quid enim hoc verbum interpoſuit, ideſt facilius? an verò non erat integer ſenſus, ut nequam Spiritui Sancti Spiritus auxilio reſiſtamus? ſed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat?* Quibus verbis ſignificat Auguſtinus, quod ſi Pelagius reticuiſſet verbum illud *faciliùs*, verum dixiſſet, & Catholicam doctrinam exhibuiſſet, ſed quia libero arbitrio vires dedit abſque gratia efficaci ad operandum bonum in ordine ſupernaturali, & ad ſalutis æternæ conſecutionem, ideo totum deſtruxit & ſuam hæreſim palam aſſeruit.

Hinc probabiliùs cenſent alii, Pelagium, & ejus aſſeclas nunquam conceſſiſſe gratiam efficacem, etiam ſuppoſitis illis modificationibus, quibus aſſerebat, nobis dari ex meritis præcedentibus provenientibus ex fide, & deſiderio boni. Ratio ea eſt, quia auxilium efficax definitur, quo Deus infallibiliter infert operationem noſtram, faciendo homines ex nolentibus, vel ex non volentibus volentes, ſed Pelagius nunquam conceſſit hoc adjutorium quin potiùs illud ſemper excluſit, ut impediens, imò & deſtruens liberum arbitrium, quod poſita gratia hoc pacto deſcripta adigeretur ad unum contra rationem libertatis, ergo Pelagius, ut propugnaret liberum arbitrium, expugnavit adjutorium hoc efficax. Minor ſuadetur ex verbis Auguſtini, ſiquidem *epiſt.* 107. *ad Vitalem*, Pelagianiſmum impugnans ait: *Quid eſt ergo, quod ait Apoſtolus, Deus operatur in nobis & velle & perficere? reſpondes per legem ſuam, per ſcripturam ſuam Deum operari, ut velimus, quam vel legimus, vel audimus. Sed ei conſentire, vel non conſentire, ita noſtrum eſt, ut ſi velimus, fiat; ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Operatur quippe ille, dicis, quantum in ipſo eſt, ut velimus, cùm nota fiunt nobis ejus eloquia: ſed ſi eis acquieſcere nolumus; nos, ut operatio ejus nihil in nobis proſit, efficimus.* Et ſtatim ſubjungit D. Auguſtinus, *quæ ſi dicis profectò noſtris orationibus contradicis*, hinc D. Auguſtinus clarè oſtendit, Pelagianos non conceſſiſſe auxilium efficax, quod infallibiliter infert operationem voluntatis, ne libertas arbitrii ab hoc auxilio minueretur; ſed aſſeruiſſe, omnem gratiam Dei ſubjici determinationi liberi arbitrii, ſe applicantis ad opus, quod eſt ad vitæ auxilium ſufficiens, præſtans ac complens ipſum poſſe, non verò efficax, quod det operari. Rurſus Auguſtinus *lib. de gratia Chriſti, & lib. 2. retract. cap.* 50. apertè etiam oſtendit, Pelagianos abhorruiſſe à gratia efficaci, etenim poſtquam eorum hæreſis damnata fuit ab Innocentio I. & Zoſimo ejus Succeſſore, ait *lib. de gratia Chriſti cap.* 25. *Deſinat Pelagius, dicere, quod poſſumus omne bonum facere, dicere, cogitare; illius eſt, qui hoc poſſe donavit, qui hoc poſſe adjuvat: quod verò vel bene agimus, vel loquimur, vel cogitamus, noſtrum eſt. Deſinat, inquam, iſta dicere: non ſolùm enim Deus poſſe noſtrum donavit, atque adjuvat, ſed etiam velle, & operari operatur in nobis*, hæc autem correctio inutilis fuiſſet, ac injuſta, ſi Pelagius admiſiſſet non ſolùm auxilium ſufficiens, ſeu poſſibilitatis, ac ipſum poſſe in actu primo, verum etiam auxilium efficax, quod nectitur cum ipſa actione, & quo liberum arbitrium ſe determinat ad unum, & aliud omittit: hinc nonnullis intellectis; ſubjungit Auguſtinus: *Quomodo dicit liberi arbitrii elatus aſſertor, quòd poſſumus bene cogitare, Dei eſt; quod autem bene cogitemus, noſtrum eſt? cui reſpondet humilis gratiæ prædicator: non quia idonei ſumus*

co-

*cogitare aliquid à nobis, quasi in nobismet ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quòd si sufficientia nostra habetur ex Dei adjutorio, à fortiori ipsum exercitium sufficientiæ, seu ipsa operatio pia, & sancta, adeo ut possibilitas semper divino adjuvetur auxilio, ut piam, & sanctam eliciat actionem; hinc ait Augustinus *lib. de gratia Christi cap.* 47. *Si ergo consenserit nobis non solam possibilitatem in homine, etiam si nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem, & actionem divinitus adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque esse gratiam per Jesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostrâ justitia justos faciat, ut sit vera nostra justitia, quæ nobis ab illo est: nihil de adjutorio gratiæ, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur*: ex quibus conjicitur Pelagium concessisse quidem adjutorium sufficiens ad posse, semper tamen negasse auxilium efficax ad operari, & quòd Deus ex nolentibus vel non volentibus faciat volentes.

Neque obstat, Pelagium admisisse auxilium, quo Deus, prout vult, cor nostrum declinat ad operandum, quia per præfata illa verba non significavit auxilium, quo Deus causaliter, & efficaciter cor nostrum moveret ad operandum, sed tantùm quandam specialem, & internam illustrationem, quæ voluntati suadet, bene agere, eamque allicit ad rectè operandum, quod perinde est, quòd moraliter moveret cor nostrum, & quia hæc interna illuminatio est speciale donum Dei, habetque in suo genere, quantum est de se, magnum effectum, seu inclinare cor, ideo à D. Augustino dicebatur magnum auxilium respectivè ad alia minora nobis impertita, quæque Pelagius concedebat. Hinc ait Augustinus *lib. de gratia Christi cap.* 7. præmissis verbis Pelagii *Gratiam nos non, ut tu putas, in lege tantummodò, sed & in Dei esse adjutorio confitemur*, & addit: *Quis non desideret, ut ostendat, quam vult intelligi, gratiam? hoc enim de illo expectare debebamus, ut dicat hoc, quod dicit, non in lege tantummodò se gratiam confiteri sed nobis hac expectatione suspensis, quod addiderit, intuemini. Adjuvat enim nos, inquit, Deus per doctrinam, & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum diaboli pandit insidias* ex verbis istis constat, magnum illud adjutorium à Pelagio concessum, cujus Augustinus meminit, ex sententia Pelagii non esse, nisi specialem aliquam intellectus illustrationem, quæ moraliter tantùm cor inclinat, non autem causaliter, & efficienter ex nolentibus, seu ex non volentibus faciat volentes, quod proprium est gratiæ efficacis.

Secundùm itidem Pelagii assertum ostendi, ipsum negasse gratiam efficacem; ait enim, *ut quod facere per liberum arbitrium jubentur, facilius implere possint per gratiam.* Quòd si facilius, ergo liberum arbitrium vires habet sufficientes ad easdem actiones eliciendas sine gratia, licèt difficiliùs, non faciliùs, quod est hæresis Pelagiana, qua libero arbitrio tribuit operari, ac producere actiones conducentes ad salutem æternam sine gratia.

# CAPUT V.

## De hæresi, & erroribus Semi-Pelagianorum.

Sicut hæresis Pelagianorum fuit ramusculus Origenistæ hæresis, ut loquitur D. Hieronymus, ita Semipelagianorum errores putridi fuerunt rivuli, qui ex infecto Pelagianorum fonte scaturierunt; ait enim D. Hieronymus, Semipelagianorum errores ex hæresi Pelagianorum veluti ex vitiata radice mala germina succrevisse.

Hinc post convictum, præsertim operâ Augustini, qui multum impendit laboris, ac studii, Pelagii errorem: Semipelagianorum ortæ sunt turbæ, Classicum occinentes pro hæresi propugnanda Semipelagianorum, servata enim ex parte veritate Catholica de necessitate gratiæ, adhæserunt etiam ex parte hæresi Pelagianorum, quatenus docuerunt initium benefaciendi esse in nobis seu posse naturam, & liberum arbitrium suis duntaxat innixum viribus, se disponere ad primam gratiam supernaturalem, & ad operandum, sicut oportet in ordine ad assecutionem beatitudinis supernaturalis; & per hoc visi sunt adhæsisse hæresi Pelagianorum, à qua tamen per hoc dissentiebant; quia cum Catholicis sentirent, consummationem boni operis totam esse à Deo; ut refert D. Thomas 1. *part. quæst.* 23. *art.* 5. Ubi notat, Semipelagianos voluisse quandam voluntatem imperfectam salutis, & fidei elici à nobis sine gratia; & per quam moveretur Deus ad conferendam gratiam, quapropter concludebant, gratiam Dei semper nobis dari ratione alicujus prævii meriti, ut colligitur ex Conciliis coactis contra Semipelagianos.

Prima hujus hæresis origo fuit in Africa, ubi ita flagravit, ut etiam Gallos accenderit, & marino tractu trajecto hæc pestis Massilienses primum infecit; & postea alios finitimos populos in Provincia, & Gallia, etenim in Africa, cùm aliqui legerint, ac perversè intellexerint scripta D. Augustini contra Pelagium, ita malè intellexerunt efficaciam assertam ab Augustino divinæ gratiæ, ut inferrent per eam tolli arbitrii libertatem, ac correctionis necessitatem; & primi, qui hanc sententiam promulgârunt, Monachi fuerunt Adrumentini, quos duxit Florus ad pugnam contra Augustinum; quorum tamen errorem, ut Sanctus Doctor coërceret, eosque in hac materia probè instrueret, duas scripsit epistolas ad Valentinum Præfectum illius monasterii, suntque 46. & 47. & sumpta hac occasione scripsit etiam duos insignes libros, verum de gratia, & libero arbitrio, alterum de correptione, & gratia, ut ipsemet Augustinus refert *lib.* 2. *retract. cap.* 66. Verum Vitalis Carthaginensis, & alii non intelligentes tantam gratiæ necessitatem, quantam Augustinus asserebat, nec scientes eam componere cum libertate arbitrii, ut hanc tuerentur, cœperunt in hac causa minus rectè sentire, & quamvis à Pelagiana hæresi viderentur recedere, nihilominus tantas, & ipsi

ipsi vires libero tribuebant arbitrio, ut & ipsi visi sint errori quodammodo favisse Pelagianorum, asserentes initium nostræ salutis in liberi arbitrii facultate esse, ut & ipsa gratiæ necessitas ad salutem, sed hanc gratiam, ajebant, esse ipsum liberum arbitrium, affirmantes initium fidei, & aliarum affectionum, non esse ex dono supernaturali, sed ex viribus, & industria liberi arbitrii, quo pacto asserebant, posse homines, si velint, se disponere ad suscipiendam primam gratiam, si, quantum possunt, ex viribus liberi arbitrii velint operari, eo quia facienti, quantum in se est, Deus non deneget suam gratiam. Cæterum, supervenientia postea gratiæ dona dixerunt dispensari juxta diversam hanc ex libero arbitrio in negotio nostræ salutis inchoationem, ne scilicet Deus satagentibus neget gratiam, quam otiosis concedat. Sed hunc errorem, ut primariam radicem Semipelagianismi, à qua pullularunt cæteri eorundem errores, evellere studuit Augustinus in epist. ad Vitalem, quæ inter Augustini epistolas est 107., ubi oppositum docet, & Catholicam doctrinam confirmat, & quidem argumento desumpto ex orationibus Ecclesiæ rogantis Deum, ut velit infideles ad fidem convertere, ait enim Augustinus *in præfat. epist. ad Vitalem, inaniter, & perfunctoriè potiùs, quam veraciter pro eis, ut doctrinæ, cui adversantur, credendo consentiant, Deo fundimus preces, si ad ejus non pertinet gratiam convertere ad fidem suam ipsi fidei contrarias hominum voluntates.* Si enim infideles per solas liberi arbitrii vires possent bene, & sanctè agere, seque ad fidem convertere, utique non indigerent gratia, & inaniter Ecclesia Deum oraret, ut vellet eos convertere ad fidem, quia, cùm habeant & ipsi liberum arbitrium, utique possent ejus beneficio, se ad fidem convertere, ut refert Augustinus, qui paucis interjectis concludit: *si verè volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus, unde fit liberum: nam qui oppugnant gratiam, qua nostrum ad declinandum à malo, & faciendum bonum liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse captivum:* quia sicut catenis obstrictus nequit se movere, sed adigitur in eodem semper immorari loco, ita liberum arbitrium sine divina gratia nunquam se potest promovere ad statum supernaturalem, consequenter veluti obligatum naturæ funibus semper adigitur detineri in terra absque eo, quod illi liberum sit cœlum conscendere.

Verùm si ex Africa hos errores expulit Augustinus eorumque radices avulsit, inter Europæos vegetiores succreverunt: siquidem quidam in partibus Galliæ, & Provinciæ imitantes Monachos Adrumentinos audientes, Augustinum docere gratiam non solùm necessariam esse ad piè vivendum, sed gratis etiam omnino dari secundùm æternum & omnino gratuitum Dei propositum, existimarunt, liberum arbitrium per gratiam hanc tolli, & electos vi solius prædestinationis salutem æternam consequi, ut & peccatores vi solius reprobationis æternum damnari, ex quo inferebant, peccata non obesse electis, neque bona opera prodesse reprobis, & hi Prædestinatiani nuncupati sunt, quorum meminit Sigebertus in Chronico anno 415. ut etiam Hincmarus in epist. quam direxit ad Nicolaum Papam, quam hæresim præ cæteris amplexus est, eamque fovit Presbyter quidam insignis famæ, nomine Lucidus, quem ut ad lumen veritatis traheret Faustus ex Abbate Lerinensi Episcopus Regiensis creatus non parum impendit laboris, eumque monuit, quæ deberet anathematizare, & variis relictis erroribus concludit: *nos verò per medium Christo Duce gradientes post gratiam, sine qua nihil sumus, laborem laboriosæ servitutis asserimus: sed omnino arrogantiam, & præsumptionem laboris excludimus, ut totis viribus desudantes, ne gratia in nobis evacuetur, quidquid de manu Domini susceperimus, donum pronuntiemus esse, non pretium: scientes laboris ipsius fructum officii rem esse, non meriti, cum Evangelista dicente: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Doctrinæ Fausti Regiensis plenè acquievit Lucidus, qui totam Fausti epistolam, una cùm quindecim Episcopis in Concilio Arelatensi, ut narrat Baronius anno Christi 490. approbavit, quinimò occasio fuit hæc, ut Lucidus tunc aliam epistolam scriberet, ad Episcopos, qui eo tempore Concilio Lugdunensi aderant, in qua per varios articulos hæresin prædestinatorum damnavit, & veram ac Catholicam fidem professus subdidit: *Ita autem assero gratiam Dei, ut annisum hominis, & conatum gratiæ semper adjungam, & libertatem voluntatis humanæ non extinctam, sed attenuatam, & infirmatã esse pronuntiem, & periclitari eum, qui salvus; & eum, qui periit, potuisse æternam consequi salutem.* Hinc Lucidus Presbyter, qui Prædestinatianorum habebatur veluti Coripheus, sua confessione hanc sectam avulsit, ac in sua veluti nativitate suffocavit, quamvis Wiclephus, Lutherus, Calvinus, & alii Hæretici eandem crambem postea recoxerint, & eundem excitaverint errorem jam dudum ab Ecclesia damnatum.

Non tamen ex Semipelagianis defuerunt, qui extremè oppositi Prædestinationis, adnixi sunt Augustinianæ doctrinæ splendorem obscurare, ac tanti Doctoris scripta carpore, ac efficaciam gratiæ ab ipso assertam impugnare, & Pelagio in pluribus adhærere: sed palam non ausi sunt Pelagianorum dogma propugnare, quinimò illud potiùs impugnabant, ne sententiam contra Pelagium latam incurrerent, tametsi in aliquibus Pelagio adhærerent, qua de causa Semipelagiani nomenclationem sunt assecuti, eò quia quædam Pelagii asserta negarent, & quædam alia assererent, ut etiam aliqua à D. Augustino contra Pelagium asserta tuerentur, & alia impugnarent. Præcipui Semipelagianismi Duces, & propugnatores, quidam fuerunt Presbyteri, & Monachi, qui cùm Massiliæ Provinciæ urbe degerent, Massilienses vocati sunt, de quibus loquens Augustinus *epist. 107.* ait: *Jam conclamantium, & piorum vocibus pressi, ita fatentur, ad habendam, vel faciendam justitiam divinitus hominem adjuvari, ut sui præcedat aliquid meriti.* Hæc enim hæresis quamvis ab Ecclesia damnata cœpit nihilominus Massiliæ revirescere apud aliquos viros claros, & egregios, ut ait S. Prosper, sed D. Augustino malè affectos, quorum Coriphæus fuit Joannes Cassianus, ut liquet ex D. Prospero in opere, quod scripsit contra illum, & ex relatu Eucherii Cassiodori, Victoris, Dionysii Carthusiani, & aliorum, qui adnixi sunt Cassianum expurgare à Semipelagianorum erroribus, ut etiam ex ejusdem Cassiani scriptis redolentibus plerisque in locis Semipelagianismum, quapropter Ado in Chronologia ad annum 425. monet, Cassiani opera cautissimè esse legenda, præsertim cùm agit de gratia, & libero arbitrio. Verùm quamvis Cassianus in hac materia erraverit, non tamen dicendus est Hæreticus, quia ea Semipelagianorum doctrina nondum ab Ecclesia damnata fuerat, ut notat D. Prosper in fine libri contra Collatorem, quinimò Cassiani reliqua scripta inoffenso pede percurri possunt, præsertim post Romanam expurgationem, ut notat Bellar-

Bellarminus *lib. de Scriptorib. Ecclesiast.* Hinc D. Thomas Aquinas, & alii pientissimi viri, vel maximè Cassiani lectioni, præsertim collationibus fuerunt addicti, & Joannes Baptista Guesnay liberum scripsit, cui titulus est Cassianus illustratus, & nititur, ejus sanctitatem tueri, & floruit Cassianus anno 440. in quinto sæculo. Meminit Suarez *Prolegom.* 5. *ad*. 6. *cap*. 5. cujusdam Marci Eremitæ, quem *Patris* vocabulo etiam honorat, asseritque ipsum, & Cassianum simul fuisse Discipulos Joannis Chrysostomi, & nullo Pelagianismi errore scripta Marcii infici; Quis verò fuerit iste Marcus Eremita plures dubitant, & alii asserunt fuisse eum Marcum, cujus opera Theologica extant *tom*. 5. *Bibliotheca Sanctor. Patrum*. Verùm Bellarminus de hoc Marco *in libr. de scriptorib. Ecclesiast.* loquens ait: Floruisse anno nongentesimo sexto, consequenter non potuisse socium esse Cassiani, qui floruit anno 440. Secundus præcipuus Semipelagianismi Author fuit Faustus ex Abbate Lerinensi ad infulas promotus Episcopatus Regiensis in Gallia Narbonensi qui magnæ fuit authoritatis, ac nominis apud Gallos, hic autem floruit circa annum 410. & quamvis contra hæresin Prædestinatianorum non inglorius laborâsset, & Lucidum Presbyterum ad saniorem frugem revocâsset; nihilominus in extremum postea prolapsus errorem, duos scripsit libros de gratia, & libero arbitrio, de præscientia; & prædestinatione, quibus doctrinam D. Augustini denigrare studuit; ac propterea Pelagianorum dogmati plurimum visus est favisse. Verùm, cùm primum Augustini Discipuli Fausti scripta legerunt, contra ipsum alta voce clamârunt æquè in Occidente, ac in Oriente, adeo ut in Occidente Gelasius Papa opera Fausti rejecerit, ut etiam contra ipsum scripserunt D. Fulgentius, ut refert S. Isidorus *de viris Illustribus c.* 14. Cæsareus Arelatensis, ut refert Gennadius *de scriptorib. Ecclesiast.* 86. Avitus Episcopus Viennensis *in Chronolog. anno* 492. In Oriente verò scripta Fausti confutârunt Joannes Maxentius Presbyter Antiochenus *in responsione ad Hormisdam Papam*, & extat *in Bibliotheca Sanctorum Patrum Tom.* 6. Et alii itidem contra Faustum scripserunt, inter quos etiam Possessor Episcopus Africanus degens tunc Constantinopoli, qui Hormisdam consuluerat de operibus Fausti; eò quia authoritate duorum Conciliorum viderentur approbata, cùm tamen pluribus scaterent erroribus hæresi Pelagianæ faventibus, cui Pontifex rescripsit, Concilia tantùm approbâsse epistolam à Fausto scriptam ad Lucidum Presbyterum, quem ad sanam frugem convertit, non verò alia. Verùm tametsi Fausti scripta errores continerent, ipse tamen moribus, & vitæ sanctitate fuit in Gallia commendatissimus, & in Martyrologio Gallicano, ac in Regiensi Ecclesia colitur, ut sanctus, ejusque natalis dies celebratur 17. Januarii, ut notat Baronius *in appendice ad Tom.* 10. & Spondanus de ipso loquens ait: *Opinari compellimur, de eodem Fausto accidisse, quod de multis viris sanctis asseritur, ut aut errorem correxerit, vel ante suorum scriptorum factam ab Ecclesia damnationem diem suum obierit* (*incertus est enim ejus obitûs annus*) *habens in animo in his sequi, quod sequendum doceret.* Tertius insignis Semipelagianorum Fautor dicitur fuisse Gennadius Presbyter Massiliensis circa annum 490. ut notat Bellarminus *in lib. de scriptorib. Ecclesiasticis*, eò quia in libro, quem Gennadius scripsit de viris Illustribus, non modicam suspicionem ingesserit non rectæ fidei, siquidem laudavit Cassianum, & Faustum, qui fuerunt Semipelagiani, & S. Prosperum depressit, qui pro gratia Dei viriliter contra Pelagium pugnaverat. Præterea, quia falsum asseruit in eo libro cap. 48. asserens, Ecclesiam approbâsse opera Cassiani, cùm oppositum evidenter constet. Ait enim ipse: *legi librum adversus opuscula suppresso nomine Cassiani, & quæ Ecclesia salutaria probat.* Præterea Gennadius *lib. de Eccles. scriptorib.* Ruffinum plurimum commendat, quem & D. Hieronymo præfert; cùm ipse Ruffinus suspectus saltem fuerit de hæresi Pelagiana, ut notavit D. Hieronymus, & ejus scripta ob hanc causam à Gelasio Papa rejecta fuerint, adeo ut Baronius *Anno* 433. *n*. 28. asserat, Gennadium ejusdem esse farinæ cum Cassiano, & *anno* 490. *n*. 41. affirmat, Gennadium fuisse unum ex Gallicanis Presbyteris; de quibus ob Semipelagianismum Prosper; & Hylarius apud Cœlestinum Papam conquesti sunt; & eadem Cassiani fuligine fuisse denigratum. Verùm observat etiam Baronius *anno* 490. *n*. 43. Gennadium Gelasii Papæ præcepto emendatum, factum fuisse plenè Catholicum, omnémque errorem, ac suspicionem Semipelagianismi excussisse, ac damnâsse, & postea ob morum integritatem, doctrinam insignem, ac pietatem assumptum fuisse ad Episcopatum Ecclesiæ Massiliensis, & id probat ex epistola Adriani Papæ ad Carolum Magnum, ubi hæc habentur: *Sanctissimorum Pontificum hac oblata sunt testimonia scilicet Gennadii Massiliensis Episcopi*, quod etiam refert Platina in vita Symmachi circa finem, ubi ait: Gennadium fuisse diligentem Augustini imitatorem: quia sicut Augustinus ab hæresi Manichæorum emersus vitæ sanctitate, & doctrina sana excelluit, ita Gennadius à sordibus expurgatus Semipelagianismi, enituit exercitio virtutum, splenduitque vitæ sanctitate. Inter Fautores Semipelagianismi recensentur etiam Severus Sulpitius S. Martini Discipulus, de quo Gennadius *lib. de viris Illustrib. cap.* 19. ait: *Hic scilicet Sulpitius in senectute sua a Pelagianis deceptus, & agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit, ut peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo pœnitùs emendaret.* Præterea refert Gennadius, Sulpitium seductum fuisse à Pelagianis. Verùm Guibertus Abbas *in compend. Apolog. Severi* ait: *Nunquam nisi in Gennadio legi Severum à Pelagianis seductum, qui nescio utrum hoc ipse alicubi legerit, an ex sola fama, quæ facta infectat, & docet, didicerit.* Observat tamen Bellarminus *lib. de scriptorib. Eccles.* libros Severi de sacra historia, & Dialogium, ac conversationem Orientalium cautè legendos esse ob aliquos errores; quos ipse ibidem recenset, verùm hujusmodi errores non olent Pelagianismum, neque Semipelagianismum. Unde nullum habetur firmum fundamentum asserendi; Severum favisse Semipelagianismo, neque ea fuligine obscuratum fuisse, & certum est, illum Catholicum obiisse, ut constat ex Martyrologio Romano die 29. Januarii, ubi Sanctorum fastis adscribitur, & commendatur virtutis exercitio, & eruditionis ornatu.

Alius Fautor Semipelagianismi fertur fuisse quidam Presbyter Gallus tempore S. Prosperi; qui palam adhæsit Semipelagianorum sententiæ, & doctrinæ, quam adnixus est etiam alios edocere; hic enim contra D. Augustini Commentarios in Pelagianos sedecim proposuit objectiones, quas singillatim solvit S. Prosper *in Opusc. responsion. ad objectiones Vicentianos*: Quis autem fuerit iste Vicentius, Baronius *anno* 431. *n*. 138. conjicit fuisse Presbyterum illum, quem Gennadius refert eo tempore vixisse, ac scripsisse in Psalmos: Verum

id non plenè constat. Alii putant fuisse Monachum Lirinensem; verùm Vicentius, de quo loquimur non fuit Monachus Cassiani Contemporaneus.

Præterea quia Vincentius Lirinensis in *Opusc. contra profanas vocum novitates*, nervosè contra omnem erroris novitatem, novósque Sectarios instituit disceptationem, & fidem Catholicam validissimè propugnat, ac defendit, & *cap. 34. ejusdem Opusc.* vehementer Pelagium objurgat, quia necessitatem gratiæ adjuvantis ad singulos actus negaverit, & *cap. ult.* Summa veneratione commendat epistolam Cœlestini Papæ ad Episcopos Galliæ in favorem D. Augustini scriptam contra Semipelagianos. Præterea quia Bellarminus de Vincentio Monacho Lirinensi agens ait: *Scripsit Opusculum parvum mole, sed virtute maximum, de profanis vacuum novitatibus. Libellus extat, & utilissimè legitur.* Tandem quia D. Prosper *in præfat.* asserit, Vincentium illum, qui fuit Author objectionum contra sanam doctrinam D. Augustini, finxisse prodigiosa mendacia, quod credi non debet de viro religiosissimo, qualem se ostendit Vincentius in illó suo Opusculo de profanis vocum novitatibus.

Caminus itidem & Theodoricus Presbyteri Genuenses etiam dicuntur Semipelagianis favisse, & contra D. Augustinum decem objecisse dubia, quitamen validè occurrit D. Prosper *in opuscul. ad excerpta Genuensium*: Et Genuenses imitati etiam fuerunt quidam alii Galli, Semipelagianorum fautores, qui Augustinum quindecim scripserunt objectiones, quas etiam nervosè solvit S. Prosper *Opusc. respons. ad capitula Gallorum*, ex quibus claret, quanta fuerit D. Prosperi erga D. Augustinum fidelitas, & reverentia, & quam altè senserit de sui Præceptoris resolutionibus. Imò Vasquez *1. part. disput. 91. cap. 8.* nititur S. Joannem Chrysostomum luto Semipelagianismi inficere, ac fœdare, ait enim ipsum hunc errorem transfudisse in Cassianum ejus discipulum, & benignas aliorum Theologorum in favorem Chrysostomi interpretationes evertere studet. Verùm alii communiter Sanctum Chrysostomum ab hac calumnia vindicant, & Sixtus Senensis *lib. 5. Bibliothec. annotat. 101.* observat primum, qui Chrysostomum Semipelagianismo dixit infectum, fuisse Eccolampadium Lutheri Discipulum. Ante Vasquezium hoc idem asseruit Molina *in Concord. quæst. 14. art. 13.* ubi hæc habet: *Patres antiquos, & antiqua Concilia legenti perspicuum erit, parum admodum lucis fuisse circa ea, quæ ad gratiam spectant, parúmque illa fuisse ante Augustinum disputata, & ante ortam Pelagii hæresim, adeo ut Chrysostomus absque ulla sua culpa humano more lapsus fuit in aliquibus.* Verùm plures omnino vendicant Chrysostomum ab omni suspicione Semipelagianismi, nec unquam ejus errores transfudisse in Cassianum. Alii etiam hac nostrâ Semipelagianismi inuruut Joannem Patriarcham Jerosolymitanum, inter quos etiam ipse Baronius, qui ex eo probat, quia Augustinus epistolam 252. direxit ad præfatum Joannem, in qua ait: *Pelagium verò Patrem nostrum, quem audio, quod multum diligis, hanc illi suggero, ut exhibeas dilectionem, ut homines, qui eum noverunt, & diligenter audierunt non ab eo tuam sanctitatem existiment falli.* Probat secundò, quia Joannes in causa fuit, cur congregaretur Synodus Diospolitana, in qua Pelagius dimissus fuit absolutus. Tertiò etiam probat, quia Pelagiani gravissima facinora in Bethleemitico cœnobio perpetrârunt, & Hieronymum novum hostem vehementer afflixerunt, quod non videtur factum fuisse absque tacito consensu præfati Joannis Patriarchæ, eò quia ejus juri, & regimini subjiciebatur cœnobium illud, quapropter Innocentius Papa *epist. 24.* reprehendit eundem Joannem. Verùm hæc videntur destitui solido fundamento, quia D. Augustinus in epistola directa ad eundem Joannem magna reverentia eum alloquitur, ut constat ex *epistola 52.* ubi ait: *Quod tuæ sanctitatis scripta non merui, nihil audeo succensere. Melius enim perlatorem credo defuisse, quam me suspicar à tua veneratione contemptum, Domine beatissime, & meritò venerabilis frater.* Sin autem fuisset Joannes hæresi infectus Pelagiana, non ita reverenter ei scripsisset D. Augustinus, cum cousueverit semper in Hæreticos invehere.

Præterea quia D. Augustinus lib. *de gestis Pelagii cap. 14. circa fin.* pluribus laudibus excipit præfatum Joannem, inquiens: *Meritò, quod gesta indicant, etiam hoc usus est testimonio* (nempe gratia Dei sum id, quod sum. *1. ad Corinth. 15.*) *S. Joannes Jerosolymitanus Antistes Ecclesiæ: sicut interrogatus, quæ apud illum ante judicium gesta fuerint, Coepiscopis nostris, qui simul in illo judicio præsidebant, ipse respondit.* Et *epistola 106.* hæc habet Augustinus: *Ubi postremo illa testimonia, quæ Jerosolymitanæ Antistes Ecclesiæ, sicut in ejusdem gestis legitur, ipsum Pelagium se dixisse commemorat, cum ad eum perlatum esset, quod sine gratia Dei diceret absque peccato hominem esse posse, hæc sunt enim illa dicta tria testimonia valde magna contra hujusmodi impiam præsumptionem, quod Apostolus ait: 1. Corinth. 15. plus omnibus illis laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum; & ad Rom. 9. Non volentis nec currentis, sed miserentis est Dei. & Psal. 126. Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam*: ex hisce Augustini testimoniis constat, Joannem Episcopum Jerosolymitanum contrarium fuisse Pelagio, ejúsque errores impugnasse.

Neque obstat, Joannem dilexisse personam Pelagii, qua, cùm Pelagius fingeret sanctitatem, & in opinione viri piissimi esset, ac summas videretur virtutes exercere, potuit sub ovili hac pelle, cùm adhuc lateret, à Joanne diligi, sed inde non sequitur Joannem approbâsse ejus doctrinam, cùm potiùs eam impugnaverit, ac fuerit insectatus. Quin etiam Augustinus visus est Pelagium dilexisse: siquidem *lib. de gestis Pelagii cap. 27.* eum vocat *dilectissimum, & desideratissimum fratrem*; & *epistol. 106.* de Pelagio agens ait: *Diliximus & servum Dei, quia nobis recta fidei videbatur*, & notat se id præstitisse *lib. 2. retract. cap. 33. Quia vita ejus à multis prædicabatur*, scilicet ob speciem externæ sanctitatis, & virtutum studia, quibus dedit operam; eadem ratione sanctus Paulinus Nolanus Episcopus amicitiam cum Pelagio inivit, id enim fatetur Augustinus *epistola 106.* ubi ait: *Pelagium, quem credimus Britonem fuisse cognominatum, quod ut servum Dei dilexeris, novimus, nunc autem quemadmodum diligas, ignoramus*, & tamen certum est Paulinum nullo pacto fuisse hæresi Pelagiana infectum, ut etiam fatetur Baronius, unde ex eo, quod Joannes Antistes Jerosolymitanus Pelagium dilexerit, cùm lateret sub ovili pelle, non sequitur, fuisse denigratum Peligiana fuligine, sicut

sicut eadem coinquinati non fuerunt sancti Præsules Augustinus, & Paulinus.

Neque obstat, quod addebatur, Joannem præfuisse Diospolitanæ Synodo, quæ dicitur favisse Pelagio, siquidem, ut notat Baronius anno 419. qui præfuit Synodo illi, fuit Eulogius Cæsariensis totius Palæstinæ Episcopus, non verò Joannes, qui non præfuit, nec adfuit tali Synodo. Præterea Patres illius Synodi omnes Catholici fuerunt, seque contra Pelagium gesserunt, ac omnia juxta fidem Catholicam stabiliverunt, quamvis postea ipse Pelagius pro sua ingenii vafritie eos fefellerit, respondens astutissimè, à se divinam gratiam concedi, intelligendo nomine gratiæ intrinsecè liberum arbitrium, & extrinsecè ipsam legem, ait Augustinus *epist.* 95. Non sunt culpandi Judices, qui Ecclesiastica consuetudine nomen gratiæ audierunt, nescientes quid hujusmodi homines vel in suæ doctrinæ libris, vel in suorum solent auribus spargere, unde sive Joannes adfuerit Diospolitanæ Synodo, sive non, culpandus nos est Pelagianismo. Ad aliud, quod additur, Innocentium Papam ob hoc reprehendisse Joannem, claret, Innocentium eum non reprehendisse, eò quia putaverit ipsum errores sequi Pelagii, sed ob aliquam negligentiam, quam habuerat in eorum assultibus reprimendis, ut liquet ex epistola Innocentii ad Joannem, & D. Hieronymus eum etiam carpit, eò quia Joannes minus invigilaret, quam Pastoris officium exigeret super cœnobium Bethlemiticum Sacrarum Virginum, non autem ipsum Pelagianismi redarguit.

Cæterum Semipelagiani in pluribus à Pelagio dissidebant, ne damnata ab Ecclesia hæresi viderentur inquinati, & duo fuerunt præcipua, in quibus à Pelagio recesserunt, quorum primum fuit, quia ipsi concesserunt Peccatum originale, quo pueri maculati nascuntur. Secundò concesserunt gratiam, sine qua nemo possit æternam salutem consequi: in his duobus recessisse à Pelagio constat ex epistolis D. Prosperi, & Hilarii ad D. Augustinum, quem monent de novo errore, qui tunc temporis cœpit in Galliis pullulare, ait enim D. Prosper in sua epist. ad Augustinum loquens de Semi-Pelagianis: *Ipsorum definitio, ac professio, omnem quidem hominem Adam peccante peccasse, & neminem per sua opera, sed per Dei gratiam regeneratione salvari.* & Hylarius scribens ad Augustinum ait: *consentiunt, omnem hominem in Adam periisse, nec inde posse quemquam proprio arbitrio liberari*, quibus fatebantur veram, & Catholicam fidem, simulque potiori ex parte Pelagianam hæresim declinabant, ac judicio Ecclesiæ se subjiciebant: Augustini verò doctrinam in duobus potissimum impugnabant, scilicet quia assereret electionem æternam Dei independenter fieri ab operibus electorum, secundò quia adstrueret Deum aliqua dona gratiæ nobis impertiri adeo efficacia, ut non solùm sine illis aliquid boni fieri non potest ab homine, verùm etiam cum illis infallibiliter fieri, & cum illis simul oppositum fieri non posse, hæc enim duo docuerat D. Augustinus *in lib. de corrept. & gratia*, quæ tamen duo ab Augustino asseruntur fidei Catholicæ consona etenim 1. *Actor.* 13. *crediderunt, quot quot præordinati erant ad vitam*, ex quo infertur, hanc præordinationem, seu electionem ad vitam fuisse causam, ut illi crederent, non verò quia crediderunt fuisse præordinatos, hinc ait Augustinus *lib. de corrept. & gratia*: *Quicunque ab illa originali damnatione ista divina gratia largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur eis audiendum Evangelicum, & cùm audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque ad finem perseverant, & si quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerant, & nonnulli accepta gratia in qualibet ætate periculis hujus vitæ mortis celeritate subtrahuntur: hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filios suos ante constitutionem mundi per electionem gratiæ; non enim sic sunt vocati, ut non essent electi, sed quoniam secundùm propositum vocati sunt, profectò electi sunt per electionem, ut dictum est, gratiæ, non præcedentium meritorum suorum.* Unde ex D. Augustino electio ad gloriam causa est, & radix omnium mediorum ad salutem consequendam, scilicet prædicationis Evangelii, gratiæ prævenientis, & efficacis, ut credant, sperent, diligant, lapsi resurgant, & perseverent usque ad finem per singularem Dei providentiam, quod etiam docet D. Thomas *in cap. 9. epist. ad Rom. lect.* 3. inquiens: *Manifestum est, quod omne beneficium, quod homini confert Deus ad salutem, est divinæ prædestinationis effectus: divinum autem beneficium non solùm se extendit ad infusionem gratiæ, qua homo justificatur, verùm etiam gratiæ usum.*

Præterea ex eo, quod Deus, ut ait Apostolus *ad Ephes.* 1. Nos elegerit in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti, & immaculati, sequitur, prædestinationem, seu electionem ad gloriam, esse primariam causam donorum omnium supernaturalium, quæ à Deo in nos derivantur: hinc Augustinus *lib. de prædest. Sanct. cap.* 19. ait: *Non quia nos futuros tales præscivit, sed ut essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ, qua gratificavit nos in dilecto filio suo. Cùm ergo nos prædestinavit, opus suum præscivit, quos non sanctos, & immaculatos facit.* Et *cap.* 18. expressè ait: *Intueamur ergo verba Apostoli, atque videamus, utrum propterea nos elegerit ante mundi constitutionem, quia sancti & immaculati futuri eramus, an ut essemus, ait Apostolus, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati, non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus, ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse prædestinans, ut tales per gratiam ejus essemus &c. Deinde quid adjungat, attendite: secundùm placitum, inquit, voluntatis suæ, ne in tanto beneficio gratiæ Dei placito gloriemur voluntatis nostræ*, ex quibus constat, Augustinum asserere, nulla præcessisse nostra merita, quæ Deum moverint ad faciendam electionem, sed illa omnia esse effectus gratiæ electivæ, qua prædestinamur. Idque firmatur ex Apostolo *ad Roman.* 9. *Cùm nondum nati essent, nec aliquid boni egissent aut mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Postea concludit, *igitur non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei &c.* hac de causa vocat electos *vasa misericordiæ, quæ Deus præparavit in gloriam*, quæ verba expendens Augustinus *in Enchirid. cap.* 98. *Quæ in re si futura opera, vel bona hujus, vel mala illius, quæ Deus utique præsciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret, non ex operibus, sed ex futuris operibus, eoque modo instans solveret quæstionem, imò nullam, quam solvere opus esset, faceret*

quæ-

*quæstionem.* Vult enim Augustinus dilectionem, & electionem Jacob fuisse priorem præscientia omnium operum ejus præsentium, & futurorum, naturalium, & supernaturalium, hoc idem non sine acrimonia repetit *lib. 2. contra secundam epistolam Pelagii cap. 7.* inquiens: *Profectò desipitis, quia dicente veritate: non ex operibus, sed ex vocante; vos dicitis, ex futuris operibus; quæ Deus, illum facturum esse, præsciebat, Jacob fuisse dilectum, adeoque contradicitis Apostolo.*

# CAPUT VI.

## Quid Semi-Pelagiani senserint de viribus liberi arbitrii, & necessitate gratiæ sufficientis?

QUamvis Semipelagiani ex parte admiserint juxta fidem Catholicam necessitatem gratiæ ad rectè operandum in ordine ad salutem, adhuc ex parte etiam adhæserunt Pelagio, quatenus docuerunt initium benefaciendi esse ex nobis, seu posse naturam, & liberum arbitrium suis duntaxat innixum viribus se disponere ad primam gratiam supernaturalem, consequenter ad operandum, sicut oportet in ordine ad assecutionem beatitudinis supernaturalis; & per hoc visi sunt adhæsisse hæresi Pelagianorum, à qua etiam differebant, eò, quia cum Catholicis sentiebant, consummationem boni operis totam esse à Deo, ut refert D. Thomas 1. *part. quæst. 23. art. 5.* ubi notat, Semipelagianos voluisse quandam voluntatem imperfectam salutis, & fidei eligi à nobis sine gratia, & per quam moveretur Deus ad conferendam gratiam, ex quo concludebant, gratiam Dei semper nobis dari ratione alicujus prævii meriti; Hinc asserebant cum Pelagio, ex parte hominis dari causam gratiæ, qua operamur supernaturaliter, ex quo errore plures emerserunt hæreses, ut illa Manichæorum docentium, ex parte nostra dari causam nostræ prædestinationis, & hanc ajebant esse, naturalem cujusque dispositionem, & propriam constellationem, seu stellarum varios influxus, & quorum diversitate, ajebant, quosdam bonos esse alios malos, plures felices, & nonnullos miseros. Ex eodem fonte error etiam scaturivit Origenis, *lib. 1. Periarchon c. 7.* asserentis, animas rationales per aliquod tempus vixisse, priusquam corporibus unirentur, & juxta merita vel demerita, quæ extra corpora contraxerunt, fuisse electas, vel reprobatas. Ex eadem radice germinavit etiam infectus ramusculus hæresis Priscillianistarum asserentium, animas rationales, priusquam unirentur corporibus, fuisse in cœlo creatas, & ibi per aliquod tempus fuisse immoratas, & propterea, quæ ibidem peccarunt, in pœnam peccati dejectas fuisse, & in corpora inclusas, in quibus quidquid patiuntur, pœna censenda est peccatorum, quæ fuerunt in cœlo perpetrata; ex eodem putridissimo fonte exilit etiam infectus rivulus hæresis Pelagianorum docentium, hominem solis naturæ viribus absque ulla gratia supernaturali posse operari bene, & quascunque tentationes vincere, consequenter meritis naturalibus à Deo prævisis mereri primam gratiam, & remissionem peccatorum, imò & ipsam gloriam. Tandem emersit error Semipelagianorum, qui tametsi pios quosdam hominum conatus conducentes ad obtinendam salutem admiserint, & ad illos promoveri, ac adjuvari à divina gratia, attamen ajebant, non præveniri, vel excitari semper ac necessariò à divina gratia, quæ hæreses impugnatæ fuerunt à D. Augustino, & damnatæ in variis Conciliis Ecclesiæ, ut in sexto Generali Concilio Viennensi sub Clemente V. in Bracharensi I. Diospolitano sub Eclogio Palæstinæ Primate; Milevitano sub Sylvano Numidiæ primate; Ephesino & Arausicano II. siquidem ex scripturis nostra salus in solam divinam refunditur gratiam, & non in nostra merita, quæ gratiam præcedant, 2. *Timoth. 1. vocati vocatione sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum, ad Roman. 3. Justificati gratis per gratiam ipsius; ad Ephes. 2.* ubi Spiritus Sanctus nos alloquens ait: *Gratia salvati estis per fidem; & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Et *Joan. cap. 6.* ait Christus: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum,* & cùm Judæi hoc non intelligerent, & ipsis videretur sermo creditu perdifficilis ac durus, respondentes, *durus est hic sermo,* subjungit Christus *propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datam à Patre meo;* ex quibus & aliis scripturæ textibus, satis constat, non ex operibus nostris meritísque præcedentibus, sed ex sola Dei misericordia, bonitate, & liberalitate dari nobis gratiam, & ratio etiam id evincit: siquidem gratia, si est, dependet totaliter ex sola voluntate donatoris, nec ullum supponit meritum ex parte illius, cui donatur; dicitur enim gratia, eò quia gratis donetur, & gratis donari nullum supponit prævium meritum, intuitu cujus mereatur, alioquin non esset gratia, sed retributio.

Dicendum igitur est, præcipuum Semipelagianorum errorem fuisse, eò quia voluerint initium benefaciendi esse ex nobis, & liberum arbitrium solius naturæ viribus, posse se disponere ad promerendam primam gratiam, quæ est hæresis damnata ab Ecclesia, præsertim in Concilio Arausicano contra errores Semipelagianorum, ubi *can. 5.* habetur: *Si quis sicut augmentum, ita initium fidei, & ipsum credulitatis affectum, quo credimus in eum, qui justificat impium, & quo ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, idest, per inspirationem Spiritus Sancti, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus contrarius approbatur. Et can. 3. Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ cap. 65. & Apostolo idem dicenti ad Rom. 10. Inventus sum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.* Rursus *can. 7. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitaret, ut expedit, vel eligere, sive salutari, idest, Evangelicæ prædicationi consentire posse, confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei Evangelio dicentis, Jo. 15., sine me nihil potestis facere; & illud Apostoli 2. Corinth. 3. Non idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Demum *can. 9. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Ex quo constat, errorem Semipelagianorum fuisse initium benefaciendi esse à nobis, & hunc errorem fuisse damnatum in Concilio II. Arau-

Arausicano; fuit enim hoc Concilium coactum ope præsertim beati Cæsarii Episcopi Arelatensis, cùm enim Semipelagianorum errores in Gallia propagarentur, & libri à Fausto editi avidissimè appeterentur, in urbe Arausicana congregati fuerunt Episcopi, qui Semipelagianorum errores damnarunt. Errores enim Semipelagianorum decerpti præsertim fuerunt ex scriptis Fausti Episcopi Regiensis, & Joannis Cassiani Presbyteri Massiliensis, ambos enim constat fuisse acerrimos propugnatores hæresis Semipelagianorum: siquidem de Fausto scripsit Avitus Viennensis Episcopus, cujus meminit Ado in Chronico anno Christi 492. *Faustus ex Abbate Lirinensis Monasterii in Gallia Episcopus Regiensis factus; Pelagianum dogma dum destruere conatur, in errorem labitur, unde qui ejus sensus in hac parte Catholicos prædicant (sicut Gennadius de illustribus viris scribens) omnino errant, ita enim liberum arbitrium, tam Augustinus, quàm cæteri Catholici in Ecclesia Dei docent, ut illuminatio, virtus, & salus illi à Christo, & per Christum, & in Christo fit. Faustus verò ita liberum arbitrium docere conatur, ut illuminatio ejus, virtus, & salus non à Christo, sed à natura fit.* Eundem errorem docuisse Cassianum, liquet ex *collat.* 13. *cap.* 7. ubi ait: *Dei benignitas, cùm bona voluntatis quantulamcunque scintillam emicuisse perspexerit, vel quam ipse tanquam de duro silice nostri cordis excusserit; confovet eam, & suscitat suaque inspiratione confortat.*

Cæterùm Semipelagianismus suam in Africa traxit Originem Authore Vitali Carthaginensi, ut refert D. Augustinus *epist.*107. quam ad eundem Vitalem direxerat, scribit enim D. Augustinus, *si ea, quæ de te audio, vera sint, initium fidei, uti etiam initium bonæ, hoc est, piæ voluntatis non vis esse donum Dei, sed ex nobis nos habere contendis, ut credere incipiamus: cætera autem religiosæ vitæ donâ Deum per gratiam suam jam ex fide petentibus, quærentibus, pulsantibus donare consentis.* Asserebat Vitalis initia fidei, & bonæ voluntatis esse ex nobis; seu à puro libero arbitrio, reliqua verò opera ex gratia Dei. Quem Vitalis errorem ex eo impugnavit D. Augustinus, eò quia fideles in Ecclesia Deum orent pro infidelibus, ut eorum mentes illuminet: ac convertat ad fidem, eósque ex nolentibus faciat volentes, & ex repugnantibus consentientes, ut fusè, ac nervosè explicat in eadem epist. D. Augustinus Vitali adhæsit Cassianus Presbyter, qui tunc tempore Massiliæ degebat asserens posse hominem, si velit propriis naturæ viribus se promovere ad salutem æternam, ait enim *collat.* 13. *cap.* 9. sub fin: *Cùm voluerit quis sanitate perfruitur, aut ægritudinis morbo pro arbitrii sui desiderio liberatur: Quid autem prodest sanitatis gratiam concupivisse, nisi Dominus, qui vitæ ipsius usum tribuit, etiam vigorem incolumitatis impertiat.* Quem errorem refert, & impugnat S. Prosper *lib. contra Collator. cap.* 8. inquiens: *Docet ergo, non posse hominem per semetipsum apprehendere sanitatem; sed habere hominem à semetipso desiderium sanitatis, & sua tantùm sponte venire ad Medicum; nam etiam hoc ipsum Medici esse, quod veniat.* Præterea Cassianus eadem *collat.* 13. duo statuit hominum genera, quorum unum eos complecteretur, qui fidem & judicium bonæ voluntatis à Deo accipiunt, & hos asserebat, infusu gratiæ trahi ad salutem, alterum verò eos, qui voluntariè, & spontè currunt, seque propriis naturæ viribus promovent ad salutem; & iis ea adaptabat scripturæ testimonia, quæ libertatem hominis asserunt, illis verò, quæ Dei gratiam commendant. Cassiani vestigiis inhæsit Gennadius Presbyter Massiliensis, qui vixit tempore Gelasii Papæ anno Christi 490. de quo ait Baronius, ejusdem furfuris cum Cassiano fuisse.

Quamobrem controversia inter D. Augustinum, & Massilienses fuit, an à solo Deo, vel à natura, & libero arbitrio sumenda essent nostræ salutis primordia: & num Author piè, sanctéque vivendi Deus esset, an homo; D. Augustinus Dei causam ajebat, ac probabat, non posse hominem solius naturæ viribus se disponere, nec promovere ad salutem; nec ad operandum in ordine ad assecutionem æternæ salutis. Sed omnia nostræ salutis initia esse ex sola Dei misericordia, bonitate, & munificentia, nobisque omnino gratis collata, & afferebat varia scripturæ loca ad id evincendum: *Isaiæ* 65. *Inventus sum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant. Joan.* 15. *sine me nihil potestis facere.* 1. *ad Corinth.* 4. *Quid habes, quod non accepisti? & cap.* 15. *Gratia Dei sum id, quod sum.* 2. *ad Corinth.* 3. *Non, quod idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quòd si tota nostra sufficientia est ex Deo, consequens est, ut omnia nostræ salutis primordia sint à solo Deo. Econverso Semipelagiani exaltantes dignitatem, & potentiam liberi arbitrii asserebant, posse hominem solius naturæ innixum viribus desiderare salutem, petere remedia ad resurgendum à peccato, optare benè sanctéque vivere: Quia verò nemo potest salutem desiderare, nec eam petere, nisi priùs quærat Salvatorem nostræ salutis Authorem, nostrique lapsus reparatorem; ideo concedebant, posse etiam liberum arbitrium ex se quendam credulitatis affectum elicere, qui gratiam medicinalem per Jesum Christum antevertat: perinde ac æger, cui tametsi vires non suppetant ad currendum, & alia exercenda, quæ fiunt à viro sano; potest nihilominus sanitatem desiderare, Medicum petere, pharmacum exoptare, ut pristinæ restituatur sanitati. Unde Semipelagiani non constituebant initium bonæ voluntatis, ac primordia nostræ salutis in solo credulitatis affectu, sed etiam in petitione, pulsatione; desiderio salutis, quos actus, tametsi imperfectos; docebant necessariò requiri in hominibus, tanquam prævias dispositiones, ut Deus iisdem conferat gratiam ad credendum, sperandum, amandum perfectè: quo pacto inferebant, gratiam Dei nonnisi eos homines efficere, qui ita sperarent, & appeterent salutem; quod etiam de fidei inchoatione, & de perseverantia in illa usque ad finem adstruebant; scilicet esse penes nostrum arbitrium, ut refert D. Augustinus *lib. de dono perseverantiæ cap.* 17. ubi loquens de Semipelagianis ait: *Hi initium fidei, & usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt libertate, ac potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda, nec retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates.*

Quòd si dicas, Cassianum, & Faustum, & alios Semipelagianos non negâsse ad initium bonæ operationis requiri gratiam, siquidem Cassianus *collat.* 13. *cap.* 8. ait: *Ex dictis colligitur, non solùm actuum, verum etiam & cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia sancta cogitationis inspirat, & virtutum, ac opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragenda.* Unde cum expresè asserat Cassianus initium bonarum cogitationum esse à Deo, non negavit Cassianus, ad initium bonæ operationis requiri gratiam Dei, sine qua nihil facturus est homo. Faustus etiam Regiensis hoc

itidem docuit *lib. 1. cap. 17.* ubi ait: *Sicut est gratiæ, quod attrahitur, ita obedientiæ probatur esse, quod sequitur.* & *lib. 2. cap. 2.* ait: *De suo est, quod dat gratiam, de tuo, quod prænoscit offensam:* unde Semipelagiani non negarunt, requiri gratiam extrinsecam ad initium bonorum operum, conceditur: non negarunt gratiam intrinsecam allicientem interius voluntatem, & cum ipso operantem, negatur, licèt Semipelagiani subinde concesserint gratiam prævenientem, ut viderentur hoc idem docere, & asserere, quod Catholicis adstruebant, id tamen fraudulenter: quia per gratiam prævenientem non intelligebant Semipelagiani auxilium internum alliciens, ac movens interius voluntatem ad piè desiderandum, ac rectè operandum, sed intelligebant per gratiam prævenientem tantùm externam prædicationem, doctrinam, & legem, ut expresè significat Faustus Regiensis *lib. 1. cap. 7.* ubi ait: *Quid est attrahere, nisi prædicare, nisi scripturarum consolationibus incitare, increpationibus deterrere, desideranda proponere, intentare metuenda, judicium comminari, præmium polliceri,* ubi laxo verborum apparatu hoc quod est attrahere proprium gratiæ vult non esse auxilium ullum intrinsecum, sed tantùm per prædicationem exteriorem, vel quid aliud extrinsecum, ut ipse explicat.

Præterea quamvis Cassianus, & alii ejusdem Sectæ subinde concesserint gratiam interiorem, etiam ad initium boni operis, & ad promovendam necessariò prærequiri, non tamen in sensu Catholico, quo Augustinus, & omnes Catholici asserunt, hanc interiorem gratiam necessariam esse etiam ad initium boni operis, & ad fidem promovendam. Siquidem Semipelagiani gratiam Christi, quam volebant requiri ad promovendam fidem asserebant consistere in sola mentis illustratione absque ulla interna motione voluntatis, quam volebant extrinsecè tantùm per modum legis, & Doctoris denuntiantis, quid faciendum sit: non verò efficere in nobis ipsum ardorem charitatis, desiderium salutis, ac pium affectum: asserebant, gratiam prævenientem ostendere tantùm voluntati, quid agendum sit, deinde voluntatem duntaxat fultam naturæ viribus agere, & obtemperare divinæ vocationi, vel ab ea pro libitu desistere, eo innixi fundamento, quia naturalis in homine libertas per peccatum originale diminuta non fuit, sed adhuc ad bonum propendet. Omnes verò Catholici cum D. Augustino præter hanc gratiam merè illuminantem, & afficientem solam mentem, aut intellectum aliam docent necessariam esse gratiam, quæ libertatem ipsam, & voluntatem afficiat, quam blandè moveat absque liberi arbitrii læsione, & una cum nostris potentiis fidem efficiat, ac dilectionem, & omne bonum desiderium nobiscum operetur, unde gratia præveniens non solùm præfert menti nostræ lumen, & ostendit, quid faciendum sit, verùm etiam efficit ipsa, ut faciamus, desideremus, velimus in ordine ad salutem, quamobrem Semipelagiani in hoc errarunt, quia asserebant initium aliquod justitiæ, ac salutis esse à nobis solis, scilicet fidem, & voluntatem quandam obtinendæ salutis, seu ut loquitur D. Prosper, voluntariam dilectionem, sive credendi voluntatem, vel initialem fidem, aut sanitatis, ac Medici desiderium.

Fundamenta, quibus innitebantur Semipelagiani, duo præsertim erant, primum, ne Deus videretur injustus personarum acceptor, quosdam sua gratia ditando, & quosdam spernendo, si otiosis sua auxilia dispensaret, & ea studiosis, seu volentibus, & conantibus non tribueret, ex quo inferebant, initia nostræ salutis consistere in illo naturali conatu, studio, ac desiderio, quo cupit homo habere gratiam, & æternam consequi salutem, perinde ac æger Medicum desiderat, cupit, & studet ei parere, ut corporis sanitatem accipiat. Secundum, ut explicarent illud Isaiæ: *Perditio tua ex te*, eò quia noluerit desiderare, quæ ad salutem pertinerent, & exponerent salutem in hominis manu, seu arbitrio constitutam esse, & Deum invitis studium virtutis non immittere, sed tantùm suam gratiam eis impetire, qui illam desiderarent, cuperent, ac conarentur habere, hinc asserebant, inchoationes virtutis ex solo arbitrio pendentes esse, adeo ut qui studiosè se gereret, ulterius consequeretur gratiam ad salutem, qui verò pœnitùs à desideriis, & affectibus bene vivendi torperet, ad gratiam non traheretur, ac compelleretur invitus: hoc pacto explicabant totum negotium nostræ salutis, & in eodem hominum discretionem revocabant ad illa virtutum initia à libero arbitrio fluentia, & exercita, ut explicat Faustus *lib. 1. cap. 19.* inquiens: *Deus pro ratione justitiæ per se effectum non peragit, quia voluntatem ejus, qui est purgandus, expectat:* & ibidem ait: *quod si eum putas attrahere nolentes, cœlesti justitia iniquitatis pondus imponis,* & *lib. 2. cap. 8.* ait: *Nisi fuerit præmissa devotio gratiæ, vilescit oblatio, simúlque verecundia remunerantis est, si honoretur otiosus, remuneretur ingratus.*

Hinc docebant Semipelagiani gratiam prævenientem, & cooperantem requiri quidem ad bona opera, non ita ad initia bene operandi. Rursus gratiam dari ex iisdem initiis, seu desideriis bene operandi, consequenter ex meritis liberi arbitrii. Tertiò Deum expectare nostras voluntates, ut purgari velimus, & homini facienti, quod ex viribus liberi arbitrii potest, Deum non denegare suam gratiam, omnes enim hi errores sequuntur ex eo, quòd Deus ex solo conatu liberi arbitrii conferat suam gratiam.

Cæterum Semipelagiani non negarunt gratiam internam sufficientem, & supernaturalem saltem ad perfectionem bonorum operum, & consecutionem salutis; An verò hanc gratiam negaverint ad initium fidei, & salutis, eò quia assererent illud esse *ex nobis*, respondetur, dupliciter posse intelligi illud *ex nobis*, primò, ut significet actus illos initiales fieri absque ullo gratiæ adjutorio. Secundò, ut significet fieri quidem cum gratia, tali tamen, ut solùm moraliter excitet, & præstet sufficientiam determinabilem per arbitrium creatum. Jansenius *lib. 8. de hæresi Pelagiana* docuit, absolutè Semipelagianos non posuisse initium fidei, & bene operandi in sola natura omni gratia destituta; sed in natura ea gratia præcisa adjuta, quæ præstaret posse indifferens, & non inferret infallibiliter agere, qui tamen dicendi modus nos se extendit ad omnes Semipelagianos, quia ex epist. D. Prosperi ad Augustinum certum est, aliquos Semipelagianos omnem gratiam ab initio fidei, & initio bene operandi rejecisse, ac sola naturali facultate, & libero arbitrio fuisse contentos ad ponenda initia nostræ salutis; ait enim D. Prosper *in præfat. epist. Quidam verò horum in tantùm à Pelagianis semitis non declinant, ut, cùm ad confitendam*

eam

*tam Christi gratiam, quæ omnia præveniat merita humana, cogantur, ne si meritis redditur, frustra gratia nominetur, ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua, cùm nihil priùs merentem, quia nec existentem, liberi arbitrii, & rationalis gratia Creatoris instituat: ut per discretionem boni, & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum ejus suam posset dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, pervenire; per naturalem scilicet facultatem petendo, quærendo, pulsando: ut ideo arripiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono natura benè usus, ut ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire*, ex quibus liquet, Semipelagianos omnem negâsse gratiam ad initia fidei, & salutis, vel gratiæ voce solùm significâsse gratiam initialem, quæ in eorum sensu tantùm erat gratuita creatio humanæ naturæ; in quo sensu acceptio gratiæ frequens erat apud ipsos Pelagianos, nomine gratiæ intelligentes gratiam creationis, & liberum arbitrium homini à Deo inditum, quæ tamen gratia naturalis est, neque excedit naturæ limites, & hæc gratia ex doctrina Catholica indiget perfici per aliam gratiam supernaturalem, & elevari ad statum supernaturalem, ut possit operari in ordine ad salutem æternam consequendam. Alii autem censent, Semipelagianorum doctrinam non fuisse omnibus illam communem, sed eorum plures admisisse gratiam internam sufficientem pro initiis fidei, ac bene operandi, talis tamen conditionis, ut non determinaret efficaciter liberum arbitrium, sed ejus nutui obtemperaret, ac esset veluti pedissequa voluntatis, idque nituntur ostendere ex modo loquendi D. Prosperi: siquidem per quandam exaggerationem ait: *Quidam eorum in tantum à Pelagianis semitis non declinant*, supponit enim S. Prosper, alios aliter sensisse, præterea quia D. Prosper *in citata epist. ad Augustinum* ait: *Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundùm suam phantasiam non negant esse præventas*, unde declarat, ex Semipelagianis aliquos admisisse gratiam pro humanis meritis, quæ ipsi in illis initiis fidei bene operandi ponebant: gratiam tamen comitem, quæ simul scilicet influeret, non præviam, quæ voluntatem determinaret, & ad eos actus impelleret; hinc Faustus *lib. 1. cap. 11. ad Dominum semper est referendus laboris effectus. Qui verò vel initium operum sibi præsumit arrogare, vel finem ad illum, meritò dicitur Psal. 126. Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam*, & *lib. 2. cap. 6.* explicans verba Apostoli *ad Roman. 9. Non ex operibus, sed ex vocante dictum est*, ait ipse: *Cum ergo audis, ex vocante dictum, invitantem intellige, non cogentem*, seu efficaciter moventem, juxta sensum Augustini; nec dissimilia habet Cassianus *collat. 13. cap. 3.* siquidem Semipelagianorum dogma eo collimabat, ut excluderet gratiam, quam asserebat D. Augustinus, qua determinaretur arbitrium, & efficaciter traheretur ad unam partem, quia tunc arbitrabantur lædi liberum arbitrium, & fatalem quandam induci necessitatem, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, ut scribit D. Prosper ad Augustinum.

Cæterum quod Jansenius asserat, Semipelagianos admisisse prævenientis gratiæ necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc fuisse Hæreticos, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas obsistere, vel obtemperare; hæc sententia damnata fuit ut falsa, & hæretica ab Innocentio X. eò quia gratia non necessitat, sed adjuvat; non destruit, sed perficit; nos cogit, sed allicit liberum arbitrium ad rectè operandum. Quòd verò non detur sine gratia actus ullus supernaturalis, adeo ut gratia nullam habeat causam ex parte hominis, sed esse donum omnino gratuitum & liberè ex Deo miserente nobis collatum, Sacræ Scripturæ satis apertè innuunt; Apostolus enim *ad Ephes. 2.* inducens Spiritum S. nos alloquentem, ait: *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est*; & Christus ipse *Joan. 6. Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; & *Joan. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Quamobrem non Deus eligit homines, quia vult ab eis eligi per fructum boni operis, sed eos eligit, ut bene operentur.

Cæterum cur Deus uni conferat primam gratiam, & non alteri; cur unus à Deo liberetur à massa perditionis, & non alter; cur uni ista per Dei illuminationes, & inspirationes suadeatur, ut persuadeatur, & alteri non det easdem illuminationes; insolubilis est quæstio, & inscrutabilis, quæ tamen facilè posset solvi, se ex parte hominis daretur aliqua dispositio, & causa meritoria naturalis primæ gratiæ, siquidem facilè posset hæc causa meritoria assignari, & non esset responsio refundenda in judicium Dei inscrutabile, cum Apostolo *ad Roman. 11.* ubi exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, investigabiles viæ ejus.* ait Augustinus *lib. 4. ad Bonifacium cap. 6. Sed quare istos homines oves facit, & istos non facit, apud quem non est acceptio personarum? ista est quæstio, quam Beatus Paulus curiosiùs, quàm capaciùs proponentibus ait: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare sic me fecisti? ipsa est quæstio, quæ ad illam pertinet altitudinem, quam prospicere volens idem Apostolus quodammodo expavit, & exclamavit; O altitudo divitiarum &c.* & *epist. 115.* ait: *Cur autem illum potiùs, quàm illum liberet, aut non liberet? scrutetur, qui potest judiciorum ejus tam magnum profundum; verumtamen caveat præcipitium*: & similia habet *serm. 7. de verbis Apostoli*, adeo ut Augustinus, *cur Deus uni potiùs quàm alteri det primam gratiam, qua unus ita suadeatur, ut persuadeatur, non alter*, refundit in solum Dei inscrutabile judicium: sin autem vera esset sententia Semipelagianorum, qua asserebant, primam gratiam dari intuitu conatus, & desiderii liberi arbitrii cupientis hanc gratiam, facilè posset responderi, Deum unum impertivisse suam gratiam, & non alteri, quia ille, quantum fuit ex se, præstitit, non iste; quia ille, ut sanaretur, Medicum concupivit, non iste.

Verùm in nostra sententia, quâ asserimus, prædeterminationem negativam, quâ Deus priùs ex sua bonitate nobis impertitur suam gratiam prævenientem, afficientem intellectum, & ostendentem voluntati bonum, quod amplectetur; eámque etiam allicientem, ac suadentem ei amplexum talis boni; adeo ut, si voluntas non ponat obicem, sed sinat se allici, Deus conferat uberiorem gratiam afficientem voluntatem; eámque adjuvantem ad actum bonum; explicatur, quomodo Deus in

danda sua gratia, & in partitione donorum supernaturalium non sit acceptor personarum. Sed voluntate sincera velit omnes homines salvos fieri, detque illis media sufficientia ad assequendam æternam salutem, & quod aliqui illam non consequentur, non oriatur ex parte Dei, sed hominis, qui noluit sinere se allici à gratia Dei præveniente, cui posuit obicem; si enim sivisset se allici, Deus uberiorem fuisset gratiam impertitus, quâ bene fuisset operatus, & salutem consequutus.

Rursus Deus interdum vocat homines omnis generis vitiis deditos, pluribus sordidatos peccatis; relictis aliis, qui exercitio virtutum naturalium assueverant, qui ab incunte ætate studio bonorum operum naturalium incubuerunt: ergo hæc opera naturalia, quamvis bona, & laudabilia non fuerunt causa, cur Deus dederit suam gratiam, cùm hanc fuerit impertitus iis, qui nihil boni naturalis fuerant operati; imò potiùs plurimum mali, ut notat D. Augustinus *lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. cap. 22.* ubi ait: *Unde etiam fit, quod homo ab ineunte ætate, ac pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, & ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur; atque ad virtutes cæteras provectior, aptiorque consurgat, & tamen eo loco sit, ubi ei prædicari gratia Christiana non possit? quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis ac facinoribus coopertus; ita gubernetur, ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut si detentus hic fuerit, laudabiliter vivat?* hinc S. Fulgentius *lib. de fide ad Petrum*: *Hi sunt ergo omnes, quorum Deus miseretur: qui à misericordia ipsius præveniuntur, ut credant, & gratis salvi fiant per fidem. Eorum namque credulitas non ex humana voluntate sumit initium, sed ipsi voluntati fides gratuita Dei miserantis largitate donatur.*

Dices, non repugnat, actum naturalem posse promereri præmium supernaturale; ergo per vires liberi arbitrii potest purus homo se disponere ad primam gratiam, & illam promereri. Antecedens constat; quia Christus Dominus per actus naturales humanitatis promeruit præmium supernaturale. Sed contra negatur antecedens; quia humanitas Christi ratione solius supernaturalitatis moralis desumptæ à divinitate illi unita fuit digna gloria substantialiter supernaturali per modum hæreditatis, quo pacto æterna beatitudo debebatur ejus humanitati ratione sanctitatis ipsi præstitæ à divinitate, à qua si non physicè, saltem moraliter sanctificabatur. Unde Christi humanitas ratione sanctitatis moralis supernaturalis potuit mereri præmium supernaturale physicè entitativè. Hæc consequentia ex eo evincitur, quia non major proportio requiritur inter meritum, & præmium, quàm inter gratitudinem, & hæreditatem: sed per solam moralem gratificationem habetur sufficiens proportio ad condignitatem hæreditatis: ergo etiam aderit sufficiens proportio inter condignitatem solius moralis supernaturalitatis, & præmium supernaturale.

Præterea actus entitativè naturalis potest ex imperio actus supernaturalis mereri condignè gloriam supernaturalem; quamvis talis actus non sit entitativè, & secundum suam substantiam supernaturalis, ergo ad condignitatem præmii substantialiter supernaturalis, non requiritur in merito supernaturalitas physica substantialis. Tum quia si quispiam se, & omnes suos actus efficaciter referat in Deum auctorem supernaturalem, perseverante hac relatione moraliter tantum, & afficiat opera bona moralia ordinis naturæ, hujusmodi opera habentur condigna merita gloriæ supernaturalis; quamvis opera naturalia non habeant supernaturalitatem Physicam, sed tantùm moralem; quia actus imperans, à quo supernaturalitatem accipiunt opera naturalia, non amplius existit, consequenter non potest aliam supernaturalitatem præstare, quàm moralem: unde inter actum moraliter tantùm supernaturalem, & præmium Physicè supernaturale potest adesse proportio sufficiens ad rationem meriti de condigno. Ex eo igitur, quòd actus naturales eliciti ab humanitate Christi fuerint digni præmio supernaturale, non sequitur, purum hominem per actus naturales liberi arbitrii posse præmium supernaturale promereri! Quia actus, qui nec elicitivè, nec imperativè est supernaturalis, non potest esse meritorius præmii supernaturalis, neque primæ gratiæ supernaturalis, quia prima gratia est initium nostræ salutis, quod propterea esset in nobis, contra Concilium Arausicanum II. & Tridentinum *sess. 6. cap. 5.* ubi habetur: *Declarat præterea sancta Synodus, ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Jesum Christum præveniente gratia sumendum esse,* quapropter nulla sunt opera naturalia, tametsi honesta, quæ possint esse causa, vel dispositio ad primam gratiam, hinc Augustinus *lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2.* asserentes contrarium egregiè suggillavit inquiens: *Non habeo, quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen hujus electionis aliqua cogitatione permittar, nisi vel majus ingenium, vel minora peccata, vel utrumque, addamus etiam, si placet, honestas utilesque doctrinas &c.* postea subjungit: *Cum hoc statuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi elegit, ut confundat fortia, ut eam intuens & pudore correptus ego irrideam multos.* Ratio est, quia, cùm prima gratia sit in ordine supernaturali, exigit causam, & dispositionem itidem in ordine supernaturali, ut effectus proportionetur suæ causæ; & quantumvis liberum arbitrium suas exerat vires, hæ semper sunt in ordine inferiori, seu naturæ, consequenter non possunt esse dispositiones, nec causare primam gratiam: etenim actus dupliciter potest esse supernaturalis: primò elicitivè, cùm scilicet mediante principio supernaturali, ut eliciente causatur, & ex motivo supernaturali, ut fine operis procedit, ut si quis existens in statu gratiæ eliciat actum amoris in Deum in ordine ad assecutionem æternæ beatitudinis, talis actus dicitur elicitivè esse à principio supernaturali eliciente, scilicet à voluntate, ut informata habitu Charitatis, & adjuta gratia adjuvante, & etiam procedit ex motivo supernaturali, ut fine operis, eò quia ipse actus amoris Dei per se tendit in Deum, ut possidendum eo meliori modo, quo possit à creatura possideri. Rursus potest actus esse supernaturalis imperativè, & tunc contingit, quando actus in sua entitate est naturalis, ac procedit à principio naturali eliciente, & quidem ex motivo etiam supernaturali, ut fine operis, adhuc tamen ab operante refertur ad finem supernaturalem mediante actu supernaturali, & tunc ob hanc relationem, & honestatem supernaturalem actus imperantis quandam induit actus imperatus supernaturalitatem, ut, cùm quis elicit actum misericordiæ naturalem ex motivo dilectionis Dei, ut ex fine operantis, tunc actus naturalis, & imperatus ratione supernaturalitatis motivi,

tivi, ut ex fine operantis, & actu imperantis dicitur esse imperativè supernaturalis, adeo ut non possit actus naturalis elicitivè esse imperativè supernaturalis, nisi præexistat, vel præextiterit actus elicitivè substantialiter supernaturalis, ex cujus imperio fiat: quo pacto viri pii existentes in statu gratiæ solent manè cùm primùm expergefiunt, vel surgunt è lecto, omnes suos actus, & operationes etiam naturales illius diei in Deum dirigere, ut finem ultimum supernaturalem, ut finem operantis, & tametsi hæc directio se habeat manè per modum fluxûs, & non physicè perseveret per diem, quia tamen perseverat moraliter, hæc perseverantia moralis sufficit, ut actus naturales elicitivè per actum imperantem supernaturalem dirigantur ad finem supernaturalem: secus, quando neque elicitivè neque imperativè actus procedit à principio supernaturali, non potest ullam inducere supernaturalitatem, consequenter neque disponere, neque causare actum supernaturalem: siquidem repugnat potentiam elicere actum, quem in se non præcontinet intrinsecè per modum causæ effectivæ: atqui liberum arbitrium suis duntaxat innixum viribus non præcontinet ratione sui intrinsecè per modum actus primi actum supernaturalem: siquidem virtus adæquata proxima potentia naturalis respectu actuum supernaturalium est forma supernaturalis elevans potentiam à statu naturalitatis ad statum supernaturalem, & cùm liberum arbitrium suis duntaxat fultum viribus careat hac forma elevante, repugnat posse causare primam gratiam, imò neque ullam ponere ad eandem dispositionem quia cum illam in se non præcontineat, neque potest illam ponere sine gratia supernaturali auxiliante.

Actus enim liberi arbitrii non est supernaturalis elicitivè, quia supponitur cum suis tantùm viribus naturæ, in quibus nulla continetur forma elevans ad statum supernaturalem: neque imperativè, quia non supponitur alius prævius actus supernaturalis, à quo imperetur liberum arbitrium ad eliciendum talem actum, qui sit dispositio ad primam gratiam, quia in puro homine nulla supponitur supernaturalis gratia, atqui actus non supernaturalis elicitivè, aut imperativè nequit esse dispositio ad gratiam justificantem nec proxima, nec remota, alioquin ex viribus liberi arbitrii posset unus se ab alio discernere, contra illud Apostoli Pauli 1. *Corinth.* 4. *Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti?* imò posset etiam aliquid conducens ad vitam æternam ex viribus propriis efficere contra illud Pauli 2. *ad Corinth.* 3. *v.* 5. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* atqui plus requiritur ad meritum præmii supernaturalis, quàm ad dispositionem remotam ad gratiam, siquidem plures actus remotè ad gratias disponentes merita præmii supernaturalis non sunt: consequenter actus non supernaturalis elecitivè, aut imperativè nequit esse meritorius præmii supernaturalis. Præterea, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæst.* 21. *art.* 3. *Actus humanus est meritorius, vel demeritorius, secundùm quod est bonus, vel malus*, unde ratio meriti supponit necessariò moralem bonitatem in actu, hinc ratio meriti in ordine ad præmium supernaturale debet honestatem supponere supernaturalnm, sed actus liberi arbitrii suis duntaxat fulti viribus non gaudent hac bonitate supernaturali elicitivè, nec imperativè; non elicitivè, quia liberum arbitrium suis duntaxat naturalibus viribus instructum supponitur, neque talis actus desumit supernaturalitatem ex objecto, neque ex fine operis, neque ex fine operantis, nec aliis circumstantiis, ergo talis actus non potest esse dispositio ad actum supernaturalem, neque ad primam gratiam. Præterea quia, ut actus sit meritorius apud aliquem, debet ordinari ad ipsum, siquidem meritum, ut docent Theologi, est opus factum in obsequium præmiantis, ait enim D. Thomas 1. 2. *quæst.* 21. *art.* 3. *Meritum dicitur in ordine ad retributionem, quæ fit secundùm justitiam; retributio autem secundùm justitiam fit alicui ex eo, quod agit in profectum, vel nocumentum alterius*, & *art.* 4. *in princ. corp.* ait: *Actus alicujus hominis habet rationem meriti, vel demeriti, secundùm quod ordinatur ad alterum*, & 1. 2. *quæst.* 114. *art.* 1. *ad* 2. habetur: *Ideo aliquid meremur à Deo, non quasi ex nostris operibus aliquid ei accrescat, sed in quantum propter ejus gloriam operamur*, ex quibus testimoniis manifestè constat, ad hoc, ut opus aliquod sit meritorium, necessarium esse, ut ad Deum formaliter, vel virtualiter ordinetur, consequenter, quòd ut opus meritorium sit apud Deum Authorem supernaturalem, debeat ad ipsum, ut Authorem supernaturalem, referri formali, vel virtuali relatione: sed actus elicitus à libero arbitrio solius naturæ viribus fulto non dirigitur in Deum, ut finem supernaturalem, nec ut Authorem supernaturalem ratione sui, quia procedit adæquatè à viribus naturalibus liberi arbitrii, consequenter in eodem ut fine naturali consistit, neque supponitur actus ullus imperans, à quo ordinetur ad finem supernaturalem, quia hic actus imperans deberet elici à principio aliquo supernaturali, & præsupponere gratiam, quam liberum arbitrium cum suis duntaxat viribus non includit, consequenter actus liberi arbitrii, nec elecitivè, nec imperativè est supernaturalis, consequenter nequit esse meritorius primæ gratiæ: siquidem, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæst.* 114. *art.* 2. Actus enim cujuscunque rei non ordinatur divinitus ad aliquid excedens proportionem virtutis, quæ est principium actus; hoc enim est ex institutione divinæ providentiæ, ut nihil agat ultra suam virtutem; atqui, si librum arbitrium posset naturæ suæ viribus disponere ad primam gratiam, eáque mereri præmium supernaturale, excederet proportionem virtutis, quæ est principium adæquatum actus undique naturalis, siquidem, cùm talis virtus naturalis sit, & contineatur intra terminos naturæ, effectivè, objectivè, & finaliter, sequitur non posse ponere dispositionem, nec meritum ad primam gratiam, quia actus naturalis, ut docet D. Thomas non potest ordinari ad aliquid excedens proportionem virtutis, quæ est principium actûs.

Sed dices, ex variis scripturis constare solùm liberum arbitrium fuisse promeritum gratiam, ac posuisse saltem dispositionem ad illam: siquidem *Malach.* 1. *Dilexit Deus Jacob. Esau autem odio habuit*, sed non potuit Deus diligere Jacob, nisi in illo aliquod bonum prævidisset. *Matth.* 25. *Talenta dantur unicuique secundùm propriam virtutem*, hoc est, secundùm uniuscujusque propriam naturalem dispositionem, & potentiam, & cùm talenta includant gratiam, hæc datur juxta propriam dispositionem naturalem liberi arbitrii. Rursus 1. *Timoth.* 1. *Paulus ideo consecutus est misericordiam* (seu primam gratiam congruam) *quia ignorans fecit, & in incredulitate*; 2. *Petri* 1. *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Ex quibus scripturæ textibus colligitur, opera naturalia assumi, ut dispositiones ad ipsam primam gratiam. Sed contra, quia inde non potest colligi, actum purè naturalem elicitum à libero arbitrio esse dispositionem ad actus supernaturales. Ad primum peti-

tum ex Jacob & Esau, respondet D. Augustinus *lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. Quòd Deus dilexerit in Jacob non culpam, quam delebat, sed gratiam, quam donabat,* & *epist. 105. ad Sixtum* ait: *Quid enim diligebat in Jacob, antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordia donum?* Deus utpote munificentissimus non dicitur creaturam ullam amare, nisi bonum aliquod ei conferat, cùm amare perinde sit, ac velle bonum alteri, qui amatur: unde per hoc, quod Deus suam voluerit gratiam impertiri Jacob, & non Esau, ideo Jacob dicitur à Deo diligi, eò quia statuat ei conferre suam gratiam, & Esau odio habere, quatenus non vult sicut Jacob eam dare, unde Deus non dilexit Jacob eò, quia præviderit, per liberum arbitrium cum se dispositurum ad promerendam primam gratiam, non ita Esau, quia gratia est, quæ omnino gratis datur, quæ si præsupponeret meritum, deperderet rationem gratiæ. Alii tamen expendunt dilectionem illam, qua Deus dicitur dilexisse Jacob, antequam natus fuisset, & Esau odio habuisse, non esse intelligendam de gratia supernaturali, sed de bonis naturalibus, & primogenitura, quæ ex Esau transivit ad Jacob. Ad aliud petitum ex *Matth. 25.* respondet D. Thomas *2. 2. quæst. 24. art. 3. ad 1. Nomine virtutis hic non intelligi naturalem intellectûs dispositionem, ac bonam habitudinem naturalem, sed dispositionem, & inclinationem cujusque ortam ex præveniente gratia,* adeo ut per propriam virtutem non sit intelligendum liberum arbitrium operans per suas duntaxat vires naturales, sed ut adjutum à gratia præveniente; & per talenta non intelligi primam gratiam, sed gratias gratis datas, quæ dantur à Deo, & accommodantur, cui dantur. Ad illud petitum ex *1. Timoth. 1.* respondetur illo loco significari, Paulum non peccantem ex malitia, non posuisse tale impedimentum removens gratiam, quale ponunt ii, qui ex mera malitia peccant, non verò significari, quod levius peccatum sit aliqua ratio, ob quam datur gratia: neque existimandum est hoc peccatum levius ex ignorantia patratum esse veram ac propriam dispositionem, seu conditionem ad recipiendam primam gratiam, quæ dicitur initium salutis supernaturalis. Ad aliud petitum ex *2. Petri 1.* ubi dicitur; *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis,* respondetur, verba D. Petri esse intelligenda de bonis operibus supernaturalibus, consequenter factis ex gratia, ut per ipsa certam faciam nostram vocationem, & electionem, quatenus Deus nobis conferat uberiora auxilia gratiæ, quibus possimus perseverare, in bonis operibus, non verò exinde potest colligi, quòd homo per solum arbitrium possit satagere, ut mereatur primam gratiam, ac primam vocationem, & electionem, quia, cùm prima gratia sit in ordine supernaturali, non potest à libero arbitrio solius naturæ viribus instructo poni ad ipsam dispositionem, neque causam, alioquin effectus excederet suam causam, & secundùm rationem excessus daretur effectus sine causa, quod repugnat.

Dices, non repugnat, hominem viribus naturæ aliqua depromere opera moralia, quæ naturaliter bona censeantur, & sint; nil enim obstat, quin possit homo naturali commotus compassione eleemosynam elargiri pauperi, lapsum in foveam ex charitate naturali sublevare, ægrotantem ex mera naturali pietate juvare; etenim etiam Cornelius *actor. 10.* Tametsi nondum accepisset fidem, multa tamen opera bona effecit: atqui hæc omnia opera, quamvis non excedentia vires naturæ, fuerunt bona, & Deo placuerunt, ergo conveniens erat, ut Deus iisdem retribueret gratiam, & gloriam. Sed contra quàmvis non repugnet, hominem viribus naturæ posse aliqua opera moralia naturaliter bona agere, hæc tamen sunt bona ex genere tantùm suo, & ex fine operis, non autem operantis, quia non ordinantur ad Deum, unde placent Deo tantùm complacentiâ minus propriâ in ordine ad promerendum aliquod bonum temporale, non verò complacentiâ propriè dictâ, in ordine ad promerendum bonum aliquod supernaturale. Deus igitur intuitu bonorum operum moralium, ac purè naturalium confert quidem aliud bonum, sed illi proportionatum, scilicet naturale, ac temporale, non verò supernaturale, & æternum, hoc enim docuit D. Augustinus; ait enim, Deum contulisse imperium Romanis in præmium virtutum naturalium. Ad aliud, quod addebatur de Cornelio, respondetur, hunc elicuisse fidem in Deum, ut in remuneratorem, dependenter tamen à gratia præveniente, quam nullis aliis præcedentibus meritis accepit, ut docet Augustinus *lib. de prædestinat. Sanctor. cap. 7.* & definitum etiam fuit in Concilio Arausicano *can. 25.* ubi ait: *Fidem illius Centurionis non fuisse de natura, sed divinæ largitatis donum.*

Sed dices, Augustinum, & alios Sanctos Patres contrarium potiùs asserere, etenim Augustinus *lib. 83. quæstionum quæst. 68.* ait: *Cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat, hæc voluntas de occultissimis meritis venit,* & *lib. de prædestinat. & grat. cap. 15.* videtur discretionem justorum ab injustis referre tanquam in ultimam causam in eorum liberam voluntatem, à qua derivantur occultissima merita. D. Chrysostomus *homil. 12. in epist. ad Hebræ. Non antecedit nostras voluntates* (scilicet gratia) *ne lædatur liberum arbitrium, cùm autem nos elegerimus, multam affert auxiliationem,* unde Chrysostomus dispositionem, & causam primæ gratiæ refundit in liberum arbitrium, quod non prævenitur à gratia, ne destruatur, alioquin non liberè operaretur, Sed à gratia præveniente traheretur ad operandum. S. Ambrosius *in epist. ad Roman. 8. & 9.* explicans verba illa: *Miserebor, cujus misertus ero.* ait: *Miserebor ejus, cujus præscius ero, quia ei misericordiam daturus essem, sciens convertendum,* scilicet Deus suam confert gratiam, seu misericordiam ei, quem scit esse convertendum; priùs enim prævidet ejus conversionem per conatus liberi arbitrii, & postea designat illi conferre gratiam, adeo ut gratia non præveniat liberum arbitrium, ne hoc lædatur, ac trahatur à gratia ad operandum. S. Hieronymus *ad Hebr. 10.* ait: *Sicut sol, licèt sit unus, tamen secundùm varias dispositiones diversos facit effectus; ita Deus non salvat rationabiliter, sed præcedentibus meritis.* Et tandem S. Chrysostomus *ad Roman. 9. homil. 16.* ait: *Pharao vas iræ à sua iniquitate factus est, sicut alii vasa misericordiæ à sua probitate,* id est, à propria naturali probitate, seu per vires liberi arbitrii. Sed contra ad primum petitum ex D. Augustino respondetur, eum ibi loqui de obduratione, & justificatione, quæ habent causas ex parte hominum, quamvis, ut ipse loquitur, non nunquam secretissimas, unde sermonem non instituit de prima gratia. Sed ex suppositione hujus in homine, quapropter ait, Deum obdurare homines propter peccata, & eos justificare ob merita præsupponentia gratiam adjuvantem liberum arbitrium, ad

ad probè operandum, & hunc esse verum sensum Augustini, liquet *ex epist. 106.* ubi ait: *Gratia enim meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici*: unde supponit gratiam, quæ augeatur, ac perficiatur. Et licèt ponat, discretionem justi ab impio sitam esse in hominum voluntate, addit tamen, ultimam resolutionem fieri in Dei voluntatem unum misericorditer adjuvantis, & alterum justè deserentis; ut constat *ex sequent. c. 16.* ubi ait: *Hanc divinam electionem non meritis reddi, sed solâ voluntatis munificentiâ donari hominibus, Moyses jam tunc, quamvis carnalem populum doceret, ostendit.* Ad aliud desumptum ex D. Chrysostomo respondetur, eum loqui de gratia justificante, quæ præsupponit vocantem, ait enim *in eodem loco*: *Nostrum quidem est praeligere, & velle, Dei autem est perficere, & ad finem reducere*; & nonnullis interjectis subdit: *Non enim suum esse totum voluit Deus, ne videretur nos temerè coronare: nec rursus nostrum, ne incidamus in arrogantiam*, quia Deus ita nobis confert suam gratiam, ut velit nos eidem cooperari, ne videatur nos temerè coronare sine ullo nostro bono opere, & ne incidamus in arrogantiam, nobis confert suum auxilium, sine quo non possemus quidquam boni agere, vult igitur ita nos juvare, ac sua nobis auxilia suppeditare, ut etiam velit nos cooperari. Cæterum in hac materia de gratia cautè legendus est D. Chrysostomus, ut etiam alii Patres Græci, quia, cùm tunc temporis nondum hæresis Pelagii agitaretur, controversia de gratia nondum plenè discussæ erant, vel saltem non eâ diligentiâ sicut postea, & quia eo tempore Manichæi negabant liberum arbitrium, Sancti Patres, ut se illis opponerent, plura in laudem liberi arbitrii deprædicabant. Quòd verò D. Chrysostomus senserit omnem gratiam esse à Deo, qui solus est causa gratiæ supernaturalis, non verò liberum arbitrium, colligitur *ex homil. 12. in 1. ad Corinth.* ubi tractans illud Apostoli: *Quis enim te discernit*, sic habet: *Igitur quod accepisti, habes, nec hoc tantum, aut illud, sed quidquid habes, non enim merita tua hac sunt, sed dona Dei.* Quòd si non sunt merita hominis, sed dona Dei, non procedunt à libero arbitrio, hæc merita in ordine ad salutem supernaturalem, sequitur, esse à solo Deo. Ad aliud desumptum ex D. Ambrosio. Respondetur, D. Ambrosium fuisse locutum concomitanter, & consecutivè, non verò causaliter: gratia enim est causa, seu ratio præscientiæ meritorum, adeo ut ab una ad aliam valeat convertibiliter consequentia, ita tamen, ut à præscientia ad primam gratiam sit illatio à posteriori, & à prima gratia per scientiam à priori. Quòd autem D. Ambrosius asserat, primam gratiam præcedere merita, liquet, quia *in cap. 9. Luc.* ubi Samaritani noluerunt Christum recipere, ait: *Si voluisset, ex indevotis fecisset devotos &c. sed Deus, quos dignatur, vocat, & quem vult, religiosum facit.* Ad illud petitum ex D. Hieronymo respondetur, ipsum loqui de exsecutione salutis, quatenus prædestinatio ad gloriam in ratione executionis dependet à meritis nostris, adeo ut, licèt decreto intentivo præstinatio præcedat merita nostra, subsequitur tamen decreto executivo, & eodem pacto explicatur D. Chrysostomus, siquidem electi fiunt vasa misericordiæ à sua probitate procedente ex gratia, & quatenus est effectus gratiæ Dei electivè.

Si dicas, facienti, quòd in se est, Deum non denegare suam gratiam, & eum, qui bene operatur naturaliter, facere, quod in se est, tametsi non habeat gratiam, consequenter, Deum teneri illi gratiam impertiri saltem ex aliquo pacto, consequenter dari ex parte hominis causam dispositivam ad primam gratiam. Major enim propositio est axioma commune Theologorum. Minor probatur, quia illud axioma intelligendum est de faciente, quamdiu in se est, viribus naturæ. Sed contra negatur minor, quia illud axioma est intelligendum de faciente, quod in se est ex viribus gratiæ divinæ ad id determinatis, non verò de faciente, quod in se est, solius naturæ viribus; Deus enim priùs impertitur suam gratiam, cui si homo non ponat obicem, sed sinat, ut informato auxilio gratiæ suadentis, ac allicientis ad eliciendum actum bonum. In negotio nostræ salutis, quod totum dependet à divina gratia, prius Deus impertitur quandam illustrationem supernaturalem, seu illuminationem, ac piam cogitationem intellectui, qua voluntas potest sinere se allici, & persuaderi ad actum supernaturaliter bonum eliciendum, vel potest sinere se non allici. Ex eo quòd sinat sibi persuaderi elicientiam actus supernaturalis, & non ponit impedimentum persuasioni divinæ, dicitur facere, quod in se est, & Deum non denegare ulteriorem gratiam, qua possit elicere actum supernaturalem, secus si ponat obicem, Deus non impertitur hoc uberius auxilium, adeo ut sensus axiomatis sit, quòd homini exequenti actus bonos, seu divinas motiones, quas habet in se ipso supernaturaliter inspiratas, & illis non resistenti, nec ponenti obicem Deus non deneget ulteriorem gratiam juxta illud Oseæ: *Ego sto ad ostium, & pulso, & si quis aperuerit, ingrediar*, unde pulsatio, quæ est prima gratia, est à Deo, ad quam homo non potest se disponere per solas vires liberi arbitrii, sed hac posita, potest sinere se allici à divina gratia afficiente intellectum, & persuadente libero arbitrio bonam operationem, hinc D. Thomas 1. 2. *quæst.* 112. *art.* 3. ait: *Quòd præparatio hominis ad gratiam sit à Deo, sicut movente, & à libero arbitrio, sicut à moto, & secundùm quod est à libero arbitrio nullam necessitatem habeat ad gratiæ consecutionem, quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ.*

Sed dices, si Deus conferendo suam primam gratiam prævenit liberum arbitrium hominis, sequitur, esse acceptorem personarum: siquidem sine ulla causa ex parte ipsarum personarum aliquibus constitueret dare primam gratiam, & non aliis, ex quo sequeretur Deum esse acceptorem personarum, quod dici nequit, ergo antecedens est falsum. Sed contra negatur sequela, quia tunc dicitur quis acceptor personarum, quando non considerat in persona, quæ tenetur considerare, sed potiùs respectum habet ad quid aliud, ad quod non deberet respectum illum habere, ut si Judex in judicio hæreditatis non consideraret filium, qui ratione legis est considerandus tanquam hæres sui Patris, sed si habeat respectum ad amicitiam, & cognationem alterius, in cujus favorem judicat, tunc esset acceptor personarum. Quamobrem acceptio personarum tantùm est in iis, quæ tribuuntur ex justitia, non verò quæ ex pura gratia, sicut in casu nostro, ut quòd Deus conferat primam gratiam uni, & non alteri, non est acceptor personarum, quia neutri debetur gratia ex justitia, alioquin si deberetur, gratia non esset, sed debitum, unde in iis, quæ tribuuntur ex pura gratia, non potest Deus, nec princeps dici acceptor personarum, quia nemini fit injuria, & princeps potest elargiri sua bona, cui magis libuerit.

Quòd

Quòd si dicas, electionem requirere disparitatem in iis, qui eligendi sunt: siquidem qui in eligendo non errat, id eligit, quod melius est: ergo electio ad gratiam factam non est sine prævisione operum, & dispositionis ex parte liberi arbitrii, & firmari etiam potest ex D. Augustino *lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2.* ubi ait: *Nemo eligitur, nisi eam distans ab eo, qui rejicitur, unde quod dictum est; quia elegit nos ante mundi constitutionem, non video, quomodo, sit dictum, nisi præscientiâ*, unde Augustinus censet, quòd nisi Deus præscivisset, non elegisset nos ante mundi constitutionem, adeoque prævisio nostræ operationis præcedit electionem ad gratiam. Sed contra distinguitur antecedens, electio requirit disparitatem inter eligendos, quam ipse Deus eligens faciat, conceditur; requirit disparitatem, quam antecedenter jam factam inveniat, negatur antecedens, & consequentia; & ad testimonium desumptum ex Augustino respondetur, ipsum non loqui de electione ad primam gratiam, sed ad gloriam in executione, quæ electio præsupponit præscientiam meritorum, cum gloria in executione non detur, nisi ex prævisione meritorum. Præterea Augustinus *epist. 105. ad Sixtum* ait: *Qui sunt isti, qui respondent Deo, quandoquidem ille Rebecca habenti geminos ex uno concubitu Patris nostri Isaac, cùm illi nondum nati nihil egissent boni, vel mali, ut secundum electionem, propositum ejus maneret electione scilicet gratiæ, non debiti, electionem, qua eligendos facit ipse, non invenit, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est &c.* Rursus *epist. 106. ad Paulinum* ait: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, esse intelligatur, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non meritum hominis anteiret, non enim dicit electionem voluntatis humanæ, sive naturæ, cùm par esset in utroque mortis, damnationisque conditio, sed electionem proculdubio gratiæ, qua non invenit eligendos, sed facit.* Unde si sermo est de electione ad primam gratiam, ex D. Augustino hæc præcedit omnem actum liberi arbitrii, & omne meritum hominis, sin verò sermo sit de electione secundum decretum intentivum, hæc etiam præcedit omne meritum hominis, sin verò de decreto executivo, hæc electio præsupponit præscientiam nostrorum meritorum. Si dicas, antiquos Patres meruisse de congruo incarnationem, non obstante, quod hæc fuerit principium meriti eorundem, consequenter prima gratia cadit sub meritum liberi arbitrii, vel saltem sub dispositionem ejusdem. Respondetur antiquos Patres non fuisse promeritos substantiam, quæ non fuit principium meriti, sed tantùm aliquam circumstantiam, quæ non fuit principium meriti, ut quod Christus nasceretur ex stirpe Abrahami tali tempore, & hoc sufficit, ut prima gratia non dicatur cadere sub meritum.

Si quæras, quodnam genus meriti asseruerint Semipelagiani docentes, gratiam dari ex meritis fidei, & aliorum actuum, quos vocabant initia bene operandi, an constituerint in præfatis actibus meritum de condigno respectu primæ gratiæ superventuræ, an verò meritum tantùm de congruo. In hac difficultate videtur asserendum cum pluribus Thomistis, Semipelagianos constituisse meritum præcisè de congruo, ut etiam communior fert sententia, adeo ut prævii illi actus liberi arbitrii, & naturæ nonnisi de congruo censuerint potuisse commereri primam gratiam, idque liquet ex Cassiano *lib. 12. de instit. renunt. cap. 14.* ubi ait: *Dicimus, secundùm Salvatoris sententiam dari quidem petentibus, & aperiri pulsantibus, & à quærentibus inveniri: sed petitionem, & inquisitionem, & pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei, quod petimus, dederit*; unde Cassianus, qui fuit præcipuus propugnator hæresis Semipelagianorum, expressè excludit condignitatem, & meritum de condigno ab actibus elicitis à libero arbitrio respectu gratiæ consequendæ à Deo, hoc idem etiam repetit *collat. 13. cap. 13. & 16.* Faustus etiam præcipuus Antesignanus Semipelagianismi hoc idem astruit, quod Cassianus, ut refert Gennadius in ejus vita; consueverat enim asserere, *quidquid libertas arbitrii, pro labore piæ mercedis acquisierit, non esse proprium meritum, sed gratiæ donum*, id est, non esse meritum de condigno, quod propriè meritum dicitur, sed tantùm de congruo, ut asserit Faustus etiam *lib. 1. cap. 17.* inquiens: *Sed ante omnia arrogantiam laboris refugiamus; nec nobis quicquam de ejus meritis vindicemus, ne Pharisæum imitari pestifera justitiæ manifestatione videamur.* Hoc enim dicendi modo arbitrabantur Semipelagiani, veram rationem gratiæ in dono conatibus liberi arbitrii superaddendo salvare, & simul declinare hæresim Pelagianam ab Ecclesia damnatam, ne viderentur eam incurrere, ut innuit D. Hilarius *in epist. ad Augustin.* ubi asserit: *Massilienses non negasse gratiam, si dicatur talis voluntas præcedere, quæ tantùm Medicum quærat, non autem quidquam ipsa jam valeat*: asserebant enim, meritum illud nostri liberi arbitrii attributum conatibus esse adeo imperfectum, & leve, ut rationem gratiæ simpliciter in dono conatibus liberi arbitrii adjacendo minimè excluderet, quo pacto sentiebant, meritum illud conatibus liberi arbitrii attributum non esse meritum de condigno, quod ad æqualitatem mereretur primam gratiam, eò quia esset meritum valde imperfectum, & leve, proinde fuit tantùm meritum de congruo. Præterea, quia Semipelagiani ea tantùm ratione asserebant prærequiri conatus liberi arbitrii, & initia bene operandi, ut possent primam discretionem in negotio salutis revocare, seu refundere in liberum arbitrium, ne Deus eo inconsulto aliquos admitteret ad regnum, & alios ab eodem excluderet, ita esset acceptor personarum. Ad quod satis fuit constituere meritum aliquod de congruo in conatibus liberi arbitrii in ordine ad promerendam primam gratiam, ut satis apertè indicavit Cassianus *lib. 12. instit. cap. 14.* ubi ait: *Præsto est namque* (nempe Deus) *occasione sibi tantummodò à nobis bonæ voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda*: ergo verisimile est, viros alioquin doctos non constituisse meritum de condigno conatibus naturalibus valde imperfectis respectu gratiæ superaddendæ iisdem conatibus. Tum quia Concilium Arausicanum II. damnavit sigillatim, & ex professo Semipelagianorum errores, & nihilominus non damnat asserentes conatus nostros mereri de condigno, seu ex justitia primam gratiam, imò neque meminit hujus erroris, quem si Semipelagiani asseruissent, utique Concilium non reticuisset: quinimò ex eodem Concilio potiùs colligitur oppositum, siquidem *can. 6.* ait: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitùs, resistit Apostolo dicenti: quid habes, quod non accepisti?* Hinc Semipelagiani, quod à Deo tribuitur intuitu conatuum liberi arbitrii vocabant misericordiam, non justitiam, quia erat prima gratia afficiens voluntatem, quæ illi non debebatur ex justitia, eò quia conatus liberi arbitrii eam non promeruit de condigno, quapropter vocabant hanc primam gratiam afficientem liberum arbitrium, illudque juvantem ad operandum, Dei misericordiam, eò quia ex sola divina bonitate pro-

promanaret in liberum arbitrium. Neque obstat, quod asserunt aliqui, præsertim Coninck, *disput.* 4. *de actibus supernaturalib. dub.* 50. Ripalda *lib.* 1. *de ente supernat. disp.* 15. *sect.* 3. & alii asserentes, Semipelagianos constituisse in conatibus, & actibus naturalibus meritum de condigno respectu primæ gratiæ. Nam quamvis Semipelagiani non constituerent in conatibus liberi arbitrii meritum de condigno respectu gratiæ eidem superaddendæ, sed id palam negarent, ex quo tamen concesserunt meritum de congruo, cui infallibiliter sequeretur præmium gratiæ, D. Prosper intulit, ipsos voluisse primam gratiam esse debitam de condigno conatui liberi arbitrii, consequenter non esse gratiam: ait enim D. Prosper *cap.* 6. *contra Collat. Quomodo autem non advertis, te in illud damnatum incidere, quod, velis nolis, convinceres, dicere gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, & propter quod gratiam consequentur, affirmes?*

Ex eo igitur, quòd Semipelagiani potuerint meritum de congruo in conatibus liberi arbitrii præcedentibus gratiam, taliter, ut hæc semper ad eosdem consequeretur, &, ut ait D. Prosper, *velit nolis*, habetur gratia, intulit, gratiam non esse gratiam, sed debitam de condigno, consequenter non esse gratiam, quæ exigit dari omnino gratis absque ullo respectu ad prævium liberi arbitrii conatum, ac meritum, ac dispositionem, quæ debet esse in eodem ordine, in quo est forma, ad quam disponit, ut etiam meritum id exigit, quod non sit ordinis inferioris cum præmio, alioquin non daretur proportio, quæ necessariò requiritur inter meritum, & præmium, alioquin nullum genus debiti, vel justitiæ, vel condecentiæ potest in illo fundari: unde ex eo, quòd Semipelagiani docuerint, conatus liberi arbitrii esse meritorios saltem de congruo primæ gratiæ, intulit D. Prosper esse ejusdem ordinis cum gratia, ac cadere sub meritó de condigno illorum conatuum. Posuerunt Semipelagiani conatus illos ex parte liberi arbitrii meritorios de congruo primæ gratiæ in voluntate, quâ liberum arbitrium corroboraretur in ordine ad eliciendos actus alios supernaturales, & meritorios æternæ gloriæ, ne Deus diceretur acceptor personarum, si gratiam otiosis conferret, quam denegaret laborantibus, quæ tamen acceptio personarum, cùm non habeat locum in iis, quæ ex pura gratia conferuntur, sed tantùm in iis, quæ ex justitia debentur, ut superius explicuimus, rectè S. Prosper intulit ex Semipelagianorum sententia, quòd gratia debeatur ex justitia nostris operibus, seu conatus liberi arbitrii tanquam meritis de condigno, quamvis Semipelagiani apertè negaverint. Præterea Sancti Patres, præsertim Prosper, & Augustinus, & Hilarius censuerunt absurdum, & pro inconvenienti intulerunt, quod gratia debita sit conatibus naturalibus liberi arbitrii, quia si gratia est, nullam dicit exigentiam prævii meriti, neo præsupponit liberi arbitrii conatus, in quibus ajebant Semipelagiani esse meritum de congruo gratiæ corroborantis, ac elevantis voluntatem ad statum supernaturalem, proinde ex eo, quòd assererent, conatus nostros naturales mereri saltem de congruo gratiam, rectè intulit Augustinus, gratiam illam non esse gratiam, sed quid debitum, & à natura exactum, unde potiùs induit rationem præmii, quàm gratiæ, quia illud debetur merentibus, & quidem juxta mensuram operum, & merito-rum, gratia verò nullo modo est debita, sed dependet ex pura voluntate eam dantis.

Hinc quia Semipelagiani docebant, Deum expectare nostras voluntates, ut suam conferret gratiam, seu præfatos conatus liberi arbitrii, ne diceretur acceptor personarum, & otiosis potius, quàm laborantibus suam conferret gratiam, superest explicandum, quid intellexerint per illam expectationem plures cum Alvarez *disput.* 95. & 97. *de auxiliis*, & *lib.* 3. *respons. cap.* 4. asserunt, Semipelagianos docuisse Deum expectare nostras voluntates, & conatus liberi arbitrii, quia positâ gratiâ præveniente in intellectu, ajebant, Deum non determinare voluntatem, ut cooperetur: sed hanc determinationem, & inchoationem potiùs desumi ex voluntate creata, quæ gratiam indifferentem, & sufficientem, sibi collatam applicaret, ac determinaret ad operandum, adeo ut non sequatur ex eo, quòd Deus operatur, operetur etiam voluntas creata, seu ei cooperetur; sed potius è converso, quia voluntas creata operatur, gratia Dei cooperatur. Alii verò cum Suarez existimant, in hoc sensu dixisse Semipelagianos, Deum expectare nostras voluntates, quia ajebant dari in nobis, & ex nobis aliquos conatus, & initia salutis, seu actus imperfectos, ad quorum positionem Deus impertiatur dona suæ gratiæ, ac propterea expectare nostras voluntates, ut gratiam nobis impertiatur purgantem, & salvantem. Verùm ex Semipelagianis quidam Pelagio adhærentes asserebant, initia salutis esse prorsus ex nobis, & independenter à gratia sufficiente libero arbitrio superaddita, & isti cogebantur affirmare, Deum expectare voluntates nostras non solùm, ut inciperet gratiam determinare, verum etiam ut totum actum initialem, seu conatum eliceret; cui Deus postea gratiam veluti præmium adjiceret, essetque propterea gratia collata libero arbitrio, seu voluntati præmium præcedentium conatuum ejusdem liberi arbitrii. Alii verò, ut ab hæresi Pelagiana magis distarent, concedebant, gratiam superadditam, ac prævenientem etiam pro illis primis conatibus, & hanc gratiam asserebant communiter tribui omnibus, quatenus vult Deus omnes homines salvos fieri, & asserebant, initium nostræ salutis esse ex nobis, eò quia existimarent, quòd posita illa gratia sufficienti, & veluti potentiali homo se & illam determinet ad agendum absque alio auxilio efficaci præoperans: & in hoc sensu fatebantur, Deum expectare nostras voluntates, quatenus positâ gratiâ sufficienti Deus non inchoabat actum, sed expectabat, ut voluntas ex gratiâ præventa ad bonum se inclinaret, & gratiam potentialem determinaret, hinc Deus arbitrio operanti cooperabatur per gratiam: Quamobrem Semipelagiani asserebant, Deum expectare nostras voluntates, quatenus illas non determinat efficaciter, sed tantùm eis tribuat gratiam sufficientem, ab ipsis determinabilem, ac proinde, ut per gratiam cooperetur, debeat expectare, ad quam partem se inflectat liberum arbitrium. Tum quia Faustus, & Cassianus in eodem sensu id docuerunt, in quo affirmarunt, initium salutis esse ex nobis, non quia ab eo initio gratiam sufficientem excluderent, sed quia excludebant gratiam efficacem assertam ab Augustino: & hoc pacto primam conatuum inchoationem, & ipsius gratiæ quasi passivam determinationem attribuebant arbitrio, unde in eodem sensu dixerunt, Deum expectare nostras voluntates, nempe quia positâ gratiâ sufficiente non addit efficacem, ut per gratiam ipse cooperetur. In quo nostra sententia differt ab illa Semipelagianorum, quia, tametsi asseramus, Deum prius conferre suam gratiam prævenientem intellectui nostro, quæ gratia sita sit in quadam pia illuminatione, ac illustratione intellectus, vel pia aliqua cogi-

cogitatione suadente voluntati, ut amplectatur bonum ei repræsentatum, & Deus dicatur expectare prædeterminationem negativam ejusdem voluntatis, seu liberi arbitrii, non tamen volumus à libero arbitrio ullum elici conatum meritorium gratiæ subsequentis, nec præcedentis ex parte intellectus, sed tantùm dicimus, Deum expectare nostram voluntatem, ut non ponat obicem divinæ illi illustrationi ex parte intellectus, sed sinat se ab eodem allici, & suaderi, tunc enim, si sinat se passivè persuaderi, & non ponat obicem, dicimus, Deum præter gratiam illam prævenientem ex parte intellectus conferre voluntati, ac libero arbitrio uberiorem gratiam, seu efficacem, qua possit actus supernaturales elicere: quo pacto initium nostræ salutis non dicimus esse liberum arbitrium, seu illam primam gratiam, seu illustrationem se tenentem ex parte intellectûs, & prima initia diaimus esse à gratia etiam efficaci collata voluntati non ponenti obicem, & qua voluntas operatur. Præterea quia Semipelagiani asserebant Deum expectare nostras voluntates, ne si exploratis ejus conatibus gratiam tribueret, videretur personarum acceptor, quod inconveniens declinabant dicentes, Deum omnibus communiter tribuere auxilia gratiæ sufficientis, ac determinabilis per arbitrium, & ulteriorem cooperationem eis tantùm adjicere, qui negotium salutis aggrediebantur, & gratiam sibi datam determinabant, ac trahebant ad usum, adeo ut semper posuerint quosdam actus, & veluti conatus liberi arbitrii, qui præcederent gratiam impertiendam voluntati, & qui essent merita ejusdem, quod ut Hæreticum ab Ecclesia damnatum fuit, eò quia gratia non detur intuitu illorum conatuum liberi arbitrii, sed omnino gratis à Deo conferatur etiam voluntati, dummodo hæc non ponat obicem illi illustrationi, seu piæ cogitationi se tenenti ex parte intellectus, quæ est gratia sufficiens, quàm Deus omnibus impertitur hominibus, *Joan. 1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Demum quia Semipelagiani asserebant Deum expectare eas voluntates, quas ipsi ajebant esse initia nostræ salutis, & merita gratiæ, quod est falsum, quia sine gratia non dantur initia salutis, nec merita uberioris gratiæ: & ex illis aliqui pro initiis, & meritis licèt non negaverint gratiam cooperantem, negabant tamen gratiam præviam, sive præviè operantem, ut asserit D. Augustinus, & in hoc sensu Semipelagiani asserebant, Deum expectare nostras voluntates, quia in eis præviè non operatur, sed cum illis cooperatur, supponendo earum determinationem. Minor constat ex D. Prospero *in epist. ad Augustinum*, ubi loquens de Semipelagianis ait: *Nec considerant, se gratiam Dei, quàm comitem non præviam humanorum esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundùm suam phantasiam non negant esse præventas.*

# CAPUT VII.

## Expenduntur alii Semi-Pelagianorum errores.

NOn solùm Semipelagiani errârunt circa gratiam circa prædestinationem, quæ dupliciter sumi potest, primò pro efficaci transmissione electorum ad gloriam: secundò pro quolibet Dei decreto efficaci, & absoluto circa nostros actus: & in utroque sensu negaverunt Semipelagiani prædestinationem Dei, quæ actus nostros antecedat, & imperet, eò quia crediderint per hanc prædestinationem fatalem quandam necessitatem imponi libero arbitrio, qua libertas totaliter evertitur, quapropter docebant, Deum nihil circa nostros actus & salutem prædestinâsse, nec decrevisse, nisi priùs præsciret, in quam partem propenderet arbitrium, hanc fuisse Semipelagianorum doctrinam fatetur S. Prosper *in præfata epist. ad Augustinum* inqniens: *Removeri dicunt omnem industriam, & tolli virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates; & sub hoc nomine prædestinationis fatalem necessitatem induci*; & prope finem subjungit: *pœna omnnium par invenitur, & una sententia, qua propositum, & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate, & actione præscierit.* Hoc idem etiam colligitur ex Fausto Regiensi, qui ex impugnatore Prædestinatorum acerrimus factus est Semipelagianorum propugnator: hic enim in duobus libris de gratia, qui extant *Tom. 4. Bibliothec. Sanctor. Patr.* apertè explicant suam sententiam: siquidem *lib. 1. cap. 10.* perpendens verba Apostoli *ad Roman. 2. Et nunc reddet unicuique secundùm opera sua*, ait: *Adverte, quod, dum dicit, secundùm opera sua, salutem hominis non in prædestinatione factoris, sed in operatione famulantis largitor gratiæ collocavit.* Et *cap. 11.* ait: *Igitur, dum liberi interemptor arbitrii* (ita vocat S. Augustinum assertorem gratiæ, quæ secundùm sententiam Semipelagianorum evertebat liberum arbitrium) *in alterutram partem omnia ex prædestinatione statuta, & definita esse pronuntiat, etiam superna remedia pœnitentiæ; sensu abrupta impietatis evacuat.* Similia etiam habet *cap. 13. & 16.* ubi concludit, *novum ergo remedium nihil agere potuit, si ante sæcula res humanas definitio vetusta præfixit*; & *lib. 2. cap. 2.* ait: *Præscientiam, & prædestinationem Dei malè intelligunt adstruentes, quòd inde humanorum actuum causa nascatur*; & nonnullis interjectis subdit: *Agnosce, quòd præscientia Dei de materia humanorum actuum sumat exordium, quid de nobis præscire, aut praordinare debeat Deus, quantum pertinet ad futurum in profectu hominis, defectúque consistit.*

Præterea Semipelagiani in materia prædestinationis propugnarunt sententiam omnino contrariam D. Augustino, ut liquet ex verbis Prosperi in epistola ad ipsum directa, ubi ait: *contrarium Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundùm Dei propositum disputâsti*; atqui certum est, Augustinum asseruisse, prædestinare homines, ac prædefinire eorum opera independenter ab operibus prævisis, ergo constat, Semipelagianos contrarium docuisse, scilicet prædestinationem & prædefinitionem Dei non præire scientiam futurorum, sed potiùs eorum præscientiæ inniti. Quam sententiam impugnat Augustinus *in lib. de prædestinatione Sanctorum*, quem scripsit occasione epistolæ Prosperi nam *cap. 17.* ait: *Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione,*

*natione, in qua Deus sua futura facta præscivit: electi autem sunt de mundo ea vocatione, qua Deus id, quod prædestinavit, implevit.* Et *cap.* 20. *Prædestinatione*, inquit, *Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus, unde dictum est, fecit, quæ futura sunt.* Legatur Petrus Diaconus apud Fulgentium *de Incarnatione, & gratia cap.* 8. ubi hæc habet: *Quorum omnium Sanctorum Patrum imbuti doctrinis anathematizamus Pelagium, & Cœlestium, simúlque etiam Julianum Edonensem, & qui illius similia sapiunt; præcipuè libros Fausti Galliarum Episcopi, qui de monasterio Lyrinensi profectus est, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse, non dubium est. In quibus non solùm contra doctrinam horum Sanctorum Patrum* (nempe Augustini, & ejus Discipulorum) *Verùmetiam contra ipsius Apostoli contradictionem veniens, humano labori subjungit gratiæ adjutorium.* Ex quibus constat, quid de præscientia Dei circa futuros eventus senserint Semipelagiani, cùm enim non admitterent prædestinationem, & prædefinitionem juxta sententiam D. Augustini, adeo ut Deus inconsulto arbitrio creato ejus opera decerneret (eo quia putarent per hæc decreta efficacia, & absoluta fatalem necessitatem imponi libero arbitrio) adacti sunt concedere, quod Deus ante suæ voluntatis determinationem præscierit futuros eventus, & in quam partem liberum arbitrium ex se propenderet, ac se se flecteret, & quod huic præscientiæ suam prædestinationem accommodaverit, adeo ut Deus in negotio prædestinationis se regulaverit juxta præscientiam meritorum hominis, ut constat *ex citata epistola* D. Prosperi ad Augustinum, ubi ait: *Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sint jubendi, mansuri sunt; præscivisse dicunt ante mundi constitutionem Deum: & eos prædestinâsse in regnum suum, quos gratis vocatos dignos futura electione, & de hac vita bono fine excessuros præviderit.* Tum ex Fausto *lib.* 2. *cap.* 3. ubi ait: *Aliud est præscire, aliud prædestinare: præscientia gerenda prænoscit, postmodum prædestinatio retribuenda describit: præscientia de alieno subsistit actu, prædestinatio de judicio suo: à præscientia, quæ sunt nostra, produntur, à prædestinatione, quæ sunt, præparantur, ac per hoc nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit.* & *cap.* 6. inquit: *Sed dicis: cùm adhuc non egissent aliquid boni, aut mali jam præfinitis partibus deputantur, quid mirum, si quorum actus prævidit, eorum exitus præsignavit? Et ideo sicut eos cursum vivendi pro arbitrio proprio disposituros esse constabat, ita pro Dei potentia prænoscuntur, pro justitia præordinantur: hoc totum de eis prædicitur, non præfinitur.* Unde nulli dubium, quin Semipelagiani totum prædestinationis negotium voluerint dependere à præscientia futurorum, quæ non inniteretur decreto Dei, adeo ut per talem præscientiam dirigeretur Dei propositum, quam doctrinam extendebant non solùm ad futura absoluta, verum etiam ad conditionata, quæ nunquam erunt, sed tantùm essent, si poneretur aliqua conditio: & quia ab Augustino urgerentur exemplo parvulorum, qui omnes nascuntur cum peccato originali, & initium bonæ voluntatis non habent, & quidam eorum baptizentur, & salventur, & quidam baptismo destituti ab æterna excludantur salute, respondebant apud D. Prosperum *citata epistola: Tales perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad adultam pervenissent ætatem scientia divina præviderit.* Et cùm Augustinus inquireret, cur istis, non illis prædicaretur Evangelium, respondebant, ut refert D. Prosper, *dispensâsse Deum tempora, & ministeria prædicationis, juxta quod providebat aliquos credituros, & exorturam esse bonarum voluntatum credulitatem:* & D. Hilarius *in epist.* quam direxit ad eundem Augustinum, ait: *Cum autem dicitur eis, quare aliis vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, vel nunc prædicetur, quod aliquando pœne omnibus, sic nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit? dicunt id præscientiæ esse divinæ, ut eo tempore, & ibi, & illis veritas annuntietur, vel non annuntietur, quando & ubi prænuntiabatur, esset credenda.* Hinc Semipelagiani asserebant prædestinationem non habere certitudinem ex se, sed ex sola præscientia, adeo ut illud tantùm esset certò futurum, quod Deus præscivisset fore futurum, ac decrevisset, ut esset.



Verùm ut in hac controversia cum debita distinctione procedatur, certum est, Deum neminem reprobare aut prædestinare ad æternam damnationem, nisi ob prævisum peccatum. Et nulli adultorum actualiter in tempore conferre gloriam, nisi propter merita præcedentia. Inter Catholicos censent plures, non solùm nulli adulto in tempore conferri gloriam, nisi ob merita præcedentia, verùm etiam nullum eligi ab æterno ad gloriam, nisi ob merita ejus prævisa, adeo ut ante prævisa merita Deus nullum peculiarem affectum dandi gloriam habuerit erga ullos, sed tantùm communem voluntatem simplicem, & antecedentem indifferenter erga omnes homines, & qua æqualiter illis gloriam voluit tanquam præmium per merita consequendum, unde quem prævidit in tempore habiturum merita, ei efficaciter ab æterno decrevit præmium, non verò ei, quem prævidit meritis destitutum. Communior tamen Theologorum sententia concedit quidem, Deum in tempore conferre gloriam propter merita, & ab æterno decrevisse eam ita conferre; sed negat ab æterno prædestinasse, seu prælegisse propter merita ad gloriam. Quamobrem cum hac secunda sententia

Dicendum est, prædestinationem ad gloriam fieri à Deo ante prævisa merita, ita ferè communiter Theologi cum D. Thoma *lib.* 6. *sent. super distinct.* 41. *art.* 3. *in corpore*, ubi expressè ait: *Præscientia meritorum, vel aliquorum operum nullo modo est causa prædestinationis divinæ.* Ratio id etiam evincit, quia causa est necessariò prior suo effectu, cùm operari præsupponat esse, à quo fit, ut effectus sequatur ad suam causam, à qua dimanat: sed electio, & prædestinatio ad gloriam, est prima radix, & causa omnium meritorum, quibus ad gloriam perducuntur electi, & prædestinati: ergo merita præsupponunt prædestinationem, ut propriam causam. Minor ostenditur, quia bona opera, seu merita non fiunt sine gratia supernaturali, quæ dat operibus formam supernaturalitatis, & rationem meriti, & gratia est primus effectus prædestinationis supponens prædestinationem, ut propriam causam. Tum quia gratia est medium, quo bene operamur, & salutem consequimur, & prædestinatio ad æternam salutem, seu ad gloriam est radix, & causa omnium mediorum ad salutem consequendam, scilicet prædicationis Evangelii, gratiæ efficacis, ut homines credant, operent, diligant, lapsi resurgant, ac perseverent usque in finem per singularem Dei providentiam, ut

docet D. Thomas *in cap. 9. epist. ad Rom. Lect. 3.* inquiens. *Manifestum est, quòd omne beneficium, quod homini confert, gratiæ, quâ homo justificatur, sed etiam ad gratiæ usum*: seu ad merita, quæ fiunt mediante gratia, ejusque usu, quo nobis cum cooperatur: ergo prædestinatio ut causa gratiæ, & meritorum, est prior ipsis meritis. Firmatur ex illo *Actor. 13. Crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam*, adeo ut hæc causalis vera sit, ideo crediderunt, quia prædestinati erant: ergo prædestinatio fuit causa, cur crederent, consequenter fuit prior quàm meritum fidei, proinde prædestinatio, ut causa meritorum est prior meritis, sitque ante prævisionem meritorum. Hinc D. Augustinus *lib. de corrept. & gratia cap. 7.* ait: *Quicunque ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur eis audiendum Evangelium, &, cùm audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque ad finem perseverant*: ait Augustinus eatenus procuratur eis ad audiendum Evangelium, &, cùm audiunt, credunt; quia discreti sunt ab illa originali damnatione; seu quia sunt electi, & prædestinati: unde prædestinatio tanquam causa præcedit merita, & bona opera: & paulo infra subdit: *Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est, qui & elegit eos in filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ. Non enim sic sunt vocati, ut non essent electi; sed quoniam secundum propositum vocati sunt, profecto electi sunt per electionem, ut dictum est, gratiæ, non præcedentium meritorum suorum.* Evincitur hæc veritas etiam ex illo *ad Ephes. 1.* ubi Apostolus ait: Deum elegisse nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati; ait: enim *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati*, ubi D. Augustinus *de prædestinat. cap. 19.* ait: *Non quia futuros nos tales præscivit, sed ut essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ, qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. Cum ergo nos prædestinavit, opus suum præscivit, quo nos sanctos, & immaculatos facit*, & *cap. 18.* ait: *Intueamur verba Apostoli, atque videamus, utrum propterea nos elegerit ante mundi constitutionem, quia sancti, & immaculati futuri eramus, an ut essemus?* ait Augustinus, Apostolum scripsisse, Deum nos elegisse ante mundi constitutionem, non quia eramus sancti, non quia præsciverit nostra merita, nostramque sanctitatem, sed ideo nos elegit, ut essemus sancti, & immaculati, subdit Augustinus: *Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus, ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse prædestinans, ut tales per gratiam ejus essemus &c.* postea subjungit: *Deinde, quid adjungat, attendite, secundùm placitum, inquit, voluntatis suæ, ne in tanto beneficio gratiæ Dei placito gloriaremur voluntatis nostræ*, ex quibus constat evidenter Deum in electione, & prædestinatione Sanctorum non consideràsse bona nostra merita, sed suam bonitatem, qua voluit nos eligere ad æternam gloriam, adeo ut merita, & bona nostra opera sint effectus gratiæ.

Si dicas, præfatum D. Pauli textum non esse intelligendum de electione ad gloriam, sed de electione ad gratias, & merita. Contra est, quia D. Paulus loquitur de sanctitate consummata, & perfecta, quæ simul nectitur cum gloria, ut patet ex ejus verbis; ait enim, *elegit nos, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus*, hoc est, in cœlesti gloria, ubi Deum videbimus facie ad faciem. Contra secundò, quia ex eo, quòd Deus eligat efficaciter ad gratiam, & merita ante visionem meritorum, non læditur humana libertas, ergo neque ex eo, quòd eligat ad gloriam, lædi potest. Contra tertiò, quia ad summum verba Apostoli possent intelligi de electione ad gratiam sanctificantem, de qua solùm potest verificari esse propter nostram justificationem, siquidem ait Apostolus. *Ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus*, non enim sumus sancti, nisi per gratiam sanctificantem, à qua homines denominantur sancti, sed gratia sanctificans confertur in tempore ex præcedentibus nostris actibus, qui licèt non mereantur de condigno gratiam sanctificantem, sunt tamen dispositiones ad illam, quia eliciuntur ex aliis præcedentibus gratiis supernaturalibus, imò, ut volunt aliqui, merentur etiam de congruo ipsam gratiam sanctificantem, & tamen electio ad gratiam sanctificantem non supponit merita ex D. Paulo, ergo neque electio ad gloriam. Præterea D. Paulus loquitur de electione prædestinationis propriè sumpta, & electio ad gratiam non est propria prædestinatorum, nisi nectatur cum electione ad gloriam, & procedat ex illa: ergo Apostolus loquitur de electione ad gloriam, vel ad gratiam consummatam, ut connexam cum ipsa gloria, vel loquitur de electione ad gratiam prout in radice, quatenus electio ad gloriam est radix electionis ad gratiam.

Probatur ulteriùs ex eodem Apostolo *ad Roman. 9.* ubi apertè asserit, causam electionis ad gloriam non esse merita prævisa: unde sequitur prævisionem meritorum non esse priorem efficaci voluntate dandi gloriam, idque probat Apostolus ostendens, promissiones factas non esse posteris Abrahæ secundùm carnem, sed filiis promissionis, quos elegit Deus ex mero, & solo suo beneplacito sine ulla meritorum prævisione, & probat exemplo Ismaelis, & Isaac, quia iste, licèt non fuerit primogenitus, hæres fuit nihilominus promissionum Abrahæ, & ne quis dicere posset, Ismaelem fuisse Filium ancillæ, Isaac autem filium Dominæ, seu liberæ; adfert secundo loco exemplum Esau, & Jacob, qui cum ex eodem utero, & eodem tempore geniti fuissent, eorum nihilominus alter, cui hæreditas minus videbatur debita, dicitur dilectus, alter verò odio habitus, ait Apostolus: *Non solùm autem illa* (scilicet Sara) *sed & Rebecca ex uno concubitu habens, id est, Isaac Patris nostri: cum enim nondum nati essent, nec aliquid boni, aut mali egissent, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Si dicas, ibi Apostolum non loqui de electione ad bona spiritualia, scilicet ad gratiam, & gloriam, sed tantùm de electione ad paternam hæreditatem, & primogenituram temporalem. Contra est, quia ibi Apostolus loquitur de electione ad bona spiritualia, proinde concludit; *Igitur non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei*, & infra vocat electos *vasa misericordiæ, quæ Deus præparavit in gloriam*, quem textum expendens D. Augustinus *in Enchir. cap. 98.* ait: *Quæ in re si futura opera, vel bona hujus, vel mala illius, quæ Deus utique præsciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret, ex operibus; sed ex futuris operibus, eoque modo istam solveret quæstionem, imò nullam, quam solvere opus esset, faceret quæstionem*, unde ex D. Augustino dilectio, seu electio Jacob fuit prior præscientia omnium operum ejus præsentium, & futurorum naturalium, & supernaturalium,

naturalium, quod etiam repetit *lib. 2. contra secundam epist. Pelagii cap. 7.* inquiens: *Profectò desipitis, quia, dicente veritate, non ex operibus, sed ex vocante, vos dicitis, ex futuris operibus, quæ Deum illum facturum esse præsciebat, Jacob fuisse dilectum, atque ita contradicitis Apostolo.* Præterea Augustinus *lib. 1. ad Simplic. quæst. 2.* Chrysostomus *homil. 55. in Genes.* & alii Sancti Patres intelligunt verba Apostoli de electione ad gloriam, & de exclusione ab illa.

Dices, dilectionem Jacob, & odium Esau, fuisse ante opera in re exhibita in tempore, non verò ante visionem eorundem in æternitate, cùm Apostolus dicat: *Antequam nati essent*, quod non potest verificari ante visionem nativitatis eorundem: quia electio, & reprobatio supponunt decretum creationis, & nativitatis. Sed contra, quia si verba D. Pauli essent ita intelligenda, non fuisset ratio, cur debuisset admirari; neque addidisset illa verba: *Miserebor, cui misereor, igitur non est volentis, nec currentis, sed miserentis Dei*; non enim Jacob diti posset electus ex misericordia, sed ex suis prævisis operibus, proinde electio Jacob non esset tribuenda Deo miserenti, sed Jacob bene operanti.

Sed dices adhuc cum Lessio, & aliis D. Paulum tantùm excludere opera legis, in quibus confidebant Judæi, non verò excludere opera fidei facta per gratiam, vel solùm excludere opera facta, non verò opera facienda. Sed contra, quia Apostolus nonsolùm excludit, opera facta, verùm etiam facienda & prævisa, alioquin non posset commodè dici absque ulla admiratione, opera illa prævisa esse causam electionis ad gratiam, de qua etiam loquitur, quod est falsum, quia esset sentire cum Semipelagianis. Rursus si electio esset ex meritis faciendis, & prævisis, non addidisset D. Paulus, *non ex operibus, sed ex vocante, & ut secundùm electionem, propositum Dei maneret*, cùm igitur Apostolus hoc veluti emblemate intenderit repræsentare prædestinationem ad gloriam, non est dubium, quin etiam agat de electione efficaci ad gloriam, præsertim, cùm ibi concedatur, amor gratuitus Dei erga electos, ex quo sequitur electio ad gloriam.

Rursus hoc idem probat Apostolus *ad Roman. 8.* ubi expressè ait, electionem ad gloriam esse causam primæ vocationis, & totius perseverantiæ, inquiens: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti: nam quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imaginis filii sui; quos autem prædestinavit, hos & vocavit*: vocatio enim secundum propositum, est vocatio propriè electorum, prout isti discernuntur à reprobis, quòd si ex Apostolo efficax vocatio electorum facta est ex proposito illis dandi vitam æternam, jam propositum præcedit voluntatem vocandi, consequenter præscientiam meritorum, quæ dependent à vocatione; hinc Augustinus *de prædestinat. Sanctor. cap. 16. sciens, esse certam quandam vocationem eorum, qui secundùm propositum vocati sunt, hanc vocationem docet Apostolus præcedere ex electione, & electio dicitur causa, cur omnia electis cooperentur in bonum*, scilicet, ut vocentur, justificentur, glorificentur. Quòd si electio ad gloriam ex D. Paulo, & Augustino est causa omnium bonorum operum, quæ fiunt ab electis, quibus ratione electionis omnia cooperantur in bonum, sequitur manifestè, electionem ad gloriam præcedere meritorum prævisionem, perinde ac de ratione causæ est præcedere effectum, audiendus est D. Augustinus *in soliloquiis c. 28.* ubi gradatim effectus prædestinationis recenset, inquiens: *Mandas autem de nobis filiis hominum eos, in quibus tibi placuit habitare, quos ab inaccessibilibus profundis secretis judiciorum incomprehensibilium sapientiæ tuæ semper justorũ, licet occultorum; sine eorum meritis prædestinasti ante mundum, vocasti de mundo, justificasti in mundo, & magnificasti eos post mundum, non omnibus autem hoc facis, quod admirantur tabescentes omnes sapientes terræ.* Et *lib. de prædestinat. Sanctor. c. 17.* ait: *Quos prædestinavit, ipsos & vocavit: illa scilicet vocatione secundum propositum: non ergo alios, sed quos prædestinavit, ipsos & vocavit: nec alios, sed quos vocavit, ipsos & justificavit: nec alios, sed quos prædestinavit, justificavit, ipsos & glorificavit, illo utique fine, qui non habet finem.* Priùs ponit prædestinationem veluti causam, & principium mediorum, quibus prædestinati æternam gloriam consequuntur, posteà tanquam effectum prædestinationis recenset vocationem, deinde justificationem, & tandem glorificationem.

Præterea hoc idem evincitur ex illo *Luc. 12.* ubi Christus ait: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*, ubi Christus loquitur de electione efficaci propria prædestinatis, qui significantur nomine pusilli gregis, de quibus Christus tantùm loquitur, & exhortatur Apostolos, ne timeant sibi defutura temporalia, & addit rationem à fortiori, quia si complacuit Deo dare illis regnum cœleste, multò magis concedet terrena.

Quod si dicas, illa verba esse intelligenda de complacentia inefficaci, & simplicis affectus. Contrà est, quia verba illa diriguntur ad prædestinatos, consequenter non possunt intelligi de illa voluntate antecedente, qua Deus vult omnes salvos fieri, quia hæc voluntas est communis omnibus etiam reprobis, neque obstat, in pusillo grege Apostolorum fuisse etiam Judam, quia Christus loquebatur ad majorem partem Discipulorum.

Si instes, hanc voluntatem esse post visionem meritorum. Contra est, quia voluntas dandi gloriam post merita & juxta mensuram meritorum est voluntas dandi gloriam ex justitia, non verò ex puro amore, & complacentia. Deinde ipsa merita sunt ex gratia, ut etiam ipsa merces, quia quando merces, præmium, corona est formaliter ipsa gratia, quatenus datur gratuitè, tunc merita non præcedunt intentionem illius, alioquin non esset gratia, quia hæc exigit omnino gratis dari, & illud datur gratis, quod datur nullis præcedentibus meritis: sed gloria, etiam ut merces, corona, & præmium, est gratia, consequenter intentio dandi gloriam, etiam ut merces, corona, & præmium est ante prævisa merita, eò quia ipsa merces sit gratia gratis data, quoties enim aliqua merces ita confertur acquirenda per merita, ut non solùm merces, sed etiam merita, seu media ad consequendam mercedem gratis donantur, tunc non solùm collatio meritorum, verùm etiam intentio conferendi mercedem per merita, est mera gratia, quæ propterea præcedit merita: atqui gloria ita est merces acquirenda per merita, ut ipsa merita sint gratia, ac dona gratuita à nobis data, ergo non solùm collatio meritorum, verum etiam ipsa intentio dandi gloriam, ut merces, antecedit prævisionem meritorum; si enim Imperator intendit alicui dare aliquam urbem acquirendam per arma, & ei gratis conferat milites, & arma, & omnia suppeditet necessaria media ad occupandam urbem illam; tunc intentio dandi illam civitatem, ut mercedem acquiren-

quirendam per merita, non supponeret merita, quæ ad illam consequerentur, siquidem donarentur gratis ex vi illius intentionis gratuitæ conferendi illam civitatem acquirendam per merita gratis donanda: atqui Deus intendit dare gloriam adultis, ut mercedem acquirendam per merita, quæ ipse omnino gratis suppeditat: ergo intentio dandi gloriam etiam ut merces est ante prævisionem meritorum.

Ostenditur etiam veritas assertionis argumento communi, & efficaci. Qui ordinatè vult, non potest velle media, quæ novit fore infallibiliter efficacia, priusquam efficaciter velit finem, adeo ut efficax electio medii conducentis efficaciter ad finem præsupponat essentialiter efficacem intentionem finis: sed Deus, cùm operetur perfectè, ordinatè operatur, & vult, & electio prædestinatorum ad gratias, & merita, ut discretiva eorum à reprobis, est electio efficax medii conducentis efficaciter ad gloriam, ergo Deus non prius vult electionem prædestinatorum ad gratiam, & merita, ut discretiva illorum à reprobis, quam velit efficaciter, & in speciali ipsum finem: unde si volitio efficax finis in particulari præcedit electionem mediorum ad ipsum, sequitur manifestè, electionem efficacem ad gloriam præcedere ipsa merita.

Huic argumento respondent plures, quòd tametsi necessarium sit, volitionem finis præsupponi ad volitionem mediorum, asserunt tamen non esse necessè, quod volitio efficax finis præsupponatur ad volitionem efficacem mediorum, ajunt enim, sufficere, si præsupponatur voluntas finis inefficax, consequenter satis esse, ponere in Deo voluntatem inefficacem dandi ploriam omnibus, antequam intelligatur in ipso voluntas efficax dandi aliquibus gratiam, & merita, siquidem voluntas illa, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, est voluntas inefficax, & tamen ex illa voluntate intelligimus, Deum conferre omnibus hominibus auxilia sufficientia ad salutem: ergo ex inefficaci; intentione finis potest procedere efficax electio mediorum. Verùm hæc responsio non videtur enervare difficultatem, quia ab intentione inefficaci non potest provenire electio efficax: siquidem intentio finis est ratio, & causa eligendi media, adeo ut electio mediorum procedat tanquam effectus ab ipsa intentione finis: sed causa nequit agere ultra suam virtutem, neque potest effectus excedere virtutem causæ, alioquin juxta mensuram excessus non esset à virtute causæ, & excessus ille esset effectus sine causa. Præterea quia stante æquali intentione respectu hominum non potest intelligi, quomodo velit media efficacia uni, & inefficacia alteri, cum tota ratio appetitionis mediorum sit intentio finis, non enim ex æquali intentione finis potest provenire inæqualis electio mediorum.

Si dicas, hanc inæqualitatem, & inefficaciam in electione non oriri ex intentione dandi gloriam, quæ præsupponitur, sed ex sola Dei voluntate, qui ex motivo divinæ bonitatis vult liberè, & gratuitè dare uberiorem gratiam uni, quàm alteri. Contra est, quia eo ipso, quòd conceditur, ut est necessariò concedendum ad electionem mediorum, prærequiri necessario intentionem finis, sequitur ad electionem inæqualem prærequiri intentionem inæqualem, quia juxta vulgatum illud Philosophi axioma, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis, ad magis; si enim ad calefaciendum requiritur calor, ad majorem calefactionem requiritur major calor, & quia de divinis discurrimus ex proportione ad humana, quando exinde non sequitur aliquod absurdum, quod in præsenti non apparet, axioma Philosophicum debet etiam verificari in divinis.

Si dicas, præfatum axioma non procedere de his, quæ se habent tantùm ut conditiones ad agendum, ut est approximatio respectu caloris, & intentio finis respectu electionis mediorum: quia electio non sequitur ad intentionem finis, ut effectus ad causam, sed tantùm ex naturali quadam connexione, quatenus ex positione unius sequitur aliud. Contra est, quia intentio finis revera influit in electionem mediorum: siquidem movemur ab intentione finis ad electionem mediorum, adeo ut intentio finis sit nobis ratio eligendi media: sed de divinis actibus philosophamur per ordinem ad objecta, & actus nostros, quando exinde non sequitur absurdum, ut in præsenti non apparet, alioquin non philosopharemur rationabiliter de divinis actibus, unde gratis, & absque rationabili fundamento asseritur intentionem finis respectu electionis mediorum esse puram conditionem.

Ex eo igitur, quod Semipelagiani voluerint prædestinationem fieri mediante prævisione meritorum, quid senserint de Dei præscientia circa futuros eventus facilè conjicitur. Cum enim non admitterent prædestinationem, qua Deus inconsulto libero arbitrio hominis ejus opera decerneret, coacti erant admittere, quòd Deus ante suæ voluntatis determinationem præscierit futuros eventus, & quod huic præscientiæ suam prædestinationem, & decreta accommodaverit, adeo ut hæc præscientia fuerit in Deo veluti regula prædefiniendi futura, ut liquet ex D. Prospero *incitat. epist.* ubi ait: *Qui autem credituri sunt, quivè in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sunt jubendi, mansuri sunt; præscisse dicunt ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futura electione, & de hac vita bono fine excessuros præviderit.* Constat ex Fausto Regiensi *lib. 2. cap. 3.* ubi ait: *Aliud est præscire, aliud prædestinare; præscientia gerenda prænoscit, postmodum prædestinatio retribuenda describit: præscientia de alieno subsistit actu, prædestinatio de iudicio suo: à præscientia, quæ sunt nostra, produntur; à prædestinatione, quæ sunt, præparantur: ac per hoc nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit.* Et *cap. 6.* inquit: *Sed dicis: cùm adhuc non egissent aliquid boni, aut mali; jam præfinitis partibus deputantur; Quid mirum, si quorum actus prævidit, eorum exitus præsignavit? Et ideo sicut eos cursum vivendi pro arbitrio proprio dispositurος esse, constabat; ita pro Dei potentia prænoscuntur, pro justitia præordinantur: hoc totum de eis prædicitur, non præfinitur.* Unde Semipelagiani totum prædestinationis fundamentum ponebant in hac præscientia futurorum, quæ non inniteretur Dei decretò, sed per quam veluti per regulam dirigeretur Dei propositum, & hanc doctrinam extendebant etiam ad futura conditionata, quæ nunquam erunt, sed tantùm essent, positâ tali vel tali conditione, & cùm urgerentur exemplo parvulorum, qui licèt omnes coinquinentur peccato originali, & initio sint destituti bonæ voluntatis, quidam tamen eorum baptizantur, & salvantur, cùm quidam alii baptismo, & salute destituantur, respondebant, ut refert D. Prosper *epist. citat. Tales perdi, & tales salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad adultam pervenissent ætatem, scientia divina præviderit*: pari pacto, cùm à Discipulis D. Augustini interrogarentur, cur istis, sed non illis Evangelium prædicaretur, *ajebant*, ut refert D. Prosper *in sua epistola, dispensasse Deum tempora, & ministeria prædicationis, juxta quod* *pravide-*

*prævidebat aliquos credituros, & exorturam esse bonarum credulitatem voluntatum.* Hoc idem etiam refert D. Hilarius *in sua epist.* quam direxit ad Augustinum, ubi ait: *Cùm autem dicitur eis, quare aliis vel alicubi prædicetur; vel non prædicetur, quod aliquando pene omnibus, sic nunc aliquibus Gentibus non prædicatum sit? dicunt id præscientiæ esse divinæ, ut eo tempore, & ibi illis veritas annuntiaretur, vel non annuntiaretur, quando, & ubi prænuntiabatur esse credenda.*

Hæcque responsio licèt innotesceret D. Prospero, consuluit nihilominus Augustinum *in epist. citat.* an per præscientiam possit propositum stare; an verò præscientia quodam ordine sit proposito subnixa, hoc, inquam, petierunt à D. Augustino Prosper, & Hilarius, ut evidentius suum sensum aperiret, & sententiam authoritate scripturæ firmaret: quo facilius possent asylum, & subterfugium Semipelagianorum impugnare: hinc D. Augustinus ex plena D. Prosperi informatione præfatam præscientiam assertam à Semipelagianis iterum evertit, expugnavitque *in lib. de prædestinat. Sanctor.* quem ad Prosperum transmisit, siquidem *cap.* 14. explicans illud *Sapient.* 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*, ait: *Dictum est enim secundum pericula hujus vitæ, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat: id est, quòd mortem ei immaturam erat præstiturus, ut tentationum subtraheretur incertitudo, non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset*, ubi expressè asserit, Deum non præscire aliquid esse absolutè vel conditionatè futurum, nisi quod ipse decrevit fore absolutè vel conditionatè futurum, adeò ut non ideo sit futurum, quia præscivit illud esse futurum, sed quia statuit, & decrevit illud esse futurum absolutè, vel conditionatè. Rursus *in lib. de bono perseverantiæ*, quem etiam hac occasione, vel contra errores Semipelagianorum scripsit, hoc idem adstruit *cap.* 17. inquiens: *si bona opera dantur à Deo, & se daturum esse præscivit, profectò prædestinavit* (seu illud decrevit) & statim subjungit *hæc dona Dei, si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur à Deo.*

Quamobrem satis expressè docet D. Augustinus, ideo aliquid esse futurum, eò quia illud prædestinavit futurum, & ideo præscitur à Deo futurum, quia illud decrevit futurum. Imò *in eodem lib. cap.* 9. ad meliorem sensum reduxit, vel potiùs retractavit quasdam propositiones, in quibus significaverat Deum ante suum decretum futura præscivisse, & quibus Semipelagiani abutebantur, ut scientiam conditionatam majori defenderent authoritate, ut refert S. Hilarius, *in citat. epist.* & inter alias propositiones fuit illa *in lib. de sex quæstionib. Paganorum*, ubi ajebat: *Tunc voluit Christus apparere, quando sciebat, & ubi sciebat, qui erant in eum crediturî*, & ait, id intelligendum esse sine præjudicio aliarum causarum, inter quas computatur prædestinatio, seu divina determinatio, ait ipse: *Ad eas causas prædestinationis, hæc divina judicia pertinere, sine quarum causarum latentium præjudicio, tunc ista respondere me dixi*: hanc explicationem exhibitam à D. Augustino refert D. Thomas 3. *part. quæst.* 1. *art.* 5. ubi proponit, quod plures fuissent consecuti salutem, si ab initio humani generis Verbum divinum assumpsisset humanitatem, respondet: *Dicendum, quod Augustinus* ad hoc respondet in libro de sex quæstionibus Pagan. dicens quæst. 2. *Quod tunc voluit Christus hominibus apparere, & apud eos prædicari suam doctrinam, quando, & ubi sciebat esse, qui in eam fuerant credituri, his enim temporibus, & his locis tales homines in ejus prædicatione futuros esse præsciebat, quales non quidem omnes, sed tamen multi in ejus corporali præsentia fuerunt, qui nec in eum suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt*, sed hanc responsionem reprobans idem *Augustinus in lib. de Persever. cap.* 9. dicit: *Nunquid possumus dicere Tyrios, & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credituros noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent; cum ipse Deus attestetur eis, quod acturi essent magnæ humilitatis pænitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum? proinde ut ipse solvens subdit, sicut Apostolus ait: Non est volentis, nec currentis, sed miserentis Dei &c.* Quamobrem, quòd D. Augustinus suam magis declaraverit sententiam, errori debemus Semipelagianorum.

Asserebant etiam Semipelagiani, prædestinationem non habere certitudinem ex se, sed ex sola præscientia, adeo ut illud tantùm dicerent esse certo futurum, quod Deus præscivisset fore futurum, ac decrevisset, ut esset, quando, & ubi futurum esse providebatur, juxta illud Fausti Regensis assertum, quod commune postea fuit inter Semipelagianos: scilicet, nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit, ex quo inferebant, prædestinatorum numerum non esse certum, & infallibilem, sed posse pro arbitrio creato minui, & augeri, ut refert S. Hilarius, eò quia Massilienses revocaverint certitudinem prædestinationis non in decretum irrevocabile Dei, sed in voluntates creatas præscientiæ divinæ objectas, quæ, cùm sint ex natura sua mutabiles, converti facile possunt in bonum aut malum, sed Catholici asserunt divina decreta esse causam prædestinationis, & illa esse intrinsecè efficacia, adeo ut non dirigantur, ac dependeant à scientia, etenim ait Apostolus *ad Ephes.* 2. *Ipsius factura sumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*; & *ad Ephes.* 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Isaiæ* 14. *Juravit Dominus exercituum, dicens: si non, ut putavi, ita erit, & quomodo mente tractavi, sic eveniet, ut conteram Assyrium in terra mea*, deinde subdit: *Hoc est consilium, quod cogitavi super omnem terram, & hæc est manus extensa super omnes gentes, Dominus enim exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? & manus ejus extensa, & quis avertet eam? Proverb.* 21. *Cor Regis in manu Domini, sicut divisiones aquarum, quocunque voluerit, inclinabit illud*, atqui hæc testimonia absolutè significant Dei voluntatem habituram suum effectum, antequam consulatur causa secunda: hinc Augustinus *in Enchir. cap.* 98. expendens verba illa *Proverb. cap.* 21. *Cor Regis in manu Domini sicut divisiones aquarum*, ait: *Quis tam impiè desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, & ubi voluerit, in bonum non posse convertere*; & *cap.* 97. disserit: *Ubi est omnipotentissima voluntas, quæ omnia in cœlo, & in terra, omnia, quæcunque voluit, fecit, ubi colligere filios Israel voluit, & non potuit*; & *in lib. de corrept. & gratia cap.* 14. *Deo volenti salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium, sic enim velle,*

*velle, & nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem*, quia ex D. Augustino scientia, quam Deus habet de futuris conditionatis decretis est subnixa divinis, & non posset decretis inniti, nisi hæc essent intrinsecè efficacia, quia tunc sortiuntur suum effectum, & scientia est infallibilis. Præterea spectat ad perfectissimum despoticum, & totale Dei dominium, quod habet in creaturas, has perfectissimè sibi subjectare, & pro nutu suæ voluntatis, quascunque voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, & quocunque voluerit, ut loquitur Augustinus *lib. 4. contra Julianum cap.* 8.

Neque decreta hæc intrinsecè efficacia lædunt libertatem, quia optimè intelliguntur concordare cum libero arbitrio, ut notat D. Augustinus; quia, si liberum arbitrium vult bonum, decretum divinum illud magis stabilit, firmátque in bono, unde non destruit, sed potiùs perficit liberum arbitrium; nam *lib. de prædest. Sanctor. cap.* 18. expendens illud Apostoli *ad Ephes.* 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus, in charitate prædestinans in adoptionem filiorum*, ait: *Ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse prædestinans, ut tales per gratiam ejus essemus.* & *cap.* 20. *Agit quippe Deus, quod vult in cordibus hominum, vel adjuvando, vel judicando, ut etiam per eos impleatur, quod manus ejus, & consilium prædestinavit fieri*, & nonnullis interjectis subdit: *Inclinavi eorum corda, ut hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur & velle.* Quòd si divinum decretum causat in nobis ipsum velle bonum, per quod efficimur boni, sancti, & immaculati, cùm ipsum velle bonum, per quod efficimur sancti, sit liberum, sequitur, decretum intrinsecè efficax Dei non evertere, sed confirmare nostrum velle liberum bonum, hinc Augustinus *epist. 105. ad Sixtum* ait: *Quod enim putant auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem sine adjutorio Dei hominem habere consenserint, non intelligunt, se confirmare arbitrium humanum, sed impellere, ut per inania feratur, non in Domino, tanquam in petra stabili collocetur*; unde ex D. Augustino decretum prædestinationis non lædit, nec evertit liberum arbitrium, sed illud corroborat, ac perficit; Deus enim per suum decretum causat velle nostrum, & cùm hoc sit liberum, procul dubio causat in nobis liberum; ut enim alibi diximus, Dei decretum non solùm decernit entitatem Physicam actus, verùm etiam ipsum modum, quo exigit fieri talis actus, & quia hic exigit fieri libero modo, ideo decernit Deus etiam hunc modum, ut fiat liberè. Siquidem efficacia divinæ voluntatis, cùm ab æterno sit universalissima, debet se extendere ad omnem entitatem realem, ne quidquam producatur temerè, & casu ac præter Dei intentionem, & modus operandi liberè, aut necessariò est quid reale, consequenter efficacia divinæ voluntatis ab æterno debet se extendere non solùm ad substantiam actuum, verum etiam ad modum libertatis, aut necessitatis, quem in tempore habent, unde ad efficaciam divinæ voluntatis pertinet non solùm, ut actus nostri utcunque fiant, verum etiam, ut infallibiliter, & liberè fiant, ut docet D. Thomas *quæst. 13. de veritate art.* 5. inquiens: *Voluntas divina est agens fortissimum, unde oportet ejus effectum ei omnibus modis assimilari, ut non solùm fiat id, quod Deus vult fieri, quod est assimilari secundùm speciem; sed ut fiat eo modo, quo Deus vult illud fieri, id est, necessariò, vel contingenter, citò, vel tardè*, & 1. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *ad* 3. ait: *Deus est prima causa movens, & naturales causas, & voluntarias, & sicut naturalibus causis movendo eas non aufert, quin actiones earum sint naturales; ita movendo causas voluntarias non aufert, quin actiones earum sint voluntariæ: sed potius hoc in eis facit, operatur enim in unoquoque secundùm ejus proprietatem.* Idque ex eo etiam evincitur, quia voluntas potentia est rationalis, quæ exigit operari, ac moveri juxta cognitionem illi exhibitam ab intellectu, nec possit ferri in objectum, nisi ut ei repræsentatum ab intellectu; adeo ut sit de essentia illius, non posse operari necessariò, nisi moveatur ad sic operandum per ei prælucentem cognitionem proportionatam. Sed cognitio indifferens non dicitur proportionata, ut determinet ad operandum necessario, & Deus defectum cognitionis determinantis ad operandum necessario non potest supplere per aliquid solùm extrinsecum, ut per decretum suum intrinsecè efficax, cæteroquin posset etiam supplere defectum cognitionis necessariæ ad hoc, ut voluntas possit operari simpliciter, unde, supposito, quòd voluntas sit potentia rationalis, & indigeat prælucente cognitione, ut feratur in suum objectum, si objectum ei repræsentetur, ut indifferens; tametsi Deus per suum decretum intrinsecè efficax illam determinet ad operandum, non operatur nisi sub indifferentia objecti, consequenter liberè, hinc D. Thomas 1. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *in corp.* ait: *Quia judicium rationis ad diversa se habet, & non est determinatum ad unum pro tanto necesse est, ut homo sit liberi arbitrii.*

Errarunt etiam Semipelagiani circa donum perseverantiæ, & gratiam efficacem; cùm enim Augustinus docuisset, donum perseverantiæ ita esse efficax, ut illo posito non possit creatura, cui impertitur, non perseverare in bono, ait enim Augustinus *lib. de corrept. & grat. cap.* 12. *Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei non tantùm tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solùm, ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiam, ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint. Non solùm enim dixit, sine me nihil potestis facere, verùm etiam dixit: Non vos me elegisti, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Quibus verbis eis non solùm justitiam, verum in illa etiam perseverantiam se dedisse monstravit, Christo enim sic eos ponente, ut eant, & fructum afferant, & fructus eorum maneat; quis audeat dicere? forsitan non manebunt?* Et deinde: *Non solùm datur adjutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare, si velint, sed eis operatur etiam & velle.* Ac tandem concludit: *Subventum est ergo infirmitati voluntatis humanæ; ut divina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur, & ideo, quamvis infirma, non deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur*, & *cap.* 14. addit: simulque confirmat suam sententiam, inquiens: *Deo volenti salvum facere nullum humanum resistit arbitrium: sic enim velle, & nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Displicuit hæc Augustini doctrina Semipelagianis, qui propterea eam carpere cœperunt, ut scribit Hilarius ad Augustinum his verbis: *Deinde molestè ferunt ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam; non qua fieret, ut perseveraret; sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset;*

*posset; nunc verò Sanctis in regnum per gratiam prædestinatis, non tale adjutorium perseverantiæ datur; sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur, non solum, ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam, ut per hoc donum non nisi perseverantes sint, his verbis Sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant, quandam desperationem hominibus exhiberi.* Quamobrem ægrè tulerunt Massilienses hanc efficaciam in dono perseverantiæ, eò quia quid fatale esset libero arbitrio, quod funditus evertebat, imò hanc eandem efficaciam, ne liberum læderetur arbitrium, cuivis etiam auxilio respectivè ad particulare opus pietatis negabant, asserentes quamlibet gratiam substerni arbitrii dispositioni, ac posse pro ejus nutu reddi invalidam, ac suo privari effectu, & distinctionem illam communem gratiæ insufficientem & efficacem omnino respuebant, docentes, quamlibet gratiam à Deo descendentem sufficientem esse ad producendum consensum, vel non, & id pendere ex liberi arbitrii determinatione.

Hinc Semipelagiani non negarunt, posse dari quasdam vocationes Dei efficaces producentes consensum, & prædictum effectum non esse Deo casualem, seu præter intentionem, sed fuisse ab æterno decretum, ideo adigebantur, concedere gratiam aliquam efficacem, & ut tergiversarentur, recurrebant ad præscientiam conditionatam, quam propterea ajebant esse, ipsam gratiam efficacem, & operantem, quam Deus dabat hominibus, quando, & ubi præviderat esse habituram suum effectum; & totam efficaciam, nexumque gratiæ cum operatione, ad scientiam illam, & præscitas circumstantias revocabant, ut colligitur *ex epistola Prosperi ad Augustinum*, ubi ait: *Hanc sanè de humanis meritis præscientiam Dei, secundùm quam gratia vocantis operatur, multò sibi rationabilius videntur adstruere, cum ad earum nationum contemplationem venitur*: unde Semipelagiani totam vocationis efficaciam reducebant ad præscientiam Dei de operatione humana futura, ex illo principio, seu effato Fausti Regiensis *lib. 2. cap. 3. Nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit*, seu nihil efficit, sed operatur secundùm præscientiam Dei de futuro tunc eventu. Eadem ratione decretum Dei & gratiam, quæ dat operari, seu mandatur executioni, metiebantur, ut indemne servarent liberum arbitrium, qui modus conciliandi gratiam cum libero arbitrio displicuit Augustino.

# CAPUT VIII.

## De Erroribus hæreticorum circa liberum arbitrium.

NOmina liberi arbitrii communiter intelligitur in natura intellectuali vis quædam soluta ab omni extrinseco vinculo, quâ agens intellectuale potest indicativo modo propriam determinare operationem, per quod differt à causa non libera, quia illa est soluta, habetque dominium supra suos actus, & se determinat ad unum potius quàm alterum eliciendum, prout ipsi magis libuerit: hæc verò per determinationem sibi impressam est ligata in ordine ad proprias operationes. Hinc libertas, ut importet solutionem à vinculo, solet à Sanctis Patribus tripliciter usurpari. Primò, ut dicit solutionem à vinculo servitutis, cùm quis nemini, ut domino subditur, & vocatur libertas à servitute, in quo sensu Apostolus scribit *ad Romanos* 8. *Ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis*, quia nunc subdimur dominio corruptionis, cui cogimur servire. *Joan.* 8. *Qui facit peccatum, servus est peccati*, quia subditur vinculo peccati; & hæc subjectio, seu servitus opponitur ei libertati, de qua Apostolus ait: Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ, nunc autem liberati à peccato. Est hæc libertas, quæ nos liberat à miseriis peccati, nósque constituit in statu gratiæ, excusso enim jugo peccati liberi & expediti percurrimus viam salutis, & semitas virtutum; quemadmodum libertas à miseria, est possessio gloriæ, seu ipsa beatitudo, quæ, cùm sit complexio omnium bonorum, omnem excludit miseriam; ita libertas à peccato est ipsa gratia, hinc Apostolus *ad Rom.* 6. *Liberati à peccato, salvi facti estis justitiæ*, seu gratiæ, quia constituimur filii Dei adoptivi. Secunda libertas est, quæ simpliciter excludit violentiam extrinsecam, & coactionem & dicitur libertas à coactione, quando sine voluntatis renisu operamur. Tunc enim habetur libertas à coactione, quando aliquid operamur sine vi extrinsecus illata, quantumvis fiat necessariò, nec sit in potestate facientis se ab illius exercitio cohibere: & in hoc sensu liberum, idem est, ac voluntarium, seu spontaneum, ad quod ultro quis summa propensione, & pondere fertur, totoque naturæ impetu ità rapitur, ut penes eum non sit resistere, sed, velit, nolit, oportet, ut in rei propositæ ruat consensum: in quo sensu vocant nonnulli liberum actum illum amoris, quo Beati in patria Deum amant, eò quia elicitur sine violentia absque ulla vi extrinsecus illata, dicuntur etiam hoc pacto liberi omnes motus procedentes à voluntate juxta inclinationem naturæ, quatenus non sunt coacti. Tertiò magis propriè sumitur libertas, prout excludit necessitatem, & determinationem ad unum, & dicitur libertas à necessitate, qua quis constituitur sui juris, ac plenam habet suæ voluntatis potestatem, ac dominium, adeo ut re qualibet proposita integrum sit ei eam amplecti, vel respuere, & vocari solet libertas indeterminationis, & indifferentiæ, quatenus est in potestate operantis, se flectere in alterutram partem, prout ipsi magis libuerit, nullâ prorsus vi ab extrinseco, ut contingit in coactione, nec ab intrinseco illatâ: quapropter libertas hæc dicitur à necessitate, & à Græcis vocatur facultas, quæ est sui juris in agendo, à Philosopho vis eligendi alterum ex duobus: à Catholicis liberum arbitrium, estque, ut loquitur D. Augustinus *lib.* 3. *Hypognosticon*, quod in sua sit positum potestate; habens agendi, quod velit, possibilitatem, dicitur etiam arbitrium ab arbitrando, & discernendo; quid eligat.

Quia verò plures nescierunt gratiæ efficaciam componere cum libertate arbitrii in extrema prolapsi fuerunt præcipitia, eòquia ut propugnarent gratiam, expugnarunt libertatem; vel è contra, ut tuerentur liberum arbitrium, destruxerunt gratiam, ut monet D. August. *ad Valent. epist.* 46. inquiens: *Neque negetis*

*negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium sic defendatis, ut à gratia Dei separetis*, hinc in hac materia fugienda sunt extrema, liberum enim arbitrium licet dignitate cedat, ordine tamen generationis gratiam præcedit: est enim ejus subjectum ad quod regendum, & perficiendum ipsa ordinatur, adeo ut negato libero arbitrio, cadat gratiæ necessitas, & utilitas; ait enim D. Bernardus *lib. de gratia & libero arbitrio. Tolle liberum arbitrium, non erit, quod salvetur. Tolle gratiam, non erit, unde salvetur. Opus hoc* (scilicet salutis) *sine duobus effici non potest: uno, à quo fit, altero, cui vel in quo fiat, altero, cui vel in quo fiat, Deus author est salutis, liberum arbitrium capax, nec dare illam nisi Deus, nec capere potest nisi liberum arbitrium. Quod ergo à solo Deo est, & soli datur libero arbitrio, tam absque consensu esse non potest accipientis, quàm absque gratia dantis.* Ut autem dilucidiùs appareat, quid sit liberum arbitrium, explicandæ sunt hæ voces *liberum, voluntarium, coactum, & violentum*, quarum notio accersenda est à communi Theologorum sensu. *Liberum arbitrium* definitur ab iis, potentia, quæ, positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere, & non agere, prout ipsi magis placuerit: & libertas sic explicata duplex est, una *contrarietatis*, & altera *contradictionis*, illa, quæ & *specificationis* dicitur, est, quæ positis omnibus ad agendum necessariis, contrarios actus exercere potest, ut amare, & odisse; adeo ut, cum amat, remaneat potentia ad odio habendum, sitque in libero arbitrio simultas potentiæ. Libertas *contradictionis*, quæ & *exercitii* dicitur, est illa, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest eundem actum expromere, vel suspendere, ut amare, vel non amare, licèt enim perseveret simultas potentiæ, non ita habetur potentia simultatis, quia esse, & non esse, elicere, & non elicere talem actum simul esse nequeunt ex parte actûs. Utramque libertatem perimit simplex necessitas ac determinatio ad unum, quia tunc voluntas ad alterutram partem se alligat, ut alterius eligendæ eripiat facultatem. *Voluntarium* ex communi sensu est id, cujus principium est in agente, cognoscente singula, in quibus est actio, vel breviùs definitur, *quod fit à principio intrinseco cum cognitione finis.* Hinc ad rationem voluntarii duo requiruntur, quorum primum est, ut sit à principio intrinseco, seu interno, secundùm, ut agens operetur cum cognitione finis, propter quem agit, & alias circumstantias actionis, quam elicit, & defectu hujus conditionis posterioris non est voluntarium perfectum in brutis, pueris, & amentibus, & tantùm inest quædam imperfecta voluntarii ratio, & veluti umbra, quæ imperfectam finis cognitionem complectitur, & solet spontaneitas vocari: tametsi spontaneum, & vovoluntarium persæpe confundantur, distinguuntur tamen ratione posterioris conditionis, si propriè & accuratè loquamur. *Coactum* est, quod fit à principio extrinseco, passo nihil conferente, sed potiùs repugnante, ex qua definitione constat, duas esse actionis coactæ conditiones, quarum prima est, ut sit à principio extrinseco: secunda ut ad eam passum nihil conferat, imò reluctetur, hinc juvat observare, quod quamvis *violentum, coactum, & involuntarium* sumantur pro eodem, si accuratè tamen & propriè velimus loqui, distinguuntur ut genera à speciebus, & ut ampliora ab arctioribus. Laxissimè omnium patet *violentum*, quod complectitur omne, quod fit contra inclinationem rei cujuslibet, etiam inanimæ, unde lapis dicitur vim pati, cùm sursum projicitur, eò quia est contra naturam lapidis gravidantis. *Coactum* spontaneo tantùm opponitur, estque quod fit contra inclinationem appetitus sensitivi, ac rationalis, & hoc pacto cogitur animal, quando contra quam vult, impellitur, ac movetur. *Involuntarium* soli adversatur voluntario, & fit contra inclinationem voluntatis, adeo ut omne involuntarium sit coactum, & omne coactum violentum, non è contra omne violentum est coactum, neque omne coactum est involuntarium. Rursus, quamvis voluntas quoad actus imperatos possit vim pati, non ita quoad actus elicitos, siquidem possunt actus aliarum voluntatum, quæ natura sua imperio subjiciuntur voluntatis, extorqueri voluntate repugnante. Quis neget valentiorem posse alterius inviti, & reluctantis manum, vel pedem, imò & totum corpus movere, quo nollet moveri, & trahi de actu elicito etiam constat, quia nullus actus elicitus à voluntate potest esse à principio extrinseco, voluntate nihil conferente, unde nullus actus elicitus à voluntate potest esse involuntarius, aut coactus, neque fieri potest, ut, cùm volumus, non velimus, unde tam est impossibile, ut actus voluntatis sit involuntarius, quàm est impossibile, ut volendo non velimus.

Libertas igitur juxta præsens institutum est, quæ necessitati in operando opponitur, & sita est in indifferentia ad agendum, seu quod homo ita agat, ut retineat potentiam ad non agendum, & dari in nobis hanc libertatem est certum de fide, & liquet ex scripturis *Genes. 4. v. 5.* ubi Deus denuntiat, esse in potestate, ac dominio humani arbitrii consentire, aut dissentire appetui, adeoque bene, vel malè agere in ordine ad merendum, aut demerendum respectivè, ait enim Deus: *Nonne si bene egeris, recipies; sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius, Deuter. 30. v. 19. Testes invoco hodie cœlum, & terram, quod proposuero vobis vitam, & mortem*, & postea subjungit: *Elige ergo vitam, ut & tu vivas*, non enim posset unum eligi præ altero, si liberum arbitrium ad unum duntaxat necessariò raperetur, & ex hoc loco S. Cyprianus *lib. 3. ad Quirin. cap. 52.* probat, credendi, vel non credendi libertatem positam esse in arbitrio hominis, rursus Ecclesiasticus *cap. 31.* manifestè docet, ad meritum requiri libertatem, non à coactione tantùm, sed etiam à necessitate simplici; siquidem ait: Illum laudandum esse, *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* S. Irenæus *lib. 4. cap. 71.* ait: *Qui operantur bonum, gloriam, & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cùm possent non operari illud*, & *Luc. cap. 10. v. 42.* laudatur à Christo Maria Soror Marthæ, eò quia optimam partem præ Martha elegerit, ad quam Maria non magis necessitabatur, quam Martha, neutra autem laudem ullam promeritam fuisset, si ex necessitate partem optimam elegisset. *Eccles. 19. Deus reliquit hominem in manu consilii sui: apponit tibi ignem, & aquam, ad quod volueris, porrigis manum tuam: ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: &, quod placuerit ei, dabitur illi.*

Quinimò hæc veritas definita etiam fuit in Conciliis, præsertim in Constantiensi anno 1414. *sess. 8.* ubi damnatur propositio Wicleffi, asserentis. Omnia de necessitate absolutâ evenire, cujus damnatæ propositionis

positionis sensum hunc tradit Waldensis *lib. 1. doctrin. fid. cap. 23. & 24.* ubi asserit, Wicleffistas docere, quòd Deus non necessitet necessitate coactionis ad bonum, eò quia illa sola tollat dignitatem liberi arbitrii, non autem alia necessitas. Rursus Concilium Senonense sub Clemente Papa VII. anno 1528. & habetur *in Tom. 4. Concil. in decretis fidei decret.* 15. ait: *Cum reliquerit Deus hominem in manu consilii sui, apposueritque coram eo ignem, & aquam, bonum, & malum, ut, ad quodcunque voluerit, porrigat manum suam, nec abs re beatus ille dicatur, qui potuit transgredi, & non est transgressus, & facere mala, & non fecit, quod sub eo sit appetitus ejus, & dominetur illius, ac denique percurrenti sacram scripturam passim obvium sit, quod liberum utramvis in partem hominis arbitrium asseretur.* Luculentius arbitrii nostri libertatem ad utrumlibet plerisque in locis disertè asserit Tridentinum, præsertim *sess. 6. can. 4.* ubi anathemate percutit, negantes liberum hominis arbitrium motioni divinæ *posse dissentire, si velit*; intendit enim salvare veram, & propriam voluntatis libertatem ad merendum necessariam, quæ stare non potest, cùm voluntas ita prævenitur necessitate ad unam partem determinatè, ut impedita sit respectu alterius. Rursus *can. 6. ejusdem sess.* 6. negat *esse in potestate hominis vias suas malas facere*, & ibi definit voluntatem, dum peccat, non solùm posse peccare, sed habere peccatum in potestate, id est, peccatoris voluntatem, & ita peccatum producere, ut, si velit, possit illud non producere, quod fieri non potest, ubi habetur necessitas peccandi, seu voluntas determinata est ad peccandum. Rursus *ex ejusd. sess. can.* 32. habetur: *Hominis justificati bona opera ita esse Dei dona, ut sint etiam bona ipsius justificati merita.* Hinc constat bonis illis operibus, quibus in hoc naturæ lapsæ statu vitam æternam adipiscimur, inesse meritum aliquod non humanum, neque libero arbitrio integrè tribuendum, sed quoddam aliud divina gratia comparatum, ut Deus non immerito dicatur sua nobis largiri præmia: hoc autem contingere non posset sine libertate ad utrumlibet. Præterea quia Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt has Michaelis Baji propositiones: *Quod voluntariè fit, etsi necessariò fiat, liberè tamen fit.* Et rursus: *sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

Sancti Patres etiam hoc idem docuerunt, præsertim D. Augustinus *lib. 3. de libero arbitrio cap. 1.* ubi probat contra Manichæos, voluntatem nostram non agere naturali necessitate, inquiens: *Qui motus si culpæ deputatur* (loquitur enim de actu liberæ voluntatis, qui solus dari potest culpæ) *non est utique naturalis, sed voluntarius.* Quod verò loquatur de voluntario libero, liquet ex fine capitis, ait enim: *Motus, quo huc, atque illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius atque in nostra positus potestate, neque laudandus, cùm ad superiora, neque culpandus homo esset, cùm ad inferiora detorquet, quasi quendam cardinem voluntatis &c.* Tertullianus contra Marcionem *lib. 2. cap. 5. post medium* & *cap. 6. per totum* ait: *Quasi libripens emancipati à Deo boni libertas, & potestas liberi arbitrii*; & paucis interjectis subdit: *Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem concessa est illi, ut sui Dominus constanter occurreret, & bono sponte servando, & malo sponte vitando.* Et rursus: *Cæterum nec boni, nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate.* Hanc eandem veritatem fatentur communiter alii Sancti Patres, præsertim uterque Clemens Romanus, & Alexandrinus, Ignatius, Dionysius, Justinus, Irenæus, Cyprianus, & præ cæteris D. Augustinus *lib. 2. de natur. & grat. contra Pelag. cap.* 65. inquiens: *Nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas, nec corona est: Quis non agnoscat? Quis non toto corde suscipiat?* Rursus *lib. de duab. animab. contra Manichæos cap. 11. sub init.* ait: *Neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui aut id velis, quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista cantant, & in montibus Pastores, & in theatris Poetæ, indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antistites in Sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum.* Quòd si ad merendum, quod dignum ab Augustino dicitur vituperatione & supplicio, requiritur libertas à necessitate, seu libertas indeterminationis, seu indifferentiæ ad agendum scilicet, & non agendum, quæ libertas etiam requiritur ad coronam, præmium & meritum. Rursus *in act. cum Felice Manichæo lib. 2. cap. 4. per tot.* hanc eandem adstruit libertatem indifferentiæ, inquiens: *Habet unusquisque in voluntate, aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala*, & aliquibus interjectis subjungit: *Hoc ergo Dominus dicens, aut facite hoc (scilicet Matthei 12. aut facite arborem bonam &c. aut facite arborem malam) ostendit, esse in potestate, quod facerent, & quia si bonum eligerent, præmium illius acciperent, si malum eligerent, pœnam illius sentirent*; & sicuti acceptio præmii se habet consecutivè ad meritum, ita pœna sequitur demeritum, & utrumque dependet ab electione voluntatis: quæ electio, cùm circa unicum objectum esse non possit, non consistet, ubi non est arbitrii libertas ad utrumlibet, quam necessitas ad usum omnino dirimit. Rursus Augustinus *de libero arbitrio cap. 18. sub. init.* ait: *Quæcunque ista causa est voluntatis, si ei non potest resisti, sine peccato ei ceditur. Si autem potest, non ei cedatur, & non peccatur*: loquitur de causa malæ voluntatis propendentis ad peccandum, cui si non cedatur, seu non assentiatur, non peccatur; & non nullis interjectis subdit: *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo cavere potest? peccatur autem, caveri igitur potest.* Non poterat Augustinus operosius inculcare, ad peccandum requiri libertatem à necessitate, & non sufficere libertatem à coactione, quod etiam repetit *lib. de vera religione cap. 14. post med.* ubi ait: *Voluntate ergo peccatur, & quoniam peccari non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium, tales enim servos suos meliores esse Deus judicabit (malim, ut plerique, judicavit) si ei servirent liberaliter. Quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent.* Ubi autem est necessitas, ibi esse non potest libertas in serviendo. Rursus *lib. 2. contra Faustum*: *Et nos sub fato stellarum nullius hominis Genesim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene, vel malè vivitur, propter justum judicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicemus*, ubi Augustinus asserit, liberum arbitrium voluntatis solutum ab omni vinculo necessitatis, adeo ut fit sui juris, possitque ad utrumlibet, prout ipsi magis placuerit, se determinare. Rursus *lib. 2. de actis cum Felice Manich. cap. 5.* Cum retulisset verba Manichæi de iis, qui legem sibi à Deo

Deo datam servare noluerunt, subdit Augustinus: *Vides in his verbis confirmatum esse, etiam a nesciente, quid loqueretur, liberum arbitrium. Non enim dixit, non potuerunt, sed noluerunt.*

Imò non solùm Sancti Patres, verùm etiam ipsi Ethnici Philosophi solo naturæ lumine adjuti hanc viderunt veritatem, ut Plato *lib.* 10. *de Republica*, quem locum referunt, ac pluribus laudibus excicipiunt S. Justinus *in Apolog. ad Anton.* & Clemens Alexandrinus *lib.* 5. *Stromat.* Plotinus *Ænead.* 3. *lib.* 1. *&* *Ænead.* 6. *lib.* 8. Proclus *lib. de anima & Dæmone*, Maximus Tyrius *dissert.* 3. *&* 35. Jamblicus *lib. de mysteriis* §. 40. Orphirius referente Cyrillo *l.* 3. *contra Julian.* & quamvis oppositum errorem Cicero *lib. de Fato*, & Theodoretus *lib.* 1. *contra Græcos* Aristoteli impingant, ab hac tamen calumnia eum vindicant Armacanus *lib.* 15. *de quæstionib. Armenor. cap.* 20. Franciscus Picus *lib. de provident. parti.* 2. *cap.* 18. Carpentarius *digressione* 11. *in Alcinoum*, & plures alii, & revera rectè Philosophus sentit de libertate nostræ voluntatis, siquidem *lib. magnor. Moral. cap.* 10. impugnat Socratem contrario errori adhærentem ò ait enim Aristoteles: *Cæterum, ut videtur, in nobis est probos, & improbos esse, item laudes, & vituperationes id quoque attestantur; virtutem namque laus, vitium autem vituperatio consequitur: atqui laus, & vituperatio non invitis attribuitur. Manifestum igitur hoc modo, in nostro arbitrio esse bona, & mala facere.* Hoc idem apertè docet *lib.* 3. *Ethic. cap.* 9. & adeo hoc idem est Philosophis exploratum, ut D. Thomas *quæst.* 6. *de malo art. unic.* asserat: *Adversa sententia est admiranda inter extraneas Philosophiæ opiniones: quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia Philosophiæ moralis, si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum; tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, volitio, laus, & vituperium, circa quæ moralis consistit Philosophia. Hujusmodi autem opiniones, quæ destruunt principia alicujus partis Philosophiæ dicuntur positiones extraneæ: sicut nihil moveri quod destruit principia scientiæ naturalis.*

Non tamen defuerunt ex Gentilibus Judæis, qui hanc veritatem impugnaverint, & præsertim Sectarii nostri ævi Lutherani, & Calvinistæ, & ante ipsos libertatem arbitrii negarunt Stoici, asserentes, voluntatem humanam non regi electione sed fato: & vocarunt fatum seriem, & dispositionem causarum naturalium, & præsertim cœlorum: siquidem arbitrabantur omnia necessariò, & inevitabiliter evenire, quam tamen fatalem, & absolutam necessitatem perpetuò damnarunt Ecclesiæ Patres, quorum testimonia iniquè interpretati sunt Pelagiani ad evertendam divinam gratiam, quam asserebant fatalem libero arbitrio; hanc tamen calumniam sibi impactam radicitùs evellit D. Augustinus *lib.* 2. *contra duos epist. Pelagii cap.* 8. ubi in ipsos Pelagianos retorquet argumentum ab iisdem fabre factum inquiens: *Hæc, ut Christianis cordibus convenit cogitare, nescitis, & vos potius secundùm vestram sententiam fato ista dicitis fieri. Vestra quippe non nostra sententia est, fato fieri, quod meritò non fit, & ne secundùm totam definitionem fato fiant hominibus, si meritis non fiant, quæcunque fiunt; ideo merita, vel bona, vel mala, quantum potestis, asseritis, ne fatum sit consequens, si merita negaretis. Ac per hoc dicitur vobis, si ea, quæ nullis meritis præstantur hominibus, fato fieri jam necesse est: & ideo merita adstruenda sunt, ne fatum sit consequens, si merita non sunt, fato baptizantur, fato intrant in regnum Dei parvuli, quorum bona merita nulla sunt. Et rursus fato non baptizantur, fato non intrant in regnum Dei parvuli, quorum mala merita nulla sunt. Ecce pusilli qui fari nequeunt, vos potius fati assertores esse convincunt. Nos autem cum vitiata originis mala merita esse dicamus, gratiâ dicimus intrare parvulum in regnum Dei, quoniam bonus est Deus; & alium merito non intrare, quia justus est Deus: & in neutro esse fatum, quoniam quod vult, facit Deus.* Augustino magistro adhæret D. Prosper Discipulus *in epist. ad Ruffinum*, ubi calumnias Semipelagianorum fati nomine impugnantium gratiæ efficaciam à D. Augustino assertam acriter expugnat. Quòd si Stoici fati nomine solùm significârunt efficacissimam Dei voluntatem omnia præordinantem mediis congruis, in hoc sensu non impugnarentur à S. Patribus, quia *Deus*, ut ait David: *omnia quæcunque voluit, fecit*: non enim SS. Patres negant divina decreta efficacia præordinantia actus humanos; sed damnant Fatum Astrologicum, seu influxus astrorum necessitatem invehentes potentiis, quas adigunt ad tales actus depromendos, ac præsertim necessitantes voluntatem humanam. Non verò negant, Fatum usurpatum pro divina providentia dirigente omnia in suos fines, fortiter, seu efficaciter, & suaviter, seu juxta proprias exigentias, ut liquet ex D. Thoma 1. *p. q.* 16. *art.* 1. ubi refert quosdam negasse, quòd omnia hæc inferiora debeant reduci ad aliquam causam superiorem. *Et hi*, inquit, *Fatum & providentiam negarunt*, qui propterea præluxerunt Pelagio. Deinde S. Doctor refert, alios omnia hæc inferiora reduxisse in cœlestia corpora, quos impugnat, & quia humanæ actiones præsertim liberi arbitrii non subduntur influxui cælorum & 1. *p. q.* 115. *art.* 4. ait: *Et ideo dicendum est, quod ea, quæ hic per accidens aguntur, sive in rebus naturalibus, sive humanis, reducuntur in aliquam causam præordinantem, quæ est providentia divina.* Varia hæc Fati usurpatio præ oculis in hac materia habenda est, ut cognoscamus, quid Fati vocabulo SS. Patres damnent, & quid concedant. Rursus apud Judæos grave itidem erat dissidium, præsertim inter Sadducæos, & Pharisæos circa Fati constitutionem, & efficaciam, ut refert Josephus *lib.* 2. *de bello Judaico cap.* 7. sed has antiquorum opiniones satius est missas facere, cùm non videantur esse ad rem.

Inter Christianos primus, qui libertatem negavit arbitrii, dicitur fuisse Simon Magus, quem D. Ignatius vocat *Primogenitum Satanæ*: hic enim reducebat hanc humanarum operationum necessitatem, non ut Stoici in fatalem astrorum dispositionem; sed in efficaciam divinæ voluntatis, omnia decernentis, ac prævenientis; quod argumentum recoxerunt Calvinistæ, & alii, impugnantes gratiam ab intrinseco efficacem. Quod autem hæc fuerit Simonis Magi sententia, refert S. Clemens Romanus *lib.* 3. *recognit.* ubi refert Simonem magum præfato argumento impetivisse D. Petrum, & ait D. Petrum respondisse: *Ais ergo tu, si Deus vult aliquid esse, & est; & si non vult, non est: scilicet, ut si responderem, quia quod vult, est, quod autem non vult, non est; diceres: ergo ipse vult esse mala, quæ in*

*in hoc mundo geruntur: quia omne quod vult, hoc est; quod autem non vult, non est. Si verò respondissem non esse hoc, ut, quod vult Deus, fit; &, quod non vult, non fit: non Rhetorico sermone diceres: ergo impossibilis est Deus, si, quod vult, non potest, & existeres petulantior, ut qui nihil rectum dixeris, vicisse te crederes. Et ideo ignoras, o Simon, & valde ignoras, quomodo in singulis quibusque voluntas sit Dei quadam enim voluit, ut diximus, ita esse, ut aliud esse non possent, quàm id quod ab ipso instituta sunt, & his nec præmia, nec supplicia statuit. Ea verò, quæ ita esse voluit, ut in sua potestate habeant agere, quod velint, his pro actibus, & voluntatibus suis statuit, ut aut remunerationes mereantur, aut pœnas. Cùm ergo in duas, ut edocui, partes dividantur cuncta, quæ moventur, secundùm eam, quam supra diximus distinctionem, omne, quod vult Deus, est; quòd autem non vult, non est.* Ubi notandum est, D. Petrum, ut arbitrii libertatem, & rerum contingentiam tueretur, non recurrisse ad Dei præscientiam futurorum eventuum sub conditione; sed difficultatem composuisse cuncta reducendo ad summam efficaciam, & universalitatem divinæ voluntatis cuncta causantis, consequenter etiam ipsam libertatem tam in potentia, quam in actu: ita enim Deus vult, & efficaciter causat actum, ut præstet etiam, & conservet potestatem ad oppositum; neque quid aliud requiritur ad plenam libertatem, quàm ita actum elicere, ut potestas simul conservetur, maneátque ad oppositum. Non enim ex eo, quòd Deus præsciat, quid futurum; sequitur necessario eventurum, quia sicut est futurum liberum; ita præscit Deus futurum liberè, non necessariò necessitate antecedente; voluntas Dei quamvis efficacissima sit, non perimit libertatem in voluntate, quia fiunt ea, quæ Deus vult fieri; & Deus vult quædam fieri necessariò, & quædam liberè, ut sit ordo in rebus ad complementum universi, ut docet D. Thomas 1. *part. quæst.* 19. *art.* 8. Imò non solùm vult Deus, ut res fiant, verùm etiam ut fiant eo modo, quo exigunt fieri, adeo ut velit etiam ipsum modum liberum, vel necessarium, quo exigunt fieri: ait D. Thomas *ad 2. Hoc ipso, quòd nihil voluntati divinæ resistit, sequitur, quod non solum fiant ea, quæ vult fieri; sed quod fiant contingenter, vel necessariò, quæ sic fieri vult.* Hoc pacto conciliatur libertas voluntatis humanæ cum gratia ab intrinseco efficaci, quia hæc ita est efficax in suadendo, ut voluntas velit liberè se ab illa persuaderi, eique assentiri, ac sic libere operari.

Verum Simon ex eo, quòd Deus cuncta decernat, & efficaciter impellat ad operandum, & aliunde nesciens distinguere inter rerum entitatem, quæ Deo, ut primæ causæ adscribenda est, & malitiam prævenientem, ex defectibilitate arbitrii, intulit, Deum esse causam peccati: ex illo antecedente, quod D. Petrus non negavit, scilicet, Deum ante omnem prævisionem omnia disposuisse, ac efficaciter movere ad agendum pro modo cuilibet agenti proprio, per illegitimam consequentiam intulit, cuncta necessario evenire, & Deum constituit Authorem peccati, ac omnium causam flagitiorum; quem errorem recoxerunt Calvinistæ, aliique Sectarii, cujus primus Author fuit Simon Magus, ut etiam refert Vincentius Lyrinensis *in suo commonitorio cap.* 34. inquiens: *Quis*, ait, *ante Simonem magum, Apostolica districtione percussum, à quo vetus ille turpitudinum gurges, usque in novissimum Priscillianum continua, & occulta successione manavit, auctorem malorum, id est, scelerum, flagitiorúmque nostrorum ausus est dicere creatorem Deum? quippe quem asserit talem hominem manibus ipsam suis creare naturam, quæ proprio quodam motu, & necessaria ejusdem voluntatis impulsu, nihil aliud possit, nihil aliud velit, quàm peccare, eo quòd furiis omnium vitiorum excitata, & inflammata, in omnium turpitudinum barathra inexhausta cupiditate rapiatur.* Post Simonem Magum eundem errorem excitavit Bardezones Syrus circa annum Christi 163. ut colligitur ex D. Augustino *libro de hæresibus cap.* 35. hic enim imitatus Philosophos Stoicos, & Astrologos fatales, qui omnia Fato seu influxibus cœlorum, ac Syderum attribuebant, ac omnia futura etiam à voluntate humana proficiscentia subjiciebant inevitabili influxui corporum cælestium, quem influxum vocabant Fatum interimens liberum arbitrium, ac fatalem inducens necessitatem. Circa annum Christi 273. Manes itidem bellum conclamavit contra fidem, fuit hic natione Persa, impudentissimus hæreticus, à quo hæresis Manichæorum derivavit, qui necessitatem voluntatis non in vim astrorum, neque in influxus corporum cœlestium; neque in divinæ voluntatis efficaciam detorquebant; sed in alia principia, ut suam tuerentur hæresim. Asserebant Manichæi duos dari Deos, seu prima principia, bonum unum, alterum malum, utrumque æternum: in homine itidem constituebant duas mentes, unam, bonam, quæ à bono dimanaret principio; aliam protervam, quæ à malo oriretur principio: hinc asserebant, hominem esse omnino determinatum à mente mala, & malo principio ad peccandum, neque posse efficere, quod justum, & honestum esse deberet, ut referunt Eusebius *lib.* 7. *cap.* 38. Nicephorus *lib.* 6. *c.* 31. Socrates *lib.* 1. *c.* 17. & expressiùs D. Augustinus, qui cum degeret Romæ tres libros scripsit contra hos errores, ut asserit *lib.* 1. *Retract.* 2. ubi addit: *Propter eos disputatio illa, scilicet de libero arbitrio, suscepta est, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci; Deum (si ita est) creatorem omnium creaturarum culpandum esse intendunt: eodem modo volentes secundùm suæ impietatis errorem (Manichæi enim sunt) immutabilem quandam, & Deo coæternam introducere mali naturam.* Hinc D. Hieronymus *in Proœmio ad Dialogum adversus Pelagium* ait: *Manichæorum esse hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium, & adjutorium Dei tollere.* Et Serapion Ægyptius *in lib. contra Manichæos* vocat hæresim Manichæorum *postremam impietatis abortionem, quæ omnes alias improbitates exterminavit, & in profundis posuit.* Hæc autem Manichæorum hæresis damnata statim fuit ab Ecclesia, eò quia duo ponebat principia contraria, Deum bonum, & Deum malum, cùm unus tantùm, & solus sit Deus principium & creator omnium, qui fecit cœlum, & terram, & omnia quæ in eis sunt, *Psal.* 108. Et *Genes.* 1. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona,* unde Augustinus; *Omnis natura, in quantum natura, bonum est; bonum autem sive parvum, sive magnum, non nisi à Deo bono est, & non à malo esse potest.* Imò etiam Philosophus hanc veritatem affirmat 4. *Metaph.* ubi ait: quod omne ens, in quantum ens, est bonum, adeo ut ens, & bonum dicantur ad convertentiam. Cùm igitur Deus sit summè bonus, & omnia bona fiant à bono Deo, & non malo, sequitur omne ens sive parvum, sive magnum fieri à bono Deo, & non à malo.

Præcedentes errores auxit, ac propagavit Priscillianus circa annum 388. quia cum Manichæo asserebat, duo prima principia, quasque hominum mentes, & rursus fatebatur actus humanos inevitabili astrorum subjacere dispositioni, quo pacto omnimodam necessitatem humanæ inferebat voluntati, ut colligitur ex D. Augustino *lib. de hæresibus cap.* 70. & ex D. Leone Papa *epist.* 93. *ad Episcopum Asturicensem* ubi ait: *Undecima eorum blasphemia est, quæ fatalibus stellis, & animas hominum, & corpora opinantur adstringi; per quam amentiam necesse est, ut omnibus Paganorum erroribus implicati, & faventia sibi (ut putant) sidera colant, & adversantia studeant mitigare. Verum ista sectantibus nullus in Ecclesia Catholica locus est; quoniam, qui se in talibus persuasionibus dedit, à Christi corpore totus abscedit.* Et quia hic error per Hispaniam irrepserat, Concilium Bracharense I. illum docentes, ac asserentes anathemate percussit, *can.* 9. *Si quis animas, & corpora hominum fatalibus stellis credit adstringi, sicut Pagani, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Hunc eundem errorem confutat D. Thomas 3. *contra gentes cap.* 85. inquiens: *Hinc est, quod dicitur, Hierem.* 10. *à signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes: quia leges populorum vanæ sunt. Per hoc autem excluditur positio Stoicorum, qui ponebant omnes actus nostros, & electiones nostras secundùm corpora cælestia disponi. Quæ etiam dicitur fuisse positio antiqua Pharisæorum apud Judæos. Priscilianistæ hujusmodi erroris etiam rei fuerunt, ut dicitur in libro de hæresibus.*

Jovinianus itidem liberum visus est interemisse arbitrium, anno 395. Ut enim Manichæismum declinaret, in aliud deflexit extremum, asserens, hominem semel baptismi lavacro ablutum, ac per gratiam à peccato purgatum, non esse amplius peccato obnoxium, neque posse amplius delinquere, seque à summo bono avertere, ut testatur D. Hieronymus *epistol. ad Damasum* ubi scribit: *Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus, nos semper indigere auxilio: & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non posse, quàm illos, qui cum Joviniano asserunt, hominem non posse peccare. Utrumque enim tollit libertatem arbitrii. Nos verò dicimus, hominem semper & peccare, & non peccare posse, ut semper nos liberi confiteamur esse arbitrii.*

Quia verò hæresis Lerneam hydram imitatur, ut est in fabulis, semel & iterum amputata succrevit; tametsi hæresis hæc fuerit pluries ab Ecclesia anathemate percussa; & damnata, semper repullulat: etenim post Manichæos, Priscillianistas, Jovinianum, surrexerunt Albanenses circiter annum Christi 796. qui & ipsi duo constituebant principia; & inde cum Manichæis inferebant peccatum non emanare à libero arbitrio, sed à malo principio, & nullum in homine dari liberum arbitrium, quam hæresim sequuti sunt Albigenses circa annum 1212. qui in Tolosana ditione liberum arbitrium impugnârunt, quos tamen S. Dominicus oratione, & prædicatione expugnavit. Ante Albigenses circa annum 1140. fuit etiam Petrus Abailardus, qui docuit, Deum ex omnimoda necessitate agere, quidquid agit, ac proinde & ipse liberum arbitrium extinxit in suo fonte; Abailardo se comitem junxit Arnoldus Brixiensis illius coætaneus, ut colligitur ex D. Bernardo *in epistola ad Innocentium Papam*, in qua eorum indicat, & reprimit audaciam, inquiens: *Prodiit Golias ipse* (scilicet Abailardus) *procero corpore, nobili illo suo bellico apparatu circummunitus. Ante se quoque ejus armiger Arnoldus de Brixia, squamma squammæ conjungitur, siquidem sibilavit apis, quæ erat in Francia, Api de Italia, & venerunt in unum adversus Dominum, & adversum Christum ejus.* Hæc tamen hæresis damnata fuit in Concilio Senonensi sub Cælestino II. & in Lateranensi sub Innocentio II. Abailardus tamen in suo errore non perseveravit, sed acquievit judicio Ecclesiæ, resipuit, & ad Cluniacenses revertit, ubi in arctissima observantia reliquum vitæ insumpsit, & sancto fine quievit, ut refert Petrus Cluniacensis *lib.* 5. *epist.* 20. *ad* Eloysiam Abbatissam Abailardi conjugem, quæ & ipsa pœnitens reversa est ad meliorem frugem.

Sed iterum post hos contra Ecclesiam & liberum arbitrium insurrexit Joannes Wiclefus circa Christi annum 1352. qui plures ad se traxit Discipulos, sui erroris sectatores, ac propugnatores. Docebat Wiclephus, omnes actus humanos ex necessitate absoluta evenire, non quæ fundaretur in mala natura, vel in fatali, ac inevitabili astrorum influxu, ut putarunt Manichæi, & Priscillianistæ; sed in decreto, & præscientia Dei; asseruit enim, posito Dei decreto, ac præscientia futuri eventus, fieri non posse, ut ullo sensu oppositum contingeret; quia verò agnoscebat, id damnasse Ecclesiam contra Pelagianos, asseruit cuncta necessariò absolutè fieri, nullamque dari potentiam ad oppositum, quæ pro vera libertate sufficeret: ita docuit *in* 2. *Trialogi cap.* 13. ubi ait: *Deus necessitat creaturas singulas activas ad quemlibet actum suum*; & *lib.* 3. *Trialogi cap.* 9. hoc repetit, inquiens: *Numquid creatura potest impedire Dei determinationem? & ut Sophistæ concedunt, veritatem æternam procedentem ex Dei proposito?* & nonnullis interjectis subdit: *Cum ergo addit in ignorantia Dei, in variatione suæ volitionis, vel rei impedientis non possit obstaculum inveniri; relinquitur, quod propositum Dei oportet necessariò adimpleri, & sic omne futurum evenict necessariò.* Omnes tamen Wiclephi errores egregiè impugnavit Thomas Waldensis in suo doctrinali fidei antiquæ.

CAPUT

# CAPUT IX.

## Referuntur, & refelluntur Lutheri, Calvini, & Jansenii errores circa liberum arbitrium.

RECentiores Hæresiarchæ cloacas putidissimas æmulati, omnes errorum fœces ab Ecclesia jam dudum rejectas ad se traxerunt, eandem centies malè olentem crambem recoquentes, qua propter etiam errores circa liberum arbitrium olim in primitiva Ecclesia extinctos, anathemate in Manete Persa, Manichæis, Pelagianis, Priscillianis, Jovianistis Albanensibus, Albigensibus, & aliis damnata iterum excitarunt, Lutherus, & Calvinus. Asseruit enim Lutherus, actus humanos fieri necessario, adeo ut nequeat homo illos non elicere, eò quia careat potestate ad oppositum. Primò docuerat, hanc necessitatem provenire ex decreto, & præscientia Dei, & cum necessitate opposita indifferentiæ conjungebat libertatem oppositam coactioni, ac violentiæ; asseruit, hominem voluntariè quidem agere, sed absque potestate ad non agendum; ita docuit *tom.* 3. *de servo arbitrio*, ubi hæc habet; *sequitur, nos necessariò operari: necessariò, dico, non coactè; hoc est, cùm homo vacat spiritu Dei, non quidem violentiâ, vel ut raptus obtorto collo nolens facit; sed sponte, & libenti voluntate facit*; & Bucerus *libro de concordia* asserit, quòd Lutherus solam libertatem à necessitate negaverit, non verò libertatem à coactione, hanc enim concessit; seu negavit hominem operari liberè libertate à necessitate, quia stantibus divino decreto, & præscientia Dei necessariò operatur, adeo ut possit illis reluctari, & non operari; bene tamen operari liberè libertate à coactione, quia, cùm talis actus eliciatur à voluntate, & nemo vim illi inferat, operatur libertate à coactione. Sed cum Lutherus agnosceret argumenta desumpta ex decreto, & præscientia Dei generalia esse, & æquè urgere in Angelis, ac hominibus in statu naturæ integræ, & innocentiæ, proinde in utroque statu inefficacia esse, ac necessitatem invehere absolutam, quam Lutherus pro illo statu non concedebat, adactus fuit dicere, liberum arbitrium per peccatum originale in homine fuisse extinctum; & de libero arbitrio in præsenti statu naturæ lapsæ nil superesse, nisi solum titulum, vel nomen sine re; adeo ut nullum prorsus ei activitatem attribuerit, dixeritque, se habere veluti inane quoddam subjectum ad recipiendas, patiendásque impressiones, & affectus à Deo omnium bonorum largitore, ait enim *in artic.* 36. *ad Leonem X. Liberum arbitrium post peccatum originale res est de solo titulo, & dum facit, quod in se est, peccat mortaliter*; & *in libro operationum in Psalmos Psal.* 5. ait: *Error est, liberum arbitrium habere activitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur*, & paucis interjectis subdit: *Quid obsecro activitatis habet lutum, quando figulus formam ei affingit? Nonne mera passio ibi cernitur?* Æquiparat liberum arbitrium post peccatum luto, quod ad recipiendas formas, ac figuras à figulo nullo pacto agit, sed ad illas se habet merè passivè, perinde liberum arbitrium ad impressiones divinas, & bonas operationes se habet merè passivè, nil agendo; sed tantùm recipiendo Dei impressiones, quam hæresim damnavit Concilium Tridentinum *Sess.* 6. *can.* 5. inquiens: *Si quis dixerit, liberum hominis, arbitrium post Adæ peccatum amissum, ac extinctum esse; aut rem esse de solo titulo, imò purum titulum sine re, figmentum denique à Sathana invectum in Ecclesiam; anathema sit* & canone *præcedente* anathematizat asserentes: *liberum hominis arbitrium nil cooperari Deo vocanti, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passivè se habere*.

Et revera liberum arbitrium non esse potentiam merè passivam solo naturæ spiculo evincitur: quia lumen naturale satis clarè ostendit, voluntatem hominis in qua residet liberum arbitrium, esse potentiam vitalem, ac factivam suarum operationum; de ratione autem potentiæ vitalis est, posse actum vitalem depromere, alioquin frustranea esset ea potentia, quæ nunquam posset ad actum reduci; quod sit potentia vitalis, liquet, quia se movet ab intrinseco; est enim conceptus vitæ in actu primo, ut convenit rebus omnibus creatis: principium per se producendi ab intrinseco, in se, ac immanenter perfectionem ex natura sua immanentem; etiam cùm est in statu sibi connaturali: & experimur, voluntatem non moveri ab aliquo extrinseco agente, quando vult; sed moveri à se ipsa; præterea experimur, voluntatem non semper velle unum, ac idem objectum; sed nunc illud velle, & postea illud idem non amplius, quod non posset contingere, nisi esset potentia activa & vitalis, seu factiva suarum operationum immanentium, nemine exterius cogente, nemine imponente necessitatem, cùm experiamur posse nos velle, vel nolle idem objectum prout nobis magis placet; alioquin si liberum arbitrium necessitaretur à Deo prædefiniente omnes nostros actus, sequeretur, quod nec in statu innocentiæ potuisset homo vitaliter, ac liberè se movere: Unde Lutherus frustra asserit, peccatum originale extinxisse in homine liberum arbitrium, & ponit inter utrumque statum discrimen, eo quia in statu innocentiæ fuerit homo cum libero arbitrio, non verò in statu naturæ lapsæ; quia hoc pacto naturalis modus potentiarum animæ per peccatum fuisset immutatus, & voluntas, quæ ante peccatum operabatur liberè, post peccatum non nisi necessariò agit, ut potentia, quæ erat vitalis, per peccatum fieret non vitalis, & expers omnis activitatis, quod dici nequit; quia insitus, & naturalis modus animæ, & potentiarum stabilis est, ac independens ab accidentaria variatione per peccatum, vel gratiam.

Non est igitur liberum arbitrium potentia tantùm passiva, quia de ratione arbitrii est, ut sit principium primo se determinans ad actum secundum; sed est agens, quod primò movet potentiam recipientem, quia id, à quo exit actus, est prius eo, in quo recipitur: ergo non potest liberum arbitrium esse potentia merè passiva. Tum quia inde sequeretur, quod materia prima foret liberum arbitrium, quia est potentia passiva omnino indifferens ad recipiendas has, vel illas formas; hoc enim pacto ab hæreticis definitum liberum arbitrium, quæ definitio conveniret materiæ primæ. Præterea, non est in potestate, ac dominio passionis, ut patiatur, vel non patiatur;

hoc

Præcedentes errores auxit, ac propagavit Priscillianus circa annum 388. quia cum Manichæo asserebat, duo prima principia, quæsque hominum mentes, & rursus fatebatur actus humanos inevitabili astrorum subjacere dispositioni, quo pacto omnimodam necessitatem humanæ inferebat voluntati, ut colligitur ex D. Augustino *lib. de hæresibus cap.* 70. & ex D. Leone Papa *epist.* 93. *ad Episcopum Asturicensem* ubi ait: *Undecima eorum blasphemia est, qua fatalibus stellis, & animas hominum, & corpora opinantur adstringi; per quam amentiam necesse est, ut omnibus Paganorum erroribus implicati, & faventia sibi (ut putant) sidera colant, & adversantia studeant mitigare. Verum ista sectantibus nullus in Ecclesia Catholica locus est; quoniam, qui se in talibus persuasionibus dedit, à Christi corpore totus abscedit.* Et quia hic error per Hispaniam irrepserat, Concilium Bracharense I. illum docentes, ac asserentes anathemate percussit, *can.* 9. *Si quis animas, & corpora hominum fatalibus stellis credit adstringi, sicut Pagani, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Hunc eundem errorem confutat D. Thomas 3. *contra gentes cap.* 85. inquiens: *Hinc est, quod dicitur, Hierem.* 10. *à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes: quia leges populorum vana sunt. Per hoc autem excluditur positio Stoicorum, qui ponebant omnes actus nostros, & electiones nostras secundùm corpora cœlestia disponi. Quæ etiam dicitur fuisse positio antiqua Pharisæorum apud Judæos. Priscillianistæ hujusmodi erroris etiam rei fuerunt, ut dicitur in libro de hæresibus.*

Jovinianus itidem liberum visus est interemisse arbitrium, anno 395. Ut enim Manichæismum declinaret, in aliud deflexit extremum, asserens, hominem semel baptismi lavacro ablutum, ac per gratiam à peccato purgatum, non esse amplius peccato obnoxium, neque posse amplius delinquere, seque à summo bono avertere, ut testatur D. Hieronymus *epistol. ad Damasum* ubi scribit: *Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus, nos semper indigere auxilio: & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non posse, quàm illos, qui cum Joviniano asserunt, hominem non posse peccare. Utrumque enim tollit libertatem arbitrii. Nos verò dicimus, hominem semper & peccare, & non peccare posse, ut semper nos liberi confiteamur esse arbitrii.*

Quia verò hæresis Lerneam hydram imitatur, ut est in fabulis, semel & iterum amputata succrevit; tametsi hæresis hæc fuerit pluries ab Ecclesia anathemate percussa; & damnata, semper repullulat: etenim post Manichæos, Priscillianistas, Jovinianum, surrexerunt Albanenses circiter annum Christi 796. qui & ipsi duo constituebant principia; & inde cum Manichæis inferebant peccatum non emanare à libero arbitrio, sed à malo principio, & nullum in homine dari liberum arbitrium, quam hæresim sequuti sunt Albigenses circa annum 1212. qui in Tolosana ditione liberum arbitrium impugnârunt, quos tamen S. Dominicus oratione, & prædicatione expugnavit. Ante Albigenses circa annum 1140. fuit etiam Petrus Abailardus, qui docuit, Deum ex omnimoda necessitate agere, quidquid agit, ac proinde & ipse liberum arbitrium extinxit in suo fonte; Abailardo se comitem junxit Arnoldus Brixiensis illius coætaneus, ut colligitur ex D. Bernardo *in epistola ad Innocentium Papam*, in qua eorum indicat, & reprimit audaciam, inquiens: *Prodiit Golias ipse* (scilicet Abailardus) *procero corpore, nobili illo suo bellico apparatu circummunitus. Ante se quoque ejus armiger Arnoldus de Brixia, squamma squammæ conjungitur, siquidem sibilavit apis, quæ erat in Francia, Api de Italia, & venerunt in unum adversus Dominum, & adversum Christum ejus.* Hæc tamen hæresis damnata fuit in Concilio Senonensi sub Cælestino II. & in Lateranensi sub Innocentio II. Abailardus tamen in suo errore non perseveravit, sed acquievit judicio Ecclesiæ, resipuit, & ad Cluniacenses revertit, ubi in arctissima observantia reliquum vitæ inîmpsit, & sanctô fine quievit, ut refert Petrus Cluniacensis *lib.* 5. *epist.* 20. ad Eloysiam Abbatissam Abailardi conjugem, quæ & ipsa pœnitens reversa est ad meliorem frugem.

Sed iterum post hos contra Ecclesiam & liberum arbitrium insurrexit Joannes Wiclefus circa Christi annum 1352. qui plures ad se traxit Discipulos, sui erroris sectatores, ac propugnatores. Docebat Wiclephus, omnes actus humanos ex necessitate absoluta evenire, non quæ fundaretur in mala natura, vel in fatali, ac inevitabili astrorum influxu, ut putarunt Manichæi, & Priscillianistæ; sed in decreto, & præscientia Dei; asseruit enim, posito Dei decreto, ac præscientia futuri eventus, fieri non posse, ut ullo sensu oppositum contingeret; quia verò agnoscebat, id damnasse Ecclesiam contra Pelagianos, asseruit cuncta necessariò absolutè fieri, nullamque dari potentiam ad oppositum, quæ pro vera libertate sufficeret: ita docuit *in* 2. *Trialogi cap.* 13. ubi ait: *Deus necessitat creaturas singulas activas ad quemlibet actum suum*; & *lib.* 3. *Trialogi cap.* 9. hoc repetit, inquiens: *Numquid creatura potest impedire Dei determinationem? & ut Sophista concedunt, veritatem æternam procedentem ex Dei proposito?* & nonnullis interjectis subdit: *Cum ergo addit in ignorantia Dei, in variatione suæ volitionis, vel rei impedientis non possit obstaculum inveniri; relinquitur, quod propositum Dei oportet necessario adimpleri, & sic omne futurum eveniet necessariò.* Omnes tamen Wiclephi errores egregiè impugnavit Thomas Waldensis in suo doctrinali fidei antiquæ.

CAPUT

# CAPUT IX.

## Referuntur, & refelluntur Lutheri, Calvini, & Jansenii errores circa liberum arbitrium.

Recentiores Hæresiarchæ cloacas putidissimas æmulati, omnes errorum fœces ab Ecclesia jam dudum rejectas ad se traxerunt, eandem centies malè olentem crambem recoquentes, qua propter etiam errores circa liberum arbitrium olim in primitiva Ecclesia extinctos, anathemate in Manete Persis, Manichæis, Pelagianis, Priscillianis, Jovianistis Albanensibus, Albigensibus, & aliis damnata iterum excitarunt, Lutherus, & Calvinus. Asseruit enim Lutherus, actus humanos fieri necessario, adeo ut nequeat homo illos non elicere, eò quia careat potestate ad oppositum. Primò docuerat, hanc necessitatem provenire ex decreto, & præscientia Dei, & cum necessitate opposita indifferentiæ conjungebat libertatem oppositam coactioni, & violentiæ; asseruit, hominem voluntariè quidem agere, sed absque potestate ad non agendum; ita docuit *tom. 3. de servo arbitrio*, ubi hæc habet; *sequitur, nos necessariò operari: necessariò, dico, non coactè; hoc est, cùm homo vacat spiritu Dei, non quidem violentiâ, vel ut raptus obtorto collo nolens facit; sed sponte, & libenti voluntate facit*; & Bucerus *libro de concordia* asserit, quòd Lutherus solam libertatem à necessitate negaverit, non verò libertatem à coactione, hanc enim concessit; seu negavit hominem operari liberè libertate à necessitate, quia stantibus divino decreto, & præscientia Dei necessariò operatur, adeo ut possit illis reluctari, & non operari; benè tamen operari liberè libertate à coactione, quia, cùm talis actus eliciatur à voluntate, & nemo vim illi inferat, operatur libertate à coactione. Sed cum Lutherus agnosceret argumenta desumpta ex decreto, & præscientia Dei generalia esse, & æquè urgere in Angelis, ac hominibus in statu naturæ integræ, & innocentiæ, proinde in utroque statu inefficacia esse, ac necessitatem invehere absolutam, quam Lutherus pro illo statu non concedebat, adactus fuit dicere, liberum arbitrium per peccatum originale in homine fuisse extinctum; & de libero arbitrio in præsenti statu naturæ lapsæ nil superesse, nisi solum titulum, vel nomen sine re; adeo ut nullum prorsus ei activitatem attribuerit, dixeritque, se habere veluti inane quoddam subjectum ad recipiendas, patiendásque impressiones, & affectus à Deo omnium bonorum largitore, ait enim *in artic. 36. ad Leonem X. Liberum arbitrium post peccatum originale res est de solo titulo, & dum facit, quod in se est, peccat mortaliter*; & *in libro operationum in Psalmos Psal. 5.* ait: *Error est, liberum arbitrium habere activitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur*, & paucis interjectis subdit: *Quid obsecro activitatis habet lutum, quando figulus formam ei affingit? Nonne mera passio ibi cernitur?* Æquiparat liberum arbitrium post peccatum luto, quod ad recipiendas formas, ac figuras à figulo nullo pacto agit, sed ad illas se habet merè passivè, perinde liberum arbitrium ad impressiones divinas, & bonas operationes se habet merè passivè, nil agendo; sed tantùm recipiendo Dei impressiones, quam hæresim damnavit Concilium Tridentinum *Sess. 6. can. 5.* inquiens: *Si quis dixerit, liberum hominis, arbitrium post Adæ peccatum amissum, ac extinctum esse; aut rem esse de solo titulo, imò purum titulum sine re, figmentum denique à Sathana invectum in Ecclesiam, anathema sit* & canone præcedente anathematizat asserentes: *liberum hominis arbitrium nil cooperari Deo vocanti, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passivè se habere*

Et revera liberum arbitrium non esse potentiam merè passivam solo naturæ spiculo evincitur: quia lumen naturale satis clarè ostendit, voluntatem hominis in qua residet liberum arbitrium, esse potentiam vitalem, ac factivam suarum operationum; de ratione autem potentiæ vitalis est, posse actum vitalem depromere, alioquin frustranea esset ea potentia, quæ nunquam posset ad actum reduci; quod sit potentia vitalis, liquet, quia se movet ab intrinseco; est enim conceptus vitæ in actu primo, ut conveniat rebus omnibus creatis: principium per se producendi ab intrinseco, in se, ac immanenter perfectionem ex natura sua immanentem, etiam cùm est in statu sibi connaturali: & experimur, voluntatem non moveri ab aliquo extrinseco agente, quando vult; sed moveri à se ipsa; præterea experimur, voluntatem non semper velle unum, ac idem objectum; sed nunc illud velle, & postea illud idem non amplius, quod non posset contingere, nisi esset potentia activa & vitalis, seu factiva suarum operationum immanentium, nemine exterius cogente, nemine imponente necessitatem, cùm experiamur posse nos velle, vel nolle idem objectum prout nobis magis placet; alioquin si liberum arbitrium necessitaretur à Deo prædefiniente omnes nostros actus, sequeretur, quod nec in statu innocentiæ potuisset homo vitaliter, ac liberè se movere: Unde Lutherus frustra asserit, peccatum originale extinxisse in homine liberum arbitrium, & ponit inter utrumque statum discrimen, eo quia in statu innocentiæ fuerit homo cum libero arbitrio, non verò in statu naturæ lapsæ; quia hoc pacto naturalis modus potentiarum animæ per peccatum fuisset immutatus, & voluntas, quæ ante peccatum operabatur liberè, post peccatum non nisi necessariò agit, ut potentia, quæ erat vitalis, per peccatum fieret non vitalis, & expers omnis activitatis, quod dici nequit; quia insitus, & naturalis modus animæ, & potentiarum stabilis est, ac independens ab accidentaria variatione per peccatum, vel gratiam.

Non est igitur liberum arbitrium potentia tantùm passiva, quia de ratione arbitrii est, ut sit principium, primò se determinans ad actum secundum; sed est agens, quod primò movet potentiam recipientem, quia id, à quo exit actus, est prius eo, in quo recipitur: ergo non potest liberum arbitrium esse potentia merè passiva. Tum quia inde sequeretur, quod materia prima foret liberum arbitrium, quia est potentia passiva omnino indifferens ad recipiendas has, vel illas formas; hoc enim pacto ab hæreticis definitum liberum arbitrium, quæ definitio conveniret materiæ primæ. Præterea, non est in potestate, ac dominio passionis, ut patiatur, vel non patiatur;

hoc

hoc enim dependet ab agente, potente agere, vel non agere in passum eatenus passum patitur, quia agens agit, non è converso, cum agens sit prius ratione passo, pertinet ad agens determinare, non ad passum: unde liberum arbitrium non potest salvari in potentia merè passiva. Neque ex eo, quòd liberum arbitrium dicatur esse potentia activa, sequitur, omnes ejus actus fore ejusdem speciei, eo quia essent ab eodem principio activo; quia ab eodem principio activo possunt oriri plures actus speciè distincti. Voluntas enim, utpote potentia universalis, respicit diversa objecta, à quibus movetur; &, cùm objecta sint specie diversa, potest voluntas juxta diversitatem objectorum elicere diversos actus specie distinctos.

Hinc dicendum est, liberum arbitrium esse potentiam activam, & concurrere effectivè ad omnes actus liberos ex vi propriæ virtutis activæ. Quia, cum constet liberum arbitrium non esse potentiam passivam, sequitur, quod, si est potentia, debeat esse activa, quæ effectivè concurrat ad omnes actus liberos ex vi propriæ virtutis activæ, hinc *Ecclesiast.* 31. dicitur: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*; & *Eccles.* 15. *Ad quod volueris, porrige dexterum.* Hoc ipsum expresè habet Concilium Tridentinum *sess. 6. can.* 5. ubi definit: 1. liberum arbitrium concurrere affectivè ad opera supernaturalia, unde sequitur, ei inesse virtutem operativam, per quam operetur; proinde, quando naturaliter operatur, debet per eandem virtutem activam operari, qua effectivè concurrat ad actus liberos; ait enim Tridentinum *loc. cit. peccatorem converti ad Deum libere consentiendo, & cooperando gratiæ*, & *can.* 4. anathemate percutit asserentes, liberum arbitrium nihil agere, sed se habere merè passivè. Idque ex eo etiam evincitur, quia actus liber est actus vitalis, quia per actum liberum anima se promovet ad proprium bonum cum speciali modo tendendi inclinativo, consequenter debet esse à speciali principio intrinseco vitæ, proinde à libero arbitrio incluso in ipsa voluntate.

Sed dices, illa potentia includit libertatem, à qua procedit determinatio, per quam tollitur indifferentia: sed nulla est ratio, cur determinatio hæc dicatur potiùs prodire à causa effectiva, quam à materiali, & subjectiva, ergo saltem æquè potentia passiva est libertas, ac activa. Minor ostenditur, quia effectus dependens à causa efficiente, & materiali, æquè potest impediri ex defectu utriusque causæ materialis, & efficientis, ergo saltem æquè necessaria est ad effectum liberum determinatio causæ materialis, quam causæ efficientis. Firmari ex eo etiam potest, quia causa materialis sæpe determinat actionem causæ efficientis universalis: sol enim determinatur à causa materiali ad hanc, vel illam operationem, ut cùm liquefacit ceram, & exiccat lutum: in aliis etiam actio est major, vel minor juxta dispositionem passi, ergo liberum arbitrium est etiam potentia passiva, & non solùm activa. Contra est, negatur minor, quia determinatio debet prius esse à causa efficiente, causa enim materialis ipsa non se determinat activè, sed determinatur à causa efficiente, producente materiam, & formam; quapropter causa efficiens est principium determinationis, non autem causa subjectiva: siquidem principium efficiens est semper prius passo, & actio prius est ab agente, quàm intelligatur esse in passo, unde licet effectus possit impediri ex defectu causæ materialis, perinde ac ex defectu cujuscunque alterius causæ, non tamen inde sequitur, quod determinatio oriatur primo à causa materiali, quia actio priùs est ab agente, quàm intelligatur inesse passo. Ad confirmationem conceditur, quòd potentia passiva possit aliquando ex incapacitate sua naturali determinare actionem agentis, ut contingit in sole: cera enim, quia non potest naturaliter indurari à sole, determinat ejus actionem ad liquefactionem, & lutum è converso ad indurationem: sed negatur, inde sequi has determinationes esse liberas: siquidem actio, quæ oritur ex incapacitate naturali, non est libera, sed tantùm illa, quæ oritur ex potestate in actu, seu à potentia habente dominium suæ operationis: cera autem, & lutum non determinant solem ex dominio, & potestate in actum, consequenter tales determinationes non sunt liberæ.

Ex eo autem, quod Lutherus negaverit liberum arbitrium, ex hoc uno errore veluti è putidissimo fonte plures alii emanârunt, asseruit enim, hominem post Adæ peccatum non posse divina præcepta adimplere, sed Deum impossibilia præcipere; ait enim Lutherus, *in confutatione rationis Latomianæ, tot scripturæ testimonia probant mandatum esse impossibile nobis, ut nihil sit manifestius*; & *in Dialogo Sylvest.* habetur: *Pessimè facis, quòd neges Salvatorem impossibilia jussisse, plus quàm pessimè facis, quòd hoc falsitatem audes appellare*; & postea subjungit: *Non possumus in hac vita mandata Dei adimplere*: hanc hæresin hausit Philippus Melanchthon à Luthero; ait enim *ad cap. 4. epist. ad Roman. Cum mandat lex Deum diligi, perinde impossibilia jubet, atque si præcipiat nobis, transvolare Caucasum*; quam hæresim damnat Concilium Tridentinum *sess. 6. can.* 18. inquiens: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini jam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Adversatur enim sacris scripturis, præsertim *Deuteron.* 30. *v.* 11. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum: sed juxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum*, quem textum Apostolus *ad Roman. cap.* 10. *v.* 6. applicat fidei possibilitati; & Christus *Luc.* 19. *v.* 21. ait: *Regnum Dei intra vos est*, scilicet in manus, & potestate vestra, ut interpretatur Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem cap.* 25. *Matth.* 11. *v.* 8. *Jugum meum suave, & onus meum leve*; non esset autem suave, si foret impossibile, non esset leve, si foret intolerabile. Per jugum & onus intelligi divina præcepta asserunt communiter Sancti Patres, quæ propterea non sunt servatu impossibilia; ait enim Apostolus 1. *ad Corinth.* 10. *v.* 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*: atqui pateretur, si impossibilia juberet, ac tentaret supra id, quod possumus; hinc 1. *Joan.* 5. *v.* 3. *Mandata ejus gravia non sunt*; sin autem essent servatu impossibilia, gravissima forent, & nostras excederent vires etiam corroboratas divina gratia; quapropter Concilium Arausicanum II. de gratia, & libero arbitrio contra Pelag. ejusque reliquias celebratum sub Pontificatu Felicis Papæ IV. anno Christi 529. & à Bonifacio II. confirmatum anno 530. *can.* 25. post medium ait: *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per baptismum gratiâ omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*; unde Christianis præcepta Dei ex definitione Concilii non sunt servatu impossibilia, neque iis, qui in malo sunt obdurati, ac reprobi, & Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 11. ait: *Nemo temeraria*

taria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita vocenti debet, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod non possis, & adjuvat, ut possis. Quòd si Deus absolutè adjuvat, ut possimus, præsentem nobis, expeditámque præstat adjuvantem gratiam ad mandata implenda: adeóque purificata est conditio, ex qua Lutherus asserit esse possibilia tantùm remotè, & conditionatè, si Deus adjuvat.

Sancti Patres etiam execrantur hanc blasphemiam præsertim Augustinus serm. 191. de tempor. sub fin. inquiens: Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini esse à Deo præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse servari. Et in Ps. 56. explicans locum Joan. 15. de proximi dilectione ait: Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile esse judicaret, ut hoc ab homine fieret, si considerans infirmitatem tuam deficis sub præcepto, confortare in exemplo; sed etiam si exemplum à te multum est, adest ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium. Et de natura & grat. cap. 69. sub init. ait: Eo ipso, quo firmissime creditur, Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere: hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Rursus de Genes. contra Manich. lib. 1. cap. 3. inquit: Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum temporalium, se ad ejus præcepta servanda convertunt: quod omnes homines possunt, si velint; quia illud lumen omnem illuminat venientem in hunc mundum. Alii Sancti Patres hanc eandem execrantur hæresim, præsertim Basilius Tom. 1. in orat. Attende tibi post. init. ubi ait: Impium est, asserere, præcepta Spiritus Sancti impossibilia esse observatu. D. Hieronymus Tom. 6. in Matth. 5. in fin. Sciendum est, Christum non impossibilia percipere, sed perfecta.

Lutherus tamen prædicto errori alium addidit, scilicet hominem in omni opere peccare mortaliter, & tantò graviùs peccare, quanto magis conatur se disponere ad justitiam; ut enim refert Castro Ve bo opera, putavit Lutherus, hominem teneri in omni opere servare præceptum charitatis de diligendo Deo super omnia, quod censuit esse in hac vita impossibile, quod quamvis videatur consequens ad errorem immediatè relatum, non tamen sequitur ad aliud principium Lutheri, quo ait: Hominem nihil liberè agere; etenim qui nihil liberè agit, vel cuncta agit necessariò, nequit à lege deflectere, quæ suo imperio tantum dirigit eas operationes, quæ possunt indifferenter elici: in necessariis enim superflua est extrinseca Legislatoris directio, hinc Concilium Tridentinum hunc etiam errorem damnat sess. 6. can. 25. inquiens: Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantúmque ob id non damnari: quia Deus ea opera non imputat ad damnationem, anathema sit. Quod verò detestabilius, horribilius fuit inter errores Lutheri, quia ipse asseruit, Deum esse Authorem, & causam peccati, & ita operari in nobis mala opera, sicut & bona. Ita enim loquitur in assert. art. 36. inquiens: Quomodo potest homo se se ad bonum præparare, cum neque in potestate sua sit vias suas malas facere? nam & mala opera in impiis operatur Deus, ut Proverb. 16. dicitur: Omnia propter se ipsum operatus est Dominus, etiam impium ad diem malum, quis audet se etiam in malis operibus sæpe coactum aliud facere, quam cogitaverit. Hoc idem etiam habet in lib. de servo arbitrio, cui propterea graviorem intulit Lutherus injuriam, quàm ipsi Manichæi, quia istis, ne facerent Deum Authorem mali, aliud finxerunt primum principium malum, à quo mala omnia emanarent: Lutherus verò omnia mala, & peccata Deo adscripsit, contra Scripturas asserentes, perditionem hominis ab ipso haberi homine: Perditio tua ex te Israel, & hunc errorem etiam damnavit Trident. sess. 6. can. 6. Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissivè solum, sed etiam propriè & per se, adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.

Calvinus etiam contra liberum arbitrium arma movit, illúdque adnixus est totaliter expugnare, ac evertere, quamvis cautiùs procederet, ac magis clanculum, adeo ut quamvis Lutheri hæresim & ipse docuerit, id tamen præstitit sub venenoso verborum involucro, & quadam Catholicorum formula v rbo tenus usus est, ut videretur, nil docere, nisi Catholicum, quod etiam in antiquis Hæreticis notavit D. Hieronymus in epist. ad Pammach. & Ocean. inquiens: Sic verba temperant, sic ordinem vertunt: & ambigua quæque concinnant, ut & nostram, & adversariorum confessionem teneant, ut aliter Hæreticus, aliter, Catholicus audiat. Facilè etiam Calvinus suas variat sententias, ut in suspenso suos teneat Lectores, & quasi ancipites, & & plerumque utitur æquivocatione ad subterfugiendam argumentorum vim, & efficaciam, & hanc vafritiem animúmque simulatum palam manifestavit circa confessionem realis, ac veræ præsentiæ corporis Christi sub accidentibus Eucharisticis, quam concessit Ratisbonæ, & postea negavit Genevæ: siquidem ut Catholicis conniveret, negavit necessitatem fatalem Manichæorum desumptam vel ex hominis natura, vel ex influxu causarum creatarum, præsertim syderum; nam in lib. 1. instit. cap. 16. sect. 8. ait: Nos etsi de verbis non litigamus, fati tamen vocabulum non recipimus. Tum quia est ex eorum genere, quorum profanas novitates refugere nos Paulus docet: tum quia ejus odio conantur lavare Dei veritatem. Dogma verò falsè, ac malitiosè objectatur: non enim cum Stoicis necessitatem comminiscimur ex perpetuo causarum nexu, & implicita quadam serie, quæ in natura contineatur, sed Deum constituimus arbitrum, & moderatorem omnium, qui pro sua sapientia ab ultima æternitate decrevit: quid facturus esset, & nunc sua sapientia, quæ decrevit, exequitur. Et lib. de prædestinat. contra Pigchium pag. 340. ait: Valeant cum suo fato Stoici; nobis libera Dei voluntas omnium sit moderatrix, &, cùm Lutherus docuerit voluntatem & liberum arbitrium in ipsa se merè passivè habere, quia Catholici communiter hunc errorem impugnârunt, ideo Calvinus concessit, hominem per liberum arbitrium posse aliquid agere, ut in lib. 2. Instit. cap. 5. §. ubi inquiens: Extranea est illa similitudo, quæ nos invidiosè gravat. Quis enim ita desipit, ut hominis motionem à jactu lapidis nihil deferre autumet? neque verò quidquam simile consequitur ex nostra doctrina, in naturales hominis facultates referimus appro-

hoc enim dependet ab agente, potente agere, vel non agere in passum eatenus passum patitur, quia agens agit, non è converso, cum agens sit prius ratione passo, pertinet ad agens determinare, non ad passum: unde liberum arbitrium non potest salvari in potentia merè passiva. Neque ex eo, quòd liberum arbitrium dicatur esse potentia activa, sequitur, omnes ejus actus fore ejusdem speciei, eo quia essent ab eodem principio activo; quia ab eodem principio activo possunt oriri plures actus speciè distincti. Voluntas enim, utpote potentia universalis, respicit diversa objecta, à quibus movetur; &, cùm objecta sint specie diversa, potest voluntas juxta diversitatem objectorum elicere diversos actus specie distinctos.

Hinc dicendum est, liberum arbitrium esse potentiam activam, & concurrere effectivè ad omnes actus liberos ex vi propriæ virtutis activæ. Quia, cum constet liberum arbitrium non esse potentiam passivam, sequitur, quod, si est potentia, debeat esse activa, quæ effectivè concurrat ad omnes actus liberos ex vi propriæ virtutis activæ, hinc *Ecclesiast.* 31. dicitur: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*; & *Eccles.* 15. *Ad quod volueris, porrige dexterum.* Hoc ipsum expresè habet Concilium Tridentinum *sess.* 6. *can.* 5. ubi definit: 1. liberum arbitrium concurrere affectivè ad opera supernaturalia, unde sequitur, ei inesse virtutem operativam, per quam operetur; proinde, quando naturaliter operatur, debet per eandem virtutem activam operari, qua effectivè concurrat ad actus liberos; ait enim Tridentinum *loc. cit. peccatorem converti ad Deum libere consentiendo, & cooperando gratiæ*, & *can.* 4. anathemate percutit asserentes, liberum arbitrium nihil agere, sed se habere merè passivè. Idque ex eo etiam evincitur, quia actus liber est actus vitalis, quia per actum liberum anima se promovet ad proprium bonum cum speciali modo tendendi inclinativo, consequenter debet esse à speciali principio intrinseco vitæ, proinde à libero arbitrio incluso in ipsa voluntate.

Sed dices, illa potentia includit libertatem, à qua procedit determinatio, per quam tollitur indifferentia: sed nulla est ratio, cur determinatio hæc dicatur potiùs prodire à causa effectiva, quam à materiali, & subjectiva, ergo saltem æquè potentia passiva est libertas, ac activa. Minor ostenditur, quia effectus dependens à causa efficiente, & materiali, æquè potest impediri ex defectu utriusque causæ materialis, & efficientis, ergo saltem æquè necessaria est ad effectum liberum determinatio causæ materialis, . quam causæ efficientis. Firmari ex eo etiam potest, quia causa materialis sæpe determinat actionem causæ efficientis universalis: sol enim determinatur à causa materiali ad hanc, vel illam operationem, ut cùm liquefacit ceram, & exiccat lutum: in aliis etiam actio est major, vel minor juxta dispositionem passi, ergo liberum arbitrium est etiam potentia passiva, & non solùm activa. Contra est, negatur minor, quia determinatio debet prius esse à causa efficiente, causa enim materialis ipsa non se determinat activè, sed determinatur à causa efficiente, producente materiam, & formam; quapropter causa efficiens est principium determinationis, non autem causa subjectiva: siquidem principium efficiens est semper prius passo, & actio prius est ab agente, quàm intelligatur esse in passo, unde licet effectus possit impediri ex defectu causæ materialis, perinde ac ex defectu cujuscunque alterius causæ, non tamen inde sequitur, quod determinatio oriatur primo à causa materiali, quia actio priùs est ab agente, quàm intelligatur inesse passo. Ad confirmationem conceditur, quòd potentia passiva possit aliquando ex incapacitate sua naturali determinare actionem agentis, ut contingit in sole: cera enim, quia non potest naturaliter indurari à sole, determinat ejus actionem ad liquefactionem, & lutum è converso ad indurationem: sed negatur, inde sequi has determinationes esse liberas: siquidem actio, quæ oritur ex incapacitate naturali, non est libera, sed tantùm illa, quæ oritur ex potestate in actu, seu à potentia habente dominium suæ operationis: cera autem, & lutum non determinant solem ex dominio, & potestate in actum, consequenter tales determinationes non sunt libera.

Ex eo autem, quod Lutherus negaverit liberum arbitrium, ex hoc uno errore veluti è putidissimo fonte plures alii emanârunt, asseruit enim, hominem post Adæ peccatum non posse divina præcepta adimplere, sed Deum impossibilia præcipere; ait enim Lutherus, *in confutatione rationis Latomianæ, tot scripturæ testimonia probant mandatum esse impossibile nobis, ut nihil sit manifestius*; & *in Dialogo Sylvest.* habetur: *Pessimè facis, quòd neges Salvatorem impossibilia jussisse, plus quam pessimè facis, quòd hoc falsitatem audes appellare*; & postea subjungit: *Non possumus in hac vita mandata Dei adimplere*: hanc hæresin hausit Philippus Melanchthon à Luthero; ait enim *ad cap.* 4. *epist. ad Roman. Cum mandat lex Deum diligi, perinde impossibilia jubet, atque si præcipiat nobis, transvolare Caucasum*; quam hæresim damnat Concilium Tridentinum *sess.* 6. *can.* 18. inquiens: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini jam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Adversatur enim sacris scripturis, præsertim *Deuteron.* 30. *v.* 11. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum: sed juxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum*, quem textum Apostolus *ad Roman. cap.* 10. *v.* 6. applicat fidei possiibilitati; & Christns *Luc.* 19. *v.* 21. ait: *Regnum Dei intra vos est*, scilicet in manus, & potestate vestra, ut interpretatur Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcionem cap.* 25. *Matth.* 11. *v.* 8. *Jugum meum suave, & onus meum leve*; non esset autem suave, si foret impossibile, non esset leve, si foret intolerabile. Per jugum & onus intelligi divina præcepta asserunt communiter Sancti Patres, quæ propterea non sunt servatu impossibilia; ait enim Apostolus 1. *ad Corinth.* 10. *v.* 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*: atqui pateretur, si impossibilia juberet, ac tentaret supra id, quod possumus; hinc 1. *Joan.* 5. *v.* 3. *Mandata ejus gravia non sunt*; sin autem essent servatu impossibilia, gravissima forent, & nostras excederent vires etiam corroboratas divina gratia; quapropter Concilium Arausicanum II. de gratia, & libero arbitrio contra Pelag. ejusque reliquias celebratum sub Pontificatu Felicis Papæ IV. anno Christi 529. & à Bonifacio II. confirmatum anno 530. *can.* 25. post medium ait: *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per baptismum gratiâ omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*; unde Christianis præcepta Dei ex definitione Concilii non sunt servatu impossibilia, neque iis, qui in malo sunt obdurati, ac reprobi, & Tridentinum *sess* 6. *cap.* 11. ait: *Nemo temeraria*

*varia illa, & à Patribus sub anathemate prohibita vacè uti debet, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Quòd si Deus absolutè adjuvat, ut possimus, præsentem nobis, expeditámque præstat adjuvantem gratiam ad mandata implenda: adeóque purificata est conditio, ex qua Lutherus asserit esse possibilia tantùm remotè, & conditionatè, si Deus adjuvat.

Sancti Patres etiam execrantur hanc blasphemiam præsertim Augustinus *serm.* 191. *de tempor. sub fin.* inquiens: *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini esse à Deo præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in commune posse servari.* Et *in Ps.* 56. explicans locum *Joan.* 15. de proximi dilectione ait: *Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile esse judicaret, ut hoc ab homine fieret, si considerans infirmitatem tuam deficis sub præcepto, confortare in exemplo; sed etiam si exemplum à te multum est, adest ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.* Et *de natura & grat. cap.* 69. *sub init.* ait: *Eo ipso, quo firmissime creditur, Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere: hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Rursus *de Genes. contra Manich. lib.* 1. *cap.* 3. inquit: *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum temporalium, se ad ejus præcepta servanda convertunt: quod omnes homines possunt, si velint; quia illud lumen omnem illuminat venientem in hunc mundum.* Alii Sancti Patres hanc eandem execrantur hæresim, præsertim Basilius *Tom.* 1. *in orat. Attende tibi post. init.* ubi ait: *Impium est, asserere, præcepta Spiritus Sancti impossibilia esse observatu.* D. Hieronymus *Tom.* 6. *in Matth.* 5. *in fin. Sciendum est, Christum non impossibilia percipere, sed perfecta.*

Lutherus tamen prædicto errori alium addidit, scilicet hominem in omni opere peccare mortaliter, & tantò graviùs peccare, quanto magis conatur se disponere ad justitiam; ut enim refert Castro *Verbo opera*, putavit Lutherus, hominem teneri in omni opere servare præceptum charitatis de diligendo Deo super omnia, quod censuit esse in hac vita impossibile, quod quamvis videatur consequens ad errorem immediatè relatum, non tamen sequitur ad aliud principium Lutheri, quo ait: Hominem nihil liberè agere; etenim qui nihil liberè agit, vel cuncta agit necessariò, nequit à lege deflectere, quæ suo imperio tantum dirigit eas operationes, quæ possunt indifferenter elici: in necessariis enim superflua est extrinseca Legislatoris directio, hinc Concilium Tridentinum hunc etiam errorem damnat *sess.* 6. *can.* 25. inquiens: *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantúmque ob id non damnari: quia Deus ea opera non imputat ad damnationem, anathema sit.* Quod verò detestabilius, horribilius fuit inter errores Lutheri, quia ipse asseruit, Deum esse Authorem, & causam peccati, & ita operari in nobis mala opera, sicut & bona.* Ita enim loquitur *in assert. art.* 36. inquiens: *Quomodo potest homo se se ad bonum præparare, cum neque in potestate sua sit vias suas malas facere? nam & mala opera in impiis operatur Deus, ut Proverb.* 16. *dicitur: Omnia propter se ipsum operatus est Dominus, etiam impium ad diem malum, quis audet se etiam in malis operibus sæpe coactum aliud facere, quam cogitaverit.* Hoc idem etiam habet *in lib. de servo arbitrio*, cui proptereà graviorem intulit Lutherus injuriam, quàm ipsi Manichæi, quia istis, ne facerent Deum Authorem mali, aliud finxerunt primum principium malum, à quo mala omnia emanarent: Lutherus verò omnia mala, & peccata Deo adscripsit, contra Scripturas asserentes, perditionem hominis ab ipso haberi homine: *Perditio tua ex te Israel*, & hunc errorem etiam damnavit Trident. *sess.* 6. *can.* 6. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissivè solum, sed etiam propriè & per se, adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

Calvinus etiam contra liberum arbitrium arma movit, illúdque adnixus est totaliter expugnare, ac evertere, quamvis cautiùs procederet, ac magis clanculum, adeo ut quamvis Lutheri hæresim & ipse docuerit, id tamen præstitit sub venenoso verborum involucro, & quadam Catholicorum formula verbo tenus usus est, ut videretur, nil docere, nisi Catholicum, quod etiam in antiquis Hæreticis notavit D. Hieronymus *in epist. ad Pammach. & Ocean.* inquiens: *Sic verba temperant, sic ordinem vertunt: & ambigua quæque concinnant, ut & nostram, & adversariorum confessionem teneant, ut aliter Hæreticus, aliter, Catholicus audiat.* Facilè etiam Calvinus suas variat sententias, ut in suspenso suos teneat Lectores, & quasi ancipites; & & plerumque utitur æquivocatione ad subterfugiendam argumentorum vim, & efficaciam, & hanc vafritiem animúmque simulatum palam manifestavit circa confessionem realis, ac veræ præsentiæ corporis Christi sub accidentibus Eucharisticis, quam concessit Ratisbonæ, & postea negavit Genevæ: siquidem ut Catholicis conniveret, negavit necessitatem fatalem Manichæorum desumptam vel ex hominis natura, vel ex influxu causarum creatarum, præsertim syderum; nam *in lib.* 1. *instit. cap.* 16. *sect.* 8. ait: *Nos etsi de verbis non litigamus, fati tamen vocabulum non recipimus. Tum quia est ex eorum genere, quorum profanas novitates refugere nos Paulus docet: tum quia ejus odio conantur lavare Dei veritatem. Dogma verò falsè, ac malitiosè objectatur: non enim cum Stoicis necessitatem comminiscimur ex perpetuo causarum nexu, & implicita quadam serie, quæ in natura contineatur; sed Deum constituimus arbitrum, & moderatorem omnium, qui pro sua sapientia ab ultima æternitate decrevit: quid facturus esset, & nunc sua sapientia, quæ decrevit, exequitur.* Et *lib. de prædestinat. contra Pighium pag.* 340. ait: *Valeant cum suo fato Stoici; nobis libera Dei voluntas omnium sit moderatrix*, &, cùm Lutherus docuerit voluntatem & liberum arbitrium in ipsa se merè passivè habere, quia Catholici communiter hunc errorem impugnârunt, ideo Calvinus concessit, hominem per liberum arbitrium posse aliquid agere, ut *in lib.* 2. *Instit. cap.* 5. §. ubi inquiens: *Extranea est illa similitudo, quæ nos invidiosè gravat. Quis enim ita desipit, ut hominis motionem à jactu lapidis nihil deferre autumet? neque verò quidquam simile consequitur ex nostra doctrina, in naturales hominis facultates referimus approbare.*

hoc enim dependet ab agente, potente agere, vel non agere in passum eatenus passum patitur, quia agens agit, non è converso, cum agens sit prius ratione passo, pertinet ad agens determinare, non ad passum: unde liberum arbitrium non potest salvari in potentia merè passiva. Neque ex eo, quòd liberum arbitrium dicatur esse potentia activa, sequitur, omnes ejus actus fore ejusdem speciei, eo quia essent ab eodem principio activo; quia ab eodem principio activo possunt oriri plures actus speciè distincti. Voluntas enim, utpote potentia universalis, respicit diversa objecta, à quibus movetur; &, cùm objecta sint specie diversa, potest voluntas juxta diversitatem objectorum elicere diversos actus specie distinctos.

Hinc dicendum est, liberum arbitrium esse potentiam activam, & concurrere effectivè ad omnes actus liberos ex vi propriæ virtutis activæ. Quia, cum constet liberum arbitrium non esse potentiam passivam, sequitur, quod, si est potentia, debeat esse activa, quæ effectivè concurrat ad omnes actus liberos ex vi propriæ virtutis activæ, hinc *Ecclesiast.* 31. dicitur: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*; & *Eccles.* 15. *Ad quod volueris, porrige dexterum.* Hoc ipsum expressè habet Concilium Tridentinum *sess.* 6. *can.* 5. ubi definit: 1. liberum arbitrium concurrere affectivè ad opera supernaturalia, unde sequitur, ei inesse virtutem operativam, per quam operetur; proinde, quando naturaliter operatur, debet per eandem virtutem activam operari, qua effectivè concurrat ad actus liberos; ait enim Tridentinum *loc. cit. peccatorem converti ad Deum libere consentiendo, & cooperando gratia*, & *can.* 4. anathemate percutit asserentes, liberum arbitrium nihil agere, sed se habere merè passivè. Idque ex eo etiam evincitur, quia actus liber est actus vitalis, quia per actum liberum anima se promovet ad proprium bonum cum speciali modo tendendi inclinativo, consequenter debet esse à speciali principio intrinseco vitæ, proinde à libero arbitrio incluso in ipsa voluntate.

Sed dices, illa potentia includit libertatem, à qua procedit determinatio, per quam tollitur indifferentia: sed nulla est ratio, cur determinatio hæc dicatur potiùs prodire à causa effectiva, quam à materiali, & subjectiva, ergo saltem æquè potentia passiva est libertas, ac activa. Minor ostenditur, quia effectus dependens à causa efficiente, & materiali, æquè potest impediri ex defectu utriusque causæ materialis, & efficientis, ergo saltem æquè necessaria est ad effectum liberum determinatio causæ materialis, quam causæ efficientis. Firmari ex eo etiam potest, quia causa materialis sæpe determinat actionem causæ efficientis universalis: sol enim determinatur à causa materiali ad hanc, vel illam operationem, ut cùm liquefacit ceram, & exsicat lutum: in aliis etiam actio est major, vel minor juxta dispositionem passi, ergo liberum arbitrium est etiam potentia passiva, & non solùm activa. Contra est, negatur minor, quia determinatio debet prius esse à causa efficiente, causa enim materialis ipsa non se determinat activè, sed determinatur à causa efficiente, producente materiam, & formam; quapropter causa efficiens est principium determinationis, non autem causa subjectiva: siquidem principium efficiens est semper prius passo, & actio prius est ab agente, quàm intelligatur esse in passo, unde licet effectus possit impediri ex defectu causæ materialis, perinde ac ex defectu cujuscunque alterius causæ, non tamen inde sequitur, quod determinatio oriatur primo à causa materiali, quia actio priùs est ab agente, quàm intelligatur inesse passo. Ad confirmationem conceditur, quòd potentia passiva possit aliquando ex incapacitate sua naturali determinare actionem agentis, ut contingit in sole: cera enim, quia non potest naturaliter indurari à sole, determinat ejus actionem ad liquefactionem, & lutum è converso ad indurationem: sed negatur, inde sequi has determinationes esse liberas: siquidem actio, quæ oritur ex incapacitate naturali, non est libera, sed tantùm illa, quæ oritur ex potestate in actu, seu à potentia habente dominium suæ operationis: cera autem, & lutum non determinant solem ex dominio, & potestate in actum, consequenter tales determinationes non sunt libera.

Ex eo autem, quod Lutherus negaverit liberum arbitrium, ex hoc uno errore veluti è putidissimo fonte plures alii emanârunt, asseruit enim, hominem post Adæ peccatum non posse divina præcepta adimplere, sed Deum impossibilia præcipere; ait enim Lutherus, *in confutatione rationis Latomianæ, tot scripturæ testimonia probant mandatum esse impossibile nobis, ut nihil sit manifestius*; & *in Dialogo Sylvest.* habetur: *Pessimè facis, quòd neges Salvatorem impossibilia jussisse, plus quàm pessimè facis, quòd hoc falsitatem audes appellare*; & postea subjungit: *Non possumus in hac vita mandata Dei adimplere*: hanc hæresim hausit Philippus Melanchthon à Luthero; ait enim *ad cap.* 4. *epist. ad Roman. Cum mandat lex Deum diligi, perinde impossibilia jubet, atque si præcipiat nobis, transvolare Caucasum*; quam hæresim damnat Concilium Tridentinum *sess.* 6. *can.* 18. inquiens: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini jam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Adversatur enim sacris scripturis, præsertim *Deuteron.* 30. *v.* 11. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum: sed juxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum*, quem textum Apostolus *ad Roman. cap.* 10. *v.* 6. applicat fidei possibilitati; & Christus *Luc.* 19. *v.* 21. ait: *Regnum Dei intra vos est*, scilicet in manus, & potestate vestra, ut interpretatur Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcionem cap.* 25. *Matth.* 11. *v.* 8. *Jugum meum suave, & onus meum leve*; non esset autem suave, si foret impossibilia, non esset leve, si foret intolerabile. Per jugum & onus intelligi divina præcepta asserunt communiter Sancti Patres, quæ propterea non sunt servatu impossibilia; ait enim Apostolus 1. *ad Corinth.* 10. *v.* 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*: atqui pateretur, si impossibilia juberet, ac tentaret supra id, quod possumus; hinc 1. *Joan.* 5. *v.* 3. *Mandata ejus gravia non sunt*; sin autem essent servatu impossibilia, gravissima forent, & nostras excederent vires etiam corroboratas divina gratia; quapropter Concilium Arausicanum II. de gratia, & libero arbitrio contra Pelag. ejusque reliquias celebratum sub Pontificatu Felicis Papæ IV. anno Christi 529. & à Bonifacio II. confirmatum anno 530. *can.* 25. post medium ait: *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per baptismum gratiâ omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*; unde Christianis præcepta Dei ex definitione Concilii non sunt servatu impossibilia, neque iis, qui in malo sunt obdurati, ac reprobi, & Tridentinum *sess* 6. *cap.* 11. ait: *Nemo temeraria*

*varia illa, & à Patribus sub anathemate prohibita vocituri debet, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Quòd si Deus absolutè adjuvat, ut possimus, præsentem nobis, expeditámque præstat adjuvantem gratiam ad mandata implenda: adeóque purificata est conditio, ex qua Lutherus asserit esse possibilia tantùm remotè, & conditionatè, si Deus adjuvat.

Sancti Patres etiam execrantur hanc blasphemiam præsertim Augustinus *serm.* 191. *de tempor. sub fin.* inquiens: *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini esse à Deo præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse servari.* Et in *Ps.* 56. explicans locum *Joan.* 15. de proximi dilectione ait: *Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile esse judicaret, ut hoc ab homine fieret, si considerans infirmitatem tuam deficis sub præcepto, confortare in exemplo; sed etiam si exemplum à te multum est, adest ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.* Et *de natura & grat. cap.* 69. *sub init.* ait: *Eo ipso, quo firmissime creditur, Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere: hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Rursus *de Genes. contra Manich. lib.* 1. *cap.* 3. inquit: *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum temporalium, se ad ejus præcepta servanda convertunt: quod omnes homines possunt, si velint; quia illud lumen omnem illuminat venientem in hunc mundum.* Alii Sancti Patres hanc eandem execrantur hæresim, præsertim Basilius *Tom.* 1. *in orat. Attende tibi post. init.* ubi ait: *Impium est, asserere, præcepta Spiritus Sancti impossibilia esse observatu.* D. Hieronymus *Tom.* 6. *in Matth.* 5. *in fin. Sciendum est, Christum non impossibilia percipere, sed perfecta.*

Lutherus tamen prædicto errori alium addidit, scilicet hominem in omni opere peccare mortaliter, & tantò graviùs peccare, quanto magis conatur se disponere ad justitiam; ut enim refert Castro *Verbo opera*, putavit Lutherus, hominem teneri in omni opere servare præceptum charitatis de diligendo Deo super omnia, quod censuit esse in hac vita impossibile, quod quamvis videatur consequens ad errorem immediatè relatum, non tamen sequitur ad aliud principium Lutheri, quo ait: Hominem nihil liberè agere; etenim qui nihil liberè agit, vel cuncta agit necessariò, nequit à lege deflectere, quæ suo imperio tantum dirigit eas operationes, quæ possunt indifferenter elici: in necessariis enim superflua est extrinseca Legislatoris directio, hinc Concilium Tridentinum hunc etiam errorem damnat *sess.* 6. *can.* 25. inquiens: *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantùmque ob id non damnari: quia Deus ea opera non imputat ad damnationem, anathema sit.* Quod verò detestabilius, horribilius fuit inter errores Lutheri, quia ipse asseruit, Deum esse Authorem, & causam peccati, & ita operari in nobis mala opera, sicut & bona. Ita enim loquitur *in assert. art.* 36. inquiens: *Quomodo potest homo se sic ad bonum præparare, cum neque in potestate sua sit vias suas malas facere? nam & mala opera in impiis operatur Deus, ut Proverb.* 16. *dicitur: Omnia propter se ipsum operatus est Dominus, etiam impium ad diem malum, quis audet se etiam in malis operibus sæpe coactum aliud facere, quam cogitaverit.* Hoc idem etiam habet *in lib. de servo arbitrio*, cui propterea graviorem intulit Lutherus injuriam, quàm ipsi Manichæi, quia istis, ne facerent Deum Authorem mali, aliud finxerunt primum principium malum, à quo mala omnia emanarent: Lutherus verò omnia mala, & peccata Deo adscripsit, contra Scripturas asserentes, perditionem hominis ab ipso haberi homine: *Perditio tua ex te Israel*, & hunc errorem etiam damnavit Trident. *sess.* 6. *can.* 6. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissivè solum, sed etiam propriè & per se, adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

Calvinus etiam contra liberum arbitrium arma movit, illudque adnixus est totaliter expugnare, ac evertere, quamvis cautiùs procederet, ac magis clanculum, adeo ut quamvis Lutheri hæresim & ipse docuerit, id tamen præstitit sub venenoso verborum involucro, & quadam Catholicorum formula verbo tenus usus est, ut videretur, nil docere, nisi Catholicum, quod etiam in antiquis Hæreticis notavit D. Hieronymus *in epist. ad Pammach. & Ocean.* inquiens: *Sic verba temperant, sic ordinem vertunt: & ambigua quæque concinnant, ut & nostram, & adversariorum confessionem tentant, ut aliter Hæreticus, aliter, Catholicus audiat.* Facilè etiam Calvinus suas variat sententias, ut in suspenso suos teneat Lectores, & quasi ancipites; & & plerumque utitur æquivocatione ad subterfugiendam argumentorum vim, & efficaciam, & hanc vafritiem animúmque simulatum palam manifestavit circa confessionem realis, ac veræ præsentiæ corporis Christi sub accidentibus Eucharisticis, quam concessit Ratisbonæ, & postea negavit Genevæ: siquidem ut Catholicis conniveret, negavit necessitatem fatalem Manichæorum desumptam vel ex hominis natura, vel ex influxu causarum creatarum, præsertim syderum; nam *in lib.* 1. *instit. cap.* 16. *sect.* 8. ait: *Nos etsi de verbis non litigamus, fati tamen vocabulum non recipimus. Tum quia est ex eorum genere, quorum profanas novitates refugere nos Paulus docet: tum quia ejus odio conantur lavare Dei veritatem. Dogma verò falsè, ac malitiosè objectatur: non enim cum Stoicis necessitatem comminiscimur ex perpetuo causarum nexu, & implicita quadam serie, quæ in natura continiatur; sed Deum constituimus arbitrum, & moderatorem omnium, qui pro sua sapientia ab ultima æternitate decrevit: quid facturus esset, & nunc sua sapientia, quæ decrevit, exequitur.* Et *lib. de prædestinat. contra Pighium pag.* 340. ait: *Valeant cum suo fato Stoici; nobis libera Dei voluntas omnium sit moderatrix*, &, cùm Lutherus docuerit voluntatem & liberum arbitrium in ipsa se merè passivè habere, quia Catholici communiter hunc errorem impugnârunt, ideo Calvinus concessit, hominem per liberum arbitrium posse aliquid agere, ut *in lib.* 2. *Instit. cap.* 5. §. ubi inquiens: *Extranea est illa similitudo, quæ nos invidiosè gravat. Quis enim ita desipit, ut hominis motionem à jactu lapidis nihil deferre autumet? neque verò quidquam simile consequitur ex nostra doctrina, ut naturales hominis facultates referimus approbare,*

hoc enim dependet ab agente, potente agere, vel non agere in passum eatenus passum patitur, quia agens agit, non è converso, cum agens sit prius ratione passo, pertinet ad agens determinare, non ad passum: unde liberum arbitrium non potest salvari in potentia merè passiva. Neque ex eo, quòd liberum arbitrium dicatur esse potentia activa, sequitur, omnes ejus actus fore ejusdem speciei, eo quia essent ab eodem principio activo; quia ab eodem principio activo possunt oriri plures actus speciè distincti. Voluntas enim, utpote potentia universalis, respicit diversa objecta, à quibus movetur; &, cùm objecta sint specie diversa, potest voluntas juxta diversitatem objectorum elicere diversos actus specie distinctos.

Hinc dicendum est, liberum arbitrium esse potentiam activam, & concurrere effectivè ad omnes actus liberos ex vi propriæ virtutis activæ. Quia, cum constet liberum arbitrium non esse potentiam passivam, sequitur, quod, si est potentia, debeat esse activa, quæ effectivè concurrat ad omnes actus liberos ex vi propriæ virtutis activæ, hinc *Ecclesiast.* 31. dicitur: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*; & *Ecclef.* 15. *Ad quod volueris, porrige dexterum.* Hoc ipsum expresse habet Concilium Tridentinum *sess.* 6. *can.* 5. ubi definit: 1. liberum arbitrium concurrere affectivè ad opera supernaturalia, unde sequitur, ei inesse virtutem operativam, per quam operetur; proinde, quando naturaliter operatur, debet per eandem virtutem activam operari, qua effectivè concurrat ad actus liberos; ait enim Tridentinum *loc. cit. peccatorem converti ad Deum libere consentiendo, & cooperando gratiæ*, & *can.* 4. anathemate percutit asserentes, liberum arbitrium nihil agere, sed se habere merè passivè. Idque ex eo etiam evincitur, quia actus liber est actus vitalis, quia per actum liberum anima se promovet ad proprium bonum cum speciali modo tendendi inclinativo, consequenter debet esse à speciali principio intrinseco vitæ, proinde à libero arbitrio incluso in ipsa voluntate.

Sed dices, illa potentia includit libertatem, à qua procedit determinatio, per quam tollitur indifferentia: sed nulla est ratio, cur determinatio hæc dicatur potiùs prodire à causa effectiva, quam à materiali, & subjectiva, ergo saltem æquè potentia passiva est libertas, ac activa. Minor ostenditur, quia effectus dependens à causa efficiente, & materiali, æquè potest impediri ex defectu utriusque causæ materialis, & efficientis, ergo saltem æquè necessaria est ad effectum liberum determinatio causæ materialis, quam causæ efficientis. Firmari ex eo etiam potest, quia causa materialis sæpe determinat actionem causæ efficientis universalis: sol enim determinatur à causa materiali ad hanc, vel illam operationem, ut cùm liquefacit ceram, & exiccat lutum: in aliis etiam actio est major, vel minor juxta dispositionem passi, ergo liberum arbitrium est etiam potentia passiva, & non solùm activa. Contra est, negatur minor, quia determinatio debet prius esse à causa efficiente, causa enim materialis ipsa non se determinat activè, sed determinatur à causa efficiente, producente materiam, & formam; quapropter causa efficiens est principium determinationis, non autem causa subjectiva: siquidem principium efficiens est semper prius passo, & actio prius est ab agente, quàm intelligatur esse in passo, unde licet effectus possit impediri ex defectu causæ materialis, perinde ac ex defectu cujuscunque alterius causæ, non tamen inde sequitur, quod determinatio oriatur primo à causa materiali, quia actio priùs est ab agente, quàm intelligatur inesse passo. Ad confirmationem conceditur, quòd potentia passiva possit aliquando ex incapacitate sua naturali determinare actionem agentis, ut contingit in sole: cera enim, quia non potest naturaliter indurari à sole, determinat ejus actionem ad liquefactionem, & lutum è converso ad indurationem: sed negatur, inde sequi has determinationes esse liberas: siquidem actio, quæ oritur ex incapacitate naturali, non est libera, sed tantùm illa, quæ oritur ex potestate in actu, seu à potentia habente dominium suæ operationis: cera autem, & lutum non determinant solem ex dominio, & potestate in actum, consequenter tales determinationes non sunt liberæ.

Ex eo autem, quod Lutherus negaverit liberum arbitrium, ex hoc uno errore veluti è putidissimo fonte plures alii emanârunt, asseruit enim, hominem post Adæ peccatum non posse divina præcepta adimplere, sed Deum impossibilia præcipere; ait enim Lutherus, *in confutatione rationis Latomianæ, tot scripturæ testimonia probant mandatum esse impossibile nobis, ut nihil sit manifestius*; & *in Dialogo Sylvest.* habetur: *Pessimè facis, quòd neges Salvatorem impossibilia jussisse, plus quàm pessimè facis, quòd hoc falsitatem audes appellare*; & postea subjungit: *Non possumus in hac vita mandata Dei adimplere*: hanc hæresin hausit Philippus Melanchthon à Luthero; ait enim *ad cap. 4. epist. ad Roman. Cum mandat lex Deum diligi, perinde impossibilia jubet, atque si præcipiat nobis, transvolare Caucasum*; quam hæresim damnat Concilium Tridentinum *sess. 6. can.* 18. inquiens: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini jam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Adversatur enim sacris scripturis, præsertim *Deuteron.* 30. *v.* 11. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum: sed juxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum*, quem textum Apostolus *ad Roman. cap.* 10. *v.* 6. applicat fidei possibilitati; & Christus *Luc.* 19. *v.* 21. ait: *Regnum Dei intra vos est*, scilicet in manus, & potestate vestra, ut interpretatur Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem cap.* 25. *Matth.* 11. *v.* 8. *Jugum meum suave, & onus meum leve*; non esset autem suave, si foret impossibile, non esset leve, si foret intolerabile. Per jugum & onus intelligi divina præcepta asserunt communiter Sancti Patres, quæ propterea non sunt servatu impossibilia; ait enim Apostolus 1. *ad Corinth.* 10. *v.* 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*: atqui pateretur, si impossibilia juberet, ac tentaret supra id, quod possumus; hinc 1. *Joan.* 5. *v.* 3. *Mandata ejus gravia non sunt*; sin autem essent servatu impossibilia, gravissima forent, & nostras excederent vires etiam corroboratas divina gratia; quapropter Concilium Arausicanum II. de gratia, & libero arbitrio contra Pelag. ejusque reliquias celebratum sub Pontificatu Felicis Papæ IV. anno Christi 529. & à Bonifacio II. confirmatum anno 530. *can.* 25. post medium ait: *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratiâ omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*; unde Christianis præcepta Dei ex definitione Concilii non sunt servatu impossibilia, neque iis, qui in malo sunt obdurati, ac reprobi, & Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 11. ait: *Nemo temeraria*

*raria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita succenti debet, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Quòd si Deus absolutè adjuvat, ut possimus, præsentem nobis, expeditámque præstat adjuvantem gratiam ad mandata implenda: adeóque purificata est conditio, ex qua Lutherus asserit esse possibilia tantùm remotè, & conditionatè, si Deus adjuvat.

Sancti Patres etiam execrantur hanc blasphemiam præsertim Augustinus *serm.* 191. *de tempor. sub fin.* inquiens: *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini esse à Deo præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse servari.* Et *in Ps.* 56. explicans locum *Joan.* 15. de proximi dilectione ait: *Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile esse judicaret, ut hoc ab homine fieret, si considerans infirmitatem tuam deficis sub præcepto, confortare in exemplo; sed etiam si exemplum à te multum est, adest ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.* Et *de natura & grat. cap.* 69. *sub init.* ait: *Eo ipso, quo firmissime creditur, Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere: hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Rursus *de Genes. contra Manich. lib.* 1. *cap.* 3. inquit: *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum temporalium, se ad ejus præcepta servanda convertunt: quod omnes homines possunt, si velint; quia illud lumen omnem illuminat venientem in hunc mundum.* Alii Sancti Patres hanc eandem execrantur hæresim, præsertim Basilius *Tom.* 1. *in orat. Attende tibi post. init.* ubi ait: *Impium est, asserere, præcepta Spiritus Sancti impossibilia esse observatu.* D. Hieronymus *Tom.* 6. *in Matth.* 5. *in fin. Sciendum est, Christum non impossibilia percipere, sed perfecta.*

Lutherus tamen prædicto errori alium addidit, scilicet hominem in omni opere peccare mortaliter, & tantò graviùs peccare, quanto magis conatur se disponere ad justitiam; ut enim refert Castro *Verbo opera*, putavit Lutherus, hominem teneri in omni opere servare præceptum charitatis de diligendo Deo super omnia, quod censuit esse in hac vita impossibile, quod quamvis videatur consequens ad errorem immediatè relatum, non tamen sequitur ad aliud principium Lutheri, quo ait: Hominem nihil liberè agere; etenim qui nihil liberè agit, vel cuncta agit necessariò, nequit à lege deflectere, quæ suo imperio tantum dirigit eas operationes, quæ possunt indifferenter elici: in necessariis enim superflua est extrinseca Legislatoris directio, hinc Concilium Tridentinum hunc etiam errorem damnat *sess.* 6. *can.* 25. inquiens: *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantúmque ob id non damnari: quia Deus ea opera non imputat ad damnationem, anathema sit.* Quod verò detestabilius, horribilius fuit inter errores Lutheri, quia ipse asseruit, Deum esse Authorem, & causam peccati, & ita operari in nobis mala opera, sicut & bona. Ita enim loquitur *in assert. art.* 36. inquiens: *Quomodo potest homo se si ad bonum præparare, cum neque in potestate sua sit vias suas malas facere? nam & mala opera in impiis operatur Deus, ut Proverb.* 16. *dicitur: Omnia propter se ipsum operatus est Dominus, etiam impium ad diem malum, quis audet se etiam in malis operibus sæpe coactum aliud facere, quam cogitaverit.* Hoc idem etiam habet *in lib. de servo arbitrio*, cui propterea graviorem intulit Lutherus injuriam, quàm ipsi Manichæi, quia istis, ne facerent Deum Authorem mali, aliud finxerunt primum principium malum, à quo mala omnia emanarent: Lutherus verò omnia mala, & peccata Deo adscripsit, contra Scripturas asserentes, perditionem hominis ab ipso haberi homine: *Perditio tua ex te Israel*, & hunc errorem etiam damnavit Trident. *sess.* 6. *can.* 6. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissivè solum, sed etiam propriè & per se, adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

Calvinus etiam contra liberum arbitrium arma movit, illudque adnixus est totaliter expugnare, ac evertere, quamvis cautiùs procederet, ac magis clanculum, adeo ut quamvis Lutheri hæresim & ipse docuerit, id tamen præstitit sub venenoso verborum involucro, & quadam Catholicorum formula v rbo tenus usus est, ut videretur, nil docere, nisi Catholicum, quod etiam in antiquis Hæreticis notavit D. Hieronymus *in epist. ad Pammach. & Ocean.* inquiens: *Sic verba temperant, sic ordinem vertunt: & ambigua quæque concinnant, ut & nostram, & adversariorum confessionem teneant, ut aliter Hæreticus, aliter, Catholicus audiat.* Facilè etiam Calvinus suas variat sententias, ut in suspenso suos teneat Lectores, & quasi ancipites, & & plerumque utitur æquivocatione ad subterfugiendam argumentorum vim, & efficaciam, & hanc vafritiem animúmque simulatum palam manifestavit circa confessionem realis, ac veræ præsentiæ corporis Christi sub accidentibus Eucharisticis, quam concessit Ratisbonæ, & postea negavit Genevæ: siquidem ut Catholicis conniveret, negavit necessitatem fatalem Manichæorum desumptam vel ex hominis natura, vel ex influxu causarum creatarum, præsertim syderum; nam *in lib.* 1. *instit. cap.* 16. *sect.* 8. ait: *Nos etsi de verbis non litigamus, fati tamen vocabulum non recipimus. Tum quia est ex eorum genere, quorum profanas novitates refugere nos Paulus docet: tum quia ejus odio conantur lavare Dei veritatem. Dogma verò falsè, ac malitiosè objectatur: non enim cum Stoicis necessitatem comminiscimur ex perpetuo causarum nexu, & implicita quadam serie, quæ in natura contineatur, sed Deum constituimus arbitrum, & moderatorem omnium, qui pro sua sapientia ab ultima æternitate decrevit: quid facturus esset, & nunc sua sapientia, quæ decrevit, exequitur.* Et *lib. de prædestinat. contra Pighium pag.* 340. ait: *Valeant cum suo fato Stoici; nobis libera Dei voluntas omnium sit moderatrix*, &, cùm Lutherus docuerit voluntatem & liberum arbitrium in ipsa se merè passivè habere, quia Catholici communiter hunc errorem impugnârunt, ideo Calvinus concessit, hominem per liberum arbitrium posse aliquid agere, ut *in lib.* 2. *Instit. cap.* 5. §. ubi inquiens: *Extranea est illa similitudo, quæ nos invidiosè gravat. Quis enim ita desipit, ut hominis motionem à jactu lapidis nihil deferre autumet? neque verò quidquam simile consequitur ex nostra doctrina, in naturales hominis facultates referimus approbare,*

hoc enim dependet ab agente, potente agere, vel non agere in passum eatenus passum patitur, quia agens agit, non è converso, cum agens sit prius ratione passo, pertinet ad agens determinare, non ad passum: unde liberum arbitrium non potest salvari in potentia merè passiva. Neque ex eo, quòd liberum arbitrium dicatur esse potentia activa, sequitur, omnes ejus actus fore ejusdem speciei, eo quia essent ab eodem principio activo; quia ab eodem principio activo possunt oriri plures actus speciè distincti. Voluntas enim, utpote potentia universalis, respicit diversa objecta, à quibus movetur; &, cùm objecta sint specie diversa, potest voluntas juxta diversitatem objectorum elicere diversos actus specie distinctos.

Hinc dicendum est, liberum arbitrium esse potentiam activam, & concurrere effectivè ad omnes actus liberos ex vi propriæ virtutis activæ. Quia, cum constet liberum arbitrium non esse potentiam passivam, sequitur, quod, si est potentia, debeat esse activa, quæ effectivè concurrat ad omnes actus liberos ex vi propriæ virtutis activæ, hinc *Ecclesiast.* 31. dicitur: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*; & *Eccles.* 15. *Ad quod volueris, porrige dexterum.* Hoc ipsum expresè habet Concilium Tridentinum *sess. 6. can.* 5. ubi definit: 1. liberum arbitrium concurrere affectivè ad opera supernaturalia, unde sequitur, ei inesse virtutem operativam, per quam operetur; proinde, quando naturaliter operatur, debet per eandem virtutem activam operari, qua effectivè concurrat ad actus liberos; ait enim Tridentinum *loc. cit. peccatorem converti ad Deum libere consentiendo, & cooperando gratiæ,* & *can.* 4. anathemate percutit asserentes, liberum arbitrium nihil agere, sed se habere merè passivè. Idque ex eo etiam evincitur, quia actus liber est actus vitalis, quia per actum liberum anima se promovet ad proprium bonum cum speciali modo tendendi inclinativo, consequenter debet esse à speciali principio intrinseco vitæ, proinde à libero arbitrio incluso in ipsa voluntate.

Sed dices, illa potentia includit libertatem, à qua procedit determinatio, per quam tollitur indifferentia: sed nulla est ratio, cur determinatio hæc dicatur potiùs prodire à causa effectiva, quam à materiali, & subjectiva, ergo saltem æquè potentia passiva est libertas, ac activa. Minor ostenditur, quia effectus dependens à causa efficiente, & materiali, æquè potest impediri ex defectu utriusque causæ materialis, & efficientis, ergo saltem æquè necessaria est ad effectum liberum determinatio causæ materialis, quam causæ efficientis. Firmari ex eo etiam potest, quia causa materialis sæpe determinat actionem causæ efficientis universalis: sol enim determinatur à causa materiali ad hanc, vel illam operationem, ut cùm liquefacit ceram, & exiccat lutum: in aliis etiam actio est major, vel minor juxta dispositionem passi, ergo liberum arbitrium est etiam potentia passiva, & non solùm activa. Contra est, negatur minor, quia determinatio debet prius esse à causa efficiente, causa enim materialis ipsa non se determinat activè, sed determinatur à causa efficiente, producente materiam, & formam; quapropter causa efficiens est principium determinationis, non autem causa subjectiva: siquidem principium efficiens est semper prius passo, & actio prius est ab agente, quàm intelligatur esse in passo, unde licet effectus possit impediri ex defectu causæ materialis, perinde ac ex defectu cujuscunque alterius causæ, non tamen inde sequitur, quod determinatio oriatur primo à causa materiali, quia actio priùs est ab agente, quàm intelligatur inesse passo. Ad confirmationem conceditur, quòd potentia passiva possit aliquando ex incapacitate sua naturali determinare actionem agentis, ut contingit in sole: cera enim, quia non potest naturaliter indurari à sole, determinat ejus actionem ad liquefactionem, & lutum è converso ad indurationem: sed negatur, inde sequi has determinationes esse liberas: siquidem actio, quæ oritur ex incapacitate naturali, non est libera, sed tantùm illa, quæ oritur ex potestate in actu, seu à potentia habente dominium suæ operationis: cera autem, & lutum non determinant solem ex dominio, & potestate in actum, consequenter tales determinationes non sunt libera.

Ex eo autem, quod Lutherus negaverit liberum arbitrium, ex hoc uno errore veluti è putidissimo fonte plures alii emanârunt, asseruit enim, hominem post Adæ peccatum non posse divina præcepta adimplere, sed Deum impossibilia præcipere; ait enim Lutherus, *in confutatione rationis Latomianæ, tot scripturæ testimonia probant mandatum esse impossibile nobis, ut nihil sit manifestius*; & *in Dialogo Sylvest.* habetur: *Pessimè facis, quòd neges Salvatorem impossibilia jussisse, plus quàm pessimè facis, quòd hoc falsitatem audes appellare*; & postea subjungit: *Non possumus in hac vita mandata Dei adimplere*: hanc hæresin hausit Philippus Melanchthon à Luthero; ait enim *ad cap. 4. epist. ad Roman. Cum mandat lex Deum diligi, perinde impossibilia jubet, atque si præcipiat nobis, transvolare Caucasum*; quam hæresim damnat Concilium Tridentinum *sess. 6. can.* 18. inquiens: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini jam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Adversatur enim sacris scripturis, præsertim *Deuteron.* 30. *v.* 11. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum: sed juxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum*, quem textum Apostolus *ad Roman. cap.* 10. *v.* 6. applicat fidei possibilitati; & Christus *Luc.* 19. *v.* 21. ait: *Regnum Dei intra vos est*, scilicet in manus, & potestate vestra, ut interpretatur Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem cap.* 25. *Matth.* 11. *v.* 8. *Jugum meum suave, & onus meum leve*; non esset autem suave, si foret impossibile, non esset leve, si foret intolerabile. Per jugum & onus intelligi divina præcepta asserunt communiter Sancti Patres, quæ propterea non sunt servatu impossibilia; ait enim Apostolus 1. *ad Corinth.* 10. *v.* 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*: atqui pateretur, si impossibilia juberet, ac tentaret supra id, quod possumus; hinc 1. *Joan.* 5. *v.* 3. *Mandata ejus gravia non sunt*; sin autem essent servatu impossibilia, gravissima forent, & nostras excederent vires etiam corroboratas divina gratia; quapropter Concilium Arausicanum II. de gratia, & libero arbitrio contra Pelag. ejusque reliquias celebratum sub Pontificatu Felicis Papæ IV. anno Christi 529. & à Bonifacio II. confirmatum anno 530. *can.* 25. post medium ait: *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per baptismum gratiâ omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*; unde Christianis præcepta Dei ex definitione Concilii non sunt servatu impossibilia, neque iis, qui in malo sunt obdurati, ac reprobi, & Tridentinum *sess. 6. cap.* 11. ait: *Nemo temeraria*

*raria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita occuti debet, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Quòd si Deus absolutè adjuvat, ut possimus, præsentem nobis, expeditámque præstat adjuvantem gratiam ad mandata implenda: adeóque purificata est conditio, ex qua Lutherus asserit esse possibilia tantùm remotè, & conditionatè, si Deus adjuvat.

Sancti Patres etiam execrantur hanc blasphemiam præsertim Augustinus *serm. 191. de tempor. sub fin.* inquiens: *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini esse à Deo præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse servari.* Et in *Ps. 56.* explicans locum *Joan. 15.* de proximi dilectione ait: *Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile esse judicaret, ut hoc ab homine fieret, si considerans infirmitatem tuam deficis sub præcepto, confortare in exemplo; sed etiam si exemplum à te multum est, adest ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.* Et *de natura & grat. cap. 69. sub init.* ait: *Eo ipso, quo firmissime creditur, Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere: hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Rursus *de Genes. contra Manich. lib. 1. cap. 3.* inquit: *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum temporalium, se ad ejus præcepta servanda convertunt: quod omnes homines possunt, si velint; quia illud lumen omnem illuminat venientem in hunc mundum.* Alii Sancti Patres hanc eandem execrantur hæresim, præsertim Basilius *Tom. 1. in orat. Attende tibi post. init.* ubi ait: *Impium est, asserere, præcepta Spiritus Sancti impossibilia esse observatu.* D. Hieronymus *Tom. 6. in Matth. 5. in fin. Sciendum est, Christum non impossibilia percipere, sed perfecta.*

Lutherus tamen prædicto errori alium addidit, scilicet hominem in omni opere peccare mortaliter, & tantò graviùs peccare, quanto magis conatur se disponere ad justitiam; ut enim refert Castro *Ve bo opera*, putavit Lutherus, hominem teneri in omni opere servare præceptum charitatis de diligendo Deo super omnia, quod censuit esse in hac vita impossibile, quod quamvis videatur consequens ad errorem immediatè relatum, non tamen sequitur ad aliud principium Lutheri, quo ait: Hominem nihil liberè agere; etenim qui nihil liberè agit, vel cuncta agit necessariò, nequit à lege deflectere, quæ suo imperio tantum dirigit eas operationes, quæ possunt indifferenter elici: in necessariis enim superflua est extrinseca Legislatoris directio, hinc Concilium Tridentinum hunc etiam errorem damnat *sess. 6. can. 25.* inquiens: *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantúmque ob id non damnari: quia Deus ea opera non imputat ad damnationem, anathema sit.* Quod verò detestabilius, horribilius fuit inter errores Lutheri, quia ipse asseruit, Deum esse Authorem, & causam peccati, & ita operari in nobis mala opera, sicut & bona. Ita enim loquitur *in assert. art. 36.* inquiens: *Quomodo potest homo se se ad bonum præparare, cum neque in potestate sua sit vias suas malas facere? nam & mala opera in impiis operatur Deus, ut Proverb. 16. dicitur: Omnia propter se ipsum operatus est Dominus, etiam impium ad diem malum, quis audet se etiam in malis operibus sæpe coactum aliud facere, quam cogitaverit.* Hoc idem etiam habet *in lib. de servo arbitrio*, cui propterea graviorem intulit Lutherus injuriam, quàm ipsi Manichæi, quia istis, ne facerent Deum Authorem mali, aliud finxerunt primum principium malum, à quo mala omnia emanarent: Lutherus verò omnia mala, & peccata Deo adscripsit, contra Scripturas asserentes, perditionem hominis ab ipso haberi homine: *Perditio tua ex te Israel*, & hunc errorem etiam damnavit Trident. *sess. 6. can. 6. Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissivè solum, sed etiam propriè & per se, adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

Calvinus etiam contra liberum arbitrium arma movit, illúdque adnixus est totaliter expugnare, ac evertere, quamvis cautiùs procederet, ac magis clanculum, adeo ut quamvis Lutheri hæresim & ipse docuerit, id tamen præstitit sub venenoso verborum involucro, & quadam Catholicorum formula v rbo tenus usus est, ut videretur, nil docere, nisi Catholicum, quod etiam in antiquis Hæreticis notavit D. Hieronymus *in epist. ad Pammach. & Ocean.* inquiens: *Sic verba temperant, sic ordinem vertunt: & ambigua quæque concinnant, ut & nostram, & adversariorum confessionem teneant, ut aliter Hæreticus, aliter, Catholicus audiat.* Facilè etiam Calvinus suas variat sententias, ut in suspenso suos teneat Lectores, & quasi ancipites, & & plerumque utitur æquivocatione ad subterfugiendam argumentorum vim, & efficaciam, & hanc vafritiem animúmque simulatum palam manifestavit circa confessionem realis, ac veræ præsentiæ corporis Christi sub accidentibus Eucharisticis, quam concessit Ratisbonæ, & postea negavit Genevæ: siquidem ut Catholicis conniveret, negavit necessitatem fatalem Manichæorum desumptam vel ex hominis natura, vel ex influxu causarum creatarum, præsertim syderum; nam *in lib. 1. instit. cap. 16. sect. 8.* ait: *Nos etsi de verbis non litigamus, fati tamen vocabulum non recipimus. Tum quia est ex eorum genere, quorum profanas novitates refugere nos Paulus docet: tum quia ejus odio conantur lavare Dei veritatem. Dogma verò falsè, ac malitiosè objectatur: non enim cum Stoicis necessitatem comminiscimur ex perpetuo causarum nexu, & implicita quadam serie, quæ in natura continceatur; sed Deum constituimus arbitrum, & moderatorem omnium, qui pro sua sapientia ab ultima æternitate decrevit: quid facturus esset, & nunc sua sapientia, quæ decrevit, exequitur.* Et *lib. de prædestinat. contra Pigchium pag. 340.* ait: *Valeant cum suo fato Stoici; nobis libera Dei voluntas omnium sit moderatrix*, &, cùm Lutherus docuerit voluntatem & liberum arbitrium in ipsa se merè passivè habere, quia Catholici communiter hunc errorem impugnârunt, ideo Calvinus concessit, hominem per liberum arbitrium posse aliquid agere, ut *in lib. 2. Instit. cap. 5. §.* ubi inquiens: *Extranea est illa similitudo, quæ nos invidiosè gravat. Quis enim ita desipit, ut hominis motionem à jactu lapidis nihil deferre antumet? neque verò quidquam simile consequitur ex nostra doctrina, in naturales hominis facultates referimus approbare;*

*bare, respuere, velle, nolle, eniti, resistere: nempe approbare vanitatem, respuere solidum bonum, velle malum, nolle bonum, eniti ad nequitiam, resistere justitiæ.* Rursus concessit Calvinus dari gratiam efficacem ab Augustino assertam, sed pessimè ipsam explicat, & ejus energiam exaggerat; *lib. 2. de libero arbitrio contra Pigchium pag.* 236 inquiens: *Dicimus, Deum mundo præesse, quem condidit; nec modo rerum eventus habere in sua potestate: sed hominum etiam corda gubernare: voluntates flectere pro suo arbitrio, huc atque illuc actionum esse moderatorem, ut nihil tandem, nisi quod decrevit, efficiant, quidquam conantur.* Et *lib. 2. Instit. cap. 3.* ait: *Nec secus accipi Christi sententia potest: omnis qui audivit à Patre meo, venit ad me, quàm ut efficacem à se ipsa Dei gratiam docet, quemadmodum & Augustinus concedit*; unde videtur asserere, quòd Deus aliquid efficaciter decernat, & necessario non eveniat, & quòd Deus efficaciter hominem moveat, ut non possit in oppositum ei obsistere. Præterea, cùm cognovisset Calvinus, Catholicos Doctores impugnâsse Wicleffum negantem liberum arbitrium, & eorum argumenta efficacia esse, ne eorum torrenti se opponeret, & aliud sub Catholicis verbis posset venenum effundere, usus & ipse fuit distinctione, quam adhibebant Catholici, *sensus compositi, & divisi, necessitatis secundùm quod, & absolutæ, vel consequentiæ, & consequentis* & *lib. 1. Instit. cap. 16. §. 9.* inquiens: *Unde videmus, non temere in scholis inventas fuisse distinctiones de necessitate secundùm quid, & absoluta, item consequentis, & consequentiæ*, & in *lib. de prædestinatione contra Pigchium pag.* 940. *Nec vero quòd à receptis loquendi formis de necessitate secundùm quid & absoluta, item consequentis & consequentiæ abhorream.* Postea *sic evenire necesse est, quod statuit Deus, ut tamen nec præcisè, nec suapte natura necessarium sit.* Unde Calvinus ab hac in Scholis celebri distinctione non abhorruit, ut videretur specie tenus cum communi Catholicorum sententia convenire, sed tamen dolosè, ut Catholicos eluderet, & sub larva verborum Catholicorum absolutam necessitatem inveheret, negarétque in homine liberum arbitrium, ac libertatem indifferentiæ; quapropter in præcitatis textibus videtur tantùm adstruere necessitatem in sensu composito, & consequentiæ, sed ibi non intendit, quòd posita gratia efficaci retineat homo potestatem ad oppositum, sed tantùm significat, hominem secundùm se consideratum, & divisum ab illa motione esse indifferentem ad agendum, & non agendum, cæterùm, positâ gratiâ efficaci censet hominem in sensu composito per illam ita determinari ad operandum, ut non possit operationem omittere, imò nec habeat potestatem ad illam omittendam, adeo ut Deus per motionem illam efficacem determinet voluntatem ac necessitet ad unum.

Quamobrem tametsi Calvinus excludat necessitatem Manichæorum ortam ex mala natura; necessitatem Stoicam, seu fatalem provenientem ex influxu cœlorum, ponit tamen necessitatem absolutam oppositam libertati indifferentiæ, quam fides docet requiri ad merendum, vel demerendum, & ait, hanc necessitatem oriri ex præsentia gratiæ efficacis determinantis voluntatem ad unam partem, ut non possit oppositam, & licèt contra Lutherum concedat, hominem non habere se purè passivè; negat tamen, quòd se liberè determinet retinendo potentiam ad oppositum, sed ait, hanc totaliter eradicari ad præsentiam gratiæ efficacis moventis voluntatem ad unum, cùm Catholici asserant cum actu, & gratia efficaci manere in voluntate potentiam ad oppositum, adeo ut cum gratia efficaci actu movente voluntatem stet simultas potentiæ, licèt non potentia simultatis, eò quia repugnet potentiam simul moveri, & non moveri, est enim luculenta contradictio. Et quamvis dicat, in homine non remanere in statu naturæ lapsæ veram rationem libertatis actualis oppositam necessitati, ac determinationi in actu primo, concedit tamen, rationem voluntarii, seu libertatem impropriè dictam, quatenus opponitur violentiæ, & coactioni, adeo ut concedat tantùm libertatem à coactione, non verò à necessitate. Hanc fuisse doctrinam Calvini, liquet *lib. 2. instit. cap. 3. §. 5.* ubi ait: *Porro, quòd libertatem abdicatam, voluntatem, dico, necessitate trahi, vel duci, mirum non est; si cui videatur aspera locutio, quæ nec absonum habet quidquam, nec à Sanctorum usu aliena est, offendit autem eos, qui inter necessitatem, & coactionem distinguere nesciunt, an si quis eos interroget, an non Deus necessarium bonum sit, quid respondeant? sic enim annexa est Dei bonitas cum divinitate, ut non magis necessarium sit ipsum esse Deum, quàm esse bonum. Quòd si quis sacrilegus obganniat, Deo parum laudis ex sua voluntate deberi, ad quam servandam cogatur; cui non erit prompta responsio, immensa ejus bonitate fieri, ne male agere possit, non violenta impulsione?* inde infert similem necessitatem, ad peccandum non impedire, quo minùs homo liberè peccet, quapropter nullam aliam concedit homini in statu naturæ lapsæ libertatem, quàm à sola coactione, & violentia, non verò libertatem à necessitate, quæ in omnium sensu est necessitas absoluta sine potestate ad oppositum, hoc idem etiam appetit *lib. 2. de libero arbit. contra Pigchium* inquiens: *Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium fateor*, sed subjungit: *Quod de absoluta potestate nugantur Scholastici, non solùm repudio, sed etiam detestor*, ubi satis apertè declarat, hominem positâ Dei gratiâ efficaci, seu motione Dei non habere absolute potestatem ad oppositum; quam non solùm Scholastici, verùm etiam scripturæ docent, requiri ad veram rationem libertatis, imò *cap. 6.* ait Calvinus: *Pronuntiat Christus efficacem esse Spiritus S. gratiam, qua trahuntur, ut necessariò credant. His prorsus evertitur tota liberi arbitrii potestas, quam sibi somniant Papistæ.* Et hæc similia passim repetit sub verborum involucris, quibus collimare in Stoicorum, Manichæorum, Wicleffi, aliorumque Hæreticorum apparet scopum; Præterea hanc fuisse Calvini sententiam, satis evincunt ejus Discipuli, qui in eandem conspirarunt. Nam Beza Calvino familiaritate addictissimus hanc eandem docet sententiam *in sum. Christ. pag.* 177. & *lib. de arcana Dei Prædestinat. pag.* 359. ut etiam Joannes Scalvius Calvinista *in suo Tractatu de misero homin. statu sub peccato lib. 2. cap.* 3. ubi discrimen in hac parte inter Catholicos & Calvinistas ita proponit: *Status controversiæ inter nos, & Pontificios est, sitne homo post lapsum verè liberi arbitrii in his rebus, quæ pertinent ad salutem, & quamvis nihil possit sine auxilio gratiæ, tamen per gratiam prævenientem excitatus, & à Deo adjutus, ita valeat operari, ut possit non operari? affirmativam partem tuetur Concilium Tridentinum &c. Nos verò dicimus, in homine post lapsum Deum ita efficaciter agere, & voluntatem flectere, ut hominis voluntas Deum conversionem hominis volentem non sequi non possit; licet non coactè, sed spontè sequatur.*

Unde

Unde Calvinistæ asserunt, per gratiam efficacem, ac divinam motionem ita liberum arbitrium absorberi, ut in ipso totaliter extincta remaneat indifferentia, & potestas ad oppositum, adeo ut, cùm Deus movet ad resipiscendum, amittat homo potestatem ad oppositum, seu ad non resipiscendum, quod damnat Ecclesia, quia quamvis Deus ita efficaciter moveat hominem ad resipiscendum, ut hic certò & infallibiliter resipiscat, adhuc cum ipsa resipiscentia perseveret in homine potestas ad oppositum, seu ad non resipiscendum, adeo ut simul liberum arbitrium à Deo motum cooperetur assentiendo gratiæ efficaci, & simul servet potestatem ad dissentiendum, si velit, ut expresè habetur in Tridentino *sess. 6. can. 4.* his verbis: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti quoad obtinendam dispositionis gratiam se disponat, ac præparet, nec posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passivè habere, anathema sit.* Ubi Concilium una cum gratia efficaci ponit dispositionem liberi arbitrii, & quidem activam, & simul cum assensu potestatem in eodem ad dissensum, quo pacto simul damnat errorem Lutheri asserentis, hominem in operationibus, quæ æternam concernunt salutem, nil agere, sed tantùm pacti: & hæresim Calvini asserentis, hominem positâ gratia à se efficaci agere quidem, & non coactè agere, sed non conservare tunc potestatem ad dissensum, quapropter Concilium concedit gratiam moventem efficaciter ex se liberum arbitrium, sed damnat conditionem, quam falsò Calvinus attribuit prædictæ gratiæ, hoc est, ita ex se inferre infallibiliter consensum, ut omnino absorbeat, tollátque potentiam in eodem libero arbitrio ad dissensum. Concilium itaque vult utrumque esse simul componendum, & quòd Deus ex se efficaciter hominem moveat per gratiam, & quod hujusmodi efficax impulsus non lædat, nec deleat potestatem ad dissensum: quæ compositio habetur, si dicamus, Deum non solum prædefinire actum liberi arbitrii, verum etiam ipsum modum, quo talis actus exigit fieri, id est, liberè, quia gratia non destruit, sed perficit naturam, non lædit, sed auget, & corroborat potentias naturalis, & quia liberum arbitrium est potentia in homine libera, per gratiam efficacem non minuitur, sed augetur, non destruitur, sed corroboratur, ut simul cum gratia efficaci liberè eliciat actum, & assensum. Vel si cum aliis dicamus gratiam efficacem tantum moraliter movere liberum arbitrium ei suadendo assensum, ita enim efficaciter ei suadet, ut illi totaliter, ac plenè persuadeat, adeo ut liberum arbitrium ad suasionem gratiæ efficacis velit ex se liberè ponere assensum, tametsi conservet potestatem ad non ponendum assensum, perinde ac si amicus ita efficaciter invitaret ad prandium alium amicum, ut illi plenè persuaderet secum remanere ad prandium, quamvis amicus assentiretur alteri amico suadenti, non tamen deperderet potestatem non assentiendi, quia si vellet, posset semper recusare prandium sibi exhibitum ab amico: gratia igitur efficax ita allicit, movet, & suadet libero arbitrio assentiri, ut hoc liberè assentiatur, non deperdat potestatem ad non assentiendum.

Sunt etiam alii plures Calvini errores, quos ipse docuit, ut quòd homo sit naturaliter inclinatus ad malum, ut ait *lib. 2. instit. cap. 3. n. 8.* *Ad malum toto animo sumus naturaliter propensi, & num. 9.* subdit: *Cor nostrum in legis divinæ rebellionem naturaliter exultat, nisi flectatur.* Præterea, quòd homo non possit adhuc per gratiam præcepta divina servare, *loc. cit. cap. 7.* inquiens: *Sit extra controversiam, impossibile esse in hac carne legis implementum.* Et demum, quòd Deus sit causa, & Author peccati, adeo ut Deus non solum illud permittat, sed etiam causet, quidquid est in actu peccaminoso, & auferat per suum decretum motionem, & potestatem ad non peccandum, ait enim *lib. 1. Instit. cap. 18.* *A Deo ipso manat efficacia erroris, ut mendaciis credant, qui renuerunt parere veritati,* & nonnullis interjectis propositis quorundam peccatis, quæ refert scriptura, subjungit: Jam *satis apertè ostendi, Deum vocari omnium eorum Authorem, qui isti censores volunt otioso tantum ejus permissu contingere* Et *lib. 2. cap. 4.* loquens de Pharaonis obstinatione ait: *An induravit non emolliendo? id quidem verum est, sed plus aliquid fecit, quòd obstinatione pectus ejus obfirmandum Sathanæ mandavit.* Beza itidem errore, & amicitia Calvino conjunctus hoc idem asserit *in summa Christian. Omnia ita necessariò ex Dei immutabili decreto eveniunt, ut secundum illud Judas necessariò Christum prodiderit, Herodes, & Pilatus necessariò Christum condemnaverint: reprobi necessariò peccent, & pereant: Adamus necessario lapsus, quamquam creatus fuerit bonus ad tempus; sed ita, ut inevitabili Dei decreto Deo sciente, & ordinante liberetur, qui non potuisset ita labi, nisi ex Dei decreto, voluntate, & ordinatione.* Bezæ adhæsit Zvvinglius *de providentia cap. 6.* inquiens: *Facinus, puta homicidium aut adulterium, est Dei Authoris, impulsoris, motoris opus,* & ita docent alii Calvini Discipuli, ut notat Staphylus *in Apolog.* ubi errores Calvini inter alios recenset istos: scilicet quod omnia peccata, quæ fiunt ab hominibus, sint omnino opera Dei simpliciter. Quòd Diabolus jubente & volente Deo mentiatur in cordibus humanis, quòd Deus non solum causa sit omnis mali, sed etiam quod hominibus, ut malè operentur, malas cogitationes in cordibus illorum inspiret, adeo ut Deus sit efficiens, & volens peccatum.

Fuerunt itidem alii liberi arbitrii expugnatores etiam spectatæ doctrinæ, & probitatis viri, qui visi fuerunt Calvino, Luthero aliisque Hæreticis adhæsisse, inter quos fuit Michael Bajus in Academia Novaniensi Decanus; is enim in aliquibus libris plures asseruit propositiones, quibus visus est ad Pelagianismum propendisse, & mox ad Calvinismum inclinâsse, & sicut fuit ipse Doctor insignis, Sectatores habuit non paucos, sed huic veneno, quod effundebatur præsertim apud Belgas, occurrere voluit Pius V. qui post diligentem Romæ discussionem harum propositionem, earundem 79. damnavit in speciali Bulla, quam edidit anno 1567. 7. Kalend. Octobris anno 2. sui Pontificatûs, quæ Bulla refertur à Suarez *Prolegom. 6. cap. 2.* Torrez *in Tractat. contra errores Baji* Lorca *1. 2. in fin.* & præ cæteris, quibus videtur Bajus Calvino adhæsisse contra liberum arbitrium, fuerunt propositiones istæ, quæ in Bulla sunt 28. *liberum arbitrium sine gratia Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet.* 29. *in eadem Bulla: Pelagianus est error, dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum,* 35. *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* 37. *Cum Pelagio sapit, qui boni*

*aliquid naturalis, hoc est, quod ex natura solis viribus ortum ducit, agnoscit*, & 39. *Quod voluntarie fit, etsi necessitate fiat, liberè tamen fit.* Ubi ponit in voluntate tantum libertatem à coactione, non verò a necessitate, perinde ac Lutherus, & Calvinus 5ª. *in Bulla definitiva hac sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit*, quasi velit Augustinum in ea fuisse sententia, ut docuerit Deum homini aliqua præcepta servatu impossibilia præcepisse, & tandem 66. & 67. ubi ait: *sola violentia repugnat libertati hominis naturali: & homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit*, quas propositiones, & alias Romanus Pontifex Pius V. damnavit, ut hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes respectivè, & quæcunque super his verbo, & scripto emissa damnat, & abolet, quam Bullam postea confirmavit Gregorius III. in Bulla, cui initium est: *Provisionis nostra*, emanata anno 1579. 4. Kalendas Februarii anno octavo sui Pontificatûs, & Urbanus VIII. in Bulla, quæ incipit: *In eminenti Ecclesia* edita anno 1641. pridie nonas Martii anno sui Pontificatûs 19. Neque refert aliquas ex Bajanis propositionibus damnatis in Bullis Pontificiis reperiri apud Authores graves, adeo ut videantur apud Theologos opiniones probabiles: quia non intelliguntur in eo sensu, quo intelligebantur a Bajo ex illius confessione in alio enim mitiori sensu possunt probabilitatem ad se trahere.

Post Bajum alii fuerunt errores excitati, qui per Belgas, & Gallos, non absque ingenti strepitu irrepseruut, & collecti hi fuerunt ex quodam libro Cornelii Jansenii Episcopi Yprensis, cui titulus erat *Augustinus*: nonnulli enim post ejus obitum edi curarunt, in quo plura, sicut Michael Bajus asseruit, quæ visa sunt Pelagianis, & Calvinistis favisse, quos tamen errores ne ulterius progrederentur coercuit Urbanus VIII. qui Bullam edidit, in qua omnibus fidelibus sub gravi censura prædicti Cornelii Jansenii lectionem, ut etiam prohibuit plures alios libros, & Tractatus, qui occasione hujus controversiæ compositi, & editi fuerunt & immediatè post Urbanum VIII. Innocentius Papa X. constitutionem edidit, qua declarantur & definiuntur quinque propositiones in materia fidei, estque, quam subjicio. *Innocentius Episcopus servus servorum Dei universis Christi fidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem.* Cum occasione impressionis libri, cui titulus Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, uti easdem propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. *Tenor verò præfatarum propositionum est, prout sequitur.* Prima: aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quos habent, vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. Secunda: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. Tertia: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione: Quarta: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Quinta: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tutò militare, & tanquam navis in tranquillo mari sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis securè navigare, & ad optatum satis portum pervenire possit. Pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialiter sæpius congregatis, à pluribus in Sacra Theologia Magistris easdem quinque propositiones, uti supra nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tum voce, tum scripto relata maturè consideravimus, eosdémque Magistros, variis coram nobis actis Congregationibus prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differentes audivimus. Cum autem ab initio hujuscemodi discussionis ad divinum implorandum auxilium multorum Christi fidelium preces tum privatim, tum publicè indixissemus, postmodum iteratis eisdem ferventiùs, ac per nos sollicitè implorata S. Spiritus assistentia tandem divino favente Numine ad infra scriptam devenimus declarationem, & definitionem.

Primam prædictarum propositionum: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis* volentibus & *conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* Temerariam, impiam, blasphemam anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Secundam *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*: hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Tertiam: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*: hæreticam declaramus, & ut talem damnamus. Quartam: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant Hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*: falsam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quintam: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum fuisse, & sanguinem fudisse*, falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit; impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere prædicare aliter præsumant, quam in hac præsenti nostra declaratione, & definitione continetur sub censuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum Fautores in jure expressis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archi-Episcopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis nec non hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscunque per censuras, & pœnas prædictas cæteraque juris & facti remedia opportuna invocato etiam ad hoc, (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis omnino coerceant, & compescant. Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quin-

quinque propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii: datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1653. pridie Kalendas Junii Pontificatus nostri anno 9. Hi. Datarius, G. Gualterius, P. Ciampinus.

Hæ siquidem propositiones repugnant Sacris Scripturis, Conciliis, & Sanctis Patribus; prima enim dissentit *Deuter. 30. v. 11. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, sed juxta te est valde, & in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illud.* Est contra illud *Matth. 11. v. 8.* ubi Christus ait: *Jugum meum suave est, & onus meum leve,* non esset autem suave, si impossibile, neque leve, si intolerabile; hinc *Joan. 5. v. 3. Mandata ejus gravia non sunt.* Si autem essent observatu impossibilia, gravia procul dubio essent, & Apostolus 1. *ad Corinth. 10. v. 13.* ait: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*, est etiam contra Concilia, II. Arausicanum de gratia, & libero arbitrio contra Pelagium, & Tridentinum *sess. 6. cap. 11.* & dissonat etiam Sanctis Patribus, præsertim Basilio *Tom. 1. in orat. attende tibi post initium*, ubi ait: *Impium est asserere præcepta Spiritus S. impossibilia esse observatu;* Augustinus itidem *de natura, & gratia, cap. 69.* ait: *Eo ipso, quod firmissimè creditur, Deus justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.*

Secunda propositio, qua dicitur *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, adversatur etiam scripturis *Proverb. 1. v. 24. Vocavi, & renuistis; Matth. 20. v. 16. Multi sunt vocati, pauci verò electi*; ideo enim non fuerunt electi, quia Deo vocanti per gratiam restiterunt, *Matth. 22. v. 3. Misit vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire. Actor. 7. v. 51. Vos semper Spiritui Sancto resistitis*, & Apostolus 2. *ad Corinth. 6. v. 1. Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* In vacuum gratiam is dicitur recipere, qui cum illa non laborat, ut explicat D. Anselmus, sed oblatæ resistit. Adversatur etiam Conciliis; præsertim Senonensi anno 1528. *decreto fidei 15. Non est tale trahentis gratiæ auxilium; cui resisti non possit.* Tridentino *sess. 6. cap. 5. Tangente Deo cor hominis, inspirationem illam recipiens, abjicere potest* & *cap. 13. Deus, nisi ipsi illius gratiæ defuerint (scilicet eam abjiciendo, vel eidem resistendo) sicut cœpit opus bonum; ita perficiet, operans velle, & perficere:* & itidem *can. 4. Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, non posse dissentire, si velit, anathema sit.* Licet liberum arbitrium gratiæ efficaci non dissentiat, habet tamen potentiam, quâ, si velit, possit dissentire; adeo ut cum actu assensûs simul componatur potentia dissentiendi, quamvis non ipse actus dissensus, unde licet stet cum gratia efficaci simultas potentiæ; non tamen potentia simultatis; id est, simul assentiri, & non assentiri. Hinc potest homo, si velit, gratiam efficacem objicere, eique dissentiri, si velit: si verò, ut docet Jansenius, necessitaret ad assensum, non posset voluntas illi dissentire, quia adigeretur ad assensum, ad quem per gratiam efficacem necessitaretur.

Si dicas, hominem cum gratia efficaci posse dissentire, si velit, non esse absolutè asserere, posse hominem dissentire gratiæ, si velit, quæ conditio est impossibilis, quia nunquam ponitur in actu. Sicut, si dicam, possum per aëra volare, si habeam alas. Contra est; quia eatenus non possum volare, & conditio est mihi naturaliter impossibilis; quia deest mihi potentia volandi; & cum gratia efficaci non deest mihi potentia ad dissensum, quamvis actus sit nunquam cum gratia efficaci ponendus; potentia tamen semper remanet.

Adversatur etiam Sanctis Patribus, Augustino *lib. de spiritu, & litera cap. 34. sub initium: Misericordia Dei prævenit nos: consentire autem, & dissentire propriæ voluntatis est*; utique cooperantis, si consentiat: vel non cooperantis, si dissentiat. S. Cyrillus Alexandrinus *in cap. 17. Joan. lib. 11. cap. 21. Quod si proditor Judas Iscariotes æqualiter aliis Discipulis salvatoris auxilium non habuisset, frustra hæc à nobis dicerentur. Sin autem non minus, quàm cæteri divina gratia regebatur (præveniente videlicet, ac pulsante ad ostium cordis, ut à somno peccati dormientem excitaret) sed suo ipsius judicio in profundum perditionis delapsus sit, quomodo etiam non servavit eum Christus? qui suum patrocinium ei præstitit; qui quantum ad ferendam opem illi attinuerit, servasset hominem, nisi ultro ille in perditionem insiliisset. Gratia igitur in aliis affulsit, servavitque omnes, qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt: sic enim salutis nostræ modus dispositus est*, non potuit clarius loqui, ut ostenderet interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ posse resisti. Hinc D. Prosper *lib. 2. de Vocat. Gentium cap. 26.* ait: *Quæ voluntas de sua habet mutabilitate, si deficit; de gratia verò opitulatione, si proficit: &, quod à multis refutatur gratia, ipsorum est nequitiæ; quod à multis recipitur, gratia divina est, & voluntatis humanæ.* Sanctus Chrysostomus hoc idem confirmat *tom. 3. homil. 46. in Joan. cap. 6. post medium*, inquiens: *Non enim vi, & necessitate quadam Deus bonos facere consuevit, neque electio ejus violenta est, sed suasoria* postea subdit: *Multos vocatos perire continget. Quamobem constat, in nostro esse arbitrio, an salvemur, an perdamur.*

Tertia itidem propositio quia dicitur: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione*, adversatur itidem scripturis *Genes. 4. v. 3.* ubi Deus ostensurus, esse in potestate, ac dominio arbitrii humani consentire, aut dissentire appetitui, seu bene, vel malè agere in ordine ad merendum, vel demerendum, ait: *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus; & tu dominaberis illius. Deuter. 30. v. 19. Testes invoco hodie cœlum, & terram; quod proposuerim vobis vitam, & mortem. Elige ergo vitam, ut, & tu vivas.* Utrumque proponit, ut sub liberam cadat electionem; & ut unum præ altero eligatur: sin autem liberum arbitrium necessitaretur ad unum, & quodammodo raperetur, ac determinaretur, non posset alterum oppositum eligere; ex hoc loco probat S. Cyprianus *lib. 3. ad Quirì. c. 52.* Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio esse hominis; & *Ecclesiast. cap. 31.* expressè asserit, libertatem requiri necessario ad merendum non solum à coactione; verùm etiam à necessitate simplici, adeo ut detur facultas ad agendum, & non agendum, absque ulla

determinatione ad unum cum exclusione alterius, sed cum potestate ad utrumlibet, ait enim illum esse laude dignum, *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*; quæ verba expendens S. Irenæus *lib. 4. cap. 71.* ait: *Qui operantur bonum, gloriam & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possent illud non operari*: unde ad libertatem exigit simultatem potentiæ, adeo ut is operetur liberè, qui ita operatur, ut in illo perseveret potentia ad non operandum, adeo ut sicut exercuit potestatem operandi, ita potuisset potestatem non operandi; is enim, qui ita operatur, ut possit non operari, qui ita transgreditur, ut possit non transgredi, facere mala, & non facit, est laude dignus, ac meretur, secus, qui ita operatur bonum, ut non possit illud non operari, qui ita transgreditur, ut non possit non transgredi, quamvis utrumque voluntariè faciat, ac sponte, adeoque cum libertate à coactione, non tamen meretur, eò quia non agit cum libertate à necessitate, quia ad meritum requiritur indifferentia ad agendum, & non agendum. Hinc etiam Christus *Luc. cap. 10.* laudat Mariam Sororem Marthæ, eò quia optimam partem præ Martha elegerit: ad quam Maria non magis necessitabatur, quam Martha, sin autem Maria ex necessitate partem optimam elegisset non meruisset à Christo laudari. Adversatur etiam Conciliis præsertim Constantiensi *sess. 8.* Ubi damnatur hæresis Wicleffi asserentis, omnia evenire de necessitate absoluta, & sensum Concilii tradit Waldensis *lib. 1. Doctrin. fidei cap. 23. & 24.* Ubi asserit, Wicleffistas docere, Deum non necessitare voluntatem hominis necessitate coactionis ad bonum; quia illa sola tollit arbitrii dignitatem, non autem necessitas, seu determinatio ad unum, quia hæc stat cum ipso voluntariò, quod Wicleffistæ ajebant sufficere meritum, quod Concilium Constantiense damnavit. Rursus est contra Concilium Senonense sub Clemente Papa VII. anno 1528. & habetur *in Tom. 4. Concilior. ubi in decreto fidei 15.* habetur: *Cum reliquerit Deus hominem in manu Consilii, apposueritque coram eo ignem, & aquam, bonum, & malum, ut, ad quodcunque voluerit, porrigat manum suam, nec abs re beatus ille dicatur, qui potuit transgredi, & non est transgressus, & facere mala, & non fecit: quod sub eo sit appetitus ejus, & dominetur illius: ac denique percurrenti Sacram Scripturam passim obvium sit, quod liberum utramvis in partem hominis arbitrium asseveret*; unde Concilium asserit, arbitrii nostri libertatem includere potestatem ad utrumlibet, ut etiam definivit Tridentinum *sess. 6. can. 4.* ubi anathemate percutit negantes, liberum arbitrium hominis motioni divinæ posse dissentire, si velit, & *can. 6.* anathematizat negantes *esse in potestate hominis vias suas malas facere*, & ibi definit voluntatem, dum peccat, non tantùm posse peccare, sed habere peccatum in sua potestate, seu illud agere, & non agere, quod non haberet, ubi est necessitas peccandi. Rursus quia Pius V. & Gregorius XIII. damnârunt hanc Baji propositionem, *quod voluntariè fit, etsi necessario fiat, liberè tamen fit*, quia ad libertatem non sufficit libertas à coactione, verum etiam requiritur libertas à necessitate, adeo ut liberè agens, non sufficiat, si voluntariè agat, sed ulterius requiritur indifferentia ad agendum, & non agendum, adeo ut liberum arbitrium non necessitetur ad unam tantùm partem, sed conservet potentiam ad utramque partem, & ita agat, ut possit non agere, & cùm agit, retineat potentiam ad non agendum, adeo ut sit in ipso simultas potentiæ; quapropter præfati Pontifices damnârunt etiam hanc aliam Baji propositionem: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Repugnat itidem cum Doctrina Sanctorum Patrum; etenim D. Augustinus *lib. de natur. & grat. contra Pelagium cap. 65.* approbat sententiam D. Hieronymi inquiens: *Nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas, nec corona est: Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat?* & *lib. de duab. animab. contra Manich. cap. 11. sub init.* ait: *Neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui aut id velit, quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest, nonne ista cantant & in montibus Pastores, & in theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antistites in Sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?* ubi ait ad demerendum ac esse dignum vituperatione, & supplicio requiri libertatem à necessitate, seu libertatem in determinationis, & indifferentiæ, ad agendum, & non agendum, quæ libertas etiam necessariò requiritur ad merendum, seu ad coronam, unde non sufficit, si voluntariè fiat, sed rursus requiritur libertas indifferentiæ, ut voluntasi posset agere, & non agere, prout ipsi magis placuerit. Hoc idem etiam repetit Augustinus *in actis cum Felice Manichæo lib. 2. cap. 4. per tot.* ubi ait: *Habet unusquisque in voluntate, aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere, quæ mala sunt, & esse arbor bona, aut eligere, quæ mala sunt, & esse arbor mala*, & aliquibus interjectis addit: *Hoc ergo Dominus dicens, aut facite illud, aut facite illud; seu Matth. 12. aut facite arborem bonam, aut facite arborem malam, ostendit esse in potestate, quod facerent, & quia si bonum eligerent, præmium illius acciperent: si malum eligerent, pœnam illius sentirent*, & quia præmium sequitur ad meritum, sicut pœna ad demeritum, sequitur, utrumque dependere ab electione voluntatis, quæ electio circa unicum tantùm objectum esse non potest, quia præsupponit necessario plura, ex quibus unum præ aliis eligatur, consequenter, ubi non est arbitrii libertas ad utrumlibet, quam necessitas seu determinatio ad unum interimit, non habetur libera electio. Rursus *lib. de libero arbitrio cap. 18.* operosè inculcat, ad peccandum requiri libertatem non solùm à coactione, sed etiam à necessitate, inquiens: *Quæcunque ista causa est voluntatis, si ei non potest resisti, sine peccato ei ceditur. Sin autem potest, non ei cedatur, & non peccatur*; & nonnullis interjectis: *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? peccatur autem. Caveri igitur potest*, & *lib. de vera religione cap. 14. post medium* ait: *Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium, tales enim servos suos meliores esse Deus judicavit, si ei servirent liberaliter: quod nullò modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent.* Neque ibi potest esse libertas in serviendo, ubi est mera necessitas: hinc Tertullianus *adversus Marcian. lib. 2. cap. 5. post medium & cap. 6.* ait: *Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem concessa est illi, ut sui Dominus constanter occurreret, & bono sponte servando, & malo sponte vitando*; postea subjungit: *Cæterum nec boni, nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate.* Hanc eandem veritatem inculcant alii Sancti Patres, præsertim uterque Clemens Romanus, & Alexandrinus S. Dionysius, Ignatius Martyr, Justinus Irenæus, Cyprianus, est alii.

Quar-

Quarta propositio, qua Jansenius asserebat, *Semipelagianos admisisse prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus ad initium fidei, & in hoc fuisse Hæreticos, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare*, etiam adversatur Sacris Scripturis, Conciliis, & Patribus, & inprimis falsum est, Semipelagianos admisisse gratiam prævenientem in libero arbitrio, seu voluntate: siquidem Semipelagiani tantùm concesserunt gratiam Christi requisitam ad promovendam fidem, in solo tamen intellectu, quia volebant sitam esse in meritis quadam illustratione, sine ulla motione interna voluntatis, quam extrinsecus tantùm afficeret, ac se haberet potiùs per modum legis, aut Doctoris denuntiantis, quid agendum sit, non verò afficere ipsam voluntatem, & cum ipsa efficere actum, nec charitatis ardorem, nec affectum, posita hac illustratione in intellectu, ajebant, voluntatem suis viribus naturalibus niti, & vocationi Dei obtemperare, vel ab ea pro libitu deflectere, eo quia per originale peccatum naturalis in homine libertas fuerit immutata, unde Jansenius falsò asserit, Semipelagianos admisisse gratiam prævenientem ad singulos actus. Præter enim hanc gratiam illuminantem, & ostendentem per modum legis vel doctoris ex parte intellectûs, quid agendum sit, alia adhuc requiritur gratia in ipsa voluntate, & libero arbitrio, absque læsione libertatis, ut possit actus supernaturales, ac meritorios elicere. Non enim solum requiritur gratia, ut menti nostræ lucem præferat, ostendátque quid faciendum sit, verùm etiam in voluntate, ut efficiat, ut faciamus, ac velimus. Rursus ait Jansenius in sua propositione: *Et in hoc errant Hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*: siquidem Semipelagiani asserebant initium aliquod salutis, & justitiæ esse à nobis, nimirum fidem, ac voluntatem quampiam salutis obtinendæ, seu ut ait S. Prosper nomine Semipelagianorum, *voluntariam dilectionem*, vel fidem initialem, seu credendi voluntatem, ut ait Augustinus *lib. de prædestinat. Sanctor.* vel quóddam desiderium Medici, ut ait Hilarius: Per hoc enim constat fuisse Hæreticos. Cæterum si docuissent gratiam talem esse, cui non posset voluntas humana resistere, fuissent secuti doctrinam Pelagii destruentis liberum arbitrium, quod repugnat scripturis in sensu Jansenii docentis, gratiam ita determinare voluntatem ad unum, ut non possit oppositum; etenim *Deuter.* 30. habetur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, sed juxta te est sermo valde in ore tuo, & corde tuo, ut facias illum*, & nonnullis interjectis subdit: *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & e contrario mortem, & malum, ut diligas Dominum Deum tuum*, & nonnullis interjectis addit: *Elige ergo vitam, ut & tu vivas*: hæc autem exhortatio illusoria foret, & inutilis, si in sententia Jansenii gratia efficax necessariò, ac ineluctabiliter determinaret voluntatem ad unum, *Josue 24. v. 15. Servite Domino, sin autem malum vobis videtur, ut Domino; serviatis, optio vobis datur, eligite hodie, quod placet, cui servire potissimum debeatis.* Datur enim homini optio serviendi Deo, vel Diabolo, eligendi bonum, vel malum, & ad utrumlibet dicitur proximè expeditus; quod si ad servitium Dei requiritur auxilium gratiæ interioris, & talis, cui possit voluntas resistere, vel obtemperare, non apparet, quomodo gratia Jansenistica, quæ necessitatem adfert voluntati, consequenter, ut hoc determinatè eligat, & non aliud, possit stare cum optione ad utrumlibet. Rursus *Ecclesiast. 15. v. 17. & 18.* ait: *Deus apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam, ante hominem vita, & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Quod si homo ex duobus potest eligere, quod illi magis placuerit, sequitur, non esse determinatum ad unum tantùm, neque per gratiam necessitari liberum arbitrium ad unam tantùm partem. *Isaiæ 5. v. 4. Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas.* Quòd si Deus huic mysticæ suæ vineæ nullam fuit gratiam impertitus, non bene spectâsset, ut solius naturæ viribus faceret uvas virtutis, ac bonorum operum, & sine causa querelas, minasq; intentâsset, eò quia labruscas fecerit, cùm solius naturæ viribus non possit quidquam boni supernaturalis, & meritorii producere. Quòd si huic vineæ dedit gratiam, certè non dedit efficacem, quia per Jansenium hæc necessitat ad bonum opus, & vinea labruscas germinavit, non uvas, unde concludendum est, dedisse talem gratiam, cui poterat vinea humanæ voluntatis obsequi producendo uvas bonorum operum, vel obsistere, ut re ipsa obtigit, dum lapuscas progerminavit. Quòd etiam Jansenii propositio adversetur Conciliis, liquet, siquidem Concilium Lateranense sub Innocentio III. celebratum anno Christi 1215. *in cap. firmiter. in fine* habetur: *Si post susceptionem baptismi quispiam prolapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam semper potest reparari*, nimirum, si voluerit homo resipiscere, quatenus Deus ad id offert illi semper suam gratiam. Dissentit etiam Concilio Senonensi sub Clemente VIII. anno 1528. *decret. 15. post med.* ubi habetur: *Neque enim tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulsat, cui si quis aperuerit, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo: nec denique tale sit hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit.* Quòd si potest quis januam operire, jam datur eidem tanta gratia, cui humana voluntas obsequi possit. Præterea si claudere etiam potest quis januam, talis eidem datur gratia, cui possit obsistere, ac vocationem abjicere. Rursus Concilium Toletanum III. contra Prædestinatianos Hæreticos celebratum sub Leone IV. Papa & Lothario Imperatore an. 855. *can.* 2. habet: *Credimus, nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis permanserunt.* Et Tridentinum *sess. 6. c. 11.* ait: *Deus impossibilia non jubet: sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis: & adjuvat, ut possis, cujus mandata gravia non sunt*; & nonnullis interjectis subdit: *Quo fit, ut justi ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in viis justitiæ sentire debeant, quo liberati jam à peccato, sobriè, piè, & justè viventes proficere possint per Christum Jesum*; postea addit: *Deus namque suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur.* Sin autem homo justificatus per gratiam non posset ei resistere, non posset amplius Deum deserere per peccatum, quia semper perseveraret in gratia, ergo ex Tridentino gratia non necessitat voluntatem. Rursus idem Tridentinum *eadem sess. cap. 13.* ait: *In Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent; Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint,*

*fuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans*
*velle, & perficere.* Est etiam contra Sanctos Patres;
siquidem D. Hieronymus *in Psal. 140. v. 4. tom. 7.*
ait: *O infelicissimum humanum genus, qui pecca-*
*ta excusamus, dicentes: victus sum à natura, cùm*
*in potestate nostra sit, & peccare, & Domino adju-*
*vante non peccare.* Quòd si possumus peccare, &
non peccare, jam voluntas est libera ad utrumlibet,
& gratia non adigit ad unum, nec necessitatem inji-
cit voluntati. D. Augustinus *in Psal. 63. circa fin.*
ait: *Nunquid consilii corrigendi, & mutandæ vitæ*
*malæ in bonam non est locus, non est tempus? nonne*
*si vis, hodiè fit? nonne si vis, modo fit? quid em-*
*pturus es, quod facias? ad quos Indos navigaturus,*
*ecce, cùm loquor, muta cor, & factus est, quod tam*
*sæpe, & tamdiu clamatur, ut fiat, & quod æternam*
*pœnam parturit, si non fiat.* Rursus *de correpr. &*
*grat. cap. 7. sub init.* ait: *Justior videtur excusatio*
*dicentium: Non accepimus audientiam, quam di-*
*centium, non accepimus perseverantiam: quoniam*
*potest dici homini, & in eo, quod audieras, & tenue-*
*ras, in eo perseverare, si velles.* Præterea *lib. de*
*grat. & libero arbit. cap. 2. circa med.* ait: *Si volue-*
*ris, conservabis mandata, & quidem ad placitum ap-*
*ponet tibi ignem, & aquam, ad quodcunque volue-*
*ris, extende manum tuam. In conspectu vita, &*
*mors, & quodcunque placuerit, dabitur ei.* Ecce,
*apertissimè videmus expressum liberum humanæ vo-*
*luntatis arbitrium.* Eo enim ipso, quod scripturæ
testantur, hominis voluntatem esse expeditam ad
utrumque, seu posse eligere ex pluribus, quæ illi
exhibentur, quodcunque ei placuerit, satis expressè
significatur ejus libertas, quæ à divina gratia mini-
mè necessitatur; hinc Augustinus subjungit: *Nemo*
*ergo Deum accuset in corde suo, & sibi imputet quis-*
*que, cùm peccat. Neque, cùm aliquid secundum*
*Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate.* D.
Fulgentius itidem *lib. de prædestinat. & grat. cap.*
*15. sub finem.* Causam, cur Pharao induratus fue-
rit flagellationibus divinis, non ita Nabuchodono-
sor, refert in id, quod unius voluntas restiterit gra-
tiæ vocanti, voluntas verò alterius eidem obtem-
peraverit, ait ipse: *Quid ergo fines eorum fecit esse*
*diversos? nisi quod unus manum Dei sentiens in re-*
*cordatione propria iniquitatis ingemuit: alter li-*
*bero contra Dei misericordissimam veritatem pugna-*
*vit arbitrio.* & *cap. 9. sub init.* ait: *Ita inter se atque*
*homines Deus tempora, officiaque distribuens ordina-*
*vit, ut vocatione ipsius bonorum principia sumere-*
*mus, vocati autem atque illuminati vias mandato-*
*rum ejus boni ingenii intelligentia nosceremus, &*
*eas libero vel eligeremus, vel relinqueremus arbitrio.*

Quinta Jansenii propositio, qua dicebatur, *Semipe-*
*lagianum esse, dicere Christum pro omnibus homini-*
*bus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*, etiam Scri-
pturis, Sacris Conciliis, & Sanctis Patribus adversa-
tur: siquidem Apostolus *ad Rom. 5. v. 18. & se-*
*quent.* ait: *Sicut per unius delictum in omnes homi-*
*nes in condemnationem: sic & per unius justitiam in*
*omnes homines in justificationem vitæ: sicut enim*
*per inobedientiam unius hominis peccatores constitu-*
*ti sunt multi, ita & per unius obeditionem justi con-*
*stituentur multi.* Argumentum Apostoli eò colli-
mat, ut probet justitiam, seu Christi meritum o-
mnibus omnino profuisse, perinde ac Adæ pecca-
tum omnibus omnino obfuit, unam (non repugnan-
te Tridentino) Deiparam Virginem immunem à
peccato originali; quòd si Adæ peccatum omnibus
obfuit, ita justitia Christi omnibus profuit, ac ejus
meritum, consequenter mortuus fuit pro omnibus
omnino hominibus, alioquin Paulina Antithesis effi-
caciam non haberet. Rursus 1. *ad Corinth 8. v. 11.*
*Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem*
*Christus mortuus est*, & *ad Gal. 2. v. 20.* ait: *In fi-*
*de vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit se i-*
*psum pro me* scilicet redimendo, & æternam salutem
impertiendo, & tamen Apostolus hujus redemptio-
nis conscius antea conceptis verbis scripserat. 1. *ad*
*Corinth. 9. v. 26. Castigo corpus meum, & in servi-*
*tutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse*
*reprobus efficiar.*

Quòd si cum Jansenio dicas, mortem Christi pro-
fuisse omnibus prædestinatis, qui pauci sunt, qui in
Christi fide decedunt; non verò pro reprobis, &
Ethnicis, qui æternam non consequuntur salutem.
Contra est, quia Christus pro erroribus etiam, qui
salutem non consequuntur, & Ethnicis, mortuus
est, adeò ut ejus mors omnibus profuerit, ut testa-
tur Apostolus *ad Timoth. 2. v. 1. & 5.* inquiens:
*Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes,*
*orationes, gratiarum actiones pro universis hominibus,*
*pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt. U-*
*nus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum,*
*homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semet-*
*ipsum pro omnibus.* Argumentatur enim Aposto-
lus, inquiens: Ideò volumus etiam pro infidelibus,
ex quibus erant Reges omnes, & alii in sublimitate
constituti, fundendas esse Deo preces, quia unus est
omnium Deus, & unus omnium Mediator; nec
plurium Deus, quam Mediator, *qui dedit redem-*
*ptionem semetipsum pro omnibus* omnino etiam in-
fidelibus Regibus, & aliis, qui id temporis fuerunt
in dignitate aliqua constituti, ut aliis præessent:
Sed constat ex Historiis Sacris, & profanis eo tem-
pore, quo Paulus scripsit, epistolam illam ad Timo-
theum, Neronem fuisse Imperatorem, Parthos, &
Medos Reges suos habuisse, & quidem Vectigales
Romanis, plures Provincias, quæ ab infidelibus
summa potestate administrabantur, & tamen Apo-
stolus, quamvis isti decesserint in sua infidelitate,
nec fuerint prædestinati, adhuc pro iisdem jubet
preces ad Deum fundi, eò quia Christus etiam pro
ipsis mortem subierit, ergo ex Apostolo clarissimè
constat, Christum mortuum fuisse pro omnibus tum
prædestinatis tum præscitis, alioquin si Christus pro
iis tantum mortuus fuisset, qui salutem consequun-
tur, inutilis esset omnino ratiocinatio Doctoris Gen-
tium, & necesse esset, in schola Janseniana adscribi
Sanctorum numero Neronem, Vespasianum, Titum,
Galbam, Othonem, Agrippam, Felicem, & alios, qui
in sua infidelitate decesserunt: siquidem pro istis,
qui eo tempore vixerunt, quando Apostolus per
talem epistolam monuit fundendas esse ad Deum
preces, scilicet *pro Regibus, & iis, qui in sublimita-*
*te sunt*, quia Christus pro ipsis dedit redemptionem
semetipsum. Vel concedendum esset Christum
mortuum fuisse, & dedisse redemptionem semet-
ipsum etiam pro iis, qui salutem non consequun-
tur, sed in sua infidelitate decesserunt. Unde vel
Catalogo Sanctorum, adscribendi essent Princi-
pes infideles, si tantùm pro Prædestinatis Christus
mortuus esset, vel dedisset redemptionem semeti-
psum etiam pro iis, qui salutem non consequuntur,
consequenter pro omnibus omnino.

Præterea D. Paulus 1. *ad Timoth. 4. v. 10.* ait:
*Qui est Salvator omnium hominum maximè fide-*
*lium.* Quòd si maximè, seu præcipuè fidelium,
certè

certe, etiam infidelium, pro quibus redimendis etiam mortuus est, & quidem non solùm quoad sufficientiam pretii, quod omnibus posset applicari, sed etiam ex sincera volunsate, ut omnibus prodesset fructus ejus passionis, quantum erat ex parte Christi, illi enim tantùm captivi dici possunt, non redempti, pro quibus pretium non fuit solutum; sed pro omnibus hominibus, ait Apostolus, fuisse pretium solutum sufficiens, ut redimerentur; adeo ut ex meritis passionis Christi ipsi etiam infideles acceperint media necessaria, ut credere possint, si velint: justi etiam sua culpa non perseverantes etiam gratiam acceperunt, in illa jus ad hæreditatem Dei in cœlesti beatitate, quantumvis mediorum applicatio persæpe impediatur à reprobis per peccata, quæ libera voluntate perpetrant, vel etiam ex defectu cooperationis voluntatis ad gratiam vocantem, ac suadentem opus bonum. Rursus 2. *Petri* 2. *v.* 1. hæc eadem veritas nobis perspicuè ostendit, ait enim Princeps Apostolorum. *Fuerunt verò & Pseudo-Prophetæ in populo, & in vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent Sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant superinducentes sibi celebrem perditionem*: ait enim Christum redemisse omnes, tametsi Pseudo-Prophetæ id negent. Rursus 1. *Joan.* 2. *v.* 2. habetur: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Et per hæc postrema verba *totius mundi* Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 2. & 3. intelligentiam Judæos infideles, & omnes Gentiles, qui beneficium mortis Christi non recipiunt, & quibus mors Christi nec quidem ad salutem temporaneam profuit. Ex pluribus aliis scripturæ locis clarè constat, Christum non solùm pro prædestinatis, verùm etiam pro præscitis solvisse pretium sui sanguinis, ut liberari potuissent à servitute peccati, si voluissent, & æternam consequi salutem, in iisdem enim exprimitur sincera Dei voluntas de omnium hominum salute, ut *Sapient.* 11. *v.* 25. & 26. *Ezech.* 18. *v.* 23. *Matth.* 11. *v.* 28. *Luc.* 19. *v.* 42. *ad Roman.* 8. *v.* 32. 2. *ad Corinth.* 5. *v.* 14. & 15. *ad Hebræ.* 2. *v.* 9.

Quòd propositio Janseniana etiam contradicat Conciliis, liquet, quia Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 2. loquens de Christo redemptore omnium hominum ait: *Hunc proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris: non solùm autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi*, & tertium caput exorditur hoc modo: *Verùm, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt: sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur*, unde ex Tridentino idem est, Christum mortuum esse pro omnibus, & positum esse propitiationem pro peccatis totius mundi.

Præterea propositio Janseniana pugnat contra Tridentinum, cùm asserat Christum pro electis tantùm mortuum esse: siquidem ex Tridentino eorum numero, pro quibus mortuus est Christus, illi etiam comprehenduntur, qui mortis ejus beneficium non recipiunt, quia recusant sibi applicare pretium ejus sanguinis per usurpationem videlicet Sacramentorum Ecclesiæ, & exercitationem Evangelicarum virtutum, unde ex Concilio Tridentino Christus redemit totum humanum genus, adeo ut nullus fuerit homo natus, neque nascetur, cui mors Christi non profuerit ad salutem, tametsi plures eam non consequantur, eò quia Christi gratia abutantur. Tum quia de justificatis dicitur *cap.* 13. *In Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent*, scilicet auxilio ad perseverandum necessario. Sed quomodo spem firmissimam jubentur omnes habere in divino auxilio, si illud poriori hominum parti denegatur? sed non denegatur quoad sufficientiam ex parte Dei illuminantis omnem hominem venientem in hunc mundum, & volentes omnes homines salvos fieri; Sed quia ipsi detrectant prævio tali lumine ambulare, & nolunt divinæ gratiæ cooperari, cæterum, si justificatis omnibus paratum est, ergo jam in Deo est voluntas sincera juvandi omnes, quantum est in se ipso, ad salutem consequendam, ex quibus tamen multi sunt reprobi, & propria culpa in malo statu sunt morituri, proinde sequitur ex Tridentino, Deum habere sinceram voluntatem juvandi ad salutem etiam multos reprobos, pro quibus etiam mortuus fuit. Quòd verò debeant justificati concipere firmissimam spem, firmat Apostolus his verbis; *Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle perficere.*

Vult ergo Deus efficere, ut in adepta semel justitia perseverent usque in finem, unde Deus quantum est ex se, vult omnes homines salvos fieri, quamvis ex sua culpa potiùs postea salutem non consequantur. Præterea propositio Janseniana pugnat contra Concilium Valentinum III. sub Leone Papa IV. celebratum anno Christi 855. *can.* 5. ubi contra Prædestinatianos statuitur: *Firmissimè tenendum credimus, quòd omnis multitudo fidelium ex aqua, & Spiritu S. regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata, & in morte Christi baptizata in ejus sanguine sit à peccatis suis abluta*, & postea subdit: *Ex ipsa tamen multitudine fidelium, & redemptorum, credimus alios salvari æterna salute; quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent, Alios, quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, & redemptionis gratiam potiùs irritam fecerunt, prava doctrina, & vita, & neglexerunt servare; ad plenitudinem salutis, & perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire.*

Neque poterat Concilium luculentius loqui, neque enucleatius asserere, Christum redemptorem esse etiam eorum, qui æternam salutem non consequuntur, sed damnantur, quia pro eorum redemptione ab æterna morte pretium sui sanguinis etiam fuderit, & gratiam obtulerit, consequendæ beatitudinis æternæ, quam irritam propria electione fecerunt. Hæc eadem veritas etiam definita fuit in Concilio apud Carisiacum sub Carolo Calvo Rege anno Christi 848. in quo Gothescalcus convictus hæreseos Prædestinatianorum iteratò fuit damnatus, ait enim Concilium *cap.* 4. *Christus Jesus Dominus Noster sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cujus natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licèt non omnes passionis ejus mysterio redimantur. Quòd verò omnes passionis ejus mysterio non redimuntur, non respicit ad magnitudinem, & pretii copiositatem; sed ad infidelium, & ad non credentium ea fide; quæ per dilectionem operatur, respicit partem; quia poculum humanæ salutis, quod confectum est infirmitate nostra, & virtute divina, habet quidem in se, ut omnibus prosit; sed, si non bibitur, non medetur*, ex quibus scripturis, & Conciliis clarè

constat, Christum mortuum fuisse pro redemptione totius humani generis, ac vita æterna hominibus danda, & quòd plures eam non consequantur, defectum provenire ex iisdem hominibus divina gratia abutentibus.

Rursus Janseniana propositio adversatur Sanctis Patribus præsertim Augustino, qui *in Joan. Tract.* 4. *sub init.* ait: *Populi autem spernentes propter superbiam suam humilitatem Dei, crucifixerunt Salvatorem suum, & fecerunt damnatorem suum.* Unde Christus, quantum fuit ex se, fuit Salvator eorum, in quos damnationis sententiam laturus erat. Quod verò Christus inflicta sibi vulnera toleraverit pro iis, qui salutem non consequuntur, expressè fatetur idem Augustinus *de symbolo ad Catechumenos lib.* 2. *cap.* 8. inquiens: *videtis vulnera, quæ inflixistis, agnoscitis latus, quod pupugistis? quoniam hoc per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Aperuit Christus januam salutis, ut eandem omnes intrarent, &, ut ingrederetur, omnes vocavit, sed non omnes fuerunt ingressi, quia plures sunt reprobi, unde licet Christus mortuus fuerit pro omnibus hominibus, ut vitam æternam consequerentur, plures tamen eam non consequuntur, non ex defectu Christi, sed eorum nolentium eam consequi. Et *in Psal.* 68. *v.* 27. *sub init.* loquens de Juda Proditore ait: *Projecit enim pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium, quo ipse à Domino redemptus erat. Factum est hoc in Juda*, quem si redemerat, necessum fuit habuisse voluntatem illum redimendi. Quòd si pro illius redemptione sui sanguinis pretium sincera voluntate obtulit, quomodo eandem redemptionis gratiam aliis voluerit negare reprobis? nulli ergo denegavit gratiam redemptionis, quoniam omnium Salvator hominum Christus fuit. Rursus Augustinus *serm.* 67. *de tempor. circa medium* inducit Christum Judicem reprobos in extremo judicio alloquentem: *Flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfossus, ut tu eriperetis morti, animam in tormentis dimisi.* Et paucis interjectis subdit: *Suscepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem; suscepi mortem tuam, ut in æternum viveres; conditus jacui in sepulchro, ut tu regnares in cœlo.* Hinc liquet, quam falso asserat Jansenius Christum non esse mortuum, nec sanguinem fudisse pro salute æterna eorum, qui æternam non consequentur salutem: siquidem habemus ex Augustino Christum passum, mortuum & sepultum fuisse, ut reprobi in æternum viverent, & regnarent in cœlo. Rursus Augustinus *serm* 114. *de tempore* ait: *Hodie Dominus noster in statera crucis pretium nostræ salutis appendit, & una morte universum mundum, sicut omnium conditor, ita omnium reparator, absolvit. Indubitanter enim credamus, quod totum mundum redemit, qui plus dedit, quàm totus mundus valeret:* atqui soli electi non dicuntur esse universus mundus, quia in mundo potior pars est reproborum, unde si mundus continet electos, & reprobos ex eo, quod redemerit totum mundum, necesse est, fateamur, redemisse etiam electos & reprobos. Et *lib. contra Julianum Pelagianum cap.* 4. *post. init.* probat ex eo, mortuos esse in Adamo uno omnes omnino homines, quia pro omnibus omnino mortuus est unus Christus, ait ipse: *Audiretis Apostolorum hoc breviter explicantem, qui unum dixit fuisse, in quo omnes peccaverunt. In illo uno mortui sunt omnes, ut moreretur unus pro omnibus; unus enim pro omnibus mortuus est. Ergo omnes mortui sunt, pro quibus Christus mortuus est. Nega igitur Christum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum, hoc est, de contagio peccatorum*; vult enim Augustinus meritum passionis, & mortis Christi ad eos omnes omnino se extendere, quos contagium noxæ originalis contaminavit. Rursus Augustinus *lib.* 1. *contra Julian. cap.* 50. asserens etiam pro parvulis, qui non suscipiunt baptismum, consequenter non salvantur, mortuum esse Christum, ait: *Præclari Prædicatores, sic prædicatis Jesum, ut eum negetis, parvulorum esse Jesum, nolite Salvatorem non salvis pueris invidere.* Et *cap.* 51. ait: *Vos ergo, si carere vultis opprobrio, quo Ecclesiæ Catholicæ detestabiles facti estis, sinite Christum parvulis esse Jesum.* Quòd si Christus etiam parvulis est Jesus, seu Salvator, quamvis ad gratiam baptismi nunquam perveniant, sequitur etiam pro ipsis esse verum redemptorem, quia, quòd non perveniant ad gratiam baptismi, ex defectu provenit parentum, & causarum secundarum, non vero ex defectu divinæ gratiæ, quam paratam habuissent, nisi impedimentum fuisset, quo minus gratiam susciperent baptismi. Et *lib.* 2. *operis imperfecti contra Julianum cap.* 128. ait: *Unus pro omnibus mortuus est, Juliane, non hoc Augustinus, sed Apostolus dixit; imò ipse per suum Apostolum Christus, cohibet te vaniloquio, cede Deo, digere crapulam contentionis; & intellige*, postea ostendit, per quid differant duæ illæ voces, Omnes, & multi in duobus locis Apostoli: siquidem *ad Rom.* 5. *v.* 19. ait: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*, & altero 1. *Corinth.* 15. *v.* 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur*, & utrumque locum conciliat inquiens: *Multi quippe isti, ipsi sunt omnes, de quibus alio loco dicit, sicut in Adam omnes moriuntur*, ergo ex Augustino, & Apostolo Christus pro iis omnibus mortuus est, qui in Adam sunt mortui, & sicut Augustinus contra Pelagianos ostendit, nullum esse hominem, qui non fuerit in Adam mortuus; sequitur, Christum fuisse mortuum pro omnibus prædestinatis, & præscitis, pro baptizatis, & non baptizatis, quapropter *lib.* 1. *ejusdem operis imperfecti cap.* 110. ait: *Sinite ergo parvulos inveniri ab eo, qui venit quærere, quod perierat, alioquin liberatorem Jesum, quoniam & ipsi homines sunt, prorsus invidetis, quantacunque loquacitate crudelitatem vestri hujus erroris obtegendam esse credatis.*

CAP. X.

# CAPUT X.

## De iis, quæ ad gratiam sanctificantem obtinendam requiruntur.

Certum est, divinam gratiam eam esse in homine, ratione cujus Deus hominem amore prosequitur, & Christi constituit cohæredem, datque jus ad æternam hæreditatem, & qua Deus *apud hominem mansionem facit, Joan.* 14. Et quia hæc gratia ex divino amore in hominem derivatur; est enim amor, rei amatæ bonum velle, qua ratione convenit cum amore humano. Differt verò ab eo, quia nostra voluntas bonum omne tanquam suum scopum potest quidem spectare, sed efficere non potest, hinc non impertimur rei amatæ quidquid boni amando ei volumus: Secus Deus, quia ut ait *Psal.* 113. Quæcunque voluit, fecit, quia infinitæ est perfectionis, & efficacitatis, & per voluntatem suam est causa efficiens omnium, sequitur, quod, si bonum aliquod efficiens à se distinctum velit creaturæ, id ipsum bonum eadem voluntate efficiat, ac communicet creaturæ, & vicissim, si aliquid boni creaturæ tribuit, illam eo ipso amet. Adeo ut tam latè pateat divinus ergà homines amor generatim sumptus, quam bona omnia hominibus à munifico Deo impertita, neque possit ullo modo fieri, ut quo tempore homo nihil boni de novo, vel à Deo recipit, vel ipse amittit, eodem dicatur à Deo de novo diligi vel non diligi. Non enim est Deus sicut homo: siquidem affectus hominis re prorsus immutata mutari potest; potest enim Petrus Paulum diligere de novo, & mox cessare à tali amore, Paulo prorsus immutato intrinsecè, nec per additionem, nec per diminutionem, quia amor creaturæ in aliam sterilescit, nec quidquam potest respectu creaturarum affirmari, nisi secundùm eorum duntaxat mutationem: secus amor divinus, quia perfectissimus est, & in se fœcundissimus, non amat creaturas, nisi iisdem aliquid communicando: & quia bona alia sunt naturalia, & alia supernaturalia, ea dicuntur naturalia, quæ ex naturali dilectione, qua Deus diligit omnia, quæ sunt in homine, profluxerunt, & hac dilectione Deus *Sapient.* 2. *Diligit omnia, quæ sunt.* Et natura humana, quia constat duplici rerum gradu corporeo, quem cum brutis habet communem, & spirituali, quo proximus ad Angelorum accedit perfectionem, ac duplici tum cognoscendi, tum appetendi vi ad utrumque gradum tuendum accommodatur: pars enim, qua proximè accedit ad perfectionem Angelorum, particeps est rationis, scilicet intellectus, & voluntatis, & latissimè patet, adeo ut circa res omnes cognoscendas, & appetendas versetur, eò quia omnes aliquo modo ad gradum spiritualem possint pertinere. Altera verò facultas, quæ sensitiva in homine est, vim includit per sensus attingendi res omnes sensibiles, easque itidem appetendi, & ea tantùm complectitur, quæ sub sensus cadunt, suntque naturæ corporeæ consentaneæ, & utraque perfectio in homine ex Dei dilectione in eum derivatur. Reliquæ creaturæ, quia appetitum habent limitatum, nec feruntur in universum ens, sed in aliquid determinatum, facilè possunt consequi, quod illis est optimum, & in eo felices conquiescere. Secus homo, quia intellectu, & voluntate constat, qui nullis rerum limitibus continentur, quidquid vel ratione comprehendit, vel voluntate amat, quamdiu Deum ipsum infinitum perfectis operationibus harum potentiarum non assequitur, in quo totum est possibile, totumque bonum voluntatis perfectæ satiativum continetur, tamdiu necesse est, sit inquietus, explebilis, & adhuc ex parte vacuus, eò quia nondum possideat, quod ei est optimum hinc rectè ajebat Augustinus: *Inquietum est, Domine, cor meum, donec requiescat in te*, seu donec te possideat.

Quia verò fide docemur, hominem propriis suis viribus naturalibus hoc bonum perfectè satiativum, & in cujus possessione perfectissimè conquiescat, nunquam posse assequi, fit illum ejusmodi natura præditum esse, ut oporteat semper esse inquietum circa res corporeas, quamvis eas perfectiones antecellat, & indigeat auxiliis, ac viribus excedentibus naturam, quibus elevetur ad statum supernaturalem, quibus possit actus supernaturales elicere, quamvis potuisset Deus hominem condere in statu puræ naturæ, ac in eodem eum relinquere absque eo, quod posset homo conqueri, cùm nequeat, ait *Isaias* 45. *Lutum dicere figulo suo, cur me ita facis?* non tamen Deus voluit intra limites solius naturæ hominem deserere, sed eum extollere supra naturam, ut supernaturalem felicitatem, si vellet, adipisci posset per proprias operationes. Non enim supernaturaliter operari, aut referre opera homo poterat, nisi varia illi ad id tribueret, Deus supernaturalia dona, seu præsidia, quæ potentias in homine naturales perficerent, corroborarent, ac elevarent ad statum supernaturalem, ut elicerent actus excedentes vires naturæ, & quia hæc præsidia humanæ naturæ minimè debita erant, rectè dicuntur dona supernaturalia, & gratuita, & iisdem donis Deus dicitur hominem supernaturaliter diligere, hinc gratia supernaturalis, de qua in præsenti loquimur, est donum per amorem supernaturalem divinitùs homini concessum supra naturæ debitum ad beatitudinem aptè consequendam; non enim donum supernaturale sejungi potest à dilectione supernaturali, neque è converso dilectio supernaturalis, & in hoc sensu sumpsit D. Paulus gratiam, cùm dixit: *gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, donum Dei est. ad Ephes.* 2.

Gratia igitur supernaturalis confertur à Deo hominibus, ut æternam consequantur beatitudinem, consequenter nobis impertitur ad nostram utilitatem, ut ait Apostolus 1. *Corinth.* 12. Et quia plerumque hæc dona supernaturalia constat in peccatore reperiri, cui non suppeditant jus ad æternam beatitudinem, quæ summum est bonum, ideo hujusmodi gratiæ dicuntur quidem gratis datæ, sed non gratum facientes, quia sunt gratiæ actuales, illuminantes intellectum, & excitantes voluntatem, ad resurgendum à peccato, tametsi ipsæ peccatum non deleant. Cùm enim creatura naturalibus suis prædita facultatibus ad veram beatitudinem consequendam non sufficit, quasi altera creatura supernaturalis illis superaddi-

tur, ſeu aliud principium ſupernaturale, quoad a-
ctiones ſupernaturales ſe promoveat, & ſimul cum
hiſce principiis ſupernaturalibus actus eliciat ſuper-
naturales. Et actiones proximè eliciat, quibus à
Deo impertiatur gratia Sanctificans, ſe habens per
modum qualitatis inhærentis, & permanentis, &,
cùm creatura humana hanc accipit gratiam, dicitur
regenerari, ac novam creaturam recipere, novam-
que naturam, qua homines in hoc ſtatu dicuntur fie-
ri, ut ait Apoſtolus *ad Tit.* 3. *divinæ naturæ con-*
*ſortes*, & acquirere jus ad hæreditatem Chriſti, un-
de Paulus hanc gratiam 1. *Corinth.* 1. vocat *pignus*
*hæreditatis noſtræ, quo ſignati ſumus*, & *Joan.* 3. di-
citur *Dei ſemen in iis, qui ſunt ex Deo, manens*, eò
quia ſuo tempore actiones illas proferet, quibus i-
pſe Deus perfectè attingatur, cognoſcatur, ut eſt in
ſe, ac perfectè ametur. Et hoc ſemen divini Spiri-
tus, quia in homine ſupernaturaliter dilecto manet,
rectè Deus *apud eum dicitur manſionem facere*, jux-
ta illud *Joan.* 14. ubi exponit, quod Daniel dixerat
*cap.* 4. *In hoc cognoſcimus, quoniam in Deo manemus,*
*& ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis.*
Quia vero in creatura præter naturam dantur et-
iam quædam potentiæ, quæ ab ipſa natura oriun-
tur, & quibus homo plures elicit naturales opera-
tiones, cujusmodi ſunt intellectus & voluntas, ideo
ab eadem gratia gratum faciente quædam defluunt
virtutes, præſertim Theologicæ, ut, ſicut hominis
natura effecta eſt per gratiam ſimilis naturæ divi-
næ, ita etiam hominis potentiæ ſupra naturalibus
ornatæ virtutibus divinam voluntatem, & intelle-
ctum imitentur, quo fit, ut homines tam variis,
tamque divinis habitibus inſtructi ſunt, ut per par-
ticipationem *Dii dicantur*, quia ſicut per gratiam
ſanctificantem participat naturam divinam, ita per
virtutes ab hac gratia proficiſcentes dicantur imita-
ri divinum intellectum & voluntatem, quamvis
enim probabilius aſſeramus, gratiam habitualem
quandam eſſe qualitatem in hominis natura diſtin-
ctam à virtutibus omnibus Theologicis, ipſâ tamen
poſitâ ponuntur & reliquæ virtutes Theologicæ, ſci-
licet charitas, fides, & ſpes, adeo ut creatura huma-
na per receptionem horum virtutum dicatur uberio-
ri dilectione à Deo diligi: & quia plerumque acci-
dit, ut in homine ſint bona fidei, & ſpei, qui tamen
careat Dei gratia, & charitate, eo quia exiſtat in
peccato lethali, quia iterum à Deo gratiam reci-
piat, quæ reſipiſcat, & novam gratiam Sanctifi-
cantem, novumque habitum Charitatis, ſequitur
habitus fidei, & ſpei diſtingui, à gratia Sanctificante,
& habitu charitatis, cùm ſine illis perſeverent in ho-
mine exiſtente in peccato lethali, & de hoc dono ha-
bituali loquens Apoſtolus ait: *Nos cautos eſſe debe-*
*re, quia theſaurum in vaſis fictilibus habemus in-*
*cluſum*, 1. *Corinth.* 4. Quia facilè per peccatum le-
thale poſſumus eo deſtitui, & hoc donum, ſeu gratia
Sanctificans eſt, quo, ut loquitur Apoſtolus, & dici-
mur *amici Dei, juſti, Sancti immaculati, abluti,*
*mundi, recti, ſalvi, ſani, Deo placentes.* Quamob-
rem ex donis gratuitis, quæ homini conferuntur,
ut ſibimet felicitatem æternam comparet, quædam
ſunt habitualia, ut gratia gratum faciens, ſive à chari-
tate diſtinguatur, ſive non, & virtutes Theologales,
fides, ſpes, & charitas, & præter hæc habitualia do-
na dantur etiam aliæ gratiæ, quæ dicuntur auxilia
actualia non ſe habentia per modum permanentiæ,
ſed potiùs per modum fluxus, quæ afficiunt intelle-
ctum, & voluntatem illum illuminando, hanc ex-
citando ad bonum proſequendum, ſicut enim ad
naturales actiones natura humana, quamvis ſuis po-
tentiis inſtructa non ſufficit, niſi Deus ut Author
rerum naturalium cum ipſa concurrat, & aliquibus
naturalibus incitamentis inducatur homo ad aliquid
faciendum: ita etiam ad ſupernaturales actiones
præter habitualia dona indiget homo incitamentis
ſupernaturalibus, ac ſupernaturali Dei concurſu,
non enim habitualia dona, priùs homini adulto con-
feruntur, quàm iis actuatur actualibus auxiliis, unde
ex eo, quòd neceſſaria ſint dona habitualia, requi-
runtur etiam actualia, quæ varia ſunt, ut explicat
D. Proſper. Cum enim ad actiones liberas refe-
rantur, primò habetur fidei prædicatio, vel ejus quæ-
dam inſpiratio, cujus luce intellectus hominis col-
luſtratus facilè inducatur ad impellendam volunta-
tem, ut liberè ab homine præbeatur aſſenſus fidei,
& adjuvante Deo aliæ ſupernaturales dentur gratiæ
actuales, quibus ſupernaturales actiones elician-
tur. Hinc dantur aliæ illuſtrationes, quibus velu-
ti divinis coruſcationibus, ita mens noſtra divinas
res clarè perſpiciat, ut vehementiùs in eas movea-
tur. Habentur etiam extraordinarii quidam effe-
ctus divinæ providentiæ, quibus homo vel à pecca-
tis deterretur, vel ad divinam amicitiam allicitur,
cujusmodi ſunt miracula, quæ fiunt, & varii caſus,
qui contingunt, & alia per multa, quibus Deus di-
citur *Apocal.* 3. oſtium mentis noſtræ pulſare, &
hominem vocare, ut ei aperiatur janua, & manere
poſſit per gratiam Sanctificantem. Et quia volun-
tas, quantumvis intellectu illuſtretur, niſi per gra-
tiam etiam à Deo moveatur, alliciatur, ac trahatur,
ideo præter recenſita actualia auxilia datur aliud, quo
voluntas à Deo trahitur, & movetur, & vocationi
reſpondeat conſentiendo, ut contra Pelagianos ſu-
periùs diximus. Hi ſiquidem concedebant divinæ
gratiæ illuſtrationem in intellectu, cui fidem adſcri-
berent; Sed in voluntate, ne liberum læderent arbi-
trium, nullam concedebant gratiam ſupernatura-
lem, aſſerentes charitatem in voluntate provenire
tantùm ex viribus ejusdem liberi arbitrii, in quo
propriè conſiſtebat hæreſis Pelagianorum, quos con-
futavit D. Auguſtinus *lib. de Bono perſeverantiæ cap.*
13. inquiens: *Quid eſt ineptius, & ab ipſa charita-*
*te alienius, quam confiteri ex Deo eſſe ſcientiam; quæ*
*ſine charitate inflat; & ex nobis eſſe charitatem, quæ*
*facit, ut ſcientia inflare non poſſit.* Præter enim il-
luſtrationem ſupernaturalem in intellectu conceden-
da eſt alia actualis, & ſupernaturalis gratia in volun-
tate, quâ liberè moveatur, & unà cum gratia actus
eliciat ſupernaturales: eſt enim hæc divina motio
voluntatis actualis concurſus ſupernaturalis; quo
ſimul cum voluntate cooperante Deus efficit opera-
tiones ſupernaturales; & eidem voluntati habitus
infundit ſupernaturales, quibus corroborata coope-
ratur. Neque liberum læditur arbitrium, quia il-
la colluſtratio in intellectu ita ſuadet voluntati bo-
num honeſtum, ut illud eidem perſuadeat, & benefi-
cio novæ gratiæ roborantis voluntatem eliciat a-
ctum ſupernaturalem; & Deus infundat eidem ha-
bitum itidem ſupernaturalem; per quem inclinatur
ad actus ſupernaturales, in quo liberum arbitrium
non læditur. Deus enim ita per illuſtrationem im-
pertitam intellectui oſtendit voluntati bonum ho-
neſtum, ut ſi voluntas ſinat ſe paſſivè allici, & non
ponat activè obicem divinæ gratiæ allicienti, &
ſuadenti bonum, cui poſſet, ſi vellet, impedimen-
tum ponere, dicitur voluntas liberè ſe ſinere allici;
& tunc Deus dat gratiam voluntati, cum qua coope-
ratur, & efficit unà cum voluntate liberè conſenſum,
quo poſito Deus infundit habitum ſupernaturalem
divinæ gratiæ Sanctificantis, inclinantis volunta-
tem

tem ad actus depromendos supernaturales: ait Deus, *ego sto ad ostium, & pulso; si quis aperuit, intrabo.* Stat ad ostium, cùm ponit in intellectu gratiam illustrantem, & illuminantem; pulsat, cùm ostendit voluntati bonum honestum; & suadet illius amplexum; voluntas aperit, cùm non ponit obicem gratiæ allicienti, sed sinit illam allicere; & Deus intrat, cùm communicat voluntati gratiam cooperantem, cum qua voluntas operatur consensum, quo posito infundit Deus gratiam Sanctificantem, & habitum charitatis. Quod voluntas liberè aperiat Deo volenti intrare, ex eo liquet, quia liberè non ponit obicem gratiæ suadenti, & vocanti; cùm liberè posset obsistere: ait enim Christus *Matth.* 10. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.*

Si dicas liberum arbitrium semper esse liberum ad repudiandum actum, consequenter ad frustrandam efficaciam gratiæ; negatur consequentia; quia tametsi semper sit liberum, possitque Physicè non cooperari gratiæ efficaci, à qua non necessitatur ad opus, moraliter tamen semper operabitur, quod si quæras, cur? respondetur, quia ipsa vult liberè operari, adeo enim gratia efficax illi suadet efficaciter eliciendum actus, ut voluntas plenè persuasa velit liberè actum elicere; quæ propterea non coactè, non necessario, sed quia vult sinere se suaderi, & liberè actum elicere: sicut enim liberum fuit Deo condere, vel non condere creaturas, ita liberum eidem fuit modum in operando præscribere, ut aliqua conditione existente, vel non existente operaretur, vel non; ita liberè eadem existente vult illi dare suam gratiam, quâ operetur liberè, & illa non existente, non vult dare illi suam gratiam: unde si creatura sinit se allici à gratia illuminante, dat illi uberiorem gratiam; Secus si non sinit se allici; id enim videbatur pertinere ad rerum humanarum moderatorem; ac totius universi directorem, ut sine liberi arbitrii læsione posset humanam voluntatem in eam partem flectere, prout ipsi magis placuerit, id enim videbatur exigere perfectum, ac plenissimum Dei dominium in creaturas; quod videtur insinuasse Salomon verbis illis *Proverb.* 21. *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu domini, & quocunque voluerit, vertet illud.* Hinc D. Paulus 9. *voluntati ejus quis resistet?*

Ut autem Deus gratiam Sanctificantem impertiat homini, plures actus ab ipso exigit. Fatentur omnes, etiam hæretici, quòd Deus, ut propter Christi merita suam homini adulto impertiat gratiam Sanctificantem, prius requirat, ut creatura aliquo actu, vel etiam pluribus, se ipsum convertat in Deum: *convertimini ad me, & ego convertam ad vos*; scilicet per aliquos actus elicitos beneficio gratiæ actualis debet prius homo se convertere in Deum, ut Deus se ad ipsum convertat, seu conferat illi gratiam suam Sanctificantem. Hæc verò conversio hominis ad Deum plures complectitur actus, ut habetur ex scripturis. Ut velle audire prædicationem Evangelii, & eidem credere; *Matth.* 16. *Ut prædicaretur in nomine ipsius pœnitentia, & remissio peccatorum, & qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Præter actus desiderii audiendi verbum Dei, & fidem, qua verbum Dei creditur verum, est etiam necessarium Sacramentum baptismi vel in re, vel in voto. Imò requiruntur etiam alii actus, quos recenset Concilium Tridentinum *sess.* 6. *c.* 5. & sine quibus homo non justificatur; negat enim: *Sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse*, sicut oportet, ut *ei justificationis gratia conferatur.*

Sed Martinus Lutherus solam exigit fidem, contra quam bis crassè errat: primò, quia requirit eam fidem, quæ revera fides non est, qualem adhibemus iis rebus, quæ à Deo sunt nobis revelatæ: sed per fidem intelligit levem quandam de remissione peccatorum in speciali persuasionem, quamvis nusquam revelatam, sicut inferius fusius dicemus. Secundò, quia sequitur antiquum hæreticum Eunomium, actiones illas præter motum fidei rejicit contra expressas scripturas, quæ asserunt, sine charitate reliquos actus nihil esse, nihilque prodesse ad salutem; & tamen ipse totum negotium nostræ justificationis tribuit soli fidei paulò superiùs explicatæ ab ipso; Rursus scriptura præter fidem in vero sensu intellectam prærequirit ad justificationem actus *Pœnitentiæ, Ezech.* 18. *&* 33. *Luc.* 13. *Spei, ad Rom.* 8. 2. *Joan.* 3. *Timoris, Eccles.* 1. ut inde doceamur; quod sicut Deus insigni, & gratuita dilectione benignè ad hominem se convertit, conferendo ei gratiam Sanctificantem, quia fit homo particeps divinæ naturæ: ita vivissim oportet, ut homo non solùm intellectu credendo, verùm etiam omni voluntatis affectu, adeóque tota mente in Deum se convertat; ut sicut à Deo in omnibus suis potentiis ornatur; ita iisdem se disponat homo, per præfatos actus ad justificationem, seque in Deum convertat. Melanchthon tamen descivit à Luthero, ut etiam plures alii Lutheri Discipuli negantes, remissionem peccatorum, & gratiam obtingere otiosis mentibus; unde & ipsi plures ad receptionem gratiæ justificantis prærequirunt actus intellectus, & voluntatis. Non tamen hi omnes actus ita requirunt, ut debeat quis expresse omnes elicere; sufficit subinde si unum, vel alterum eliciat; tametsi suis temporibus teneatur homo actus illos elicere, non tamen ad eum finem, ut gratiam Sanctificantem quis consequatur; sed satis est, quando præceptum non urget, si tempore justificationis præter fidem, eliciantur actus charitatis, aut pœnitentiæ, alteruter enim ex his actibus explicitè videtur necessarius, quia virtualiter reliqui actus in iisdem continentur.

Recensiti verò actus prærequisiti ad justificationem debent supernaturaliter esse, ac ope divinæ gratiæ cooperantis eliciti, præsertim quando homo extra Sacramentum justificatur; idque expressè & clarè significant scripturæ *Joan.* 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; id est, nisi suppeditaverit ei gratiam; & media proportionata accedendi ad Deum: etenim D. Augustinus *lib.* 1. *contra* 2. *Epist. Pelagii* ponderans illud verbum *traxerit*, ait *cap.* 19: *Non enim ait, duxerit: ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, si jam volebat? & tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari: non ut homines, quod fieri non potest nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Rursus Augustinus *l.* 6. *cap.* 8. dicit: *Non ait, Sine me nihil potestis perficere, sed facere. Nam si perficere dixisset, possent illi dicere, non ad incipiendum bonum, quod à nobis est; sed ad perficiendum esse Dei adjutorium necessarium. At cùm Dominus dicat; Sine me nihil potestis facere, hoc uno verbo initium, finemque comprehendit.* Hinc Concilium Trident. negat absolutè, *sine prævenienti Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem*

*credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur.* Concilium expreſsè negat vires naturaliter hominis ad id valere, ac ſufficere: at propterea addit divino adjutorio, hominem ad actiones illas eliciendas indigere; eo quia juſtificationis initium à Dei per JEſum Chriſtum prævenienti gratia ſumendum eſt. Ratione itidem hoc evincitur: quia ſalus æterna, cùm ſit purum opus gratiæ, & miſericordiæ, ut indicant S. Scripturæ, docent Concilia, & SS. Patres, repugnat poſſe purum hominem per ſolius naturæ vires ſe ad ſalutem æternam diſponere etiam de congruo; quia diſpoſitioni eſt aliquo pacto debita ipſa forma, ad quam eſt diſpoſitio ob ordinem, quem dicit ad ipſam; & puræ gratiæ repugnat quodcunque debitum; alioquin non eſſet perfectè, & totaliter gratia: ergo repugnat quodcunque meritum, vel initium meriti gratiæ ſupernaturalis procedere ex ſolis naturæ viribus. Tum quia de ratione meriti eſt, ut illi reſpondeat præmium ſub titulo debiti; etenim meritum dicit jus ad præmium; & jus in promerente ſupponit debitum in retribuente. Gratia verò eſt donum omnino gratuitum excludens omnem rationem debiti: quia ratio debiti quantumvis minimi deſtruit puram gratiam, quæ omnem excludit rationem debiti, adeo ut tantum minuatur de gratia, quantum ponitur de debito: & omne meritum etiam de congruo trahit ſecum debitum aliquod, quod oritur ex ipſius merentis opere, conſequenter eſt ablativum puræ rationis gratiæ: unde nec de congruo poteſt ſe homo viribus ſolius naturæ diſponere ad gratiam, ex quo ſequitur, omnes præfatos actus prærequiſitos ut diſpoſitiones ad gratiam juſtificantem eſſe neceſſariò ſupernaturales. Præterea ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 111. *art.* 1. *ad* 2. Eatenus proprietates naturales in homine, ut ratio admirativi, & riſibilitas non habent rationem puri doni, quia ſupponunt in natura, & eſſentia hominis exigentiam ad tales proprietates: proinde aliquod debitum ex parte ejuſdem exigentis deſtruit rationem puri doni: ergo neque gratia haberet puram rationem doni, ſi ex parte liberi arbitrii creati ſupponeret aliquod jus ad ipſam, & creatura purè naturalis illam exigeret. Conveniens enim erat, ut dona gratiæ non ex operibus liberi arbitrii creati; ſed ex mera Dei benefica voluntate inchoarentur, quia gratia majus habet pretium, pluriſque à nobis æſtimatur, & nos cautiores ſumus in ea conſervanda, cùm credamus eam non eſſe in noſtra poteſtate, nec poſſimus eam habere, prout nobis magis libuerit, cum Apoſtolus *ad Philipp.* 2. nos moneat, & cum metu, & tremore noſtram operemur ſalutem, eo quia prima gratia à ſolo Deo dependeat.

Rurſus actus purè naturales nequeunt eſſe cauſa, neque conditio, neque diſpoſitio proxima, nec remota, ſive perfecta ſive imperfecta, neque ſecundùm quid in ordine ad gratiam ſupernaturalem: ſed præfati actus recenſiti à Concilio Tridentino ſunt diſpoſitiones ad gratiam ſanctificantem; ergo debent non eſſe purè naturales; ſed ſupernaturales. Major liquet, quia inde daretur aliquod exordium bonæ voluntatis, quod antecederet gratiam, contra definitionem Cæleſtini Papæ ad Epiſcopos Galliæ *cap.* 11. *&* 12. Tum quia gratia conferretur per humanam invocationem contra definitionem Concilii Arauſicani *can.* 3. Rurſus conferretur volentibus deſiderantibus, & pulſantibus contra definitionem ejuſdem Concilii *can.* 6. Ergo non poteſt homo gloriari, habere in poteſtate aliquam diſpoſitionem ad gratiam ſive proximam, ſive remotam, ſive perfectam, ſive imperfectam, ad primam gratiam per ſolas vires naturæ. Præterea quia inchoans diſpoſitionem remotam concurrit ad formam introducendam propter connexionem diſpoſitionis etiam remotæ cum ipſa: ergo ſi homo ex propriis viribus liberi arbitrii poſſet inchoare diſpoſitionem aliquam remotam ad primam gratiam, utique præveniret Deum in ſua juſtificatione, conſequenter initium ſalutis eſſet ab homine; neque Deus inciperet negotium noſtræ juſtificationis, ſed illud tantùm perficeret, quod contra Semipelagianos damnatum fuit in Concilio Arauſicano. Idque expreſsè aſſerit Apoſtolus *ad Philipp.* 5. *Qui cœpit in vobis, ipſe proficiet.* Quòd verò non poſſit homo per liberum arbitrium ponere opus aliquod bonum, quod ſit conditio, quâ Deus conferat primam gratiam, ex eo evincitur: quia opus naturale nullam vim habet naturalem Phyſicam, vel moralem ad producendum effectum ſupernaturalem, quia opus naturale eſt ſemper in ordine inferiori, ergo nequit eſſe diſpoſitio, nec conditio, quâ poſitâ Deus conferat ſuam gratiam. Deus enim, cùm ſit agens infinitæ virtutis, nulla indiget conditione, ut agat; ſed purè liberè, & prout ipſi magis placuerit, eam confert.

Dices, Apoſtolum ſcribere *ad Rom.* 7. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*, ergo libero hominis arbitrio ſuppetunt vires inchoandi opus bonum, quod Deus poſtea perficit. Sed contra quia hæc & alia ſimilia Scripturarum loca communiter intelliguntur de diſpoſitione poſita à libero arbitrio unà cum gratia cooperante in ordine ad juſtificationem; non verò in ordine ad primum auxilium gratiæ: Scripturæ tribuunt nobis diſpoſitionem unà cum gratia cooperante ad juſtificationem; non quod liberum arbitrium præveniat gratiam, vel ſalutem inchoet, ſed quia ſimul cum gratia excitante operatur: alioquin, ut notat D. Proſper. *Gratia humano famularetur arbitrio, reddens ei debitum non conferens donum: quod in Epiſcoporum Paleſtinæ Synodo etiam à Pelagio damnatum eſt anathemate.* Concurrit quidem libertas humani arbitrii ad actiones, quæ ſunt diſpoſitiones ad juſtificationem, non tamen præveniendo gratiam excitantem, ſed ſubſequendo; non præoperando, ſed cooperando; *ut in illo, quod inchoatum eſt per gratiam Chriſti*, ut loquitur D. Proſper *ad cap. Gall. Reſp. ad* 6. *cap. etiam per induſtriam liberi augeatur arbitrii.* Et D. Auguſtinus reſpondens ad objecta Scripturæ loca *lib.* 2. *contra duas Epiſtolas Pelagii cap.* 8. ait: *Quid eſt præparare cor, niſi voluntatem parare? & in eiſdem literis legitur: Præparatur voluntas à Domino.* Ecce ſubdit: *Dominus admonet, ut præparemus voluntatem; at tamen, ut hoc faciat homo, adjuvat Deus.*

Non ſolùm actiones liberi arbitrii diſponentes beneficio gratiæ excitantis, & cooperantis ad gratiam juſtificantem ſunt ſupernaturales; ſed etiam liberæ, quia voluntas hominis perſuaſa de bonitate objecti illi à gratia prælucente in intellectu ſinit liberè ab eodem objecto ſe allici, & ſic liberè illecta & vocatione veluti pulſata abſque alia intercedente mutatione ipſam determinante talem in ſe habet perfectionem à Deo ſibi cum natura inditam, ut ſponte recipiat ſupernaturalem Dei motionem, & gratiam cooperantem, ac dona alia ſupernaturalia, & habitualia, & ſimul cum illis ornata, & adjuta eodem prorſus momento unà cum gratia cooperante, & habitu ſupernaturali eliciat actum ſupernaturalem,

ralem, adeo ut saltem prioritate naturæ sit priùs in voluntate habitus supernaturalis, seu gratia cooperans unà cum voluntate, quàm eliciatur actus supernaturalis; hinc intelligimus, quomodo liberum arbitrium non nisi cum gratia cooperante initiet negotium salutis: neque gratia hæc cooperans simul cum libero arbitrio, tametsi intelligatur prius afficere voluntatem, quàm cum ipsa actum producat, lædit, vel minuit libertatem; quia voluntas liberè recipit hæc dona supernaturalia, à quibus perficitur in ordine ad operationem, & actus eliciendos, nec gratia præoperatur in voluntate; sed cum ipsa cooperatur, elicitque eumdem actum; & propterea adjuvat, non adigit; complet, non destruit; & perficit, non inficit in voluntate liberum arbitrium, quod adjutum à gratia cooperante eodem momento elicit actiones supernaturales; sicut enim sinit se suaderi à bonitate objecti ipsi præostensi gratia illuminante ex parte intellectus, & liberè propterea recipit gratiam cooperantem; ita potuit non sinere se allici, ac respuere gratiam cooperantem, quàm propterea libere recipit, & ab ipsa non adigitur, sed perficitur in ordine ad eliciendum actum supernaturalem; si ita dicamus, facile intelligimus, quomodo cum libero arbitrio concilietur gratia efficax dans operari sine læsione, aut diminutione libertatis. Liberum enim est voluntati, se in Deum supernaturaliter convertere mediante auxilio vocationis, & motionis supernaturalis Dei, & donorum habitualium: & liberum etiam eidem est non converti, quia per suam perfectionem unà cum natura à Deo sibi additam potest sponte ac liberè non sine re se allici, nec suaderi à bonitate objecti illi præostensâ ab intellectu illustrato lumine supernaturali gratiæ.

Actus igitur disponentes adultum ad justificationem plures sunt supernaturales, & liberi, ut hactenus evicimus, & præcipuus est actus fidei supernaturalis, quo adultus disponitur; ut scribit Apostolus *ad Hebræ.* 10. *Sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet, quia Deus est; & inquirentibus se remunerator sit. & ad Roman. Justificati ergo ex fide*, hinc *Marci ultimo, qui non crediderit, condemnabitur*, sed id, sine quo impossibile est placere, & sine quo homo condemnatur, est necessarium ad justificationem, ergo adultus, ut se disponat ad justificationem, debet; actum fidei supernaturalis elicere, ut definitum fuit in Concilio Tridentino *sess.* 6. *cap.* 6. ubi inter dispositiones requisitas ad justificationem enumeratur actus fidei; siquidem loquens de adultis ait: *Disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati à divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum; credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt*; & *cap.* 8. ait: *fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*; & desumitur ex illo D. Augustini *serm.* 22. ubi loquens de homine, qui justificatur, ait: *Domus Dei fide fundatur, spe erigitur, charitate perficitur*, hinc juvat argumentari, fides est fundamentum tendendi in Deum, ut finem supernaturalem, ita vel sine fide impossibile sit, adultum accedere ad Deum, per justificationem adultus conjungitur cum Deo; est enim justificatio unio amicitiæ inter hominem, & Deum: ergo ad justificationem debet in adulto præcedere fides supernaturalis, ut fundamentum accedendi ad Deum. Prætereà, quia, ut rectè docet D. Thomas ad justificationem adulti requiritur motus aliquis liberi arbitrii, quo voluntas humana avertatur à bono commutabili, & convertatur in bonum immutabile: sed primus accessus ad bonum immutabile: seu ad Deum fit per cognitionem fidei, ut scribit Apostolus, *ad Hebræ.* 11. *Accedentibus ad Deum oportet credere*, ergo ut adultus se disponat ad gratiam sanctificantem, necesse est; eliciat actum fidei supernaturalis. Non tamen, ut initio hujus capitis innuimus, actus fidei requisitus ad justificationem est fiducia, qua credimus, seu confidimus, peccata nostra nobis esse remissa contra quosdam Hæreticos tempore Apostolorum, ut refert D. Augustinus *lib. de fide, & operib. cap.* 14. Contra quos scripserunt epistolas Canonicas Petrus, & Jacobus: Quam hæresim excitârunt Lutherus, & Calvinus eorumque Sectarii, qui tamen in hoc differunt; quia Lutherus asserit, fidem illam, qua justificamur, aliud non esse quàm firmam fiduciam; qua peccator confidit, ob Christi merita sibi peccata non imputari, & ponit actum fidei in voluntate. Secus Calvinus eam ponit in intellectu, & asserit, esse actum, quo certo credimus ob Christi merita omnia peccata nostra esse nobis remissa; etenim Apostolus *ad Hebræ.* 10. Cùm asseruisset: *Justus ex fide vivit, quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ*; postea *cap.* 11. definit, fidem esse *sperandarum substantiam rerum, argumentum non apparentium*: sed hæc non possunt verificari de fiducia, qua credimus, vel non confidimus, peccata esse nobis remissa; sed tantùm de fide, quæ est prima virtus Theologica: siquidem primum fundamentum totius vitæ spiritualis est firma, & inconcussa adhæsio intellectus ad mysteria revelata, qua sublatâ, nulla manet firma ratio sperandi in voluntate; ergo fides requisita in adulto, ut se disponat ad justificationem non est fiducia, qua credimus, seu confidimus peccata nostra nobis esse remissa; sed est vera fides, quæ est prima virtus Theologica. Rursus hic actus fidei requisitus in dispositione adulti in ordine ad justificationem est actus intellectus circa revelata, ita tamen, ut non sit perfecta intelligentia mysteriorum, siquidem ut scribit Apostolus, *ad Roman.* 1. *Virtus Dei est in salute omni credenti; justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem*, & *cap.* 14. ait: *Hoc est verbum Dei, quod prædicamus; quia si confitearis in ore tuo Dominum nostrum Jesum Christum, & credideris in corde tuo; quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris*: quòd verò hæc fides non sit perfecta intelligentia mysteriorum liquet; quia hæc perfectio non pertinet ad fidem; hæc enim est sperandarum substantia rerum argumentum, non apparentium, adeò ut fides tantùm sit circa revelata; hinc hæc perfectio potiùs spectat ad donum scientiæ, unde *Isaiæ* 7. *Nisi credideritis non intelligetis*; exigit enim fidem ad intelligentiam.

Cæterum sola fides non sufficit ad justificationem; sed ulterius requiruntur pii aliqui motus liberi arbitrii, est de fide definitum in Tridentino *sess.* 6. *can.* 9. *Si quis dixerit, sola fide impium justificari; ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur; & nullâ ex parte necesse esse; eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi, anathema sit*; & *cap.* 6. Præter actum fidei alios recenset requisitos actus in adulto, ut se disponat ad justificationem, scilicet actus timoris, spei, dilectionis, & pœnitentiæ. & fundatur veritas hæc in scripturis requirentibus conversionem ad Deum, quæ est motio voluntatis, qua liberum arbitrium se avertens à creatura convertitur in Deum, *Zachar.* 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; *Joel.* 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro.*

Requi-

Requirunt etiam ſcripturæ alios actus voluntatis *Actor.* 3. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* & D. Paulus 1. *Corinth.* 13. expreſsè ait: Solam fidem non ſufficere ad juſtificationem, inquiens: *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Unde præter fidem requiritur charitas, & *Jacob.* 2. *Videte, quoniam ex operibus juſtificatur homo, non ex fide tantùm*, & ratio id etiam ſuadet, quia ſicut homo per peccatum eſt averſus à Deo, ut eidem remittatur peccatum, debet ad ipſum converti per actum voluntatis: quia ſicut per voluntatem ſe convertit ad creaturam: ita per voluntatem debet ab eadem ſe avertere, ſeque in Deum convertere, & cùm actus fidei pertineat ad intellectum, ſequitur ſolam fidem non ſufficere ad juſtificationem. Tum quia Deus movet creaturam rationalem juxta modum accommodatum ſuæ naturæ, quia *Sapient.* 5. *diſponit omnia ſuaviter*: Sed modus operandi accommodatus creaturæ rationali eſt per intellectum, & voluntatem, quia ambæ potentiæ pertinent ad naturam rationalem: ergo congruum eſt, ut homo moveatur à Deo ad juſtificationem mediante utraque potentia, adeo ut præter actum fidei, ſe tenentem ex parte intellectus, requirantur alii actus pertinentes ad voluntatem. Neque ullum faceſſit negotium, quod reſpondent Sectarii hos actus eſſe quidem neceſſarios, non tamen requiri, ut diſpoſitionem: ſiquidem hæc reſponſio adverſatur apertè, *Luc.* 7. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, & Eccleſ.* 1. *Timor Domini expellit peccatum*, unde hujuſmodi actus requiruntur ad juſtificationem, ut diſpoſitiones.

Neque obſtat, quod Sectarii objiciant illud *ad Roman.* 3. & *ad Epheſ.* 2. Ubi Apoſtolus ſcribit: *Hominem juſtificari per fidem, & non per opera*: ſiquidem Apoſtolus ibi loquitur de operibus legis, quæ non habebant vim juſtificandi, eò quia non eſſent radicata in fide, quæ opera ut radicata in fide exigit Apoſtolus, ut liquet 1. *Corinth.* 13. *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt*, utrumque enim exigit Apoſtolus, fidem, & charitatem radicatam in fide, adeo ut ſola fides ſine charitate non proſit. Sed reſpondent Sectarii, Apoſtolum non ſolùm excludere opera legis, ſed etiam opera gratiæ radicata in fide; ait enim *ad Roman.* 8. *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum*: & rurſus *ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum*, & rurſus *credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam, ſecundùm propoſitum gratia Dei.* Et *ad Epheſ.* 2. *Gratia ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis: donum enim Dei eſt non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Hæc ſunt præcipua fundamenta, quibus innituntur Hæretici, ut ex ſcripturis excludant bona opera, ac aſſerant ſolam fidem juſtificare. Sed contra præcitata ſcripturæ loca intelliguntur communiter à Sanctis Patribus de operibus elicitis ex ſolius naturæ viribus in ordine ad totam ſeriem juſtificationis, adeo ut ſenſus ſit, non poſſe hominem ex viribus naturæ elicere opus aliquod, ratione cujus juſtificetur, ut declaratur in Concilio Arauſicano *can.* 11. Quòd ſi præcitata loca intelligantur de ſola juſtificatione formali, & conſequenter de operibus factis cum auxilio gratiæ, & radicatis in fide in hoc ſenſu excluduntur opera meritoria gratiæ juſtificantis, quia ut docet Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 8. Juſtificatio fit gratis, quia nihil eorum, quæ præcedunt, ipſam merentur. Cæterum quando ſcripturæ ſignificant nos juſtificari per fidem, ita debent intelligi, ut ſola fides non ſufficiat, licèt requiratur tanquam initium, & fundamentum juſtificationis, unde declarat Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 8. Quod ſi interdum etiam apponant particulam determinantem, & aſſerant ſolam fidem juſtificare, ita debent intelligi, ut ſignificent ſolam fidem eſſe fundamentum juſtificationis, adeo ut particula determinativa cadat ſupra fundamentum juſtificationis, adeo ut particula determinativa cadat ſupra fundamentum juſtificationis, ut ea excludantur, quæ ſunt tantùm opera naturæ, & legis, & extra ſtatum fidei; non verò quæ fundantur in fide.

Hinc diſpoſitio ad juſtificationem in adulto includit etiam actus timoris, & ſpei, & quidem de actu timoris definitur in Tridentino *ſeſſ.* 6. *can.* 8. Et *ſeſſ.* 14. *can.* 4. Ubi definit, hunc timorem non eſſe vitioſum, ut putârunt Lutherus & Calvinus, ſed eſſe perutilem ad juſtificationem, juxta illud *Eccleſ.* 9. *Timor Domini expellit peccatum.* Eatenus timor eſt utilis, quatenus retrahit à peccato, in quo ſenſu dicitur diſpoſitio ad juſtificationem: non ita tamen, ut hujusmodi timor ſit diſpoſitio abſolutè neceſſaria. Cæterum hæc diſpoſitio per timorem non eſt abſolutè neceſſaria, quia averſio à peccato, & converſio ad Deum haberi poteſt ſine timore. Rurſus diſpoſitio ad juſtificationem includit etiam actum ſpei, ut conſtat ex ſcripturis *ad Roman.* 8. *Spe ſalvi facti ſumus, Joan.* 3. *qui habet ſpem, ſanctificat ſe.* Ratio ex eo petitur, quia cùm juſtificatio ſit opus divinæ miſericordiæ, debet à Deo ſperari, principale autem objectum materiale hujus actus ſpei, eſt remiſſio peccatorum, & dona ſupernaturalia obtinenda per merita Jeſu Chriſti, ut docet Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. Non enim objectum hujus ſpei eſt obtenta peccati remiſſio, at perperam cenſent Lutherani, & Calviniſtæ, quia ſpes non tendit in id, quod actu poſſidetur, ſed in id, quod non poſſidetur, & poteſt poſſideri, eatenus ſperamus aliquid, quia intendimus illud poſſidere, tametſi actu noſtrum non ſit. An verò actus ſpei ſit de lege ordinaria abſolutè neceſſarius ad juſtificationem, diſſentiunt Doctores; negant enim Soto 2. *de natura & Gratia cap.* 13. Turreanus *Diſput.* 3. *dubio* 1. & alii. Affirmant verò Suarez 8. *de gratia cap.* 19. Et alii cum quibus mihi videtur dicendum, actum ſpei eſſe abſolutè neceſſarium ad juſtificationem etiam de lege ordinaria: quia ad juſtificationem etiam de lege ordinaria eſt neceſſaria converſio in Deum, ut in illum, qui nobis ex offenſo per culpam reconciliandus eſt; ſed hujusmodi converſio includit neceſſario actum ſpei, quia non poſſumus nos convertere in Deum, ut nobis reconciliandum, niſi ſperemus veniam, & remiſſionem offenſæ. Præterea; quia ad converſionem, & juſtificationem, conſequenter ad obtinendam remiſſionem peccatorum per gratiam originalem Chriſti eſt neceſſaria fides de obtinenda eadem peccatorum remiſſione, ut definit Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. Unde eſt neceſſaria ſpes, qua ſperemus remiſſionem peccatorum: ratio eſt, quia actus intellectus, cujuſmodi eſt actus fidei, non eſt propter ſe ultimo neceſſarius, ſed propter actum neceſſario ſibi reſpondentem.

Cæterum præter recenſitos actus Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. alios requirit, ac recenſet, ſcilicet dilectionem Dei, deteſtationem peccati, actum contritionis, & pœnitentiæ, & propoſitum de cætero non peccandi. An vero dilectio debeat eſſe amor amicitiæ, an verò concupiſcentiæ, videtur dicendum, ad juſtificationem per Sacramenta non eſſe ſimpli-

ſimpliciter neceſſaria dilectionem Dei ſuper omnia, ſed tantùm extra Sacramenta, ut cum D. Thoma 1.2. *quæſt.* 113. *art.* 5. docent plures cum Suarez 8. *de gratia cap.* 20. Siquidem ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. docet ad juſtificationem per Sacramenta ſufficere attritionem; & amor non debet eſſe magis perfectus, quàm ſit pœnitentia; quòd verò extra Sacramentum requiratur dilectio Dei ſuper omnia, ex eo oſtenditur, quia diſpoſitio ad juſtificationem extra Sacramentum debet eſſe perfecta converſio in Deum, quæ haberi non poteſt niſi per dilectionem Dei ſuper omnia, tenemur enim Deum diligere ſuper omnia, quia ſine hac dilectione non convertimur ad ipſum, ſicuti tenemur per præceptum diligendi eum ſuper omnia; ſicut enim amor concupiſcentiæ, ut communiter docent, eſt ex motivo proprii boni, & ut recurvetur in amantem: ita per ipſum non convertimur in Deum, ſed potius tendimus in proprium noſtrum commodum.

# CAPUT XI.

## Quid formaliter, & propriè ſit juſtificatio hominis?

HOc nomen *juſtificatio* non legimus profanos ſcriptores uſurpaviſſe, ſicut neque verba juſtificare, & juſtificari, ſunt enim voces uſurpatæ à fidelibus Chriſtianis, eò quia ipſi ſoli juſtificentur à Deo per gratiam ſanctificantem iiſdem inhærentem. Cæterum juſtificare ſuam videtur nomenclationem haurire à juſtitia, quæ cùm juſtum faciat, dicitur etiam juſtificare. Verùm non ſumitur hic nomen juſtitiæ, quatenus ſignificat ſpecialem illam virtutem moralem, quæ jus ſuum unicuique reddit, ſed prout in ſcripturis, præſertim epiſtolis D. Pauli accipitur, ſcilicet pro rectitudine illa interna, qua homo bene, & rectè ordinatur ad Deum: id enim eſt juſtum, quod rectum, & adæquatum, & cum ſua regula optimè concordat, ſed Deus eſt prima & indefectibilis regula, à qua juſtitia hoc pacto ſumpta derivat ſuum nomen juſtificationis Chriſtianæ, quòd ſi ſumatur in fieri, propriè denotat mutationem, ſeu translationem à ſtatu peccati ad ſtatum juſtitiæ, & ſanctitatis, ſeu acquiſitionem juſtitiæ, & in hoc ſenſu uſurpatur à D. Paulo 1. *Corinth.* 6. ſcribente: *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis; ſed ſanctificati eſtis, ad Roman.* 8. *Quos vocavit, hos & juſtificavit*, hoc eſt, ſanctificavit: ſicut enim calefactio, & motus ad calorem, & calefacere, eſt calidum facere, ſeu calorem impertiri ſubjecto, ut calidum fiat; ita juſtificatio uſurpatur à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. ut denotet mutationem, ſeu translationem à ſtatu peccati ad ſtatum juſtitiæ, & ſanctitatis. Sin verò ſumatur in facto eſſe, ſignificat terminum illius translationis, qui eſt, hominem eſſe juſtum, & erga Deum rectè ſe habere. Hæcque eſt prima juſtificatio, qua peccator per receptionem gratiæ ſanctificantis à Deo primò juſtificatur.

Præter hanc primam juſtificationem datur alia, quæ & ſecunda dicitur, quando juſtus uberiori juſtitia, & ſanctitate augetur, ſicut uſitatè dicitur calefieri non ſolùm, qui ex frigido fit calidus, verùm etiam qui ex calido fit calidior, cùm primùm homo ex frigido fit calidus, dicitur primò fieri calidus; cùm verò ex calido fit calidior, dicitur ſecundò, ſeu uberius, ac magis fieri calidus; hinc Joan. *Apocal.* 12. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc.* Ubi eſt ſermo de ſecunda juſtificatione, ſeu potiùs de incremento juſtificationis, & ſanctitatis. Cæterum ſolet etiam juſtificatio uſurpari pro declaratione juſtitiæ forenſi modo, ut ille dicatur juſtificari, qui cùm ab accuſatore accuſatus fuiſſet reus alicujus iniquitatis, ſe purgavit coram Judice, à quo per ſententiam declaratur juſtus, & abſolvitur. Hinc Salomon *Proverb.* 17. *Qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, uterque abominabilis eſt apud Deum.* Et *Iſaia* 5. *Væ qui juſtificatis, impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo. Luc.* 10. *Ille autem volens juſtificare ſe ipſum.* Sectarii hanc tantùm ſignificationem juſtificationis videntur uſurpare, & concedere, non verò in aliis prioribus ſenſibus, quibus ſignificatur per primam juſtificationem impertiri homini gratiam ſanctificantem inhærentem animæ, & per ſecundam juſtificationem augmentum ejusdem gratiæ ſanctificantis.

Hinc juſtitia illa & ſanctitas, qua verè & formaliter efficimur juſti, & ſancti, non eſt favor aliquis extrinſecus Dei, ſed donum ſupernaturale nobis intrinſecè inhærens, ſeu gratia ſanctificans, quæ vera ſit qualitas divinitus infuſa animæ, tametſi Hæretici oppoſitum cenſeant, & doceant; etenim ex iiſdem alii docuerunt, nos formaliter juſtos eſſe per ipſammet eſſentialem juſtitiam Dei. Alii per Chriſti juſtitiam nobis imputatam, & alii per ſolam extrinſecam condonationem, qui omnes errores, & alii ſimiles damnati fuerunt in Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. ubi noſtra ſententia Catholica declaratur; ait enim Concilium: *Unica formalis cauſa noſtræ juſtificationis, eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur, ſed verè juſti nominamur, & ſumus &c. dum ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret.* Definit igitur Concilium, nos juſtificari formaliter per juſtitiam aliquam nobis inhærentem, adeo ut forma, qua dicimur juſti, revera nobis inhæreat. Idque probari poteſt ex ſcripturis; ſcribit enim Apoſtolus, *ad Roman.* 5. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ, donationis, & juſtitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum:* ex quo claret, juſtificari per Chriſtum non eſſe, haberi, aut pronuntiari juſtum, ſed verè fieri, ac conſtitui juſtum per adeptionem juſtitiæ inhærentis; idque colligitur, ex Antitheſi Adami ad Chriſtum; ait enim D. Paulus, Nos conſtitui juſtos per Chriſtum, ſicut injuſti facti ſumus per Adamum: ſed facti ſumus injuſti per injuſtitiam nobis inhærentem, & peccatum, ergo facti ſumus juſti per Chriſtum per juſtitiam, ſeu gratiam ſanctificantem nobis inhærentem intrinſecè; & ita explicat Paulinianam Antitheſim D. Auguſtinus, *lib.* 1. *de peccator. merit. & remiſſ. cap.* 19.

Rursus *Isaia* 53. *In scientia sua justificabit ipse justus servos meos multos, & iniquitates eorum ipse portabit.* Cui textui alludit Petrus, 1. *cap.* 2 inquiens: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus*; declarat enim effectum satisfactionis Christi esse justitiam, & sanctitatem nobis inhærentem, unde in Isaia verbum *Justificare* non sumitur modo forensi, quia Judices non ita justificant, ut pro reis pœnas subeant, velint supplicia luere, ac mori, ut rei vivant, eosque spiritualiter sanent; & Apostolus, *ad Roman.* 3. scribit: *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem pr posuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius*, ubi Apostolus explicat causas justificationis, siquidem per particulam illam *gratis* ostendit Dei liberalitatem, & per *gratiam ipsius* innuit, Deum esse causam efficientem nostræ justificationis, quatenus nobis impertitur suam gratiam, qua sanctificamur formaliter: addit *per redemptionem in Christo*, ut denotet causam meritoriam nostræ justificationis fuisse Christum: addit *per fidem*, quia hæc est causa disponens.

Sed respondent Sectarii per gratiam significari non donum aliquod infusum, & nobis inhærens, sed Dei favorem extrinsecum, quo per Christi merita nos reconciliat, quatenus non imputat delicta nostra, sed imputat justitiam & obedientiam Christi. Sed contra, quia hæc responsio opponitur verbis Apostoli, quia favor Dei, quo nos justificat satis exprimitur per particulam illam *gratis*, unde verba, quæ eidem adjiciuntur ab Apostolo per gratiam ipsius, non ipsum favorem, sed aliquid aliud significant seu effectum favoris, illa enim præpositio *per* non rectè accommodatur favori, & benevolentiæ, sed causæ formali, aut meritoriæ, aut instrumentali, unde gratia justificans non est ipse favor Dei extrinsecus, quo Deus non vult nobis delicta imputare, sed ulterius est donum animæ inhærens, seu gratia permanens in anima, quam sanctificat, quod facile ostenditur ex variis attributis, ac nominibus, quæ eidem attribuuntur, etenim *ad Roman.* 5. dicitur *donum dari per Christum*, *Joan.* 1. *dicitur dari ad mensuram donationis Christi.* Quòd si est donum, debet esse aliquid, quod nos recipimus à Deo donante, alioquin si nihil reciperemus, nil diceretur nobis donari, quod si aliquid recipimus per hoc donum, debet nobis inesse, consequenter gratia justificans, eo ipso, quod est donum, debet nobis inhærere, & non potest consistere in solo extrinseco favore. Præterea quia 2. *Corinth.* 6. dicitur *lux*: hæc autem non illuminat, neque illustrat subjectum, nisi illud afficiat, eique inhæreat, adeo ut sicut lux emittitur, & diffunditur in subjecta, quæ illuminat, quatenus iisdem inhæret, ita gratia sic diffunditur in cordibus nostris, ut nobis inhæreat, hinc 1. *Joan.* 2. *charitas dicitur diffusa in cordibus nostris*, & *ad Rom.* 5. dicitur: *Spiritus adoptionis*. Spiritus autem non vivificat, nisi intrinsecè afficiat corpus, cui vitam impertitur; & *ad Roman.* 8. ait: Nos vivere per gratiam justificantem, inquiens: *Corpus mortuum est propter peccatum, spiritus autem vivit propter justificationem*, sed non rectè dicimur vivere per extrinsecum Dei favorem, quia nihil est nobis magis intimum, quàm vita; quapropter si justificatio hominem vivificat, debet illi intrinsecè inhærere, adeo ut sit aliqua forma intima, & inhærens homini, quem vivificat. Præterea D. Paulus 1. *Corinth.* 6. expressè ait: *Sed justificati estis in nomine Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri*; & *ad Roman.* 8. Sicut portavimus imaginem terreni: ita & portemus imaginem cœlestis: Sed Christus non est justus per imputationem justitiæ creatæ, sed verè justus est, ut homo per creatam, & sibi inhærentem justitiam, ex qua justissima faciebat opera, ita & nos si similes, si fratres, si imagines ejus sumus necesse est nobis intrinsecè inhæreat justitia, sicut & Christo inhæsit: veriùs enim, & rectiùs denominamur ab eo, quod sumus, quàm ab eo, quod tantùm putamur, quapropter denominamur justi ob justitiam verè nobis inhærentem intrinsecè.

Cæterum hoc donum, seu gratia sanctificans duplici ex causa justitia dicitur. Primò quia per illam homo reddit unicuique, quod suum est, Deo reverentiam, cultum, obedientiam, & plenam sui subjectionem, proximo amorem, benevolentiam & condonationem injuriarum, sibi vitiorum exclusionem, & virtutum incrementum, etenim proprium est hominis justi nullum sui prætermittere officium, nihil cuiquam subtrahere, cuique suum tribuere, Dei mandata servare, & cum omnibus absque querela, & pacifice conversari, ut præstiterunt parentes Sancti Joannis Baptistæ, sicut refert S. Lucas *cap.* 1. Hinc quando Deus suam nobis sanctificantem gratiam impertitur, pleraque alia nobis dona confert, adeo ut gratia pluribus sit stipata virtutibus, quas singulas suis distribuit potentiis, ut homo justus per singulas rectè operetur, &, quod æquum est, peragat. Altera causa, cur dicatur justitia ea est, quia per illam restituitur animæ Dei similitudo, efficiturque, ut anima suo respondeat creatori: quia sicut mensura dicitur justa, cùm perfectè respondet ubique mensuræ, adeoque nihil minus in se contineat, nihil quo exorbitet; ita injusta est anima, quæ Dei in se similitudinem non exprimit, nec talis est coram Deo, qualis esse debet, & è converso tunc erit justa, si hanc similitudinem perfectè præseferat. Vocatur etiam justitia Dei, eò quia sit ex Deo, & non propriis viribus eam homo sibi comparet, sed sola Dei misericordia ea in se recipit, hinc Deus dicitur justitiam hominibus donare, & infundere sine meritis nostris, & omnino gratis, ut docet D. Paulus *ad Roman.* 3. dicitur tamen justitia nostra, quia nobis intrinsecè inhæreat. Dici etiam solet justitia fidei, eò quia ad eam adducamur non per præviam aliquam nostram cognitionem naturalem, vel scientiam legis Mosaicæ, sed per fidem Christi, quæ nobis Christum proponit, qui hanc justitiam fuit nobis sua passione promeritus, & modum ostendit, quo ad illam mediante ope divina perveniamus.

Hanc eandem veritatem passim edocet D. Augustinus, præsertim *serm.* 15. *de verbis Apostoli*, ubi ait: *Qui crediderit in eum, non habebit suam justitiam, quæ à lege est, quamvis sit bona lex, sed implebit ipsam legem non sua justitia, sed data à Deo; charitas enim est, plenitudo legis: unde ista charitas diffusa est in cordibus nostris? non utique à nobis, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ubi perspicuè docet justitiam, quæ nobis ex Deo est, esse ipsam charitatem diffusam, & *in Psal.* 98. ait: *Laudemus, & exaltemus illum, qui fecit ipsam justitiam, quam habemus, ipse in nobis fecit, nisi qui nos justificavit*, & *epist.* 105. *Nec quispiam justificatur, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solum remissione peccatorum*, & revera adeo expressè docet D. Augustinus hanc Catholicam veritatem, ut Calvinus *lib.* 3. *instit. cap.* 2. *num.* 15. asserat, ejus sententiæ minimè adhærendum esse. Eidem tamen adhærent alii Sancti Patres, præsertim Hieronymus, *lib.* 3. *adversus Pelagian.* inquiens: *Nunc mundus factus est in lavacro, & de te dicitur, quæ est ista, quæ ascendit dealbata, lota quidem sit, sed custodire non valeat puritatem suam, nisi à Domino sustentetur.*

Eccc

Ecce D. Hieronymus ponit in puritate, & justitia, quam in lavacro acquirimus, non vero in aliqua tantùm imputatione justitiæ: Virtus autem intrinsecè virtuoso adhæres̀cit, & non est aliquod extrinsecum, quod illi tantùm imputetur. S. Gregorius *lib. 18. Moral. cap. 33.* hanc eandem asserit veritatem, inquiens: *Omnes superna Patria electi, Sancti quidem & justi sunt, sed participatione sapientia, non comparatione:* ait enim, nos esse justos per veram participationem justitiæ, perinde ac sapientes per participationem sapientiæ: sed sapiens nemo denominatur, & dicitur, nisi per sapientiam intrinsecè ipsi inhærentem, non verò per tantùm imputatam, unde nulli dubium, quin justitia sit vera forma intrinsece inhærens homini justo. Hinc D. Prosper *in respons. ad cap. 6. donor.* ait: *Justificatus homo ex impio, pius factus, nullo pracedente bono merito accipit donum, quo medio acquirit & meritum, ut quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrii, nunquam remoto adjutorio Dei, sine quo nec proficere, nec permanere in bono quisquam potest.* Imputatio autem justitiæ Christi non est donum, unde acquirantur merita, nec augeatur industria liberi arbitrii, unde justitia denominans hominem justificatum debet esse aliqua forma, quæ eidem intrinsecè adhæreat. Tandem Ambrosius *lib. 6. Exam. cap. 8.* ait: *Utrum justificatio secundùm corpus, an secundùm animam tibi conferri videatur, quaso respondeat, sed dubitare non potes, cùm justitia, unde justificatio derivata est, mentis sua, utique non corporis sit.* Quod si non corpori, sed menti inhæret, debet forma aliqua esse, quæ mentem ipsam afficiat, & sit in mente non per solam imputationem justitiæ Christi, sed per proprium suum esse.

Ratio itidem id suadet, quia modus justificandi per infusionem gratiæ est perfectior, quàm per solam remissionem peccatorum, vel extrinsecam imputationem, ergo concedendus est Deo, antecedens liquet, quia per infusionem gratiæ acquirit homo intrinsecum ornatum, quo Deo placet, & perfectius est ornari intrinsecè, quàm ornamento destitui intrinsecò, perfectiùs enim subjectum se habet cum forma, quàm sine illa, quia forma aliquid perfectionis in se continet, quod communicat subjecto, quod profectò perfectius est, cum hoc additamento perfectionis, quàm sine illo. Prætere a quia justificatio non ideo solùm à Deo confertur, ut pœnas gehennæ evadamus, verùm etiam, ut ait D. Paulus *ad Roman. 6.* Ut præmia gloriæ acquiramus; ait enim Apostolus, *Habetis fructum vestrum in sanctificationem; finem verò vitam aternam*, & *cap. 8.* ait: *Quos pradestinavit, vocavit, justificavit, hos & magnificavit*, ponit enim magnificationem effectum justificationis, & quia magnificatio est in nobis, ita etiam justificatio, quæ ejus est causa. Præterea quia Apostolus, *2. ad Timoth. ult.* ait: *Reposita est mihi corona justitia:* sola autem remissio peccatorum, quamvis liberet à pœna, non tamen tribuit gloriam; non enim in forensi judicio, qui per sententiam Judicis dicuntur liberari à pœna ac declarari innocentes, consequuntur novum aliquod præmium ob hoc tantùm, quod declarentur non fuisse rei, secus homo per gratiam justificatur, ut sit filius Dei adoptivus, & ideo filio naturali similis, & conformis, ut *ad Roman. 8.* dicitur; sed Christi justitia non est extrinseca aliqua imputatio, sed insita, & innata, ergo etiam in homine justificato erit intrinseca, quia ut ait David *Psalm. 44. Omnis gloria filia Regis ab intus.*

Calvinus nullam admittit, nec cognoscit in justificatione hominis mutationem internam: sed hominem à peccato justificari, non quia peccatorum sordes eluantur; sed quatenus perseverantes sordes peccatorum in hominis anima per Christi justitiam, quæ illi per fidem imputatur, veluti obteguntur, perinde ac in sterquilinio sordes illi congestæ nive pura, ac candida teguntur, ne appareant, quamvis revera ibi remaneant: perinde ait ipse: Homo nunquam revera est immunis à sorde peccati, neque unquam est justus, sed propter velum justitiæ Christi, veluti nivem obteguntur peccata, & ipse justus, & sanctus à Deo habetur, perinde ac sterquilinium præalta obtecta nive candidum, & purum dicitur, quamvis intus oppletum sit sordibus; vel instar sepulchri dealbati, quod exterius purum vel mundum apparet, & intus plenum est ossibus mortuorum, itaque nulla in anima intervenit mutatio, sed tanquam assumpta veste homo foris tantùm apparet sanus, mundus, & bonus, cùm intus impius sit, sordibus languidus non minus quàm ante justificationem: quod si Sanctitas, & justitia nostra non est intrinseca, ideo fit, quia vel peccatum verè non tollitur, sed interius valet, atque ita justitiæ veræ adversatur; vel quia quæ interna est, pendet à perfecta fide, spe, & charitate veluti dispositionibus, quales non possunt in hac vita homini convenire, vel quia non apparet injustitia nostra, sed tantùm obscuratur, hæc autem omnia inutilia sunt, & vana: siquidem scriptura expressissimè per justificationem asserit tolli peccatum, deleri, & hominem mundari, quatenus peccatum amplius in ipso non est. *1. Paral. 2. Obsecro, domine, aufer iniquitatem servi tui. Isaia. 44. Delevi ut nubem iniquitates tuas. Proverb. 15. Per misericordiam, & fidem purgantur peccata.* Sordes autem, quæ vesti insunt, quam commaculant, quamvis vestes abluantur, si tamen maculæ non abstergantur, sed vestem commaculant, cui inhærent, non dicuntur maculæ illæ purgatæ, neque vestis munda, donec totaliter deleantur maculæ, nec illi amplius insint: igitur si per misericordiam, & fidem purgantur peccata, hæc non debent amplius perseverare in homine: Si Deus ut nubem delet iniquitates nostras, quamdiu nubes solem obscurat, seu ejus lucem impedit, ne ad nos derivetur, non dicitur nubes illa deleta, sed perseverare in aëre; perinde si iniquitates nostræ in nobis perseverarent, non dicerentur à Deo deleri. Rursus *Psal. 102.* ait: *Longe fac à nobis iniquitates nostras*, & *Psal. 9. Quæretur peccatum illius, & non invenietur*; & Apostolus, *ad Hebra. 9.* scribit: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*, & *Actor. Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra*, non ait, ut contegantur, non imputentur, sed ut deleantur peccata vestra, adeo ut amplius non sint; id enim quod deletur, mundatur, exhauritur, aufertur, tollitur, non amplius est: sed ex scripturis constat, peccata in justificatione hominis deleri, mundari, exhauriri, auferri, & tolli, *Joan. 1. Ecce, Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi*, non ait, qui tegit, qui cooperit peccata mundi, sed qui tollit, ut significetur, quod amplius non maneant.

Præterea, si fides, spes, & charitas nequeunt perfectè esse in hac vita, nullibi possent existere: siquidem in alia vita non habent locum; non enim in patria erit fides, quia ibi nulla erit obscuritas credendorum, sed omnia in Verbo clarescent, nulla erit spes, quia bona omnia, quorum sunt beati capaces ab iisdem possidentur; spes enim est de bono,

quòd non possidetur. Præterea non est censendum, fidem Abrahæ in hac vita fuisse imperfectam, nec plurium aliorum, qui dicuntur vicisse regna *Hebræ.* 11. neque imperfecta fuit fides Eunuchi, credentis ex toto corde, *Actor.* 8. Neque eorum, quos monet Apostolus, *Hebræ* 3. accedere cum plenitudine fidei. Quòd si fides, & spes possunt in hac vita perfectè ab hominibus participare, procul dubio etiam charitas, cum *Joan.* 15 dicatur *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; etenim David ex toto corde dilexit Deum. Magdalena itidem, quæ lachrymis rigavit pedes Christi, toto corde eum dilexit, & plures alii Martyres, qui supplicia & mortem pro Christo tolerarunt, ut etiam innumeri Confessores, qui divino exarserunt amore, quamdiu in hac vita fuerunt. Præterea quia præstantia effectus magis commendat suæ causæ perfectionem, non verò eam obscurat: non enim mater, quia formosissimam habet prolem, censet propriæ venustati derogari, & ne minus pulchra appareat, deformem sibi peroptat prolem, unde ex eo, quod in præsenti statu viæ possideatur perfecta charitas, non videtur, quomodo Dei extrinseca gloria, & excellentia obscuretur, cùm ex creaturis perfectioribus gloriosior appareat Conditoris sapientia. Præterea quia, ut scribit Apostolus 1. *Corinth.* 3. *Templum Dei sumus, & Spiritus Dei habitat in nobis*, atqui domum Dei decet Sanctitudo, quam Deus confert, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita, & gratia in nobis regnat per justitiam. Cæterum Catholici præter justitiam inhærentem, & ornantem intrinsecus animum, asserunt etiam imputari in justificatione justitiam Christi, sed non eo modo, quo docent Novatores, quia illi putant, homines sola justitia Christi justos esse, non admittentes justitiam intrinsecus animæ inhærentem, Catholici verò asserunt, peccatorem fieri, & esse justum justitia, seu gratia inhærente, & hanc dari propter justitiam Christi, seu propter passionem, & mortem, quam pro humano genere tulit, unde Catholici affirmant, per merita Christi dari nobis gratiam sanctificantem, seu justitiam intrinsecus inhærentem.

Objiciunt tamen Sectarii, quia in homine justo semper perseverat peccatum, quod repugnat divinæ legi, ergo non est in eo interna justitia, & gratia, quæ expellat omne peccatum. Antecedens probant ex illa Paulina queremonia *ad Roman* 7. *Sentio in membris legem repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati*: Sentiebat enim D. Paulus, stimulos concupiscentiæ, quæ proprio nomine peccatum dicitur repugnans Dei, & constituens hominem dignum ira Dei, & morte æterna. Sed contra negatur antecedens, & ad ejus confirmationem ex D. Paulo respondetur, non omne, quod repugnat legi, est peccatum, alioquin Dæmon, qui dicitur legi divinæ repugnare, esset ipsum peccatum. Item motus primò primi repugnant legi, qui tamen non sunt peccata, si voluntas illos compescat. Concupiscentia verò, quam D. Paulus in se experiebatur, non est ipsum peccatum; sed tantum effectus peccati originalis, ob quod portio inferior rebellavit superiori; & quamvis per baptismum deleatur ipsa culpa originalis; quia verò perseverat in homine ipsa rebellio appetitûs sensitivi ad rationem remanet etiam concupiscentia, quæ licèt sit effectus peccati originalis, non tamen est ipsum peccatum. Est enim peccatum Dei offensa, seu injuria Deo irrogata, & aliud est originale, aliud actuale; illud est, quod per originem contrahitur; istud actu proprio, ac propria voluntate perpetratur: explicatiùs peccatum originale est privatio justitiæ originalis per communem originem, seu propagationem in omnes homines ab uno homine, scilicet Adamo totius humani generis capite, ac primo parente derivata. Erat justitia originalis eximium quoddam donum, quod gratiam, & virtutes complectebatur omnes: quodque primo homini statim in ipsa origine à Deo creatore mundique opifice sapientissimo infusum, & mentem ejus Deo, vires inferiores animæ rationi, & corpus spiritui subjiciebat; adeo ut anima absque ullo remissu Deo obediret, & appetitus sensitivus rationali; nec ulla contra rationem in parte inferiori insurgeret lex concupiscentiæ, nec ullus rebellionis motus: quinimo donum originalis justitiæ sequebatur tanquam effectus corporis impassibilitas, & immortalitas. Per hoc donum supernaturale primus homo in se ipso rectus dicebatur ob rectum ordinem inter se & Deum; inter portionem inferiorem & superiorem, seu appetitum sensitivum, & rationalem, quo inferior superiori obsequebatur, & fuit à Deo Adamus constitutus caput totius humani generis, in quem transfudit voluntates omnium posterorum, & si in statu gratiæ perseverasset, justitiam eamdem largiente Deo omnes homines cum anima ipsa in prima sua origine accepissent. Sed in peccatum prolapsus eximio illo dono justitiæ originalis spoliatus fuit, & ex voluntatis infirmitate, ac perduellione adversus legem mentis cœpit concupiscentia appetitus inferioris consurgere, & appetitui rationali recalcitrare; adeo ut hæc concupiscentia, quam in membris suis D. Paulus experiebatur, non fuerit peccatum, sed effectus peccati originalis, & à SS. Patribus interdum vocatur ipsum peccatum, sumendo effectum pro causa. Unde ex eo, quòd concupiscentia perseveret in homine rebelli contra legem mentis, non sequitur manere semper in homine ipsum peccatum; nisi velimus sumere peccatum metaphoricè, vel effectum pro causa.

Sed Instant Acatholici, 1. *Jan.* 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, veritas in nobis non est.* Et justus tenetur dicere, non solum ex humilitate, sed etiam ex veritate, *dimitte nobis debita nostra*: ergo non omnia sunt peccata nostra deleta, consequenter homo, quamdiu vivit, est in statu peccati, seu non sunt peccata deleta, sed tantùm tecta, quæ licèt nobis non imputentur, nobis tamen revera insunt. Sed contra, quia semel quòd peccata sunt remissa, sunt etiam deleta, adeo ut in ratione peccati amplius in nobis non remaneant, nisi quoad reatum pœnæ, si non fuerint condonata, etiam quoad temporalem pœnam: neque allatæ scripturæ ostendunt contrarium, quia intelligendæ sunt de peccatis venialibus, quæ charitatem, & justitiam non destruunt, in quo sensu *Proverb.* 24. dicitur: *Septies justus in die cadit*, seu, ut interpretantur Sancti Patres, frequenter justus labitur in peccata venialia, quæ simul cohærent cum justitia, & charitate, quia si post primum & secundum lapsum adhuc est justus, qui cadit, signum evidens est, quòd post tales lapsus perseveret in statu gratiæ, alioquin non esset justus, quia à justitia, & gratia santificante denominatur justus, unde præfata scripturæ loca intelligenda sunt de peccatis venialibus simul cohærentibus cum gratia sanctificante, & quia etiam venialia indigent purgatione, & Dei condonatione, rectè dicimus in oratione dominica, *dimitte nobis debita nostra.*

Sed urgebis, quia ex *Isaia* 64. *Facti sumus immundi omnes nos, & quasi pannus menstruata omnes justitia nostra.* Ergo in homine nulla rema-

remanet internæ justitiæ gratia, quæ Deo placeat, consequenter peccata, in quæ labitur justus, non sunt venialia, sed lethalia, cùm per ipsa fiat homo veluti pannus menstruatæ, seu pluribus infectus ac sordidatus maculis, quæ à Deo displicent: Sed contra quia Isaias loquitur de impiis sui temporis, de quibus subjungit *vers. sequent. Non est, qui invocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat*: siquidem illorum jejunia, Sacrificia, eleemosynæ, & reliqua divini cultûs officia rapinis, ac multa iniquitate infecta erant; ait enim Deus: *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra*, ita enim explicat verba Isaiæ D. Hieronymus. Cæterum nonnulla justorum opera impurè fieri, ac eo non renitescere candore justitiæ, quo deberent splendere, non imus inficias, cum sordescant etiam religiosa pectora terreno pulvere venialium peccatorum. Mens enim nostra facile distrahitur, cùm suas Deo fundit preces, intepescit plerumque, imò irrepit inanis gloria exercenti operas pietatis, eroganti eleemosynam & negligenter, ac nonnisi perfunctoriè divinis fungimur officiis, sed cum hisce omnibus non sequitur, justum destitui vera justitia, seu gratia sanctificante, quia hæc omnia, ut pulveres inficiunt quidem candorem gratiæ, non verò delent; sunt enim peccata venialia, quæ cohærent cum gratia sanctificante: quamobrem tametsi dicatur justus septies cadere in die, non tamen inde sequitur, non esse in illo veram justitiam, qua operetur, sed tantùm sequitur, non esse solam justitiam, sed etiam aliquam labem.

Dices Davidem *Psal.* 31. Eos vocare Beatos, ac securos de gloria, *quorum relicta sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, & quibus non imputabit Dominus*, ergo exinde clarè deducitur peccata in homine non tolli, sed tegi, & non infundi justitiam, seu gratiam sanctificantem. Sed contra, quia in Psalmo illo non affertur integra definitio justificationis, quia remissio non potest fieri, nisi infundatur justitia, & gratia sanctificans: perinde ac non possunt expelli tenebræ, nisi iisdem lux succedat, unde quando David asserit Beatos, quorum remissæ sunt iniquitates, implicitè indicat infusionem gratiæ sanctificantis, quia peccata lethalia sunt in animo veluti tenebræ, quæ non expelluntur, nisi succedat lumen gratiæ sanctificantis, idque manifestè scribit D. Paulus *ad Roman.* 4. inquiens: Cùm David dicit, beatus homo, cui Deus confert justitiam, & quorum tecta sunt peccata, seu non imputantur, ubi ex non imputatione peccatorum infert elargitionem gratiæ sanctificantis, & non posse hæc duo sejungi, remittere peccata, & non impertiri justitiam. Præterea verba illa tegi, & non imputari, in quæ Acatholici vim faciunt, si proprietatem vocabulorum spectemus, quamvis in ordine ad homines tegi, idem non sit ac deleri, & non imputari perinde ac extingui, quia possunt plura tegi panno, velo, pallio, quæ tamen sub tegimento maneant, & possunt etiam plura non imputari, quæ revera sint, attamen si hæc verba tegi, & non imputari, referantur ad Deum, non possunt quid aliud significare nisi deleri, & extingui, quia Deo sicut non potest quidquam esse occultum, nec tectum, quin videat, unde non potest quidquam tegi Deo, quin penitùs deleatur, ut etiam si quid non imputatur apud Deum, totaliter extinguitur, alioquin si adhuc essent sive tecta, sive imputata, aperta essent Deo, & ea videret, ut sunt in se, quia ut scribit Apostolus *ad Hebræ.* 4. *Omnia nuda sunt, & aperta oculis ejus*: unde si aliquid Deo tegitur, eo ipso ex necessitate deletur, & evanescit. Neque potest Deus non imputare peccata, seu non habere hominem impium pro impio, nisi desinat esse impius; & quia non potest homo transire ab impietate ad pietatem, nisi per gratiam ejus, qui justificat impium, sequitur, quòd non imputatio peccati apud Deum necessariò trahat secum veram peccati remissionem, & infusionem gratiæ, quapropter in scripturis fere semper conjunguntur hæc duo, remittere, seu delere, & tegere peccata, quia unum non est sine altero, hinc 2. *Esdræ* 4. *Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur.* Et *Psalm.* 84. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.* Ubi David remittere, & operire, seu tegere quo eodem sumit, quapropter cum Psal. 31. ait Beatos esse, *quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, & quibus non imputavit Dominus*, verba, illa tecta, & non imputata perinde sunt, ac deleta, & extincta; tegere enim apud Deum est abolere, & non imputare, totaliter delere. Cur verò David dixerit Beatos, quorum tecta sunt peccata, & non potius deleta, & condonata ex duplici causa asseruit esse tecta, ut nimirum intelligamus in die judicii; quando cuncta hominum opera manifesta erunt etiam justorum peccata innotescent aliis, sed ut remissa, & per gratiam jam extersa, ac deleta. Præterea, quia plerumque sublatâ culpâ per infusionem gratiæ sanctificantis remanet superstes pœna reatûs, qui per sancta opera pœnitentiæ tegendus est, & cooperiendus; ait enim D. Chrysostomus *homil.* 80. *ad popul. Nisi bona opera non solùm æquent, sed etiam superent peccata commissa, id enim, quod tegit, longius esse debet eo, quod tegitur, non erimus post hanc vitam immunes a pœna.*

Urgent ulterius Sectarii, eò quia blasphemia sit dicere, hominem esse dignum Deo per justitiam propriam, ut indicat *S. Job.* 25. *Quis enim dicere potest, mundum est cor meum? purus sum à peccato.* Hinc David *Ps.* 142. ait: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Sed respondetur, Dei potiùs commendari gloriam, quod per misericordiam ejus & Christi filii Dei merita nominemur, imò & simus Filii Dei per adoptionem, qua participes nos voluit gloriæ suæ, nobis enim impertitur gratiam suam sanctificantem, qua divinam naturam participamus, ac sumus filii Dei, & cohæredes Christi: neque blasphemiam ullam protulit D. Paulus, cùm *ad Coloss.* 1. ait: *Qui dignos fecit in partem sortis sanctorum*, nulla quoque superbiendi occasio datur iis, quibus dicitur: *Quid habes, quod non accepisti? quid gloriaris, quasi non acceperis? & gratia Dei salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Hæc autem omnia conceduntur à Catholicis, cùm asserunt homines ex Dei dono justificari; Hæretici autem tumore superbientes jactant se apprehendisse ipsam Christi justitiam, seque æquales fatentur eximiis Sanctis, imò, ut refert Roardus, fuerunt ex Hæreticis, qui contenderint æquare se Beatæ Virgini, imò & Christo, quasi ipsi justitiam possent ita adaugere, ut ejus incremento omnes possint Sanctos superare.

Neque obstat, quod Apostolus 1. *Corinth.* 1. scribat, Christum factum esse nobis à Deo justitiam, & redemptionem, & inde sequi, nos per ipsam Christi imputatam justitiam, & redemptionem justificari: siquidem negatur consequentia, quia Christus est etiam sapientia nostra, dicitur etiam sanctificatio, & spes nostra, *ad Coloss.* 1. & nihilominus sapientiæ Sanctitas, & spes sunt dona supernaturalia, quæ nobis à Deo impertiuntur. Præterea dicitur



Chri-

Chriſtus juſtitia noſtra, eò quia ſua paſſione nobis promeritus fuit juſtitiam, & gratiam ſanctificantem. Præterea quia Chriſtus juſtitiam nobis impertitur, & conſervat, & quidquid in nobis eſt juſtitiæ ex conjunctione cum ejus meritis dignificatur. Si petas, quænam ſit cauſa noſtræ juſtificationis, certum eſt cauſam efficientem eſſe ſolum Deum, quia ipſe ſolus dat nobis gratiam, & gloriam, ut ait David *Pſal.* 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Præterea quia juſtificatio peccatoris eſt operum omnium maximum, quo homo Dei inimicus efficitur filius Dei; voluntas enim à Deo averſa in homine blandè, non violenter in partem oppoſitam convertitur, & ſuaviter non invitè movetur, & à ſervitute peccati liberatur in libertatem divinæ gratiæ perducta. Hinc Auguſtinus perpendens opus juſtificationis, qua homo ex Dei inimico fit filius Dei, ait *tractat. in Joan. Majus eſt impium juſtificare, quàm cœlum, & terram creare.* Deum verò eſſe ſolùm cauſam efficientem principalem noſtræ juſtificationis declarat *Job.* 14. inquiens: *Quis poteſt mundum facere de immundo conceptum ſemine, nonne tu qui ſolus es?* unde ſolus Deus immunditiam poteſt hominis purgare, ſeu peccatum delere, & gratiam ſanctificantem nobis impertiri, quibus conſtituamur juſti, & ſancti, imò & filii Dei adoptivi, hinc *Iſa.* 43. *Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas,* ſolus enim eſt Deus, qui hominum peccata totaliter delet, & per gratiam ſanctificantem eum juſtificat ex ſola ſua gratuita miſericordia, adeo ut nos ſemel conſtituti in peccato lethali non poſſimus abſque Dei gratia ſurgere, neque ullam ad juſtificationem ponere diſpoſitionem, quæ propterea tota eſt à Deo miſerente, nobis conferente dona tua gratuita, quibus vires nobis ſuppetunt, ut poſſimus à peccato reſurgere, nóſque ad juſtificationem diſponere; utitur tamen Deus inſtrumentis, quæ ad cauſam efficientem interdum reducuntur, ut etiam merita, quibus ut aliquid concedatur, vel fiat, promeremur. Duplicia ſunt hæc inſtrumenta, ſcilicet conjuncta, ut manus conjungitur brachio in ordine ad actiones humanas producendas, & vocatur generale inſtrumentum: alia ſunt externa, ut calamus, quo ſcribimus, ſecuris, qua ligna findimus. Inſtrumentum igitur conjunctum Deo juſtificationis eſt Chriſti Domini humanitas, per quam omnia bona, & præſertim gratiam, & juſtitiam nobis Deus impertitur: inſtrumentum extenum & ſeparatum à Chriſti perſona eſt Saaramentum, præſertim Baptiſmi, & Pœnitentiæ, ut ſcribit Apoſtolus Paulus *ad Tit.* 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis. Eſt enim ex inſtitutione Chriſti tanta vis aqua,* ait Auguſtinus, *trctat.* 80. *in Joan. Ut corpus tangat, cor abluat, & tam eſt neceſſaria hæc ablutio, ut quantumcunque profecerit Catechumenus, adhuc tamen ſarcinam iniquitatis portet, nec ei peccata remittantur niſi venerit ad baptiſmum.*

Cauſa meritoria juſtificationis impii nulla poteſt aſſignari ex parte ipſius impii, eò quia in ſtatu impietatis, ſeu peccati nihil poſſit mereri, nec ulla in eo virtus poteſt remiſſionem peccatorum promereri: ſiquidem peccatum ob perſonam offenſam, ſeu Dei majeſtatem infinitam contraxit itidem malitiam infinitam, quæ nonniſi per infinitum meritum deleri poteſt: & hoc infinitum meritum tantùm à Chriſto poni potuit, quia ipſe ſolus includit perſonam infinitam, unde infinitum meritum in ſolis Chriſti operibus & paſſionibus ob infinitam divinæ perſonæ dignitatem haberi potuit, & non in ulla actione vel merito creaturæ, unde quidquid ante peccatorum remiſſionem agat peccator, vel ſuſtineat, vel adnitatur agere, nunquam poteſt quidquam meriti ponere in ordine ad reconciliandum Deum, à ſe graviter offenſum, unde cauſa meritoria juſtificationis impii nulla poteſt aſſignari in ipſo impio, ſed eſt ſolus Chriſtus, utpote includens perſonam infinitam, quæ infinitè dignificat opera Chriſti.

Cauſa finalis noſtræ juſtificationis eſt Dei gloria *Proverb.* 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus Iſaia* 43. *Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum; ad Epheſ.* 1. *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum in laudem gloria gratia ſua.* Unde cùm Deus ſemper operetur propter ſeipſum, & ex creaturis aliud non poſſit emolumentum accipere quàm gloriam extrinſecam ab ipſa creatura derivatam quatenus creatura per ſua opera manifeſtat Dei gloriam, ideo opus juſtificationis nequit alium finem habere quàm gloriam ſolius Dei. Præterea quia gloria Chriſti eſt finis ſalvandorum, ut ait Apoſtolus, 2. *ad Hebraos: decebat enim eum, propter quem, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, Authorem ſalutis eorum per paſſionem conſummari,* omnia enim, ait Apoſtolus ſunt propter Chriſtum, ac propterea ipſius gloriam eſſe finem humanæ redemptionis. Tum quia Chriſtus eſt caput omnium juſtorum, proinde in eum redundat omnis gloria juſtificationis eorundem: ſiquidem pulchritudo membrorum ad gloriam pertinet capitis. Cæterum cauſa proxima finalis eſt propria ſalus juſtorum. 1. *Timoth.* 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, &* 1. *Petri* 1. *Ut recordetis finem fidei veſtra, ſalutem animarum veſtrarum, & ad Roman.* 6. *Nunc verò liberati à peccato habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.*

Cauſa materialis eſt hominis anima, ſive ejus voluntas, cui juſtitia tanquam proprio ſubjecto inhæret: & ad cauſam materialem pertinent etiam diſpoſitiones, quæ materiam præparant ad formam, ſcilicet actus gratiæ, & liberi arbitrii, ſeu omnes illi actus ſupernaturales fidei, ſpei, charitatis, timoris, pœnitentiæ, quibus peccator diſponitur ad gratiam ſanctificantem.

Cauſa formalis, & intrinſeca juſtificationis, & ipſe habitus infuſus gratiæ ſanctificantis, quia hæc eſt, quæ juſtificat, ſeu ſanctificat hominem, & à qua denominatur homo juſtificatus. Cauſa exemplaris extrinſeca eſt ipſa Chriſti juſtitia, *ad Roman.* 8. *Quos prædeſtinavit, voluit conformes fieri imagini filii ſui.* Hinc D. Paulus 1. *Corinth.* 15. monet, ut feramus imaginem hominis Cœleſtis, ſeu Chriſti Domini, perinde ac tulimus imaginem terreni, ſeu Adæ.

Quòd verò ad diſpoſitiones attinet, certum eſt in adulto requiri actus aliquos elicitos mediante divina gratia, ut diſpoſitiones ad gratiam juſtificationis recipiendam; ſicut enim in mutationibus naturalibus quædam antecedunt, ut ſubjectum præparent ad formam ſuſcipiendam, & quæ inducenda eſt, ita in ſupernaturalibus, & in negotio juſtificationis hæc præparatio requiritur, quæ tamen fiat per actus ſupernaturales, quia diſpoſitiones debent neceſſariò eſſe in eodem ordine, in quo eſt forma, ad quam diſponunt, & quia forma juſtificationis eſt ſupernaturalis, eſt enim habitus infuſus gratiæ ſanctificantis, utique exigit diſpoſitiones, quæ ſint in eodem ordine ſuper-

supernaturali: sicut in naturalibus præparatio est conditio sine qua non, inducitur forma in subjecto, quod debet priùs præparari, etenim lignum viride difficulter comburitur, siccum autem, & omni destitutum humiditate facilius flammam suscipit, non enim siccitas, qua lignum præparatur ad suscipiendam formam ignis, est materia combustionis, sed ipsum lignum, quod comburitur, siccitas enim est tantum quædam conditio, quæ si in ligno non sit, comburi nequit. Paripacto si lignum siccum valde distet ab igne flammas non concipit, sin autem approximetur igni, facilè comburitur: unde illa approximatio non est materia, nec forma, nec causa efficiens, nec finis combustionis: sed est conditio sine qua combustio non fieret: perinde philosophandum est de justificatione in ordine supernaturali, quamvis præparatio non sit de substantia justificationis, sed quædam conditio requisita in eo, qui justificatur, præparat tamen illum ad recipiendam formam justificationis; priùs enim Deus vocat peccatorem ad resipiscendum, dat illi occasionem audiendi concionem, & Verbum Dei, quod loquatur ad cor ejus impertitur gratiam illuminantem ejus intellectus, & ostendentem illi gehennæ tormenta nunquam finienda, & incipit timere, seu elicere plures actus timoris, Deinde actus fidei, & spei, qui omnes actus sunt dispositiones, quibus peccator, se præparat ad recipiendum habitum infusum gratiæ, quem Deus illi impertitur, ut justificetur, unde priùs redditur homo capax justificationis. Secundò convertitur ad Deum, ut justificetur ope divinæ gratiæ, sine qua nullum posset actum supernaturalem elicere. Hæc autem præparatio in homine potiori jure requiritur in supernaturalibus, quàm in passivis naturalibus, quia est homo sui compos, & habet liberum arbitrium, per quod debet liberè moveri tam ad detestandum peccatum, quàm ad recipiendam gratiam, & informandos actus prævios ad ipsam, ut probat D. Thomas 1. 2. *quæst.* 113. *art.* 3. quia enim impii justificatio fiat à Deo illum movente ad justitiam, & Deus singula secundùm propriam cujusque naturam moveat. Et homo sit liberi arbitrii, non fit motio ad justitiam sine motu liberi arbitrii, idque evincitur ex scripturis, quæ pluribus in locis hortantur peccatores ad pœnitentiam, ad timorem Dei, & similes actus virtutum, quibus mediantibus se homo disponat ad justificationem, *Joel.* 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, fletu, & planctu*, *Isa.* 40. *Parate viam Domini.* Unde Augustinus 15. *de verb. Domini cap.* 11. ait: *Qui fecit te sine te, non justificat te sine te, fecit nescientem, justificat volentem.* Quia sicut sine fide impossibile est Deo placere, *ad Hebr.* 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum*, ubi Augustinus, *lib. de Prædestinat. Sanctor. cap.* 7. *Fides prima dicitur, ex qua cætera impetrantur, ita fint fide impossibile est impium justificari.*

Sed dices, Deum non expectare voluntatem nostram, ut à peccato purgemur, ut definitum fuit in Concilio Arausicano 11. *cap.* 4. Sed contra, quia licèt Deus non expectet voluntatem nostram, ut nobis impertiatur primam suam gratiam vocantem, & excitatum, & à qua incipit nostra justificatio, hac tamen prima gratia impertita, & alliciente liberum arbitrium, & voluntatem, eique suadente conversionem ad Deum, Deus expectat voluntatem, si sinat se suaderi, & allici, ut det illi uberiorem gratiam, qua voluntatem ipsam moveat ad assensum, in quo sensu dicitur *Joel*, 2. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, unde postquam Deus impertivit peccatori gratiam suam excitantem, ut resipiscat, ejus voluntatem expectat, ut ei retribuat remissionem peccati, & gratiam justificantem ei infundat: & hunc esse verum sensum Concilii Arausicani indicant verba sequentia; ait enim: ut purgari velimus per Spiritus Sancti infusionem, & operationem in nobis fieri.

Cæterum in adultis ad justificationem plures concurrunt ordinariè actus fidei, timoris, spei, amoris, odii, peccati, hujus præparationis causa efficiens ex parte Dei est gratia præveniens per Jesum Christum, & ex parte hominis voluntas, & liberum arbitrium; non enim posset esse præparatio absque simultate utriusque concurrentis. Gratia enim prævenit, vocat voluntatem, illuminat intellectum, tangit cor, excitat somnolentam voluntatem, eámque adjuvat, inspirat, idque nullo præexistente merito ex parte hominis. Rursus liberum arbitrium, ut ait Tridentinum, potest hanc prævenientem gratiam liberè recipere, vel respuere, adeo ut sit in libertate hominis gratiæ prævenienti cooperari, vel non; consequenter se præparare ad suam justificationem, vel non.

Si dicas, ex Concilio Tridentino solam contritionem perfectam sufficere ad veram justificationem, consequenter supervacaneos esse actus reliquarum virtutum. Contra est, sola contritio perfecta sufficit, ita ut non sit necesse, ut explicitè eliciantur actus cæterarum virtutum semper, & quoties contritio elicitur, conceditur, adeo ut implicitè actus reliquarum virtutum non includantur in perfecta contritione, nego antecedens, & consequentiam, quia in actu perfectæ contritionis omnium illarum virtutum actus virtualiter & implicitè continentur: qui enim verè dolet, se Deum offendisse, eò quia illum perfectè, & summè diligat, certè is virtualiter, & implicitè intelligitur in Deum credere, ipsum timere timore reverentiali filiali, si non servili, in eum sperare, quem cognoscit summè bonum, & imposterum velle ipsi obsequi, & singula præstare, quæ ipsi placita esse noverit; credit Sacramenta fuisse à Christo instituta tanquam media ad justificationem, & nobis applicari per meritum passionis Christi baptismum, vel pœnitentiam, & ita docent Catholici, hominem se præparare ad justificationem, in qua recipi à Deo donum infusum, & inhærens, quod est formalis causa justificationis, quæ hominem sanctum est justum agit, & denominat.

CAP. XII.

# CAPUT XII.

## Sola fides hominem non justificat; contra Hæreticos.

NUlli est dubium, quin fides necessaria sit ad salutem, cùm Apostolus scribat *ad Hebra.* 9. *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Hinc Christus *Marci ult. Qui non crediderit, condemnabitur.* & *Joan.* 3. *Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Unde Clemens Alexandrinus *lib.* 7. *Stromatum* vocat fidem primam ad salutem inclinationem, & Cyrillus Alexandrinus, *lib.* 4. *in Joan.* ipsam vocat *Januam & viam vitæ.* S. Hieronymus *in cap.* 3. *epist. ad Gal.* ipsam dicit *principium, & originem fiduciæ, & accessus ad Deum.* Et D. Augustinus *lib. de Prædest. Sanct. cap.* 7. ipsam nuncupat *donum Dei, quo cætera impetrantur.* Ex fide ait Apostolus justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus justè vivitur. Hinc Novatores cum Luthero asserunt, formam justificationis sitam esse in sola fide, volunt enim fidem solam justificare, & hanc in eo consistere, ut certò credamus, peccata omnia nobis esse indubitanter remissa propter merita Christi; ideoque triplicem docent fidem esse, historicam, miraculorum, & justificantem: & Calvinistæ volunt, justificantem dari solis prædestinatis, & semel habitam non posse amplius amitti, consequenter facere hominem securum de sua justitia, prædestinatione, & beatitudine æterna, & Lutherani addunt, ex imputativa justitia non esse unum hominem alio magis justum, eò quia omnium justitia sit ex Christi obedientia, fide apprehensa, & à Patre imputata; quæ sententia impia est, præsertim cùm nequaquam deletis peccatorum sordibus, quas tectas tantùm docent, & à Deo non imputari ob merita, & passionem Christi, desides constituit homines ad culturam virtutum, & purgandum animum. Neque hæc est illa fides, quæ requiritur ad justificationem, sed tantùm quædam vana fiducia, qua jubent unumquemque credere, se jam in gratiam receptum ob Christi merita. Hanc enim fidem, quia fiduciam, & pacem affert voluntati, veluti ab effectu fiduciam vocant: quia cum fide non potest cohærere formido, & cum hac fiducia, semper adest hæsitatio, cùm nos moneat scriptura, ut non simus sine timore de peccato, quamvis credamus nobis esse condonata, *de propitiato peccato noli esse sine metu*; quamvis enim credant per merita Jesu Christi se esse receptos in gratiam, & peccata sibi esse condonata de iisdem, ut condonatis monemur non esse sine metu, sine formidine, sine dubitatione, consequenter illa fiducia non est fides; hæc enim est donum Dei, seu virtus à Deo infusa, cujus lumine mens hominis illustrata firmiter assentitur iis omnibus, quæ Deus revelavit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive illa sacris litteris expressa sint, sive non: & quia Hæreticis Deus specialiter non revelat esse iisdem condonata sua peccata ex Christi merito, & passione, jam fiducia Hæreticorum seu fides, quæ justificat hominem, non nititur revelatis, consequenter non vera fides.

Est igitur fides vera necessaria ad justificationem donum Dei, quia in re cum cæteris virtutibus Theologicis, spe scilicet & charitate convenit, ut etiam cum cæteris virtutibus infusis donisque Spiritus Sancti, quæ pariter Dei dona sunt. Imò est etiam fides vera Dei donum, tametsi consortio charitatis destituta, hinc *Joan.* 6. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Ad Roman.* 12. *Alii datur fides in eodem spiritu. Ad Philipp.* 2. *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis Dei enim donum est. Ad Philipp.* 1. *Vobis donatum est pro Christo non solùm, ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini, & Actor.* 17. de Lydia Purpuraria dicitur: *Cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ à Paulo dicebantur.* Ex quo falsitatis convincitur hæresis Pelagianorum docentium fidem hominum ex se ipso esse ac propriis viribus sine Dei gratia posse Evangelicæ prædicationi eam assentiri, qui fidem habet ex se ipso ac propriis viribus. Corruit etiam error Semipelagianorum docentium gratiam interiorem non esse necessariam ad initium fidei, quam hæresim validissimis argumentis impugnant S. Augustinus *lib, de prædestinat. Sanctor. & epistol. ad Vital.* & S. Prosper *in libris contra Collatorem in respons. ad capitula Gallorum, & ad excerpta Genuensium.* Et D. Augustinus utitur ad expugnandam hanc hæresim invictissimo argumento petito ex precibus Ecclesiæ, quæ pro infidelibus Deum orat, ut convertantur ad fidem, & pro eorum conversione gratias agit: hanc eandem hæresim damnarunt plura Concilia, præsertim Africana, Arausicanum II. *Can.* 5. 6. *& sequent.* & Tridentinum *sess.* 6. *can.* 3. hisce verbis: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti, inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Rursus fides est, cujus lumine mens hominis illustrata firmiter assentitur à Deo revelatis, quia, ut ait Apostolus, 2. *ad Corinth.* 4. *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Jesu,* & beneficio hujus luminis mens hominis firmiter assentitur iis, quæ Deus revelavit. Fides enim, cùm non sensuum experientia, non conjecturis, non ratione humana, sed Dei revelantis authoritate nitatur, seu primæ, ac supremæ veritatis, quæ nec falli, nec nos fallere potest, exigit in assentiendo firmitatem omne prorsus excludentem dubium & hæsitationem, quamvis sensui & rationi contraria esse videantur, quæ fide creduntur: fides enim captivat intellectum in obsequium Christi, apud quem non est difficile nec impossibile omne verbum quapropter S. Basilius *de vera ac pia fide* fidem definit, *quod sit assentiens approbatio sine ulla hæsitatione de earum veritate, quæ divino munere sunt proposita.* Hanc fidei firmitatem explicans Apostolus *ad Hebra.* 11. ait: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, hoc est, dicitur substantia rerum sperandarum, quia assensus est adeo certus ac firmus, ut eas res, quæ à nobis sperantur, tametsi adhuc futuræ sint, & in expectatione positæ, perinde tamen ac si præsentes essent, ac in rerum natura subsisterent, eas nobis exhibeat; unde dicitur substantia, quia per se stat, seu firmiter velut inconcussum fundamentum, ac efficit, ut nihilo magis de mysteriis à sensu remotis dubitemus, quàm si vel

ocu-

oculis conspecta, vel ratione comprehensa essent, quinimò de illis multò certiores simus quàm de his, quæ nobis sensuum experientia, vel ratione persuadentur. Additur argumentum non apparentium, seu ostensio seu demonstratio rerum, quæ sub sensus non cadunt, quia eas, quamvis obscuras, & inevidentes tam certò tamen oculis mentis nostræ repræsentat, quàm si vel corporis oculis perspicerentur, vel humanæ scientiæ rationibus comprehensæ intelligerentur. Unde fides non est opinio, nec quædam tantùm æstimatio, ut putavit Petrus Abailardus, quem propterea graviter S. Bernardus reprehendit *in epist.* 190. ubi agit de erroribus Petri Abailardi, ait enim ad Innocentium II. Pontificem: *Quomodo ergo fidem quis audet dicere æstimationem, nisi qui Spiritum istum nondum accepit, quive Evangelium aut ignoret, aut fabulam putet? scio, cui credidi, & certus sum, clamat Apostolus, & tu mihi subsibilas, fides est æstimatio? tu mihi ambiguum garris, quo nihil est certius.* Cæterum sicut ab opinione, & æstimatione, ita etiam à scientia fides discernitur: siquidem divinum illud fidei lumen rebus credendis perspicuitatem non affert, est enim fides rerum, quæ non videntur, unde Apostolus 1. *ad Corinth.* 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem;* & D. Augustinus *Tract.* 40. *in Joan.* explicans verba illa Christi *Joan.* 8. 32. *Et cognoscetis veritatem,* ait: *Nonne veritatem cognoverant, quando Dominus loquebatur, si non cognoverant, quomodo crediderunt?* ait deinde Augustinus: *non quia cognoverunt, crediderunt, sed ut cognoscerent, crediderunt; credimus enim, ut cognoscamus, non cognoscimus, ut credamus: quia quod cognituri sumus, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quid enim est fides nisi credere, quod non vides?*

Hinc fide divina omnibus illis assentimur, quæ Deus revelavit, sive præterita sint, sive præsentia, sive futura, & ratio unica illis firmiter assentiendi est divina authoritas, quæ nec falli potest, nec nos fallere, quæ verò Deus nobis revelavit, ea per Ecclesiam suam nobis credenda proposuit, ac proponit, illi namque credidit depositum fidei, de quo scribens Apostolus ad Timoth. ait: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* Hinc definitiones Ecclesiæ debent fidelibus omnibus esse, ut oracula infallibilia, cùm sit Ecclesia columna, & firmamentem veritatis, in ejus authoritate acquiescere debemus, præsertim cùm à Christo dirigatur, ejusque promiserit assistentiam usque ad consummationem sæculi, & à Spiritu sancto perenniter illuminetur, ut non possit deficere, unde qui Ecclesiam audit Christum dicitur audire, & Spiritum Sanctum per eam loquentem: quod si Deus multifariam multisque modis locutus est nobis in Prophetis, & novissimè locutus est in Filio, nunc filii sui nobis verbum proponit per Ecclesiam, quam qui non audit, habetur ut Ethnicus, & Publicanus.

Quòd fides necessaria ad salutem non sit singularis illa Hæreticorum fiducia, qua quis credit sibi remissa esse peccata, aut se esse prædestinatum ad vitam æternam, ex eo liquet, quia fides necessaria ad salutem est assensus firmus, constans, excludens omnem hæsitationem, & formidinem, præstitus omnibus, quæ sunt à Deo revelata, sed fiducia illa, qua quis credit ac certissimè confidit, sibi remissa esse peccata, tantùm abest, ut verbo Dei præcipiatur, ut è contra verbum Dei disertè doceat, esse semper de remissione peccatorum, & de salute æterna timendum, ut nos monet scriptura de propitiato peccato noli esse sine metu: neque de ea citra revelationem singularem nos unquam esse posse certiores. *Job.* 9. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignoraverit anima mea. Verebar omnia opera mea sciens, quod non parceres delinquenti.* Quòd si Job vir sanctissimus, quem non reprehenderat cor ejus in omni vita, adhuc significat se metuere; si enim ipsum de justitia sua & prædestinatione fides, quam habuit, certum fecisset, nefas ei fuisset de re illa dubitare, quinimò etiam David, cui Deus peccatum suum condonaverat, adhuc coram Deo occultorum suorum delictorum reum esse fatetur: inquiens *Psal.* 18. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.* Hoc autem vel supervacaneè, vel falsò protulisset, si peccata quæcunque sibi remissa credidisset. Præterea docet spiritus sanctus *Proverb.* 20. *Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum à peccato? Eccles.* 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum supra peccatum; & ne dicas: Misericordia Domini magna est, & multitudinis peccatorum meorum miserebitur* & *cap.* 9. *Sunt justi, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, an amore, an odio dignus sit. Sed omnia in futurum servantur incerta eò, quod universa æque eveniant justo, & impio,* imò Apostolus 1. *ad Corinth.* 4. ait: *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum.* Quamobrem fides illa, quæ necessaria est ad salutem, non est singularis illa Hæreticorum fiducia, qua quis credit remissa sibi esse peccata, aut se prædestinatum esse ad vitam æternam, quia fides est omnino certa, & omnem excludit formidinem, & hæc fiducia de condonatis, sibique remissis peccatis ob merita, & passionem Christi, cùm non sit quid à Deo revelatum habenti talem fiduciam, nequit excludere formidinem, & metum, cùm moneamur à divinis scripturis, non esse sine metu de propitiato peccato, & Apostolus ipse, tametsi nihil sibi conscius, non tamen per hoc se asserit justificatum, unde quamvis quispiam sciret remissa sibi esse peccata, non tamen per hanc remissionem præcisè justificaretur, sed per donum superadditum. Hinc Concilium Tridentinum contra Calvinianos *sess.* 4. *cap.* 9. & *can.* 12. ait: *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit.* Et *can.* 13. *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, & absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis, & indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit.* Et *can.* 15. *Si quis dixerit, hominem à peccatis absolvi, ac justificari ex eo, quod se absolvi, ac justificari certo credat; aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat, se esse justificatum, & hac sola fide absolutionem, & justificationem perfici, anathema sit.* Et quamvis hominibus justis interdum insit moralis certitudo, quod sint in statu gratiæ, quia hæc probabilius tantùm conjecturis innititur ad fidem divinam non pertinet, quia hæc hæsitationem, & formidinem omnem prorsus excludit, in quo sensu intelliguntur verba illa Apostoli: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd filii Dei sumus. Certus sum, quia neque mors, nec vita, nec creatura alia poterit nos separare à charitate Dei* 1. *ad Corinth.* 2. *Non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus,*

quæ à Deo donata sunt nobis, & 2. ad Corinth. 1. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia conversati sumus in hoc mundo, & cap. 13. Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate, an non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est, nisi forte reprobi estis. Rursus Spiritus Sanctus hominibus justis reddit quidem testimonium, quòd filii Dei sint: siquidem interdum pro bonæ voluntatis conscientiam innotescit, quæ de nullo nos crimine aut affectu peccandi reprehendat; & ex fiducia ad Deum, quæ bonæ conscientiæ fructus est. Secundùm illud 1. Joan. 3. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Præterea ex studio, ac zelo honoris Dei, ex libenti auditu rerum divinarum, ac spectantium ad vitam instituendam secundùm Deum; ex tranquillitate itidem ac serenitate animi cum interna consolatione, quæ baptismi, & pœnitentiæ Sacramentum sincera mente susceptum consequi solent: & ex oratione devotè ad Deum fusa affectuque tenero, quo Deum Patrem vocamus misericordiarum, conjicere possumus, Spiritum Sanctum in nobis habitare, nosque juvare ad præfatos actus eliciendos, verùm quia persæpe de se ipsa mens hominis sibi mentitur, & quandoque fit, ut similes motus, & affectus ii sentiant, qui justi non sunt, tametsi Deum Patrem vocent, & quadam cordis teneritudine sermones de Deo, rebusque divinis libenter audiant, imò & suavitatem quandam experiantur, ut lachrymas etiam fundant, ideo præfati omnes motus non sunt signa certa physicè, sed æquivoca, & interdum fallacia. Quamobrem Spiritui Sancto his signis testimonium nobis perhibenti, quòd Filii Dei simus, fidem adhibere tenemur, si certum haberemus verba illa esse à Spiritu Sancto, qui ad cor nostrum specialiter loquatur, sed cùm id sit valdè obscurum, non possumus, nec debemus certò credere, propter talia signa nos esse filios Dei, adeo ut possimus excludere omnem formidinem.

Rursus credere teneremur, si expressum testimonium per revelationem haberemus, simile illi, quod per Prophetam Deus reddidit Davidi, cùm dixit per suum Prophetam: Transtulit Dominus peccatum tuum à te, & per Christum Magdalenæ, Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum, ut etiam Paralitico: Remittuntur tibi peccata tua, istæ igitur revelationes, quia sunt à Deo specialiter, expressum testimonium perhibent de veritate. Quod verò præcitatas attinet scripturas, illud certus sum non significat certam animi persuasionem, quæ fallere non possit; sed tantum quamdam conjecturam quæ innitatur signis illustribus, ac magni ponderis; sed in hoc sensu intelligitur illud certus sum. Quòd si velimus asserere Apostolum fuisse loquutum de certitudine fidei, dicendum est ipsum non protulisse illam certitudinem in persona propria, sed totius generis prædestinatorum; quibus ex maxima fiducia se se adjunxit; & quia fir na insignia prædestinationis in se expireretur; unde loquitur Apostolus de toto prædestinatorum genere, ut colligitur ex verbis, quæ præmittit: Quis accusabit adversus electos Dei, cum verò ait: Nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei, non loquitur de charitate, quà justi diligunt Deum, quasi ab illa nequeant excidere, sed de charitate, quia Deus electos suos complectitur, & amat, & eis confert justificationem, & glorificationem in cœlesti Patria, à qua nulla creatura poterit nos separare, seu impedire Dei dilectionem, ac facere, ut desinat nos amare, vel ut ejus in nos amor frustretur. Ad aliud petitum ex 1. Corinth. 2. respondetur D. Paulum non loqui de omnibus fidelibus, sed tantum de Apostolis de quibus præmiserat: Sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam verò non hujus sæculi; sed sapientiam Dei in mysterio, quæ est abscondita. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est: seu non accepimus sapientiam sæculi, ut sapiamus, quæ sæculi sunt; sed spiritum Dei, quo revelante divina mysteria cognovimus, redemptionem, justitiam, salutem, gloriam electorum; quæ omnia gratis nobis donavit; & ab æterno præparavit diligentibus se. Ad aliud, desumptum ex 2. ad Corinth. 1, ibi Apostolum non loqui de justitia, & gratia sua; sed de sinceritate, qua munus Apostolicum gesserat, & pergebat suo ritè fungi officio; proinde fretus testimonio propriæ conscientiæ in Domino gloriabatur, quod sapientiæ sæcularis adminiculo usus non fuisset; sed Dei gratia, qua corroboratus mira operabatur, & fructus prædicationis suæ expectaret Apostolico functus munere. Ad ultimum petitum ex cap. 13. respondetur, ibi non probari, hominem justum certò scire, se esse filium Dei, & Christum habere in se inhabitantem. Ibi enim monet Corinthios, ut se probent, attentent, seu examinent, an sint in fide, per quam Christus in illis habitet, de qua re certi erant; proinde non indigebant alia probatione: sed postquam quis se probavit, non est absolutè certus, quòd Christus in illo habitet per gratiam sanctificantem; Sed conjecturali tantùm, & probabili cognitione ac signis subobscuris potest id sibi persuadere. Ex quibus constat, falsum esse, solam fidem justificare, & constituere hominem certum de sua justificatione. Præterea Apostolus ibi non loquitur de singulis fidelibus: sed de tota Ecclesia Corinthiorum.

Dicendum itaque est solam fidem non justificare, sed præter illam requiri etiam actus aliarum virtutum, & hanc fuisse doctrinam primitivæ Ecclesiæ à tempore Apostolorum, ut testantur Clemens Romanus lib. 1. recognit. Ignatius epist. ad Ephes. Martialis epist. ad Tholosan. cap. 17. Clemens Alexandrinus, lib. 5. Stromat. Origenes in Cantic. homil. 1. ubi ait, dupliciter constare salutem credentium. Primò per agnitionem fidei, & secundo per operum perfectionem, hinc Tract. 30. in Matth. & homil. 1. in Ezech. ait: Quare ægrè ferimini, laborare, contendere, & per bona opera te ipsum causam salutis tuæ fieri? Cyprianus lib. de opere & eleemosyna, Zeno Veronensis invitat. 5. ad Fontem. Hilarius can. 7. in Matth. Gregorius Nazianzenus orat. 28. Didymus Alexandrinus in cap. 2. epist. 1. Jacobi. Ambrosius lib. 10. epist. 28. & communiter alii Sancti Patres ab initio Ecclesiæ ad nostra usque tempora; ex quo constat, Lutheranos à vera primitiva Apostolica Ecclesia dissentire, proinde eorum Ecclesiam non esse veram Ecclesiam Jesu Christi. Quòd præter actum fidei requirantur etiam actus aliarum virtutum, jam superius innuimus. Præter enim fidem, quæ prima radix est nostræ salutis, & qua credit homo vera esse omnia, quæ à Deo revelata sunt, vel immediatè per se vel mediatè per suam Ecclesiam, requiritur timor Domini, & judicii, ac pœnarum gehennæ, spes misericordiæ, & remissionis peccatorum per Christi merita, amor erga Deum, odium peccati, propositum

positum melioris vitæ, & observantiæ mandatorum Dei, ad hos enim actus ut prævias dispositiones subsequitur justificatio in homine adulto. Non tamen hujusmodi actus sunt meritorii de condigno remissionis peccatorum, ac infusionis justitiæ, quia justificamur gratis, & non ex nostris meritis, unde hujusmodi actus non eliciuntur cum gratia sanctificante, sed tantùm cum gratia actuali præveniente, & homo adultus eos elicit nondum justificatus, sed in statu peccati adhuc existens.

Controversia in eo consistit, an omnes illi prædicti actus justificent, an verò sola fides sit, quæ hominem adultum justificet, adeo ut alii actus, tametsi præsentes, & eliciti ab homine adulto, non tamen justificent hominem. Hæretici totam, & adæquatam rationem justificationis adulti tribuunt soli fidei, & excludunt omnes alios actus. Catholici verò asserunt solam fidem non justificare, sed requiri etiam actus aliarum virtutum: quia, sicut scriptura asserit, per fidem peccatorem justificari, ita eundem fatetur justificari per timorem, spem, pœnitentiam, & dilectionem, quia de timore habetur: *Eccles.* 1. *v.* 27. *Timor Domini expellit peccatum*; nam qui sine timore est, non poterit justificari, hoc idem adstruit David *Psal.* 110. *v.* 10. *Proverb.* 14. *v.* 27. & pluribus aliis in locis de spe habetur. 1. *Joan. cap.* 3. *v.* 3. *Omnis qui habet hanc spem in eo sanctificat se sicut & ille sanctus est*, sanctificat se non meritoriè, nec efficienter, quia peccator est, sed tantùm dispositivè, hoc idem etiam habetur *Psal.* 36. *v.* 40. *Proverb.* 26. *v.* 25. De pœnitentia habetur *Ezechiel.* 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vitâ vivet, & non morietur. Luc.* 13. *v.* 5. *Dedit Deus Gentibus pœnitentiam ad vitam.* De dilectione, seu charitate *Luc.* 7. *v.* 47. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit mu[...]. Joan.* 14. *v.* 23. *Joan.* 3. *v.* 14. Et clarissimè *ad Galat.* 5. *v.* 6. ubi Apostolus scribit: *Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, per dilectionem operatur*, ubi Apostolus loquitur de fide, quæ justificationem antecedit, quia cum *v.* 5. dixisset: *Non autem Spiritu ex fide spem justitiæ speramus*, & explicans, qualis esse debeat hæc fides, subjungit eam esse, quæ per charitatem operatur, & sine qua non potest operari ad justificationem, adeo ut charitas sit ipsa forma fidei, ac consequenter magis hæc justificat quàm fides, quæ non operatur, nisi informata sit charitate: hinc Apostolus 1. *Corinth* 3. *Si habuero omnem fidem ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, quia, ut ait Jacobus Apostolus, *in epist. sua* 2. *cap. fides sine operibus mortua est.*

Hinc futile est, quod asserunt Lutherani, fidem solam aliis virtutibus exclusis justificare, tametsi actus aliarum eliciantur, quia per solam fidem apprehenduntur merita Christi, quæ nobis applicantur, & beneficio eorum mediante fide justificamur; nam inde sequitur, Lutheranos non habere fidem justificantem, quia ex Apostolo Paulo ita tantùm fides justificat, quæ per charitatem operatur: & fides in sententia Lutheranorum excludit charitatem, & non operatur per charitatem, sed se sola justificat: ergo non est illa fides, quæ ex Apostolo operatur justitiam; cùm enim juxta Apostolum Paulum fides, quæ justificat, debet per charitatem operari, utique operabitur per eam, seu est causa efficiens per suum instrumentum, adeo ut charitas sit tantùm causa instrumentalis, & fides principalis, & hoc absurdum est, cum Apostolus dicat, charitatem majorem esse reliquis virtutibus: vel fides justificat mediante charitate, quæ sit conditio sine qua non, & hoc neque dici potest: quia fides nisi informetur ac quasi vivificetur à charitate mortua est, nec potest vivere, nec operari nisi informetur à charitate, perinde ac corpus hominis non operatur, nisi informetur anima, qua vivat & sine qua corpus mortuum est, atqui forma nequit esse conditio ad aliquid, sed exigit esse cooperatrix.

Si respondeant Lutherani, Paulum asserentem fidem per charitatem operari tantùm velle, per charitatem ostendi fidem intus esse, quapropter licèt fides absque charitate non appareat, adhuc sola justificat præsente quidem charitate, sed non cooperante, adeo ut charitas sit tantùm necessarium indicium, ac certum acquisitæ justificationis. Contra est, quia quod est signum tantùm rei cujuspiam, non dat esse rei, cujus est signum, sed totam rem supponit, sic in homine motus progressivus est signum vitæ, quæ eidem inest, sed ille motus non dat vitam homini, nec illam ponit, sed eam supponit, adeo ut priùs sit hominem vivere, quàm moveri: unde si charitas est signum tantùm fidei viventis, debet prior esse fides viva, quàm sit hoc signum, per quod demonstratur esse viva, atqui fides non est prior viva, quia sine charitate mortua est: ergo charitas nequit esse solum signum, sed vera forma vivificans fidem, adeo ut intrinsecè cum fide operetur, cùm sine ipsa fides viva esse non possit.

Neque dici potest, simul esse fidem vivam, & ejus signum, quæ est charitas, siquidem res signata signata debet prior esse suo signo, ideoque charitas non potest esse solùm signum fidei viventis. Cùm enim scriptura tantum tribuat charitati, & aliis dispositionibus ad justitiam, quantum tribuit ipsi fidei, liquet non solum fidem, verùm etiam alias virtutes justificationem operari, quia sine operibus fides mortua est, *Jacob.* 2. *Fides, si non habet opera, mortua est in semetipsa*, sed quod mortuum est, nequit aliud vivificare; siquidem non habet vitam in se, consequenter non potest eam alteri dare, justificatio autem vivificat adultum per gratiam sanctificantem, quæ dicitur vita spiritualis, & supernaturalis hominis: qui enim manet in morte, incapax est justificationis, sed sine charitate homo jacet mortuus: 1. *Joan.* 3. *Qui non diligit manet in morte*; consequenter sine charitate non potest fides justificare, quia ipsa mortua est, & quod est mortuum, non continet in se vitam, nec potest vitam alteri impertiri, hinc Sanctus Ignatius Martyr *epist. ad Ephes.* ait: *Principium vitæ fides, finis ejusdem charitas, hæc autem duo quoties in unum coeunt, Dei hominem perficiunt*; & Cyrillus Alexandrinus *Cathec.* 15. *Non in hoc confidas, quod solam lampadem habes, sed custodi illam ardentem; non in hoc solùm confidas, quod credis, sed fidem ardentem conserva, ut luceat lux tua coram hominibus per opera charitatis.* Et D. Chrysostomus, *homil.* 9. *in Joan. Nolimus, dilectissimi, nolimus, ad salutem fidem solam quidem satis nobis esse existimare: nam nisi vitam exhibuerimus puram, & hæc cœlesti vocatione digna nos induerimus vestimenta, quibus ad nuptias admittamur, nihil nos eripiet, quin afficiamur supplicio.*

Præterea si sola fides, ut ajunt Hæretici, justificaret, sequeretur, quod justificatio, & peccatorum remissio

remissio non posset alteri tribui, quàm ipsi fidei, quia hæc esset tota causa adæquata nostræ justificationis: sed justificatio, & remissio peccatorum tribuuntur etiam charitati *Luc.* 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* 1. *Petri* 4. *charitas operit multitudinem peccatorum* 1. *Joan.* 3. *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Hinc D. Augustinus *lib. de natur. & gratia cap. ult.* ait: *Inchoata charitas, inchoata justitia; perfecta charitas, perfecta justitia,* ergo sola fides contra Sectatores non justificat hominem adultum. Præterea si sola fides justificaret, ad eam solam, & non ad alias Christus nos remitteret, ut nostram operaremur salutem, sed Christus nos remittit nunc ad charitatem, quia 1. *Joan.* 3. *Qui non diligit, manet in morte,* nunc ad observationem mandatorum, *Matth.* 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; nunc ad opera reliquarum virtutum, *Psal.* 33. *Quis est homo, qui vult vitam? declina malum, & fac bonum,* ergo sola fides non justificat. Tum quia justificatio opus est præstantissimum, consequenter tribui debet virtuti præstantissimæ, ut detur proportio inter effectum, & causam: atqui fides non est virtutum præstantissima, sed sola charitas, ut ait Apostolus 1. *Corinth.* 13. *Major horum est charitas,* ergo licèt ad justificationem hominis adulti requiratur fides, sine qua impossibile est placere Deo, ut ait Apostolus *ad Hebræ.* 11. Tribuitur tamen magis charitati, sine qua fides mortua est: non ergo fides, sed charitas est potiùs, quæ justificat. Neque ullius est momenti responsio Calvini asserentis, Paulum loqui de fide miraculorum, non de fide justificante, siquidem hæc fidei multiplicatio inaudita est, cùm in divinis nunquam sermo sit de fide in plurali, sed tantùm in singulari, adeo ut fides non sit nisi unica, ut ait Apostolus, *ad Ephes.* 4. *Unus Deus una fides*, & docent communiter Sancti Patres quia sicut visus unus est, quia una est videndi ratio, quamvis objecta visibilia plura sint, & varia, ita una tantùm est fides, quia una est credendi ratio, seu summa veritas revelans, quamvis plura sint, quæ revelantur: & hanc fidem procul dubio exercent, qui virtute divina perpetrant miracula.

Neque fides justificans potest consistere in eo, quod quis credat certissimè sibi remissa esse peccata propter merita Christi: siquidem nihil fide credendum est, nisi quod Deus revelavit: sed Deus non revelavit, huic vel illi, quod remiserit ei peccata, proinde quòd sit justus, tametsi aliquibus paucis id fuerit revelatum, ut Zachæo, & Latroni, & certum est, Lutherani, & Calvinistis non revelari, quòd sint justificati per merita Christi. Si dicas esse iis revelatum, & hanc revelationem haberi *actorum* 13. *Omnis, in hoc qui credit, justificatur*: Novatores autem firmiter credunt, sibi per merita Christi remissa esse peccata, ac justificari, consequenter justificantur; & *ad Roman.* 3. *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum, justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo*: etenim hæc revelatio, & promissio est tantùm generalis, & non dicit, Petrus justificatur, sed generatim, omnis, qui credit: hæc autem generalis promissio non potest uni vel alteri in particulari applicari nisi per discursum: hoc pacto omnis, qui habet veram fidem, salutem consequitur, sed Cajus Lutheranus habet veram fidem, ergo salutem consequitur: atqui assumptum est omnino incertum, etiam teste Calvino *lib.* 3. *Instit. cap.* 2. §. 11. ubi ait: *Etsi in fidem non illuminantur, nisi qui præordinati sunt ad salutem: experientia tamen ostendit, reprobos interdum simili ferè sensu atque electos effici, ut in suo quidem judicio, quidquam ab eis differant.* Quòd si ita est, quomodo Lutheranus potest credere, se veram habere fidem, quin se ipsum fallat. Tum quia, si certo credunt Lutherani sibi remissa esse peccata, frustra recitant orationem Dominicam, ac orant, *dimitte nobis debita nostra*; si enim certò credunt, Deum remisisse illis debita, seu peccata non deberent Deum orare, ut ea iisdem remitterent, nec possunt respondere, Lutheranos Deum orare, *dimitte nobis debita nostra*; eo quia non sint certi, an revera credant. Quòd si dubitant de vera fide, ergo firmam non habent fidem remissionis; si hæsitant, ergo non habent veram fidem, quia hæc excludit omnem hæsitationem ac dubitationem, consequenter fides hæc justificans non est vera fides. Præterea docet Calvinus, tam certo teneri unumquemque remissa sibi esse peccata, perinde ac certo credit Christum natum, & mortuum: si quis autem oraret, ut Christus nasceretur, is procul dubio infidelis esset, quia judicaret Christum non fuisse natum, pari pacto, si quis oret, remitti sibi peccata, non minus infidelis esset, quia judicaret, non esse sibi remissa: siquidem oraret: *dimitte nobis debita nostra*, si cuperet dimitti, non essent remissa, quo pacto crederet, & non crederet, sibi remissa esse peccata.

Præterea ut fides sola justificet, asserunt Lutherani tria requiri, quorum primum est verbi divini & voluntatis certa notitia. Secundum, assensus indubitatus, quòd fallere non possit verbum Dei. Tertium, immota cordis fiducia, qua peccator statuat, non solùm generaliter mortuum esse Christum, verùm etiam in particulari firmiter credat, Deum sibi in Christo propitium esse, & propter merita Christi sibi actualiter peccata omnia remittere, sibique justitiam imputari, & vitam æternam dari; ajunt enim, omnes hos actus necessarios esse ad justificationem, adeo ut si horum unus desit justificari homo nequeat. Contra autem hunc modum explicandi, adultos per fidem justificari, juvat argumentari, quia vel actus illi fiduciæ justificantis sunt posteriores justitia, vel simul cum illa, vel priores illa: sed nequeunt esse posteriores justitia, nec simul cum illa: siquidem implicat causam aliquam esse posteriorem, vel simul cum suo effectu: siquidem effectus ordine causalitatis debet procedere à sua causa, unde Lutherani tenentur necessario fateri, hos actus fiduciæ præcedere justificationem, ac esse priores ipsa, quod dici nequit; Quia si actus ille fidei, seu fiduciæ prior esset justificatione, tunc in illo priori, quo crederet, certoque fideret, se justum esse, falsum crederet, & fideret; quia in illo priori, quo hoc credit, & fidit, nondum est justus; sed tantùm postea fit justus, ergo implicat per hunc fiduciæ actum justificari peccatorem, cùm non possit ullum tempus assignari, quo talis actus elici possit.

Objiciunt tamen Lutherani Symbolum Apostolorum, in quo tenemur credere remissionem peccatorum, adeo ut hæc remissio unus sit ex fidei articulis, habetur enim: *Credo remissionem peccatorum*; ergo fides peccata remittit, consequenter etiam justificat. Sed contra, quia sensus non est, quòd credamus nobis remissa peccata, eò quia actum eliciamus fiduciæ, quòd sint nobis remissa: sed ut confiteamur, esse in Ecclesia Catholica donum remissionis peccatorum per baptismum, & alia Sacramenta, quo pacto exposuit Concilium Constantinopolitanum, *confiteor Unum baptisma in remissionem peccatorum*, adeo ut Catechumeni, qui ante baptismum recitant, & credunt totum fidei symbolum, adhuc non

habeant

habeant remissionem peccatorum, sed tantùm illam expectent beneficio baptismi suscipiendi.

Dices D. Paulum *ad Roman.* 2. v. 28. asserere, nos per solam fidem sine operibus justificari; ait enim: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Sed contra, quia ibi Apostolus non ait, per solam fidem, exclusis omnibus bonis operibus, nos justificari: sed sensus Apostoli est, quod homo justificetur ex fide Jesu Christi, quatenus hæc fides requiritur, ut accedamus ad Deum, unde *ad Hebr.* 11. ait: *Sine fide impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum.* Hinc Augustinus, *lib. de Prædestinat. Sanctor. cap.* 7. ait: *Fides prima dicitur, ex qua cætera impetrantur,* & Cyrillus Jerosolymit. *Catechef.* 1. æquiparat fidem oculo, & lampadi ad inveniendam viam salutis, quapropter Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 8. ait: *Fidem esse humanæ salutis initium, & fundamentum, ac radicem omnis justificationis.* & Apostolus loquitur de fide, qua credimus firmiter omnia revelata ob authoritatem primæ veritatis, quæ non potest falli, nec nos fallere, non verò de vana illa fiducia, qua Hæretici credunt sibi remissa peccata; ait enim Apostolus; *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis,* idest legis veteris testamenti, quia non amplius per observantiam legis illius justificamur, seu per circumcisionem, sed per fidem Jesu Christi. In quo sensu Apostolus, *ad Galat.* 2. v. 16. scribit: *Scientes, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis,* ubi per opera legis D. Paulus intelligit opera, quæ fiunt sine fide, suntque mera politica & viribus naturæ facta, & quæ ipsam fidem antecedunt, ut ostendat, neque Judæos ex nuda, & simplici Mosaicæ legis observatione, neque Gentiles propter bona opera ante fidem Christi susceptam posse justificari, sed tantùm ex fide Christi, quæ initium est justitiæ, & merum donum Dei, proinde ex nullo opere præcedente datur; & hunc esse genuinum Apostoli sensum testantur omnes primitivæ Ecclesiæ Patres, & Doctores.

Quòd verò fidei potiùs quàm charitati, vel alterius virtutis actui tribuatur nostra justificatio, tametsi sola fides eam non mereatur, nec justificet, illi tamen tribuitur, eò quia radix sit & principium nostræ justificationis, quia, ut ait Apostolus *ad Hebr.* 11. *Accedentem ad Deum oportet credere.* Tum quia principium in se virtute continet reliqua omnia, quatenus hæc ab hoc principio pendent. Præterea, quia scriptura justificationem nostram modo tribuit fidei, modo timori, nunc dilectioni, spei, & pœnitentiæ, quia una virtus non excludit aliam, sed ordinariè illam includit.

Cæterum non obstantibus hisce præviis actibus fidei & spei, timoris, pœnitentiæ, dicimur justificari gratis. Primò quia fides propter nullum opus antecedens nobis datur, sed ex mera Dei gratitudine, & alia omnia opera, quæ ad justificationem dispo-nunt, ut sunt spes, timor, charitas, sunt itidem mera Dei dona, quatenus Deus omnino gratis nobis impertitur suam gratiam prævenientem, ut actus illos eliciamus: & licèt putent plures hujusmodi actus fidei, spei, & timoris &c. elicitos ex conprincipio supernaturali seu gratia à peccatore, seu à viro adulto nondum justificato, mereri de congruo ipsam justificationem: omnes tamen conveniunt, hanc non mereri de condigno, consequenter gratuitam esse justificationem, & gratis nobis à Deo dari. Cæterum licèt Apostolus aliquando solius fidei mentionem faciat, nomine fidei non solùm fidem, verùm etiam spem, charitatem aliasque gratias à Christo promanantes, quasi ramos à sua radice, & causa complectitur, ut ipsemet declarat *ad Galat.* 5. v. 6. ubi illam fidem justitiam operari asserit, *quæ per charitatem operatur,* supponit enim fidem non simplicem, & nudam, sed ut charitate informatam. & 2. *ad Thessal.* 1. v. 11. ait: *Impleat Deus omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute:* in quibus locis non solam fidem, verùm etiam charitatem, per quam fides operatur, & opus fidei, quod ab ea resultat, expressissimè requirit. Quamobrem cùm dicimur justificati in fide, non ita intelligi debet, ut sola fides justificet, sed ut complectitur reliquas virtutes, & ut fides intelligitur informata charitate, & ad ipsam sequi intelliguntur reliquæ virtutes, tanquam fructus ejusdem, in quo sensu dicimur fide justificari.

Instabis, ad nostram justificationem nil aliud exigi à D. Paulo, quàm ipsam fidem, *ad Roman.* 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sed contra, quia D. Paulus non loquitur de fide privata, sed de fide, quam profitemur coram populo, & tyrannis: siquidem D. Paulus scripsit ad Romanos eo tempore, quo nomen Jesu exosum erat Judæis, & Gentilibus, & fideles non privatim, sed publicè, & palam profitebantur fidem Jesu Christi, unde tunc corde credere, & ore confiteri non erat in abscondito, & in cubiculo, vel inter fideles tantùm profiteri fidem Jesu Christi, & eum invocare, ut Messiam, sed erat palam rejectis idolis nullo Tyrannorum & suppliciorum metu fidem Christi confiteri, hoc enim qui præstabat sine dubio eximium exhibebat opus fidei, quo nullum est majus, & in eo spes, & charitas latent, ut & reliquæ virtutes.

Dices, nos non posse ad justificationem plus exigere, quàm postulavit Christus; sed Christus tantùm postulavit fidem, ergo ad justificationem adulti nil aliud requiritur nisi fides, minor liquet ex illo *Luc.* 8. *Crede tantùm, & salva eris,* ubi Christus solam fidem postulavit. Sed contra, quia omnino ineptè citatur textus ille *Luc.* 8. in quo, & aliis similibus non agitur de justificatione, sed de salute, & vita corporis miraculosè impertita, vel danda à Christo, quo pacto plures viri pientissimi, & Deo grati sola fide plura patrârunt miracula, montes de loco ad loca transtulerunt, flumina exiccârunt, arescentes plantas revirescere jusserunt: unde Christus *Luc.* 8. non exigebat fidem ad justificandum adultum, sed illam exigebat à Patre deprecante pro suscitatione puellæ emortuæ.

Instabis, si præter fidem ad justificationem adulti requireretur actus aliarum virtutum, sequeretur, quòd nostra justificatio nobis à Deo gratis non impertiretur, sed intuitu illorum actuum præcedentium; quod dici nequit, quia inde derogaretur Christi meritis, & gloriæ, ergo ad justificationem præter solam fidem nil aliud requiritur. Tum quia Augustinus, *cap.* 14. *de fide & operibus* asserit: Opera non præcedere justificationem, sed sequi justificatum. Sed contra, quia non omnia, quæ antecedunt beneficium aliquod, illud merentur, sed illa sola opera dicuntur beneficium mereri, quibus illud datur in mercedem, tametsi egenus exponat diviti suas miserias, suamque egestatem, & multis precibus eleemosynam petat, non propterea dicitur mereri eleemosynam, quia nullum jus acquirit ad exigendam eleemosynam, quæ à Divite omnino gratuitò illi impertitur. Eodem pacto, qui credit, sperat, orat,

ac pœnitet se peccâsse, ad justificationem quidem se parat, suis tamen meritis non debet attribuere gratiam Dei, sed soli miserentis Dei bonitati: Deus enim homini ita disposito justitiam omnino gratis impertitur. Cæterum D. Augustinus non loquitur de omnibus operibus, sed de iis tantùm, quæ apud Deum vim habent merendi. Notanda est superbia Judæorum credentium, sibi promeruisse per observantiam legum justificationem quam retundit Apostolus *ad Rom.* 3. ubi ait: *Arbitramur hominem justificari sine operibus legis.* Augustinus enim asserit, opera, quæ ex se meritoria sunt, supponere justitiam, & neminem apud Deum mereri gratiam, & gloriam nisi justus sit, & in statu gratiæ sanctificantis. Rursus per dispositiones prævias non meremur primam gratiam, sed tantùm aptamur, & præparamur ad illam, quam Deus ex sua bonitate omnino gratis nobis impertitur.

Ex dictis constat, hominem non posse certum esse de sua justificatione, quia nemo securus est, an sit in statu gratiæ, vel non, *Eccles.* 9. *Nemo scit, utrum odio vel amore dignus sit*; sed gratia sanctificans est, quæ constituit hominem dignum amore, consequenter, si nescit homo, an amore dignus sit, sequitur, ipsum nescire, an sit in statu gratiæ, consequenter, non posse certum esse de sua justificatione. Præterea *Proverb.* 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum?* & c. 28. *Beatus homo, qui semper est pavidus. Eccles.* 5. *De propitiato peccato noli esse absque metu. Psal.* 18. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* ubi D. Hieronymus *lib.* 1. *contra Pelagian.* nervosè probat: Neminem posse certò cognoscere, an sit absque peccatis; hinc Apostolus, 1. *Corinth.* 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Et *ad Roman.* 11. *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time.* & *ad Philipp.* 2. scribit: *Cùm metu & tremore salutem vestram operamini*, quia nescit homo, quantumvis justus credatur, an revera sit in statu gratiæ, nec certus esse potest de sua justificatione: Quòd si Apostolus, qui nihil sibi conscius erat, adhuc certus non erat de sua justificatione, quomodo alii homines poterunt certi esse.

Hanc eandem veritatem docent Sancti Patres, præsertim Basilius *cap.* 7. *constit. Monach.* inquiens: *Multa peccantes, plurima neque intelligimus, quapropter dicit Apostolus, nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, hoc est, multa pecco, & non intelligo.* D. Hieronymus *in cap.* 3. *Jeremiæ, Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, ait ipse: *Non ad comparationem Dei (ut volunt veteres, & novi Hæretici) sed ad scientiam ejus: homo enim vidit in facie, Deus autem in corde: & quod nobis interdum mundum videtur, illius oculis sordidum deprehenditur.* Quòd si, quæ nobis videntur pura, & munda, plerumque sunt in se plena sordibus, ac impuritatibus, fallitur nostrum judicium, nec potest verum à falso plenè discernere. D. Chrysostomus *homil.* 12. *in* 1. *Corinth.* ait, *Multis de causis incertum est nostrum judicium: una, quod multa opera nos lateant.* Et D. Augustinus, *serm.* 23. *de verbis Domini* ait: *Fortasse tu nihil invenis in conscientia tua: invenit ille, qui meliùs videt*, hebes est oculos noster, ac retusus, nequit acutè aspicere, neque discernere: sed oculus Dei, cùm acutissimus sit, intima quæque penetrat, & perspicuè videt; proinde quæ nos latent, ipsi innotescunt. D. Bernardus *serm.* 23. *de Domini adventu*: *Accedit ad sollicitudinis cumulum & pondus timoris, quod cùm & meam, & proximi conscientiam servare necesse sit, neutra mihi satis est nota, utraque abyssus est imperscrutabilis, utraque mihi nox est.* & Augustinus *lib.* 10. *confess. cap.* 32. *Nemo securus esse debet in hac vita, quæ tota tentatio nominatur, ut qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior*, & *lib. de corrept. & grat. cap.* 32. ait: *Nescientes, quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non timeat.*

Ratio etiam id evincit, quia fidei certitudo, cui non possit falsum subesse, non habetur nisi de re revelata: sed Cajum esse certum de sua justificatione, Deus ei non revelavit, consequenter nequit certus esse de sua justificatione. Neque sufficit generalis illa revelatio, *qui crediderit, salvus erit*: quia hæc revelatio non potest applicari Cajo, nec Titio, nisi eadem certitudine constet eos fidem, & reliqua necessaria habere, quod minimè est illi revelatum; quando enim propositio est universalis, & conditionata, nisi certa sit conditio, neque certa erit propositio, & illa generalis revelatio, *qui crediderit, salvus erit*, æquivalet huic conditionali, si crediderit, ut oportet, salvus erit, & quia Cajus non est certus de sua fide, & an credat, sicut oportet, ita neque certus erit de sua salute. Præterea, quia venia peccatorum iis tantùm datur, qui ex toto corde convertuntur ad Deum, ut habetur *Deuter.* 4. *Cùm quæsieris Dominum, invenies eum, si tamen in toto corde quæsieris eum. Ezech.* 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam, vita vivet, & non morietur*: Sed quis est, qui certo sciat, se ex toto corde Deum quærere, se veram pœnitentiam agere ab omnibus peccatis suis, se omnia divina præcepta custodire, sicut oportet? præsertim cùm ex sententia Hæreticorum aliqua Dei præcepta sint observatu impossibilia, neque nobis dare auxilium, quo possimus ea servare. Hinc non possumus confidentius loqui de peccatorum remissione, & de nostra justificatione, quàm Apostoli, & Prophetæ fuerint locuti, sed *Joel. cap.* 2. & Apostoli *Actor.* 8. ex eo, quod suaderent hominibus pœnitentiam, non tamen absolutè promittebant justificationem, sed tantum eam conjectabant: Pœnitentiam agite, *forsan remittet Deus*, quòd si non obstante pœnitentia peracta, adhuc certi non erant de sua justificatione, quantò minùs Novatores per suam fiduciam, qui credunt sibi remissa peccata per merita Jesu Christi sine pœnitentia absque alio bono opere certi erunt de propria justificatione. Quòd si constat actus ipsos charitatis, quos egimus, imperfectos esse, ut plurimum, vel defectu rectæ intentionis, vel ex alio defectu, quomodo de nostra fiducia certi erimus? Hinc D. Augustinus, *in Psal.* 41. ait: *Ad me ipsum anima mea turbata est: novi quia justitia Dei mei manet, utrum mea maneat, nescio, terret enim Apostolus me, dicens: Qui se putat stare, videat, ne cadat.*

Dices, Apostolum *ad Roman.* 8. scribere: *Spiritus testimonium reddit, quòd sumus filii Dei*, sed hoc est infallibile, ergo potest homo certus esse de sua justificatione ob testimonium infallibile Spiritus. Sed contra, quia testimonium Spiritus Sancti duplex est, unum enim fit per verbum expressum, seu per revelationem ex parte intellectus, & alterum per experimentalem quendam effectum, & motionem ex parte voluntatis, & D. Paulus *ad Roman.* 8. loquitur de hac posteriori motione, neque inde sequitur, ut quis infallibiliter sciat, se à Spiritu Sancto moveri, ac esse Dei amicum, quia persæpe Spiritus nequam se transfigurat in Angelum lucis, & facilè potest

homo

homo decipi. Præterea quamvis constaret homini, se à Spiritu Sancto impelli, non propterea eidem constaret, se affici eo modo, quo justi afficiuntur: siquidem etiam peccatores interdum à Spiritu S. pulsantur, *Apocal.* 3. *Ego sto ad ostium, & pulso*, & tamen, cùm sint adhuc in statu peccati lethalis, non dicuntur justificati, neque spiritum testimonium reddere, quòd sint Filii Dei. Præterea quia nonnisi difficulter potest cognosci hoc testimonium Spiritus Sancti, & semper potest homo anceps esse, an revera sit testimonium Spiritus Sancti, an non, proindenunquam certus esse potest de sua justificatione.

Si instes, ex eodem Apostolo *ad Roman.* 8. Certus sum, quod neque mors, neque vita poterit nos separare à charitate Dei; respondetur ibi D. Paulum non loqui de certitudine fidei, sed morali, quæ ex signis, & conjecturis gignitur, ut ostendit *cap.* 15. ubi loquens de dilectione Romanorum, qua plene se adjicit, seu Paulus moraliter credebat, Romanos Deum diligere conjecturaliter tantùm, & moraliter ex signis exterioribus.

Sed dices, lumen est magis cognoscibile, quàm tenebræ: siquidem *Ephes.* 5. *Omne quod manifestatur, lumen est*: atqui peccatum, cùm sit spiritualis umbra, & privatio gratiæ seu lucis, potest certo sciri ab eo, qui peccatum perpetravit, ergo multò magis poterit gratia cognosci, cùm hæc sit lumen spirituale. Sed contra, quia, ut docet D. Thomas, peccatum habet pro principio, & objecto bonum commutabile nobis notum. Objectum autem vel finis gratiæ est nobis ignotum, ob sui luminis immensitatem, ut ait Apostolus *ad Timot. ult.* Præterea quia entitas Physica peccati est nobis perspicua, & certa; qui enim furtum, vel adulterium committit, est certus se adulterium commisisse, seu alienum thorum maculâsse, & rem alienam invito Domino surripuisse, gratia verò, cùm nos cadat sub sensus, non possumus de ipsa certi esse, sed tantùm per signa quandam possumus conjecturam habere. Cæterum sapientissimè à Deo factum est, ut de propria justificatione nullam habeant homines in hac vita certitudinem, quia, ut ait Augustinus, *lib. de corrept. & grat. cap.* 13. *In hoc loco tentationis tanta est infirmitas, ut etiam possit superbiam generare securitas.* Cæterum potest quilibet justus citra omnem revelationem habere aliquam certitudinem de sua justificatione, scilicet moralem, & conjecturalem per signa quædam, & verisimilia argumenta, quibus conjicit homo, se esse in statu gratiæ: sed quæcunque sunt hujusmodi signa, nemo debet iisdem acquiescere, in se ipso confidere, vel gloriari, quia, ut ait Concilium Tridentinum, *Omnis hominum vita non humano judicio examinanda & judicanda est; sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.*

# CAPUT XIII.

## Ostenditur contra Semipelagianos, non posse liberum arbitrium se disponere ad primam gratiam, & justificationem.

PRocedit controversia de præparatione ad gratiam justificantem non solùm immediatè, sed etiam mediatè, & quia actus, qui requiruntur ad proximam, & immediatam dispositionem ad gratiam justificantem, exigunt elici à potentiis adjutis per gratiam prævenientem, excitantem, adjuvantem, ideo quæritur, an possit homo per solas vires naturales liberi arbitrii se disponere ad justificationem? Ratio dubitandi esse potest, quia, si homo non posset per solas vires liberi arbitrii se disponere ad primam gratiam, sequeretur salutem non esse in nostra potestate, contra illud *Ecclesiast.* 15. *Ante hominem vita & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Hinc Semipelagiani, ut referunt Prosper, & Hilarius *in epist. ad Augustinum*, arbitrantur quòd tametsi ad quæcunque opera meritoria salutis necessaria sit gratia, contra Pelagium; asserebant nihilominus, hominem per solas naturales liberi arbitrii vires posse ponere initium aliquod bonæ voluntatis, quod Deus à nobis, ut loquitur Cassianus, *collat.* 13. *cap.* 13. *vel exigat, vel expectet, ne pœnitus dormienti, aut inerti, otio dissoluto sua dona conferre videatur: occasiones quærens, quibus humana segnitiei torpore discusso non irrationabili munificentia suæ largitas videatur; dum eam sub colore cujusdam desiderii, & laboris impertit: & nihilominus gratia Dei semper gratuita perseveret: dum exiguis quibusdam parvisque conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona inæstimabili tribuit largitate.* Semipelagiani hæc desideria & conatus non ideo requirebant, ut per se sine gratia sufficerent, ac meritorii essent apud Deum æternæ gloriæ; sed ut Deus homines excitaret, ut otium excuterent, ac diligentes faceret ad sua dona accipienda, quæ propterea nonnisi volentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus, laborantibus, desudantibus, currentibus impertit.

Nitebantur Semipelagiani suum assertum confirmare pluribus scripturæ locis. *Zachariæ* 1. *Convertimini ad me, & convertar ad vos. Ezech.* 18 *Facite vobis cor novum, & spiritum novum. Proverb.* 16. *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam. ad Roman.* 7. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Nitebatur quoque ratione: quia humanum arbitrium in ordine ad assecutionem salutis est liberum: sed nihil potest eidem tribui, nisi quod ab ipsius dependet libertate; neque potest in assecutione salutis esse liberum, nisi hanc habeat in propria potestate; ac propria virtute possit efficere, ut Deus conferat gratiam necessariam ad salutem. Ex eo sitmabant: quia nisi consecutio salutis esset in potestate liberi arbitrii secundùm proprias, quas naturales habet vires, frustraneæ essent adhortationes, & admonitiones, quæ nobis proponuntur in Sacris Scripturis, quia non possemus iisdem assentiri: hinc concludebant, aliquod initium nostræ salutis esse à nostra bona voluntate, & solo libero arbitrio.

Asseren-

Asserendum est, hominem viribus propriis, ac naturalibus liberi arbitrii non posse condignè se præparare ad primam gratiam, estque assertio de fide ex Tridentino *sess.* 6. *can.* 3. ubi definitur *sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque adjutorio hominem credere sperare, diligere, aut pœnitere non posse, sicut oportet, ut illi justificationis gratia conferatur.* Imò initium justificationis non posse poni à libero arbitrio sine gratia per Jesum Christum, definitur ab eodem Concilio *sess.* 6. *cap.* 5. ubi ait: *Justificationis exordium in adultis à Dei per Jesum Christum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur:* & *cap.* 16. etiam definit, nulla opera sine Christi gratia posse esse meritoria, & Deo grata, ratio itidem hoc suadet, quia ut opus sit condignè meritorium exigit necessariò esse in eodem ordine, ac est præmium: sed nullum opus purè naturale est in eodem ordine cum gratia; siquidem illud est intra ordinem naturæ, & nullum habet intrinsecum ordinem, imò neque extrinsecum ad finem supernaturalem, & gratia est supra ordinem naturæ, includitque saltem extrinsecum ordinem, ex speciali providentia, & affectu Dei ad finem supernaturalem, consequenter liberum arbitrium non potest per solas naturales, quas habet vires, ullum opus efficere: quòd sit condignè meritorium gratiæ, & quo valeat condignè se præparare ad gratiam. Firmari etiam potest, quia si contingeret liberum hominis arbitrium propriis viribus se de condigno præparare ad gratiam, eamque sibi promereri, vel hanc mereretur per opus aliquod naturale, vel per aliquod supernaturale; primum est impossibile, quia meritum de condigno exigit essentialiter esse in eodem ordine, ac est præmium, cui debet commensurari, alioquin non esset de condigno, & opus naturale est in ordine inferiori: si dicatur secundum hoc non potest fieri à solo libero arbitrio, quia eo ipso quod opus supernaturale, excedit vires, & facultates omnes naturales liberi arbitrii humani, quod nisi corroboratum gratia supernaturali non potest actum ullum supernaturalem efficere.

Imò dicendum est, neque de congruo posse liberum arbitrium per proprias vires naturales se disponere ad primam gratiam, fuit definitum in Concilio Arausicano II. *can.* 3. & 4. ubi contra Semipelagianos definit, gratiam Dei non conferri ad invocationem humanam, sed ipsam gratiam præstare, ut nos ipsam gratiam invocemus, nec Deum nostram expectare voluntatem, ut nobis suam gratiam conferat; nec gratiam conferri volentibus, desiderantibus, conantibus, vigilantibus, credentibus, pulsantibus, sed ipsam facere, ut credamus, velimus, desideremus, conemur, pulsemus, ac vigilemus, & quod in omni opere bono incipiamus, & postea per Dei misericordiam adjuvemur: Ratio itidem assignatur ab eodem Concilio Arausicano *can.* 7. eò quia nullum opus bonum possit homo per solas naturæ vires operari, quod ad salutem pertineat: Sed dispositio ad gratiam pertinet ad salutem, cujus est initium, estque opus bonum ordinatum ad salutem, cui propterea detur merces boni operis: ergo non potest liberum arbitrium solius naturæ viribus congruè se disponere ad gratiam, & firmatur ex Concilio Tridentino *sess.* 6. *cap.* 5. ubi definit, non posse hominem sine gratia Dei liberè coram Deo ad justitiam se promovere.

Neque salvant hanc Concilii definitionem, qui asserunt bona opera moralia naturæ viribus facta tantùm disponere ad gratiam, ut meritum de congruo, siquidem eatenus Concilium damnat omnia opera ad salutem spectantia si sint elicita antecedenter ad gratiam, non quia sint meritoria gratiæ: sed quia non potest homo ullum opus bonum efficere, quod ad salutem pertineat, vel quoquo modo dicat ordinem, nisi fiat ex conprincipio supernaturali: quia liberum arbitrium, cùm sit intra ordinem naturæ, non potest hanc supernaturalitatem impertiri, meritum enim sive sit de condigno, sive congruo exigit esse in eodem ordine cum præmio, & opus naturale elicitum sine gratia supernaturali non est in eodem ordine cum præmio, quia hoc est supernaturale: ergo cum opus meritorium gratiæ de congruo, ac disponens ad gratiam pertineat ad salutem, non potest à libero arbitrio per solas naturales, quas habet, vires fieri sine adjumento gratiæ: alioquin ab hoc ordine naturali desumeretur exordium nostræ justificationis contra definitionem Concilii Tridentini. Præterea quia Semipelagiani non contendebant bona opera præcedentia gratiam, & elicita per solas naturales vires liberi arbitrii posse de condigno vel congruo promereri gratiam: sed tantùm asserebant, illa opera naturalia præcedere gratiam, tanquam initium aliquod imperfectum ex parte liberi arbitrii, & quod Deus postea beneficio gratiæ suæ juvat, & corroborat, perficitque, & id ex eo asserebant; ne Deus nobis penitùs dormientibus, aut incerti otio dissolutis sua videretur dona conferre.

Rursus hæc veritas habetur expressè in Sacris Scripturis *Joan.* 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, ubi Augustinus perpendens illud verbum *traxerit*, ait *lib.* 1. *contra* 2. *epist. Pelag. cap.* 19. *Non enim ait, duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, si jam volebat? & tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Præterea hoc ipsum expressè docet Christus *Joan.* 15. inquiens: *Sine me nihil potestis facere*, ubi Augustinus, *loc. cit. cap.* 8. *Non ait, Sine me nihil potestis perficere, sed nihil potestis facere; quia si perficere dixisset, possent illi dicere, non ad incipiendum bonum, quod à nobis est, sed ad perficiendum esse Dei adjutorium necessarium. Sed cùm Dominus dicat, sine me nihil potestis facere, hoc uno verbo initium, & finem comprehendit.*

Ratio itidem hanc veritatem evincit, quia salus æterna est opus purum gratiæ, misericordiæ, ut passim testantur scripturæ, & Concilia, & Sancti Patres: sed repugnat, posse hominem per solas, quas habet, naturales vires liberi arbitrii se ad salutem æternam disponere, etiam de congruo: siquidem dispositioni est aliquo pacto debita ipsa forma ob ordinem, quem dicit ad ipsam, & puræ gratiæ repugnat quodcunque debitum, consequenter repugnat quodcunque meritum, vel initium meriti supernaturalis procedere ex solo libero arbitrio, ejúsque naturæ viribus: quia de ratione meriti est, ut illi respondeat præmium sub titulo debiti, dicit enim meritum jus ad præmium, & jus in promerente supponit debitum in retribuente. Quòd autem donum purè gratuitum cujusmodi est gratia excludat omne debitum, ex eo est probatu facilè, quia ratio debiti, quantumvis minimi, destruit puram gratiam, quæ nullam potest admit-

admittere rationem debiti, quia tantùm minuitur de gratia quantum ponitur de debito, & meritum quamvis tantùm de congruo trahit secum debitum aliquod trahens originem ex opere ipsius merentis, proinde est ablativum puræ rationis gratiæ, consequenter neque de congruo potest homo per naturales quas habet vires liberi arbitrii se disponere ad gratiam supernaturalem. Præterea quia eatenus proprietates naturales, ut in homine ratio admirativi, & risibilitas non habent puram rationem doni, ut docet D. Thomas. 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 1. *ad* 2. quia supponunt in natura, & essentia hominis exigentiam ad illas, consequenter aliquod debitum ad eas conferendas homini: hinc à pari nequit gratia puram habere rationem doni, si ex parte liberi arbitrii creati supponeret aliquod jus ad ipsam: rursus, quia conveniens erat, ut dona gratiæ non ex operibus liberi arbitrii creati, sed ex mera Dei benefica voluntate inchoarentur, quia gratia majus habet pretium plurisque à nobis æstimatur, & nos cautiores sumus in ea conservanda, eò quia scimus & credimus, non esse in nostra potestate eam habere, quando nobis magis libuerit, adeò ut Apostolus *ad Philipp.* 2. nos moneat, ut cum metu, & tremore nostram operemur salutem, cùm prima gratia à Deo tantum dependeat, & ab ipso nobis impertiatur, quando & prout ipsi magis libuerit.

Imò opera purè naturalia nequeunt esse causa vel conditio, vel dispositio remota, vel secundum quid in ordine ad primam gratiam supernaturalem: quia si gratiam aliqua præcederet dispositio sive proxima, sive remota, sive perfecta, sive imperfecta, daretur aliquod exordium bonæ nostræ voluntatis, quod antecederet gratiam: sed hoc adversatur definitioni Cœlestini Papæ *epist. ad Episcopos Galliæ cap.* 11. *&* 12. Imò gratia conferretur per humanam invocationem contra definitionem Concilii Arausicani *can.* 3. Præterea diceretur conferri volentibus, desiderantibus, & pulsantibus contra definitionem ejusdem Concilii *can.* 6. adeo ut non possit homo gloriari aliquam dispositionem ad gratiam, sive proximam, sive remotam, sive perfectam, sive imperfectam esse à libero arbitrio per solas naturæ vires, ac in ejus potestate. Rursus inchoans dispositionem etiam remotam concurrit ad formam introducendam ob connexionem dispositionis etiam remotæ cum ipsa, ergo si homo ex propriis viribus liberi arbitrii posset inchoare dispositinem aliquam remotam ad primam gratiam, procul dubio præveniret Deum in sua justificatione, proinde initium salutis esset ab homine, & Deus non inciperet opus bonum, sed tantùm illud perficeret, quod contra Semi-Pelagianos fuit damnatum in Concilio Arausicano, & expressè habetur *ad Philip.* 5. *qui cœpit in vobis, ipse perficiet,* quòd autem non possit homo per liberum arbitrium ponere opus ullum bonum, quòd sit conditio, qua Deus confert primam gratiam, ex eo itidem ostenditur, quia opus naturale nullam vim habet physicam, nec moralem ad producendum effectum supernaturalem, siquidem est in ordine inferiori: consequenter non potest ponere opus ullum, quod sit conditio, qua posita Deus conferat suam gratiam: quia Deus, cùm sit agens infinitæ virtutis, nullius est indigus conditionis ad producendam gratiam; sed purè liberè, & prout ipsi magis libuerit, eam confert. Demum quia hujusmodi conditio non potest poni ex parte objecti recipientis gratiam, quia hoc subjectum vel est substantia animæ, si sit gratiæ habitualis, vel ejus potentiæ intellectus, & voluntas, si sit gratia actualis, atqui neutrum subjectum indiget opere bono naturali, tanquam conditione ad recipiendam gratiam, quia utrumque subjectum est ex se aptum ad quodcunque donum supernaturale recipiendum. Neque opus naturale esse potest moralis conditio, quia Deus non decrevit dare gratiam subjecto, nisi habuerit hoc morale bonum; siquidem hæc conditio esset causa moralis ipsius gratiæ: & aliquo pacto esset initium ipsius contra definitiones Conciliorum.

Hinc ad fundamentum Semi-Pelagianorum petitum ex scripturis respondetur, præcitatas scripturas communiter esse intelligendas de dispositione in ordine ad justificationem, non verò in ordine ad primam gratiam actualem: dispositio autem ad justificationem fit mediante gratia actuali præveniente, & cooperante: hinc scripturæ tribuunt nobis dispositionem ad gratiam sanctificantem, quia ad has dispositiones concurrit liberum arbitrium, non tamen solum, sed simul cum gratia excitante, ut explicat Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 5. Neque scripturæ tribuunt salutem libero nostro arbitrio, quasi istud præveniat gratiam, & inchoet salutem alioquin ut scitè notat D. Prosper *lib.* 10. *contra Collatorem: Gratia humano cumularetur arbitrio præsens ei debitum non conferens donum: quod in Palæstina Synodo damnatum fuit contra Pelagium;* sed ut significetur libertas humani arbitrii, quod in opere salutis suas etiam debet vires exercere, ac proprias habere partes, non quidem præveniendo, sed subsequendo, non præoperando, sed cooperando: ut in illo, quod inchoatum est per gratiam Christi, ut ait D. Prosper *ad cap. Gall. respons.* etiam per industriam liberi augeatur arbitrii. & D. Augustinus respondens ad objecta loca scripturæ *lib.* 2. *& contra* 2. *epist. Pelagii cap.* 3. ait: *Quid est præparare cor, nisi voluntatem parare? & in eisdem litteris legitur, præparatur voluntas à Domino. Ecce* (subdit Augustinus) *Dominus admonet, ut præparemus voluntatem, & tamen, ut hoc faciat homo, adjuvat Deus.* Ad rationem desumptam ex natura liberi arbitrii respondetur, liberum arbitrium non esse liberum sine gratia ad salutem inchoandam, quia ex se non habet vires, quibus possit sibi promereri primam gratiam, quam gratis accipit à Deo, & cum illa est liberum ad consequendam salutem, unde Augustinus *lib.* 1. *ad Simplic. quæst.* 2. ait: *Nemo enim potest credere, nisi velit, nemo velle, nisi vocetur, nemo autem sibi potest præstare, ut vocetur,* asserit enim Augustinus, ante gratiam vocantem voluntatem nostram non esse liberam ad salutem ex se inchoandam, eò quia illi non suppetant vires proportionatæ ad talem inchoationem, quæ debet esse supernaturalis, ut est forma, ad quam disponunt. Ad confirmationem negatur sequela, quia talis adhortatio, & admonitio præsupponunt gratiam vocantem ad bonum, & quæ hominem excitet, & cum qua ulteriùs proficiat; vel hortatio, & admonitio est ipsa prima Dei vocatio externa, quam secundùm legem ordinariam Deus solet præmittere ad vocationem internam.

Imò nec de potentia Dei absoluta potest homo solius naturæ viribus sibi promereri primum auxilium gratiæ actualis, ut communiter docent Theologi, eò quia principium meriti non possit cadere sub meritum; per hoc enim differt meritum à causa finali: quia causa meritoria movet præmiantem, ut aliquid jam præexistens, & absolutè prævisum, non verò ut aliquid tantùm possibile,

Possibile, ac veluti prævisum conditionatè, secus finis movet, ut aliquid nondum existens, & ad quod obtinendum fit aliquid, quapropter finis in sola intentione prævisus causat & movet voluntatem ad electionem mediorum: secus meritum debet priùs natura existere, quàm sit præmium: quia hoc ex natura sua se habet consecutivè ad meritum, adeo ut præmium existens præsupponat existentiam meriti, ad quod dicit essentialiter ordinem, non utcunque sed ut prævium, & existens, adeo ut meritum causet moraliter præmium: consequenter non potest præmium priùs naturâ existere, quàm meritum, unde repugnat posse aliquem sibi promereri primum auxilium gratiæ actualis per opera posteriora, quæ dependentà merito: proinde neque de potentia Dei absoluta potest quis sibi promereri primam gratiam actualem. Præterea certum est, non posse meritum priùs naturâ existere, quàm præmium, nisi causa meriti priùs existat, quam præmium, non enim effectus in ordine ad existendum potest præcedere suam causam, alioquin ab illa non desumeret suam existentiam: sed meritum est causa efficiens præmii, & exigit priùs natura existere, quàm præmium: ergo à fortiori causa meriti debet priùs existere, quàm præmium, proinde repugnat præmium esse causam meriti, alioquin idem esset prius se ipso, esset antequam esset, quod est luculenta contradictio. Rursus repugnat duas causas, sive in genere physico, sive morali esse sibi mutuo causas, quamvis causa physica differat à morali, eò quia illa nunquam possit causare actum nisi habeat existentiam actu eo tempore, quo causat: & moralis possit causare, quamvis non existat actu sed sit præterita, vel futura nihilominus in hoc ambæ conveniunt: quòd utraque sit causa efficiens, debeatque priùs pro aliqua temporis differentia existere, quàm existat effectus: siquidem causa moralis eatenus movet, quia est vel erit, vel fuit, & per hoc differt à finali, quæ tantùm movet, ut sit, unde juvat argumentari, causa meritoria ex eo causat, quia reddit hominem laude dignum, qui possibile vel conditionatè tantùm futurum non potest reddere hominem dignum laude vel vituperio, non enim potest aliquis puniri pro derelictis, quæ potest tantùm perpetrare, & nondum perpetravit, vel quæ esset perpetraturus, si à Deo desereretur; ergo neque potest præmiari pro bonis operibus, quæ facere posset, vel faceret, si haberet gratiam, in quibus constat, neminem posse mereri per opera non existentia priùs natura quàm præmium.

Quòd si dicas, posse duas causas se vicissim causare, ac dari mutuam causalitatem inter causam & effectum, consequenter posse itidem principium meriti seu primam gratiam cadere sub meritum, & non repugnare duas causas præsertim moralem, & physicam seu mutuo causare, siquidem est sententia probabilis, quàm plures propugnant, posse duas causas se vicissim causare, & de facto causa finalis, & efficiens se mutuò causant: neque obstat inde secuturum, quod idem esset prius, & posterius scilicet esse priùs & non esse priùs effectu, quem causavit, & à quo causaretur, siquidem secundùm diversos respectus id contingit; est enim ut causans priùs, & ut causatum posterius, unde non repugnat de potentia Dei absoluta, posse aliquem sibi promereri primam gratiam actualem. Contra est, quia repugnat, duas causas se invicem causare in genere efficientis, quia idem sub eodem conceptu præsupponeret se ipsum, antequam esset, quia enim causaret causam, à qua causaretur: supponeretur existens saltem propriori natura antequam causaret aliud, quia quod in se non existit, nequit alteri existentiam communicare, rursus non existeret in illo priori, quia causaretur ab illo alio, & non potest effectus priùs existere, quàm existat sua causa, à qua producitur, quia terminus actionis repugnat posse præcedere actionem, cujus est terminus, ergo idem secundum eundem conceptum existentiæ esset, & non esset prius. Ad id quod exemplificabatur de causa finali, respondetur, non esse ad rem quia causa finalis potest causare, quamvis existat tantùm in intentione: & causa moralis non causat, nisi ut existens in executione.

Si dicas, posse hic admitti ordinem intentionis, & executionis, ac posse principium meriti, sive primum auxilium gratiæ prout existens in executione causare moraliter per meritum exstens in intentione, consequenter posse hominem sibi promereri principium meriti per opera ordine naturæ posteriora in executione; & priora in intentione. Contra est, quia hic ordo intentionis, & executionis nequit in præsenti locum habere, siquidem causa moralis debet prius existere in executione, adeo ut non sufficiat, si in sola intentione existat, ut constat ex dictis; per hoc enim differt à causa finali.

Objiciunt tamen Novatores, quia Deus facienti, quod in se est, non denegat suam gratiam: sed homo, cùm sit liberi arbitrii, potest facere, quod in se est, viribus naturæ, ergo, si Deus facienti quod in se, non denegat suam gratiam, sequitur, liberum arbitrium per proprias vires, quas habet naturales posse se aliquo modo disponere ad recipiendam gratiam supernaturalem consequenter ad initium salutis. Sed contra, quia tametsi Deus facienti, quod in se est, non deneget suam gratiam, id tamen variè à Theologis explicatur. Unde examinandum est, in quo sensu possit axioma verificari absque eo, quod opera naturalia liberi arbitrii sint dispositiones ad gratiam, & ad initium salutis. Asserunt plures, Deum facienti, quod in se est, non denegare suam gratiam ex lege infallibili, quando liberum arbitrium per naturales vires conatur vel expeditum est ad conandum in ordine ad fidem complectendam, vel in ordine ad dolorem de peccatis, verùm hic modus explicandi, ut jacet, tribuit exordium nostræ salutis libero arbitrio; quia ille conatus, qui per vires naturales fit à libero arbitrio, esset ipsum exordium nostræ salutis quatenus ex lege infallibili Dei haberet adnexam gratiam, neque hæc sententia differret ab errore Semi-Pelagianorum, quia isti tametsi asseruerint primam gratiam supernaturalem esse à solo Deo, nihilominus ex parte liberi arbitrii ponebant quosdam naturales conatus saltem per modum cujusdam occasionis, qui præcederent gratiam, quæ sententia damnata fuit in Concilio Arausicano: quia omne initium nostræ salutis non potest aliunde haberi quàm à gratia supernaturali nobis impertita per merita Jesu Christi, ut habetur in definitione Cœlestini Papæ *ad Episcopos Galliæ cap.* 11. ubi habetur: *Beatissimæ, & Apostolicæ sedis inviolabiles sanctiones bonæ voluntatis exordia ad Christi gratiam referri docuerunt.* Rursus non apparet, quomodo homo possit conari in ordine ad fidem, vel justificationem, vel paratus esse ad conandum, quin aliquo pacto desideret fidem, & justificationem: siquidem ex hoc desiderio oritur in homine conatus, cùm non possit quis conari circa aliquid, quod non desiderat: quapropter gratia tribueretur desideranti, volenti, pulsanti, quod fuit dogma Semi-Pelagia-

Pelagianorum damnatum in Concilio Arausicano.

Alii censent, habenti sufficientia principia naturalia ad elicientiam operis honesti semper eidem inesse antecedenter etiam principia supernaturalia, adeo ut homo eliciat semper duos actus, naturalem unum, & alterum supernaturalem, & non posse unum sejungere ab alio, in quo sensu explicant axioma illud facienti; quod in se est, denegat suam gratiam: siquidem cum principio naturali disposito ad opus honestum semper conjungitur gratia ex Dei munificentia & bonitate, quam explicationem tradit Ripalda *Tom. 1. de ente supernaturali disp.* 20. Verùm nec modus iste explicandi satisfacit neque Theologi hanc connexionem utriusque actus naturalis, & supernaturalis approbant, & sine sufficienti fundamento adstruitur. Præterea quia vel Deus elicienti hos duos actus naturalem, & supernaturalem, tantùm non denegaret gratiam ad actum illum supernaturalem, & sic sensus esset identicus, ac perinde esset, ac asserere Deum facienti opus bonum supernaturale ex gratia non denegare suam gratiam, unde foret sensus nugatorius: vel sensus est, quod Deus elicienti actum naturalem non deneget gratiam supernaturalem ad producendum actum supernaturalem, & in hoc sensu actus naturalis esset prior natura actu supernaturali, ac esset vel causa moralis, vel occasio, vel conditio, qua posita Deus conferret suam gratiam, quod non potest dici, quia inde sequeretur, initium nostræ salutis esse à nobis contra Concilium Arausicanum.

Alii explicant præfatum axioma, quòd Deus facienti, quod in se est per vires naturales, conferat suam gratiam, quatenus faciens, quod in se est, cognoscit naturaliter honestum quod operatur, recurrendo ad Deum, & petendo ab ipso auxilium in ordine ad salutem; ajunt enim, tunc Deum illi conferre infallibiliter suam gratiam, & ita censent Alensis 3. *part. quæst.* 69. *memb.* 5. *art.* 3. Victoria *Relect. de pervenient. ad us. rat. part.* 2. *num.* 14. & alii; verum hic modus explicandi præfatum axioma, tametsi opus bonum elicitum viribus naturalibus liberi arbitrii non sit meritorium gratiæ, est tamen occasio & conditio, quæ secum trahit gratiam ex Dei dispositione: sed hoc fuit damnatum in Concilio Arausicano, quia inde sequeretur, exordium nostræ salutis esse à nobis. Præterea, quia hæc sententia videtur eadem esse cum illa Cassiani *collat.* 13. *cap.* 13. ubi ait: *Ne videatur irrationabilis Dei munificentia gratiam suam sub calore cujusdam desiderii, ac laboris impertit*, & *cap.* 14. ait: *Misericordia Dei præsto est occasione sibi tantummodo nobis bonæ voluntatis oblata*, quæ sententia fuit ab Ecclesia damnata, tum quia recursus ad Deum, ut dicitur, & petitio auxilii, vel sunt actus supernaturales & exigunt elici à gratia tanquam à principio dignificante hos actus; vel sunt purè naturales, & non possunt habere connexionem cum gratia supernaturali. Præterea quia gratia daretur petentibus, desiderantibus, invocantibus contra Concilium Arausicanum *can.* 6. ubi dicitur: *Si quis sine gratia Dei volentibus, desiderantibus, & pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri, resistit Apostolo dicenti: quid enim habes, quod non accepisti?*

Alii explicant axioma, ut homini adhibenti conatum, qui sufficeret ad producendum actum naturalem, si non offerretur gratia, Deus offerat concursum & gratiam ad actum supernaturalem, ita nonnulli recentiores cum Esparza *lib.* 4. *de gratia art.* 1. *ad* 4. ubi vult, quod conanti, quantum est in se, ut laudabiliter utatur objectorum, & aliarum causarum naturalium occursibus impellentibus ad bonum morale, intra ordinem naturæ, Deus non deneget prævenientem gratiam supernaturalem, vi cujus conatus alioquin futuri naturales, ac inanes evadant intrinsecè supernaturales. Verùm nec hæc explicatio satisfacit, quia actus omnis supernaturalis exigit objectum formale supernaturale, non attingibile ab actu naturali: unde vel objectum actus supernaturalis eliciti beneficio gratiæ esset idem objectum, quod habuisset actus futurus naturalis, & sic actui supernaturali non respondet objectum supernaturale: vel non est idem objectum, & sic hujusmodi conatus est inutilis, quia nullam habet cum gratia connexionem, non ratione sui, quia est in ordine naturæ, nec ratione objecti. Tum quia non explicatur, quid sit conatus ille, vel enim est exercitium liberi arbitrii, vel non, hoc secundum non videtur dicendum: quia de ratione conatus est exercitium aliquod potentiæ conantis: si primum ergo est aliquis actus, quia exercitium positivum non stat sine actu positivo, quia est actus secundus ipsius potentiæ, unde si est actus, vel naturalis, vel supernaturalis; si primum ergo initium nostræ salutis esset à nobis contra Concilium Arausicanum: si secundum nonnisi negatoriè explicatur commune axioma: Idem enim esset asserere facienti opus supernaturale ex gratia, Deum non denegare suam gratiam, rursus conatus ille importaret aliquem actum liberi arbitrii, seu voluntatis rationalis: sed omnis actus voluntatis supponit aliquam cognitionem ex parte intellectus: ergo vel hæc cognitio est naturalis, & sic est insufficiens, ut Deus loco conatus naturalis determinaret liberum arbitrium ad actum supernaturalem, quia si est supernaturalis, præsupponit cognitionem itidem supernaturalem, vel talis actus esset supernaturalis taliter, ut pro signo posteriori naturæ Deus infunderet gratiam supernaturalem prævenientem, & hoc dici nequit, alioquin actus ille naturalis inchoaret nostram salutem, cujus exordium propterea esset à nobis, sicut actus ille naturalis prævius contra Concilium Arausicanum.

Alii vulgatum axioma explicant, esse intelligendum, ut homini per actus naturales aliquamdiu servanti legem naturalem, Deus ex motivo suæ bonitatis infallibiliter conferat gratiam supernaturalem moraliter, & proximè sufficientem ad obtinendam salutem, si voluerit homo ei cooperari, non quod observantia naturalis legis sit conditio, sine qua non conferrentur gratia supernaturalis: siquidem Deus pluribus etiam non observantibus legem naturalem impertitur ex infinita sua misericordia gratiam supernaturalem: sed sensus est, quòd Deus ex solo motivo suæ bonitatis observanti legem naturalem, nunquam deneget gratiam suam, & ita censent plures, inter quos Lorca. 1. 2. *disput.* 26. Suarez *lib.* 3. *de auxil. cap.* 2. Lessius & alii plures asserentes hanc sententiam doceri à D. Thoma *quæst.* 14. *de verit. art.* 1. *ad* 1. ubi ait: *Si aliquis in sylvis ennutritus ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, & certissimè tenendum est, quòd Deus ei vel per internam inspirationem revelaret necessaria ad salutem, vel ad prædicatorem dirigeret:* hoc idem etiam repetit *in* 2. *dist.* 28. *quæst. unic. art.* 4. *ad* 4. inquiens: *Si quis in Barbaris nationibus, quod est in se facit, Deus illi revelabit, quod est necessarium* ad

*ad salutem, vel inspirando, vel mittendo Doctorem,* ne desunt exempla in scripturis siquidem *Actor.* 8. misit Deus ad Eunuchum Reginæ Candacis Philippum miraculosè, *Actor.* 10. legimus misisse Deum ad Cornelium Petrum. Sed hæc sententia nec plenè satisfacit, quia adhuc explicandum superest, quomodo observatio illa naturalis præceptorum naturæ conducat ad obtinendam gratiam supernaturalem, cùm hæc infallibiliter sequatur, ad observationem legis debet aliquam cum gratia connexionem habere. Respondent nonnulli cum Suarez *lib.* 4. *cap.* 17. *n.* 3. Opera illa naturalia tantùm conducere indirectè, & negativè, quatenus removent prohibens seu peccatum, quod si poneretur, posset esse impedimento gratiæ fidei. Verùm hæc explicatio non satisfacit, quia si ex eo, quod homo non committeret novum peccatum in operando bonum naturale, & servanda lege, quæ supponitur naturaliter, posse servari, daretur infallibiliter gratia, utique esset in potestate hominis habere gratiam, quia esset in ejus potestate abstinere à peccato, & servare legem naturalem, proinde eatenus ei daretur gratia, quia homo ipsam vellet, & liberè ac naturaliter, ad eum finem poneret observantiam legis naturæ, & removeret prohibens, seu peccatum: quando enim duo sunt infallibiliter connexa adeo ut posito uno ponatur etiam infallibiliter aliud, si unum sit in potestate hominis illud habere, vel non est etiam in ejus potestate aliud ob infallibilem connexionem cum illo, quamobrem sicut homo posset naturaliter velle observantiam legis naturæ, & posset illam de facto observare, ita posset pro suo arbitrio velle, & obtinere ipsam gratiam, quod adversatur verbis Apostoli dicentis: *Non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei.* Tum quia posset homo operari juxta legem naturæ, & excludere peccatum ad hunc finem, ut obtineret gratiam supernaturalem, quia nil videtur impedire, quò minus homo ad hunc finem posset legem naturæ servare, ac se abstinere à peccato, sed si homo ad hunc finem obtinendi gratiam abstineret se à peccato, sequeretur, quòd gratia daretur ob humanam invocationem contra Concilium Arausicanum *can.* 3.

Neque obstat, si dicas, Deum tantùm ex motivo suæ bonitatis conferre gratiam, quia id non tollit, quin collatio gratiæ sit connexa infallibiliter cum observantia legis naturæ: sed posita hac infallibili connexione homo per plures naturales vires liberi arbitrii præstaret aliquod bonum opus, quod aliquo pacto conduceret ad gratiam supernaturalem, & vitam æternam, siquidem opus illud bonum juxta legem naturæ conduceret ad tollendum obicem gratiæ, ex quo infallibiliter sequitur assecutio gratiæ, quod adversatur Concilio Arausicano *can.* 7.

Respondent alii Semi-Pelagianos voluisse liberum arbitrium tantum valere ad malum, quantum valet ad bonum, nec concessisse specialem providentiam naturalem in ordine ad bonum. Nam contra est, quia Semi-Pelagiani conveniebant cum Catholicis, quoad liberum arbitrium, eo excepto, quia censerent hominem sine gratia posse quærere Deum, pulsare, invocare auxilium gratiæ, quod tametsi Deus non conferat, nisi ex motivo divinæ bonitatis, exigit, tamen aliquid à nobis, & hanc fuisse doctrinam Semi-Pelagianorum constat ex Cassiano *collat.* 13. *cap.* 13. ubi ait: *Nonnunquam etiam ab eo quosdam conatus bonæ voluntatis, vel exigit, vel expectat, ne penitus dormienti aut inerti otio dissoluto sua videatur dona conferre.*

Alii respondent infideles per actus naturales quibus servant legem sibi promereri de congruo auxilium supernaturale, quinimò aliqui etiam eò fuerunt progressi, ut asseruerint opera illa naturalia fieri sine ulla gratia per Christum, quæ tamen sententia non potest excusari ab errore Semi-Pelagianorum, ut constat ex prædictis & etiam directè est contra Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 5. ubi ait initium nostræ justificationis non aliunde esse desumendam, quàm à vocatione Dei, qua nullis præcedentibus meritis homo excitatur à Deo.

Alii respondent, hominem per actus illos naturales promereri sibi de congruo non donum supernaturale, sed aliquod naturale physicum, seu talem rerum cursum, ac dispositionem, ratione cujus incidat homo infidelis in prædicatorem fidei, cujus auditioni Deus alligavit gratiam supernaturalem proximè sufficientem ad fidem. Sed contra quia vel Deus secundum hanc explicationem confert cursum illum rerum naturalium, ratione cujus infidelis incidit in Prædicatorem tanquam prœmium illorum actuum naturalium, & hoc non videtur dicendum quia cursus ille rerum naturalium cum suis circumstantiis seclusa connexione cum auxilio naturali non habet æstimabilitatem, ratione cujus censeatur præmium talium actuum: siquidem observantia legis naturalis, & remotio peccati plus exigunt, pro præmio concursum rerum naturalium, & collocationem rerum in talibus circumstantiis, ut homo infidelis incidat in prædicatorem fidei, cui est alligata gratia supernaturalis, vel cursus ille, & collocatio circumstantiarum est præmium talium actuum naturalium, prout habet infallibiliter annexam gratiam: & tunc verum est, quod ratione hujus connexionis maximæ æstimationis habet rationem præmii. Sed in hoc sensu explicatio incidit in errorem Semi-Pelagianorum; quia, cum meritum sit connexum infallibiliter cum præmio, & meritum sint illi actus naturales, quos homo infidelis ponit, sequeretur, quod initium nostræ salutis esset à nobis contra definitionem Cœlestini Papæ *ad Episcopos Galliæ cap.* 11. ubi ait: *Beatissimæ ac Apostolicæ sedis inviolabiles sanctiones bonæ voluntatis exordia ad Christi gratiam referri docuerunt.* Quod etiam definitum fuit in Conciliis Arausicano, & Tridentino.

Putarim igitur vulgatum illud axioma, *Facienti, quod in se est, Deus non deneget suam gratiam,* est ita intelligendum, ut tunc Deus tantum infallibiliter det gratiam facienti, quod in se est, quando operatur in virtute alterius gratiæ præcedentis, adeo ut axioma non sit intelligendum de prima gratia sed de alia subsequente, adeo ut habenti gratiam, si cum eadem operetur, quantum potest supernaturaliter, Deus non deneget uberius incrementum gratiæ, quo possit ulterius operari, ac semper proficere in exercitiis virtutum. Si hoc pacto explicemus commune axioma, declinamus errorem Semi-Pelagianorum, & loquimur juxta scripturas, Concilia, & Sanctos Patres; quia initium nostræ salutis est à solo Deo conferente primam gratiam, quia quomodocunque sumatur opus liberi arbitrii, sive perfectè sive imperfectè, si præcedat primam gratiam, & habeat connexionem cum illa facit, ut gratia detur ex meritis, consequenter non sit gratia, ut rectè argumentatur D. Augustinus *contra secundam epistolam Pelagii lib.* 2. *ad Bonifacium cap.* 8. ubi concludit: *Si enim sine gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratiæ veniat adjutorium. Ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed secundùm meritum nostrum dabitur.*

CAP.

# CAP. XIV.

## Gratia sanctificans contra Novatores & donum creatum nobis intrinsecè inhærens.

EGimus in præcedentibus de causis, & dispositionibus gratiæ sanctificantis, nunc superest agendum de ejus quidditate, & forma, qua efficimur Sancti, & participes divinæ naturæ, & germanæ ejus similitudinis, ac adoptamur in veros filios Dei: siquidem est gratia sanctificans, cujus lumine illustramur, cujus candore dealbamur, cujus munditiè purgamur à peccatis, & cujus semine generamur Dei filii & cujus demum virtute Dii efficimur, *Psal.* 81. *Ego dixi: Dii estis vos*, hoc est, ait Augustinus *in enarrat. ejusd. Psal. homines dixit Deos gratia deificatos.* An verò hæc gratia sanctificans sit aliquid nobis intrinsecè inhærens, negant hæretici asserentes, nihil aliud esse, quàm extrinsecam justitiam Christi, aut Dei, non quidem simpliciter, sed prout nobis imputatur, adeo ut ab hac imputatione denominemur justi, & sancti, velintque propterea hominem justum denominari per extrinsecam duntaxat imputationem justitiæ Christi, ita docent Calvinus *lib.* 3. *instit. cap.* 11. Lutherus, Kemnizius & alii, quos refert Bellarminus *lib.* 1. *de gratia & lib. arbit. cap.* 3. Contra quos

Asserendum est, hominem non justificari per justitiam Christi, ut nobis imputatam, sed per justitiam nobis intrinsecè inhærentem, adeo ut gratia, & charitas, & aliæ virtutes infusæ, quibus apud Deum grati, justi, & sancti sumus, sin aliquid revera nobis intrinsecum, ac inhærens animæ nostræ, ut definitum fuit in Concilio Viennensi sub Clemente 5. anno 1311. & Tridentino *sess.* 6. *cap.* 7. *can.* 1. & hoc idem definivit absolutè de fide: ait enim Tridentinum: *Si quis dixerit, hominem justificari, vel sola remissione peccatorum seclusa gratia, & charitate, qua in cordibus eorum per Spiritum Sanctum infundatur, atque ipsis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantùm extrinsecum Dei favorem, anathema sit.* Evincitur etiam ex Scripturis 2. *Petri* 1. *Per quem* (scilicet per Christum) *maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Scilicet per gratiam, & dona supernaturalia, quæ nos Deo simillimos efficiunt, 2. *ad Corinth.* 1. *Signavit nos & dedit nobis pignus Spiritus in cordibus nostris.* Signare autem perinde est ac imprimere, ut inhæreat subjecto signato, unde subdit Apostolus: *Et dedit nobis pignus Spiritus in cordibus nostris*, hoc est, pignus seu gratiam sanctificantem possidendam à nobis, *Rom.* 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Hinc Augustinus *lib. de Spiritu, & littera, cap.* 32. ait: *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse dirigit, sed qua nos facit directores suos: sicut justitia Dei, qua justi ejus munere efficimur.* Et 1. *Joan.* 3. *Videte qualem charitatem dederit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus.* Notandum est, Apostolum non solùm dixisse, *nominemur*, ne scilicet videretur significare, nos dici tantum filios Dei per extrinsecam duntaxat acceptionem, sed ulterius addit, *& simus*, ut scilicet intrinsecam constitutionem per gratiam nobis extrinsecè inhærentem explicaret: quod ut magis etiam declararet vocat gratiam, & charitatem semen Dei in nobis manens; & *cap.* 4. ait: *Qui biberit ex hac aqua, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Rursus 1. *Joan.* 2. hæc intrinseca inhærentia gratiæ sanctificantis explicatur per unctionem manentem in nobis: *Unctio, quam accepistis, maneat in vobis*; sicut enim oleum intimas corporis partes, quibus infunditur, penetrat, ac pervadit, illisque inhæret, perinde gratia sanctificans intimè pervadit animam nostram, quam informat, & eidem inhæret.

Ratio itidem à priori est, quia Deus non diligit creaturam dilectione supernaturali, nisi creatum habeat aliquod, quod dignum sit tali amore: sed creatura ex se non habet quidquam, quo sit digna dilectione Dei supernaturali, sed eatenus sit digna tali amore, quia Deus producit in ipsa, seu ei infundit bonum aliquod supernaturale proportionatum cum dilectione supernaturali, consequenter eo ipso quod Deus supernaturaliter diligit creaturam, necesse est, ut hæc participet bonum aliquod supernaturale, quia sicut non potest Deus naturali amore amare creaturam, nisi in ea producat bonum aliquod naturale; ita neque potest eandem amare amore supernaturali, nisi in ea producat bonum aliquod supernaturale, quia ut rectè asserit Augustinus *lib.* 5. *de Trinit.* Cùm non possit divina voluntas liberè velle permutationem sui, debet liberè velle per solam mutationem effectus à se liberè dependentis, & positi ad extra: neque potest excogitari ulla alia mutatio, ratione cujus Deus eo non liberè volente fiat liberè volens: unde eo ipso, quod Deus amat amore supernaturali creaturam, debet illi conferre donum aliquod supernaturale, ratione cujus creatura immutetur intrinsecè, sitque intrinsecè digna amore supernaturali Dei: hoc autem donum est ipsa gratia sanctificans: quæ propterea inest intrinsecè animæ, quam constituit intrinsecè dignam amore supernaturali. Tum quia eatenus homo est in gratia Dei, quia diligitur, & amatur ab eo amore supernaturali: sed hominem esse à Deo dilectum, dicit aliquid eidem intrinsecum, & ratione cujus constituatur objectum dignum amore supernaturali Dei. Cum enim amor sit affectio, qua amans fertur in objectum propter suam bonitatem, debet hanc vel ponere vel supponere, & quæ sit proportionata amori in subjecto amato, & cùm creatura ex se non habeat nisi bonitatem, naturalem, qua à Deo naturaliter amatur, ideò ut supernaturaliter ametur, debet à Deo poni aliquod supernaturale, amor enim divinus est simul affectivus, & effectivus, quatenus causat bonitatem ie objecto, quod amat; hinc D. Bernardus *in Soliloquio* Deum alloquens ait: *Nos affectu, tu effectu unum nos in te efficiens*, ergo sicut Deus diligendo creaturas amore naturali iisdem communicat perfectiones naturales, ita diligendo creaturam rationalem amore supernaturali debet ex vi talis amoris in ea causare aliquam bonitatem supernaturalem, qua constituatur objectum proportionatum tali dilectione, quia cùm Deus non inveniat hanc dilectionem supernaturalem in creatura intellectuali, antequam illam amet, debet per amorem illam producere in homine priùs indi-

 gno,

gno, ut illum reddat dignum complacentia, & amore. Præterea quia Dei amor semper efficax est, nequo potest esse similis amori nostro, qui inanis est, & amando non facit dignum amore, secus divinus amor quia beneficus, & fœcundus, amando facit amore dignos, quos amat; alioquin non posset amare, nisi i dignos amore, consequenter, ut Deus amet creaturam amore supernaturali, debet in ipsa producere gratiam sanctificantem intrinsecè inhærentem.

Ostenditur ulteriùs assertum, quia certum est, per gratiam sanctificantem nos constitui filios Dei adoptivos, ut expressè habetur 1. *Joan.* 3. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus*; sed non potest quis esse filius alterius, sive naturalis, sive adoptivus, quia participet naturam Patris, & quidem intrinsecè, quia cùm sit natura principium motus, & quietis, necesse est sit intrinseca illi, cui convenit, consequenter non possumus per gratiam sanctificantem constitui filii Dei adoptivi, nisi intrinsecè participemus naturam divinam, quæ sit principium operationum supernaturalium, & quæ sit propriè filii Dei habentis jus ad hæreditatem, consequenter non possumus fieri filii Dei in ordine ad hæreditatem supernaturalem, nisi accipiamus aliquid, quo simus participes divinæ naturæ, & quod sit principium operationum, quæ sunt propriè filii Dei habentis jus ad hæreditatem: hoc autem donum est ipsa gratia sanctificans, quæ est participatio divinæ naturæ

Si dicas, hominem fieri filium adoptivum alterius hominis per solam adoptionem præcisè, seu destinationem extrinsecam adoptantis ad hæreditatem, quamvis nulla fiat intrinseca mutatio in adoptato, consequenter posse etiam hominem fieri filium Dei adoptivum per hoc præcisè, quod ordinetur ad hæreditatem æternam, absque quod adoptatus accipiat aliquid intrinsecum, quo mutetur intrinsecè. Contra est; negatur consequentia ob discrimen intercedens inter utramque filiationem adoptivam; quia ad civilem adoptionem requiritur naturæ capacitas ad hæreditatem, & quia homo respectu alterius hominis adoptantis habet hanc capacitatem, ideo illam non accipit ab adoptante, quia ex se habet naturam capacem ad filiationem adoptivam: hinc quod adoptatus non accipiat eandem naturam ab adoptante, hic defectus suppletur fictione juris: quamobrem homo eatenus potest alium adoptare in filium, & eum ordinare ad hæreditatem; quia adoptatus habet jam aliunde naturam capacem ad talem hæreditatem, ad quam adoptatur: atqui in casu nostro creatura rationalis per sola naturalia non habet naturam Dei speciali modo, quo eam non habet inimicus Dei, consequenter non habet ex se, nec aliunde à Deo naturam capacem hæreditatis æternæ: & quia per gratiam sanctificantem fit specialiter dignus Deo, & acquirit jus ad hæreditatem, ideo necesse est, ut per eandem gratiam accipiat speciali quodam modo naturam divinam ratione cujus adoptetur homo in filium Dei, non enim defectus non particpandi speciali modo naturam divinam potest suppleri per ullam fictionem, sicut nec jus civile supplere potest, ut equus adoptetur in filium hominis.

Ostenditur tertiò idem assertum à posteriori, quia certum est dari in nobis actus supernaturales virtutum theologicarum, fidei, spei & charitatis, ut etiam aliarum virtutum supernaturalium: quia adest præceptum, quo obligamur exercere tales actus. sed ubi dantur actus, ibi dari etiam debent principia intrinseca eorundem actuum, siquidem repugnat actus sine principio, à quo dimanet. Unde certum est, dari in nobis principia intrinseca eorundem actuum: sed hæc principia non possunt esse potentiæ naturales, quia illæ nequeunt producere actus supra ordinem, in quo reperiuntur, alioquin effectus excederet suum principium, & secundùm mensuram excessus non contineretur in virtute principii, proinde excessus ille esset effectus sine causa, principiatum sine principio, quod repugnat; ergo dantur in nobis principia talium actuum, quæ sunt virtutes infusæ supernaturales: sed ut virtutes sint connaturaliter in subjecto, exigunt in eodem formam ejusdem ordinis, & à qua tanquam proprietates à propria natura fluant: hoc autem forma radicans virtutes infusas est ipsa gratia justificans nobis inhærens, quia cùm hæc principia compleant potentias naturales, quas constituunt intrinsecè & permanenter potentes, non possunt quid aliud esse, quàm habitus seu virtutes infusæ supernaturales, quæ perinde ac potentiæ conferant primum posse in ordine ad actus supernaturales, consequenter debent inhærere ac supponere formam, in qua radicantur, itidem inhærentem, ergo datur in nobis gratia sanctificans inhærens intrinsecè animæ nostræ.

Neque dici potest, principia talium actuum esse extrinsecam Dei potentiam, ut proximè assistentem potentiis nostris creatis, quibus ex vi decreti divini, quasi habitualiter uniatur, proinde ex eo, quod dentur in nobis actus supernaturales, non evincitur, dari gratiam sanctificantem nobis intrinsecè inhærentem. Quia tametsi Deus possit assistere extrinsecè potentiis creatis in ordine ad eliciendos actus supernaturales, connaturalis tamen modus operandi potentiæ creatæ exigit fieri intrinsecè potentem per conprincipiùm intrinsecum ei inhærens: et quia Deus servat hunc operandi modum connaturalem cum suis creaturis ad eliciendos actus naturales. Censendus est eundem itidem servare in ordine ad actus supernaturales, alioquin perfectius Deus se gereret in ordine naturæ, quàm gratiæ.

Objiciunt tamen Hæretici, quia ut justificetur homo, nihil aliud requiritur, nisi favor extrinsecus Dei, & extrinseca condonatio, & justitia Dei, quæ imputetur homini, qui justificatur, consequenter justitia, equa justificamur non est nobis intrinsecè inhærens, sed est extrinseca Christi justitia, quæ nobis imputatur, & à qua denominamur justi. Contra est, requiritur ad justificationem hominis favor extrinsecus Dei, & extrinseca condonatio, ac justitia Christi, tanquam ea, quæ extrinsecè concurrunt ad nostram justificationem, conceditur, ut forma intrinseca, qua intrinsecè justificamur, ac denominamur filii Dei adoptivi, negatur antecedens, & consequentia; quia, ut constat, in justificatione non solùm interveniunt favor extrinsecus,, & extrinseca Dei condonatio, verùm etiam justitia intrinseca, quæ sola est causa formalis nostræ justificationis; sicut enim denominamur intrinsecè justi, ita debet justitia esse nobis intrinseca, hinc 1. *Joan.* 3. *Videte, qualem charitatem dederit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus*: hoc est non solùm ut dicamur filii, sed revera simus intrinsecè per gratiam sanctificantem.

Si dicas justitiam non posse justificare sine meritis Christi, consequenter debere imputari merito Christi; Contra est, debet nostra justificatio imputari merito Christi; ut causæ meritoriæ nostræ justificationis, concedo, ut causæ formalis nego: aliud est justitiam nobis dari ex meritis Christi, & aliud justitiam esse in nobis imputationem merito-

meritorum Christi: primum est verum, quia merita Christi sunt causa meritoria nostræ justificationis, & æternæ salutis, sed non per hoc justificamur, quia merita Christi tantùm nobis imputantur: sed quia per Christi merita Deus nobis impertitur gratiam sanctificantem, seu justitiam nobis inhærentem intrinsecè, & qua ut dicitur 1. *Joan.* 3. *nominamur & sumus filii Dei*, sicut enim homo est homo, per prædicata constitutiva hominis, quæ in se intrinsecè continet, ita sumus filii Dei intrinsecè per gratiam sanctificantem nobis intrinsecè inhærentem, & non per solam extrinsecam imputationem meritorum Christi.

Opponunt Hæretici secundò illud D. Pauli, 2. *ad Corinth.* 7. & *ad Roman.* 3. *quem Deus fecit propitiationem per fidem in sanguine ipsius*, ubi Apostolus tribuit Christo nostram reconciliationem cum Deo; ex quo inferunt, nostram justificationem esse tantùm extrinsecam justitiam Christi, quæ nobis imputetur, & à qua denominemur, justi, & filii Dei. Sed contra distinguitur antecedens, nostra reconciliatio cum Deo tribuitur justitiæ Christi effectivè, quatenus Christus, ut mediator hujus reconciliationis fuerit effectivè operatus nostram reconciliationem, concedo. Tribuitur Christo formaliter, adeo ut extrinseca justitia Christi sit, qua constituimur, & denominamur justi, & sumus filii Dei, quatenus nobis imputatur, negatur antecedens, & consequentia.

Sed instant Novatores, quia nulla humana justitia potest esse perfecta, & respondere exactè legi, ut habetur *in Psal.* 42. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: consequenter justitia intrinseca non potest justificare. Sed contra negatur consequentia, quia licèt nostra justitia non habet illam totam perfectionem, quam habet justitia Christi, quia tamen dicit rationem formalem justitiæ, sufficiens est, ut possit justificare apud Deum & nos constituere filios Dei 1. *Joan.* 2. *qui servat verbum ejus, in hoc vere charitas Dei perfecta est.*

Opponunt ulterius illud D. Pauli 1. *Corinth.* 1. *qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio*, & illud *ad Roman.* 4. ubi de Abrahamo dicitur, *credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam*, ergo justitia qua justificamur, non est nobis intrinsecè inhærens, sed est sola extrinseca justitia Christi, quæ nobis imputatur, & à qua denominamur justi. Nam contra est, negatur consequentia, & ad illud desumptum ex D. Paulo. Respondetur, ibi Apostolum tantùm significare, justitiam Christi dici nostram justitiam, non formaliter, sed tantùm efficienter, & causativè, quatenus Christus causa est nostræ justitiæ, & satisfecit pro nobis, quapropter D. Paulus *ad Roman.* 5. ait: Per obedientiam Christi multos constitui justos, quatenus satisfaciendo pro nobis meruit nobis justificationem in quo sensu intelliguntur à Sanctis Patribus alii similes scripturæ textus ad aliud depromptum *ex epist. ad Roman.* 4. respondetur, Apostolum ibi loqui de fide intrinseca, & non de extrinseca Christi: hæc autem fides intrinseca dicitur nobis ad justitiam imputari, quatenus acceptatur, ut dispositio ad gratiam, quapropter tantùm dispositivè, non formaliter est justitia.

Opponunt adhuc illud D. Pauli 1. *ad Corinth.* 3. *eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*, ubi D. Paulus asserit, eodem modo nos habere justitiam, quo Christus habuit peccatum: sed Christus habuit tantùm peccatum extrinsecè, quatenus satisfecit pro peccatis nostris: ergo nos habemus justitiam quatenus Christus per sua merita satisfecit pro peccatis nostris, ut nos efficeremur justi, & nobis non imputarentur coram Deo peccata, ex quibus inferunt justitiam, qua justificamur, non esse formam, quæ nobis intrinsecè inhæreat, sed extrinsecam justitiam Christi nobis imputatam, à qua denominamur justi. Sed contra negatur consequentia, quia D. Paulus non loquitur comparativè, sed tantùm assignat finem, ob quem Christus pro nobis fecit peccatum seu satisfecit pro peccatis nostris, hic enim finis fuit redemptio nostra, ac justificatio. Cæterum dicitur Christus factus pro nobis peccatum, quatenus assumpsit carnem in similitudinem peccati, ut scribit Apostolus *ad Roman.* 8. Vel quia factus est hostia pro peccato, & se obtulit sacrificium æterno Patri pro redemptione totius humani generis. *Osea* 8. *Hostia quæ offertur pro peccato*, dicitur peccatum, quatenus satisfacit pro peccato, quapropter Christus, quia pro nostris peccatis satisfecit, dicitur & ipse peccatum, & ipsi imputatur peccatum non quoad malitiam quod repugnat, sed quoad satisfactionem. Cæterum dicimur etiam fieri justitia Dei, non formaliter, vel imputativè, sed tantùm participativè, quatenus participamus Dei justitiam.

Dicendum secundò, gratiam sanctificantem esse qualitatem in nobis permanentem, & probatur ex illo Apostoli *ad Roman.* 5. *Quemadmodum per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita per obedientiam unius hominis justi constituentur multi*: atqui constat, nos constitui ex peccato originali peccatores per injustitiam nobis verè inhærentem per modum habitus, quem contraximus ob inobedientiam Adami, cujus sumus filii, ergo ut Paulina antithesis concludat, justitia debet itidem esse in nobis per modum habitus, adeo ut nobis inhæreat, & in nobis permaneat, quia sicut injustitia in nobis permanet, quam contraximus ex peccato originali, ita hæc justitia debet nobis inhærere, ac in nobis manere, quæ nobis communicatur per merita Jesu Christi, hinc *Joan.* 4. ait Christus: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Fons autem est Spiritus Sanctus per gratiam inhabitans, *Joan.* 7. *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, & postea subjungitur: *Hoc autem dixit Christus de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*, Hinc Apostolus ad *Roman.* 5. *Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, & 1. *Joan.* 2. *Unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis*, per unctionem communiter Sancti Patres intelligunt gratiam sanctificantem, quæ propterea manet in nobis per modum qualitatis inhærentis, quapropter *Joan.* 3. habetur: *qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ejus manet in eo.*

Præterea Sancti Patres hanc eandem veritatem docent, & tametsi expressè non vocent gratiam sanctificantem habitum vel qualitatem, eam tamen ita describunt, ut facilè deprehendi possit, esse habitum aut qualitatem. S. Dionysius *cap.* 7. *Eccles. Hierarch.* ait: *Primus ad divina motus Dei dilectio est, porro sacræ dilectionis ad divina mandata facienda principalis progressus est secretissima illa, & ineffabilis operatio, qua divinus in nobis status efficitur*: neque per statum quid aliud intelligi potest, nisi aliquod divinum donum nobis collatum, & quod nobis inhæreat. S. Cyprianus *in epist.* 2. *lib.* 2. *ad Donat.* ait: *postquam undæ genitalis auxilio superioris ævi labe detersa inexpiatum pectus, ac purum desuper se lumen infundit, postquam cælitus Spiritu hausto in novum me hominem nativitas*

*tivitas ſecunda reparavit.* Quibus verbis ſignificatur gratia ſanctificans eſſe qualitas, ſiquidem infuſio luminis, hauſtus ſpiritus, & renovatio hominis ſignificant aliquid permanens in homine. Ambroſius *6. Exam. cap. 8. Noli bonam delere picturam non fuco, ſed veritate fulgentem, nec cera expreſſam, ſed gratia,* ſed pictura, per quam ſignificatur gratia ſanctificans, eſt res permanens. D. Auguſtinus *lib. I. de peccat. mer. & remiſſ. cap. 9.* ait: *Ille, in quo vivificabuntur omnes, præter quam quod ſe ad juſtitiam exemplum imitantibus præbet, dat etiam ſui ſpiritus occultiſſimam gratiam, quam etiam latenter infundit & parvulis,* ubi Auguſtinus loquitur de gratia habituali, quæ & occultiſſima eſt, & cujus ſolius capaces ſunt parvuli, ſeu alieni à peccato lethali.

Ratio etiam id ſuadet, quia quod ex indigno vita æterna ſit dignum, neceſſe eſt, habeat aliquod in ſe intrinſecè de novo, quod prius non habuit; ſed peccator prius erat indignus vita æterna, & per gratiam habitualem ſanctificantem ſit dignus, ergo debet de novo recipere in ſe aliquid, quo dicatur eſſe intrinſecè dignus. Major liquet, quia cùm Deus non ſit mutationi obnoxius, hæc debet fieri in homine, qui ex non dilecto fiat dilectus, ex indigno dignus, unde concedenda eſt neceſſariò in homine aliqua forma permanens per modum qualitatis, per quam homo conſtituatur dignus vita æterna, non enim poteſt dari nova denominatio in ſubjecto, quin in illo detur nova forma, à qua habeatur talis denominatio, unde concedenda eſt in homine juſto aliqua vera pulchritudo, & qualitas ſpiritualis, ob quam fiat gratus oculis Dei, non enim Deus poteſt decipi, aut errare, ut diligat injuſtum pro juſto. Rurſus ex parte hominis id etiam evincitur, quia homo conditus eſt propter æternam gloriam, & ſupernaturalem beatitudinem, conſequenter debet operari, ac producere actiones, quibus poſſit ad finem illum ſe promovere, ac pervenire: ſed opera ſupernaturalia exigunt principium ſupernaturale, ſeu formam ſupernaturalem: & talia ſunt opera, qualis eſt forma, ſeu eſſentia, unde ſi homo, ut pervenire poſſit ad finem ſuum ſupernaturalem, neceſſe eſt, producat operationes ſupernaturales, debet in eodem homine dari aliquod conprincipium earundem operationum, hoc hoc autem conprincipium debet eſſe ſupernaturale, alioquin non refunderet ſupernaturalitatem in actiones: unde Deus dat hominibus, quos juſtificat formam ſupernaturalem, quam dicimus gratiam habitualem, & qua, ut ait D. Petrus 2. *cap.* 1. efficimur divinæ naturæ conſortes. Hinc D. Dionyſius *cap. 2. de eccleſ. Hierarch.* ait, ad opera divina prærequiri ſtatum divinum, ſicut humanum ad operationes humanas, & divina natura non poteſt participare ab homine, niſi per accidentariam aliquam ſui participationem, ſeu per formam aliquam creatam inhærentem homini, & in eo permanentem: ſiquidem homo non eſt juſtus, & ſanctus eo tantùm tempore, quo juſtè, & ſanctè operatur, ſed etiam quando amplius non operatur, & non labitur in peccatum lethale, unde non ab ipſo opere dicitur homo juſtus, ſed ab habitu inhærente, & permanente in homine, ſeu à gratia ſanctificante, ſe habente per modum qualitatis ſpiritualis. Hinc D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 110. ait gratiam eſſe nitorem animæ, eò quia qualitas ſe habet per modum pulchritudinis qualificantis, perinde ac pulchritudo corporis eſt quædam qualitas in ipſo, ex quo infert, quod præter auxilium ſpeciale, quo Deus movet hominem ad bene agendum, ponendus eſt habitus, ſeu qualitas quædam in juſtificato, ut hic mediante eâ qualitate ſupernaturali poſſit ſuaviter, & promptè actus elicere ſupernaturales. Hinc gratia ſanctificans non poteſt eſſe forma ulla ſubſtantialis, quia hæc non inhæret per modum qualitatis, ſed ſtat per ſe. Neque eſſe poteſt quantitas, quia non eſt forma proportionata animæ ſpirituali, neque relatio, quia hæc non eſt immediatus terminus actionis, ſed tantùm reſultat ad productionem termini. Neque actio, aut paſſio, quia ſunt potius via ad formam juſtificantem, neque ſitus, neque quando, neque ubi, neque habere, ut per ſe liquet, unde ſupereſt, ut ſit vera qualitas, quæ ſe habeat per modum permanentiæ: quia qualita stranſiens eſt proprius actus, juſtificatio & motio divina.

Sed objiciunt Novatores, nulla qualitas agit in ſuum objectum, quia actio qualitatis non eſt abſque actione ſubjecti, quo pacto oporteret, ut ſubjectum ageret in ſe ipſum: atqui gratia agit in animam, quam juſtificat, ergo gratia non eſt qualitas. Sed contra, quia, ut reſpondet D. Thomas, gratia, ſecundùm quod eſt, qualitas dicitur agere in animam, non per modum cauſæ efficientis, ſed formalis, perinde ac albedo dicitur facere ſubjectum album formaliter, quatenus eſt forma illius: unde gratia dicitur etiam facere hominem gratum formaliter, quatenus eſt in homine forma, qua conſtituitur Deo gratus; etenim ſolus Deus eſt cauſa efficiens, & principalis gratiæ, & non ulla creatura; unde *Job.* 14. *Quis poteſt mundum facere de immundo conceptum ſemine, niſi tu qui ſolus es? Pſal* 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Præterea quia nullum poteſt aſſignari agens creatum in cujus virtute gratia habitualis contineatur.

Quòd ſi dicas, Sacramenta eſſe cauſam gratiæ efficientis, reſpondetur, Sacramenta eſſe tantum cauſas inſtrumentales, & morales in ſententia plurium, non verò cauſam principalem & efficientem divinæ gratiæ; hæc enim eſt ſolus Deus, unde David *Pſal.* 30. ait: *Cor mundum crea in me Deus*, & non dicitur ratione animæ ſuſcipientis gratiam, ſed ratione novi doni communicati animæ, ſeu gratiæ habitualis.

Hinc de fide eſt, gratiam juſtificantem ſe habere in homine per modum qualitatis permanentis, & deſumitur ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap.* 7. ubi generatim definit: Deum juſtificare per formam inhærentem animæ: ſed hæc forma non poteſt eſſe aliquis actus, ut per ſe evidens eſt, & patet parvulis, qui non ſunt capaces talis actus: unde hæc forma, qua juſtificamur, eſt habitus, & ſe habet per modum qualitatis permanentis. Præterea quia de juſtificatione docet Tridentinum, non poſſunt ſalvari ſine qualitate permanente: ſiquidem de qualitate permanente Catechiſmus Romanus de Baptiſmo explicat Concilium, inquiens.: *Eſt autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœnâ anathematis propoſita decrevit, non ſolum per quam peccatorum ſit remiſſio; ſed divina qualitas in anima inhærens, & veluti ſplendor quidam, & lux, quæ animarum maculas omnes delet, ipſaſque animas pulchriores, & ſplendidiores reddit.* Et paulò infra ſubdit: *Huic autem additur nobiliſſimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur.* Præterea quia Tridentinum *ſeſſ. 6. cap.* 7. vocat gratiam juſtificationis primam ſtolam, quam accipimus pro illa, quam Adam per ſuam inobedientiam ſibi, & nobis perdidit, & quidem per Jeſum Chriſtum donatam, & poſtea jubemur hanc eandem ſtolam candi-

dam

dam, & immaculatam renati conservare, ut eam deferamus ante tribunal Christi: sed illud tantum conservatur, quod habitualiter permanet, & se habet per modum qualitatis permanentis: ergo ex Concilio Tridentino constat, esse de fide gratiam sanctificantem esse qualitatem permanentem in anima nostra. Præterea Tridentinum *loc. cit.* distinguit gratiam justificationis à dispositione, quæ fit per fidem, spem, & charitatem, consequenter ex Tridentino justificatio non consistit in aliquo actu, alioquin deberet esse aliquid ex illis tribus. Rursus *can.* 24. definit acceptam justitiam conservari per bona opera, & augeri; & non posset id verificari, si gratia justificans non se haberet per modum qualitatis permanentis. Præterea quia Tridentinum definit esse eundem modum justificationis in omnibus, tam in adultis, quam parvulis: siquidem doctrina Concilii de justificatione est universalis, & complectitur omnem modum justificationis, sive in Sacramentis, sive extra Sacramenta, alioquin, cum modus justificationis extra Sacramenta sit verus modus, quo per verum actum contritionis quis justificatur, si hic modus non comprehenderetur in doctrina Concilii, sequeretur hanc esse mancam, & insufficientem quia nullibi ex professo explicat hunc modum justificationis extra Sacramentum. Tum quia Concilium *sess.* 10. *cap.* 4. asserit: quovis tempore fuisse necessariam contritionem ad impetrandam veniam peccatorum: Quòd si contritio impetrat veniam peccatorum, quia nulla forma impetrat suum effectum formalem, sequitur, quòd non contritio, sed quid aliud distinctum à contritione tribuat peccatorum remissionem, & hoc aliud non potest esse, nisi ipsa gratia sanctificans. Quamobrem ex Tridentino constat, modum justificationis esse eundem in omnibus, qui justificantur, tum in Sacramento, tum extra Sacramentum: sed de facto in parvulis, & adultis qui per actum contritionis justificantur in Sacramento Baptismi, & pœnitentiæ, justificatio fit per veram qualitatem permanentem, cùm parvuli sint incapaces talis actus, quo justificentur, ergo etiam respectu justificationis adultorum, qui justificantur extra Sacramentum; debet fieri justificatio per qualitatem permanentem, alioquin, si adulti non justificarentur extra Sacramentum per qualitatem permanentem, non possunt aliter justificari, quàm per ipsum actum contritionis, cum non possit quid aliud assignari: sed actus non est ex natura sua sufficiens ad justificandum: siquidem actus ordinat hominem secundùm unam tantùm operativum, consequenter non sufficit ad justificationem, de cujus ratione est ponere ordinem permanentem, quo homo universaliter ordinetur secundùm exigentiam finis supernaturalis: siquidem tantus debet esse ordo justificationis, quanta fuit ordinatio peccati: sed peccatum non solùm importat deordinationem ab aliqua operatione, sed etiam habitualem, & permanentem deordinationem sitam in ipsa macula relicta in anima per peccatum actuale: consequenter & ordo justificationis, ut sit tantus, quanta est deordinatio peccati, cùm hoc importet deordinationem habitualem, & permanentem ita etiam gratia justificans debet importare qualitatem permanentem.

Quòd si dicas, per actum contritionis relinqui aliquid habituale, quod permanenter justificet, sicut per peccatum relinquitur macula, quæ est aliquid habituale; contra est, quia ordo justificationis ita respicit finem supernaturalem, ut ex vi illius sit debitus, ac constituat hominem ordinatè se habentem permanenter respectu talis finis, proinde constituit hominem filium Dei: ad hoc autem non sufficit aliquid, quod relinquatur ab actu, sed requiritur forma positiva permanens, qua homo permanenter verè constituatur in statu supernaturali.

Dices, hanc formam permanentem non esse necessariam, ut homo justificetur, si contritio, & dilectio Dei super omnia est sufficiens ad expulsionem peccati: sed contritio & amor Dei super omnia sufficit ad expulsionem peccati, & justificationem hominis, ut liquet ex scripturis, 1. *Petri* 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, & *Joan.* 14. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus.* Præterea, quia Concilium Tridentinum non facit rem magis esse de fide, quàm scriptura, si non loquatur clariùs quàm ipsa scriptura, ac dicat formam justificantem esse aliquid permanens: sed Concilium hoc non explicat clariùs quàm scriptura, quamvis Concilium dicat gratiam sanctificantem esse aliquid permanens per modum habitus. Contra est, distinguitur minor, contritio sufficit ad justificationem dispositivè, concedo, formaliter, negatur: & ita dicendum est de ipso actu dilectionis: siquidem sunt actus contritionis, & dilectionis super omnia dispositiones ad justificationem, non verò ipsa justificatio formaliter, quia hæc non est actus, qui se habeat per modum transeuntis, & fluxus, sed forma habitualis permanens: hinc ad illud 1. *Petri* 4. respondetur, dilectionem dici justificare dispositivè tantùm, non verò formaliter, quasi ipsa dilectio super omnia sit ipsa forma, qua justificamur. Cæterum justificatio tantùm tribuitur dilectioni, quia ex illo colligitur à posteriori justificatio formalis, unde charitas dicitur operire multitudinem peccatorum dispositivè, non formaliter: ad aliud, quod addebatur de definitione Concilii, respondetur multò clariùs, & distinctiùs explicari in Concilio, quàm in scriptura formam justificationis, quia Concilium non solùm dicit hanc gratiam diffundi in cordibus nostris, sed ulteriùs explicat, inhærere ac produci per sacramenta ritè suscepta.

# CAP. XV.

## An gratia sanctificans sit supernaturalis quoad entitatem, & an indigeat justus auxilio actuali ad operandum bonum, & perseverandum.

NOmen hoc supernaturale coalescit ex præpositione *super*, quæ significat, eminentiam excellentiam excedentem naturam, & adjectivo *naturali*, sumitur hic ens naturale pro ipsa substantia vel omni eo prædicato, quod illi debetur juxta exigentiam cursus, & ordinis naturæ: quapropter supernaturale est omne id, quod est super omnem naturam creatam, & ejus exigentiam juxta cursum & ordinem naturæ. Dari ens supernaturale, seu supra totam naturam creatam ejusque exigentiam in ordine ad proprium finem assequibilem viribus naturæ est certum de fide, & colligitur ex illis scripturis in quibus nobis revelantur mysteria, quorum cognitio excedit vires naturæ & capacitatem intellectus creati, ut mysterium Trinitatis, Incarnationis Verbi, quæ Mysteria à nulla Philosophorum cognita fuerunt, nec sunt cognoscibilia sine revelatione, ut scribit Apostolus 1. *ad Corinth.* 2. & *ad Colos.* 1. Ratio est, quia definitio rei est principium cognoscendi omne ejus prædicatum, quod per rei definitionem, ut per medium à priori cognosci potest: quo fit, ut rei essentia, prædicata, & proprietates eodem modo cognoscantur, & demonstrentur, sicut cognoscitur eadem essentia rei; non enim conclusio est in alio rerum ordine, ac sint præmissæ influentes in conclusionem: hinc si quis cognoscat propriis viribus præmissas continentes rei essentiam, conclusio, quæ ex iisdem inferri potest, non excedit capacitatem cognoscentis: sed nullus intellectus creatus, quantumvis elevatus à materia potest propriis viribus divinam essentiam cognitione intuitiva attingere, quia nullus intellectus creatus, utpote finitus, potest propriis viribus Deum infinitum, & illimitatum intuitivè à priori cognoscere, sed tantùm à posteriori per effectus creatos dependentes essentialiter à prima causa, & abstractivè, unde datur aliquid quod excedit vim creatæ & naturalis intelligentiæ, quapropter supernaturale est, quod habet excellentiam supra naturam & est duplex, unum dignitate essentiali, & aliud quoad efficaciam, & energiam operandi, & hoc secundum fundatur in dignate essentiali, quapropter mixta, quia dignitate essentiali excedunt elementa, dicuntur supernaturalia respectu elementorum; & mista viventia respectu non viventium; sensibilia respectu vegetabilium, & intellectualia respectu sensibilium; hæ tamen supernaturalitates dicuntur tantùm secundum quid, quia solus Deus est supernaturalis simpliciter habens essentiam, & excellentiam operandi supra omne creabile, cùm sit ens improductum & actus purus à se. Supernaturale autem creatum est quædam imago divinæ supernaturalitatis, & consistit in participatione perfectionum, quæ Deo sunt propriæ, ut elevato supra totam naturam creatam, & creabilem, & quæ Deo conveniunt, ut est ens à se habens esse irreceptum includens totam plenitudinem perfectionum cum exclusione cujusvis defectus. Quia verò Deus ut habens esse irreceptum continet duo perfectionum genera, ideo dantur in Deo perfectiones quæ non possunt creaturis ad extra communicari secundùm eam rationem formalem, qua sunt in Deo, in quo sunt à se, & habent esse irreceptum: quia si hæ perfectiones communicarentur creaturæ, hæc esset à se, quod repugnat: quapropter Deus non potest communicare creaturæ esse à se, nec actum purum simpliciter infinitum, nec esse trinum in personis cum una, & eadem essentia, quia hujus generis perfectiones non possunt reperiri nisi in ipso Deo habente esse à se cum inclusione totius plenitudinis perfectionum, & exclusione cujusvis defectus. Aliæ sunt perfectiones quæ possunt creaturis communicari, cujusmodi sunt respicere Deum tanquam objectum connaturale, eumque cognoscere, & amare tanquam finem connaturalem, quia hæ perfectiones secundùm eam rationem, qua sunt Deo propriæ communicantur creaturis diminutè, & inadæquatè, quia quamvis non possint hujusmodi perfectiones reperiri in creaturis in eo gradu perfectionis quo sunt in Deo, eò quia Deus respiciat se ipsum, ut objectum connaturale modo infinito, & comprehensivè, quod non potest ulli creaturæ convenire, nihilominus hæ perfectiones in esse diminuto conferuntur creaturæ, quatenus hæc mediante lumine gloriæ respicit Deum, ut est in se per actus cognitionis, & amoris tanquam finem, & objectum aliquo pacto sibi connaturale, & in hoc sensu creatura dicitur propriè, & formaliter participare supernaturalitatem Dei, licèt diminutè, & inadæquatè: participare enim ex vi significationis est partem accipere, & partem relinquere, quapropter ex eo, quod creaturæ communicetur respicere Deum, ut est in se, tanquam objectum sibi connaturale, & illum amare, ut finem itidem connaturalem, accipit tantùm partem illarum perfectionum, quæ insunt formaliter Deo, qui se ipsum perfectissimè cognoscit, ut objectum sibi maximè connaturale; & se ipsum amat: quia verò Deus infinito modo se cognoscit, & amat, & creatura illum tantùm cognoscit, & amat finito modo & limitato, ideo dicitur relinquere partem earundem perfectionum, in quo sensu dicitur creatura participare divinas perfectiones.

Hinc asserendum est, gratiam habitualem esse supernaturalem quoad entitatem. Ratio est quia gratia habitualis est participatio naturæ divinæ, prout hæc est natura divina, sed formale constitutivum naturæ divinæ, ut divinæ & distinctæ ab essentia est ipsa intellectio actualis, quæ est radix virtualiter cœterarum proprietatum operativarum: & quia hæc intellectio est, qua Deus se ipsum intuitivè ac perfectissimè cognoscit, tanquam objectum sibi connaturale, ideo hæc perfectio est propria Deo, cui formaliter convenit, quatenus Deus elevatur supra omne ens creatum, & creabile, quo fit, ut sit in Deo perfectio supernaturalis relata ad creaturas: unde si gratia sanctificans est participatio naturæ divinæ est, supernaturalis entitativè: atqui gratia sanctificans revera est participatio divinæ naturæ, ut distinctæ ab essentia, quia hæc constituitur per esse à se, & natura per ordinem ad operandū, quatenus est radix operationum, etenim concedunt Theologi & Sancti Patres gratiam sanctificantem esse aliquam participationem naturæ divinæ, vi cujus homo constituitur capax amicitiæ Dei, & hæres ac filius adoptivus ejusdem, ut liquet ex 2. *Petr.* 1. *Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ*, seu ejusdem sortis, & conditionis, non solùm quantum ad consortium morale impeccabilitatis, sed etiam quod physicum secundum participationem ejusdem formæ, quâ Deus constituitur in sua natura; hinc gratia sancti-

sanctificans non solùm moraliter, sed etiam physicè est participatio naturæ divinæ, quia hoc pacto melius salvatur, quomodo sit filiatio Dei adoptiva, & jus ad æternam hæreditatem ac semen Dei, quod manet in nobis, homo enim in scripturis dicitur nasci, & renasci ex Deo per gratiam, *Joan. 1. Ex Deo nati sunt*, & rursus, *dedit eis potestatem filios Dei fieri*, quapropter scriptura variis nominibus vocat Deum juxta diversos effectus, quos causat, vocat enim Deum Patrem, quando tribuit nobis gratiam *ad Ephes. 1. gratia vobis à Deo Patre*, sed filiatio adoptiva Dei non fit per extrinsecum tantùm affectum, ut in humanis, sed per realem, & intrinsecam participationem naturæ divinæ, qua efficimur Deo similes, unde gratia sanctificans non est sola moralis participatio naturæ divinæ, quia hæc est idem ac participare rectitudinem moralem Dei: sed hæc participatio non potest salvare nativitatem hominis ex Deo, nec ejus adoptivam filiationem, quia nativitas, & filiatio exigunt necessariò, ut filius participet naturam Patris, vel participatione substantiali, si filiatio sit substantialis; vel accidentalis, si sit tantum accidentalis: unde filius sive naturalis, sive adoptivus semper debet participare naturam Patris, non enim potest homo sibi canem, vel equum adoptare in filium, eò quia non participant naturam hominis: sed rectitudo moralis Dei non est ipsa natura divina, quia hæc rectitudo est propria perfectio voluntatis divinæ consequenter pertinet ad perfectionem attributalem se habentem tantùm consecutivè ad naturam divinam: ergo cum participatio hæc moralis sit tantùm participatio rectitudinis spectantis ad voluntatem; sequitur hanc moralem participationem non sufficere ad constituendum hominem filium adoptivum Dei, quia ratione filiationis debet adoptatus participare formaliter naturam adoptantis, & per hanc participationem moralem homo tantum participat perfectionem aliquam propriam divinæ voluntatis, non verò divinam naturam.

Præterea quia per gratiam non moraliter, sed physicè participamus operationes proprias Dei, ut sunt videre Deum intuitivè, ut objectum sibi connaturale, & ut actum purum, illumque amare propter se, cooperari indefectibiliter, sicut enim Deus perfectissimè cognoscit intuitivè, ut objectum sibi connaturale, & amat se propter se ipsum; perinde creatura rationalis per gratiam sanctificantem physicè elevatur ad videndum Deum intuitivè, ut objectum sibi connaturale, etenim eo ipso, quod intellectus creatus elevatur per lumen gloriæ ad intuitionem divinæ essentiæ, est Deus objectum connaturale intellectus ita elevati. Et rursus amat Deum ut finem ultimum propter se ipsum, & quia hæ operationes participantur per gratiam à creaturis physicè, & non tantùm moraliter, ita per eandem gratiam sanctificantem creatura participat physicè, non tantùm moraliter naturam divinam: siquidem operatio proportionatur naturæ, cujus est operatio, & à qua proficiscitur; adeo ut, si operatio sit physica exigat essentialiter fluere à natura, quæ sit talis in genere physico, quia principium non potest influere in principiatum in diverso ordine, ac sit ipsum principium: sed creatura per gratiam physicè & non tantùm moraliter participat operationes proprias Dei, ergo etiam per gratiam participat physicè & non tantùm moraliter naturam Dei, alioquin operatio non proportionaretur formæ à qua oritur. Præterea quia gratia sanctificans constituens hominem filium Dei adoptivum confert eidem jus ad hæreditatem: sed hæreditas supponit in hærede proportionatum jus ad bona Patris: sed bona quæ per gratiam hæreditamus, sunt ipsæ physicæ participationes divinarum operationum: sunt enim visio intuitiva Dei, ut est in se, & amor, quo beatus amat Deum ut finem ultimum; sunt enim participationes divinæ intellectionis & amoris, quibus Deus se ipsum intuitivè cognoscit, & perfectissimè amat.

Dices, præcipua ratio, qua gratia dicitur esse participatio physica, & non moralis divinæ naturæ est, quia homo per gratiam sanctificantem constituitur Filius Dei adoptivus, sed hæc ratio non probat gratiam sanctificantem esse physicam participationem naturæ divinæ, quia Christus in scripturis *Matth. 12.* vocat fratres secundum naturam divinam etiam eos, qui fecerint voluntatem Dei, & cui se conformaverint: sed hæc conformitas est tantùm rectitudo in voluntate humana, non verò illa physica participatio naturæ divinæ: ergo solùm morale consortium cum Deo sufficit, ut dicamur, & simus Filii Dei. Præterea quia Apostolus *ad Galat. 3.* ait: *vos estis filii Dei per fidem*; sed fides non est participatio naturæ, sed tantùm divinæ cognitionis: ergo ex eo, quòd in scripturis dicamur per gratiam sanctificantem fieri Filii Dei adoptivi, inde non evincitur, gratiam sanctificantem debere esse physicam participationem naturæ divinæ. Sed contra, negatur minor, & ad ejus primam probationem respondetur, rectè Christum vocâsse fratres facientes voluntatem Dei, quia isti supponuntur habere gratiam sanctificantem, consequenter participare physicè naturam divinam, ratione cujus constituuntur Filii Dei adoptivi, & fratres Christi; etenim nullus potest in omnibus semper facere voluntatem Dei sine speciali gratia. Ad secundum respondetur, Apostolum ibi loqui de fide viva, quæ est connexa cum gratia, quia fidelis participat physicè naturam divinam, quapropter dicuntur Filii Dei per fidem præsuppositivè quatenus fides supponit gratiam sanctificantem. Præterea posset responderi Apostolum vocasse Filios Dei per fidem non formaliter, sed initiativè, seu dispositivè, quatenus homo dicitur per fidem regenerari ex Deo, & fieri initiativè, ac dispositivè ejus Filius adoptivus: siquidem est Fides ex parte intellectus dispositio, & initium infusionis gratiæ sanctificantis, qua homo participat physicè naturam divinam.

Hinc gratia sanctificans non est tantùm virtualis participatio naturæ divinæ, sed formalis, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæst. 110. art. 2. & 3.* & probatur ex scripturis 2. *Petri 1. Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ:* atqui fieri consortes naturæ divinæ, non est tantum virtualiter, sed formaliter participare naturam divinam, ut explicat Augustinus *epist. 102. ad Honorat. c. 4.* Præterea quia D. Paulus expresè ait: Nos per gratiam regenerari in Filios Dei *ad Tit. 5. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis. Joan. 1. dedit eis potestatem filios Dei fieri, Psal. 81. Ego dixi, dii estis*, ubi Augustinus *in enarrat. ejusdem Psal.* ait: *Homines dixit Deos gratia sua Deificatos.* Et D. Hieronymus *in eundem psalmum* ait: *vide, quanta sit hominis dignitas; & dii vocantur, & filii. Non est personarum acceptio apud Deum. Non dixit: Ego dixi, Dii estis, Reges, Principes, quibus equaliter corpus dedi, & animam, & Spiritum æqualiter donavi, & deitatem, & adoptionem: deitatem quidem Deus donavit in participatione deitatis, qua mediante Spiritum adoptionis accipimus, in quo clamamus, Abba Pater.* Ex quibus constat, gratiam sanctificantem constituere hominem Filium Dei per formalem & physicam participationem naturæ divinæ, præsertim cum Concilium Trident. *sess. 6. cap. 3.* asserat,

afferat, gratiam qua renascimur in Christo, esse habitum infusum nobis inhærentem, quo mediante à statu filiorum Adæ transferimur in statum Filiorum Dei: & cùm hæc adoptio fiat mediante forma physica nobis à Deo infusa, & impertita; hæc est formalis, & physica participatio naturæ divinæ, in qua efficimur similes, & filii Dei: ac fratres Christi, & cohæredes regni cœlestis. Hinc 1. *Joan.* 4. *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat; sed generatio Dei conservat eum*: generatio autem est respectu filii similis in natura Patri, non similitudine naturali, sed formali participata per gratiam.

Etenim ut docet D. Thomas 1. 2. *q.* 110. *art.* 2. & 3. de rebus supernaturalibus loqui debemus per quamdam analogiam ad res naturales: sed virtutes naturales (quæ ex propria ratione disponunt subjectum, quod est perfectum in ordine ad finem illi connaturalem) præsupponunt in subjecto naturalem inclinationem ad finem eidem connaturalem: virtus enim ideo datur, ut per ipsum subjectum consequatur finem, in quem ordinatur, sed virtutes supernaturales disponunt hominem ad finem altiorem, & modo excellentiori, consequenter debent præsupponere subjectum dispositum altiori natura, & propensione: siquidem propensio in Deum, ut est in se & ad illum intuitivè cognoscendum, & toto corde amandum, debet radicari in aliqua natura; non enim datur inclinatio, quæ non radicetur in aliqua natura; sed non potest radicari hæc inclinatio in Deum ut est in se cognoscendum & amandum in natura, & essentia animæ, quia omnis inclinatio tendit in bonum proprium naturæ, in qua inclinatur, consequenter inclinatio tendens in bonum divinum ut est in se ipso non potest radicari in natura, & essentia animæ, sed solùm in natura divina, vel per essentiam, si sit inclinatio quid creatum: vel per participationem, si sit inclinatio quid increatum, ut in casu nostro. Rursus omnis inclinatio tendit essentialiter in bonum perfectivum naturæ, cujus est inclinatio: siquidem nulla inclinatio est propter se, sed propter naturam in qua radicatur: eatenus datur inclinatio, ut natura per ipsam suam consequatur perfectionem, ac bonum sibi proportionatum, proinde hæc inclinatio debet necessariò supponere in homine justificato formalem & physicam participationem naturæ divinæ: quia cum natura & essentia animæ non possit ex se habere hanc inclinationem ad participandos actus naturales proprios Deo, quamvis diminutè, & inadæquatè, debeat in ipso dari per gratiam sanctificantem participatio naturæ, cui sit connaturalis inclinatio ad tales actus & finem, hæc autem natura non potest esse nisi divina, quia quamvis natura animæ rationalis dicat appetitum innatum ad formas supernaturales, ut sunt formæ; hic tamen appetitus non est formalis participatio ordinis supernaturalis, sed tantum est quædam capacitas captiva, qua potest recipere dona supernaturalia, ratione quorum elevatur ad actus supernaturales eliciendos.

D. Thomas *quæst.* 27. *de veritate art.* 2. id evincit hac alia ratione, quia operationes quæ naturæ superiori sunt connaturales, non possunt fieri connaturales inferiori, nisi hæc aliquo pacto participet in se formaliter naturam illam superiorem: sed visio Dei, intuitiva ejusque dilectio super omnia sunt operationes connaturales naturæ divinæ, ac fiunt connaturales homini justo per gratiam sanctificantem, siquidem per hanc creatura intellectualis elevatur ad eliciendas has operationes proprias Dei, seu visionem intuitivam divinæ essentiæ, quia tunc similes ei erimus, quia videmus eum sicuti est: & amorem supernaturalem quo in Patria Deum amabimus super omnia ut finem ultimum supernaturalem propter se ergo hæ operationes debent supponere participationem formalem naturæ divinæ per gratiam sanctificantem, huic rationi antea adhæserat D. Dionysius *cap.* 2. *cœlest. hierarch. statim post init.* ubi asserit: non posse aliquem habere operationem spiritualem, nisi priùs accipiat esse spirituale, perinde ac non potest habere operationem alicujus naturæ, quin priùs habeat esse in illa natura, ex quo infert Sanctus Doctor, non posse creaturam elicere operationem propriam Dei, cujusmodi est visio Dei intuitiva, quin participet formaliter naturam divinam: ergo gratia sanctificans est physica & formalis participatio naturæ divinæ.

Quòd si dicas, gratiam sanctificantem in scripturis vocari semen *Joan.* 1. & 3. *qui natus est ex Deo, peccatum non facit*, & subjungens rationem subdit; *quia semen ejus manet in eo*, scilicet gratia sanctificans, ut communiter explicant Sancti Patres, atqui semen tantùm virtualiter, non verò formaliter participat naturam generantis; perinde ac semen arboris dicitur tantùm virtualiter, non vero formaliter arbor, & planta, unde gratia sanctificans est tantùm virtualis participatio naturæ divinæ non verò formalis, & physica: sed contra negatur consequentia, quia gratia sanctificans non dicitur semen Dei respectivè ad naturam divinam, cujus est participatio; sed relativè ad visionem intuitivam divinæ essentiæ, cujus est radix: hinc quia visio Dei intuitiva continetur in virtute gratiæ, perinde ac arbor in virtute seminis juxta illud Apostoli, *gratia Dei vita æterna*, quia à gratia consummata in patria oritur connaturaliter lumen gloriæ, ut proprietas ab essentia, & arbor ex semine, & in hoc sensu dicitur gratia semen Dei respectivè ad visionem beatam, cujus est radix, ut docet D. Thomas 1. *part. quæst.* 62. *art.* 3. inquiens: Gratia gratum faciens hoc modo comparatur ad beatitudinem, sicut ratio seminalis in natura ad effectum naturalem: unde 1. *Joan.* 3. gratia semen Dei nominatur.

Objicies contra assertionem, qua dicimus gratiam habitualem esse supernaturalem quoad entitatem, tota ratio, qua gratia sanctificans dicitur esse supernaturalis quoad substantiam, & entitatem in eo consistit, quia est radix operationum, quibus creatura rationalis cognoscit intuitivè Deum, ut objectum sibi connaturale, eumque amat, ut finem itidem connaturalem, atqui hæc ratio est potiùs de subjecto non supponente, quia gratia sanctificans non est habitus operativus, consequenter non potest Deum, ut est in se attingere per modum objecti specificativi, vel finis connaturalis: ergo cùm supernaturalitas consistat in habitudine ad Deum, ut est in se tanquam in objectum specificativum, vel finem connaturalem, sequitur ex præexpensa ratione non probari, gratiam sanctificantem esse entitativè supernaturalem. Sed contra, negatur minor, & distinguitur ejus probatio: gratia habitualis non est proximè & immediatè activa, conceditur, non est operativa remotè, & radicaliter, negatur minor, & consequentia: quamvis gratia sanctificans non sit habitus proximè, & immediatè activus, est tamen radix virtutum infusarum, ac donorum supernaturalium Spiritus Sancti, quæ sunt principia proxima, & immediata operandi in ordine supernaturali: consequenter gratia sanctificans est principium radicale cognoscendi Deum intuitivè, ut est in se per modum objecti specificativi, & cum amandi ut

ut finem connaturalem : & hoc sufficit, ut gratia sit supernaturalis quoad substantiam, & entitatem in habitudine immediata, vel mediata ad Deum ut objectum specificativum, aut finem connaturalem : hinc non solùm gratia habitualis, verum etiam præcedentia auxilia actualia, ut gratia excitans, & adjuvans, quibus creatura rationalis disponitur ad gratiam sanctificantem, dicuntur, & sunt auxilia supernaturalia, quamvis tantùm mediatè tendant in Deum, ut est in se tanquam in objectum connaturale, & finem ultimum itidem connaturalem : quinimò etiam virtutes morales infusæ sunt supernaturales, quia licèt immediatè non respiciant Deum tanquam finem connaturalem, & ipsum tamen mediatè tendunt, quatenus respiciunt immediatè objectum, ut regulatum per prudentiam infusam, quæ mediante fide & charitate Deum attingit, ut est in se.

Superest ostendendum hominem habentem gratiam justificantem indigere auxiliis actualibus supernaturalibus ad operandum bonum, & perseverandum in gratia sanctificante, adeo ut donum perseverantiæ conservans gratiam sanctificantem ab hac distinguatur. Pro quo prænotandum est, duplici modo posse contingere, ut quispiam usque ad finem vitæ gratiam sanctificantem sibi à Deo impertitam conservet, uno modo, si per parvum temporis, ut cum paulò ante mortem illam vel perditam recuperat, vel nunquam ante habitam acquirit, eámque conservat brevi eo temporis spatio, quod superest usque ad mortem brevi successuram. Altero modo, cùm gratiam sanctificantem diu ante mortem acceptam absque ullo lethali lapsu conscientiæ ad finem vitæ semper conservat. Utramque hanc perseverantiam esse donum Dei, seu niti auxilio gratiæ, non obscurè tradidit Concilium Tridentinum, asserens illud Christi effatum, qui perseveraverit usque in finem, salvus erit, esse intelligendum de dono perseverantiæ : & constat præfatis verbis comprehendi utrumque modum perseverandi, siquidem alterutro ex illis in gratia perseverare satis est, ut quis salutem consequatur. Est tamen discrimen inter perseverandum in gratia sanctificante accepta vel recuperata paulò ante mortem, & ad perseverandum pro longo tempore, & usque ad finem vitæ : quia ad perseverandum ad breve tempus ante mortem sufficiunt illa auxilia, quæ ad gratiam vel obtinendam, vel recuperandam necessaria fuerunt, quia homo justus ad breve tempus interdum potest vitare omnia peccata mortalia, unde eadem auxilia actualia, quæ ad gratiam obtinendam, vel recuperandam necessaria fuerunt, sufficiunt ad perseverandum per breve tempus in eadem. Secus ut homo justus pro longo tempore, & usque ad finem vitæ perseveret, indiget actualibus auxiliis de novo, ac sæpè collatis contra Pelagium, & Cœlestium, aliosque Hæreticos asserentes nullam ad id gratiam requiri, quod adversatur scripturis, etenim cum David *Psal.* 126. dixisset : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam*, postea adjecit : *Nisi Dominus custodierit civitatem frustra vigilat, qui custodit eam*, ut innueret ad conservandam, seu custodiendam gratiam sanctificantem in anima nostra requiri auxilium actuale Dei, adeo ut nisi Deus freqnenter suppeditet hæc auxilia actualia supernaturalia non possit vir justus ad longum tempus obtinere victoriam occurrentium tentationum, & perseverare finaliter : unde sequitur perseverantiæ donum esse distinctum à gratia sanctificante, seu habituali. Hinc D. Hieronymus *lib. 2. contra Pelagium*, expendens verba *Psal. 99. In æternum misericordia ædificabitur*, ait : *Nullum est tempus, quo non ædificetur misericordia in singulis quibuscunque Sanctorum*. Et ipse Salomon ecclesiam jam ablutam per gratiam (ut D. Augustinus exponit, *innixam super dilectum suum in deserto hujus vitæ ad beatarum domicilium ascendere*, quia illius ope sustentatur, ut gratiam conservet, quapropter *Jerem.* 31. nullum excipiens ait : *Scio Domine, quod non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet, & dirigat gressus suos*. Hinc in oratione Dominica petimus à Deo gratiam non peccandi, seu gratiam perseverandi in gratia sanctificante jam recepta : & ut ait Augustinus *lib. de perseverantia cap. 2. frustra petitur, si non datur à Deo*, & Apostolus 1. *Corinth.* 10. ait : *Qui se existimat stare, videat, ne cadat*, seu satagendo videat, & instanter oret, quia ut ait Christus *Matth.* 10. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, & *ad Roman.* 9. ait: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* : supponitur enim status justificationis currentis, & quia D. Paulus noverat aliquos non perseveraturos addit: *Miserentis esse Dei*, dantis scilicet donum speciale aliquibus, quo perseverent non peccando, sed perseverando. Præterea hoc idem nos docent omnes illæ scripturæ, quibus hortamur ad petendam perseverantiam à Deo, *Joan.* 17. *Pater sancte serva eos in nomine meo quos dedisti mihi, non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo*, & *Matth.* 26. Christus ait Apostolis, *quid dormitis, surgite, & orate, ne intretis in tentationem*, quem textum urget S. Hieronymus *contra Pelag.* inquiens : *debuit secundum vos dicere, non surgite, & orate, sed surgite, & resistite absque alio auxilio.*

Sancti Patres hanc eandem Catholicam veritatem fatentur, præsertim D. Augustinus *lib. de grat. & liber. arbit. cap. 6.* ubi ait : *Necessarium est homini, ut gratia Dei non solùm justificetur impius, seu ex impio fiat justus, cum redduntur ei bona pro malis, verum etiam cum fuerit jam justificatus ex fide, ut ambulet cum illa gratia & incumbat super ipsam, ne cadat*; & *lib. de bono perseverant. cap. 17.* habetur : *Videte, à veritate quàm alienum sit, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ, cùm vitæ huic quando voluerit, ipse finem det, quem si dat ante imminentem lapsum facit hominem perseverare usque in finem.* D. Bernardus *serm. 3. in Cant*, ait : *Non sum contentus priori gratia, qua jam malorum sum pœnitens, nisi & secundam accepero, ut scilicet dignos faciam fructus pœnitentiæ, & deinceps non revertar ad vomitum*, quia innumera occurrunt pericula præsertim per diuturnitatem temporis, in quæ impingens vas nostrum fragile, ac sæpe concussum, tandem frangitur, & gratiam ac vitæ integritatem deperdit, nisi divinis fulciatur auxiliis, à quibus veluti manuducatur. Insurgit persæpe concupiscentia, rebellat caro contra Spiritum, invadunt Dæmones justos quos tentationibus pulsant : & opportunitates peccandi frequenter fiunt obviæ, & præsertim, cùm mundus alliciat, caro stimulet, sensus propendeat, nisi gratiæ auxiliis actualibus muniamur, difficulter stamus, ne in lethalia peccata labamur, ac gratia destituamur sanctificante. Hinc Augustinus *lib. de natur. & grat. cap. 26.* id evincit luculenta paritate : quia sicut oculus corporis plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere ; sic & homo perfectissimè justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, rectè vivere non potest : atqui justificatio fit per gratiam, ut ait Apostolus *ad Roman.* 5. consequenter homo, tametsi habeat gratiam sanctificantem, adhuc indiget alio auxilio ad rectè vivendum.

Præterea quia justificatus nequit operari, nisi excitetur ex parte intellectus, & moveatur à Deo ad rectè agendum: sed excitari est auxilium actuale, consequenter prima, quam vir justificatus habet, non sufficit: sed cum eadem gratia sanctificante debet justificatus semper excitari ex parte intellectus, & moveri in voluntate à Deo in ordine ad rectè operandum: hinc D. Thomas asserit, quod ad rectè vivendum homo indigeat duplici auxilio Dei, uno quantum ad aliquod habituale donum, per quod natura corrupta sanetur, & sanata elevetur ad agenda opera meritoria, quæ excedunt proportionem naturæ, & alio, quo moveatur ad eadem facienda. Præterea quia in oratione dominica petimus quotidie à Deo bonum perseverantiæ, cum dicimus. *libera nos à malo*, & gratias ei agimus pro tentationibus superatis, consequenter repugnat sine peculiari dono actuali diu perseverare in gratia sanctificante, ut definivit Concilium Tridentinum *sess. 6. can.* 23. ubi ait: *Si quis dixerit justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Præterea quia habitus non movent potentiam nec illam ad operandum juvant, nisi prius ab ipsa potentia applicentur ad operandum: sed naturalis potentia hominis non potest per seipsam supernaturalem habitum applicare ad operandum, nisi priùs excitetur à Deo, quia initium omnis boni operis nonnisi à Deo est.

Quòd si dicas, Concilium Milevitanum *cap.* 3. asserere gratiam justificantem esse adjutorium, ut peccata non perpetrentur, sed peccata lethalia non perpetrare est idem ac perseverare in gratia sanctificante, quæ non expellitur nisi per peccatum lethale, ergo ex Concilio Milevitano hoc donum perseverantiæ est ipsa gratia sanctificans, non verò donum aliquod actuale distinctum: Sed contra, quia Concilium per gratiam justificantem non intelligit gratiam habitualem, quæ est remissio peccatorum, sed auxilium gratiæ generatim. Verùm hæc responsio cui innituntur præsertim Vasquez, & Vega, non satisfacit, quia Concilium Milevitanum specificè loquitur de gratia justificationis, quæ revera est gratia ipsa habitualis: unde respondetur gratiam habitualem esse quidem adjutoriam, in quantum ponit hominem in statu majoris resistentiæ, quàm sit status peccati, cum peccatum peccato viam emolliat, seu trahat in aliud peccatum. Præterea ait Concilium gratiam justificantem esse adjutorium, ut peccata non committantur: quia facilius movetur Deus ad impertienda nova auxilia necessaria ei qui jam est in gratia, eò quia jam sit amicus, & videtur quodammodo hæc auxilia exigere ob gratiam sanctificantem, ut hæc possit conservari.

Sed instabis, gratia habitualis aut frustra impertitur, aut est imperfecta, si illud non implet, ad quod datur, sed gratia datur, ut possimus bene agere, seu opera bona elicere, & peccatum vitare, ergo cùm habituali gratia sit perfecta valet ad utrumque: sed contra, quia gratia sanctificans est perfecta, quatenus ponit hominem in statu supernaturali apto ad merendum, verùm quia in statu illo supernaturali adhuc remanet corruptio in carne, & concupiscentia inclinans ad creaturas, & appetitus inferior rebellis superiori, adhuc remanet in homine justificato quædam obnubilatio in intellectu, qua non bene videt pericula, nisi ab alia gratia illuminetur. Hinc D. Paulus *ad Roman.* 8. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus*, & *Sapient.* 9. *Cogitationes mortalium timida, & incerta providentia nostra*, quapropter indigemus auxilio gratiæ actualis distincto à gratia sanctificante ut quoties occurrunt pericula labendi in lethalia possimus illa declinare, & quoties tentationes nos pulsant, valeamus iisdem obsistere.

Verùm quamvis auxilia gratiæ ad perseverandum necessaria sint, asserimus tamen, esse in potestate justi non peccare lethaliter, est enim potestate sua in suppeditante Deo, si sibi non desit justus, & si ejusmodi auxilia actualia de propriæ salutis perseverantia sollicitus à Deo exposcat, ad quæ petenda nos etiam adhortatur, & ut monet Augustinus: *non adhortaretur ad illa petenda, si ea dare nollet*; unde ex eo, quòd vir justus possit sibi consulere, & à Deo exposcere, ut det illi auxilia actualia ac declinanda pericula, & ad conservandam gratiam sanctificantem, sequitur, quod tametsi ad perseverandum in gratia sanctificante requirantur auxilia actualia, quæ sint dona perseverantiæ distincta ab ipsa gratia sanctificante, adhuc sit in potestate hominis justi perseverare in justitia; hinc Apostolus *ad Philipp.* 1. nos hortatur in Dei auxilio, ut firmissimam spem collocemus, ac reponamus, quia ut ait Concilium Tridentinum *sess. 6. cap.* 13. *Deus, nisi ipsi illius gratia defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere.* Quòd verò nonnulli Theologi asserant, auxilium ad perseverandum petendum esse à Deo, quia non omnibus datur; non ideo hoc asseritur, quasi aliquibus non detur, eò quia Deus nolit illis dare, sed quia ipsi sibi desunt, vel quia tale auxilium non petant, vel quia non bene petant, & ideo non recipiunt: ut ait Apostolus *Jacob.* 4. Unde eo loquendi modo tantùm præfati Doctores monent esse donum perseverantiæ seu auxilium hoc actuale à Deo petendum, ac piè & rectè petendum.

Quòd si dicas, etiam ad orationem nos indigere divino auxilio: siquidem quid oremus, sicut oportet, nescimus, & Spiritus adjuvat infirmitatem nostram postulans pro nobis, ut etiam notavit Augustinus, ergo oratio non est id, quo mediante sit in potestate justi, adjuvante Deo auxilia obtinere ad perseverandum. Sed contra respondetur orationem ad id valere, cùm Christus nos moneat, ut oremus: *Orate, ne intretis in tentationem*, auxilium autem sufficiens ad petenda ea auxilia, omnes justi divinitus habent, sed ad illa auxilia, quæ ad tentationes eas vincendas, & ad perseverandum requiruntur, asserimus orationem ut medium quoddam ex Dei lege ordinaria valere. Præterea quia auxilium, quo quis primò ad conversionem in Deum excitatur, est duplex; specialissimum unum, cui certissimè homo acquiescit; & speciale alterum, cui potest obsistere: ita etiam auxilium ad perseverandum unum est extraordinarium, quo justus certissimo utitur; & alterum ordinarium, quod tametsi per orationem impetratum sit, adhuc potest vir justus illud abjicere. Quamvis enim nomine auxilii ad perseverandum donique perseverantiæ intelligantur non solùm incitamenta ad perseverandum, verùm etiam actualis Dei motio, & concursus, quo justus concurrit cum gratia cooperante, adhuc potest tali auxilio reniti; non enim omnes prædestinati, qui ex hac vita decesserunt, ita fuerunt à Deo adjuti, ut gratiam ante mortem perdere non potuerint, si voluissent; non enim auxilium à Deo impertitum lædit, ac minuit, vel delet liberum arbitrium, sed cum eodem cooperatur liberè.

CAP.

# CAPUT XVI.

## De Effectibus gratiæ juſtificantis.

EFfectus gratiæ juſtificantis ſunt qui ad ipſam conſequuntur, & ab eadem cauſanrur in homine juſtificato; & ſunt hujuſmodi effectus plures, ſi non re, ſaltem ratione, diſtincti, & ad numerum ſenarium reduci poſſunt, quorum primus eſt, ſanare naturam humanam infirmam, eamque viribus deſtitutam corroborare. Secundus, mederi hominem juſtum. Tertius conſtituere ipſum Deo gratum, ac ejus benevolentia, & amicitia dignum. Quartus dare eidem jus ad vitam æternam, & Chriſti hæreditatem, ſeu conſtituere filium Dei adoptivum. Quintus ut per gratiam ſanctificantem remittantur homini peccata. Sextus, efficere, ut illius bona opera ſint meritoria vitæ æternæ, Quod ad primum attinet effectum gratiæ juſtificantis, certum eſt, eſſe proprium gratiæ ſanctificantis impertire homini infirmo ob peccatum ſanitatem. Quam frequenter repetit David inquiens: *Ego dixi, Domine, miſerere mei, ſana animam meam, quia peccavi tibi:* quibus ultimis verbis etiam adducit cauſam infirmitatis ſeu ipſum peccatum, & Chriſtus ipſe *Matth.* 9. hanc eandem infirmitatem cauſatam à peccato indicat, inquiens: *Non eſt opus valentibus Medico, ſed malè habentibus, non veni vocare juſtos, ſed peccatores,* malè enim ſe habentes infirmi ſunt ob peccatum, & bene valentes, qui medico non indigent juſti dicuntur: & hunc textum urget D. Auguſtinus contra Pelagium aſſerentem, ſe non cognoſcere ullam infirmitatem ex peccato in natura humana, ajebat enim ipſe: *Quomodo fieri poteſt, ut peccatum quod ſubſtantia caret, nihilque eſt, naturam reddiderit infirmam?* Cui tamen ſatis accomodato exemplo reſpondet D. Auguſtinus, & cum vehementiùs urget, arctiùſque premit inquiens: *Dubium non eſt, quin comedere nulla ſit ſubſtantia, ſed potiùs receſſus à ſubſtantia, quæ eſt cibus, & tamen ſubſtantia corporis, ſi omnino abſtineat à cibo, ita langueſcit, ita viribus extenuatur, & frangitur, ut ſi aliquo modo perduret in vita, vix poſſit ad eum cibum revocari, à quo abſtinendo vitiata eſt. Sic non eſt ſubſtantia peccatum, ſed ſubſtantia eſt Deus, ſummaque ſubſtantia, & ſolus verus creaturæ rationalis cibus, à quo per inobedientiam recedendo, & per infirmitatem non valendo capere, quod debuit, audis quemadmodum David dicat: Percuſſus ſum ut fœnum, & aruit, cor meum quia oblitus ſum comedere panem meum.* Noverat D. Auguſtinus, non ideo peccatum naturam humanam debilitare, viribus deſtituere, ac infirmam conſtituere, quia infundat quidquam in illam aliquid agendo. ut putavit Pelagius Catholicos aſſerere, quod falſum eſt, ſed dicitur peccatum naturam humautm infirmare eo modo, quo defectus rei neceſſariæ in cauſa eſſe ſolet aliorum defectuum, qui conſequuntur ad talem defectum, ut exemplificat Auguſtinus in ipſo defectu à cibo, & potu, ad quem ſequuntur in homine virium deſtitutio, debilitas, & infirmitas.

Plures igitur defectus peccatum naturæ attulit, ob quos infirmitatem contraxit; cùm enim ſit homo conſtitutus ex duplici rerum gradu, ſpirituali, corporali, duplici que præditus virtute cognoſcendi, & appetendi, & cognitio fuit cum ea integritate, ut appetitus inferior ſuperiori, ſeu rationi ita obſequeretur, ut ei reniti non poſſet, neque portionem ſuperiorem pertrahere ad acquieſcendum bono ſenſibili, quod perſæpe adverſatur æternis regulis divinæ legis, & ad id requireretur donum aliquod, quo vires naturæ humanæ corroborarentur, ac firmarentur in bono honeſto, ideo Deus donum juſtitiæ originalis fuerat homini impertitus, quo præmunitus poſſet facilè vitare omnes omnino naturales defectus, quos aliàs propter naturæ humanæ conſtitutionem moraliter non declinaſſet, an hoc donum, ſive re, ſive ratione diſtinctum fuerit à gratia, non pertinet ad præſens inſtitutum, ad quod ſufficit intelligere naturæ humanæ beneficio hujus doni fuiſſe integram in ſuis facultatibus, & corroboratam, & bono adhæret honeſto, & per habitus virtutéſque ex illo fluentes haberet facile, & quovis tempore vires ad rectè operandum naturaliter, & nullum illi unquam deeſſet bonum humanæ naturæ conſentaneum, cumque appetitus inferior obſequeretur rationi, ideo ob hanc unionem utriuſque appetitus ſimul concordantis dicebatur natura humana integra, & hæc integritas rectitudo, qua homo rectè operaretur, hujus igitur rectitudinis, ſeu integritatis defectum, & privationem attulit Protoparens noſter Adam humano generi, cum in eſu cibi vetiti deſcivit peccando à divina voluntate. Pepigerat enim Deus cum primo homine, ut, ſi injunctum ſibi præceptum non transgrederetur ad omnes poſteros eandem naturæ rectitudinem, & integritatem transmitteret: ſin verò transgreſſor præcepti foret, & ipſe, & omnes poſteri eadem privarentur integritate, adeo ut voluntates poſterorum transfuſæ fuerint ex Dei pacto in voluntatem protoparentis, cujus propterea vitiata voluntas quomodo noſtra futura erat, quod expreſſit Oſeas verbis illis *cap.* 6. *Ipſi autem ſicut Adam transgreſſi ſunt pactum, ibi prævaricati ſunt in me.*

Hinc liquet, per peccatum naturam humanam fuiſſe ſpoliatam dono integritatis, & rectitudinis, quatenus appetitus inferior concupiſcentiæ, & carnis ſtimuli inceperunt inſurgere contra portionem, ſuperiorem, ſeu rectam rationem, adeo ut quo ſtimuli carnis inſurgunt acriores, eo portio ſuperior majorem experiatur difficultatem in iiſdem propulſandis, & imbecillior factus homo in adhæſione boni honeſti, infirmitatem contraxerit: non quod aliqua potentia, & perfectione intrinſeca naturali ſit deſtituta & orbata, nec partem illius perdiderit: ſed quia ſublato dono rectitudinis, & juſtitiæ originalis quo potentiæ rectè inter ſe ſe ordinatæ erant, ac legitimè cohærebant, manet homo expoſitus aſſultibus concupiſcentiæ, ſtimulis carnis, & pluribus conſcientiæ lapſibus, & imbecillior factus ſit ad proſecutionem boni honeſti ob difficultates ſuperandas, quas injicit appetitus inferior rebellis ſuperiori, ſeu rationi, adeo ut neceſſe moraliter ſit eum intra longum temporis ſpatium perſæpe carere bonis operationibus naturalibus, quæ ad integram completâmque perfectionem naturæ pertinent, quomodo occaſio ſe ſe offert honeſtè operandi. Hæc igitur diſſolutio recti ordinis, quem potentiæ ad invicem beneficio juſtitiæ Originalis

ſerva-

Præterea quia justificatus nequit operari, nisi excitetur ex parte intellectus, & moveatur à Deo ad rectè agendum: sed excitari est auxilium actuale, consequenter prima, quam vir justificatus habet, non sufficit: sed cum eadem gratia sanctificante debet justificatus semper excitari ex parte intellectus, & moveri in voluntate à Deo in ordine ad rectè operandum: hinc D. Thomas asserit, quod ad rectè vivendum homo indigeat duplici auxilio Dei, uno quantum ad aliquod habituale donum, per quod natura corrupta sanetur, & sanata elevetur ad agenda opera meritoria, quæ excedunt proportionem naturæ, & alio, quo moveatur ad eadem facienda. Præterea quia in oratione dominica petimus quotidie à Deo bonum perseverantiæ, cum dicimus. *libera nos à malo*, & gratias ei agimus pro tentationibus superatis, consequenter repugnat sine peculiari dono actuali diu perseverare in gratia sanctificante, ut definivit Concilium Tridentinum *sess. 6. can. 23.* ubi ait: *Si quis dixerit justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Præterea quia habitus non movent potentiam nec illam ad operandum juvant, nisi prius ab ipsa potentia applicentur ad operandum: sed naturalis potentia hominis non potest per seipsam supernaturalem habitum applicare ad operandum, nisi priùs excitetur à Deo, quia initium omnis boni operis nonnisi à Deo est.

Quòd si dicas, Concilium Milevitanum *cap. 3.* asserere gratiam justificantem esse adjutorium, ut peccata non perpetrentur, sed peccata lethalia non perpetrare est idem ac perseverare in gratia sanctificante, quæ non expellitur nisi per peccatum lethale, ergo ex Concilio Milevitano hoc donum perseverantiæ est ipsa gratia sanctificans, non verò donum aliquod actuale distinctum: Sed contra, quia Concilium per gratiam justificantem non intelligit gratiam habitualem, quæ est remissio peccatorum, sed auxilium gratiæ generatim. Verùm hæc responsio cui innituntur præsertim Vasquez, & Vega, non satisfacit, quia Concilium Milevitanum specificè loquitur de gratia justificationis, quæ revera est gratia ipsa habitualis: unde respondetur gratiam habitualem esse quidem adjutoriam, in quantum ponit hominem in statu majoris resistentiæ, quàm sit status peccati, cum peccatum peccato viam emolliat, seu trahat in aliud peccatum. Præterea ait Concilium gratiam justificantem esse adjutorium, ut peccata non committantur: quia facilius movetur Deus ad impertienda nova auxilia necessaria ei qui jam est in gratia, eò quia jam sit amicus, & videtur quodammodo hæc auxilia exigere ob gratiam sanctificantem, ut hæc possit conservari.

Sed instabis, gratia habitualis aut frustra impertitur, aut est imperfecta, si illud non implet, ad quod datur, sed gratia datur, ut possimus bene agere, seu opera bona elicere, & peccatum vitare, ergo cùm habituali gratia sit perfecta valet ad utrumque: sed contra, quia gratia sanctificans est perfecta, quatenus ponit hominem in statu supernaturali apto ad merendum, verùm quia in statu illo supernaturali adhuc remanet corruptio in carne, & concupiscentia inclinans ad creaturas, & appetitus inferior rebellis superiori, adhuc remanet in homine justificato quædam obnubilatio in intellectu, qua non bene videt pericula, nisi ab alia gratia illuminetur. Hinc D. Paulus *ad Roman. 8. Quid oremus sicut oportet, nescimus*, & *Sapient. 9. Cogitationes mortalium timida, & incerta providentia nostra*, quapropter indigemus auxilio gratiæ actualis distincto à gratia sanctificante ut quoties occurrunt pericula labendi in lethalia possimus illa declinare, & quoties tentationes nos pulsant, valeamus iisdem obsistere.

Verùm quamvis auxilia gratiæ ad perseverandum necessaria sint, asserimus tamen, esse in potestate justi non peccare lethaliter, est enim potestate sua in suppeditante Deo, si sibi non desit justus, & si ejusmodi auxilia actualia de propriæ salutis perseverantia sollicitus à Deo exposcat, ad quæ petenda nos etiam adhortatur, & ut monet Augustinus: *non adhortaretur ad illa petenda, si ea dare nollet*; unde ex eo, quòd vir justus possit sibi consulere, & à Deo exposcere, ut det illi auxilia actualia ac declinanda pericula, & ad conservandam gratiam sanctificantem, sequitur, quod tametsi ad perseverandum in gratia sanctificante requirantur auxilia actualia, quæ sint dona perseverantiæ distincta ab ipsa gratia sanctificante, adhuc sit in potestate hominis justi perseverare in justitia; hinc Apostolus *ad Philipp. 1.* nos hortatur in Dei auxilio, ut firmissimam spem collocemus, ac reponamus, quia ut ait Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 13. Deus, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere.* Quòd verò nonnulli Theologi asserant, auxilium ad perseverandum petendum esse à Deo, quia non omnibus datur; non ideo hoc asseritur, quasi aliquibus non detur, eò quia Deus nolit illis dare, sed quia ipsi sibi desunt, vel quia tale auxilium non petant, vel quia non bene petant, & ideo non recipiunt: ut ait Apostolus *Jacob. 4.* Unde eo loquendi modo tantùm præfati Doctores monent esse donum perseverantiæ seu auxilium hoc actuale à Deo petendum, ac piè & rectè petendum.

Quòd si dicas, etiam ad orationem nos indigere divino auxilio; siquidem quid oremus, sicut oportet, nescimus, & Spiritus adjuvat infirmitatem nostram postulans pro nobis, ut etiam notavit Augustinus, ergo oratio non est id, quo mediante sit in potestate justi, adjuvante Deo auxilia obtinere ad perseverandum. Sed contra respondetur orationem ad id valere, cùm Christus nos moneat, ut oremus: *Orate, ne intretis in tentationem*, auxilium autem sufficiens ad petenda ea auxilia, omnes justi divinitus habent, sed ad illa auxilia, quæ ad tentationes eas vincendas, & ad perseverandum requiruntur, asserimus orationem ut medium quoddam ex Dei lege ordinaria valere. Præterea quia auxilium, quo quis primò ad conversionem in Deum excitatur, est duplex; specialissimum unum, cui certissimè homo acquiescit; & speciale alterum, cui potest obsistere: ita etiam auxilium ad perseverandum unum est extraordinarium, quo justus certissimo utitur; & alterum ordinarium, quod tametsi per orationem impetratum sit, adhuc potest vir justus illud abjicere. Quamvis enim nomine auxilii ad perseverandum donique perseverantiæ intelligantur non solùm incitamenta ad perseverandum, verùm etiam actualis Dei motio, & concursus, quo justus concurrit cum gratia cooperante, adhuc potest tali auxilio reniti; non enim omnes prædestinati, qui ex hac vita decesserunt, ita fuerunt à Deo adjuti, ut gratiam ante mortem perdere non potuerint, si voluissent; non enim auxilium à Deo impertitum lædit, ac minuit, vel delet liberum arbitrium, sed cum eodem cooperatur liberè.

CAP.

# CAPUT XVI.

## De Effectibus gratiæ justificantis.

Effectus gratiæ justificantis sunt qui ad ipsam consequuntur, & ab eadem causantur in homino justificato; & sunt hujusmodi effectus plures, si non re, saltem ratione, distincti, & ad numerum senarium reduci possunt, quorum primus est, sanare naturam humanam infirmam, eamque viribus destitutam corroborare. Secundus, mederi hominem justum. Tertius constituere ipsum Deo gratum, ac ejus benevolentia, & amicitia dignum. Quartus dare eidem jus ad vitam æternam, & Christi hæreditatem, seu constituere filium Dei adoptivum. Quintus ut per gratiam sanctificantem remittantur homini peccata. Sextus, efficere, ut illius bona opera sint meritoria vitæ æternæ, Quod ad primum attinet effectum gratiæ justificantis, certum est, esse proprium gratiæ sanctificantis impertire homini infirmo ob peccatum sanitatem. Quam frequenter repetit David inquiens: *Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi:* quibus ultimis verbis etiam adducit causam infirmitatis seu ipsum peccatum, & Christus ipse *Matth.* 9. hanc eandem infirmitatem causatam à peccato indicat, inquiens: *Non est opus valentibus Medico, sed malè habentibus, non veni vocare justos, sed peccatores,* malè enim se habentes infirmi sunt ob peccatum, & bene valentes, qui medico non indigent justi dicuntur: & hunc textum urget D. Augustinus contra Pelagium asserentem, se non cognoscere ullam infirmitatem ex peccato in natura humana, ajebat enim ipse: *Quomodo fieri potest, ut peccatum quod substantia caret, nihilque est, naturam reddiderit infirmam?* Cui tamen satis accomodato exemplo respondet D. Augustinus, & cum vehementiùs urget, arctiùsque premit inquiens: *Dubium non est, quia comedere nulla sit substantia, sed potiùs recessus à substantia, quæ est cibus, & tamen substantia corporis, si omnino abstineat à cibo, ita languescit, ita viribus extenuatur, & frangitur, ut si aliquo modo perduret in vita, vix possit ad eum cibum revocari, à quo abstinendo vitiata est. Sic non est substantia peccatum, sed substantia est Deus, summaque substantia, & solus verus creatura rationalis cibus, à quo per inobedientiam recedendo, & per infirmitatem non valendo capere, quod debuit, audis quemadmodum David dicat: Percussus sum ut fœnum, & aruit, cor meum quia oblitus sum comedere panem meum.* Noverat D. Augustinus, non ideo peccatum naturam humanam debilitare, viribus destituere, ac infirmam constituere, quia infundat quidquam in illam aliquid agendo. ut putavit Pelagius Catholicos asserere, quod falsum est, sed dicitur peccatum naturam humanem infirmare eo modo, quo defectus rei necessariæ in causa esse solet aliorum defectuum, qui consequuntur ad talem defectum, ut exemplificat Augustinus in ipso defectu à cibo, & potu, ad quem sequuntur in homine virium destitutio, debilitas, & infirmitas.

Plures igitur defectus peccatum naturæ attulit, ob quos infirmitatem contraxit; cùm enim sit homo constitutus ex duplici rerum gradu, spirituali, corporali, duplici que præditus virtute cognoscendi, & appetendi, & cognitio fuit cum ea integritate, ut appetitus inferior superiori, seu rationi ita obsequeretur, ut ei reniti non posset, neque portionem superiorem pertrahere ad acquiescendum bono sensibili, quod persæpe adversatur æternis regulis divinæ legis, & ad id requireretur donum aliquod, quo vires naturæ humanæ corroborarentur, ac firmarentur in bono honesto, ideo Deus donum justitiæ originalis fuerat homini impertitus, quo præmunitus posset facilè vitare omnes omnino naturales defectus, quos aliàs propter naturæ humanæ constitutionem moraliter non declinâsset, an hoc donum, sive re, sive ratione distinctum fuerit à gratia, non pertinet ad præsens institutum, ad quod sufficit intelligere naturæ humanæ beneficio hujus doni fuisse integram in suis facultatibus, & corroboratam, & bono adhæret honesto, & per habitus virtutésque ex illo fluentes haberet facile, & quovis tempore vires ad rectè operandum naturaliter, & nullum illi unquam deesset bonum humanæ naturæ consentaneum, cumque appetitus inferior obsequeretur rationi, ideo ob hane unionem utriusque appetitus simul concordantis dicebatur natura humana integra, & hæc integritas rectitudo, qua homo rectè operaretur, hujus igitur rectitudinis, seu integritatis defectum, & privationem attulit Protoparens noster Adam humano generi, cum in esu cibi vetiti descivit peccando à divina voluntate. Pepigerat enim Deus cum primo homine, ut, si injunctum sibi præceptum non transgrederetur ad omnes posteros eandem naturæ rectitudinem, & integritatem transmitteret: sin verò transgressor præcepti foret, & ipse, & omnes posteri eadem privarentur integritate, adeo ut voluntates posterorum transfusæ fuerint ex Dei pacto in voluntatem protoparentis, cujus propterea vitiata voluntas quomodo nostra futura erat, quod expressit Oseas verbis illis *cap.* 6. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me.*

Hinc liquet, per peccatum naturam humanam fuisse spoliatam dono integritatis, & rectitudinis, quatenus appetitus inferior concupiscentiæ, & carnis stimuli inceperunt insurgere contra portionem superiorem, seu rectam rationem, adeo ut quo stimuli carnis insurgunt acriores, eo portio superior majorem experiatur difficultatem in iisdem propulsandis, & imbecillior factus homo in adhæsione boni honesti, infirmitatem contraxerit: non quod aliqua potentia, & perfectione intrinseca naturali sit destituta & orbata, nec partem illius perdiderit: sed quia sublato dono rectitudinis, & justitiæ originalis quo potentiæ rectè inter se se ordinatæ erant, ac legitimè cohærebant, manet homo expositus assultibus concupiscentiæ, stimulis carnis, & pluribus conscientiæ lapsibus, & imbecillior factus sit ad prosecutionem boni honesti ob difficultates superandas, quas injicit appetitus inferior rebellis superiori, seu rationi, adeo ut necesse moraliter sit eum intra longum temporis spatium persæpe carere bonis operationibus naturalibus, quæ ad integram completâmque perfectionem naturæ pertinent, quomodo occasio se se offert honestè operandi. Hæc igitur dissolutio recti ordinis, quem potentiæ ad invicem beneficio justitiæ Originalis serva-

ſervabant, naturæ corruptio vocari ſolet, & eos defectus, quibus homo poſt peccatum eſt obnoxius, dicuntur naturæ vulnera per peccatum inflicta quapropter ob eadem vulnera imbecillior facta infirmitatem dicitur contraxiſſe. Hinc Deus rerum omnium conditor, & hominis plaſmator naturam integram fuit eidem impertitus, & homo eam integritatem fregit, naturam infirmavit, & corrupit, quando peccatum originale perpetravit, ſeu præceptum ſibi injunctum de abſtinendo ab eſu pomi vetiti fuit transgreſſus. Hinc Auguſtinus: *creatus eſt primus homo in natura ſine culpa, creatus eſt rectus, non ſe fecit rectum; quid autem fecerit, notum eſt, cadens a manu figuli fractus eſt.*

Quomodo igitur natura humana à contracta hac infirmitate ſanetur per gratiam ſanctificantem, cujus hæc ſanitas eſt effectus primarius, explicandum eſt; non tamen ita natura humana ſanatur, ut priſtinæ integritati dicatur pœnitus reſtitui, ſeu ut temporis diuturnitate omnes etiam leves defectus, qui peccata venialia dicuntur, valeat homo humanitus vitare: ſiquidem, etiam ſtante gratia ſanctificante rebellio appetitus ſæpiſſimè rationi reluctatur, & experiuntur etiam ipſi juſti: qui ſæpe peccatorum illecebris capti venialiter ſaltem delinquunt; hanc rebellionem expertus in ſe Apoſtolus Paulus ajebat *ad Roman. 7. Sentio in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meæ*, & ſubdit: *ſe facere malum, quod oderat*, & 1. *Joan.* 1. negat aliquem immunem eſſe à peccato. Sanat igitur divina gratia naturæ infirmitatem in hac vita, quatenus homo per illam, & virtutes ab ea fluentes erga Deum, & cœleſtem beatitudinem rectè affectus ſupervenientibus auxiliis ad perſeverandum neceſſariis, & quæ præſtò ſunt: facilè poteſt per totam vitam vitare peccata omnia mortifera, eò quia graves ſunt Dei offenſiones, & conſecutionem ſalutis æternæ impediunt, ad quam homo per gratiam, & virtutes afficitur. Venialia verò, quia cum gratia & beatitudine non pugnant, non ita per eundem affectum ad Deum, & beatitudinem evitantur, & quia peccata mortalia ideo ad rationem ſpecialiter pertinent, quia nonniſi notabili rationis vitio committuntur, venialia verò ad partem inferiorem ſpectant, cujus ferè impulſu fiunt, ideo rectè à Theologis dicitur in hac vita ſanari naturam quoad mentem, & rationem, quatenus gratia facultatem præſtat, qua poſſunt vitari notabiliter rationis defectus, ſeu peccata mortifera: quoad verò inferiorem partem non item, donec in cœleſti beatitudine cumulatiſſimè integritas naturæ noſtræ reſtituatur, & hanc doctrinam ſubindicavit Apoſtolus *ad Roman.* 7. cum ſcripſit: *Ego ipſe mente ſervio legi Dei*, ſignificans ſanitatem rationis quoad facultatem declinandi peccata lethalia; & quia ſubdit: *Carne autem legi peccati infirmitatem aperit inferioris partis*, & fatetur leviores conſcientiæ lapſus, hoc idem etiam innuit ad *Philipp.* 3. ſcribens: *Non quod jam acceperim jam perfectus ſim*, negat enim ſe fuiſſe aſſecutum perfectionem cœleſtis Patriæ, quæ in eo ſita eſt, ut homo Deo alligatus veluti defixus in termino, ac divina ſatiatus bonitate nihil omnino velit, quòd vel leviter ſit divinæ voluntati diſſentaneum. Cum verò ſubdit *ad Philipp.* 3. *Sequar autem, ſi quò modo comprehendam*, alios ad idem exhortans ait: *Quicunque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus*, ubi Apoſtolus fatetur ſe in hac vita conſecutum eſſe illam perfectionem, & ſanitatem, quæ ad hominem in via progredientem pertinet, & in eo conſiſtit, ut quis poſſit ſe ſe in via ad beatitudinem ducente ſemper continere, ſeu ut peccatis omnibus mortalibus declinatis, gratiam conſervet ſanctificantem, per quam defixus eſt Deo & Chriſto inſitus, qui vera eſt & unica via perveniendi ad cœleſtem beatitatem.

Hinc nonniſi abſurdiſſimè aſſerunt Hæretici, præſertim Lutherani, juſtum non poſſe ita divinæ legi ſatisfacere, ut peccata mortalia vitare poſſit, quam crambem recoxit Janſenius in ſuo opere, cui titulus *Auguſtinus*, ubi docuit, aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, eſſe impoſſibilia, & deeſſe quoque illis gratiam, qua poſſibilia fiant, quam doctrinam Innocentius X. damnavit, ut temerariam, impiam, & blaſphemam, ac anathemate damnavit, & hæreticam dclaravit, quod etiam ante Janſenium aſſeruerunt Hæretici, præſertim Lutherus *in confutatione rationis latom.* ubi ait: *Tot ſcripturæ teſtimonia probant, mandatum eſſe impoſſibile nobis, ut nihil ſit manifeſtius.* Calvinus *lib. 2. Inſtitut. cap. 7. Sit extra controverſiam, impoſſibile eſſe in hac carne legis implementum. Contra Remonſtrantes art. 53. in ſpecimine Amſtelrodamens.* Deus ab omnibus hominibus exigit ſervitium, & obedientiam; ſed poteſtatem obediendi non vult omnibus dare: exigit fidem ab omnibus, quibus verbum annunciatur, ſed non vult omnibus ipſis dare fidem. Joannes Mouhemius *dialog. 3. Nemo, quantumvis perfectus, præſtare poteſt, quod lex jubet.* Melanchthon *in cap. 4. ad Rom.* & in *Apolog. tit. de votis Monaſt.* hoc idem expreſſè declarat, & ita plures alii Hæretici, à quibus ſuum Janſenius deſumpſit errorem, & quamvis ex Hæreticis aliqui concedant neceſſariam eſſe obedientiam, & obſervationem, mandatorum, hanc tamen adeo mancam eſſe volunt, ut non modo leviora omnia peccata vitare juſtus non poſſit; ſed etiam, ut cùm juſtus præceptum ſervat opus bonum eo genere exercendo, mortaliter ferè peccet, quamvis ex miſericordia Dei venialiter, non quod leviter peccet, ſed quia facile Deus ignoſcit; procedere namque ajunt tale opus à voluntate Deo rebelli, à corde contumaci, ab intellectu obtenebrato, ab appetitu ſenſitivo repugnanti legi Dei, & denique ab horribili depravatione totius naturæ, atque adeo à peccato originali, quod ſemper manere in renatis putant: & quia D. Petrus 1. ait: *Hoc enim facientes non peccabitis aliquando*; ipſi è contra aſſerunt: *hoc facientes ſemper peccare*, unde liquet, ipſos nonniſi abſurdè loqui contra ſcripturas, etenim *Deuter.* 30. *v.* 11. expreſſè habetur, *mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum; ſed juxta eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. Luc.* 19. *v.* 21. *Regnum Dei intra vos eſt*, ſeu in manu, & poteſtate veſtra, ut interpretatur Tertullianus *lib. 4. contra Marcion. cap. 25. Matth.* 11. *v.* 8. *Jugum meum ſuave, & onus meum leve*, non eſſet autem ſuave, ſi foret impoſſibile; neque leve ſi intolerabile, ſi ſervatu impoſſibile; & Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. v. 13. ait: *fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis*, ſed pateretur imò & tentaret ſupra id, quod poſſumus, ſi impoſſibilia nobis ſervanda injungeret, tandem 1. *Joan.* 5. *v.* 3. *Mandata ejus gravia non ſunt*: eſſent autem graviſſima, ſi obſervatu non ſolum difficillima, ſed etiam impoſſibilia. Quòd ſi impoſſibile eſt juſtis etiam cum divino auxilio legi ſatisfacere, ita ut nullum præceptum plenè poſſint adimplere, quomodo dicuntur mortaliter peccare non præſtando, quod agere non poſſunt? non enim facerent contra Dei voluntatem & præceptum, ſi hoc à Deo injunctum foret ſervatu impoſſibile; non enim Deus fruſtra jubet in

hac

hac vita hominem id præstare, quod nullo modo facere potest. Præterea si justi obediendo legi divinæ mortaliter peccant contra voluntatem Dei facientes, cur hortatur Deus passim in scripturis ad legis obedientiam? cur præmium pollicetur propter eandem, tandem inde sequeretur, quod peccatum lethale Deo non displiceret, quia si Deus illud juberet, non esset contra sed juxta illius voluntatem, & gravissima ejus offensa ipsi placeret, quod absurdum est; sed ajunt Lutherani, placere Deo mancam obedientiam justorum propter merita Christi Domini, cui justus per fidem est reconciliatus, quamvis in se contaminata sit, ac digna damnatione; sed si peccata in sententia Hæreticorum verè digna sunt æterna damnatione, quomodo possunt Deo placere, & grata esse? an Christus in mundum venit, & humanam carnem induit, non ad destruenda peccata, sed potius ad eorundem suscipiendum patrocinium? nunquid potuit Christus id mereri, quod est impossibile? & quid magis impossibile, quam placere Deo peccata, propter quamcunque caussam extrinsecam? Quamvis igitur Deus ab initio hominem condiderit rectum non tamen ei præcepit, ut bona opera ex illa rectitudine, & integritate justitiæ originalis faceret, sed ut præcepta, alioquin secundùm ipsius naturam ei datam exequi moraliter posset, & adjunxit donûm justitiæ originalis, ut magis corroboraretur, non tamen constat ex scripturis præceptum, quo jussus sit Adam ex ea justitia originali operari, ut Sectarii somniant contra testimonia aperta scripturæ, quibus cum obedientia & observantia legis, quæ sine originali justitia præstari potest, probetur, alioquin si Deus præcepisset opera bona ex justitiæ originalis rectitudine fieri, ita homini consuluisset, ut justitiam originalem aliqua ratione recuperare posset, nec perpetuo oporteret eum esse legis prævaricatorem, sicut nunc etiam in statu naturæ lapsæ post deperditam per peccatum lethale gratiam patet via eam recuperandi, & cum ipsa etiam auxilia necessaria ad vitanda peccata lethalia, & ad consequendam beatitudinem hinc corruit sectariorum Doctrina de manca, & inchoata obedientia; etenim tenentur Sectarii ostendere non solùm hominem præcepto obligari ad actiones bonas exercendas, verum etiam ad illam actionum circumstantiam scilicet, ut ex rectitudine justitiæ originalis operentur, quod nunquam probare possunt, unde omninò supervacaneam vocant hanc obedientiam inchoatam, opus à natura perfectum nondum restituta pœnitus pristinæ integritati, unde frustra hoc opus vocant peccatum mortale perpetratum ex naturæ imbecillitate, quamvis non contra conscientiam hujusmodi est opus malum ex genere.

Hinc absurda sunt quæ ipsi asserunt cum Buccero *lib. de concord. controvers.* Deum esse, qui præcepta pro nobis servat, & illud Kemnitii, *Christum adimplere id, quod nos perfectè facere præcipimur, neque exequi possumus, ac proinde in Christo nos legi satisfacere*, quasi non nobis, sed Deo, & Christo Domino data sint legis præcepta, ut cum ab illo ea servata fuerint, tunc sit à nobis etiam iisdem satisfactum, quapropter juxta Hæreticos, si præcepta data sunt Deo & Christo, illos opotteret jejunare, pœnitere, credere, sperare, quod quam absurdum sit, nemo non videt. Præterea præcepta legis data esse hominibus satis apertè testantur scripturæ, *Deuter. 50. Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, sed juxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo ut facias illud*, & Christus etiam adolescenti cupido vitæ æternæ consuluit *Matth. 19. ut mandata servaret*, unde perspicuum est, Deum ab hominibus exigere legis observatiooem & præsertim quantum satis est ad vitanda peccata lethalia, quæ pugnant cum gratia sanctificantene, que mandata Dei esse observatu impossibilia ab hominibus, cùm scribat Apostolus 1. *ad Corinth.* 10. *Fidelem esse Deum, qui non patitur nos tentari supra id, quod possumus*, ut etiam definiverunt Concilia, Arausicanum II. de gratia & liber. arbit. contra Pelagium ejusque reliquias celebratum sub Felice Papa IV. anno Christi 529. & à Bonifacio II. confirmatum anno sequenti 530. siquidem *can. 25.* post medium ait: *hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*, unde nemini ex baptizatis præcepta Dei sunt impossibilia observatu, tametsi obdurati, & reprobi sint, hoc idem etiam definivit Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 11. Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti debet: Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Quòd si Deus nos adjuvat ut possimus jam præsentem nobis, & expeditam præstat adjuvantem gratiam ad mandata implenda. Hinc idem Tridentinum *sess. 6. can. 18. Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia anathema sit.*

SS. Patres hoc idem docent. S. Basilius *in orat. Attende tibi*, ait, *impium est asserere, præcepta Spiritus S. impossibilia esse observatu.* S. Hieronymus *Tom. 6. in Matth. 5. sciendum est, Christum impossibilia non præcipere, sed perfecta.* D. Augustinus, *serm. 191. sub finem: Execramus blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse servari*, & *in Psal. 56. explicans textum Joan. 15.* de dilectione proximi ait: *Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile esse judicaret, ut hoc ab homine fieret, si considerans infirmitatem tuam deficis sub præcepto, confortare in exemplo: sed etiam si exemplum ad te multum est; adest ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium*; & *de Genesi contra Manichæ. lib. 1. cap. 3.* ait: *illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum & temporalium se ad ejus præcepta servanda convertunt, quod omnes homines possunt, si velint: quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum*, unde ex scripturis, Conciliis, & Sanctis Patribus apertè constat, Dei præcepta esse ab hominibus observatu possibilia.

Hinc asserimus hominis naturam ita per gratiam sanctificantem sanari, ut peccata lethalia omnia non solùm ad longum tempus, verùm etiam per totam vitam vitare possit, cùm Deus præsto sit aliis auxiliis actualibus corroborare hominem, ut possit tentationibus obsistere: quamvis venialia non possit absque specialissima Dei gratia, Virgini Matri tantùm concessa, & aliis paucissimis alioquin sine gratia sanctificante non potest homo ad longum tempus servare præcepta supernaturalia, vel etiam naturalia, non quod sint servatu impossibilia, sed quia negligit homo auxilia supernaturalia actualia, quibus posset se disponere ad gratiã sanctificantem, & ejus beneficio servare præfata præcepta: siquidẽ verum est, effatum illud S. Gregorii *homil. 13. super Ezechiel. Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere hominem in aliud trahit.* adeo ut

existens in peccato lethali citius cadat in aliud lethale, quàm existens in statu gratiæ sanctificantis, cæteris paribus quoad difficultates superandas, & tentationes vincendas. Generatim enim imbecilles sunt naturæ nostræ vires ad præcepta Dei servanda, si sint auxilio speciali divino destitutæ. Non igitur effectus proprius gratiæ sanantis est unum vel alterum bonum opus morale posse efficere ac omnia præcepta naturalia servare, quæ aliquo brevi tempore occurrunt servanda: siquidem ad id non est opus gratia supernaturali: non enim ut quis salutet proximum, amicum diligat, opem indigenti eroget absque ullo fine malo nec circumstantia vitiata, tanta ei occurrit difficultas, ut ad hanc superandam indigeat auxilio supernaturali, neque videtur verisimile, ut si quis sine gratia possit sufficientes vires habere ad erogandam eleemosynam propter malum finem, vel inanem gloriam; vires easdem non habeat ad erogandam eandem eleemosynam ad eum tantum finem ut indigenti opituletur, est enim hoc opus bonum naturale, ad quod in homine datur inclinatio, quia est opus rectæ rationi vel maximè consentaneum, ut in natura humana quamvis gratia, & justitia destituta hæc inclinatio ad bonum consentaneum rectæ rationi extincta non sit.

Quòd si dicas, omne opus bonum referri in Deum ex dilectione non sine auxilio gratiæ, adeo ut omne opus elicitum sine gratia, & fide supernaturali sit per se malum, eò quia sit fructus arboris malæ, quæ non potest fructus bonos producere. Contra est, quia inde sequeretur omnia opera peccatoris supernaturali charitate carentis oportere peccata esse, ut asserunt Lutherani contra Concilium Tridentinum *seſſ. 6. can. 7.* ubi definit non omnia opera peccatoris carentis charitate supernaturali esse peccata lethalia.

Quòd si dicas, relationem saltem ex dilectione Dei naturali requiri ad bonum opus. Contra est, quia non est necesse hanc relationem esse actualem; satis enim est, si omne opus, qua bonum, suaptè natura ad Deum summum bonum, & ut finem ultimum bonorum omnium dirigatur. Quòd si ex actualiter elicita Dei naturali dilectione bonum opus deberet in Deum referri, non statim certum esset naturæ vires esse insufficientes ad bonum aliquod opus exercendum: quia non esset opus referre bona opera in Deum per aliquam dilectionem naturalem, quæ sit super omnia simpliciter, quia hæc moraliter per longum tempus nequit haberi, sed sufficeret ea referri opera per dilectionem Dei super ea omnia, quæ possent per aliquod breve tempus incidere, quo non occurrit aliqua vehemens tentatio, ut probabiliter censent plures posse talem dilectionem naturalem Dei elici sine gratia. Hinc non omnia opera infidelium sunt peccata, cum plura possint bona opera naturalia efficere, etenim ut scribit Apostolus *ad Roman.* 11. *Gentes, qualegem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Et quamvis aliqui Sancti Patres hunc D. Pauli textum explicent de gentibus ad fidem conversis illum tamen alii plures intellexerunt de gentibus perseverantibus in infidelitate, quinimò de iisdem intellexerunt etiam, & declararunt summi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. qui damnarunt hanc propositionem Michaelis Baji. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Roman. 2. Gentes quæ legis sunt, naturaliter faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus*, ex quo perspicuum est homines fide destitutos, & gratia supernaturali posse aliqua divinæ legis præcepta adimplere, atqui opera, quibus præcepta legis adimplentur, nemo dixerit esse peccata, cum peccatum sit legis transgressio: ergo non omnia opera quæ fiunt sine fide & gratia supernaturali, sunt peccata, hinc D. Augustinus *lib. de Spiritu & littera cap. 27.* verbis Apostoli probat non omnia infidelium opera esse peccata contra Hæreticos, ait ipse: *si autem hi qui naturaliter, quæ legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi justificat gratia, sed in eorum potiùs, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter justeque colentium quadam tamen facta vel legimus, vel novimus vel audimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus: quamquam si discutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitia debitam laudem, defensionemve mereantur: verum tamen quia non usque adeo in anima imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde ex merito dici possit etiam in ipsa impietate vitæ hæ facere aliqua legis vel sapere, si hoc est, quod dictum est, quia gentes, quæ legem non habent, hoc est, legem Dei, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, & quia hujusmodi homines ipsi sibi sunt lex, & scriptum opus legis habent in cordibus suis, id est, non omnimodo deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur, impressum est: etiam sic illa differentia non perturbabitur, quæ distat à vetere Testamentum novum, eò quòd per novum scribitur lex Dei in corde fidelium, quæ per vetus in tabulis scripta est. Hæc enim illic scribitur per renovationem, quod non omnimodo delatum est per vetustatem.*

Præterea quia aliqua opera infidelium fiunt juxta regulas justitiæ, & laudantur, consequenter bona sunt, non solum officio, & secundùm substantiam verum etiam ratione finis, plura enim fiunt naturaliter opera ob finem naturalem honestum rectæ rationi consona & conformia legi naturali, hinc varia infidelium opera in sacris scripturis laudantur, quæ si mala essent, nullam promererentur laudem; etenim *Exodi cap.* 1. laudantur Obstetrices Ægyptiæ, eò quia contra Pharaonis mandatum mares Hebræorum non interfuerint, quos pio quodam affectu servarunt, & hujus pietatis temporalem etiam acceperunt mercedem, cum dicat scriptura: *quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit illis domos.* Non peccavit Abimelech cum restituit Abrahæ Saram uxorem ejus intactam, ac salvum conductum eis indulsit, ac pluribus donavit illos muneribus, quæ pia opera laudat S. Ambrosius *lib.* 1. *de Abraham cap.* 11. Non peccarunt Cyrus, & Darius Persarum Reges, quando Jerosolymis templum instaurari curârunt, tametsi essent ipsi infideles, 1. *Esdræ* 11. Non peccavit Assuerus, cùm Mardochæum innocentem non solum à morte liberavit, sed etiam ad pinguiorem fortunam ob beneficium sibi præstitum promovit. Non peccarunt Galaaditæ, cum Davidi & ejus exercitii munera obtulerunt, ac cibos suppeditarunt, cùm ad id officii exhibendum impulsi tantùm fuerint ex honesto affectu, eò quia timuerunt, ne populus ille fame periret, vel siti extingueretur defatigatus in deserto. 2. *Reg. cap.* 17. Quis enim dicat infidelem peccare, si parentes colat, amicos diligat, proximum salutet, miseros adjuvet, lapsos sublevet, cùm hæc opera honesta sunt

fint, & juxta rectas regulas rationis : ſiquidem lege naturali monemur aliis præſtare, quæ nobis ab aliis præſtanda eſſe cuperemus : hinc D. Auguſtinus *epiſt.* 144. laudat continentiam Polemonis Ethnici, cùm docet fuiſſe donum Dei, tametſi, ut ait Auguſtinus, ei ad præſentis vitæ honeſtatem, non ad futuræ immortalitatem valuerit. *Et epiſt.* 164. *cap.* 2. plures refert infideles qui excepto Dei cultu, in quo erraverunt, colentes vana, & creaturæ potius, quàm creatori ſervientes ait : *In cæteris moribus parcimoniæ, continentiæ, caſtitatis, ſobrietatis, pro patriæ ſalute contemptus, ſervatæque fidei non ſolùm civibus, verùm & hoſtibus imitandos merito proponi*, & *lib. de gratia Chriſti* aſſerit lenitatem Regis Aſueri in Judæos fuiſſe ex interiori Spiritus Sancti impulſu, & motu bonæ voluntatis ; & inde probat *Deum interna ac occulta, mirabili, ac ineffabili poteſtate operari in cordibus hominum non ſolùm veras revelationes, verùm etiam bonas voluntates*, nemo autem dixerit motum bonæ voluntatis, & impulſum Spiritus Sancti eſſe peccatum.

Neque obſtat, quod Apoſtolus ad Roman. 14. aſſerat, *omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt* : ſiquidem fides dupliciter ſumi poteſt, primò ut ſignificat virtutem Theologalem, qua rebus à Deo revelatis præbemus aſſenſum : ſecundo ut ſignificat conſcientiam, & juxta hunc poſteriorem ſenſum aſſerit Apoſtolus, id omne eſſe peccatum, quod mala fide ſeu contra conſcientiæ æquitatem ſit : & hunc fuiſſe ſenſum Apoſtoli, ex eo liquet, quia hic non agit contra Ethnicos deſtitutos fide Chriſtiana, ſed loquitur de infirmis in fide, ſeu de Chriſtianis, qui nondum doctrina fidei ſatis erant inſtituti, ut crederent diſcrimina ciborum in lege Moſaica præſcripta non eſſe neceſſario obſervanda poſt promulgationem legis Evangelicæ, & nihil in cibis eſſe per ſe immundum, unde ex Apoſtolo fides hic ſumitur pro perſuaſione, qua quis credit aliquid ſibi licitum eſſe, & ſenſus eſt, omne quod quis agit, non perſuaſus id ſibi licere, & putat id eſſe illicitum, vel dubitat, an licitum ſit nec ne, & nihil ominus contra hoc dictamen conſcientiæ illud operatur, tunc hoc quod non eſt ex fide, ſeu ex conſcientia peccatum eſt, & ita interpretantur Apoſtolum Sancti Patres, & Concilia præſertim Lateranenſe ſub Innocentio III. *can.* 41. cujus ſunt verba : *quoniam omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt ; ſynodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio, tam canonica, quàm civilis* : atqui hæc bona fides reperiri etiam poteſt in hominibus deſtitutis gratia, & vita Chriſtiana. Quòd ſi verba Apoſtoli velint intelligi de fide Theologali, tunc textus ita interpretatur, ut omne, quod procedit ex infidelitate, ſeu quòd ſit propter fidem infidelitatis, ſit peccatum, quia tunc non procedit ex honeſtate neque ex lege naturæ, neque ex regulis rationis, quia finis infidelitatis malus eſt, & efficit malum opus, quod ſit propter ipſum, quo pacto quando infidelis homo opus aliquod per ſe, & ex officio, ſeu intrinſeca natura bonum refert ad cultum idoli, vel ad alium malum finem, tunc opus ex pravo fine, & mala intentione vitiatur, & eſt peccatum, in quo ſenſu D. Auguſtinus *lib. de nupt. & concupiſcent. cap.* 3. negat, *pudium veraciter dici, qui non propter Deum fidem connubii ſervat uxori*, & *cap.* 4. ait : *Quomodo vera ratione pudicum corpus aſſeritur, quando à Deo vero ipſe animo fornicatur?* in eodem ſenſu *lib.* 4. *contra Julian. cap.* 3. ait : *Non officiis, ſed finibus à vitiis diſcernendas eſſe virtutes. Officium eſt, quod faciendum eſt, finis verò, propter quod faciendum eſt; cùm itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.* Ubi impugnat Julianum, qui habitus quoſcunque ex officio bono veras eſſe virtutes aſſerebat, quamvis finis eorum proximus malus eſſet, & inhoneſtus, quo pacto aſſerebat, veram eſſe juſtitiam, quæ ad finem avaritiæ referebatur.

Aſſerendum tamen eſt, opera bona, quæ ſubinde ab infidelibus fiunt, eos non conſtituere bonos, adeo ut Auguſtinus eos æquiparet arbori malæ, à qua non poſſit bonus fructus provenire, & explicat illa Chriſti verba : *Non poteſt arbor mala fructus bonos facere*, quia bona opera, quæ faciunt infideles, non ſunt ipſorum, ſed Dei ; ſcilicet non ipſorum malæ voluntati, ſed ſoli Deo tribuenda ſunt. Præterea quia infideles hujuſmodi bona opera non faciunt, quia ipſi agunt ex infidelitate, & cùm agunt ex bono fine tunc illud agunt ex illo lumine, quod Deus ſignat ſuper omnes homines, quod lumen nihil aliud eſt, quàm recta ratio, & lex naturæ. Quamobrem tametſi Deo placeant opera bona infidelium non tamen ipſi placent infideles, quia impoſſibile ſit ſine fide placere Deo, in quo ſenſu ait Auguſtinus *loc. cit. Porrò ſi vitium eſt malè miſereri, procul dubio vitium eſt infideliter miſereri.* Quòd ſi & ipſa per ſe ipſam naturali compaſſione opus eſt bonum ; etiam iſto bono male utitur, qui infideliter utitur ; & hoc bonum malè facit, quia infideliter facit : qui autem malè facit aliquid profecto peccat, ex quo colligitur etiam bona opera, quæ faciunt infideles non ipſorum eſſe, ſed illius, qui bene utitur malis, quia ea non fideli, ſed infideli hoc eſt, ſtulta & noxia faciant voluntate ; qualis voluntas, nullo Chriſtiano dubitante arbor eſt mala, quæ facere non poteſt niſi fructus malos, ſeu ſola peccata. Omne enim, velis, nolis, quod non eſt ex fide peccatum eſt. Et ideo Deus iſtas arbores non poteſt diligere, & ſi tales permanſerint, diſponit excidere : quia ſine fide impoſſibile eſt Deo placere. Bona igitur opera, quæ fiunt ab infidelibus ex infidelitate quatenus ab infidelibus proveniunt, mala ſunt, quia non poteſt arbor mala fructus bonos facere ; prout verò proveniunt ex officio, & ex ſe, & diriguntur ad finem naturalem honeſtum, ut eleemoſynam erogare indigenti, dicuntur eſſe à Deo, adeo ut hæc opera non ſint tribuenda malæ voluntati operantis, ſed Deo opitulanti, hinc Auguſtinus aſſerit nonnulla infidelium opera dona eſſe Dei laude digna, & imitanda ; quamvis per illa juſti ac boni non evadant, ut contendebat Julianus.

# CAPUT XVII.

## Quomodo gratia ſanctificans ex natura ſua ſanet naturam infirmam, conſtituat hominem juſtum, & gratum Deo, aliosque producat effectus.

DOcent nonnulli gratiam ſanantem non ſanare formaliter ex natura ſua, ſeu non juſtificare hominem, nec eum conſtituere objectum divini amoris: ſed ob extrinſecam Dei acceptationem, adeò ut gratia ſanctificans conſtituat quidem hominem objectum illius amoris, quo Deus diligit omnia exiſtentia, ſed non illius ſpecialiſſimi, quo Deus ordinat ad beatitudinem, niſi accedat acceptatio illius ex parte Dei, quapropter aſſerunt ad juſtificationem neceſſariam eſſe extrinſecam Dei acceptionem ita cenſent Ariminenſis *quaeſt.* 1. *art.* 2. *ad* 1. Mayronus *quaeſt.* 2. Medina *tract.* 1. *de pœnitentia quaeſt.* 12. Coninck *de actib. ſupernaturalib. diſput.* 21. *dub.* 8. Sed dicendum eſt cum D. Thoma 1. 2. *quaeſt.* 109. *art.* 7. & Thomiſtis aliiſque gratiam ſanctificantem ex natura ſua formaliter juſtificare. Ratio eſt, quia ſcripturæ, & Concilia aſſerunt gratiam ſanctificantem revera eſſe hominis ſanitatem, ſanctitatem, juſtitiam, amicitiam cum Deo, & filiationem adoptivam, adeo ut habentes gratiam ſanctificantem revera ſint ſancti, juſti amici, filii, & hæredes Dei: ſed quoties effectus tribuitur alicui formæ ſpeciatim, tunc talis effectus convenit formæ ex natura ſua, alioquin falſo illi tribueretur: ergo præfati effectus conveniunt gratiæ ſanctificanti ex natura ſua, & non ex acceptione extrinſeca Dei. Non enim repugnat formas cui conveniant ex natura ſua præfati effectus: conſequenter de facto debent convenire gratiæ ſanctificanti ex natura ſua, quia, ſi ita dicamus, multò meliùs ſalvantur ſcripturæ, Concilia, & Patres: quia certum eſt ſolam extrinſecam Dei acceptionem non cauſare prærecenſitos effectus ſimul cum gratia, ut conditione tantùm, quia inde ſequeretur non gratiam, ſed extrinſecam tantùm Dei acceptionem eſſe cauſam horum effectuum, quod adverſatur Tridentino *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. ubi definit, gratiam eſſe veram, & unicam cauſam formalem noſtræ juſtificationis, quod verum non eſſet, ſi ſolus Deus ad præſentiam gratiæ noſtram cauſaret juſtificationem, ſicut ſol non eſſet cauſa hominis, ſi ſolus Deus ad præſentiam ſolis lumen cauſaret, quod ad nos transfunderet. Neque Dei acceptio ſimul cum gratia ut concauſa poteſt noſtram juſtificationem cauſare, quia inde etiam ſequeretur, gratiam ſanctificantem non eſſe perfectam ſanctitatem, neque ſufficientem ſe ſola ad reddendum hominem juſtum, & filium Dei adoptivum, neque poteſt eſſe ſola gratia cum acceptione Dei, ut conditione vel cauſa elevante gratiam ad præſtandos præfatos effectus, quia vel gratiam habet ex ſe talem effectum, & ad illum præſtandum non indiget extrinſeca Dei acceptione, quia eſt de ratione cujusvis formæ ſubjecto capaci, cui ineſt neceſſario tribuere omnes ſuos effectus formales, quos habet, vel non habet ex ſe, & tunc nec per extrinſecam Dei acceptionem poteſt eoſdem præſtare: ratio eſt, quia quod eſt extrinſecum formæ, non immutat intrinſecè ipſam formam, conſequenter non poteſt illam elevare ad eum præſtandum effectum formalem, quem in ſua entitate, & virtute non continet, quia elevatio, cùm non juvet intrinſecè potentiam elevatam, eò quia ei non ſuperaddat ullum prædicatum intrinſecum illam non mutat intrinſecè, ergo ſi gratia ſanctificans conſtituit formaliter ſubjectum, cui ineſt ſanum, juſtum, ſanctum, à Deo dilectum, & filium Dei adoptivum, ſequitur hos effectus formales debere in ſua entitate, ac virtute continere, ac eosdem ex natura ſua, & per ſe præſtare.

Præterea quia forma participans naturam alicujus rei debet etiam participare proprietates ejusdem, quia iſtæ fluunt neceſſario & ex natura rei à principio, cujus ſunt proprietates, quia non poteſt participari natura humana, quin participentur etiam ejus proprietates: ſed gratia ſanctificans eſt participatio naturæ divinæ, conſequenter debet etiam participare ex natura ſua proprietates ejusdem divinæ naturæ, atqui proprietates naturæ divinæ ſunt, eſſe ſanctum, juſtum, dignum amore, & beatitudine: ergo gratia has proprietates continet in ſua entitate conſequenter ex natura ſua conſtituit ſubjectum ſanctum, & filium Dei adoptivum cui dat jus ad hæreditatem, ſeu vitam æternam conſequenter gratia ſanctificans juſtificat ex natura, ſua absque indigentia extrinſecæ acceptionis.

Præterea quia Scripturæ, Concilia, & Sancti Patres aſſerunt, gratiam ſanctificantem conſtituere hominem filium Dei adoptivum & hæredem vitæ æternæ, eò quia gratia ſit quædam generatio ſupernaturalis cujus beneficio nobis communicatur ſpecialis participatio naturæ divinæ, quæ in ſtatu viæ inchoatur in gratia, & in patria perficitur & completur per viſionem intuitivam divinæ eſſentiæ, quia ad completam generationem filii deſideratur ſimilitudo naturalis per participationem naturæ, & intentionalis, ſi filiatio ſit intellectualis per expreſſionem objecti intelligibilis conſtituentis eſſentialiter principium generativum intellectivum: ſed ſimilitudo naturalis in filiatione adoptiva Dei habetur per gratiam ſanctificantem, quæ eſt ſpecialis participatio naturæ divinæ, & ſimilitudo intentionalis eſt ipſa expreſſio objecti divini, proinde ſicut natura divina eſt ex ſe ſancta, & juſta, ita etiam gratia, quæ eſt quædam participatio naturæ divinæ, habet ex ſe formaliter reddere hominem ſanctum, & juſtum alioquin non eſſemus verè juſti per gratiam, ſi ex natura ſua formaliter nos non juſtificaret.

Præterea juſtificatio eſt translatio de ſtatu peccati ad ſtatum filiorum Dei: atqui gratia eſt terminus hujus juſtificationis conſequenter debet ex ſe importare ſtatum filiorum Dei: hoc autem eſſe non poſſet, niſi ex ſua natura juſtificaret. Demum quia juſtificatio reſpicit tanquam terminum regenerationem novi hominis, ait enim D. Paulus *ad Tit.* 3. *qui ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, conſequenter dari debet aliqua forma, quæ ſit terminus formalis hujus regenerationis, & hic terminus non daretur, ſi gratia non eſſet forma ipſa regenerativa, & juſtificaret ex natura ſua.

Sed dices, exinde ſequi, gratiam non eſſe completam, ſed tantum inchoatam adoptionem Dei, ſiquidem filiatio adoptiva completur per ſimilitudinem intentionalem expreſſivam divinæ eſſentiæ, ſeu per viſionem beatam: ſed ſi gratia non eſt completa adoptio Dei, non poteſt homo

homo per gratiam nominari verè, & propriè filius adoptivus Dei; quia filius non solùm inchoativè, verùm etiam completè debet participare naturam Patris, ergo sicut gratia sanctificans, non est completa adoptio Dei, ita nec justificat ex natura sua, quia eatenus justificaret, quia verè & propriè constitueret hominem Filium Dei adoptivum. Sed contra, quia licèt gratia in statu viæ dicatur inchoata adoptio Dei, adhuc propriè constituit hominem Filium adoptivum Dei, quia ad veram & propriam denominationem adoptionis satis est, si homo habeat formam, quæ per se exigat ultimum complementum adoptionis: & quia gratia sanctificans exigit ex natura sua visionem beatam, quæ est ultimum complementum adoptionis, sequitur gratiam verè, & propriè constituere hominem Filium Dei adoptivum. Præterea quia licet gratia non sit completa adoptio Dei formaliter, est tamen talis radicaliter, quia ex natura sua exigit ultimum complementum adoptionis divinæ, seu ipsam visionem beatam assimilativam objecti divini intelligibilis: quo pacto gratia constituit nos amicos Dei amore amicitiæ ex eo, quod exigat habitum charitatis, quo completur formaliter amicitia nostra erga Deum.

Sed contra responsionem instabis, quia gratia sanctificans in ratione constituendi Filium Dei adoptivum non potest compleri per visionem beatam: ergo solutio est nulla; antecedens liquet quia si compleretur in tali ratione per visionem beatam, deberet hæc pertinere intrinsecè ad filiationem adoptivam, siquidem complementum debet esse intrinsecum rei completæ, sed visio beata non potest esse complementum filiationis adoptivæ; siquidem visio beata est hæreditas, ipsa ad quam destinatur Filius adoptivus Dei, ut colligitur ex illo Pauli *ad Roman.* 8. *Si filii & hæredes*, unde infert ex filiatione hæreditatem, adeo ut hæc supponat filiationem: sed hæreditas est tantùm terminus extrinsecus filiationis, & quid intrinsecum complexivum ejusdem, consequenter gratia in ratione constituendi Filium adoptivum non completur per visionem beatam. Sed contra, quia visio beata est simul hæreditas, & ultimum complementum adoptionis divinæ; non enim repugnat idem secundùm diversos formalitates esse simul constitutivum filiationis, & simul hæreditatem filii, visio enim beata, prout assimilat perfectè terminum principio adoptandi est complementum filiationis: quatenus verò est perfectio per se debita personæ assumptæ in filium, est hæreditas ejusdem filii. Imò non solùm id non repugnat verùm etiam est necessarium, ut claret in filiatione increata Verbi, quæ non extinguitur ab hæreditate Patris, etenim beatitudo increata, quæ saltem partialiter consistit in cognitione increata divinæ essentiæ ac personarum, constituit essentialiter filiationem naturalem Verbi: siquidem productio Verbi eatenus est generatio, quia est processio in similitudine naturæ, quatenus procedit per intellectionem, quæ est similitudo expressa Patris, & naturæ divinæ; Spiritus Sanctus, quia non procedit per intellectum, ejus productio non est generatio, nec Spiritus Sanctus Filius: ergo cùm filiatio adoptiva Dei sit quædam imitatio filiationis naturalis divinæ, sequitur visionem divinæ essentiæ pertinere ad complementum filiationis adoptivæ Dei.

Sed reurgebis, quia filiatio adoptiva distinguitur adæquatè à filiatione naturali Dei: sed si filiatio adoptiva præter similitudinem naturæ divinæ includeret etiam similitudinem intentionalem objecti intelligibilis, non destingueretur adæquatè à filiatione naturali Dei, quia hæc includit essentialiter utramque similitudinem: ergo visio beata sub formalitate, qua est similitudo intentionalis objecti intelligibilis non potest pertinere ad complementum filiationis adoptivæ. Sed contra, negatur minor, quia filiatio naturalis Dei dicit perfectissimam similitudinem naturalem, & intentionalem per substantialem generationem: secus filiatio adoptiva includit tantùm imitationem filiationis naturalis per participium accidentale naturæ divinæ, quia tam gratia, quàm visio beata sunt in genere accidentium: filiatio adoptiva non debet distingui à naturali per exclusionem totius similitudinis intelligibilis, sed tantùm per exclusionem similitudinis itelligibilis substantialis: unde ex eo, quòd filiatio adoptiva includat utramque similitudinem in linea accidentis, distinguitur à filiatione naturali, quia hæc includit utramque similitudinem in linea substantiæ.

Objicies tamen præcipuum fundamentum oppositæ sententiæ, quia nulla forma creata potest esse tantæ perfectionis, ut adæquet beatitudinem, & amorem increatum Dei, consequenter neque gratia sanctificans, quæ est forma creata: ergo gratia non habet ex natura sua reddere subjectum justum, sanctum, & Filium Dei adoptivum; alioquin deberet esse tantæ perfectionis, quantæ est beatitudo, & amor Dei increatus, quod repugnat: sed contra, quia licèt beatitudo non ratione sui, sed ratione objecti increati, quod terminativè includit, vel etiam ratione vitalitatis sit perfectior gratia sanctificante, quæ vitalis non est nihil ominus in ratione accidentis supernaturalis gratia est perfectior ipsa visione beata: sed ut gratia constituat ex natura sua subjectum sanctum, & dignum amore increato Dei non est necesse, ut illi æquivaleat in perfectione, sed satis est, si intra eundem ordinem analogicum ei proportionetur in ratione objecti dirigibilis, quia gratia est in ordine participato divino, ideoque in ratione objecti dirigibilis proportionatur amori increato Dei.

Sed instabis, si gratia ex natura sua constitueret subjectum sanctum, & Filium Dei adoptivum, ac proportionaretur in ratione diligibilis amori increato Dei, inde sequeretur, quod etiam daret jus ad propria bona Dei: quod repugnat, quia eo ipso, quòd bona Dei fierent communia creaturis non essent amplius propria Dei, quia quod est proprium unius, non potest alteri esse commune, siquidem est contra rationem proprii, quod dicitur uni tantùm convenire: ergo gratia sanctificans non constituit ex natura sua subjectum justum, sanctum, & Filium Dei adoptivum. Sed contra negatur minor, quia tametsi bona propria Dei communicentur hominibus justis, non tamen desinunt esse propria Dei, quia bona supernaturalia propria Dei non communicantur creaturis, eo modo, quo sunt propria Dei, etenim in Deo hæc bona sunt substantialia quoad entitatem, & infinita quoad modum se habendi: in creaturis verò sunt tantùm accidentalia quoad entitatem, & finita quoad modum se habendi, ergo quamvis bona propria Dei communicentur creaturis, non inde desinunt esse propria Dei: quòd si communicarentur substantialiter, & quoad eundem modum, quo sunt in Deo, tunc desinerent esse propria Dei, sed quia communicantur creaturis tantum accidentaliter, & finito modo, ideo non desinunt esse propria Dei, quia quæ communicantur tantùm accidentaliter non communicantur cum natura substan-

tiali, sed tantùm communicantur proprietates alterius naturæ: accidens, cum non constituat naturam subjecti, semper perseverat in ordine accidentis, & est proprietas substantiæ.

Alius effectus gratiæ est constituere hominem actu à Deo dilectum speciali amore amicitiæ, perinde sicut amori à Deo est idem, ac Deum sibi complacere in perfectione alicujus, adeo ut amor Dei utpote fœcundus amando communicet amato perfectionem, in qua sibi complaceat: ita amari à Deo ut amicum, seu taliter, ut à persona amata possit redomari, idem est ac Deum communicare Creaturæ perfectionem, qua mediante possit creatura Deum sed amare: hinc dicendum est gratiam sanctificantem reddere formaliter, & ex natura sua hominem amicum Dei sine ullo extrinseco favore; quia Apostolus *ad Ephes.* 1. scribit: *Gratificavit nos in dilecto Filio suo*, non quòd Christus sit causa formalis illius gratificationis, quæ fit per gratiam, sed quatenus est causa meritoria 1. *ad Corinth. Transtulit nos in regnum fili dilectionis suæ. Sapient.* 4. *Placens Deo factus est dilectus.* Sed hæc & plura alia scripturæ loca non possent explicari nisi homo per gratiam sanctificantem constitueretur formaliter amicus Dei: Præterea quia Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 7. definit, nos per susceptionem gratiæ & donorum fieri ex inimicis Dei amicos ejusdem, & *cap.* 10. ait: Nos per gratiam Dei fieri amicos, & domesticos ejus.

Ostenditur ratione à priori, etenim gratia sanctificans est formaliter ex natura sua participatio naturæ divinæ: sed eo ipso, quod gratia sanctificans est ex natura sua talis, participatio habet ex natura sua reddere subjectum dignum speciali dilectione Dei: quia sicut unumquodque bonum naturale à Deo productum exigit saltem connaturaliter diligi à Deo amore naturali; ita omne bonum connaturaliter saltem exigit amari ab eo, qui illud liberaliter producit, vel impertitur: ergo gratia sanctificans constituit formaliter, & ex natura sua hominem amicum Dei, quia gratia sanctificans exigit habitum charitatis, ratione cujus creatura Deum redamat. Præterea quia homo tunc est Deo gratus, & dignus, ut à Deo diligatur speciali dilectione amicitiæ, quando est in se rectus, justus, Filius Dei adoptivus, ac ei similis, quia tunc habet omnia requisita, ut à Deo diligatur speciali dilectione amicitiæ; & homo potest Deum redamare: sed per gratiam confertur homini rectitudo, justitia, filiatio Dei, & ejus similitudo: ergo gratia sanctificans formaliter, & ex natura sua reddit subjectum actu à Deo dilectum speciali dilectione amicitiæ: quia sicut gratia ex natura sua reddit hominem justum, & consortem divinæ naturæ, reddit etiam ex natura sua objectum Deo amabile; quia ratione gratiæ dicitur Deus venire ad nos; habitare in nobis, consecrare nos, ut templa, generare ut filios, ungere ut reges, signare ut electos.

Quinimò gratia sanctificans ita constituit essentialiter subjectum à Deo dilectum, ut repugnet esse gratiam in subjecto capaci, & non amari à Deo speciali amore amicitiæ: quia actus divinæ voluntatis, quia est infinitè perfectus, debet esse ultimò determinatus vel per modum efficacis complacentiæ circà quodcunque bonum existens; vel per modum efficacis displicentiæ circa quodcunque malum pariter existens, si enim non esset ultimò determinatus, cùm esset infinitè perfectus, cùm determinatio actus sit aliqua ejusdem perfectio: consequenter ultima determinatio est ultima perfectio, sed si Deus posset vel actu non diligere aliquod bonum existens, vel actu non odisse aliquod malum existens, posset actus ille voluntatis non esse ultimò determinatus circa res existentes, consequenter neque ultimatè perfectus, ut per se constat, ergo non potest Deus non actu diligere speciali amore amicitiæ hominem habentem gratiam sanctificantem: quia cùm divina voluntas non possit ferri per modum displicentiæ & odii in hominem existentem in gratia, sequitur debere ferri in ipsum per modum æquitatis complacentiæ, seu amoris.

Quòd si dicas, sufficere, si divina voluntas feratur per modum simplicis complacentiæ in hominem existentem in gratia, perinde ac fertur in res possibiles; Contra est, quia sicut gratia ut existens addit supra se ipsam ut possibilem exercitium existentiæ: ita actus divinæ voluntatis supra terminationem gratiæ possibilem, debet addere novam terminationem ad eandem ut existentem in actu exercito, alioquin actus divinæ voluntatis non esset ultimatè terminatus circa gratiam, ut exercitè existentem: sed eo ipso quod actus divinæ voluntatis fertur in gratiam, ut existentem, non potest non ferri in ipsam per complacentiam efficacem: per hoc enim differt efficax complacentia à simplici, quia efficax, utpote fœcunda, est essentialiter collativa boni amati: simplex verò tantùm sibi complacet in bono amato: ergo cùm Deus conferat actu nobis gratiam, quam amat in nobis, non potest non amare nos amore efficacis complacentiæ.

Si dicas, posse Deum in nobis diligere gratiam communi dilectione, qua diligit alias creaturas existentes, & non esse necesse, ut Deus diligat hominem existentem in gratia speciali amori amicitiæ. Contra est, quia eo ipso, quod gratia est ex natura sua participatio naturæ divinæ, si Deus illam non diligeret speciali amore amicitiæ, eam non amaret: secundò, quia sicut natura divina increata exigit ex intrinseco sui amari speciali amore amicitiæ, ita gratia, quæ est patricipatio naturæ divinæ, quam imitatur, exigit ratione sui amari speciali amore amicitiæ; proinde si Deus non amaret speciali amicitia hominem existentem in gratia, illum non amaret, prout exigit amari, nec actus divini amoris esset ultimò terminatus, quia non esset terminatus ad ultimum gradum specificum gratiæ sanctificantis, sed tantùm ad gradum genericum entis, vel qualitatis. Præterea repugnat actum divinæ voluntatis non esse actu terminatum ad gratiam, ut exercitè existentem; proinde repugnat, non esse actu terminatum ad gradum specificum ejusdem gratiæ, ut actu existentis; ita enim se habet actus divinæ voluntatis non ut actu terminatus ad specificum gradum ejusdem gratiæ existentis, ergo sicut implicat, actum divinæ voluntatis non esse actum terminatum ad gratiam ut existentem, ita repugnat, non esse actu terminatum ad specificum gradum gratiæ jam existentis, alioquin actus divinæ voluntatis non esset efficax, quia non terminaretur ad actum specificum gratiæ; & esset efficax, quia poneret eundem gradum specificum gratiæ, actus enim efficax est talis per positionem termini ad extra; & non potest ponere terminum, nisi ad ipsum terminetur: unde sicut repugnat, actum esse simul efficacem circa eundem gradum specificum gratiæ; ita repugnat Deum non amare hominem existentem in gratia speciali efficaci amore amicitiæ.

Ostenditur secundo, quia peccatum mortale exigit essentialiter odium inimicitiæ Dei, quia cùm sit oppositum directè divinæ voluntati, trahit secum contemptum, quo meretur, ut sit illo dignum, sed gratia, cùm sit participatio divinæ naturæ, trahit secum dignita-

dignitatem, ratione cujus est digna, ut ametur amore amicitiæ, ergo sicut peccatum exigit ex natura sua odium inimicitiæ Dei, eo quia directè opponatur divinæ bonitati; eò quia sit participatio naturæ divinæ, exigit essentialiter amari amore amicitiæ, consequenter Deus amat hominem existentem in gratia speciali dilectione amicitiæ, quia Deus ex infinita perfectione sui actus non minus esset determinatus ad diligendum quidquid est diligibile juxta mensuram diligibilitatis rei, quam ad odio habendum, quidquid est odibile, juxta mensuram odibilitatis objecti.

Dices Deus, potest conferre suam gratiam habitualem non solùm homini, sed etiam lapidi, quia cum gratia sit entitas absoluta, & non vitalis, nil obstat, quo possit Deus eam conferre lapidi, si in hac hypothesi Deus non amaret lapidem, nec gratiam in lapide speciali amore amicitiæ, ergo nec in homine Deus amat necessario gratiam amore amicitiæ, nec ipsum hominem existentem in gratia, unde quamvis de facto illum amet amore amicitiæ, potest tamen de potentia absoluta illum non amare, proinde gratia habitualis, & ex natura sua non habet constituere subjectum actum à Deo dilectum amore amicitiæ. Contra est, negatur consequentia ob discrimen inter gratiam productam in lapide, & in homine: eatenus in lapide non constituit subjectum capax amoris amicitiæ, non quia gratia ex natura sua non habet constituere subjectum actu dilectum à Deo speciali dilectione amicitiæ: sed quia subjectum est incapax, quia amor amicitiæ non potest esse nisi in natura intellectuali, quæ sit capax redamationis: unde amor amicitiæ essentialiter respicit personam intellectualem capacem redamandi. Quamobrem si Deus produceret gratiam habitualem in lapide, amaret in eodem lapide gratiam amore concupiscentiæ, ut specialem participationem naturæ divinæ, non verò amore amicitiæ.

Dices, Dei voluntatem non posse necessitati à forma ulla creata ad illam diligendam speciali dilectione: quia Deus ad extra operatur omninò liberè, & potest amare, vel non amare creaturam: sed gratia sanctificans tametsi sit participatio divinæ naturæ, est nihilominus qualitas creata, quæ non potest ad amorem adigere Dei voluntatem: ergo potest Deus gratiam etiam in subjecto capaci non diligere speciali dilectione amicitiæ. Firmatur, quia sola bonitas increata, ac infinita Deum necessitat ad eum diligendum, & licèt gratia sanctificans sit participatio naturæ divinæ, quia tamen est quid creatum, & finitum, non potest divinam adigere voluntatem ad specialem sui dilectionem. Sed contra distinguitur major: divina voluntas non potest necessitari simpliciter & absolutè ad diligendas creaturas, conceditur ex suppositione, quòd eas producat ad extra, negatur: seu non potest necessitari necessitate antecedenti ad positionem creaturæ, conceditur, necessitate consequenti positâ jam creatura, negatur major & concessa minore negatur consequentia: ratio est, quia cùm divinus amor sit fœcundus, perinde est Deum amare creaturam, ac conferre illi bonitatem aliquam: unde ex suppositione, quòd Deus liberè conferat creaturæ rationali gratiam sanctificantem, quæ cedit in maximum ejusdem bonum, non potest non amare creaturam, alioquin simul ei conferret gratiam. Ad confirmationem respondetur, divinam bonitatem simpliciter, & absolutè necessitare Deum ad amorem sui bonitatem verò creatam tantùm ex suppositione, quod Deus illam producat, quia producere bonitatem creatam perinde est, ac illam amare.

Homo igitur in justificatione recipiens ac retinens gratiam sanctificantem terminat supernaturalem Dei dilectionem & amorem amicitiæ, quo ita amatur à Deo per infusionem gratiæ justificantis, ut homo redamet Deum amantem. Hinc dilectum esse à Deo perinde est, ac esse gratum Deo. Licet homo, cùm recipit à Deo aliud donum gratuitum supernaturale, eo ipso ametur supernaturaliter (siquidem quidquid boni creaturæ Deus communicat, ex amore communicat, & per tale donum creaturam amat) non tamen absolutè creatura est Deo grata; nisi tunc, cùm gratiam sanctificantem illi communicat, quia hæc est participatio divinæ naturæ, quâ propterea est creatura Deo grata, & habet jus ad æternam beatitudinem, ac hæreditatem suo tempore, nisi sibi desit, adeundam. Quamdiu retinet, servatque gratiam sanctificantem, est particeps naturæ divinæ cum jure adeundi æternam hæreditatem. Hinc constat proprios effectus gratiæ sanctificantis esse, ut diximus, sanare infirmitatem naturæ lapsæ, corroborare ejus imbecillitatem, & impertiendo vires, quibus se promoveat ad assecutionem æternæ gloriæ; reddere hominem justum, & amicum Dei, consequenter & gratum Deo; dare jus ad vitam æternam, tanquam filio adoptivo supersunt duo alii effectus expendendi: quomodo per gratiam sanctificantem remittantur peccata, & fiant opera meritoria.

# CAPUT XVIII.

## Quomodo gratia sanctificans sit formaliter abstersiva peccati lethalis.

Explicatis effectibus positivis gratiæ sanctificantis, qui desumuntur vel ab ipsa intrinseca entitate gratiæ unitæ subjecto, vel ab extrinseco actu divinæ dilectionis, superest explicandus effectus negativus, qui est expellere peccata personalia, quæ dicuntur perseverare in peccatore transacto actu vitiato, seu actuali peccato, quo homo per transgressionem divini præcepti injuriam Deo irrogavit, quem propterea graviter offendit, quatenus peccator per conversionem ad creaturam læsit divinum jus, quo ratio finis ultimi soli Deo debita datur creaturæ, cui per peccatum postponitur Deus; & propterea cessat in creatura peccante gratia sanctificans, & cum ipsa desinit jus ad æternam hæreditatem, amicitia Dei, justitia, & cessant alia dona, quæ secum afferebat gratia sanctificans, & in hoc statu dicitur homo peccator, & hæc gratiæ sanctificantis privatio macula dicitur peccati, vel peccatum habitualiter perseverans, eò quia status peccati tamdiu manet, quamdiu per legitimam pœnitentiam, & resipiscentiam non retractatur, ac si hæc privatio splendoris divinæ gratiæ esset habitus quispiam; vel aversio habitualis à Deo, quia post-

quam

quam se se peccator à Deo avertit, & convertit ad creaturam aliquam, tamdiu à Deo manet aversus, & in creaturam conversus, quamdiu à creatura per salutarem pœnitentiam perfectè non recedit, nec Deo reconciliatur: & sicut de peccato personali, ita & de originali philosophandum est, siquidem originali peccato esse quempiam inquinatum, nihil aliud est, quam ob Adami inobedientiam hominem à Deo descendentem destitutum esse originali justitia, & aversum à Deo summo bono. Hinc qui peccato lethali est coinquinatus non solùm fit Deo exosus, ac terminat odium Dei, non quia decreto divino ad malum pœnæ æternæ sit destinatus, verùm etiam, quia habet in se privationem gratiæ ob pravam actionem præcedentem. Hinc per habitualem gratiam terminantem amorem amicitiæ Dei, ita remittitur peccatum personale, ut offensa actualis præterita condonetur, & macula, seu peccatum habitualiter permanens, & à quo homo denominatur peccator, radicitus evellatur, & totaliter deleatur: siquidem quando Deus supernaturaliter hominem diligit, cui confert gratiam sanctificantem, eo ipso deponit in talem hominem odium, consequenter eum incipit amare, cùm impertiri per gratiam sanctificantem, quæ est participatio divinæ naturæ, jus ad æternam hæreditatem, neque quid aliud est peccatum præteritum remitti quàm deponere odium, quo persona offensa prosequebatur offendentem: homo enim alteri intelligitur remittere offensam, ac deponere in illum odium, quando incipit eum amare per actum oppositum odio, & elicitum ab ipso homine, adeò ut non possit homo alteri remittere offensam, nisi intrinsecè mutetur per elicientiam actus amoris oppositi odio: & quia Deus nulli est mutationi obnoxius, hominem, quem oderat peccantem, diligit amore supernaturali resipiscentem absque ulla sui intrinseca mutatione, est enim voluntas Dei infinitè perfecta, ideo eadem semper est stabilis, seu immota, & eadem perseverans sufficiens ad omnia absque ulla sui mutatione, tametsi nunc odio habeat hominem peccantem, & postea eum amet resipiscentem, quia dicitur Deus amore, vel odio habere hominem, quatenus virtute, & efficacia ipsius eodem modo semper in re se habentis, nunc homini gratiam suam sanctificantem impertitur, & tunc dicitur homo à Deo diligi, & nunc odio haberi, quatenus eâdem gratiâ propter peccatum actuale transactum destituitur.

Hinc claret, quomodo peccatum personale lethale non remittatur sine dono gratiæ: quamdiu enim per divinam dilectionem non impertitur homini gratia sanctificans, à qua defecit per peccatum, quo Deum offendit, & propter quod voluit Deus gratiâ illam esse destitutum, tamdiu manet in homine id, per quod habet terminare odium Dei, consequenter tamdiu manet erga eum Dei odium, quamdiu à Deo non impertitur gratia sanctificans. Difficultas tamen est, quomodo gratia sanctificans dicatur expellere peccatum lethale ac esse abstersiva illius: siquidem Hæretici negant, peccata dimitti beneficio gratiæ sanctificantis asserentes, in hominis justificatione tantùm radi, vel tegi per justitiam Christi nobis imputatam, perinde ac maculæ, vel vulnera alicujus hominis possunt tegi vel occultari sub veste alterius, & ita docent Lutherani & Calvinistæ, existimantes justificationem non fieri per introductionem alicujus formæ intrinsecè inhærentis animæ, sed per solam Christi justitiam nobis imputatam, ac si Christi justitia esset quoddam integumentum nobis mutuatum, quo nostra obtegantur peccata. Rursus asserunt ad justificationem aliam non requiri ex parte peccatoris dispositionem: quam ipsum actum fidei, quo quis certò credit sibi imputari Christi justitiam, & per hanc esse sibi peccata condonata.

Asserendum est, gratiam sanctificantem verè, & propriè esse abstersivam peccati mortalis, adeo ut in justificatione impii peccatum verè, & realiter remittatur, ac deleatur quoad reatum culpæ, idque definitum fuit in Concilio Tridentino *sess. 5. can. 5.* ubi ait: *Si quis dixerit, peccatum originale non verè tolli per gratiam Christi, sed tantùm radi, & amplius non imputari, anathema sit*; & desumitur hæc veritas Catholica ex scripturis ubi peccata dicuntur tolli, & aufferri, & non tegi vel non imputari, *Joan. 1. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quòd si peccata tolluntur, amplius non sunt consequenter non teguntur, sed auferuntur. Quòd deleantur totaliter asserit David, quia resipiscentiæ lachrymis peccatorum maculas, quas contraxerat, abstersit, & delevit, ait enim *Psal. 50. Secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Quod maculæ per peccata contractæ non tegantur, sed purgentur, ac mundentur, asserit idem regius Propheta *Psal. 50. Et à peccato meo munda me*; hinc *Ezech. 38. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab inquinamentis vestris*: sed hi termini, qui sunt mundare, tollere, auferre, delere, secundùm proprias significationes non important solam occultationem peccatorum, sed veram eorundem ablutionem, & ablationem; siquidem nonnisi ineptè, & impropriè quis diceretur ablutus, & mundatus, qui sordibus adhuc esset inquinatus, quas tantum linteo aliquo tegeret, perinde ac qui pluribus sauciatus vulneribus adhuc diceretur vulneratus, quamvis veste, vel pallio vulnera illa obtegeret: ergo ex scripturis clarè constat, per gratiam sanctificantem, qua homo à Deo diligitur amore amicitiæ, verè & propriè remitti ac deleri peccata.

Sed Hæretici adductis scripturarum textibus apponunt hunc, desumptum *ex Psal. 31.* ubi David ait: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata, beatus vir, cui non imputavit Deus peccatum*, ergo, inferunt peccata per justificationem non deleri, sed tegi, non mundari, sed non imputari à Deo peccatori: sed contra, quia cùm David *Psal. 50.* rogat enixim Deum, ut juxta multitudinem miserationum suarum deleat suam propriam iniquitatem, & ut à peccatorum maculis, quas peccando contraxerat emundet: per tecta peccata ne sibi contradicat, *in Psal. 31.* debet necessario intelligere deleta peccata, adeo ut sensus sit: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum deleta sunt peccata*: quia, si peccata sunt remissa, amplius non existunt, consequenter sunt deleta. Præterea eatenus David vocet peccata tecta, remissa, quia quod est tectum apud Deum, nullo pacto est: siquidem Deo nil potest esse occultum, cùm penetret intimiora cordis secreta, cum igitur omnia sint ipsi præsentia, sitque omnscius non potest quidquam ipsum latere, ac esse illi occultum, nec tectum, sed omnia sunt semper ipsi aperta; quapropter quando in scripturis peccata dicuntur tecta, respectu Dei necessariò debet intelligi totaliter deleta, alioquin si essent tecta respectu Dei, utique eidem essent occulta, ac ipsum laterent, consequenter non esset omni-

omniscius, quod repugnat. Hinc David. *Psal.* 89. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, & seculum nostrum* (seu delicta nostræ ætatis) *in illuminatione vultûs tui*; unde perinde est, peccata nostra esse tecta apud Deum, ac esse pœnitus deleta & totaliter oblatâ. Præterea cum David priùs dixerit, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, & postea subjunxerit: *Et quorum tecta sunt peccata*, verbum tegere idem significat, ac remittere quoad pœnam, adeo ut sensus sit, eos esse beatos, quorum remissæ sunt iniquitates quoad culpam: & quorum tecta sunt peccata id est, deleta, & remissa etiam quoad pœnam, ut pulchrè explicat D. Augustinus *in 2. enarrat. ejusd. Psal.* inquiens: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, cooperta sunt peccata, & tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere, & maluit ignoscere. Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: nec sic intelligatis: quod dixit peccata cooperta, quasi ibi sint, & vivant, tecta ergo peccata, quare dixit? ut non viderentur. Quid enim erat Deum videre peccata, nisi punire peccata.* Ad aliud, cui innituntur Hæretici, & quo *beatus is dicitur, cui non imputavit Deus peccatum*, respondetur, non imputare idem prorsus esse, ac non esse peccatum, quia cùm justitia divina, & lex æterna nullum possunt peccatum relinquere impunitum; rectè peccata, quæ destructa, & oblata supponuntur, dicuntur à Deo non imputari, unde subdit statim Psalmista: *Nec est in Spiritu ejus dolus*, scilicet in eo, cui Deus non imputavit peccatum, non est iniquitas, neque peccatum, & in hoc sensu etiam charitas dicitur operire multitudinem peccatorum, eò quia charitas destruat peccatum: non solùm quoad culpam, verùm etiam quoad pœnam, si fervens fuerit, quapropter D. Thomas in 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 2. ait: *Charitas dicitur operire peccata Deo, quia omnia videt*, unde oportet, quod ea destruat, non quidem faciens, ut actu non præcesserint, sed quod vim impediendi gratiam non habeat.

Sed dices: si quando Deus dicitur non imputare peccatum, infunderet justitiam, sequeretur, quod quando dicitur imputare peccatum infundere peccatum, & Deus esset causa peccati, quod est absurdum. Sed contra quia cùm Deus non imputet peccatum, debet ipsum delere per gratiam, alioquin non posset non odisse; secus, ut Deus dicatur imputare peccatum, sufficit, si hoc ponatur non ab ipso, sed à voluntate creata: unde Deus tunc non imputat peccatum, quando impertitur peccatori resipiscenti gratiam sanctificantem abstersivam formaliter, ac deletivam peccati, & tunc dicitur peccatum imputare, quando peccator peccatum ponit; non enim, ut imputetur alicui error, necesse est, quod error fiat ab eo, qui alteri errorem imputat, sed satis est, si ab eo committatur, cui imputatur.

Suadetur assertum ratione, quia si post justificationem peccata manerent in homine, sequeretur eum esse justum, & injustum, aversum, & non aversum à Deo, quod repugnat: esset enim justus, & non aversus à Deo, quia proprius effectus justificationis est, reddere hominem justum & conversum in Deum; & quia gratia, quæ justificat, conjungit creaturam cum Deo, & hæc conjunctio non potest haberi sine conversione, ideo per gratiam justificantem esset homo conversus in Deum, esset justus, & gratus Deo: rursus esset injustus, & aversus à Deo, quia peccatum habet deordinare hominem à Deo, ac esse essentialiter quandam injustitiam, quapropter si peccatum maneret in homine, adeo ut esset tantùm tectum, inde sequeretur, quod etiam post justificationem homo adhuc esset injustus, & aversus à Deo, quod est falsum, quia Deus persæpe affirmat, se amare justos, & odio habere impios: unde si per justificationem tantùm tegerentur peccata: sequeretur, quod Deus simul amaret impios, & illos odio haberet.

Neque obstat: quod respondent Sectarii, homines, quibus per justificationem tecta sunt peccata, fieri objectum amoris divini ratione justitiæ externæ: Contra est, qui non obstante justitia externa Christi, ratione cujus dicuntur peccata tegi, adhuc peccatores non desinunt à parte rei, & in conspectu Dei esse coinquinati, & immundi, quia cui macula est tantùm tecta, revera manet in ipso à parte rei macula, qua adhuc est inquinatus.

Imò asserendum est secundò, gratiam sanctificantem expellere essentialiter peccatum lethale, dicitur essentialiter, quia connaturaliter est certum, quia, cum gratia sanctificans ex natura sua reddat subjectum sanctum, justum, filium Dei adoptivum, cui connaturaliter saltem repugnat esse simul in peccato lethali, sequitur saltem connaturaliter gratiam habitualem secum adferre abstersionem peccati lethalis. Prætereà quia Tridentinum *sess.* 5. *can.* 3. damnat asserentes non tolli per gratiam, quæ confertur in baptismo totum id quod habet veram, ac propriam rationem peccati: sin autem gratia ex natura sua connaturaliter non esset abstersiva peccati, non tolleretur peccatum per gratiam, quia illa particula *per* denotat vim expulsivam, & non solùm concomitantiam; præterea, quia gratia sanctificans ex natura sua habet effectus formales oppositos effectibus peccati, quia constituit hominem filium Dei, per participationem divinæ naturæ confert eidem jus ad cœlestem hæreditatem, & constituit eum dignum speciali amore amicitiæ, convertit ad Deum habitualiter, sanctificat, vivificat, sanat, & mundat animam; econverso peccatum tollit ab homine filiatione Dei, facit servum Diaboli, privat hæreditate Christi, reddit indignum amore Dei, avertit ab ipso, & non solùm est infirmitas, sed etiam mors animæ, & cùm hi omnes effectus peccati opponantur effectibus gratiæ: sequitur gratiam sanctificantem connaturaliter expellere peccatum, unde quæstio procedit, an essentialiter habeat peccatum gratiam expellere.

Et probatur assertum, quia gratia ex sua natura constituit nos objectum divinæ amicitiæ, & peccatum è converso objectum divinæ inimicitiæ: sed Deus diligit necessariò diligibilia, & odio habet odibilia juxta diligibilitatem, & odibilitatem eorundem: unde repugnat, Deum Petrum diligere speciali amore amicitiæ; & simul eundem odio habere; siquidem Deus non potest speciali amore amicitiæ aliquem diligere, quin eidem communicet

nicet donum amicabile; nec odisse odio specialis inimicitiæ, quin ab eo abstrahat idem donum amicabile, & sicut repugnat, ut eidem simul conferat, & auferat idem donum amicabile, ita repugnat, gratiam non esse essentialiter abstersivam peccati lethalis. Major ostenditur, quia non potest Deus de novo creaturam amare, quin physicè illam immutet; neque potest recens odisse eandem creaturam, nisi per ejusdem mutationem commensam odio divino: quia cùm Deus non possit de novo diligere, vel odisse permutationem sui intrinsecam, cùm sit Deus immutabilis, sequitur, quod debeat Deus de novo diligere vel odisse permutationem creaturæ: & quia actus liber Dei completur per connotationem hujus mutationis ad extra sequitur hanc mutationem, ut essentiale connotatum debere esse aptam ad complendum extrinsecè actum liberum Dei; & cum non possit habere hanc aptitudinem nisi per se sit objectum specialis amicitiæ, vel inimicitiæ Dei, sequitur, non posse Deum recens creaturam amare speciali amore amicitiæ nisi eam immutet per infusionem gratiæ, qua constituatur creatura objectum diligibile à Deo speciali dilectione amicitiæ, & non posse Deum recens odisse creaturam, nisi per ejus mutationem, & oblationem gratiæ sanctificantis proinde gratia est essentialiter abstersiva peccati.

Si dicas, argumentum valere, ex qua parte asserit, non posse Deum de novo amare vel odisse creaturam, nisi per aliquam mutationem exercitam in eadem, sed inde non sequi, gratiam sanctificantem esse essentialiter abstersivam peccati lethalis, adeo ut Deus non possit odisse, nisi per subtractionem gratiæ sanctificantis; quia ut Deus recens odio habeat Petrum sufficit, si fiat mutatio in Petro: & hæc mutatio haberi potest, tametsi præscindamus ab ipsa subtractione gratiæ: quia ex eo, quòd Petrus peccet de novo, per peccatum recens positum, habetur in ipso mutatio, qua sufficienter constituitur objectum odibile odio divino: quia sicut mutatio, quæ constituit Petrum, objectum amoris divini, est gratia: ita mutatio quæ constituit eundem Petrum objectum odii divini est ipsum peccatum: ergo ut habeatur hæc nova mutatio, non est necessaria subtractio gratiæ sanctificantis, consequenter ex hoc capite non est essentialiter abstersiva peccati. Sed contra, quia ut Deus recens odio habeat Petrum, non sufficit mutatio, qua objectum constituatur tantùm remotè à Deo odibile, sed requiritur mutatio, qua constituatur objectum proximum odii divini, & hæc mutatio est subtractio gratiæ à Deo facta, non verò ipsum peccatum: quia cùm odium, quo Deus recens odit Petrum, sit actus liber Dei debet connotare terminum dependentem ab ipso Deo; qui terminus non est peccatum, quia hoc in ratione peccati non dependet liberè à Deo, sed à creatura: quamobrem mutatio, qua creatura constituitur objectum proximum odii divini est ipsa subtractio gratiæ, quia hæc est terminus dependens à Deo, à quo liberè procedit. Quamobrem est discrimen inter mutationem quæ fit per gratiam, & per peccatum, quia cum gratia liberè pendeat à Deo, ipsa sola sufficit ad complendum liberum actum amoris Dei in creaturam: secus quia peccatum in ratione peccati non dependet à Deo, non potest extrinsecè complere actum liberum Dei. Præterea quia odium Dei erga creaturam secundùm id quod dicit, in recto est summum bonum, quia est ipse actus identificatus cum divina voluntate, peccatum verò est summum malum dependens tantum ab ipsa creatura, adeò ut liberum non ponatur à Deo. Rursus odium supponit offensam, in quam fertur affectus aversionis, quo offensus avertitur ab offendente in pœnam offensæ: & cum Deus non possit averti à creatura per suum actum, debet eadem averti per aliquid ad extra, quod dependeat à Deo, & hoc est ipsa subtractio gratiæ.

Hinc infertur, gratiam sanctificantem non expellere peccatum tantùm meritoriè, & effectivè movendo ex se Deum ad tollendum, & condonandum peccatum; sed formaliter esse abstersivam peccati lethalis propter naturalem incompossibilitatem cum peccato, perinde ac calor expellit formaliter frigus ab eodem subjecto, in quo non possunt simul cohærere naturaliter calor & frigus idque colligitur ex effectibus formalibus positivis gratiæ, quia eo ipso, quod gratia reddit formaliter hominem justum Dei amicum, & filium Dei adoptivum, tollit formaliter inimicitiam, injustitiam & malitiam, consequenter remissio peccati est effectus formalis gratiæ. Præterea, quia non est impossibilis talis entitas physica, quæ formaliter ex natura sua expellat peccatum, alioquin unio hypostatica hoc idem non præstaret: & quia nihil obstat in contrarium, & valde congruum est, ut gratia sanctificans habeat hanc perfectionem expellendi peccatum formaliter, dicendum est, illud expellere, non tantùm effectivè & meritoriè, sed formaliter, adeo ut expulsio peccati sit effectus formalis gratiæ.

# CAPUT XIX.

## De ultimo effectu gratiæ, seu de merito.

Meritum, ut est effectus gratiæ sanctificantis si sumatur genericè ut abstrahens à merito condigno & congruo, est obsequium præstitum Deo potens ex se movere ad retributionem doni alicujus supernaturalis; dixi, ut abstrahens à merito condigno, & congruo, quia meritum de condigno non solum est potens ad retributionem; sed etiam exigit ex se talem retributionem, non ita meritum de congruo, quia tametsi peccator per actum contritionis mereatur de congruo primam gratiam sanctificantem, non tamen illam exigit ex se. Rursus licèt homo justus mereatur de congruo perseverantiam finalem non tamen illam exigit. Controversia procedit, an revera opera hominis justi sint meritoria præmii æterni. Sectatores, quibus inimica sunt omnia bona opera, hostes sunt infensissimi meriti asserentes, hominem justum nullum posse elicere actum bonum meritorium vitæ æternæ, nec ullum efficere opus bonum; sed omnia opera justorum quamtumvis videantur bona, & laudabilia revera tamen in se esse inquinata ac vitiata, imò etiam peccata gravia, ut docet Calvinus, *lib. 3. Instit. cap. 12. §. 4. & cap. 14. §. 9.* hinc asserunt,

asserunt, neminem teneri bona opera exercere, nec ullam servare legem, cùm dicat Apostolus, *justo non est lex posita*. Rursus negant, justorum opera digna esse præmio apud Deum, sed tantum pœna, ut asserit Calvinus *in antidoto Concil. Trident. sess. 6. cap. 2.* Alii autem Hæretici aliquam videntur umbratilem rationem meriti concedere, eo quia quamvis negent, opera justi mereri gloriam æternam, fatentur nihilominus ex liberalitate Dei miserentis retribui ipsis præmium aliquod temporale.

Veritas tamen Catholica stabilis, & à primitiva Ecclesia asserta est, opera bona facta ab hominibus justis esse meritoria apud Deum adeo ut homo justus per bona opera mercedem dignè mereatur à summo Judice reddendam, & hanc fuisse in primitiva Ecclesia veritatem inconcussam, colligitur ex primis Ecclesiæ Patribus, qui eam docuerunt; etenim Ignatius Martyr, qui vixit tempore Apostolorum ad Mariam Cassabolitem scribit, justos per bona opera sibi mereri æternam gloriam: ut etiam Clemens Romanus discipulus D. Petri *epist. 4.* hoc idem asserit, ut & alii primitivæ Ecclesiæ Patres, ut Hermas *lib. 4. simil. 5.* Justinus Martyr *Orat. ad Antonin. Pium* Clemens Alexandrinus, *lib. 4. strom.* ubi ait: *Deus omnibus omnia distribuit promeritis, cum justa sit dispensatio, & œconomica, & parænetica, ne pigeat vos laborasse, licet vobis, si velitis, pretiosissimam salutem emere, proprio thesauro, quàm charitatem & fide vitæ.* Tertullianus. *lib. 2. contra Marcion. cap. 6.* & *in Scorpiaco cap. 6.* ait: *Quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum*: vult enim cœlesti patria plures dari mansiones juxta varia merita Sanctorum. Hanc eandem veritatem docuerunt Hyppolitus *orat. de consummat. mund.* Origenes *tract. 32. in Matth.* Cyprianus *de unit. Eccles.* ait: *Justitia opus est, ut promereri quis possit Deum Judicem, præceptis, & monitis ejus obtemperandum est, ut accipiant debita nostra mercedem.* Lactantius in *epist. divinar. Institut.* Cyrillus Jerosolymit. *Catech. 1.* Gregorius Nissenus *homil. 8. in Eccles.* & successivè per singula sæcula hanc veritatem docuerunt à tempore Apostolorum Sancti Patres, & Concilia præsertim Tridentinum *sess. 6. cap. 16.* ubi definivit, posse homines justos cum Dei gratia plures elicere actus bonos, dignosque laude, & colligitur ex verbis Evangelii *arbor bona bonos fructus facit*, & ex eo quod homines etiam justi teneantur elicere plura opera bona, ut consequantur salutem, ut colligitur etiam ex illo Evangelii: *Omnis arbor, quæ non facit fructum excidetur, & in ignem mittetur.* Quamobrem fuit semper veritas Catholica quam docuerunt Sancti Patres à tempore Apostolorum ad nostra usque tempora per opera bona verè & propriè mereri homines justos alia dona spiritualia & vitam æternam, & propter eadem opera deberi iisdem gloriam æternam, ut mercedem, & coronam.

Dicendum itaque est hominem justum, seu amicum Dei cum Dei gratia posse opera quædam facere, quibus intercedente divina acceptatione, & promissione vitam æternam sibi dignè mereatur, quàm illi Deus, ut mercedem & coronam intuitu bonorum operum reddit, & ita docent communiter Catholici: & veritas hæc desumitur ex innumeris propemodum scripturis præsertim *Matth. 5. v. 12.* ubi Christus asserit, mercedem justorum futuram in cœlis copiosam, & eam quidem pro labore nostro dandam tanquam in vinea Domini desudantibus denarii nomine significatam *Matth. 5. v. 8.* Rursus *Eccles. 16. Unicuique misericordia faciet locum secundum meritum operum suorum*, explicatur enim ex misericordia dari gratiam ad bona opera elicienda, & ex justitia dari gloriam, unde *Sapient. 5.* dicitur: *Justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum.* Ubi est sermo de hominibus justis, qui per labores, & studia virtutum translati fuerunt ad quietem, & regnum, quod etiam possident titulo mercedis. D. Paulus scribens *ad Hebræ. 13.* ait: *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus*, qui est merces operum justorum, ut ipsemet fatetur, *Genes. 17. Ego protector tuus sum & merces tua magna nimis.* Rursus *ad Hebræ. 10.* ait: *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magna apud Deum habet remunerationem*, & *1. ad Timoth. 4.* ait: *Reposita est mihi corona justitiæ*, ubi vocat cœlestem beatitudinem coronam justitiæ, eò quia bona opera sibi promeruerit. Et *1. ad Corinth. 3.* scribit: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum laborem suum*, & *cap. 15. Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non sit inanis in Domino, non enim injustus est Deus.* Hinc Joannes *Apocal. 22. Ecce, venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua*, & Christus ipse in Evangelio passim meminit hujus mercedis, quæ debetur operibus bonis justorum, *Matth. 5. Merces vestra copiosa est in cœlo*, & *cap. 16. Reddet unicuique secundum opera sua.* Hinc D. Basilius, *init. Proverb. Omnes Evangelicam viam ambulantes mercatores sumus per bona opera mandatorum nobis possessionem cœlestium negotiantes.* D. Chrysostomus, *homil. 4. de Lazaro prope medium* ait: *Si justus est Deus & illis reddit pro meritis, & hoc in confesso est.* Tota igitur causa ob quam tribuitur æterna vita tam à Christo, quàm à Sanctis Patribus adscribitur bonis operibus: & quidem per particulas causales, *enim Matth. 25. v. 34. quia Matth. 25. v. 2. ideo Apocal. 7. v. 14.* hæ siquidem particulæ causales apertè significant labores justorum toleratos & bona eorundem opera causas esse retributionis acquisitæ, imò non solùm opera bona justorum sunt causa præmii: sed etiam iisdem debetur ex justitia, ut scribit D. Paulus *2. ad Thessal. 10. v. 6. Justum est apud Deum retribuere vobis, qui tribulamini nobiscum* & *2. Timoth. 4. Reposita est mihi corona justitiæ*, & *ad Hebræ. 6. v. 10. Non est injustus Deus, ut oblivisćatur operis vestri.* Quinimò Christus ita promisit æternam vitam, ut promissio dependens sit ab operibus bonis hominis justi, adeo ut is, qui opera bona implet, jus acquirat ad promissam mercedem, ac eam exigat ex justitia, eo quia satisfecit Christi promissioni & servavit conditionem à Christo positam. Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Demum Justorum opera esse digna præmio æternæ vitæ asserit scriptura, Sapient. 3. v. 8. *Deus tentavit eos, & invenit eos dignos se*: 2. ad Thessal. 1. v. 8. ut

*ut digni habeamini regno Dei , pro quo & patimini* : ergo cum dignitas in hominibus justis debeat inveniri , non potest alia esse , quam illa passionum , seu bonorum operum; quod si bona opera dignitatem in se habent , debent & necessario meritum habere.

Hæretici verò clarissimis hisce scripturis scripturarum testimoniis convicti respondent, Deum promisisse quidem bonis operibus mercedem dandam intuitu bonorum operum : sed non intuitu meritorum eorundem , quia hæc merita nulla sunt, sed ajunt , hanc mercedem esse adscribendam soli liberalitati Dei , quia Apostolus *ad Roman.* 6. *v.*23. ait : *Gratia Dei vita æterna in Christo*, seu ut ipsi explicant, ex liberalitate Dei in virtute meritorum Christi ; sed contra , quia si datur merces intuitu bonorum operum , & datur hæc merces dignis, sequitur , quod justi sint digni accipere mercedem ob bona opera , quæ exercent , quæ propterea illis addunt dignitatem , alioquin justi ex nulla parte essent digni : & non daretur eis merces intuitu bonorum operum , sed nequeunt addere dignitatem ad mercedem , nisi in se ipsis sint opera mercede digna; ergo opera in se talem dignitatem habent, consequenter merces illis redditur , propter suam dignitatem ex justitia , & non tantùm ex liberalitate, propterea vocatur merces illa corona justitiæ 2. *Timoth.* 4. non verò corona liberalitatis : semel enim quod bonis operibus conceditur dignitas ob hanc illis redditur merces consequenter ex justitia non liberalitate , & firmari potest , quia homines si considerentur absque bonis operibus per se sunt æqualiter indigni mercede : digni autem sunt juxta opera sua , adeo ut non omnes æqualem accipiant mercedem , sed juxta mensuram propriorum meritorum , ac operum bonorum , seu ut scribit Apostolus 1. *Corinth.* 3. *v.* 8. *Secundum suum laborem* , quia labori est debita merces , & justitia , adeo ut proportio mercedis dependeat à proportione operum , consequenter dignitas quæ operibus inest , sit ipsum meritum , cui debeatur merces , alioquin homo cæteris justior , & sanctior, non acciperet majus præmium , quàm alius simpliciter tantùm justus. Hinc nullum facessit negotium , quod objiciunt Hæretici ex D. Paulo *ad Roman.* 6. *v.* 23. quia Apostolus scribit ad illos, qui operibus legis, & naturæ nimium confidebant, quibus propterea scribit vitam æternam non esse opera legis Mosaicæ , nec naturæ , sed gratiam in Christo , seu haberi ex gratia Dei , quia merita , quibus vita æterna redditur, dimanant ex gratia tanquam ex semine, & radice. Hinc Augustinus ait , Deus quando coronat nostra merita , quid aliud coronat, quàm sua dona?

Probatur secundò, quia Deus totam ferme gloriam suorum attributorum in hoc manifestat , & sapientiam , quia admirabilem invenit modum , quo simul & justus esset , & misericors, ita tamen, ut nec misericordia justitiæ obsit , nec justitia misericordiam impediat , ut notavit D. Augustinus *lib. de gratia , & liber. arbit. cap.* 7. ubi expendens illud *Psal.* 102. *Qui coronat te in misericordia , & miserationibus*, scitè ad rem nostram ait : *quia scilicet ex ejus miseratione bona operamur, quibus coronam justitia meremur.* Ostenditur enim simul justitia , & misericordia , imò & manifestantur alia attributa ; liberalitas, quia supra condignum retribuit meritum ; potentia , quia tenuissimam actionem creaturæ ad eam elevat dignitatem , ut digna fiat præmio æterno ; providentia , quia mirabile adinvenit medium perducendi homines ad æternam felicitatem eos invitando ad studia virtutum , ad exercitia bonorum , & ad legis observantiam ; non enim potuit excogitari aliud medium aptius , ut hominibus suaderet exercitia virtutum , quam iisdem proponere in mercedem laborum , qui tolerantur , coronam æternæ beatitatis. Unde perquam congruum erat , ut bona opera justorum meritoria essent , æternæ beatitatis , ut hominibus manifestarentur divina attributa , & ut homines efficacius invitarentur ad studia virtutum , ad exercitia bonorum operum , & firmari ex eo potest , quia sicut juxta dictamen rectæ rationis ad promovendum bonum commune requiritur , ut in omni republica rectè ordinata cives spe præmii alliciantur ad observantiam legum , & metu supplicii coerceantur ab earundem transgressione , ut inde promoveretur bonum commune , ac manu teneretur reipublicæ commodum , perinde cum Deus sit supremus hominum gubernator , & ejus providentia in utroque ordine naturali , & supernaturali sit perfectissima maximè conveniens fuerat , ut in ordine supernaturali præmia decerneret, pro bene operantibus , & pœnas ac supplicia statueret ad absterrendos malos, eosque compescendos timore supplicii ab operibus malis; in hoc enim Deus honori nostro vel maximè consuluit , ut notat Cassiodorus , inquiens : *Parum laudis habet virtutum corona , quæ ex labore non descendit ; potest quidem habere palmam , sed non habere gloriam , hac est magnarum ratio virtutum , ut quanto plus homo laborat tanto plus mercedis acquirat.* Hinc dignius , & nobilius est , hominibus consequi & æternæ beatitudinis coronam ex propriis meritis , quàm ex sola Dei liberalitate , ut volunt Hæretici, negantes merita bonorum operum : firmari itidem potest ex natura operis meritorii , quia hominis actio libera , & laudabilis meretur præmium , & laudem ab eo in cujus honorem dirigitur , præsertim si fuerit gubernator dives , & beneficus in omnes , qui ei honorem ac cultum exhibent : Sed Deus est sapientissimus rerum omnium gubernator , ditissimus , ac in omnes munificentissimus : ergo conveniens erat , ut actiones , & opera , quibus homines justi exhibent Deo honorem debitum & cultum præmium, promererentur apud Deum , & homines justi retributionem acciperent in mercedem bonorum operum. Firmari etiam potest ex parte ipsius hominis , quia sicut res omnes naturales per proprios motus , & operationes assequuntur finem, ad quem fuerunt à Deo ordinati , ita debuit homo elevatus per gratiam ad statum supernaturalem per proprios motus & actus eum assequi finem supernaturalem , ad quem Deus ipsum ordinavit : hoc tamen discrimine, quia creaturæ irrationales cum non agant , sed propriè agantur ; seu cùm non operentur liberè , earum motus , & operationes nullam possunt rationem meriti includere , secus creaturæ rationales, quia agunt & operantur liberè merentur per propria opera , quæ propterea digna sunt laude, & præmio, ergo opera quæ fiunt per gratiam ab hominibus justis, verè & propriè merentur præmium vitæ æternæ.

Oppo-

Oppositum sentiunt, & docent hæretici; Calvinistæ enim asserunt nulla opera justorum esse meritoria præmii æterni, consequenter non esse laude digna; eo quia sint opera damnabilia vitiata, & coinquinata, sintque mere sordes ac iniquitates ait enim Calvinus lib. 3. Instit. cap. 12. §. 4. *Omnia opera nihil sunt nisi inquinamenta, & sordes. & quæ justitia vulgò habetur, ea apud Deum mera est iniquitas*, & §. 11. ait: *duobus his fortiter insistendum, nullum unquam extitisse pii hominis opus; quod si severo Dei judicio examinetur, non esset damnabile, ad hæc si tale aliquod detur (quod possibile homini non est) peccatis tamen, quibus laborare authorem ipsum certum est vitiatum, ac inquinatum gratiam perdere.* Ad id asserendum movetur ex eo, quia putat peccatum originale manere in hominibus justis, & ejus contagione infici omnia eorum opera; ait enim lib. 2. Instit. cap. 1. §. 8. loquens de peccato originali, *hæc perversitas nunquam in nobis cessat*, & lib. 4. cap. 15. §. 10. *Jam perspicuum est, quàm falsum sit, per baptismum solvi nos & eximi originali peccato*, & in Antidoto Concilii Tridentini sess. 5. ait: *Manet verè peccatum in nobis, neque per baptismum extinguitur.* Ex hoc falso, & perniciosoprincipio infert, omnia opera justorum esse maculâ hujus peccati coinquinatâ; docet enim lib. 3. Instit. cap. 1. §. 9. *Hinc tantum breviter attingere volui, totum hominem quasi diluvio à capite ad pedes sic fuisse obrutum, ut nulla pars à peccato sit immunis, ac proinde quidquid ab eo procedat, in peccatum imputari*, & in Antidoto Concilii Tridentini sess. 6. cap. 16. inquit: *Vitiositas, quæ nobis inhæret, deformat coram Deo quidquid à nobis operum prodit*: & asserit hoc ita esse verum ut etiam opera justorum, quæ fiunt ex gratia, & instinctu Spiritus Sancti, sint vitiata, & coinquinata; ait enim in Antid. Concil. Trident. sess. 6. cap. 14. *Speciosum quidem est, quod obtendunt, fluere omnia à Spiritu Christi: sed ubi absoluta Spiritus Sancti virtus reperietur? an non ad mensuram unicuique distribuitur? debebant ergo observare semper aliquid nostræ fæcis admixtum, quod puritatem illam inficiat*: ex hisce principiis inferunt Calvinistæ, præcepta decalogi & legem Dei esse servatu impossibilia, ut nec etiam à justis servari possint, eò quia eorum opera sint immunda, & coinquinata, imò addit, Prophetas & Patriarchas aliosque viros pios & sanctos opera non egisse meritoria vitæ æternæ, eò quia fuerint omnia immunda, & coinquinata, nec ipsos servasse mandata divina, seu legem Dei; ait enim in Antid. Concil. Trident. sess. 6. cap. 12. *Mihi abundè sufficit neminem extitisse unquam, qui legi Dei satisfecerit, nec ullum posse inveniri, Prophetam, & Patriarcham, aut pium Regem, qui potuerit legem Dei servare, eò quia hæc sit observatu impossibilis.* Quòd si Calvinum interroges, Deum sanxisse legem ad eum finem, ut ab hominibus servaretur, ac rectè & laudabiliter viverent per ejus observantiam, etsi esset impossibilis, servatu minimè Deus posset finem sancitæ legis consequi, respondet Calvinus *lib. 2. Instit. cap. 5. §. 6. & cap. 7. §. 6.* Deum suam condidisse legem, non ut ab omnibus servaretur, sed ut per eam venirent in cognitionem peccati ac nostræ infirmitatis. Hæc autem quàm falsa sint, & à veritate aliena, satis constat ex sacris scripturis, quas superius adduximus. Præterea quia est certum de fide in baptismo & justificatione deberi omnia peccata, & infundi gratiam sanctificantem inhærentem Baptizatis, & qua constituuntur homines grati Deo digni ejus amore amicitiæ, mundi, ab omni lethalis culpæ contagione. Unde sicut ab homine injusto, immundo, & peccatis obnoxio procedunt opera injusta: immunda & vitiosa, è contra ab homine justo, mundo, & amico Dei procedunt opera justa, munda, & Deo grata; ait enim Christus *Matth. 7. v. 18. Non potest arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos fructus facere*, ubi per arborem bonam significasse Christum viros justos & ornatos divina gratia sanctificante, & per arborem malam, peccatores, immundos, & peccatorum maculis inquinatos, asserunt communiter Sancti Patres; proinde sicuti ab homine injusto & peccatis coinquinato non procedunt fructus boni, seu opera meritoria; ita ab arbore bona, seu à viris justis Deo gratis, & ab omni contagione peccati lethalis liberis non possunt non procedere fructus boni, seu opera meritoria vitæ æternæ, idque confirmat Christus *Joan. 10. v. 5. Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*: manere in Christo perinde ac palmes in vite, est idem ac per gratiam sanctificantem, quæ est participatio divinæ naturæ eidem adhærere; hinc ait: *qui manet in me, & ego in eo*, manet enim Christus in homine justo quatenus ei impertitur gratiam sanctificantem, quæ est participatio naturæ divinæ: & quia per hanc participationem homo manet in Christo, adeo fert fructum multum, seu bona opera meritoria vitæ æternæ, quia arbor bona non potest malos fructus facere, & ut ait David *Psal. 91. v. 13. Homo justus est arbor bona*, consequenter non potest facere malos fructus unde perperam docent Calvinistæ omnia opera hominis justi esse damnabilia, immunda, & coinquinata, cum Christus illa laudet, ac approbet, ut fructus bonos: Hinc etiam affert secundum exemplum de palmite manente in vite fœcunda, in qua producit fructum bonum: & cum Apostoli fuerint palmites in Christo, ut in vite fœcunda, sequitur Apostolos, quos Christus alloquebatur, fecisse plures fructus bonos, unde evidenter constat contra Calvinistas, non omnia opera justorum esse damnabilia: quia coinquinata, immunda & vitiata per peccatum; etenim ut palmes, qui est in vite fœcunda fructus suos ferat, requiritur, ut secum & humorem ab ea trahat, ut habeat sufficientem solem à quo excoquatur, & nullum obsit impedimentum, quo lædi aut impediri possit, sicut est nimium frigus, gelu, pruina, vermis corrodens aut aliquid simile: sed hæc omina locum habent in homine justo inhærente Christo ut in vite, *Joan. 15. 5. Ego sum vitis, vos palmites: manete in me, & ego in vobis.* Trahit homo justus à Christo, seu ejus meritis succum divinæ gratiæ, *Joan. 4. 14. Aqua quam ego dabo ei, fiet fons aquæ salientis in vitam æternam.* Rursus à Christo habet sufficientem calorem, quo excopuatur, *Luc. 12. 49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur*, & cap. 24. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis.* Et rursus nullum adest impedimentum internum, nihil quod obsit, quia cum scribit Apostolus ad Rom. 8. 1. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ambulant*; imo nec ullum externum ad Rom. 3. 38. *Certus sum, quia neque mors, nec vita, nec Angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Ergo nihil deest homini justo, nihil impedit, quo minus facere possit opera bona meritoria vitæ æternæ, seu quin sit

sit arbor bona faciens fructus bonos. Hinc juvat argumentari. Ubi habentur sufficientia principia rectæ, ac meritoriæ operationis, ibi esse potest recta, honesta, ac meritoria operatio: sed in homine justo sunt sufficientia principia expedita rectæ, honestæ, ac meritoriæ operationis, ut constat ex præcitatis sacræ scripturæ textibus; & ulterius ostenditur, quia ad rectam operationem sufficiunt hæc tria Intellectus qui intelligat voluntas, quæ velit operari, quod ab intellectu ei proponitus at honestum, & amplectendum; vel declinabile, quod eidem proponitur ut malum: & potentia exterior, quæ exequatur id quod voluntas complexa est, ac imperavit exequendum: hæc autem omnia sunt in homine justo, quia ejus intellectus lumine divinæ fidei illustratus est, ac facillimè potest cognoscere, quid honestati sit consentaneum, quid rectitudini dissentaneum: voluntas, itidem à Deo excitatur, & invitatur per internam motionem, quâ expedita, corroborata, & parata efficitur ad desiderandum, & amplectendum id quod recta ratio faciendum dictat: & demum potentiæ exteriores possunt aliquid exequi: ergo nihil potest illi deesse ad bonam, & honestam operationem meritoriam exercendam. Ut si homo justus verba Christi, si *vis ad vitam ingredi serva mandata*, si fidem habeat Christianum credit verba hæc vera esse, quia Christus non potest falli, nec non fallere proinde cognoscit honestum esse, ac meritorium servare mandato: rursus accedit divina motio tangens cor hominis, illud stimulans ad observanda mandata; & quia id repræsentatur voluntati, & honestum, hæc huic mandatorum observantiæ assentitur; & nihil adest quod impediat potentiam exteriorem ad id exequendum: ergo vir justus paratus est, ac expeditus ad servanda Dei mandata, quæ observatio honesta est ac meritoria vitæ æternæ: neque in hac observatione est ullum peccatum, quod avertat à Deo, nec quicquam coinquinatum, ac in mundum quod displiceat Deo: non in intellectu qui collustratur à lumine Dei, ac corroboratur gratia, & fide divina. Neque in voluntate, quæ à Deo motà, vult quod honestum est exequi, & divinam voluntatem mandare executioni. Neque in potentiis externis adest impedimentum, quo minus Dei voluntatem exequantur.

Neque obstat, quod respondent Calvinistæ, deesse intentionem, quia cum Deus illuminet intellectum, & moveat voluntatem hominis justi, hic non potest non operari nisi ex recta intentione servandi mandata Dei, quæ observatio imperatur à Deo, cui homo justus vult obtemperare: quoties enim homo justus facit aliquod opus, quod à Deo præcipitur, ac laudatur, est honestum, ac meritorium vitæ æternæ, tunc tale opus si exerceatur, fit ex recta intentione placendi Deo: hoc autem fit, quando servandur mandata, quæ à Deo injunguntur servanda ex promissione æternæ vitæ; ergo cum homo justus facit opus bonum, & meritorium vitæ æternæ juxta Christi promissionem, Matth. 9. 22. *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit:* Hoc est, si intentio tua bona fuerit, totum opus ex illa profectum bonum erit: Hinc Christus reprehendit Pharisæos, eo quia distribuerent eleemosynas & orarent, jejunarent, non ex bona, sed mala intentione, seu ad captandam inanem gloriam ex præfatis bonis operibus: è contra hortatur Apostolos, aliósque justo, ut ex bona, rectâque intentione se exerceant in bonis operibus, ut eorum opera grata sint Deo, ac meritoria vitæ æternæ: ait Christus: *Attendite, ut justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab iis*, seu ad captandam ab hominibus inanem gloriam.

Præterea ex sacris scripturis clarè ostenditur, opera bona justorum esse meritoria vitæ æternæ, Matth. 5. 17. *Si luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Apostoli autem quos alloquebatur Christus, non potuissent efficere opera bona, quæ ab aliis hominibus viderentur bona, si omnia eorum opera fuissent immunda, coinquinata, & peccata: ergo cum Christus injunxit, Apostolis, talia opera efficere, ut ab aliis hominibus viderentur bona, seu honesta, hæc non potuerunt esse peccata, neque mera inquinamenta, ut asserunt Calvinistæ: quia peccata non possunt bona videri. Rursus opera omnia justorum non esse peccata, expressè fatetur Apostolus 1. Corinth. 7. 18. *Si acceperis uxorem, non peccasti*; quod si ex testimonio Apostoli ducere uxorem non est peccatum, nec opus immundum coinquinatum, quomodo elargiri eleemosynam, opitulari pauperibus, induere nudos, pascere famelicos, erunt peccata? cum hæc nobis injungantur à Christo? vel igitur Calvinistæ ducentes uxores peccant: vel non; si primum, ergo falsum est, quod dixit Apostolus, ergo falsa est sacra scriptura, quod repugnat, cum Spiritus Sanctus non possit mentiri, nec falsum dictare: ergo ipsi Calvinistæ dant impia, & sacrilega consilia dum suadent hominibus uxores ducere. Si non peccant, ut testatur Apostolus, falsum est, quod ait Calvinus omnia justorum opera esse peccata, damnabilia. Rursus hæc eadem veritas evincitur ex verbis Christi *Matth.* 26. 10. *Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me*; si opus bonum ex Christi testimonio: ergo tale opus Magdalenæ non fuit peccatum nec immundum, cum Christo placuerit: Non igitur Magdalena peccavit, cum effudit unguentum supra Christi caput, quia Christus hanc effusionem vocat *opus bonum*, Si bonum ergo non malum, non peccatum. *Rursus* 2. *Petri* 1. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis. Hoc enim facientes non peccabitis aliquando.* Hic D. Petrus hortatur Judæos ad bona opera agenda; quæ persuasio inutilis & superflua fuisset, si omnia opera justorum fuissent damnabilia, & peccata; non enim suasisset opera bona, sed peccata, quæ bona non sunt. Rursus affirmat Apostolus, *eos non peccaturos, qui ipsius monita sequuntur:* peccarent autem, si omnia opera justorum essent peccata lethalia. Et D. Paulus de se ipso testatur, nescire coinquinatum se esse 1. *Corinth.* 4. 4. *Nihil mihi conscius sum*, & tamen plura opera sua noverat: ergo quia non erant peccata, nec damnabilia. Tandem Apostolus ad Titum 2. 14. *Christus dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum. Hæc loquere, & exhortare*, ubi Christus dicitur mundasse prius sibi populum, & constituisse sibi acceptabilem, seu gratum per gratiam sanctificantem, & postea sectatorem, seu factorem bonorum operum, quia sine gratia sanctificante bona opera non sunt bona

bona ac meritoria; & cum gratia sunt meritoria vitæ æternæ: erga opera bona justorum sunt meritoria præmii æterni, & non sunt inquinamenta, & peccata, ut asserunt Calvinistæ. Rursus hanc veritatem propriis exemplis confirmant Job & David: Etenim *Job.* 1. 22. *In omnibus his non peccavit Job labiis suis*, ergo non omnia opera Job fuerunt coinquinata, & peccata, & cap. 2. 3. *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit illi similis in terra; vir simplex, & rectus, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam?* quod si fuit vir simplex ergo, dolus in illo non fuit ullus: si fuit innocens, ergo peccatum in ipso fuit ullum; proinde non omnia opera justorum sunt peccata. David itidem Psal. 16. 3. ait Deum alloquens: *Probasti cor meum, & visitasti nocte; igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas*, ubi ait, Deum visitâsse illum in nocte tribulationum; & igne adversitatum eum examinâsse; ac non invenisse in ipso iniquitatem. Et Psal. 17. 22. *Custodivi vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo*, si impiè non egit omnia ejus opera non fuerunt peccata. Quòd si Job non peccavit labiis suis quomodo asserunt Calvinistæ omnia opera justi esse inquinamenta, & peccata? Si Deus non invenit ullam iniquitatem in corde Davidis, quomodo omnia ejus opera in sententia Calvini fuerunt peccata?

Evincitur eadem assertio ex pluribus absurdis, quæ in sententia hæreticorum sequuntur: siquidem ex sententia Calvini sequitur hominem per lethalia peccata justificari, ac sanctum esse. Etenim si omnia justorum opera sunt peccata, & meræ iniquitates: sed fides est opus hominis justi: ergo etiam fides est peccatum: sed in sententia hæreticorum sola fides justificat hominem, quæ cum sit opus justorum, & peccatum, sequitur hoc hominem justificare, quô nil absurdius. Rursus sequeretur, justos non debere credere; quia omnia peccata sunt prohibita, & fugienda: sed fides in sententia Calvini est opus justorum, consequenter peccatum: ergo fides, utpote peccatum est declinanda, adeo ut non liceat credere. Præterea sequeretur, Deum nobis præcipere peccata, & mandare, ut fiant peccata: siquidem injungit hominibus justis, ut fiant aliqua opera, ut servent, mandata Deum colant, parentes honorent, miseris opitulentur, quæ opera cum sint justorum, in sententia Calvini sunt peccata, quæ præciperentur à Deo fieri. Demum si Deus non potest peccatum velle, sequitur nullum opus bonum posse præcipere, & plura alia inde sequuntur absurda. Neque obstant fundamenta, quibus innituntur Calvinistæ; adferunt enim illud Ecclesiastæ 3. 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, ac non peccet*: ex quo inferunt omnia opera justorum esse peccata. Sed contra, quia præcitata verba dupliciter possunt intelligi: Primò, ut nullus sit justus in terra, qui faciat aliquod bonum, & non semper in omnibus suis operibus peccet; & hic sensus est falsus, quia si justus facit aliquod bonum opus, hoc idem cum dicatur esse bonum, non est malum, alioquin esset contradictio. Secundò possunt ita intelligi, ut non sit homo justus in terra, qui faciat bonum; & aliquando non peccet, scilicet venialiter, quia, ut habetur Proverb. 24. 16. *septies in die cadet justus, & resurget.* Neque intelligi possunt de peccato mortali, quia 1. Joan. 3. 9. dicitur, *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit*, qui textus opponitur primo deprompto ex illo, Eccles. 7. 21. Secundo adferunt illud Isaiæ 64. 26. *Et facti sumus, ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ*; sed etiam perperam, quia perfecta Isaiæ verba non intelliguntur de hominibus justis, de quibus procedit controversia; sed de impiis, ac peccatoribus; & non de omnibus, sed tantùm de peccatoribus Judæis à quibus omnia perperam agebantur, secundò neque de omnibus illorum operibus, sed tantùm de sacrificiis, & Neomeniis, in quibus Judæi vel maximè justitiam suam sitam voluerunt, quæ tamen Deus execrabatur juxta illud ejusdem Isaiæ 1. 13. *Ne offeratis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi.*

Lutherani, asserentes nullam ex justitia deberi mercedem justis ob dignitatem operum, nituntur his aliis fundamentis; quia, ut quis mereatur ex justitia, tria requiruntur; primò, ut opus, per quod aliquid meretur, totum sit ipsius merentis, & non alterius. Secundo, ut opus, per quod meretur, nullo alio titulo sit debitum. Tertiò, ut inter opus ejusque præmium justa sit proportio, & æqualitas. Sed opera justorum tota sunt ipsius Dei, cui debentur ratione supremi Dominii in res omnes, & rursus inter illa & præmium non datur proportio: ergo per illa nihil potest justus ex justitia mereri. Aliud fundamentum est; quia æterna beatitudo, & corona vitæ æternæ, quæ datur sanctis non operum meritis, sed tota tribuitur divinæ misericordiæ, ac gratiæ ad Rom. 6. v. 6. *Gratia Dei vita æterna*, Psal. 102. *qui coronat te in misericordia, & miserationibus*: ergo nihil bonis operibus attribuendum est; consequenter bona opera non sunt meritoria vitæ æternæ. Sed hæc fundamenta ex se corruunt. Verum est justos seposita acceptatione, & promissione Dei nihil ex justitia mereri, quod etiam fatemur sed quia Deus operibus bonis justorum præmia promiserit, ut etiam ea acceptare: fit, quòd quando justus efficit bona opera, Deus intuitu illorum, ac suæ promissionis, & acceptationis, confert præmium, hoc non confert gratis, sed ex debito fundato in sua promissione, & acceptatione bonorum operum: ait Apostolus ad Rom. 4. v. 4. *Nam ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Quamvis igitur bona opera fiant ex gratia Dei, qui dat posse & operari; nihil tamen in iisdem operibus est Dei, quod etiam non sit nostrum; adeo ut totum opus bonum faciat Deus, & etiam totum liberè homo, cui propterea debetur præmium. Licèt opera bona justorum sint Dei, sunt etiam nostra: quia liberè illa facimus, & Deus per promissionem, & acceptionem nos dominos eorundem efficit. Unde quamvis opera bona justorum innumeris titulis sint Deo debita, per cujus gratiam, & auxilia operamur: quia tamen Deus bonis justorum operibus alligavit præmium, quod nobis promisit, si bona opera effecerimus, ac ea acceptaverit cum jure ad præmium: sequitur quòd iisdem sit ex justitia debitum præmium, pro quo retribuendo se obligavit, & conventionem cum hominibus inivit ad mercedem reddendam pro bonis operibus justorum; adeo ut jus suum, quod habet ad opera bona nostra in nos quodammodo transcribat, & eorundem dominos nos constituat, & à nobis per gratiam ejus facta, non tanquam sua, sed tanquam nostra opera ex justitia coronet: Exemplò luculentius id declaratur: Sit mancipium Domini sui negotiator, & pluri-

plurima lucretur, certum est, totum hoc lucrum duplici titulo deberi domino; primò quia mancipium omnes ejus actiones in solidum sunt domini. Secundò quia ipsa pecunia per quam negotiatur, tota pertinet ad Dominum, adeo ut mancipium lucrari sibi quidquam non possit, neque propter suam negotiationem ullam exposcere mercedem, quamvis opus faciat mercede dignum. Sed ponamus dominum cum hoc suo mancipio liberalem iniisse conventionem, ut si multum lucretur, magnum præmium sit accepturus; si parum parvum; stante hoc liberali pacto, si mancipium conventionem hanc expleat; debetur ipsi præmium non ex liberalitate tantum, sed etiam ex justitia; & non tantùm quia promisit, verùm etiam quia ejus opus est dignum præmio. Ita in casu nostro, quamvis omnia opera nostra ex pluribus titulis sint Dei, cui debentur; ideoque nullam ex ipsis mercedem petere ex justitia possimus: tamen quia Deus talem nobiscum conventionem fecit, quâ omnia per suam gratiam, & liberalitatem promisit se præmiaturum; ex vi pacti liberaliter initi tenetur nobis ex justitia servare promissum, ac præmium nobis dare. Licèt enim liberaliter, ac omnino liberè hoc præmium promiserit operibus nostris bonis si ponantur; quotiens à nobis ponuntur, est iisdem debitum; licèt non teneretur conventionem nobiscum inire. Quod verò ad proportionem attinet, & æqualitatem nostrorum operum cum præmio, respondetur, non esse necesse ut hæc proportio sit physica, & mathematica; sed satis est, si sit moralis; in quo sensu scribit Apostolus 2. *Corinth.* 4. *v.* 17. *Nam momentaneum, & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur*; non physicè, sed meritoriè: quo pacto inter opera nostra bona, & præmium datur proportio sufficiens ad merendum. Præterea opera justorum sunt opera naturalia filiorum Dei, ac membrorum Christi, & fiunt per divinam gratiam, quæ habet, & communicat operibus nostris proportionem ad præmium. Imò non solum habetur proportio; sed etiam dignificatio nostrorum operum, & gratiæ sanctificantis, quæ proportionem habet cum præmio: adeo ut ipsa opera præmium promereantur ex se: supposita Dei acceptatione in præmium: siquidem seposita promissione simpliciter non sequitur, Deum teneri dare præmium. Sicut Mercator qui non tenetur acceptare pro suis mercibus æquale pretium si nolit eas vendere; & sed supposito quòd contraxerit eas vendere; & se tale pretium acceptaturum, tenetur ex vi contractus merces eodem pretio vendere: perinde Deus, licèt opera nostra cum gratia sanctificante sint digna præmio vitæ æternæ; non tamen tenetur Deus præmium illud dare; nisi promiserit, & pactum inierit acceptandi bona opera nostra pro tali mercede. Ad secundum fundamentum, in quo ex locis scripturæ totum præmium æternæ vitæ attribuitur Deo toti, respondetur, id non esse intelligendum, ut nostra bona opera non requirantur: alias probaretur, neque fidem necessariam esse, neque baptismum ad æternam salutem; quia si omnia ex pura Dei misericordia, & indulgentia nobis donantur; & quæ donantur, ex Dei misericordia nullum habent meritum, nullamque possunt utilitatem conferre, sequitur fidem & baptismum, qui nobis ex Dei misericordia donantur, non habere ullam utilitatem in ordine ad salutem. Rursus præfata scripturæ loca non probant, opera nostra non esse meritoria æternæ salutis: quia sicut vita æterna dicitur nobis donari à gratia divini Spiritus, & dicitur, *gratia, & corona misericordia*, ita in aliis locis dicitur nobis donari ab eodem Spiritu Sancto ut *corona justitiæ*, seu nobis debita ex meritis; & quia Spiritus S. non potest sibi contradicere, conciliandi sunt præfati textus: quando igitur vita æterna dicitur *corona justitiæ*, significatur, quod nobis detur ex merito, ac bonis operibus nostris, quia ut ait D. Augustinus: *Non est injustus Deus, qui justos fraudet mercede sua*; cum autem dicitur, *gratia, & corona misericordiæ*, asseritur, quod ex Dei gratia & misericordia opera nostra vim suam habeant, quia sine gratia Dei non elevarentur ad statum supernaturalem, & non essent meritoria; hinc est quod vita æterna, quæ dicitur *corona justitiæ*, sit etiam *corona misericordiæ*: respectu enim meritorum nostrorum operum vocatur *corona justitiæ*; & respectu divinæ gratiæ elevantis nostra opera ad statum supernaturalem dicitur *corona misericordiæ*.

# CAPUT XX.

## De necessitate bonorum operum ad assecutionem æternæ salutis.

Calvinistæ, & alii hæretici asserunt, opera nostra bona non esse necessaria ad salutem, & fideles non teneri ad observantiam legis, eò quia sola fides sufficiat ad salutem: & quia omnia justorum opera sint damnabiliter, & peccata mortalia. Sed doctrina Catholica est, opera bona esse necessaria illis omnibus qui per Dei gratiam reconciliati sunt; hi enim per opera, quæ se habent consecutivè ad reconciliationem, & fiunt in statu gratiæ sanctificantis, sibi promerentur æternam salutem; adeout hæc bona opera sint necessaria ad salutem, ut Deo per gratiam reconciliati teneantur servare mandata Dei, ac bene operari, & satagere, ne perdant gratiam sanctificantem, ad quod necessarium est certamen cum mundo, & carne, ac Diabolo; & quia hoc certamen est continuum, & difficile superatu, teste Christo *Matth.* 11. *v.* 12. inde fit, quod vita æterna certantibus justis detur, ut *bravium & corona*, & ut præmium pro exantlatis laboribus. Interdum tamen ex Dei miseratione sine prævijs bonis operibus in fine vitæ resipiscentes, credentes, ac dolentes per baptismum, vel alio modo reconciliantur homines Deo, & decedunt statim è vita sive sint infantes, sive adulti ut contigit bono latroni, qui in ultimo vitæ agone Deo reconciliatus consequutus est æternam salutem, *Luc.* 23. & tunc salus seu vita æterna illis impertitur, non ut bravium, & corona, sed tantum ut gratia consummata, & hæreditas, ut docent communiter Catholici, & evincunt ferè innumera scriptura loca, ut *Matth.* 3. *v.* 10. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*, *Jacobi* 3. 14. *Quid prodest, fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?* & infra, *fides* sine

*fine operibus mortua est.* 2. *Petri* 1.20. *satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis: Matth.* 5. 21. *nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum, & Pharisæorum non intrabitis in regnum cœlorum*, & Christus in toto illo sermone quem habuit in monte cum multa dixisset de bonis operibus præsertim de eleemolyna oratione, jejunio, aliisque similibus postea conclusit. *Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat super Petram: & omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea* (ut sunt Hæretici moderni temporis negantes bona opera, ac eorundem merita) *similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam, & cecidit, & fuit ruina illius magna*: ex quibus evincitur necessitas bonorum operum ad assecutionem æternæ salutis. Hæretici tamen hisce scripturarum textibus pressi, ut suis erroribus fiscum aliquem videantur apponere, respondent bona opera esse quidem necessaria, non tamen necessitate *Medii* ad salutem, sed necessitate mandati, cultus Deo debiti pro tranquillanda conscientia, & pro officio charitatis præstando proximis; ajunt enim hanc nostram doctrinam esse Pseudo-Prophetarum, qui Actor. 15. v. 1. & sequent. præter fidem exigebant etiam bona opera, ut necessaria ad assecutionem salutis, siquidem ex scripturis pluribus in locis habere per fidem hominem salvari. Præterea, quia inde sequeretur, eum non posse salvari, quin in fine vitæ resipisceret, vel baptismum susciperet, quia non præmisit bona opera, quod est falsum. Verùm hæc responsio statim corruit, ex iis quæ docent Hæretici, & evertitur ex suis propriis principiis ajunt enim opera bona esse necessaria necessitate mandati, & cultus Deo debiti, ac officii charitatis præstandi in proximum: sed obligamur servare præcepta decalogi, & quidem necessitate *Medii, Matth.* 19. *v.* 12. 18. Deum colere, & proximum diligere, consequenter opera bona sunt necessaria necessitate Medii ad salutem. Præterea docent Hæretici, Præcepta legis esse servatu impossibilia, ex quo sequitur bona opera non esse necessaria necessitate mandati; quia quæ observatu sunt impossibilia non possunt à Deo mandari, ut observentur, nisi velimus facere Deum injustitiæ reum. Rursus docent Hæretici, omnia opera nostra esse meras sordes, inquinamenta, & peccata, & æquiparant, eadem opera panno menstruatæ pluribus infecto, & coinquinato maculis ergo bona opera nequeunt dici necessaria necessitate mandati, vel conscientiæ tranquillandæ, unde per adhibitam suam distinctionem suos tantùm voluerunt errores fucare: cum operum necessitas evidenter in scripturis asseratur, alias ipsi fingunt, necessitates, ne scripturis videantur repugnare, neque ullius sunt momenti scripturæ, quas ipsi afferunt ad comprobandos suos errores, afferunt textum D. Pauli, ad Roman. 4. v. 6. ubi asserit justitiam absque operibus conferri: siquidem textus ille est intelligendus, ut justitia nobis detur non ex virtute, & merito nostrorum operum, sed ex mera gratia, quia in statu peccati lethalis non possumus de condigno mereri gratiam sanctificantem, adeo ut gratia qua sanctificamur nobis impertiatur, omninò gratis à Deo. Eodem pacto intelligendum est illud ad *Ephes.* 2. *v.* 8. & 9. ad aliud desumptum ex Actor. 15. *v.* 1. & sequent. non facit ad præsens institutum, quia ibi est sermo de circumcisione, & operibus legis Mosaicæ, & quia per mortem Christi mortua etiam fuit lex Mosaica, ideo Apostoli definiverunt opera legis veteris nihil amplius prodesse. Alii conantur eludere ea scripturæ loca, ubi necessitas bonorum operum evincitur ad assecutionem salutis; dicunt enim, duplicem dare necessitatem, unam quam vocant præsentiæ, & alteram quam dicunt efficientiæ, & docent, opera nostra bona non esse necessaria ad salutem necessitate efficientiæ, sed tantùm necessitate præsentiæ, & concomitantiæ, adeo ut sensus sit solam fidem habere vim justificandi, & salvandi, consequenter solam fidem necessariam esse ad salutem necessitate efficientiæ, & quia hæc fides debet viva esse, & non mortua, cùm non possit viva esse sine exercitio vitæ, seu bonis operibus, qui sunt veluti fructus necessarii pullulantes ex viva fide; ideo ajunt opera bona esse quidem necessaria, non tamen ut efficiant salutem, neque necessitate efficientiæ, eò quia fides nostram efficit salutem, sed tantùm necessitate concomitantiæ, seu præsentiæ, ac perinde ac fructus sunt præsentes arbori, quæ distinctio inepta est, & se ipsum destruit, quia si omnia opera justorum, ut ipsi asserunt, sunt sordes, inquinamenta maculæ, & peccata lethalia non possunt hæc opera ex fide viva prodire, quia, ut ait Christus, *non potest arbor bona malos fructus facere*, peccata autem, & inquinamenta sunt fructus mali, qui propterea non possunt prodire, ab arbore bona, ut est fides, qua per adversarios justificantur homines. Præterea in sententia Catholicorum bona opera merentur æternam vitam, *Matth.* 25. 34. *Venite, Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; esurivi enim, & dedistis mihi manducare*, & *ad Roman.* 6. *Deus reddet unicuique secundùm opera sua*, unde liquet, bona opera mereri æternam vitam, ac esse causam cur hæc nobis impertiatur, consequenter necessaria sunt ad salutem, non solùm necessitate præsentiæ, sed etiam necessitate efficientiæ. Præterea quia scriptura apertè docet, bona opera effectivè concurrere ad salutem, *ad Philipp.* 2. 12. *Cum metu, & tremore salutem vestram operamini.* 2. *Corinth.* 7. *v.* 10. *tristitia quæ secundùm Deum est pœnitentiam in salutem stabilem operatur*, & 2. *Corinth.* 4. *Id quod in præsenti est momentaneum, æternæ gloriæ pondus in nobis operatur.*

Satis sit objectionibus Hæreticorum, quæ ad duo revocantur capita, in quorum priori ea congeruntur, quæ probant bona opera non esse necessaria ad salutem, eò quia per solam fidem justificamur. In posteriori ea adducuntur, quæ videntur probare, præcepta Decalogi non esse servanda, & Christianos non teneri ea servare, eò quia impossibilia sunt, sed de iis infra ostendemus præcepta legis divinæ esse servatu possibilia. Modò ostendendum est, solam fidem non justificare, ut putat, Calvinus in solam fidem refundens nostram salutem 2. lib. Instit. cap. 11. §. 19. ubi ait: *dicimus, sola fide justificari hominem*; & infra: *an non satis solidè soli fidei tribuit, omnia quæ operibus adimit?* & in Antidot. Concilii Tridentini sess. 6. ad can. 11. ait: *Fides ergo sola est, quæ justificat*, & lib. 3. Instit. cap. 11. §. 2. *justificabitur ille fide, qui Christi justitiam per fidem apprehendit*, & cap. 16. §. 1. ait: *Quare ergo fide justificamur, quia fide apprehendimus Christi justitiam, qua una Deo reconciliamur*, quæ propositio duas continet partes, quarũ prior asserit, solam fidem justificare, & secundus explicat modum, quo justificat. Quòd verò asserit, solam fidem justificare, id potest intelligi tripliciter. Primò ut sola fides justificet forma-

formaliter seu sit illa forma, qua homo formaliter vocatur justus, perinde albedo est forma, qua paries dicitur albus. Secundò ut sola fides justificet dispositivè, seu antecedenter, & causaliter seu sola fides efficiat, ut justitiam acquiramus. Tertiò ut sola fides justificet consecutivè, seu ut ipsa sola sufficiat, ut justitiam semel acquisitam retineamus. Non asserit Calvinus in primo sensu fidem justificare, & in secundo & tertio, quia docet Calvinus, formam illam, qua homo formaliter justificatur, ac denominatur justus, non esse fidem, sed ipsam actualem justitiam Christi, quæ per fidem apprehensa nobis imputatur, & qua justi denominamur, non quidem in nobis sed in Christo. Quòd verò secundo modo fides non justificet dispositivè, seu causaliter facile ostenditur, quia non debemus quidquam asserere circa negotium salutis nisi fundetur in scripturis: sed in istis nullibi habetur, quod sola fides justificet dispositivè, seu causaliter, ergo non potest id asseri, major, & consequentia tenent, minor etiam constat, quia nullibi in tota scriptura asseritur, quod sola fides dispositivè & causaliter justificet, adeo ut Lutherus cum particulam illam *sola* non posset in scripturis reperire, temerariè, & audacter illam addiderit in 3. cap. epist. ad Roman. & quia monitus fuerit, quod non liceat quidquam in sacris scripturis adimere, nec quidquam illis addere, fertur respondisse, *sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas*; etenim juxta scripturam etiam ad justificationem requiri plures alios actus timoris, spei, charitatis, pœnitentiæ, ab eo qui vult justificari, unde sola fides ex scripturis non sufficit ad justificationem; de timore habetur Eccles. 1. v. 29. *Qui sine timore est, non poterit justificari*, Proverb. 28. 25. *qui sperat in Domino sanabitur*. 1. Joan. 3. v. 14. *qui non diligit, manet in morte*, Actor. 2. 20. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in remissionem peccatorum*, & Actor. 3. 19. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra*: & quia hujusmodi scripturæ claræ sunt, & expressè exigunt præter fidem actus timoris, spei, amoris, pœnitentiæ, respondet Calvinus, se non negare hinc, quod præter fidem requirantur actus aliarum virtutum, sed tantùm negare actus aliarum virtutum habere vim justificandi, sicut habet fides, ait enim in Antid. Concil. Trid. sess. 6. ad can. 9. *Adde, quod hominem sola fide justificare cum dicimus fidem non fingimus charitate vacuam, sed ipsam solam justificationis causam esse intelligimus*, & ad can. 11. ait: *fides ergo sola est, quæ justificat fideles, & tamen qua justificat, non est sola*, quia cum ipsa sunt aliarum virtutum actus, ut charitas, timor, spes, pœnitentia, licèt ex his actibus sola fides sit, quæ justificat: Sed contra, quia scriptura non minus actibus aliarum virtutum tribuit vim justificandi, & remittendi peccata, quàm fidei. Etenim Eccles. 1. v. 27. timori tribuitur justificatio, *timor Domini expellit peccatum*: expellere autem peccatum non potest nisi gratia sanctificans, per cujus introductionem peccatum expellitur, si igitur timor ex scripturis habet vim expellendi peccata, habet etiam vim justificandi, consequenter non est sola fides quæ expellit peccata, & justificat, & Luc. 7. 47. *remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum*, ubi Magdalenæ remittuntur peccata non quia solum multum credidit, verùm etiam quia multum dilexit. Christus enim non quia credidit, sed quia dilexit, asserit remissa esse illi peccata multa, unde etiam dilectioni tribuitur justificatio. Quòd si Calvinus respondeat, nec timorem, nec charitatem, nec alios similes actus justificare per se, sed tantùm in virtute fidei, cui soli propterea tribuenda est nostra justificatio, hoc omnino gratis adstruitur, & similiter possumus asserere, fidem potiùs in virtute charitatis justificare, ut ait Augustinus 15. de Trinit. cap. 18. inquiens. *Ipsam fidem non facit utilem nisi charitas: sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non prodesse*, & probat ex illo Apostoli ad Galat. 5. v. 6. In Christo *Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur*, ubi Apostolus solam exprimit fidem quæ per charitatem operatur, quia fides non est efficax ad operandum sine charitate, hinc Augustinus in Enchir. cap. 8. ait: *sine amore fides nihil prodest.*

Præterea, quia ut fides justificet in sententia Calvini, necesse est, ut quis certo sibi persuadeat, se justum esse, & per Christum remissa sibi esse peccata, unde si sola fides justificat, necesse est, omnes eos justificari & salvari, qui hanc fidem habent. Sed Lutherani habent hanc fidem, consequenter & ipsi ex sententia Calvini justificantur, consequenter non sunt Hæretici contra ipsum Calvinum asserentem Lutheranos esse Hæreticos. Rursus in sententia Calvini, si quis certò credat remissa sibi esse peccata per Christum, & hac sola fide se justificari, vel hic actus est vere fidei justificantis, & quia Lutherani hoc idem credunt habent verè fidei justificantis actum, consequenter sunt & ipsi justificati sicut Calvinistæ; si non est verus actus fidei, quia hunc eliciunt. Calvinistæ, nec ipsi habent actum veræ fidei justificantis. Quòd si respondent Calvinistæ, hunc actum esse quidem veræ fidei, sed à Lutheranis elici cum variis erroribus eò quia perversè sentiant de prædestinatione, Eucharistia, ubiquitate. Verùm id non obstat, quia si sola fides, qua quis credit, remissa sibi esse peccata justificat, qui hunc habet actum in sententia Calvinistarum justificatur, & perire non potest, quod falsum est, quia plures cum fide pereunt. Non igitur sola fide, sed etiam aliarum virtutum actibus, spei, charitatis, pœnitentiæ justificantur homines, ut etiam per bona opera elicita ab homine justificato juxta illud Christi Matth. 5. 12. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*; & Matth. 20. 8. *Voca operarios & redde illis mercedem*; Matth. 25. 24. *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, esurivi etenim, & dedistis mihi manducare*, & Apostolus 2. Timot. 4. v. 7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi in reliquo reposita est mihi corona justitia*, plura sunt alia scripturarum testimonia, quibus bonis operibus nostris tribuitur, ut causæ meritotiæ vita æterna sub ratione præmii, mercedis. Quamobrem æterna salus datur ex merito bonorum operum seu propter bona opera consequenter ex merito bonorum operum, & datur iis, qui digni sunt, 2. Thessal. 1. v. 5. *Ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini*: sed si digni propter bona opera, jam datur illis per merita, & dignitatem bonorum operum. Præterea quia æterna vita non solùm datur justis ut merces bonorum operum, sed etiam ut corona justitiæ, 2. Timoth. 3. Sed corona justitiæ non datur ex mera liberalitate, & indulgentia, alioquin non esset corona justitiæ, sed liberalitatis. Præterea quia sicut se habet æterna damnatio respectu impiorum, ita etiam vita respectu justorum: sed illa datur impiis pro meritò malorum operum ergo justis debet æterna vita dari per merita bonorum operum, unde rectè Augustinus epist. 105. ad Sixtum ait: *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitia tanquam stipendium vita æterna.*

Sed Hæretici in oppositum argumentantur, asserentes non esse necessaria nostra bona opera ad salutem

æter-

æternam acquirendam, quia vel Christus abundè per mortem suam pro nobis satisfecit, vel non: si non, manifestè scripturis omnibus Catholicis adversantur, quæ innumeris in locis hanc plenariam, ac perfectissimam Christi satisfactionem explicant: sin verò plenè, & superabundanter satisfecit, malè, & frustraneè Catholici exigunt opera nostra bona ad salutem, alioquin si hæc desiderarentur, necessariò superflua & inutilis foret Christi passio. Sed contra, quia si Christus pro omnibus, & singulis hominibus, & pro omnibus peccatis plenè, & abundè satisfecit, ac omnium salutem est promeritus; ergo omnes homines sive sint gentiles, sive Hæretici, sive Judæi, Turcæ, & Christiani salutem consequuntur ex solis meritis Christi, & sua passione, consequenter fides & baptismus sunt media superflua, & inutilia ad assecutionem salutis. Quòd si dicant, fidem esse necessariam, ut per eam Christi merita nobis applicentur, & per baptismum ut peccata nostra abluantur, & abstergantur, ergo jam præter Christi merita ex parte nostra requiruntur quædam alia hæc autem sunt fides, baptismus, & bona justorum opera; & sicut fides & baptismus non impediunt, quo minus credamus, & dicamus, Christum pro nobis abundatissimè satisfecisse; ita etiam huic perfectæ satisfactioni non officit, si dicamus, opera nostra cum gratia divina præstita esse itidem necessaria ad salutem, quia sicut fides & baptismus ex meritis Christi habent necessitatem bonitatem, & valorem suum: ita ex iisdem meritis opera nostra bona, & meritoria sunt vitæ æternæ, hinc ex eo, quod Christus pro nobis superabundanter satisfecerit, non sequitur, quod bona opera nostra non sint necessaria; nam quando asserimus, bona opera nostra impetrare remissionem peccatorum, non hoc ita intelligimus, quasi de facto, & nunc tantam nos illam promereamur, & non Christus per suam passionem eam nobis non promeruerit: sed quod nunc primum illa Christi merita, & satisfactionem, per bona opera tanquam media ad id à Deo ordinata nobis applicemus, ut ejus passionis, & mortis efficiamur participes, sicut enim per fidem & baptismum non perficimus merita, & satisfactionem Christi, quæ semper fuit perfectissima, sed eam ex nostra parte nobis, ut antea dixi, tantùm applicamus: ità opera nostra cum gratia Dei facta non perficiunt ullo pacto perfectissimam Christi satisfactionem, sed per eadem bona opera tanquam per media à Deo constituta impetramus, ut nobis applicentur Christi merita, & satisfactio, unde quamvis Deus per passionem, & mortem suam perfectissimè & abundanter satisfecerit pro peccatis omnibus, non sequitur, quod opera bona non sint necessaria ad salutem, non quidem ad satisfaciendum eô modô quo Christus satisfecit, vel ad aliquid novi promerendum, quod Christus non promeruerit; sed ad Christi satisfactionem nobis applicandam, exigit enim Deus nostra bona opera, ut nobis applicentur Christi ex passione & morte, in quo nulla apparet injuria, quæ Christo irrogetur: siquidem fatemur, operum nostrorum merita, & dignitatem nos accipere à Christi meritis. Sed quòd per nostra bona opera nobis applicentur Christi merita, id redundat ad majorem Christi gloriam, quia ipse est vitis, & nos palmites, ut ipse ait Joan. 15. v. 4. & sicut palmes nihil detrahit viti, si multum fructum faciat; ita & Christo fœcunditas bonorum operum non adimitur ex eo, quòd & nos bona opera eliciamus.

Plura tamen à sectariis objiciuntur contra meritum bonorum operum etiam desumpta ex scripturis. Primò quia vita æterna in scripturis vocetur hæreditas, atqui hæreditas non debetur filio ex merito, & labore exantlato, sed ex solo jure filiationis, seu adoptionis, ergo ex eo, quòd vita æterna sit hæreditas sequitur justorum bona opera non esse meritoria vitæ æternæ, utitur hoc argumento Calvinus in Antidot. Concil. Trid. sess. 6. cap. 16. inquiens: *quod vitam æternam faciunt mercedem in eo ab illis dissentio, quin potiùs hæreditatem esse ubique scriptura clamat, quæ non alio quam gratuito adoptionis jure nobis obvenit.* Sed contra, quia vita æterna in scripturis vocatur etiam merces, & corona justitiæ, Matth. 5. v. 12. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* 1. ad Timoth. 4. v. 7. *bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ:* ergo vita æterna nobis datur intuitu meritorum, & non solùm jure adoptionis. Secundò quia adoptio in sententia Calvini perinde est ac prædestinatio, cui opponitur reprobatio, sed utraque secundum Calvinum facta est ex solo Dei beneplacito nullo habito respectu ad bona vel mala opera: ergo si ex eo, quòd vita æterna debetur titulo adoptionis, seu prædestinationis, sequitur, non dari ex merito bonorum operum: etiam ex eo, quod pœna æterna debetur titulo reprobationis, bene sequitur non dari ex merito malorum operum, quod tamen Calvinistæ non concedunt. Hinc concludendum est, vitam æternam nobis dari ex merito bonorum operum. Cæterum sumus filii Dei, non per naturam, sed per adoptionem, alii enim re ipsâ adoptantur ante usum rationis in baptismo, ut parvuli, & alii post usum rationis, in prima justificatione, ut adulti: Parvuli igitur, qui ante rationis, usum adoptantur, ac statim decedunt, vitam æternam accipiunt solo titulo hæreditatis, adulti verò, qui usu utuntur rationis, & in adoptione filiorum, seu gratia sanctificante perseverant usque ad mortem accipiant vitam æternam ex duplici titulo, uno mercedis, & altero hæreditatis, ut indicavit Apostolus ad Colos. 2. 23. *quodcunque facitis ex animo operandi, sicut Domino, & non hominibus scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis:* unde justi adulti accipiunt vitam æternam non solo titulo hæreditatis, sed etiam mercedis, seu retributionis, neque id debet mirum videri, quia cum justi non sint filii per naturam, sed per adoptionem potuit Deus sub hac conditione eos adoptare, ut non adirent hæreditatem, nisi obtemperarent divinis mandatis, & per bona opera hæreditatem promererentur. Secundò, quia simile quid Christo accidit, qui jure hæreditatis ob unionem hypostaticam erat ei debita gloria corporis, & exaltatio nominis, & tamen suis meritis eam obtinuit, teste Apostolo ad Philipp. 2. v. 8. *Humiliavit semet ipsum factus obediens usque ad mortem; mortem autem crucis, propter quod Deus exaltavit illum & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Quòd si Christo, qui fuit filius Dei naturalis data est gloria corporis, & exaltatio nominis ex duplici titulo hæreditatis, & mercedis: etiam justis qui sunt filii Dei adoptivi, utroque titulo confertur vita æterna, neque obstat, quod ajunt nonnulli Calvinistæ vitam æternam vocari quidem in scripturis hæreditatem, & mercedem, sed hæreditatem dici propriè, & mercedem impropriè. Nam hæc distinctio nullo innititur fundamento, & posset è contra dici, vitam æternam vocari propriè mercedem, & impropriè hæreditatem. Tum quia si gloria corporis, quæ Christo data est, propriè habuit rationem mercedis, & hæreditatis, cur non etiam gloria animæ, quæ nobis impertitur? cum non repugnet, aliquid esse simul propriè hæreditatem, & simul propriè mercedem. Neque inde sequitur, melioris conditionis esse parvulos, quàm adultos qui suis laboribus, & meritis debent sibi acquirere præmium æternæ vitæ, quod parvulis con-

ceditur titulo liberalis donationis, quia inde potiùs sequitur ex duplici causa feliciores esse adultos, primò quia suis meritis adeunt æternam hæreditatē, quod est magis illis honorificum. Secundò quia quo plura sunt eorum merita, eò majorem hæreditatem consequuntur, hinc interest discrimen inter adultos & parvulos, quia hi debent esse contenti illa parte hæreditatis, quæ illis ob divinam liberalitatem donatur; adulti verò, quò magis crescunt eorum meritæ, eò majorem accipiunt hæreditatis portionem juxta illud *1. Corinth. 3. 8. unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.*

Sed objiciunt ulteriùs Calvinistæ, quia scriptura testatur, vitam æternam dari justis ex misericordia non ex justitia *Psal. 102. v. 4. qui coronat te in misericordia, & miserationibus*, & Matth. 5. 7. *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Sed contra, quia sicut vita æterna vocatur corona misericordiæ, ità etiam dicitur corona justitiæ. 2. *Timoth. 4. v. 8. reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die justus Judex*, unde ne scripturarum textus sibi videantur adversari conciliandi sunt, quia cùm uterque textus efferatur à Spiritu S. neuter potest falsus esse. Dicitur igitur vita æterna corona justitiæ, quia confertur ex meritis & intuitu meritorum juxta mensuram operum servato ordine justitiæ commutativæ, & distributivæ, adeo ut unicuique pro mensura meritorum major, vel minor portio mercedis tribuatur, hinc Augustinus *lib. de natur. & grat. cap. 2. ait: non est Injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ*: quia verò ipsa merita, quibus debetur corona justitiæ, habent vim suam ex gratia Dei data ex misericordia Dei; ideo fit, ut corona quæ justis datur ut merces, vocetur etiam corona misericordiæ; non respectu ipsorum meritorum (quia illis debetur ex justitia) sed respectu nostri quibus ipsa merita etiam conceduntur ex misericordia ut explicat D. Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 13. unde vita æterna dicitur dari justis respectu bonorum operum, quæ ex Dei promissione acceptantur ad eum finem ut illis conferat mercedem, confertur ut corona justitiæ, & quia hæc eadem merita habent suam vim ex Dei gratia ideo datur ex Dei misericordia, quia gratia gratis datur, & est initium bonorum operum, quæ dignificat, & ex illis confert rationem meriti.

Objiciunt ulterius Calvinistæ illud D. Pauli ad Roman. 6. 23. *Stipendium peccati mors, gratia autem vita æterna*, ex quo inferunt mortem nobis obtingere ob mala opera, & vitam æternam ex mera Dei gratia non ob merita bonorum operum, cùm dicat Apostolus gratia autem Dei vita æterna alioquin, si Catholicorum sententia vera esset, dixisset D. Paulus stipendium peccati mors, stipendium bonorum operum vita æterna, sed Apostolus exclusit bona opera, ut indicaret vitam æternam nobis impertiri, ex pura gratia. Sed contra, quia Apostolus vocat vitam æternam gratiam eo sensu quò dicitur corona misericordiæ, quia nimirum datur ex meritis, quæ habentur ex gratia, & misericordia, quatenus merita vim suam habet ac dignitatem à sola gratia, ut explicat *D. Augustinus lib. de grat. & lib. arbit. cap. 8. & 9.* ubi etiam expresè fatetur, Apostolum rectè dixisse stipendium justitiæ vita æterna, sicut dixit stipendium peccati mors. Quod etiam asseruerat Apostolus ad Roman. 2. 6. cùm dixit: *reddet unicuique secundum opera sua, iis quidem qui secundùm patientiam boni operis gloriam, & honorem & incorruptionem quærant vitam æternam: iis autem qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati ira & indignatio:* quia sicut Deus damnabit impios propter mala, ità, & coronabit justos ob bona opera, unde pari pacto sicut impiorum stipendium est mors, ita & justorum stipendium est vita æterna.

Rursus objiciunt illud Isaiæ 55. 1. *venite, emite, absque argento, & absque ulla commutatione vinum, & lac*; ubi offertur vita æterna absque nostris meritis: sed contra, quia per vinum, & lac hic non intelligitur vita æterna: sed tantùm felicitas præsentis vitæ, ut explicat D. Hieronymus, & colligitur ex ipso contextu qui ita se habet: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite: venite emite absque argento*, hinc Christus Joan. 7. 37. ait: *Si quis sitit veniat ad me, & bibat*, ubi Christus loquitur de gratia & felicitate præsentis vitæ, non de gloria futuræ, unde asserimus primam gratiam à nobis non emi argento, seu labore ullo ac merito, sed nobis impertiri omnino gratis, quamvis non sine nostro opere dignificato per gratiam, quia sicut particulæ illæ *absque argento, & ulla commutatione* excludunt nostra merita; ita istæ *venite & emite*, explicant nostram aliquam operationem sitam in accessu & emptione, unde id interest discriminis inter gratiam, & gloriam, quia tametsi neutra conferatur adultis sine propria cooperatione; gratia tamen confertur sine propriis meritis, & gloria per merita propria, unde cum Isa. 55. dicitur, *venite & emite absque argento*, sensus non est, ut sine cooperatione adulti accipiant primam gratiam, sed quod sine meritis eam accipiant.

Objiciunt itidem Calvinistæ illud Luc. 17. v. 13. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt, vobis dicite servi inutiles sumus*: Quòd si justi sunt servi inutiles nihil possunt promereri, alioquin aliquid haberent utilitatis quatenus sibi mererentur vitam æternam. Sed contra, quia verba Christi triplicem possunt sensum habere, quorum primus est nos ex nobis esse servos inutiles, eò quia non nostris viribus bona operamur, sed ex Dei gratia divina præcepta servamus, ut explicat D. Ambrosius lib. 8. in Lucam, quapropter possumus homines considerare, primò quoad suas vires naturales, quatenus ex Adamo nascuntur & sub hac ratione sunt servi inutiles. Secundò, quoad cooperationem gratiæ divinæ quatenus in Christo renascuntur, & ita sunt servi utiles: quia mediante gratia cui cooperantur, agunt opera bona, & utilia, quæ nos conducunt ad vitam æternam. Alius sensus est, non esse servos inutiles respectu Dei, quamvis omnia præcepta servemus, quia nullam utilitatem Deo adferimus, quæ illi in majus commodum obtingat, quia Deus non indiget nostris bonis operibus, ut explicat Beda in comment. Hinc justi possunt vocari servi utiles, & inutiles secundum diversa; sunt enim utiles respectu sui, quia bene operantes ponunt merita propter vitam æternam, quod in eorum commodum, & utilitatem resultat, sibi enim serunt, & metunt, serunt enim bona opera, ut metant æternam gloriam, sunt verò inutiles respectu Dei, quia nihil utilitatis ei accedit ex bonis operibus justorum. Tertiò dicuntur justi servi inutiles, quia tametsi omnia præcepta exequantur, attamen nisi Deus liberali pactö nobiscum convenire voluisset, nullam mercedem ex justitia possemus à Deo exigere, ut explicat D. Augustinus serm. 3. de verb. Domini: hinc etiam patet, quomodo justi dicantur servi utiliter, & inutiles, secluso enim divino pacto inutiles sumus, ad percipiendam mercedem vitæ æternæ: sumus autem utiles, si interceperit pactum, & promissio de acceptandis bonis operibus justorum; & danda

pro

pro iisdem mercede vitæ æternæ, unde liquet ex præfatis verbis Luc. 17. non colligitur justos per bona opera non mereri vitam æternam; deinde si Luc. 17. Christus ait: *dicite servi inutiles sumus*, Matth. 25. 23. ait: *Euge serve bone, & fidelis quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam*, & Apostolus 2. Timoth. 4. *reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illo justus Judex*, unde non sunt inutiles justi si servent mandata, si bene, & laudabiliter operentur, cum inde accipiant coronam justitiæ.

Sed objiciunt ulterius Calvinistæ illud Apostoli ad Roman. 8. v. 18. *non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam*, ex quibus inferunt, nullam esse proportionem inter nostra opera, & vitam æternam: atqui inter meritum, & præmium debet esse proportio, ergo opera justorum non sunt meritoria vitæ æternæ. Sed contra quia tametsi scriptura hic significet justorum opera, non esse digna præmiô vitæ æternæ alibi tamen contrarium asserit Luc. 20. 35. *Qui verò digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione*, &. 2 Thesal. 1. v. 5. ait D. Paulus, *ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini*: & quia scriptura non est sibi contraria reconciliandi sunt textus. Unde si spectemus durationem temporis, nulla est proportio inter opera præsentia & futuram gloriam: quia hæc perpetua est, illa verò momentanea: sin verò spectemus gratiam, à qua procedunt opera meritoria, inter hæc & gloriam cœlestem datur proportio, quatenus gratia dicitur esse semen gloriæ, perinde ac est sufficiens proportio inter semen & plantam; hanc autem proportionem sufficere constat, quia licet nulla sit proportio durationis inter temporale, & æternum, ut ait Apostolus 2. Corinth. 4. v. 17. *Id quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus in nobis operatur.* Opera igitur nostra cùm sint momentanea non videntur habere proportionem cum vita æterna, & nihilominus opera momentanea operantur pondus æternæ gloriæ, non quidem physicè, sed tantum meritoriè, & hæc vis merendi est à gratia. Rursus passio Christi fuit etiam quoad tempus momentanea, & nihilominus per ejus passionem promeritus est nobis vitam æternam. A contrario etiam potest hocidem etiam confirmari, quia etiam peccata impiorum in hac vita sunt quid momentaneum, & tamen pœna quam merentur æterna est, quia sicut opera bona, quia procedunt à gratia Dei, quæ est semen divinæ gloriæ, proportionem habet cum æterna gloria, & momentaneum tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis, ita peccata ex formali vel virtuali comtemptu Dei oriuntur, qui contemptus habet proportionem cum æterna pœna, perinde ac gratia cum æterna gloria.

Ultimò objiciunt Calvinistæ, quia Christus nobis meruit vitam æternam, sed si Christus illam nobis meruit, non possumus, per bona opera eandem nobis mereri, quia opera Christi sunt longè efficaciora, quam opera hominis justi. Tum quia vel Christi meritum per se fuit sufficiens, vel non, si primum, frustrà exiguntur nostra merita, sicuti merces quæ abundanti pretio est coempta, frustra aliò pretiô emitur: si non sufficit, injuriam facimus Christi meritis, quasi non essent infinita. Verum hoc argumentum, quod videtur esse Achilles Calvinistarum, nullius est efficaciæ, siquidem putant, illi merita nostra opponi meritis Christi, & quantum laudis nobis tribuitur, tantum detrahitur meritis ipsius quod non ita est, quia merita nostra oriuntur ex meritis Christi, & omnis efficacia, & vis ex ipsis in illa derivatur à Deo, ut, quidquid laudis, & dignitatis habent, totum redundet in laudem, & dignitatem meritorum Christi, quod declarat optima similitudine Christus ipse Joan. 15. 4. ubi se ipsum æquiparat viti, & nos palmitibus: *Ego sum vitis, vos palmites, sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis*; & sicut non detrahitur quidquam de gloria vitis, si illius palmites multum fructum adferant, eò quia quidquid succi, humoris, virtutis habent palmites, hoc totum accipiunt à vite; quinimo quo palmites sunt fœcundiores, ac pluribus onusti fructibus, eò magis laudatur vitis; unde nihil detrahitur de gloria Christi, eò quia ejus servi opera bona ac meritoria vitæ æternæ faciant, cùm nonnisi in virtute Christi, à quo accipiunt gratiam, & virtutem, bona opera illa efficiant, adeo ut quidquid laudis inest meritis justorum hoc totum Christo attribuatur, unde cum Calvinistæ ajunt alterutrum sequi, aut meritum nostrum non requiri, aut meritum Christi non esse sufficiens, negatur consequentia, quia ex eo, quod requiratur meritum nostrum, non rectè infertur meritum Christi esse insufficiens, quia non requiritur meritum nostrum, ut suppleat insufficientiam meriti Christi, sed quia Deus ita ordinavit, imò inde infertur meritum Christi sufficientissimum, ac efficacissimum esse, quia non obtinuit nobis jus ad vitam æternam; verum etiam vim, & virtutem acquirendi vitam æternam per propria merita.

# CAPUT XXI.

## Quid, si meritum bonorum operum, & quæ conditiones requirantur ad illud.

Meritum ut est effectus gratiæ sanctificantis, ut abstrahit à merito de condigno, & congruo, est obsequium Deo præstitum potens ex se movere ad retributionem doni alicujus supernaturalis, dixi, ut: abstrahit à condigno & congruo, quia meritum de condigno, non solum potest movere ad retributionem; sed etiam ex se hanc exigit retributionem, non ita meritum de congruo; quia tametsi peccator per actum contritionis mereatur de congruo gratiam sanctificantem, non tamen illum ex se exigit. Afferendum est, hominem operantem per gratiam, & ex gratia posse verè, & propriè aliquid à Deo mereri, & quidem de condigno, seu ex justitia; quia meritum de congruo non meretur ex justitia compensationem, sed tantum ex quadam congruentia, & honestate, unde propriè non habet rationem meriti. Quinque requiruntur conditiones ad meritum de condigno, ut comparatio fit debita ex justitia operi meritorio. Prima est, ut opus fit moraliter bonum; secunda, ut sit liberum, tertia, ut fiat ab homine viatore; quarta, ut damnaret ab homine existente in gratia sanctificante, ac Dei amicitia. Quinta, ut interveniat Dei acceptatio & promissio de compensatione, ac restributione facienda intuitu operis meritorii. Prima conditio constat, quia opera mala non merentur præmium, sed supplicium; & non sunt meritoria, sed potius demeritoria, quia non præstant Deo debitum obsequium, cum potius ejus legem transgrediantur, unde ait D. Augustinus lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 6. *Quæ mala, sunt non coronat Deus.* Requiritur itidem quòd opus meritorium sit liberum, ac eliciatur liberè, quia quæ fiunt ex necessitate non sunt meritoria, ut docet S. Thoma. 1. 2. q. 114.

114. & colligitur ex Apostolo 1. Corinth. 9. 17. *Si volens ego ago, mercedem habeo; sin autem invitus, dispensatio mihi credita est:* quia sicut pœna non debetur nisi liberè operanti, ita neque præmium, cum sit utrinque par ratio. Neque obstat quòd meritum dependeat à liberâ, Dei acceptatione, sed Deus potest acceptare ad salutem æternam actiones necessarias, perinde ac liberas sicut acceptavit non solum voluntarium Apostolorum martyrium; sed etiam involuntarium Innocentum. Quia aliud est acceptare aliquid in vitam æternam; & aliud acceptare ad meritum vitæ æternæ: Potest Deus acceptare actiones necessarias ad vitam æternam, sed non ad meritum vitæ æternæ quia meritum exigit essentialiter libertatem, sine qua non habetur ratio meriti. Hinc patet discrimen inter matyrium Apostolorum, & Innocentum; quia illud Apostolorum erat voluntarium, & liberum; ideo Deus illud acceptavit ad meritum vitæ æternæ; istud verò quia erat involuntarium Deus illud acceptavit ad vitam æternam; non ad meritum ejusdem.

Sed dices, Christum meritum fuisse per actiones etiam necessarias, seu per dilectionem Dei, quæ cum proveniret ex clara Dei visione, erat dilectio necessaria: rursus meruit itidem per suam passionem, & mortem obitam, quam stante præcepto Patris de morte subeunda non potuit illam non subire, consequenter necessariò illam subivit, & nihilominus meruit. Sed contra, quia duplex fuit actus dilectionis in Christo, unus, qui sequebatur ex clara Dei visione; & alter, ex cognitione infera, prima dilectio erat necessaria, & conveniebat Christo, ut erat beatus, & comprehensor: Posterior dilectio profecta ex cognitione infusa erat libera, & illi conveniebat, ut viatori; & per hanc meruit, non per illam. Ad secundum quod addebatur de præcepto subeundæ mortis. Respondetur, obligationem præcepti non tollere libertatem; neque inducere necessitatem intrinsecam; sed tantùm extrinsecam: Hinc Christus *oblatus est, quia ipse voluit.* Tertia conditio est, ut opus meritorium procedat ab homine viatore: quia in statu viæ est tempus certaminis, pugnæ, luctæ, laboris; in altera vita status coronæ, & præmii, ac quietis, ut nos monet Apostolus 2. Corinth. 6. 2. *Ecce tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis:* & ad Galat. 6. 10. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Quarta conditiò est, ut opus sit meritorium, quod debeat procedere ab homine existente in gratia, & amicitia Dei 1. Corinth. 13. 3. *Si distribuero in cibos pauperum omnes substantias meas, & si tradidero corpus meum ita, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Joan. 15. 4. *Sicut palmes non potest ferre fructum, à semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis: Ego sum vitis, vos palmites:* unde ad opera fructuosa, seu meritoria vitæ æternæ, necessaria est gratia sanctificans, quâ adhæreamus Christo, ac simus Dei amici, in quo maneamus; sicut palmes, ut fructus ferat, debet in vite manere; hæc autem vitis est gratia sanctificans in qua debet palmes seu homo manere, ut declarat Concil. Trid. sess. 5. c. 16. non enim potest homo ut asseruit Pelagius solius naturæ viribus mereri vitam æternam: Rejicitur etiam error Michaëlis Raii docentis, gratiam sanctificantem non requiri, ut serventur Dei præcepta, sed sufficere actualem; asseruit gratiam justificantem non requiri ex parte operantis, sed tantum gratiam actualem ex parte ipsorum operum, ad hoc ut hæc sint meritoria: hinc aiebat ad opera meritoria non requiri ut operans sit in statu gratiæ sanctificantis, gratus Deo, ac amicus; sed sufficit si ipsa opera sint supernaturalia beneficio gratiæ actualis elevantis opera meritoria ad statum supernaturalem; quæ propositio damnata fuit à Pio V. quia inde sequeretur, merita Christi non fuisse infinita; si enim valor meritorum præcise penderet ex ipsis tantum operationibus, & non ex dignitate personæ operantis non esset ratio, cur Christi merita deberent esse infiniti valoris, & pretii; quia ipsæ operationes in se erant finitæ, ac limitatæ; nec gratia actualis, quâ potentiæ juvabantur, erat infinita, quia potentiæ erant finitæ, sicut tota Christi humanitas; quæ dignitatem infinitam habuit à Persona Verbi; quæ fuit infinita. Præterea quia sequeretur, quòd peccator, si in statu peccati lethalis beneficio gratiæ actualis, cui cooperaretur eleemosynam mereretur vitam æternam, quod est absurdum. Neque obstat, si dicas, Christum Matth. 19. 17. dicere, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Respondetur, scripturam supponere hominem in statu gratiæ sanctificantis, in quo si velit perseverare, & ad vitam ingredi, necesse est, ut servet mandata legis. Quinta conditio operis meritorii est, ut intercedat pactum, & promissio Dei de retributione facienda. Ratio est, quia homo justus est vi gratiæ justificantis, est autem filii Dei adoptivus, & ut ex justitia acquirat jus ad æternam vitam, ut præmium, & coronam, requiruntur opera meritoria; quæ sint talia ex promissione, & acceptatione Dei, alioquin ex vi gratiæ sanctificantis accipit æternam vitam tantum ut hæreditatem, juxta illud Apostoli, *si autem filii & heredes.* Hinc licet justus ex vi gratiæ accipiat vitam æternam ut hæreditatem, ex justitia verò præmium, & mercedem. Potest contingere, ut qui per totum diem in alterius vinea laborat sit dignus stipendio diurno, quod tamen ex justitia illi non debetur ex defectu pacti & promissionis, & quia ipse invito Domino voluerit laborare: perinde opera hominis justi & existentis in gratia, per se digna sunt, & proportionem habent cum æterna vita, quia procedunt ex gratia justificante, quæ est semen vitæ æternæ; non tamen Deus tenetur ex justitia illa compensare seculô pactô, & promissione: unde opera justi sunt quidem digna vita æterna dignitate proportionis ad finem; non dignitate justitiæ: positâ verò promissione, & acceptatione Dei sunt digna vita æterna dignitate justitiæ. Unde S. Augustinus serm. 16. de verbis Apostoli ait: *Debitor nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo; sed quod placuit promittendo.* Et D. Bernardus *lib. de gratia, & libero arbitrio: Promissum quidem ex misericordia; sed tamen ex justitia persolvendum,* His explicatis,

Ostenditur, hominem justum operantem per gratiam, & ex gratia, posse aliquid verè, ac proprie mereri; & primò ex scripturis, quæ passim significant hanc bonorum operum mercedem ex justitia. Eccl. 16. *Unicuique misericordia faciet locum secundum meritum operum suorum:* ubi explicatur ex misericordia dari gratiam ad bona opera, & ex justitia dari gloriam propter eadem bona opera. Sapient. 5. *Justi in perpetuum vivunt, & apud Dominum est merces eorum,* ubi est sermo de hominibus justis, qui per labores, & exercitia virtutum translati fuerunt ad quietem, & regnum, quod etiam possident titulo mercedis; ad Hebræos 13. *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus,* qui est merces & corona justitiæ operum justorum, ut ipsemet fatetur Genes. 17. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Ad Hebræos 10. *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam apud Deum habet remunerationem.* 1. ad Timoth. *Reposita est mihi corona justitiæ,* ubi vocat vitam æternam coronam justitiæ; quia debita justo, ac bonis ejus operibus ex justitia, 1. ad Corinth. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm laborem suum,*

seu

seu prout ex justitia debebitur: & cap. 15. *Abundate in omni opere bono scientes, quod labor vester non erit inanis in Domino, non enim injustus est Deus*, ergo ex justitia reddit retributionem pro laboribus bonisque operibus; alioquin si non redderet, esset injustus. Apoc. 22. *Ecce, venio cito, & merces mecum est, reddere unicuique secundum opera sua*, & Christus passim in Evangelio meminit hujus mercedis debitæ bonis operibus Matth. 5. *Merces vestra copiosa est in cœlo*: Quod autem datur ut merces datur propter præcedentes labores, consequenter ex justitia.

Sancti Patres communiter hanc eandem docent veritatem; D. Basilius in init. Proverb. ait: *Omnes evangelicam vitam ambulantes mercatores sumus per opera mandatorum, nobis possessionem cœlestium negotiantes*, D. Chrysostomus homil. 4. de Lazaro: *Si justus est Deus, his, & illis reddet pro meritis, & hoc in confesso est*. D. Gregorius Nazianzenus Orat. 5. in baptisma: *Crede præter ea resurrectionem, & mercedem ad justam Dei lucem exigendam*; & eadem fidei certitudine asserit, *credendam resurrectionem, ac præmii retributionem juxta meritorum exigentiam, & mensuram*; quæ autem retribuuntur juxta mensuram meritorum, Dantur ex justitia. S. Cyprianus de unit. eccles. *Justitia opus est, ut promereri quis possit Deum judicem; præceptis & monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem*. Si merita accipiunt mercedem, hæc datur ex justitia debita. D. Augustinus epist. 105. ad Sixtum postquam in confutationem Pelagii dixisset: *Quæ sua merita jactaturus liberatus est, cui si digna suis meritis redderentur, non esset nisi damnatus*. Et ne merita omnia negare videretur, subdit: *Nullane igitur sunt merita justorum? sunt planè, quia justi sunt; sed ut justi fierent, merita non fuerunt*, Augustinus igitur contra Novatores, non negavit merita in homine justo, quia in ipso supponunt gratiam sanctificanrem, à qua actiones justorum suam hauriunt condignitatem, & valorem accipiunt: sed tantùm negavit merita ex solis liberi arbitrii viribus proficisci, passim ut inculcat contra Pelagium. Et Concilium Arausicanum II. can. 18. *Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia præcedit, ut fiant*, gratia impertitur condignitatem operationibus, & hæ ut condignæ exigunt mercedem ex justitia. Non tamen hæc justitia est rigorosa, quia fundatur in gratia, à qua opera justi suam accipiunt condignitatem: unde non est illa rigorosa justitia, ratione cujus fieret injuria creaturæ, si ei non daretur præmium; ad meritum enim de condigno sufficit justitia minus rigorosa, ac magis laxè sumpta, quæ potest intercedere inter Deum, & hominem; adeo ut redditio præmii pro meritis non sit actus gratitudinis, nec fidelitatis, sed justitiæ magis laxè sumptæ, in quo sensu scribit D. Paulus 2. ad Timoth. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die, justus judex*. Ratio est, quia debitum in debitore est essentialiter connexum cum jure creditoris, quod jus non potest convenire homini respectu Dei: quia debitum in rigore, & propriè sumptum subjicit debitorem creditori: quia sicut res, quæ debetur est sub jure creditoris; ita etiam debitor est sub jure creditoris donec debitum solvat; & cum repugnet, Deum posse subjicit creaturæ; ita implicat posse dari in Deo propriè debitum rigorosæ justitiæ respectu crraturæ: Hinc D. Anselmus in Prolog. cap. 10. Deum alloquens ait: *Justus est, non quia nobis reddas debitum, sed quia facis, quod decet te, summè bonum*. D. Augustinus 1. Confess. 4. *Reddis debita nulli debens*. Si hanc propriè non esse subjectionem; sed tantum quandam obligationem, quâ Deus voluntariè ac amnino liberè se obligat. Contra est, quia neque hæc obligatio dari potest in Deo, quia ex illa semper consurgit jus aliquod in creatura ad ipsum Deum; quia non datur obligatio propriè sumpta, quæ non nectatur cum jure; & eo ipso quod consurgit jus in creatura, consurgit etiam in Deo subjectio, quâ in ordine ad hoc jus subjiceretur Deus creaturæ, unde de ratione meriti condigni est tantùm debitum justitiæ minus rigorosæ: seu debitum objectivum, quatenus res, quæ à Deo promittuntur possunt habere rationem debiti objectivi, ac se habere eo pacto, quo se haberent, si revera fundarentur in debito formali: in quo sensu intelliguntur scripturæ, in quibus vita æterna vocatur merces, corona, retributio, depositum, & alia eidem tribuuntur nomina, quæ significant debitum in objecto. Hinc D. Augustinus tract. 3. in Joan. *Audi illum jam flagitantem debitum, qui primò indebitam susceperat gratiam*. Ratio, cur inter Deum, & creaturam dari possit hoc debitum objectivum justitiæ minus rigorosæ, petitur ex summa rectitudine, & immutabilitate divinæ voluntatis, eo ipso quòd Deus sit summè rectus, & immutabilis, res quas promittit, constituit in ratione debiti objectivi, absque eo quòd ipse fiat debitor formaliter: quia posita sola divina promissione stante summa rectitudine, ac immutabilitate divinæ voluntatis, perinde res promissa se habet, & si esset jam collata, quia est infallibiliter conferenda; & hoc in textu dicitur res illa promissa cadere in jus nostrum, ac fieri nobis debita; absque eo quòd Deus promittens sit debitor formalis: & dicitur debitum tantum objectivum justitiæ minus rigorosæ esse de ratione meriti condigni. Hinc quando Sancti Patres docent, Deum fecisse se nostrum debitorem; intelligunt denominativè, sumpta denominatione à forma extrinseca, seu à debito objectivo, ut explicuimus: non verò asserunt esse nostrum debitorem formaliter, quia repugnat Deum posse subjici creaturæ.

An verò possit peccator solius naturæ viribus sibi promereri primam gratiam excitantem actualem, affirmabant olim Pelagiani, & Semi-Pelagiani, quos fortiter impugnavit & expugnavit D. Augustinus, & cum ispo ecclesia Catholica, cum scribat Apostolus ad Roman. 9. 16. *Non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis*, scilicet accipere primam gratiam actualem, & excitantem, & cap. 11. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia*; & ad Timoth. 1, 9. loquens de prima gratia actuali vocante, & excitante ait: *Vocavit nos vocatione sancta non secundum propositum suum, & gratiam*, ergo prima gratia actualis, & excitans non derivatur in nos ex nostris operibus, sed ex Dei gratia. Ratio est, quia in homine peccatore ante gratiam primam excitantem nihil aliud reperitur, nisi ipsum peccatum cum viribus liberi arbitrii: sed homo in statu peccati lethalis, per solas vires liberi arbitrii non potest mereri primam gratiam excitantem, quia hæc est in statu supernaturali, & vires liberi arbitrii in statu naturali, ex inferiori & incapaci merendi præmium supernaturale; quia inter meritum, & præmium debet dari proportio, sed vires naturales liberi arbitrii non habent proportionem ad gratiam supernaturalem. Ergo. Præterea si homo in statu peccati potest mereri primam gratiam excitantem, opera merè naturalia liberi arbitrii essent dispositiones ad primam gratiam existentem, ut ad formam inducendam in hominem per modum fluxûs, & transeuntis: sed opera naturalia non possunt esse dispositiones ad gratiam excitantem, quia dispositiones exigunt esse in eodem ordine ac est forma,

ad

ad quam disponunt, hæc autem est in ordine supernaturali & opera liberi arbitrii in ordine purè naturali: ergo non possunt disponere ad gratiam supernaturalem, neque illam mereri; quia non habetur opus meritorium, nisi procedat ab homine existente in statu gratiæ, & amicitiæ Dei: sola enim gratia supernaturalis est quæ dignificat operationes hominis, & constituit meritorias. Demum quia si prima gratia daretur ex meritis, non esset gratia, sed debitum, ut ait Apostolus ad Rom. 11. 6.

Neque obstat illud effatum, quo Deus dicitur, *non denegare suam gratiam facientis quod in se est.* Nam hoc potest dupliciter intelligi, primò de faciente, quod in se est ex prima gratia præveniente, & Deus non denegat ulteriorem gratiam. Secundò de faciente, quod in se est ex viribus naturæ, quòd Deus non denegat suam gratiam prævenientem, & hoc est falsum, si sensus sit, quod Deus infallibiliter det gratiam prævenientem intuitu boni operis emanati à viribus naturalibus liberi arbitrii; quia inde sequeretur, quod dispositiones ordinis inferioris essent ad formam in ordine superiori; & forma non est gratis data, sed debita talibus dispositionibus, perinde ac dispositiones caloris, ut octo in ligno dicuntur exigere in illo formam ignis, adeò ut hæc forma sit debita talibus dispositionibus: debitum autem destruit gratiam. In priori sensu effatum est verum: quia gratia præveniens ideo datur à Deo peccatoribus, ut per eam excitati, & corroborati sensim ad majora se præparent: unde si cum tali gratia excitante faciunt quantum possunt Deus non denegat ulteriorem gratiam.

Imò neque cum gratia sola præveniente possumus de condigno mereri gratiam sanctificantem; quia scriptura expressè asserit, nos justificari gratis ad Rom. 3. 24. *Justificati gratis per gratiam, prius*, quod explicat Concil. Tridentinum sess. 6. cap. 8. ait: *Gratis justificari dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.* Ratio est, quia opus non est meritorium de condigno, nisi procedat ab homine existente in gratia sanctificante, ac sit amicus Deo: consequenter opera, quæ præcedunt gratiam justificantem, non sunt meritoria de condigno; quia meritum de condigno exigit fundari in gratia justificante.

Si dicas, nos posse illam promereri de condigno per opera subsequentia. Contra est, quia opera subsequentia gratiam procedunt à gratia justificante, ut à principio meriti, & principium meriti non cadit sub meritum. Si instes, posse nos ipsam mereri per ultimam dispositionem, quæ est simul tempore cum gratia, siquidem ultima dispositio cum procedat à gratia actuali, habet sufficientem dispositionem, ac proportionem cum gratia sanctificante, quia si illum non haberet, non esset sufficiens, & legitima dispositio ad illam gratiam. Contra est, quia ultima dispositio dupliciter potest spectari; primò ut antecedit gratiam justificantem; & hoc pacto est tantum proportionata quoad dispositionem, eo quia procedat à gratia præveniente actuali; non ita est proportionata per modum meriti de condigno; quia ut sit talis, exigit dignificari per gratiam sanctificantem, quæ non supponitur, nec procedit ab homine existente in gratia justificante, quod requiritur ad meritum de condigno; sed ab homine existente in peccato lethali. Secundò potest considerari ut est simul tempore cum gratia justificante in eodem homine informata gratia justificante; & hoc pacto est opus meritorium de condigno augmenti gratiæ sanctificantis non primæ gratiæ justificantis, quiæ hæc præsupponitur saltem natura ad meritum de condigno, & ut principium meriti; & principium meriti non cedit sub meritum, Quamobrem omnes Catholici consentiunt, posse hominem posse hominem justum per bona opera, & observantiam mandatorum Dei mereri augmentum gratiæ sanctificantis de condigno, & colligitur etiam ex Concilio Tridentino cap. 10. can. 32. & constat itidem ex scripturis Ecclesiast. 18. 22. *Ne verearis usque ad mortem justificari*, scilicet per bona opera crescere in justitia, Apocal. 22. 24. *Qui justus est, justificetur adhuc* Jacob. 2. 24. *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum*, unde D. Augustinus epist. 106. ait: *Gratia meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici.* Quia cum homo justus per bona opera mereatur augmentum gloriæ, sequitur quod mereatur augmentum gratiæ sanctificantis; gratia enim secundùm gradus debet esse proportionata gloriæ, cujus est tamen, & ad quam dat jus, quod debet esse proportionatum augmẽto gloriæ: ergo gratia sanctificans est capax incrementi, sicut gloria, proinde sicut per bona opera justi sibi augent gloriam in cœlis, ita etiam gratiam justificantem in terris.

Quæri solet, an justus sicut per bona opera meretur augmentum gratiæ sanctificantis, ita possint etiam mereri reparationem post lapsum: & duobus modis potest id intelligi. Primo, an homo justus, tempore quo est justus per bona opera meritoria, quæ tunc facit in statu gratiæ sanctificantis, possit apud Deum mereri, ut si contingat eum peccare lethaliter, accipiat remissionem illius peccati, ac restitui gratiæ sanctificanti per peccatum illud deperditæ. Et secundò ac in statu lapsus, postquam peccavit possit mereri remissionem sui peccati per opera bona: & in hoc secundo sensu certum est, peccatorem non posse de condigno mereri remissionem peccati mortalis; quia peccator in statu peccati lethalis non potest mereri justificationem, quæ necessaria est ad meritum de condigno: quia hoc meritum exigit procedere ex gratia sanctificante, quam peccatum lethale excludit: ergo nec potest mereri remissionem peccati, quia hæc remissio includitur in ipsa gratia sanctificante, quæ cum primum infunditur, excluditur peccatum, & habetur ejus remissio. Justificatio enim includit infusionem gratiæ sanctificantis, & remissionem peccati lethalis; ut contra Calvinistas docent Catholici. Unde difficultas est, an saltem priori modo per opera facta in statu gratiæ possit homo mereri peccati postea patrandi remissionem; & respondetur etiam negativè, adeo ut homo justus non potest mereri de condigno reparationem post lapsum, & colligitur ex scripturis Ezech. 10. 24. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*, ex quo textu infertur, omnia merita hominis justi mortificari, & extingui per peccatum mortale superveniens. Hinc cum justus lethaliter postea peccat, omnia opera bona, quæ in statu gratiæ egit, & merita, quæ acquisivit, sunt mortificata, & extincta: & omnia opera, quæ fiunt in tali statu sunt mortua, seu nullius meriti. Præterea quia inde sequeretur, quòd justi bona opera, quæ agunt possent sibi mereri ne morerentur impœnitentes, quod est falsum: sequela patet, quia quamvis labantur in peccatum lethale, opera præcedentia meruissent remissionem peccati illius subsequentis, & ideo non posset homo mori in illo peccato, consequenter non posset impœnitens, quia per bona opera præcedentia remitteretur peccatum subsequens.

Quæri-

Quæritur secundò, an possit homo justus sibi mereri bona temporalia, & divitias? Respondet D. Thomas 1. 2. q. 114. art. 10. dupliciter posse spectari bona temporalia ut sunt in se simpliciter bona temporalia sine ordine ad aliquem finem: & ut referuntur ad vitam æternam ad quam ordinantur: & priori modo non posse justum per bona opera supernaturalia sibi mereri bona hæc temporalia: cœteroquin quo quis justior esset, ac plura bona opera ageret, & esset cæteris ditior, ac magis abundaret bonis hisce temporalibus, quod experimento adversatur; videmus, homines justos, ac timoratæ conscientiæ pauperes esse, acrerum omnium temporalium penuriâ laborare; & econtra plures peccatores divitiis affluere, bonisque temporalibus abundare. Sin verò bona temporalia sumantur posteriori modo cum ordine ad finem supernaturalem, potest homo justus sibi hæc bona mereri. Quia qui meretur finem potest etiam mereri media conducentia ad talem finem cæteris paribus, ex quo sequitur bona temporalia non dari justis secundùm proportionem, & quantitatem meritorum, sed prout magis vel minus conducunt ad consecutionem vitæ æternæ: hinc videmus plures justos virosque pios studiis virtutum addictos extrema laborare paupertate, & alios indulgentes vitiis affluere divitiis, & alios in medio consistere. Cæterum Deus ita providè disponit omnia, ut det cuique, quod cognoscit eidem magis expedire pro assecutione æternæ salutis. Plerùmque enim expedit viros pios, & justos pauperes esse, & peccatores divitiis affluere, ut isti per eleemosynarum elargitionem possint pauperibus opitulari, & sibi consulere in ordine ad salutem, & è contra expedit viros pios, & justos paupertate, & angustiis premi, ut patientiam exerceant, & in solo Deo sperent, à quo bona omnia in creaturas dimanant.

Quæritur tertio an possit vir justus alteri mereri, adeo ut efficacia meriti talis sit, ut non solùm homini justo illud exercenti, sed etiam alteri possit de condigno mereri præmium aliquod apud Deum, præsertim gratiam, & vitam æternam: siquidem certum est, Christum sua passione & morte, meruisse nobis non solum remissionem peccatorum, & vitam æternam, verùm etiam omnia dona gratiæ quæ ad consecutionem æternæ gloriæ necessaria sunt, adeo ut doceat D. Thomas 3. part. quæst. 8. Christum habuisse gratiam capitis, quia sicut in corpore humano omnia membra participant influxum & spiritus animales à capite, ita & in Ecclesia omnes fideles participant dona gratiæ à Christo per influxum moralem. Christus enim dicitur influere, ut caput moraliter, & metaphoricè in omnes fideles, veluti in membra quibus meretur gratiam omnem supernaturalem, & benedictionem adeo ut sine hoc influxu morali non possint fideles motum ullum supernaturalem peragere. Sed dicendum est, hominem justum non posse alteri mereri de condigno gratiam, & vitam æternam quantumvis sanctus sit, & Deo gratus, ut docet D. Thomas. quæst. 114. art. 6. & alii communiter; quia non possumus quidquam de condigno mereri apud Deum, nisi interveniente pacto, & promissione Dei sed Deus non promisit nostris operibus mercedem respectu aliorum, sed tantùm respectu nostri, hinc Apostolus 2. *Corinth.* 5. *v.* 3. *Unusquisque referet propria corporis prout gesserit, sive bonum, sive malum*, ergo non potest quisquam alteri mereri æternam gloriam. Major patet ex scripturis *ad Roman.* 8. *Existimo, quòd non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, & 1. *Corinth.* 4. *quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et licèt hæc testimonia non probent, opera bona non esse meritoria vitæ æternæ, ostendunt tamen non esse meritoria tanti præmii ex natura sua, sed aliunde ex gratuita promissione Dei, dignitate, ac liberalitate ejusdem esse in se meritoria tanti præmii, unde Apostolus *ad Roman.* 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? nam ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia*; hinc Augustinus, *in Psal.* 93. *quanto labore digna est requies, quæ non habet finem! Si verum vis comparare, & verum judicare, æterna requies æterna labore rectè emitur. Verum hoc est. sed noli timere, misericors est Deus*, & *serm.* 16. *de verb. Apostoli* ait: *debitor nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit promittendo; aliter enim dicimus homini, debes mihi, quia dedi tibi; & aliter dicimus: debes mihi, quia promisisti mihi; Deo igitur quid dicimus? redde mihi, quia dedi tibi? quid dicimus Deo, quando quod sumus, & quod habemus boni ab illo habemus, nihil ergo ei dedimus, cum ab ipso omnia acceperimus unde non est, quemadmodum per has voces exigamus debitorem Deum; illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti, & hoc tu fecisti, quia non laborantes juvisti.* Et D. Thomas ait, Deum, cùm nobis aliquid debet, non tam nobis debere, quàm dispositioni, & promissioni suæ.

Accedit etiam ratio: quia vel Deus teneretur bonis nostris operibus æternam vitam impertiri ex justitia commutativa, vel ex distributiva, si ex commutativa jam requiritur pactum, & promissio liberalis, & gratuita qua Deus velit nostra opera acceptare, & pro retributione nobis impertiri æternam gloriam; non enim opus quantumvis eximium, & æquale mercedi, potest ex justitia commutativa alterum obligare, nisi præcesserit conventio libera, & pactum; etenim, si quis non conductus sponte vineam alterius velit excolere, non potest post laborem diurnum ex justitia mercedem exigere, eò quia Dominus vineæ non pepigit cum tali operario dare mercedem, nec ipsum conduxit: hinc operarii in Evangelio *Matth.* 20. maluerunt tota die otiosi sedere in foro, quàm surgere ad excolendas vineas aliorum, nisi priùs conducerentur ab Heris, & conventionem facerent circa mercedem diurni laboris, si enim non conducti alienam vineam excoluissent, nihil accepissent mercedis, ideoque maluerunt præferre quietem & otium labori sine mercede impenso. Sin autem ex justitia distributiva Deus reddit præmia laboribus nostris, tunc quoque est necessaria gratuita promissio, & liberalis conventio: siquidem in justitia distributiva non solet pactum exigi, vel promissio saltem expressa, quando Princeps distribuit bona communia, bene tamen exigitur, quando propria bona distribuit, ut jam certantibus promittit prabéum: neque enim debetur præmium velociùs currenti, nisi ex vi promissionis pactique præcedentis: Deus autem non distribuit bona communia, sed propria consequenter non tenetur illa reddere laborantibus nisi ex vi præcedentis pacti, & promissionis.

# CAPUT XXII.

## An homo justus possit mereri de condigno primam gloriam, & illius augmentum.

CAlvinistæ negant, posse hominem justum de condigno mereri vitam æternam per bona opera consequenter primam gloriam, & ejus augmentum: sed dicendum est, hominem justum posse sibi promereri augmentum vitæ æternæ, sicut promeretur augmentum gratiæ sanctificantis & quidem de condigno, non tamen ex justitia rigorosè sumpta, ut superiùs ostendimus, & etiam docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 1. *art.* 2. quia rigor justitiæ exigit talem contractum, ut inter contrahentes nulla intercedat gratiæ liberalitas, in qua fundatur meritum, hoc autem non contingit inter Deum, & hominem, cùm totum meritum hominis fundetur in gratia & liberalitate Dei, præsertim in gratia justificante, quæ illi gratis datur, & in liberali promissione Dei, qua voluit retribuere præmium bonis nostris operibus, ac meritis, quia hæc Deo non erant utilis, & ratione despotici, ac plenissimi dominii, ac aliis pluribus titulis ipsi erant debita, unde Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 16. ait: *Eam esse Dei benignitatem, ut ea voluerit esse nostra merita, quæ sunt ipsius dona*, & D. Augustinus, *epist.* 105. *cum Deus coronat nostra merita, non coronat nisi sua dona*, unde quæstio procedit de justitia laxè sumpta, quæ potest intercedere inter Deum, & hominem, in quo sensu quæritur, an opera justorum, quæ dicuntur ipsorum merita de condigno, mereantur augmentum gratiæ sanctificantis & gloriæ beatificantis, & respondetur affirmativè, & assertio colligitur ex scripturis sanctis Patribus, Conciliis, & rationibus, etenim *Actor.* 5. habetur: *Illi quidem obierunt à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*: quem locum corrupit Calvinus *lib.* 3. *Instit. cap.* 15. ubi posuit, loco *digni habiti quoniam honorem habuerunt pro digni habiti sunt*: siquidem Calvino hæc nomina meritum, opus bonum, & dignitas valdè displicuerunt, & redarguit antiquitatem, quod nomina meriti, & mercedis admiserint. Evincitur etiam ex illo *Luc.* 10. *Dignus est operarius mercede sua*, & *cap.* 20. *Illi verò, qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione*, & Christus, *Matth.* 5. consolatur suos discipulos, qui persecutionibus premebantur, *cum persecuti vos fuerint propter nomen meum, gaudete, quia merces vestra multa est in cœlo*, & D. Paulus 2. *ad Thessal.* 1. *sustinentia in exemplum justi judicii Dei ut digni habeamini regno Dei, pro quo, & patimini, Apocal.* 3. *Ambulant mecum in albis, quia digni sunt.* Plura etiam sunt alia scripturæ testimonia nomen mercedis exprimentia, *ut Genes.* 15. *Ego protector tuus sum, & merces magna nimis.* 1. *Paral.* 15. *Confortamini, erit enim merces operi vestro. Sapient.* 5. *Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum, Eccles.* 18. *non verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum*; & *Apocal. ult. Ecce venio cito, & merces mea mecum est.*

Sancti Patres itidem hanc veritatem docuerunt à tempore primitivæ Ecclesiæ. Tertullianus *in exhortat. ad Castitat.* ait: *Deus piis operibus, & justitiæ officiis promeretur, cum dixerit Apostolus ad Hebræos,* 13. *talibus hostiis promeretur Deus.* Lactantius *lib.* 7. *divin. instit. cap. ult. Universos igitur oportet operam dare, ut se quàm primum ad rectam viam dirigant, ut susceptis operatisque virtutibus hujus vitæ laboribus patienter peractis consolatorem Deum habere mereantur.* D. Cyprianus, *lib. de unit. Eccles. justitia opus est, ut promereri possit quis Deum, præceptis ejus, ac monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem.* D. Hieronymus, *lib.* 2. *contra Jovinian. cap.* 15. explicans sentent. *Joan.* 14. *In Domo Patris mei mansiones multæ sunt*; ait ipse: *Dicerem vobis, quia vado & praparabo vobis locum, si non mansiones multæ essent apud Patrem, hoc est, si non unusquisque mansionem sibi non ex Dei largitate, sed ex propriis operibus prapararet; & ideo non est meum præparare, sed vestrum, quia & Judæ nihil profuit paratus locus, quem vitio suo perdidit.*

Concilia itidem hanc definiverunt veritatem etenim Arausic. II. *can.* 18. ait: *Debetur merces bonis operibus, si fiant*; *sed gratia, quæ non debetur, ut fiant.* Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 6. ait: *bene operantibus usque ad finem proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum misericorditer promissa & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* Concilium Lateranense sub Innocentio III. *cap. firmiter de sum. Trinitat. & fide cathol.* ait: *Non solùm Virgines, & continentes, verùm etiam conjugatæ per rectam fidem, & operationem bonam placentes Deo ad æternam merentur beatitudinem pervenire*: Concilium Florent. *in decret. de purgatorio* etiam docet: *Animas, quæ nihil expiandum habent, mox recipi in cœlum ac Deum videre pro meritorum diversitate*, unde nulli dubium, quin opera justorum merita dicantur, ac mereantur gratiæ & gloriæ augmentum.

Ratione id etiam evincitur, quia opera justorum æquiparantur fructibus bonæ arboris; ait enim Christus *Matth.* 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere*; quod si sunt fructus, aliquid præ se ferunt utilitatis in ordine ad vitam æternam; est enim de ratione fructus ordinari ad vitam alendam, & *Joan.* 15. ait Christus: *Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*, sed justus est arbor bona, & manet in Christo vite fœcunda, perinde ac palmes in vite, consequenter potest justus bona opera facere, quæ mereantur augmentum gratiæ sanctificantis, & gloriæ beatificantis.

Neque obstat, quod ait Calvinus, peccatum originale manere in justis, & corrumpere omnia eorum opera, adeo ut potius mortem mereantur, quàm vitam æternam; id enim adversatur scripturis, quia peccatum originale debetur per baptismum, & Christus, *Matth.* 5. monet, *ut luceat lux nostra coram hominibus ut videant opera nostra bona*, unde opera nostra non sunt mala, sed bona, non peccata, quæ mortem merentur, sed merita, quæ gloriam, ejusque augmentum mereantur: si enim, ut putavit Calvinus, peccatum originale maneret in justis, & contaminaret omnia opera justorum, non dixisset David *Psal.* 7. *judica me, Domine, secundùm justitiam meam, & secundùm innocentiam meam*, neque verificaretur illud

Job

Job *non peccavit in iis, quæ dixit*, neque illud D, Pauli *ad tit. 2. Redemit nos ab omni iniquitate, ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*.

Quod justus mereatur etiam incrementum gratiæ ostenditur ex illo *Genes. 22.* ubi *Abraham ex operibus justificatus est*, offerens Isaac filium super altare, scilicet copiosiore justitia donatus, adeo ut tunc, quando obtulit Isaacum, accepit augmentum gratiæ sanctificantis, quia antea jam per fidem erat justificatus, *Genes. 12. Egressus è terra sua*, & Paulus *ad Roman. 4. Credidit Deo Abraham, & reputatum est ei ad justitiam*: ergo multo magis in lege gratiæ justus sibi acquirit incrementa gratiæ sanctificantis per exercitia virtutum, ac bonorum operum; hinc Christus nos hortatur, ut semper magis justificemur, *Apocal. 22. Qui justus est, justificetur adhuc, est sanctus sanctificetur adhuc*; justus autem non justificaretur adhuc, si antea non esset justus, illud enim adverbium *adhuc* indicat præcedentem justitiam, quod etiam inculcat D. Paulus *ad Roman. 6. Exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*, seu ut vobis augeatur sanctitas.

Verùm homo justus qui sine propria dispositione justificatus est, & primam gratiam accepit, non meretur primam gloriam, sed tantùm augmentum illius; quia non meretur illam in instanti, quo justificatur, nec postea quia in primo instanti nullum habet opus bonum, quo possit mereri ex suppositione quòd justificetur sine propria dispositione, & in secundo instanti, seu per opera subsequentia non meretur primam gloriam, quia hæc jam supponitur, sed augmentum gloriæ, quod tantùm est, quanta sunt ipsa merita, unde ex vi meritorum nihil aliud debetur, quàm illud augmentum. Probabile tamen est, eum, qui per propriam dispositionem justificatur, & primam gratiam accipit, de condigno mereri etiam primam gloriam per ultimam dispositionem ad gratiam, quia huic dispositioni nihil deest, quo minus sit meritoria; est enim actus liber, & moraliter bonus, ac elicitus ab homine justo. Quòd si dicas non procedere à gratia habituali, posset responderi, non esse opus ut effectivè procedat à gratia habituali, sed sufficit, si homo, qui operatur eo instanti, quo operatur, existat in statu gratiæ habitualis.

Supersunt solvendæ aliquæ objectiones, primò quia scriptura testatur ipsam coronam gloriæ dandam esse sanctis non ex justitia, sed ex misericordia consequenter non reddi propter merita, sed gratis donari, quo pacto ait David *psal. 102. Qui coronat te in misericordia, & miserationibus*, sed contra, quia ut respondet D. Augustinus, *in lib. de corrept. & gratia cap. 13.* Beatitudo tribuitur misericordiæ, non quia non sit vera merces meriti, sed quia merita ipsa data sunt ex misericordia; quia non potest homo opera meritoria facere, nisi prius sit justificatus; & non justificatur ex operibus, sed ex gratia, & misericordia: siquidem ante justificationem est homo in statu peccati, & non potest de condigno mereri justificationem delectivam peccati, quo fit, ut justificatio sit gratuita, & quia tunc homo incipit mereri coronam, ideo rectè ait David, qui coronat te in misericordia & miserationibus seu in justificatione, quæ datur ex Dei gratia, & misericordia. Hinc etiam in ipsa coronatione, quæ dicitur esse merces meriti, est etiam necessaria misericordia quæ peccata venialia remittat, deleatque fine quibus pauci sunt, qui decedant ex hac vita, unde misericordia comitatur coronam gloriæ, quæ tamen non est ipsa corona, quia hæc respicit bona merita, & misericordia respicit peccata venialia, quæ remissione delenda sunt.

Secundò objiciunt illud *ad Roman 6. stipendium peccati mors, & gratia Dei vita æterna*, sed respondet idem Augustinus *epist. 105. & in Enchir. cap. 107.* Apostolum potuisse rectè dicere stipendium justitiæ vita æterna, sicut & dixit stipendium peccati esse mortem, non dixit autem, quòd sit, ne quis putaret, ita nos ex nobis habere justitiam: sicut ex nobis habemus peccatum: quamobrem gratia dicitur vita æterna, non quia sit merces meriti, sed quia ipsa merita, habemus ex gratia, Ideo dicitur vita æterna, quia hæc est semen vitæ æternæ: sicut enim planta continetur in virtute seminis, ita & gloria æterna in ipsa gratia sanctificante, quæ dat jus ad gloriam æternam.

Si dicas, per opera bona non posse justum sibi promereri gloriam æternam, eò quia Apostolus *ad Rom. 8.* scribat, non esse condignas passiones hujus temporis ad gloriam; quòd si non sunt condignæ, sequitur non dari proportionem inter opera nostra, ad vitam æternam, & cùm inter meritum & præmium debeat intercedere proportio, sequitur justum per bona opera non posse sibi promereri de condigno æternam gloriam. Sed contra, quia opera justorum possunt multipliciter considerari, primò, ut sunt molesta, & superatu difficilia, in quo sensu dixit Apostolus non esse condignas passiones hujus temporis, & in hoc sensu nulla est proportio inter ipsa opera bona, & præmia, sive spectetur magnitudo bonorum operum, sive diuturnitas, & in hoc sensu neque mala opera peccatorum sunt condigna suppliciis æternis gehennæ, quia omnia præsentia exigua sunt, & momentanea, cùm futura sint maxima, & perpetua, *2. Corinth. 4. Quod momentaneum, & leve est tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Rursus possunt spectari opera bona justorum, quatenus dimanant à voluntate nostra, & in hoc sensu peccata impiorum merentur supplicia æterna, quia perditio nostra ex nobis est, ut ait Oseas *cap. 16.* Sed opera nostra non merentur gloriam æternam, quia meritum omne nostrum divinæ nititur gratiæ. Tertiò considerantur opera bona justorum, ut effecta à Filio Dei, & ab inhabitante Spiritu Sancto, & sub hac consideratione invenitur æqualitas inter opera, & præmium ac verum meritum de condigno, quia supposito, quòd Divinus Spiritus mediante sua gratia operetur in nobis opera bona & meritoria, hæc contrahunt suam dignitatem à Spiritu Sancto. Demum possunt considerar, ut habent conjunctam divinam promissionem mercedis æternæ; & sub hac ratione sunt itidem digna præmio. Quapropter justi per bona opera merentur de condigno vitam æternam.

Respondent hæretici hoc adversari scripturis *Luc. 17.* ubi Christus suos alloquens discipulos ait: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus*: ex quo inferunt opera justorum, quales fuerunt Domini discipuli, nihil mereri de condigno, cum eorum opera fuerunt inutilia. Sed contra, quia, ut respondet D. Augustinus *serm. 3. de Verbis Domini*: Dicimur servi inutiles, quamvis omnia expleverimus mandata, quia nihil facimus ultra id, quod debebamus, & nihil inde justæ mercedis petere possemus, quia tantùm satisfecimus nostræ obligationi, & eatenus per hæc eadem opera meremur, quia placuit Deo liberali pacto nobiscum convenire, unde supposita hac conventione, & promissione Dei, meremur de condigno vitam æternam, sumus enim sub deposito, ac plenissimo Dei dominio, cui tenemur fideliter obsequi, & ejus servare mandata ex nostra obligatione, cui, si satisfaciamus nil ultra petere ex justitia

justitia vel merito condigno possumus, sumus enim ex conditione Dei mancipia, propterea potest nos absque ullo præmio ad opera, quæ ei magis placuerint, obligare: sed quia Dei benignitas voluit ex Christi meritis justorum opera compensare, nobisque promisit impertiri æternam vitam, si ejus mandata servemus, ac bona opera agamus, ideo posito hoc gratuito pacto, & hac liberali promissione dicere possumus: *Reposita est mihi corona justitiæ.* Venerabilis Beda, aliter interpretatur verba *Luc.* 17. *Servi inutiles sumus*, ut inde cognoscamus, nihil nos Deo adferre utilitatis, eò quia contineat in se totam plenitudinem perfectionum, ac bonitatis, & non indigeat nostra observantia præceptorum, neque nostrorum bonorum operum, unde, cùm hæc fecerimus, adhuc tenemur ei humiliter servire, ac gratias agere, quòd cùm servi inutiles simus, dignetur obsequia nostra acceptare. Præterea D. Chrysostomus homil. *in illud Oziæ: Elatum est cor*, ait Christum non dixisse servi inutiles estis; sed, dicite, quia servi inutiles sumus, id autem ne superbia corrumpat opera nostra. Sed adhuc instant, quia opera justorum sunt omnia coinquinata, consequenter non possunt quidquam de vita æterna mereri de condigno, probant antecedens ex illo *Isaia* 64. *Facti sumus immundi omnes nos, & ut pannus menstruata omnes injustitiæ nostræ.* Sed contra, quia Isaias non loquitur in persona justorum, sed tantùm Judæorum, qui, cùm peccatis sordescerent, & vitiis essent coinquinati, merito dicere poterant, justitias suas, seu legis externas observationes immundas esse & sordidas ante Deum. D. Hieronymus etiam respondet, Isajam fuisse locutum de operibus totius humani generis, in quo plures sunt impii, quàm justi, plures peccatores quàm Sancti, qui tamen, cùm impii sint, justos se esse credunt, & horum justitiæ ab Isaia æquiparantur panno menstruatæ.

Rursus asserunt hæc justorum opera meritoria derogare meritis Christi, quasi hæc non sint sufficientia, & possint homines in suis confidere operibus contra doctrinam D. Pauli 1. *Corinth.* 10. ubi ait: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Sed contra, quia tantùm abest, quod merita justorum derogent meritis Christi, ut potiùs illa magis commendent, non enim justorum merita opponuntur meritis Christi cum ab illis oriantur, ac totam suam desumant efficaciam: siquidem quidquid merita justorum habent laudis, & totum redundat in laudem Christi, perinde ac fructus palmitis, qui suum trahit succum à vite, resultat ad magis deprædicandam vitis fœcunditatem, sicut enim nihil detrahitur de gloria vitis, si palmites ipsius multum fructum afferant, ita neque detrahitur quidquam Christo, & ejus meritis, ex eo, quòd justi per bona opera mereantur de condigno vitam æternam, cum totam virtutem & efficaciam accipiant ex meritis Christi, qui nobis impertitur per merita sua gratiam, & spiritum charitatis, quo opera facimus, quæ ita sint justa, ut iisdem à justo Judice debeatur corona justitiæ. Neque justorum merita requiruntur ad supplendam insufficientiam meritorum Christi, sed ob maximam eorum efficaciam, siquidem meruerunt merita & opera Christi apud Deum omnipotentem non solùm, ut salutem consequeremur, verùm etiam, ut eam per merita propria consequeremur, sivè quod idem est, non solùm salutem, verùm etiam virtutem merendi nobis meruerunt. Quamobrem non nos debemus gloriari de bonis operibus nostris, sed tota gloriatio nostra in Deo, & Christo esse debet, ut ait Apostolus, *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, quia opera nostra non tam nostra sunt, quàm gratia Dei, & hoc pacto gloriabatur Apostolus 2. *Corinth.* 11. cum dixit, *bonum certamen certavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.*

Sed instant, quia si operibus nostris esset debita vita æterna in mercedem, quia Deus id pacto suo & promissione firmavit: pari pacto censeretur peccatorum condonationem & justificationem, quia Deus etiam hanc promisit, & pactus est, *quoties ingemuerit peccator, omnium peccatorum ejus non recordabor amplius*; & *Isaia* 1. *Lavamini, mundi estote, si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur*: Sed non obstante hac promissione, & pacto Dei, adhuc peccator non meretur de condigno peccatorum remissionem, consequenter neque gloriam, cùm in utroque idem pactum antecesserit. Sed contra, quia non omnis promissio constituit rationem meriti vel mercedis, quædam enim habetur ex liberalitate, & misericordia: ut cùm promittimus pauperi eleemosynam, quoties venerit supplex ad januam domus pro imploranda misericordia: & hic quamvis egenus sit, si tamen ad januam nostræ domus non venerit, & potiùs alibi maluerit mendicare, dicendus est non mereri nostram eleemosynam, quamvis illam ei promisimus, eò quia non servaverit conditionem pulsandi ad januam domus; non enim promissio se extendit ad alia, sed alligata est pulsationi januæ, & hæc sola promissio inducit meritum, quia ex conventione facta est, & pacto, quia eatenus erogamus eleemosynam pauperi, quia id fecit, quod nos desideravimus. Ita Deus ex singulari sua benignitate, & misericordia promisit gratis peccatorum condonationem illis, qui verè conversi ad eum pœnitentiam egerint: sed vitam æternam non promisit resipiscentibus, sed operibus justorum *Matth.* 20. *Facta cum operariis conventione ex denario diurno.* Præterea non ob solam conventionem, aut pactum, sed internam etiam dignitatem à Deo beatitudinem æternam promeremur; sed in homine justo, & in statu peccati, ut est qui elicit actum contritionis, antequam recipiat gratiam sanctificantem, nulla existit dignitas, quæ peccati remissionem, & justitiam dicatur promereri, quia quamdiu intelligitur peccatum in homine, est homo inimicus Dei, & non meretur à Deo, de condigno, sed tantùm de congruo ob decentiam, clementiam, & misericordiam, quam Deus vult in ipsam exercere ac conferre suam gratiam sanctificantem, quæ tantum dignificat opera meritoria de condigno.

Neque obstat, quod asserant vitam æternam dari ut hæreditatem filiis adoptivis, & hanc non dari ex merito, sed ex jure deberi. Nam licèt detur ut hæreditas respectu infantium decedentium cum baptismo ante usum rationis, respectu tamen adultorum datur sub duplici titulo hæreditatis, & mercedis, hinc D. Paulus *ad Colos.* 3. *Quæcunque facitis ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Cùm enim adulti sint tantùm filii per adoptionem, & Deus eos adoptaverit cum hac conditione, ut hæreditatem non adirent; nisi priùs observarent ejus mandata, ac justè, & bene operati fuerint, ideo sub utroque titulo simul hæreditatis, ut filiis adoptivis, & mercedis intuitu bonorum operum ipsis impertitur vita æterna. Christus etiam jure hæreditatis debebatur gloria corporis, & exaltatio nominis, & tamen utrumque suis meritis voluit obtinere, *ad Philipp.* 2. scribit D. Paulus: *Propter quod Deus exaltavit illum, & donavit ei nomen, quod est supra omne nomen.*

An verò ad opus de condigno meritorium requiratur supernaturalitas, & influxus charitatis; certum est ad meritum de condigno vitæ æternæ requiri

quiri

quiri, actum elici ab homine viatore existente in gratia, adeo ut per illam constituatur filius Dei adoptivus, contra Michaelem Bacum asserentem *propositione* 16. Ad merendum de condigno vitam æternam sufficere tantum obedire legi divinæ, tametsi obediens non existat in gratia, quando elicit actum observantiæ legis: siquidem hominem existentem in peccato lethali, sive originali, sive personali, non mereri de condigno vitam æternam per ullum bonum opus elicitum in tali statu: definitur in Concilio Trident, *sess. 6. cap. 16.* ubi ait: *Hac igitur ratione justificantis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo servaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono*, & infra subdit: *Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona ipsorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur; & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possunt.* Ex hisce verbis Concilii expressè infertur, sine virtute & gratia justificante per Christum opera non esse Deo grata, & meritoria de condigno: unde ex Concilio requiritur status gratiæ in operante, ut possit, de condigno vitam æternam mereri.

Ex scripturis ostenditur hæc veritas, ait enim Apostolus *ad Roman.* 8. *Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei: si autem filii, & hæredes, si tamen compatimur, ut & conglorificemur*, ex quibus clarè deducitur, adultum non posse consequi hæreditatem, nisi per merita facta in statu gratiæ, seu elicita à filio Dei adoptivo; ratio itidem est, quia si opera hominis peccatoris mererentur de congruo vitam æternam, posset homo simul esse peccator, & habere jus absolutum ad vitam æternam, quod repugnat, quia cùm peccator ratione peccati dignus sit, ut privetur vita æterna, & opus de condigno meritorium revera sit dignum vita æterna, sequeretur, peccatorem esse simul dignum, & non dignum æterna vita, quod est contradictorium.

Difficultas est, an actus purè naturales virtutum hominis justi, ac filii Dei adoptivi sint meritorii etiam ipsi vitæ æternæ, si non imperentur ab actu supernaturali; & quando imperantur, an sint meritorii tantùm extrinsecè, & denominativè, vel intrinsecè, adeo ut habeant proprium intrinsecum meritum. Et an actus aliorum virtutum supernaturalium, quæ distinguuntur à charitate, sint meritorii, quamvis non imperentur à charitate. Et respondetur ad actum meritorium elicitum ab homine justo non sufficere, si fit purè naturalis, sed requiri, ut sit elicitus, vel imperatus ab aliqua virtute supernaturali, quia ut constat ex Concilio Tridentino: Nullus potest sine auxilio gratiæ ullum habere meritum in ordine ad vitam æternam, quia gratia dignificando actiones eas constituit meritorias vitæ æternæ: sed actus purè naturalis etiam moraliter bonus, potest elici ab homine justo sine auxilio gratiæ; non enim opus habemus gratia actuali ad quemcunque actum bonum naturalem ac facillimum eliciendum; Ethnicus enim naturaliter potest unum vel alterum actum bonum facillimum elicere, ut honorare parentem, salutare amicum, elevare lapsum, dare indigenti unum vel alterum numum, perinde homo constitutus in gratia habituali potest sine gratia actuali elicere eosdem actus, unde cùm non procedant ex gratia actuali, nec ab ulla virtute supernaturali, imò supponantur, actus purè naturales non sunt meritorii vitæ æternæ. Et firmari ex eo potest, quia actus naturales nisi dignificentur per gratiam, non possunt inducere rationem meriti in ordine ad vitam æternam, quia tota ratio meriti oritur ex dignitate, sed actus purè naturales non dignificantur à gratia, quia tametsi eliciantur ab homine existente in gratia, quia tametsi eliciantur ab homine existente in gratia quia tamen non proveniunt ab ulla virtute supernaturali, neque à gratia actuali: gratia habitualis, cum sit accidentalis, non dignificat opera hominis justi eo pacto, quo sanctitas personæ Verbi dignificat opera humanitatis hypostaticè unitæ personæ divinæ: gratia enim habitualis se tantùm habet per accidens ad illos actus, ad quos non influit per habitus infusos, quorum ipsa est radix: secus dignitas personæ in Christo, utpote substantialis non se habet per accidens ad actiones Christi quia hæ sunt semper suppositorum, quo fit, ut persona Verbi hypostaticè uniti humanitati Christi influat moraliter in omnes Christi operationes, quas dignificat, & constituit meritorias, ergo cùm gratia sanctificans, utpote accidentalis, non influat, nec dignificet actus virtutum purè naturales elicitos ab homine justo, sequitur, hos actus non esse meritorios.

Quòd verò actus naturales imperati ab actu supernaturali non extrinsecè & denominativè, sed intrinsecè, sint meritorii habeantque meritum proprium intrinsecum distinctum à merito actus supernaturalis, à quo imperantur, ex eo evincitur, quia electio, quæ est actus voluntatis, haurit suam bonitatem ab intentione bona finis, perinde ac desumit suam malitiam à mala intentione finis: sed quando actus naturalis imperatur ab actu supernaturali, tunc actus naturalis est electio, & supernaturalis intentio, ergo actus naturalis imperatus desumit proprium meritum intrinsecum, & non solùm intrinsecè, & denominativè ab actu supernaturali, non enim bonitas naturalis ita desumitur ex objecto, ut etiam non hauriatur ex circumstantiis, sed quando actus naturalis imperatur ab actu supernaturali, & elicitur ex illius motivo, habet tunc circumstantiam supernaturalem, à qua desumit suam bonitatem, consequenter & dignitatem, quæ est fundamentum meriti, ergo sicut hic actus est intrinsecè dignificatus, ita est etiam intrinsecè meritorius, & non tantùm extrinsecè, & denominativè.

Sed dices, actus naturalis, quantumvis fiat ex imperio actus supernaturalis, nihilominus semper manet entitativè naturalis, ac proportionatus cum præmio supernaturali: siquidem præmium excedit quoad ordinem ipsum actum, nec potest hic proportionari præmio præsertim de condigno; quia, ubi non est proportio, non datur æqualitas, consequenter neque meritum condignum, quia hoc exigit fundari in proportione, & æqualitate. Præterea quia actus quoad entitatem naturalis potest elici à libero arbitrio sine gratia, & prævia notitia fidei: ergo actus naturalis, tametsi imperatus à supernaturali, non habet meritum proprium & intrinsecum, ratione cujus possit esse dignus præmio supernaturali. Rursus quia eatenus actus sunt de condigno meritorii vitæ æternæ, quia sunt supernaturales intrinsecè: sed actus quoad entitatem naturales ex eo, quod sint imperati ab actu supernali, non nisi extrinsecè, & denominativè possunt dici supernaturales unde ad summum sunt tantum meritorii extrinsecè, & denominativè, & non intrinsecè. Demum, quia actus quoad entitatem naturales, non dignificantu per gratiam habitualem: conse-

consequenrer neque per actum imperantem supernaturalem, propterea non possunt esse intrinsecè meritorii, quia meritum fundatur in dignitate intrinseca actus meritorii. Sed hæc non obstant; distinguitur enim primum antecedens actus naturalis quoad entitatem imperatus ab actu supernaturali est improportionatus objectivè cum præmio supernaturali, conceditur, quia præmium est supernaturale quoad entitatem, & excedit ipsum actum qui naturalis est quoad entitatem, unde objectivè, & quoad ordinem non est proportionatus cum præmio supernaturali: verùm est proportionatus ex circumstantia finis intrinseci, quia eo ipso quod actus naturalis quoad entitatem imperatur ab actu supernaturali induit supernaturalitatem, ratione circumstantiæ, seu finis extrinseci sicut actus malus contrahit malitiam, ex circumstantia mala: ita actus bonus naturalis, si sit imperatus ab actu supernaturali contrahit dignitatem, ratione cujus fit intrinsecè meritorius.

Ad aliud, quod addebatur, hos actus naturales posse elici sine gratia respondetur, id falsum esse, quia si sint actus imperati ab actu supernaturali, necessariò eliciuntur cum gratia, quia actus imperans, si sit supernaturalis, supponit essentialiter habitum supernaturalem gratiæ; non enim potest actus supernaturalis elici sine habitu supernaturali, alioquin effectus excederet suam causam, unde tales actus quoad entitatem naturales præsupponunt, in principio elicitivo habitus supernaturales, at quibus elicitur actus imperans, habitus autem supernaturales exigunt radicari in gratia, unde tales actus quoad entitatem naturales, eo ipso quod imperantur ab actu supernaturali, supponunt ipsam gratiam sanctificantem, cùm non imperentur ab actu fidei, & spei, sed ab alio habitu, qui semper nectitur cum gratia sanctificante; soli enim habitus fidei, & spei, manent in peccatore sine gratia sanctificante, quia non destruuntur, nisi per actus infidelitatis, & desperationis: cœteri habitus supernaturales cessant tantùm cum gratia sanctificante.

Ad aliud, in quo dicebatur, actus tantùm supernaturales quoad entitatem esse meritorios, respondetur; præter hos actus dari etiam alios, qui tametsi naturales sint quoad entitatem, quia tamen sunt imperati ab actu supernaturali ratione finis extrinseci & circumstantiæ contrahunt intrinsecam dignitatem, ratione cujus sunt intrinsecè meritorii, adeo ut habent meritum distinctum à merito actus, à quo imperantur, quamvis finis sit extrinsecus meritum tamen est intrinsecum.

Ad ultimum quod addebatur, actus naturales non dignificari per gratiam, respondetur, solam gratiam habitualem non posse dignificare actus quoad entitatem naturales, quia ad illos se habet tantùm per accidens: secus actus supernaturalis imperans transfundit in imperatam dignitatem supernaturalem ex motivo extrinseco, & circumstantia, adeo ut actus, qui secundùm propriam entitatem est naturalis contrahat dignitatem supernaturalem, ac meritum intrinsecum ab ipso actu supernaturali imperante.

Ad ultimam assertionis partem, an actus cœterarum virtutum supernaturalium, quæ distinguuntur à charitate sint meritorii, quamvis à charitate non imperentur, videtur probabilius esse per se etiam meritorios quamvis imperati non sint à charitate, eò quia actus quilibet charitatis sit semper magis meritorius juxta illud Apostoli, *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit, quæ Deus præparavit diligentibus se*: attamen ex scripturis colligitur promissam esse mercedem etiam actibus cœterarum virtutum supernaturalium, & misericordiæ: *Percipite regnum, quod vobis promissum est; esurivi enim &c.* mansuetudini: *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.* Præterea quia scriptura significat, omni operi bona responsurum præmium, ut fatetur Apostolus 1. *Corinth.* 15. *Abundate in omni opere bono scientes, quod labor vester non erit inanis in Domino*; alioquin actibus virtutum supernaturalium non responderet præmium, & vilescerent studia earundem virtutum, unde, cùm actus earundem tametsi imperati non sint à charitate habeant nihilominus bonitatem intrinsecam, sunt intrinsecè meritorii, & habent proportionem cum vita æterna.

Neque obstat, quod Apostolus asserat, nihil prodesse opera bona sine charitate, *etsi distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem tamen non habuero, nihil mihi prodest*; quia ex hoc & aliis similibus testimoniis tantùm colligitur; charitatem præcipuè inter reliquas virtutes esse meritoriam, & sine ipsa actus cæterarum virtutum non esse meritorios. Hinc quamvis in peccatore maneant habitus fidei, & spei juxta definitionem Tridentini, actus tamen horum habituum non sunt in peccatore meritorii, defectu & habitus charitatis & gratiæ in quo sensu dixit Apostolus sine charitate nihil prodesse bona opera.



LIBER

# LIBER SEPTIMUS.

## De ſtatu Religioſo, & cœlibatu.

DE nominatione religioſi à virtute deſumitur religionis, quæ Deo cultum debitum, obſequium & honorem exhibet, et illi homines, qui divino cultui ſpecialiter ſunt addicti, vocantur religioſi: preſſius tamen & magis propriè, & per quandam antonomaſiam religioſi in eccleſia ii dicuntur, qui non ſolum communi obſervantia præceptorum, ſed etiam peculiari vitæ inſtituto, nominatimque tribus votis paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ ſe totos divino cultui manciparunt; hi enim Dei cultores propriè dicuntur religioſi, quorum plures ſunt ordines, qui differunt per particularia inſtituta, & conſtitutiones, quibus debitum obſequium Deo præſtant; & exterius etiam habitu ac verſibus diſtinguuntur. Monachi itidem vocari conſueverunt, eo quia è negotiis curiſque ſecularibus abſtracti uni & ſoli Deo placeant, cui inſerviunt.

## CAP. I.

### Vitæ Religioſæ inſtitutum pium eſt, & commendabile.

SEctarii, præſertim Calvinus *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 13. Lutherus, Philippus Melanchthon, & alii inſtitutum religioſorum execrantur, & impugnant, eò quia religioſi præter communem divinorum præceptorum obſervantiam aliquid aliud profiteantur præſtare Deo in majus ejus obſequium, quod non eſt ab ipſo præceptum, ſed tantum opus ſit Conſilii & ſupererogationis. Putant enim Sectarii à Deo nobis imperatum eſſe quidquid boni præſtare poſſumus, imò, & plus etiam quam poſſumus, adeo ut aliqua Dei præcepta dicant eſſe obſervatu impoſſibilia, ideoque nullum opus noſtrum poſſe cenſeri opus ſupererogationis. Rurſus, quia religioſi ad hæc opera ſupererogationis voti religione ſe obligant, ut magis Deum colant, quæ vovendi religio apud Sectarios vana cenſetur, & ſuperſtitioſa, præſertim ſi vota emittantur ea intentione, ut per ea Deus colatur; arbitrantur enim eſſe ſuperſtitionem, & idololatriam exhibere Deo cultum, qui à Deo in ſpecie non eſt præceptus, ſicut non præcipiuntur vota religioſa, & opera ſupererogationis. Demum quia nominatim religioſi vovent paupertatem, obedientiam, & caſtitatem, quæ pia vota dicunt eſſe ſuperſtitioſa, & temeraria. Ex antiquis Hæreticis Ariani inſtituta religioſorum fuerunt inſecuti, ut teſtatur D. Athanaſius in *vita S. Antonii*, & Ruffinus *lib.* 11. *hiſtoriar. cap.* 3. Imò etiam Donatiſtæ, ut refert D. Auguſtinus *lib.* 3. *contra Petil. cap.* 40.

Sed contra hos Sectarios probatu facilè eſt inſtituta religioſorum pia eſſe ac laudabilia, & antiquiſſima quæque plurima Sanctorum virorum præclara exempla dederunt. Antiquitas religioſorum conſtat ex ſcriptura veteris teſtamenti, etenim Enoch filius Seth legimus ſtuduiſſe cultum Deo deferre, ac debita ipſi exhibere obſequia *Genes.* 4. *Iſte cœpit invocare nomen Domini*, imò nec ipſe primus fuit, à quo inceperit ratio colendi, & invocandi Deum, quia ante ipſum primus homo Adam, & Abel primus ejus filius Deum invocârunt, cùm Abel meliores victimas in ſacrificium ei obtulerit. Rurſus Enoch ſingularem cultum Deo adhibuit, cum ſcriptura aſſerat *Geneſ.* 5. Eum ambulaſſe cum Deo, & ultra non apparuiſſe, quoniam tulit eum Deus: ut argumentatur Beda. Nazaræos itidem votis peculiaribus Dei cultui ſe mancipaſſe habetur *Numer. cap.* 6. & *lib.* 1. *Reg. cap.* 10. & 19. ut etiam *lib.* 3. *cap.* 18. & alibi commendatur, & laudibus pluribus excipitur Prophetarum cœtus, eò quia divino cultui in locis deſertis, & ab hominum frequentia remotis, addicti eſſent, & vitæ auſteritate Deo inſervirent, ut patet de Eliſæo. 3. *Reg.* qui relictis parentibus, rebus omnibus temporalibus unà cum Elia ſeceſſit in Eremum, & ipſe Elias ſpeciali habitu ac zona pellicea ſuccinctus vitæ religioſæ inſtitutum profitebatur; hinc ait D. Hieronymus *Epiſt. ad Paulin. Monach. ut ad ſcripturarum authoritatem redeamus, noſter princeps eſt Elias, noſter Eliſæus, noſtri duces filii Prophetarum, qui habitabant in agris, & ſolitudinibus.* Plures etiam alii recenſentur in Veteri Teſtamento, qui religioſum ſuſceperunt inſtitutum ut arctiùs Deo adhæreat cui ferventiùs inſervirent, ut fuerunt filii Rechab, quorum meminit Jeremias *cap.* 30. ubi eos laudat: hi enim præter communem obſervationem legis, divino cultui ſe addixerunt, & perplura opera ſupererogationis Deo placuerunt,

cuerunt, abstinebant enim in haustu vini, ab usu conjugii, & exactam suis majoribus præstabant obedientiam, adeo ut Joannes Jerosolymitanus *lib.* 4. *de instit. primorum Monachor. cap.* 8. non dubitaverit eos Monachos seu religiosos appellare; & Josephus *lib.* 18. *antiquit. cap.* 2. & *lib.* 4. *de bello Judaico cap.* 7. plura refert mira, & pia ac plura dedisse exempla virtutum.

In Novo itidem Testamento extat exemplum Apostolorum, qui, ut habetur *Matth.* 18. peculiari studio perfectionis præter communem observationem mandatorum se Christo servire instituerunt, ac plura ediderunt opera supererogationis, quibus exactiùs Deo inservirent, Petrus enim Apostolorum Princeps dixit Christo: *Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* relinquere autem omnia cùm non præcipiatur nobis à Deo, procul dubio est opus supererogationis, unde Apostoli præter observantiam præceptorum testantur, se quid amplius egisse, quam egerit Juvenis ille, qui dixit Christo se servâsse mandata à juventute sua, unde nulli dubium, quin Apostoli institutum susceperint religiosum, quo arctius Christo adhærerent, ac Deo inservirent, tum quia cum reliquis perfectioribus fidelibus habuerunt omnia communia, ut colligitur ex *Act. Apostolor. cap.* 4. & 5. Hinc D. Petrus punivit Ananiam, cum de pretio agri venditi fraudâsset verbis illis: *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* Id est licuisset quidem Ananiæ de suo agro disponere, prout ipsi magis placeret, nisi se voti religione rerum humanarum proprietate abdicâsset: Hinc Sa. .i Patres communi consensu affirmant, institutum religiosorum esse Apostolicum, & Cassianus *collat.* 18. *cap.* 5. ait: *Cœnobitarum disciplina à tempore prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium;* & D. Augustinus *in Psal.* 132. agens de Monachis asserit ad eam devenisse unitatem, & dilectionem fraternitatis Apostolorum, & fidelium, quæ describitur in Actis. Cæterum quod D. Thomas 22. *quæst.* 187. *art.* 3. asserat religiones non fuisse institutas tempore Apostolorum, id intelligitur, ut notat Caietanus, quoad ritum, & cæremonias, quibus postea malè distingui cæperunt: Cæterum quoad religionem voti, & studium majoris perfectionis floruit institutum religiosum tempore Apostolorum, & in primitiva Ecclesia fuisse religiosorum instituta, refert Philo Judæos *lib.* 2. *histor. cap.* 17. & 16. *de vita contemplativa supplicum;* tales enim vocabantur olim religiosi, ut etiam apud Eusebium *lib* 2. *hist.* narrat idem Philo, sanctè fuisse instituta monasteria sacrarum virginum, & virorum à D. Marco Alexandræ, qui profitebantur continentiam paupertatem, jejunia, & psalmodiam, & Philonem loqui de Christianis Monachis seu religiosis testatur Epiphanius *hæres.* 29. & Philo. *lib. de Eccles. Hierarch. cap.* 6. unde ex his testimoniis constat, institutum religiosorum antiquissimum esse, & solemniter mentiri Centuriatores, & alios Sectarios asserentes, incepisse tantùm in ecclesia Monachatum 4. sæculo post Christum, siquidem sunt testes antiquiores, ut Philo, Tertullianus, Cyprianus, & alii, qui floruerunt ante quartum sæculum, & instituti religiosi meminerunt, etenim Tertullianus librum scripsit de velandis Virginibus, ubi ait, *quod Christo nupserint & tradiderint carnem suam.* Scilicet voverint continentiam, & castitatem. Cyprianus itidem scripsit librum de habitu virginum, quæ profitebantur tempore suo religiosum institutum. Præterea Christus plurimum commendat religiosorum institutum, quod propterea non est superstitiosum, ut illud vocant Hæretici, Religiosi illi dicuntur, qui specialiùs perfectioni Christianæ student, præsertim per paupertatem, castitatem, & abnegationem propriæ voluntatis, seu obedientiam, & charitatem fraternam, quæ omnia Christus non solùm approbavit, ut pia, verum etiam consuluit, ut magis conducibilia ad salutem, etenim paupertatem, & castitatem commendat *Matth.* 19. & obedientiam superioribus, *Matth.* 16. Unde perperam tria religiosorum vota improbant Hæretici cum eadem approbata fuerint, imò & laudata à Christo, adeo ut D. Chrysostomus *homil.* 17. *ad populum*, vitam religiosam vocet philosophiam à Christo introductam.

Est igitur institutum religiosorum vitæ genus inter Catholicos arctioris, ac sublimioris, quam ut lex divina vel humana præscribat, & liberè ab hominibus eligitur, & omnino spontaneè cum voto perpetuæ observationis: hinc Christus suasit adolescenti cupienti perfectioni studere, ac virtutes exercere, ut venderet omnia, & distribueret pauperibus, & ipsum sequeretur *Matth.* 19. *Marc.* 10. *Luc.* 18. *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me, & habebis thesaurum in cœlo,* quibus verbis normam tradidit religiosi instituti, quod profitetur exercitia virtutum, ac perfectionis ad apicem pervenire. Monachi enim perinde dicuntur, ac religiosi, ait D. Dionysius *lib.* 6. *Hierarch. Eccles. Quod rebus divisibilibus relictis Monadi, id est divinitati soli placere contendant, ipsique soli per contemplationem inhæreant.* Hinc religio, seu Monachismus, definiri potest status hominum ad perfectionem Christianam per vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ tendentium, prima tamen perfectio consistit in charitate, quia perfectio unius cujùsque rei in eo potest posita, ut fini suo ultimo arctissimè copuletur, & finis hominis est ipse Deus, cui per charitatem homo arctissimè adhærescit: & unitur; 1. *Joan.* 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo,* & Apostolus *ad Colos.* 3. ait: *Charitas est vinculum perfectionis*, seu vinculum, quod hominem Deo ligat, & perfectum facit, ut explicat D. Chrysostomus, est vinculum, quod ligans, & continens in homine omnes virtutes ipsum constituit perfectum, quia sicut spiritus humanus ligat, & continent omnes humores, & partes alioquin dilapsuras, ita Spiritus Sanctus per charitatem corda hominum inhabitans omnes continet virtutes, quæ alioquin facilè evanescerent, hinc D. Paulus 1. *Corinth.* 13. ait: *Charitas patiens est, benigna, non æmulatur, &c.*

Gradus verò charitatis ex D. Thoma *opusc. de perfect.* quatuor sunt, quibus respondent totidem gradus perfectionis. Perfectum enim illud dicitur, cui nihil deest in ordine ad aliquem finem. Primus igitur gradus charitatis est diligere Deum, quantum est diligibilis, scilicet infinito amore, qui gradus soli Deo convenit qui propterea est infinitè perfectus. Scundus gradus est diligere Deum, non quantum est diligibilis in se, sed quantum potest creatura Deum diligere, adeo ut sine intermissione in eum semper feratur per purum affectum, & de ipso cogitet in hoc gradu versantur beati in cœlesti patria. Tertius gradus est diligere Deum, non quantum est in se diligibilis, nec quantum potest creatura quælibet absolutè diligere, sed quantum potest creatura mortalis, quæ à se omnia impedimenta divini amoris, & se totam divinis mancipavit obsequiis, & qui versantur in hoc gradu sunt imperfecti respectu beatorum, & per-

& perfecti respectu aliorum hominum etiam justorum, & de hoc gradu perfectionis loquuntur Doctores asserentes statum Episcoporum esse statum perfectorum, seu adeptæ perfectionis, & statum religiosorum esse statum acquirendæ perfectionis; siquidem id interest discriminis inter Episcopos, & religiosos, quia religiosi non tenentur statim esse perfecti, sed aspirare ad perfectionem: siquidem versantur in exercitiis virtutum conducentium ad perfectionem, & in remotione impedimentorum: sed Episcopi tenentur esse perfecti, ac pervenisse jam ad eum gradum charitatis, ad quem religiosi per sua propria exercitia tendunt. Quartus gradus est, diligere Deum, non quantum in se est diligibilis, sed quantum potest creatura in hac vita Deum diligere, sed ut nihil æquè ac magis, quàm Deum diligat, adeo ut amorem Dei præferat amori cujusvis alterius rei, & nihil admittat, quod opponatur huic divinæ dilectioni, nec ei sit impedimentum, & hic gradus injunctus est omnibus, & quandam habet perfectionem, quamvis respectu præcedentium graduum sit imperfectus negativè quatenus non habet tantam perfectionem, quanta cœteris inest gradibus: hinc Christus, cum dixit adolescenti Luc. 18. *Si vis perfectus esse vade, & vende omnia, & sequere me*: loquitur de hoc quarto gradu media conducentia ad hanc perfectionem acquirendam esse tria religiosorum vota paupertatis continentiæ, & obedientiæ; etenim, ut quis perfectè Deum diligat, debet se totum Deo tradere, ac excludere omnia impedimenta, & utrumque consequitur homo per recensita tria vota: siquidem tradunt, se totos Deo, seu corpus, & membra omnia per votum continentiæ. Rursus tradunt, etiam omnia sua desideria, & animam ipsam per votum paupertatis, & tandem propriam voluntatem, totumque animum tradunt Deo per votum obedientiæ, quapropter per has virtutes paupertatis continentiæ, & obedientiæ omnia removentur impedimenta, quia, ut ait Apostolus 1. *ad Timoth.* 6. *Radix omnium malorum est cupiditas*, perinde ac charitas est radix omnium bonorum, ut ait Augustinus *serm.* 12. *de verb. Domini*, & omnis mala cupiditas ad tria solet capita revocari, scilicet ad luxuriam, avaritiam, superbiam, ut significat, *Joan.* 1. *cap.* 2. *Quidquid est in mundo aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum aut superbia vitæ.* Ratio itidem hoc evincit, quia in homine duplex datur appetitus concupiscibilis, & irascibilis, ille appetit bonum absolutè, iste bonum arduum: rursus ille duplex est, naturalis, & animalis, ille appetit ea bona, quæ sunt necessaria ad conservandam naturam tam in individuo ut cibum, & potum, quàm in specie, ut actum generationis, & hic appetitus si sit inordinatus dicitur incontinentia, & à Joanne 1. *cap.* 2. *concupiscentia carnis*, appetitus animalis dicitur, quo appetimus ea, quæ sunt bona secundum hominum existimationem, cujusmodi sunt pecuniæ, vestes, gemmæ, picturæ, & alia iis similia, quæ non appetuntur à brutis, quibus non inest appetitus nisi naturalis, & hic appetitus. cùm est inordinatus dicitur avaritia, vel curiositas, & à Joan. 1. *cap.* 2. vocatur, *concupiscentia oculorum.* Demum alius appetitus in homine est irascibilis, qui appetit excellentiam, quæ apprehenditur, ut res maximè ardua, & quando est inordinatus dicitur à Joan. *loc. cit. superbia vitæ.* Has igitur tres species impedimentorum arcent, & excludunt religiosi per tria emissa vota paupertatis continentiæ, & obedientiæ; paupertas enim excludit concupiscentiam oculorum, continentia concupiscentiam carnis, & obedientia superbiam vitæ. Cæterum hæ virtutes non sufficerent, nisi iisdem accederet votum, sacra promissio facta Deo, se eidem mancipandi per exercitia talium virtutum, & quidem perpetuo, quia religio est status significans rem immobilem permanentem, & perpetuam, hinc plures religiosi sunt quidem in statu perfectionis non tamen ipsi sunt perfecti.

Quod verò ad genera pertinet religionum D. Thomas distinguit religiones juxta fines, ad quos instituuntur, & cùm omnis religio referatur ad perfectionem charitatis, & tribus modis possimus diligere, eique servire per contemplationem eum diligendo, per actionem Deo in membris ejus mysticis serviendo, ut si nutriamus pauperem, suscipiamus peregrinum, sublevemus miserum &c. & per utrumque simul obsequium Deo præstemus, seu per contemplationem prodeuntem in actionem, seu per actionem, quæ necessario requirat contemplationem, ideo tria dicuntur esse genera religionum; unum est earum, quæ solam vitam contemplativam profitentur, & hoc genus in plures species dividitur, juxta varias constitutiones & regulas, quas sequuntur: siquidem aliæ religiones sequuntur instituta Sancti Antonii, aliæ Bachomii, aliæ S. Benedicti, vel S. Romualdi, vel S. Brunonis. Aliæ sunt religiones, quæ profitentur vitam activam, quæ in tot formas dividitur, quot sunt opera charitatis, quidam enim militando, & Ecclesiam armis protegendo Deo serviunt, cujusmodi sunt Ordines Equestres S. Joannis Jerosolymitani, qui dicuntur Equites Melitenses S. Jacobi, & alii. Aliæ religiones profitentes vitam activam se exercent, in curandis ægrotis in Xenodochiis, aliæ in sepeliendis mortuis; sunt etiam aliæ religiones profitentes vitam purè activam, quæ in proximos exercent charitatem, & benevolentiam, ac præstant in hoc etiam Deo gratum obsequium. Tertium genus est earum religionum, quæ profitentur vitam justam, ex vita activa & contemplativa, & hoc genus in plures etiam dividitur species; plures enim religiosi sequuntur regulam S. Augustini, alii S. Dominici, vel S. Francisci. Neque hæc religionum varietas est in Ecclesia nova, quia etiam in primitiva Ecclesia fuit, & quidem perquam utilis, quo pacto D. Augustinus in suo Episcopatu religionem instituit Clericorum, & Canonicorum Regularium, ut ipse scribit, *in duobus sermonibus de communi vita Clericor.* Ut etiam hujus varietatis meminit Cassianus. Et in hisce religionibus plures fuisse ac varias constitutiones, & ritus, docet Epiphanius *in fin. lib. contra hæres.* ubi ait: quosdam Religiosos ex instituto sui Ordinis abstinuisse ab esu carnium, & alios ab ovis, imò etiam piscibus, & ab haustu vini, rursus alios solam lanam induisse absque linteo, indusio, alios nudis pedibus incessisse, alios sandaliis, & alios ciliciis usos fuisse, neque hæc varietas obest Ecclesiæ, sed illi magis prodest, eò quia quilibet aspirans ad perfectionem posset, illud religiosorum institutum eligere, quod propriæ naturæ est magis consentaneum; non enim pares sunt omnibus vires corporis, & aliisenim sunt aliis delicatiores, ac imbecilliores, impares rigorosæ vitæ sustinendæ; animi etiam affectus sunt diversi, unus enim diligit solitudinem, & secessum, alius gaudet hominum frequentia, unus libenter orat, alius propensior est ad operandum. Quòd si non esset hæc religionum varietas in Ecclesia, perrari mundo renuntiarent, & divinis se obsequiis manciparent.

In hisce religionibus tempus etiam datur probationis, seu definitur Novitiatus, ut cupientes vitam religiosam suscipere priùs probent regulas, & totum institutum, antequam illud profiteantur, & di-

& dicitur D. Basilius primus omnium instituisse hoc tempus probationis per annum integrum, quo exspirato religiosi regulam solemni voto profiterentur, & regulas, ac constitutiones instituit accommodatos moribus efformandis, ac divino cultui ritè servando, ut etiam pro victu, & vestitu regulari, ut etiam pro corrigendis delinquentibus, & tantâ prudentiâ, ac utilitate pro animæ salute hæc omnia ordinavit, ut olim fere omnia Monasteria iisdem regulis, & constitutionibus uterentur, ut etiam hodie plura monasteria, imò ferè omnia in partibus orientalibus regulas D. Basilii servant Religiosi, qui & Basiliani nuncupantur, & refert D. Gregorius *in orat. pro Basilio*, eum ordinâsse, ut Monasteria in suburbiis seu non longè à civitatibus ædificarentur ad solamen sæcularium, ne Monachi sibi ipsis tantùm viverent, sed exemplo virtutum, & operibus charitatis proximos juvarent, & cùm per totum Orientem essent Monasteria Religiosorum ita instituta etiam in occidente cœperunt Religiosorum Monasteria ædificari, & regulæ ac constitutiones præscribi servandæ à viris religiosis. D. enim Augustinus, *lib. 8. Confess. cap. 6.* refert, se Mediolani vidisse Monasterium, cui S. Ambrosius annonam necessariam suppeditaret, & idem Augustinus in Africa plura hominum, & mulierum fundavit Monasteria ut narrat Possidonius *in ejus vita*, quin imo antequam ad Insulas Hypponenses assumptus fuisset, Monasterium ædificavit in sylva, ad cujus imitationem plura alia fuerunt erecta. Sæculo quinto S. Benedictus religiosorum institutum laxius propagavit, per totum occidentem, & per singulos fere mundi partes: initium posuit suo Ordini in monte Cassino circa annum Christi 520. & tanto progressu, ut brevi tempore per suos discipulos totum fere orbem illustraverit. Romæ institutum Monachorum dicitur fundasse Athanasius anno 340. & Ecclesiam Romanam imitatæ postea fuerunt aliæ Ecclesiæ per totum occidentem, ut scribit Sanctus Hieronymus *epist. 15. ad Principiam* agens de S. Marcella Nobilissima Romana, quæ prima ad Evangelicæ perfectionis apicem gradus paravit, pro virginibus & viduis disciplinam Cœnobiticam aperuit. Hoc insuper Romana Ecclesia præ cæteris præstitit, quia intra urbem, & in suburbiis haberi cœnobia Monachorum voluit, quod postea aliæ Ecclesiæ imitatæ sunt, ut nimirum Monachi non solùm exemplo sæculares juvarent, sed etiam prædicatione, & Sacramentorum administratione, imò Liberius Papa Sanctorum Monachorum diligenter quæsivit institutum, quod conjungere studuit vitæ clericali, quod vitæ genus suscepit S. Martinus Episcopus Turonensis, & transvexit in Galliam.

Verum tamen est, quod olim à Monachis vota non emitterentur, cum tanta solemnitate, & expressione sicut hodie, adeo ut is tantùm interpretativè censeretur obligatus paupertati continentiæ, & obedientiæ, qui monasticum suscepisset institutum, ut notat Plato, *lib. 2. cap. 21.* Sicut hodie etiam nonnisi interpretativè dicuntur obstricti voto continentiæ, qui ad sacros Ordines admittuntur; is enim interpretativè censetur castitatem profiteri, qui sacros Ordines suscipit, & ita colligitur, *ex epist. 2. S. Basil. ad Amphil.* ubi habetur, Monachos cœlibatum interpretativè tantum sine expressione solitos fuisse profiteri, donec ipse Basilius id expressis verbis ordinaverit.

Et quamvis Hæretici, præsertim Marcus Antonius de Dominis *lib. 2. cap. 11. n. 1. & sequent.* negent: Votum continentiæ annexum esse sacro ordini, eò quia votum sit promissio facta Deo, & promissio sit actus perfectè liber, & voluntarius in promittente, qui actus non potest esse annexus sacro ordini, quia hic est tantùm externa ceremonia & Ecclesia non potest efficere, ut externa ceremonia necessario annexum habeat liberum & voluntarium actum, quo quis Deo promittit continentiam, quamvis possit exigere, ab aliquo, ut talem actum eliciat, non tamen potest efficere, ut talis actus per se sit annexus externæ ceremoniæ. Sed contra, quia Catholici non dicunt hujusmodi actuale, & expressum votum continentiæ esse sacris ordinibus annexum, sed asserunt clericos ex præcepto Ecclesiastico obligatos esse ad continentiam, adeo ut hæc obligatio per præceptum Ecclesiæ annexa sit sacris ordinibus, & vocetur votum continentiæ non quidem explicitum, & expressum, sed tantùm implicitè & virtualiter, quatenus clericus, qui vult hujusmodi obligationem in se suscipere, qui sacris initiatur Ordinibus: si liberè vult suscipere sacros ordines, censetur etiam liberè consentire in hanc obligationem continentiæ, quæ sacris est Ordinibus annexa.

Instant tamen Hæretici hoc votum ita descriptum non obligare coram Deo, si non adsit internus animus vovendi, adeo ut qui suscipit sacros ordines sine interno actu vovendi continentiam non sit ad hanc obligatus. Contra est, quia tametsi votum non obliget sine actu interno vovendi: qui tamen suscipit sacros ordines interno hoc actu vovendi, quamvis non obligetur ad continentiam vi ipsius voti, quod nullum supponitur esse, obligatur tamen ad continentiam vi præcepti Ecclesiastici ad eam obligantis omnes suscipientes Sacros Ordines, qui propterea non possunt uxores ducere.

Quòd si dicas, plures olim invitos fuisse ad Episcopatum, vel Presbyteratum pertractos, ut Ambrosius, Augustinus, Paulinus, & alii, qui non habuerunt actum internum liberum, & voluntarium servandi perpetuam continentiam. Contra est, quia tametsi non libenter fuerunt assumpti ad Episcopatum, vel Presbyteriatum, inde tamen non sequitur invitos servâsse continentiam, quia ipsi tantùm inviti susceperunt dignitatem, qua indignos se arbitrabantur. Cœterum quia non recusârunt labores annexos dignitati, ita nec recusârunt obligationem continentiæ annexam tali ordini; est enim distinguenda duplex voluntas, una, suscipiendi dignitatem Ecclesiasticam, & altera servandi continentiam, quæ cum tali dignitate connexa est, & hæc posterior fuit ipsis omnino libera, & expedita, tametsi prima aliquo pacto extorta.

Cæterum si Clericus constitutus in sacris resiliisset à cœlibatu reus lethalis peccati habebatur: nuptiæ tamen, quas iniret, validæ, & indissolubiles primis illis temporibus censebantur, ut testantur Cyprianus, *epist. ad Pomonium*, & D. Hieronymus *in epist. ad Demetriad.* uterque enim loquens de Monialibus ægrè ferentibus continentiam, illis suadet nuptias, quæ si cum dispensatione Episcopi fierent, censerentur legitimè, & absque culpa; hinc D. Augustinus eos refutat, qui tales audebant nuptias damnare, & Gelasius Papa anno 492. hortatur quidem Moniales, ne primam fidem irritam faciant, non tamen eas adigit, ut à contractis resiliant nuptiis, nec matrimonium dissolvant. Quòd si Innocentius I. qui vixit tempore Augustini, imò & Concilia aliqua etiam definierint matrimonia contracta à Monialibus professis esse dirimenda, id tantùm fuit loco pœnæ, & ut separatio tantum fieret à thoro,

non verò à vinculo matrimonii. Primus ex Pontificibus, qui utriusque sexus regularibus professis irritum, & invalidum edixit matrimonium fuit Innocentius II. per speciale decretum, quod tamen universalis Ecclesia non statim admisit, sed postea illud suscepit. Hinc D. Basilius convincit sacrilegii reum, qui semel Deo consecratus per solemnem religiosam professionem aliud vitæ genus fuisset amplexus: ut etiam D. Chrysostomus arguit Theodorum Monachum voti castitatis reum; & Ambrosius monet Virginem lapsam, quòd ei non liceat matrimonium inire citra adulterium, qua propter constat, quòd semper fuerit illicitum, ac criminosum matrimonium initum à viro religioso, & per solemnem professionem Deo mancipato.

Quòd si quæres, quid sit votum, & quid requiratur, ut votum religionis sit solemne. Respondetur votum esse *diliberatam, & voluntariam promissionem factam Deo de meliori bono:* dicitur, *deliberata*, quia ad votum necessaria est deliberatio, quæ sufficit ad peccatum lethale: hinc votum emissum in primo motu, in quo nulla est deliberatio, nec libertas, vel etiam in secundo primo, in quo est deliberatio tantùm imperfecta, & sufficiens tantùm ad committendum veniale, irritum est ac nullum. Dicitur etiam *voluntaria*, & ad id duo requiruntur, scientia objecti, circa quod versatur, & libertas, hinc actus ex ignorantia factus vel etiam per vim & metu extortus non est voluntarius, nec esse potest votum, quo pacto vota infantium invalida sunt ex defectu sufficientis scientiæ, & quia carent discursu. Rursus requiritur, *promissio*, quia tametsi aliquis proponeret ex toto animo aliquid facere, adhuc non teneretur, nisi hoc idem promitteret, eatenus enim votum obligat, quatenus accedit promissio, & eodem modo obligat, quo promittendo voluit se obligare: dicitur *promissio facta Deo*, ubi nomine Dei intelliguntur etiam Sancti, qui peculiari modo sunt Deo conjuncti ultima particula est, ut votum sit, *de meliori bono*, hæc enim particula determinat materiam voti, ut prima sit possibilis, votum enim de re impossibili nullum est. Rursus materia voti debet bona esse, quia si sit nulla, vel indifferens votum non tenet in dubio tamen an sit bona vel mala, non potest vovens contra id, quod vovit, operari sine legitima dispensatione, vel interpretatione Pontificis, qui declarat, an Deus tale votum acceptaverit, rursus debet esse de bono meliori, hoc est, cum quo majus bonum non sit incompossibile. Hinc votum contrahendi nuptias non valet, quia matrimonium impedit cœlibatum, quod est majus bonum; posset tamen esse validum, si alicui ob proclivitatem in venerem cœlibatus esset moraliter impossibilis.

Id differt autem votum simplex à solemni religionis, quia votum simplex consistit in sola promissione voventis facta Deo, secus ad votum solemne plura requiruntur, quæ à Bonifacio VIII. exhibentur, *can. unic. de voto, & voti redempt. in 6.* ubi ait: *Illius Religionis votum est solemne quantum ad dirimendum matrimonium postea contractum, quod solemnizatum fuit, per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam, factam alicui de Religionibus per sedem Apostolicam approbatis:* unde ad votum solemne requiritur solemnis professio, quæ, cùm præexigat susceptionem habitus, & annum probationis, & admissionem ab eo, qui potest incorporare religioni, si hæc non adsint, nulla est professio, nulla solemnitas voti, ut etiam fremittatur in religione non approbata. Hinc votum solemne supra simplex addit acceptationem per superiorem, vel per substitutum ab eodem ex parte Dei.

Hæretici tamen asserunt, votum simplex, & solemne esse unum ac idem votum essentialiter & ejusdem valoris ac obligationis, quod quàm falsum sit; liquet, ex utriusque præexpensa definitione, ajunt enim votum ex solemnitate nihil acquirere, quod essentialiter, cùm simplex esset, non haberet, quod est falsum, quia votum solemne superaddit simplici acceptationem per superiorem, vel ab eo substitutum ex parte Dei, quæ acceptatio non requiritur ad votum simplex, quod est simplex promissio voventis, & non acceptatio ab alio loco Dei, hinc falsò etiam asserunt, votum simplex & solemne non aliter differre, quàm quod alterum sit externum, & alterum internum, adeo ut votum simplex internum sit, & solemne externum, ac manifestatum, dicunt differre internum, & externum perinde ac conceptum, ac probatum cogitatum, & explicatum, quæ doctrina est contra communem Theologorum sententiam, quia votum solemne, ut diximus, superaddit simplici acceptationem per superiorem, vel ab eo substitutum ex parte Dei, tum quia solemne habet vim dirimendi matrimonium postea contractum.

Rursus asserunt, votum solemne, seu externam voti professionem plus Ecclesiæ obesse, quàm prodesse; ait enim Marcus Antonius, *lib. 2. cap. 18. de Monach. num. 29. si quis ex me quærat, plùsve profuerit, an obfuerit vera religioni externæ professionis hæc additio, dicam ei, apud me clarum esse, longè majus esse detrimentum inde secutum, quàm emolumentum:* Hæc assertio falsissima est contra experientiam, & contumeliosa sacris ordinibus qui plurimum boni quovis tempore contulerunt Ecclesiæ, neque sunt alii qui nervosiùs defendant Ecclesiam, quàm viri religiosi, qui oppugnant hæreses scribendo, disputando, concionando. Ipsi enim fundamenta, & simul ornamenta fuerunt Ecclesiæ; si enim perpendatur, quid sola religio S. Benedicti præstiterit, in emolumentum Ecclesiæ statim constabit, religiosa instituta plurimum profuisse Ecclesiæ, suum enim D. Benedictus ordinem initiavit in monte Cassino circa annum 520. & brevi tempore per suos discipulos Galliam per Maurum, Italiam per Placitum, & alia Regna, ac Provincias per alios quos refert Trithemius agens de propagatione Benedictinorum suo tempore, ubi notat hunc solùm ordinem habuisse monasteria quindecim millia & amplius, & Volaterranus suo tempore, ex eodem ordine numeravit Pontificis 24. Cardinales 200. Archiepiscopos 1600. Episcopos 4000. Abbates scriptis celebres quindecim millia septingentos, Sanctos Canonizatos quindecim millia sexcentos, & fuit hic ordo ab imperio Justiniani usque ad Conradi I. tempora sub una primæva regula per annos 400. adeo ut circa annum Christi 909. in plures regulas subdivisus fuerit, quarum prima fuit Cluniacensis anno 913. Hinc liquet, quàm falsò asserat, Marcus Antonius externam voti professionem, ac religiosos professos plus Ecclesiæ obesse, quàm prodesse. Cæterum quod plures è sacris ordinibus apostataverint, ut Lutherus, Buccerus Petrus Martyr, Pellicanus, Occhinus, & Oecolampadius magnum quidem detrimentum fuit, sed eorum perfidiæ adscribendum, imò hoc idem detrimentum obfuit quidem Hæreticis, qui infeliciter animam perdiderunt, sed pro-

fuit Ecclesiæ, qui viros omni doctrina insignes excitavit ad errores illos impugnandos. Dicunt duos esse effectus voti solemnis, qui plurimum adferunt Ecclesiæ detrimenti; ait enim Marcus Antonius, *loc. cit. num.* 37. *duo sunt præcipui effectus voti solemnis, quos nostri Romanæ Doctrinæ Theologi ponunt, & defendunt, & tamen sicut novi sunt, & olim in Ecclesia inauditi, ita multas inducunt in Ecclesiam turbationes & multa incommoda, atque animarum damna non contemnenda. Alter enim affectus est inhabilitatis ad matrimonium; alter verò Apostasia, si monasterium deseratur*, quod falsissimum est, primum quia Apostasia non est effectus voti solemnis, sed ejus transgressio, quia solemnitas voti non est causa Apostasiæ, sed potiùs destruitur per Apostasiam: Secundò quia inhabilitas ad matrimonium non turbat Ecclesiam, bene tamen malitia Apostatarum, quicum vovissent perpetuam continentiam non servant postea, quod Deo promiserunt, ex quo scandala, & alia plura oriuntur incommoda. Plura alia asserit falsa, & plena erroribus, ut quod Monachi post vota solemnia, si contrahant matrimonium, non peccent illud contrahendo, sed solùm ex eo, quòd recesserint à vita monastica, quod falsum est, quia voluntas contrahendi, & consummandi matrimonium repugnat voto perpetuæ continentiæ promissæ Deo, consequenter est voluntas mala; etenim ut etiam fatentur ipsi Hæretici vita Monachorum essentialiter, & substantialiter includit celebratum, & incontinentiam, adeo ut vovens vitam monasticam eodem actu essentialiter voveat cœlibatum, & continentiam, proinde voluntas recedendi à vita monastica essentialiter, & substantialiter includit voluntatem recedendi à cœlibatu, & continentia: unde si voluntas recedendi à vita monastica est mala, & est itidem mala voluntas post solemnem emissam professionem contrahendi, & consummandi matrimonium. Hinc eo ipso quod deserens monachatum uxorem ducit, peccat, non solum quia Monachatum deseruit, sed etiam quia uxorem ducit contra votum continentiæ.

Rursus asserunt Monachum deserentem Monachatum non magis peccare, si contrahat matrimonium, quàm si servet continentiam, eò quia votum monachale non versetur immediatè circa cœlibatum, & continentiam, sed circa regulam monasticam, quod falsum est, quia si Monachus deserens suum ordinem adhuc velit continentiam servare, non peccat præcisè ex eo, quòd servet continentiam, quia ex hac parte servat, quod promiserat Deo, sed peccat deserens monachatum, & volens contrahere, & consummare matrimonium, quia ex hac parte detrectat servare, quod promiserat Deo, ergo non est par ratio. Rursus servando continentiam non ponit novum impedimentum resumendi vitam monasticam, bene tamen contrahendo matrimonium. Falsum etiam est, quod votum monachale non versetur immediatè circa cœlibatum & continentiam; nam Monachus, dum vovet, vel expresè vovet vitam monachalem simpliciter, vel expresè paupertatem continentiam, & obedientiam, quæ tria constituunt statum monachalem, utroque modo vita monachalis semper essentialiter, & substantialiter includit continentiam, contra quam agit, si deserens monachatum velit matrimonium contrahere.

Quamobrem asserendum est, perquam expedire, ac convenire Ecclesiæ, ut aliqui homines vota religionis emittant eo affectu obsequia sua exhibendi Deo, hinc David suadens hominibus emittere religiosa vota, ex ea servare, quæ Deo promittunt, ait *Psal.* 75. *vovete, & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera terribili & ei qui aufert Spiritum Principum*, ubi etiam ponitur causa, cur ei meritò vovere, & odia reddere debeamus, scilicet quia terribilis est, & vitæ necisque in omnes summum jus habet, hinc *Isaias* 19. *cognoscent, & ipsi* (id est, gentes conversæ) *Dominum, & colent eum in hostiis & muneribus, & vota vovebant Domino, & solvent.* Quod verò emittendum sit votum cum opinione, & affectu debita obsequia præstandi Deo, liquet, quia hæc est natura voti, ut rem alioquin non ordinatam ad cultum Dei ordinet, juxta illud *Deuter.* 12. *quidquid sanctificaveris, & voveris*; promittere autem & solvere ad eandem spectat virtutem, sed per id quod fit ex voto tametsi non præceptum impletur votum, consequenter per id cultus exhibetur Deo, ex quo liquet votum esse actum religionis, quapropter Isaias *cap.* 19. ait: *Colent eum in hostiis.* Sancti Patres itidem hoc idem docent, præsertim Augustinus *ad Eudoxium* & habetur 15. *quæstio* 1. *can.* ubi ait: *Vos autem fratres hortamur in Domino, ut propositum vestrum in Domino custodiatis, & usque in finem vitæ perseveretis, ac si quæ opera vestra Mater Ecclesia desideravit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente dissidia respuatis.* Vovere enim religionem opus est per se bonum, quod Sancti Patres adolescentibus semper suaserunt D. Hieronymus *epist. ad Rusticum: Ægyptiorum monasteria hunc tenent morem, ut nullum absque opere aut labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salvationem*, & *epist.* 95. *ad Nepotianum* ipsum alloquens ait: *Exstruis monasteria: multus à te per Insulas Dalmatiæ pauperum numerus sustentatur, sed & melius faceres, si & ipse Sanctus inter Sanctos viveres.* Et D. Bernardus *in quodam. serm.* ait: *Tu qui in congregatione es, bene vive, ordinabiliter, sociabiliter, & humiliter; ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo, humiliter Deo.* Et D. Gregorius, *lib.* 15. *Moral. cap.* 5. loquens de voto continentiæ ait: *Electi nonnunquam plus student agere, quam eis dignatus est Dominus jubere: carnis enim Virginitas nequaquam jussa est, sed laudata, etenim si illa juberetur conjugium jam culpa crederetur, & tamen multi virtute virginitatis pollent. ut videlicet plus impendant obsequio, quam acceperunt præcepto.* Quòd votum paupertatis commendabile sit, asserit D. Augustinus *epist.* 89. & *in Psal.* 103. & tamen religiosa paupertas à Christo Domino non præcipitur, sed tantùm suadetur, consequenter aliquod opus non præceptum laudabile est, & commendatur. Hinc D. Bernardus *in cap.* 19. *Matth.* ait: *Hæc sunt verba, quæ mundi contemptum in universo mundo, & voluntariam persuasere paupertatem, hæc sunt, quæ Monachis claustra replent, deserta anachoretis*, & S. Urbanus Papa I. *in epist. sua decretali* ait: *Quicunque vestrum vitam communem suscepit, & vovit, se nihil proprium habere videat. ne pollicitationem suam irritam faciat.* De voto obedientiæ ait Cassianus *lib.* 4. *instit. Cænobior. cap.* 35. esse veram Christi sequelam, exponit enim verba illa *Matth.* 19. *Veni, sequere me*, de obedientia Monachorum, & ait, perfectum Monachum similem esse debere crucifixo, qui non solum non ambulat, quo vult, nec facit, quod vult, sed nec potest ambulare, aut operari nisi ab alio moveatur, ita religiosus, tametsi pedes habeat ad ambulandum, & manus ad operandum, non debet tamen se movere, nisi ad jussum superioris. Et D, Hieronymus

mus *epist. ad Eustochium* describens instituta Monachorum ait: *Prima apud eos confœderatio est obedire Majoribus, seu Superioribus.* Et D. Gregorius *homil. 20. in Ezech. de votis religios.* Quibus nihil sibi retinet, nec quidem proprium judicium, quod Deo non offerat, ait: *Cum quis suum aliquid Deo vovet, & aliquid non vovet, sacrificium est, cùm verò omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, Omnipotenti Deo voverit, holocaustum est.*

Quamobrem contra Sectarios constat ex scripturis, & Sanctis Patribus vota religiosa laudabilia esse, & opera bona ac meritoria vitæ æternæ; illud enim quod per se bonum, & pium est, rectè Deo vovetur; cùm ipsa quoque vovendi religio bona sit, & sancta, ut ex scripturis ostendimus, atqui paupertatis, castitatis, & obedientiæ studium per se bonum est, & pium, ut pariter ex scripturis ostendimus, ergo vovere paupertatem, castitatem, & obedientiam laudabile est, & opus bonum meritorium vitæ æternæ, etenim in Novo Testamento commendantur plures, qui hujusmodi vota emiserunt; etenim voto paupertatis se obstrinxisse Apostolum, infert D. Augustinus ex verbis illis D. Petri, *Ecce nos reliquimus omnia*; rursus primos Christianos, inter quos Ananiam, & Saphiram conjugem peculiari voto se abdicâsse proprietate rerum, argumentantur Sancti Patres ex verbis illis prolatis à D. Petro, *Actor. 5. Cur tentavit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto,* seu fallere promissionem illi factam, & fraudare de pretio agri, & ita asserunt D. Augustinus *serm. 27. de verbis Apost.* D. Gregorius *lib. 1. registri epist.* 33. D. Hieronymus *epist. ad Demetriad.* & alii Sancti Patres. Votum obedientiæ quamvis directè non commemoretur in scriptura, tamen ex illa colligitur rectè fieri: quia cùm laudet obedientiam exhibitam superiori, ut constat apud Jeremiam *cap.* 35. Lucam *cap.* 10. ad *Hebræ. cap.* 13. & Luc. 1. & cùm laudet vota, quæ Deo fiunt de re per se bona, sequitur obedientiam rectè, laudabiliter, & meritoriè voveri secundùm sententiam scripturæ. Quòd beata Virgo emiserit votum perpetuæ Virginitatis, etiam colligitur ex verbis *Luc.* 1. *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco,* scilicet non possum cognoscere, ut interpretatur. D. Augustinus *lib. de Virg. cap.* 4. & Beda *in cap. 1. Luc.* D. Bernardus *lib. de excellent. Virg. cap.* 4. Neque repugnavit huic voto præstitisse consensum in matrimonium cum Josepho, si votum emiserit, ut sentiunt plures Patres ante nuptias, quia non fuit necesse, ut consentiret in actualem usum matrimonii, sed satis fuit, ut consentiret in potestatem quandam Josephi ad illam, edocta enim fuit per divinam revelationem, nunquam futurum, ut ea potestas reduceretur in actum, quo pacto salvum, & integrum mansit votum virginitatis, Christus etiam *Matth.* 19. laudat Eunuchos, qui se castraverunt propter regnum cœlorum, seu qui legem sibi privatam continentiæ per votum indicunt, adeo ut se castrare perinde sit, ac votum castitatis emittere unde bonum & laudabile est votum emittere castitatis propter regnum cœlorum. Apostolus itidem hoc idem votum emisisse colligitur ex verbis D. Petri, qui post expositam à Christo omnem perfectionem professus est eam cæteris Apostolis verè complecti inquiens: *Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Hinc Epiphanius ait, *in Matth. cap.* 19. *Quinam fuerunt, qui se castraverunt propter regnum cœlorum, nisi generosi Apostoli, ac monasticam vitam degentes,* idque colligitur ex eodem capite cùm inter omnia, quæ Christus docuit relinquenda, numerat etiam uxores, quæ possunt relinqui studio perfectionis, vel si uxorem duxerint abstinere ab exercitio matrimonii, & consuetudine uxoris. Præterea quia D. Paulus commendat votum continentiæ aliquarum viduarum, quas dixit damnationem incurrisse, quia tare votum castitatis violaverint, & suadet viris devi- viduas adolescentiores, eo quia *luxuriatæ fuerint in Christo* (seu, cum injuria Christi) *nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt,* neque per fidem potest intelligi communis fides observandis divinis legibus data Deo in baptismo, ut censent Hæretici cum Calvino, quia hæc fides non violatur per matrimonium, nec ulla adest lex divina, quæ prohibeat matrimonium contrahere, unde per fidem intelligitur promissio facta Deo de continentia, ut explicant fere omnes Sancti Patres. Rursus votum castitatis esse commendabile, & meritorium liquet ex Sanctis Patribus & pluribus Conciliis, præsertim Romano sub Sylvestro *Act.* 15. & *sequent.* Ancirano *can.* 10. Arausicano *cap.* 13. Carthaginensi III. *can.* 27. & *sequent.* Votum itidem obedientiæ bonum esse, pium, ac meritorium, colligitur ex Sanctis Patribus asserentibus, jam olim religiosos debuisse necessario præstare obedientiam suis Majoribus ex lege privata, seu voto emisso obedientiæ. Quòd necessariò debuerint obedire suis majoribus, constat ex D. Hieronymo *lib. 6. histor. cap.* 3. Augustino, Cassiano, Basilio, & aliis. Hinc patet solemne mendacium Hæreticorum, præsertim Calvini, & Philippi Melanchthonis asserentium, antiquos religiosos nihil habuisse commune cum religiosis nostri temporis, cui sententiæ visus est adhæsisse Erasmus in vita S. Hieronymi, ubi ait: Monasteria olim fuisse libera Collegia, ex quibus, qui discederent, & ad sæculum redirent, solùm incurrerent quandam inconstantiæ notam; id enim quàm falsum sit, ex eo constat, quia omnes Sancti Patres primitivæ Ecclesiæ, quibus major fides est præstanda quàm modernis Hæreticis, asserunt, primos illos religiosos tria emisisse vota, sicut Monachi, & religiosi nostri temporis; ait enim D. Dionysius, Monachos contra Sacerdotes positos nitentes promittere renuntiare omnibus divisibilibus, seu caducis omnibus; & Origenes *homil. 20. in Ezechiel.* hortatur homines, ut renuntient mundo & ejus concupiscentiis, seque totos devoveant Deo tanquam primogenitos. Religiosi itaque in primitiva ecclesia iisdem eotis religionis se obstrinxerunt, sicut recentiores nostri temporis, adeo ut qui ad sæculum reverteretur præter notam inconstantiæ gravissimum quoque sacrilegii peccatum, adeoque æternam damnationem incurrerent, Hinc D. Augustinus in *Psal.* 75. ait: *Nemo positus in monasterio frater dicat, recedo de monasterio, neque enim illi, qui ibi non sunt, ad eum non pertinent. Respondebitur enim, sed illi non voverunt, tu verò vovisti.*

Hæc eadem assertio evincitur ratione, qua ostenditur, emittere tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, esse opus pium, sanctum, ac meritorium vitæ æternæ: siquidem vovere est actus religionis; ergo implere votum, sive id fiat de re præcepta, sive non est opus pium, religiosum, & bonum. Tum quia omne votum est permissio facta Deo, consequenter votum adimplere perinde est ac fidem Deo servare; votum non adimplere perinde est ac fidem ei non servare, unde constat impletionem cujuslibet voti esse cultum Deo exhibitum, ac debitum. Tum quia quo plures concurrunt virtutes, eo semper melior est actio, ut dare eleemosynam, quod per se, & secundùm suam speciem est opus bonum; hanc dare ex affectu religio-

 nis

nis in Deum, seu ex fide, quam Deo tenemur servare, majoris est laudis ac meriti, sed quando opus aliquod bonum fit ex voto habet plures simul concurrentes virtutes: siquidem opus illud habet propriam suam honestatem, & rursus aliam desumit ex voto & obligatione, qua se Deo obstrinxit. Demum quia quod ex voto fit, agitur ex firmiore proposito, magisque immutabili, quod melius est. Accedit etiam ratio D. Thomæ: quia ea, quæ Deo exhibemus, cedunt in nostram utilitatem; alia enim ratione aliquid Deo promittitur, & alia homini, huic enim aliquid promittitur propter ejus utilitatem, ut scilicet in proprium commodum accipiat ei promissum, secus Deo promittimus non ob suam utilitatem aut commodum quia cùm sit perfectissimus, & includat totam plenitudinem bonitatis, non potest quidquam illi promitti, nec offerri, quod eminenter in se non contineat, unde tota utilitas ex re Deo promissa redundat in commodum promittentis, hinc D. Augustinus *epist. 55. Benignus exactor est, & non egenus, & qui non crescat à redditis, sed in se crescere faciat creditores.*

# CAP. II.

## Rejiciuntur argumenta Hæreticorum impugnantium statum Religiosorum.

HÆretici objiciunt ad radicitus evellendum statum religiosorum, præceptum de diligendo Deo super omnia: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima, ex omnibus viribus, & ex tota mente*, cujus præcepti ea est vis, & omne bonum, quod agimus, agamus ex viillius, & ex amore, quo tenemur ex omnibus viribus Deum diligere. agimus omne bonum, superest omne, quod agimus bonum, esse à Deo nobis præceptum, consequenter voto religiosorum non esse opera supererogationis, sed à Deo præcepta. Verùm hoc argumentum, quod videtur Hæreticorum Achilles, non impugnat opera supererogationis, quia non est vis illius præcepti, ut omne bonum possibile agamus, ac omnia bona opera sint sub præcepto, sed ut verè, sincere, & efficaciter Deum diligamus, non fictè, & simulatè, ut nos monet D. Joannes, *non diligamus verbo, & lingua, sed opere & veritate*, significat enim scriptura, debere nos vere, & sincerè, ac efficaciter Deum diligere non fictè, & simulatè, ut explicant Sancti Patres, præsertim D. Chrysostomus, Hieronymus, & Ambrosius.

Præterea vis illius præcepti est, ut Deum diligamus, quantum possumus toto animi conatu, totaque ut vulgò dicitur, animi contentione, adeo ut quod propter Dei amorem agimus, idem ex toto animi contentione diligenter agamus. Rursus per tale præceptum jubemur Deum præferre rebus aliis omnibus, eumque constituere nostrum finem ultimum, in quem omnia nostra dirigamus, & omnes occasiones nostras omnesque nostras potentias ad ipsum solùm dirigamus. Hoc idem etiam indicat scriptura, docens in hac vita posse hominem huic præcepto ita satisfacere, ut non sit prævaricator, & reus, ut disserte ait Augustinus *lib. de spiritu & littera cap. 36. Non esse culpæ deputandum, si in hac vita non potest esse tanta dilectio Dei, quanta cognitione plena debetur.* Præterea vis præcepti de diligendo Deo ex toto corde, & tota anima est, ut in ejusmodi Dei dilectionem tanquam scopum, & terminum, in quem contendamus, habeamus nobis propositam absolutissimam illam perfectionem charitatis, quam erimus assecuturi in cœlesti patria, ubi Deum ex totis animæ viribus diligemus, ut continenter in illius amore defixi simus, nec ab eo unquam desistamus, quem finem nobis præfigimus, quando cum spe beatitudinis æternæ Deum diligimus, & hunc esse sensum illius præcepti de diligendo Deo super omnia ex toto corde, totisque viribus asserunt Sancti Patres, præsertim D. Augustinus *lib. de spiritu & litt. cap. 36. & lib. de perfect. instit.* D. Bernardus *serm 50. in Cantic.* D. Thomas 2.2. *quæst. 44. art. 6.* asserentes, præceptum hoc non posse in hac vita perfectè impleri, eò quia omnis perfectio charitatis in cœlo est futura. Neque potest id intelligi quasi summæ illa perfectio dilectionis cadat in præceptum charitatis, sed quia cadat in illud, ut est scopus. & finis, quo debet quis contendere per eam dilectionem, quam exequimur, & Deum præferimus rebus omnibus: alioquin si intelligeretur in eo sensu, quo exponunt Hæretici, sequeretur, omnes homines peccare contra tale præceptum, quia nemo illud impleret, ut esset implendum, quod est apertè falsum. Præterea summa illa perfectio charitatis sub præceptum cadit, ut finem, quo executio tendere debet, ut explicat D. Augustinus inquiens: *Ut inde admoneamur, quid fide exposcere, & quo spem præmittere, & ad quid obliviscentes ea, quæ retro sunt contendere debeamus*, & lib. *de perfect. justit. ante med.* ait: *Non rectè curritur si quo currendum est, nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur.* Non igitur præcepto illo de diligendo Deum ex toto corde, ex tota anima & ex omnibus viribus, & ex tota mente præcipimur agere ea omnia bona, quæ facere possumus, sed tantùm ut corde sincero, ac efficaciter, & verè non fictè, & simulatè Deum diligamus.

Contra vota religiosorum objiciunt Sectarii, eò quia in scriptura Novi Testamenti nulla vota commendentur, sed solum in scriptura Veteris Testamenti, ex quo inferunt vota fuisse tantùm quasdam ceremonias veteris legis, quæ non magis ad Christianos pertinent, quàm circumcisio, ac Judæorum sacrificia. Sed falsum est, quia scriptura Novi Testamenti vota religiosorum commendat; ut enim in præcedente capite ostendimus, laudatur in Novo Testamento votum castitatis Beatæ Virginis, & Apostolorum, licèt non expresso vocabulo voti. Præterea quamvis nullis verbis de Novo Testamento exprimerentur vota, quæ ad Christianos pertinent, nobis tamen sufficit testimonium Isaiæ, qui loquens de temporibus Novi Testamenti & de Christianis ait Propheticè: *Et colent eum in hostiis, & muneribus, & vota vovebunt Domino*; asserere autem vota esse meras legis veteris ceremonias ineptum omnino est, & falsum, quia ceremoniæ legis veteris certis divinis mandatis præscribuntur, & vovendi religio fit omnino liberè. Hinc *Deuter. 6. si nolueris polliceri absque peccato eris.* Quia ceremoniæ propriæ illius legis sunt actus externi, vota verò sola mente concipiuntur, & efficiuntur.

Objiciunt secundò, quia omnis Dei cultus voluntarius est, si non sit à Deo præceptus, perinde ac sunt voluntaria ipsa vota, ex quo sequi-

ſequitur omnem Dei cultum eſſe ſuperſtitioſum, & idololatricum ſicut ipſa vota Sed contra, quia falſum eſt, quia non committunt idololatriam, qui per nomen Dei jurant, ut olim David, & alii jurârunt, quamvis ille cultus Dei, qui continetur invocatione divini teſtimonii, nusquam legatur præceptus. Quamobrem cultus Dei dicitur voluntarius, quia ſine certa ratione & pro libitu ſuſcipitur juxta Hæreticos, putantes, talem cultum per ſe inanem vanum, & ſimulatum eſſe, ut olim erat cultus Judæorum, qui cauſa religionis abſtinebant à quibusdam cibis, quaſi natura ſua immundis, & contra quorum ſuperſtitionem diſputat D. Paulus *ad Coloſ.* 2. unde locus Apoſtoli communiter intelligitur de cultu ſimulato.

Sed objiciunt ulteriùs, quia Chriſtiani ſunt filii liberè, & libertate à Chriſto donati: ſed obligatio voti pugnat cum hac libertate: ſiquidem ubi habetur obligatio, ibi non poteſt dari libertas, quia hæc eſt potentia ad agendum, & non agendum pro libitu operantis, & operatio adigit ad unum tantùm, ſeu ad id, quod cadit ſub obligationem. Sed contra, quia tantùm abeſt, quod obligatio orta ex religioſis votis libertatem adimat, ut potius eam augeat, libertas enim, quam Chriſtus ſuo merito nobis impertivit, augetur potiùs, ac munitur per voti obligationem; non enim hæc libertas eſt ad quodcunque agendum, vel non agendum, ut ſupponunt Hæretici, ſed eſt libertas à ſervitute peccati, ut aſſerit Apoſtolus *ad Roman.* 6. & conſiſtit potiùs in quadam facultate, quam nobis divina gratia ſuppeditat, ad vitanda peccata lethalia, & ad ferventiùs, & exactiùs Deo inſerviendum. Hinc per libertatem, qua à Chriſto donati ſumus ita liberamur à peccato, ut ſimul efficiamur ſervi juſtitiæ, quæ ſervitus non opponitur libertati à peccato. Id enim eſt, quod docuit Apoſtolus *ad Roman.* 6. ubi oſtendit hanc libertatem gratiæ & peccati ſervitutem inquiens: *Gratias Deo, quod ſervi fuiſtis peccati, liberati autem à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.* Hanc igitur gratiæ libertatem certum eſt non minui per obligationem votorum, ſed potiùs augeri, & ſtabiliri, quia vota obligant, ad non peccandum, & removent occaſiones, & pericula peccandi, conſequenter juvant, & augent libertatem à peccato, cùm ab illo nos defendant, & contra illa nos maniant: libertas igitur hominis, ſi conſideretur abſolutè, ut libertas eſt, ſeu quædam facultas ad utrumlibet, & non ut eſt libertas Chriſtiana ad ſerviendum juſtitiæ aliquo modo minuitur per obligationem voti, quatenus per illud reddimur difficiliores ad id agendum, quod non agere voto obligamur, quo pacto etiam minuitur libertas per obligationem matrimonii, & aliorum contractuum humanorum, & tamen nullus eſt, qui dicat hanc obligationem pugnare cum libertate Chriſtiana, & qua per Chriſti merita donati ſumus. Præterea hæc diminutio libertatis per votum non minuit neque pugnat cum libertate Chriſtiana, imò neque cum ipſa libertate ſimpliciter conſiderata, quia non fit ea diminutio ſecundum id, quod eſt perfectionis in libertate humana, ſcilicet ſecundùm facultatem, quam habent ad rectè operandum, & aſſequendam beatitudinem, quæ eſt finis noſtræ libertatis, ſiquidem hæc facultas potiùs promovetur per votum. Sed fit diminutio ſecundum id, quod eſt imperfectionis in libertate, ſeu ſecundùm proclivitatem ad malum, ut explicat D. Auguſtinus, *epiſt.* 45. *Ad Armentarium*: *Non eſt gratulanda libertas, qua fit, ut non debeatur, quod cum lucro redditur*, & nonnullis interjectis ſubdit: *Non te voviſſe pœniteat, imò gaude jam tibi ſic non licere, quod cum tuo detrimento licuiſſet. Felix eſt neceſſitas, quæ in meliora compellit.* Præterea non læderetur noſtra libertas, ſi proclivitas ad malum ei adimeretur: ſiquidem Deus, & Beati in cœleſti Patria omni carerit proclivitate ad malum, & nihilominus perfectiſſima gaudent libertate, unde facultas ad malum ſicut non minuit libertatem, ita eſt perquam eidem libertati utile, ut hæc facultas ad malum, ſeu proclivitas ad peccatum illi minuatur per votum, quia tanto magis firmatur, & promovetur in bono, quanto magis minuitur ejus facultas ad malum. Demum quia ſicut non obſtat libertatis perfectioni neceſſitas præcepti, quod prohibet malum & conſequenter minuit facultatem, & proclivitatem ad illud, ita neque libertatem lædit, aut minuit neceſſitas voti, quamvis minuat proclivitatem ad malum, & ad voti transgreſſionem: ſiquidem ne peccemus contra votum, liberè adigimur ad obſervantiam voti, ac nobis adimitur de proclivitate, & facultate transgrediendi votum, ac agendi id, quod non agere vovimus: ſi enim voto non præceſſiſſet proclivitas ad opus illud agendum, eſſet expeditior, at per vtoum ſit impeditior.

Sed objiciunt ulterius Sectarii, quia non vacat temeritate, imò & peccato ſe exponere periculo peccandi; ſed per votum vovens ſe exponit periculo peccandi, ſeu transgrediendi votum, ſecluſo enim voto periculum talis transgreſſionis ceſſaret, ergo votum non eſt bonum, quod poſſet Deo placere. Sed contra, quia per voti obligationem potiùs minuitur periculum peccandi, quàm illud exhibeat: ſiquidem per ſe magis firmat voluntatem in bono, ut conſtat ex prædictis, cæterum periculum quod ex accidente ob conditionem humanæ libertatis imminet, peccandi circa materiam voti, non debet Chriſtianum terrere ab emiſſione voti, quia poteſt eadem libertate, & gratiâ divinâ, quæ præſto eſt, periculum evadere, difficultates in ſervando voto ſuperare: ſiquidem etiam præcepta trahunt ſecum pericula transgreſſionis, & nihilominus ob hæc eadem pericula non deſtitit Deus præcepta hominibus injungere, licèt ea transgredi liberè poſſint: alioquin ſi pericula, quæ ex accidenti imminent, ſpectari deberent nihil fere geri poſſet in rebus humanis: ſiquidem quidquid geratur, ſemper trahit ſecum periculum incommodi corpori, vel animæ. Hinc habetur illud *Eccleſiaſtici* 5. *Qui obſervat ventum, non ſeminat, & qui conſiderat nubes, nunquam ſerit.*

Objiciunt ulterius Sectarii, quia Chriſtiani, cùm fidem Chriſti profiteantur, eo ipſo ſunt toti eidem obſtricti, ergo perperam per vota iterum illi obſtringimur; fruſtra enim filius per tabulas obſignatas, & teſtes ſe ſe patriæ poteſtati ſubderet, cum jure filiationis ſubjiciatur Patri, ergo cùm Chriſtiani ratione fidei, quam profitentur, ſint toti Deo obſtricti, fruſtra per emiſſa vota iterum ſe Deo ſtringunt, conſequenter, hæc vota fruſtranea ſunt, & otioſa, nullamque ſecum adferunt voventibus utilitatem, & plus periculi, quàm commodi. Sed contra quia quamvis nos & omnia noſtra ratione pleniſſimi, ac deſpotici Dei dominii ſint Deo debita, & obſtricta, eò quia noſtra omnia ſua ſunt, quatenus ab illo accepimus, & ejus beneficio retinemus, & poteſt ille abſque ulla injuria nobis irrogata, ſi velit, omnia noſtra repetere, eò quia ſua ſint & nos teneamur, quidquid juſſerit, ac mandaverit agere: nihilominus, quia plura in noſtra reliquit libertate, ea facere vel non facere, ideo multi ſunt Dei & noſtra ſimul, quia pro libero noſtro arbitrio poſſumus illa ponere, vel non ponere

ponere, ut si quis voveat peregrinationem ad limina Apostolorum, vel ad alium locum sacrum, tametsi possit tale votum non emittere, si tamen semel illud emiserit, tenetur vovens illud servare, & hæc promissio facta Deo, & voti observantia est bona, & Deo grata, & illam dicimus verè Deo dare, quia hæc promissio fuit etiam nostra, & potuissemus non promittere. Quamobrem exemplum de filio tantùm valet in iis, in quibus filius Patri tenetur necessariò obedire, & de quibus habet filius à Patre injunctum sibi præceptum ac mandatum; non tamen fieret ridiculus, si in rebus se Patri subderet, in quibus alioquin esset filius sui juris; neque enim parentes possunt omnia, quæ volunt illis imperare, imò in iis etiam, quæ possunt, sæpe non imperant, sed dant filiis optionem, ut liberum est filio uxorem ducere, vel non, habitum religiosum induere, vel non, in quibus non possunt à parentibus adigi, quia electio status libera est. Quòd si filius polliceatur Patri se facturum in eo negotio, quod eidem magis liberit, teneretur tunc filius stare promisso. Hinc quamvis Deus jubeat, ut ab hominibus diligatur ex toto corde, anima, & viribus, & *Luc.* 17. dicat: *Cum feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quia, quæ debuimus facere, fecimus*, ex quibus videtur inferendum, non posse nos aliquid præstare Deo, quod non teneamur illud facere, & non sit nobis à Deo præceptum; etenim illa potentiarum animæ recensio ut superius diximus, id significat, ut Deum sincerè, non fictè, verè, non simulatè, ex corde, non ex apparentia diligamus, ac rebus omnibus extra Deum præferamus: siquidem præcipere, ut potentias nostras exerceamus est præceptum affirmativum, quod non obligat semper, & pro semper, sed tunc quando necessitas gloriæ Dei id exigit, alio autem tempore si fiat, est opus consilii, & supererogationis. Igitur cum præcipimus Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus, præcipimur, ut Deum præferamus in dilectione omnibus creaturis, & nihil Deo exæquemus, hoc autem adimplet, qui nullum peccatum letbale committit, quia per solam lethalem noxam præponitur creatura Deo, neque ullum fecesset negotium, illud *totum* vel *omne*, quia est modus loquendi in scripturis, quo pacto & 2. *Reg.* 15. dicitur, *toto corde universus Israel sequitur Absolon*, & *Genes.* 31. dixit Jacob: *scitis, quod totis viribus servierim Patri vestro*, & nihilominus certum est, Patriarcham Jacob plura alia eodem tempore præstitisse.

Sed instant *Sectarii*, quia quæ fiunt ex necessitate, minus grata obtingunt Deo, quàm quæ liberè: quæ autem fiunt ex voto, fiunt ex necessitate, quia votum secum trahit vinculum, quod adigit, & ab Apostolo 1. *Corinth.* 7. vocatur laqueus, propterea ait: *Hortor ad continentiam, non ad votum, ne sit vobis in laqueum*; & 2. *Corinth.* 9. ait: *Non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus*. Sed contra, respondet enim D. Thomas, quòd sicut non posse peccare non diminuit libertatem, ita etiam necessitas firmatæ voluntatis in bonum non diminuit libertatem, ut patet in Deo, & beatis, hæc enim voti mei necessitas similitudinem præfefert cum necessitate beatorum ad bonum, quod non adimit quidquam de libertate. Præterea quod ex voto fit, non est minus voluntarium, & liberum, quàm ipsum votum, unde, cùm votum fuerit liberè, & voluntariè emissum ita etiam opus à voto dependens voluntariè, & liberè fit.

Demum addunt, neminem debere vovere, nisi quod certo scit se posse solvere, alioquin se periculo exponeret transgrediendi votum, hinc temerè vovet, & periculo se exponit violandi votum, qui vovet aliquid, vel agendum, vel omittendum, quapropter ait Ecclesiasticus 5. *displicet infideois, & stulta promissio*. Præterea quia nemo certò scit, posse se continere, ac in omnibus se subjicere, cùm dicatur, *Sapient.* 8. *Nemo continens esse potest, nisi Deus det*; & *Matth.* 19. *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est*. Sed contra, quia plura sunt genera donorum Dei, aliqua enim dantur sine hominis cooperatione, cujusmodi sunt robur corporis, sanitas, pulchritudo, donum linguarum, miraculorum, prophetia, & omnes illi habitus, quos Deus infundit. Aliud est genus doni, quod exigit Dei gratiam, & nostram cooperationem, ut observantia voti, credere, sperare, amare, perseverare, vincere tentationes, quæ omnia dicuntur propriè dona Dei, quia nisi Deus suam nobis præstaret opem, & suâ nos præveniret gratiâ, nosque excitaret ad hos actus, & adjuvaret, ac dirigeret, protegeret, & cooperaretur, nihil boni ex nobis tantùm possemus facere, & nihilominus omnia prærecensita opera dependent etiam ex electione humana, & sunt in nostra potestate, quia Deus, quamvis excitet, juvet, & nobiscum cooperetur, non tamen nos cogit, neque necessitat.

Infertur ex dictis, vota religionis rectè & utiliter emitti à viris Religiosis, & Christianis cultus divini causâ, quia scriptura in omnibus justis ea laudat, *Eccles.* 15. *Vota justorum placabilia*, & *Isaia* 19. *Et colent eum in hostiis, & muneribus, & vota vovebunt Domino, & solvent*, ubi Propheta loquitur, de futuro tempore novi testamenti, ut expendunt omnes interpretes, & David nos hortatur ad observantiam voti *Psal.* 75. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro*, quia ut habetur in *Proverb.* 20. *Ruina est homini vota retractare*, & apud Ecclesiast. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei & infidelis, & stulta promissio*. Ratio etiam id evincit, quia id omne, quod natura sua est actus virtutis, licitum est Christianis facere ad honorem, & cultum Dei, sed votum ex natura sua est actus virtutis religionis consequenter licitum est Christianis vovere ad Dei cultum; major ostenditur, quia omnis actus virtutis est per se idoneus ad colendû Deum, ut patet ex D. Augustino *lib.* 10. *de Civit. Dei c.* 6. ubi ait: Omne opus bonum esse sacrificium, consequenter opus bonum, ac meritorium, & scriptura promiscuè actibus diversarum virtutum tribuit rationem cultus divini, ut patet ex epistola *ad Roman.* & *ad Philipp.* & *ad Hebræ.* atqui nulli potest dubium esse, quin possint Christiani Deum colere omni ea ratione, quæ suâpte naturâ est ad divinum cultum accommodata: minor etiam est certa, quia vovere est promittere Deo aliquid, non ut in usum aliquem, vel commodum illius cedat, cùm ipse utpote includens totam plenitudinem bonitatis nulla re indigeat, sed ut cedat in illius honorem, & gloriam, quæ est proprium objectum virtutis religionis. Præterea quia licitum est Christianis, suam voluntatem firmare in eo, quod ad spiritualem utilitatem ipsorum est conducibile: atqui hoc faciunt, quando voto se obligant ad exequendum aliquem virtutis actum in Dei gloriam, quia cùm id totum cedat in utilitatem nostram non Dei, cui promittimus, possumus voluntatem in illo firmare, consequenter licitè vovemus, & hanc rationem addidit D. Augustinus *epist.* 45. ubi ait: *Felix necessitas, quæ in meliora compellit*, hinc plures virtutibus, & sanctitate illustres vota emiserunt, quæ Deo placuerunt.

CAPUT

# CAP. III.

## Probatur contra Sectarios, dari opera supererogationis.

Diximus in præcedenti capite, utilem esse statum religiosorum, & emittere vota religionis cedere in majorem Dei gloriam extrinsecam, quia per observantiam votorum nostra Deo exhibemus obsequia, nunc superest ostendendum de omnibus operibus bonis; quæ tametsi non sint nobis à Deo præcepta, adhuc suam includunt honestatem, quæ Deo placent, suntque meritoria vitæ æternæ, & hæc dicuntur opera supererogationis, eò quia ex nullo præcepto nobis injuncto teneamur ea agere, & quamvis à Christo nullibi nobis præcipiantur, sed tantùm suadeantur, ideo bona sunt, cùm non possit Christus nobis suadere, nisi quæ sunt bona, & conducunt ad salutem æternam, hinc opera supererogationis distinguuntur ab illis, quæ nobis præcipiuntur, quia sunt difficiliora, & non omnibus communia, sed tantùm paucis, & ideo, si omittantur, nullam merentur pœnam, ut si nolim vovere Compostellanam peregrinationem, vel Jerosolymitanam, non propterea id mihi datur culpæ, nec inde pœnam mereor, quia emittere tale votum non teneor, & ad illud nullum me adigit præceptum, hinc opera consilii, quæ nobis Christus suadet, cujusmodi sunt castitas, paupertas, obedientia, opera dicuntur supererogationis, quæ à Sectariis impugnantur tanquam in Ecclesia nova, & recentia, quæ nullam adferant utilitatem, & plurimum potiùs incommodi, quod quàm falsum sit, ex eo constat, quia primitiva Ecclesia docuit, quædam à fidelibus exerceri bona opera, quæ à Christo non sunt præcepta sed tantùm commendata, & hæc dicebantur opera supererogationis, quorum meminerunt antiqui Patres, ut Athanasius *de humanitate verbi*, Origenes *ad cap. 15. ad Roman.* ubi ait: *Ea, quæ supra debitum facimus, non facimus ex præcepto; verbi causa, Virginitas non ex debito solvitur, neque enim per præceptum expetitur, sed supra debitum offertur.* Cyprianus itidem *de habitu virginali* ait: *Nec hoc jubet Dominus, sed hortatur, nec jugum necessitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium liberum, sed cùm habitationes multas apud Patrem esse dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat; habitacula ista meliora vos petitis, carnis desideria castrantes melioris gratiæ præmium in cœlestibus obtinentes*, & cæteri antiqui Patres primitivæ Ecclesiæ hæc eadem opera supererogationis commendant, & laudant, ut bona, & meritoria vitæ æternæ ut D. Ambrosius, *epist. 82. ad Ecclesiam Vercel. & lib. de viduis.* Gregorius Nazianzenus, *orat. 1. in Julian.* D. Hieronymus, *contra Jovin. lib. 1. cap. 7.* D. Augustinus, *serm. 61. de temp. & in Enchir. cap. 121. de adulterinis conjug.* Omnes enim, & alii primitivæ Ecclesiæ Sancti Patres docent, dari hæc opera supererogationis, quæ fiant à Christianis & asserunt distingui à præceptis, & hanc distinctionem semper fuisse in Ecclesia agnitam.

Recentiores tamen Sectarii eam rejiciunt, ac malunt dissentire primitivæ Ecclesiæ, quam admittere opera supererogationis, quæ tamen inficiari non possunt, cùm scripturæ expressè de illis loquantur; etenim voluntaria castitas suadetur à Christo *Matth. 19. v. 11.* asserentibus enim discipulis, non expedire uxores ducere, respondit, Christus *non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est, sunt enim Eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum &c. qui potest capere, capiat*, quasi dicat revera voluntariam castitatem nuptias arcere, sed hoc non intelligi ab omnibus, verùm qui potest illud assequi, seu servare castitatem & non nuptias contrahere, non omittat, consilium ergo est, non præceptum alioquin nulli licitum esset nuptias contrahere quamvis Hæretici censeant, Christum *Matth. 19.* verè præcipere castitatem, non quidem omnibus, sed iis tantùm, qui donum recipiunt castitatis, quibus non est licitum uxores contrahere, quod tamen falsum est, quia hic præciperetur, ut illi soli servent castitatem, qui donum habent castitatis certum esset, nullum inter Sectarios esse, qui hoc donum castitatis haberet, quia nullus est, qui sibi, & aliis non fateatur liberum esse, uxorem ducere, vel omittere, vel certè plures agerent contra Dei præceptum, quia vix ullus inter illos invenitur, qui castitatem servet. Præterea cum nullus possit certò scire, se donum habere castitatis, non poterit scire, sibi præceptum aliquod esse datum de servanda castitate, quòd si scire non possunt, an sibi injunctum sit præceptum de continentia conservanda, non possunt ad illud obligari, consequenter qui donum castitatis habet, non obligabitur ad illam observandam. Demum quia in toto contextu nullum potest verbum assignari, quo præceptum de servanda castitate ostendatur, unde nonnisi temerè & sine fundamento asseritur à Sectariis, hoc præceptum injunctum à Christo, nulli autem dubium est, quin castitas sit opus bonum, & eximia dignum remuneratione, ut constat ex Isaia, Salomone, & D. Paulo, & cùm hoc opus non sit præceptum, sequitur, dari opera bona supererogationis, de quibus nullum injungitur præceptum. Hoc idem etiam ostenditur ex D. Paulo *1. Corinth. 7. v. 25. & sequent.* ubi ait: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do*; & postea subjungit: *Bonum est mulierem non tangere &c. Dico autem innuptis, & viduis, bonum est, si sic permanserint sicut & ego &c. volo omnes vos sicut me ipsum esse*, & rursus: *Qui matrimonio jungit virginem suam bene facit, & qui non jungit, melius facit*, & de vidua ait: *Cui vult, nubat tantum in Domino: Beatior autem erit, si sic permaneat, secundùm meum consilium: puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam*; ubi constat, hoc Consilium tribui Spiritui Sancto.

Respondent tamen Acatholici, nullibi hic ab Apostolo dici, quod castitas valeat ad placendum Deo, & præmia æterna promerenda; de hoc enim quæritur, ut continentia dicatur opus supererogationis, & meritorium salutis æternæ; nam cùm Apostolus dicat, eum melius facere, qui uxorem non ducit, sequitur, melius esse non nubere, consequenter esse opus bonum; si enim non nubere melius est, quàm nuptias contrahere, procul dubio est bonum aliquod, atqui non nubere non est præceptum, alioquin omnes conjugati transgrederentur hoc præceptum, & peccarent, quod asserendum non est.

Rursus renuntiare omnibus, quæ quis possidet, procul dubio est etiam aliquod bonum præsertim si fiat studio perfectionis, cùm Christus vocet beatos pauperes

peres Spiritu, id enim D. Hieronymus Beda, D. Ambrosius, D. Leo: & S. Basilius interpretantur de voluntaria paupertate, qualis est, quam religiosi profitentur, atqui hæc paupertas non cadit sub præceptum consequenter non omnia opera bona sunt præcepta, sed dantur plura supererogationis, unde Christus adolescenti cupienti studere vitæ perfectioni dixit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, ubi Christus satis declarat, hoc non esse præceptum, alioquin non suasisset adolescenti, ut id faceret causa perfectionis majoris accipiendæ: Hinc Augustinus expendens hunc textum *epist.* 89. *quæst.* 4. ait: *Magister bonus mandata legis ab ista excellentiore perfectione distinxit. Ibi enim dixit: si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Hic autem, si vis perfectus esse, vade, & vende omnia*, quia scilicet paupertas voluntaria non cadit sub præceptum, sed tantùm suadetur cupienti attingere apicem perfectionis, non enim Christus *Matth.* 19. dixit: *Volo, jubeo, præcipio tibi: sed si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me*, ut ostenderet, esse consilium perfectionis, non præceptum: siquidem interroganti juveni, *quid faciam, ut salvus fiam*, respondit Christus, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, ubi ostendit, mandatorum observantiam sufficere ad salutem, deinde subjungit: *Si vis perfectus esse*, seu, si non es contentus æterna vita, sed in ea cupis præstantiorem gradum ait: *Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*; unde Christus dissertis verbis contradistinguit venditionem bonorum, à præceptis, quibus frustra dicunt Sectarii adolescentem jam affirmasse; à se præcepta omnia impleta fuisse. Ostenditur etiam venditionem bonorum omnium non esse præcepti, sed consilii, quia si esset præceptum, fuisset inclusum in mandatis illis, quæ servanda erant à volente ad vitam ingredi, & tamen Christus illud distinxit. Præterea quia si esset Præceptum, non posset aliud esse, quàm illud charitatis: atqui non est præceptum charitatis, consequenter nullum: major est certa, minor ostenditur, quia Charitas erga proximum non requirit, ut omnia nostra donemus proximo, & nihil nobis reservemus: sed præcepto satisfacimus partem dando, & partem retinendo. Tum quia si esset præceptum, utique esset ad salutem & omnes fideles obligarentur ad omnia sua divendenda, & pauperibus donanda: atqui certum est, neminem obligari ad omnia sua divendenda, & danda pauperibus, consequenter non esse præceptum ad salutem, sed tantum hortamentum ad majorem perfectionem acquirendam.

Si dicas, præcepta divina affirmativa non obligare omni tempore, sed tantùm quando opportunitas, & necessitas se offert, proinde præceptum hoc de vendendis omnibus, quæ possidemus, non obligare nisi in extrema proximi indigentia, vel urgente publica persecutione. Contra est, quia dum se offert extrema proximi indigentia, aut alius casus extremæ necessitatis, satisfacimus obligationi Christianæ charitatis aliquid impertiendo proximo constituto in illa necessitate, & aliquid pro nobis conservando, unde nec etiam tunc obligamur omnia divendere, & distribuere pauperibus, consequenter nunquam possumus obligari hoc præcepto: quia prima charitas incipit à nobis scilicet, ut nostris consulamus necessitatibus.

Est etiam bonum, & consultum, se tradere regendum alterius prudentiæ, qui Christi loco habeatur juxta illud Apostoli: *obedite Dominis Carnalibus sicut Christo*, & illud *Deuter. Ne innitaris prudentiæ tuæ*, ubi suademur aliis prudentioribus, ac majoribus obedire: Præterea, quia hæc obedientia voluntaria approbatur à Christo, *Matth.* 19. ubi Christus adolescenti dixit, *sequere me*: agi enim hic de obedientia ostenditur: quia sequi Christum perinde est, ac Christum imitari. & Christus, ut ait Apostolus *ad Philipp.* 2. *Factus est obediens usque ad mortem*, unde, qui Christi vestigia sequitur necesse est virtutem obedientiæ exerceat: imò suademur non solùm Christum sequi, sed etiam nostræ renuntiare voluntati teste ipso Christo *Matth.* 16. *v.* 24. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & sequatur me*; abnegare autem seipsum perinde est, ac judicio suo, & affectibus valedicere, & alterius judicio, ac voluntati se flectere, eique parere, non enim solùm id intelligitur de obedientia præstanda Deo, verum etiam de ea quam hominibus exhibemus, dum illis propter Deum voluntariè nos subjicimus; quia, cùm per verba supra dicta *sequi Christum*, perinde est, ac imitari Christum, & Christus obediverit hominibus, quibus spontè se subjecit, Luc. *cap.* 2. *v.* 5. *Et erat subditus illis*, possunt & Christiani hoc idem præstare, si velint Christum voluntariè imitari per votum obedientiæ, quo se subjiciunt aliis hominibus, ad quos nos hortatur D. Paulus, *ad Hebræ.* 13. *Obedite Præpositis vestris*. Obedientia autem de qua loquitur Christus, non pertinet ad præceptum, sed tantùm ad consilium, ut patet, quia adolescenti dixit, *sequere me*, non verò præcipio tibi, ut me sequaris.

Præterea nulli dubium, quin actus bonus, & religiosus sit suo loco, & tempore, & cum debitis circumstantiis, ac requisitis jurare ad confirmandam veritatem, ut constat ex illo *Deuter. Dominum Deum tuum timebis, & per nomen ejus jurabis*, & nihilominus de juramenti usu nullum extat præceptum. Rursus bonum & pium opus est, adjicere animum ad Ecclesiasticum ministerium, ac Christi Ministrum initiari, ut possit fideliter verbum Dei promulgare, fideles docere viam salutis, & sacramenta iisdem ritè administrare, & tamen ex præcepto non obligamur, ministerium hoc Ecclesiasticum suscipere, & sic possunt plurimæ aliæ recenseri actiones, quæ rectæ sunt, honestæ, & bonæ, seu conformes regulis rectæ rationis, quæ tamen nobis non præcipiuntur, sed tantum suadentur, quapropter sunt tantùm opera supererogationis.

Hinc Patres frequenter distinguunt inter opera præcepta, & ea quorum præceptum non datur, sed tantùm consilium quamvis Calvinus, *lib.* 4. *cap.* 13. *sect.* 12. asserat, Nulli veterum in mentem venisse hæc opera supererogationis, etenim D. Augustinus, *lib. de S. Virginit. cap.* 30. adhortatur ad excolendam virginitatem non tanquam rem à Christo consultam, non verò necessariò faciendam, utitur enim verbis Christi ad hanc virtutem suadendam inquiens: *qui potestis capere, capite, tollite hostias quisque suas, & introite in atria Domini non ex necessitate sed potestatem habentes vestræ potestatis, Neque enim sicut non mœchaberis, non occides, ita dici potest, non nubes. Illa exiguntur, ista offeruntur; si fiant ista, laudantur, nisi fiant illa, condemnantur. In illis Dominus debitum imperat vobis. In his autem, si quid amplius supererogaveritis, in reddendo reddet vobis.* Unde Augustinus unus ex veteribus Patribus expressè fatetur opera supererogationis, & ponit etiam discrimen inter hæc opera, & alia quæ fiunt ex præcepto, quia opera supererogationis ita fiunt, ut si non fiant, non damnantur: sed si fiant, laudantur: secus opera ex præcepto, si non fiant, damnantur, eò quia intervenit obligatio, ut ea faciamus, propterea, si non fiant, condemnantur. Ponunt etiam & explicant opera supererogationis D. Hieronymus *lib.* 1. *contra Jovin.* D. Ambrosius, & D.

& D. Gregorius , & ex Græcis Origenes , Eusebius, Chrysostomus , Basilius, & alii. Ratio itidem hoc suadet, quia ad divinam providentiam pertinet suaviter omnia disponere : quia si Deus ea omnia , quæ ullo modo facere possumus, imperare nobis potest, & nihilominus suæ bonitatis, & nostræ infirmitatis ratio exigebat, ut non omnia, quæ facere possumus, nobis præciperet: hinc est, quod plura opera etiam præstantiora, & factu difficiliora in nostro reliquerit arbitrio, ea facere vel non, quamvis ad illa paratus sit suam nobis opem suppeditare. Quòd si omnia opera bona , quæ facere possumus, nobis præciperentur, utique innumeris, & gravissimis peccatis obstringeremur, quia non omnia semper à nobis fiunt, quæ fieri possent , hinc majus detrimentum quàm emolumentum in nos redundaret; & quia Deus voluit, ut æternam consequeremur salutem , noluit nos tantis præceptis obligare, ut liberè , ac voluntariè plura possemus bona agere, quæ propterea non cadant sub præceptum, sunt opera supererogationis posita in libera hominis potestate, & electione; ait enim S. Gregorius Nazianzenus, *ut qui ea fecerint, honore & præmiis exornentur, qui autem minus ea expleverint , nihil inde periculi pertimescant.*

Objiciunt tamen Sectarii illud *Matth.* 5. ubi Christus ait: *Estote perfecti*; volunt enim verba Christi esse præceptum, adeo ut , quidquid ad perfectionem consequendam agimus, id ipsum ex præcepto faciamus, ex quo inferunt, nullùm dari opus supererogationis, & verba Christi *Matth.* 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia*, dicunt non pertinere ad consilium, sed ad præceptum: Sed contra, quia duplex datur perfectio, una, quæ consistit in plena mandatorum observatione, estque hæc necessaria ad salutem, & ad illam propterea omnes obligamur, & hæc perfectio nobis præcipitur à Christo verbis illis: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata:* altera est præstantior, quæ non ad salutem absolutè, sed tantùm ad excellentiorem gradum gloriæ consequendum necessaria, & consistit in observatione consiliorum, quam Dominus non præcepit, sed tantùm suasit, & hæc secunda perfectio consistit in observatione consiliorum, quam Dominus non præcepit; non enim, ut diximus, omnes tenentur omnia sua divendere, servare castitatem, & assumere statum perfectissimum.

Infertur ex dictis plura dari bona opera supererogationis, quæ exercentur à Christi fidelibus, & præsertim Cœnobitis, & Religiosis, quorum disciplina suum sumpsit exordium à tempore Apostolorum, ut refert Cassianus *collat.* 18. *cap.* 4. *& sequent.* & *lib.* 2. *cap.* 5. *de institut. Cœnobit.* asserit : Monachos Ægyptios à S. Maria primam accepisse vivendi normam, ut testatur Sozomenus, & Nicephorus, quibus subscribit Chrysostomus, *homil.* 11. *in Mar.* ubi ait: *Sicut sacerdotum Principes sunt Apostoli , sic Monachorum Princeps Joannes Baptista est* , eò quia solus eremum incoluit locustâ , & melle tantùm nutritus. Post Baptistam incoluerunt eremum , ac religiosè vixerunt Paulus Eremita , Antonius, Hilarion , Macharius & cæteri Patre relati à Cassiano. unde nulli dubium , quin in Ecclesia fuerint viri Religiosi , qui plurima bona opera supererogationis ediderunt , & sibi cœlestis gloriæ meruerunt uberiora incrementa: siquidem antiquitatem in Ecclesia religiosorum ostendit D. Hieronymus , *epist.* 4. *ad Rustic.* ubi ex sacra scriptura ait : *Filii Prophetarum, quos Monachos novimus in veteri testamento ædificabant sibi casulas prope fluenta Jordanis , & urbium turbis derelictis , polentâ , & herbis agrestibus vi*-



*titabant* , & *epist.* 13. *ad Paulin.* ait : *Noster Princeps Elias , noster Elisæus , nostri Duces , filii Prophetarum , qui habitabant in agris & solitudinibus , & faciebant sibi tabernacula propè fluenta Jordanis.* Et hæc Cœnobitarum disciplina , mirificè postea propagata fuit, etiam per totum Occidentem unde ait D. Augustinus *de moribus Ecclesiæ cap.* 31. *Qui nescit summa continentia hominum Christianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magisque diffundi , & ex Oriente maximè atque Ægypto, quod vos nullo modo potest latere.* Et D. Hieronymus virtutes recensens Monachorum , & studia pietatis quibus præstabant operam , *epist.* 35. *part.* 3. *ad Rustic. Monach.* ait : *Ad illud tendit nostra oratio , ut doceam te non tuo arbitrio dimittendum , sed vivere debere in monasterio sub unius disciplina Patris , consortioque multorum , ubi ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam : hic te doceat silentium , ille doceat mansuetudinem : non facias , quod vis ; comedas , quod juberis ; habeas , quantum acceperis ; operis tui pensa persolvas ; subjiciaris , cui non vis ; lassus ad stratum venias , & nondum expleto somno surgere compellaris; dicas psalmos in ordine tuo , servias fratribus tuis , & hospitum pedes laves ; passus injuriam , taceas ; Præpositum timeas , ut Dominum ; diligas , ut parentem; credas salutare , quidquid ille præceperit ; nec de majoris sententia judices , cujus officii est adimplere, quæ jussa sunt.* Ex quibus liquet, quænam fuerint exercitia Monachorum, plura scilicet edere pia opera supererogationis, quæ à Deo hominibus non præcipiuntur , sed tantùm suadentur , ut dimittere se aliis , patientiam exercere in adversitatibus , silentium in asceterio servare , parum cum hominibus loqui , sed multum cum Deo ; mansuetudini assuescere , & alienæ voluntati non propriæ acquiescere ; comedere , quæ apponuntur, nec unum præ alio ferculum seligere; propriis laboribus insudare , ac defessum somno indulgere , & iterum surgere ad labores , quamvis membra corporis non plenè quieverint ; hæc enim omnia voluntariè à Cœnobitis suscepta opera fuerunt bona , & supererogationis: hinc D. Augustinus , *de moribus Ecclesiæ cap.* 31. referens hanc vivendi normam cœnobitarum ait : *Quis non illos miretur, ac prædicet, qui contemptis , ac desertis mundi hujus illecebris in communem vitam sanctissimam , castissimumque congregati simul ætatem agunt, viventes in orationibus , in lectionibus, in disputationibus ? nulla superbiâ tumidi , nulla pervicacia turbulenti, nulla jactantia lividi , sed modesti , verecundi , pacati , concordissimam vitam , & intensissimam in Deum , gratissimum ipsi munus offerunt, à quo ita posse meruerunt.*

Nec homines tantùm , sed & fœminæ hoc institutum susceperunt, adeo ut perinde Moniales, ac Monachi præfatas virtutes in cœnobiis exercuerint, ut refert D. Augustinus, *cap.* 31. *de morib. Eccles.* inquiens : *Hæc est vita fœminarum Deo solicitè , casteque servientium quæ habitaculis segregata, ac remota à viris, quàm longissimè decet , pia tantum illis charitate junguntur, & imitatione virtutis , ad quas juvenum nullus accessus est; neque ipsorum quamvis gravissimorum , & probatissimorum senum , nisi usque ad vestibulum necessaria præbendis, quibus indiget gratia* , & hanc Cœnobitarum disciplinam tanti fecerunt Sancti Patres , ut cum baptismo contulerint , ut Hieronymus *epist.* 25. *de obitu Blæsillæ* , inquiens : *Cum propitio Christo ante quatuor ferme menses secundo quodam modo se proposito Baptismi laverit ; & ita dein*-

*ceps vixerit, ut calcato mundo semper monasterium cogitaverit*, cui adhærens D. Bernardus, *lib. de præcept. & dispensat.* ait: *Audire vultis à me, unde inter cæteræ pœnitentiæ instituta monasterialis disciplina meruerit hanc prærogativam, ut secundum baptisma nuncupetur: arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, & singularem excellenti am vitæ spiritualis, qua præeminet universis vitæ humanæ generibus: hujusmodi conversatio Professores, & amatores suos Angelis similes dissimiles hominibus, imò divinam in homine reformat imaginem, configurat nos Christo instar baptismi.*

Vota itidem quæ emittebant opera fuisse supererogationis nulli est dubium, quia nullo præcepto adigebantur homines ad se subjiciendum aliis, nec ad abdicandum se ab omni sæculi pompa, neque ad culturam castitatis, sed Christi exemplo, *qui factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, voluerunt & ipsi hanc virtutem exercere, de qua Samuel 1. *Reg. cap.* 15. ait: *Melior est obedientia, quàm victima*, ubi Glossa Ordinaria affert causam, eò quia in victimis aliena caro, in obedientia vero propria voluntas offeratur, ac mactetur. Votum paupertatis etiam nititur Christi consilio, & exemplo cum de ipso legamus, *Matth.* 8. *Filius hominis non habet, ubi reclinet caput suum*, & Christus etiam consilio, & suasu adhortatus fuit adolescentem illum, qui cupiebat ejus vestigia sequi. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum, & veni, sequere me.* Votum itidem castitatis D. Pauli fulcitur consilio, non nititur præcepto; etenim scribens *ad Corinth.* 1. *cap.* 7. ait: *de virginibus quidem præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, sed etiam singulari exemplo Virginis Matris, quæ votum perpetuæ virginitatis emisit, cum Angelo filium promittenti responderit, *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, quæ verba expendens D. Bernardus, *serm. supermissus est*, ait: *Hoc profectò non diceret, nisi Deo Virginem se ante vovisset.* Et de eodem castitatis voto extant verba Christi apud Matth. *cap.* 19. *Et sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum Cœlorum*, seu emiserunt votum continentiæ.

Neque verum asserunt Sectarii docentes, sine divino miraculo non posse hominem votum castitatis, quod emisit adimplere, quia tametsi, ut ait D. Hieronymus, *serm. de assumpt. Virginis, in carne præter carnem vivere cœlestem potiùs quàm terrenam est vitam ducere*, & in ipsa carne gloriam acquirere Angelicam, ac majus esse meritum quàm habere, eò quia esse Angelum felicitatis est, & esse Virginem virtutis; negatur tamen, votum hoc continentiæ citra miraculum servari non posse, cùm Deus ipse responderit Apostolo Paulo, 2. *Corinth.* 12. *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Neque Deus deest opem ferre, qua insurgentes stimulos carnis coerceamus, ac tentationum assultus superemus; hinc Augustinus, *de peccatorum meritis cap.* 17. ait: *Casti non sumus, non quia non possumus, sed quia non volumus*; cui consonat D. Chrysostomus *homil. in psal.* 50. inquiens: *Non possum, ais, me continere, hoc pusillanimitatis est, & negligentiæ tuæ, quia Dei præcepta contemnere malles, quàm facere*; & D. Hieronymus, *epist.* 6. *lib.* 2. 1. *part. cap.* 37. *Non itaque Deus incusandus est, quasi donum continentiæ non det: quia dare paratus est idoneo; sed nostra negligentia arguenda venit, quæ non egit, quod debuit, ut Deus daret*; & præscribens media, quibus à Deo gratia impetratur, qua possimus concupiscentiam insurgentem compescere, & pulsantes tentationes reprimere, ait: *Qui postulantem & lasciviei entem carnem sentiens debitum conjugale non valet assequi, oret, abstineat, jejunet, corpus inedia subjiciat, occasiones libidinem provocantes fugiat, ad exercitia bonorum operum se conferat, & divino fultus auxilio continere se poterit, quod sibi prius impossibile suspicatus fuerat* & nonnullis interjectis subjungit: *Si quis existimat abundantia ciborum, potionumque frui, & carnis lubricum non sentire, hoc est, versari in deliciis, & deliciarum vitiis non teneri, se ipsum decipit*: & paulò infra subdit: *Difficile est, imò impossibile, deliciis, & voluptatibus affluentes non ea cogitare, quæ gerimus.*

Neque verum est, quod adstruunt Sectarii, vota hæc religiosa Christianæ adversari libertati; siquidem voluntariè, & omnino liberè emittuntur à religiosis, qui se totos Deo devovent, unde nihil inde accedit detrimenti libero arbitrio, cùm hanc continentiam velit liberè; & de hac necessitate ait Augustinus *ad Armentarium*: *Felix necessitas, quæ ad meliora compellit*; est enim necessitas subsequens, in quam vir religiosus volens liberè se injicit, ut ad perfectionis apicem perveniat, ac Deo arctius adhærescat, & D. Hieronymus, *epist.* 41. *ad Marcell.* ait: *Si quando sensus obnititur, manet adhuc virtus primi animi prompta voluntas, quam Deus non obliviscens acceptat.*

# CAPUT IV.

## De cœlibatu, quo Jure constitutus fuerit.

Coelebs is propriè dicitur, qui caret, semperque caruit uxore; abusivè tamen is dicitur cœlebs, qui nunc uxore caret, cum proposito imposterum servandi castitatem, licèt alias habuerit uxorem, eamque cognoverit; hinc cœlibatus est hominis status, sine uxore, quem illi tantùm amplectuntur, qui continentiæ clipeo omnia propulsant carnis blandimenta; quia ut scitè ait D. Bernardus, *de contemptu mundi, qui continere non valent, cælibatui dare nomina vereantur; sumptuosa enim turris est, & verbum grande, quod omnes capere non possunt*; unde tria præsertim inquirenda sunt, quo jure constet dari hanc legem de cœlibatu iis, qui Sacris Ordinibus sunt initiati, & an hæc lex sit tantùm de jure Ecclesiastico, & quando suum in Ecclesia initium duxerit, & tandem an lex cœlibatus fuerit rectè instituta, & qualem secum utilitatem adferat. Hanc de cœlibatu legem insequuntur Hæretici impugnantes castitatem in Ecclesiasticis, eò quia plurimum humano generi afferat detrimenti, cùm prohibeat propagationem humani generis, cùm tamen Deus cœlibatum præceperit in veteri, ubi manducaturi agnum Paschalem jubebantur renes suos accingere, seu, ut exponit D. Gregorius *in Exodi cap.* 12. *Voluptates carnis edomarent.* Hoc idem etiam ostenditur ex eo, quod Achimelech Sacerdos detrectavit dare Davidi & ejus sociis panes propositionis ad comedendum. 1. *Reg. cap.* 21. eò quia, ut interpretatur D. Hieronymus, panes illi propositioni significarent Christi corpus, nisi prius illos mundos à mulieribus esse intellexisset; quòd

quòd si homines manducaturi panem propositionis, qui figura tantùm fuit corporis Christi, à mulieribus mundos esse oportuit, multò magis perpetua ab iis exigenda est continentia, quorum est quotidie non ipsam figuram, sed ipsum verum Christi corpus consecrare, offerre, & comedere; quapropter D. Paulus præcipit Tito sobrietatem, justitiam, & continentiam, seu, ut expendit D. Hieronymus illud adverbium *sobriè* in græco idiomate idem sonat, ac *castè*.

Certum est legem hanc de cœlibatu in ecclesia antiqua viguisse, & non esse quid novum, ut asserunt Hæretici, ac obligare ad tria, quorum primum est, ut nemo conjugatus sacris initietur ordinibus, nisi ejus uxor perpetuam voveat castitatem, ut patet *de Clericis conjugatis cap. sanè, & de convers. conjug. cap. conjugatus, & dist. 32. can. seriatim. & dist. 77. can. Episcopus*, & hanc rem exactè explicat Glossa *in fine dicti capit.* Secundum, ut nemo, postquam sacris est initiatus ordinibus, uxorem ducat, ut constat ex pluribus canonibus ecclesiasticis, & tertium, ut qui sacris est initiatus ordinibus, perpetuam servet continentiam, non solùm in actibus venereis illicitis per se, sed etiam ab usu matrimonii, si forte antequam sacris initiaretur, habuisset uxorem, quæ propterea tenetur perpetuam vovere continentiam, & hoc tertium præcipuum est, ad quod obligat lex cœlibatus, quia propter hoc tertium obligat etiam ad primum & secundum scilicet, ne quis conjugatus absque illo voto emisso ab ejus uxore de servanda perpetua castitate, & continentia, ordinem sacrum suscipiat, & ut nemo sacris initiatus matrimonium ineat, eò, quia ex lege cœlibatus pernecessarium sit abstinere ab usu matrimonii, postquam sacer aliquis ordo est susceptus.

Difficultas est, an lex ista cœlibatus sit in ecclesia jure tantùm ecclesiastico, vel divino sacris annexus ordinibus, & quæstio est, an votum solemne continentiæ sit annexum sacris ordinibus jure divino, vel tantùm ecclesiastico: & hoc votum non ducendi uxorem est ipsa obligatio servandi castitatem post sacros susceptos ordines, quæ obligatio consequens ad susceptionem, sacri ordinis vocari etiam solet votum implicitum continentiæ; non enim est necesse, ut qui sacris initiatur ordinibus, expressum emittant votum castitatis, quia eo ipso, quod sacros suscipiunt ordines cum hac annexa obligatione ad perpetuam continentiam ob Dei cultum dicuntur implicitè vovere continentiam, imò hæc eadem obligatio solet etiam dici votum solemne, quatenus non solum impedit matrimonium contrahendum, sed etiam dirimit instar voti solemni matrimonium contractum, & efficit, ut si quis initiatus sacris ordinibus contrahat matrimonium, hoc nullum fortiatur valorem, sed sit irritum, ac invalidum.

Hoc posito, asserendum est, cœlibatum sacris annexum ordinibus esse tantùm de jure ecclesiastico: ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. & cum ipso verè communiter Theologi, quia si cœlibatus in homine sacris initiato ordinibus esset de jure divino, assignandum esset aliquod divinum præceptum, quo Deus injungeret cœlibatum: sed hujusmodi præceptum non est assignabile in lege veteri, neque in evangelica, consequenter non est de jure divino. Major constat, quia non potest quidquam affirmari de jure divino, nisi probetur extare jus hoc divinum. Minor ostenditur, quia si probaretur maximè ex Veteri Testamento *Deuter.* 33, ubi in benedictione Levitarum dicitur de iisdem: *Quod filios suos nesciverant*, seu quod Levitæ non habuerint filios, ac non fuerint uxorati; hoc enim nequit intelligi ad litteram de Leviticis ministris Veteris Testamenti, quia constat ipsos habuisse uxores, & ex illis filios genuisse, unde debet intelligi spiritualiter, ac propheticè de Leviticis Ministris Novi Testamenti, ergo in lege evangelica constitutos in sacris ordinibus obstrictos esse cœlibatus est de jure divino. Verum ex citato Deuteronomii loco non probatur, cœlibatum esse de jure divino, quia tametsi benedictio Levitarum intelligatur propheticè de Ministris Novi Testamenti, satis est ad veritatem vaticinii, si sacris initiati ordinibus in lege evangelica cœlibes sint & continentes per legem ecclesiasticam: siquidem per hoc tantùm præcisò quovis alio jure sufficienter verificatur vaticinium illud *Deuteron. quod filios suos nesciverant, seu non habuerant*, unde hoc vaticinium ut impleretur, non erat necessaria lex divina, quæ cœlibatum præciperet. Rursus neque ex lege evangelica evincitur cœlibatus esse de jure divino, quia si probaretur maximè ex verbis illis Christi: *attendite, ne graventur corda vestra crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ*, quæ verba expendens D. Leo Papa *serm.* 8. *de jejun.* 10. *mensis.* ait: Christum præfatis verbis præcipere à ministris Ecclesiæ continentiam & cœlibatum, qui propterea est de jure divino, seu de præcepto Christi, unde Siricius Papa ad Hymerium Tarraconensem Episcopum ait: *Christum voluisse in sua ecclesia castitatem radicare*, sed ex hoc nec probatur esse in lege evangelica cœlibatum de jure divino: quia Christus præfatis verbis non prohibuit omnino curas hujus vitæ, sed nimias curas, & solicitudines, quæ avertunt à necessaria cura profectus spirituales: idque ex eo liquet, quia Christus direxit verba illa ad omnes fideles, quos solicitos voluit propriæ salutis, ac paratas esse ad reddendam rationem supremo Judici, quod ad omnes pertinet, qui sunt expectaturi extremum judicium. Hinc Siricius Papa scripsit, Christum voluisse in communi, ut castitas commodo efflorescere in Ecclesia, quo videretur expediens ad optimum ejusdem statum, quapropter ex hac generali Christi voluntate non potest inferri, esse cœlibatum de jure divino in his, qui sacris sunt ordinibus initiati, quia Christus hoc præceptum injunxit omnibus fidelibus in communi, ut expressè asserit S. Leo Papa *initio præcitati sermonis* 7. ubi ait: Christum eo præcepto totam in Apostolis voluisse ecclesiam instituere, neque D. Leo ait, præceptum illud pertinere ad solos ecclesiæ Ministros, sed ait, spectare peculiariter ad eos, qui proximiores sunt extremo judicio; Apostoli itidem quamvis cœlibatum vel maximè Episcopi, commendent, ut D. Paulus *ad Titum*, ubi scribit, Oportet Episcopum esse sobrium, justum, continentem, seu abstinentem à conjugio, 1. *Petri* 5. ubi Princeps Apostolorum monens subordinatos Ecclesiarum Pastores ait: *Sobrii, seu continentes & abstinentes à conjugio estote, & vigilate*; non tamen asserunt esse de jure divino, sed inde tantum inferimus, legem cœlibatus esse Apostolicã in iis qui sacris initiantur ordinibus.

Firmari ab eo etiam potest, quia Ecclesia Romana pluribus abhinc sæculis concessit Sacerdotibus Græcis usum matrimonii contracti ante sacras ordinationes ut constat *ex cap. Cum olim de Cleric. Conjug.* tametsi hæc pro tempore concessio in minus probatam postea abierit consuetudinem, ortam ex eorundem Græcorum abusu. Præterea quia S. Gregorius Papa *lib.* 1. *regist. epist.* 42. concessit Subdiaconis Siciliæ, ut possent uti matrimonio inito ante sacram ordinationem: quamvis prohibuerit imposterum conjugatos ordinari, nisi una cum uxoribus perpetuam voverent continentiam. Rursus ex Concilio Ancirano *cap.* 10. liquet

potuisse olim Diaconos etiam post ordinationem uxores ducere, si facultatem ab Episcopis impetrassent, & hoc Concilium approbatum postea fuit à Leone IV. Atqui Pontifices. & Concilia non possunt dispensare in jure divino, sed tantum in ecclesiastico ergo cœlibatus in iis qui sacris sunt Ordinibus initiati, est tantùm de jure ecclesiastico, cùm ecclesia dispensaverit; qui enim legem condidit; potest ex justis causis in eadem dispensare, imò & legem ipsam abrogare, si temporis & loci circumstantiæ id videantur exigere. Dein quia in Concilio Tridentino lex ista cœlibatus dicitur ecclesiastica *sess. 24. can. 19.* ubi anathemate feriuntur improbantes cœlibatum lege ecclesiastica injunctum iis, qui sacris sunt ordinibus initiati: hinc Clitopheus *lib. de continentia Sacerdot. cap. 4.* ex eo, quod nunquam licuerit post sacram ordinationem uxorem ducere, intulit, id esse de jure divino, ut etiam in matrimonio, quia matrimonium his qui in sacris sunt Ordinibus constituti non interdicitur propter ipsum actum contrahendi, seu ducendi uxorem: siquidem hujusmodi actus constituit sacramentum, consequenter est actus sanctus, religiosus, ac honestus, sed prohibetur matrimonio ob ejus usum, quia uti matrimonio non videtur decere dignitatem Sacerdotalem, ac officium eorum, qui in sacris sunt Ordinibus constituti, sed usus matrimonii non est jure divino prohibitus initiatis sacris Ordinibus, ergo nec uxorem ducere post sacros susceptos Ordines prohibitum erit jure divino: quia matrimonium inire in sacris Ordinibus est tantùm prohibitum propter ejus usum, quæ prohibitio est tantùm juris ecclesiastici, non divini, cùm certum sit, plures ex veteribus Episcopis uxores habuisse, quas ante ordinationes duxerant, & cum illis habitâsse, quod non contigisset, si usus matrimonii fuisset Episcopis jure divino interdictus, hinc D. Paulus 1. *ad Timoth.* 3. scribit: *Oportere Episcopum esse unius uxoris virum domui suæ bene præpositum, filios habentem subditos,* id est, quod debeat Episcopus esse unius uxoris tantum, non quòd ducat illam post susceptos sacros ordines, sed quam susceperat ante sacram ordinationem, adeo ut non esset promovendus ad Episcopatum, nisi qui unam duntaxat uxorem duxit, & non liceat eam ducere post susceptam sacram ordinationem. Hinc tempore Apostolorum Episcopos habuisse uxores, & liberos, sed post susceptum ordinem, se postea continuisse, ac legem servâsse cœlibatus.

Præterea quia certum est, D. Petrum Apostolorum Principem fuisse uxoratum. & filiam habuisse S. Petronillam, imò uno excepto Joanne putant nonnulli cæteros Apostolos habuisse uxores, quas duxerant, antequam ad Apostolatum vocarentur, sed D. Hieronymus supponit, Apostolos non habuisse uxores præter D. Petrum, inquiens *lib. 1. cap. 14. adversus Jovinian. Quamquam excepto Apostolo Petro non sit manifestè relatum de aliis Apostolis, quod uxores habuerint: & cùm de uno scriptum sit, ac de ceteris tacitum, intelligere debemus sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil scriptura significat,* & *cap. 18.* ait: *Non dicit Paulus, eligatur Episcopus, qui unam ducat uxorem, & filios faciat: sed qui unam habuerit uxorem, & filios in omni subditos disciplina. Certè confiteris non posse esse Episcopum qui in Episcopatu filios faciat: alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur;* & paulò infra subdit: *Si laicus quicunque fidelis orare non potest, nisi careat officio conjugali: Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sacrificia, semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio;* hinc Justinianus Imperator præcipit *in authent. Episcop. Cod. de Episc. & Cleric. Episcopo nullam mulierem secum habere permittitur, sed si habere probetur, ab episcopatu dejiciatur, quo se fecit indignum:* & S. Joannes Chrysostomus *homil. 2. in Joan.* ponit discrimen inter antiquum ecclesiæ statum in sua erectione ab ecclesia recenti, quoniam Virgines raro inveniebantur, Paulus Episcopos ordinans Tito dixit: Constitue Episcopos sicut ego disposui unius uxoris viros; non ea ratione, quod id nunc in ecclesia observetur: Oportet enim omni prorsus castitate Sacerdotem ornatum esse. Quòd verò verba illa Apostoli, unius uxoris virum, intelligantur taliter, ut bigamus, seu qui duas duxerit uxores, non valeat ordinari, non autem quod ordinatus in sacris ordinibus possit unam tantùm uxorem ducere, vel manere apud ipsam ductam ante susceptos Ordines, expilcitè habetur *in can. 3. Nicena Synod.* relato per Gratianum *in dist. 32. Can. interdixit,* ut scribit etiam S. Ambrosius *lib. 3. epist. 25.* Ubi ait: *Neque iterum, ut filios in sacerdotio creare Apostolica invitetur authoritate: habentem enim dixit filios, non facientem, neque conjugium iterare;* & paulò post subdit: *Qui iteraverit conjugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogativa exuitur Sacerdotis;* & paulò infra ait: *Cognoscamus, non solùm hoc Apostolum de Episcopo, & Presbytero statuisse, sed etiam Patres in Concilii Nicæni tractatu addidisse, neque Clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus sit;* & ostendit Apostolum dixisse, Episcopos esse assumendos, qui ante sacros susceptos ordines unam tantùm uxorem duxerint, quam post susceptos sacros ordines dimittant, seu non amplius cum ipso maneant, & abstineant ab usu matrimonii; hinc Chrysostomus ait, Apostolum per verba illa, quibus injungit Episcopum esse unius uxoris virum, non ferre legem, ut Episcopi uxores habeant; sed solùm ut non habeant, vel non habuerint nisi unam, & virginem, imò magis clarè, & distinctè exhibet sensum litteralem, moralem & mysticum ex præfatis Apostoli verbis *cap. 4.* inquiens; *Si ad superficiem tantum littera respiciamus, prohibet bigamum Episcopum ordinari. Sin verò ad altiorem sensum conscendamus, inhibet Episcopum duas habere Ecclesias, & si adhuc introrsus profundiora perscruteris monet, ne post Catholicum dogma sensum inveniatur Episcopus habere hæreticum, sed Christianam tantùm orthodoxam & Catholicam sibi asściet fidem, ut unius tantumodò uxoris & ecclesiæ Catholicæ vir Episcopus vocitetur,* unde per uxorem intelligitur Ecclesia, cum qua Episcopus spiritualis matrimonium contrahit, adeo ut non possit nisi unius tantùm ecclesiæ esse Episcopus.

Afferendum est secundò, legem cœlibatus esse in ecclesia antiquissimam, adeo ut sancita fuerit hæc lex tempore Apostolorum, ut notat Dominicus Sotho *lib. 7. de justit. & jure quæst. 6. art. 2.* & cum ipso communiter Theologi, & probari solet assertio ex eo, quòd D. Paulus scribens ad Titum ait: *Oportet Episcopum* (quo nomine etiam comprehenduntur Presbyteri, & omnes alii, qui sacris sunt ordinibus initiati) *esse sobrium, justum, sanctum, continentem,* seu, ut explicat D. Hieronymus, *abstinentem ab uxoris etiam amplexibus:* ut etiam ex illo 1. *ad Timoth 3. Filios habentem subditos cum omni castitate,* dicit Apostolus, *cum omni castitate* ut nullam excludat, & illam etiam includat, quæ consistit in continentia cum uxore. Hinc Concilium Carthaginense II. *can. 2.* ad Exemplum Apostolorum confirmavit legem cœlibatus his verbis: *Placuit, ut Presbyteri, Episcopi, Diaconi, & omnes, qui sacra contrectant, ab uxoribus abstineant: ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Imo antiquitas cœlebatus ostenditur etiam

etiam ex Calixto I. Pontifice, qui præfuit ecclesiæ anno 218. is enim etiam injunxit cœlibatum iis, qui sacris essent ordinibus initiati, ut refert Gratianus *distinct. 27. cap. Presbyt.* ubi Pontifex sub illis ecclesiæ initiis dixit: *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis & Monachis concubinas habere seu matrimonia contrahere pœnitus interdicimus, contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi juxta sacrorum canonum definitiones indicamus.* Quòd si canones in Ecclesia definientes cœlibatum servandum à constitutis sacris ordinibus fuerunt antiquiores in Ecclesia Calixto, necesse est inferemus legem hanc ecclesiasticam de cœlibatu esse Apostolicam, ac tempore incœpisse Apostolorum, præsertim cùm in eorundem canonibus præcipiatur, ut minoribus duntaxat ordinibus initiati possint uxorem ducere, ergo tunc id non fuit licitum iis, qui in sacris erant constituti, alioquin de Clericis minoribus non fuisset, difficultas, nec opus fuisset, ut per canones id declararetur.

Hinc constat, quàm falsò asserant Hæretici, legem cœlibatus repugnare antiquis Conciliis, & à solo Pontifice contra Synodorum authoritatem fuisse sancitam post undecimum sæculum, imò post duodecimum tantùm fuisse in Germania promulgatam, ut somniavit Melanchthon *in exam. cap. 9. sess.* 24. siquidem Zacharias qui in Petri cathedra sedit anno 741. seu ante nongentos annos injunxit Bonifacio Episcopo Germaniæ, ut legem cœlibatus religiosè ac sanctè servarent, quotquot sacris initiarentur ordinibus. Præterea in Conciliis Moguntino, & Vormaciensi, celebratis in Germania ante 800. annos, indicitur lex cœlibatus, ac servanda injungitur iis, qui sacris initiantur ordinibus.

Hæretici autem, ut probent legem cœlibatus, non esse in ecclesia Apostolicam, sed solum post plura sæcula à Papis Romanis sancitam objiciunt *can.* 6. *Apostolor.* ubi habetur: *Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam obtentu religionis abjiciat.* Secundò adferunt *canonem, si quisamodo.* 81. *dist. & cap. sane, & cap. si qui Clerici*, ex quibus constat usitatum in ecclesia fuisse, ut Sacerdotes matrimonium inirent, & uxores ducerent. Objiciunt etiam Concilium Gangrense *can.* 4. ubi legitur, *quicunque discedit à Presbytero, qui uxorem habuit, quòd non oporteat eo ministrante oblationem accipere anathema sit.* Sed ex hisce textibus, qui sunt præcipua fundamenta, quibus nituntur Hæretici, nil abducitur contra nostrum assertum; ad primum enim respondetur in canone illo Apostolorum tantùm præcipi, ne prætextu religionis Presbyter aut Episcopus, qui ante sacras ordinationes uxorem duxerat, curam illius abjiceret, quia injungebatur sacris initiatis ordinibus, ut suas alerent uxores, quibus necessaria ad vitam & vestitum suppeditarent, ut habent Concilia, Trullanum & Turonense *can.* 48. ad secundum de Sacerdotibus ducentibus uxorem respondetur, hunc morem nunquam viguisse in ecclesia, & imò, qui matrimonium hoc pacto contraxerunt, fuerunt graviter puniti, ut constat ex præcitatis textibus, imò Alexander II. in illo can. *Si quis amodò* decrevit, ut Sacerdotes, qui uxores auderent ducere, à gradu ejicerentur ecclesiastico, & nunc matrimonia, quæ contrahuntur ab iis, qui sacris sunt ordinibus initiati, ut etiam à religiosis professis habentur ab Ecclesia nullius valoris, non ita sacerdotium susceptum ab uxorato inscia uxore, tametsi hæc nolit perpetuam vovere castitatem, imò velit à marito exigere debitum, in quo casu tenetur maritus Sacerdos debitum dd e-re uxori, non tamen posset illud ab uxore petere, ac exigere, quia in voluntaria susceptione sacri ordinis ex suppositione sacri ordinis ex suppositione, & bona fide, quod ejus uxor fuerit mortua, implicitè vovit ipse perpetuam castitatem. In hoc tamen casu consultius esset, si Sacerdos uxoratus non celebraret publicè, & nonnisi in solemnioribus anni festis, in quibus uxor debitum ab ipso non exigeret, & aliis diebus tantum communicaret, perinde ac cæteris sæculares, eò quia non sit amplius in ecclesia moris ut Sacerdotes sint uxorati. Ad tertium desumptum ex Concilio Gangrensi respondetur, à tali Concilio iis tantùm respondetur, à tali Concilio iis tantùm dici anathema, qui à tali Presbytero, ejùsque ministerio abhorrerent, ac si matrimonium fuisset per se malum, quamvis Sacerdos abstineret ab uxore, quam duxerat ante susceptos sacros ordines, & hunc esse verum sensum illius canonis constat ex *can.* 1. & 4. ejusdem Concilii. Plura alia objiciuntur à Sextariis contra cœlibatum, primò illud *Genes. cap.* 1. *Crescite & multiplicamini*, ubi Deus mundi Conditor injungit multiplicationem humani generis, quæ cum haberi non possit sine matrimonio, sequitur, quod præcipiat matrimonium, quod præfert cœlibatui. Sed contra quia Sancti Patres expendunt verba subsequentia, *& replete terram*, ex quibus inferunt habuisse, quidem ad tempus vim præcepti, cum terra vacua esset, non verò cum fuit hominibus repleta.

Secundò quia Apostolus *ad Hebræ.* 13. *vocat honorabile conjugium in omnibus*, & illud 1. *ad Corinth.* 2. *propter fornicationem autem unusquisque propriam uxorem habeat*, sed contra, quia hæc verba intelliguntur de omnibus legitimè conjunctis, non verò de illegitimè conjugatis: & nonnulli Sancti Patres explicant verba Apostoli de conjugatis conversis ad fidem *propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat*, quia ut asserunt Tertullianus & D. Hieronymus, recens conversi ad Christi fidem dubitabant, an possent uti uxoribus post conversionem, & ideo Apostolus respondet, posse fideles, qui continere se non possunt, propter fornicationem uxorem suam habere, & matrimonio uti post conversionem, non verò verba Apostoli intelliguntur de non conjugatis, & maxime Clericis, quibus matrimonium inire vetitum erat, idque colligitur ex subsequentibus verbis Apostoli: *Dico autem non nuptis, sed viduis, bonum est eis, si sic permanserint.*

Tertiò objiciunt *canonem* 50. *Apostolorum*, ubi habetur, *si quis Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus, aut quis omnino ex sacerdotali consortio nuptiis & carnibus, vel vino abstinuerit, non propterea, quo mens ad cultum pietatis reddatur exercitatior, sed propter abominationem, oblitus, quod omnia pulchra valdè, & quod masculum, & fœminam creavit Deus hominem; sed diffamationibus lacesiens creationem Domini vocat ad calumniam, aut corrigitur, aut deponitur, aut ex Ecclesia ejicitur.* Sed contra tantum abest, quod hic canon officiat cœlibatui, ut ipsi potiùs faveat eumque magis corroboret, quia in eo canone significatur præceptum alioquin Apostolicum, ut scilicet tales ministri se abstineant à nuptiis, & quidem eo fine, ut reddantur exercitatiores ad cultum pietatis, & ad divina ministeria obeunda, unde canon ille tantùm prohibet, ne ab illis abstineant ex illa abominatione matrimonii, quæ damnatur etiam in Concilio Gangrensi, ut paulò ante innuimus, & sicut nonnisi hoc modo in eo canone prohibetur abstinentia à carnibus, & vino: siquidem licitum est, ex alio fine ab illis abstinere,

nere,

nere, ita, ut fideles, & clerici fiant exercitatiores pro cultu divino, injungitur iisdem, ut abstineant à nuptiis.

Quarto objiciunt *canonem* 13. Trullanæ Synodi, ubi apertè damnatur consuetudo Ecclesiæ Romanæ de voto continentiæ in ordinatione, & urgetur contra illam canon sextus Apostolorum ubi dicitur, quod fideles non debeant prætextu religionis uxores suas abjicere. Sed contra, quia illa Trullana Synodus non habet sufficientem authoritatem; non enim est ipsa Sexta Synodus, quæ nullos condidit canones, ut liquet ex septima Synodo, sed quidam Episcopi convenerunt in Trullo in Justiniani palatii aula, cujus fornix cùm esset in figuram cupulæ constructus, Trullus denominabatur, & sine legitima Concilii authoritate ediderunt quosdam canones, ut notat Turianus *Lib. de Canonib. sexta, septima, & octava Synodi.* Neque hujusmodi canones fuerunt à Pontifice approbatæ, sed potiùs à Sergi, Papa reprobatio ut refert Venerabilis Beda *lib. 6. de ætatib. in Justiniano*, & Paulus Diaconus *lib. de rebus Romanis cap. 9.* adeo ut Beda vocet Cœtum illum Episcoporum erraticam Synodum: Præterea canon ille Trullanus nullo pacto favet Sectariis, quia tantùm statuit, ut liceat uti uxoribus ante ordinationem ductis, & id quidem nonnisi Ministris inferioribus Episcopo, ut patet ex *can.* 60. ejusdem Trullanæ Synodi, & Sectarii hanc extendunt etiam ad Episcopos, & in sacris ordinibus constitutos, adeo ut liceat ipsis post sacros susceptos ordines, si velint, uxores ducere, & uti matrimonio.

Quinto objiciunt canonem tertium Concilii V. Carthaginensis, ubi dicitur, ut Episcopi Presbyteri, Diaconi se abstineant ab uxoribus in propriis terminis, seu in ordine vicis suæ in ministrando. Sed contra quia Concilium illud Carthaginense, quod Latinum, non Græcum fuit, non habet in propriis terminis, sed secundum propria statuta secundi Carthaginensis. Quod non obest cœlebatui, & quamvis canon hujus Concilii V. Carthaginensis recitetur à Gratiano 32. *distinct. can. placuit*, Græci tamen, cum non satis intelligeret fortassis verba Latina corruptè verterunt in propriis terminis, cæterum quod in eo Concilio consuetudo conjugalis interdicta fuerit Ministris ecclesiasticis, ac Clericis, qui sacris sunt ordinibus initiati clarè instat ex D. Augustino, qui interfuit Concilio illi *lib. 2. de adulter. conjug.*

Sextò objiciunt, *Canonem; cum igitur. ex D. Augustino 35. quæst.* 1. ubi dicitur, ecclesiam post Apostolica instituta quædam Consilia perfectionis addidisse, ut de continentia Clericorum; sed contra, quia hæc verba non pertinent ad canonem, sed sunt ipsius Gratiani, nec ipse quid aliud innuere voluit nisi quod Ecclesia quædam, quæ quantum est ex jure ipso divino solum erant Consilia, præcepto etiam stabiliverit, & addidit, inter alia fuisse etiam hanc Clericorum continentiam.

Septimò objiciunt, quia Stephanus Papa *dist.* 31. *can. aliter.* asserit, in Ecclesia Orientali Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos matrimonio copulari; in Occidentali autem non habere licentiam sortiendi conjugium, ex quo inferunt, potuisse Ministros in sacris constitutos in Orientali Ecclesia etiam post ordinationem inire matrimonium, & inde inferunt, non esse tam antiquam hanc legem cœlibatus. Sed contra, quia respondet Glossa ibidem, illud quod Stephanus Papa asserit matrimonio copulari, non significare inire matrimonium, sed copula matrimonii uti, id quod ex quadam concessione ab aliquot sæculis licuit in Ecclesia Orientali. Verùm hæc interpretatio non videtur congruere textui, quia in eodem Stephanus sumpsit matrimonio copulari ac conjugium sortiri, seu inire matrimonium: sed *Soto lib. 7. de justit. & jure quæst. 6. art.* 2. ait: Stephanum tantùm posuisse discrimen inter Ministros Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ, eò quia in Orientali Sacerdotes futuri, qui sacerdotio erant initiandi, possent ante sacram ordinationem matrimonio copulari, & in eo permanere, & etiam illo uti, quod vetitum erat in Ecclesia Occidentali. Præterea non satis liquet, quisnam Stephanus verba illa protulerit, neque hoc Gratianus indicavit.

Objiciunt octavò, quia Leo *epist.* 85. *aliàs* 87. ait: *asserente Apostolo, ut is Episcopus ordinetur, quem unius uxoris virum fuisse, aut esse constaret, tam sacra semper est habita ista præceptio. ut jam de muliere Sacerdotis eligenda eadem intelligatur secunda conditio, ne alterius viri esset experta conjugium.* Ex quibus verbis inferunt Sectarii Sacerdotes & Episcopos posse etiam post ordinationem alibi deligere uxorem. Sed contra, quia in emendatioribus Codicibus non est sermo de muliere Sacerdotis eligenda, sed de muliere Sacerdotis eligendi, ut is, qui eligendus est in Sacerdotem, si habuerit uxorem, non modò oporteat eum plures quàm unam non habuisse, sed etiam necesse sit ipsam etiam fœminam nullum aliud fuisse conjugium expertam. Quod autem D. Leo id voluerit indicare patet, quia *in epist.* 84. expressè ait: Episcopum ita unius uxoris virum esse posse, ut tamen ab illa, si eam adhuc habeat, perpetuò se se contineat.

Non objiciunt Clementem Papam ita in quadam epistola scribentem. Ministri altaris ad Dominica tales eligantur officia, qui ante ordinationem conjuges suas noverint. Sed contra, ut respondet Soto *lib. 7. de just. & jure quæst. 6. art.* 2. hæc verba accipienda sunt negativè, adeo ut sensus sit, qui non post ordinationem conjuges suas cognoscant, quamvis antea eas potuerint cognoscere, adeo ut illi possint ordinari Ministri altaris & ad dominica deputari officia, qui post ordinationem conjuges suas cognoverunt, quamvis antea eas cognoverint; alioquin si absolutè essent verba illa intelligenda, sensus esset, non debere, nec posse unquam ordinari eos, qui ante ordinationem non habuerint, & cognoverint uxores, quod est absurdum.

Decimo objiciunt, eò quia aliquando permissum fuit Diaconis, ut post ordinationem uxores ducerent, ut colligitur ex Concilio Ancyrano *cap.* 10. imò Subdiaconi, ut liquet ex Gregorio, qui hanc facultatem impertitus est Subdiaconis Siciliæ; sed contra, quia quamvis licitum fuerit Diaconis, & Subdiaconis uxores ducere, non tamen absolutè, sed cum dispensatione & licentia Episcopi ex legitima causa, ut asseritur in Concilio Ancyrano; hæc autem dispensatio est indicium legis sancitæ de cœlibatu servando ab illis, qui sacris initiantur Ordinibus. Nunc à multis sæculis non licuit hac in re Episcopis dispensare. D. Gregorius etiam dispensavit cum Subdiaconis Siciliæ, non ut post ordinationem uxores ducerent, sed ut uterentur ante acceptis; ex quo potiùs infertur legem cœlibatus in ecclesia non esse novam à recentioribus Pontificibus sancitam, sed antiquissimam in ecclesia, cùm Callistus, qui floruit primis ecclesiæ temporibus etiam continentiam injunxit Diaconis & Subdiaconis secundùm sacros canones, & dixerit, legem esse in ecclesia antiquissimam.

Sed instant Sectari asserentes, Subdiaconatum olim non fuisse ordinem sacrum, seu non habuisse annexum votum continentiæ, quia id intelligitur, non quia nulla fuerit lex cœlibatus, sed quia facile dispensatur Subdiaconis, ut uxores ducerent: siquidem potuerunt

Episco-

Epiſcopi ex legitima cauſa diſpenſare cum Diaconis, & Subdiaconis, quòd ſi lex non extitiſſet, non indiguiſſent diſpenſatione à lege.

Undecimo objiciunt, eò quia aliquando licuerit Clericis Sacris ordinibus initiatis habere ſecum domi uxores; etenim Cyprianus *in lib. de ſingularitat. Clericor. prope fin.* ait: *Si quis Clericorum habeat matrem, vel ſororem, vel conjugem, vel cognatam, ſic habeat, ut nulla ancilla interſit.* Et in Concilio etiam Arelatenſi II. *can.* 3. dicitur: *Si quis Clericorum à Diaconatu in ſolatio ſuo mulierem præter matrem, aviam, ſororem, filiam, neptem, vel converſam ſecum uxorem habere præſumpſerit à communione alienus habeatur.* Sed contra, quia ut ſuperiùs diximus, licuit quidem habere domi etiam uxorem, ſed converſam, ut ait Concilium Arelatenſe, ſeu quæ perpetuam etiam voverit continentiam, non verò ad uſum matrimonii.

Objiciunt duodecimo, quia Iſidorus *lib. 2. de offic. cap.* 2. tradens regulam Clericorum ita inter cætera ait: *Clerici caſtimoniam corporis perpetuò ſervent, aut unius matrimonii vinculo fœderentur*, & hunc locum Iſidori vel maximè urgent Sectarii, præſertim Kemnitius. Sed contra, quia Iſidorus eo loco loquitur de omnibus Clericis in communi, unde quod ait, aut unius matrimonii vinculo fœderentur, refertur ad Clericos in minoribus tantùm initiatos Ordinibus, quòd vero addit, Clerici Caſtimoniam corporis perpetuò ſervent &c. refertur ad Clericos majoribus Ordinibus initiatos, quia iſti perpetuam tenentur continentiam ſervare.

Tertio decimò objiciunt, quia plures veteres Epiſcopi, & quidem pietate litteris, & ſanctitate celebres fuerunt uxorati, ut S. Hilarius, Pater D. Gregorii Nazianzeni, imò & Polycrates *lib. de cœlib. ad Regem Angliæ* apud Euſebium refert ſeptem ex ſuis parentibus fuiſſe Epiſcopos, & ſe eſſe octavum; & Centuriatores *lib. 5. hiſtor. cap. 24. & centur. 4. cap. 7.* aſſerunt, Presbyteros Macedoniæ duxiſſe uxores, teſte Innocentio I. Sed contra, quia non inficiamur, ex veteribus Epiſcopis quoſdam habuiſſe quidem poſt ordinationem uxores, non tamen illis fuiſſe uſos, nec eas poſt ordinationem duxiſſe, quemadmodum etiam ex Apoſtolis aliqui fuerunt uxorati, antequam ad Apoſtolatum vocarentur, & licèt in Apoſtolatu retinuerint ſuas uxores, non tamen uſum ullum habuerunt matrimonii, ſed ab illis omnino abſtinuerunt, eaſque habuerunt ſorores, quibus ſuppeditabant neceſſaria ad victum & veſtitum; cæterum qui olim Presbyteri vel Epiſcopi fuerunt, manifeſtè deprehenſi, quòd uterentur ſuis uxoribus, id perperam fecerunt, & contra legem eccleſiaſticam, ut conſtat ex epiſtola Zachariæ ad Bonifacium, unde eorum exemplum non officit, cùm perperam id fecerint. Quòd verò aſſerunt Centuriatores de Presbyteris Macedoniæ, id falſum eſt; nihil enim tale refert Innocentius, nec alius Author fide dignus, ut etiam non obeſt, quod dicit Melanchthon de Polycrate aſſerente, ſeptem ex ſuis progenitoribus fuiſſe Epiſcopos, quia inde non ſequitur, quod poſt ſacram ordinationem matrimonium iniverint, neque ſequitur, quod ſi, antequam ſacris initiarentur, uxores duxerint, iiſdem poſtea fuerint uſi poſt ſacram ordinationem.

# CAP. V.

## An Cœlibatus ſit præſtantior ſtatu conjugali.

OStendimus cœlibatum præſtantiorem eſſe ſtatu conjugali, & caſtitatem non ſolùm laudabilem, & bonam eſſe, ſed conjugio etiam perfectiorem, & præmio digniorem, quod inficiantur Sectarii contra antiquiſſimos Patres Eccleſiæ; ſiquidem Theophilus Antiochenus *lib. 2. allegoriar.* qui vixit circa annum 70. loquens de viris colentibus caſtitatem ait: *Hi ſunt, qui ſuper terram bonam ſeminati ſunt, qui audiunt Verbum Dei, & ii faciunt fructum triceſimum, quod ad conjuges pertinet, aliud fructum ſexageſimum, quod ad viduas refertur, aliud centeſimum, & fructus iſte Virginibus convenit.* Hinc à poſteriori ex fructu perfecto colligitur præſtantia Cœlibatus ſupra ſtatum conjugalem. Rurſus Tertullianus *lib. 1. contra Marcion. cap.* 29. ait: *Sanctitatem ſine damnatione nuptiarum novimus, & ſectamur, & præferimus, non ut malo bonum, ſed ut bono melius, non enim projicimus, ſed deponimus nuptias*, hoc idem aſſerunt Clemens Alexandrinus *lib. 4. ſtrom.* Cyprianus *de diſciplin. & habitu virginali, & ſerm. de nativit. Chriſti.* Zeno Veronenſis *ſerm. de continentia.* Euſebius Cæſarienſis *lib. 4. vit. Conſtant. cap.* 20. Baſilius *lib. de ver. virgin.* D. Ambroſius *epiſt.* 21. Gregorius Nazianzenus *carm. de prudent.* Cyrillus Jeroſolymitanus *Catecheſ.* 4. Siricius Papa *epiſt. ad Mediolanent.* Laurentius *de lect. evangel. Tractat.* 1. D. Hieronymus *ad Euſtoch. de cuſtod. virginit.* Auguſtinus *lib. de Sancta Virginit. cap.* 21. ait: *Nos ſecundùm ſcripturam ſanctam, fidem, ſanamque doctrinam, nec peccatum eſſe dicimus nuptias, earum tamen bonum non ſolum infra virginalem, ſed etiam infra vidualem continentiam conſtituimus.*

Hinc liquet contra Sectarios, præſertim Lutheranos & Calviniſtas eſſe cœlibatum honeſtum & laudabilem in eccleſia, & præſtantiorem conjugio; quam veritatem non ſolùm noverunt Sancti Patres, & Chriſti fideles, verùm etiam ipſi Ethnici, qui cœlibatum etiam fuerunt profeſſi & præclaram caſtitatis virtutem nuptiis prætulerunt, ut quanti ſit cœlibatus pretii, Hæreticos edocerent, ut erubeſcerent; & D. Hieronymus percurrens Græcas, Latinas, & Barbaras hiſtorias plura congerit exempla Ethnicorum, qui culturæ caſtitatis addicti fuerunt; ait ipſe: Referunt fabulæ, Atalantam, Calydoniam Virginem ſemper in venatibus, ſemper in ſilvis, non tumentes uteros fœminarum, faſtidiaque conceptuum, ſed expeditam & caſtam amaſſe virtutem. Harpalicen quoque Virginem Thraciam inſignis Poëta deſcribit & Reginam Volſcorum Camillam, quam Turnus, cui auxilio venerat, laudare volens non amplius habuit, quod diceret, niſi Virginem nominaret. O decus Italiæ Virgo! Chalcœcus quoque filia illa *λιω* Virgo perpetua, peſtilentiam patriæ ſcribitur ſpontanea morte ſolviſſe, & Iphigeniæ Virginis ad verſos placaſſe ventos. Quid referam Sibyllas Erithræam atque Cumanam, & octo reliquas? (nam Varro decem fuiſſe autumat) quarum inſigne virginitas eſt, & virginitatis præmium divinatio? Quòd ſi Æolici genere ſermonis Sibylla Θεοβύλη appellatur, rectè conſilium Dei ſola ſcribitur noſſe virginitas. Caſſandram quoque, & Chryſin Vates Apollonis, ac Junonis, Virgines legimus. Et ſacerdotes Dianæ Tauricæ, & Veſtæ, innumerabiles extiterunt, quarum una Minutia propter ſuſpicionem ſtupri viva defoſſa eſt, injuſta, ut reor, pœna, niſi

grande crimen putaretur læsa Virginitas. Certe Romanus populus quanto honore Virgines semper habuerit, hinc apparet, quod consules, & Imperatores, & in curribus triumphantes, qui de superatis gentibus trophæa referebant, & omnis dignitatis gradus eis de via cedere solitus sit. Claudia Virgo vestalis cum in suspicionem venisset stupri, & simulacrum matris Idææ in vado Tyberis hæreret, ad comprobandam pudicitiam suam fertur cingulo duxisse navem, quam multa millia hominum trahere nequiverant. Melius tamen, inquit Lucani Poetæ patruus, cum illa esset actum, si hoc quod evenit ornamentum potiùs exploratæ fuisset pudicitiæ, quàm dubiæ patrocinium. Nec mirum hoc de hominibus, cum Minervam quoque & Dianam Virgines Deas finxerit error Gentilium; & inter duodecim signa cœli, quibus mundum volvi putant Virginem, collocarint. Magna injuria nuptiarum, ut ne inter scorpios quidem, & centauros, & cancros, & pisces, & ægrocerotas, uxorem, maritamque contruserint. Triginta Atheniensium tyranni, cùm Phidonem in convivio necassent, filias ejus virgines ad se venire jusserunt, & scortorum more nudari, ac super pavimenta patris sanguine cruenta impudicis gestibus ludere; quæ paulisper dissimulato doloris habitu, cum temulentos convivas cernerent, quasi ad quæsita naturæ egredientes, invicem se complexæ præcitaverunt in puteum, ut virginitatem morte servarent. Demotionis Areopagitarum principis virgo filia, audito sponsi Leosthenis interitu, qui bellum Lansiacum concitaverat, se interfecit: asserens, quanquam intacta esset corpore, tamen si alterum accipere cogeretur, quasi secundum acciperet, cùm priori mente nupsisset. Spartiatæ, & Messenii diu inter se foverunt amicitias, in tantum ut ob quædam sacra etiam Virgines ad se mutuo mitterent; quodam igitur tempore, cùm quinquaginta Virgines Lacedæmoniorum Messenii violare tentâssent, de tanto numero ad stuprum nulla consensit, sed omnes pro pudicitia libentissimè occubuerunt, quamobrem grave bellum, & diuturnum concitatum est; & post multum temporis Mamertia subversa est. Aristoclides Orchemeni Tyrannus adamavit virginem Stymphalidem; quæ, cùm patre occiso ad templum Dianæ confugisset, & simulacrum ejus teneret, nec vi posset avelli, in eodem loco confossa est, ob cujus necem tanto omnis Arcadia dolore commota est, ut bellum publicè sumeret, ut necem Virginis ulcisceretur. Aristomenes Messenius vir justissimus, victis Lacedamoniis, & nocturno tempore sacra celebrantibus, quæ vocabantur Hiacynthina, rapuit de Choris ludentium Virgines quindecim; & tota nocte gradu concitato, fugiens excessit de finibus Spartanorum, cùmque eas comites vellent violare, monuit quantum potuit, ne hoc facerent, & ad extremum quosdam non parentes interfecit, cæteris metu coercitis; redemptæ postea à cognatis puellæ, cum Aristomenem viderent cædis reum fieri, tamdiu ad patriam non sunt reversæ, quamdiu judicum obvolutæ genibus defensorem pudicitiæ suæ viderent absolutum. Quo ore laudandæ sunt Scedasi filiæ in Leuctris Bœotiæ, quas traditum est absente patre duos juvenes prætereuntes jure hospitii suscepisse? qui multum indulgentes vino vim per noctem intulerunt virginibus, quæ amissæ pudicitiæ nolentes supervivere, mutuis conciderunt vulneribus. Justum est Locridas virgines non tacere, quæ cùm Ilium mitterentur, ex more per annos circiter mille, nulla obscæni rumoris, & pollutæ virginitatis ullam fabulam dedit. Quis valeat silentio præterire septem Milesias filias virgines, quæ Gallorum impetu cuncta vastante, ne quid indecens ab hostibus sustinerent, turpitudinem morte fugerunt; exemplum sui cunctis virginibus relinquentes, honestis mentibus magis pudicitiam curæ esse, quam vitam. Nicanor superatis Thebis, atque subversis, unius virginis captivæ amore superatus est, cujus conjugium expetens, & voluntarios amplexus, quod scilicet captiva optare debuerat; sensit pudicis mentibus plus virginitatem esse quàm regnum; & interfectam propria manu amator tenuit. Narrant scriptores Græci & aliam Thebanam Virginem, quam hostis Macedo corruperat, dissimulasse paulisper dolorem, & violatorem virginitatis suæ jugulâsse postea dormientem, seque interfecisse gladio, at nec vivere voluit post perditam castitatem, nec ante mori, quàm sui ultrix existeret. Apud Gymnosophistas Indiæ, quasi per manus hujus opinionis authoritas traditur, quòd Buddam principem dogmatis eorum è latere suo virgo generavit. Nec hoc mirum de barbaris, cum Minervam quoque de capite Jovis, & Liberum Patrem de fæmore ejus procreatos doctissima finxerit Græcia. Speusippus quoque sororis Platonis filius, & Clearchus in laude Platonis, & Anaxilides in secundo libro Philosophiæ Perictionem Matrem Platonis phantasmate Apollinis oppressam ferunt; & sapientiæ principem non aliter arbitrantur, nisi de partu Virginis editum. Sed & Timæus scribit Pythagoræ Virginem filiam choro virginum præfuisse, & castitatis eas instituisse doctrinis. Diodorus Socraticus quinque filias Dialecticas insignis pudicitiæ habuisse narratur; de quibus & Philo Carneadis Magister plenissimam scribit historiam. Ac ne nobis Dominum Salvatorem de Virgine procreatum Romana exprobraret potentia; auctores urbis, & gentis suæ Ilia virgine, & Matre genitos arbitrantur. Hactenus D. Hieronymus *lib. 1. adversus Jovinianum cap.* 26. ut vel ex opinione Ethnicorum, & naturæ ipsius lumine ostenderet hæreticis, quanta sit castitatis præstantia, quanta cœlibatus dignitas, ut pudicitiam, & culturam castitatis non solum matrimonio prætulerint, sed etiam ipsi vitam amittere, & mori maluerint, quàm vivere absque pudicitiæ ornatu.

Jovinianus igitur contra quem scripsit D. Hieronymus non solum nuptias prætulit virginitati; sed in eo itidem fuit errore, ut putaverit non solum ante, sed etiam post sacram ordinationem licitum esse Sacerdotibus matrimonium inire, huic innixus rationi; quia sicut matrimonium est quid præstantius, Deoque gratius, nulla videtur posse ratio assignari, qua Sacerdotes causa sanctitatis, & religionis debeant à conjugio abstinere; & D. Augustinus *hæres.* 12. refert, ob hanc rationem quasdam sanctimoniales nupsisse, quem errorem ab ipso Augustino impugnatum instauravit Wicklefus apud Waldensem *tom. 2. de Sacramentis cap.* 128. cui adhæsit Lutherus *lib. de abroganda missa privata part.* 3. ubi legem cœlibatus vocat perditissimum ac sacrilegum decretum. Græci quoque hanc legem cœlibatus improbarunt, quatenus jubet, Sacerdotes uxoratos abstinere ab usu matrimonii post susceptam sacram ordinationem, quamvis asseruerint, non licere post susceptos sacros ordines nuptias contrahere, cujus erroris primum authorem ajunt fuisse Nicolaum unum

ex septem primis Diaconis, ita etiam sensit Vigilantius, ut refert D. Hieronymus *lib. 1. contra Vigilantium*; imò hoc item asseruerunt Patres illi Trullani in Græcia circa annum 623. à quo tempore cœpit, idem error per Græciam irrepere, & altius radices figere, magisque increbuit tempore Leonis noni anno Domini 1050. quando ob alios itidem contra fidem errores invecto schismate defecerunt ab ecclesia Catholico-Romana, seque separarunt à Latina, ut suis adhærescerent erroribus. Alius error fuit, quia non solum voluerunt ante susceptos ordines licitum esse nuptias contrahere, sed etiam post, adeo ut clericus in sacris jam constitutus potuerit uxorem ducere, ac uti matrimonio, in quem errorem incidit Jovinianus, qui nuptias prætulit cœlibatui, ea innixus ratione, quia matrimonium sit quid præstantius, ac dignius cœlibatu, ac Deo gratius; ex quo inferebat, nil obstare, quo minus Clerici in sacris constituti possint matrimonium inire; ac illo uti; & refert D. Augustinus *hæres.* 82. aliquas sanctimoniales audito Joviniano nupsisse viris; verùm hic error nunquam potuit suas radices figere, ut germinaret, & augmentum susciperet; sed statim exaruit, ac defecit extinctus, neque teste D. Augustino unquam ad id devenit, ut sacerdotem aliquem induceret ad nuptias contrahendas. Tertius error fuit nonnullorum, qui tametsi legem cœlibatus approbaverint, putarunt nihilominus, conducibilius esse, magisque consentaneum, si conjugium sacerdotibus, aliisque Clericis in sacris ordinibus constitutis permitteretur; ita censuit Erasmus *in can. cum olim. extr. de Clericis conjugatis.* Marsilius de Padua, & alii pauci.

Sed cœlibatum esse præstantiorem, quoad statum, matrimonio, evincitur ex sacris scripturis; cum enim *Matth.* 19. *v.* 10. *& sequent.* Apostoli plura cognoverint pericula, ac superatu difficilia in matrimonio, dixerunt, *si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere*; quibus respondit Christus: *non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est*; *qui potest capere, capiat*; hoc est consenserat quidem Christus, non expedire nubere; sed quia propter difficultatem se continendi, & castitatem excolendi, non omnes illud capiunt, seu intelligunt; qui potest intelligere, intelligat, ita esse, & matrimonio abstineat, seu qui potest se continere, & castitatem servare, non contrahat nuptias; ubi Christus continentiam & cœlibatum præponit nuptiis. Secundò, quia D. Paulus 1. *Corinth.* 7. quærentibus Corinthiis, an illæ Virgines, quæ ad fidem convertuntur, debeant manere Virgines, respondet Apostolus *v.* 25. virginitatem nemini mandari, nec præcipi, sed omnibus consuli, ut matrimonio præstantiorem, idque sex de causis, quas ibidem memoret; & postea quæstionem decidens, ait *v.* 28. *Igitur & qui matrimonio jungit Virginem suam, bene facit, at qui non jungit, melius facit*; quòd si melius, sequitur, cœlibatum esse meliorem ac præstantiorem matrimonio, ac præferendum nuptiis; ex paulo infra *v.* 39. asserit, viduas defuncto conjuge donari libertate, vel in viduitate permanendi, vel transeundi ad secundas nuptias; & *v.* 40. suadet ipsis cœlibatum, ut præstantiorem, ac beatiorem nuptiis, subjungens: *Beatior erit, si sic permanserit*, scilicet in statu viduitatis, ac cœlibatus, non solum ad declinanda incommoda matrimonii, verum etiam, ut vitæ status sit magis Deo gratus; unde Apostolus præfert cœlibatum nuptiis. Tertiò quia Apostolus suadet, imò & præcipit conjugatis, abstinere ad tempus, ad eum finem, ut diligentius vacent orationi; quòd si Apostolus 1. *ad Corinth.* 7. jubet conjugatos ad tempus abstinere ab usu conjugii ob eum finem, ut impensius vacent orationi, & hortatur nondum conjugatos, qui se continere possunt, ut sic permaneant, quatenus à domesticis curis expediti diligentius vacent orationi, ac ferventius Deo inserviant; sequitur, Apostolos sanxisse hanc legem cœlibatûs, ut homines religiosi ex instituto addicti cultui divino, & sacerdotes omnes à curis rerum domesticarum liberi accuratius vacarent orationi, ac Deo inservirent; & cùm viri in sacris initiati ordinibus debeant perpetuò vacare orationi, ac divinis se occupare obsequiis, fas erat, ut per legem cœlibatûs perpetuò essent continentes, ut semper vacarent divinis, quibus sunt addicti; quia si conjugati ad tempus vacantes orationi præcipiuntur pro eodem tempore esse continentes; quia sacris initiati ordinibus, non ad tempus, sed perpetuo tenentur orationibus, ac divinis obsequiis vacare, debent per legem cœlibatus perpetuò se abstinere ab usu matrimonii; ita argumentantur SS. Patres Epiphanius *hæres.* 59. quæ est Catharorum. Hieronymus *in c. c. epist. ad Timoth. ex lib. 1. contra Jovinianum.* Origenes ho. 23.

Hinc probatur ratione, quia quæ proximiùs accedunt ad summum perfectum, viamque ad illud sternunt, aperiunt, ac facilitant, sunt cæteris perfectiora; sed lex cœlibatus proximius accedit ad summum perfectum, viamque ad illud sternit, aperit, ac facilitat, siquidem mediante cœlibatu homines expediuntur à curis sæcularibus, & à negotiis domesticis, ac temporalibus, & Deo, ac divinis obsequiis vacant, quod est proximius accedere ad summum perfectum, quod status matrimonii non præstat, cùm totus implicetur negotiis temporalibus, ac domesticis; adeo ut Apostolus jubeat conjugatos ad tempus abstinere ab hisce curis, ut Deo vacent, & orationi; ergo nulli dubium quia cœlibatus sit perfectior quoad statum matrimonio; idque constat ex sacris scripturis, *Sapient.* 3. *v.* 13. habetur: *Felix sterilis, & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum*; dicitur felix non-nupta, quæ non parit ob cœlibatûs observantiam, & quæ nescivit thorum matrimonii. Et paulo post de spadone, seu obstricto voto castitatis dicitur: *Dabitur ei fidei donum electum, bonorum enim laborum gloriosus est fructus.* Et *Sapient.* 4. *v.* 1. de Virginibus dicitur: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis enim est gloria illius, quoniam apud Deum nota est, & apud homines. Ecclesi.* 26. *v.* 20. *Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ ad Galat.* 5. *v.* 20. *Fructus autem Spiritus est continentia, castitas &c.* Apocal. 14. *v.* 3. *Nemo poterat dicere canticum nisi qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt*; ex his & aliis scripturæ locis satis apertè constat, cœlibatum quoad statum esse longè præstantiorem matrimonio.

Probatur itidem argumento desumpto à minori ad majus; Etenim in lege divina veteri rectissimè cautum fuit, ut hi ab usu matrimonii, & à re uxoria se abstinerent, qui res minus sacras, quàm sint res sanctæ novi testamenti, tractaturi essent; ergo si in lege veteri debuerunt peragentes res minus san-

ctas abstinere à re uxoria, à fortiori in lege evangelica constituti in sacris ordinibus, fas est, ut abstineant à matrimonio contrahendo, ac legem servent cœlibatus, cùm ministeria longè sanctiora, & sacratiora pertractent, quàm in lege veteri; etenim in veteri testamento David, & ejus socii non fuerunt admissi ad panes propositionis, nisi prius fuerint protestati, se per aliquot dies abstinuisse à re uxoria, ut habetur 1. *Reg.* 11. inde infert S. Hieronymus *in cap.* 1. *ad Titum.* à fortiori teneri sacerdotes in lege evangelica continentiam religiosè custodire, & à re uxoria prorsus abstinere, cùm ipsum verum, ac reale corpus Christi significatum per panes propositionis veteris testamenti singulis diebus consecrent, tractent, ac manducent. Si *Exod.* 19. Israelitæ cùm essent legem accepturi, jussi sunt à re uxoria omnino abstinere, imò ne suis quidem uxoribus appropinquare, quanto magis ait D. Ambrosius *lib.* 1. *de officiis cap. ult.* expediens fuit, ut nostri sacerdotes, cùm sint ministri legis Evangelicæ, per legem cœlibatus perpetuò à nuptiis abstineant? Si Hebræi comesturi agnum Paschalem, præcipiebantur renes accingere, seu stimulos carnis coërcere, motus concupiscentiæ compescere, & ab omni cum uxoribus abstinere consortio, ut explicat D. Gregorius *homil.* 22. *in Evang.* quanto magis in lege evangelica Sacerdotes debent à carnis se abstinere voluptatibus, cùm diebus singulis comedant divinum agnum immaculatum, quem etiam in altari sacrificant? Si in veteri testamento 1. *Paral.* sacerdotes, qui per vices ministrarunt in tabernaculo, toto eo tempore abfuerunt à domo propria, & uxoribus, ut sanctius vacarent divinis, ac diligentius sacerdotio fungerentur, procul dubio consentaneum erat, ut sacerdotes legis evangelicæ, utpote perpetuo vacantes divino ministerio perpetuò itidem servarent continentiam, ut argumentatur Siricius Papa, *epist. ad Hymerium Taraconensem Episcopum*, & Innocentius I. *ad Victorinum in cap.* 1. *Luc.*

Neque ullius est roboris, quod respondet Calvinus *lib.* 4. *instit. cap.* 12. *sect.* 25. congruum fuisse, ut sacerdotes veteris legis cœlibatum servarent, eò quia Christum significaverint, seu repræsentaverint, ut futurum; non ita legem hanc cœlibatus convenire sacerdotibus evangelii, in quo figuræ veteris testamenti cessarunt, & perinde ac cessarunt figuræ, debuit & cœlibatus cessare; adeo ut in lege evangelica non sit amplius opus, ut sacerdotes, & contrectantes res sacras se contineant, ac servent legem cœlibatus; nam contra est, quia hæc Calvini responsio fortius suppeditat argumentum in favorem legis cœlibatus; quia si sacerdotes veteris legis decuit continentia, eò quia figura fuerint Christi venturi; à fortiori debent se continere Sacerdotes legis evangelicæ, ac prorsus se abstinere à conjugio, cùm repræsentent, ac significent ipsum Christum non amplius ut futurum, sed ut præsentem, quem manibus contrectant, sacrificant in altari, & singulis diebus eo sub speciebus Eucharisticis vescantur, nutriantur spiritualiter, ac se reficiant, quod sine dubio plus est, quàm tantùm significare Christum futurum. Præterea quia Sacerdotes in lege evangelica non solùm significant Christum, sed etiam ejus personam gerunt in sacrificio altaris, ubi in Christi persona proferunt verba illa, *hoc est corpus meus*, unde si Sacerdotes veteris legis, quia Christum significabant, ut futurum, & non gerebant personam Christi, se debuerunt continere, quanto magis debet lex cœlibatus convenire sacerdotibus novæ legis, qui non jam, ut futurum, sed ut præsentem repræsentant Christum, cujus personam etiam cùm sacrificant, gerunt? Præterea falsum est, quod tantùm propter Christi significationem debuerunt sacerdotes veteris legis tempore ministerii se continere; siquidem debuerunt hoc idem præstare, & exequi ob sanctitatem ministerii, ut illo purius fungerentur, juxta illud *Exodi* 19. *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiam eos*, major autem est sanctitas personam gerere Christi, & ejus corpus consecrare, manibus contrectare, ac ore comedere; consequenter, si ob sanctitatem ministerii, quo fungebantur, debuerunt sacerdotes veteris legis se continere à fortiori lex cœlibatus conveniens erat Sacerdotibus evangelii, cùm sanctitas ministerii sit longe excellentior & virtus præstantior in lege evangelica, quàm in veteri.

Hisce scripturarum testimoniis convicti aliqui ex sectariis respondent, castitatem esse quidem conjugio præstantiorem, & magis convenire Sacerdotibus legis evangelicæ, sed illis tantùm, qui à Deo donum castitatis accipiunt, non verò omnibus promiscuè illis, qui uruntur, & stimulis carnis pulsantur, asserente Apostolo, *melius esse nubere, quam uri*, sed respondetur, quòd si lex cœlibatus eos decet sacerdotes, qui donum habent castitatis, ergo eadem lex omnibus convenit, qui sacris sunt initiati ordinibus, quia si nullus castus esse potest, nisi habeat donum castitatis, ut loquuntur Sectarii, jam sequitur omnes, qui actualiter sunt casti, præditos esse dono castitatis, consequenter, in omnibus castis promiscuè castitatem esse præferendam conjugio. Quòd verò asserant aliquos uri, seu experiri stimulos carnis, & tentationes sensus id non officit, quia non possint servare legem cœlibatus, & habeant donum castitatis, etenim etiam D. Paulus expertus fuit hos stimulos, cùm dixit: *sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, & nihilominus habuit donum castitatis, & legem cœlibatus servavit, ergo Sectarii tenentur fateri, donum castitatis dari etiam iis, qui stimulos carnis sentiunt, ac posse legem cœlibatus servare.

Observandum est, ex donis Dei aliqua nobis dari sine hominis cooperatione, cujusmodi sunt Sanitas, robur, prophetia, corporis venustas, forma, & alia hujusmodi, quæ in nostra non sunt potestate, & alia dari hominibus cum eorundem cooperatione, qualia sunt auxilia supernaturalia divinæ gratiæ sinè quibus non possumus actus supernaturales elicere, quos tamen beneficio gratiæ depromimus, cujusmodi sunt perseverare in bonis, coercere carnis stimulos, resistere tentationibus, turpes cogitationes statim excutere, elicere actum amoris in Deum, & alia quæ nominantur dona Dei, & sunt; nisi enim Deus nos sua gratia præveniret excitando, & nos adjuvaret dirigendo, & cooperando, præfatos actus non eliceremus, licèt dependeant ab humana electione, & in potestate sint hominum, quia tametsi Deus juvet, non tamen adigit, quamvis suadeat, non tamen cogit, quamvis hortetur, non tamen necessitat, & quamvis moneat, non tamen impellit, sed quisque, si velit, potest oblatæ gratiæ cooperari, quæ semper omnibus ad omnia sufficiens offertur, & ad hoc genus donorum asserimus castitatem pertinere, quam esse donum Dei fatentur etiam sectarii; quod autem hoc donum sit in nostra potestate præveniente, & comitante divina gratia expressè ex divinis scripturis, quæ homines hortantur ad continentiam, & culturam castitatis, *Matth.* 19. *Qui potest capere capiat*, 1. *Corinth.* 7. *de Virginibus*

*ginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, sed nemo sapiens hortatur ad id, quare non est in nostra potestate, verbi causa nemo suadet debili, ac imbecilli, ut fiat robustus, exiguo, & parvo corpore, ut excrescat in gigantem, deformi corpore, ut fiat venustus, & pulcher, hebeti, & obtuso, ut fiat ingeniosus; quia hæc non sunt in nostra potestate, unde si Apostolus suadet omnibus culturam castitatis, sequitur posse omnes eam servare & id esse in eorum potestate mediante Dei gratia cùm Deus non patiatur nos tentari supra id quod possumus. Neque urget, quod respondent Sectarii, præfatas ad hortationes ad illos tantùm dirigi quod donum habent castitatis: siquidem frustraneæ itidem essent adhortationes, quia juxta Sectarios non possunt homines esse castitatis; & qui non habent nequeunt casti esse, Apostolus autem 1. *Corinth.* 7. liberam dat optionem eligendi conjugium vel cælibatum, inquiens *v.* 36. *Quod vult, faciat, non peccat, si nubat:* atqui si non esset in hominis arbitrio libertas eligendi conjugium, vel cælibatum, frustra daret hanc optionem eligendi, quod falsum est. Præterea cum laudentur, & præmientur in scripturis cælibes, non verò pro illis operibus, quæ sunt extra potestatem hominis, laus debetur ergo si cælibes laudantur ob continentiam, sequitur esse in potestate cujus libet eam servare mediante divino auxilio, quod semper est paratum. Præterea sententia adversariorum ex eo apertè redarguitur falsitatis, & absurditatis, quia, si quispiam jungatur matrimonio anno ætatis 30. vel etiam 40. ut nonnunquam fit, eò quia citius non fuerit ei commodum, vel forsan ei non placuerit, quæritur, an toto tempore præcedente matrimonium habuerit donum castitatis, vel non, si habuit, non potuit sine delicto uxorem ducere, neque illi fuit liberum, quia in sententia Sectariorum habentes donum Castitatis tenentur, & non possunt non castitatis permanere, alioquin donum illud non haberent. Sin verò toto eo tempore non habuit donum castitatis, & graviter carnis stimulos fuit, passus potuit tunc impunè & licitè, fornicare quia cùm non haberet donum castitatis, non potuit castus manere in sententia Sectariorum. Secundo quia si maritus quispiam infirma uxore, vel absente graviter carnis stimulis tentatur, cùm certum fit cum non habere donum castitatis, eò quia uxorem duxerit, posset tunc impunè eum qualibet alia muliere mœchari, eò quia sine dono castitatis sit illi impossibile continere. Quòd si potest quispiam hisce tentationibus obsistere, si ferventer Deo preces fundat, cur hoc idem non potuit præstare quilibet alius, cur tota vita sua non poterit quilibet carnis stimulos coërcere & graves tentationes superare per recursum ad Deum per usum precum, per implorationem divinæ gratiæ, quod si potest pulsantibus tentationibus recurrere ad Deum, & illas propulsare, poterit etiam legem cælibatus toto vitæ tempore servare mediante divina gratia, quæ semper præsto est, quando homo recurrit ad Deum, qui non patitur nos tentari supra id quod possumus.

# CAP. VI.

## An lex Cælibatus sit in Ecclesia utilis.

Ostendimus, Cælibatum quoad statum esse præstantiorem matrimonio, non quatenus hoc includit rationem Sacramenti, sed quatenus importat etiam statum adeo ut conferendo statum cælibatus cum statu matrimonii, ille præstantior sit isto, adeo ut Apostolus etiam conjugatis suadeat culturam castitatis, *ut videant viri in timore castam vestram conversationem, quarum sit non exterius compositio crinium, & distinctio auri, & in cultu vestis ornatus, sed absconditus cordis homo, in incorruptione mitis, & silentis Spiritus, hoc est coram Deo placens:* hortatur etiam uxoratos, ut in incorruptione vivant, & coram Deo placeant: siquidem abstinere à re uxoria ob culturam castitatis, & ut Deo placeant homines, est aliquid longè præstantius matrimonio, & quod Deo magis placet, idque præstiterunt S. Henricus Imperator, & S. Cunigundis ejus uxor, qui licet matrimonio juncti nunquam eo fuerunt usi, quapropter Apostolus rectè alloquens uxores eas adhortatur, ut videant viri castam conversationem, & ornatum in abscondito cordis homine, in incorruptione mitis, & silentio Spiritus; Maritis enim æquè ac uxoribus dat legem, qua damnato carnis ornatu castitatem deprædicat, & ornatum interioris hominis in incorruptione mitis, & silentis Spiritus eò quia exterior homo per matrimonium videtur esse corruptus, sed per culturam castitatis interior manet in incorruptione castus. Neque ex eo quod Apostolus. 1. *Corinth.* 7. subjungat, *ut vacetis orationi, & iterum revertimini ad id ipsum*, inde sequitur ipsum, suasisse conjugatis culturam castitatis tantùm pro eo tempore, quo vacarent orationi, & ut postea reverterentur ad usum matrimonii, quia Apostolus non solum, ut vacent orationi, verùm etiam, ut Deo placeant, suadet conjugatis cælibatum, & culturam castitatis, seu non uti matrimonio, eo quia sit quid præstantius, & utilius pro animabus, & reliquarum virtutum studiis, unde statim subdit; *ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram*, unde præfert castitatem tentationi Sathanæ, eo quia suadeat incontinentiam, & ne quis putaret id esse Apostoli præceptum, ut conjugati abstinerent abusu matrimonii, se Apostolus declarat inquiens: *Hoc autem dico juxta indulgentiam, non juxta imperium*, unde ipse non damnat matrimonium, nec nuptias, sed tantùm suadet præclaram castitatis virtutem, propterea 1. *Corinth.* 7. ait: *Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum*, & quia Apostolus castitatem excoluit, ideo optavit omnes homines sibi similes sicut & ipse imitator fuit Christi, qui virgo de virgine, incorruptus de incorrupta prodiit, homines verò, quia nativitatem Salvatoris imitari non possunt, saltem studeant conversationem imitari; ut enim ait D. Hieronymus *lib.* 1. *Contra Jovinian. Illud divinitatis est ac beatitudinis, hoc autem humanæ conditionis & laboris.* Quòd verò lex cælibatus utilissima sit in Ecclesia ex eo conjicitur, quia plures Romani Pontifices & Concilia in singulis ecclesiæ Provinciis confirmarunt, utpote plurimum præseferentem in ecclesia emolumenti ob culturam reliquarum virtutum, cùm enim hæc lex sancita jam esset in ecclesia ab Apostolis, quorum, qui fuerunt uxorati legem cælibatus post vocationem ad Apostolatum exactè servarunt, hanc eandem legem Petri Successores confirmarunt, ut Clemens Romanus *can.* 27. *Apostolorum*

*rum.* Calixtus I. *distinct.* 27. *can. Presbyteris.* Siritius *epist. ad Hymerium Episcopum Tarraconensem.* Innocentius I. *epist. ad Victricum cap.* 9. *& epist. ad Uxuperium cap.* 1. Leo *epist. ad Anastasium cap.* 4. *& epist.* 90 *ad Rusticum cap.* 5. Gregorius Magnus *lib.* 1. *Regist. epist.* 42. *& l.* 3. *epist.* 24. Zacharias *epist. ad Bonifacium.*

Imò hanc eandem legem cælibatus, ut ecclesiæ utilissimam, non solùm Pontifices confirmarunt, verùm etiam Concilia, quod non præstitissent, nisi plurimum utilitatis cognovissent conferre ecclesiæ, hinc apparet, quam falsum sit, quod asserunt Hæretici, legem cælibatus esse perditissimum, ac sacrilegum Pontificum decretum contra consensum universalis ecclesiæ; est enim lex sanctissima, cui fuit semper tota ecclesia assentiit contra paucos sectarios indulgentes rei uxoriæ, carnisque illecebris, ac sensus voluptatibus. Ut autem hic universalis ecclesiæ consensus in legem cælibatus perspicuus sit, placet hic attexere Concilia, quæ hanc legem cælibatus sanxerunt. Diximus in præcedentibus, cælibatum seu præceptionem continentiæ non esse absolutè juris divini, alioquin nunquam licuisset conciliis Oecumenicis, & Florentino dispensare cum sacerdotibus Græcis in usu matrimonii initi ante sacram ordinationem, cùm non possit ecclesia in jure divino dispensare, nec ullam habet authoritatem in ea, quæ sunt de jure divino: neque potuisset Synodus Ancirana *in can.* 50. *relato à Gratiano can. Diaconi dist.* 28. permittere Diaconis uxorum consuetudinem, si ante ordinationem protestati fuerint coram Episcopo nolle se, aut non posse statum profiteri continentiæ: quapropter perspicuum est cælibatum esse tantùm juris ecclesiastici ac esse legem, seu præceptionem Apostolicam, sancitam scilicet ab ipsis Apostolis, & confirmatam postea à summis Pontificibus, ac pluribus ecclesiæ Conciliis, quorum non nulla placet hic recensere, ut falsitatis redarguantur Hæretici asserentes hanc legem cælibatus non esse in ecclesia antiquam, sed à Papa sancitam sine consensu Concilii, & universalis ecclesiæ etenim in Concilio Niceno I. *can.* 3. expressè prohibetur, ne Episcopus, Presbyter Diaconus, nec ullus prorsus Clericus habeat domi mulierem ullam præter matrem, sororem, aut materteram; aut amitam, aut eas solas personas, quæ ob omni suspicione sunt alienæ, habetur enim *in can.* 3. *Ne Episcopus, Presbyter, & Diaconus, nec ullus prorsus Clericus habeat Domi mulierem ullam præter matrem, sororem, aut materteram, aut amitam, aut eas solum personas quæ ab omni suspicione sunt aliena,* unde statuitur, quod Clericis non liceat sub introductam habere mulierem, nisi prærecensitas, & nulla uxoris in illo canone fit mentio, non quia Clerico habere liceret, sed quia nulla esse posterat ex lege cælibatus, hunc canonem ex Græco reddit Thurianus & etiam quod ad sententiam attinet, refertur à Rufino *lib.* 10. *histor. cap.* 6. Respondent tamen Hæretici Paphnutii instantiam oppositam continentiæ clericali, cujus meminerunt Socrates, & Sozomenus, quia à Socrate plurima fuerunt conficta quæ ab ipso juxta morem absque ullo delectu hausit postea Sozomenus: nisi fortassis velimus asserere, à Græcis schismaticis clericalis continentiæ adversariis fuisse instantiam illam illis insertam. Præterea quia licet instantia vera fuerit non tamen Concilium eidem adhæsit, nec ulla illius fuit à Concilio habita ratio. Datur enim in Conciliis facultas cuilibet ex Patribus exponendi, quid magis videbatur congruere, non tamen totum Concilium uni vel alteri acquiescit, si cæteri dissentiant. Plures tamen censent, per hunc canonem non probari sanciri legem cælibatus, bene tamen fuisse antea sancitam in ecclesia, & tempore concilii Niceni servari à constitutis in sacris ordinibus, adeo ut in canone Nicenæ Synodi significetur lex cælibatus, adeo ut sufficienter ex illo colligatur, quòd tempore concilii Nicæni ejus observantia fuerit in usu: quia si non fuisset in usu, sed consuevissent clerici sacris initiati ordinibus cum suis cohabitare uxoribus; concilium sicut excepit plures alias fæminas consanguineas, à fortiori excepisset propriam uxorem clerici, cum vinculum conjugatorum sit omnium arctius, adeo ut jubeatur maritus patrem, & matrem relinquere & adhærere uxori suæ. Ratio, cur canone illo non sanciatur lex cælibatus est, quia concilium ibi non solùm cum his, qui sacris sunt ordinibus initiati, sed ex æquo, & in communi loquitur de omnibus clericis; & certum est per illum canonem concilium non sanxisse legem cælibatus pro clericis in minoribus tantum ordinibus constitutis, quia isti si, velint, adhuc possunt à clericatu resilire, & uxores ducere, neque tenentur servare legem cælibatus, sicut constituti in sacris ordinibus; sed concilium iisdem tantùm prohibuisse inhonestam, vel suspectam fæminarum cohabitationem: consequenter neque aliis clericis constitutis in ordinibus sacris, quid aliud prohibetur, quàm suspecta mulierum cohabitatio, est enim utrinque par ratio, cum canon loquatur in communi de omnibus Clericis, sive in majoribus, sive in minoribus constitutis ordinibus. Rursus non desunt plures authores, qui censeant ibi tantùm prohiberi Cohabitationem mulieris subintroductæ sive extraneæ, quo nomine tunc intelligebantur mulieres suspectæ, & in honestæ, & quamvis non desint, qui asserant canonem loqui de omnibus clericis etiam illis quibus conjugium, quia permissum, licitum erat, non tamen solvunt difficultatem, quia dicunt, non ita canonem illum intelligendum esse, quasi lex cælibatus ibi etiam imponatur Clericis minorum ordinum, quos aliunde constat posse matrimonium contrahere, ac illo uti, nos vero ex illo canone colligimus, neque Clericis initiatis in sacris ordinibus legem Cælibatus imponi, eò quia canon ille loquatur de omnibus omnino Clericis in communi, sive in majoribus fuerint Ordinibus constituti, unde satis est ex illo inferre legem cælibatus tempore Concilii Nicæni viguisse & jam pridem fuisse in ecclesia constitutam.

Rursus Concilium Elibertinum ante tempora Siricii Papæ in Hispania coactum, cùm sævirent Ethnicorum persecutiones hanc eandem legem Cœlibatus confirmavit, quia sicut Diocletiani ac Maximiniani & sequentium Imperatorum Valerii, Maxentii, Maximini, & Licinii cruentæ persecutiones pluribus recens baptizatis fuerint occasio triumphi, ita plerosque in opposito traxerunt in perditionem, adeo ut oportuerit, ut Patrum diligentia & sedulitate plerisque in locis occurreretur novis Christianis lapsis, hoc enim Concilium *can.* 33. ait: *Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris Diaconis ac Subdiaconis abstinere se à conjugibus, & non generare filios,* unde per hunc canonem lex cælibatus confirmatur per totam Hispaniam: & sicut in Oriente per Synodum Anciranam, cui præfuit Vitalis Patriarcha Antio-

Antiochenus, & per Synodum Alexandrinam, cui interfuit Petrus Patriarcha qui postea sub Maximino Martyrio coronatus fuit, suos evulgavit canones pœnitentiales circa lapsos: ita in Occidente circa eosdem lapsos provisum fuit per Concilium Eliberinum, seu in civitate Hispaniæ Bæticæ, quæ vulgò Holvira nuncupatur, cui præceteris interfuit Osius Episcopus Cordubensis, qui postea ex mandato Romani Pontificis Nicænæ Synodo præsedit; & Valerius Cæsare Augustanus Episcopus, qui Vincentium martyrem Administrum habuerat, hoc enim Concilium, quod contigit anno reparatæ salutis 305. approbavit, & confirmavit legem cælibatus per canonem 33. supra citatum; & hæc eadem lex confirmata fuit in eadem Hispania in Concilio Toletano II. *can.* 1. *in* 4. *can.* 26. in 8. In Gallia itidem celebratum fuit Concilium Arelatense II. ante annos mille trecentos, ubi canone 2. *&* 3. cautum fuit, Sacris initiatis ordinibus ne uxores ducerent, & ad Sacros ordines admitterentur, nisi promitterent observantiam cælibatus, & Concilium illud confirmavit cælibatum sacris annexum ordinibus, & prohibuit, ne ullus alius conjugatus ad sacerdotium promoveretur nisi promitteret hanc cælibatus observantiam, prohibuit enim Concilium in *præcit. can.* ne ullus conjugatus ad sacerdotium assumatur, nisi fuerit promissa Conversio, seu nisi promiserit continentiam ab uxore. In eadem Gallia etiam confirmârunt legem cælibatus alia Concilia præsertim Turonense I. *can.* 1. *&* 2. Turonense II. *can.* 20. Agathense *can.* 9. Aurelianense III. *can.* 2. ubi statuitur, ut nullus Clericorum à subdiaconatu, & supra propria, si forte jam habeat, misceatur uxori. In Germaniæ itidem Concilia Acquugranense I. *can.* 6. Vormaciense *cap.* 9. Moguntinum II. congregatum tempore Arnulphi anno à partu Virgineo 882. decreverunt, ut Clerici sacris ordinibus initiati à matrimonio ineundo abstinerent, ac perpetuò servarent cælibatum; & in Moguntino I. coacto anno nostræ salutis 831. de clericis, qui sacris sunt ordinibus initiati, habetur: *Contubernia fæminarum nulletenus appetant, castimoniam inviolati corporis perpetuò conservare studeant.* In Africa itidem approbata, & confirmata fuit lex cælibatus in Concilio Carthaginensi II. *can.* 2. ubi habetur. *Ita placuit, & condecet Sacrosanctos Antistites, & Dei sacerdotes, nec non & Levitas & qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possunt simpliciter, quod à Deo postulant impetrare, ut, quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas*, ubi asseritur à Concilio Apostolos docuisse, & sanxisse legem Cælibatus, & ex Apostolica traditione derivâsse in omnes ecclesias totium orbis Christiani usum Cælibatus in iis, qui sacris sunt ordinibus initiati, subdit enim: *Nos quoque custodiamus hanc legem ab universis Episcopis dictum fuit, & approbatum*, qui unanimes dixerunt *omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, diaconi, qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam se ab uxoribus contineant.* Approbarunt etiam alia Africana Concilia hanc cælibatus legem ut Concilium Carthaginense V. *can.* 3. & Africanum *can.* 57.

In ecclesiis Orientalibus fuisse etiam legem cælibatus approbatam, & confirmatam pro Clericis initiatis sacris ordinibus, constat ex Concilio Anicirano, quod celebratum fuit Anciræ, quæ est urbs seu metropolis Palatii nuncupata Ancira, ab anchoris navium captarum à Mithridate, quas Ptolomæus Ægypti Rex suppetias Gallo-Græcis miserat; cui Synodo interfuerunt plures Episcopi, qui deinde subscripti leguntur in Nicæna Synodo Occumenica, & videtur habita anno Christi 314. *in can. enim* 10. hujus Anciranæ Synodi habetur: *Diaconi si in ipsa ordinatione protestentur se velle uxores habere, nec posse se continere, maneant in ministerio; propter quod Episcopus eis licentiam dederit, sin autem tacuerit, & susceperunt manus impositionem professi continentiam, si postea ad nuptias venerint à Ministerio cessare debuerunt, seu deponi ab usu ordinis sacri*: ex quo Concilio liquet sub initiis ecclesiæ fuisse Diaconis indictam legem de professione Continentiæ, seu observantia legis cælibatus in ipsa ordinatione, nisi ab ipsis Episcopis impetrarent dispensationem. Rursus in Synodo Necæssariensi quæ Nicænam præcessit, & in qua subscriptus legitur Basilius Masseæ Episcopus, qui sub Licinio martyr occubuit, habetur enim *cap.* 9. *Presbyter si uxorem duxerit ordine moveatur*, & in hæret hoc Concilium Apostolicæ traditioni, juxta quam injunit sacerdotibus observantiam cælibatus, inhibuitque ne uxores ducerent sub pæna exclusionis ab usu Sacri ordinis. Præterea in Trullana Synodo, quæ dicitur quini-sexta, quasi supplementum quintæ, & sextæ Synodi, à quibus nulli editi sunt Canones, cùm in alia Trullana conditi fuerint duo supra centum; in hac itidem Synodo approbata, & confirmata fuit lex cælibatus, fuit hæc synodus sub Justiniano, cui nomen Rhinotineto, rerum potiente habita Constantinopoli in Trullo scilicet Secretario Palatii Imperatoris superbè fornicato anno à partu virgineo 707. Hæc igitur Trullana Synodus *can.* 6. prohibet. *ne Episcopus etiam cohabitet uxori, licèt ante ordinationem ducta*, eo quia ex traditione Apostolica debeant sacris initiati ordinibus continentiam, & cælibatum servare. In Italia itidem in Concilio Romano sub Sylvestro I. *can.* 8. præcipitur ne Subdiaconi uxores ullo modo ducere audeant; & multo minus superiores alii Ministri, habetur enim in illo canone *nullum Subdiaconorum ad nuptias transire præcipimus.*

Cum igitur ecclesia in suis Conciliis celebratis in singulis propemodum Christiani orbis Provinciis, approbaverit, & confirmaverit legem cælibatus, nulli potest dubium esse, quin lex cælibatus plurimum adferat utilitatis, & commodi eidem ecclesiæ, si enim esset inutilis, vel aliquid adferret detrimenti, tot Concilia eam non approbassent, nec confirmassent, unde falsum est quod è converso objicit Kemnitius, scilicet quod lex cælibatus toties, & in tot mundi partibus repetita subinde fuerit, indicio potius esse eam minimè in ecclesia utilem esse; nam causa tam crebræ repetitionis fuit, quia multi huic legi se opponerent; eique obsisterent propter illius incommoditatem, id enim falsum est, quia nonnisi pauci Hæretici, & eidem legi rebelles, ei fuerunt adversati, non verò Episcopi, & Pastores ecclesiarum, qui in Conciliis legem hanc approbarunt, ac confirmarunt contra aliorum inobedientiam, quapropter recta ratio dictat in hoc negotio standum potius esse judicio Ecclesiæ & Pastorum ejusdem, quàm aliorum paucorum, qui ut sensui, & voluptatibus carnis indulgerent, non ut DEO servirent, hanc legem oppugnarunt, ut ipsis exosam, præsertim cum sancti Patres, & ecclesiæ sanctiores eidem adhæserint etenim Origenes *homil.* 23. *in Numer.* Eusebius *lib.* 1. *demonstrat. evang. cap.* 9. Epiphanius *hæresi* 59. *Catharor.* hanc legem approbarunt, & ut ecclesiæ utilem honestam,

nestam, ac decentem commendârunt ait enim Origenes *Ecclesia adhuc viventem, & liberos gignentem unius uxoris virum non suscipit, sed eum, qui se ab unica continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum Presbyterum, & Hypodiaconum, maximè ubi sinceri sunt Canones ecclesiastici*, & mox subjungit, *Ac dices mihi in aliquibus locis liberos gignere Presbyteros, Diaconos, & Hypodiaconos: at non est hoc* inquit *juxta canonem, sed juxta hominum mentem quæ per tempus elanguerat.* Hanc eadem legem cælibatus approbarunt D. Chrysostomus *homil. de patient. Job.* D. Gregorius Nissenus *lib. de Virginit. cap. ult.* Cyrillus Jerosolymitanus *in Catech.* 12. ex testimonio horum Patrum, qui omnes Græci sunt, & etiam ex Conciliis ecclesiæ Orientalis superius citatis manifestè apparet, primis circiter sexcentis annis à Christo nato non fuisse in ecclesia Græca, eam consuetudinem, quam nunc servant Græci Ministri, præsertim post Synodum illam Trullanam, unde defecerunt Clerici Græci ab antiqua Apostolorum consuetudine etiam in Græcia tempore Apostolorum & per aliqua subsequentia sæcula servata, ac deberent tandem suum errorem cognoscere & soluto schismate iterum reuniri ecclesiæ catholicæ Romanæ. Ex Patribus Latinis similiter approbarunt ut utilem, honestam, & decentem legem cælibatus, adeo ut Clerici in sacris constituti, debeant eam servare, etenim D. Ambrosius *lib. 1. de offic. cap. ult.* D. Augustinus *lib. 2. de adult. conjug. cap.* 20. legem cælibatus ut plurimum adferentem ecclesiæ utilitatis, & commodi commendant præsertim D. Hieronymus *lib. contra Vigilantium* ubi inter cætera ait: *Quid faciunt Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, & sedis Apostolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut si uxores habuerunt, mariti esse desistunt*, hinc ex Hieronymi testimonio, & ex illo Epiphanii, quod superius præcitavimus, maximè confirmatur, legem cælibatus viguisse in ecclesia tempore Concilii Nicæni etiam in oriente: siquidem voluit in eo sæculo Epiphanius, qui affirmat continentiam à sacris ministris fuisse servatam. Præterea D. Hieronymus *in Apolog. pro libris suis contra Vigilantium* ait: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post sacerdotium pudici*; & D. Gregorius *cap.* 1. confutat eorum errorem, qui propter verbum Apostoli *Unusquisque uxorem suam habeat*, putant licere Ecclesiasticis etiam uxores habere, cùm Apostolus loquatur de sæcularibus. Beda itidem *lib. 3. de taber. cap.* 9. asserit, debere sacerdotes novi testamenti, aut Virgines esse, aut contracta cum uxoribus fœdera dissolvisse, scilicet quoad thorum, seu usum matrimonii, & subjungit id indicatum fuisse præcepto Domini, quo jussi sunt Aaron & filii ejus non ingredi tabernaculum, nisi fæminalibus lineis à renibus usque ad fæmera tecti ut habetur: *Levit.* 8. ut etiam asserit D. Isidorus *lib. 2. de offic. cap.* 58. ut etiam Gregorius Turonensis *lib. 1. histor. Franc. cap.* 44. ubi refert, Urbicum Arbnerorum Episcopum, cùm ante consecrationem suam conjugatus esset, uxorem à se juxta consuetudinem ecclesiasticam removisse, & quia eam postea ad conjugalem consuetudinem admisit, de perpetrato scelere cum gemitu, & lachrymis pænitentiam egisse, *& lib. 4. ejusd. histor. cap.* 4. narrat Macliavum quendam Britannorum Comitem fuisse ab omnibus Episcopis excommunicatum, eò quia reversus fuerit ad uxorem, quam dimiserat quoad thorum, ut posset sacris initiari ordinibus, quemadmodum hac conditione ad illos fuerit promotus, & ex Patribus Græcis Origenes *homil.* 23. loquens de laudatissima consuetudine qua suo tempore sacris ordinibus initiati vovebant castitatem, & cælibatum profitebantur: *Illius solius est offerre Deo sacrificium, qui indesinenti, ac perpetuæ se devoverit castitati.* Ex Latinis S. Leo Pâpa cognomento Magnus *epist.* 82. *cap.* 3. & 4. Commendans Cælibatum in Sacris Ministri scribens ad Anastasium ait: *Omnium sacerdotum tam excellens est electio, ut hæc quæ in aliis ecclesiæ membris vacant à culpa, in illis tamen habeantur illicita, nam cùm extra Clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati, & liberorum procreationi studere sit liberum: ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem; nec sub Diaconis quidem connubium carnale conceditur, ut & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habeant, permaneant singulares.* Scilicet sine uxore. S. Gregorius itidem Magnus *lib. 4. dialog. cap.* 11. refert, Ursicinum Sacerdotem ex tempore Sacræ suæ ordinationis Presbyteram suam ut sororem dilexisse, sed quasi hostem cavisse, nec unquam permisisse ad se propius accedere. Cum verò Venerabilis hic senex 40. à sua ordinatione anno ultima ægritudine decumbens vix extremos Spiritus traheret, ejusque Presbytera incerta, an expirâsset, aurem naribus suis admovisset ad explorandos ultimos Spiritus; recollectis viribus semianimis in has erupit voces: *discede, mulier, adhuc igniculus vivit, amove paleam.*

Ratione etiam evincitur, quia quod est impedimento alicui ministerio obeundo, vel ad debitum cultum Deo exhibendum, vel ad bonum Reipublicæ promovendum, id lege humana prohibetur, ut scilicet homines ad id officii destinati absque ullo obstaculo paratiores sint ab sua obeunda munia, etenim nulla est respublica, quæ sancitis legibus ea non prohibeat, quæ suos cives à suis impediunt exercendis officiis: sed consuetudo conjugalis, ususque matrimonii est sacris Ministris impedimento, quo minus rectè, expedirè, ac diligenter suis fungantur officiis, siquidem ad sacri Ministri officium pertinet divinis vacare obsequiis, sacris inservire templis, tempus impendere in rebus divino cultui addictis, & rerum divinarum contemplationi dare operam; sacrificium singulis diebus offerre, sacramenta fidelibus administrare, eos edocere Christianæ Religionis mysteria, & eorundem sacramentales confessiones excipere, sed ad hæc omnia exercenda plurimum adfert impedimenti status matrimonii, quia vir debet die, noctuque cogitare, quæ necessaria sunt, ut uxorem, & filios alat, instruatque, quæ impedimenta à se arcet lex cælibatus, quæ propterea in ecclesia plurimum secum adfert utilitatis, ut sacris initiati ordinibus possit accuratà, ac diligenter divino cultui assistere, orationi vacare, ac tempus impendere in ministrandis sacramentis, etenim consuetudo conjugalis, cùm secum trahat educationem liberorum, solicitudines, ne desint, quæ necessaria sunt ad victum, & vestitum, & curam totius domus, præsertim conjugis ne pax domestica turbetur, negotiorum institutiones, ut liberi ditiores fiant certa non mediocri est impedimento rebus divinis, cùm negotia sæcularia mentem à divinis distrahant, animumque rebus fluxis agglutinent, & hæc causa fuit, cur apud Ethnicos plerique viri, ac fæminæ, ut liberius virtutes excolerent cælibatum nuptiis prætulerint. Recentissimum est illud vitæ institutum, quod ad virtutum culturam hominem allicit, & à sordibus turpitudinis arcet, unde Tertullianus *lib. 1. ad uxor. cap.* 6. ait:

ait: *Viduas Africanæ Cereri assistere scimus durissima quidem oblivione matrimonii adlectas. Nam manentibus in æternum viris, non modo thoro decedunt, sed alias eisque utique videntibus loco suo insinuant, adempto omni contractu usque ad osculum filiorum et tamen durante usu perseverant in tali viduitatis disciplina, quæ pietatis etiam sancta solatia excludit.* Theophrastus itidem Philosophus referente D. Hieronimo *lib. 1. contra Jovinian.* existimabat non expedire sapienti nubere; qua ratione de Indorum sapientibus ait Clemens *strom. cap. 6. Qui ex Indis vocantur honesti, ac venerandi, nudi totam vitam transigunt, ii veritatem exercent, & futura prædicant, & colunt quandam pyramidem, sub qua existimant alicujus Dei ossa esse reposita. Neque verò Gymnosophistæ, neque qui venerandi, utuntur dicuntur mulieribus; hoc enim præter naturam & iniquum esse existimant, qua de causa se ipsos castos conservant. Virgines autem sunt etiam mulieres, quæ dicuntur venerandæ. Videntur autem observare cælestia, & per eorum significationem futura prædicere.*

Utilis igitur est in ecclesia cælibatus, quia clericos constituit expeditiores ad ecclesiastica ministeria obeunda; siquidem ad officium sacrorum ministrorum pertinet vacare accuratius orationi, ac contemplationi rerum divinarum; sacrificium singulis diebus offerre in altari, sacramenta populo administrare; rudes edocere, quæ ad salutem, & fidem pertinent, suntque situ necessaria, peculiarem pauperum curam gerere; hisce autem ritè obeundis consuetudo conjugalis plura injicit impedimenta: usus enim matrimonii mentem hebetat, vires corporis debilitat, aciem animi obtundit, & nobiliorem hominis partem distrahit in curam uxoris, ac liberorum, & in negotia domestica, ob quæ impedimenta Theophrastus Philosophus censuit, non expedire viro sapienti uxorem ducere, eo quia nuptiæ sapientiæ obsint, vir cultura castitatis seu cælibatus plurimum prodest, ut refert D. Hieronymus *lib. 2. contra Jovinianum prope finem.* Obstat etiam usus matrimonii ministerio, quod exhibetur Deo immissæ sacrificio, quia, cùm sacrificium altaris sanctissimum sit; exigit ministros insigni quadam puritate mentis, & corporis notatos; decetos enim sancta, & pura à sanctis, & puris pertractari. Asserunt tamen sectarii etiam conjugium posse esse sanctum, ac immaculatum. Apostolus enim *ad Hebræ. 13.* vocat conjugii thorum *immaculatum*, adeoque sanctum ita scilicet, ut per se non contineat impuritatem, seu immunditiam peccati. Sed quamvis matrimonium non includat peccatum, sitque sanctum, asserimus tamen cælibatum, & culturam castitatis esse sanctiorem, magis immaculatum, adeo ut magis Deo placeat, & hoc gradu perfectionis decet clericos in sacris constitutos ordinibus esse insignitos. Præterea quia tametsi usus matrimonii per se peccatum non sit, continet tamen quandam turpitudinem, provenientem ex peccato, ut probat D. Augustinus *lib. 14. de Civit. Dei cap. 17.* ex naturali verecundia, quæ inest ipsi usui conjugali, adeo ut erubescant conjuges ab aliis aspici, & latebras quærant, & D. Paulus 1. *ad Corinth. 7.* hoc idem confirmat inquiens: *Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sancta, & corpore, & Spiritu,* Apostolus enim hoc in loco significat quendam gradum majoris Sanctitatis in mulieribus innuptis, & virginibus, quo carent hi, qui sunt conjuges. Hic autem sanctitatis gradus vel maximè eos decet, qui in sacris ordinibus constituti res sacras pertractant Rursus obstat conjugium administrationis sacramentorum; siquidem ad reverentiam, quæ in populo erga sacramenta requiritur, debet aliquot esse discrimen inter eos, qui sacramentum ministrant, & populum cui ministrantur, ne, ut ait Isaias 24. *Sicut populus sic sit sacerdos.* Hinc refert Nauclerus tempore Gregorii VII. cum in Germania passim sacerdotes contra legem cælibatus conjugio uterentur, in tantum contemptum venisse sacramenta; ut laici passim illa administrarent, eò quia quoad mores, & pietatem magnum non interesset discrimen inter ipsos & sacerdotes, eò quia isti, communi conjugio etiam uterentur, & cum laicis iisdem occuparentur negotiis, unde quoad habitum extrinsecum actiones, & negotia vix inde esset discrimen inter laicos, & sacerdotes. Præterea status matrimonii obstat etiam officio docendi populum, eique suadendi culturam virtutum; præsertim studium castitatis: siquidem, qui conjugatus est, & occupatus in filiis progignendis, non videtur quomodo efficaciter possit suadere præferre virginitatem, & culturam castitatis matrimonio, & qui nondum nuptias contraxerunt ipsis persuadere cælibatum ut notat D. Ambrosius 1. *lib. de offic. cap. ult.* hinc D. Paulus cælibatum selegit & culturam castitatis vel maximè dilexit, & cupiebat, omnes esse sicut se ipsum, scilicet continentes; proinde ad virginitatem & continentiam alios hortabatur, unde nulli dubium, quin cælibatus plurimum adferat ecclesiæ emolumenti præsertim vacantibus culturæ virtutum, adeo ut vel ipsi Ethnici, ut sapientiam nanciscerentur, vitam selegerint cælibem, ut de Gymnosophistis refert D. Augustinus *lib. 15. de civit. cap. 10.* Porphyrius itidem *lib. 4. de abstinentia* dividit cœtum universum Indorum Philosophorum in duas classes, quarum utrique sui præerant antistites, quarum una Brachmanes continebat, qui ex eadem gente, ac stirpe essent omnes, alia Samaneos comprehendebat, qui ex omni Indorum genere seligebantur, & refert Brachmanes in summa victus severitate vitam transegisse, neque minus asperè dies suos exegisse Samanæos, & utrosque non solùm cælibes vixisse, verùm etiam totaliter alienos ab omni fœditate, quæ castitati noxia esset. Cœnobium itidem illud Pythagoreorum, quod describit luculenter Aulus Gellius *lib. 1. cap. 9. noctium Atticar.* non dubium quin fuerit cælibatui addictum, & in illo quam plurimi philosophiæ cultores et facultatibus suis omnibus in commune collatis vacabant scientiis, ait enim Gellius *loc. cit. Id quoque non prætereundum est, quod omnes simul, qui à Pythagora in cohortem illam disciplinarum receptierant, quod quisque familia, pecuniaque commune haberet, in medium dabant, & cohabitabatur societas inseparabilis.* Refert quoque D. Hieronymus *lib. 2. contra Jovin.* Cælibatum Pythagoreos excoluisse, ne animi fortitudo per frequentiam, & multas oculorum auriumque illecebras mollesceret, ejusque pudicitia constupraretur, & hac ratione urbium frequentias declinasse, ac secessisse in loca deserta, & ibi consuevisse degere. Cynici itidem, quas Epictetus veluti philosophiæ exemplaria proponit cælibatui, & culturæ castitatis fuerunt addicti, ne à sensuum illiciis, à studio averterentur Philosophiæ; & Arianus *lib. 3. cap. 22.* pluribus rationibus nititur ostendere oportuisse eos cælibes fuisse. Herasci Philosophi Cælebis castitatem ex eo commendat Damasius apud Photium *cap. 242.* quia si non nunquã impura loquentem mulierem audiret, statim doleret capite, vel etiam toto corpore ægrotaret. Quamobrem; quia conjugium à rerum divinarum contemplationibus animum distrahat, congruum fuit,

ut qui ſacris initiarentur Ordinibus perpetuam voverent caſtitatem, ac cælibatum profiterentur, qui plurimum adfert emolumenti addictis orationi, ac rerum divinarum contemplationi, nec non ſacramentorum Miniſtris; cum enim Auguſtiſſimum altaris Sacrificium ſanctiſſimum ſit, conveniens erat, ut qui altari deſerviunt, inſigni quadam puritate corporis, & ſanctitate mentis pollerent: etenim qui ſunt legi addicti cælibatus, qui incontaminatum excolunt caſtitatis florem, qui ſanctæ pudicitiæ ornantur candore, ſanctitatem redolent, & puritatis odorem cum corporis tum animæ efflant; ait enim Apoſtolus *ad 1. Corinth. 7. Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt ut ſit ſancta corpore, & ſpiritu*, cenſet enim D. Paulus quemdam majoris ſanctitatis gradum ineſſe cælitibus, quo carent conjugati, & hunc perfectionis gradum decere Clericos, qui in eccleſia divino cultui ſunt addicti.

# CAP. VII.

## Refertur, & refelluntur objectiones Sectariorum.

HÆretici, qui, ut ſenſui indulgeant, à cælibatu abhorrent, aſſerunt legem hanc in eccleſia ſervandæ caſtitatis eſſe ut exitialem abolendam, eò quia pernicioſiſſima ſit humano generi, cujus impedit propagationem, & ut adverſantem legi naturæ & divinæ; dicunt enim conjugium eſſe juris naturalis, ut conjicitur ex indita hominibus propenſione ad liberorum procreationem, imo etiam juris divini, cum Deus ſub mundi exordio Benedictionem impertiens hominibus dixerit *Genes. 1. Creſcite, & multiplicamini*, & ſubdunt, hac ratione olim Romanos leges ſanxiſſe, quibus mulcta cælibes punirentur, & parentes plurimum filiorum præmiis donarentur, eò quia per filiorum pluralitatem ſuppeditarent milites Romano exercitui & urbibus hominum frequentias, officinis, & artibus negotiatores, & artifices, & quia cælibatus legi adverſatur naturæ, & divinæ, & propagationi humani generis obſtat, cui eſt impedimento, concludunt hanc cælibatus legem abrogandam eſſe, & eos puniendos, ut rei publicæ noxios, qui ſtudio cælibatus hominibus privarent Rempublicam. Hoc autem argumentum, quo ſibi epinicium canunt Sectarii à S. Ambroſio *lib. de viduis ſub finem* facilè evertitur, loquens enim de Ethnicis, qui falſorum Numinum probra colebant, ait: *Illi, qui deorum ſuorum adulteria, & probra venerantur; cælibatus & viduitatis ſtatuere pœnas, ut æmuli criminum ſtudia mulctarent virtutum. Specie quidem qua fæcunditatem quærerent; ſed ſtudio, quo propoſitum caſtitatis abolerent*: perinde Sectarii prætextu propagationis hominum ſtudia nituntur delere virtutum; & ut ſenſuum blandimentis corporis ſatisfaciant propenſionibus, ſpiritum excultæ virtutis deſtituunt ornamento; dedecorantque principem, ac nobiliorem hominis partem, ut rebellantis ſenſus adhæreſcant illiciis. Sed ut directè ſatisfaciamus objectioni concedimus eſſe conjugium juris naturalis, fatemur etiam Deum præcepiſſe primis hominibus, ut creſcerent, ac multiplicarentur; proinde eſſe conjugium juris divini, ſed exinde tantùm ſequi, licitum & abſolutè liberum eſſe omnibus conjugium, ſeu matrimonium inire, neque nos id negamus, quinimò dicimus, lege cælibatus non prohiberi, ne quis ſtatum deligat conjugii, vel conſuetudine utatur matrimonii, quia hoc liberum eſt omnibus, neque eccleſia inhibet ſæcularibus nuptias contrahere, niſi tempore quadrageſimæ & Adventus, ob reverentiam Deo debitam. Six autem quis ſpònte ſua, & liberè velit ſtatum deligere eccleſiaſticum, ac ſacris initiari Ordinibus, tunc quia cælibatus eſt adnexus ſacris Ordinibus: vult etiam liberè, & ſpontè ſe obligare cælibatui, ex eo enim quod velit quis uni ſe obligare, cui eſt inſeparabiliter aliud adnexum, ſed etiam vult huic alteri obligare. Quamobrem nemo adigitur ad eligendum cælibatum, & vitam cælibem ducendam, ſicut & nemo adigitur ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, ſed ſi quis velit Ordinibus ſacris initiari, quia iſtis annexus eſt cælibatus, liberè, & ſpontè vult etiam cælibatum ſervare. Cum igitur hæc neceſſitas ſervandi legem cælibatus ſit ſubſequens, & præſupponat liberam electionem ſtatus clericalis, cui eſt annexus ex juſtiſſimis & rectiſſimis cauſis, cælibatus non tollit libertatem contrahendi matrimonium abſolutè, quia antecedenter ad liberam electionem cælibatus liberum omnino fuit eligenti uxorem ducere, ſicut fuit liberum eligere ſtatum clericalem, cui Cælibatus eſt annexus. Etenim etiam qui liberè vovet caſtitatem, ſperans ſe habiturum donum continentiæ, non poteſt ex doctrina Sectariorum uxorem ducere, & nihilominus in eorumdem ſententia, qui ita vovet, poteſt liberè non vovere, & liberè antecedenter ad votum poteſt matrimonium inire: unde ſicut eccleſia neminem adigit ad ſuſcipiendos ſacros ordines, ita neminem cogit ad cælibatum, & ſinit conjugium eſſe omnino liberum, ac licitum jure naturali, & divino. Non tamen ex eo, quod conjugium ſit omnibus licitum, ſequitur eſſe omnibus & ſingulis præceptum jure naturæ, & divino, adeo ut cælibatus repugnet huic præcepto, ac propterea teneantur omnes & ſinguli nubere, ne hoc divinum tranſgrediantur præceptum, quia inde ſequeretur, quod peccâſſent, qui ſanctiſſimè perpetuam excoluerunt virginitatem, & in ſtatu vixerunt continentiæ, quod quàm falſum ſit, conſtat ex eo, quòd Chriſtus & Virgo Mater immunes fuerint ab omni peccato, licèt neuter matrimonium contraxerit, ſed incontaminatam ſemper ſervaverint virginitatem, cæterum naturalis & inſita propenſio ad procreationem liberorum eſt tantùm propter propagationem, & perfectionem ſpeciei, ſeu bonum communitatis, non tamen datur præceptum naturale, nec divinum, quod per ſe obliget omnes, & ſingulos, ſed tantùm ipſam communitatem, ad cujus perfectionem ordinatur illa inſita propenſio ad procreandam prolem. Quamobrem ut juri naturæ ac divino ſatisfiat, ſufficit, ſi is, cui cura incumbit communitatis, provideat, ne deſint, qui per uſum initi conjugii liberos procreent, non verò hoc præceptum obligat omnes, & ſingulos de communitate ad nuptias contrahendas, quia non pertinet ad propriam cujuſque perfectionem, ſicut ſpectat præceptum comedendi. Tantum per accidens poſſet ſingulos obligare, ſi neceſſitas conſervandi ſpeciem humanam id exigeret, quemadmodum ſub mundi primordiis, & ſtatim poſt Catechiſmum, cenſent plures hoc præceptum ſingulos obligaſſe, ut terra hominibus oppleretur. Ad id, quod addebatur de legibus Romanorum reſpondetur, verum eſſe apud Romanos cælibes, legibus ſubjacuiſſe Pappeæ & Pappiæ. Sed verum etiam eſt, has leges Reſcriptis Principum antiquatas poſtmodum fuiſſe, ut teſtatur Tertullianus *cap. 4. Apologet.* ubi Pamelius *num.* 52. fuſiſſimè diſſerit de hiſce legibus, & earundem præſeſſionibus. Non tamen defuerunt ex Ethnicis, qui Cælibatui obſtreperent, eo quia ipſi omnes caſtè vive-

viverent, seque abstinerent à conjugio, brevi totum humanum genus interiret, nec ullus superesset, qui Deum coleret; qui virtutum studiis operam navaret, qui philosophiæ meritis splenderet, huic tamen paralogismo satisfecit Porphyrius *lib. 4. de abstinentia.* ubi exhibet aliam hypothesim, qua omnes, & singuli homines reges essent, quid tunc fieret? nemo regeret, quia nullus esset, qui regeretur, & quia nullus regeret, nemo rex esset, licèt omnes reges supponerentur: & nihilominus oblata sibi regna non respuunt homines cùm sciant non omnes futuros reges, alloquitur Porphyrius cælibes inquiens: *Ad eos autem qui ita interrogant, quid tandem si omnes vos imitentur? respondendum est illud Pythagoricum, cùm omnes reges evaserint, magna cum difficultate nobis erit vivendum: neque profectò dabitur fugiendi regnum consilium, atque eodem modo ibi, qui rerum publicarum pietatem metiuntur è virtutis studio nullum sibi exitum invenire poterunt, si omnes fuerint studiosi* unde quod sectarii dicunt, matrimonium debere esse omnibus liberum, & nemini esse prohibendum, verum est, & absolutè conceditur, omnibus revera liberum esse, neque ecclesia adigit ad sacros ordines suscipiendos, quibus est inseparabiliter annexus cælibatus, & siquis velit spontè, & liberè sacros ordines suscipere, tunc ex tali hypothesi voluntatis tenetur ad servandam legem cælibatus, & ad illam necessitatur, necessitate consequentiæ, quæ non tollit libertatem, sed illam supponit, ut etiam, qui libere vovet castitatem, tenetur servare castitatem, quamvis ecclesia neminem adigat ad observantiam castitatis, sed tantùm necessitate consequentiæ ad illam obligatur, quia liberè voluit castitatem vovere, ad quod votum sequitur observantia castitatis. Rursus ecclesia prohibet suis Ministris, ne exerceant officium Judicis sæcularis, nec artes quasdam sordidiores in Republica, & nihilominus hæc prohibitio non obstat, quo minus absolutè omnibus sit liberum ejusmodi officia, & artes exercere, si ante susceptos ordines sacros velint ea exercere, quia sicut ecclesia neminem adigit ad ordines suscipiendos, ita neque ad præfata officia & artes exercenda, sed tantùm annectit ordinibus sacris legem cælibatus, quam tenentur servare, qui voluntariè, & liberè ordines sacros suscipiunt. Cæterum verum est conjugium esse juris naturalis, & divini, sed id potest intelligi in duplici sensu, primò absolutè, & hoc verum est, nec tollitur per legem cælibatus, ad quam nemo adigitur, perinde ac non cogitur ad sacros ordines suscipiendos. Secundo ut sensus sit, quòd conjugium jure naturali, & divino, ut etiam ejus usus sit præceptus omnibus, & singulis, ac propterea legem cælibatus cum eo pugnare, & hoc manifestè falsum est, alioquin hoc præceptum violassent Christus & Beata Virgo, quia abstinuerunt ab usu conjugii. Neque obstat propensio naturalis ad procreandos liberos, quia sicut hæc propensio est propter conservationem, & perfectionem speciei, seu propter bonum communitatis, obligat tantùm jure divino, & naturali ipsam communitatem, ad ejus perfectionem ordinatur, non verò omnes, & singulos de ipsa communitate, posset tamen, ut diximus, singulos de communitate obligare ex accidenti, si necessitas urgeret, qua ratione, ut diximus, initio mundi, & post diluvium censent doctores præceptum illud obligasse omnes, & singulos, ut terra quæ erat inanis, & vacua repleretur hominibus: cæterum post repletam terram super est etiam opplendum cælum sanctis virginibus per culturam castitatis, & legem cælibatus.

Secundum argumentum Sectariorum contra Cælibatum desumitur ex eo, quod Apoostli quamvis sacris initiati ordinibus adhuc proprias habuerint uxores, ut liquet ex Apostolo 1. *Corinth.* 9. ubi habetur: *Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicuti cæteri Apostoli, & frater Domini, & Zephas,* & D. Paulum per sororem mulierem intellexisse propriam conjugem ex eo probant, *quia ad Philippens. ult.* ait: *Rogo te germane compar,* ubi græcè exponitur in genere fœminino *rogo te germana conjux, seu conjugalis,* siquidem juxta elegantiam Atticismii, interdum vox masculini generis ponitur pro voce generis fæminini, Præterea quia S. Ignatius Martyr *epist. ad Philadelh.* ait: Petrum, & Paulum, & omnes alios Apostolos uno excepto Joanne fuisse uxoratos, & Clemens Alexandrinus *lib. 3. stromat.* etiam censet plures Apostolos fuisse uxoratos, hinc Hæretici inferunt Cælibatum fuisse quidem in ecclesia' sed solis Monachis addictum, qui etiam ante tempora Apostolorum cæperunt vitam cælibem ducere & in eodem cælibatu perseverarunt eorum successores etiam tempora Apostolorum & per subsequentia tempore usque nunc. Hinc censent, sub illis orientis Ecclesiæ primordiis Apostolos, & sacerdotes ex ordine Cleri fuisse uxoratos, imo & usos conjugii consuetudine, non ita sacerdotes ex ordine monastico, eo quia Monachi, ut distincti à Clericis vixerint cælibes: & hac distinctione putant plures Hæretici Cælibatus impugnatores eximere curatos Parochos, Episcopos, & alios sacerdotes sæculares à lege cælibatus, ad quem ajunt teneri tantùm sacerdotes ordinis monastici; sed respondet D. Hieronymus *lib. 1. contra Jovinian.* ex Apostolis solùm de D. Petro constare fuisse conjugatum, cùm ejus socrus commemoretur in evangelio, cæterum an & qui ex aliis Apostolis fuerint uxorati, res est prorsus incerta, & varii varia opinantur, verum quidquid sit an habuerint uxores nec ne, hoc unum sancti Patres pro certo habent, Apostolos, qui antequam vocarentur ad Apostolatum uxores habuerunt, post vocationem abstinuisse ab usu matrimonii; & vitam instituisse cælibem, ut ostendit D. Hieronymus *lib 1. contra Jovinian.* ex illo *Matth.* 19. ubi Petrus nomine omnium Apostolorum dixit Magistro Christo: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te,* ex quibus infert D. Hieronymus etiam reliquisse uxores, si qui eas habuerunt, quoad conjugalem consuetudinem, seu thorum, & hoc patet ex Christi responsione, siquidem explicans quid sit relinquere omnia ait: *Omni quis reliquerit Patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

Ad illud petitum ex epist 1. Corinth. 9. ubi D. Paulus habet: *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi?* respondet D. Augustinus *lib de operib. Monach. cap. 4.* & D. Hieronymus *lib. 1. contra Jovenian.* & Tertullianus *lib. de Monogamia,* non esse intelligendum de uxoribus, sed piis quibusdam mulieribus, quæ consueverant sequi Apostolos, quibus in rebus necessariis suis opitulabantur ministeriis, perinde ac *Luc.* 8. hujusmodi piæ mulieres dicuntur Christum secutæ. Vocabantur hæ mulieres sorores, propter ejusdem fidei communionem, perinde ac in actis vocantur fideles ab Apostolis fratres, & licet D. Paulus asserat, se habuisse potestatem ejusmodi mulieres circumducendi, non tamen Apostolus loquitur de potestate, quæ jure conjugii conveniret Apostolis circumducendi mulieres: sed de potestate, quam unusquisq; habet admittendi, & accipiendi oblatum sibi beneficium, ac honestũ obsequiũ

vel dicendi sunt Apostoli habuisse quidem uxores, quas tamen post vocationem Apostolorum habuerunt, ut sorores ministrantes in temporalibus, & necessariis, non verò, quod illis fuerunt usi, ut conjuges: siquidem quoad consuetudinem conjugalem eas reliquerunt. Ad aliud desumptum *ex epist. ad Philippens.* respondetur, ibi non dici Germana conjux, sed Germana compar, quia Apostolus ibi alloquebatur virum aliquem, quem comparem, seu conjugalem vocabat, eò quià idem cum ipso in ministerio evangelii opus exerceret, ut explicant Theodoretus Haymo, Oecomenus & alii plures, nomen illud Comparis fuisse proprium cognomen illius hominis, quem tunc Apostolus alloquebatur. Cæterum D. Paulum non fuisse locutum de propria uxore, ex eo evincitur. Primò quia *1. ad Corinth. 7.* asserit se ex numero esse eorum, qui carent uxore & ut notat Theodoretus *in præfatione sui Commentar. in Epist. D. Pauli*, epistola ad Corinthios fuit priùs scripta quam, quàm altera ad Philippenses: neque est credibile, quod D. Paulus postquam proposuerat suum exemplum, quo aliis persuaderet Cælibatum, ipse postea uxorem duxerit, ait in præcitata *epist. 1. Corinth. Dico autem non nuptis & viduis bonum est illis si sic permaneant sicut & ego*, unde tunc non fuit D. Paulus uxoratus, cùm non nuptis & viduis statum persuaderet cælibatus, & ut in eodem perseverarent. Neque quod respondent Sectarii sub nascentes ecclesiæ exordiis cælibatum non fuisse servatum nisi à sacerdotibus ordinis Monastici non verò à sacerdotibus sæcularibus, quia tunc tantùm moris fuerit, ut Monachi legem servarent cælibatus. Nam non tantùm Monachi verùm etiam Clericis sanctè Cælibatum servarunt, adeo ut lex cælibatus comprehenderet sacerdotes tum Monachus tum ex clero sæculari neque Apostoli monasticum institutum fuerunt professi, sed statum Clericalem, adeo ut ordo clericorum fuerit coævus Apostolis, fueritque prima origo Clericorum Regularium, ac cæterorum Ordinum Religiosorum, tum quia, si loquamur de Monachis in lege evangelica: hic D. Marcum Sancti Petri discipulum arctioris suæ vitæ cognoscunt authorem, & Clerici tum sæculares, tum regulares S. Petrum: quinimò instituti monastici ita D. Marcus fundator fuit, ut tamen ipse minimè monasticè vixerit, è converso D. Petrus, & reliqui Apostoli vitam Clericalem nonnullis observantiis à Communi distinctam sibi servandam imposuerunt, siquidem refert Raphael Volaterranus *lib. 21. Anthropol.* Apostolos in Monte Sion post Christi ascensionem decerpto vitæ genere deliberasse & communia inter se omnia statuisse. imò & tria Religiosorum vota emisisse, est enim Theologorum communis sententia, Apostolos votis paupertatis, & castitatis se obstrinxisse, ac formam instituisse in commune vivendi, à qua norma dicti postea sunt Clerici, & Canonici Regulares, ut referunt plures cum Roberto Episcopo Arboricensi Doctore Sorbonico *Opusculo de tuendo cælibatu*, & probat Volaterranus hunc Apostolicum vivendi ritum fuisse à Successoribus Apostolorum & clericis omnibus exactè observatum, quamvis non semper eadem forma, cum temporum vices, & Barbarorum persecutiones non semper permiserint Sacerdotes in unum coire domicilium; neque victum, & vestitum in commune habere, verùm mitescente postea procellæ, ac cessantibus persecutionibus cœperunt fideles curante Episcopo ab Ecclesia ali, siquidem moris fuit, ut fidelibus dietim donaretur sportula, & sportulantes fratres dicerentur, ut fuse ex D. Cypriano probat Nicolaus le Maistre *lib. 1. instaur. princip. Episcop. cap. 6.* ubi etiam laudatum ostendit morem antiquitus in commune vivendi à clericis in ecclesia incœpisse, & ab ipsis derivasse in Monachos. Neque sola forma in commune vivendi summa clericis initium duxit, sed etiam ipsa regularitas, quamvis non ita exacta, quæ nunc temporis septis coercetur claustralibus, sed altor quædam vivendi obligatio propriis invecta regulis, quibus non tamen Apostoli fundatores, quàm ipsa Spiritus unctio initium dedit, ut pluribus probat Joannes Trullus *lib. 1. cap. 2. de ordin. can. Regul.* ubi etiam ostendit sub Orientis ecclesiæ primordiis, ac Apostolorum tempore, clericos consuevisse regulariter, & in commune vivere, & Canones qui vocantur Apostolorum plura injungere Clericos observanda ad quæ laici minimè tenerentur, ut à Græcis Clerici in canone esse dicerentur, à quibus regularis disciplina in Monachos emanavit, ut pluribus ostendit Joannes à Nigravalle in *epilog. Chron. lib. 13. cap. 18.* unde falsum est, quod asserunt Sectarii, sub ecclesiæ initiis cælibatum viguisse in solis Monachis, cùm potiùs à clericis ad Monachos emanaverit. Non tamen desunt ex Sectariis, qui velint Sanctum Augustinum fuisse primum Institutorem tum Clericorum, tum Canonicorum Regularium, & ante Augustinum jam fuisse Monachos cælibatus cultores laudatissimos præsertim in Nitria, Thebaide, Ægypto inde inferunt regularem disciplinam, & cælibatum à Monachis derivasse in Clericos. Sed contra negatur antecedens quia D. Augustinus non fuit primus Clericorum Regularium Institutor, sed tantùm eorundem instaurator; cùm enim temporum iniquitas, ac perniciosa tyrannorum & Hæreticorum, præsertim Arianorum, malignitas venustam & elegantem adolescentis ecclesiæ faciem rugis, & maculis devenustaverit D. Augustinus ope divina excitatus collapsæ Regularis in clero disciplinæ instaurationem invenit; adeo ut omnes fere Religiosorum Ordines plurimum debeant D. Augustino, quia huic operi reparandæ ac restaurandæ Regularium Ordinum disciplinæ tam peritam adhibuerit manum, quapropter D. Antonius *2. part. hist. titul. 9. cap. 8. §. 3.* commendans regulam S. Augustini ait: *Quam hodie plurimi religiosi profitentur, ut Prædicatores Eremitæ, Servitæ, Canonici Regulares omnes, quamvis diversarum religionum*, fuit enim D. Augustinus solertissimus observator rituum ecclesiasticorum, ut ex ejus scriptis facilè potest quis conjicere, & Monachorum observantiam, ac sanctitatem expertus fuerat Mediolani, ubi ad fidem Catholicam ope S. Ambrosii & precibus Sanctæ Monicæ Matris conversus fuit; unde Augustinus exemplis instructus post suam ad fidem Catholicam conversionem in Africam redux, & adhuc laicus, ut à Possidio in vita S. Augustini *cap. 5.* vocatur, seu nullis adhuc initiatus Ordinibus ecclesiasticis per aliquid temporis in paterno agro vitam peregit Monasticæ similem, sed mox factus Presbyter, ut ait idem Possidius monasterium intra ecclesiam instituit, & ipse cum Dei servis vivere cœpit secundum modum, & regulam sub sanctis Apostolis constitutam, & hos Dei servos quibus S. Augustinus Monasterium instituit, fuisse Clericos regulariter viventes refert Lippomanus *in vita S. Augustini*, ubi ait: *Sancti servi Dei Clerici S. Augustini crescebant in monasterio continentia, & paupertate profunda.* Hoc idem fatetur S. Augustinus *serm. 49. de divers.* ubi alloquens populum ait: *Volui habere in ista Domo Episcopi meum monasterium Clericorum*; quod etiam asserit Sigebertus *epist. ad Macedon.* ubi loquens de Sancto Augustino ait: *factus Presbyter monasterium Clericorum instituit in domo Episcopi.*

Ut

Ut autem S. Augustinus regulam vivendi iisdem traderet, jussit per Lazarum Diaconum legi librum actuum Apostolorum, præsertim *cap.* 4. ubi Apostolica vita communis, ac beata Clericorum paupertas describitur; deinde corrigens aliquos Clericos, qui nonnihil proprii possidere videbantur, dixit Augustinus *serm.* 48. *Ecce quomodo vivimus; nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium, sed forte aliqui habent; nulli licet, si qui habent, faciunt quod non licet.* Hanc bonorum communionem, ac privatam paupertatem sancivit voto, ne laboret in curis, erat siquidem paupertas privata non minus annexa statui Clericali sub primis ecclesiæ initiis, ac ipse cœlibatus, seu castitas & obedientia Episcopo præstanda, ut proprio Præposito. Quia verò temporum laxatâ licentiâ neglectus virtutum, & perfectionis defitio Episcopis etiam conniventibus inducta fuit in Clerum propria rerum temporalium ampla possessio, quam à suis Clericis Augustinus abegerat, quos voto obstrinxerat paupertatis, unde *serm.* 49. suos alloquens Clericos ait: *Qui Societatem communis vitæ jam susceptam deserit, à voto suo cadit, & à professione Sanctâ deficit. Observet, Judicem scilicet Deum, non me; ego scio, quantum mali sit profiteri sanctum aliquid, & illud non implere. Vovete, inquit, & reddite Domino Deo vestro.*

Quòd si expressius velimus scire, quale fuerit Clericorum Regularium institutum à D. Augustino restauratum; operæ pretium est ejus regulam paucis comprehendere, & expendere; injunxit Augustinus suis Clericis duplicem sanctitatem, absolutam unam, seu propriam unius cujusque perfectionem, & relativam alteram, seu Clericatum, quo debeant populis prodesse, adeo ut Clericus duplicem fuerit sanctitatem professus, personalem, & clericatus, illam internam propter se, hanc propter populum suum. Hisce igitur Clericis tria vota professis, paupertatis, castitatis, & obedientiæ in unam domum vitæ communionem coeuntibus regulas quasdam servandas tradidit, quarum aliquot hic subjicimus. Primò mutua commendat charitatis exercitia, *cap.* 1. *Primum propter quod in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo, & sit vobis anima una, & cor unum in Deo.* Secundò præcipit studium orationis inquiens: *Orationibus instate horis, & temporibus constitutis.* Tertiò commendat jejunium moderatum: *carnem vestram domate jejuniis, & abstinentiâ escæ, & potûs, quantum valetudo permittit.* Quartò crebras vigilias, humi cubationes, & diuturna jejunia non injungit, ne fractum hisce laboribus corpus clericalibus obeundis officiis minus sufficiens evadat. Quintò humilitatem omnibus Clericis in vitæ communionem coeuntibus enixim suadet: *Qui aliquid videbantur esse in sæculo, non habeant fastidio fratres suos, magis autem studeant, non de parentum divitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari.* Sextò litteris, & munusculis recipiendis jubet pœnitus abstinere: *Quicunque in tantum progressus fuerit malum, ut occultè litteras ab aliquo, vel quodlibet munus accipiat, si hoc ultro confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo. Sin autem deprehenditur, & convincitur secundum arbitrium Presbyteri, vel Præpositi gravius emendetur.* Septimò opus manuum non excludit, sed in commune vult conferri, *nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in unum fiant.* Octavò in vestibus vult servari modestiam inquiens: *Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus.* In incessu gravitatem subdens: *In incessu, statu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. In aspectu verecundi sint oculi vestri, & si jaciantur in aliquam fœminarum, in nulla figantur.* Nonò in publicum Clericos solitarios prodire prohibet: *Nec eant ad balnea, sive quocunque ire necessum fuerit minùs quàm duo vel tres.* Idque propter bonæ famæ testimonium. Quæ verò ad munia pertinent Clericalia, studiosè in hac regula non exprimit, quia aliunde nota erant, adduntur tamen nonnullæ aliæ regulæ, præsertim ut singulis suppeditentur, quæ necessaria sunt ad victum, & vestitum, & nemo superflua exigat. In refectorio non minus Spiritum lectione reficiant, quàm cibo corpus. Silentium statutis temporibus religiosè custodiant. Codices certa hora petantur, extra quam qui petierit, non accipiat; hocque ob frequentem lectionem, quæ ad orationem virum instruit religiosum, informat ad contemplativam & ad activam vitam, per usum siquidem lectionis addiscit religiosus, quomodo ipse vivere debeat, & alios docere. Moris eo tempore fuit, ut pro lectione codex peteretur, quia tunc temporis nondum fuit typus, quo libri imprimerentur, unde codex erat manuscriptus, & unus tantùm, quo singuli uterentur.

# CAP. VIII.

## Satisfit aliis objectionibus petitis ex sacris Scripturis.

PLures coacervant Sectarii sacræ Scripturæ textus, plures congerunt authoritates, ut cœlibatum ipsis exosum sejungant à sacerdotio, aliisque ordinibus sacris. Palmare apud ipsos argumentum ad cœlibatum penitus delendum, ac funditus ab ecclesiasticis eradicandum desumitur ex 1. *epist. ad Corinth. c.* 7. ubi D. Paulus hortatur, ut omnes suam habeant uxorem, ne fornicatione vincantur; ait Apostolus: *Unusquisque propter fornicationem uxorem suam habeat*, ex quo loco ajunt Sectarii, Apostolum omnibus indiscriminatim præcipere, ut matrimonium ineant, ac utantur conjugio, si dono careant continentiæ; sed, ajunt ipsi, plures dantur sacris initiati ordinibus, sive Sacerdotes, sive Episcopi, sive Diaconi, & alii, qui carent dono continentiæ, cùm experiantur se gravissimis pulsari tentationibus, & non posse se continere, ac pluries incidant in fornicationem; ergo isti, quamvis sacerdotes, & in sacris constituti, ab Apostolo præcipiuntur uxorem ducere. Sed contra, quia Apostolus in præcitata epistola non loquitur de Sacerdotibus, neque de aliis constitutis in sacris ordinibus; sed tantum de iis omnibus, qui, cùm essent ex ethnicismo recèns conversi ad fidem Christi, dubitabant, an eis liceret post susceptam Christianam religionem suas retinere uxores, & matrimonio uti; & dubium ex eo præsertim illis oriebatur, quia Apostoli suas non admittebant uxores, neque conjugio utebantur, ac cœlibatui essent religiosè addicti, ut explicat Tertullianus *lib. de Monogamia*; & D. Hieronymus *lib.* 1. *contra Jovi-*

*Jovinianum*. Etenim Apostolum fuisse loquutum de Ethnicis recèns conversis ad fidem Christi, liquet ex initio illius capitis, ait enim: *De quibus autem scripsistis mihi*, scilicet de recèns conversis ex Ethnicismo. Præterea quamvis Apostolus non fuisset loquutus de recèns conversis, sed etiam de aliis; non tamen verba illa sunt intelligenda per modum præcepti, quasi Apostolus jubeat, omnes, qui difficultatem sentiunt in conservanda continentia, & sentiunt se stimulis carnis urgeri, ac vexari debeant uxores ducere, & remedium adhibere conjugii; sed conjugium tantùm illis permittitur, unde ait ibi: *Si nupserit virgo, non peccabit*; & rursus addit: *Si non se continet, nubat, melius est enim nubere, quam uri*; unde matrimonium permittit quidem Corinthiis, non verò sacerdotibus, & aliis qui sacris sunt initiati ordinibus, de quibus nulla fit in illo capite mentio. Quamobrem intentum Apostoli tantùm fuit instruere Corinthios, & alios, ex Ethnicismo recèns conversos ad fidem Catholicam de matrimonio, ejusque usu, ac indissolubili vinculo, & quomodo fidelis cum conjuge infideli debeat se gerere, ac innuptis suadet cœlibatum; ait enim: *v*. 8. *Dico autem innuptis, & viduis bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego*, ex quibus verbis constat Apostolum nullum injungere sacerdotibus præceptum nubendi, imò sæcularibus non nuptis persuadere continentiam, ac cœlibatum, si possint se continere, & aliis, qui difficultatem sentiunt in servanda castitate, permittere quidem, non verò præcipere nuptias, ut explicat D. Hieronymus *lib.* 1. *contra Jovinian.* Quod si Apostolus cœlibatum suadet non nuptis, à fortiori etiam Sacerdotibus; neque possunt illi excipi qui tentationes sentiunt, difficultatem experiuntur in servanda castitate, eò quia stimulis carnis urgeantur, cum & ipsemet Apostolus hos fuerit concupiscentiæ stimulos passus, & nihilominus, se ipsum exhibeat exemplum, & hortetur ad continentiam; siquidem de se ipso ait 2. *Corinth.* 12. *Datus est mihi stimulus carnis, qui me colaphizat*, & non obstantibus hisce stimulis; 1. *Corinth.* 7. *Volo omnes esse sicut me ipsum*, scilicet cupio omnes cœlibes esse, & castitatis cultores. Quòd verò Apostolus in illo capite nullum injungat præceptum liquet, subdit enim: *Hoc autem non secundum præceptum, sed secundùm indulgentiam dico*, quibus verbis apertè declarat se nihil præcepisse cum paulo ante dixit: *Unusquisque propter fornicationem uxorem suam habeat*, sed tantùm permisisse nuptias Corinthiis & recens ex Ethnicismo conversis ad Christi fidem, non verò eas permisisse Sacerdotibus, & sacris ordinibus initiatis, de quibus in toto illo capite nulla fit mentio; & cum Apostolus esset in ordine sacro constitutus, ipse professus fuit cœlibatum, & desiderat omnes esse, sicut se ipsum, quod à fortiori de sacerdotibus, & omnibus illis, qui sacris sunt ordinibus initiati intelligendum est.

Quòd si dicas, Apostolum suasisse nuptias ut remedium ad incontinentiam arcendam quoties stimuli carnis acriùs urgent, consequenter etiam sacerdotibus, & aliis constitutis in ordine sacro, qui etiam sentiunt, se urgeri stimulis, idem remedium suasisse; contra est, quia Apostolus non suasit conjugium ut remedium unicum ac solum necessarium pro concupiscentia coërcenda; siquidem quamvis aliquis rebellantis concupiscentiæ stimulos sentiat, imò & uratur ejus impudico igne, imò & labatur in libidinis flagitium, adhuc supersunt eidem præter conjugalem consuetudinem alia remedia, ut abstinentia à cibo & potu, & rigorosum jejunium, cujus beneficio defervescit æstus concupiscentiæ, cessant carnis stimulis, cùm deficiant corporis vires. Rursus si preces Deo fundantur, ut suam det gratiam, & præsto erit, præsertim, si occasiones declinentur, cautela adhibeatur, & alia id genus, quibus potest sibi quis consulere, ac peccatum cavere, ac donum tueri continentiæ. Non igitur consuetudo conjugalis unicum est remedium ad coercendos carnis stimulos ad superandas tentationes, ut argumentatur D. Augustinus *lib.* 2. *de conjug. adult. cap.* 19. & 20. Quia sic conjuges, cùm illicitis pulsantur carnis stimulis, omni essent destituti remedio eas coërcendi, ac superandi insurgentem concupiscentiam, si aliquod obesset impedimentum, quo minus possent conjugali uti consuetudine, vel propter morbum, vel absentiam alterius conjugis, siquidem vivente altero conjuge absente, nequit alter cum altera persona matrimonium inire, quapropter in hoc casu conjux, qui stimulis carnis pulsatur in absentia alterius omni esset remedio destitutus in ordine ad coercendos illicitos concupiscentiæ stimulos, unde conjugalis consuetudo non est unitum & solum remedium ad coercendos carnis stimulos, sed dantur alia plura, quibus possunt homines, si velint, tentationes superare, & concupiscentiam compescere, præsertim si divinum implorent auxilium, quia ut ait Apostolus 1. *Corinth.* 10. *Fidelis est Deus, qui non patitur nos tentari, supra id quod possumus*, pateretur autem conjuges absentes tentari supra id, quod possent, si sola conjugalis consuetudo foret remedium coercendi, & superandi illicitas tentationes. Quamobrem remedium conjugii quamvis peccatum impediat, quatenus conjuges si stimulis pulsentur carnis, non peccent per usum matrimonii, non tamen est unicum necessarium remedium, imò neque præcipuum ad coercendos concupiscentiæ stimulos; tantum enim abest, quòd usus matrimonii libidinem extinguat, ut potius eam magis acuat, siquidem quævis potentia per suum exercitium, & usum magis acuitur, & concitatur, quapropter Apostolus scripsit 1. *ad Corinth.* 7. *Si nupserit virgo, non peccabit, tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi*, eò quia caro magis excitatur, & accenditur per usum matrimonii. Quamobrem Apostolus, si permittens solum sæcularibus matrimonium dixit iisdem: *Unusquisque propter fornicationem habeat uxorem*, cuilibet sacerdoti dixisset illud *Psal.* 49. *Redde altissimo vota tua*, scilicet vota cœlibatus, & orationis, annexa ordinibus sacris, adeo ut, qui ordinibus initiantur sacris, implicitè hæc duo voveant Deo. Non ergo putandum est, Apostolum determinatè præcepisse ad vitandam fornicationem remedium conjugii quasi unicum, & omnino necessarium; quòd si consuetudo conjugalis sit aliquod remedium non tamen est solùm, & necessarium ad coercendos carnis stimulos, propterea Apostolus illud non præcepit, sed tantùm permisit, & quidem non omnibus, sed iis tantùm, qui alioquin nullo voto explicito, vel implicito ad servandam perpetuam castitatem tenentur.

Secundum argumentum desumunt ex eo, quia Apostolus doctrinam prohibentem nubere vocat gehennalem & dæmoniacam, ait enim 1. *Timot.* 4. *Tempus futurum, in quo discedent quidam à fide attendentes Spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum prohibentium nubere.* Cum igitur Apostolus generatim, & absque ulla restrictione vocet dæmoniacam doctrinam prohibentem nubere, utique reprobat etiam doctrinam prohibentem sacerdotibus, & aliis, qui sacris sunt initiati ordinibus, nubere, siquidem

dem hæc doctrina prohibet nuptias contrahere, cùm Apostolus omnem generatim doctrinam prohibentem nuptias vocet dæmoniacam, ex quo inferunt, cœlibatum injunctum Sacerdotibus adversari sacris scripturis. Sed contra quia à D. Paulo in epistola illa ad Timotheum tantùm indicantur illi Hæretici, qui in novissimis diebus erunt damnaturi conjugium, tanquam per se malum, & à Dæmone in perniciem salutis, & animæ introductum, ut asseruerunt Manichæus, Marcion, Tacianus, & alii. Cæterum ecclesia non prohibet sacerdotibus conjugium ut per se malum, sed tantùm minus conveniens statui sacerdotali ob impedimenta, quæ injicit, ne conjugati accuratè, & ut decet, divinis obsequiis incumbant, & ita præcitatum Apostoli textum explicat D. Augustinus *lib.* 30. *contra Faustum. cap.* 4.

Quòd si asseras, Augustinum *lib.* 2. *de moribus Manichæor. cap.* 18. fateri, Manichæos nonnisi suis quibusdam electis prohibuisse conjugium, qui erant tunc perinde, ac nunc religiosi nostri sacerdotes, consequenter tunc idem fecisse Manichæos, quod nunc præstat Ecclesia circa sacerdotes, & constitutos in ordinibus sacris. Contra est, quia Augustinus ibi tantùm ostendit Manichæos generatim prohibuisse conjugium, ut per se malum, & quidem in dispensabiliter iis, qui sacerdotio fungerentur, & dispensabiliter quoad alios, cùm non potuerint omnes à conjugio prohiberi, nisi cum destructione humani generis; sicut licèt transgressio legis, sit generatim mala, id tamen non obstat, quo minus possit Princeps aliquos eximere à legis observantia ita Manichæi, ut refert D. Augustinus *lib.* 30. *contra Faustum. cap.* 6. quamvis generatim matrimonium improbaverint, ac censuerint liberorum procreationem per se malam esse; permiserunt nihilominus pluribus conjugium, ex quo liquet, nil commune habere legem ecclesiasticam cœlibatus cum doctrina Manichæorum.

Tertium argumentum desumunt *ex epistol.* 1. *ad Corinth.* 7. ubi Apostolus ait: *Melius est nubere quàm uri*, ex quo inferunt, quod, quando quis sentit se ardua libidinis puritu tentari, rectè faciat, si uxorem ducat, tametsi sacerdos sit, vel sacris initiatus ordinibus, quia tunc ex Apostolo id facit, quod melius est. Sed contra, quia per verbum *uri* D. Paulus non intelligit, quod idem sit, ac stimulis carnis urgeri, æstu libidinis tentari, quia id per se malum non est, quamvis sit effectus peccati originalis, quia post amissam primogeniam innocentiam, seu justitiam originalem, naturaliter oritur, sed potiùs est materia victoriæ, & meriti, si orationibus, jejuniis, flagellationibus eosdem stimulos coerceamus, & concupiscentiam superemus, quamobrem *uri* apud Apostolum est non simpliciter tentari, vel sentire stimulos carnis, sed flamma libidinis superari, tentationi succumbere, & in peccatum lethale prolabi, ob quod sit quispiam in inferno perpetuò urendus, hinc ait Apostolus: *melius est nubere, quàm ita uri*, non ut hac ratione confirmet præceptum aliquod de conjugio, quod illis verbis tradat, sed ut confirmet permissionem, qua permittit conjugium iis, qui alioquin nullo voto explicito, nec implicito tenentur ad cœlibatum; Clerici verò, eò ipso quod sunt sacris Ordinibus initiati, tenentur implicitè voto cœlibatus, consequenter ipsis non permittitur uxorem ducere.

Si dicas Apostolum 1. *ad Timoth.* 3. *& ad Tit.* 1. velle Episcopos esse viros unius tantum uxoris, consequenter sacris initiatos Ordinibus non teneri implicitè voto continentiæ ob susceptos sacros Ordines, cùm etiam Episcopi sint sacris initiati Ordinibus, & tamen Apostolus vult esse viros unius tantùm uxoris. Nam contra est, quia, ut exponunt Sancti Patres, verba Apostoli non sunt intelligenda negativè, ut sensus sit, ut non oporteat Episcopum habere plures uxores, ut etiam explicat ipse Lutherus in suis propositionibus de Bigamia, & ratio est, quia Apostolus alio in loco expressè asserit de omnibus generatim, *Beatiores esse, qui cœlibes permanserint*, & id etiam suadet omnibus, & præcipuè Ecclesiæ Ministris, alii etiam explicant verba Apostoli, quod Episcopus non sit assumendus, nisi qui unicam tantùm duxerit uxorem, si mortua fuerit, vel si adhuc vivat, voveat continentiam, & cœlibatum, ne imposterum liceat Episcopo sua uti uxore, sicut præsliterunt aliqui ex Apostolis. Non enim Apostolus præcipit, ut Episcopi uxorem unam ducant, & sint illa contenti, ut censent Hæretici; absurdum enim est cogitare ibi tradi præceptum affirmativum, adeo ut, si qui essent Episcopi Virgines, debeant uxorem ducere ne fiant peccati rei. Alii etiam interpretantur verba Apostoli, ut per uxorem intelligant illam ecclesiam, ad cujus regimen fuit Episcopus assumptus; siquidem initur matrimonium spirituale inter Episcopum, & ecclesiam, quam regendam assumit.

Sed instant quia Apostolus in eodem capite ait: *Mulieres similiter pudicas*, quibus verbis satis apertè indicat D. Thomas, Episcopos & Diaconos debuisse etiam habere uxores; sed contra quia hæc postrema verba, quomodocunque intelligantur, non possunt Sectariis suffragari, quia vel possunt intelligi generatim de omnibus mulieribus, ut sint pudicæ, eo modo, quo debent una quæque in suo statu, sicut D. Ambrosius exponit, vel de Diaconissis, quæ viduæ erant continentes, ut exponunt S. Chrysostomus, & Theophylactus, vel de uxoribus Ministrorum, quas tamen duxissent ante ordinationem, non verò quas ducere possent post ordinationem, nec illis uti.

Objiciunt quartò, quia Apostolus *epist. ad Hebræos* vocat, *Honorabile connubium in omnibus*; quòd si honorabile in omnibus est connubium, omnibus erit licitum, etiam iis, qui sacris sunt ordinibus initiati; ergo illis non potest prohiberi; alioquin si non liceret iis, qui sacris sunt initiati ordinibus nuptias contrahere, sequeretur, quod connubium esset in iisdem reprehensibile, consequenter, non esset honorabile in omnibus, quia quod est honorabile & dignum honore, proinde honestum est, & licitum, ergo ex Apostolo licitum est sacerdotibus matrimonium inire, & consuetudine uti uxoris. Sed contra, quia præfata Apostoli verba non sunt intelligenda in eo sensu, ut omne conjugium inter homines cujuscunque sint conditionis sit honorabile, ac licitum, alioquin sequeretur esse honorabile, ac licitum connubium, si mater nuberet filio, & Pater duceret filiam, quod adversatur præcepto naturæ injungenti debitum obsequium, ac reverentiam filiorum in proprios parentes; unde sicut ex eo, quòd Apostolus vocet connubium honorabile, non sequitur esse dignum honore & laude matrimonium inter filium & matrem initum, vel inter Patrem & filiam, ita neque sequitur esse licitum matrimonium Sacerdotum; qui in susceptione sacrorum Ordinum implicitè voverunt castitatem. Quamobrem, quando Apostolus vocat connubium honorabile in omnibus, non est sensus, ut sit honorabile in omnibus personis, cujuscunque sint conditionis; sed quod sit honorabile in omnibus partibus se tenentibus ex parte connubii, adeo ut hoc sit honorabile, ac licitum ratione contractus, ratione fidei, ratione Sacramenti, & ratione

rationе gratiæ, quam ut Sacramentum producit, & tandem ratione prolis, qua multiplicatur; & conſervatur humanum genus. In omnibus iſtis eſt licitum, & honorabile matrimonium, in quo ſenſu ſcripſit Apoſtolus *ad Hebræ.* 13. *Honorabile connubium in omnibus*, vel poteſt intelligi textus Apoſtoli, ut connubium ſit ſemper honorabile in omnibus, quibus licitum eſt nuptias contrahere, non verò aliis, quibus non eſt licitum matrimonium inire, cujusmodi ſunt conſanguinei in primo, & ſecundo gradu, & initiati ſacris ordinibus, & hic ſenſus etiam verus eſt, quia connubium eſt ſemper honorabile in omnibus, qui legitimè contrahunt nuptias abſque ullo impedimento, cujusmodi ſunt omnes laici nullo proximæ conſanguinitatis vinculo juncti. Præterea quia Apoſtolus in eo loco loquitur potiſſimum cùm laicis, ad quos poſt pauca interjecta ait: *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vos docuerunt verbum Dei*, & ita exponit Theophylactus, & ex loci circumſtantia clarè deducitur, Apoſtolum in loco illo fuiſſe locutum cum laicis, ut notavit Euſebius Cæſarienſis *lib. ult. de demonſt. evang. cap. ult.* Demum poſſunt verba Apoſtoli intelligi quod connubium ſit *honorabile in omnibus*, ſeu apud *omnes* ac in ſententia omnium rectè ſentientium, ut reſpondet D. Fulgentius *lib. de fide ad Petrum cap.* 3. in quo ſenſu matrimonium eſt honorabile apud omnes, eò quia neceſſarium ſit pro conſervatione humani generis non verò Sacerdotibus, & ſacris initiatis ordinibus, quia iſti voluntariè, ac liberè voluerunt initiari ſacris ordinibus, quibus implicitè adnexum eſt votum continentiæ ac cœlibatus.

Neque ex eo quod perpetua continentia ſit res ſervatu difficilis, ſequitur non debere ſacerdotes ad cœlibatum obligari; præſertim cùm plures ſint, qui dono carentes continentiæ frequenter propriis ſinuntur concupiſcentiis vinci; quia tametſi difficilis videatur continentia iis, qui ſtudia negligunt caſtitatis; quia tamen fidelis eſt Deus, qui non patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus; poſſunt omnes ſi velint perpetuam ſervare continentiam, dummodo media adhibeant ad id conducibilia: & *membra ſua* ut monet Apoſtolus *ad Coloſ.* 3. *mortificent* redundantiam naturæ parſimonia cibi & potus reſecent, recalcitrantis carnis motus jejunio coërceant, rebellantes concupiſcentiæ ſtimulos frœno compeſcant mortificationis, & ad retundendas diaboli ſuggeſtiones oratione opem implorent divinam, ut contra blandimenta ſenſuum, carniſque illicia vires illi ſuppeditentur; & contra illecebras externarum ſpecierum, quæ ad libidinem excitant, pravas declinent conſuetudines, aſpectus in fœminas non defigant, à verbis abſtineant turpibus, perverſorum fugiant colloquia ſociorum, ſibique jugiter caveant; his enim artibus donum obtinetur continentiæ, & in ritè exculto animæ agro caſtitas effloreſcit. Neque eſt aliud hoc donum quàm ipſa perpetua continentia proficiſcens non ſolùm ex voluntatis humanæ adhibitis remediis, verùm etiam ex divino auxilio, quod beneficus & miſericors Deus munifica impertitur largitate, adeo ut Sancti Patres aſſerant, poſſe quemlibet, ſi velit, mediante Dei gratia vitam cœlibem ducere.

Objiciunt quintò Apoſtolum 1. *ad Timoth.* 5. ſcribentem de viduis quibusdam adoleſcentulis, quæ non ſe continebant, *volo eas nubere, & liberos procreare*, ex quo Sectarii inferunt, per verbum illud *volo* Apoſtolum injunxiſſe præceptum nubendi omnibus, ſed contra, quia communiter Sancti Patres, & nominatim Chryſoſtomus ita explicant verbum illud *volo*, ut non præceptum indicet voluntatis, ſed ſimplicem permiſſionem poſitam in continentia perſonarum, & ubi nullum adeſt voti impedimentum, in quo ſenſu Apoſtolus 1. *Corinth.* 7. ſcripſit: *Melius eſt nubere, quàm uri*, ubi verbum illud *uri* non ſignificat flamma libidinis tentari, quia hoc per ſe non eſt malum, quin potiùs; ut ſuperiùs diximus mediante divina gratia materia eſt victoriæ, & meriti, unde verbum uri ſignificat flamma libidinis ſuperari, ac in lethalem delabi noxam; meliùs ſiquidem eſt nubere, quàm ita uri, non quod præcipiat nuptias, ſed quia connubium permittat, unde ait D. Chryſoſtomus: *Non putes Apoſtolum ad delicias adhortari, ſed volo inquit, quia ipſi volunt.*

Objiciunt ſextò, continentiam perpetuam rem eſſe difficillimam, ad cujus obſervantiam neceſſarium ſit donum continentiæ, quo plerique carent conſequenter non debet communis lex poni de perfecta continentia. Sed contra quia ſacris Miniſtris, quibus ſolis hæc lex poſita eſt, non eſt difficile mediante Dei gratia, & peculiari ſtudio cœlibatum ſervare, ſi adhibeant conducibilia remedia, & ut ſcribit Apoſtolus *ad Coloſſ.* 3. *mortificent membra ſua, quæ ſunt ſuper terram.* Cæterum Sectariis eſt continentia ſervatu difficilis, quia volunt indulgere carnis illecebris, & negligunt adhibere media conducibilia ad ſervandum cœlibatum; ſunt etenim contra illecebras ſpecierum externarum, quæ ad libidinem excitant, vitandæ occaſiones, abſtinere ab aſpectu, & colloquio fœminarum, parcere cibo, & potui, & jejunii cultro reſecare naturæ ſuperflua, quæ omnia, cùm negligant Sectarii, eſt iiſdem cœlibatus ſervatu difficilis. Cæterum iis qui ſacris ordinibus ſunt initiati, quia divino cultui addicti, exercitio virtutum vacant temperantiæ ſtudent, ſenſibus exterioribus frœna injiciunt, & fuſu precum à Deo opem expoſcentes facilè continentiam ſervant, & culturâ caſtitatis effloreſcunt, ac gratum Deo olent ſanctitatis odorem. Et Sancti Patres hoc pacto expendunt verba Chriſti *Matth.* 19. *Sunt Eunuchi, qui ſe caſtraverunt &c. qui poteſt capere capiat*, ajunt enim unumquemque poſſe, ſi velit, continentiam ſervare, ac florem caſtitatis excolere, ut docent præſertim Hieronymus *in hunc locum Matth.* 19. Tertullianus *lib. de Monogamia.* Baſilius *lib. de Virginit.* Auguſtinus *lib.* 6. *confeſſ.*

Inſtant tamen Sectarii, quia donum perpetuæ continentiæ, cùm non ſit ex genere illorum donorum quæ omnibus ad ſalutem neceſſaria ſunt; ſiquidem poſſunt homines etiam in ſtatu matrimonii ſalutem conſequi æternam, ideo non omnibus, quantumvis illud procurent divinitùs datur; dicunt enim aliam eſſe rationem de illis donis gratiæ, ſine quibus nemo poteſt ſalutem conſequi, hæc enim, quia media neceſſaria ad aſſecutionem ſalutis æternæ, conferuntur omnibus, non ita alia, quæ neceſſaria non ſunt, cujusmodi habentur dona linguarum, ſanitatum, & donum continentiæ, & explicant verba Chriſti *Matth.* 19. *qui poteſt capere, capiat*, & verba Apoſtoli 1. *Corinth.* 7. ubi agens de hac re ait: *Unuſquiſque ſuum donum habet à Deo, unus quidem ſic, alius verò ſic*, quaſi dicat, non omnes poſſe habere donum illud continentiæ, ut cœlibes perſeverent. Sed contra quia Deus non ſolùm dona illa, quæ ſunt neceſſaria omnibus ad ſalutem, confert, ſed etiam ea quæ neceſſaria ſunt, ad commodius perfectiùs, ac facilius aſſequendam ſalutem æternam per illos actus, ſeu per illud vitæ genus, quod Deus omnibus impertitur, tale eſt autem donum perpetuæ continentiæ, non verò donum linguarum, aut ſanita-

sanctitatum; siquidem donum continentiæ necessarium est ad perpetuam illam continentiam, de qua extat divinum Christi consilium, donum autem linguarum & alia hujusmodi non sunt ad actus aliquos, de quibus extet commune consilium. Quod si Deus cuilibet illud consuleret, ad quod auxilium gratiæ ipsius est necessarium, non tamen cuilibet vellet, quantum est in se, conferre illud auxilium, certè tunc frustraneè, & perperam illud consuleretur. Deinde donum continentiæ iis, qui in sacris sunt Ordinibus constituti, ex genere illorum donorum, quæ respectu ejusdem hominis necessaria sunt ad salutem propterea Deus non denegat suam gratiam iis, quà valeant continenthiam, quam implicitè voverunt, servare; etenim si quispiam etiam non initiatus sacris ordinibus perpetuam voveat continentiam, necesse esse ad salutem, ut emissum à se votum altissimo reddat, nisi ex justa causa cum illo dispensetur. Cum igitur Deus suo auxilio semper præsto sit, & nos velimus ea media ponere, quæ conducunt ad observantiam cœlibatus, possumus castitatem servare, & ejus culturâ efflorescere.

Ad verba autem Christi *Matth.* 19. *Qui potest capere capiat*, respondent Sancti Patres supra citati, verba illa esse ita intelligenda, ut si dixisset, qui velit, & possit ex ea hypothesi voluntatis suæ castitatem excolere, eam excolat, eò quia Deus suam illi impertiatur gratiam dummodò ille media adhibeat ad culturam cœlibatus necessaria. Ad verba itidem Apostoli respondetur unumquemque habere suum donum à Deo, scilicet ad continentiam perpetuam, vel ad castitatem conjugalem, non quasi Deus nolit aliquibus dare donum continentiæ perpetuæ, sed quia quidam illud negligunt procurare; siquidem Deus illud non impertit nisi secundùm liberam cooperationem humanæ voluntatis, & in hoc sensu à Sanctis Patribus intelligantur verba Apostoli, quia eatenus asserit quosdam habere donum ad continentiam cœlibatus, sicut alios quosdam ad castitatem conjugalem, ait enim: *Unus quidem sic, alius verò sic*, quod nec ipsi Sectarii contendunt, ita quosdam habere donum ad castitatem conjugalem, & alios ad opus conjugale, consequenter, neque eo modo debent contendere donum continentiæ ex sententia Apostoli ita esse proprium quorundam, ut alii illud non possint habere.

Objiciunt septimò verba *Genes.* 2. *Non est bonum hominem esse solum*, ex quo inferunt non esse bonum hominem sine uxore, propterea subjungit, *faciamus ei adjutorium simile sibi*. Sed contra, quia inde non sequitur Deum præcepisse, ut omnes Adæ posteri uxores ducerent sed sensus est, nec bonum, nec utile fuisse futurum, si tantùm in humana specie mares existerent, & non fœminæ, quia nulla inde propagatio humani generis haberetur; qua propter ratione finis à Deo intenti non fuisset bonum hominem esse solum, scilicet respectu totius humani generis, quod non potest crescere, nec multiplicari nisi per generationem filiorum, & ad hunc finem non fuisset bonum hominem esse solum, ac dixisse Deum, *faciamus ei adjutorium simile sibi*, scilicet uxorem, alioquin si propriam velimus utilitatem spectare, & pensare, quæ uniuscujusque saluti sunt conducibilia, rectè dicit Apostolus 1. *Corinth.* 7. *Bonum est homini mulierem non tangere*, & alibi: *Beatior erit, si sic permanserit*, scilicet in cœlibatu.

Objiciunt octavò Socratem, & Sozomenum historicos, eò quia referant, quòd cum Patres Nicenæ Synodi vellent legem sancire, ne clerici cum uxoribus, quas ante ordinationem duxissent, dormirent, Paphnutius contradixit, cujus sententiæ reliqui Patres acquieverunt, ac reliquisse Sacerdotibus liberam consuetudinem matrimonii. Sed contra, quia ut notat Alanus Copus, Socrates & Sozomenus non sunt fide digni, & contrarium ostendit Turrianus *lib. de can.* 6. *Synodi* ubi ostendit Patres Nicenæ Synodi indixisse legem cœlibatus iis qui sacris sunt Ordinibus initiati, quamvis ante ordinationem uxorem duxerint. Quod fides non sit adhibenda præfatis Historicis, ex eo liquet, quia plura narrant, quæ sunt apertè falsa. Socrates enim *lib.* 5. *c.* 21. ait: licuisse Pascha celebrare, quando Episcopi vellent, neque ecclesiam de re hac quid certum statuisse; cùm tamen certum sit Concilium Nicænum statuisse, ut dominica post decimam quartam lunam primi mensis pascha à Catholicis celebraretur, cujus canonis mentionem faciunt Sancti Patres ut Epiphanius *hæres.* 70. D. Ambrosius *epist.* 83. D. Athanasius *lib. de Synod. Arimini, & Selauci*, Eusebius *in vita Constantini*, Theodoretus *in vita Marciani*, item Socrates *ibid.* subdit in Romana ecclesia non jejunari ante pascha nisi per três hebdomadas, & nihilominus S. Leo, qui eodem tempore vixit, quo Socrates testatur, consuetudinem jejunandi ante pascha fuisse per dies 40. cujus consuetudinis etiam meminit D. Gregorius *homil.* 16. *in evangel.* Rursus hæc historia de Paphnutio contradicit Epiphanio *hæresi* 29. ubi asserit, esse contra canones ecclesiasticos, quod Sacerdos vel Diaconus liberos gignant, & adversatur itidem D. Hieronymo, qui *lib. contra Vigil.* fatetur, in Oriente & Ægypto non licuisse Sacerdotibus & Diaconis uxoribus uti, & cum Concilium Nicænum fuerit paulo ante celebratum, non videtur probabile Patres illius Synodi statuisse, ut sacris initiati Ordinibus possent conjugio uti, si ante sacram ordinationem uxorem duxerint. Præterea quia eadem Synodus Nicæna *can.* 3. expressè ait legem cœlibatus viguisse tempore quo talis Synodus fuit celebrata, & id adeo est clarum, ut vel ipse Lutherus *in libello de Conciliis part.* 3. asserat, Patres Concilii Niceni noluisse acquiescere sententiæ Paphnutii, unde non est credibile narrationem illam Socratis & Sozomeni veram esse, præsertim cùm ab aliis scriptoribus antiquioribus, imprimis à Ruffino, non referatur, nec quidquam narrant de Paphnutio, & tamen Ruffinus, qui antiquior fuit Socrate & Sozomeno accuratus fuerit in recensendis Conciliorum gestis, imò neque in ipsis actis Nicænæ Synodi quidquam de hac re asseritur, quæ tamen silentio non debuisset præteriri. Demum dato etiam, at non concesso, quod historia Paphnutii vera esset, ut scribunt Socrates & Sozomenus, adhuc Sectarii eam non referunt, ut illam scripserunt Socrates & Sozomenus, quia asserentes de Paphnutio: *Bonum sibi videri, ut secundùm antiquos canones nemo post ordinationem uxorem ducat, sed solùm usus permittatur uxoris, quæ ante ducta fuerit.* Sectarii tamen volunt etiam post ordinationem licitum esse Sacerdotibus uxores ducere, & non solùm uti conjugio cum uxore ducta ante susceptos sacros ordines. Quamobrem historia de Paphnutio permittente conjugii usum cum uxore ducta ante susceptos sacros ordines Apocrypha est, & à vero dissentanea cujus falsitatem etiam ipse Lutherus confessus fuit.

Objiciunt nonò Udalricum Episcopum Augustanum, qui in quadam epistola ad Nicolaum Papam refert, D. Gregorium IX. prohibuisse quidem consuetudinem conjugalem iis, qui sacris sunt initiati Ordinibus, sed quia postea cognovit sex millia capita infantium ex piscina sua quadam à piscatoribus casu, cum piscari vellent, eruta esse, ac intellexit legem cœlibatus

libatus horrendam illam peperisse cædem (ut scilicet
stupra Ministrorum occultarentur) legem illam re-
vocâsse, & pœnitentiam egisse. Sed contra, quia
hæc narratio fictitia omnino est, ut etiam commen-
titia epistola Udalrici, ut ostendunt Staphylus in re-
sponsione ad fictas dissensiones, quas inter Catho-
licos esse falsò criminatur Illyricus, & Halanus
Copus *dialog. 1. cap. 26.* siquidem Nicolaus I. obiit
anno 867. ut notat Onufrius *lib. de Roman. Pontifi-*
*cib.* & Udalricus creatus fuit Episcopus Augustanus
circa annum Christi 924. ut notat Abbas Urspergen-
sis in suo Chronico vel circa annum 903. ut reperi-
tur scriptum in Chronico ecclesiæ Augustanæ, qua-
propter fieri non potuit, ut Udalricus scriberet ad
Nicolaum I. cùm jam mortuus fuerit antequam crea-
retur Episcopus Udalricus; neque urget, quod re-
spondent aliqui Sectarii talem epistolam fuisse dire-
ctam ad Nicolaum hoc nomine II. siquidem hic crea-
tus fuit Pontifex anno Christi 1059. & Udalricus
obiit circa annum 974. vel ut alii scribunt 953. adeo
ut Udalricus centum circiter annis obierit antequam
crearetur Nicolaus II. Romanus Pontifex. Præter-
ea quia non fuit alius Udalricus Episcopus Augusta-
nus nisi ille qui fuit sanctitate illustris, & vocatur san-
ctus, & fuit post Nicolaum I. & longe ante Nico-
laum II. Neque Munsterius *lib. 3. de rebus German.*
alium commemorat in Catalogo Episcoporum Au-
gustanæ Ecclesiæ. Addendum itidem est, historiam
illam de sex infantum millibus capitibus, quæ fue-
runt expiscata casu à Piscatoribus annilem fabulam vi-
deri, ad risum excitandum potiùs quam ad fidem re-
conciliandam. Demum quia si epistola illa Udalrici
vera esset, ipsis Sectariis adversaretur quia Udalricus
ibi affirmat debere Presbyteros, & Monachos cogi,
ne uxores ducant post sacram ordinationem, & nihi-
lominus Sectarii asserunt, licitum esse iis, qui sacris
sunt initiati Ordinibus, etiam post ordinationem,
uxorem ducere, & uti conjugio.

Tandem objiciunt mala pleraque quæ ex lege cœ-
libatus sequuntur; siquidem asserunt legem cœliba-
tus alios fructus in ecclesia non parere præter hor-
rendas libidines, & multa sacerdotum scandala. Sed
contra, quia esto aliqui Sacerdotes sint fidelibus scan-
dalo, ac libidinibus se coinquinent, non tamen li-
bidines & scandala Ministrorum sunt fructus, quos
parit lex cœlibatus, sed abusus, qui omnino tollendi
sunt ac impediendi, non verò lex ipsa cœliba-
tus abroganda. Ceterum veri fructus cœlibatus
sunt, quos commemorat Apostolus *ad Corinth* sci-
licet: *Cogitare, quæ Domini sunt, esse solicitum,*
*quomodo quis placeat Deo, esse sanctum corpore, &*
*Spiritu, habere facultatem sine impedimento Domi-*
*num obsecrandi, non habere animum divisum atque*
*distractum in curis, ac solicitudinibus hujus mundi.*
Præterea si sit unus vel alter Sacerdos, qui aliis sit
scandalo, & libidinibus indulgeat, sunt innumeri
alii, qui legem cœlibatus exactè observantes nulli
sunt scandalo sanctissimè vivunt, & evangelicas vir-
tutes excolunt. Neque si lex cœlibatus abrogaretur
non propterea cessarent illa scandala, & peccata, quia
tametsi sacerdotes uxores ducerent, & licitum iisdem
esset uti conjugio, adhuc possent cum aliis vel puel-
lis, vel conjugatis peccare, ac esse scandalo, unde
abrogatio legis cœlibatus non impedit quò minus Sa-
cerdotes sint aliis scandalo, ut etiam si abrogarentur
præcepta Decalogi, & aliæ leges divinæ & humanæ
tollerentur, non propterea impedirentur peccata, &
sacrilegia Ministrorum, non igitur peccata, quæ
committuntur contra legem cœlibatus, obstant,
quò minùs lex cœlibatus sit in ecclesia utilis, sit san-
cta, quamobrem contra Sectarios asserimus non es-
se licitum Sacerdotibus uxorem ducere, nec uti con-
jugio, & talia matrimonia dicimus esse scorta, &
Sectarios peccare contra legem justissimam adeo ut
in Concilio Toletano 2, *can.* 1. puniti fuerint Sacer-
dotes, qui ausi fuerint uxores ducere; ait enim Con-
cilium Sacerdotem, qui uxorem duxerit, ut sacrile-
gii reum ab ecclesia haberi extraneum, & Toleta-
num VIII. *can.* 6. præcipit tales Sacerdotes excluden-
dos esse in monasterium, ut sæverissimam pœniten-
tiam usque ad vitæ extremum agant ob commissum
sortum. Et D. Hieronymus *lib. 1. contra Jovinian.*
asserit Episcopum gignentem filios tanquam adulte-
rum damnari; hinc constat, legem cœlibatus viguisse
in ecclesia tempore D. Hieronymi, imò & tempore
Apostolorum, ut superiùs ostensum est, & non esse
quid novum in ecclesia à Romanis Pontificibus in-
junctum iis, qui sacris initiantur Ordinibus.

# CAP. IX.

## Ostenditur contra Sectarios Dei præcepta esse observatu possibilia.

POsse hominem divinæ gratiæ fultum auxilio to-
tam legem Decalogi servare, docuerunt semper
Sancti Patres à tempore primitivæ ecclesiæ, ut Cle-
mens Alexandrinus *lib. 4. strom. cap.* 8. Origenes *ho-*
*mil. 9. in Josue.* Cyprianus *de baptis. Christi*, ubi ait:
*Nulli ad harum rerum persecutionem deest scientia,*
*sive potentia; quòd si impossibilia essent præcepta tua*
(alloquitur enim Deum) *vel tantis difficultatibus one-*
*rata, vel voluntas sic abdita, ut non posset intelligi,*
*quid à nobis expeteret tua altitudo, licèt invitus nemo*
*peccet, posset tamen ex multis excusari debitum, nisi*
*simul se complecterentur possibilitas, & facilitas, scien-*
*tia, & potestas; præcipis, Domine Deus, ut diligam*
*te, hoc & possum, & debeo.* Hoc idem docent reliqui
primitivæ Ecclesiæ Patres ut Athanasius *de Virginita-*
*te servanda.* Hilarius *in Psal.* 118. Basilius *in reg. brev.*
*respons.* 176. Sanctus Ephrem *serm. ad piet. & bona*
*opera Christi.* Hieronymus *in cap. 5. Matth. & lib. con-*
*tra Pelagian.* Chrysostomus *homil. 18. in Matth.* ex
quibus constat, nullum unquam fuisse in ecclesia apo-
stolica præceptum, quod non perfectè adimpleri po-
tuerit à fidelibus divina ope adjutis, neque ante Lu-
therum ullus unquam fuit Hæreticus, qui scripserit
Dei præcepta esse observatu impossibilia, & deesse ho-
minibus gratiam, qua fiant possibilia, unde clarum
est, recèns hoc inventum esse & alienum à vera do-
ctrina primitivæ ecclesiæ. Docent quidem Catholici
legis divinæ observantiam esse quidem servatu impos-
sibilem per solas naturæ lapsæ vires, esse tamen possi-
bilem ac posse ab omnibus servari per auxilia gratiæ
divinæ, quæ Deus nobis suppeditat; & hanc legis ob-
servationem posse semper esse perfectiorem, & perfe-
ctiorem, & quamvis perfectissimè à nobis non obser-
vetur, sufficit tamen, si perfectè eam adimpleamus, ut
Deo Legislatori satisfaciamus, neque ad quid aliud
obligamur, nisi ne divina transgrediamur præcepta,
cæterum quamvis huic observantiæ legis plura mi-
sceantur mala, seu peccata venialia, non tamen per
hæc tollitur justitia, nec legis observatio, sed tantùm
fit, ut minùs perfecta sit observatio legis.

Ut autem divinæ legis plenior habeatur notitia
recensendæ sunt ejus causæ, efficiens est Deus qui

pro summa sua in homines authoritate, ac supremo & despotico Dominio legem aliquam imo & plura præcepta in quolibet statu hominibus injunxit. In statu siquidem innocentiæ præcepit primis hominibus ne ederent de fructu scientiæ boni, & mali, ut nimirum se ostenderet Dominum, & indicaret hominibus se esse famulos, & servos Dei, cujus præceptis tenentur obtemperare hinc ait Augustinus *in Genes. Non erat autem, unde se homo habere Dominum cogitaret, nisi & aliquid ei juberetur, & aliquid prohiberetur*, ideoque voluit ejus fidelitatem & obedientiam per præceptum experiri, & similiter ostendere hominem esse liberi arbitrii, & posse transgredi præceptum vel adimplere, bonum facere, vel omittere, alioquin, si libertate caruisset homo, non oportuisset illi præcepta injungere, nec supplicia minari, si fuissent legem transgressi, ut notat D. Augustinus *in Enchirid. cap.* 14. inquiens: *Oportuit sic hominem prius fieri, ut bene velle posset, & male, nec gratis si bene, nec impune si malè. Postea verò sic erit, ut malè velle non possit, sicut beati qui in bono sunt confirmati, aut sicut damnati in malo confirmati, ut non possint velle bonum.* Præter hoc præceptum non comedendi de fructu scientiæ boni, & mali, habuit etiam homo in statu innocentiæ legem naturalem menti insitam à primæva sui creatione, & de qua dixit David *Psal.* 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, quia lex illa est quoddam lumen procedens à Patre luminum & dirigens hominem, in his quæ agenda sunt, & vitanda, cujus ductum si sequatur homo à rectitudine non deflectit, quinimò habuit etiam homo ab initio legem supernaturalem fidei, spei, & charitatis, ut se promoveret ad felicitatem æternam, seque dirigeret ad finem supernaturalem, quia verò primus homo transgressus fuit injunctum sibi à Deo præceptum & post peccatum invaluit concupiscentia, & appetitus inferior rebellis superiori, adeo in homine omnia interiora cœperunt turbari, & animus obscurari, ut oportuerit per legem decalogi renovari lex naturalis, ac explicatiùs proponi, ac populo promulgari, ac eorum observantia vividiùs ac fortiùs inculcanda, & ad id plures etiam fuerunt cæremoniæ injunctæ ut habetur *Exodi* 19. & 20. non enim satis fuit Deum per Angelum suum Vicarium de summitate montis Sinai, particulatim promulgâsse decem præcepta, quæ à toto populo distinctè audita fuerunt, verum etiam digito suo inscribi tabulis lapideis voluit in testimonium, & memoriale sempiternum, & jussit has tabulas in arca fœderis servari, quod Moyses statim executus fuit ut patet ex *lib.* 3. *Reg. cap.* 8. *In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel.* Habemus itidem *lib.* 2. *Machab. cap.* 2. Jeremiam abscondisse tabernaculum, & altare incensi in spelunca Montis Sinai quando Babylonii everterunt Sanctam civitatem & templum Salomonis, & etiam prophetasse locum illum fore ignotum, donec congreget Dominus populum suum, seu ut ait Isaias cap. 10. *Donec reliquiæ Israelis convertantur à Deum.*

Quomodo verò dividantur hæc præcepta Decalogi, quibus lex naturalis explicatur, est aliqua dissensio, omnes tamen admittunt duas tabulas juxta duplex objectum Deum scilicet Creatorem, & creaturam, seu proximum. Hebræi quos sequuntur Josephus, Philo, Origenes, Procopius & alii, omnia quæ spectant ad concupiscentiam contrahunt in unum præceptum, & primum in duo dividunt, quo pacto describunt primam tabulam. Primò: *Non habebis Deos alienos coram me*; Secundò: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, non adorabis ea, neque coles, ego Deus & Cœlotes &c.* Tertiò: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Quartò: *Memento ut diem Sabbati sanctifices, sex diebus operaberis septimum autem Sabbathum Domini Dei tui est.* Secundam tabulam ita disponunt: Quintò: *Honora Patrem tuum, & matrem tuam ut sis longævus super terram quam Dominus Deus tuus dedit tibi.* Sextò: *Non occides.* Septimò: *Non mœchaberis.* Octavo: *Non furtum facies.* Nonò: *Non loqueris contra proximum falsum testimonium.* Decimò: *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum nec omnia quæ illius sunt.* Sed Sancti Patres ut Augustinus *quæst.* 71. & *epist.* 119. *cap.* 11. D. Hieronymus *in Psal.* 32. Clemens Alexandrinus *lib.* 6. *strom.* & communiter Doctores Christiani duo præcepta priora contrahunt in unum, eò quia non sit plenior explicatio eò enim ipso, quòd prohibemur habere Deos alienos, prohibemur etiam non habere idola, nec sculptibilia nec ea adorare, & colere, hæc enim omnia idem sunt. Præceptum verò de non concupiscendo, dividunt in duas partes, quarum una, quæ constituit novum præceptum, vetat concupiscentiam in rebus venereis, alterum verò, quæ decimum constituit, prohibet concupiscentiam in aliis rebus externis, quæ duo toto genere inter se differunt, constituuntque peccata inter se omnino distincta, consequenter in actibus internis prohiberi debent duplici præcepto, quam in actibus externis prohibentur furtum, & impudicitia, adeo ut præcepto: *non mœchaberis*; respondeat præceptum, *non concupisces uxorem proximi tui*, & præcepto *non furtum facies*, respondet præceptum: *non concupisces rem proximi tui*, adeo ut unum pertineat ad materiam temperantiæ, & alterum, ad materiam justitiæ.

Primam divisionem sequuntur recentiores Iconoclastæ, ut probant verbis illis: *Non facies tibi sculptile*, quid aliud prohiberi quam verbis illis: *non habebis Deos alienos coram me*, ideoque asserunt, non solùm adorationem verum etiam confectionem imaginum vetitam esse; sed tametsi hoc concederetur, nihil concluditur contra usum catholicum sacrarum imaginum, quia hebræa vox *Pesel* à verbo *Pasel*, quod est sculpere, nunquam usurpatur à scriptura, quàm pro idolis, aut statuis idololatricis vel earum ornatu, hinc pro sculptile Septuaginta intelligunt idolum. Hinc Concilium Nicænum II. mandans venerari sacras imagines, ait: *Qui venerandas imagines idola appellant, anathema; his qui dicunt, quod Christiani imagines ut Deos adorant, anathema*, non tamen prohibentur sculpi statuas, quæ non exponuntur adorandæ cultu latriæ, nec pingi vetantur imagines, vel pro ornatu, vel doctrina ex eo colligitur, quòd artes pictoriæ, & sculptoriæ non sint prohibitæ, consequenter neque earum objectum. Præterea quia Deus infudit has artes in eminenti gradu Oolial, & Beseleel, & iisdem uti jussit ad effigiandos Cherubin, & eadem arte usus fuit Moyses in æneo serpente efformando, unde illud: *Non facies tibi sculptile*, intelligitur, quòd non debeat quis habere sculptiles Deos alienos, quæ sint instar Numinum, unde sequitur: *Non adorabis eos, neque coles*, scilicet præfata sculptilia.

Causa materialis præceptorum decalogi multiplex est juxta pluralitatem materiæ; alia enim sunt materia remota, alia minùs remota, & quædam materia proxima. Remotæ sunt

ſunt omnes homines, omnesque potentiæ, & paſſiones, partes, & ſenſus illorum, quia nullus eſt homo, & nulla pars hominis, cui Decalogus non ſit à Deo datus, tanquam regula. Materia minus remota ſunt actiones hominum, quæcunque illæ ſint, ſive corporis, ſive animæ, ſive cordis, vel operis, quia omnes has actiones Decalogus regulat. Materia proxima ſunt omnes virtutes, & vitia, quæ in humanis actionibus reperiuntur, quia decalogus virtutes præcipit, & vitia quæque prohibet, & hæc triplex materia ita ſubordinata eſt, quia lex divina regulat homines, & id quod in ipſis regulat ſunt actiones, & quod in actionibus regulat ſunt virtutes & vitia illa, ut exercendæ, hæc ut declinanda. An verò in decalogo detur præceptum de virtutibus theologicis reſpondetur in primo præcepto præſertim dari regulam circa cultum Dei & ideo omnes virtutes theologicæ, & præcipiuntur, & vitia illis oppoſita prohibentur. Charitas autem in toto decalogo eſt ordinata an verò etiam præcipiantur virtutes Cardinales reſpondetur, in ſingulis præceptis præcipi, quia quando Deus præcipit aliquem actum, oſtendit juſtitiam illius, & præcipit abſtinendum à vitio oppoſito, imperat fortitudinem in exequendo, ordinat prudentiam ſcilicet ut opportunè & pro loco & tempore fiat. Imò in quinto præcepto præcipiuntur etiam opera miſericordiæ ſpiritualia, & corporalia, quia in quinto præcipitur, ut impediatur per dicta opera corporalia, vel ſpiritualia mors animæ, vel corporis proximi, quinimò prohibentur etiam omnia vitia capitalia, ſuperbia enim prohibetur per ſingula præcepta, quæ injungunt obedientiam, avaritia prohibetur in ſeptimò & nono præcepto, luxuria, & gula in ſexto, & decimo, Ira & invidia in quinto, & octavo, Acedia in omnibus prohibita eſt.

Cauſa formalis Decalogi eſt ejus ratio vel modus tam directivus, tum præceptivus, tum obligativus, quo lex iſta à Deo data eſt; ſiquidem obligat ſub ratione cuſſæ, & pœnæ transgreſſor enimalicujus ex iſtis decem præceptis, non ſolùm amittit gratiam, & amicitiam Dei, verùm etiam incurrit odium capitale illius, adeò ut juſte ei infligatur pœna privationis æternæ felicitatis, & ſupplicium gehennæ.

Cauſa finalis Decalogi eſt regulatio humanarum actionum ad finem ultimum, quia ſicut ad Dei providentiam ſpectat ordinare hominem ad aliquem finem ita & eandem pertinet dirigere, & adjuvare ad propoſitum finem, unde non ſatisfiat Deo legem naturalem inſerere menti, & naturæ humanæ, & per ſcripturam refricare ejus memoriam, ſed etiam voluit cor hominis per gratiam illuſtrare, & quaſi dilatare ad faciliorem præceptorum obſervantiam & copioſiorem inde fructum temporalem, & æternum conſequendum. Cæterum finis Decalogi eſt omne illud bonum, ad quod hominem dirigit, ſcilicet divinum, publicum, & privatum, tria præcepta primæ tabulæ dirigunt homines ad bonum divinum; præceptum ſecundæ tabulæ dirigit ad bonum publicum, & reliqua ad bonum privatum. Hinc circa bonum divinum tria dantur præcepta quia juſtum, & æquum eſt, ut totus homo in cultu Dei occupetur corde lingua, & manu, hac de cauſa conveniens fuit ut tria darentur præcepta cordi, ori, & manui exteriori. Circa bonum publicum quod populis eſt commune, & conſiſtit in tribus, ſeu in bonis legibus, bonis Magiſtratibus, & bono populo, legum obſervatore, unum ſufficit præceptum. De bono autem privato ſex extant præcepta, quia quatuor ſunt bona privata ſcilicet animæ, corporis, famæ, & fortunæ, quæ bona poſſunt tribus modis ditigi corde, ore, opere; ſex dedit præcepta, tria de dilectiones operis unum de dilectione linguæ, & duo de dilectione cordis. Septimum præceptum eſt ne quis offendat famam, aut fortunam proximi tui; octavum linguam dirigit, ac prohibet ne lingua proximum lædat; duo ultima præcepta coercent concupiſcentiam quo pacto per decem præcepta decalogi totus perficitur homo.

Quòd ſi intimius conſiderentur hæc præcepta Decalogi quodlibet illorum duplex videbitur, adeo ut univerſus numerus ad viginti excreſcat, ſiquidem quodlibet eorum conſtat ex duabus partibus, quarum una eſt affirmativa præcipiens actus virtutis, & altera negativa prohibens vitium virtuti oppoſitum, quia ut docet Philoſophus in affirmatione virtualiter continetur negatio, & in negatione affirmatio, in hac enim affirmatione *dies eſt*, continetur hæc negatio *nox non eſt*, ut etiam converſo in hac negatione *modo non eſt dies* continetur hæc affirmatio *modo nox eſt*, perinde in præceptis, ſi præceptum ſit negativum, *ne odio habeas proximum tuum*, virtualiter in hac negatione continetur affirmatio, quæ eſt *diliges proximum tuum*, rurſus in cauſa finali legis, ſemper virtutes præcipiuntur & vitia contraria prohibentur; quia finis legis ſemper eſt bonum commune. Præterea Decalogi ſufficientiam explicat etiam D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 100. quia ſicut præcepta legis humanæ ordinant hominem, ad quandam communitatem humanam, ita præcepta legis divinæ eandem ordinant ad quandam communitatem ſub Deo, ad hoc autem, ut quis in aliqua communitate ritè ſe habeat, duo requiruntur, nimirum ut bene ſe habeat ad eum, qui præeſt communitati, & ut ritè ſe habeat ad alios communitatis conſocios, unde in lege divina debent prius ſervari quædam præcepta quæ ordinant hominem ad Deum, & poſtea alia quædam ad alios proximos ſimul convenientes ſub Deo. Principi autem communitatis ſubditus tria debet, ſcilicet fidelitatem, reverentiam, & famulatum; fidelitas in ordine ad Deum in eo conſiſtit, ut honorem principatus ad alium non deſerat, & ſic habetur primum præceptum injungens, *non habebis Deos alienos.* Reverentia requiritur ut nihil injurioſum in eum perpetretur, nec quod Dominum lædere poſſit, ac offendere, & hoc habetur in ſecundo præcepto: *Non aſſumes nomen Domini tui in vanum.* Famulatus debetur Deo in compenſationem beneficiorum, quæ ab ipſo percipimus, & ad hoc pertinet ſanctiſicatio Sabbathi in memoriam creationis rerum; ut autem quis bene ſe habeat ſpecialiter in ordine ad proximos, quantum ad illas, quibus eſt debitor, ut eis debitum reddat & quantum ad hoc habetur præceptum de honorandis parentibus; Generaliter ut aliquis ſe habeat in ordine ad eundem proximum quantum ad omnes habetur, ut nulli nocumentum inferatur, neque opere, neque ore, neque, neque corde; opere autem infertum nocumentum proximo quando in propria perſona quantum ad conſiſtentiam, quando quis talem perſonam graviter lædit, quod prohibetur per præceptum illud: non occides, vel quando infertur nocumentum in perſona conjuncta quantum ad propagationem prolis, quod prohibetur, cum dicitur *non mœchaberis*, vel cùm læditur in rebus, quæ à tali perſona poſſidentur, & hoc prohibetur per præceptum illud; *non furtum facies*, rurſus nocumentum oris prohibetur cum dicitur: *non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*, nocumentum cordis prohibetur cum dicitur *non concupiſces*; & juxta hanc diffe-

differentiam possent distingui ea præcepta ordinantia in Deum quorum primum pertinet ad opus *non facies tibi sculptile*, secundùm ad os, *non assumes nomen Domini in vanum*, tertium ad cor, *Sabbathum sanctificabis*, & secundùm D. Augustinum *in Psal. 32. concion.* 1. per primum præceptum reveremur unitatem primi principii, per secundum veritatem divinam, & per tertium ejus bonitatem, qua sanctificamur, & quiescimus sicut in fine. Rursus omnia, quæ præcepit Deus, intelliguntur pendere ex his decem mandatis decalogi, vel in illis includi tanquam in principiis, & omnia, ac singula fundantur in dilectione Dei, & proximi, tenemur enim Deum amare, ut Creatorem, & Benefactorem munificentissimum, & ut Patrem amantissimum. Deinde tenemur nosmetipsos in nostro proximo diligere, & quod nobis volumus, id aliis velle, ut & ipsis nolle, quod nobis nolimus, hoc pacto qui diligit, legem adimplet. Dicuntur autem præcepta decalogi naturalia, seu in lege naturæ fundata, præceptum verò de servando Sabbatho mixtum est, ex naturali, & ceremoniali, Deum enim colere natura ipsa nos edocet, quod autem tenemur Deum colere hoc potiùs vel illo tempore est præceptum ceremoniale, ut notant D. Augustinus & D. Thomas proinde mutationi obnoxium, non enim natura ad cultum Deo deferendum præcisè tali die inclinamur, unde ex causa rationabili ecclesia diem Sabbathi transtulit in diem dominicum, ne Christiani convenirent cum Judæis, qui sperabant temporalia, & Christiani æterna.

His prænotatis dicimus, præcepta divina esse observatu possibilia mediante Dei gratia, quæ nobis semper ex Dei munificentia præsto est, est contra Hæreticos præsertim nostri temporis; Lutherus enim *in confutatione rationis Latom.* ait: *Tot scripturæ testimonia probant mandatum esse impossibile nobis, ut nihil sit manifestius.* Calvinus *lib. 2. institut. cap. 7.* ait: *Sit extra controversiam, impossibile esse in hac carne legis implementum.* Joannes Mouhemius *Dialog. 3. Nemo quantumvis perfectus stare potest, quod lex jubet.* Kemnitius *in exam. Tridentin. ad sess. 6. can. 4. & 5.* ait: *Non sunt frustra* (scilicet præcepta decalogi) *etsi nihil possit liberum arbitrium sine gratia necessitante, quam soli electi habent.* Chamierus *Tom. 3. lib. 3. cap. 5. n. 1. & 2.* Argumentum de possibilitate præceptorum Dei vocat, *quartum Papistarum argumentum*, & subjicit eidem argumento tripliciter fuisse à Calvino responsum. Zanchius *Tractat. Theolog. lib. 1. cap. 6. thes. 9. pag. 113.* ait: *Eadem responsio ad omnia præcepta afferenda; ex his scilicet non sequi, nos posse hæc præstare, sed tantum doceri, quod facere debeamus;* quòd & docuit Jansenius in suo opere, cui titulus est *Augustinus* ubi in ipso capitis titulo id sibi probandum proponit: *Esse quandam voluntatis infirmitatem, qua non potest certas tentationes superare, nec adest gratia, qua superemur, nec spiritus orationis, qua vires impetrentur;* ita habet in *Tom. 3. de gratia Christi Salvatoris lib. 3. cap. 13. col. 30. & 34.* quæ editio probatissima est apud Jansenianos, & *Columna* 325. ante medium expressè ait: *Primum quidem esse quædam hominis præcepta secundum statum, & vires, in quibus constitutus est impossibilia;* & postea subdit, *neque adesse semper gratiam, qua possumus, hoc est, qua illa eadem præcepta implere sufficiamus, & hanc impotentiam reperiri non solùm in excæcatis, & obduratis, & infidelibus, de quibus nunquam vel Augustinus, vel ecclesia, sed solùm scholastici nonnulli ex humanis rationibus dubitarunt, sed etiam fideles, & justi, qui & fidem Christi, & charitatem justitiæ susceperunt;* quæ Hæreticorum asserta expressè repugnant sacris scripturis ecclesiæ, Conciliis, & Sanctis Patribus.

Etenim ex sacris scripturis clarissimè constat oppositum, scilicet mandata à Deo esse hominibus servatu possibilia mediante gratia divina; habetur enim *Deuter.* 30. *v.* 11. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie non supra te est, neque procul positum, sed juxta te est valde in ore tuo & in corde tuo, ut facias illud*, quem textum Apostolus *ad Roman.* 10. *v.* 6. applicat possibilitati fidei. Rursus *Luc.* 19. *v.* 21. *Regnum Dei intra vos est, seu in manu, & potestate vestra*, ut interpretatur Tertullianus *lib. 4. contra Marcion. cap. 25. Matth.* 11. *v.* 8. *Jugum meum suave est, & onus meum leve*; si autem præcepta Dei essent servatu impossibilia, non possent suavia dici neque levia, si intolerabilia, hinc *Joan.* 5. *v.* 3. *Mandata ejus gravia non sunt*; Quòd si non sunt gravia, ergo levia, ergo servatu possibilia, hinc Apostolus *ad Philipp.* 4. *v.* 13. ait: *Omnia possum in eo, qui me confortat*, & 1. *ad Corinth.* 10. *v.* 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*, pateretur autem, imò & tentaret supra id quod possumus, si præcepta nobis injungeret, quæ servatu essent impossibilia. Hoc idem frequenter in aliis scripturæ locis habetur, ut *Psalm.* 118. *v.* 32. *Ezech.* 36. *v.* 27. & in aliis pluribus locis in quibus constat facilitas observandi legem, imò scripturæ testantur, legem de facto à pluribus viris pientissimis fuisse perfectè adimpletam, & ab aliis potuisse adimpleri, *Genes.* 6. *v.* 8. *Noë vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit.* Quòd si justus & perfectus fuit, procul dubio divina præcepta servavit, David etiam mandata Dei servavit, & secutus est in toto corde 3. *Reg. cap.* 14. *v.* 8. Josias itidem 4. *Reg. cap.* 23. commendatur, eò quia fuerit vir justus, consequenter servavit exactè Dei præcepta, ut etiam Asa 2. *Paralip.* 15. Zacharias & Elisabeth *Luc.* 1. & Apostoli *Joan.* 17. dicuntur servâsse sermonem Dei: *Sermonem tuum servaverunt*, & Deus alloquens Abrahamum, ait: *Genes.* 17. *Ambula coram me, & esto perfectus*, & Christus monet suos Discipulos, ut sint perfecti *Matth.* 5. *v.* 48. *Estote ergo vos perfecti.* Rursus Christus *Matth.* 19. *v.* 18. Adolescenti scire cupienti, quid facere deberet, ut æterna donaretur beatitate, respondet Christus, *si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Sin autem Dei mandata essent servatu impossibilia, perperam illi injunxisset servare mandata, quia ad impossibile nemo tenetur. D. Paulus de se & aliis *ad Philipp.* 3. *v.* 15. ait: *Quicunque perfecti sumus*, non esset autem homo perfectus, si non servaret Dei mandata, quia ut habetur 1. *Joan.* 2. *v.* 5. *Qui servat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* Cum igitur Spiritus Sanctus testetur aliquos fuisse perfectos, & ad perfectam legis observationem alios hortatus fuerit, sequitur manifestè, possibilem esse observatu legem divinam.

Neque obstat, quod viri justi, & sancti nonnunquam peccata venialia habuerint, vel etiam in lethalia lapsi fuerint, quia peccata venialia cohærent cum observantia legis, & impletione præceptorum, quia Dei amicitiam non auferunt, quinimò tametsi subinde in graviora lapsi fuerint, & pro tempore præcepta non servaverint, ea tamen potuerunt servare, quia si voluissent, non potuissent peccare, ut etiam post peccatum mediante ope divina surrexunt. Neque obstat, quod stimulis concupiscentiæ & carnis ita vehementer pulsentur homines, ut ob imbecil-

litatem naturæ lapsæ sit illis impossibile carnis stimulos coërcere, quia Deus ubi natura deficit, supplet sua gratia, & auxilio; cùm enim præcipiat nobis servare sua mandata, nobis etiam suppeditat media, quibus possimus ea servare, ait enim Apostolus 1. *ad Corinth.* 10. *v.* 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis* pateretur autem imò & tentaret, si supra id, quod possumus mandaret, & impossibilia juberet.

Rursus Sectariorum assertum quòd Dei præcepta sint servatu impossibilia adversatur itidem ecclesia Conciliis. Siquidem in Concilio Arausicano II. de gratia & libero arbitrio contra Pelagium ejusque Reliquias celebrato sub Felice Papa IV. anno Christi 529. & postea Bonifacio II. confirmato anno 530. *can.* 25. *post med.* ait: *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*, unde ex Concilio Arausicano præcepta divina nulli baptizatorum sunt observatu impossibilia, ne iis quidem, qui inter illos obdurati sunt, & reprobi. Opponitur etiam Concilio Tridentino *sess.* 6. *c.* 11. ubi ait: *Nemo temeraria illa & à Patribus sub anathemate probibita voce uti debet, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia; nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Quòd si Deus absolutè adjuvat ut possimus præsentem nobis & expeditam præstat adjuvantem gratiam ad mandata implenda. Hinc Tridentinum *can.* 18. ait: *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, & sub grattia constituto esse ad observandum impossibilia anathema sit.*

Rursus Sectariorum assertum opponitur doctrinæ Sanctorum Patrum, D. Basilius *Tom.* 1. *in Orat. Attende tibi post initium* ait: *Impium est asserere, præcepta spiritus sancti esse observatu impossibilia.* D. Hieronymus *Tom.* 6. *in Matth.* 5. *in fin.* ait: *Sciendum est, Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta*, & itidem etiam ait, *in expositione fidei ad Damasum*, ubi ait: *Maledictus, qui dicit Deum impossibilia præcepisse*, à qua maledictione se putavit liberasse Calvinus *lib.* 2. *Instit. cap.* 7. cùm frigidè respondit, esse hominis sententiam, adeoque inane fulmen, hanc Sectariorum assertionem etiam repugnare doctrinæ D. Augustini claret, quia *serm.* 191. *de tempore sub fin.* ait: *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini esse à Deo præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus tantùm in communi posse servari*, adeo ut sufficiat, si ex tota communitate, sint aliquis, qui possint Dei mandata servare, nam sicuti possunt illi Dei præcepta servare, ita etiam isti, & singuli de tali communitate & cùm non sit major ratio de uno, quàm de altero. *Et in Psal.* 56. *sub initium* explicans locum *Joannis* 15. de dilectione proximis ait: *Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile esse judicaret, ut hoc ab homine fieret. Si considerans infirmitatem tuam deficis sub præcepto, confortare in exemplo: sed etiam si exemplum ad te multum est, adest ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.* Rursus *lib.* 2. *de peccator. merit. & remiss. cap.* 3. *sub initium* ait: *Quod si nolimus, non peccamus, neque præciperet Deus homini, quod esset humanæ impossibile voluntati*, & *cap.* 6. *in fin.* subdit: *Dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse nec Deo ad opitulandum, & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse, ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato à Deo ajudtus.* Rursus *de natura, & gratia cap.* 69. ait: *eo ipso quo firmissimè creditur Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Hoc idem habet *lib.* 1. *de Genes. cap.* 3. *contra Manich.* inquiens *illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum, & temporalium se ad ejus præcepta servanda, convertunt, quòd omnes homines possunt, si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.*

Ratio etiam hanc Catholicam veritatem ostendit: siquidem nemo ad impossibile potest obligari, consequenter si legis observatio sit impossibilis, neminem potest obligare, consequenter ejus transgressio præcepti, ubi præceptum est servatu impossibile; ideo enim quispiam dicitur legem transgredi, quia potuit legem servare, quam non servavit, & ubi non est transgressio legis, ibi non est peccatum, ergo si nulla esse potest transgressio legis, ubi lex est servatu impossibilis nulla est obligatio ad legem, proinde contra legem nullum potest peccatum fieri. Secundò quia si legis observatio esset impossibilis, Deus perperam egisset injungendo præcepto hominibus, à quibus servari non possunt, sicut princeps crudeliter ageret, si à suis subditis tributum exigeret, quod sciret à nemine posse solvi, & leges injungeret sub gravissimis pænis in transgressores, quos sciret non posse adimplere ob solam impossibilitatem ipsius legis. Præterea, si lex divina impleri non posset, frustra Christus pro nobis passus fuisset, neque per suam passionem obtinuisset nostram salutem, quia ut scribit Apostolus *ad Roman* 8. *v.* 4. *Ideo Christus passus est, ut justificatio legis impleretur à nobis*: atqui hæc in nobis non adimpleretur, si legem ipsi cum Dei gratia non possemus adimplere; proinde Christus frustra pro nobis passus esset, nec obtinuisset. quod præcipuè intendit; quia eo ipso, quòd non implemus legem, eam transgredimur, & transgressores legis salutem non consequuntur, nisi resipuerint, & pænitentiam egerint. Rursus ut scribit Apostolus *ad Hebra.* 5. *v.* 9. *Christus factus est omnibus obedientibus sibi causa salutis æternæ*, si autem Dei præcepta essent servatu impossibilia, nullus esset Christo obediens, quia nullus posset DEI legem adimplere, consequenter Christus nulli esset causa nostræ salutis. Demum quia, ut scribit D. Paulus *ad Roman.* 4. & 1. *Corinth.* 3. & pluribus aliis in locis omnes justificati habent in se Spiritum sanctum, consequenter omnes fructus ejus, quos recenset Apostolus *ad Galat.* 5, *v.* 22 Sed qui fructus illos habent, ait Apostolus adversus ejusmodi non est lex, seu lex non habet, in quo accuset tales, qui fructus illos possident, proinde si lex non habet quidpiam, in quo illos accuset, necessario dicendi sunt, adimplevisse legem, alioquin si eam non implessent, nec sanctum Spiritum haberent, nec justificati essent, & lex haberet, in quo posset illos accusare.

Est decalogus vox græca, quæ decem sermones significat, seu decem præcepta legis à Deo tradita, & duabus in sculpta tabulis lapideis Exod. 34 Deuter. 4. & 10. Ubi Dei præcepta vocantur *verba fæderis decem* usurpatur *verbum* pro sermone integro,

seu sententia, & propositione, ut *Luc.* 1. respondit Maria Virgo Archangelo Gabrieli *fiat mihi secundum verbum tuum.* Ad eum finem tradita fuit à Deo lex Decalogi, ut præcepta naturæ ob invectam à peccato obscuritatem mentis, quasi deleta expressius reculperentur. Hinc S. Augustinus *quæst.* 140. *in Exod.* ait: *Cum tam multa locutus sit Deus, duæ tantum tabulæ dantur Moysi lapideæ, quæ dicuntur tabulæ testimonii futuræ in Arca. Nimirum Omnia cætera, quæ præcepit Deus ex illis decem præceptis, quæ duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelliguntur, si diligenter quærunitur, & bene intelliguntur, quomodo hæc ipsa rursus præcepta sint ex duobus illis dilectione scilicet Dei, & proximi, in quibus lex tota pendet, & Prophetæ.* Cum igitur tota lex contineatur in uno præcepto charitatis hæc duplex est naturalis una qua diligimus Deum & proximum secundum lumen naturæ. Altera supernaturalis, qua Deum & proximum diligimus secundum lumen fidei. Prior charitas potest Ethnicis inesses posterior verò nonnisi fidelibus, quapropter in præsenti agimus de charitate supernaturali quæ est virtus à Deo infusa, & qua Deum diligimus propter se, & proximum propter Deum, & partim convenit cum fide, & spe, & patrim differt, consenit enim in eo, quòd sit habitus à Deo infusus & super naturalis, quia tales habitus sunt etiam fides; & spes, differt verò quia perfectior est fide, & spe 1. *Corinth.* 13. *Nunc autem manet fides, spes, charitas, tria hæc major autem est charitas*; etenim ex duplici capite est perfectior, primò, quia fides, & spes, ut etiam aliæ virtutes nil prosunt sine charitate, ut fusè ostendit Apostolus. 1. *Corinth.* 13. in quo sensu docet D. Thomas 22. *quæst.* 33. *art.* 8. charitatem esse formam animam, & vitam aliarum virtutum, quia sicut corpus anima destitutum non potest quidquam agere, & operari, eò quia habeat omnem vim & valorem agendi ab anima, quæ est vita, & forma corporis; perinde aliæ virtutes habent omnem vim, & valorem merendi ab ipsa Charitate, hinc ait Augustinus *lib.* 15. *de Trinit cap.* 18. Ipsam fidem non facit utilem, nisi Charitate quippe fides potest quidem esse, sed non prodesse. Secundò quia fides, & spes continet quandam imperfectionem, fides enim per se obscura est, & spes est itidem imperfecta ob dilationem boni quod speratur. Charitas verò nullam includit imperfectionem, hinc ait Apostolus fidem, & spem, quia imperfectæ sunt non manere in beatis in cœlo, bene tamen Charitatem, quia perfecta est, ut ipse scribit 1. *Corinth.* 13. *v.* 8. & propter hanc perfectionem Charitas dicitur eminere inter virtutes perinde ac aurum eminet inter metalla, ignis inter elementa, sol inter planetas, cælum empireum inter orbes cælestes, & Seraphin inter Angelos: siquidem Charitas, qua Deum diligimus, & proximum est quasi aurum pretiosissimum, quo nobis comparamus bona cælestia, & æterna; est ignis cælestis quo accenditur, & inflammatur animus, est sol qui illuminat, fæcundat, & vivificat, est cælum empyreum, in quo habitat Deus cum Beatis, & virtus est Seraphica, quatenus homines accendit amore divino, & efficit ardentes, ac agentes in cultura aliarum virtutum.

Cæterum hæc charitas, quæ nobis præcipitur in charitatem Dei & proximi *Deuter.* 6. 5. *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua & ex tota fortitudine tua*, & *Levit.* 19. *v.* 18. *diliges amicum tuum sicut te ipsum*, scilicet proximum, qui propterea nomine amicis, quod ab amore derivatur, exprimitur, & Christus hanc charitatis partitionem exprimit *Matth.* 22. *v.* 23. *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem est simile huic diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ.* Priori præcepto jubebantur Judæi ligare in manibus, collocare inter oculos, & scribere super genua, & postes suarum domuum obligationem, quam quisque haberet Deum ex toto corde diligendi, ut habetur *Deuter* 6. *v.* 4. *Audi Israel Dominus Deus Noster Dominus unus est, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex toto anima tua, & ex tota fortitudine tua eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tua, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea, quasi in signum, manu tua eruntque & movebuntur ante oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostiis domus tuæ.* Et *cap.* 11. *v.* 20. ait: *Scribes ea super postes, & Jannas domus tua.* Quod si petas quo sensu sit id intelligendum dupliciter potest id exponi, primò juxta veteres Judæos qui propriè, & in sensu litterali, sicut verba sonat, id intelligebant, adeò ut consuetudo apud ipsos inoleverit, qua scriberent legem Dei in membrana & affigerunt fronti brachio fimbriis & ostio domus suæ. Hinc Christus *Matth* 23. *de scribis. & Pharisæis* ait: *Dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias*, ubi per phylacteria intelligit membranulas, in quibus lex Dei scripta erat, & quas Pharisæi in fronte, in brachiis circa manus, ac in fimbriis vestimentorum, ut jugiter præ oculis legem Dei haberent. Sancti verò Patres intelligunt unà cum expositoribus scripturæ non de externa scriptione legis in membranis, nec affictione ad frontem, brachia, ostia domûs; sed de jugi memoria, & recordatione illius præcepti *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, adeo ut sit sensus, ita firmam, & stabilem ac perpetuam habebis recordationem illius præcepti, ac si præ oculis semper exhiberetur legendum, ut explicant Lyranus, Abulensis Rabanus, & hæc posterior expositio est magis recepta quamvis prior sit perquam probabilis, magisque accommodata statui Judæorum, & analogiæ veteris & novi testamenti, hæc enim analogia in eo sita est, quod Judæi fuerint servi, cum Christiani sint filii: illi habuerint externam litteram, & hi internum Spiritum habeant, illi fuerint carnales, isti sint spirituales. Hinc illi per externa, & sensibilia signa instruebantur & docebantur de rebus spiritualibus: siquidem permactationem ovium & boum instruebantur de futura Christi passione, per externam circumcisionem carnis instruebantur de interna cordis contritione, per transitum maris rubri de effectu baptismi, unde verisimile est, quod etiam per externam scriptionem legis, & affictionem ad frontem, brachia, fimbrias, parietes monerentur de lege observanda, ut explicat D. Thomas. 1. 2. *quæst.* 102. *art.* 6. & 7.

Observantiam legis decalogi suædet authoritas Dei præcipientis, & beneficentia Christi jubentis, adeo ut ad legem servandam plurimum habeat momenti, si pensemus DEUM esse, qui legem illam tulit, de cujus sapientia non possumus dubitare, nec de illius æquitate ambigere ut nec ejus infinitam potentiam effugere, & hac fortassis de causa initio decalogi ait Deus

Deus alloquens populum Israelis: *Ego sum Dominus Deus tuus* ex quibus intelligimus Deum esse non solum nostrum Creatorem, à quo conditi sumus, & servamur: possitque unusquisque usurpare illud *Psal.* 94. *Ipse Dominus Deus noster & nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus*, verùm etiam nostrum legislatorem, ac Principem, & gubernatorem, de quo Moyses *Deuter.* 18. *Prædixit Prophetam de fratribus tuis: sicut suscitabit tibi Dominus ipsum audies; qui autem verba ejus audire noluerit, ego ultor existam*, ait Dominus & Pater æternus nos monet, ut ipsum audiamus loquentem, eique obediamus præcipienti inquiens *hic est filius meus ipsum audite* qui mandata à se tradita promulgari jubet gentibus omnibus & ab iisdem servari, *Matth. cap. ult. Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis.* Apostolus verò quæ Christus agenda tradidit, vocat ipse legem Christi. 1. *ad Cor.* 19. & *ad Galat.* 6. & alibi *Domini mandata* quapropter Christus in scripturis non solum vocatur Doctor, Medicus, Redemptor, verùm etiam Rex Princeps Dominus, Magister, Præceptor, & Pater, quibus nominibus absolutissima obedientia est ei necessario debita. Hinc Concilium Tridentinum *sess.* 4. *can.* 21. ait: *Si quis dixerit, Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant non etiam ut Legislatorem, cui obediant, anathema sit.* Hinc verba illa, quæ Deus præmittit præceptis decalogi: *Ego sum Dominus Deus tuus* majestatem Dei, ac bonitatem significant, quæ in Legislatore conjunguntur, ut majestas authoritatem legibus conciliet, & bonitas suadeat amorem legis observandis à subditæ. Quamobrem non abs re se vocat Deum, & Dominum, ut priori nomine Majestatem, posteriori verò bonitatem suam indicet hominibus, & ait: Ego sum verè Dominus, seu non sum Dominus sicut cæteri, qui vulgari more Domini dicuntur, sed ait: Verè sum Dominus, quia ex ipso omnia per ipsum omnia & in ipso habentur omnia, est enim omniscius, & omnipotens, faciens omnia secundum beneplacitum voluntatis suæ, quia ipse solus est Rex Regum, & Dominus Dominantium, in cujus manu sunt mors & vita, salus & interitus; hinc Deo magis obediendum est, quàm hominibus cum diversa à Deo mandata recipiunt, quia homines non habent potestatem, qua dicantur Domini, nisi ipsis concessam à Deo, qua si propterea abutantur in Dei contumeliam audiendi non sunt imò est fortiter iisdem obsistendum sive sint Principes sive Reges, ut docet Christus *Matth.* 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & corpus, & animam tradere in gehennam.* Quinimò legis observantiam facilitas etiam suadet eam adimplendi. Diximus enim mandata Dei non esse servatu impossibilia, ut asserunt Hæretici, quia ex scripturis apertè constat posse nos mediante Dei gratia præcepta legis servare *Deuter.* 20. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, nec procul positum, nec in cælo situm, ut possis dicere quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut desperat illud ad nos & audiamus, atque opere compleamus? neque trans mare positum, ut dicas, quis ex nobis poterit transfretare mare & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire, & facere, quod præceptum est? sed juxta te est sermo valde, & in ore tuo, & in corde tuo ut facias illum.* Et Christus *Matth.* 11. 28. ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis; & onerati estis, & ego reficiam vos, tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris, jugum enim meum suave est, & onus meum leve;* & *Joannes epist.* 1. *cap.* 5. ait: *Hæc est enim Charitas Dei, ut mandata custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt.*

Hæc tamen nolunt Sectarii recipere, & opponunt illud *Matth.* 7. *v.* 14. ubi porta cæli non dicitur laxa, & augusta, ac facilis ingressu, sed arcta, & angusta, adeo ut difficulter possit quis per eam ingredi; ait enim Christus *quàm angusta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam & pauci sunt, qui inveniunt eam.* David etiam *Psal.* 16. vocat mandata Dei vices duras: Sed contra quia ut explicant sancti Patres, via ducens ad Deum laboriosa, dura, ac difficilis non est ex ipsorum præceptorum natura, sed tantùm ex hominum cupiditatibus, pravisque propensionibus ad mundi illicia ad carnis voluptates, quibus indulgent; etenim etiam mel ex sua natura dulcescit, ac suave est nihilominus, si ægroto exhibeatur, ejus palato amarescit, eo quia vitiata qualitate inficitur, perinde Dei mandata per se & ex natura sua dulciora sunt super mel & favum, verum hominibus ad malum propensis, quique tenentur terrenarum cupiditatum desideriis, habentque gustum inferiorem infectum ac peccatorum morbis laborant, amara sunt. Sunt igitur Dei mandata hominibus piis justis, & morigeratis dulciora super mel & favum, aliis verò indulgentibus carnis deliciis, mundique voluptatibus, non sapiunt, & amara videntur, non quia in se talia sint, sed quia ipsi perversi sunt, ac variis peccatorum morbis laborant, quibus propterea quæ justis, ac morigeratis, sunt dulcia, & sapiunt, istis amara sunt, & ingrata; hoc innuit S. Joannes Chrysostomus *in Psal.* 91. ubi expendens verba Prophetæ: *in mandatis ejus volet nimis* ait: *amor in legislatorem facilem, & gratam facit legem, etsi videatur habere aliquam difficultatem; nemo autem, quod dico, reprehendat, si tali exemplo usus sum: nam Paulus quoque eo usus est, sic dicens* sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, ita exhibite justitiæ. *Qui meretricis itaque amore captus est, etiamsi afficiatur probro, & contumelia, etiamsi verberetur, etiamsi se turpiter & indecorè gerat, expellatur è patria, etiamsi bonis paternis evertatur, etiamsi Patris benevolentia privetur, etiamsi graviora patiatur, ea fert jucundè & lubenter propter amorem impudicum. Quòdsi illa cum voluptate suscipiunt, quomodo non multo magis Dei præcepta, quæ sunt salutaria & gloria plena, & animam meliorem efficiunt, oportet cum magna voluptate suscipere, & nihil esse difficile in eis existimare. Difficultatem enim non natura præceptorum, sed multorum solet socordia afficere. Itaque si quis ea cum studio & alacritate animi susceperit, videbit ea esse levia, & facilia. Quocirca dicebat Christus, Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Et D. Augustinus expendens verba *Psal.* 30. *v.* 9. *Statuisti in loco spatioso pedes meos*, ait *in enarratione* 2. *in eund. Psal. Certè angusta via est, laboranti angusta est, & amanti lata est. Eadem quæ angusta est, lata fit, inquiens in spatioso posuisti pedes meos. Planè fecisti mihi facilem justitiam, quæ mihi erat aliquando difficilis;* & rursus de verbis Domini *serm.* 70. *cap.* 2. explicans quomodo charitate fiant levia Christi mandata ait: *secari, & uri se homines patiuntur, ut dolores non æterni, sed aliquanto diuturnioris ulceris acriorum dolorum pretio redimantur in languida, & incerta vacationis brevissima, atque ultima vita immanissimis bellis miles atteritur; pluribus fortassis annis*

*annis in laboribus inquietus, quàm in otio quieturus, quibus tempestatibus & procellis, quam horribili. & tremenda sævitia cœli & maris importuni sunt Mercatores ut divitias ventosas acquirant majoribus, quàm quibus acquisita sunt periculis, & tempestatibus plenas? quos æstus, quæ frigora, quæ pericula ab equis, à fossis, à præcipitiis, à fluminibus, à feris, perferunt venatores; quem laborem esuriendi, & sitiendi, quantas vilissimi, & sordidissimi cibi, & potus angustias ut bestiam capiant? & interdum & ipsius bestiæ carnes propter quam hæc tanta sustinent sunt epulis necessariæ quamvis etsi aper, cervus capiatur magis suave sit venantis animo, quia captus est, quam comedentis palato, quia coctus est. Quantis etiam cruciatibus prope quotidianarum plagarum tenera puerorum ætas subditur? quantis etiam in scholis insidiarum, & abstinentiæ molestiis exercentur non propter discendam sapientiam, sed propter opes honoresque vanitatis, ut numeros, & litteras & dissertas fallacias eloqui discant? sed in his omnibus qui hæc non amant eadem gravia patiuntur: qui verò amant eadem quidem; sed non gravia pati videntur. Omnia enim sæva, & immania prorsus facilia, & prope nulla efficit amor. Quanto ergo certius, ac facilius ad veram beatitudinem charitas facit quod ad miseriam, quantum potuit cupiditas fecit? quàm facile toleratur qualibet adversitas temporalis; ut æterna pœna vitetur, & æterna requies comparetur? non immerito illud vas electionis cum ingenti lætitia dixit non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ecce unde illud jugum suave est, & sarcina levis, & si angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus dicit, Psalmista propter verba labiorum tuorum, tuorum, ego custodivi vias duras. Sed quæ dura sunt laborantibus eadem ipsa mitescunt amantibus,* hactenus Augustinus.

Suadent itidem mandatorum observantiam fructus, qui ex iisdem derivantur: siquidem anima agnoscens Dei voluntatem, ei obsequitur, & ad Deum convertitur, quia ut ait David *Psal.* 18. *Lex Domini immaculata convertens animas*; rursus veram sapientiam consequimur per observationem divinæ legis: soli enim timentes Deum verè sapientes sunt *Initium Sapientiæ timor Domini*, & alibi, *Testimonium Domini fidele Sapientiam præstans parvulis* Rursus veris gaudiis, ac divinorum mysteriorum cognitione, ingentibus præterea voluptatibus & incomparabilibus deliciis etiam in hac vita cumulantur, qui Deo obsequuntur, & ejus mandata fideliter servant, ait enim Psalmista *Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda, præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Judicia*, id est mandata Domini *desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel, & favum.* Tandem quia servantes mandata Dei copiosissimam retributionem accipiunt & æternam mercedem, seu cælesti donantur beatitate *Psal.* 118. *In custodiendis illis retributio multa*, seu in servandis Dei mandatis æterna gloria sequitur: siquidem non solum illæ nobis benedictiones promissæ sunt quæ ad terrenam magis felicitatem spectare videntur, ut benedicti simus in civitate, benedicti in agro; in civitate propter honores, & dignitates, in agro ob abundantiam frugum & divitiarum cumulos, sed ut habetur *Matth.* 5. *Copiosa merces in cælis, & mensura bona conferta coagitata, & super effluens in sinu nostro.* Unde ut allicerentur homines ad præceptorum Dei observantiam præmium Deus illis pollicetur non temporaneum & fluxum, quod citò evanescat, sed stabile, & æternum: unde Apostolus 2. *ad Corinth.* 4. scribit: *Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur æterna sunt.* Merces igitur, quæ parata est servantibus Dei mandata est ipsum regnum cæleste, ipsa clara, & indeficiens Dei intuitio, perenne gaudium Domini, quod intrare non dicitur in cor hominis, sed ei contra ipse homo dicitur in ipsum ingredi, eò quia longe laxius ac magis capax sit *Matth.* 25. *Intra in gaudium Domini tui*, dicitur enim quis navem & mare ingredi, eò quia laxius, ac majus sit. Si quidem est gaudium æternum fons omnium bonorum, torrens omnium deliciarum, & flumen redundans omnium consolationum: Unde David *Psal.* 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*: & in hoc suam in nos vel maximè Clementiam ostendit, ac divitias suæ bonitatis, quod Deus sine ullo præmio cùm potuisset nos adigere, ut ipsi serviremus, ejusque mandata custodiremus, ob suam nihilominus bonitatem voluit ad nostram utilitatem suam nobis polliceri, & dare gloriam ut quod nobis est utile, eidem esset gloriosum quapropter divino afflatus Spiritu dixit David *Psal.* 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*, scilicet non gratis, sed propter mercedem, quæ alia non est, quàm ipse Deus; hinc Augustinus *serm.* 23. *in Psal.* 118. ait: *Qui dicit inclinavi cor meum, ipse jam dixerat, inclina cor meum in testimonia tua; ut intelligamus, simul hoc esse & divini muneris & propriæ voluntatis, sed non quid in æternum facturi sumus justificationes Dei, opera illa quidem, quæ Deus operatur ita proximorum necessitates æterna esse non possunt, sicut nec ipsæ necessitates: sed si non diligendo ista faciamus, nulla est justificatio; si autem diligendo, æterna est dilectio, eique æterna parata est retributio; propter quam retributionem dicit se inclinâsse cor suum ad faciendas justificationes Dei, ut in æternum diligens in æternum mereatur habere, quod diligit.* Lex igitur servanda est non tam gratiâ nostræ utilitatis, quam Dei causâ, qui suam humano generi voluntatem in lege adaperuit, quàm cùm reliquæ Creaturæ exequantur à fortiori debet homo Dei voluntatem adimplere, ac sua servare mandata propter præmissam ipsi retributionem.

Adeo est suavis lex Dei, ut tota sit in amore posita, & illi servent divinam legem, qui ritè noverunt amare, nil enim amore suavimus, nilque dilectione dulcius, consequenter nihil observatione mandatorum Dei blandinus, ac suavius, omnia siquidem Dei præcepta in amore sita esse asserit Christus *Matth.* 23. inquiens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum, secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum, sicut te ipsum; in duobus his mandatis universa lex pendet, & Prophetæ*, & quidem ob duplicem rationem dicuntur reliqua pendere à præceptis charitatis, primò quia per charitatem implentur omnia juxta illud Apostoli *Plenitudo legis est dilectio, & qui diligit proximum legem implevit*, Secundò, quia reliqua omnia aliqua ratione his duobus præceptis com-

comprehenduntur, ex quibus etiam eliciuntur, ac referuntur ad eorum observationem. In priori igitur mandato singula comprehenduntur quæ Deum respiciunt, in posteriori verò, quæ proximum, proinde recta erga nosipsos ordinant, atque instituunt. Nec solum in his duobus mandatis conjunctim. Sed & seorsim sumptis totam legem ac Prophetas pendere sacræ testantur scripturæ, quia alterutrius præcepti observatio absque alterius observatione, seu propensione, ac præparatione animi ad alterum observandum esse nequit, siquidem nemo ex animo Deum, ut oportet, diligit, nisi ejus mandatis obtemperet, quorum unum est, ut proximus diligatur, & nemo proximum sicut debet diligit, nisi propter Deum h. e. nisi Deum, diligat, tanquam finem, quo proximi referat dilectionem, rursus non solùm in priore, verùm etiam in posteriore præcepto charitatis reliqua omnia includuntur, dicente Christo *Matth.* 8. *Omnia ergo quacunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis, hac est enim lex, & propheta*, quod etiam affirmat Apostolus *ad Roman.* 13. *Qui diligit proximum legem implevit: nam non adulteralis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces & si quod est aliud mandatum in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum sicut te ipsum:* unde plenitudo legis est dilectio, & *ad Galat.* 5. scribit *Omnis lex in uno sermone impletur diliges proximum tuum sicut te ipsum*, & ratio cur Apostolus legis adimpletionem in sola proximi dilectione constituerit, assignatur à D. Augustino *in cap. 5. epist. ad Galat.* inquiente: *Quia de dilectione Dei possunt mentiri homines, quia rariores tentationes eam probant; in dilectione autem proximi facilius convincuntur, eam non habere, dumini que cum hominibus agunt. Consequens est autem, ut qui ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente Deum diligit, diligat & proximum, tanquam se ipsum: quia hoc jubet ille quem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligit. Item diligere proximum id est, omnem hominem tanquam se ipsum, quis potest, nisi Deum diligat cujus pracepto, & dono dilectionem proximi possit implere? cum ergo utrumque praceptum ita sit, ut neutrum sine altero possit teneri, etiam unum horum commemorare plerumque sufficit, cum agitur de operibus justitia, sed opportunius illud, de quo quisque facilius convincitur. Unde Joannes dicit: Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Mentiebantur enim quidam dilectionem se Dei habere, & de odio fraterno eam non habere convincebantur: de quo judicare in quotidiana vita & moribus facile est.* Qua ratione ostendit, & explicat D. Augustinus, reliqua præcepta contineri in his duobus charitatis & amoris in Deum & proximum, quod etiam confirmat *l. de perfect. justit. homin cap.* 5. ubi ait: *Dominus, qui verbum consummans, & brevians fecit super terram in duobus praceptis dixit legem, Prophetasque pendere, ut intelligeremus: quidquid aliud divinitùs praceptum est in his duobus habere finem, & ad hac duo esse referendum diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & diliges proximum tuum, tanquam te ipsum.* Unde divina mandata ex Dei dilectione servanda sunt, quia sola Dei dilectio legem adimplet, ut docet Apostolus plenitudo legis dilectio, adeo ut sine charitate, & amore saltem inchoato nullum possum Dei mandatum adimplere, sicut oportet, cùm dicat Christus *Joan.* 14. *Qui non diligit me, sermones meos non servat*, seu mandata mea non custodit; unde Augustinus *lib. de spirit. & littera cap.* 14. ait: *Mandatum si fit timore pana, non amore justitia serviliter fit, non liberaliter, & ideo nec fit. Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit.* Hoc idem etiam docet D. Thomas 1. 2. *quaest.* 100. *art.* 10. inquiens: *In hoc pracepto honora Patrem, non includitur, quod honoretur pater ex charitate, sed tantùm quod honoretur pater: unde qui honorat patrem, licet non habeat Charitatem, non efficitur transgressor pracepti, hujus quod est de actu Charitatis: propter quam transgressionem meretur panam* & *in respons. ad* 2. ait: *Sub pracepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum, & ideo praceptum charitatis implere non potest homo, nisi omnia referantur in Deum: sic ergo qui honorat parentes tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus pracepti, quod est, honora parentes; sed ex vi hujus pracepti: diliges proximum tuum ex toto corde tuo.*

## CAP. X.

## Referuntur, & refelluntur, quæ objiciuntur à Sectariis.

LUtherus, Melanchthon, & alii Sectarii absolutè negant posse legem divinam observari; quæ propositio sic nudè prolata, quia visa fuit nimis dura aliis Sectariis ideo eam mitigare adnituntur asserentes, legem esse, quæ Deum toto corde & proximum sicut se ipsos diligi præcipit & alteram, quæ prohibet non solum opera externa voluntati divinæ adversantia, verùm etiam omnes motus interiores animi, adeo ut lex illos omnes maledictioni & æternæ morti adjudicet, qui in re vel minima deliquerint, unde ait, nullum inveniri hominem, qui par sit tantæ obedientiæ præstandæ, consequenter, qui legem Charitatis, & alteram non concupisce, valeat observare, siquidem Deum diligere ex toto corde, & ex tota anima sit homini impossibile, alioquin non deberet quid aliud amare nisi solum Deum, eò enim ipso quod diligit creaturam aliquam jam Deum non amat ex omnibus viribus suis & ex toto corde, quia vires aliquas adhibet in amanda creatura, quas deberet impendere in amando solo Deo. Rursus neque præceptum, non concupisces potest adimpleri, quia sunt plures animi motus indeliberati plures motus primo primi, sunt stimuli carnis, quos homo cavere non potest, consequenter nece præceptum servare.

Catholici tamen communiter docent DEI præcepta mediante divina gratia quæ semper præsto est esse servatu possibilia, ut etiam prius præceptum de diligendo Deo ex toto corde ex tota anima, & ex totis viribus, idque probant exemplo plurium Sanctorum, præsertim Davidis, *Psal.* 118. *v.* 10. *In toto corde exquisivi te*, Et 3. *Reg.* 14. *v.* 8.

Non

*Non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea & secutus est me in toto corde suo faciens, quod placitum est, in conspectu meo.* Rursus 4. *Reg.* 25. *v.* 25. de Josia habetur: *Similis non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua juxta omnem legem Moysi.* Rursus *Ecclesiasticis* 47. *v.* 10. de David dicitur: *De omni corde suo dilexit Deum.* Hinc constat Davidem & Josiam dilexisse Deum ex toto corde juxta præceptum decalogi, imò hoc idem etiam præstiterunt Abraham, Moyses, Samuel, Jeremias, Elias, Elisæus, & plures alii in veteri testamento, & in novo beata Virgo Maria, Apostoli, Timotheus, Titus & alii plures. Si quibus prædictum fuit *in Deuter.* 30. *v.* 6. *Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas eum in toto corde, & in tota anima, ut possis vivere.* Hinc liquet quàm falsò asserant Hæretici præceptum de diligendo Deo ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus non esse servatu possibile. Etenim tripliciter possumus intelligere teneri quempiam Deum diligere ex toto corde. Primò ut totum cor nostrum, quantum in se est in solo Deo diligendo aucupetur, nec aliud quidpiam amemus, & diligamus præter ipsum, & hoc sensu non præcipimur Deum diligere ex toto corde, alioquin non possemus proximum nostrum diligere, quia dilectio proximi esset pars illius dilectionis, quæ soli Deo deberetur, & nihilominus jubemur etiam proximum diligere. Secundò quod diligamus Deum ex toto corde non quod totum cor nostrum in eo diligendo debeat occupati, sed quod tanto conatu in eum ferri debeat, quanto fieri potest, & in hoc sensu neque præcipimur Deum diligere ex toto corde, quamvis si præciperemur hoc modo Deum diligere, præceptum non esset, servatu impossibile; quia non est impossibile, quòd possit aliquis diligere Deum tanto conatu, quanto potest eum amare, quia tunc suppetunt ipsi vires ad amandum quantum potest, neque ad id, quod non potest, jubetur diligere. Tertiò ita intelligitur, ut Deum diligamus ex toto corde seu ut diligamus eum super omnia ac illum præferamus rebus aliis, & ut nullius rei amorem Dei amori anteponamus, quod est Deum appreciativè diligere super omnia, adeo ut nullius creaturæ timore, vel amore velimus offendere, & ab illius amore recedere, & in hoc tertio sensu intelligitur quod debeamus Deum diligere ex toto corde, & quod præceptum de diligendo Deo ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus sit servatu possibile, quod in hoc sensu intelligendum sit tale præceptum ostendit Apostolus *ad Roman.* 8. 39. ubi scribit: *Nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei*, id est nulla poterit efficere, ut Deum postponamus creaturæ, & amorem hujus præferamus Charitati Dei; ait enim Christus *Matth.* 10. *v.* 37. *Qui amat Patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus*, seu qui amorem parentum præfert amori Dei, Deum non diligit super omnia: unde è converso, quia amori parentum præfert amorem Dei convincitur diligere Deum super omnia. Et in hoc sensu laudatur Abraham *Genes.* 22. quod cùm haberet unicum filium suum Isaac, quem intimè diligebat, ejus tamen dilectioni prætulit Dei amorem, cùm ex Dei amore non recusaverit eum ut victimam immolare, etenim si inter omnes creaturas nullam Abraham adeo intensè diligebat sicut filium suum unigenitum, & nihilominus hunc suum filium paratus fuit Deo offerre in Sacrificium, signum evidens erat, quod Deum deligabat supra filium suum Isaac, proinde ex toto corde ex tota anima, & ex totis viribus suis appreciativè quatenus Dei dilectionem prætulit cuilibet alteri amori in creaturas, in quo sensu præceptum illud de diligendo Deum ex toto corde non est servatu impossibile.

Quòd si dicas S. Augustinum *in lib. de Spiritu & littera cap. ult. & in lib. de perfect. justitiæ* asserere, hoc præceptum non posse impleri in hac vita, sed in alia, respondetur D. Augustinum in præcitatis locis duo asserere, quæ vera sunt, quorum primum est, posse quidem hoc præceptum diliges Deum ex toto corde, ex tota anima, & totis viribus impleri in hac vita quoad obligationem, quam inducit non ita quoad verba quibus proponitur. Alterum est, ut in hac vita non possit homo tam perfectè Deum diligere, sicut eum diliget in altera; idque probat, quia dilectio supponit cognitionem, & in hac vita nonnisi obscurè, & per fidem Deum cognoscimus; in altera verò per visionem intuitivam, qua facie ad faciem Deum videbimus; & quia quo clarius, ac distinctius cognoscitur bonitas objecti, eò voluntas in illam efficaciori propensione fertur, unde in hac vita non potest homo tam perfectè Deum diligere sicut eum diligit in altera.

Sectarii tamen hisce argumentis convicti effugium nituntur invenire, & dicunt, quando legem dilectionis, & omnem aliam fatentur esse impossibilem servatu, id intelligi, quòd lex non possit perfectissimè, neque perfectè observari, sed tantùm imperfectè, & propter conatum, quem omnes tenentur adhibere, ut ex tota anima ex toto corde, & ex totis viribus Deum ament, ac servent ejus præcepta, quæ nonnisi imperfectè servare possunt, & propter conatum, quem omnes debent adhibere ad ejus observationem, unde tantùm inchoativè potest perfectè Deum diligere, quatenus Deus propter suam bonitatem & munificentiam nostrum conatum acceptat pro plena observatione talis præcepti: Nam contra est; quia si nonnisi imperfectè & inchoatè lex posset adimpleri, sequeretur, Lutheranos in propria sententia fures, homicidas, adulteros, & Idololatras esse, cùm enim leges sint de non surripienda invito Domino re aliena, de non occidendo, nec alienum thorum per adulterium coinquinando, nec de Diis falsis colendis, & ipsi has leges negativas quæ obligant pro semper non possint adimplere nisi imperfectè & inchoatè, sequitur ipsos tales esse, quia tantum imperfectè, & inchoatè tales sunt. Præterea illi, qui imperfectè & inchoatè rem aliquam faciunt, non possunt juxta Lutheranos dici rem illam adimplere, & conficere, ergo, cùm Lutherani affirment divina præcepta à se tantùm inchoatè, & imperfectè posse impleri, non possunt dici leges illas observare, seu implere. Quòd si leges non observant, sequitur eos ut minimum esse inchoativè homicidas, fures, adulteros, idololatras, imò sequitur Lutheranos non posse habere fidem vivam, seu justificantem, siquidem nemo potest habere fidem vivam, nisi qui Dei mandata servat. ut habetur 1. *Joan.* 2. *v.* 4. Sed Lutherani non servant mandata Dei, quia dicunt hæc impossibilia esse servatu, consequenter non possunt habere fidem vivam. Quòd si dicant se servare mandata Dei imperfectè & inchoatè sequitur quòd tantùm possint habere fidem imperfectam, & inchoatam: Sed talis fides non est viva, nec justificat, ut ipsimet fatentur: ergo Lutherani nunquam possunt habere fidem vivam, & justificantem, proinde nunquam possunt justi esse.

Circa motus concupiscentiæ tria possumus distinguere, scilicet concupiscentiam quandam in actu primo,

primo, quæ est quædam pronitas seu propensio in natura ad concupiscendum: secundò possumus distinguere concupiscentiam in actu secundo, estque motus quidam ad concupiscendum, quatenus prævenit rationem. Tertiò possumus etiam distinguere consensum in motum concupiscentiæ, quatenus dimanat à ratione libera, & hæc tria docent Sectarii gravia peccata esse. Primam concupiscentiam in actu primo, & sitam in ipsa pronitate naturæ ad concupiscendum, dicunt esse ipsum peccatum originale, & alia duo peccata actualia gravia, & mortifera contra præceptum *non concupisces*, unde inferunt, quòd nemo absque hisce motibus esse possit in hac vita neminem posse præceptum de non concupiscendo servare. Sed contra quia concupiscentia primo modo sumpta non est ipsum peccatum originale, sed tantum pœna ejusdem. Rursus quidquid est in homine peccatum deletur per baptismum, consequenter, si concupiscentia in actu primo esset aliquod peccatum, tolleretur per baptismum: atqui non tollitur, ergo signum evidens, quòd non sit peccatum. Rursus quòd concupiscentia in actu secundo, nec etiam sit peccatum evincitur ex eo, quia concupiscentia in pueris, amentibus, & decumbentibus peccatum non est, ut asserunt Theologi cum D. Augustino *lib. 10. Confess. cap. 30.* Sed Doctores omnes docent, quod non est in nostra potestate non posse à nobis adimpleri, nec servare, nec prohibere, sed non in nostra potestate non habere motus concupiscentiæ prævenientes rationem, qui dicuntur motus primo primis, ergo tales motus, ut pote prævientes rationem & libertatem, non con rahunt malitiam peccati. Concupiscentiam verò tertiò modo sumptam fatemur esse peccatum, tale tamen, ut possit non committere, si velit, proinde præceptum de non concupiscendo potest adimplere si velit.

Sed Sectarii urgent contra præceptum hoc dilectionis, quia dilectio, quæ præcipitur in hac vita vel debet esse tam perfecta, quàm illa quæ præcipitur in altera vita; vel non debet esse. Si primum ergo hic qui non tam perfectè diligit, quàm præcipiatur in altera vita, legem non adimplet; & quia nemo potest in hac vita Deum diligere, sicut diligitur in alia vita, sequitur, neminem esse, qui hic valeat legem adimplere. Sin verò non præcipitur dilectio tam perfecta, sequitur aliam esse dilectionem perfectiorem ea quæ est & toto corde, ex tota anima, & ex totis visibus; proinde sequitur, omnem nostram dilectionem esse imperfectam, & tantum inchoatam; consequenter non posse nos legem adimplere, quàm imperfectè. Sed contra negatur suppositum quoad primam partem dilemmatis, quia in statu viæ non præcipimur tam perfectè intensivè Deum deligere, sicut in patria, ubi beneficio luminis gloriæ videbimus divinam essentiam intuitive facie ad faciem; proinde quia infinita Dei bonitas nobis clarius repræsentabitur ab intellectu, voluntas intensiori amore in illam feretur; quàm hic in statu viæ, ubi nonnisi obscurè & ænigmaticè Deû cognovimus. Neque in statu viæ præcipimur Deum diligere tam perfectâ dilectione sicut in patria; sed præcipimur perfectè Deum diligere appretiativè, seu præferre Dei amorem, cuilibet alteri amori in creaturam quamlibet, adeo ut nunquam Deum lethaliter offendamus; non verò præcipimur Deum perfectissimè diligere intensivè. Non igitur præcipimur in hac vita elicere perfectam Dei dilectionem per modum medii præstandi, sed tantum per modum medii obtinendi, quod medium est amor appreciativus; amor enim intensivè perfectissimus non spectat ad obligationem vitæ præsentis; sed tantùm ad felicitatem futuræ. Quamobrem non est transgressor legis, quæ perfectissimam illam dilectionem Beatorum in hac vita non habet, quia ut ait D. Augustinus *de Spiritu & litter. cap. 36. neque enim jam culpa deputandum est, si esse nequit tanta perfectio in hac vita, quanta illi cognitioni plena, ac perfecta in altera vita debetur*: siquidem amor, quo beati in altera vita Deum diligunt, est intensivè perfectus, imò, & necessarius, eò quia intellectus collustratus lumine gloriæ repræsentet voluntati fontem inexhaustum divinæ bonitatis, quæ capit voluntatem ad sui amorem: in statu autem viæ, quia intellectus nonnisi obscurè & ænigmaticè Deum cognoscit, ideo nonnisi obscurè illum repræsentet voluntati, quæ propterea non rapitur à tali cognitione, & liberè Deum amat, non quidem intensivè talis amor est perfectus, sed tantùm appretiativè, quatenus præfertur cuilibet alteri amori in creatura, quæ parata est potius omnia bona temporalia, & vitam deperdere quàm Deum offendere.

Objiciunt secundò, non posse servari præceptum illud non concupisces: etenim omnis actus oppositus legi divinæ est verè & propriè peccatum, sed sensus concupiscentiæ est verè oppositissimus divinæ legi ex testimonio D. Pauli asserentis *legem in membris repugnare legi mentis*, seu Decalogo, & præsertim præcepto illo, *non concupisces*, ad cujus observationem non est sufficiens homo, ex quo inferunt, sensum concupiscentiæ, cum sit peccatum, non posse hominem servare præceptum illud non concupisces. Sed contra, quia homines justi mediante auxilio divinæ gratiæ servare possunt præceptum illud non concupisces. Unde cum dicunt omnem actum divinæ legi oppositum verè & propriè esse peccatum, si sit actus humanus voluntarius, & formaliter oppositus divinæ legi conceditur; si tantum materialiter sit oppositus divinæ legi, tunc negamus esse peccatum: sine voluntate, & libero arbitrio non sit transgressio legis formaliter, neque leges pro iis tantùm conduntur, qui rationes, & arbitrii usum habent, non verò pro brutis & amentibus, qui usum non habent liberi arbitrii Apostolus autem, cum ait legem in membris repugnare legi mentis loquitur de concupiscentia materialiter sumpta, & quæ suggerat materiam, cui si voluntas assentiatur, peccat formaliter, non verò si eidem dissentiat, eam que discutiat: neque obstat, quod concupiscentia à D. Paulo tantùm impropriè vocat concupiscentiam peccatum, quatenus est affectus peccati originalis; vel quia concupiscentia suggerit materiam peccati, si voluntas eidem adhærescat: unde Apostolus nonnisi tropicè vocat concupiscentiam peccatum. Tripliciter potest concupiscentia sumi, scilicet in actu primo & est pronitas quædam, seu propensio naturæ ad concupiscendum, secundo sumitur in actu secundo, quatenus prævenit rationem, & sunt cogitationes quæ fiunt in nobis sine nobis, vel sine nostra voluntate quam propterea præveniunt, cujusmodi sunt motus primo primi, & illi circa objecta à lege prohibita, quos propterea tenemur statim excutere. Tertiò sumitur concupiscentia pro consensu proficiscente à libera voluntate: & quamvis Sectarii præsertim Calvinistæ asserant concupiscentiam hisce tribus modis consideratam semper esse peccatum, docentes concupiscentiam in actu primo esse ipsum peccatum originale, & motum concupiscentiæ, ut

ut prævenientem advertentiam rationis, eſſe peccatum actuale, ut etiam concupiſcentia ſita in conſenſu voluntatis, conſequenter præceptum illud, non concupiſces, non eſſe hominibus ſervatu poſſibile, eo quia per hoc præceptum non ſolùm prohibeatur conſenſus voluntatis, ſed etiam ipſe motus concupiſcentiæ præveniens conſenſum, ut etiam ipſa concupiſcentia in actu primo, verùm quàm id falſum ſit ex eo liquet, primò quia concupiſcentia in actu primo, ſeu illa pronitas ad concupiſcendum non eſt peccatum originale, ſed naturalis tantùm inclinatio, quæ per ſe culpabilis non eſt; ſecundò, quia motus concupiſcentiæ, ut prævenientes rationem, & liberam determinationem voluntatis, neque ſunt peccata, neque prohibentur hoc præcepto, non concupiſces, quia hujusmodi motus fiunt in nobis ſine nobis volentibus, & quod non eſt volitum non imputatur ad culpam, quamobrem ſola concupiſcentia ſita in ipſo conſenſu actuali, & libero eſt peccatum, & quia poteſt homo mediante auxilio divinæ gratiæ excutere motus iſtos, qui fiunt in nobis ſine nobis, & iiſdem non aſſentiri, ideo poteſt tentationes pravas expellere, & excutere, conſequenter poteſt Dei gratiam ſervare præceptum illud non concupiſces, quia in hoc præcepto non prohibetur niſi liber conſenſus, & quia hic poteſt ab homine non elici, ideo poteſt hoc præceptum ſervari.

Quòd concupiſcentia in actu primo non ſit peccatum originale, eſt ſatis clarum, quia peccatum originale tollitur per baptiſmum, ut de fide eſt in ſcripturis ſacris, ſed concupiſcentia in actu primo non tollitur per baptiſmum, ergo talis concupiſcentia non eſt peccatum originale. Major eſt certa, minor etiam conſtat experientia, ſiquidem baptizati, quamvis immunes ſint à peccato originali adhuc experiuntur concupiſcentiam in actu ſecundo, conſequenter illam habent in actu primo, quia ſine actu primo non datur actus ſecundus; neque per concupiſcentiam, ſolum intelligimus pronitatem, & inclinationem, quæ eſt in appetitu ſenſitivo tam iraſcibili, quàm concupiſcibili, ſed etiam illam, quæ eſt in intellectu, & voluntate, ſiquidem hæ quatuor potentiæ voluntas, intellectus, & uterque appetitus concupiſcibilis & iraſcibilis ex natura ſua propenſæ ſunt, ac quandam habent pronitatem ad quosdam motus inordinatos acrectæ rationi repugnantes, ut intellectus ad judicia falſa, & erronea; voluntas ad odium, & invidiam, & uterque appetitus ſenſitivus ad carnalia, & terrena deſideria; & hæc pronitas harum potentiarum vocari ſolet concupiſcentia in actu primo, quæ ſi ſumatur formaliter non eſt peccatum originale, ſed tantùm quædam imperfectio, hominis conſecutivè ſe habens ad peccatum originale, quòd ſi homo in puris naturalis conditus eſſet eidem naturaliter ineſſet, hinc quia homo conditus fuit à Deo in ſtatu perfecto juſtitiæ originalis, ac in ſtatu innocentiæ poſt lapſum primi parentis eſt pœna & effectus peccati. & à Theologis vocatur morbus naturæ, ſeu languor, infirmitas ejusdem, vel fomes peccati, vel fons tentationum, vel vis immoderata, appetendi prohibita. Apoſtolus autem hanc eandem concupiſcentiam in actu primo, modo vocat peccatum, & modo legem membrorum, non quod ipſa in ſe ſit formaliter peccatum, ſed quia eſt pœna & effectus peccati originalis, & cauſa peccati perſonalis, ut explicat D. Auguſtinus *lib. 1. de nuptiis, & concupiſcentia cap. 23. & lib. 1. contra duas epiſtol. Pelagianor. cap. 13.*

Quòd verò ad motus concupiſcentiæ, qui præveniunt rationem attinet, certum eſt, neque hanc concupiſcentiam eſſe peccatum lethale, neque prohiberi præcepto illo *non concupiſces*; ſed ſolus conſenſus procedens à libera deliberatione voluntatis eſt peccatum; ſiquidem ſcriptura, quod in uno loco ait, *Non concupiſces*, in alio ſcilicet *Ecclef. 5. 2. Ne ſequaris in fortitudine tua concupiſcentiam cordis tui*, & *cap. 18. v. 30.* habetur: *Poſt concupiſcentias tuas non eas*, unde ſupponuntur motus concupiſcentiæ prævenientes rationem, ac deliberationem voluntatis, & hortamur illis non aſſentiri, nec adhærere, unde præter concupiſcentias prævenientes liberum arbitrium, ac determinationem voluntatis datur alia concupiſcentia, quæ conſiſtit in ipſo conſenſu, quem quis daret concupiſcentiæ, quæ antea prævenerat rationem. Igitur hæ concupiſcentiæ prævenientes rationem, ſi ſtatim excutiantur, ut illis non aſſentiamur non ſunt peccata mortalia, & in hoc ſenſu quamvis pulſetur quis hiſce concupiſcentiis, non peccat, quia iiſdem non aſſentitur, ſed eas quàm primùm poteſt, excutit, & hoc eſt, poſt concupiſcentias ſuas non ire. Rurſus *ad Roman. 6. v. 10.* ait Apoſtolus: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis veſtris*, ex quibus omnibus conſtat, quod ſolus conſenſus ſit illa concupiſcentia quæ prohibetur in præcepto Decalogi, *non concupiſces*, & quia poteſt homo mediante Dei auxilio non aſſentiri pravis cogitationibus, ideo poteſt & præceptum illud *non concupiſces* ſervare. Hinc D. Auguſtinus *lib. 1. de nupt. & concupiſc. cap. 23.* hoc idem docet, inquiens: *Nam & ipſa quidem concupiſcentia jam non eſt peccatum in generatis, quando illi ad illicita opera non conſentitur*, & *in epiſt. ad Rom. expoſitione 17.* ait: *Non enim in ipſo deſiderio pravo, ſed in noſtra conſenſione peccamus*; & *lib. 5. contra Julian.* ait: *Aliud eſt habere mala deſideria carnis, & aliud tradi eis conſentiendo*, & rurſus *lib. 10. de Civit. Dei cap. 25.* ait: *Quòd ſi concupiſcentialis obedientia abſque culpa eſt in corpore dormientis, quanto magis abſque culpa in corpore non conſentientis*; ex quibus locis clarè conſtat ex D. Auguſtino motus concupiſcentiæ prævenientes rationem non eſſe peccata niſi iiſdem acceſſerit liber hominis conſenſus, conſequenter per præceptum illud *non concupiſces*, prohiberi tantùm conſenſus non verò ipſos actus concupiſcentiæ, prævenientes rationem, nec ipſa prohibetur concupiſcentia in actu primo, ſeu illa naturæ pronitas in bonum delectabile.

Ratio itidem eſt, quia Deus ſuis præceptis non obligat homines ad ea, quæ non ſunt in eorum poteſtate; atqui vitare motus concupiſcentiæ prævenie .es rationem, ac liberam hominis determinationem, non eſt in libertate hominum conſequenter Deus ſub præcepto non obligat homines ad tales motus vitandos. Minor per ſe nota eſt, major oſtenditur, quia non eſſet rationabilis obligatio, homines ad id obligare, quod non eſt in eorum poteſtate, & eſſet crudele eum punire, eò quia non præſtiterit, quod præſtare non potuit. An non eſſet præceptum irrationabile, ſi herus famulo ſuo imperaret, ut non eſuriret, ſitiret, & non frigeret, & ut obſervaret hoc præceptum non ſuppeditaret illi eſculenta, poculenta, & veſtimenta, ac permitteret eum fame perire, vel ſi non obtemperet ſupplicium ei minetur, quo eum puniat; ſiquidem eſurire, ſitire, frigere non ſunt in poteſtate famuli, conſequenter ſi eſuriat, ſitiat, & frigeat, non eſt ipſi dandum culpæ. Præterea, quia id quod homini in puris naturalibus conſtituto eſſet connaturale, & ſine culpa non poteſt

nobis esse culpabile nisi aliunde fiat tale; atqui motus prævenientes rationem essent homini constituto in puris naturalibus connaturales, & absque culpa, ergo in nobis non possunt esse culpabiles nisi aliunde fiant tales. Major est evidens quia quod est nobis connaturale est in nobis sine culpa, quia nemo se ipsum producit, ac efficit, nec suam naturam constituit, consequenter neque efficit, quod ipsi est connaturale, & quod non fit ab homine, non potest illi donari culpæ. Minor probatur, quia si homo crearetur à Deo in puris naturalibus, procul dubio constaret duabus partibus repugnantibus scilicet spiritu, & carne, & haberet duos appetitus contrarios rationalem, & sensitivum, consequenter naturaliter haberet quosdam motus repugnantes rationi. Hi autem non essent peccata in tali homine, ergo neque in nobis nisi aliunde contrahant rationem peccati; sed aliunde non possunt peccatum contrahere, nisi per liberum consensum voluntatis consequenter solus consensus est, qui rationem culpæ contrahit, ac propterea prohibetur præcepto illo non concupisces.

Neque obstat, quod objicit Calvinus in duobus illis præceptis Decalogi: *non mœchaberis, non furtum facies*, prohibitum fuisse concupiscentiam uxoris alienæ, & etiam rei alienæ consequenter in præcepto, *non concupisces*, prohiberi motus concupiscentiæ sine consensu, alioquin idem bis prohiberetur. Sed contra, quia in duobus præcecensitis præceptis, *non mœchaberis, non furtum facies*, prohibitum fuit adulterium, & furtum externo opere consummatum, & in illo & in alio præcepto non concupisces prohiberi adulterium, & furtum, quod solo consensu perficitur, voluit siquidem Deus homines edoceri, non solùm per opus externũ consummatum posse eos transgredi sua mandata, verum etiam per consensum internum, ut explicat Christus *Matth. 5. v. 22. Audistis, quia dictum est antiquis, non occides, ego autem dico vobis quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Et infra, *v.* 28. ait: *Audistis quia dictum est antiquis non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Hinc liquet discrimen inter legem divinam, & humanam, hæc prohibet tantam, quæ sensibilia sunt, & patent exteriùs, illa autem etiam prohibet interna, quæ minimè hominibus apparent, quia solus Deus est, qui penetrat internas hominum cogitationes, *Apocal. 2. v. 23. Ego sum scrutans renes, & corda.* Hinc inferimus hoc præceptum, *non concupisces*, servari posse in hac vita mediante divino auxilio, quod semper præsto est, cum fidelis sit Deus, & non patiatur nos tentari supra id quod possumus, ut ait Apostolus 1. *ad Corinth.* 10. non enim in illo prohibentur motus concupiscentiæ, qui rationem præveniunt, & qui vitari non possunt, sed tantùm prohibetur consensus voluntatis, qui cùm sit in nostra potestate possumus eam non elicere, & præceptum illud, *non concupisces* servare, ut etiam ostenditur ex illo Sapient. 8. *v.* 21. *Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det; adii Dominum, & deprecatus sum illum*, ac si diceret; scio quòd quoties insurgunt in me motus concupiscentiæ, non possim iisdem obsistere, nec continens esse, nisi divina gratia me adjuvet, & corroboret ad eas excutiendas, ac superandas, unde supponitur dari posse aliqua continentia, eò quia possit quis adjutus divina gratia motibus illis concupiscentiæ obsistere, non enim divina gratia deest hominibus justis volentibus tentationibus obsistere, & non consentire, siquidem cùm Deus præcipiat iisdem non consentiri, dat etiam media, quibus valeamus non assentiri, hinc Apostolus *ad 1. Corinth.* 10. *v.* 13. ait: *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis*, & ipsemet Apostolus hanc gratiam in tentationibus, quibus pulsabatur expertus scripsit 2. *Corinth.* 12. *v* 7. *Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me; & dixit mihi. sufficit tibi gratia mea.*

Neque obstat authoritas D. Augustini *lib. 1. de nuptiis, & concupis. cap.* 23. ubi ait: *Ut si non fit, quod scriptum est non concupisces, saltem fiat, quod alibi legitur post concupiscentias tuas non eas*, ubi Augustinus distinguit inter illa duo præcepta, *non concupisces*, & *post concupiscentias tuas non eas*, & asserit hoc servari posse in hac vita, non verò illud, quapropter *in lib. de spirit. & litter. cap.* 36. ait: Alterum pertinere ad vitam mortalem, alterum ad immortalem. Nam contra est, quia præceptum illud non concupisces dupliciter spectari potest, primò, quoad verba, quibus proponitur, secundo quoad sensum & obligationem, quam inducit, igitur D. Augustinus, cùm ait non posse præceptum illud in hac vita impleri, id intelligendum est, quoad verba præcepti, non verò quoad obligationem, siquidem motus concupiscentiæ prævenientes rationem in sententia Augustini non sunt peccata, consequenter per tales motus homo non transgreditur præceptum illud non concupisces, quia Deus nihil prohibet, nisi quod est peccatum, hinc hujusmodi motus concupiscentiæ non prohibentur hoc præcepto, *non concupisces*, sed tantùm consensus qui cum possit ab homine justo non dari, ita potest idem præceptum servari, & adimpleri quoad obligationem, quia consensus qui tantùm prohibetur est in nostra potestate.

Imò non solùm præcepta illa: *De diligendo Deo toto corde, tota anima, & totis viribus*, & illud aliud, *non concupisces*, sunt servata possibilia, verùm etiam tota ipsa lex decalogi; quia si duo præcipua præcepta divina hominibus observatu difficiliora, possunt à viris justis mediante gratia divina, quæ semper præsto est, adimpleri, poterunt etiam reliqua faciliora observari. Præterea, qui Deum diligit ex toto corde præfert illum omnibus creaturis, adeo ut intuitu ullius creaturæ non velit Deum offendere, consequenter servat omnia illius præcepta, quia si vel unum tantùm transgrederetur Deum offenderet, ergo si homo justus potest Deum diligere ex toto corde, ut probatum est, sequitur, posse omnia illius præcepta adimplere. Hinc amare Deum ex toto corde, & mandata Dei custodire, seu omnia præcepta Decalogi observare, resipsa implicitè sunt idem vel saltem sunt duo essentialiter connexa, adeo ut fieri non possit, ut quis Deum diligat ex toto corde, & non servet omnia ejus præcepta, idque causæ cur in scripturis diligere Deum ex toto corde, & servare omnia illius mandata semper uniantur, *Exodi* 20. *v.* 6. *Faciens misericordiam, his qui diligunt me, ut custodiant præcepta mea. Deuter.* 10. *v.* 12. *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petat à te, nisi ut diligas eum in toto corde tuo, & custodias mandata ejus?* & *cap.* 11. *v.* 1. *Ama Dominum Deum tuum, & observa præceptum ejus. Josue* 22. *v.* 5. *Ut diligatis Dominum Deum vestrum, & observetis mandata illius*, & Christus ipse *Joan.* 5. *v.* 10. hoc totum confirmat inquiens: *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*, quòd si lex esset impossibilis servatu, cur Deus eam nobis servandam imponeret? cur Christus diceret *Matth.* 11. *v.* 30. *Tollite jugum meum super vos,*

*jugum*

*jugum enim meum suave est, & onus meum leve?* Et cur Apostolus Joannes diceret 1. *Joan.* 5. *v.* 3. *Hoc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt?* Cur David de se ipso dixit *Psal.* 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum?* unde ex his omnibus satis apertè constat legem Dei non solum esse servatu possibilem, sed etiam facilem, & jucundam iis, qui gratia Dei juvantur, hinc Tridentinum *can.* 18. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Quia Deus suam nobis impertit gratiam, quâ muniti tentationes superamus, & totam legem servamus; ait Deus per Prophetam *Ezechiel.* 36. *v.* 27. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis*; hoc est, dabo vobis gratiam meam, quâ corroborati omnia præcepta mea observabitis. Hinc Apostolus *ad Philip.* 4. 13. scribit: *Omnia possum in eo, qui me confortat*; si omnia potest, ergo etiam totam legem servare; alioquin non omnia posset; & sibi contradiceret. Deinde si præcepta servatu difficiliora possunt ab hominibus justis servari, & adimpleri, cujusmodi sunt: *Diligere Deum ex toto corde, tota anima, totisque viribus*; & illud aliud: *Non concupisces* ut superius ostendimus, à fortiori poterunt etiam reliqua omnia utpote faciliora servari.

Objiciunt tamen Sectarii illud: *Actor.* 15. *v.* 10. *Quid tentatis imponere jugum super cervices discipulorum, quod nec Patres nostri, neque nos portare potuimus*, quæ verba prolata fuerunt à D. Petro Apostolo, qui propterea fatetur legem Decalogi esse jugum importabile, nec nos posse salvari per observantiam legis, cùm ea sit observatu impossibilis. Sed contra quia certum est D. Petrum *Actor.* 15. non fuisse loquutum de lege morali Decalogi, de qua est præsens controversia; sed tantùm de ceremoniali ut liquet ex toto contextu. Neque hoc dixit D. Petrus ut significaret, leges illas ceremoniales nullo modo posse observari, quia de facto leges ille ceremoniales observatæ fuerunt ab Elizabeth & Zacharia *Luc.* 1. *v.* 6. sed, ut ostenderet magnam difficultatem in earum observatione ob multitudinem legum, & minutias, quas omnes observare valde difficile videbatur; hinc sensus Apostoli fuit, non esse fideles onerandos tam multis legibus, iisque observatu difficilibus, præsertim cùm non essent magni momenti, & utiles non essent ad justificandum hominem; non enim per earum observantias justificabantur homines; ait enim Apostolus *ad Galat.* 4. *v.* 9. *Nunc autem cùm cognoveritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quia denuo servire vultis.* Rursus lex cæremonialis vocatur jugum importabile, non quod portari omnino non possit; sed quia difficulter, & ægrè portatur ut explicat D. Thomas *in* 2. *dist.* 28. *quæst. unic. art.* 4. *ad* 3. alioquin si omnino portari non posset non dixisset Evangelista Lucæ 1. *v.* 6. de Zacharia, & Elisabeth: *Erant ambo isti ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela.*

Objiciunt secundò illud Apostoli *ad Rom.* 8. *v.* 3. *Quòd impossibile erat legi, in quo infirmatur per carnem. Deus filium suum misit.* Sed hîc Apostolus asserit, legem esse servatu impossibilem, ait quod impossibile erat legi, seu ejus observantia, quæ nostræ infirmitatis vires superat; ex quo inferunt legem moralem Decalogi, esse servatu impossibilem. Contra tamen est, quia Apostolus hîc non asserit, moralia præcepta Decalogi non posse observari absolutè; sed tantùm quod sine gratia Christi, solis naturæ viribus sit impossibilis, & inutilis, quod verum est; sed gratia nobis nunquam deest, quâ possimus legem adimplere; siquidem ut scribit idem Apostolus 1. *ad Corinth.* 11. *v.* 13. *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*; si tentationes urgeant contra observantiam moralium præceptorum, fidelis est Deus, qui nobis vires suppeditat suæ gratiæ, ut possimus illis obsistere; quapropter, quod est impossibile viribus solius naturæ, sit possibile per Dei gratiam, qua corroboramur, & firmiores sumus ad obsistendum tentationibus, ac servandum omnia decalogi præcepta; supplet enim Deus nostram imbecillitatem, suam nobis impertiendo gratiam.

Objiciunt tertiò, illud Apostoli *ad Galat.* 3. 10. *Quicunque ex operibus legis sunt sub maledicto sunt; scriptum est enim: maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Supponunt Sectarii Apostolum in se ostendere legem moralem Decalogi esse observatu impossibilem, quasi Apostolus argumentaretur tali pacto: omnes, qui non servant totam legem sunt maledicti, atqui nemo potest totam legem servare, ergo sunt omnes maledicti qui ex observatione legis volunt justificari. Sed contra quia discursus Apostoli non est qualem fingunt Sectarii, quorum syllogismus pluribus scatet vitiis, primò peccat in forma, siquidem servato majori, & minori deberet hoc pacto concludere; Quicunque non servat totam legem est maledictus; sed nullus servat totam legem ergo omnes sunt maledicti. Rursus peccat in explicatione verborum, quia illa verba Apostoli: *Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*, non significant eosdem esse maledictos, qui legem implendo cupiant justificari, quia Apostolus *ad Roman.* 2. *v.* 13. ait: *Factores legis justificabuntur*, quomodo igitur sunt maledicti qui ad implentes legem volunt justificari? Quamobrem illi soli sunt maledicti, qui propriis naturæ viribus confisi sine fide & gratia legem implere, & justificari se posse credunt, idque patet ex antithesi, quia D. Paulus opera legis opponit fidei, ut liquet ex verbis illis: *Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* pari pacto eos, qui sunt ex fide illis opponit, qui sunt ex operibus legis; siquidem de prioribus dicit, qui ex fide sunt benedicentur cum fideli Abraham. De posterioribus verò: *Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*, unde constat minorem propositionem quam Apostolus substituit, non esse illam Sectariorum, (sed nemo potest servare legem,) sed illam Catholicorum, (atqui nemo solis viribus sine fide & gratia potest servare legem) ergo argumentum Apostoli habet hanc vim: Quicunque vult justificari ex operibus legis necesse est totam legem adimpleat; siquidem ut ait Apostolus Jacobus: *qui offendit in uno factus est omnium reus*, seu qui non servat totam legem est maledictus; sed sine fide & gratia Dei per solas naturæ vires nemo potest servare totam legem; ergo sine fide, & gratia Dei per solas naturæ vires nemo potest ex solis operibus legis justificari, & hoc pacto intelligitur quod sequitur: *Christus nos liberavit de maledicto legis factus pro nobis maledictum*, etenim non significat, Christum nos liberâsse ab observatione legis quasi ea impossibilis sit servatu, ut putant Sectarii; sed liberâsse à maledictione, quam incurrunt prævaricatores legis, quatenus Christus per sua merita nobis acquisivit fidem & gratiam, per quam possimus legem adimplere, & maledictionem declinare.

Plura

Plura alia ſcripturæ loca objiciunt, ut probent, legem Decalogi eſſe impoſſibilem ſervatu: Primo illud *ad Roman. 7. v. 18. Velle quidem adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*, ex quo inferunt, quòd tametſi cupiat quis legem implere, non tamen poſſit. Sed contra quia Apoſtolus ibi non loquitur de obſervatione legis, ſed de carentia motuum concupiſcentiæ, ac ſi diceret vellem quidem carere inordinatis hiſce concupiſcentiæ motibus ſed non eſt in mea poteſtate, ideoque velle eos impedire mihi adjacet, ſed hanc meam voluntatem perficere, ut hos motus non ſentiam, ad me non pertinet, quia illud perficere in me non invenio. Tametſi igitur bonum ſit carere motibus concupiſcentiæ, & hoc ipſemet appetam, non tamen poſſum hoc meum deſiderium exequi, ac perficere.

Secundò objiciunt illud *Jacobi 3. v. 2. In multis offendimus omnes*, & illud 1. *Joan. 1. v. 8. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus* ex quo inferunt, neminem poſſe totam legem implere, cùm non poſſit omnia peccata vitare, ſi enim totam legem impleret, utique non peccaret. Sed contra quia illa propoſitio nemo poteſt vitare omnia peccata, poteſt in duplici ſenſu ſumi, primò ut intelligatur, quod nemo poſſit vitare omnia peccata mortalia, & in hoc ſenſu falſa eſt, & hæretica, quia, cùm Deus nobis ſuppeditet ſuam gratiam poſſumus omnia præcepta Decalogi ſervare, quia mediante Dei gratia nobis ſuppetunt vires, ut poſſimus ſervare, & non peccare lethaliter. Secundò poteſt intelligi quod nemo poſſit vitare omnia peccata venialia, hæc propoſitio eſt vera ſecundum communem & ordinarium modum divinæ providentiæ, quia de lege extraordinaria ex ſpecialiſſima Dei gratia poteſt quis etiam peccata venialia evitare.

Tandem objiciunt Sectarii, quia Chriſtus ex Apoſtolo ſemper eſt mediator non ſolum in prima reconciliatione, verum etiam toto tempore, quo vivimus, adeo ut ſemper indigeamus mediatione ipſius, ſed non indigeremus ea ſemper, ſi legem aliquando poſſemus implere, ergo ex eo, quòd ſemper indigeamus mediatore Chriſto, ſemper contra legem operamur vel poſt primam reconciliationem Chriſti mediatio pro nobis otioſa foret. Sed contra, quia Chriſtus ſemper eſt mediator noſter, & nunquam ejus mediatio otiatur; eſt autem dupliciter mediator, primò quia ſemper nobis vires, & gratiam ſubminiſtrat; per quam non peccemus & bona opera exequamur. Secundo quia emundat nos à quotidianis peccatis venialibus, in quæ frequentiſſimè labimur, tametſi hæc venialia non ſint contra legem, propriè tamen ſunt præter legem, & Chriſtus ut mediator nos ſuo ſanguine continuo emundat, ideoque Chriſti mediatio nunquam eſt otioſa.

# CAP. XI.

## De primo Decalogi præcepto: *Non habebis Deos alienos coram me.*

SUam Deus oſtendit majeſtatem *Exod. 20.* ubi ait: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui duxi te de terra Ægypti, & de domo ſervitutis*, quibus verbis declaratur divina Majeſtas, & ſimul beneficium impertitum Judæis, quos à ſervitute Ægyptiaca liberavit. Illud verbum *ego ſum* ſignificat Deum eſſe in ſe ipſo æternum, & immortalem, & reliqua omnia per ipſum eſſe, & ſine ipſo nihil eſſe, alia vox *Dominus* oſtendit pleniſſimum ejus Dominium ac deſpoticum quod habet in omnes creaturas, & ratione cujus poteſt juſtè omnibus legem imponere. Alia vox *Deus* indicat in ipſo eſſe ſummam potentiam, ſummam ſapientiam, bonitatem, & totam perfectionum plenitudinem, proinde legem ab eo latam debere magni æſtimari, cùm ſit plena ſummâ ſapientiâ & bonitate, habeatque legis latorem, qui poteſt ſua potentia eos punire, qui ſuæ legi detrectaverint obedire, illa particula, quæ ſubſequitur *Tuus* explicat ſpecialem bonitatem Dei erga homines & Dominium, quod habet pleniſſimum in illos. Beneficium verò liberationis à ſervitute Ægyptiaca, tametſi peculiare fuerit Judæorum, ſi tamen interiorem univerſæ ſalutis rationem ſpectemus multò magis ad populum Chriſtianum pertinet, qui non à famulitio Ægyptiaco, ſed à ſervitute peccati, & à poteſtate tenebrarum, ſeu Pharaonis avernalis miſericors Deus per paſſionem filii ſui nos eripuit, ac tranſtulit in Regnum filii dilectionis; ſiquidem Pater indulgentiſſimus per filium ſuum homines, qui erant diſperſi congregavit in unum, ut non perſeverarent in ſervitute peccati, ſed in ſanctitate, & juſtitia illi ſervirent, quod prædixerat *Jeremias cap. 16.* inquiens: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicetur ultra, Vivit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Ægypti, ſed, Vivit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Aquilonis, & de univerſis terris, ad quas ejeci eos, & reducam eos in terram ſuam, quam dedi Patribus eorum. Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos.* Hoc igitur primum Decalogi præceptum *non habebis Deos alienos coram me*, duas habet partes quarum altera aliquid jubet, & altera prohibet, & ut communiter exponitur, perinde eſt, *me verum Deum cole, & Diis alienis cultum non adhibebis.* Prima enim pars jubet cultum & honorem ei præſtandum, ſecunda prohibet cultum adhibendum alienis Diis, unde eſt præceptum partim affirmativum, & partim negativum, & hoc primo præcepto vera Religio fundatur, & falſa prohibetur, & cultus latriæ uni ſoli Deo addicitur; non tamen interdicit honorem longè inferiorem & cultum deferendum Sanctis, ac eorundem imaginibus reliquiis, & aliis habentibus ad ipſum reſpectum, ſi enim rex vel princeps prohibet, ne quis honorem ſibi debitum, alteri deferat, nemo id intelliget, quòd Princeps interdicat honorem inferiorem deferri ſuis Adminiſtris, & Magiſtratui. Probibet igitur, ne ejus Adminiſtri & Officiales habeantur ut Reges, & ut ſupremi Domini regni, non tamen prohibet, ut honorentur, tanquam Miniſtri coronæ, & Reipublicæ; perinde præceptum hoc: *Non habebis Deos alienos coram me non facies tibi ſculptile*, pertinet ad primum præceptum, ſuntque illius veluti explicatio prohibens dari ſanctis cultum latriæ, qui ſoli Deo debetur, non verò interdicit dari cultum duliæ, qui eſt longe inferior, quique debetur Amicis Dei, ac ſervis illius, quem cultum intendit eccleſia exhibere Sanctis, qui non coluntur, & honorantur, niſi quia unionem dicunt ad Deum,

cujus

cujus sunt servi, & amici, & ut tales honorantur.

Cæterum hoc præceptum, quatenus affirmativum varios continet actus virtutum, & specialiter religionis, quibus cultus Deo debitus exhibetur, & quos elicere tenemur, ut ei debitum cultum exhibeamus, siquidem colimus Deum actibus fidei, spei, & charitatis, versatur enim religio circa cultum Deo debitum, & inclinat ad talem cultum ei exhibendum, unde definitur religio virtus moralis, qua Deo cultum, & honorem exhibemus, ut supremo omnium rerum principio, & fini, nuncupatur religio à relegendo, quatenus ea, quæ sunt divini cultus frequenter sint in corde nostro revolvenda, & quasi relegenda, juxta illud *Proverb. III. In omnibus viis tuis cogita illum*; vel ab iterata electione Dei, quem peccantes amiseramus, vel quia religet nos uni Omnipotenti Deo, unde religio propriè importat ordinem ad Deum, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 81. *art.* 1. ubi ait: *Ipse enim est, cui principaliter alligari debemus tanquam indeficienti principio, ad quem etiam nostra electio assiduè dirigi debet, sicut in ultimum finem, quem etiam negligentes peccando amittimus, & credendo, ac fidem protestando recuperare debemus.* Non est igitur religio virtus theologica, quia non versatur circa Deum, ut proprium objectum immediatum, sicut fides, spes, & charitas; sed circa cultum, & honorem debitum, unde est virtus moralis pertinens ad justitiam omniumque moralium virtutum præstantissima, cùm per eam proximius accedamus ad Deum, cujus actus sunt in duplici classe, alii enim sunt interni, & alii externi, seu secundarii. Actus interni sunt devotio, & oratio. Illa est pius, & humilis affectus in Deum, humilis ex conscientia infirmitatis propriæ; & pius ex consideratione divinæ Clementiæ, seu est voluntas promptè tradendi se ad ea omnia, quæ ad Dei pertinent famulatum, ut eam definit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 82. *art.* 1. *Oratio est elevatio mentis in Deum, seu petitio decentium à Deo cum quadam mentis elevatione*, quæ definitio desumitur ex S. Joanne Damasceno *lib.* 3. *de fide Orthodoxa cap.* 24. Est propriè actus religionis, *quia per orationem homo Deo reverentiam exhibet in quantum ei se subjicit, & profitetur orando, se eo indigere, sicut Authore suorum bonorum*, ut asserit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 3. Actus exteriores religionis sunt adoratio, sacrificium, & votum, qui tamen ab interioribus sejungi non debent, sed ita adhiberi, ut eis quasi signis quibusdam mens hominis excitetur ad actus spirituales, quibus Deo conjungitur. Hæc autem exteriora non exhibentur Deo, quasi iis indigeat, quia cùm includat in se totam plenitudinem perfectionum, nulla re indiget, unde David *Psal.* 49. *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* sed exhibentur Deo tanquam signa interiorum, & spiritualium operum, quæ per se Deus acceptat, licèt iisdem non indigeat, hinc D. Augustinus *lib.* 10. *de civit. Dei cap.* 1. ait: *Sacrificium visibile invisibilis sacrificii Sacramentum, id est sacrum signum est*; quia cùm homo constet ex duabus partibus spirituali & sensibili, corpore, & anima tenetur per utramque Deum colere interius, & exterius visibiliter & invisibiliter, ut præstitit David *Psal.* 83. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Adoratio interdum significat venerationem quamcumque exhibitam alteri in testimonium excellentiæ ipsius, quo pacto 3. *Reg. cap.* 18. Abdias dicitur Eliam adorâsse, ut ostenderet ejus sanctitatem, & virtutem, quòd si excellentia sit tantùm civilis, & humana adoratio, quæ ob ipsam alteri exhibetur, non est actus religionis, sed cultus tantùm civilis, quo pacto Abraham legitur adorâsse filios Heth tanquam Dominos terræ, in qua versabatur, & Bethsabea adorâsse Davidem sacra narrat scriptura. Sin autem spiritualis excellentia consideretur adoratio quæ ob illam exhibetur est cultus spiritualis pertinens ad religionem, & hic cultus, si creaturis cujusmodi sunt Angeli, & Beati in patria cœlesti impendatur, more loquendi ecclesiæ dicitur Dulia, si Deiparæ Virgini exhibeatur, dicitur hyperdulia ob singularem illius supra cæteros sanctos, & Angelos excellentiam ob Dei maternitatem; est enim tanta dignitas Dei matris, ut omnem longè exuperet excellentiam aliarum creaturarum. Cæterum secundùm nobiliorem vocabuli notionem est adoratio actus, quo nostram erga Deum servitutem in recognitionem infinitæ illius excellentiæ, ac supremi Dominii externis etiam signis submissionis profitemur, & hæc adoratio propriè dicitur latria, quæ exhibetur uni Deo. Hinc Christus *Matth.* 4. ait: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, sic etiam *Matth.* 11. usurpatur hoc nomen adorationis ad significandam illam submissionem externam, qua Reges Magi se coram puero Jesu prostaverunt: *Et procidentes adoraverunt eum*, & quamvis in sacris scripturis promiscuè usurpentur nomina Duliæ, ac Latriæ, pro cultu, sive servitute Deo debita, quia tamen nec latinè, nec græcè proprium invenitur vocabulum significans cultum, & honorem soli Deo convenientem, ideo usus ecclesiæ obtinuit, ut hic cultus debitus soli Deo, ut primo principio rerum omnium, & fini ultimo earundem latria dicatur. Cultus verò, qui datur sanctis Angelis, & hominibus, ut amicis, & servis Dei dicitur Dulia, quæ vox, ut observat D. Augustinus *contra Faustum lib.* 15. *cap.* 9. & *lib.* 20. *cap.* 21. græcè Latria dicitur, latinè verò uno verbo dici non potest, cum sit quædam propria divinitati debita servitus, nec colimus nec colendum dicimus nisi verum Deum.

Est autem adoratio duplex: interior una, altera exterior, cum enim sit homo ex duplici compactus natura spirituali, & corporali, intellectuali, & sensibili, duplicem adorationem Deo offerimus; spiritualem unam sitam in interiori mentis devotione & corporalem aliam, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione, & quia in omnibus actibus Latriæ, id quod est exteriùs refertur ad interius, sicut ad principaliùs, ideo ipsa exterior adoratio fit propter interiorem, adeo ut per signa humilitatis, quæ sensibiliter & corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subjiciendum se Deo, siquidem connaturale est nobis, ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus, ait enim D. Thomas 2. 2. *quæst.* 84. *art.* 11. *Sicut oratio primordialiter quidem est in mente, secundariò autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis, sicut genuflectimus nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum; prosternimus autem nos quasi profitentes, nihil nos esse ex nobis*; unde adoratio corporalis nunquam debet sejungi à spirituali, ut vera sit, & Christiana adoratio, quapropter Christus *Joan.* 4. ait: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate; nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum in spiritu, & veritate oportet adorare.* Unde ipsa adoratio corporalis debet in spiritu fieri in quantum procedit ex spirituali devotione, & ad illam ordinatur, hinc Concilium Bituricense celebratum anno 1584. *tit.* 1. ait: *Perfecta adoratio est cùm anima simul cum corpore divino obsequio mancipamur*, & D. Au-

D. Augustinus *lib. de cura gerenda pro mortuis cap.* 5. ait: *Nam & orantes de membris sui corporis faciunt, quod supplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt; quamvis eorum invisibilis voluntas, & cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus, sed hinc magis se ipsum excitat homo ad orandum, gemendumque humiliùs atque ferventiùs. Et nescio quomodo, cùm hi motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente non possint, eisdem rursus exteriùs visibiliter factis ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur; Ac per hoc cordis affectus, qui ut fierent ista, præcessit, quia facta sunt, crescit.* Inter actus externæ religionis recensetur etiam sacrificium, quod est oblatio rei sensibilis, & permanentis, quæ Deo consecratur, & offertur per legitimum Ministrum cum aliqua ipsius rei oblatæ reali mutatione.

Antequam lex Mosaica sancita esset, seu primis illis temporibus in statu puræ naturæ, sacrificia homines divino cultui addicti offerre consueverant, sed illa determinata non erant, cùm postea Judæi ad certa sacrificia offerenda secundùm legis præscriptum tenerentur, quorum sacrificiorum tria erant genera, holocaustum, hostia pro peccato, & hostia pacifica, offerebatur holocaustum Deo in reverentiam ejus Majestatis, & in amorem ipsius bonitatis, & in hoc sacrificio tota victima comburebatur, ut significaretur totum hominem, & omnia, quæ ipsius sunt, Dei dominio subjecta esse, consequenter & ipsi offerenda. Hostia pro peccato, seu sacrificium propitiatorium offerebatur Deo ad expiationem peccati; in eo pars victimæ oblatæ comburebatur, & pars altera in usum cedebat sacerdotum, ut eo ritè significaretur, expiationem peccatorum à Deo fieri ministerio sacerdotum, & oratione. Hostia pacifica offerebatur Deo pro gratiarum actione, vel pro salute, & prosperitate offerentium ex debito beneficii, vel accipiendi, vel jam accepti; & in hoc sacrificio victima dividebatur in tres partes, una quæ igne consummaretur in honorem Dei, altera, quæ cederet in usum Sacerdotum, & tertia in usum offerentium; quo ritu significabatur salutem hominis procedere à Deo dirigentibus ministris Dei, & cooperantibus ipsis hominibus, qui & salutem consequuntur ut explicat D. Thomas 1. 2. *quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 8. Hæc autem sacrificia veteris legis adumbrârunt unum sacrificium novæ scilicet sacrificium corporis & sanguinis Christi in cruce semel oblatum, ut scribit Apostolus *ad Hebræ.* 9. *ad multorum exhaurienda peccata*, & ut scribit *ad eosdem* 10. *Ut una oblatione consummaret in sempiternum sanctificatos;* & in altari quotidie ad finem usque sæculi à sacerdotibus novi testamenti incruento modo offerendo.

Quòd si omne sacrificium veteris legis fuit religionis, istud novæ legis est sacrificium redemptionis, quia Christus se obtulit victimam mactandam in ara crucis, ut nos redimeret à peccato. Rursus post sacrificium externum offerendum itidem perenniter est sacrificium interius, quo per actum amoris homo se ipsum Deo dedicat, & offert, ut etiam per actus cæterarum virtutum Deo se ipsum offert in holocaustum, ac se totum omnesque suos actus Deo offert, imò etiam sacrificium exterius bonorum operum; hinc D. Augustinus *lib.* 10. *de civit. Dei cap.* 5. scribit: *Non solum pecore vel qualibet alia re corruptibili atque terrena, sed ne ipsa quidem justitia hominis Deus egere credendus est, totumque, quod rectè colitur Deus, homini prodesse, non Deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse, si biberit, aut luci, si viderit. Nec quod ab antiquis Patribus talia sacrificia facta sunt in victimis pecorum, quæ nunc Dei populus legit, non facit, aliter intelligendum est, nisi rebus illis ea fuisse significat, quæ aguntur in nobis, ad hoc ut inhæreamus Deo, & ad eundem finem proximo consulamus. Sacrificium ergo visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est.* Hinc David quærens Deum peccatis suis habere propitium ait: *Si voluisses sacrificium dedissem utique, holocausto non delectaberis. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus cor contritum & humiliatum Deus non despicies;* ubi Propheta Regius dixit: Deum nolle sacrificium, ibi ait velle sacrificium, non vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti corporis, quapropter idem David *Psal.* 49. ait: *Si esuriero non dicam tibi, meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus, nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo.* Mox significans quid illa sacrificia significarent, ait: *Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua, & invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Hactenus D. Augustinus, quòd verò omne opus virtutis etiam internæ factum in Dei reverentiam sit quodammodo etiam sacrificium desumitur ex verbis Apostoli *ad Hebr.* 13. *Beneficientiæ, & communis necessitates nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus*, & cùm Deus *Oseæ* 6. ait: *Misericordiam volui, non sacrificium*, nihil aliud, quàm sacrificium sacrificio prælatum intelligi debet, quoniam ait Augustinus *loc. cit.* illud quod ab omnibus appellatur sacrificium signum est veri sacrificii, *porro misericordia verum est sacrificium*; hinc D. Thomas 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 4. evincit soli Deo sacrificium interius, & exterius ab hominibus esse offerendum, quem unicum agnoscant suæ creationis principium, & felicitatis finem, & quia triplex est hominis bonum animi corporis, & rerum exteriorum. Primum offertur Deo interiori sacrificio per devotionem, & orationem, alios que interiores actus, & hoc dicitur principale sacrificium. Secundum offertur Deo per martyrium, & abstinentiam, seu continentiam, quapropter Tertullianus *lib. de resurrect. carn. cap.* 8. ait: *Sacrificia Deo grata conflictationes dico animæ, jejunia, & seras & aridas escas, & appendices hujus officii sordes, caro de proprio suo incommodo instaurat. Virginitas quoque, & viduitas de bonis carnis adolentur.* Tertium genus bonorum, quod in sacrificium Deo offertur, habetur, quando immediatè res nostras Deo offerimus; mediatè autem, quando eas communicamus proximis propter Deum.

Tutius externus actus religionis est votum, quo nos ipsos vel nostra Deo promittimus; hinc *Isaiæ* 19. habetur: *Colent Deum in hostiis, & muneribus; & vota vovebunt Domino, & solvent*, est autem votum promissio deliberata facta Deo de meliori bono. Promissio autem non est simplex propositum faciendi aliquid, sed est propositum deliberatum, & liberum de meliori bono pariens obligationem standi promissis, hinc quia vota ante usum rationis nuncupata, vel ex metu cadente in virum constantem irrita sunt, eò quia non facta fuerit hæc promissio cum prævia scientia, & libertate, ut etiam votum, quod ab illo emitteretur, qui nollet se obligare, quia ad votum, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. tria requiruntur: Primò deliberatio; secundò propositum voluntatis; tertiò promissio, in qua perficitur

tur ratio voti. Superadduntur etiam alia duo quandoque ad quandam voti confirmationem scilicet pronuntiatio oris, juxta illud Davidis *Psal. 65. Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea*, & testimonium aliorum, idque pro foro externo, alioquin in foro interno nihil refert an voce, vel sola cogitatione Deo aliquid promittatur, homo enim videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor, unde conceptio boni propositi non firmatur deliberatione animi, nisi promissio sequatur deliberationem, quæ promissio debet Deo fieri juxta illud: *Psal. 75. Vovete, & reddite Domino Deo vestro.* Alia enim ratione promittitur aliquid homini & alia Deo. Homini siquidem promittimus aliquid propter ejus utilitatem, commodum enim ipsius est, ut ei aliquid exhibeamus, eumque de futura exhibitione certiorem priùs faciamus. Promissionem autem Deo facimus, non propter ejus utilitatem, sed propter nostram; ait enim Propheta: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, quapropter meliora bona, quæ Deo voventur in nostram re dundant utilitatem, & non in Dei commodum, adeo ut quod reddimus Deo, non sit ei utile, sed nobis, neque certior indiget fieri à nobis de nostra voluntate per illam promissionem, quæ ad nostram tantùm cedit utilitatem, quatenus voto immobiliter firmamus nostram voluntatem in bono, quod promittimus, à quo non licet amplius resilire.

Quòd si dicas, vota non solùm Deo, sed etiam sanctis ab hominibus nuncupari, consequenter non esse votum promissionem Deo factam, respondet D. Thomas *loc. cit. art. 5. ad 2.* Votum soli Deo fieri, sed promissionem etiam homini posse fieri, & asserit hanc esse posse materiam voti, quatenus est opus quoddam virtutis, & in hoc sensu dicimus aliquid vovere sanctis, vel Prælatis, adeo ut promissio illis facta, sit materia voti, quatenus vovet Deo se impleturum, quod Sanctis, & Prælatis promittit, alii respondent votum, quod dicitur nuncupari sanctis, esse votum, quod rèvera nuncupatur Deo coram sanctis, sive ut testibus, sive ut patronis impetrantibus voventi auxilium divinæ gratiæ necessarium ad vota implenda. Morem enim fuisse antiquum in ecclesia, quo vota sanctis nuncuparentur constat ex pluribus antiquissimis Authoribus præsertim ex Eusebio Cæsareensi *lib. 13. de præparat. evangel. cap. 11.* ubi de sanctis Martyribus ita loquitur; Eorum sepulchra celebrare, & preces ac vota nuncupare ad beatas illorum animas consuevimus.

Cæterum debet votum semper esse de meliori bono, scilicet de bono supererogationis, & consilii, quod melius dicitur seu majus bonum, quia majoris perfectionis est consilia simul cum præceptis exequi, quàm sola præcepta adimplere. Vel materia voti dicitur majus bonum quia melius est & perfectius illud facere, quàm omittere. Quamobrem duæ conditiones necessariæ sunt, ut res aliqua sit materia voti, primò ut sit in nostra potestate, secundò quod Deo sit grata, & accepta, quapropter neque res illicitæ, neque opera per se mala, neque res indifferentes sunt materia voti, imò graviter peccaret, si quis res illicitas voveret, quia iisdem assentiretur, quapropter votum nequit fieri nisi de solo opere virtutis, imò neque materia voti esse possunt, quæ sunt absolutè necessaria, hinc ineptè voveret quis, se nunquam esse volaturum usque ad lunam, vel se aliquando moriturum, quia velit, nolit, hæc duo necessaria sunt, & non in potestate voventis. Quæ verò necessaria sunt necessitate finis, vel officii, quia sine illis æternam salutem consequi non possumus dici possunt materia voti, licèt minus propriè, quapropter si quis voveret, se ad ebrietatem non bibiturum, vel declinaturum juramentum temerarium, duplici titulo teneretur ad hæc peccata cavenda ratione præcepti, & ratione voti emissi, quia ut habetur in decret. *caus. 17. quæst. 8. can. sunt quadam.* Adsunt aliqua etiam, quæ non voventes obligant, & quædam quæ nisi voverimus non debemus solvere, non bibere ad ebrietatem, & non jurare temerè, sunt duo, quæ cadunt sub præceptum tametsi quis ea non voveat, unde præscindendo à voto tenemur ab iisdem duobus abstinere ratione præcepti, & si ea voverimus, etiam ratione voti. Res verò, quæ sunt impossibiles, nequeunt esse materia voti; quapropter si quis voveret, se nunquam peccaturum venialiter, non obligaretur voto, quia sine Dei specialissima gratia non potest quis omnia venialia cavere. Omnia itidem quæ consiliis evangelicis opponuntur, non sunt materia voti, ut si quis voveret, se nunquam habitum religiosum suscepturum, se nunquam in monasterio consecraturum, quia hujusmodi votum viam præcluderet ad melius bonum. Hinc melius ac perfectius est aliquod opus virtutis ex voto exercere, quàm sine voto, quia opera facta ex voto singulari quadam ratione referuntur ad Dei cultum, veluti quædam sacrificia, ut loquitur D. Augustinus *lib. de Sanct. Virginit. cap. 8.* ubi ait: *Neque enim & ipsa, quia Virginitas est, sed quia dedicata est, honoratur, qua licet in carne servetur, spiritus tamen religione, ac devotione servatur. Ac per hoc spiritualis est etiam virginitas corporis, quam vovet, & servat continentia pietatis.* Secundò quia vovens aliquid, quod adimplet, se Deo magis subjicit, quàm qui sine voto illud facit; subjicit enim se Deo non solùm quantum ad actum, seu quantum ad opus, sed etiam quantum ad potestatem operis faciendi, siquidem se obligat, ne deinceps oppositum faciat. Tertiò, quia per votum voluntas firmatur in bono, & majoris, ac perfectioris virtutis est, quod fit ex voluntate in bono firmata, perinde ac peccatum, quod committitur voluntate in malum inclinata, gravius est, quapropter major gloria à Deo iis paratur, qui vota religiosa Deo nuncupata adimplent.

Votum aliud est absolutum, quod impleri simpliciter debet quantocius fieri potest, juxta illud *Deuteron. 23. Cum votum voveris Domino Deo tuo non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum.* Aliud est votum conditionatum, quod suspendit executionem donec conditio impleatur, adeo ut non priùs obliget, quàm conditio adimpleta fuerit. Rursus tripartitur votum in reale, personale, & mixtum. Reale est, cujus materia est extra voventem, cujusmodi sunt bona temporalia, ut si quis voveat, se in Dei honorem templo collaturum ornamenta, vel pauperibus eleemosynam erogaturum. Personale, & cujus materia est ipsa persona, vel opus voventis, ut cùm quis vovet, se suscepturum sacros ordines, vel ingressum ad religionem, seque Deo mancipaturum, ut etiam, si voveat continentiam, vel certas preces recitandas. Votum mixtum est, cujus materia partim est persona, quæ vovet, & partim ipsum opus bonum externum, quod vovetur, ut si quis voveret peregrinationem ad Virginem Oettinganam, seque oblaturum supellectilem aliquem pretiosam, est votum mixtum, constans ex personali, & reali. Votum personale solùm obligat voventem, votum verò reale ab alio impleri potest adeò ut ejus obligatio ad hæredes transeat voventis, si vovens illud non impleverit, ut constat ex

*ex cap. licet de voto & voti redempt. & cap. si Heredes de testament.* Rursus bipartitur votum in simplex, & solemne, illud consistit in sola promissione voventis de meliori bono, quod tamen actu non traditur Deo, vel si traditur à promittente, quantum est in se ipso, non tamen recipitur à Prælato vice Dei, & nomine ecclesiæ, vel non recipitur irrevocabiliter, & in omne tempus, sed tantùm ad tempus determinatum, ut ad biennium, triennium; Votum solemne est promissio facta cum solemni traditione voventis, & consecratione quadam, qua divino ministerio mancipatur, ejusque acceptatione à Prælato vice Christi vel nomine ecclesiæ, ut cùm quis per sacri ordinis susceptionem divino mancipatur ministerio, vel per solemnem professionem in aliquo sacro ordine ab ecclesia approbato mundo renuntiat, & se totum Deo consecrat, hinc solemnitas voti non solùm pertinet ad homines, sed etiam ad Deum, quatenus habet aliquam spiritualem consecrationem, cujus Deus est author, quamvis homo sit Minister juxta illud: *Numer. 6. Invocabunt nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.* Hinc votum solemne difficilius rumpitur, habetque fortiorem obligationem quàm votum simplex. Cæterum quòd utrumque votum dicatur æquè obligare apud Deum intelligendum est, quantum ad hoc, quod utriusque transgressor peccat lethaliter.

Vota autem relaxantur per irritationem, dispensationem, & commutationem. Votum irritare perinde est, ac illud annullare, ut non sit amplius votum, dispensare verò est, relaxare voti obligationem in totum vel in partem; Commutare tandem est mutare materiam voti in aliam. Possunt irritari vota famulorum ab hero, uxoris à viro, filii impuberis à Patre, pupilli à Tutore, Religiosi à Prælato, & cujusvis inferioris à Superiore absque alia necessaria causa. An verò possit superior irritare vota inferioris emissa antequam ipsi subjiceretur. Sanchez respondet votum uxoris emissum ante matrimonium irritari non posse à viro, sed tantùm posse ejus executionem suspendi. Verùm alii aliter sentiunt, quia si vir per matrimonium fit superior uxoris, ut propter muliebrem levitatem possit jus voluntatem dirigere, illius vota non solùm suspendere potest, sed etiam irritare, perinde ac Prælatus potest vota sui religiosi emissa ante professionem irritare. Verum id melius intelligitur post emissam professionem, cùm antea superior non habet potestatem denominativam in Novitios.

Altera pars primi præcepti Decalogi est negativa: *Non habebis Deos alienos coram me*, qua prohibetur habere, & colere alios Deos præter unum, & solum verum Deum; quasi dicat Deus, me unum verum Deum coles, non alios præter me, quia non est alius Deus præter me, quia Deus est unus tantùm & solus, prohibet tamen Deus alios colere Deos propter cæcitatem illorum, qui unum & verum Deum se colere profitebantur, cum tamen multitudinem Deorum venerarentur, ut inter Hebræos non pauci fuerunt, quos insipientiæ redarguit, & erroris Elias 3. *Reg. cap.* 18. *Usque quo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum, si autem Baal sequimini illum*, quod præstiterunt Samaritani, qui Deum Israelis unà cum Diis gentium colebant, ut habetur 4. *Reg. cap.* 17. *v.* 33. quapropter Deus in ferenda sua lege populo Israelitico inhibet hanc gravissimam injuriam sibi illatam qua aliqui præter ipsum solum verum Deum, alios Deos colebant, non quasi sit aliquis alius Deus, sed quia hominum perversitas alia Numina effinxit. Quòd verò addat illam particulam, *coram me*, significat eum esse immensum, & præsentem ubique locorum, unde ubicunque falsa colantur numina, semper coram vero Deo coluntur.

Non tamen prohibentur coli Sancti Angeli, & homines beati, quia isti non adorantur nisi respectivè ad Deum, quatenus sunt servi illius, & amici, ac filii adoptivi, quapropter cultus exhibitus Sanctis est longè inferior, quàm ille qui soli Deo debetur, siquidem Deo est debitus cultus supremus latriæ & sanctis Angelis, ac hominibus cœlesti beatitudine donatis, tantùm debetur cultus duliæ ut Deiparæ Virgini ob dignitatem Matris Dei cultus hyperduliæ. Deus enim vult, ut ejus servi, & amici honorentur, quapropter ajebat David *Psal.* 138. *Nimis honorati sunt amici tui, Deus*; & Christus ipse *Joan.* 12. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*; quapropter Josue Angelum Principem militiæ Dei pronus in terram veneratus est *Josue* 5. Et filii Prophetarum, qui erant in Jericho, cùm Spiritum Eliæ super Elisæum requievisse experti fuissent: *Venientes in occursum ejus adoraverunt eum proni in terram*, scilicet ut Prophetam singulari, & plusquam civili honore venerati sunt.

Neque obstat si legamus Angelos interdum exhibitum sibi ab hominibus honorem recusâsse, eo quia talis honor creatori debitus esset non creaturæ, qua de causa Angelus prohibuit S. Joannem, ne ipsum adoraret *Apocal.* 19. *Vide ne feceris; conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu; Deum adora*; hinc ait S. Augustinus *quæst.* 61. *super Genesim: Talis apparuerat Angelus, ut pro Deo posset adorari; & ideo fuerat corrigendus adorator.*

Neque obstat, olim Ethnicos, & Manichæos Hæreticos objecisse Christianis, & Catholicis divinos honores, eosque idolis gentium mortuos homines substituisse. Non D. Augustinus hanc calumniam *lib.* 20. *contra Faustum cap.* 21. Optimè repellit, eò quia populus Christianus memorias martyrum religiosè celebret, non ut iisdem cultum latriæ soli Deo debitum conferat, sed *ut ad excitandam imitationem, ac meritis eorum consocietur, & orationibus adjuvetur.* Cæterum sanctis Martyribus altaria non construuntur neque sacrificia offeruntur, sed soli Deo, qui Martyres coronavit in memoria eorum, quos coronavit. Hinc sancti Martyres honorandi sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem, siquidem honoramus eos charitate, non servitute, nec eis templa construimus. Nolunt enim se sic honorari à nobis, quia nos ipsos, cùm boni sumus, templum summi Dei esse noverunt. Quamvis igitur templa, & altaria sanctis nuncupentur, ut in honorem sancti Petri S. Pauli, vel alterius Sancti, non tamen illis consecrata sunt templa vel altaria, neque dicati dies festi, sed soli Deo in eorum memoriam, & sub eorum invocatione.

Cæterum dupliciter possunt Martyres honorari, & coli. Primò ut eximia Dei opera in illis celebremus, ac Dei beneficia iisdem collata ad memoriam revocentur, ut uberiùs Deum magnificemus, ejusque externam gloriam latiùs propagemus. Secundò ut eorum fidem sequamur, qua vicerunt tyrannidem Principum, operati sunt justitiam, & adepti sunt repromissiones, & ipsos ut Christi cohæredes ac cœlesti beatitudine donatos honoremus. Tertiò ut ad eorum imitationem sanctioris vitæ suscipiamus institutum, & ferventius Deo inserviamus.

Rursus

Rursus ad hoc primum præceptum decalogi, quatenus est affirmativum pertinent plures actus variarum virtutum præsertim religionis, ut superius expendimus, quibus cultus Deo debitus exhibetur, & quos elicere tenemur, ut ei debitum obsequium persolvamus. Solent hujusmodi virtutes reduci ad tres theologicas, seu ad actus fidei, spei, & charitatis, quapropter ait Augustinus *in Enchir. cap. 3. Fide, spe, & charitate Deum esse colendum.* Actus fidei, qui hoc decalogi præcepto nobis injunguntur elicere, sunt, credere omnes & singulas Christianæ religionis veritates saltem fide implicita & fide explicata, quæ docet Symbolum Apostolorum, & quæ proponit ecclesia ad Sacramentorum naturam, & rationem pertinentia. Cùm enim credere sit Deo revelanti, quatenus est prima veritas, quæ non potest falli, nec nos fallere assentiri, & humanæ menti proprium sit examinare, ac discutere, quæ intellectui objiciuntur, ac determinare, an sit iisdem præstandus assensus vel non, & quæ ad religionem pertinent ac fidem rationis, seu intellectus examen omnino respuant, eò quia non nitantur ratione humana, sed authoritate divina, tenetur intellectus noster se flectere in fidei obsequium, ac illi debet sufficere, quod prima veritas quæ non potest falli, nec nos fallere ita dixerit, ac nobis revelaverit: alioquin vel raro, vel nunquam intellectus noster acquiesceret nisi voluntatis imperio, ac inclinatione in assensum traheretur à fide, ac veluti captivius fieret in obsequium Christi, ut loquitur Apostolus 2. *ad Corinth.* 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, quapropter idem Apostolus *ad Roman.* 10. scribit *corde creditur ad justitiam* scilicet voluntate, & affectu, quia nisi affectu in Deum flectatur intellectus ad credendum vix ob varias, quas nequiret difficultates superare, ascensum præstaret, quapropter Augustinus *Tract. 26. in Joan.* ait: *Intrare quisquam ecclesiam potest nolens accedere ad altare potest nolens, accipere sacramentum potest, nisi volens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus: sed corpore non creditur. Apostolum audi corde creditur ad justitiam. Cum igitur in Christum corde credatur, quod nemo utique facit invitus, qui autem trahitur tanquam invitus, cogi videtur, quomodo istam solvimus quæstionem nemo venit ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum? si trahitur, ait aliquis, invitus venit, si invitus venit, nec credit, si non credit, nec venit; nolite cogitare invitum trahi, trahitur animus & amore.* Hinc meritò Innocentius XI. propositionem illam damnavit, quæ ordine est decima nona, ubi dicebatur: *Voluntas non potest efficere, ut ascensus fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ascensum impellentium*, quia non pondus rationum movet ad præstandum fidei assensum, sed sola divina authoritas, seu prima veritas. Hinc nonnisi imprudenter ac infideliter assensus supernaturalis repudiatur, adeo ut hoc repudium peccatum sit lethale, quia SpirituiSancto resistit, assensus enim ille supernaturalis fides est, quam abjicere, ac repudiare, perinde est, ac asserere primam veritatem posse nos fallere, quod est injuriam Deo irrogare; ait enim Augustinus *Tract. 53. in Joan. In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cælorum, sicut in Catechumenis, sicut in ipso Cornelio antequam sacramentorum participatione, incorporaretur ecclesiæ. In quibusdam verò tanta est, ut jam corpori Christi, & sancto Dei templo deputentur. Templum enim Dei Sanctum est ait Apostolus, quod estis vos. Et ipse Dominus: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum. Fiunt ergo inchoationes quædam fidei conceptionibus similes: non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam.* Est enim assensus fidei supernaturalis omnino necessarius ad salutem neque stare potest cum formidine vel hæsitatione de opposito, quasi Deus id non fuerit locutus, vel revelaverit, quapropter Innocentius XI. damnavit propositionem illam: *Potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem*, & est ordine vigesima, quia assensus fidei omnem prorsus excludit hæsitationem, & formidinem, quia assentimur revelatis propter authoritatem Dei, quæ est prima veritas immutabilis, & quæ non potest falli, nec nos fallere, unde Apostolus *ad 2. Thess. 2. Cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed sicut verè est verbum Dei*, quasi dicat: quia accepistis verbum Dei debetis, omnem excludere dubitationem, omnem abigere hæsitationem, quamvis ratione videantur difficilia captu, imò & contraria, quia prima veritas non potest vos fallere, consequenter tenemini intellectum flectere in fidei obsequium. Hinc dubius in fide est infidelis, ut declaratur *can. dubius de hæreticis.* Hinc Athanasius, *quicunque vult salvus esse ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem, quam nisi quisque firmiter crediderit, salvus esse non poterit*, & D. Augustinus *serm.* 190. ait: *Quod humana ratio non invenit fides capit, & ubi humana ratio deficit, fides proficit*, & ante ipsum Tertullianus *lib. de præscript. Hæretic. cap.* 8. ait: *Quid Athenis, & Jerosolymis? quid Academiæ, & Ecclesiæ? nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse quærendum. Viderint qui Stoicum, Platonicum, dialecticum Christianismum protulerunt, nobis curiositate opus non est post Christum Jesum. Nec inquisitione post evangelium, cùm credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus non est ultra, quod credere debeamus.* Hinc hæsitare circa res fidei, seu plenè deliberate dubitare de revelatis à Deo est peccatum lethale.

Imò non solùm tenemur credere unum Deum, sed etiam fide explicita, quòd remunerator sit, adeo ut fides hæc explicita necessaria sit necessitate medii ad justificationem, & salutem; duplex enim est fides explicita una, seu distincta, & alia implicita quasi relata, illa est, qua aliquid creditur secundùm se in particulari, & distinctè, ista, qua aliquid creditur in alio, ut in universali involutum, ac comprehensum, ut cùm quis ex animo, profitetur se credere, quidquid credit ecclesia, & vera esse quæcunque in sacris continentur scripturis, is enim dicitur implicitè credere in ecclesia septem Sacramenta, Abrahamum habuisse duos filios, quia hæc, & alia similia explicitè & distinctè continentur in sacris scripturis, & dummodo nil aliud oppositum in particulari credat, hæc implicita fides sufficit, sed teneri quemlibet credere fide explicata non totùm quod detur unus Deus verum etiam quod remunerator sit, habetur in scripturis; Apostolus enim *ad Hebra. 9. v. 6.* ait: *Sine fide autem impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Sicut igitur tenetur quisque explicitè credere, adesse unum Deum, ita tenetur explicitè credere, quòd inquirentibus se sit remunerator. Ratio est, quia ad justificationem, & salutem necessaria est ea fides, qua spes nostra in Deum excitetur, & quæ ad ipsum super omnia diligendum ejusque servanda mandata

concomitante charitate inclinamur: atqui spes nostra non excitaretur in Deum, nisi Deus inquirentibus se remunerator esset, & idexplicitè ac distinctè crederemus, quapropter Innocentius XI. prohibuit has propositiones in ordine vigesimam secundam, & vigesimam tertiam: *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris*, & hanc aliam damnavit, quæ est *fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.*

Imò est etiam necessaria fides explicita ac distincta Sanctissimæ Trinitatis, ut etiam mysterii Incarnationis Jesu Christi, adeo ut sicut fides explicita in Deum est medium ad justificationem, & salutem necessarium, ita etiam fides explicita & distincta in Christum, quapropter ait ipse *Joan.* 14. *Credite in Deum & in me credite*: unde sicut fides explicita in Deum est necessaria necessitate medii ad salutem, ita & fides explicita & distincta in Christum, qui propterea *Joan.* 17. ait: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*, & confirmat Apostolus *ad Roman.* 3. inquiens *omnes peccaverunt, & egent gloria Dei justificati gratias per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Quòd etiam fides explicita de Sanctissima Trinitate necessaria sit ad justificationem ad salutem explicat D. Thomas 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 8. inquiens: Mysterium Incarnationis Christi explicitè credi non potest sine fide Trinitatis, quia in Mysterio Incarnationis Christi hoc continetur, quòd filius Dei carnem assumpserit, & quòd per gratiam Spiritus Sancti mundum renovaverit, & quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit; & ideo eodem modo quo Mysterium Incarnationis Christi ante Christum fuit explicitè creditum à Majoribus; implicitè autem & quasi obumbratè à minoribus, ita etiam Mysterium Trinitatis, ideoque etiam post tempus gratiæ divulgatæ tenentur omnes ad explicitè credendum Mysterium Trinitatis, & omnes qui renascuntur in Christo hoc adipiscuntur per invocationem Trinitatis, secundùm illud *Matth. ult. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.*

Tenentur etiam explicitam fidem habere de omnibus & singulis articulis, qui continentur in symbolo Apostolorum saltem quoad substantiam, ut etiam omnia dogmata, quæ solemniter in ecclesia celebrantur, & proponuntur hinc tenentur fideles credere, quæ pertinent ad sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, ac credere realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, ut etiam transubstantiationem, seu mutationem substantiæ panis in substantiam corporis, & sanguinis Christi, ut etiam cultum & invocationem Sanctorum, usum indulgentiarum, existentiam purgatorii, quia hoc omnia, & alia similia sunt in ecclesia solemnia.

Actus fidei eliciendi sunt, in tribus potissimum casibus, primò, cùm alicui Mysteria fidei prima sufficienter ad credendum proponuntur. Secundò, cùm quis ad actum aliquem virtutis exercendum obligatur, qui sine fide exerceri non potest, ut cùm quis tenetur, se peccati pænitere, conteri & sacramentum aliquod suscipere. Tertiò cum quis juridicè & publica authoritate interrogatur de fide, tunc enim ad fidem tum interius eliciendam, tum exterius profitendam obligatur, quamvis ex tali professione mors illi immineat: quinimò qui ab aliquo privato de fide interrogaretur, etiam illam exterius teneretur profiteri, si ex illius professionis omissione divinus honor notabile pateretur detrimentum, vel grave scandalum redundaret in proximum. Hinc tenetur fidelis in casu necessitatis, ubi fides periclitatur fidem suam manifestare ad instructionem aliorum fidelium, seu confirmationem, vel ad reprimendum infidelium insultationem, ut etiam, si ab authoritate publica fidelis interrogaretur de fide, adeo ut damnata fuerit ab Innocentio XI. hæc propositio, quæ ordine fuit decima octava; *Si à potestate publica quis interrogetur fidem in genere confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.*

Imò tenetur etiam quisque elicere actum fidei, quoties imminet mortis periculum, quia tunc enim debet ut ad Deum accedat, cui conjungitur ut christianam justitiam consequatur, vel in ea perseveret, & ut tentationes quæ tunc imminent graviores superet ut mundum vincat, priusquam de mundo exeat, quia ut ait Apostolus: *Hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra*, quia quisque tenetur contra terrores mortis se munire fide, & spe resurrectionis, ac futurorum bonorum, & contra damnationes æternas cogitationes horrendas, animum perturbantes, ac in desperationem trahentes per fidem in Christi passionem, & mortem credere in Christi merita infinita, & quod ejus sanguine totum humanum genus redemerit, ac peccata nostra deleverit. Hinc Alexander VII. delevit è corrupta Theologia morali ac damnavit hanc propositionem: Homo *nullo unquam suæ vitæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Et Innocentius XI. has pariter damnavit: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se. Satis est actum fidei semel in vita elicere*, ex quibus constat teneri Christianum actum elicere fidei, quando corpus Christi in Eucharistiæ sacramento sumit, quoties ad justificationem se debet disponere, sive per baptismum, sive per pænitentiam consequendam quoties periculum vitæ immineat, vel tentationes patitur contra fidem vel urgent aliæ tentationes præsertim, si immineat mortis periculum.

Simulare autem falsam religionem est peccatum lethale est enim falsæ religionis simulatio quædam veræ fidei negatio, consequenter etiam mendacium in re gravissima, quo divinus honor violatur, & scandalum proximo datur, quapropter Helcesseræ Hæretici ab Ecclesia damnati fuerunt sæculo secundo, quia inter alios errores asserebant: Simulationem in professione Religionis licitam esse, & nullum esse peccatum si quis sæviente persecutione gentium idola colat, dammodo ex animo id non præstet, vel si quis ore tenus non animo profiteatur, ut refert D. Epiphanius *hæresi* 19. & Eusebius *lib.* 6. *histor. ecclesi. cap.* 38. Hinc Ecclesiastica disciplina olim contra Libellaticos, seu ignavos Christianos, qui libellos à Magistratibus Ethnicis numerata pecunia obtinuerant testificantes ipsum Principum edictis de idolorum cultu paruisse, vel simpliciter prohibentes ne ob religionem in jus vocarentur, reprehendit & damnavit, imò & punivit licèt mitiori pæna, quam idololatræ publicè, tamen subjiciebantur pænitentiæ, cujus meminit Tertullianus *in Apologet. cap.* 27. & S. Cyprianus pluribus in epistolis & præsertim in *Tractat. de lapsis*, & exemplum Eleazari pientissimi, ac generosi senis debuisset Christianos illos in fide confirmâsse. Rogatus siquidem Eleazar ab amicis, ut simularet se manducâsse de sacrificii carnibus juxta Anti-

Antiochi Regis mandatum, respondit 2. *Machaba.* 6. *Non enim ætati nostræ dignum est fingere, ut multi adolescentum arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transiisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem decipiantur: & per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram. Nam & si in præsenti tempore suppliciis hominum eripior, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.* Hinc viro Christiano non licet in partibus infidelium uti cibis, vel rebus illis seu vestibus, quæ falsæ religionis significant professionem, sive ex humana lege, sive ex consuetudine, imò neque licèt Catholicis audire conciones Hæreticorum, nisi fuerint viri docti, firmi, & stabiles in fide, ut possint eorum errores repellere, & obsit periculum scandali, ut nec etiam licèt Catholico in terris Hæreticorum commoranti vesci carnibus feria sexta, vel Sabbatho, aut diebus jejuniorum, eò quia esus talium carnium illis diebus sit signum religionis, quam Hæretici profitentur. Cæterum Christianis degentibus apud infideles, licitum est uti rebus, vestibus, & signis infidelium, dummodo hæc sint tantùm signa nationis, non religionis, hinc Joseph in Ægypto, & Daniel in Babylonia induerunt insignia dignitatum, quibus donati fuerunt à suis Regibus, quia hujusmodi signa nihil commune habebant cum idololatria, unde Tertullianus *lib. de idololatria cap.* 14. ait: *Licet convivere cum Ethnicis commori non licet, convivamus cum omnibus: conlatemur ex communione naturæ non superstitionis, pares animo sumus, non disciplina: Compossessores mundi, non erroris.*

Sicut actus fidei, ita & actus spei tenetur Christianus sæpe in vita elicere scilicet quoties desperationis tentationes ingruunt, quoties gratiam justificantem recipere opus est, quoties spem suam languescere animadvertit, rebusque temporalibus afficimagis ac moveri, quam bonis æternis, & quoties imminet mortis periculum. Hæc enim probant, quæ hactenus dicta sunt de fide elicienda; de spe enim plura traduntur in sacris scripturis *Psal.* 4. *Sacrificate Sacrificium justitiæ, & sperate in Domino;* & *Psal.* 65. *Sperate in eo omni congregatio populi effundite coram illo corda vestra Deus adjutor noster in æternum.* Et *Ecclesiastici* 2. *Dirige viam tuam, & spera in illum, qui timetis Dominum sperate in illum. Osea* 12. *Spera in Deo tuo semper.* Hoc autem præceptum tunc vel maximè obligat, cum tenemur nos præparare ad gratiam Sanctificantem suscipiendam, quia tunc considerantes infinitam Dei misericordiam in spem erigimur, & speramus Deum fore per merita Christi nobis propitium. Obligat autem præceptum eliciendi actus spei, quoties de desperatione tentamur quia tunc actu contrario virtutis tenemur Dæmoni obsistere, ut etiam quando spem nostram experimur languescere, & infirmam esse, tunc eam excitare tenemur, ut firmior stet ac corroboretur, & in justitia Christiana crescat uberior. In adversitatibus etiam speramus in Deo consolatore juxta illud Apostoli *Ad Roman.* 4. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit,* & *cap.* 12. vult nos esse sperantes cum gaudio in adversitatibus inquiens: *Spe gaudentes in tribulatione patientes.* Præterea spes excitanda est, cùm preces ad Deum fundimus, siquidem frustra peteremus à Deo, quæ ab ipso nos impetraturos non speraremus, & confideremus: sperantem enim in Domino misericordia circumdabit. Sed tunc magis tenemur elicere actus spei cùm constituti sumus in vitæ discrimine, & Cacodæmon multitudinem, & gravitatem peccatorum nostrorum nobis repræsentans in aliquam desperationem nititur nos trahere, quia tunc in divinam misericordiam conjicere tenemur spem nostram, & repetere cum Davide: *Domine Deus meus in te speravi. In Domino sperans non infirmabor, Deus meus, adjutor meus, Et sperabo in eum. Fiat misericordia tua Domine super nos. Quemadmodum speravimus in te; mihi adhærere Deo bonum est. Ponere in Domino Deo spem meam. In te Domine speravi, non confundas in æternum.*

Sumitur hic nomen spei ut significat virtutem supernaturalem Theologicam, quæ immediatè respicit Deum pro objecto primario, & præcipuo, & ipsum habet pro regula humanorum actuum, infunditurque à Deo immediatè, ut à causa efficiente, & debent actus spei à nobis elici, eò quia tenemur per spem firmam in Deum tendere, quia sicut per creationem ab illo dimanavimus, ita per spem ad ipsum pergimus, & per glorificationem pervenimus, adeo ut si Deus primum principium est finis ultimus, in quo nostra sita est beatitudo; & quia Deus est ipsa pietas, & misericordia, debemus in illo confidere, & hæc perfecta fiducia non potest à nobis in alio constitui, nisi in ipso salutis autore, ac spei fundamento. Quatuor autem modis spes sumitur primò pro re, quam speramus, quæ non est nobis præsens, quia ut scribit Apostolus *ad Roman.* 8. *Spes, quæ videtur, non est spes.* Secundò sumitur subjectivè pro eo in cujus ope speramus, quo pacto dixit David *Psal.* 21. *Tu es spes mea.* Tertiò formaliter pro ipso actu sperandi, ut cùm dixit Apostolus *ad Roman.* 8. *Spe salvi facti sumus* Quartò etiam formaliter, sed ratione habitus spei, cujus meminit Apostolus 1. *Corinth.* 13. inquiens: *Nunc autem manent tria hæc, fides, spes, charitas.* Objectum primarium spei est Deus ipse, seu gloria æterna, alias non esset spes virtus Theologica. Secundarium sunt ipsa gratiæ auxilia quæ requiruntur ad assecutionem gloriæ hac de causa dixit Hugo Cardinalis *fides dirigit, spes erigit, charitas conjungit.* Spei actus circa Deum quatuor sunt quorum primus est amor concupiscentiæ, secundus desiderium, tertius spes, & ultimus ipsa delectatio. Amor concupiscentiæ ut est primus actus spei differt ab amore benevolentiæ seu charitatis quia illo amamus Deum quatenus nobis est bonus, & isto quatenus est in se bonus. Hinc amor concupiscentiæ est recurvus, quia ita fertur in Deum, ut iterum revertatur ad nos, quia Deum amamus propter nostrum commodum; amor verò benevolentiæ, seu amicitiæ dicitur rectus, eò quia rectè feratur in Deum, & in ipso terminetur, quatenus Deum amamus, quia in se bonus est & ex hoc amore concupiscentiæ tres alii oriuntur actus circa idem objectum scilicet desiderium spes & delectatio ex quibus desiderium versatur circa Deum, quatenus est bonum nostrum absens sine conatu illud obtinendi spes est circa bonum absens cum conatu obtinendum; delectatio circa bonum præsens & jam obtentum.

Sed dices quomodo si virtus spei est una tantùm possunt ab eadem plures actus prodire ancoris, desiderii, & delectationis, cum actus denominentur tales ab illa virtute, à qua dimanant

nant actus virtutis spei deberent omnes esse spei. Sed contra respondetur, aliquando contingere ut una ac eadem virtus, quæ plures elicit actus, non ab omnibus illis denominetur, sed ab illo tantum, qui est principalior, ac difficilior; quo pacto virtus pænitentiæ suam sortitur nomenclationem ab actu pænitendi, tametsi alios eliciat actus ut propositum se emendandi, & desiderium satisfaciendi pro perpetratis noxis. Hoc idem contingit in virtute spei, quæ denominatur ab actu sperandi, ut à difficiliori. Cæterum spes suam habet certitudinem in actu, est siquidem virtus quæ in omni potentia, & fidelitate Dei promittentis innititur qua de causa Apostolus *ad Hebræ. 9.* vocat spem anchoram animæ firmam, & tutam, & *ad Roman.* 8. ostendit, se habere certitudinem in actu spei suæ inquiens: *Certus sum, quòd neque mors, neque vita &c. poterit nos separare à charitate Dei.* Cæterum quamvis fiducia illa ut respiciens Deum firmissima sit, quia tamen ex parte nostræ cooperationis plures potest defectus contrahere, quibus promissionum divinarum effectus impediatur, ideo nos monet Apostolus *ad Philipp.* 2. Ut cum timore, & tremore salutem nostram operemur, quia ut asserit D. Augustinus *serm.* 15. *ad fratres, qui sperat & non timet negligens est, qui autem timet, & non sperat depressus est, & descendit in profundum quasi lapis*; non tamen certitudo est spei ut illa fidei, quæ excludat dubitationem, & opponatur errori unde per fidem quis est certus tam de eventu, quàm de ordine & per spem datur tantùm certitudo de ordine, illa enim certificat, quòd per merita Christi bona opera ordinent ad salutem; sed non ita certificat, quid sibi eveniet; hæc ergo certitudo est conditionalis, non absoluta, proinde non excludit timorem, sed tantùm diffidentiam de bonitate divina, neque excludit diffidentiam de propria fragilitate.

Præceptum autem de eliciendo actu spei non obligat omni tempore ut formaliter, sed sufficit, si virtualiter, tenemur actum spei formaliter elicere, quando homini adulto innotescit se à Deo creatum esse ad vitam æternam, quia tunc tenetur vitam illam sperare à Deo, & media necessaria ab eo itidem exposcere. Secundo quando ad aliquid faciendum quis obligatur, quod actum spei ut dispositionem necessariam prærequirit, ut cùm tenemur resipiscere, & peccatorum nos pænitere ad quorum remissionem actus prærequiritur, quo speremus in divinam misericordiam. Tertio quando gravis aliqua tentatio urget, quam aliter homo superare non potest nisi actum eliciat spei, ut definivit Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 6.* Infunditur nobis habitus spei in baptismo, & justificatione simul cum habitu fidei, & charitatis, quamvis habitus fidei, & spei possint perseverare sine habitu charitatis.

Neque inde sequitur dari in anima duas tantùm potentias perfectibiles respectu objecti increati, scilicet intellectus, & voluntas, quia sicut ille perficitur uno habitu, seu fide respectu Dei, ita & voluntas charitate, ex quo sequitur spem non esse necessariam; nam intellectus habet unicum actum circa Deum, quo assentitur illi propter revelationem, seu eo quia sit prima veritas, quæ non potest falli nec nos fallere. Voluntas verò duplici affectione Deum attingit immediatè, quarum prima est affectio justitiæ, qua per actum amicitiæ tendit in Deum, ut est summum bonum in se, & alia est affectio commodi, quæ per actum concupiscentiæ in Deum tendit, ut est quoddam bonum eliciendi talem actum, & uterque actus potest esse ordinatus, ac habere habitum theologicum inclinantem ad ipsum. Hinc actus spei sunt desiderare, sperare, petere, inniti divino auxilio, & potentiæ.

Contra præceptum spei lethaliter peccant, qui scelerum suorum multitudine, ac gravitate perterriti veniam à Deo consequi desperant; hi enim Cainum fratricidam imitantur, qui voce fraterni sanguinis ad Dominum clamante ait: *major est iniquitas mea, quam ut veniam merear,* & etiam proditorem Judam, qui sanguinem justum cùm tradidisset, se peccâsse confessus est, & aliens laqueo se suspendit, unde Augustinus, 3. *serm.* 352. *inter homilias.* 59. ait: *Judam traditorem non tam scelus, quo commisit, quam indulgentiæ desperatio fecit penitus interire.* Hi etiam peccant contra spei præceptum, qui vehementiam perpendentes pravarum suarum cupiditatum, ac suam ad bene agendum imbecillitatem, superare eam per Dei gratiam desperant, interimque se in omne scelus projiciunt: siquidem de his Apostolus ait *ad Ephes. cap.* 4. *Qui desperantes tradiderunt semetipsi impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis.* De hisce enim actum est, quia quamquam moniti, ut revertantur, & resipiscant, ac vias suas malas deserant easque dirigant ad exercitia virtutum, adhuc perseverant in sua iniquitate, consequenter, respondent Jeremiæ eos admonenti *Jerem.* 18. *Desperavimus post cogitationes enim nostras ibimus, & unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus.* Quinimo peccant etiam contra spem, qui non audent ad æternam gloriam aspirare, eo quia considerent ejus magnitudinem & propriam vilitatem quapropter eos monet Sapiens *Eccles.* 16. *Non dicas, à Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur? in populo magno non agnoscar; quæ est enim anima mea in tam immensa creatura* & ratio est, quia isti divinis promissis etiam juramento firmatis videntur increduli. Peccant itidem contra præceptum spei, qui ad preces ad Deum fundendas sunt desidiosi, spemque objiciunt, & quod obtinere sperant in longum differtur; hi enim non attendentes, quod quædam à Deo non negantur, sed ut congruo magis tempore dentur differri solent moram Dei patienter non ferunt; neque propheram audiunt dicentem: *Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit,* ut loquitur Augustinus *tractat.* 102. *in Joan.* Peccant etiam qui in carne & ab domine magis, quàm in ope divina confidunt, quia ut ait *Jeremias* 18. *Maledictus homo, qui confidit in hominem & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus,* ut sunt, qui magis ex divitiis, quibus affluunt, vel industria, aut amicorum potentia, vel Principum favore, quàm ex Dei providentia, & bonitate sperant futura subsidia hujus vitæ, contra quos loquitur Spiritus S. 1. *ad Timoth.* 6. *Divitibus hujus, sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum, & Isaia,* 1. Væ, qui descendunt *in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes & habentes fiduciam super quadrigis quia multa sunt, & super equitibus quia prævalidi nimis, & non sunt confisi super sanctum Israel, & Dominum non requisierunt,* cujusmodi sunt, qui propriis confisi viribus magis sibimet confidunt, quàm in Deo vel qui confidunt viribus liberi arbitrii se exponunt periculis peccandi, nec curant à Deo auxilium petere, ut mediante suo auxilio eos præservet à lapsu. Quòd si, qui

qui sperat in Deo, beatus est, qui in illo non sperat miser est.

Actus charitatis, quos tenemur elicere ex vi hujus primi præcepti, sunt diligere Deum in toto corde *Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo , & ex tota anima tua, & ex tota mente tua hoc est maximum , & primum mandatum.* Neque dubium esse potest, quin Deus principi hominis facultati, seu voluntati legem præfixerit, ex cujus amore mores cujusque dignosci possint , quia ut ait Augustinus *epist.* 155. *ad Macedonium mores nostri non ex eo, quòd quisque novit, sed ex eo, quòd diligit judicari solent , nec faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amore.* Tenemur igitur Deum ex toto corde diligere non amore concupiscentiæ, quatenus nobis bonus est & beneficus, sed quatenus bonus in se est, & quidem infinitè diligibilis ob infinitam bonitatem , quam in se continet, & charitas hoc modo sumpta est virtus Theologica, reliquis omnibus perfectior, quia est veluti aliarum virtutum anima, quia sine ipsa mortuæ sunt, & cum ipsa vivunt, & suam completam enanciscuntur perfectionem. Actus autem charitatis quidam sunt imperati, quatenus per ipsius charitatis imperium exercentur, ut cùm quis dat eleemosynam pauperi , ut ejus indigentiam sublevet, sed præsertim, ut Deo placeat, eique opus gratum exhibeat. Alii verò sunt actus eliciti , qui illius proprii sunt , & ex ejus formali motivo concipiuntur, & quibus homo fertur erga Deum, ut summe dilectum sive per unionem affectuum idem volendo, quod vult Deus, cujus præcepta , & consilia, & alia quæcunque illi placent , appetendo & exequendo , non alia ratione, nisi ut voluntatem suam divinæ perfectè uniat, & conformet, sive ratione benevolentiæ , quia Deo omnia bona velit, quæ ipsi velle potest scilicet bona intrinseca, & essentialia ipsi Deo per veram, & perfectam in illis complacentiam: bona vero ipsi extrinseca, ut sunt gloria, honor, amor, observantia, & alia Religionis, & reliquarum virtutum officia ipsi Deo tam in se , quàm ab aliis creaturis exhibenda per ardentissimum desiderium , quo hæc omnia non solùm Deo exceptet atque velit, verùm etiam quibuscunque modis potest, adnitatur, ut re ipsa Deo exhibeantur. Hinc D. Bernardus per charitatem in effectu, verum & interiorem, ac supernaturale charitatis actum cum operibus conjunctum intelligit, & per charitatem in affectu amorem eximio quodam lumine splendentem, & abundantia quædam suavitatis circumfluentem explicat & per primum tantùm actum non per secundum primo mandato satisfieri asserit , etenim ab illa , quam vocat charitatem in actu, & affectu, sejungit intentionem directam in Deo , verumque Dei affectum; nec aliam, quàm teneriorem , ardentiorem , ac saniorem amoris affectum excludit , cujus torrente Deus sanctos in cœlesti Patria inebriat , & in statu viæ quosdam sibi charos aliquibus rivulis irrigat , quo feraciores sint in producendis virtutum fructibus ait S. Bernardus 1. *in Cant. Est charitas in actu & in affectu , & de illa quidem quæ operis est , puto datam esse legem hominibus , mandatumque formatum non in affectu quis ita habeat , ut mandatum ? ergo illa mandatur ad meritum , ista ad præmium* , & subdit: *Non hoc dico , ut sine affectione simus , & solas moveamus manus ad opera , legi inter alia, quæ scribit Apostolus, magna, & gravia hominum mala , hoc quoque enumeratum scilicet sine affectione. Sed est affectio, quam caro gignit , & est quam ratio regit , quam condit Sapientia. Prima est, quam Apostolus dicit legi Dei non esse subjectam nec esse potest : Secunda quam perhibet à regione legi Dei consentientem quoniam bona est. Longè verò tertia ab utraque differt, quæ gustat, & sapit , quoniam suavis est Dominus ; primam eliminans secundam remunerans , nam prima quidem dulcis , sed turpis: secunda sicca , sed fortis : ultima pinguis sed & suavis. Igitur per secundam opera fiunt , & in ipsa charitas , sed non illa affectualis quæ sale sapientiæ condita pinguescens , magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini: sed quædam potius actualis , quæ etsi nondum dulci illo amore suaviter reficit , amore tamen ipsius amoris vehementer accendit* : propriè enim est hominibus injunctum mandatum Deum diligendi super omnia, quia præcipimur Deum diligere ex tota anima , ex toto corde, & ex tota mente, quod præceptum non possumus aliter exequi nisi appreciativè amorem in Deum præferamus amori cujusvis creaturæ , & hic amor sistit in actu , quo volumus potiùs millies mori quàm divino amori præferre creaturam, & propter creaturam velle se à Deo summo bono avertere, hinc Dei amor otiosus non est, sed agentis non cessantis, quapropter Augustinus *lib. 3. de doctrin. Christi cap.* 10. ait: *charitatem voco , motum animi ad fruendum Deo propter ipsum , & se atque proximum propter Deum.*

Unde per amorem præcipimur elicere actum vitalem , quia amor est agentis, non otiantis , neque est habitus, sed ejus exercitium, quia præcepta non versantur circa habitus , qui à Deo nobis infunduntur, sed circa actus, seu eorundem habituum exercitia , ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 44 *art.* 11. *ad* 1. ubi ait: *Licet charitas sit una virtus habet tamen duos actus , quorum unus ordinatur ad alium , sicut ad finem* , præcepta autem dantur de actibus virtutum , & ideo oportuit esse plura præcepta charitatis ut eum, ut ait S. Joannes *opere, & veritate diligamus,* scilicet lingua , & manu affectu, & effectu.

Cæterum licèt actus amoris divini à Deo nobis injungatur; non tamen perennitas hujus actus præcipitur , qua cor nostrum semper ad Deum actualiter feratur , adeo ut habitus charitatis sit semper in nobis in exercitio , ac in actu secundo; hæc enim perfectio propria tantùm est Beatorum, qui ab amore in Deum nunquam cessant , in statu autem viæ plura obversantur impedimenta, & objecta hunc jugem amorem interrumpentia. Sufficit enim si passim eliciamus actum amoris in Deum, ut creatorem Redemptorem, & Remuneratorem, adeo ut ad salutem pervenire non possit homo , si nullum divini amoris actum exerceat, ut nos docet Christus *Luc.* 10. ubi Evangelista ait: *Legis peritus surrexit tentans illum & dicens: Magister quid faciendo vitam æternam possidebo*, non petiit , quæ media utilia sint ad assecutionem vitæ æternæ, sed quid necessarium , cui respondit Christus. *In lege quid scriptum est? Quomodo legis,* ille respondit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo , & ex tota anima tua , & ex omnibus viribus tuis , & ex omni mente tua , & proximum tuum sicut te ipsum* , & ipsius responsionem approbavit Dominus inquiens: *Rectè respondisti, hoc fac, & vives.* Quamobrem ex hisce clarè ostenditur necessarium esse actum amoris in Deum , qui appretiativè sit supra omnes creaturas , quibus Deus præferatur, & amans paratus sit omnia potius tormenta , & supplicia sustinere , quàm creaturam ullam Deo proferre, & hoc est Deum diligere ex toto corde, & tota anima

ex omnibus viribus, & ex omni mente, adeo ut, si quis hoc modo Deum non amet, sit Deo mortuus.

Rursus tenemur Deum colere vero & spirituali cultu, & sine actu, & affectu interno amoris verus ille, & Spiritualis cultus non potest Deo exhiberi, *pietas cultus Dei est*, ait Augustinus epist. 140. *nec colitur ille nisi amando*, & in *Psal.* 77. ait: *Hoc colitur quod diligitur. Unde quia Deus rebus omnibus major, & melior invenitur, plus omnibus diligendus est, ut colatur.* adeo ut in quocunque statu, dignitate, & conditione fuerit homo constitutus, tenetur semper Deum diligere: si enim est justus ex gratitudine, tenetur Deum amare ob collatum sibi justitiæ Donum. Si peccator tenetur actum amoris in Deum dirigere, ut gratiam ipsi conferat resipiscendi. Si viator tenetur ob ejus absentiam ex amore eum desiderare, si sit comprehensor, rapitur à fonte illo inexhausto infinitæ bonitatis ad jugem amorem sui, adeo ut ex varietate status varietur & amandi modus, immoto semper manente præcepto amandi, in quocunque statu; hunc enim amoris censum à nobis exigit Deus, non quia nostris ipse indigeat bonis, sed quia nos ipso indigemus vult à nobis amari, ut ipse nos amet; est enim hoc pondus amoris, quod nos non deorsum premit, sed sursum elevat. Hocque præceptum diligendi Deum æquè fœminas obligat, ac viros, quia non attenditur sexuum diversitas, quæ communis est etiam brutis: sed veritatis intelligentia, quæ tantùm Angelis convenit, & hominibus, tam viris, quàm fœminis. Hinc Alexander VIII. die 24. Augusti Anno 1690. ut hæreticam damnavit hanc propositionem: *Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regulis morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis* quia destruit ferè omnia virtutum exercitia; etenim sine hoc præcepto amandi eos, à quibus beneficia suscepimus, filius est inhumanus erga parentem, ingratus erga liberatorem, perduellis erga Legislatorem, contumax erga benefactorem, ait D. Augustinus *lib. III. de doctrina Christiana cap.* 19. *Non præcipit scriptura nisi charitatem: nec culpat nisi cupiditatem; & eo modo informat mores hominum.*

Hinc non semel tantùm in vita, nec tunc tantùm, cùm debet homo justificari; sed sæpius imo & frequentissime tenetur homo actus amoris in Deum elicere. Quòd enim teneatur homo divinum exercere amorem quoties vult se præparare ad justificationem definivit Synodus Tridentina *sess.* 6. *cap.* 6. ubi docet adultos, ad suam justificationem se disponere, *cùm Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt* & *can.* 3. ait: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*: hinc habetur vulgatum illud D. Augustinus *in part.* 19. *Qui noluerit servire charitati, necesse est, ut serviat iniquitati*: Felices qui telo vulnerantur charitatis, quia ad perfectum statum perveniunt sanitatis, ut notat idem D. Augustinus *in Psal.* 38. ubi loquens de charitate, qua fuit sponsa sauciat ait: *Qui hoc vulnere non fuerit vulneratus ad veram sanctitatem non potest pervenire*: Et in *Psal.* 120. ait: *Quia ipsa charitas occidit, quod fuimus, ut simus, quod non eramus, facit in nobis quandam mortem dilectio*, qua morte occupatus Apostolus ajebat *ad Galat.* 6. *Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.* Tenetur etiam homo elicere actum amoris, cùm primum incipit uti ratione, & primitias vitæ rationalis offerre Deo, & ad ipsum se dirigere, ut finem ultimum creaturæ præsertim rationalis, cujus finis est Divinam essentiam intueri, & fontem inexhaustum divinæ bonitatis toto corde, totisque vivibus amare: siquidem rationem, ejusque usum accipit homo, ut sciat discernere, quid sit sibi diligendum, ac Deum diligere, ait S. Fulgentius *lib.* 1. *ad Monimum. Neque enim homini inesse ratio posset, nisi ei posset creatoris inesse dilectio. Quia nec est alia, quæ vera sit sapientia, vel intelligentia creaturæ rationalis, nisi dilectio creatoris.* Tenetur etiam homo actum amoris in Deum elicere, quoties ingens aliquod beneficium ab ipso accipit; quia non caret ingrati animi vitio non redamare eum, qui nos amat, & sua nobis bona impertitur. Rursus debemus actum amoris elicere, quoties Eucharistico epulo spiritualiter reficimur; quia tunc in nobis augetur gratia justificans ob cujus incrementum tenemur impensius Deum diligere; est siquidem Eucharistia pignus singulare amoris, quo Christus *cum dilexisset suos in finem dilexit eos*, & per hanc dilectionem in Christo vivimus, & in eo manemus, & ille in nobis. Præterea tenemur actus amoris in Deum elicere quoties gravi aliqua pulsamur tentatione, & periculum imminet non avertendi à Deo summè bono. Tunc enim ne ab illo sejungamur, debemus firmum non peccandi propositum habere, & Deum enixim rogare, ut suam nobis opem impertiatur, qua tentationem vincamus per actum enim amoris Deo strictius adhæremus, scilicet ut loquitur Apostolus *ad Ephes.* 3. *in charitate radicati, & fundati*; Sic Deum amantibus suam elargitur opem, suam suppeditat gratiam, qua possint impetus tentationum coërcere, & tentationes ipsas compescere, ac vincere, quia ut scribit Apostolus 1. *ad Corinth.* 10. *Fidelis est Deus, qui non patitur vos tentari, supra id, quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Dat enim Deus non solum potentiam, ne vincamur; verùm & gratiam, ut mereamur, & constantiam, ut triumphemus.

Præterea tenemur actum amoris elicere, quoties obligamur Deum peculiariter colere, in fusu precum, in adoratione venerabilis, in sacrificio missæ, adeò ut si in peccato existimus, proponamus ab illo resurgere; & ad emergendum à cœno vitiorum tenemur à Deo gratiam exposcere, eumque ex corde rogare, & non tantùm exterioribus labiis; quia ut ait Christus *Marci* 7. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me*, adeo ut ipsis conveniat, quod ait David *Psal.* 77. *dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua, mentiti sunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo*, & hos Christus asserit non esse veros amatores & adoratores *Joan.* 4. *quia veri adoratores sunt, qui adorant in Spiritu, & veritate*; siquidem ad adoratinem in Spiritu, & veritate requiritur, ut in mente adorantis non sit alia imago, in quam tendat noster affectus, secundò ut quod verbis, & ceremoniis externis exprimitur, internis animi verè respondeat affectibus, & motibus, quapropter ille non est verus adorator, quamvis videatur esse precator qui adhuc perseverat in affectu peccati, hic enim non adorat Deum in veritate, quamvis Deum Patrem suum audeat in vocare in oratione dominicali: *Pater noster qui es in cœlis sanctificetur nomen tuum.* Neque exanimo optat frui DEO in cœlesti patria, neque fervens amore, sed & frigidus tepescens dicit *adveniat regnum tuum*, neque propriam voluntatem divinæ contumacem, & rebellem, neque prava desideria coercet, & rectificat, sed mentitur,

titur cum ait: *fiat voluntas sua sicut in cælo, & in terra*, ut etiam falsum asserit, cùm semel tantùm in anno Eucharistico pane refectus ait: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* quod falsò petit, quia fastidiens verbum Dei non curat Christi corpore refici quotidiè, imò neque singulis mensibus, sed vix semel in anno. Et odio lividus, & vindictæ desiderio exæstuans in proximum ait: *Dimitte nobis debita nostra, sicut nos dimittimus debitoribus nostris*; ut etiam cùm tentationibus pulsatus eisdem assentitur, & nihilominus profert verba illa: *Et ne nos inducas in tentationem*, ut etiam quærens occasiones peccandi Deum rogat, ut à malo, & peccato eum avertat, *sed libera nos à malo*, hoc enim perinde est, ac labiis externis tantùm Deum honorare, cùm cor interius longè sit à Deo quotquot hoc pacto preces suas fundunt, hi diligunt quidem Deum in ore, sed illi mentiuntur corde, & mente. Rursus actum amoris elicimus quoties à protervis hominibus audimus Deum blasphemiis impeti, sacrilegiis contemni, & aliis sceleribus offendi, quo pacto David zelo, Dei incensus eò quia peccatores, & inimici sui divinæ legis obliti in scelera proruerunt, *Psal.* 118. *Tabescere me facit zelus meus quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

Tenemur etiam actum amoris elicere in mortis articulo constituti, ut etiam quoties periculum imminet ultimi discriminis, quà tunc eniti debemus totis viribus, ut ad Deum per veram pænitentiam convertamur. Etenim nullus debet sine vera pænitentia ex hac vita migrare, & pænitentiam certam non facit, ut loquitur D. Augustinus, nisi odium peccati, & amor Dei, imò tunc tenetur acturus animam toto nisu, toto corde majorem in se charitatem excitare, & ferventius Deo adhærere, eique uniri, quia quemadmodum quilibet motus dicitur prope suum finem esse felicior, quo pacto corpora gravia, quo sunt suo centro propiora, eè majori propensione, ac impetu in illud feruntur, qua de causa cùm anima tendat ad Deum, ut suum finem ultimum, in quo æternum quiescat, debet in vitæ extremo velociùs in Deum ferri per actus amoris, quibus firmus eidem adhærescat. Hinc ajebat Apostolus *ad Roman.* 14. *Sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur Domino morimur, sive ergo vivimus, sive morimur Domini sumus.* Demum non solùm in vitæ extremo, sed etiam per totum mortalis vitæ decursum tenemur frequenter mentem nostram in DEUM summè bonum dirigere, eumque toto corde diligere, ut nobis injungit DEUS ipse *Deuter.* 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & tota fortitudine etua, runtque verba hac, qua ego pracipio tibi hodie in corde tuo. & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua. & ambulans in itinere, & dormiens atque consurgens. Et ligabis ea, quasi signum in manu tua, eruntque. & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, at ostiis domus tua.* Unde debemus continuo amore ferri in Deum, nec debet hanc tendentiam interrumpere sedentis quies, neque dormientis sopor; si enim mens nostra, ita per verum amorem Deo adhæreat, si hunc voluntariè non interrumpit per inordinatam adhæsionem ad creaturam, sive sedeat, sive comedat, sive dormiat, semper Deum dicitur amare, quia virtualiter actus præcedens amoris, cùm non fuerit interruptus perseveret, ait D. Augustinus *præfat. in Ps.* 31. *Non potest vacare amor in anima amantis*, & *lib.* 14. *de civit. Dei cap.* 28. describens amorem sui, & amorem Dei, utriusque proprietates recensit, quia illi solet homo Babylonem ædificare, huic verò cælestem Jerusalem; illi gloriari in se ipso, huic gloriari in Domino; illi tribuitur se ipsum exaltare, huic Deum suum glorificare, ait Augustinus *Fecerunt civitates duas amores duo terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, & calestem amor Dei usque ad contemtum sui. Denique illa in se ipsa, hac in Domino gloriatur: illa quarit ab hominibus gloriam, huic Deus conscientia testis maxima est gloria: illa in gloria sua exaltat caput suum; hac dicit Deo suo gloria mea, & exaltans caput meum. Illa in principibus ejus vel in eis, quas subjugat, Nationibus dominandi libidine dominatur, in hac serviunt invicem in charitate & Prapositi consulendo, & subditi obtemperando; illa in suis potentibus diligit virtutem suam, hac dicit Deo suo diligam te Domine virtus mea.* Hinc toto vitæ tempore totis viribus tenemur eniti ut in Christiana justicia crescamus & de virtute procedere in virtutem donec Deum videamus facie ad faciem in monte Sion cælestis patriæ, & hoc est, quod D. Petrus *epist.* 2. *cap.* 3. nobis suadet cùm ait: *Crescite in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi*; & hoc incrementum in studio virtutum non aliter fit, quam per frequentes Charitatis actus, quia ut ait Augustinus *l. de natur. & grat. cap. ult. Charitas inchoata est inchoata justitia; charitas provecta est provecta justitia, charitas magna, magna justitia est, Charitas perfecta justitia est perfecta: sed charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta; qua tunc maxima est in hac vita, quando pro illa ipsa contenditur vita: sed minor si non habet quo crescat: cum de mortali excesserit vita.* Hunc itidem profectum in virtutum exercitiis docet Synodus Tridentina *cap.* 10. inquiens: *Sic ergo justificati, & amici Dei facti euntes de virtute in virtutem renovantur (ut ait Apostolus) de die in diem hoc est mortificando membra carnis sua, & exhibendo ea arma justitia in sanctificationem per observationem mandatorum Dei, & ecclesia. In ipsa justitia per Christi gratiam accepta cooperante fide, bonis operibus crescunt & magis justificantur, sicut scriptum est qui justus est justificetur adhuc; & iterum, ne verearis usque ad mortem justificari. & rursus videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum. Hoc verò justitia incrementum petit sancta ecclesia cùm orat: Da nobis Domine fidei, spei, & charitatis augmentum.* Hinc quia tenemur semper per actus amoris in Deum proficere in studiis virtutum, & incremento pietatis Innocentius XI. has damnavit propositiones, quæ à frequentia amoris in Deum homines distrahebant, quarum prima erat, *an peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Secunda *probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquennis per se obligare praceptum charitatis erga Deum.* Tertia *ut solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.* Imò & consequenter damnatur hæc alia propositio, qua dicitur *praceptum amoris Dei per se tantùm obligare in articulo mortis.*

Quia verò signum veræ dilectionis est operis exhibitio sine observantia divinorum præceptorum non potest quis Deum diligere, unde fuit error, imò & hæresis Michaelis Molinas, qui larva falsæ perfectionis horrendum monstrum tegere satagebat, fere omnium vitiorum in invecta sua per Italiam Quietistarum Secta, cujus ipse fuit Author, cujus propterea

Sectatores voluptatum magis, quàm Dei amatores sub specie pietatis cloacam tegebant totius iniquitatis, edocebat suos Asseclas, dummo do quis ad gradum contemplationis pervenerit, quo in Deo plene quiescat, tametsi nullum internæ potentiæ actum eliciat, curare non debet observantiam mandatorum Dei, & ecclesiæ, neque Sacramentorũ frequentiam, nec usum imaginum, & indulgentiarum, nec pugnam contra tentationes, neque recitationem divini officii, nec orationem ullam vocalem, imò nec mentalem, eò quia hæc vilescat, si conferatur cum illa contemplatione, ut ajebat Molinas, qua quis plenè quiescit in Deo per præcedentem actum fidei. Imò neque debet curare jejunia, neque reliquas carnis mortificationes, quia quiescere beneficio hujus contemplationis est longè quid perfectius, quæ quies interrumpi non debet per expulsionem pravarum cogitationum, neque per pugnam ad vincendas tentationes, quæ mentem pulsant, & ad inhonesta animum trahunt. Hac enim falsa doctrina deceptæ fuerunt plures mulierculæ, quæ peccatis onustæ se credebant summum attigisse perfectionis apicem delusæ eò quia contemplationem veram arbitratæ fuerint fuisse assecutas, quam hæresim damnavit Innocentius XI. & ecclesia universa fuit execrata, eò quia verus amor Dei in non sit, qui Dei mandata non servat dicente Christo: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*, & Joannes *epist. 1. cap. 2.* ait: *Qui dicit se nosce eum, & mandata, ejus non custodit mendax est, & in hoc veritas non est. Qui autem servat verbum ejus verè in hoc charitas Dei perfecta est, & in hoc scimus, quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare*, ait ipse D. Gregorius *homil. 30. in evangel. Probatio dilectionis exhibitio est operis*, & quia hæc contemplatio sita in sola mentis quiete omnem excludebat actum, non potuit probatio esse amoris, cum operis respueret exhibitionem; non enim debet quis sibi blandiri, quòd Deum amet, & quòd gradum amoris unitivi fuerit assecutus, ac propterea quod sibi sufficiat hoc pacto Deum amare, quia is sine dubio sibi illudit, ac decipitur, eò quia hæc contemplatio est, qua quis neque sanctitatem veram secum trahebat, neque peccata excludebat, cum dicat Joan. *epist. 1. cap. 1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra & fidelis est justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Quòd si qui peccato inficitur debet pænitentiam agere, ac ecclesiæ sacramentis se purgare, ac corroborare, neque debet cultum sacrarum imaginum, & indulgentias negligere: siquidem earum usus excitant ad pietatem, & ad virtutum exercitia pugna itidem contra tentationes necessaria est, ut dæmonum assultus compescamus pravas suggestiones coerceamus & dæmonem ipsum vincamus, alioquin concupiscentiis nostris abstracti, & illecti facilius in peccatum prolabimur, & à terrenis voluptatibus prosternimur, & à mundo blandiente, & fallente facile superamur non dormire debet miles Christianus, sed vigilare, non quiescere, sed orare, non otiari, sed laborare, dicente Christo *Matth. 26. Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Apostolus ipse cùm urgeretur carnis stimulis, ac dæmonis pulsaretur tentationibus, non neglexit hos stimulos coercere, neque de suo in Deum amore securus quiescebat, sed enixim supplex Deum rogavit, ut suam ipsi gratiam vellet impertiri, cujus beneficio corroboratus Dæmonis posset assultui obsistere, & carnis concupiscentias coërcere *ad Roman. 7.* ait. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati quæ est in membris meis. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum Nostrum.* Hanc gratiam autem non imploramus otio marcescentes, Dei auxilium non obtinemus quiescentes, sed orationum fusa, & bonis operibus; quibus satagimus concupiscentiis carnis obsistere, ait enim Apostolus *ad Roman. 8. Ergo fratres debitores sumus non carni ut secundùm carnem vivamus, si enim secundum carnem vixeritis moriemini si autem spiritu facta carnis mortificaveritis vivetis.* & *cap. 13.* Cum docuisset legis plenitudinum, & observantiam esse dilectionem subjungit: *Abjiciamus ergo opera tenebrarum & induamus arma lucis sicut in die honestè ambulemus; non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, sed induimini Dominum JEsum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.*

Sectarii autem, qui Quietistæ dicebantur, ab impudicitiis, ebrietatibus, & comessationibus non se abstinuerunt, carnis concupiscentiis indulserunt, pravas cogitationes excutere non curârunt, permittentes sensui actus suos rationi rebelles exercere sub prætexta, quod pars superior, seu mens per contemplationem quiesceret in DEO, eò quia isufficeret, si mens imperturbata perseveret; perinde ac in aere duæ dantur Regiones altera superior, ad quam terreni non pertingunt vapores, neque ubi illam nubes fædant, neque venti sunt ei molestiæ, neque fulmina, fulgura, & tonittrua minas spargunt, nec cædes, & altera est regio inferior, in qua terrenæ evaporationes una congeruntur, & condensantur in nubes, in quibus veluti in officina cuduntur fulmina, spissantur grandines, liquescunt pluviæ obmurmurant tonitrua, cædes spargunt fulmina, & omnia sus de que vertuntur; perinde ajebant duas in homine dari portiones superior una, quam asserebant beneficio contemplationis, & unionis in Deum semper Dei gratiâ splendescere, immotam manere in sua tranquillitate, & non posse cogitationibus carnis; concupiscentiis ac voluptatibus fædari, eò quia ad illam non pertingant, ac esse veluti evaporationes, quæ tantum in appetitu inferiori detinentur, hinc inferebant, quòd tametsi caro concupiscat contra Spiritum, suos excitet stimulos ad voluptates illicitas, & inhonestas; non esse opus ut pars superior iisdem obsistat, neque stimulos illos coerceat, eò quia non debeat à sua contemplatione, ac adhæsione in Deo se abstrahere, ut hisce motibus carnis resistat, quod repugnat sacris scripturis, & D. Paulo, qui cùm infestus esset hisce stimulis Dominum rogavit ut vellet vires, & auxilia sibi suppeditare, quibus posset eos coërcere *Datus est mihi stimulus carnis* ajebat ipse, *Angelus Sathanæ qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogavi ut discederet à me, & dixit mihi sufficit tibi gratia mea* Neque ut hanc acciperet Dei gratiam quiescebat otiosus, sed agebat laboriosus, & alios hortabatur ne in vacuum eandem reciperent. *2. ad Corinth. 6. Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis in omnibus exhibeamus nosmet ipsos sicut Dei Ministros in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in longanimitate in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate, non ficta in verbo veritatis, in virtute Dei per arma justitiæ à dextris, & à sinistris.* Non quiescebat otiosus; cùm caro concupisceret contra Spiritum; non dormiebat desidiosus, sed vigi-

vigilabat laboriosus, jejunabat preces fundebat, & Deum rogabat, ut ipsi vires suppeditaret ad pugnam contra Sathanæ assultus, contra carnis tentationes.

Neque Sectarii Quietistæ verum eliceruntamoris actum in Deum, quamvis in sua larvata perseverarent quiete; siquidem otiosus non est Dei amor, sed actuosus, non quiescit, cùm caro insurgit adversus spiritum, sed contra ejus stimulos generosè pugnat, & carnem coercet mortificationibus, enervat jejuniis; alioquin inane, & vacuum est nomen amoris, quo quis gloriatur, qui ab exercitiis aliarum virtutum abstinet, nec Deum amat, qui crucem, & mortificationem Christi non amat, qui enim Christi verus est discipulus, se ipsum abnegat, tollit crucem suam, & Magistrum suum sequitur, intrat per angustam portam, & arctam viam perambulat, cum sciat hanc solam ducere ad vitam, & carnem suam crucifigit cum vitiis, & concupiscentiis. Neque huic Sectæ suffragatur Apostolus, cum ait: plenitudinem legis esse solam dilectionem, quia non est illa dilectio, cui adhæserunt Sectarii, quia hæc umbratilis tantùm, & larva fuit dilectionis, & non vera dilectio, neque plenitudo legis in eo impletur quod inerti ac desidioso amore prosequatur ejus observantiam, quæ potius transgressio est eò quia nulla bona opera nullosque reliquarum virtutum exerceat actus. Dilectio igitur ut sit plenitudo legis imperat reliquarum virtutum bona opera, promovet earundem exercitia, & se ad Deum ut finem ultimum per bona opera dirigit; neque potest concipi, quòd Deus ex toto corde, ex tota anima, & in totis viribus diligatur, & tamen nihil agere, nihil pati propter Deum cupiat, qui enim sic diligit, se ipsum potius amat, suis indulget concupiscentiis, & sibi potiùs eblanditur, quàm Deum diligat.

Præter Dei dilectionem hoc primo præcepto tenemur etiam proximum diligere, sicut nos ipsos: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, hoc est maximum, & primum mandatum, secundum autem simile est huic; Diliges proximum tuum sicut te ipsum: In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ*; & hoc Christi mandatum refertur *Matth.* 22. & *Marc.* 12. ubi & scriba, qui ipsum interrogaverat, respondet: *Diligere proximum tanquam se ipsum majus est omnibus holocaustomatibus, & sacrificiis*; & *Luc.* 10. Christus Legis perito duplex hoc præceptum recenseri respondit: *Hoc fac, & vives*; hinc Apostolus *ad Rom.* 13. *Qui diligit proximum legem implevit, non adulteraberis, non mæchaberis, non furtum facies, & si est aliud mandatum in hoc verbo restauratur, diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Est dilectio actus voluntatis, seu pondus cordis, & hunc actum interiorem præcipit Deus, cùm jubet proximum à nobis diligi, quinimò tenemur proximum diligere, ac Deus nos dilexit, scilicet in charitate perpetua ante constitutionem mundi ab æterno, & licèt nos ab æterno non fuerimus, ab initio, cùm cœpimus esse tenemur Deum diligere usque ad finem in quo sensu diligimur proximum diligere ea charitate, qua Deus dilexit nos, rursus tenemur proximum diligere ea charitate, qua in Deo manemus, & Deus in nobis, & quæ fraternum odium excludat, & quidem non actu tantùm exteriori, sed etiam interno, adeo ut Innocentius XI. merito condemnaverit in morali theologia has duas propositiones: *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali*; & hanc aliam: *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos*; siquidem actus externi possunt imperari etiam à vitiis, ut à superbia, & hypocrisi possunt imperari externa devotio, & eleemosyna in publico suppeditata pauperibus. Rursus hoc præceptum de diligendo proximo non adimplet, nisi qui proximum conatur ad Deum adducere, ipsique æternà bona procurare, & omnia auxilia illi præbere, quibus faciliùs æternam consequatur salutem; quia Christus *Joan.* 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*; Christus autem nos dilexit, non ut nos traheret ad mundi delicias, vel ad congerendas opes, vel ad appetendas dignitates sæculares, sed nos dilexit, ut justi essemus, & cum ipso regnaremus, ut Deus viveret, ac regnaret in nobis; dilexit enim nos, non amore otioso, sed affectu actuoso, qui ipsum perpetuò incitabat, ut preces funderet, moneret, prædicaret, miracula perpetraret, adversa toleraret, ut nostram operaretur salutem; hinc ad imitationem Christi debemus proximum diligere, eo amore, quo reddamur soliciti procurandi omni studio æternam salutem proximo, & ut omnia impedimenta quæ possent ipsi objici, removeamus.

Hoc amore discernuntur Discipuli Christi ab illis Philosophorum, & Sapientum hujus mundi, qui se invicem diligentes bona tantùm sibi procurant fluxa, temporalia, ac brevi peritura. Charitas enim, qua tenemur proximum diligere, ut ait Apostolus 1. *ad Corinth.* 13. *Patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum; non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*; siquidem charitas, qua proximum diligimus, in ferendis ejus defectibus *patiens est*, & ut illum Christo lucretur, ac viam salutis ei præmonstret, *benigna est*, proinde ejus prosperitati, profectui & exercitio virtutum non invidet, *non æmulatur*, ne sit illi impedimento in eadem via salutis, *non agit perperam*; ne illum habeat contemptui ob proprias dotes, & bona sive animæ sive corporis, sive fortunæ, *non inflatur, non est ambitiosa*, ut aliis dominetur, sed humilis ut piè obsequatur, neque aliorum divitiis inhiat, *non quærit quæ sua sunt*, quinimò injuriis lacessita, *non irritatur*, ut vindictam exigat, & si malè operantem punit, ejus tantùm peroptat bonum, *non ejus excogitat malum*; aliena peccata luget, ut resipiscant, *non gaudet super eorum iniquitate*, sed virtutibus favet, *& congaudet veritati*, ac demum *omnia suffert*, propter æternam salutem, *omnia credit*, propter revelationem primæ veritatis, quæ non potest falli, nec nos fallere, *omnia sperat*, ob fiduciam quam habet in fidelitate, & omnipotentia pollicentis; *omnia sustinet*, pro æterno præmio in cœlis accipiendo. Hinc Charitas nunquam excidit hisce innixa fundamentis, & major est fide, & spe, ut testatur Apostolus: *Major autem horum est charitas.*

Ex hoc igitur præcepto officia oriuntur humanæ societatis, quâ homines ad invicem sibi benevoli sunt, scilicet nulla malitia, nullo malo dolo contra se utuntur, quia ut ait Apostolus: *Dilectio proximi malum non operatur*, dupliciter enim possumus in hominem peccare: primò si lædatur, & non adjuvetur cùm possumus. Secundò ut proximo benefaciamus, sive secundùm corpus, sive secundùm animam, hæcque beneficentia prout respicit corpus medicina dicitur, & ut animam disciplina; nomine medicinæ intelligitur quidquid corporis curet, vel instauret salutem, quapropter non solum morborum remedia, sive ministeria, quæ exhibentur infirmis

sive etiam cibi, & potus & alia, quæ commodo corporis inserviunt exercemus. Disciplina animum respicit, ac bipartitur in coercitionem, & instructionem; illa timore, hæc amore perficitur. Hanc disciplinam in utroque testamento nos edocuit Deus, ut eam exerceremus scilicet in veteri per timorem, qui prævaluit, & in novo per amorem, qui fortior est. Igitur qui proximum diligit, agitque quantum potest, ut salvus corpore, & animo sit hoc præceptum adimplet, sed cura corporis ad animi sanitatem referri debet. Hinc Augustinus *Tractat. 65.* expendens verba illa: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*, vocat mandatum novum, quamvis antiqua lege datum sit, *Levit.* 19. quia exuto vetere induit nos hominem novum, subjungit autem Christus, *sicut dilexi vos*, ut dilectionem illam à carnali dilectione distingueret, ait Augustinus: *Dilectio ista nos innovat, ut simus homines novi, hæredes testamenti novi Cantatores Cantici novi. Hæc dilectio antiquos justos Patriarchas, & Prophetas, sicut postea beatos Apostolos innovavit. Ipse & nunc innovat gentes, & ex universo humano genere, quod infunditur toto orbe terrarum facit, & colligit populum novum corpus nova nuptæ filii Dei Unigeniti sponsæ propter quod invicem sollicita sunt membra, in ea, & si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; & si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra. Audiunt enim atque custodiunt: mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis.*

Quomodo autem teneamur proximum diligere sicut nos ipsos diligimus explicat D. Thomas 2. 2. *quæst. 44. art. 7.* quia potest quis proximum diligere sicut se ipsum tripliciter. Primò ex parte finis, ut proximum diligat propter Deum, sicut se ipsum propter Deum diligere debet, *ut sit dilectio proximi sancta.* Secundò ex parte regulæ dilectionis, ut scilicet aliquis proximo non condescendat in aliquo malo, sed solùm in bonis, sicut & suæ voluntati satisfacere debet tantùm in bonis conducentibus ad Deum, *ut sit dilectio proximi justa.* Tertiò ex parte rationis dilectionis, ut non diligat proximum propter utilitatem vel delectationem propriam, sed propter ejus bonum scilicet, *ut sit dilectio proximi vera.* Cæterum officium dilectionis erga proximum est ejus infirmitatibus compati, quia ut ait Apostolus *ad Galat. cap. 6. Alter alterius onera portate, & sic adimplebit legem Christi.* Hinc non licèt de vita, & prosperitate proximi tristari, neque de detrimento, ac morte illius gaudere; ille enim sicut se ipsum non diligit, qui de malo proximi lætatur, quia si hoc malum eidem contingeret, non gauderet, consequenter non diligit proximum sicut se ipsum, ait Augustinus *lib. de vera Religione cap. 46.* Ea est regula dilectionis, ut quæ sibi vult bona provenire, & illi velit, & quæ accidere sibi mala non vult, & illi nolit. Hanc voluntatem erga omnes homines servant. Nam erga neminem operandum est malum. Et dilectio proximi malum non operatur, hinc damnata fuit propositio, quæ ordine est decima tertia: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari & de illius morte naturali gaudere, illam in efficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

In dilectione tamen servandus est ordo, quia ut ait Cœlestis Sponsus suæ sponsæ *Cantic. 2. Ordinavit in me charitatem.* Cujus ordo est, ut Deus præ omnibus diligatur, deinde nos ipsos secundùm Deum postea proximum, cujus salus animæ præferenda est sanitati corporis, & charior nobis sit. In proximo autem præferendi sunt parentes, & consanguinei, quibus magis debemus subvenire, in his, quæ pertinent ad naturam, seu in provisione necessariorum, postea benefactores, amici, & denique omnes homines, etiam inimici, ut egregiè ostendit D. Augustinus *lib. 1. de doctrin. Christian. cap. 27.* ubi ait: *Ille autem justè, & sanctè vivit, qui rerum integer æstimator est; ipse est autem, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat, quod non est diligendum, aut non diligat, quod est diligendum, aut non amplius diligat, quod minus est diligendum, aut æquè diligat, quod vel minus vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius quod æquè diligendum est. Omnis peccator, in quantum peccator est, non est diligendus, sed in quantum homo; omnis homo diligendus est propter Deum, & Deus propter se ipsum. Et si Deus omni homine amplius diligendus est, amplius quisque debet Deum diligere quàm se ipsum. Item amplius alius homo diligendus est, quàm corpus nostrum; quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus; quia corpus per animam vivit, qua fruimur Deo. Omnes autem æquè diligendi sunt; sed cum omnibus prodesse non possis, iis potissimum consulendum est, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictiùs tibi quasi quadam sorte junguntur; sicut enim si tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei, qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel aliqua necessitudine superaret, nihil justius faceres, quam ut sorte legeres cui dandum esset, quod dari utrique non posset; sic in hominibus quibus omnibus consulere nequeas pro sorte habendum est, prout quisque tibi temporaliter colligatius adhærere potuerit.* Hinc tenetur quisque proximo suo patienti spiritualem necessitatem extremam succurrere, eumque juvare etiam cum certo mortis periculo, si spes affulgeat, ut illi possit esse alicui emolumento, quia Christus jubet, ut diligamus invicem sicut ipse dilexit nos, & quia Christus vitam suam posuit pro nobis, quando fuimus in extrema necessitate spirituali constituti, ait enim sanctus Joannes epist. 1. cap. 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei quoniam ille animam suam pro nobis posuit & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Cum igitur teneamur proximum diligere sicut Christus dilexit nos sequitur teneri nos in extrema spirituali necessitate proximo subvenire, unde quoties noverimus proximum in extrema constitutum necessitate spirituali ac proximè æternum periturum, tenemur tunc auxiliares manus illi porrigere ut à periculo, quod illi imminet, eruatur, resipiscat, & mediante divina gratia ad viam salutis perducatur. Hinc Episcopi & Pastores tenentur etiam cum vitæ propriæ periculo suis succurrere ovibus extremam spiritualem necessitatem patientibus, quia tenentur ex officio eas pascere sacramentis, & verbo Dei, ut ait Christus Joan. 10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, videt lupum venientem & dimittit oves, & fugit*, imò is etiam lethaliter peccat contra hoc præceptum de diligendo proximo, qui inimicos suos odio habet, quia nomine proximi intelligitur quilibet homo, sive nobis amicitia devinctus sive inimicitia sejunctus; siquidem Christus legis perito quærenti, quisnam suus esset proximus ei explicuit Luc. 10. per parabolam hominis qui descendens ab Jerusalem in Jericho incidit in Latrones; & ne quis hac de re posset ulterius dubitare præceptum etiam injunxit de inimicorum dilectione Matth. 5. *Audistis, quia dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros,*

*bene-*

*benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos; & pluit super justos, & injustos; si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne Publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantùm quid amplius facitis? nonne & Ethnici id faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Unde Deus infinitæ authoritatis, & habens supremum, totale, ac despoticum Dominium in omnes creaturas nobis præcipit inimicos diligere, *ego autem dico vobis diligite inimicos vestros*, cui propterea tenemur obsequi, quia ipse est noster Legislator, Salvator noster, Canditor noster, Redemptor & Sanctificator noster, hæcque causa cur S. Joannes in epist. sua quam ad suos direxit Discipulos frequentissimus sit in commendanda fraterna charitate, & de inimicorum dilectione taceat, cùm Christus jubeat nos inimicos diligere, quia in eo quod quis fratrem diligit, inimicum etiam diligit, qui frater est, ut notat D. Augustinus in Tract. 8. in epist. S. Joan. ubi ait: *In eo etiam quod diligitis inimicos, quo fratres diligitis quaro quare diligas inimicum; quare illum diligis? ut sanus sit in hac vita? quid si non illi expetit? ut dives sit? quid si ipsis divitiis excacabitur? ut uxorem ducat? quid si amaram vitam inde patietur? ut filios habeat? quid si mali erunt? incerta sunt ergo ista, qua videris optare inimico tuo, quia diligis eum. Opta illi ut habeat vitam æternam; opta illi ut sit frater tuus, si ergo hoc optas si eum diligis inimicum ut sit frater tuus; cum eum diligis fratrem diligis.* Quamobrem tenemur ex vi primi præcepti decalogi fratres & proximos diligere, unde Tertullianus Apologet. cap. 29. alloquens Paganos ait: *Fratres etiam vestri sumus jure natura matris unius, & si vos parum homines, quia mali fratres, at quanto dignius fratres & dicuntur, & habentur qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum in spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem ad unam lucem expaverunt veritatis?* & postea subdit: *Christianus nullius est hostis*, & hæc propria fuit Christianorum nota apud Paganos admirantes quomodo Christiani se vicissim adamarent dicentes: Videte ut invicem se diligant, & ut pro *alterutro mori sint parati*, cui consonat Minutius Felix in Octavio inquiens: *Sic nos non notaculo corporis ut putatis, sed innocentiæ, ac modestiæ signo facilè dignoscimus. Sic mutuo quod doletis amore diligimus, quoniam odisse non novimus; sic nos quod invidetis fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei cohæredes. Vos enim cùm invicem agnoscitis & in mutua odia sævitis, nec vos fratres nisi sane ad parricidium recognoscitis.* Hinc eadem beneficia, & signa dilectionis, quæ amicis speciatim exhibemus non tenemur tamen inimicis exhibere nisi secundùm præparationem animi extra gravis spiritualis necessitatis periculum, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 28. art. 8. Ubi ait: *Dilectionem inimicorum posse tripliciter considerarii uno quidem modo, ut inimici diligantur, in quantum sunt inimici; & hoc est perversum, & repugnans charitati, alio modo potest accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam, & in universali, & hoc pacto dilectio inimicorum est de necessitate charitatis; ut aliquis diligens Deum, & proximum ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat. Tertio modo potest considerari dilectio inimicorum in speciali, ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum, & istud non est de necessitate charitatis absolute, quia nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter est de necessitate charitatis, quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate charitatis secundùm præparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret. Sed quod absque articulo necessitatis homo etiam hoc actu impleat, ut diligat inimicum propter Deum hoc pertinet ad perfectionem charitatis.* Hinc signa illa benevolentiæ, & dilectionis quæ quis exhibet particulariter aliquibus personis, non est de necessitate salutis eadem exhibere inimicis nisi secundùm præparationem animi, ut explicat idem D. Thomas; scilicet obligamur subvenire etiam inimicis in articulo necessitatis juxta illud Proverb. 24. Si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitit, potum da illi, atqui extra articulum necessitatis hujusmodi beneficia exhibere inimicis pertinet ad perfectionem charitatis per quam aliquis non solùm cavet, vinci à malo, quod necessitatis est, sed etiam vult in bono vincere malum, quod est perfectionis. Cæterum cùm teneamur inimicos diligere, eisque quibusdam in casibus benefacere, tenemur etiam in necessitate specialia beneficia, vel signa dilectionis eisdem exhibere, hæc enim interna dilectio ostendenda est per actus externos, præsertim articulo necessitatis juxta illud Proverb. 25. *Si esurierit inimicus tuus ciba illum*, & illud Exodi 23. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti reduc ad eum. Si videris asinum odientis te jacere sub onere non pertransibis, sed sublevabis eum* eo; & hoc pertinet etiam ad præceptum Christi: *Diligite inimicos vestros, bene facite his, qui oderunt vos*, & per articulum necessitatis intelligimus non solùm quando proximus extremè indiget in corpore vel etiam spiritu, tunc enim etiam cum gravi periculo vitæ ex charitate tenemur illi succurrere præsertim si verisimiliter speremus fore, ut possit resipiscere, & salutem consequi. Ut etiam si metuatur sequuturum scandalum, nisi particularia signa benevolentiæ exhibeamus. Hinc tenemur cavere à malo, quod facile potest contingere in aliquibus circumstantiis, nisi salutatione, colloquio, & specialibus orationibus vincamus in bono malum, ut nos jubet Apostolus ad Rom. 12. scribens: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*, exemplo Davidis, qui cum infestos experiretur inimicos ad Deum fusu precum confugit, inquiens: *Contristatus sum in exercitatione mea & conturbatus à voce inimici, & à tribulatione peccatoris; Exaudi Deus deprecationem meam, intende mihi, & exaudi me;* quæ verba expendens S. Augustinus enarrat. in Psalm 54. ait: *Cum aliquid tale patitur Christianus, non debet facile velut odio ire in eum à quo patitur, & velle ventum vincere; sed convertere se ad orationem ne amittat dilectionem.*

CAP.

# CAP. XII.

## Quot modis peccetur contra primum Decalogi præceptum.

Diximus primum Decalogi præceptum esse partim affirmativum, & partim negativum, & quà affirmativum varios continere actus virtutum, & specialiter religionis, quibus debitus cultus Deo exhibetur, & quos elicere propterea tenemur, ut Deo debitum persolvamus obsequium; hos actus Catechismus reducit ad virtutes Theologicas, seu ad actus fidei, spei, & charitatis, quo sensu ait D. Augustinus in Enchirid. cap. 3. *Fide, spe, & charitate Deum esse colendum;* hisce tribus D. Thomas addit quartam, quæ dicitur religio, quæ tamen ad tres theologales reducitur. Quia verò quodlibet præceptum affirmativum, includit aliud negativum prohibens oppositum; ideo eodem præcepto quo præcipiuntur virtutes, prohibentur vitia opposita; quapropter uno eodemque præcepto, quo præcipiuntur actus virtutum Theologicarum, prohibentur etiam actus vitiorum oppositorum. Hinc contra hoc primum præceptum peccant quotquot idololatriam profitentur, vel Judaismum; ut etiam omnes qui à fide Catholica recedentes per apostasiam in hæresim labuntur, & hæreticorum falsis dogmatibus ab ecclesia damnatis pertinaciter adhærent. Qui hæreticis in causa hæresis favent, eosque in eadem causa fovent, ac protegunt. Qui cum iisdem temerè disputant de fide, eorum libros legunt, ac eorum intersunt concionibus, ut ab iisdem edoceantur quid credere debeant. Qui de fidei articulis dubitant; & de iisdem cum hæreticis disputant, ut veritatem apprehendant; ait D. Thomas 2. 2. quæst. 10. artic. 7. *Ex parte disputantis est consideranda intentio, si enim disputet tanquam de fide dubitans, & veritatem fidei pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens procul dubio peccat, tanquam dubius de fide, & infidelis, sin autem dubitet aliquis de fide ad confutandum errores, vel etiam ad exercitium, laudabile est.* Et in responsione ad 3. ait: *Non debet disputari de his, quæ sunt fidei, quasi de eis dubitando; sed propter veritatem manifestandam, erroresque confutandos; oportet enim ad fidei confirmationem aliquando cum infidelibus disputare; quandoquidem defendendo fidem secundùm illud, 1. Petr. 3. parati semper sumus ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ est in nobis spe, & fide, quandoque autem ad vincendos errores secundùm illud ad Tit. 1. Ut si potens exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere.* Laicis tamen prohibetur publicè, vel privatim de fide catholica disputare sub pœna excommunicationis, idem prohibuit Alexander IV. & habetur *cap. quicunque tit. de Hæretic. in 6.* Hæc tamen excommunicatio non est latæ sententiæ, sed ferendæ. Hinc simplicibus, & infirmis in fide, ut etiam in doctis familiaritas cum infidelibus & communio etiam civilis absque necessitate prohibenda est, & illam familiaritatem, & communionem tenentur vitare præsertim si periculum immineat subversionis illorum fidei alioquin lethaliter peccant, eò quia in apertum discrimen se injiciant; hinc docet D. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 9. *Si aliqui fuerint firmi in fide, ita quod ex communione eorum cum infidelibus conversio infidelium magis sperari possit quàm fidelium à fide aversio non sunt prohibendi infidelibus communicare, qui fidem non susceperunt scilicet Paganis, vel Judæis, & maximè si necessitas urgeat, si autem sint simplices, & infirmi in fide de quorum subversione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione & præcipuè ne magnam familiaritatem cum eis habeant vel absque necessitate eis communicent.* Hac distinctione personarum conciliantur canones, qui sibi videntur adversari; siquidem can. *ad Mensam. can. causa* 11. *quæst.* 3. can. *infideles causa* 23. *quæst.* 4. Habetur *nos Christo illos acquirere non posse, si consortia eorum, & convivia fugiamus*, & nihilominus can. *nullus*, can. *omnes* causa 28. quæst. *Omne cum illis consortium, & commercium prohibetur in conviviis, medicinis, balneis.* Et etiam ex can. 11. Trullanæ Synodi, & ex can. 49. Concil. Agathensis. Hinc ab infirmis, & indoctis fugienda est familiaritas cum Hæreticis, ut monet S. Joannes epist. 2. inquiens: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis; qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Cæterum ut quis sit formaliter Hæreticus requiritur ut à Christi fide suscepta resiliat, sitque in errore eidem fidei manifestè repugnante pertinax, siquidem hæresis definitur error pertinax fidei manifestè repugnans in eo qui fidem Catholicam in veritate professus est. Ille autem est pertinax, qui veritati fidei satis ipsi manifestatæ sciens, & volens repugnat, & ille censendus est pertinax, qui certum aliquod fidei dogma sic ignorat, vel de eo dubitat, ut credere nolit, tametsi sciret ecclesiam catholicam Romanam sic credere enititur hæc doctrina testimonio Apostoli 1. ad Timoth. cap. 6. *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei quæ secundùm sanitatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens; sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum.* Quòd etiam confirmat D. Augustinus lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 16. inquiens: *Constituamus duos aliquos isto modo unum eorum verbi gratia id sentire de Christo, quod Photinus opinatus est, & in ejus hæresi baptizari extra ecclesiæ Catholicæ communionem; alium verò hoc idem sentire, sed in catholica baptizari existimantem ipsam esse catholicam fidem, istum nondum Hæreticum dico nisi manifestata sibi doctrina catholicæ fidei resistere maluerit, & illud, quod tenebat elegerit.* Pertinacia igitur ad hæresin requiritur, ut asserit Clemens V. Clementina unic. *de summa Trinit. & fide catholic.* & Clement. *ex gravi* tit. *de Usuris.* Qui autem ex ignorantia crassa errant circa fidem in his quæ quisque Catholicus tenetur credere, quamvis formaliter non sint Hæretici seclusa pertinacia, sunt tamen peccati lethalis rei. Hinc ritus Hæreticorum à Principibus Catholicis tolerari non possunt absque lethali peccato, quando eos delere, & pœnitus eradicare possunt sine periculo gravioris cujuspiam mali, quia potestas est à Deo Christianis Principibus collata ad mundi non solùm regimen verum etiam ad majorem Dei gloriam propagandam, & in præsidium ecclesiæ, consequenter tenentur, quæ mala sunt prohibere, & quæ bona præcipere; hinc D. Augustinus epist. 185. ait: *Quomodo Reges Domino serviunt in*

*timo-*

*timore, nisi ea qua contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo, atque plectendo. Aliter enim servit quia homo est, aliter quia rex est; quia homo est ei servit vivendo fideliter; quia verò etiam rex est servit leges justa pracipientes, & contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo, sicut servivit Ezechias, Lucas, & templa idolorum & illa excelsa qua contra pracepta Dei fuerant constructa destruendo. Sicut servivit Josias talia & ipse faciendo, sicut servivit rex Ninivitarum universam civitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut servivit Darius idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos ejus Leonibus ingerendo. Sicut servivit Nabuchodonosor omnes in Regno suo positos à blasphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo serviunt Domino Reges in quantum sunt reges cum ea faciunt ad serviendum illi, qua non possunt facere nisi reges.* Situs itidem Hæreticorum, quia maximè perniciosi, à principe permittendi non sunt, quia sub dulci cortice venenum exhibent, ait enim Apostolus ad Roman. 16. *Per dulces enim sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium*; & ad Roman. 16. loquens de Hæreticis ait: *Sermo eorum ut cancer serpit*, quapropter ne damnum inferant subditis, tenentur Principes hujusmodi ceremonias prohibere, ac procul abigere, si id possint absque gravioris mali periculo. Quòd si id neglexerint præstare minimè excusantur à gravi culpa. Rursus non excusantur à noxa, qui libros Hæreticorum, & tractantes de religione ac continentes hæretica dogmata, legunt absque licentia, & authoritate sedis Apostolicæ, imò incurrunt etiam excommunicationem ob grave periculum resiliendi à fide catholica; siquidem imperiti, & semidocti, imò etiam eruditi viri legentes absque necessitate hujusmodi facilè imbuuntur erroribus, qui in iisdem continentur, & facilius iisdem ut videantur & ipsi singulares adhærescunt quapropter merito pontificibus constitutionibus prohibendum est, ne quis sine expressa licentia sedis Apostolicæ pervolvat hos libros, imò id etiam prohibetur doctis hominibus, quia plerumque nimium curiosi, & in fide imbecilles periculum illis imminet subversionis, ut experimento satis comprobatum est, tenetur enim quisque periculum subversionis, & proximam peccandi occasionem declinare Ezech. 3. v. 26. *Qui amat periculum peribit in illo.* Imò non solum legentes, verum etiam retinentes apud se hujusmodi libros absque licentia lethaliter peccant, tenentur enim eos statim ad Episcopos deferre, vel ad Inquisitores hæreticæ pravitatis, vel eos comburere, ut legimus fecisse Apostolos, & alios recens ad fidem Christi conversos qui superstitiones sectati ad meliorem frugem venerunt Actor. 19. *Multi ex iis, qui fuerant curiosè sectati; contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus*, idque confirmat S. Leo Papa epist. 15. Ubi de Priscillianistarum libris scribit: *Quomodo decipere simplices possent nisi venenata pocula quodam melle perlinirent, ne usquequaque sentirentur insuavia qua essent futura mortifera? curandum ergo est, & sacerdotali diligentia maximè providendum, ut falsitati codices, & à sincera veritate discordes in nullo usu lectionis habeantur. Apocrypha autem scriptura, qua sub nominibus Apostolorum multarum habent seminarium falsitatum non solùm interdicenda, sed etiam penitùs auferenda sunt, atque ignibus concremanda. Quamvis enim sint iis quadam, qua videantur speciem habere pietatis, nunquam tamen vacua sunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur ut mirabilium narratione seductos, laqueis cujuscumque erroris involvant, quapropter si quis Episcoporum vel Apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel sub canonicorum nomine eos codices in ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani adulterina sunt emendatione vitiati, hareticum se noverit judicandum; quoniam qui alios ab errore non revocat, se ipsum errare demonstrat.*

Circa virtutem spei lethaliter peccant, qui cum mortis periculum imminet, vel cum gratiam justificantem suscipiunt actum spei negligunt elicere; siquidem ex scripturis sacris tenemur frequenter actus spei elicere; hinc David Psal. 4. *Sacrificate sacrificium justitia, & sperate in Domino*, & Psal. 65. *Sperate in eo omnis congregatio populi effundite coram illo corda vestra; Deus adjutor noster in aternum*, & Ecclesiastici 2. *Dirige viam tuam, & spera in illum. Qui timetis Dominum, sperate in illum.* Oseæ 12. *Spera in Deo tuo semper.* Hoc autem præceptum injungit elicere actus spei, quia habitus non cadunt sub præceptum, quia si sint supernaturales infunduntur à Deo, etsi naturales inducuntur per repetitos actus ejusdem virtutis. Cæterum præceptum spei vel maximè obligat, cum tenemur nos præparare ad justificationem, quia ad considerationem divinæ misericordiæ tenemur nos convertere, & ideo in spem erigimur, & confidimus habere Deum propter Christi merita nobis propitium. Obligat etiam præceptum spei, quotiès tentamur à desperatione, tunc enim contrario actu virtutis tenemur resistere Dæmoni, ut etiam cùm spem nostram infirmam, ac languentem esse experimur, tunc tenemur eam excitare, ut in justitia Christiana crescamus, peccant etiam contra præceptum spei, qui considerantes magnitudinem cœlestis gloriæ, & vilitatem humanæ conditionis, adeo sunt pupilli animi, ut ad cœlestia non audeant aspirare; unde eccles. 16. habetur: Non dicas, A Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur? in populo magno non agnoscar quæ est enim anima mea in tam immensa creatura licèt in carne ambulemus non tamen debemus secundùm carnem militare, sed desiderio in cœlo esse, & spem nostram in portu æternæ felicitatis, & quietis veluti firmam anchoram ponere, ne inter procellas hujus mortalis vitæ naufragium incurramus desperationis, ne in peccatorum scopulos impingamus, ait enim Augustinus in Psal. 64. *Quemadmodum ergo de navi, qua in anchoris est, rectè dicimus, quod jam in terra sit, adhuc enim fluctuat, sed in terra, quemadmodum educta est contra ventos, & contra tempestates; si contra tentationes hujus peregrinationis nostra spes nostra fundata in illa civitate Jerusalem facit nos, non abripi in saxa.* Imò non solùm qui negligunt actus spei elicere, verùm etiam, qui ad orandum sunt segniores, spemque omnem abjiciunt, eò quia in longum differatur, quod à Deo per preces petunt; quia isti moram Dei patienter non ferunt, contra Prophetam Habacuch 2. dicentem: *Si moram fecerit expecta eum quia veniens veniet, & non tradabit*, ut etiam peccant, qui confidunt se permanentes in peccato misericordiam postea consecuturos, ideoque perseverant immersi in cœno vitiorum, à quo negligunt emergere spe freti, ut in senectute sint misericordiam à Deo consecuturi. Ut etiam illi, & si crimina sua deserant, ad ecclesiæ tamen sacramenta non confugiunt, ut veniam consequantur, neque satagunt Deum sibi propi-

tium reddere per bona opera, & debitas satisfactiones, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 21. art. 1. inquiens: *Circa spem per quam aliquis de propria virtute confidit, attenditur præsumptio ex hoc, quod aliquis tendit in aliquod bonum, ut sibi possibile quod suam facultatem excedit, secundum quod dicitur Judith. 6. præsumentes de se humilias, & hæc præsumptio opponitur virtuti magnanimitatis. Circa spem autem per quam aliquis inhæret divinæ potentiæ potest per immoderantiam esse præsumptio in hoc, quod aliquis tendit in aliquod bonum ut possibile per virtutem, & misericordiam divinam, quod possibile non est. Sicut cum aliquis speret veniam obtinere sine pœnitentia vel gloriam sine meritis; hæc enim præsumptio est propriè species peccati in Spiritum Sanctum, quia per hujusmodi præsumptionem tollitur, vel contemnitur adjutorium Spiritus Sancti, per quod homo revocatur à peccato.* Ut etiam qui peccant cum proposito non se emendandi statim, sed perseverandi in peccato sub spe veniæ, quia isti etiam abutuntur donis Spiritus S. quibus possent emergere è cœno peccatorum.

Circa præceptum charitatis præsertim in proximum is etiam graviter peccat, qui odio pertinaci correptus inimico detrectat injuriam condonare, & non vult voluntatem vindictæ deponere, ut desumitur ex verbis Christi Matth. 6. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Hinc D. Augustinus serm. 219. ait: *Negligens inimicitias finire, obliviscitur, pertinax veniam non vult concedere cum rogatur superbè verecundus veniam petere dedignatur. His tribus vitiis inimicitia vivunt sed animas in quibus non moriuntur, occidunt. Vigiles contra negligentiam memoria contra pertinaciam misericordia, contra superbam verecundiam submissa prudentia. Qui se concordiæ recolit neglectorem, excutiat expergiscendo torporem; qui se cupit esse sui debitoris exactorem, Dei se cogitet debitorem; qui erubescit petere ut sibi frater ignoscat, vincat per bonum timorem malum pudorem.* Est etiam gravis reus peccati qui veniam denegat inimico eam petenti, siquidem tenemur non solum offensam remittere, & injuriam nobis irrogatam condonare, sed etiam aliqua illi benevolentiæ, & reconciliationis signa exhibere, ait enim Christus Luc. 17. *Si peccaverit in te frater tuus increpa illum; & si pœnitentiam egerit dimitte illi; & si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens pœnitet me, dimitte illi;* unde Augustinus serm. 56. ait: *Quando inimicus veniam petit continuo dimittatur. Et hoc multum ad vos, multum ad te erit inimicum diligere sævientem; multum est ad te hominem diligere supplicantem? Qui dicis, sæviebat, & oderas, mallem nec tunc odisse, mallem tunc cum sævientem patereris Dominum recordareris dicentem Luc. 23. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Sed fortè dicturus es fecit ille, sed ut Dominus, quia Christus quia Dei Filius quia unigenitus, quia Verbum Caro factum est; quid ergo malus, & invalidus homo? si multus est ad te Dominus tuus, cogitetur ad te conservus tuus. Stephanus S. lapidabatur, & inter lapides genu fixo pro inimicis orabat, & ait: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Illi lapides mittebant, non veniam postulabant; & ille pro eis orabat. Talem te esse volo; extende te quid trahis semper cor in terra? audi sursum cor extende dilige inimicos. Si non potes diligere sævientem, dilige saltem veniam petentem, dilige hominem, qui tibi dicit, frater peccavi, ignosce mihi, tunc si non ignoveris, non dico deles orationem de corde tuo, sed deleberis de libro Dei.* Verum tamen est quod tametsi sint hujusmodi signa benevolentiæ inimico ostendenda, ac venia danda petenti, quatenus hæc sufficiunt ad significandam odii depositionem, & comprobandam charitatem, non tamen eodem modo hæc ab omnibus, & singulis exiguntur, sicut nec ab omnibus exigendum est, ut veniam rogent, siquidem cum aliquibus sufficit, si officium exhibeant salutationis vel aliud benevolentiæ signum ostendunt priores. Alia tenetur filius Patri exhibere, alia famulus Hero, subditus Superiori, & alia plebejus Nobili, unde juxta varietatem personarum procedendum est, ne plus exigamus, quam par sit. Et quamvis qui ex animo parcit inimico poscit ab eodem restitutionem exigere famæ, honoris, vel bonorum externorum cavendum tamen est, ne inimicus cum nimio suo damno urgeatur, vel talis restitutio apud Judicem postuletur, cum inimicus veniam postulet, & congruam juxta opinionem prudentum virorum satisfactionem offert; siquidem perquam difficile est in talibus circumstantiis ut actio injuriarum instituatur in foro, seu publicè absque ullo appetitu vindictæ. Quòd si exigatur pœna capitis, aut mutilatio membri, ex qua nihil emolumenti provenit personæ læsæ, non est tunc exigenda hæc pœna, nisi ut divinus honor resarciatur, vel publicæ quieti consulatur, vel zelo justitiæ satisfiat. Cæterum expedit inimico veniam petenti condonare. Et quamvis privatarum injuriarum ultionem vel secundùm ordinem juris persequi periculosum sit, & eas tolerare magis conveniat viro Christiano ne merito destituatur virtutis patientiæ. Injurias tamen Deo irrogatas, vel proximo vel etiam proprias redundantes tamen in Deum, vel ecclesiam dissimulare non debet, sed earum ultionem zelo religionis, & justitiæ persequi, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 108. art. 1. in respons. ad 2, ubi ait: *Mali tolerantur à bonis in hoc quod ab eis proprias injurias patienter sustinent secundum quod oportet. Non autem tolerant eas, ut sustineant injurias Dei, & proximorum.* Et in respons. ad 4. ait: Injuria quæ infertur personæ alicui, quandoque redundat in Deum, & in ecclesiam; & tunc debet aliquis propriam injuriam ulcisci, sicut patet de Elia, qui fecit ignem descendere super eos, qui venerunt ad ipsum capiendum ut legitur 4. Reg. 1. Et similiter Elisæus maledixit pueris eum irridentibus, ut habetur 4. Reg. 2. Et Sylverius Papa excommunicavit eos, qui eum in exilium miserunt, ut habetur 23. quæst. 4. can. Guilizarius. In quantum verò injuria in aliquem illata ad ejus personam pertinet, debet eam tolerare patienter, si expediat; hujusmodi enim præcepta patientiæ intelligenda sunt secundùm præparationem animi, ut ait D. Augustinus *lib. 1. Serm. Dom. in monte cap.* 34. Quamobrem Christianus homo debet semper paratus esse ad misericordiam in omnes & singulos exercendam, & quamvis non possit omnibus, & singulis benefacere, charitas tamen exigit, ut si non possit actu aliquibus benefacere, habeat saltem animum paratum, & propensum ad benefaciendum omnibus; est enim charitas universalis: sicut enim oramus pro omnibus fidelibus, & infidelibus, ita & benefacimus omnibus. Hæc tamen beneficentia habet ordinem suum, quo priùs exerceatur, imò, & uberiùs in conjunctos,

ctos, dicente Apostolo 1. ad Corinth. 5. *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet fidem negavit, & est infideli deterior*, quapropter D. Ambrosius lib. 1. de offic. cap. 39. ait: *Est illa probanda liberalitas ut proximos sanguinis tui non despicias si egere cognoscas, melius est enim, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere.* Hoc idem docet D. Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 8. inquiens: *Cùm omnibus prodesse non possis, hoc potissimum consulendum est, qui pro locorum, & temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictiùs tibi quasi quadam sorte junguntur.* Graviter etiam peccat contra præceptum charitatis, qui pauperibus extremam vel gravem imò & communem necessitatem patientibus eleemosynam prout potest, non erogat, is ex superfluo; illis etiam ex necessario sui status, ut asserit D. Augustinus serm. 206. *Hinc intelligit animus Christianus quantum remotus esse debet à fraude aliena rei, quando sentit simile esse fraudi si superflua sua non retribuat indigenti.* Imò pauperibus omnibus etiam improbis est eleemosyna eroganda taliter tamen ut eorum non foveatur improbitas, idque nos docet Spiritus Sanctus Tobiæ 4. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini.* Et D. Paulus scribens ad Galat. 6. hoc idem nobis suadet, inquiens: *Operemur bonum ad omnes*, hoc est indigentias, & paupertatem singulorum suppleamus eleemosynarum largitione, *si esurierit nescio quis*, ait Augustinus in Psal. 102. *Si habes, unde des, da; si vides dandum esse ad subveniendum da, ne pigrescant in hoc viscera misericordia quia tibi peccator occurrit. Tibi enim homo peccator occurrit. Cum dico occurrit tibi homo peccator duo nomina dixi; hac duo nomina non superflua sunt; aliud quod homo, aliud quod peccator; quod homo opus est Dei, quòd peccator opus hominis est; da operi Dei, noli operi hominis dare.* Plures enim sunt fructus spirituales, quos eleemosyna parturit; siquidem expiantur eleemosynis, & redimuntur peccata Tobiæ 4. *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini.* Et Raphael Angelus Tob. 12. *Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna magis quàm thesauros auri recondere; quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est qua purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam aternam.* Nec debet mirum videri si ab æterna liberet morte, cum etiam eleemosynis corporis mortem depelli, ac longiùs fugari probaverit miraculum, quo D. Petrus mulierem resurgere fecit ad vitam in Actis Apostolorum; siquidem cùm venisset Petrus circumsteterunt eum viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas quas illis dederat: *Nec pro defuncta suis vocibus, sed ipsius operibus deprecantes. Sensit Petrus impetrare posse, quod sic petebatur, nec defuturum Christi auxilium viduis deprecantibus quando esset in viduis ipse vestitus. Cum itaque genibus nixus orâsset viduarum ac pauperum idoneus Advocatus legatas sibi preces ad Dominum pertulisset, conversus ad corpus ait: Tabitha Surge in nomine JEsu Christi*; imò non solùm eleemosyna dat nobis vitam utramque temporalem, & æternam, verum etiam ipsum Christum nostrum constituit debitorem, cum sibi datum existimet, quod pauperi datur inquiens: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Ubi Cyprianus ait: *Praclara, & divina res salutaris operatio solatium grande credentium, securitatis nostra salubre prasidium, monimentum spei, tutela fidei, medela peccati, res posita in potestate facientis, res grandis, & facilis; sine periculo persecutionis, corona pacis; verum Dei munus & maximum infirmis necessarium fortibus gloriosum, quo Christianus adjutus prafert gratiam spiritualem promeretur Christum Judicem, & Deum computat debitorem.* Hinc bona etiam eleemosyna ad temporalia, quibus Christus ut debitor cum fœnore solvit, hinc Apostolus 1. ad Timoth. cap. 6. Divitiis affluentes hortatur: *Bene agere, & divites fieri in bonis operibus facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam*; hac de causa Sancti Patres eleemosynam vocant fœnus, & asserunt divites Deo fœnerari cum pauperibus eleemosynam erogant. Hinc D. Ambrosius explicans hoc genus sacri fœnoris, ait lib. de Tobia cap. 16. *Fœneratorum vos delectat, & usurarum vocabulum id non invideo; docebo quomodo boni fœneratores esse possitis, quomodo bonas quaratis usuras dicit Salomon. Proverb. 19. Fœnerat Domino qui miseretur pauperi; Secundum datum autem retribuet ei, ecce bonum fœnus de malo factum est; ecce irreprehensibilis fœnerator, ecce usura laudabilis. Putatis quod hominem subtraham vobis debitorem? Deum provideo, Christum subrogo, illum demonstro qui vos fraudare non possit, fœnerate ergo Domino pecuniam vestram in manu pauperis.* Non tamen est facilè eleemosyna abunde eroganda juvenibus mendicantibus, qui cùm validi sint laboribus parcunt, quibus possent sibi necessaria ad victum & vestitum facilè lucrari, & malunt ignavia torpescere, & otio marcescere; cùm enim sit otium putida scaturigo vitiorum omnium hæc videtur fovere, cum hisce validis mendicantibus favent, ait enim Ecclesiast. 30. *Servo malevolo tortura, & compedes, mitte illum in operationem ne vacet; multam enim malitiam docuit otiositas.* Hinc ordo justitiæ potiùs perverteretur; siquidem æquitas id exigit, ut qui non laboret, non manducet, ut ait Apostolus 2. ad Thessal. 4. inquiens: *Cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, neque manducet.* Hinc S. Augustinus epist. 93. cap. 2. ait: *Utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quam esurienti panis frangitur, ut injustitia seductus quiescat.* Cæterùm non sunt pauperes sæveriori examine discutiendi, an validi sint nec ne, an paupertatem potiùs simulent, quam reverà indigeant, sed Christi nomine petenti eroganda est eleemosyna, quia non simulanti, sed Christo petenti tunc datur, hinc D. Chrysostomus homil. 20. in epist. ad Roman. ait: *Neque in pauperes curiosè inquiras; propter Christum enim illos suscipis, quod si perpetuò curiosè scrutaturus es pauperes, fiet, ut sape numero probatum coram Deo virum pratergrediare, & mercedem, quam ex eo habiturus eras, perdas.* Et D. Ambrosius lib. 1. de offic. cap. 30. ait: *Omnibus quidem debemus misericordiam, sed quia plerique fraude eam quarunt, & adfingunt arumnam, ideo ubi causa manifestatur persona cognoscitur, tempus urget, largiùs se debet profundere misericordia.*

Lethaliter etiam peccat contra hoc primum præceptum, qui proximum graviter peccantem non corrigit,

rigit, & non procurat à malo retrahere, quia is verè, & sincerè proximum non diligit, qui ejus malum cum potest non impedit; & qui lethaliter peccantem proximum non corripit, cum potest, & debet, quando scilicet non est alius modus in promptu ipsum avertendi à ruina spirituali, eumque retrahendi à peccato lethali, nec est alius, qui possit ipsum monere, in his enim circumstantiis si affulgeat spes probabilis emendationis, non vult efficaciter proximum nancisci bonum vitæ æternæ, eò quia negligat illud procreare, hinc graviter peccat contra præceptum de proximo diligendo; quòd si jure naturali tenemur subvenire proximo corporaliter indigenti, & lethaliter peccat, qui pauperem in articulo extremæ necessitatis non pascit, & pro viribus opem illi præstat, cùmque juvat; multo fortiori jure tenemur subvenire spiritualiter indigenti adeoque reus est peccati lethalis, qui officium istud fraternæ charitatis non exercet ubi debet, quando debet, & secundum quod debet, ut docet D. Thomas; siquidem cum præceptum fraternæ correptionis sit affirmativum, quovis loco & tempore non obligat, sed tantum urgente necessitate, & cùm probabile est, fore utilem ad emendationem peccantis, quia ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 23. art. 2. *Correctio fraterna ordinatur ad fratris emendationem, & ideo hoc modo cadit sub præcepto secundum quod necessaria est ad istum finem non autem ita quod quolibet loco vel tempore frater delinquens corrigatur.* Etenim præceptum de charitate fraterna omnibus Christianis injunxit Christus Matth. 18. cum dixit: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Dicitur: *Si peccaverit in te*, scilicet te sciente sive peccatum fuerit contra Deum, sive contra proximum; siquidem qui altero sciente peccat ipsum quasi testem & approbatorem iniquitatis facit, & scandalum illi præbet; hinc D. Augustinus serm. 82. de verb. Domini cap. 7. ait: *Peccavit in te frater tuus; si tu solus nosti, tunc verè in te solum peccavit; nam si multis audientibus tibi fecit injuriam, & in illos peccavit, quos fecit sua testes iniquitatis; quando me audiente fratri meo quisque injuriam facit, absit ut à me injuriam illam alienam putem. Prorsus & mihi fecit; imò & mihi plus fecit, cui putavit placere, quod fecit.* Secundò potest illud *in se* ita intelligi, ut significet contra te, & sensus sit, si frater tuus tibi injuriam irrogaverit, vel tuo detraxerit honori, & famæ, corripe illum, & hic postremus videtur esse Christi sensus quapropter D. Petrus Dominum interrogavit: *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* & Luc. 17. hoc idem præceptum iterum inculcatur: *Si peccaverit in te frater tuus increpa illum; & si pœnitentiam egerit dimitte illi;* ut exponunt Sancti Patres Hieronymus, Ambrosius, & Augustinus, quòd si ex Christi præcepto tenemur corripere fratrem contra nos peccantem multo magis tenemur eum corripere peccantem in Deum, & in alios; qui nullam nobis injuriam irrogant, vel detrimentum afferunt quos proinde tenemur diligere. Jubemur enim peccantem corripere, non quia nobis fuit injurius, ac damnum attulit, sed quia se ipsum perdidit, unde subdit Christus: *Si te audierit lucratus eris fratrem tuum*, quæ verba explicans D. Augustinus ait: *Quare illum corripis? quia doles quòd peccaverit in te? absit, si amore tui id facis nihil facis, si amore illius facis optimè facis. Denique in ipsis verbis attende cujus amore id facere debeas utrum tui, an illius: Si te audierit, inquit lucratus es fratrem tuum, ergo propter illum fac, ut lucreris illum. Sic faciendo lucraris, nisi fecisset, perierat.* Cum igitur pereat, multo magis, qui peccat in Deum. Tenemur ipsum peccantem corripere; & illud charitatis officium prætermittamus, urgente necessitate & tempore, & loco, opportunis violamus præceptum de proximi dilectione. Hinc non solum Prælati, sed omnes, & singuli Christiani tenentur ex hoc præcepto corrigere fratrem peccantem, siquidem omnes, & singuli tenentur proximum diligere, & bonum ejus spirituale, ac æternam salutem toto corde procurare, quia omnes Christiani unum corpus sunt in Christo, singuli autem alter alterius membra; & charitas est, quæ hoc corpus mysticum convertit, ac vivificat, facitque, ut pro invicem solicita sint membra; & si quid patitur unum membrum, compatiuntur & omnia membra, ut ait Apostolus 1. Corinth. 12. Hinc tenetur quisque proximo suo peccanti succurrere mediante fraterna correctione. Hinc D. Thomas 2. 2. quæst. 33. art. 3. ait: *Duplex est correctio una quæ actus Charitatis, quæ specialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis per simplicem admonitionem; & talis correctio pertinet ad quemlibet charitem habentem sive subditus sit, sive Prælatus. Est autem illa correctio quæ est actus justitiæ per quam intenditur bonum commune, quod non solum procuratur per admonitionem fratris, sed etiam interdum per punitionem, ut alii à peccato timentes desistant. Et talis correctio pertinet ad solos Prælatos, qui non solum habent admonere; sed etiam corrigere puniendo.*

Cæterùm præceptum hoc de correctione fraterna gravius Prælatos obstringit respectu subditorum; quia illi ratione officii & charitatis simul, quam majorem tenentur in subditos exercere debent illorum curam gerere, mala ab iisdem avertere, consequenter si peccent, tenentur ipsos fortiori jure corripere, ait enim Augustinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 9. *Qua in re non usque parem, sed longe graviorem habeant causam, quibus per Prophetam Ezech. 33:* 6. ait: *Ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram. Ad hoc enim speculatores, hoc est, populorum præpositi constituti sunt in ecclesiis, ut non parcant objurgando peccata.* Imò tenentur etiam subditi debita adhibita reverentia, & mansuetudine suos Prælatos peccantes corripere in mansuetudine, ut monet Apostolus 1. ad Timoth. 5. inquiens: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem*, quod ut cùm debita fiat reverentia non est in publico obsecrandus, sed in secreto monendus; & cùm quis Prælatum ex charitate monet non propterea se majorem vel meliorem existimare debet. Quòd si peccatum occultum fuerit, ac soli peccanti, ac ei in quem peccatur, noxium est, tunc secreta admonitio debet necessariò denuntiationi præmitti, ut nos monet Christus Matth. 18 *Si peccaverit in te frater tuus, vade; & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum, si autem te non audierit adhibe tecum adhuc unum vel duos ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbume Quòd si non audierit eos die ecclesiæ.* Est enim ordo servandus in fraterna correctione à Christo præscriptus; qui proinde perverti sine gravi peccato non potest, quia tenemur honori & famæ proximi, quantum possumus consulere; & ne ipsa correptio sit illi occasio pejoris ruinæ, & pharmacum, quod vulneri sanando aptatur, fiat venenum lethalius.

Qua-

Quapropter D. Hieronymus in Commentar. cap. 18. Matth. ait. Corripiendus est frater seorsum, ne si semel pudorem, ac verecundiam amiserit remaneat in peccato. Sin verò peccatum occultum fuerit, & vergens in nocumentum aliorum sive corporale, sive Spirituale statim denuntiandum est absque monitione privata, quia ut docet D. Thomas: sunt quædam peccata occulta, quæ sunt in nocumentum proximorum vel corporale, vel spirituale ut si aliquis occultè tractet de modo tradendi civitatem inimicis, vel si Hæreticus privatim homines à fide avertat; & quia ille, qui sic occultè peccat, non solùm in te peccat, sed etiam in alios, oportet statim procedere ad denuntiationem, ut hujusmodi nocumentum impediatur, nisi fortè aliquis firmiter existimaret; quod statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire. Verùm quando agitur de hæresi vel de crimine læsæ Majestatis vix fieri potest ut certò, & absque periculo erroris existimetur mala hinc eminentia per secretam admonitionem averti posse, quia cum sint Heretici pertinaces, nec dispositi ad audiendam ecclesiam, neque erunt audituri monentem privatim, imò adest periculum ut admonentem privatim blando illorum sermone non illaqueent: siquidem ut ait S. Leo serm. 15. seu 5. de jejunio decimi mensis loquens de Muscipulis Hæreticorum ait: *Humiliter irrepunt blandè capiunt molliter ligant, latenter occidunt.* Peccata verò publica publicè sunt corripienda nec præmittenda est eorum denuntiationi privata admonitio, quia ut monet D. Thomas non est tantum adhibendum remedium ei qui peccavit, ut melior fiat sed etiam aliis, in quorum notitiam devenit, ut non scandalizentur: quapropter Apostolus. 1. ad Timoth. 5. ait: *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant*, quod intelligendum est de peccatis publicis, quia ut ait D. Augustinus serm. 82. de verbis Domini cap. 7. Ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: ipsa corripienda sunt secretiùs, quæ peccantur secretiùs.

Cæterum contra hoc primum præceptum decalogi peccant, qui idololatriam vel Judaismum profitentur; ut etiam qui à vera fide vel religione Catholica per hæresin recedunt. Qui dogmatibus Hæreticorum aliisque erroribus ab ecclesia damnatis, & proscriptis pertinaciter adhærent. Qui Hæreticos incausa hæresis fovent, & protegunt. Qui cùm illis temerè de fide disputant, eorum libros legunt, eorumque concionibus, & cæremoniis intersunt. Qui de alicujus articuli fidei veritate dubitant. Qui fidem negant, vel dissimulant, cùm illum exterius profiteri tenentur. Qui fidei mysteria præcipua, aliaque ad salutem scitu necessaria, cujusmodi sunt symbolum Apostolorum, oratio dominicalis, præcepta decalogi, & sacramenta culpabiliter ignorant. Qui de divina misericordia, & gratia præsumentes perseverant in statu peccati, vel qui de illa desperant. Qui Deum propter flagella sibi inflicta oderunt; ac de illius conqueruntur providentia, vel ejus obsequium animo deliberato fastidiunt. Qui Deo cultum superstitiosum ac indebitum, ut etiam creaturæ cultum soli Deo debitum exhibent. Qui dæmonem expressè, vel tacitè invocant, & cum ipso pactum ineunt sivè expressum, sivè tacitum. Qui rerum futurarum, vel occultarum cognitionem per modos superstitiosos, & indebitos inquirunt, ut per necromantiam, geomantiam, præstigia, somnia, astrologiam judiciariam, aliosque modos superstitiosos ab ecclesia reprobatos, & à Dæmonibus invectos in perniciem animarum, ac detrimentum fidelium. Hinc graviter etiam peccant contra hoc primum præceptum, qui divinos & Ariolos de rebus illis futuris, vel occultis consulunt, abiisque quid sibi prosperum, ac adversum futurum sit, perquirunt; ut etiam, qui cribrum farinaceum, aut annulum vertunt, ut furti alicujus authorem detegant. Qui reliquias, & sanctorum imagines cum quibusdam observationibus superstitiosis collo, vel brachio appensas deferunt. Qui orationes quasdam, & jejunia adhibent, tanquam media infallibilia ad scientias aliquas sine studiorum labore acquirendas. Qui ad sanitatem recuperandam, vel aliis conferendam, quibusdam certis verbis, precibus, vel characteribus aliisque similibus modis nullam ex natura sua ad talem effectum producendum vim habentibus utuntur. Qui variis, & frivolis quibusdam observationibus ominantur sibi bona eventura. Qui maleficiis amatoriis, aut veneficiis utuntur. Qui per quasdam ligaturas matrimonii usum; & consummationem impediunt. Qui Deum tentant, & neglectis mediis ab ejus providentia ordinatis effectum aliquem sine ulla necessitate, aut ratione ab eo expectant. Qui sacrilegium aliquod perpetrant, personas Deo sacras polluunt, vel injuriosè preuticunt, aut immunitates eorum injustè violant. Qui templa profanant, eorumque vasa, & ornamenta ad usus profanas vel superstitiosos adhibent imagines Sanctorũ contumeliosè tractant, sacræ scripturæ verbis ad res falsas aut superstitiosas abutuntur, quib⁹ & ii addi possunt, qui sacramenta indignè suscipiunt, vel administrant Demum huic primo præcepto opponitur etiam odium Dei, quod peccator potest concipere ex consideratione effectuum divinæ voluntatis; qui depravatæ suæ repugnant voluntati, cujusmodi est inflictio pœnæ debitæ peccatis Deum enim propter se præcisè nullus odisse potest. cùm in ejus natura nil occurrat, quin sit infinitè diligibile. Imò etiam ipsa acedia adversatur huic præcepto, quia ut docet D. Thomas nihil aliud est, quàm tristitia, & tædium quoddam voluntarium, & deliberatum de spirituali bonum, quatenus est bonum divinum, seu quatenus per illud bonum spirituale, ut per susceptionem sacramentorum, & alia bona opera homo tendat in Deum, cui obsequatur, & illum glorificet; quo pacto opponitur perfectæ charitati; cujus prodrius effectus est, gaudium de bono divino. Opponuntur etiam huic præcepto ea peccata, quæ religioni adversantur; cujusmodi ste superstitio, & est vitium Religioni oppositum secundùm excessum ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 92. art. 1. *Non quia plus exhibeat in cultum divinum, quàm vera religio, sed quia exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet.* Solus enim Deus docere nos potuit, quomodò vellet se à nobis coli; unde qui Deum colit alio modo quàm quo se colendum ipse dixit, non Deum colit, sed quod ipse sibi confinxit, scilicet idolum mentis, & phantasmatis.

Superstitionis species quatuor recensentur, cultus indebitus: aut superfluus; idololatria; divinatio; & vana observatio. Cultus indebitus est superstitio; quâ vero Deo falsus, ac superstitiosus cultus exhibetur. Talis est cultus, quem Judæi post legis evangelicæ promulgationem Deo exhibent; & in hos superstitionis genus incidunt, qui falsas reliquias colen-

colendas proponunt, qui ſanctos nondum ſolemni beatificationis, vel canoni Zationis ritu à Pontifice catalogo Sanctorum adſcriptos publicè audent colere, & invocare, vel colendos, aut invocandos audent proponere. Qui falſa miracula, vel falſas revelationes ſtudioſè prædicant, ac ſcriptis promulgant. Qui falſas, ac dubias reliquias ab Epiſcopis non recognitas, nec à ſummo Pontifice approbatas publicæ exponunt venerationi, & cultui, ut prohibetur can. *cum ex eo Extra. de reliquiis, & veneratione Sanctorum*, & in Concilio Tridentino ſancitum eſt, ne venerationi fidelium exponantur, nec circumferantur, aut lædantur. Hujus enim ſuperſtitionis rea fuit Lucilla nobilis matrona, quæ Donatiſtarum ſchiſmati anſam dedit, quòd Cæciliani Carthagienſis Archidiaconi reprehenſionem impatientes ferret Is enim Lucillam objurgaverat, quod ante ſacram communionem os cujusdam hominis mortui & ſi Martyris ſed nondum vindicati, & ab eccleſia agniti ſuperſtitioſis oſculis veneraretur, ut refert Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmenianum, & D. Auguſtinus lib. de hæreſibus rurſus hujus ſperſtitionis Rei fuerunt Monachi illi Gyropagi ſub habitu Monachorum circumeuntes Provincias nusquam miſſi, nusquam fixi, nunquam ſtantes, nunquam ſedentes, qui membra Martyrum venditabant, ſi tamen Martyres erant, ut refert S. Auguſtinus in lib. de opere Monachor. cap. 28. Plures alii recenſentur hoc genere ſuperſtitionis infecti, qui altaria paſſim per agros, & vias velut memorias Martyrum conſtituebant in quibus nullum corpus aut reliquiæ Martyrum conditæ probabantur, quas aras propterea Concilium Carthaginenſe V. juſſit everti, ait enim can. 14. *Si autem hoc propter tumultus populares non finitur, plebes tamen admoneantur, ne loca illa frequentent, ut qui recta ſapiunt, nulla ibi ſuperſtitione devincti teneantur. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur niſi aut ibi corpus. aut certè aliquæ reliquiæ ſint, aut ubi origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis vel paſſionis fideliſſima origine traditur. Nam quæ per ſomnia, & per inanes quaſi revelationes quorumlibet hominum ubique conſtituuntur altaria omnimodè reprobentur.* Et S. Martinus Archiepiſcopus Turonenſis juſſit altare ſubverti quod erectum fuerat in memoriam cujusdam Latronis, & populum illius ſuperſtitionis abſolvit errore, ut teſtatur Severus Sulpitius in ejus vita, imò hæc ſuperſtitio adeo aliquos dementavit, ut hominem quemdam in potatione, & ebrietate occiſum veluti in ſignum Sanctum venerarentur, ſedente in Pontificatu Alexandro III. Quod propterea damnavit in cap. *audivimus* extra *de reliquiis, & veneratione Sanctorum*, & Guibertus Abbas Novigentinus narrat quemdam Religioſum madentem ebrietate incidiſſe inputuum ſub nomine S. Pironis à ſuperſtitioſa plebe invocatum. Plures alii in hoc ſuperſtitionis genere irrepſerunt errores, quos Monachi foverunt, qui dentem Salvatoris, & ejus umbilicum vel aliquam portionem lactis Beatæ Virginis ſe poſſidere jactabant, ac fidelium exponebant venerationi.

Cultus ſuperfluus eſt ſuperſtitio, qua in Dei cultu aliquid uſurpatur præter Dei, & eccleſiæ inſtitutionem, ac communem conſuetudinem: etenim quidquid non congruit fini cultus divini ſuperfluum eſt, & finis divini cultus eſt, ut homo det gloriam Deo, & ei ſe ſubjiciat mente, & corpore, & ideo quidquid homo faciat, quod pertinet ad Dei gloriam, & ad hoc quòd mens hominis Deo ſubjiciatur, & etiam corpus per moderatam refrænationem & conſuetudinem concupiſcentiarum, ſecundum Dei, & eccleſiæ ordinationem eorum, quibus convivit, non eſt ſuperfluum in divino cultu. Cæterum ad cultum ſuperfluum pertinet, ſi in eccleſiaſticis officiis certus numerus cereorum vel orationum, certus color, certus ſitus præter præſcriptum eccleſiæ vel conſuetudinem obſervetur, ut etiam ſi quis neglectis rubricis eccleſiæ alias adhibeat cæremonias, ac ſuperaddat pro arbitraria devotione ſive in miſſæ ſacrificio, ſive in horis canonicis, ſi duas hoſtias in ſacra communione ſumat, vel porrigat muliericulis affectantibus devotionem.

Idololatria, vel ſuperſtitio, qua cultus ſoli Deo debitus aliis exhibetur, quibus non eſt debitus ſivè aliis creaturis, ſive per ſacrificia, ſive per ludos, ſixe per quælibet alia ſigna ſenſibilia. Divinatio eſt ſuperſtitio, qua ſit ut dæmonum opera expreſſo, vel tacito pacto invocato homines cognoſcant res occultas vel etiam futuras, quia ut docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 95. art. 2. Omnis divinatio provenit ex operatione dæmonum vel quia expreſſè Dæmones invocantur ad futura manifeſtanda, vel quia dæmones ingerunt ſe vanis inquiſitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate. Unde David Pſal. 39. *Non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.* Vana autem futurorum inquiſitio fit quando aliquis futurum tendat prænoſcere, unde prænoſci non poteſt. Manifeſtum eſt ergo, quod divinatio eſt Species ſuperſtitionis, triplex enim eſt genus divinationis, quorum primum fit per manifeſtam, & expreſſam Dæmonum invocationem, quando ſcilicet Dæmon expreſſè invocatur ut quidpiam homini occultum manifeſtet. Et multiplex habetur ſpecies hujus divinationis: prima eſt præſtigium, quo oculi hominum vel aures perſtringuntur, quando præſtigioſis quibusdam apparitionibus ipſorum aſpectui, & auditui Dæmon ſe ingerit ad prænuntiandum futura vel manifeſtandum alia occulta. Secunda Species eſt divinatio Somniorum, cum Dæmon phantaſiam hominis immutans ei ſomnia procurat, & phantaſmata objicit eorum, quæ vult ipſi ſignificari, aut aliter ipſi dormienti occulta patefacit. Tertia eſt Necromantia cum mortuorum apparitione, vel locutione Dæmon futura prænuntiat, ſive quando quibusdam præcantationibus adhibito ſanguine quaſi ſuſcitati mortui videntur divinare, & ad interrogata reſpondere, ut ait S. Iſidorus lib. 8. Vigil. cap. 9. Quarta eſt quæ fit per Pythones cum Dæmon alicujus viri vel fæminæ corpus occupans, vocesque per ipſius ventrem formans futura prænuntiat, ſeu manifeſtat occulta. De Pythoniſſis frequens in ſacris litteris fit mentio præſertim Levit. 20. Deuter. 18. 1. Paralip. 15. Quinta ſpecies eſt Geomantia cum Dæmon in aliquo corpore terreſtri, ut ligno, ferro lapide, vel ſpeculo, ſigna, vel figuras exhibet, ex quibus futura, vel occulta quævis noſcuntur ad hanc ſpeciem pertinent Omnigomantia quæ in ungue impolluti pueri oleo linito, & verſus ſolem obverſo certis verbis prolatis occulta divinas. Sexta ſpecies eſt Hydromantia quando ſimilis figuræ ope Dæmonis repræſentantur in aqua. Septima Aaeromantia cum in aëre videntur apparere. Octava Pyromantia cum in igne. Nono Aruſpicium & tunc contingit, quando Dæmon interrogatus reſpondet per ſigna quædam ſenſibilia, quæ occiſorum animalium extis, & præſertim idolis immolatorum, apparere facit.

Secun-

Secundum divinationis genus est, quod tametsi Dæmon expressè non invocetur, nihilominus ad cognoscenda occulta aliqua considerat homo in dispositionibus & motibus rerum, quæ ad eam cognitionem non conducunt, & hujus generis plures etiam recensentur species, ut *astrologia judiciaria*, qua ex consideratione situs, & motus syderum, superstitiosus mathematicus sive genethliacus futura contingentia admittitur prænoscere, & quasi ut certò futura prædicere. *Augurium, seu auspicium* quando ex garritu, aut inspectione avium, aut ex motibus, seu vocibus, quorumcunque animalium, aut sternutationibus hominum cognitio futurorum, aut rei cujuslibet occultæ quæritur aut etiam ex verbis hominum longe aliâ intentione prolatis, quàm quo illa detorquet divinator, & hæc divinatio à Gentilibus omen dicebatur. *Dactylomantia* estque divina ex annulis constructis ad certi cæli positura, vel incantatis, & super tripodem ad certa verba motis. *Coscinomantia*, quæ divinat per cribri motum præmissis verbis conceptis, & prolatis eorum nominibus, de quibus suspicio est furtum vel aliud occultum crimen perpetrâsse. *Chyromantia*, quæ ex lineis manuum futura prædicit. Tertium divinationis genus est *Sortilegium* quando absque expressa dæmonis invocatione tentamus cognoscere aliquid occultum ex nostro opere vel actione facta nil ad hoc conferente, sive protractione punctorum, quod pertinet ad artem *Geomantia*, sive ex consideratione figurarum, quæ ex plumbo liquefacto in aquam projecto proveniunt; sive ex quibusdam schedulis scriptis vel non scriptis in occulto repositis, vel etiam ex festucis inæqualibus propositis cui major vel minor veniat; vel taxillorum projectione quis plura puncta vertat, vel etiam dum consideratur quid aperienti librum primo occurrat. *Sortilegium* laxè sumptum comprehendit Magiam & maleficium. Magia generatim sumpta est facultas vi creata, & non supernaturali mira, quædam & insolita efficiens, quorum ratio sensum, & communem hominum captum superat, & dividitur in naturalem, artificiosam, & diabolicam, quia omnes effectus ejus adscribendi sunt vel insitæ rebus naturæ, vel humanæ industriæ, vel Cacodæmonis malitiæ.

Naturalis Mania licita est, quæ nihil aliud est quàm reconditior arcanarum rerum cognitio, qua cælorum ac syderum cursu, & influxu, & sympatiis, & antipathiis rerum singularum observatis suo tempore, loco, & modo res rebus applicantur, & mira quædam hoc pacto efficiuntur, quæ causarum ignaris præstigiosa vel miraculosa videntur. Ut cum Tobias paternam cæcitatem felle piscis discussit, hanc enim virtutem plures cum Galeno tribuunt pisci Callionymo. Magia artificialis alia dicitur mathematica, alia præstigiatoria. Mathematica dicitur principiis Geometricis, arithmeticis, & astronomicis. Hujus exempla sunt sphæra illa Archimedis, quæ ex Claudiano vitrea erat, ut etiam in Syracusarum obsidione navium combustiones per specula solares radices in unam coeuntes illuc transmittentia talis etiam fuit Architæ columba lignea volans, & Leonis Imperatoris aureæ aviculæ cantillantes, & Boëtii æreæ volantes, & cantilantes, ac serpentes ex eodem metallo sibilantes, ut etiam Alberti Magni vocare caput. *Præstigiatrix*, seu ludicra, & deceptoria est illa cujus effectus non sunt quales apparent. Et ad hanc præstigiatricem artem pleraque pertinent quæ à Circulatoribus, agyrthis, & funambulis putantur incantationibus patrari, cum agilitate pedum & manuum fiant. Magia Mathematica, quæ & Thaumaturgica dicitur, per se licita est, & tantùm per accidens fit illicita, quando in malum finem refertur, vel quando scandalum oritur, eò quia hæc fieri putentur Dæmonum opera, vel quia si quod inde spirituale damnum, vel temporale corporis aut animæ immineat ipsi circulatori, & idem est judicium de Magia præstigiatrice. Magia diabolica est ars, qua vi pacti cum dæmonibus initi mira quædam, & communem hominum captum superantia efficiuntur: siquidem omnis vis magiæ hujus diabolicæ nititur pacto tacito, vel expresso cum dæmone. Pacti expressi triplex est modus, primus fit varia solemnitate, & ipsi Cacodæmoni visibiliter in forma corporea apparenti coram testibus fidelitas promittitur, & aliquando fit per libellum supplicem Diabolo oblatum, & eorum qui se illius servituti dedicant, ea conditione ut eorum votis satisfaciat, & etiam subscriptione munitur. Alius modus est, quando pactio illa per Vicarium initur, magum scilicet vel tertium aliquem cum paciscens Dæmonis aspectum, vel colloquium reformidat. Pactum tacitum est etiam duplex primò quando quis sciens volens signis superstitiosis utitur, quibus uti solent Magi, & Sortilegi: quæ quidem ex libris, aut sermonibus eorum, vel aliorum acceperit, secundum quando quis ignorans magicis signis utitur, quia nescit esse mala, & à Dæmone instituta, hæc tamen ignorantia, quia ut plurimum supina, & crassa est, sitque non eorum, qui scire non possunt, sed qui scire nolunt, à gravi peccato non excusat. Magia diabolica naturæ vim aut artificium persepe mentitur in characteribus, annulis, sigillis, & imaginibus, quæ certis suffumigationibus, & incantationibus dedicatæ, vel characterib⁹ & figuris peregrinis, seu barbaris nominibus insculptæ effectus admirabiles, & naturæ vim superantes producere creduntur, cum totam vim habeant à Dæmone, eò quia figuræ & characteres ad hos effectus nihil conferre possint. Et idem est judicium de Talismanis & figuris Constellationum, lapide vel metallo sympathetico insculptis. Maleficium est magiæ species, qua quis ope dæmonis alteri damnum parat; & triplex est, primum Soporiferum, cum Magi, vel Sortilegi, & Sagæ aliquem potione, malo carmine, certisque rebus soporant, & ei interdum etiam venenum infundunt, vel infantulos rapiunt, aut interimunt, vel furto quid subtrahunt, vel stupro, aut adulterio contaminant.

Alterum est maleficium amatorium, quod vulgò philtrum dici solet, quando aliquis in amorem impudicum sui vel alterius quempiam incendit, & ad patendum libidini suæ inflectit, & de hoc maleficio intelligitur illud Prophetæ Naum, cap. 3. *Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia.* Tertium Maleficium dicitur hostile, quo Magus aut Sortilegus bonis animi corporis, aut fortunæ damnum infert, aut inferre conatur. Hujus multiplices sunt species, aut modiscilicet fascinum, estque qualitas perniciosa dæmonum arte illata ob tacitum vel expressum hominis pactum cum dæmone. Sortilegi enim & sagæ pacisci solent, ut quos ex iracundia, vel livore aspexerint, iis dæmon perniciem inferat. Veneficium est, quo homines & pecora morbis gravissimis, & insolitis, aut morte effi-

afficiunt vel abortum, vel partus difficultatem, vel lactis exiccationem mulieribus. Hinc Cornelius Tacitus *lib. 2. Annal.* de scelere Pisonis, & morte Germanici ait: Reperiebantur solo & parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, & carmina, & devotiones, & nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum semiusti cineres, & tabe obliniti aliaque maleficia quæ his creditur animas numinibus infernis sacrare. Aliud est maleficium votivum, quo Dæmones à Magis, & strigibus in hominum corpora permittente Deo, immittuntur. Vana observatio est superstitio, qua mèdia inutilia adhibentur ad præstandum, vel omittendum aliquid ad quod illa media nec à Deo, nec à natura virtutem ullam habent, & hæc media adhibentur vel ad scientiam acquirendam, quæ superstitio proprio nomine dicitur ars notaria, seu spirituum. Est autem superstitiosa ratio adipiscendi scientiam sine humano labore per solam inspectionem quarundam figurarum, vel prolationem quorundam verborum certis etiam jejuniis, & orationibus adhibitis. Solent etiam adhiberi vanæ observationes ad corporum immutationem, sive ad morbos curandos, ad mitigandam dolorum acerbitatem, & ad sistendum fluxum sanguinis ad sananda inflicta corpori vulnera, ad quos effectus præstandos adhiberi solent certi charàcteres, figuræn, omina, certi ritus, aut res aliæ, quæ neque ex vi uatuææ, nequ; ex Dei, vel ecclesiæ instituto virtutem habent ad eosdem effectus præstandos, solent subinde etiam remediis naturalibus admisceri; ut cum coronæ ex herbis compactæ, certo numero, ac certa proportione capiti applicantur; cum cingulum ex iis compingitur in panno certi coloris; cum herbæ certis diebus, horis, certisque adhibitis verbis colliguntur, & collectæ eliguntur quasi ad effectum morbi curandi magis valeant; ut cum certæ precum formulæ ab ecclesia non institutæ, nec approbatæ in eundem finem usurpantur, & vocari solent *observantia sanitatum.* Rursus adhibentur etiam vanæ observationes ad futuros eventus prosperos cognoscendos, vel etiam contrarios, ut ex occursu fortuito quorundam hominum, vel animalium; vel ex pedum offensione in liminedomûs; vel ex certo numero sternutationum, vel ex fortuitis aliorum verbis, vel gestibus, quæ omnia dicuntur vanæ observationes. Pertinet etiam huc observatio temporum scilicet annorum, mensium, dierum, horarum, ; quasi sint quædam fausta, vel infausta. Habetur etiam observatio sacrorum, estque adhibitio rei sacræ, ut reliquiarum Sanctorum, evangelii, schedularum, in quibus sint scripta, vel impressa verba, & cruces, ad assecutionem effectus, ad quem nullam habent connexionem. De hisce superstionibus vanisque observantiis fuse & luculenter agit D. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 20. inquiens. *Superstitiosum est quicquid institutum est ab hominibus ad facienda & colenda idola pertinens, ad colendum sicut Deum creaturam, partemque ullam creaturæ; vel ad consultationes, & pacta quadam significationum cum dæmonibus placita, & fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium, quæquidem commemorare potiusquam docere assolent Poetæ &c.* & pergit recensens varia genera superstitionsum.

Sacrilegium ut est vitium religioni definitu oppositū *res sacræ violatio,* seu impia tractatio, ac dehonestatio. Cùm enim aliquid sacrum dicatur, quia ad divinum cultum refertur, & hac de causa ei debita sit veneratio, ac debita reverentia; ideo irreverentia in res, vel personas sacras redundat in Dei injuriam, estque peccatum oppositum religioni, concurrit tamen quasi semper cum aliis peccatis; . ut si quis furetur res sacra, vel interimat personam ecclesiasticam Deo dicatam. Species sacrilegii sunt tres sicut tria sunt rerum sacrarum genera: vel enim violatur sanctitas personæ, vel loci, vel rei sacræ: ad primum genus pertinet percussio personæ sacræ ut Clerici Monachi Monialis & ut habetur can. *Si quis suadente diabolo* causa 13. quæst. 4. Vel etiam voto castitatis obstrictæ fornicatio, vel quævis alia impudicitiæ species, etiam à persona sæculari perpetrata cum persona sacra, & è converso. Ad secundum genus sacrilegii pertinet violatio loci sacri; ut effractio, vel incendium ecclesiæ, vel monasterii, eversio altaris, homicidium vel effusio sanguinis in loco sacro, ut habetur can. *Ecclesiis dist.* 1. de consecratione, & cap. *proposuisti* extra *de conservatione ecclesiæ, vel altaris*; vel violatio immunitatis ecclesiasticæ, ut patet ex pluribus Pontificum responsis, extra *de Immunit. eccles.* cum persona privata, vel publica ad locum sacrum confugerat velut ad asylum; & inde vi, vel armata manu extrahitur; & authoribus hujus effractionis jus asyli denegatum est; ad hoc sacrilegii genus pertinet etiam furtum rei sacræ, vel profanæ in loco sacro canone *quisquis* causa 17. quæst. 4. revocantur itidem ad hoc genus sacrilegii mercatus, deambulationes, confabulationes præsertim impudicæ, quæ in locis sacris præsertim in templis fiunt, larvæ, itidem choreæ, ludi, & alia iis similia, quibus sanctitas loci violatur; ut fusè inhibetur à Gregorio X. in decreto concilii generalis Lugdunensis cap. *decet.* tit. *de immunitate eccles.* in 6. Ad tertium genus hujus sacrilegii pertinet omnis injuria, & irreverentia irrogata sacramentis, omnisque eorum violatio. & abusus, ut cum in statu peccati lethalis administrantur, recipiuntur, vel indignè tractantur, & maximè sanctissimum eucharistiæ sacramentum in quo continetur ipse Christus cum sua divinitate, & humanitate; ut etiam si vasa sacra huic sacramento inservientia indecenter tractentur; ut si quis calice consecrato uteretur in comessationibus, ac profanis potationibus, sacrilegii crimen incurreret exemplo Balthasaris Babyloniæ regis, qui divinam fuit ultionem expertus, eo quia abusus fuerat vasis templi Jerosolymitani Danielis 5. Hac de causa Mōnachi, & Clerici qui curis sacris abutuntur anathemate percutiuntur; Inter res sacras recensentur etiam cruces, reliquiæ sanctorum, libri sacri, Christi, ac Sanctorum imagines, quarum dehonestatio lethale est sacrilegium, ut constat ex septima Synodo ubi damnantur Iconomachorum, & Petrobrusianorum sectæ, sævientes in sacras imagines. Rursus huc pertinent vestes sacerdotales, & universa sacra supellex; hinc canones prohibent, ne palla altaris, aut velo, aliisque ornamentis, quæ divino inserviunt Ministerio defunctorum corpora involuantur Can. *altaris*, Can. *nemo* 39. & 4. dist. 1. de consecrat. *Quia sacro velamine usibus suis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluuntur*, estque ratio concilii Ivernensis, quod etiam prohibet: *Ne ad nuptiarum ornamentum ministeria divina præstentur; ne dum improborum contactu, pompaque sæcularis luxuriæ polluuntur, ad officium sacri ministerii videantur indigna.* Huc etiam spectant sacramentalia quæque ut aqua lustralis, panis benedictus; & alia id genus. Imo etiam signa sacra, ac tesseræ pietatis, quæ ab ecclesia approbantur, ut etiam vestes religiosorum, quibus si quis ad profanos usus abutatur, ut si panis bene-

benedictus canibus porrigatur;ad manducandum; si vestes religiosas in theatro, larvis, choreis quis adhibeat.

Impietas ut est tertium vitium, quod adversatur religioni, est injuria quælibet Deo illata: pressius tamen definitum negligentia cælestium, & æternorum, ac aliorum pertinentium ad animæ salutem. Hinc D. Gregorius lib. 25. Moral. cap. 10. ait. *Impius propriè dicitur, qui à religionis pietate separatur;* de Impiis dicitur Job. cap. 34. *Quasi impios erepuisit eos in loco videntium* quia stabant ubi Deum videre videbantur, & ibi tenebras dilexerunt, ubi lumen veritatis aspicitur, & licèt apertos habuerint oculos in fide, tenuerunt tamen eos clausos in opere, ne viderent recta, & proba quæ agerent.

Tentatio Dei ut est quartum vitium quod religioni opponitur, *est peccatum, quo aliquid dicitur, vel agitur ad explorandum quod possit, vel sciat Deus, aut quàm bonus, & pius sit.* Tentatur Deus verbis, vel factis, idque vel expressè vel interpretativè. Is dicitur expressè Deum tentare; quia ea intentione aliquid à Deo postulas, ut exploret Dei scientiam, vel potentiam, vel voluntatem. Factis autem censetur quis Deum tentare; quando per ea quæ facit intendit experimentum sumere divinæ potestatis, sive pietatis, aut scientiæ. Et ille dicitur interpretativè Deum tentare, qui tametsi non intendat experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit, vel facit ad nihil aliud utile nisi ad probandam Dei potestatem v,el bonitatem, vel cognitionem. Quando ergo propter aliquam necessitatem seu utilitatem committit se aliquis divino auxilio in suis petitionibus, vel factis, hoc non est Deum tentare. Dicitur enim in Paralog. cap. 2. *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nos non dirigamus ad te.* Quando verò hoc agitur absque necessitate, & utilitate, ut interpretativè Deum tentare, docet enim D. Thomas 22. *quæst.* 97. *artic.* 1. Omnis tentatio absque dubio ex aliqua ignorantia, vel dubitatione procedit, ignorare autem, vel dubitare de his quæ pertinent ad Dei perfectionem est peccatum. Unde manifestum est, quod tentare Deum adhoc ut tentans cognoscat Dei virtutem est peccatum; ut prohibetur in Deuter. cap. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum*, & Christus eadem verba usurpavit in deserto ad coercendam Satanæ tentationem: scriptum est: *non tentabis Dominum Deum tuum.* Tentatio Dei expressa peccatum est lethale, si sic plene deliberata. Ut etiam interpretativa, si procedat ex crassa ignorantia, & dubitatione de potentia, bonitate, misericordia, vel justitia Dei, quas nosse vel credere oportet: vel etiam si conjuncta sit cum periculo vitæ, aut gravis læsionis, ut si quis è loco excelso, rejecta scala se præcipitem daret, aut in morbo periculoso humana pharmaca nollet adhibere; vel si ex curiositate petantur miracula fieri à Deo: vel etiam ratione scandali tentatio Dei est semper peccatum lethale; in aliis tentatio Dei interpretativa censetur veniale tantum peccatum. Rei hujus tentationis fuerunt Israëlitæ murmurantes contra Moysen. Exod. 17. *cur fecisti nos exire de Ægypto, ut occideres nos, & liberos nostros, & jumenta siti* erant Israelitæ in deserto, ubi fluenta aquarum exaruerant: ac si Deus non satis curam illorum gereret, propter quos pluribus plagis afflixerat Ægyptios quos etiam demersit in mari rubro, ne ultra insequerentur Israëlitas fugientes ex Ægypto ad Dei mandatum iisdem per Moysem intimatum, quos propterea ne deflecterent à recto itinere prævius Angelus viam per quam ituri erant præmonstrabat interdiu sub figura columnæ nubis, & nocte sub specie igneæ columnæ, quâ prælucente sicco vestigio trajecerunt mare rubrum, cujus fluctus naturæ legum transgressores invecto divortio proprio in sinu iter aperuerunt tutum; imò non solùm maximi fluctus populo faverunt; verum & ipsum cælum cui in deserto manna pluit; adeo ut vocaverit Moyses *nomen loci illius tentatio, propter jurgium filiorum Israel*; & quia tentaverunt Dominum dicentes: Est ne Dominus in nobis an non? Hinc etiam David Psal. 77. *Tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis, & malè loquuti sunt de Deo, dixerunt: nunquid poterit nobis Deus parare mensam in deserto? Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt; numquid & panem poterit dare, ac parare mensam populo suo*, sed frustra timuit rex Achaz, ne Deum tentaret petendo signum ab illo, quia Deus volebat signum dare, non pro ipso tantum; sed pro totius populi instructione; & ideo reprehenditur, quasi bono communi, ac publicæ saluti vellet obicem ponere, nolendo signum à Deo petere.

# CAP. XIII.

## De secundo præcepto Decalogi

Secundum Decalogi præceptum est non assumere nomen Dei in vanum Exodi 20. *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* In primo præcepto jubemur Deum diligere, & colere; in hoc secundo præcipimur summa cum reverentia de illo loqui, ejusque nomen summa habere in veneratione, & nunquam in vanum illud assumere; cum igitur teneamur Deum diligere, & colere; non debemus quidquam agere quod illi displiceat, consequenter quod non usurpemus ejus nomen nisi summa cum veneratione; neque nisi prout infinitam decet majestatem; ait enim Deus per prophetam Malachiam, c. 1. *Filius honoret patrem, & servus Dominus suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus?* Hoc itidem præceptum est partim affirmativum, siquidem asserit nobisque injungit honorari nomen Dei, ut per illud non nisi verè ac sanctè juretur, & partim negativum nobis prohibens in vanum assumere nomen Domini, in testimonium falsi, neque temerè aut frustra nominetur, neque blasphemetur. Non tamen nomen Dei hic sumitur pro sola, & nuda voce, quâ Deum significamus; quia vox cum à nobis proferatur est quid finitum procedens à creatura, sed accipitur pro re significata, seu pro omnipotenti, ac sempiterna majestate unius in essentia, & trini in personis Dei; hoc enim est significatum per nomen Dei. Hinc inanis erat superstiti. Judæorum, qui Dei nomen quod scribere non verebantur, pronunciare tamen non audebant, quasi in quatuor literis tota vis Deitatis existeret. Cæterum diversis Deus exprimitur nominibus, ut cum dicitur Domuins, Omnipotens, Creator, Rex regum, dominus Dominantium, quæ nomina & alia pleraque in scripturis repeiruntur. Hoc Dei nomen multipliciter laudatur. Primò quando coram populorum frequentiis, & Principum præsentia fatemur Deum solum esse nostrum supremum Dominum, cui creaturæ omnes subjiciuntur; & Christum sa-

lutis nostræ congnoscimus ac fatemur Matth. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo; qui in cælis est.* Idque præstiterunt SS. Martyres coram Tyrannis in eos sævientibus pulchrè Tertullianus in Apolog. cap. 11. inquiens. *Omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit. Denique malefici gestiunt latere, trepidant deprehensi, negant accusati, ne torti quidem facilè aut semper confitentur; certè damnati moerent. Christianus verò quid simile? Neminem pudet, neminem poenitet nisi planè retro non fuisset. Si denotatur, gloriatur; si accusatur non defendit; interrogatus vel ultro confitetur; damnatus gratias agit. Quid hoc mali, cujus reus gaudet? cujus accusatio votum est, & pœna felicitas.* Secundò Dei nomen laudamus cum verbo Dei, quo ejus voluntas manifestatur, sanctè ac diligenter satagimus in ejus meditatione ea majore quâ possumus attentione insistere illud addiscere, perlegere audire, ac studiosè ut alius memoriæ hæreat; quapropter David *in lege Domini meditabatur die, ac nocte*; tum privatim, tum publicè hoc idem debemus & nos præstare, & quidem toto nisu; privatim id efficitur cum quis ex se Deum glorificat, lætaturque in enarrandis ejus laudibus: publicè cum celebrat coram omnibus Dei nomen, & ex creautris inducit gentes ad glorificandum creatorem; ex eleganti mundi opificio laudandam opificis sapientiam, ut omnes & singuli glorificent Patrem qui in cælis est: ut etiam cum quis omnes aversatur qui Dei nomen non glorificant, neque ut par est confitentur; imo ut nomen Domini blasphematur inter gentes, ut contra illos fuit David Psal. 41. inquiens: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, at nocte dum dicitur mihi per singulos dies ubi est Deus tuus:* iis irascebatur qui nomen Domini ignorantes minimè Deum glorificabant. Prædicatur etiam publicè à concionatoribus ad populum, & ab illis ministris quibus injunctum est officium nomen Domini prædicandi. Hinc Apostolus 1. Corinth. 9. *Prædica verbum insta opportunè, importunè.* Hinc contra hoc præceptum peccant Præsules ecclesiarum si negligant ministerio divino sibi injuncto insistere; qui temerè se ingerunt in promulgando evangelio absque legitima authoritate; qui sacram scripturam ad impiam tuendam opinionem detorquent; aut in pravos sensus deflcunt. Tertiò divinum nomen colunt, ac venerantur, qui officii causa divinas laudas celebrant, & de rebus omnibus sive prosperis, sive adversis gratias Deo agunt, cujus voluntati permittenti se conformant: quando doloribus corporis, vel tristitia animi affliguntur, vel calamitatibus, ac infortuniis premuntur repetunt cum S. Job. 1. *Sit nomen domini benedictum*; vel cum Davide: *Benedicam Dominum in omni tempore. Semper laus ejus in ore meo* Psal. 33. *Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen ejus in id ipsum.* Nomen Domini etiam colimus, quando ejus opem exposcimus, ejus auxilium petimus, ut actus nostros dirigat in via mandatorum suorum, nostrasque sanctificet operationes, quibus ei placeamus, Psal. 16. *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea* Psal. 43. *Inclina cor meum in testimonia tua.* Ps. 118. *Deduc me in semitam mandatorum* tuorū. Laudamus etiam nomen Domini quando diffidentes de proprijs viribus à Deo initium, se progressum, & finem rerum nostrarum Deo tribuimus, & cum Propheta asserimus. *Non in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me, sed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui*, ut etiam cum in angustiis, quibus premimur in tribulationibus quibus affligimur divinum imploramus auxilium, ut ab hisce nos liberet adversitatibus, & robur, viresque largiatur ad fortiter toleranda contraria id enim Deus à nobis exigit, cum dicat Psal. 49. *invoca me in die tribulationis eruam te, & honorificabis me.*

Quartò Laudamus, nomen Domini, cum illud in testimonium veritatis, quæ alioquin periclitaretur assumitur hinc habetur illud Deuter. 6. *Dominum Deum tuum timebis & illi soli servies & per nomen illius jurabis*, ex qua parte hoc secundum præceptum est negativum, prohibet, ne Dei nomen in vanum assumatur, nec per ipsum falso, frustra, ac temerè juretur. Ut autem justè, & sanctè juretur tres requiruntur conditiones scilicet, veritas judicium, & justitia ut docet D. Hieronymus in illud Jeremiæ 4. Jurabis vivit Dominus in veritate, in judicio, & in justitia: Tunc juramentum emittitur cum veritate, quando quod asseritur verum est ut asseritur, & quando qui jurat, arbitratur ita esse non quidem temerè & ex levi conjectura, sed certissimis argumentis adductus, non enim tantum cum aliquid asserimus verum etiam cum promissum juramento firmamus ita debemus esse comparati, ut cum tempus advenerit, & data fuit opportunitas, id præstemus re ipsa, quod promisimus, nisi mutentur rerum vices, & res promissa contingat aliter se habere adeo ut promittens, non intellexisset de talibus circumstantiis omittere, tunc judicium adnectitur jurejurando, quando non temerè, & inconsideratè, sed consulto adhibetur, adeo ut jurans debeat prius considerare, utrum necessitas urgeat præstandi tale juramentum & causa mereatur, ut illud præstetur, debet præterea spectare tempus attendere locum, & circumspicere alias circumstantias, quæ rei adnectuntur, quæ jurejurando asseritur; & non ex odio, aut amore, aut alio animi perturbatione, & affectu impellatur ad tale jusjurandum: sed ipsius rei exigentia juramentum expostulet: nisi hæc omnia serventur jusjurandum præceps est & temerè emittitur: hinc judicio adnectitur prudentia, qua cum pueri careant non admittuntur ad juramentum ante pubertatem, ut habetur *can. pueri. causa 22. quæst.* 5. & *can. honestum.* Justitia requisita ad juramentum est, ut quod promittitur, sit justum, & honestum, alioquin si foret injustum & inhonestum jurans peccaret, & ad implendo juramentum scelus sceleri accumularet, ut præstitit. Herodes Rex, qui jurejurando puellæ saltanti promisit, ac dedit in præmium ductæ choreæ caput S. Joannis Baptistæ. Simile etiam fuit juramentum Judæorum, qui se ipsos ea conditione devoverunt nihil gustaturos donec D. Paulum interemissent, ut habetur in actis Apostolor. cap. 21. Quòd si juramentum destituatur veritate fit perjurium, quod nihil aliud est nisi mendacium jure jurando firmatum, ut etiam cum deest justitia, quia tunc juratur res illicita, & jurnas falsitatem incurrit. Minus tamen propriè habetur perjurium quando juramento deest judicium temerè tamen qui jurat, periculo se immittit incurrendi falsitatem. Quamobrem perjurium propriè dictum falsitatem involvit: quia cum juramentum sit in confirmationem veritatis diametraliter opponitur falsitati, à qua habetur perversitas juramenti, quæ dicitur perjurium. Blasphemia itidem huic secundo opponitur præcepto, estque maledicentia, qua divinæ bonitati, & excellentiæ derogatur ex perverso voluntatis affectu, adeo ut per blasphemiam negetur aliqua perfectio in Deo quæ illi convenit, vel asseratur aliquid de Deo, quod illi non convenit, unde quoties de DEO quis neget aliquid; quod illi convenit, vel ei imponit, quod ipsi non convenit derogat divino bonitatis, & ex-

cel-

cellentiæ ejusque honoram quantum est in se imminuit; quod sive fiat verbis indicavi vel imperativi, vel optativi modi blasphemia profertur; ut si quis asserat, Deum esse improvidum authorem peccati; vel si optet eum res humanas non curare, peccata nostra ignorare, nec prohibere, nec punire aliquando fit per modum execrationis, ut si quis dicat pereat Deus, aliquando per modum hæsitationis, ut si Deus est justus, aliquando per irrisionis, ut fuit blasphemia illa Judæorum *Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus readificas illud.* Blasphemia aliquando est imperfecta. & est qua mens interius loquitur, & conceptus suos contra Deum exprimit non ex odio, vel detestatione Dei, sed ex quadam animi perturbatione; aliquando est perfecta cum quadam detestatione divinæ Majestatis conjuncta, quæ si menti tantùm hæreat, dicitur cordis blasphemia, cujusmodi est detestatio divinæ justitiæ in damnatis. Oris blasphemia cum verbis exprimitur, ut habetur Matth. 25. Ubi Christus ait: *De corde exeunt cogitationes mala, homicidia, adulteria fornicationes furta, falsa testimonia, plasphemia.* Rursus bipartitur in explicitam, & implicitam, illa profertur cum expressè, & prolatis verbis infertur convicium Deo auferendo ei bonum quod habet, vel affigendo malum quod non habet. Implicita, quæ non fit expressis verbis sed tantùm tacitè, & ex affectu, & innuit aliquid Deo convenire, quod ejus derogat excellentiæ, ut si quis dicat velit, nolit Deus hoc continget, quia tacitè vel virtualiter assereret Deum non posse illud impedire, consequenter non esse Omni potentem. Hinc aliquando blasphemiæ adnexa est hæresis, quando corde, & ore quis assentitur in blasphemiam hæreticalem.

Cæterum juramentum, quod est assumtio, seu imploratio divini testimonii ad aliquid affirmandum est assertorium quando aliquid de re præsenti, aut præterita religiosè affirmamus, ut Apostolus ad Galat. cap. 1. *Ecce coram Deo quia non mentior.* Alterum promissorium, ad quod refertur etiam comminatorium, & respicit tempus futurum, cum aliquid ita fore pro certo pollicemur, & confirmamus, cujusmodi est illud Davidis, qui Bethsabeæ conjugi jurans per Dominum Deum suum promisit Salomonem ejus filium regni hæredem futurum 3. Reg. cap. 1. Ut autem juramentum licitum sit plures exigit conditiones: Primò ut non adversetur divinis præceptis, quia lex Domini immaculata, & sencta, & tunc juramentum approbatur Deuter. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis.* Quod tamen non ita debet intelligi quasi Deus tunc jusserit juramentum, sed in nomine alterius Dei jurare prohibuit, ut explicat D. Augustinus *quæst. 2. in Deuteron.* & Psal. 62. *Laudabuntur omnes qui jurant in eo.* Hæretici tamen asserentes non esse licitum jurare præsertim Waldenses olim dicti pauperes de Lugduno, adferunt illud Christi Matth. 5. Ubi ait: *Audisti, quia dictum antiquis non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est, neque per terram quia scabellum est pedum ejus: nec per Jerosolymam quia civitas est magni regis neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum, sit autem sermo vester est, est, non, non. Quod autem his abundantius est à malo est.* Sed contra quia præfatis verbis Deus generatim non damnat juramentum, sed perversum Judæorum judicium redarguit, qui existimabant nihil in juramento cavendum esse præter mendacium unde in rebus levissimis, & nullius ponderis vel momenti exigebant juramentum, quam facilitatem jurandi reprehendit Christus, docetque à juramento esse abstinendum, nisi gravis necessitas ad id nos adigat, & veritas periclitetur, cum enim jus jurandum ob humanam imbecillitatem fuerit institutum à malo provenit, quia jurantis inconstantiam prodit vel levitatem indicat, aut illius, cujus causa juramus contumaciam, quique ut veritatem credat non aliter adduci potest. Habet tamen jurandi necessitas suam excusationem, & cum Salvator dixerit: *Sit sermo vester est, est, non non,* apertè declarat hac loquendi formula seu jurandi consuetudinem in colloquiis familiaribus, & ubi de rebus levioribus agitur prohibère ne immodica propensio, ac prava consuetudo, ac perjurium facilè pertrahat incautos. Cæterum jus jurandum si necessitas urgeat, ne veritas corruat licitum est, quia habet originem ex fide qua homines credunt Deum esse primam, & summam veritatem, quæ nec falli possit, nec fallere cujus oculis nuda sunt omnia, & aperta, ac rebus humanis admirabili providentia consulit, & mundum administrat, hac enim fide imbuti homines, Deum veritatis testem invocant cui propterea fidem non præstare impium sit ac nefarium finis itidem juramenti est probatio justitiæ, ac innocentiæ hominis, hinc Apocal. 10. habetur: *Angelus levavit manum suam ad cælum, & juravit per viventem in secula seculorum.* Apostoli etiam quando necessitas exegit usi & ipsi fuerunt jurejurando ut constat ad Roman. 1. 9. ad Corinth 1. 23. ad Philip. 1. 8. & David eos commendat, qui jurant in Deo Psal. 62. *Laudabuntur omnes qui jurant in eo* imò asserit & Deum ipsum adhibuisse juramentum Psal. 109. *Juravit Dominus, & non panitebit eum: Tu es sacerdos in aternum secundùm ordinem Melchisedech,* quapropter juramentum à Conciliis, & summis Pontificibus approbatur, & in quibusdam negotiis etiam indicitur *can. omne causa 22. quæst. 1. cap. nimis extra de jurejurando.* Rursus approbatur in Concilio Toletano VIII. in Lateranensi sub Innocentio III. in Constantiensi sess. 8. inter articulos Joannis Wicleffi Hinc D. Augustinus in comment. epist. ad Galat. ait: *Non est contra praceptum juratio, qua à malo est non jurantis, sed incredulitatis ejus qui jurare cogitur.* Et lib. de mendacio cap. 15. ait: *Juravit ipse Apostolus in epistolis suis, & sic ostendit, quomodo accipiendum esset, quod dictum est, dico vobis non jurare omnino, ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi perveniatur, ex facilitate ad consuetudinem, atque ita ex consuetudine in perjurium decidatur, & ideo non invenitur juràsse nisi scribens, ubi consideratio cautior non habet linguam pracipitem, & hoc utique à malo, sicut dictum est Matth. 5. Quod autem amplius à malo est non tamen suo, sed eorum infirmitatis quibus etiam sit fidem facere conabatur.* Præterea Christus redarguit scribarum, & Pharisæorum errorem qui juramenta per creaturas facta existimabant non obligare & illorum transgressionem non esse perjurium, excipiebat tamen quædam quæ propriæ inserviebant avaritiæ ut aurum templi, donaria Deo oblata quæ cedebant in sacerdotum usum, & emolumentum, quem errorem redarguit Matth. 23. *Va vobis duces caci qui dicitis: quicunque juraverit per templum nihil est. Qui autem juraverit in auro templi debet. Stulti, & caci, quid enim majus est aurum, an templum, quod sanctificat aurum? & quicunque juraverit in altari nihil est, quicunque autem juraverit in donum, quod est super illud, debet. Caci! quid enim majus est donum an altare, quod sanctificat donum,* quibus, Chri-

Christus ostendit, non minus homines obligari juramento præstito per Creaturas quàm si expresso Dei nomine jurâssent; quia in creaturis relucet summa Dei veritas, & quævis creatura habet relationem ad Deum unde non omne juramentum prohibet Deus, sed tantùm, quòd emittitur sine necessitate, & quod de rebus levioribus, ac nullius momenti fit, hanc pravam jurandi consuetudinem apud Antiochenos fuisse commemorat S. Joannes Chrysostomus homil. 9. in act. Apostolor. Ubi nervosâ eloquentia hanc inolitam Consuetudinem evellit, quia jurare absque urgente necessitate, & quòd verum non est, semper est malum, adeo ut perjurium sit peccatum lethale eo quia jurans falsum gravem Deo injuriam irrogat, quia illi inscitiæ notam inurit; dum ipsum arbitratur rei veritatem latere; ideoque docet D. Thomas 2. 2. quæst. 98. art. 2. Perjurium manifestè est peccatum Religioni contrarium, cujus est Deo reverentiam exhibere, hinc Levit. 19. 12, *Qui in nomine Dei pejerat, nomen Dei dicitur polluere: non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui ego Dominus.* Idque causæ cur Deus severissimè puniat perjurium ut constat Zachar. cap. 5. ubi habetur: *Hac est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ, quia omnis fur judicabitur; & omnis jurans ex hoc similiter judicabitur.* Reus est perjurii, non solùm qui jurat tanquam verum, quod cognoscit falsum esse, verùm etiam temerè, & inconsideratè jurat, quod verum esse putat, & forte verum est. Non tamen est perjurus ille, qui falsum jurat, quod putat esse verum, sicut ille qui jurat quod putat esse falsum, ut ex D. Augustino refertur *in can. homines, causa 22. quæst. 2.* & ei suffragatur D. Thomas 2. 2. *quæst. 98. art. 1. in respons. ad* 3. Perjuri sunt, qui promissum juramento confirmant, cum proposito tamen non implendi quod promittitur, vel illud revera non implent cùm res promissa possibilis, & licita est, nec est impedimentum melioris boni, quia si non implet cum potest, & debet negligit jus jurandum, ac reus est propterea perjurii, quia ex animi sententia jurare sicut verbis percipitur, & id non facere, perjurium est, unde D. Thomas. 2. 2. quæst. 89. art. 7. ait: Quicunque jurat aliquid se facturum obligatur ad id faciendum, ad hoc quod veritas impleatur: si tamen alii duo comites adsint, scilicet judicium, & justitia, est enim lex Dei Exodi 20. & Matth. 5. *Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua.* Est etiam reus perjurii, qui promittit aliquid, quod non est in ejus potestate, nec probabiliter futurum est, si promissum imprudens juramento confirmet, quia ut docet D. Thomas *loc. cit. art. 7. Si est talis res quæ in ejus potestate non fuit: deest juramento discretionis judicium: nisi forte quod erat ei possibile: quando juravit, reddatur ei impossibile per aliquem eventum puta cum aliquis jurat se pecuniam soluturum, quæ ei postmodum vi, vel furto subtrahitur, tunc enim videtur excusatus esse, à faciendo, quod juravit, licet teneatur, quod in se est.* Est etiam perjurii reus qui jurat aliquid per se malum, aut quod melioris boni impedimentum est quamvis juramentum postea servet, & tunc perjurio addit aliud scelus ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 89. art. 7. inquiens: Si verò sit quidem possibile fieri, sed fieri non debeat, vel quia est per se malum, vel quia est bonum impeditivum tunc juramento deest justitia, & ita juramentum non est servandum in eo casu, quo est peccatum, vel boni impeditivum. Secundùm enim S. Augustinum utrumque horum vergit in deteriorem exitum; ait enim D. Augustinus libi de bono conjugali cap. 4. *Cum ad peccatum admittendum adhibetur fides mirum si fides appellanda est, verumtamen qualiscunque sit & contra ipsam sit pejus fit: nisi cum propterea deseritur, ut ad veram fidem ac legitimam redeatur, id est, ut peccatum emendetur voluntatis pravitate correcta.* Quo pacto adultera fidem datam adultero præscindit ut ad fidem conjugalem revertatur, & refertur *can. si peccatum. causa 22. quæst. 4.* & can. *mulier.* quia juramentum non fuit institutum ut esset vinculum iniquitatis, ut habetur can. *inter cætera* consequenter quoties est de re mala vel impeditiva rei bonæ nullius est valoris, & jurans est perjurus, ut etiam qui in re levi, & joco juramentum profert, ac peccat lethaliter ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst. 98. art. 3. in respons. ad.* 2. ubi ait: Ille qui jocosè perjurat non evitat divinam irreverentiam, sed quantum ad aliquid magis auget, ideoque non excusatur à peccato mortali, & Innocentius XI. meritò damnavit Propositionem ex ordine 24. quæ fuit: *vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

Generatim juramenta quæ vergunt in pejorem exitum non sunt servanda, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst* 89. *art.* 7. & Can. *Si aliquid* causa 22. quæst. 4. ex venerabili Bede dicitur: *Si aliquid fortè incautius non jurasse contigerit, quod observatum pejorem vergit in exitum, illud consilio salubriore mutandum noverimus.* Juramentum tamen metu extortum obligat, & qui illud violat fit perjurus nisi prius juramenti vinculum solvatur à Pontifice, vel Episcopo, & desumitur ex cap. *debitores* Extra. de jurejurando, ubi Alexander III. eos qui se ad solvendas usuras simplici promissione obstrinxerunt, ait: ad solvendum esse cogendos inquiens. *Si verò de ipsarum solutione juraverit cogendi sunt Domino reddere juramentum, & cum usuræ solutæ fuerint Creditores ad eas restituendas sunt Ecclesiastica severitate si necesse fuerit compellendi.* Cælestinus III. interrogatus de illis, qui jus jurandum inviti pro vita vel rebus servandis emittunt, respondet se nihil aliud arbitrari, quâm quod Antecessores sui Romani Pontifices arbitati fuisse noscuntur, qui tales à juramenti vinculo absolverunt: unde vinculo juramenti licet per vim, metumne extorti erant obstricti, antequam pontificia authoritate solverentur Addit Pontifex: *Cæterum ut agatur consultius, & auferatur materia pejerandi; non eis ita expressè dicatur ut juramenta non servent. Sed si non ea attenderint, non ob hoc sunt tanquam pro mortali crimine puniendi.* Perjuri itaque sunt, qui à juramento per vim & metum extorto non absoluti illud non servant; licet transgressores hujus juramenti labem incurrant peccati lethalis; in foro tamen exteriori non sunt puniendi, ut perjuri; & ita statuitur ab ecclesia tum in detestationem inferentis injuriam tum ex commiseratione illius qui fuit injuriam passus D. Thomas 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 3. assignat discrimen inter promissionem juramento, firmatâ homini, & aliam, quæ fit Deo, & docet, in juramento quod quis coactus emittit duplicem esse obligationem. Una quâ obligatur homini, cui aliquid promittit, & hæc obligatio tollitur per coactionem, quia ille qui vim intulit, hoc meretur ut ei non servetur promissum, eo quia injuriosè extorsit juramentum. Alia est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promisit: & hæc obligatio non tollitur in foro conscientiæ, quia magis debet damnum temporale sustinere, quàm jura-

juramentum violare. Poteſt tamen repetere in judicio, quod ſolvit, vel denuntiare Prælato non obſtante quod juravit contrarium, quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum, & eſſet contra juſtitiam publicam, ſed Romani Pontifices ab hujusmodi juramentis abſolverunt homines non quaſi decernentes hujusmodi juramenta non eſſe obligatoria, ſed quaſi relaxantes ex juſta cauſa hujusmodi obligationes. Hoc tamen juramentum ſi fuerit dolo vel errore extortum, adeò ut dolus fuerit cauſa promiſſionis vel contractus tunc irritum eſt; ſin verò dolus non ſit cauſa promiſſionis vel contractùs firmum eſt juramentum ac validum, ratio eſt, quia ubi dolus eſt cauſa promiſſionis vel contractus, conſenſus eſt nullus, quia jurans, ſi dolus ceſsâſſet, non jurâſſet; eodem modo mulier, quæ dolo fratrum circumventa renuntiavit hæreditati paternæ, dotem longè excellenti, & ceſſionem firmavit juramento eidem non tenetur ſtare, quia ſi ceſsâſſet dolus mulier non ceſſiſſet paternæ hæreditati neque ceſſionem firmâſſet, ut habetur in cap. *cum contingat.* extra de jurejurando, ubi Innocentius III. reſpondet mulieres non eſſe audiendas in judicio contra alienationem rei dotalis cui ſponte conſenſerant, & ne ulterius contravenirent proprio juramento firmaverant inquiens: *Nos fraternitati tuæ taliter reſpondemus, quod & ſi mulierum conſenſus in talibus non videatur obligatorius, ſecundùm legitimas ſanctiones, ne tali tamen prætextu viam contingat perjuriis aperiri mulieres ipſæ ſervare debent hujusmodi juramenta, ſine vi & dolo ſpontè præſtita cum in alterius præjudicium non redundent, nec ſervata vergant in diſpendium ſalutis æternæ.* Hinc à ſenſu contrario ſi hujusmodi juramenta fuerint vi & dolo ita extorta, ut præſtita non fuiſſent, ſi vis, & dolus ceſsâſſent, mulieres ad tale juramentum non obligantur, ut nec etiam vinculo ligantur eorum, quæ in alterius damnum redundant, vel obſervata vergunt in diſpendium æternæ ſalutis, & hoc confirmatur ex cap. *licet* de jurejurando in 6. In his tamen caſibus tutius erit, ſi petatur abſolutio, ut ſentiunt plures Doctores; quia juramento etiam per vim & dolum extorto ſolent viri pietati addicti reverentiam referre, ut oſtendit exemplum Joſue & Principum Iſrael qui per Gabaonitarum de terra longinqua ſe venire ſimulantes nuntios dolo circumventi pacem ipſis, & incolumitatem jurârunt. Sed comperto poſtea dolo, qui cauſa fuerat conceſſæ pacis, & fœderis juramento firmatæ, cum in eorum civitates veniſſent: *Non percuſſerunt eos, eò quia jurâſſent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Iſrael;* ut habetur Joſue 9. & cum populus murmurâſſet ac fuerit oblocutus contra Principes Iſraël, reſponderunt eis: *Juravimus illis in nomine Domini Dei Iſrael, idcirco non poſſumus eos contingere, ſed hoc faciemus eis; reſerventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur ſi pejeraverimus.* Peccant etiam lethaliter, ſuntque perjurii rei qui dolosè jurant proferentes verba jurisjurandi ſine animo jurandi, vel ſuam fidem obligandi quapropter etiam ſunt perjuri, qui reſtrictiones mentales, æquivocationes, amphibologias jurejurando adhibent; quia hi omnes mentiuntur. Nec quid aliud eſt perjurium, quàm mendacium juramento firmatum, & illi mentiuntur, qui juramenti verba proferunt non intendentes jurare, nec ſe obligare. Rurſus qui reſtrictiones mentales, & æquivocationes in juramentis adhibent etiam mentiuntur, quia verbis ſignificant, quod in mente non habent contra finem ob quem inſtitutæ ſunt voces. Vel aliud volunt, quàm verba ſignificent ſecundùm ſe, & ſecundum comunem loquendi morem, ac perſonarum, ac negotiorum circumſtantias, ideoque abutuntur verbis inſtitutis ad humanam ſocietatem invehendam, & fovendam; hinc David Pſal. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo;* & reſpondet: Qui loquitur veritatem in *corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua, qui jurat proximo ſuo, & non decipit.* Unde qui Sophiſticè, æquivocè, & cum mentali reſtrictione loquitur is dolosè jurat & facturum ſe eſſe aliter quàm promittit, unde Auguſtinus epiſt. 126. ait expectationem eorum quibus juratur quisquis deceperit, non poteſt non eſſe perjurus, quapropter Innocentius XI. damnavit has propoſitiones, quæ ſunt: *Qui mediante commendatione vel munere ad Magiſtratum vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato legis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.* Et hæc alia: *Si quis vel ſolus, vel coram aliis ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocunque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum revera non mentitur nec eſt perjurus.* Et etiam hæc alia: *Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi ſive res ſit levis, ſive gravis.*

Per blaſphemiam etiam peccatur contra hoc ſecundum præceptum ſiquidem blaſphemia aſſumit nomen Dei non ſolùm in vanum, ſed etiam contumeliosè eſtque graviſſimum peccatum, & quidem ut docet D. Thomas *quæſt.* 13. *art.* 3. peccatum gravius homicidio, adeo ut Deus Levit. 24. lapidationi addixerit blaſphemos, & frequenter eos punivit, quo pacto lingua Nicanoris in partes diſciſſa eſt, & data avibus ad devorandum, eò quia blaſphemias protulerit, ut habetur 2. Machab. 15. Rurſus Herodes ob prolatam blaſphemiam à vermibus corroſus, & abſumptus iniquam animam egit. Antiochus inſanus factus fuit, & Sennacherib percuſſus fuit inviſibili plaga ut etiam plures alii fuerunt à Deo puniti, eò quia blaſphemias obtulerint, imò & leges civiles ſub graviſſimis pœnis blaſphemias prohibent. Pertinet blaſphemia ad infidelitatem, & eſt verbum, quo injuria Deo irrogatur vel Sanctis, quos quis ex pravo affectu cordis injuriis afficit, ac contumeliam iiſdem infert, vel negando quod ipſis proprium eſt, vel aliquid imponendo quod ipſis non convenit. Diſtinguitur autem blaſphemia in ſimplicem, & hæreticalem, ſeu hæreſi conjunctam. Illa eſt, quæ non tam fit per modum aſſertionis, ſeu enuntiationis, quàm per modum deteſtationis, & cujusdam imprecationis in Deum, ut ſi quis maledicat Deum, ac probroſa verba in eum proferat, vel contumeliosè quasdam partes corporis Chriſti nominet. Hæreſi conjuncta eſt, quæ aliud de Deo aſſerit, vel de illo negat, quod eſt fidei contrarium, ut ſi quis dicat Deum non eſſe juſtum, non eſſe providum, non eſſe miſericordem, & id pertinaciter aſſerat. Hinc blaſphemia eſt ſcelus perjurio gravius, ut aſſerit D. Auguſtinus lib. contra Mendacium cap. 19. inquiens: *Ideo autem pejus eſt blaſphemare, quàm pejerare, quoniam pejerando falſæ rei adhibetur teſtis Deus, blaſphemando autem falſa dicuntur de ipſo Deo. Tantò eſt autem quisque inexcuſabilior ſive perjurus, ſive blaſphemus, quantò magis ea, quæ pejerando, & blaſphemando aſſerunt, falſa noverunt eſſe, vel credunt.* Et de blaſphemia ait Sapiens Eccleſiaſt. 23. *Eſt & alia loquela contraria morti* (ſeu maximè mortifera)

*non inveniatur in hæreditate Jacob.* Adeo enim est blasphemia horrendum & detestabile scelus, ut dicatur contraria morti, & benedictioni Dei. Hinc blasphemus est, qui deliberatè, & cum plena cognitione profert verba contumeliosa in Deum, & Sanctos advertens ad eorum significationem, quamvis non habeat actualem intentionem blasphemandi, ut scribit Apostolus 1. ad Timot. cap. 1. inquiens: *Prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum in quia ignorans feci, incredulitate*; unde multò magis erit blasphemus, qui sciens verba convicii, & contumeliæ in Deum vel Sanctos profert. Docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 2. *ad* 3. blasphemiam posse proferri ex deliberatione, ex surreptione & quidem dupliciter. Primò quod aliquis non advertat, blasphemiam esse, quod profert. Idque potest contingere, cum aliquis subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat; & tunc est peccatum veniale, & non habet propriè rationem blasphemiæ. Secundò quando advertit verbum illud quod protulit esse blasphemiam, & simul considerat ejus significatum, & tunc non excusatur à peccato mortali, unde is est reus blasphemiæ, qui ex subito motu iræ verba contumeliæ, convicii, & improperii in Deum & Sanctos profert, quamvis ex quadam consuetudine in talia contumeliosa verba prorumpat. Hinc Judices non plectentes blasphemos juxta sanctionem legum rei fiunt peccati gravis, quia si rei perfidiæ sunt in Regem, quando dissimulant crimen Læsæ Majestatis, ita sunt perfidiæ rei in Deum quando irrogatas ipsi contumelias à blasphemis non vindicant, quapropter Leo X. in Concilio Lateranensi statuit, ut sæculares judices, qui contra tales blasphemiæ convictos non animadverterint, eosque justis pœnis minimè affecerint, quantum in eis fuerit, quasi eidem sceleri obnoxii eisdem quoque pœnis subjiciantur, qui verò in illis inquirendis, puniendisque diligentes, ac severi fuerint pro qualibet vice decem annorum indulgentiam consequantur. Ad blasphemiam reducitur peccatum illud, quod perpetratur maledicendo creaturas, quod potest quadrupliciter fieri; primò eas considerando quatenus sunt creaturæ Dei, & hac de causa, qui illis maledicit blasphemus est. Secundò ratione alicujus creaturæ rationalis cujus illæ sunt, maledicere, & imprecationem contra armenta, & vineas proferre, quia id adversatur proximo. Tertiò possunt considerari creaturæ rationales, & etiam inanimatæ secundùm se præcisè, & hac ratione illis maledicere est actus otiosus, & peccatum veniale. Quartò possunt considerari ratione alicujus mali vel incommodi quod inferunt, & hac ratione illis maledicere non est peccatum, quia est potiùs ipsi malo quàm creaturæ maledicere, quo pacto Job maledixit dici suo natali, & David montibus Gelboæ in quibus Saul occisus est.

Ad hoc secundum præceptum reducitur votum, quod fit ordinariè verbis vel corde, est enim votum quoddam genus sponsionis quo quispiam ætatis, vel saltem rationis maturæ deliberatione, & proposito antegressis aliquod excellens bonum, quod in sua libera potestate situm est sponte Deo promittit, & est Latriæ actus servandus summa religione ob fidem, per ipsum Deo datam; definitur enim votum: *Promissio deliberata Deo facta de aliquo meliori bono*; dicitur Deo facta, quia votum est actus religionis, & latriæ, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 88. & soli Deo fieri debet, & licèt nonnunquam à fidelibus fiant etiam Sanctis, id debet intelligi ad eum modum, quo templa, & altaria Deo dicantur, quatenus scilicet in honorem Sanctorum Deo dicantur. Vel in quantum censetur homo vivere ipsi Deo id quod Sanctis se impleturum promittit. Quòd si promissio alicujus pii operis fiat alicui Sancto præcisè ad honorem ejus, & ædificationem ejus sanctitatis, & gloriæ, tunc ejusmodi promissio est quidem sacra, & ad Dei cultum mediatè ordinata; sed non est propriè votum, neque actus latriæ, sed tantùm cultus duliæ, seu observantiæ, qui actus respicit proximè, & immediatè creaturam. Additur de meliori bono, ut explicetur materia voti, quæ bona, & honesta esse debet, alioquin non obligat; omnis enim promissio alteri sit, & id ei promittitur, quod est illi gratum, & hoc non fit nisi res promissa sit ei grata, præterea hæc particula, *de meliori bono*, non ita intelligitur, ut quod vovetur, debeat esse semper optimum, sed ut melius sit, quàm ejus oppositum; materia enim voti debet esse aliquid Deo gratum; & illud est Deo gratum, quod est melius quàm ejus oppositum, hinc si quispiam voveat jejunium validum est votum, quia tametsi non sit optimum inter omnes actus virtutum, est tamen melius quàm oppositum, seu non jejunare; hinc votum non obligat, si fiat de eo, cujus oppositum est melius; quia Deus non acceptat promissionem, cujus omissio magis eidem placet, quàm ejus executio, quapropter, qui voveret in anno probationis egredi à religione, in qua agit Novitiatum, votum est nullius valoris, quia status religiosus est melior statui sæculari. Si quispiam etiam voveret uxorem ducere irritum esset votum, quia cœlibatus, & castitas magis Deo placet, quàm status matrimonii. Ut etiam invalidum est votum castitatis, vel religionis, vel non nubendi, si fiat ab eo, cui salubrius est matrimonium, eò quia non possit se continere, & frequentissimè cadat in res venereas, quia votum debet esse de meliori bono, & in tali casu matrimonium esset voventi salubrius. Verùm examinanda diligenter est natura voventis, quia potest homo, si velit tentationibus obsistere, & illas vincere, & quisque ad eas excutiendas tenetur, ut etiam ad occasiones fugiendas, unde ob hanc rationem votum castitatis, ut etiam religionis suum sortitur valorem quidquid censeant alii. Quæ autem ex voto fiunt plus secum trahunt meriti, docet D. Thomas dignitatem operis posse considerari ex dignitate virtutis. Votum ex se actus latriæ imperatæ à religione, quæ præcipua est inter virtutes morales, inde fit, quod actus inferioris virtutis melior sit, ac magis meritorius, eò quia imperetur à superiori virtute, quemadmodum actus fidei, & spei melior est, si imperetur à charitate, proinde etiam operâ aliarum virtutum moralium, ut jejunare, quod est actus abstinentiæ, & se continere quod est actus castitatis meliora sunt, si fiant ex voto, quia sic pertinent ad cultum divinum quasi quædam sacrificia, unde Augustinus lib. de Virgin. cap. 8. ait: Quod ipsa virginitas, non quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur, quia sic procedit ex imperio virtutis religionis. Præterea quia vovens plus se Deo subjicit, quàm qui solùm facit quantum ad actum, quia se subjicit non solùm quoad actum, sed etiam quoad potestatem Deo, quia non potest aliter facere, quia dat potentiam cum suis actibus, sicut qui non solùm daret fructus arboris, sed etiam ipsam arborem cum suis fructibus, ut exemplificat D. Anselmus *lib. de similitudinibus cap.* 84. Præterea quia aliquid præstare ex voluntate firmata in bonum pertinet ad perfectionem virtutis, ut docet Aristoteles 2. Ethic. cap. 4 quia sicut peccare mente obstinata, & contumaci, aggravat peccatum, quod dicitur committi

mitti in Spiritum Sanctum, ita votum emissum à voluntate obfirmata in bonum est perfectiùs.

Quòd si dicas meliùs esse donare quid gratis, quàm ex obligatione, consequenter illos actus virtutum esse meliores, qui eliciuntur sine obligatione quam cum voto. Contra est, quia actus eliciti ex voti obligatione etiam ipsi fiunt ex obligatione, quæ liberè fuit suscepta, adeo ut ipsa obligatio oriatur ex liberali promissione, unde quod ex ea datur etiam gratis datur, quia obligatio, quæ oritur ex promissione liberali, non repugnat liberalitati, sed est ejus effectus. Præterea quamvis hominibus sit gratiùs, quod iisdem gratis datur, quàm ex obligatione, eò quia cum gratis accipiunt aliquid lucrantur; Deo tamen non semper est gratius, quia non quærit lucrum ex operibus nostris, unde illud est Deo gratius, quod ex pluribus, & melioribus effectibus procedit; hinc expetit aliquid vovere, & consultius est opus bonum facere ex voto, quia tunc imperatur à virtute religionis, hinc David Psal. 75. ait: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro.* Tum quia hæc cedunt in majorem nostram utilitatem; siquidem hominibus promittimus aliquid ob ejus utilitatem, sed Deo propter nostram.

Neque obstat, quod emittens votum se periculo injiciat non servandi votum, & votum non servatum in maximum voventis detrimentum resultat, respondetur, quòd si periculum nascatur ex ipso facto, tunc illud non est expediens, ut quis per navem rimosam, & ruinosam mare trajiciat, quia adest periculum submersionis, secus si periculum immineat ex eo, quod homo deficiat ab illo actu, adhuc actus ille est expediens, perinde ac proficiscenti in aliam regionem expediens, est equum ascendere, vel in rheda sedere, alioquin si tunc conveniens non esset actus, deberemus ab omni actu bono cessare, quia actus potest semper ex aliquo eventu, secum periculum aliquod trahere. Si dicas voluntatem quæ dicitur à voto firmari non posse magis firmari quàm cum actu id præstat, quod vult, consequenter non esse melius, aliquid præstare ex voto, quàm sine voto. Contra est, quia tunc quando voluntas firmatur per votum fit immobilis respectu operis, quod vovit, quando illud præstat, & etiam in futuro, quatenus erit voluntas præstatura tale opus, quapropter beneficio voti firmatur dupliciter voluntas de futuro, quòd sit opus præstitura, & de præsenti, quando illud præstat; sine voto autem est tantùm firmata in bonum de præsenti, quando illud ponit.

Si dicas D. Paulum 2. *Corinth.* 9. docere serviendum esse Deo prout homo destinavit in corde suo non ex tristitia, aut ex necessitate; sed multi postquam emiserunt votum, tristantur, eò quia ex necessitate debeant præstare, quod voverunt; unde hi ex tristitia, & necessitate non ex corde eliciunt talem actum virtutis. Sed contra quia alia est necessitas coactionis, & alia quæ procedit à voto; necessitas enim coactionis quia contraria voluntati tristitiam gignit, ut docet Aristoteles 5. Metaph. text. 6. secus necessitas voti, in his qui sunt bene dispositi in voluntate causat gaudium, illudque confirmat, si tamen ipsum opus secundum se consideratum triste, & involuntarium redderetur post votum, dummodo remaneat voluntas adimplendi votum, adhuc magis est meritorium, quàm si eliceretur sine voto; ratio est, quia impletio voti, est actus religionis, quæ est perfectior virtus quàm abstinentia, cujus actus est jejunare. Præterea cum votum sit voluntarium influit in omnes actus libertatum, quos propterea liberos efficit. Hinc David Psal. 53. *Voluntariè sacrificabo tibi.*

Hinc certum est de fide Deo vovere esse opus non præceptum, animo deferendi cultum ac illi placendi, Psal. 75. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus offertis munera terribili, & ei, qui aufert Spiritum Principum,* quibus verbis cum præcipiamur à Deo vovere, nulli potest dubium esse, quin votum bonum sit, & vovere opus religionis, ac meritorium & additur etiam ratio, quia terribilis sit, & jus habeat summum vitæ, & necis in omnes Isaiæ 19. *Cognoscent Ægyptii* (seu gentes conversæ) *Dominum, & colent eum in hostiis, & muneribus, & vota vovebunt Domino, & solvent.* Hæc dicta fuisse de Christianis censet Cyrillus & cum ipso etiam alii Expositores.

Præterea quia mos edendi vota Deo antiquissimus est; siquidem de Patriarcha Jacob legimus Genes. 28. *Votum vovi, si fuerit Dominus mecum, erit mihi in Deum cunctorum decimas offeram.* Sancti Patres itidem ab initio ecclesiæ militantis in terra cultores fuerunt votorum, ut & instituti monastici, neque ipsi ex alio fine emiserunt vota, quam ex sincera devotione colendi Deum. Ratio etiam suadet bonum esse Deo vovere, quia implicat fieri votum, sine animo colendi Deum saltem implicitè; siquidem intrinsecè votum est quidam Dei cultus, & nulla fit Deo promissio vel oblatio, causa utilitatis conferendæ nobis, sed tantùm causa adorandi, gratumque Deo offerendi obsequium; hæc enim est communis intentio omnium voventium; Præterea quia si votum potest ob aliam causam fieri cur non etiam in Dei obsequium, ut Deus honoretur, eique placeamus hinc D. Paulus nos hortatur, ut omnia ad Dei gloriam faciamus, & ex scripturis constat vota placere Deo, quapropter possumus vota elicere, ut Deo placeamus. Ratio itidem naturalis id suadet, quia Numini vota nuncupare omnes gentes consueverunt, putantes se hoc pacto Deum colere, & si votum non impleverint graviter in illos peccare, hinc Deuter. 23. *Si votum voveris non tardaveris reddere, quia requiret illud Dominus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum; si nolueris polliceri, eris absque peccato.* Unde constat evidenter votum esse cultum Dei specialem, quia illo protestamur actum virtutum, & ei placere.

Quòd si dicas omnes fideles profiteri fidem Christi, consequenter esse ei adstrictos propterea non debere alia vota emittere, cùm omnia nostra Deo debeantur. Sed contra, quia tametsi omnia nostra debita sint Deo, eique obstricta, quatenus ab illo omnia accepimus, ac ejus beneficio retinemus adeo ut possit ille, si velit omnia repetere, & nos teneamur facere, quidquid jusserit, quia tamen ille plura reliquit in nostra libera potestate, adeo ut ex illis pro arbitrio possimus hoc vel illud facere, ideo plura sunt Dei, & nostra simul; dicuntur esse Dei, quia ejus beneficio ea habemus; dicuntur nostra, quia pro arbitrio possumus de illis disponere, dummodo non sint contra Deum, unde, quando vovemus, & offerimus aliquid Deo, damus quidem, & offerimus de ejus rebus, & nihilominus verè damus, & offerimus, quia res illæ etiam nostræ sunt, quatenus Deus eas voveret, vel non, in nostra reliquit libertate.

Neque obstat; si dicas promissionem factam in baptismo de servanda lege Dei, ac renuntiando pompis Diaboli esse verum votum, consequenter alia vota videntur esse supervacanea; sed contra, quia baptismus cum illis protestationibus nobis præcipitur à Christo, *euntes in universum mundum, prædicate evangelium omni creaturæ baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Opera autem imperata à Deo non cadunt propriè sub votum,

quod

quod est spontaneum, & nullo modo necessarium. Promissio autem quæ fit in baptismo necessaria est, quia omnes gentes obligantur lege divina ad suscipiendum baptismum, alioquin si ea promissio esset votum, omnia Christianorum peccata essent sacrilegia, quia contra voti religionem. Rursus votum inducit obligationem, cujus violatio est peccatum lethale ex genere suo, quia contra obsequium Deo debitum, ac ob notabilem contemptum Dei; siquidem qui fidem homini datam violat, censetur illum parvi æstimare. Verum tamen est, quod parvitas materiæ persæpe excusat à lethali, sed non à veniali. Hæc autem obligatio cessat ob rerum mutationem, quæ si ab initio provisa fuisset, tale votum non fuisset emissum, ut si quispiam voveat singulis diebus veneris nihil cibi sumpturum, illique superveniat ægritudo, viriumque defectio excusans ab observatione jejunii, non est censendus tunc, qui votum emisit ad illud obligari.

Votum autem aufertur per commutationem, irritationem, & dispensationem. Commutatio est mutatio materiæ in aliam, & fit vel in æquè bonum, & tunc in commutante requiritur potestas, & ex parte voventis justa causa; vel fit in majus bonum velut jejunium ordinarium, in strictius, & hæc mutatio fieri potest ab ipso vovente, adeo ut qui diebus veneris voverit jejunium ecclesiasticum, possit ex se jejunium illud mutare in pane, & aqua tantùm. Irritatio contingit quando materia, quam vovemus vel voluntas voventis subjecta est aliquo modo alienæ potestati, ex cujus consensu dependet; tunc enim votum habet tacitam conditionem, nisi superior contradixerit, quia hic potest rescindere vota subditorum, ut etiam Tutor pupilli, vir uxoris, tunc si superior irritet votum, cessat omnis ejus obligatio. Dispensatio est declaratio, quòd aliquis non teneatur ad observantiam voti, & hæc fit ab habente authoritatem ecclesiasticam, cujusmodi sunt Prælati, & Papa. Sunt etiam, qui asserunt hanc esse differentiam inter dispensationem, & irritationem, quod illa spectet ad potestatem spiritualem ut suum sortiatur valorem, ac habeat legitimam causam; irritatio verò pertinet ad potestatem dominativam, sive spiritalis illa sit, sive naturalis, vel politica; neque ad hoc ut valida sit aliam requirit causam præter voluntatem superioris, quòd verò in ecclesia sit vera ac legitima potestas dispensandi in votis, aliisque obligationibus quibus homo erga Deum obstrictus tenetur, liquet, ex illimitata potestate à Christo concessa ecclesiæ solvendi à quolibet vinculo Matth. 16. *Quodcunque solveris super terram erit solutum & in cælo.*

Vota tamen de rebus vanis, & inutilibus irrita sunt censenda, ac magis deridenda quàm servanda, cujusmodi sunt illa de non comedendo ad honorem S. Joannis Baptistæ decollati de capite animalium; de pannis non abluendis, ratio est, quia stulta hæc promissio Deo displicet, quapropter in can. *Non pejerabis; causa 22. quæst. 4.* dicitur: *Stulta vota frangenda sunt*; & S. Isidorus Synon. ait: *In turpi voto muta decretum, quod incautè vovisti ne facias; impia est enim promissio quæ scelere adimpletur.* Generatim tamen violatio veri voti ex genere suo est peccatum lethale, quia est violatio fidei justitiæ religionis, ac reverentiæ Deo debitæ, hinc in scripturis frequentissimè admonemur vota nostra reddere Deuter. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Psal. 75. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro*, & alibi frequenter; hinc Innocentius III. in cap. *licet*, de voto & voti redemptione ait: *Licet universis liberum sit arbitrium in vovendo, usque adeo tamen solutio necessaria est post votum, ut sine propria salutis dispendio alicui non liceat resilire.* Quinimò votum absolutum absque mora adimplendum est; votum autem conditionatum aut ad certum tempus emissum impleta conditione, ac stato tempore solvi debet, adeo ut mora in solvendo sine necessitate non excuset à peccato, ut docet D. Thomas in 4. *sent. dist. 28. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 1. ad 7.* ubi ait: *Si quando quis vovit, puta se intraturum religionem, intendebat se ad statum obligare vel ad abritrium alienum, non potest ulterius differre etiam propter debita solvenda, sed ille qui eum recipit, tenetur ea persolvere; sin autem in vovendo de debitis cogitabat, probabiliter præsumi potest, quod non intendebat se obligare antequam de rebus suis disposuisset. Quando autem timet rationabiliter perpetuum impedimentum tenetur ulterius non differre.* Et plures censent hanc dilationem non excusare à peccato lethali, quatenus qui ita differt se exponit periculo peccati lethalis, ac voti transgressionis. Et hæc ratio valet pro dilatione cujusvis alterius voti, unde quando quis commodè potest, tenetur ad voti solutionem. Cæterum ut redditio voti legitimè differatur authoritas requiritur summi Pontificis vel Episcopi, qui attendere debet ad voti causam, vel impedimenti. Adeo ut qui ad votum implendum factus sit impotens teneatur ea præstare ex voto, quæ potest; quòd si non possit totum votum adimplere saltem partem quam potest, tenetur adimplere. Hinc dives qui vovit, se erogaturum centum aureos singulis mensibus in eleemosynam pauperibus, si postea deveniat ipse in paupertatem, tenetur eam eleemosynam erogare, quam potest, juxta angustias rei familiaris, ut etiam qui plera, ac diuturnia jejuniora vovit sanus & robustus, si viribus destituatur; ac debilis fiat, tenetur jejunare prout vires permittunt, consultiùs tamen est in similibus casibus recurrere ad authoritatem superioris.

Cæterum reus etiam est lethalis peccati, qui aliquem juramento adstringit ne vitam religiosam profiteatur aut ab ingressu monasterii, & religiosæ vitæ professione positis debitis circumstantiis facienda prohibet, vel impedit, & desumitur ex D. Thoma. Quodlib. 3. quæst. 5. art. 4. ubi ait: *In actibus humanis non est aliquid simpliciter judicandum licitum, vel illicitum propter id, quod accidit in aliquo particulari casu, sed propter id quod est, ut in pluribus contingit autem in aliquo casu, quod absque peccato aliquis potest adstringere aliquem juramento ad hoc, quod religionem non intret, ut esset matrimonio ligatus & vellet absque consensu uxoris religionem intrare, vel in casibus similibus. Simpliciter autem loquendo inducere aliquem ad jurandum quòd religionem non intret, grave est peccatum. Si enim aliquis vellet religionem intrare, & immineret opportunitas temporis & omnes circumstantiæ convenirent graviter peccaret, qui eum ab ingressu religionis prohiberet, unde Christus* Matth. 23. ait: *Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ quia clauditis regnum cælorum ante homines; vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Cum autem aliquis facit aliquem jurare quòd religionem non intrabit impedit eum quantum in se est ab ingressu religionis secundùm quodcunque tempus, & secundùm quamcunque circumstantiam opportunam, quia in universali includuntur*

*duntur omnia particularia*; unde *manifestum est, quod graviter peccat.* Ratio est quia propositum ingrediendi religionem, & eligendi statum monasticum est à Spiritu S. ut habetur *causa 19. quæst. 11. can. duæ.* Sed resistere Spiritui Sancto est grave peccatum de quo Stephanus Actor. 7. Judæos reprehendit inquiens: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*, ergo qui aliquem juramento adstringit ad non ingrediendi religionem, graviter peccat, quapropter Tridentina Synodus sess. 25. cap. 18. Anathemati subjicit eos, qui Sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem velum accipiendi vel votum emittendi, quoquo modo sine justa causa impedierint. Qui verò ex justa causa impedit non peccat, ut si conjugatus post consummatum matrimonium vellet monasticam vitam amplecti sine consensu conjugis, ut etiam si quis non sit idoneus ad onus subeundum religionis.

Qui verò dubitat an votum emiserit, tenetur ad illud implendum ut docet D. Thomas in 4. sent. dist. 18. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 1. ad 6. ubi ait: Si autem dubitet, quomodo se in vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat. Est enim regula generalis, ut in dubiis concernentibus conscientiam, & salutem animæ, tutior pars sit præferenda, qui autem dubitat an actus aliquis repugnet voto à se emisso, tenetur ab eodem abstinere, ne fiat lethalis criminis reus; quia tunc se exponeret sciens, & volens periculo peccati lethalis. Qui autem amat periculum peribit in illo. Hinc qui certa jejunia vovit, ac dubitat, an ea possit observare sine periculo gravis infirmitatis, tenetur illa protrahere in alium diem, vel authoritate superioris commutare in alia pietatis operâ.

Quòd si vota non emittantur cum plena libertate, & deliberatione non obligant, & sunt irrita, quia votum est libera, ac deliberata promissio facta Deo, unde si desit plena libertas votum destituitur suo valore, ut definit Cœlestinus III. cap. *Cum simus Extra. de Regularibus.* ubi: Cum homo quidam se obtulisset Monasterio cum bonis suis, & filio impubere; sed filius monasticæ vitæ pertæsus cùm ad annos pubertatis pervenisset, è monasterio exivit, & paterna bona postulavit, & cum interrogatus fuisset Pontifex, an tenerentur Monachi bona adolescenti illa petenti extradere, respondit: *Si dictus puer ad annos discretionis pervenerit, & habitum retinere noluerit monachalem, si ad hoc induci nequiverit, non est ullatenus compellendus, quia tunc sibi liberum erit eum dimittere, & bona paterna, quæ ipsi ex successione proveniunt postulare.* Hoc idem etiam confirmat Innocentius III. in cap. *Si tenor. eod. tit.* ubi ait: *Si eodem tempore quo Sacerdos lator præsentium positus extra mentem, asseritur indutus habitu monachali, cum alienatus non sentiat, & per hoc non valeat consentire eum denuntietis ab observatione monastici ordinis absolutum, nisi postquam menti suæ factus est compos, spontanea voluntate professionem fecerit monachalem.* Votum tamen à causa extrinseca & libera, metu extortum, & cadente in virum constantem factum suo destituitur valore, & ipso jure est irritum, si metus incussus fuerit ad votum extorquendum, quia ad votum requiritur in vovente plena libertas, & omnimoda deliberatio, ac liber consensus, unde si metus intercesserit, actus ex metu elicitus destituitur suo valore, non in voto liber consensus, vel maximè necessarius est, cùm res sit consilii non præcepti, quapropter Alexander III. cap. *Perlatum. de iis, quæ vi metusve causa fiunt*, de muliere, quæ metu mortis à militibus ex mandato mariti bellum Monialium susceperat, & viro defuncto è monasterio egressa alteri nupsit, respondit Pontifex: *Si legitimè probatum fuerit non timore mortis prædictam mulierem religionem intrâsse, aut quod fecit postmodum ratum habuisse; ipsam ad monasterium redire, & habitum depositum reassumere censura ecclesiastica compellatur*; ex quo infertur; quòd si metus ad extorquendum votum incussus fuit, & non influit in votum, nec libertatem consensus impedit, votum est validum, secus tamen si metus influat in votum, adigat voventem, quia tali pacto libertatem impedit. Professio emissa per dolum, vel circumventionem superioris religiosi valida est. & professum ligat in utroque foro, si vovens liberè eam emisit, quia dolus ille non est malus, quo quis ad meliorem vitam inducitur; leges autem non subveniunt nisi contra dolum malum.

Quòd si dicas Concilium Tridentinum præcipere explorari voluntatem puellæ, an seducta sit, nam id tantùm innuit, eò quia nefas sit puellas seducere, ut religiosam professionem emittant, sed tamen inde non sequitur seductas non obligari ex emissa professione, quia omissio explorationis voluntatis per se non facit professionem irritam, ut declaravit sacra congregatio. Verùm in tali casu Monasterium non acquirit bona temporalia illius, qui emittit talem professionem, quæ propterea restituenda sunt hæredibus, idque colligitur ex can. *Constituit*, qui est Concilii Gabilionensis II. septimus licèt à Gratiano tribuatur Con Moguntino ubi habetur: *Constituit sanè sacer iste conventus ut Episcopi sive Abbates qui non in fructum animarum; sed in avaritiam, & turpe lucrum inhiantes quoslibet homines circumveniendi totonderunt, & res eorum tali persuasione surripuerunt, Pœnitentiæ canonicæ hi turpis lucri sectatores subjaceant. Hi verò, qui illecti comam deposuerunt in eo quod cœperunt perseverare cogantur; res verò eorum hæredibus reddantur.*

In votis dispensare absque legitima causa Prælatus non potest, imò nec ea commutare, quia hæc potestas data est ecclesiæ à Deo in ædificationem, non verò in destructionem; & Prælati ecclesiastici ea abuterentur, ut asserit Alexander III. cap. *De peregrination.* de voto & voti redemptione, inquiens: *Ab ejus qui præsidet; pendet arbitrio ut consideret diligentius qualitatem personæ, & causam commutationis; scilicet an ex infirmitate, seu affluentia divitiarum an alia causa probabilis peregrinatio an recompensatio melior fuerit, ac Deo magis accepta secundùm hoc habet exinde dispensare.*

# CAP. XIV.

## De tertio præcepto Decalogi: *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices.*

Celebritas diei Sabbathi, seu solemnitas, & sanctificatio diei festi rectè præcipitur, in hoc tertio Decalogi mandato, quia cum in duobus prioribus tollantur impedimenta veræ religionis, seu idololatria, & infidelitas, ac injungatur reverentia, & obsequium debitum nominis Dei; consentaneum fuit addi tertium mandatum, quo præciperetur sanctificatio diei festi, ut traherentur fideles ad veram religionem, ad quam pertinet externô signô cultum vero Deo exhibere, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 14. Et cum præcepta Decalogi sint prima, & communia legis principia, rectè in tertio mandato præcipitur cultus exterior Dei sub sensibili signo communis beneficii, quod ad omnes, & singulos pertinet, id est creationis. Verùm à qua requievit die septimo in cujus signum hic dies sanctificari mandatur, seu deputatur Dei servitio, cujus ratio assignatur Exodi 20. Et est, quia sex diebus fecit Deus cœlum, & terram, & in septima die requievit. Hinc Sabbathum nomen hebraicum, latinè cessatio dicitur, seu requies, adeo ut dies septimus nomen Sabbathi apud Hebræos obtinuerit, eo quia absoluta, ac perfecta fuerit mundi universitas, & Deus ab omni opere, quod fecerat requievit. Imò ab Hebræis non solùm septimus dies Sabbathum vocatum fuit, verum etiam ob ejus dignitatem, ipsa tota hebdomada eo nomine nuncupata fuit, qua de causa Pharisæus Luc. 18. dixit: *Jejuno bis in Sabbatho*, seu duobus diebus hebdomadæ. Cæterum sub initium hujus tertii præcepti primæ tabulæ, excitatus populus ad illius recordationem: *Memento ut diem Sabbathi sanctifices*, cujus rei tres assignat rationes Catechismus Concilii Tridentini, quarum prima est, quia tametsi naturæ lex nos doceat Deum ritu religionis colendum esse, non tamen præscribit tempus, quo fieri talis cultus debeat. Secunda quia docet ut homines tota hebdomada diem festum semper in mente habeant, quo operum suorum reddant Deo rationem, ac propterea omnia quæ agunt, ita fiant, ut dirigantur in Deum tanquam finem ultimum, quo pacto ea tantùm efficiant opera, quæ non sint Deo displicitura, sed futura sint ipsi grata, & accepta. Tertia ratio assignatur, quia non erant defuturæ occasiones, quibus homines carnis addicti voluptatibus hujus præcepti obliviscerentur, sicut non desunt etiam hodie, ob quas ab illius observantia avocentur fideles, qui negligunt veram, & religiosam diei festi observantiam, ut spectaculis, ludisque vanis diem impendant, homines enim carnales curiositas, & libido faciliùs ad illicita attrahit, quam ad dies festos sanctificandos, propterea ut essent homines hujus præcepti memores jubet illud semper memoria replicari: *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices*. Est autem sanctificatio Sabbathi cessatio à laboribus corporis, & negotiis, quod significant verba præcepti illius: *Non facies omne opus in eo*. Nec est sola cessatio à laboribus corporis, sed etiam exercitatio in cultura virtutum, & in officiis religionis, ac pietatis, hoc enim indicat verbum illud sanctifices. Quamobrem proprius hujus præcepti sensus eo spectat, ut homo stato aliquo tempore ieriet ur à negotiis temporalibus, ac laboribus corporis, ut Deum corpore & animo piè colat, ac veneretur, quapropter per hoc tertium Decalogi mandatum nobis injungitur cessatio ab omni opere servili, & exercitatio virtutum in officiis religionis, & pietatis; hinc apud Hebræos illicitum erat die Sabbathi panes coquere, & iter agere *Exodi* 16. Et quia feria sexta ea parabantur, quæ vitæ usui necessaria erant in crastina, ideo dicebatur dies ille sexta parasceve, quod idem est, ac præparatio. Rursus illicitum quoque erat Judæis quidquam die Sabbatho vænum dare, vel coëmere 2. *Esdræ cap.* 13. Non tamen prohibitum erat, necessitatibus corporis proprii vel aliorum succurrere, ac consulere, & mala à se avertere, damna ne contingant impedire, adeo ut qui Sabbatho comederet, mederetur homini, oves duceret ad fontem, jumenta pasceret, & è fovea educeret, transgressor Sabbathi non censeretur, ut nec etiam Sacerdotes habebantur violatores hujus præcepti, si in templo iis vacarent operibus, quæ ad sacrificia pertinerent, ut explicat Christus Matth. 12. contra perversam interpretationem Pharisæorum. Neque fuerunt Sabbathi transgressores Machabæi, qui die illo se in castris defenderunt ab hostibus irruentibus in eos 1. Machab. 11. v. 41. rationem affert Christus Marc. 11. v. 27. quia *Sabbathum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbathum*; hoc est non conditus est homo ob cæremonias temporales, cultumque externum religionis; sed hæ cæremoniæ propter salutem hominis fuerunt institutæ. Unde inter cætera præcepta potissimum est præceptum charitatis, quia ad ipsum ut ad finem, reliqua quæ ab homine fiunt, referri debent, ut etiam intuitu illius interdum omitti, si charitas urgeat exercenda in proximum, & non possit simul observari Sabbathum. Quamobrem & ipsum sacrificium misericordiæ postposuit Deus Oseæ 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium*, hoc est recuso sacrificium, dummodo misericordiæ, & charitatis opera exerceantur, quia charitas est quid excellentius, & Deo gratius. Ob tamen rudem populum factum est, ut certus dies divino cultui destinaretur, adeo ut omnes & singuli de populo tenerentur, eo die divino vacare cultui, neque enim expediens erat, ut quilibet pro suo arbitratu tempus impendendum divino cultui seligeret. Dies autem septimus visus est opportunior ad Deum colendum hinc Deus Exodi 30. vocat signum inquiens: *Videte ut Sabbathum meum custodiatis, quia signum est inter me & vos in generationibus vestris, ut sciatis, quia ego Dominus, qui sanctifico vos*. Et Ezech. 20. v. 12. *Insuper & Sabbatha mea dedi eis, ut essent signum inter me & eos, & scirent, quia ego Dominus sanctificans eos*; atqui signum fuit in primis, quia homines deberent se Dei cultui dedicare, cum & dies etiam Sabbathi eidem dicatus sit, qui propterea sanctus vocatur, quia eo die incumbit hominibus sanctitatem, & religionem colere, & exercere. Secundò quia est signum mundi tòtius conditi Exodi 31. v. 17. *Pactum sempiternum inter me, & filios Israel, signumque perpetuum. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & in septimo ab opere cessavit*. Tertiò ut esset veluti monumentum perenne, altiusque memoriæ impressum singularis illius beneficii, quo Deus à famulitio Ægyptiaco populum vindicavit, & ad terram promissionis præmonstrante itinera Angelo in columna nubis de die, & ignis de nocte, & gratias rependeret perpetuas suo liberatori Deuteron. 5. *Memento quod & ipse servieris in Ægypto & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento, idcirco præcepit tibi, ut observares diem Sabbathi.*

An

An verò obliget hoc præceptum etiam Christianos, respondetur affirmativè quoad id, quod pertinet ad mores, non verò quoad cæremonias, etenim quòd septimus dies quieti, & cessationi ab operibus servilibus assignaretur pertinet ad cæremoniam, quòd verò tempus impenderetur in recitandis divinis laudibus, hymnis, & fundendis precibus, ut etiam in contemplandis Dei beneficiis offerendis sacrificiis, & aliis pietatis operibus exercendis, hæc omnia ad mores pertinuerunt. Et nunc sublata cæremonia remanent, quæ ad mores attinent, adeo ut id intercedat discriminis inter illud præceptum, & reliqua Decalogi præcepta, ut observat catechismus Tridentini Concilii, quia alia decalogi præcepta naturalia sunt & perpetua, & nulli obnoxia mutationi. Unde populum Christianum non minus quàm Israeliticum spectant, & ab omnibus generatim hominibus servanda sunt, & tantùm Christiani ea observant, non quia lege Mosaica habentur, sed quia naturæ lege omnium mentibus inscribuntur, & ad illorum observantiam impelluntur, sunt enim leges naturæ indelebiles, ac immutabiles, secus præceptum Sabbathi colendi, si tempus spectetur non est fixum, nec immutabile, quia non pertinet ad mores, sed ad cæremonias, quæ mutabiles sunt. Neque est præceptum naturale, quoad tempus statutum quia à natura non sumus edocti tale tempus servare, & non potiùs aliud, dictat enim lex naturalis externum cultum esse Deo exhibendum non tamen nos docet, quod teneamur hoc vel illo die cultum istum exhibere. Sed ex quo tempore populus Israel liberatus fuit à servitute Ægyptiaca cœpit diem Sabbathum colere, & cultus ille temporarius erat ut reliquæ legis cæremoniæ, quæ figuræ erant, & quasi adumbratæ imagines lucis, & veritatis, quæ est Christus Jesus, cujus adventu, & morte fugandæ erant, & abrogandæ umbræ cæremoniarum Mosaicæ legis, qua de causa D. Paulus scribens ad Galat. reprehendit observatores Mosaici ritus, & Judaicarum feriarum, Galat. 4. *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos. Timeo vos ne forte sine causa laboraverim in vobis.* Habet tamen hoc præceptum aliquid quod attinet ad mores, & jus naturæ, siquidem Dei cultus, qui hoc præcepto injungitur est de jure naturæ, quæ apud omnes Gentes præscribit, ut aliqua temporis pars impendatur divino cultui, quia sicut speciale tempus impendimus in refectione corporis, ita ad reficiendam mentem par est ut aliquod impendamus tempus, quo divina beneficia nobis impertita consideremus, ac divinam munificentiam laudemus. Deumque per fusas preces rogemus ut nobis suam jugiter gratiam impertiat, adeo ut nulla sit in toto orbe natio, quæ stato aliquo tempore Deum publicè non colat, eumque supplex roget pro beneficiis impertiendis & gratias agat pro impertitis. Itaque cæremonialis observantia Sabbathi ad Judæos tantùm spectabat, sed Sabbathum spirituale, seu cœleste etiam ad Christianos pertinet, & consistit hoc Sabbathum in mystica quiete cœlestis patriæ, in qua quilibet beatitate donatus perfectè quiescet in possessione summi boni, Spirituale autem Sabbathum celebrat homo, cùm à pravis operibus à peccatis patrandis omnino cessat, ut scribit Apostolus ad Hebr. 4. *Qui ingressus est in requiem ejus etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut à suis Deus.* Quies igitur à vitiis, & peccatis est ipsa quies Dei, qua ipse delectatur, eò quia tunc peccator Dei quiescentis imitatur quietem post opera sex dierum. Præterea quia ut ait D. Augustinus est donum Dei gratia qua quis accipit, & cujus beneficio cavet à futuris peccatis. Hinc Spirituale Sabbathum celebrant justi, cùm Dei cultui pietatisque operibus vacantes omnia opera sua in Dei gloriam referunt, ut loquitur Apostolus ad Ephes. 2. v. 10. *Creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*, quapropter non in se ipsis, sed in Deo justi quiescunt, adeo ut agentes quiescant, & quiescentes agant, quia in bonis operibus semper se exercent, & Deum student promereri, Judæi autem carnaliter Sabbathum observabant inhærentes tantùm signis, & non rebus significatis, & non ad quietem animi sibi comparandam in Deo, sed ad externam tantùm & temporalem quietem perveniendam; quapropter illorum Sabbatha odisse Deum habetur Isaiæ 1. *Neo-meniam, & Sabbathum extra civitates alias non feram. Iniqui sunt cætus vestri; calendas, & solemnitates vestras odivit anima mea; facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras avertam oculos meos à vobis; & cum multiplicaveritis orationem non exaudiam, manus enim vestra sanguine plena sunt. Lavamini, mundi estote auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere perversè, discite benefacere.* Non igitur observatio Sabbathi sita est in quiete corporis, sed in cessatione à peccatis, & in exercitio bonorum operum, adeo ut nulla hora, nullo temporis momento cessandum sit à contemplatione divinorum beneficiorum, ad quam nos Deus invitat inquiens: *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus*, scilicet vacate à curis, sæculique negotiis & videte, quod ego vos creavi, vobis plurima impendi beneficia, vobis semper benefeci, propterea videte seu considerate, quoniam ego sum Deus, creator vester, benefactor vester, & mihi uni omnia debetis; propterea à vobis exigo non labores corporis, sed affectum cordis, ut possitis spirituale Sabbathum celebrare in cœlesti patria, ubi æternum vacabitis, & quiescetis, ac videbitis, quoniam ego sum Deus, hinc David Psal. 83. ajebat: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

Quia igitur tempus quo Deus est colendus per externa exercitia pietatis, & religionis non pertinet ad legem naturæ, quæ tantùm dictat esse Deum colendum nòn verò hoc vel illo tempore, ideo Apostoli ex septem hebdomadæ diebus eum, qui primus est cultui consecrarunt divino, quem propterea dixerunt diem Dominicum, cum antea dies Solis ab Ethnicis vocaretur, hujus diei Dominici meminit S. Joannes Apocal. 1. & D. Paulus 1. Corinth. 16. asserens collectas ad sublevandos Christianos pauperes consuevisse fieri per unam Sabbathi, id est, per diem unum hebdomadæ quo die fierent sacri conventus in ipsis ecclesiæ exordiis ad frangendum panem, seu ad sumendum Christi corpus, hinc facta fuit mutatio diei Sabbathi in diem Dominicum, eò quia eo die mundi creatio habuerit initium, Christus resurrexerit è sepulchro ad vitam immortalem, & quia eo die Spiritus Sanctus Apostolis datus est. quapropter Apostoli, & Christiani, ne cum Judæis viderentur in cultu præstando Deo communicare, judaico abrogato Sabbatho, evangelicum Sabbathum, quod scriptura vocat perpetuum, invexerunt, & hoc Sabbathum evangelicum ob præfatas rationes diem dominicum dixerunt, de quo canit ecclesia: *Hæc dies, quam fecit Dominus exultemus, & lætemur in ea*, scilicet hæc est dies Dominicæ resurrectionis, seu Sabbathi nostri evangelici.

Hæc est dies, qua Apostoli acceperunt Spiritum S. Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Neque Sabbati observatio, ac sanctificatio fuit tantùm tempore Moysis, sed etiam ab origine mundi, ut innuitur Genes. 2. *Benedixit diei septimo, & sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo.*

Si dicas scripturam non'habere mentionem observationis Sabbathi, nisi post exitum ab Ægypto, respondetur, præceptum istud tempore idololatriæ, ac servitutis Ægyptiacæ fuisse obliteratum, seu potius oblivioni traditum, sed tunc à Domino restitutum, propterea ait: *Memento ut diem Sabbathi sanctifices*, scilicet memento, quia illius recordamur, quod jam fuit præteritum, & sicut olim servabatur, ita iisdem injunxit Sabbathum sanctificare. Cæterum ut diximus hoc tertium præceptum partim est cæremoniale, & partim morale. Est cæremoniale, quatenus dies Sabbathi designatur, in quo temporalia opera intermittere jubetur, & solius Dei cultui vacare in memoriam beneficii creationis. Est verò morale, quatenus præcipitur, ut homo sepositis omnibus aliis negotiis, aliquod vitæ suæ tempus divino cultui, & religionis exercitiis deputet. Dies autem Dominica fuit ab ecclesia instituta, ut ab omnibus, & singulis Christianis debitus cultus Deo impenderetur, quia quatenus morale est omnes semper obligat, & inest homini naturalis propensio ad hoc quod quilibet rei necessariæ deputet tempus aliquod, ut refectioni corporali, somno, ita debet aliquod tempus deputari ad vacandum menti, & cultui divino, adeo ut hoc tempus ab ecclesia deputatum cadat sub præceptum. Quatenus verò hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi est cæremoniale, ideoque injunctum Judæis ut servaretur, & pœna violati Sabbathi esset mors Exodi 31. *Qui pollnerit Sabbathum morte moriatur.* Et Numer. 5. de illo, qui die Sabbatho ligna collegerat cùm essent filii Israel in solitudine dixit Deus ad Moysem: *Obruat eum lapidibus omnis turba extra castra;* imò ut ait Philo Hebræus, neque licitum erat; cibum coquere, nec lignum accendere, nec onus aliquod portare, neque ultra domum iter facere ultra mille passus. Cæremoniale fuit etiam Judæis, ut celebrarent memoriam liberationis ab Ægyptiaca servitute Deuter 5. *Memento quod servieris in Ægypto, & eduxit te Dominus Deus in manu forti, ideo præcepit tibi ut observares diem Sabbathi;* Verùm hoc præceptum ut cæremoniale per mortem Christi, mortuum & ipsum fuit perinde ac cæteræ cæremoniæ legis Mosaicæ, & convenienter in diem Dominicum commutatum fuit à Apostolis in memoriam resurrectionis Christi. Hoc autem præceptum est partim affirmativum, & partim negativum; qua affirmativum recipit diebus festis, & præsertim die Dominico interesse auditioni missæ, quam ecclesia exigit, ad quod duo requiruntur, primò ut homo sit præsens corpore, & mente attentus, quia si sciret missam in ecclesia celebrari ob signum quod datur & ipse maneret domi, ubi solam mentem applicaret circa mysteria missæ, ac sibi imaginaretur esse in ecclesia, huic præcepto non satisfaceret, sicut nec ille, qui corpore quidem præsens esset, sed voluntariè distractus omnia alia cogitaret, vanisque cogitationibus detineretur, unde requiritur utrumque & præsentia corporis, & attentio mentis, non enim ille satisfaceret, qui totum missæ tempus impenderet loquendo cum alio de negotiis temporalibus, unde Christiani tenentur dies festos observare, & colere, quia sicut populus Judæus præter Sabbathum alios etiam festos, & sacros dies habuit divina lege constitutos, quibus memoria refricabatur beneficiorum, quæ Deus populo impertierat, ita populus Christianus præter diem Dominicam alios habet dies festos, & solemnes ab Apostolis in ipso ecclesiæ exordio, & sequentibus etiam temporibus ab Apostolorum Successoribus institutos, quibus memoria recoleretur beneficiorum, quæ à Deo accepimus, & præ aliis illi sunt celeberrimi, qui ob nostræ religionis mysteria cultui divino dedicati sunt cujusmodi sunt dies paschatis, seu resurrectionis Christi, ascensionis ejusdem, Pentecostes, seu adventus Spiritus Sancti Trinitatis, corporis Christi, Natalis Domini, Circumcisionis Epiphaniæ, ut etiam sunt dies festi, qui dedicantur Virgini Matri Dei, ut etiam Apostolis, & Martyribus, ac reliquis Sanctis qui dies potiùs Deo dicantur in memoriam talium Sanctorum, in quibus Dei bonitas, & potentia laudantur, & pro beneficiis nobis impertitis gratiæ eidem aguntur, & quidem memoria Sanctorum ex usu Ecclesiæ recolitur eo die, quo ex hac vita Sancti migrarunt in cœlestem patriam qui dies ab ecclesia vocatur natalis, & Deus laudatur in sanctis suis.

Institutio festorum ab Apostolis & eorum Successoribus præsertim à Romanis Pontificibus D. Petri Successoribus, ac Generalibus Conciliis præscripti fuerunt Universali Ecclesiæ, siquidem alii dies festi instituti ab Episcopus non servantur, nisi in suis particularibus Diœcesibus. Et à Conciliis Provincialibus in suis Provinciis, hinc dies festos Passionis, & Surrectionis, Ascensionis Domini, & Pentecostes Apostoli instituerunt, scribit enim D. August. epist. 54. ad Januarium cap. 1. *Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel à plenariis Conciliis quorum est in ecclesia Saluberrima authoritas commendata, atque statuta retineri, sicut quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cœlum, & adventus de cœlo Spiritus Sancti anniversariæ solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universa quacunque se diffundit ecclesia.* Meminit etiam Augustinus festi diei Natalis Domini in epistola sequenti, ut etiam festi Epiphaniæ, & aliorum festorum. Eatenus Apostoli instituerunt celebritatem Natalis Domini, quia eo die Christus pro redemptione mundi nasci corporaliter voluit: *Et Verbum caro factum est*, assumendo quidem carnem, sed non mutatum in carnem, assumpsit enim humanitatem, non amisit divinitatem, adeo ut idem Christus sit verus Deus, & verus homo in natura Dei æqualis Patri, in natura hominis factus mortalis in nobis, & pro nobis, adeo ut manens quod erat, susceperit, quod non erat, ut liberaret, quod fecerat, redimeret, quod peccaverat, quapropter Isidorus cap. 25. vocat diem Natalem Christi Domini festum maximum.

Epiphania græcè apparitio vel ostensio latinè dicitur ex triplici causa, eò quia eo die Christus magis providus fuerat nobis Syderis ex ortu, & quia tunc suo baptismo voluit gentibus ostendi, & etiam quia primo signo per aquam in vino versam, multis est manifestatus, ut refert Cassianus collat. 10. De festo Purificationis Beatissimæ Virginis S. Gregorius Nissenus orat. de occursu Domini, Dei parente, & Simeone justo, ait: *Cùm esset quadraginta dierum infans, verbum æternum ad templum cum Matre est profectum;* & nonnullis interjectis subdit: *Cujus quidem nos hodie celebrantes commemorationem spiritualibus speculationibus quemadmodum incorporea mentes & Spiritus nos oblectamur;* & S. Cyrillus

lus Jerosolymitanus de eodem festo, & occursu Domini nostri, & Simeone, ait: *Hodie dilecti festi cursum peragamus, cum Angelis chorum ducamus, cum Pastoribus illuminemur, cum Orthodoxis adoremus, cum Bethleem festum agamus, cum Sion occurramus, cum templo sanctificemur, & cum Virgine festum agamus.* Et Concilium Lugdunense celebratum quinto sæculo apud Gratianum de consecr. dist. 3. ait: *Pronuntiandum est laicis, ut sciant tempora feriandi per annum, id est omnem dominicam, natale Domini &c. Purificationem S. Mariæ, Assumptionem & Nativitatem.*

Imò etiam festo Sanctorum in ecclesia celebrantur, & solemni ritu coluntur, quamvis Sectarii asserant per has solemnitates honorem tolli Deo debitum, quòd quàm falsum sit liquet ex Judæis qui in lege vetere suos habuerunt Neo-menias per singulos menses festa paschalia, & pentecostes imò & tabernaculorum, celebranda per dies septem præter Sabbatha à Deo eis constituta, imò & celebrarunt pro victoria reportata de Holoferne & exercitu Assyriorum à Judith, pro liberatione populi Hebraici mediante Regina Esder, unde non mirum si etiam apud Christianos dies festi celebrentur, pro diversis tum à Christo, tum à suis Sanctis beneficiis populo præstitis, in quibus pro susceptis gratiæ perguntur.

Præterea debent festa Sanctorum celebrari ut eorundem exempla adimitationem nos provocent, & illorum imploremus auxilium; hinc D. Augustinus serm. 26. de Sanctis ait: *Qui honorat Martyres honorat & Christum, & qui spernit Sanctos, spernit & Christum Dominum*, hinc in constitutionibus Apostolicis lib. 8. cap. 33. festi dies Apostolorum S. Stephani Protomartyris, & aliorum Sanctorum Martyrum notantur, & natales dies Martyrum celebres fuisse, in primitiva ecclesia refert Eusebius lib. 4. histor. eccles. cap. 15. ubi recitat epistolam ecclesiæ Smyrnensis de Martyrio S. Polycarpi, ubi hæc habet: Ossa illius gemmis pretiosissimis, & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat condidimus. Quo etiam in loco nobis si fieri poterit convenientibus concedet Deus natalibus schismaticis diem cum hilaritate, & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros hujus exemplo instruendos, & confirmandos. Passiones, & dies Martyrum anniversaria commemoratione celebrari, testatur etiam S. Cyprianus epist. 34. ubi etiam jubet annotari dies, quibus excedunt *& epist. 37. ait: Ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus quamquam Tertullus fidelissimus, & devotissimus frater noster significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosa mortis exitu transeunt, & celebrentur hic à nobis oblationes, & Sacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiscum Domino protegente celebravimus*: Et Eusebius lib. 4. refert de Constantino in ejus vita, sancitam fuisse ab eo legem, qua præsides Provinciarum juberentur diem Dominicam venerari, ut etiam dies festos Martyrum, & aliorum Sanctorum, Martyrum tamen festivitates tempore quadragesimæ celebrari prohibuit Laodicena Synodus: can. 21. & tantùm eorum memorias diebus Sabbathinis, & dominicis ex tempore celebrari permisit, hinc ritus celebrandi Sanctorum festa nulli dubium, quin vetustissimus in ecclesia sit, ut colligitur ex S. Clemente, qui primo sæculo post Domini adventum in suis Constitutionibus lib. 8 cap. 39. jussit servari festa Apostolorum, & Martyrum. In secundo sæculo habetur epistola ecclesiæ Smyrnensis relata ab Eusebio lib. 4. cap. 15. ubi habetur: *Eorum memoriam, qui priùs passi fuerunt, celebramus, ut sequentium animi ad prædecessorum viam exemplis insignibus excitentur.* In tertio sæculo *S. Cyprianus lib. 3. epist. 6. ait: Dies eorum, quibus excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Eodem sæculo de Sanctorum innocentum festo loquens, *Origenes homil. 3. ait: Innocentum memoria semper ut dignum est, celebratur in ecclesiis secundum integrum ordinem Sanctorum, ut primorum Martyrum pro Domino occisorum, & ut ipsa Bethlehem primitias Domino Martyrum, in qua natus est, ipse Salvator obtulisse videatur: propterea & memorias Sanctorum facimus & parentum nostrorum.* Celebrantur etiam solemnitates Sanctorum, ut ipsi pro nobis intercedant ad Deum Eusebius Alexandrinus homil. de Sanctis colend. ait: *Ob hanc causam præcepit nobis memorias Sanctorum celebrare, ut acceptis hymnis, & auditis laudibus benignum Deum exorent, ut preces nostras caducas admittat*: & qui contemptui habuerunt fidelium conventus, cætusque in honore Martyrum, anathemate fuerunt percussi à Synodo Gangrensi can. 20. ubi habetur *si quis arrogantia utens, & Martyrum congregationes abhorrens, & sacra quæ in iis celebrantur, & eorum memorias accusat anathema sit*, & D. Gregorius Nazianzenus orat. 3. invehit contra Julianum Imperatorem, eò quia contemneret dies festos institutos in honorem Martyrum inquiens circa medium: *Non victimas pro Christo cæsas veritus es? nec manus pugiles extimuisti? Joannem illum, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Lucam &c. quibus præclarè honores festaq; sunt constituta, à quibus Dæmones propelluntur, & morbi curantur*; & orat. 22. quæ est in laudem Machabæorum ait: *Quid autem Machabæi? horum enim nomine, diem hunc festum agitamus.* Majores semper fuisse Sanctorum Dei festivitates quàm Principum terræ, asserit Chrysostomus homil. 66. ad populum Antiochenum inquiens: *Quid de Christo loquor, cum & Discipulos suos postquam obierunt, effulgere fecit? Quid dico Discipulos, nam & eorum loca, & sepulchra, & tempora perenni memoria celebrari curavit. Tu verò mihi & sepulchrum ostendas Alexandri, & proferas diem, quo vitam finivit: sed nihil horum insigne, sed omnia destructa sunt, & exterminata, Christi verò servorum sepulchra clara sunt, regiam assecuta civitatem, & dies notissimi, mundo festam afferentes lætitiam.*

Quare autem dies festi celebrentur in honorem Sanctorum, tres adfert Augustinus rationes lib. 2. contra Faustum cap. 21. inquiens: *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur; & ut orationibus adjuvetur. Ita tamen, ut nulli Martyrum sed ipsi DEO Martyrum sacrificemus; quamvis in memorias Martyrum constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, sed quod offertur Deo offertur, qui Martyres coronavit apud memorias eorum quos coronavit.* Quinimò consuevit primitiva ecclesia venerari, non solùm solemnitates Martyrum, & dies festos aliorum Sanctorum in particulari, verùm etiam in communi

celebrare commemorationem, & festum instituere B. Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum; etenim Bonifacius Papa IV. cum à Phoca impetrâsset, Pontheon nobile Romæ templum à M. Agrippa tempore Augusti erectum, Jovique vindici consecratum, (compresso scilicet tunc bello civili. M. Antonio, & Cleopatra superatis ad Aciacum) & prædictum templum expurgatum, ab antiquæ Idololatriæ sordibus in honorem Dei Genitricis Mariæ, & Sanctorum omnium illud consecravit, & idem Bonifacius generalem, ac celeberrimam in urbe Roma, quot annis instituit eorundem festivitatem, quæ in diversis ecclesiis postea fuit celebrata in honorem sanctorum omnium, & demum per totam ecclesiam Kalned. Novembris, adeò ut nunc ab omnibus, & singulis ecclesiis per universum Christianum orbem celebretur, ut habetur in Martyrologio Romano die 1. Novembris in annotationibus Baronii, ut etiam in ejus annalibus tom. 8. anno 607. Imo non solùm festum omnium Sanctorum, verùm etiam fidelium omnium defunctorum ut una, eademque die, quæ est secunda Novembris universalis memoria omnium defunctorum agatur. Primus tamen institutor hujus commemorationis fidelium defunctorum fuit S. Odilo Abbas Gluniacensis id testatur Petrus Damianus in ejus vita, & Sigebertus in Chronico anno Domini 998. adeo ut quòd ille in suis Monasteriis celebrandum mandaverit, ut postea Romani Pontifices ubique per ecclesias Christiani orbis servari jusserunt, ut notat Baronius in annotat, ad Martyrolog. Roman. 2. Novembris. & in annalib. 1408. Rursus etiam ecclesiæ, quæ apud Ethnicos impio & superstitioso cul tu deturpabantur, sacro ritu expiatæ à Christianis sanctis consecratæ fuerunt, ut majori contumeliæ esset diabolo, quod in iisdem voluerit ipse coli, & nunc Christus ejusque Sancti omnibus colerentur; plura enim idolorum templa in ecclesias Sanctorum commutata fuerunt, ut etiam Athenis Apostolo Paulo teste ara ignoto Deo dicata, & variis superstitionibus profanata, in veri Dei cultum, prout ratio illius temporis exigebat transtulisse Apostolus legitur in Act. Apostol. cap. 17. & fusè Baronius anno Christi 44. Hinc etiam Apostoli deletis legalibus ceremoniis illa, quæ præcipua esse videbantur Judæorum festa, Pascha, & Pentecostem retinentes nomina celebrarunt, quæ nova erant in illis augustiora mysteria, & eadem ipsa, quæ iisdem solemnitatibus erant olim typicè significata instituerunt, nimirum crucis, & resurrectionis Domini in paschate, & adventum Spiritus S. in Pentecoste. Rursus ex sacra scriptura habetur Genes. cap. 2. Deum postquam sex diebus universa condidisset, septimo die postea requievisse, ac vol: isse diem sanctum haberi Exodi cap. 16. *Requies Sabbathi sanctificata est Domino.* & cap. 35. *sex diebus facietis opus, septimus dies vobis erit Sanctus Sabbathum, & requies Domini, qui fecerit opus, occidetur,* qui dies fuit ab Apostolis commutatus ut testatur Concilium Laodicense cap. 19. ne viderentur Christiani Judæos imitari, quia in illo Christus è sepulchro resurrexit, unde Augustinus epist. 86. ad Casulam ait: *Præpositus dies Dominicus Sabbatho fide resurrectionis*, & epist. 18. ad Januar. ait: *Dies dominicus non Judæis, sed Christianis resurrectione Domini declaratus est, & ex illo suam festivitatem habere cœpit.* Vocatur Dies Dominicus ut in eo à terrenis operibus mundique illecebris abstinentes, tantum divino cultui insistamus propter spem resurrectionis nostræ in novissimo sæculo, quam habemus ex quo Christus Salvator noster resurrexit tertia die à mortuis, & est primogenitus mortuorum. Hinc moris fuit ut die dominico fideles stantes orarent, quod signum erat futuræ resurrectionis.

# CAP. XV.

## De quarto decalogi Præcepto.

EXplicatis tribus præceptis primæ tabulæ decalogi supersunt expendenda præcepta secundæ tabulæ, quorum primum est debitum honorem exhibere parentibus Exodi 20. 12. *Honora Patrem tuum, & matrem tuam ut sis longevus super terram, quam Dominus Deus tuus dedit tibi*: nomine autem parentum plures significantur, ex quibus primi intelliguntur, qui nos genuerunt de his enim habetur Ecclesiast. 3. *Qui timet Dominum honorat parentes, & quasi Dominis serviet his, qui se genuerunt,* unde nomine parentum, primò intelliguntur Pater, & mater, quibus sunt sanguine juncti, & à quibus fuimus geniti, postea in sacris litteris nomine Parentum intelliguntur, præsides, pastores, & sacerdotes, qui spiritualiter Christo nos genuerunt, & quotidie parturiunt, ut ait Apostolus 1. ad Corinth. 4. inquiens: *Non ut confundam vos hæc scribo, sed ut filios meos Charissimos moneo nam etsi decem millia pædagogorum habeatis, in Christo, sed non multos Patres. Nam in Christo Jesu per evangelium ego vos genui,* & ad Galat. 4. ait: *Filioli mei vos iterum parturio donec formetur Christus in vobis,* & de hisce qui nos Christo parturiunt, generantque Spiritualiter, interpretatur illud Deuteron 31. *Interroga Patrem tuum, & dicet tibi, Majores tuos, & annuntiabunt tibi,* ut etiam illud Ecclesiast. 44. *Laudemus viros, & parentes nostros in generatione sua.* Rursus parentum nomine etiam intelliguntur ii quibus commissa est potestas gubernandi rem publicam, qua ratione, qui erant à famulitio Naaman, Dominum suum vocarunt Patrem 4. Reg. cap. 5. ubi ajunt: *Pater etsi rem grandem dixisset tibi Propheta certe facere debueras*: imò etiam Patres illi dicuntur, quorum fidei, probitati sapientiæ, ac virtuti, imò & procurationi alii concreduntur, hinc Pædagogi, Magistri, Directores, tutores, Curatores, imò & Religiosorum Superiores Magistri dicuntur, qua de causa filii Prophetarum, imò & ipsi Reges in Israel Eliam, & Elisæum Patres vocabant 4. Reg. cap. 4. *Ascendit Elias per turbinem in cælum; Elisæus autem videbat, & clamabat Pater mi,* & 4. Reg. cap. 13. *Elisæus ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est descenditque ad eum Ioas rex Israel & flebant coram eo, dicebatque Pater mi pater mi currus Israel & auriga ejus.* Rursus seniores etiam vocamus patres præsertim si vitæ sint probæ, ac inculpatæ Levit 19. *Præcepit Deus coram capite consurge, & honora personam senis, & time Dominum Deum tuum; ego sum Dominus.* & Sapient 4. dicitur: *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata cani autem sunt sensus hominis, & ætas Senectutis vita immaculata,* quapropter ait Apostolus, 1. ad Timoth. 5. *Seniorem ne increpaveris*

*paveris: sed obsecra ut patrem*; & quamvis ad omnes parentes, extendatur hoc præceptum, & omnes sint honorandi de illis tamen præcipuè lex decalogi loquitur, qui nos genuerunt.

Honor qui ratione hujus quarti præcepti debetur parentibus, in eo consistit, ut primum summo post Deum prosequamur amore, & observantia maxima veneremur; quo pacto Joseph Ægypti Prorex Jacob patrem suum, qui descenderat in Ægyptum perhonorificè excepit Genes. 40. v. 6. *Juxto Joseph curru suo ascendit obviam Patri suo ad eundem locum, vidensque cum irruit super collum ejus, & inter amplexus flevit.* Salomon itidem matri advenienti assurrexit, eamque veneratione debita prosecutus est 3. Reg. cap. 2. *Surrexit Rex in occursum ejus, & adoravit eam, & sedit super thronum suum, positusque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus.* Secundum officium honoris est, ut pro parentibus preces nostras ad Deum fundamus, eisque diuturnam felicem, tranquillam, ac lætam vitam enixim apprecemur, & à Deo petamus, ut opem suam iisdem ferat, nobisque suppedites vires, ut iisdem grati simus, & non permittat bona temporalia iisdem deesse ad vitam sustentandam, & ad proprium statum necessaria, & ut Deus etiam filiis bona temporalia impertiatur, quibus possint parentes juvare. Tertium obsequium parentibus debitum est obedientia, de qua Salomon proverb. 1. *Audi fili mi disciplinam Patris tui & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Et D. Paulus etiam Ephesios hortatur, ut hoc obsequium obedientiæ suis præstent parentibus ad Epheseos cap. 6. *Filii obedite parentibus vestris in Domino. Hoc enim justum est. Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione: ut bene sit tibi, & sis longævus super terram.* Exemplum hujus obsequii nobis dedit Christus JEsus, qui non solùm Patri æterno obediens usque ad mortem fuit, sed & matri suæ Virgini Mariæ, & ipsi Joseph tanquam proprio parenti paruit: Luc. 2. *Et erat subditus illis.* Neque infirmitatis, sed pietatis fuit hæc subjectio D. Ambrosius lib. 2. in Lucam persuasurus filiis reverentiam, est obsequium præstandum parentibus, ostendit incommoda, labores, ac pericula, quæ patiuntur propter filios, inquiens: *Tu matri debes pudoris injuriam, Virginitatis dispendium, partûs periculum; matri longa fastidia; matri longa discrimina, cui misera in ipsis votorum fructibus majus periculum est; & cum ediderit quod optavit, partu absolvitur, non timore. Quid anxios Patres loquar pro filiorum profectu & multiplicatos alienis usibus census; jactaque agricolæ semina posterorum ætatibus profutura? Non ne pro his obsequia saltem oportet rependi?* Quartum officium honoris parentibus rependendum, est imitatio eorundem in probitate, in virtutum exercitiis, in studio pietatis; tunc plurimum iisdem videmur tribuere, quorum persimiles esse volumus; hinc Christus Joan. 8. dixit Judæis: *Si filii Abrahæ estis opera Abrahæ facite.* Quintum honoris, & obsequii officium est, ut filii sequantur consilia parentum, eaque exquirant, ac sequantur si proba fuerint non prava, si ad Dei gloriam propagandam conduxerint, & non in peccatum induxerint, quo Deo displiceant: hic honor tunc vel maximè illis exhibetur, quando a filiis vitæ status deligendus est, vel cum uxor ducenda est; præstant id fieri & parentum consensu, eò quia parentes ut plurimum sint prudentiores filiis quibus melius consulunt, quàm ipsi sibi, quo pacto Isaac, & Jacob eas duxerunt uxores, quas parentes ipsis elegerunt, Genes 24. & 28. Rursus consilium sequi parentum in ordine ad Clericalem, vel religiosam vitam suscipiendam laudabile est, verum tamen ut ait Apostolus 1 Cor. 7. *Unusquisque proprium, donum ex Deo habet, aliis quidem sic, aliis verò sic.* Sextum officium obsequii præstandi parentibus est, ut filii in necessitatibus spiritualibus & temporalibus propriis subveniant parentibus, adeo ut si filius noverit parentes gravi alicui peccato obnoxios esse vel aliena bona retinere, sacramenta non frequentare & propriæ salutis curam negligere omni studio niti debent, ut eos summa cum reverentia admoneant, ad pænitentiam invitent, restitutionem rei alienæ illis suadeant, & ad viam salutis costrahant. Honor enim non solùm in salutationibus externis, & officiis deferendis, quantùm in eleemosynis, ac munerum oblatione sentitur, unde Apostolus 1. ad Timot. 5. ait: *Honora viduas, quæ verè viduæ sunt*, ubi interpretes per honorem donum intelligunt, ut etiam hoc aliud qui bene præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina, ubi per duplicem honorem duplex intelligitur donum, eò quia sit dignus Operarius mercede sua. Septimum obsequii officium erga parentes in eo consistit, ut periculosè ægrotantibus præsto sint filii, dentque operam, ne quid illi prætermittant, quod vel ad peccatorum confessionem, vel ad reliquorum Sacramentorum susceptionem &c. hominis moribundi officia pertinet. Curent etiam ut pii, ac religiosi homines eos frequenter invitnet, qui vel imbecilles confirment, vel consiliis juvent, vel ad spem in Dei misericordiam excitent, vel ut actus aliarum virtutum eliciant. Octavum obsequii præstandi parentibus officium est tandem sepulturæ, honorifica procuratio, id numero sacrificiorum anniversariorum, ac peculiarium precum pro illorum animabus satisfieri curent, & supremam eorundem voluntatem in testamento expressam exequantur, & si quæ ab ipsis legata ad pias causas fuerint, diligenter solvant.

Hinc nomine honoris injuncti intelligitur non solùm actus exterior honorantis, quo honorans testatur, & indicat reverentiam, & præeminentiam ejus, qui honoratur, verum etiam dilectio, observantia cultus, imò & subventio in necessitate tam Spirituali, quàm corporali, quapropter dicitur Proverb. 3. *Honora Dominum de tua substantia*, hoc est de bonis tuis temporalibus, succurre parentibus in necessitate constitutis. Nec mirum si omnia recensita obsequia debeant filii suis parentibus, cum & ipsi Philosophi Ethnici assimilaverint parentes Diis, & Philo vocaverit parentes Deos visibiles, eò quia summè iisdem obligemur eò quia ab iisdem post Deum habemus educationem, & instructionem, quapropter tenemur eos amore prosequi, ac ipsis obedire, imò nec solùm homines sed etiam ipsa bruta animalia hunc amorem solo docente naturæ instinctu impedunt suis parentibus; nota enim est Ciconiarum pietas erga proprios parentes, adeo ut hac in re accusent impietatem hominis, de qua re luculenter D. Ambrosius lib. 5. Hexaëmeron, cap. 16. inquiens: *Quam verò rationabilium non excedat pietatem, ac prudentiam avis, hujus clementia considerandum, quam nec post exemplum quidem irrationabilium quisquam nostrûm imitari potuerit. Nam depositi patris artus per longævum senectutis plumarum tegmine alarumque remigio nudatos circumstans soboles pennis propriis fovet. Et quid dicam collatitio cibo pastu quando etiam ipsa reparat naturæ dispendia, ut hinc atque inde sublevantes senem fulcro alarum suarum ad volandum exerceant, & in pristinos usus desueta jam revocat pii patris membra?*

*Quis*

*Quis nostrûm levare ægrum non fastidiat patrem? Quis fessum senem suis humeris imponat, quod in ipsa historia vix credibile habetur? Quis ut pius sit non hoc servulis mandet obsequium? At verò avibus non est grave quod pietatis est plenum: Non est onerosum quòd solvitur natura debito. Non recusant aves pascere patrem, quod etiam præscripta necessitate sub terrore pœnarum plerique hominum recusârunt. Aves non scripta, sed nata lex stringit. Aves ad hoc munus nulla præcepta, conveniunt, sed gratia naturalis officia. Aves non erubescunt reverendi senis membra portare; est enim vectura pietatis, quod eo usque frequenti testificatione percrebuit, ut congrua mercedem remunerationis invenerit. Nam Romanorum usu Pia Avis vocatur. Et quod vix uni Imperatori Consulto Senatûs delatum dicitur, hoc ista aves in commune meruerunt.* Limitatur tamen obedientia à filiis præstanda parentibus ad ea, quæ pertinent ad domesticam gubernationem, adeo ut non extendatur ad vitæ statum in materia Religionis quia filius est sui juris consultiùs tamen est parentes monere de statu hoc eligendo, quòd si ipsi noluerint possunt filii iisdem non obedire, & seligere statum religiosum, ut Deo inserviant.

Cæterum nomine patris, & matris, quatuor intelliguntur personarum genera, primò parentes, à quibus immediatè, vel mediatè geniti sumus, cujusmodi sunt Pater, Mater, Avus, Abavus. Secundò Superiores qui salutis nostræ curam gerunt, cujusmodi sunt Episcopi, pastores, & Sacerdotes, hi enim lacte ex uberibus Ecclesiæ deducto nos generant, & nutriunt, & per Sacramenta alunt, unde Apostolus ad Hebræ. 13. ait: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Hinc decimarum solutio iisdem debita Christianæ plebi eò nomine persuadenda est, quia Deus, qui dignatus est totum dare, decimam à nobis tantùm repetit, & quidem non sibi, sed nobis profuturam, ut ipse promisit per suum Prophetam Malach. cap. 3. *Inferte omnem decimam in horreis meis, ut sit cibus in domo mea, & probate me in his dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & dedero vobis fructum usque abundantiam.* Tenemur etiam Pastoribus & Sacerdotibus obedire in iis, quâ ordinem in disciplinam ecclesiasticam concernunt, & ad bonum salutis æternæ spectant, quæ de causa Christus Matth. 23. dixit: Obediendum esse Scribis, & Pharisæis sedentibus super cathedram Moysis inquiens: *Quæcunque dixerint vobis facite secundùm opera verò eorum nolite facere.* Hinc Apostolus perambulans Syriam, & Ciliciam & confirmans ecclesias, jussit præcepta Apostolorum, & Seniorum servari ut habetur Actor. 15. Quòd si ecclesiæ Ministris reverentiam, & obedientiam debemus, multo magis ipsi Christo, & ecclesiæ, cujus sunt Præsules & Ministri Christus enim Pater noster est, & ecclesia mater nostra; Christus enim lavacro aquæ in verbo vitæ nos regeneravit, & per Sacramenta verbisque divinis nos pascit, ac erudit. Tertiò nomine parentum intelliguntur Reges, & Magistratus, hi enim Patres patriæ dicuntur, & publicam tranquillitatem, ac quietem servant justas leges, quibus promovetur bonum commune, condunt, & suum jus cuique reddunt, unde hisce non solùm honor, sed etiam obedientia debetur, quia Dei vice præsident populis, & præcipiunt, hinc quibus Apostolus scribens ad Roman. 13. ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo ordinata sunt: itaque qui resistit potestati Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt,* quapropter etiam ex conscientia tenemur Principibus, & Magistratibus obedire, quia Apostolus subdit: *Ideo necessitate subditi estote non solùm propter iram,* (seu ad pœnam temporalem vitandam, sed etiam propter *conscientiam,* Princeps enim, & Magistratus Dei Minister est, hinc si Princeps bellum moveat non pertinet ad subditos causas disquirere, sed tenetur ei parere, ut Docet D. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 75. inquiens: *Ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli authoritas, atque consilium penes Principem sit; exequendi autem jussa bellica ministerium milites debeant paci, salutique communi.* Quartò debetur etiam obsequium à servis Dominis à pupillis Tutoribus, à minorennibus Coratoribus, à Discipulis sui Magistris, quia Domini respectu servorum sunt Patres familias, quos proinde tenentur honorare ex quarto decalogi præcepto, & ut loquitur S. Augustinus lib. de morib. ecclesf. cathol. cap. 30. *non tam conditionis necessitate, quàm officii delectatione,* & ità dicendum de Discipulis respectu Magistri, & de pupillis respectu Tutoris.

Merces autem, quæ promittitur servantibus hoc præceptum est vita longæva, & commoda hujus vitæ, hinc Apostolus ad Ephes. 6. dicit, hoc præceptum primum in promissione, & quia primum est in secunda tabula, & habet promissionem sibi adnexam *ut bene sit tibi, & sis longævus super terram,* hinc filii in conscientia non possunt parentes egenos deserere, Religionis prætextu, sed tenentur iisdem succurrere, ut probat D. Thomas Quodlib. 3. quæst. 6. art. 2. ubi ait: *Qui nondum Religionem intravit, si videat patrem suum in magna necessitate, cui per alium subveniri non posset, non debet religionem intrare, sed tenetur ministrare parentibus. Si verò per alium possit ejus parentibus ministrari potest si vult religionem intrare.* Unde St. Chysostomus expendens illud: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos homil. 38. in Matth.* ait: *Malum est abducere hominem à Spiritualibus, & maximè cum fuerint, qui ministerium parentum compleant, erant enim alii, qui complere possent illius funeris sepulturam.* Religiosus itidem professus parentibus suis ad inopiam redactis tenetur succurrere quantum potest, salva obedientia, non tamen potest è Religione exire absque debita Superiorum licentia, ut illis subveniat, ut docet D. Thomas quodlibeto 6. art. 2. & adfert rationem, quia postquam aliquis est in religione professus est mortuus mundo, unde per Spiritualem mortem deobligatur à cura impendenda parentibus, sicut etiam deobligaretur per mortem corporalem, & ideo non peccat nec contra Dei præceptum agit, si in claustro remaneat sub præcepto Prælati sui parentum ministratione prætermissa. Debet tamen quantum potest salva ordinis obedientia satagere, ut per se vel per alium suis parentibus subveniatur, si verè fuerint in necessitate constituti.

CAP.

# CAPUT XVI.

## De quinto præcepto Decologi, *non occides.*

CUm per præcedentia præcepta teneantur homines debita obsequia per opera pietatis in Deum, & proprios parentes impendere, additur nunc hoc præceptum, quo, ut ait D. Thomas tenemur erga cæteros justitiam servare, ac colere; hinc sex præcepta quæ sequuntur negativa sunt, & nobis injungunt ne ullum nocumentum vel damnum proximo inferamus. Quamvis non sufficiat ad salutem, quod quis proximo suo non noceat, & negativè ad illum se habeat, sed ut ait Apostolus ad Roman. 13. *reddenda sint omnibus debita* honoris, dilectionis, & subventionis: siquidem ut habetur Matth. 19. tenemur proximum diligere, sicut nos ipsos, attamen quia quæ proximi sunt diversimodè exhibentur, ideo decalogus non continet affirmativa præcepta de beneficiis exhibendis, sed tantùm explicitè, quapropter sex quæ sequuntur præcepta, sunt negativa. ex quibus primum est: Non occidere; quod præceptum omnium mentibus à natura insculptum est, omnes enim à cade proximi sui naturaliter abstinent, hinc Cain fraternæ cædis reus, primusque homicidiorum author, cum cognovisset gravitatem ejus criminis, noluit illud confiteri; interrogatus enim à Deo, ubi esset frater suus Abel, respondit: *Nunquid custos fratris mei sum ego;* siquidem se noverat severes, & gravissimas pœnas ob patratum scelus sibi promeruisse: cùmque Dei sententia damnatus fuisset, dixit ad Dominum: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Est igitur homicidium gravissimum scelus, propterea lege Mosaica morti addicebantur homicidæ Exodi 21. *Qui percusserit hominem volens occidere morte moriatur; si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias ab altari meo evelles eum, ut morte moriatur.* Et ob hanc causam ecclesia homicidas subiecit publicæ pænitentiæ, per plures annos ut habetur in antiquis canonibus, imò ex Concilio Anciranocan. 22 addicebantur rei voluntarii homicidii perpetuæ pænitentiæ, per totam vitam, postea tamen benignius cum illis actum fuit ab Ecclesia, & pænitentiam illam, quam per totam vitam debuisset homicida exequi, contraxit ad certum numerum annorum. Hoc præcepto non solùm prohibetur homicidium, sed etiam omnia, quibus contra disciplinæ ordinem læditur humanum corpus, & male mulctatur, ut si verberibus pulsetur, vulneribus sauciatur, mutilatione detruncetur, imò etiam injusta incarceratio, & non solùm quando aliquis gladio, lapide, baculo, laqueo, veneno vitam eripit, verùm etiam consilio ope, auxilio vel alia quacunque ratione id fieri prorsus prohibetur: quo pacto David, qui jusserat Uriam ex adverso belli ubi fortissimum esset prælium, collocari, eumque ab aliis militibus derelinqui, ut cæsus ab hostè interiret, quamvis ipsum propria manu nec ferro occiderit, reus tamen fuit homicidii, ut etiam Jezabel quæ jussit occidi Naboth, & Caiphas, qui consilium dedit, ut occideretur Christus, ut etiam Judæi qui à Pilato petierunt, & repetitis clamoribus obtinuerunt, ut Christus crucifigeretur, homicidæ fuerunt. Non enim sufficit ad hoc præceptum implendum, continere manum à cæde, membrorumque mutilatione, verberatione, & à qualibet alia violentia nisi etiam contineatur lingua, & animus ab omnibus affectibus tendentibus in cædem proximi, adeo ut teneamur ad hoc præceptum implendum coercere iram, odium, & prava alia desideria, quæ tendunt in proximi cædem, ut etiam tenemur abstinere à gaudio de illa, si patrata sit, ut etiam à contumeliis tenemur abstinere conviciis, obtrectatione, & invidia. Matth. 5. 21. *Audistis, quia dictum est antiquis non occides, qui autem occiderit reus erit judicio, ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio, qui autem dixerit fratri suo Raca reus erit Consilio qui autem dixerit fatue reus erit gehenna ignis*, hinc colligitur eum non esse à culpa immunem, qui fratri suo succenset, tametsi iram contineat animo inclusam, id tamen intelligitur de ira, quæ ad vindictam excitat, & libidinem fundendi proximi sanguinem, quia plerumque irascimur etiam iis, quos amore prosequimur non ut eis nocumentum inferamus, sed ut ad saniorem frugem eos pertrahamus. & prosequimur etiam in homine odio, quod fecit ipse peccatum non id quod in homine fecit Deus, hinc David Psal. 118. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.* Diligebat enim in divina lege proximum suum, cujus tamen iniquitatem odio habuit, hoc est non in hominibus iniquis se odisse naturam, qua homines sunt testatur, sed in hominibus iniquitatem.

David itidem Psal. 4. permittit quidem iram, sed à peccato immunem *irascimini & nolite peccare.* Prohibemur igitur iram fovere, qua à Christiana mansuetudine deflectimus, & multò magis prohibemur ab odio quod est ira inveterata, ita enim irasci fratri suo sine causa nefas est, consequenter tenemur iram compescere, si hæc ad ultionem tendat, & ira convertatur in odium, ut scribit Apostolus ad Ephes. 4. *Non occidat sol super iracundiam vestram* alioquin festuca crescit in trabem, est enim festuca initium trabis, ut loquitur Augustinus serm. 82. de Verbis Domini: *Nam trabes quando nascitur parvus festuca est, rigando festucam perducis ad trabem, alendo iram malis suspicionibus perducis ad odium, multum autem interest inter peccatum irascenti, & crudelitatem odio habentis. Nam & filiis nostris irascimur odisse filios, quis invenitur? usque adeo non omnis, qui irascitur, odit ut aliquando magis odisse convincatur, si non irascitur. Multum aliud est quando quisque, irascens in aliquo verbo modum excedit ob quod postea deleat pænitendo, & aliud est, servare insidias inclusas in corde. Multum postremo interest inter hæc verba scripturæ, turbatus est præ ira oculus meus. De illo autem, quid dictum est? qui odit fratrem suum, homicida est. Multum interest inter turbatum oculum, & extinctum, festuca turbat, trabes extinguit.*

Rursus hoc præceptum *non occides* non solùm prohibet omnem cupiditatem vindictæ, sed multarum etiam virtutum exercitia præcipit: siquidem humanitatem, & mansuetudinem à nobis exigit, quæ virtus est Christo charissima, iræ & odio opposita, & hanc Magister Christus vult, ut ab ipso discamus Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Exigit etiam concordiæ studium, adeo ut in quolibet negotio satagamus cum proximo redire in gratiam & omnem deponere rancorem, omnem extinguere iram, & omne prorsus delere odium, ut indicat Christus Matth. 5. 23. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum:* quamobrem quando

do Sacrificia Spiritualia in templo Dei interiore, seu in corde nostro offerenda sunt tenemur priùs reconciliari fratri nostro & multo magis, cùm ad Sacrificium incruentum ad altare visibile, in quo Christi corpus, & sanguis à sacerdotibus Deo offertur, & consecratur, imò & à fidelibus sumitur, tunc enim tenemur prius omne dimittere, quod contra fratrem habemus, imò & ipsi reconciliari antequam ad altare accedamus, ait enim Augustinus lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 10. *Pergendum est ad reconciliationem cum in mentem venerit quod nos forte fratrem in aliquo læsimus, pergendum autem non pedibus corporis, sed motibus animi, ut te humili affectu prosternas fratri ad quem cara cogitatione cucurreris in conspectu ejus, cui munus oblaturus es. Ita enim etiamsi præsens sit. poteris eum non simulato animo lenire, atque in gratiam revocare veniam postulando, si hoc priùs coram Deo feceris pergens ad eum non pigro motu corporis, sed celerrimo dilectionis affectu: atque inde veniens, id est, intentionem revocans ad id quod agere cæperas, offeres munus tuum.* Præterea hoc præcepto nobis injungitur servare pacem cum aliis hominibus quantum in nobis est Matth. 5. *Esto consentiens fratri tuo citò dum es in vita cum eo: Ne forte tradat te adversarius Judici, & Judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi: Non exies inde donec reddas novissimum quadrantem.* Hinc Christus vocat Beatos pacificos, qui student non solùm inter dissidentes concordiam, & pacem invehere, sed ultrò invitare ad concordiam animorum, & ad pacem illos, à quibus sunt offensi. Injungitur etiam nobis exercitium patientiæ, ut non tantum malos toleremus, sed etiam patiamur eos abuti nostra tolerantia, parati graviora etiam damna ab illis accipere, quàm iisdem injuriam inferre, ad quod nos invitat Christus Matth. 5. *Ego autem dico vobis non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, & ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & palium, & quicunque te angariaverit mille passus vade cum illo, & alia duo,* ait enim Salvator Luc. 21. *In patientia nostra nos possessuros animas nostras.*

Plerumque malis hominibus utitur Deus ad nos castigandum, & erudiendum ut filios non ut inimicos; quapropter Job vir rectus ac timens Deum à Sabæis, Chaldæis, Dæmone graviter cæsus omnes angustias, ærumnas, & calamitates suas ad Deum retulit, *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum,* eadem ratione qua Joseph à fratribus passus fuerat non impiis eorundem consiliis, sed voluntati Dei tribuit, Genes. 40. *Ego sum Joseph frater vester, quem vendidistis in Egyptum. Non vestro consilio sed Dei voluntate huc missus sum.* David itidem injurias sibi à Sabæis illatas, æquô animô tulit, ut à Deo permittente in se derivatas.

Continetur etiam in hoc præcepto, ne ulli noceamus sed parati simus ad benefaciendum omnibus: hinc Christus Matth. 5. 42. *Qui petit à te da ei; & volenti mutuare à te, ne averiaris,* quibus verbis nobis significatur necessitas exercitii patientiæ, & reddere sortem cupienti, ac volenti, & quod debeamus mutuum dare sine ulla spe lucri, imò & egentibus sine spe sortis. Exercitium itidem charitatis in proximum hoc quinto decalogi præcepto nobis injungitur, scilicet ut inimicos nobis graviter infestos toto mentis affectu complectamur, imò & eos beneficiis cumulemus, perinde, ac solent parentes parvulos suos filios vel freneticos, à quibus plura patiuntur incommoda diligere: imò & omnia tentare ut ipsorum saluti consulatur Matth. 5. 44. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros benefacite iis, qui oderunt vos.* Demum nobis injungitur non solùm tolerare ab inimicia detrimenta verùm etiam preces ad Deum fundere pro eorundem salute Matth. 5. 44. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est.* Non tamen hoc præcepto prohibemur bestias occidere, quia cum illis vesci sit hominibus à Deo concessum, sequitur esse itidem hominibus concessum illas interimere, quibus possint vesci. Imò neque quælibet hominum cædes hoc præcepto prohibetur siquidem cædes sceleratorum hominum, qui Reipublicæ sunt nocumento, dummodo fiat per sententiam magistratus, non prohibetur hoc præcepto, quia Principi & Magistratui data potestas est necis inferendæ facinorosis, dummodo ex præscripto legum, & judicio in illos animadvertant ob innocentum defensionem, quia ut ait D. Paulus ad Roman. 13. *non frustra portat gladium vindex enim est ad malorum vindictam, & laudem bonorum,* & Deuteron. 19. Dominus dicit: *Auferes malum de medio tui, non parcet oculos tuus ut miserearis.* Ministri itidem justitiæ, dummodo justè suo fungantur munere in condemnandis reis non sunt homicidæ, quia divinæ legi prohibenti homicidium vel maximè obediunt, cujus finis est, ut hominum vitæ, ac saluti consulatur, quod præstat magistratus, quando sceleratorum hominum audaciam, improbitatem, & injurias suppliciô reprimunt, *non enim;* ait D. Augustinus epist. 43. ad Macedonium, *frustra instituta sunt; potestas Regis, jus gladii cognitoris, ungula Carnificis, arma militis, disciplina dominantis, severitas etiam boni Patris. Habent ista omnia modos suos, causas, rationes, utilitates; hæc enim cum timentur, & coercentur mali, & quietiùs inter malos vivunt boni, non quia boni pronunciandi sunt, qui talia metuendo non peccant; non enim bonus est quispiam timore pœnæ, sed amore justitiæ.* Hinc claret non omnem cædem hominum hoc præcepto prohiberi, quapropter David Psal. 100. ajebat: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem,* & Moyses qui fuit mitissimus, non fuit homicida, cum jussit occidi Idololatras, & cæsa fuerunt à Levitis ejus mandato, quasi viginti tria millia hominum Exodi 32. 27. Nec cum principes populi, qui cum Madianitis mulieribus fornicati fuerant suspendi jussit, in patibulis, ut averteretur furor Dei, & Judicibus Israel præcepit, ut unusquisque proximos suos, qui initiati erant Beelphegor occideret.

Non tamen licet Magistratibus insontes occidere, cum dicat Deus Exodi 23. *Insontem, & justum non occides: quia aversor impium.* quapropter non licèt Reipublicæ hosti petenti caput innocentis extradere, quamvis agatur de ipsius Reipublicæ salute, imò neque quemlibet malefactorem licitum est interimere, sed eum duntaxat, qui ordine juris servato convincitur capitalis sceleris reus, alioquin si non servato ordine juris Judex sententiam proferret peccaret contra hoc præceptum, Deuteron. cap. 16. 20. *Justè quod justum est persequeris.* Quamobrem in causis capitalibus tenetur Magistratus procedere cum tota cautione, & agere consideratè, & non hærere solis præsumtionibus, aut indiciis, tametsi gravissimis, sed Reus propria confessione debet convinci, quia tenetur tantùm studio justitiæ & odio sceleris servato in homine reo amore in eum sententiam proferre, ait enim Augustinus epist. 43. ad Macedonium: facile est atque proclive, malos odisse, quia mali sunt; rarum

rarum autem, & pium eosdem ipsos diligere, quia homines sunt, ut in uno simul & culpam improbes, & naturam approbes, ac propterea culpam oderis, quòd ea fœdatur natura quam diligis. Cæterum Judices in partem mitiorem debent semper propendere in causis in quibus de fundendo sanguine agitur, & sæveritatem misericordia temperare. Cædes enim, quæ jussu Dei fiunt, non sunt, contra hoc præceptum, quia est Deus supremus Dominus vitæ, & mortis omnium hominum; hinc Abraham, cùm jussu Dei mactare filium suum Isaac paratus fuit, non non solùm à scelere homicidii immunis fuit, verùm etiam obedientiæ merito laudatus, & filii Levi qui uno die plura millia hominum occiderunt contra hoc præceptum non egerunt, quinimò potius maximam laudem fuerunt adepti: siquidem ob eandem cædem dixit illis Moyses Exodi 22. 29. *Consecrastis manus vestras hodie Domino unusquisque in filio & in fratre suo, ut detur nobis benedictio.* Hostes itidem in bello justo occidere non non ex crudelitate, aut cupiditate, sed publicæ utilitatis studio adversatur huic præcepto, quia bellum per se, & ex natura tua non est malum, cum Abraham bellum gesserit, & revertenti à cæde quatuor regum, occurrerit Melchisedech. gratulabundus, qui propterea panem, & vinum Deo obtulit, & benedixit Victori Genes. 14. Præterea quia legimus Deum in sacris scripturis jussisse bellum geri adversus Madianitas, Amalecithas, aliasque Gentes, & auxilium promisisse justè bellantibus, ac dedisse, & se ipsum dixisse Deum exercituum: hinc S. Joannes Baptista interrogantibus militibus, quid ipsis agendum esset, quo æternam assequerentur salutem, respondit: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris, non injunxit illis abstinere ab hostium cæde, quia in justo bello id ex tua natura malum non est, quapropter D. Paulus ad Hebræ. 11. laudat *Gedeonem Barach, Samsonem Jephte, Samuelem, Davidem, & plures alios, qui per fidem vicerunt regna, & fortes facti sunt in bello.*

Verùm ut bellum sit justum, tres requiruntur conditiones, scilicet Authoritas legitima, quæ tantùm in supremo Principe residet, aut Republica perfecta, causa justa, & intentio recta. Prima conditio ex eo requiritur, quia non pertinet ad personam privatam bellum indicere; quia hæc potest jus suum prosequi in judicio superioris. Tum quia necesse est, ut in bello parando convocetur multitudo, quod non pertinet ad privatam personam unde cum cura Reipublicæ concredita sit Principibus, ad ipsos pertinet Rempublicam civitatis, vel Regni, seu Provinciæ sibi subditæ tueri, quapropter ab Apostolo ad Rom. 3. dicitur non sine causa portare gladium, eò quia Minister Dei sit, & vindex in iram ei qui malè agit. Requiritur etiam secunda conditio scil. causa justa, ut hostis impugnetur. Hinc D. Augustinus quæst. 10. in Josue ait: *Justa bella definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, quas gens, vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per injurias ablatum est.* Hinc justi belli plures solent causæ assignari, ut recuperatio terrarum, bonorum aut jurium, quæ Principi aut Rei publicæ debentur. Ultio gravis ignominiæ illatæ Legatis Principis, si Princeps alter hostibus ipsius opem, & suppetias præbeat. Si impios seditiosos & perduelles contra bonum publicum tueatur; si pactum, vel fœdus initum violetur. Si negentur justa tributa si subditorum fiat seditio, & rebellio; si confœderati injustè opprimantur vel causam justam non tueantur, si innoxius transitus denegetur, de quibus ait Augustinus quæst. 44. in numer. Tertia belli justi conditio, est recta intentio gerentium bellum, quod non alia debet intentione geri, quam ut bonum promoveatur, & malum à Republica arceatur; scitè Augustinus epist. 189. ad Bonifacium: *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus à necessitate, & conservet in pace, & in charitate, non enim pax quæritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur, esto ergo etiam bellando pacificus, ut eos quos expugnas ad pacis utilitatem vincendo perducas itaque hostem pugnantem necessitas premat, non voluntas.*

Non tamen potest aliquis se ipsum interimere, quia homo non habet potestatem in suam vitam, quæ plenè & totaliter soli Deo subjicitur, à quo illam habet, quapropter jure naturæ tenetur quantum potest illam conservare, ut habetur *l. Liber homo. ff. ad legem Aquil.* Et ex Concilio Bracharensi, in quo statutum fuit, ut pro occidentibus se ipsos nulla fieret oblatio, vel oratio & cadavera non donarentur ecclesiastica sepultura; imò & addit pænam confiscationis bonorum ex lege civili, quapropter is peccat, qui privata authoritate aliquem etiam volentem, & consentientem occidit, quia nullus potest hanc facultatem dare, nisi qui habet plenum dominium in vitam, & mortem, ut est Deus; quòd si dicas quosdam laudari, & coli ut Martyres, qui se ipsos directè occiderunt, ut Samson qui columnas domus concutiens sibi mortem intulit. Lucretia violata à Tarquinio, quæ gladio mortem sibi intulit, & plures recensentur inter Christianos Virgines, quæ pudicitiæ servandæ causæ vel in flumina se præcipitarunt, vel in flammas se incecerunt. Nam contra est, quia ut scitè respondet D. Augustinus lib. 1. de civit. cap. 26. Nemo debet spontaneam mortem sibi inferre, ut molestias temporales declinet, vel ne incidat in extremas miserias, neque potest quis ob aliena peccata se interimere, ne hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium peccatum, neque propter sua peccata præterita, potest sibi vitam adimere; quia is prolixiori indiget vita, ut per pænitentiam possit Deo satisfacere, & à vulneribus peccatorum sibi inflictis sanari. Neque desiderio melioris vitæ, quæ post mortem speratur, quia reos suæ mortis, melior post mortem vita non suscipit, Quamobrem Razias, qui ne in manus Nicanoris deveniret, se ipsum gladio interemit, licet fortiter egerit non tamen prudenter, ut ait Augustinus. Saul itidem & armiger ejus, non minus miserè quàm impiè Achitophel, & Judas dum gladio & laqueo sibi vitam præripiunt, flammis æternis se addicunt. Theoprotus, quia ut refert Augustinus cum legisset librum Platonis de immortalitate animæ spe, & desiderio vitæ futuræ, se ipsum interfecit, & ita vitam tam mortalem quam immortalem irrecuperabiliter perdidit. Lucretia quoque reprobanda, quia ad laudem captandam à posteris vitam sibi ademit, violento ferro. Quòd verò addebatur de pluribus Christianis Virginibus, quæ causa tuendi propril pudoris mortem sibi intulerunt, respondet D. Augustinus id actum fuisse ex divina inspiratione, cujus impulsu S. Apollonia in accensum rogum se projecit. Plures etiam hac seclusa inspiratione possent per ignorantiam inculpatam excusari: siquidem se occidere ob patriæ salutem, vel causa tuendæ pudicitiæ non est malum ita evidens quin possit inculpatè ignorari, & credi licitum, ut censet D. Hieronymus in cap. 1. Jonæ, & Palladius cap. 155.

refert historiam fœminæ Lausiacæ, quæ cum à Tyranno accersseretur, se ipsam gladio intersecit, & D. Ambrosius laudat similes casus ob conservationem pudicitiæ. Cæterum Virgines quæ coluntur ut Martyres ob Christi fidem mortem tolerarunt, quapropter cum non peccaverint in tali facto, censentur moraliter occisæ ab ipsis fidei persecutoribus. Cæterum naturaliter nunquam est licitum se ipsum interimere, imò neque membra sua mutilare, nisi id fiat ad totius coporis salutem, quia membra sunt ob bonum totius. Non tamen ad declinandas carnis tentationes, id licet, ut constat ex can. 22. Apostolor. & ex Concilio Nicæno I. quia id nunquam est medium necessarium est animæ salutem; membra enim non adferunt homini perniciem, sed malus eorum usus, alioquin Deus malè diceretur naturam instituisse, unde qui ob hanc causam membrum aliquod mutilat, injuriam Deo irrogat, hinc neque demasculatio puerarum, seu castratio licita est etiam ob conservandam vocem acutam, quia hujusmodi demasculatio non tollit tentationes carnis, sed tantùm impedit generationem, quod est malum speciei humanæ, cujus impedit multiplicationem, & conservationem in suis individuis. Et D. Augustinus lib. 6. contra Julian. cap. 5. reprehendit Originem qui anno 208. Simplicius, interpretatus tantùm Matth. 19. de castratione propter regnum cælorum, cùm esset ipse adolescens, & esset non solum cum viris, sed etiam cum mulieribus frequenter, deque rebus divinis sermocinaretur, ut omnem obtrectationis causam calumniatoribus adimeret, se ipsum demasculavit, ut refert Eusebius lib. 6. cap. 7. Et quidam ajunt S. Marcum pollicem sibi præcidisse ex humilitate, ne cogeretur sacris initiari. Verùm hæc mutilatio nec licita fuit, nisi ex divina præcesserit inspiratione, vel excusetur à probabili ignorantia, & Baronius refert non fuisse S. Marcum, sed quemdam Monachum Anachoretam Marcum nomine, qui tamen in hoc non est laudandus.

Homicidii rei sunt etiam, qui duello pugnant, quod per se illicitum est, sed non sumitur hic duellum pro pugna duorum, qui derepente, & sine pacto ullo rixantur, districtisque gladiis pugnant, neque pro rixa duorum, qui ex conventione pugnant sine armis, tametsi hæ pugnæ non excusentur à gravi nona: sed sumitur duellum pro pugna duarum, qui certo loco, & tempore, ex pacto cum armis sivè gladiis, sive sclopetis conveniunt, aut sibi occurrunt certaturi, non sine vitæ periculo, quia hoc pugnæ genus per se illicitum est, sive fiat causa injuriæ ulciscendæ, sive privatæ, vel publicæ defensionis, quia privata authoritate non licèt injurias sibi irrogatas ulcisci, etenim duellò certare non est vim vi repellere, quod licet cuique in sui defensionem, unde ita duellantes si se occidant, peccant contra hoc præceptum *non occides.* Hinc lex divina duellum prohibet, ut scelus detestabile, & homicidii genus, quia non solum proximo necem inferre nititur, verùm etiam vir equestris ex ejus cæde gloriatur: hinc duella, seu singularia certamina leges ecclesiasticæ prohibent præsertim Concilium Tridentinum sess. 25. de Reformatione cap. 19. inquiens: *Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo introductus ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. Qui pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, ex communicationis ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetua infamia pœnam incurrant, & ut homicida, juxta sacros Canones, puniri debeant, & si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant ecclesiastica sepulturâ. Illi etiam qui consilium in causa duelli tam in jure, quàm facto dederint; aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, nec non Spectatores, Excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur, non obstante quocunque privilegio, seu prava consuetudine etiam immemorabili.* Cæterum quia hoc decretum Concilii Tridentini videbatur loqui tantùm de privatis duellis, quæ cum solemnitatibus indicuntur, & fiunt. Gregorius XIII. illud ampliavit sua constitutione, quæ incipit: *Ad tollendum* & pœnas decreto illo latas etiam extendit in eos *qui ex condicto, statuto tempore & in loco convento Monomachiam commiserint etiam si nulli patrini, sotiive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita nullave provocatoria littera, aut denuntiationis chartula præcesserint. Locorum etiam Dominos, si certamen ex condicto hujusmodi permiserint, aut quantum in se fuerit, non prohibuerint, omnesque illud fieri mandantes instigantes, auxilium, vel favorem dantes: consilium, equos, arma, pecuniam commeatum, & alia subsidia scienter subministrantes, aut ex composito spectatores, vel socios quavis modo se præbentes, eisdem censuris, & pœnis subjacere declarat, etiam si illi qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserint, si per se ipsos non steterit, quo minus illa committatur.*

Rursus quamvis sit peccatum animati fætus extinctio, quam excussio fætus inanimati, homicidii tamen rei sunt, qui abortum procurant sive fœtus animatus sit, sive inanimis; quia fœtus quamvis inanimis inchoativè est homo, habens jus ad vitam; & hoc jus illi adimitur, quoties materna excutitur ab alvo. Scitè Tertullianus Apolog. c. 9. *Nobis homicidio semel interdicto; etiam conceptum utero dum adhuc sanguis in hominem deliberatur, dissolvere non licet. Homicidis festinatio est prohibere nasci: Nec refert natam quis eripiat animam; an nascentem disturbet. Homo est, & qui est futurus, & fructus omnis jam in semine est.* Et ita docent SS. Patres communiter. Hinc non licet medico fœminæ prægnanti, etiam in certo mortis periculo constitutæ phramacum date ad procurandum aborsum, sive fœtur animatus sit, sive in animis; tametsi inde spes affulgeret ut fœmina sanitatem recuperaret: quia conceptio prolis, quæ ex carnali copula est consecuta, non potest impediri, quia id est contra naturam, cujus opus, ordo, & finis impeditur, finis enim naturalis generationis, est ut ex tali conceptione fiat ac perficiatur homo. Id enim nunqum licitum est etiam ad evitandum mortis periculum, quod mulier ex partu certo scit sibi imminere; siquidem festinatio homicidii est prohibere nasci. Homicidii rei censentur itidem, qui proximo in extrema necessitate posito non succurrat, cum possit, quia ut ait D. Ambrosius cap. *dist. 76. Pasce fame morientem. Quisquis enim pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti.*

# CAP. XVII.

## De sexto Decalogi Præcepto: Non mœchaberis.

Mœchia nomen græcum, tametsi à Græcis frequentius usurpetur ad significandum adulteriũ: nihil ominus sicut nomine furti omnis intelligitur rei alienæ usurpatio in septimo præcepto: *Non furtum facies*; siquidem Deus, qui furtum prohibuit rapinam non permittit; ita in præsenti ex parte totum intelligitur, adeo ut nomine mœchiæ, intelligatur omnis illicitus concubitus, & illorum mem-

membrorum non legitimus usus, qui propterea prohibetur hoc præcepto. Omne igitur luxuriæ genus, simplex fornicatio, adulterium, stuprum, incestus, sacrilegium, Sodomia, mollities, omnesque tactus inhonesti, actus impudici, illiciti sunt, & prohibentur hoc præcepto. Et sicut omne præceptum est duplex affirmativum, & negativum; ita in hoc præcepto includitur affirmativum de temperantia observanda, quæ voluptates circa res venereas coërcet, & regulat ad normam legis divinæ, cui recta ratio conformatur, consequenter omnis impudicitia, hoc præcepto prohibetur, quod ideo exprimitur nomine mœchiæ, quia adulterium significatum per hoc nomen præter turpitudinem, quæ illi cum aliis intemperantiæ generibus communis est, includit etiam peccatum injustitiæ non solum in proximum, seu maritum fœminæ, sed etiam in civilem societatem; violat etiam sacramentum matrimonii, & fidem naturalem, adeo ut adulteri ex sententia D. Thomæ sint etiam rei sacrilegii, & proditionis. Unde licèt simplex fornicatio, sit peccatum lethale, quo membra Christi turpiter inhonorantur, & quo gravis spiritui sancto irrogatur injuria, cujus templum polluitur, & Fornicantes excluduntur à regno cœlorum, ut scribit Apostolus 1. ad Corinth. 6. & ad Ephes. 5. attamen in adulterii scelere major est iniquitas, quam in simplici fornicatione. Est fornicatio simplex concubitus, soluti cum soluta ex mutuo consensu; estque sine dubio peccatum lethale, idque de fide tenendum est, quia Deus in veteri testamento eam prohibuit. *Non erit meretrix de filiabus Israel, neque scortator de filiis Israel*; & Deuter. 22. & 23. Fornicatio simplex dicitur abominatio: *Non offeres mercedem prostibuli, quoniam abominatio est.* Et Tobias erudiens filium, ait cap. 4. *Attende tibi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam non patiaris crimen scire.* Et D. Paulus scribens ad Corinthio 1. Corinth. 6. *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nolite errare neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, regnum Dei possidebunt. Ad Galat. 6. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia Luxuria &c. quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei, non possidebunt.* Ad Ephes. 5. hoc idem inculcat dicens: *Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei; nemo vos seducat inanibus verbis.* Et demum ad Hebræos 6. scribit: *Fornicatores, & adulteros judicabit Dominus.* Igitur ex sacris scripturis apertè constat simplicem fornicationem ut distinctam ab adulterio, & aliis speciebus impudicitiæ esse peccatum mortale. Quin imò impudicitia, & fornicatio quamvis simplex, specialem habet deformitatem ratione sacramentorum baptismi, & Eucharistiæ, quibus corpora nostra facta sunt membra Christi, & in templum Spiritus Sancti consecrata. Unde D. Paulus ad Hebræ. 6. *Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi, tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? absit.* Et infra: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? empti enim estis pretio magno.* Ubi Apostolus triplici argumento avertit Christianos, quos etiam deterret à simplici fornicatione. Primò quia per fornicationem suffuramur Christo corpus nostrum, & in ejus injuriam tradimus illud meretrici; si enim corpora nostra sunt membra Christi, per simplicem fornicationem surripimus Christo hæc membra, quæ damus meretrici, cum fornicator fiat una caro cum ipsa. Secundò fit injuria Spiritui Sancto, quia hunc aliquo modo ejicimus è suo templo per fornicationem, cum nostrum corpus polluimus, & prophanamus, ait D. Augustinus lib. de 10. chordis: *Si quis autem violaverit templum Dei, disperdet illum Deus. Non vis corrumpi domum suam, quare corrumpis domum Dei.* Tertiò quia oportet, ait Apostolus, vos magnificare corpora vestra, & non ea Dæmoni obstringere, & quasi gratis dare brevi, turpique voluptate, quæ tanto pretio sanguinis Christi empta sunt: *Glorificate ergo Deum, magnifaciendo corpus, & castum illud servando in obsequium Dei, & Christi.*

Sancti Patres hanc eandem probant veritatem præsertim D. Augustinus lib. de decem chordis inquiens: *Facis injuriam Deo, dum teipsum corrumpis, tibi facit injuriam, qui voluerit forte lapidare tuam tabulam pictam in qua imago tua est. Cùm verò imaginem Dei, quod es tu corrumpis per fornicationes, & per diffluentias libidinis non attendis cujus imaginem violasti, cui contumeliam fecisti?* D. Hieronymus in epist. *O ignis infernalis luxuria, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintillæ prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna.* Beda in templo Salomonis: *Brevis est voluptas fornicationis, sed perpetua ejus pœna.* Neque obstat, quod Bartolus in penult. tit. de concubinis, & cum ipso alii juris periti vocent concubinatum legitimum coitum, quia ipsi loquuntur, quatenus permittitur à lege, & non punitur, non tamen inde sequitur non esse peccatum lethale, lex enim civilis, seu magistratus ad evitanda majora mala, cujusmodi essent adulteria permittit, hoc minus malum quod est simplex fornicatio. Ratio etiam ostendit fornicationem esse peccatum lethale siquidem in fornicatione præmittitur conditio, quam exigit lex naturæ in generatione humana, & ejus finem, qui est bona prolis institutio, ac proinde repugnat fini naturæ; hæc autem inordinatio gravis est, & in re gravi, consequenter est peccatum lethale minor, & consequentia tenet, quia impedire finem intentum à natura in re gravi est damnum grave. Major quia sicut Deus instituit, quod erat necessarium ad prolem concipiendam, & parturiendam scilicet vim generandi, & organa opportuna, ita instituit quod erat necessarium ad prolem rectè educandam, & promovendam ad statum perfectum hominis; nam finis generationis humanæ est proles perfecta. Hoc est vinculum insolubile maris, & fœminæ posito mutuo consensu quod matrimonium dicitur, quia sine tali vinculo fieri non poterat humano modo ut proles rectè educaretur, cùm ad hoc non solùm materna, sed etiam paterna cura sit necessaria. Quòd si dicas incommodo prolis educandæ posse occurri alio modo, ut si vir probus quandam sufficientem assignat pensionem alicui viro ingenuo, qui curam prolis rectè educandæ, & instituendæ suscipiat.

Nam contra est, quia id omnino per accidens se habet, non verò per se & essentialiter quoad omnes homines; id tantum in divitibus concedi posset, proinde in his solis non autem pauperibus licita foret, & non peccatum lethale fornicatio, hinc sequeretur quòd quis quò ditior esset, eò cum pluribus posset fornicare, quæ omnia absurda sunt. Præterea quia id non tollit inordinationem quàm actus per se habet, quatenus in eo prætermittitur illa conditio personarum, quam ipsa natura instituit, & exigit in actu illo ad prolis suscipiendæ perfectionem, quinimò hanc veritatem cognovit etiam Aristoteles 7. Ethic. ubi

ait: Delectabile quod in tactu, & gustu, non est eligibile propter se, sed propter aliud, ut cibus propter conservationem individui, & tactus venereus propter conservationem speciei, ergo cum fornicatio habeat solam delectationem carnalem pro fine, & non conservationem speciei, quæ habetur per generationem prolis, sequitur habere pro fine, quod est contra naturam. Quòd si dicas fornicarium intendere susceptionem prolis ab ea quam carnaliter cognoscit. Respondetur, quòd si hoc esset deberet illam suscipere in uxorem non in concubinam, ne filiis, quos intendit suscipere, ex illa gravissimam irroget injuriam, quæ contingit, quoties proles nascitur spuria, & illegitima, filii enim legitimi præferendi sunt spuriis. Si instes te ad concubinam divertere, eò quia uxor tua sterilescit, nec tuo satisfacit desiderio habendæ prolis. Respondet D. Augustinus lib. de bono conjugali: *Melius est sine liberis mori, quàm eos ex illicito concubitu gignere*; etenim propensio generandi sui simile modo licito, & conveniente, seu rationabili quem viri probi agnoscant esse solùm matrimonium est effectus in homine naturæ bene ordinatæ; Sed sola delectatione, seu voluptate ad hoc ferri est deflectere à justo dictamine naturæ rationalis, quæ scopum, & finem actionis suæ respicit, & in brutum animal, quod sensus voluptatem solam imaginatur deviare, etenim ipsa natura, quæ animalibus affectum indidit commixtionis sexuum, implantavit etiam affectum, & inclinationem curandi, & educandi susceptam prolem ut in volucribus, & in cunctis animantibus.

Dices fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & eatenus est mala, quia à Deo per legem positivam fuit interdicta. Contra est, hanc enim sententiam, quàm plures habuerunt, ut probabilem, Innocentius XI. ut falsam, & temerariam damnavit, fuit ordine 48. etenim si simplex fornicatio nullam ex intrinsecis principiis malitiam involveret, sed tantùm mala esset, quia per legem positivam Dei prohibita est, inde sequeretur, quod ante legem scriptam ac promulgatam gentibus, non fuisset ullum peccatum; quinimò, neque post legem scriptam fuisset imputata in peccatum, iis, qui lege Mosaica non tenebantur, ut fuerunt Ethnici, quod falsum est, cùm simplex fornicatio fuit semper graviter punita, eò quia ex principiis suis intrinsecis mala sit, & dissona rationali naturæ, ac lege naturali, quæ per dictamina rationum sufficienter divulgatur, ac intimatur omnibus, ex quo sequitur esse ex intrinsecis suis principiis malam, eò quia impediat per se generationem prolis, & consequenter propagationem naturæ humanæ; etenim si semel simplex fornicatio non esset ex natura sua, & intrinsecè mala; esset tantùm mala, quia per legem positivam prohiberetur; sin autem hæc prohibitio non extaret, esset licita & consona naturæ humanæ, quod falsum est; quia quod naturæ est consonum, promovet ejus bonum; & tantum abest, quod simplex fornicatio per se promoveat bonum naturæ humanæ, ut potius ejus propagationem, & conservationem impediat, quod nonnisi summum malum potest eidem esse, etenim si licita esset simplex fornicatio ex suppositione quod non esset prohibita, jam fœmina libera posset licitè copulari cum viro libero; quòd si posset cum uno posset itidem cum alio pariter libero, & rursus cum alio, & sic successive cum pluribus aliis, quia si semel est fornicatio licita cum uno viro libero, est etiam licita cum aliis viris liberis, cùm non sit major ratio de uno, quam de aliis, sed ex hac plurium virorum copula impeditur prolis generatio, siquidem hæc sanguinis diversitas, & commixtio impedit, quo minus possit fœmina concipere, & hæc causa est, cur publicæ meretrices filios non procreent, & sterilescant, quia cum pluribus juris conjunguntur, ergo evidens est, quod simplex fornicatio liberis cum libera impediat humanæ speciei propagationem, ac propterea sit per se ex intrinsecis principiis mala, & dissona legi naturali.

Sed dices nullum peccatum mortale à Deo præcipi, & fornicationem fuisse Oseæ injunctam; etenim Oseæ 1. Deus injunxit Prophetæ sumere sibi uxorem fornicariam, & facere filios fornicationis. Sed contra, quia ex eo quòd Deus præcipiat congressum soluti cum soluta, tantùm sequitur posse subinde fornicationem fieri licitam ex divina institutione, ut respondet D. Thomas quæst. 154. art. 2. ad 2. Quia cùm Deus habeat plenum, supremum, ac despoticum Dominium in omnes, & singulas creaturas, potest conferre Dominium soluti in solutam, etiam ad actus inordinatos, ad generationem prolis, in quo casu Deus dicitur dispensare. Contra secundò quia Deus Oseæ 1. tantùm præcepit Prophetæ, ut sumeret meretricem, seu mulierem deditam fornicationi in uxorem (hoc enim significatur illo Hebraismo) & ex illa filios procreare, qui suis nominibus, & ordine nascendi repræsentaturi essent filios Israel (qui verè erant filii fornicationum, quatenus per multiplicem idololatriam fornicantes à Deo alteri legi adhærebant) ac divinam ultionem illis impendentem. Quamobrem non præcepit Oseæ fornicationem cum soluta, sed ut mulierem deditam fornicationi sibi sumeret in uxorem, & ex illa filios procrearet, quæ nonnisi repræsentativè dicerentur filii fornicationis.

Dices quod est per se malum non permittitur in Republica, sed per sancitas leges punitur; siquidem pertinet ad rectè institutam rempublicam, cives suos arcere à malo per pœnas infligendas; & ad virtutum studia allicere per præmia merentibus exhibenda. Sed lupanaria etiam publica, quibus solutæ fœminæ corporis prostitutione questum faciunt, tolerantur, ac permittuntur, ergo simplex fornicatio, seu congressus soluti cum soluta non est peccatum saltem grave, ex quo sequatur grave damnum, alioquin non posset à republica tolerari, ac permitti. Contra est distinguitur major quod est per se malum, non toleretur, si præscindatur à quovis alio, omittitur major; siquidem etiam Deus plura tolerat, & permittit peccata quantumvis gravia, & enormia; non toleratur ad præcavenda majora mala, quæ inde orirentur, nego Majorem, & sub eadem distinctione minoris negatur consequentia. Aliud est enim lupanaria approbare, & aliud ea tolerare ad præcavenda majora mala, quamvis primum non vacet vitio, secundum tamen caret culpa, quia minus malum eligendum est ad majus declinandum, proinde à fortiori tolerandum, unde permittendæ sunt sordes sordescentibus, potiùs quàm ansam dare deterioribus malis; scite Salvianus lib. de provident. ait: *Minoris esse criminis etiam lupanar puto. Meretrices enim, quæ ibi sunt, fœdus connubiale non norunt, ac per hoc non maculant, quod ignorant. Impudicitiæ quidem piaculo sunt obnoxiæ, sed reatu tamen adulterii non tenentur. Adde hoc quod & pauca ferme sunt lupanaria; & pauca quæ in his vitam infelicissimam damnavere meretrices.* Et sub finem ejusdem libri laudat Wandalos ob lupanaria sublata.

Cæterum contra hoc præceptum sextum multipliciter peccatur; siquidem lethale est peccatum, & verum adulterium copula cum aliena conjuge, etiam con-

consentiente marito, quia, ut ait Apostolus ad Roman. 7. v. 2. & 3. *Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir ejus soluta est à lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro;* unde ex Apostolo commistio cum aliena uxore vivente illius viro, adulterium est, & tametsi vir consentiat, ut sua uxor cum altero misceatur, quia adhuc ipse vivit, ex Apostolo talis copula est verum adulterium, ait enim simpliciter vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Nec ait liberata est à lege viri, si mortuus fuerit, vel consenserit vir ejus, non meminit consensus sed simpliciter ait: *Si mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum altero viro.* Unde sola mors mariti non viventis, non verò assensus uxorem à lege viri, & ab adulterii crimine immunem facit, tum quia adulterium nil aliud est, quàm accessus ad alienum thorum, unde licèt maritus præbeat consensum, semper fit accessus ad alienum thorum, consequenter talis copula semper est adulterium quando mulier est alteri viro alligata.

Per morosam delectationem, in rebus obscœnis, violatur etiam hoc sextum Decalogi præceptum; nomine morosæ delectationis intelligitur delectatio plenè deliberata. Non enim dicitur morosa ex mora temporis; sed ex eo, quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam excutit, sed ipsa advertenter delectatur, eam libenter tenet, ac revolvit, cum statim debuisset eam repellere, cum primum fuit in mente excitata. Delectatio igitur intelligitur ipsa cogitatio de re obscœna, ut de fornicatione de adulterio incestu; & quod quis deliberate, seu voluntariè immoretur. Hinc aspectus etiam impudici, ac libidininosi hoc violant præceptum. Quia ait Christus, Matth. 5. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Et S. Petrus Epist. 2. cap. 11. impudicos homines describens & arguens vocat eos: *habentes oculos plenos adulterii, & incessabilis delicti;* quapropter Job. cap. 31. ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem quidem de virgine; quamnam haberet partem Deus desuper in me.* Et D. Augustinus in Psal. 50. *Longè vidit David illam in qua captus est. Mulier longe, libido prope.* Hinc seipsum aspicere in partibus verecundioribus sine necessitate, & causa legitima, sed studiosè ad captandam aliquam delectationem non excusatur à peccato lethali, quia inde excitantur fœdæ cogitationes, & obscœni motus irrumpunt. Periculosum est etiam intueri copulam animantium. Ut etiam intueri imagines obscœnas moventes ad cogitanda turpia, & inflammandos animos ad Venerem. Hinc D. Chrysostomus in Psal. 113. *Dæmon nuda quoque figuræ assidet. Et nunc quidem statuæ sunt imagines fornicationis, nunc insani in masculos amoris. Quid enim sibi vult aquila? quid verò Ganymedes? Quid, Apollo, qui virginem persequitur? Quid alia execranda figura? ubique libido, ubique lascivia, ubique nefariorum concubitus, & insanorum amorum sunt ubique figuræ.* Quòd si à privatis domibus amovendæ sunt obscœnæ, ac lascivæ imagines, à fortiori è locis publicis, & è templis Deo consecratis, & in quibus debent omnia excitare devotionem, non movere libidinem; accendere ad Dei amorem, non inflammare ad Veneris turpitudinem. Et ita plura statuerunt Concilia.

Periculosum est, etiam verbo impudica, & obscœna proferre, turpia cantica componere, & canere, quæ si aliis sint scandalo, peccatum est lethale, ob res impudicas, quæ in illis exprimuntur. Ea etiam audire, iisque delectari ex propensa voluptate ad libidinem peccatum est lethale. Unde Apostolus ad Ephes. 5. ait: *Fornicatio, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio.* Librorum itidem obscœnorum lectio, & in iisdem delectatio cum peccato lethali ut plurimum conjuncta est; quia amantium casus describentes corda tenera ad amorem profanum emolliunt, & hauriunt dulce venenum, quo castitas interimitur. Hinc libros qui res obscœnas tractant ex professo, legi fidelibus prohibuerunt summi Pontifices Pius IV. Sixtus V. Clemens VIII. quia ut scribit D. Hieronymus ad Damasum: *Dum aures versibus dulci modulamine currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & pectoris interna devinciunt.* Spectaculorum, & Comœdiarum frequentatio incitatio quædam est ad transgressionem hujus sexti præcepti. Unde Minutius Felix in Octavio ait: *Nos igitur, qui moribus, & pudore censemur, meritò malis voluptatibus in pompis vestris abstinemus; quarum & de sacris originem novimus, & noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis curulibus quis non horreat populi in se rixantis insaniam? In gladiatoriis homicidii disciplinam? in scenicis etiam non minor furor, turpitudo prolixior: Nunc enim mimus vel exponit adulteria, vel monstrat. Nunc enervis histrio amorem dum fingit, infligit.* Saltationes itidem & choreæ in perniciem castitatis pedes movent, quia sunt occasiones impuditiæ, mulieres enim illuc veniunt comptæ, ut placeant viris, seque ornant, ut aures & oculos pulchritudine, colloquiis, & saltatione pascant, & omnibus illecebris ad profanum amorem alliciant; Choreæ proclivem sternunt viam ad libidinem; unde Spiritus Sanctus à choreis, & saltationibus deterrens homines ait Eccles. 9. v. 4. *Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.* Efficax est puella saltatrix in flammis excitandis libidinis, quibus castitas cinefit; quamvis castæ sint puellæ, si tamen choræas frequentaverint, occasionem peccandi suis illecebris subministrant; vel se exponunt vanitati, ac superbiæ, aliisque vitiis quia ut ait Tertullianus in choræis: *luxuria negotiatur, & gloria insolescit;* & ut loquitur D. Chrysostomus homil. 49. in Matth. *Ubi saltus lascivus, ibi Diabolus adest. Non enim ad tripudia nobis pedes Deus præbuit, sed ut modestè incedamus.* Tactus impudici, & oscula libidinem olentia, hæc itidem fœdè violant præceptum; ut enim scribit Apostolus ad Ephes. 5. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet;* Nomine turpitudinis intelliguntur oscula impudica, & amplexus libidinosi, ut explicat Glossa laudata à D. Thoma.

CAP.

# CAP. XVIII.

## De reliquis quatuor Decalogi Præceptis.

SEptimum Decalogi præceptum prohibet rem alienam invito Domino surripere: *Non furtum facies.* Quod præceptum in duas bipartitur partes, quarum altera furtum prohibet, & altera jubemur liberales esse in proximos, & hæc secunda implicitè involvitur in prima. Unde hoc præceptum violant, non solum fures, & raptores rei alienæ; sed etiam illi, qui necessitates pauperum, ac inopum pro modo suarum facultatum non sublevant, ac indigentibus non opitulantur. Moris olim in ecclesia fuit, ut per parochos ratio hujus præcepti populis inculcaretur, non solum ut corrigerentur peccata contra hoc præceptum; verùm etiam ut tumultus ac lites sedarentur in populo, & aliæ plures malorum causæ extinguerentur, quæ ex furtis tolerent commoveri. Cùm enim bona temporalia, ac eorum dominium, possessio, & usus, quæ materia sunt hujus præcepta data sint homini à Deo Genes. 1. *Dominamini piscibus maris, volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram*, & jure Gentium distincta fuit possessio horum bonorum, quam hoc septimo præcepto Deus confirmat, non prohibet, ne quis rem alienam invito Domino surripiat, ideo qui illam sibi usurpat, violat hoc præceptum, & peccat contra humanam societatem contra particulares proximos, quæ omnia non solum sunt contra charitatem, sed etiam justitiæ adversantur plura alia itidem sequuntur ex furto incommoda; siquidem illi, quibus res fuit occultè ablata plura concipiunt judicia temeraria, & suspicantur perperam de proximo innocente, hinc oriuntur inimicitiæ, odia & plura alia contra proximi charitatem.

Definitur furtum à D. Thoma *occulta rei alienæ acceptio*, quo nomine intelligitur injusta detentio; siquidem detinere, quod alteri debetur eandem habet nocumenti rationem, cum injusta surreptione. Rursus per rem alienam ea intelligitur, quæ penes alterum est, tanquam ejus possessio, sive ille rei proprietatem habeat ac dominium, sive usumfructum, sive hujus rei custodia ei concredita sit, vel eam titulo depositi, vel quocunque alio apud se retineat, adeo ut qui rem propriam quam alius tenet velut pignus vel ut depositum, vel ut furto subtractam clanculo, & occultè surripit, furti reus est, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 66 art. 3. ad responsionem illam: *Homo potest furtim ab alio accipere etiam quod suum est, puta rem quam apud alium deposuit, vel quæ est ab eo injustè oblata*; ad quam respondet: *Nihil prohibet, id quod non est simpliciter unius secundum quid, esse alterius; sicut res deposita est simpliciter quidem deponentis, sed est & ejus apud quem deponitur, quantum ad custodiam. Et id quod est per rapinam ablatum, est rapientis non simpliciter; sed quantum ad intentionem*; & art. 5. ejusdem quæst. in respons. ad 3. ait: *Ille qui furtum accipit rem suam apud alium depositam gravat depositarium, qui tenetur ad restituendum vel ad ostendendum se esse innoxium. Unde manifestum est quod peccat, ac tenetur ad relevandum gravamen depositarii, qui verò furtim accipit rem suam apud alium injustè detentam, peccat quidem, non quia illum gravet, qui detinet (ideoque non tenetur ad restituendum aliquid vel compensandum) sed peccat contra communem justitiam, eò quia sibi usurpat suæ rei judicium juris ordine prætermisso, ideoque tenetur Deo satisfacere, & operam dare, ut scandalum proximorum, si inde exortum fuerit, sedetur.* Ut igitur committatur furtum debet res aliena surripi invito Domino, præter jus & rationem; qui enim authoritate Judicis rem alienam accipit à furti labe immunis est, qua ratione Israelitæ, qui jussu Dei acceperunt invitis Dominis vasa argentea, & aurea in Ægypto non fuerunt furti rei, quia voluit Deus compensare labores eorum, quapropter Sapient. 10. dicitur: *Justi tulerunt spolia impiorum.* Vel quia cum sit Deus supremus, ac despoticus Dominus rerum omnium, habeatque plenissimum Dominium in res illas, transtulit Dominium illud, quod Ægyptii habebant in vasa illa, & alia spolia, ab Ægyptiis in Israelitas, qui propterea acceperunt res suas, seu in quas ipsi ex Dei concessione habebant Dominium. Neque furti reus est, qui bona fide, & præsumpto consensu Domini non temerè, sed cum fundamento re aliena utitur. Vel animi gratia rem alienam occultat, ut ejus conservationi Dominus cautiùs, & studiosiùs invigilet. Verum hæc occultatio innoxia non est, si blasphemiis, juramentis, imprecationibus, judiciis temerariis, occasionem exhibeat; quia ratione blasphemiæ &c. occultatio illa vitiatur, quia est causa talis blasphemiæ &c. Neque furti reus est, qui rem alienam aufert vel occultat, ut servet eam Domino, & ne fures eam surripiant, imò neque est furti rea uxor, quæ in necessarios, honestosque familiæ usus clam marito subtrahit pecunias, quas in popinis vel ludis solet absumere, non sine gravi detrimento uxoris, & filiorum.

Cæterum species furti plures sunt pro varietate rerum, quæ invitis, & insciis Dominis surripiuntur. Prima species est furtum simplex, quô privata persona alteri privatæ invitæ rem suam clanculum adimit. Secunda dicitur peculatus, quo pecuniæ pertinentes ad Rempublicam intervertuntur, & hujus criminis rei dicuntur, qui publicam pecuniam in usus alios particulares retinuerunt, vel erogarunt, vel qui in tabulis publicis numerum pecuniarum deleverunt, immutârunt, vel minorem adnotarunt. Ut etiam qui prædam ab hostibus captam surripiunt, ut etiam qui quod fisco debetur, accipit, simulans se fisci creditorem, tametsi privatam pecuniam surripuerint. Peculatus sunt etiam rei, qui iniquas exactiones imponunt, suggerunt, vel justa vectigalia inæqualiter distribuunt, qui publica vectigalia, & tributa defraudant, ut etiam Publicani, qui plus exigunt, quàm quod à Principe fuerit constitutum. Tertia furti species est Plagium, quo homo liber, vel servus alienus in servitutem abducitur, ac venditur, donatur, vel permutatur, de quo crimine habetur Exodi 21. v. 16. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit, eum convictus noxæ morte moriatur.* Quarta species furti est Sacrilegium, quo res sacra surripitur, imò etiam profana, sed in loco sacro injustè aufertur.

Hinc D. Augustinus Tractat. 50. in Joan. ait: *Ecce fur Judas, fur, & sacrilegus: Non qualiscunque fur. Fur loculorum, sed Dominicorum loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in foro qualiscunque furti, & peculatus (peculatus enim dicitur furtum de Republica, & non sic judicatur furtum rei privatæ,*

*privata, quomodo publica) quanto vehementius judicandus est fur sacrilegus, qui ausus fuit, non undecunque tollere, sed de ecclesia tollere? qui aliquid de ecclesia furatur, Judæ perdito comparatur.* Quinta species furti est abigeatus, qui avium, equorum, & aliarum id genus pecudum injusta, & dolosa est abductio, quod tamen crimen leges civiles peculiari pœna plectunt, eò quia hujusmodi pecora ea facilitate, qua res aliæ non possunt custodiri, cum per campos, montes, & prata divagentur, hinc Abigei propriè dicuntur, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subtrahunt, ac abigendi studium quasi artem exercent, abducentes equos de gregibus, & boves de armentis; qui verò bovem errantem in solitudine, vel equos relictos abduxerit propriè non est abigeus, sed fur; est tamen hujus furti vel maximè reus, qui à stabulo abegit domitum pecus, non à sylva nec grege ut habetur *ff. lib. 47. tit. 14. de Abigeis.* Sexta furti species est rapina, quam D. Thomas 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 4. distinguit à furto inquiens: *Furtum, & rapina ex hoc habent rationem peccati, quia acceptio est involuntaria ex parte ejus, cui aliquid subtrahitur. Involuntarium autem dupliciter dicitur per ignorantiam, & violentiam. Primum est furtum, secundum rapina, fur enim clam aliquid surripit Domino nescienti. Raptor verò scienti, & repugnanti; siquidem raptor vult per propriam potestatem obtinere, & fur per astutiam, ideoque aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum.* Unde rapina est peccatum gravius furto ratione violentiæ, quam infert Domino, & propter ignominiam, quam patitur persona, cui violenter res propria subtrahitur. Quia verò nomen furti latius patet, ideo in septimo Decalogi præcepto solum furtum exprimitur, quo intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ, ait enim D. Augustinus quæst. 71. in Exod. *Furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ (non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit) sed utique à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur.* Et Apostolus 1. ad Corinth. 6. ait: *Neque fures neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Propria rapina est injusta rei alienæ per violentiam ablatio furtum verò loco violentiæ astutiam adhibet. Utrumque est peccatum lethale nisi materia levis sit, & excludatur voluntas gravis damni inferendi, sola enim parvitas materiæ excusat à gravitate peccati, & olim gravis furti rei à comunione per multum temporis excludebantur, & publicæ pœnitentiæ subjiciebantur, de quibus D. Basilius epist. ad Philochium ait: *Qui furatus est, si ex se quidem pœnitentia motus se ipsum accusaverit anno à sola Sacramentorum communione arcebitur. Si autem convictus fuerit, duobus annis tempus illi ad substrationem dividetur & consistentiam & tunc communione dignus habeatur.* Et ratio cur furtum sit peccatum grave assignatur à D. Thoma 2. 2. quæst. 66. art. 6. ubi ait: *Peccatum mortale est quod contrariatur charitati secundum quod est spiritualis animæ vita. Charitas autem consistit principaliter quidem in dilectione Dei. Secundario verò in dilectione proximi ad quam pertinet, ut proximo bonum velimus & operemur. Per furtum autem homo infert nocumentum proximo in suis rebus; & si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana societas. Unde furtum tanquam contrarium charitati est peccatum mortale.*

Quanta verò requiratur materia, ut furtum sit grave peccatum, solet responderi à Theologis, furti gravitatem æstimandam esse ex pretio rei, vel summa pecuniæ, quæ surripitur, quæ si ad diurnum unius hominis victum sufficiat mortale peccatum esse videtur, furtum illius sive pecunia vel res alia surripiatur divitiis affluenti sive pauperi indigenti. Fieri tamen potest, ut spectatis circumstantiis personarum, & locorum major quantitas requiratur ad constituendum furtum lethale, quod prudentum arbitrio æstimandum est. Hinc major summa desideratur, si filius Patri surripiat pecunias vel uxor viro, quàm si extraneo invito, quia filius plus juris habet ad bona patris, & uxor ad bona communitatis, quorum maritus est administrator, quàm ad bona extranei, unde examinandum est, an quod surripitur notabile sit habita ratione personarum, & locorum. Hinc qui per plura furta leviora notabilem summam totalem surripiunt, sive in eadem, sive in diversis personis sive ab initio voluntatem habuerint notabilem summam per plura furta minima congregandi, sive non, rei sunt peccati mortalis; cum primum plura furta minima pervenerint ad materiam gravem; non enim refert, quòd à diversis quis clanculo accipiat, & nulli grave damnum inferat, neque velit inferre, quia omnibus simul consideratis reipublicæ graviter fur nocet.

Unde mercatores qui ponderibus, & stateris, ac mensuris inæqualibus, & dolosis utuntur, aut plus justo pretio merces suas vendunt lethale peccatum per singulas vices committunt ob pravam voluntatem iterandi leviora furta, resque suas hisce fraudibus augendi, quamvis leve sit, quod singulis vicibus injustè accipitur, quapropter Deuteron. 15. dicitur: *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus, & minus, nec erit in domo tua modius major, & minor. Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam.* Et Proverb. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Qui verò non habet voluntatem accipiendi aliquid notabile, nec inferendi proximo grave damnum, & tamen paulatim notabilem quantitatem, seu summam accipit mortaliter peccat, non in singulis furtis levioribus, sed tunc tantùm quando summa notabilis completur. Furtum enim illud postremum cum præcedentibus habet moralem connexionem, qua fur fit reus gravis quantitatis invitis Dominis sublatæ. Ut etiam qui die jejunii pluries extra horam refectionis leve aliquid comedit, si hæc parva comestio pluries, & pluries fiat peccatum est lethale, quia per illam frangitur jejunium, & ex illis parvis quantitatibus conflatur summa, quæ notabilis est. Perinde qui plura furta leviora committit, fit tunc peccati lethalis reus, cum furta illa minima ad summam notabilem ascendunt, tametsi ab initio fur non habuerit voluntatem auferendi summam notabilem, & tantùm sensim ad illam pervenerit.

Hinc Innocentius XI. damnavit illam propositionem, quæ est ordine trigesima octava: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.* Furti rei sunt etiam servi, & ancillæ, qui res suorum Dominorum surripiunt sub titulo compensationis, eò quia suo labori, & obsequiis stipendium, de quo cum Dominis convenerunt, non respondeat, & ita dicendum de artificibus, quia ex quo de mercede cum Domino convenerunt, Dominus illis non facit injuriam, si mercedem ampliorem non præbeat, & ubi nulla infertur injuria, nullus est compensationi locus, unde famuli, & ancillæ non possunt titulo compensationis, eò quia stipendium pactum cum Dominis non respondeat laboribus, & obsequiis, quæ ab ipsis præstantur, quidquam surripere, nec possunt quid amplius exigere, & si quid ultra acci-

# CAP. XVIII.

## De reliquis quatuor Decalogi Præceptis.

SEptimum Decalogi præceptum prohibet rem alienam invito Domino ſurripere: *Non furtum facies.* Quod præceptum in duas bipartitur partes, quarum altera furtum prohibet, & altera jubemur liberales eſſe in proximos, & hæc ſecunda implicitè involvitur in prima. Unde hoc præceptum violant, non ſolum fures, & raptores rei alienæ; ſed etiam illi, qui neceſſitates pauperum, ac inopum pro modo ſuarum facultatum non ſublevant, ac indigentibus non opitulantur. Moris olim in eccleſia fuit, ut per parochos ratio hujus præcepti populis inculcaretur, non ſolum ut corrigerentur peccata contra hoc præceptum; verùm etiam ut tumultus ac lites ſedarentur in populo, & aliæ plures malorum cauſæ extinguerentur, quæ ex furtis tolerent commoveri. Cùm enim bona temporalia, ac eorum dominium, poſſeſſio, & uſus, quæ materia ſunt hujus præcepta data ſint homini à Deo Geneſ. 1. *Dominamini piſcibus maris, volatilibus cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram*, & jure Gentium diſtincta fuit poſſeſſio horum bonorum, quam hoc ſeptimo præcepto Deus confirmat, non prohibet, ne quis rem alienam invito Domino ſurripiat, ideo qui illam ſibi uſurpat, violat hoc præceptum, & peccat contra humanam ſocietatem contra particulares proximos, quæ omnia non ſolum ſunt contra charitatem, ſed etiam juſtitiæ adverſantur plura alia itidem ſequuntur ex furto incommoda; ſiquidem illi, quibus res fuit occultè ablata plura concipiunt judicia temeraria, & ſuſpicantur perperam de proximo innocente, hinc oriuntur inimicitiæ, odia & plura alia contra proximi charitatem.

Definitur furtum à D. Thoma *occulta rei alienæ acceptio*, quo nomine intelligitur injuſta detentio; ſiquidem detinere, quod alteri debetur eandem habet nocumenti rationem, cum injuſta ſurreptione Rurſus per rem alienam ea intelligitur, quæ penes alterum eſt, tanquam ejus poſſeſſio, ſive ille rei proprietatem habeat ac dominium, ſive uſumfructum, ſive hujus rei cuſtodia ei concredita ſit, vel eam titulo depoſiti, vel quocunque alio apùd ſe retineat, adeo ut qui rem propriam quam alius tenet velut pignus vel ut depoſitum, vel ut furto ſubtractam clanculo, & occultè ſurripit, furti reus eſt, ut docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 66 art. 3. ad reſponſionem illam: *Homo poteſt furtim ab alio accipere etiam quod ſuum eſt, puta rem quam apud alium depoſuit, vel quæ eſt ab eo injuſtè oblata*; ad quam reſpondet: *Nihil prohibet, id quod non eſt ſimpliciter unius ſecundum quid, eſſe alterius; ſicut res depoſita eſt ſimpliciter quidem deponentis, ſed eſt & ejus apud quem deponitur, quantum ad cuſtodiam. Et id quod eſt per rapinam ablatum, eſt rapientis non ſimpliciter: ſed quantum ad intentionem*; & art. 5. ejuſdem quæſt. in reſponſ. ad 3. ait: *Ille qui furtum accipit rem ſuam apud alium depoſitam gravat depoſitarium, qui tenetur ad reſtituendum vel ad oſtendendum ſe eſſe innoxium. Unde manifeſtum eſt quod peccat, ac tenetur ad relevandum gravamen depoſitarii, qui verò furtim accipit rem ſuam apud alium injuſtè detentam, peccat quidem, non quia illum gravet, qui detinet (ideoque non tenetur ad reſtituendum aliquid vel compenſandum) ſed peccat contra communem juſtitiam, eò quia ſibi uſurpat ſuæ rei judicium juris ordine prætermiſſo, ideoque tenetur Deo ſatisfacere, & operam dare, ut ſcandalum proximorum, ſi inde exortum fuerit, ſedetur.* Ut igitur committatur furtum debet res aliena ſurripi invito Domino, præter jus & rationem; qui enim authoritate Judicis rem alienam accipit à furti labe immunis eſt, qua ratione Iſraelitæ, qui juſſu Dei acceperunt invitis Dominis vaſa argentea, & aurea in Ægypto non fuerunt furti rei, quia voluit Deus compenſare labores eorum, quapropter Sapient. 10. dicitur: *Juſti tulerunt ſpolia impiorum.* Vel quia cum ſit Deus ſupremus, ac deſpoticus Dominus rerum omnium, habeatque pleniſſimum Dominium in res illas, transtulit Dominium illud, quod Ægyptii habebant in vaſa illa, & alia ſpolia, ab Ægyptiis in Iſraelitas, qui propterea acceperunt res ſuas, ſeu in quas ipſi ex Dei conceſſione habebant Dominium. Neque furti reus eſt, qui bona fide, & præſumpto conſenſu Domini non temerè, ſed cum fundamento re aliena utitur. Vel animi gratia rem alienam occultat, ut ejus conſervationi Dominus cautiùs, & ſtudioſiùs invigilet. Verum hæc occultatio innoxia non eſt, ſi blasphemiis, juramentis, imprecationibus, judiciis temerariis, occaſionem exhibeat; quia ratione blasphemiæ &c. occultatio illa vitiatur, quia eſt cauſa talis blasphemiæ &c. Neque furti reus eſt, qui rem alienam aufert vel occultat, ut ſervet eam Domino, & ne fures eam ſurripiant, imò neque eſt furti rea uxor, quæ in neceſſarios, honeſtosque familiæ uſus clam marito ſubtrahit pecunias, quas in popinis vel ludis ſolet abſumere, non ſine gravi detrimento uxoris, & filiorum.

Cæterum ſpecies furti plures ſunt pro varietate rerum, quæ invitis, & inſciis Dominis ſurripiuntur. Prima ſpecies eſt furtum ſimplex, quô privata perſona alteri privatæ invitæ rem ſuam clanculum adimit. Secunda dicitur peculatus, quo pecuniæ pertinentes ad Rempublicam intervertuntur, & hujus criminis rei dicuntur, qui publicam pecuniam in uſus alios particulares retinuerunt, vel erogarunt, vel qui in tabulis publicis numerum pecuniarum deleverunt, immutârunt, vel minorem adnotarunt. Ut etiam qui prædam ab hoſtibus captam ſurripiunt, ut etiam qui quod fiſco debetur, accipit, ſimulans ſe fiſci creditorem, tametſi privatam pecuniam ſurripuerint. Peculatus ſunt etiam rei, qui iniquas exactiones imponunt, ſuggerunt, vel juſta vectigalia inæqualiter diſtribuunt, qui publica vectigalia, & tributa defraudant, ut etiam Publicani, qui plus exigunt, quàm quod à Principe fuerit conſtitutum. Tertia furti ſpecies eſt Plagium, quo homo liber, vel ſervus alienus in ſervitutem abducitur, ac venditur, donatur, vel permutatur, de quo crimine habetur Exodi 21. v. 16. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit, cum convictus noxæ morte moriatur.* Quarta ſpecies furti eſt Sacrilegium, quo res ſacra ſurripitur, imò etiam profana, ſed in loco ſacro injuſtè aufertur.

Hinc D. Auguſtinus Tractat. 50. in Joan. ait: *Ecce fur Judas, fur, & ſacrilegus: Non qualiscunque fur. Fur loculorum. ſed Dominicorum loculorum, ſed ſacrorum. Si crimina diſcernuntur in foro qualiscunque furti, & peculatus (peculatus enim dicitur furtum de Republica, & non ſic judicatur furtum rei privatæ,*

*privata, quomodo publica) quanto vehementius judicandus est fur sacrilegus, qui ausus fuit, non undecunque tollere, sed de ecclesia tollere? qui aliquid de ecclesia furatur, Juda perdito comparatur.* Quinta species furti est abigeatus, qui avium, equorum, & aliarum id genus pecudum injusta, & dolosa est abductio, quod tamen crimen leges civiles peculiari pœna plectunt, eò quia hujusmodi pecora ea facilitate, qua res aliæ non possunt custodiri, cum per campos, montes, & prata divagentur, hinc Abigei propriè dicuntur, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subtrahunt, ac abigendi studium quasi artem exercent, abducentes equos de gregibus, & boves de armentis; qui verò bovem errantem in solitudine, vel equos relictos abduxerit propriè non est abigeus, sed fur; est tamen hujus furti vel maximè reus, quià stabulo abegit domitum pecus, non à sylva nec grege ut habetur *ff. lib. 47. tit. 14. de Abigeis.* Sexta furti species est rapina, quam D. Thomas 2. 2. *quæst. 66. art. 4.* distinguit à furto inquiens: *Furtum, & rapina ex hoc habent rationem peccati, quia acceptio est involuntaria ex parte ejus, cui aliquid subtrahitur. Involuntarium autem dupliciter dicitur per ignorantiam, & violentiam. Primum est furtum, secundum rapina, fur enim clam aliquid surripit Domino nescienti. Raptor verò scienti, & repugnanti; siquidem raptor vult per propriam potestatem obtinere, & fur per astutiam, ideoque aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum.* Unde rapina est peccatum gravius furto ratione violentiæ quam infert Domino, & propter ignominiam, quam patitur persona, cui violenter res propria subtrahitur. Quia verò nomen furti latius patet, ideo in septimo Decalogi præcepto solum furtum exprimitur, quo intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ, ait enim D. Augustinus quæst. 71. in Exod. *Furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ (non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit) sed utique à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur.* Et Apostolus 1. ad Corinth. 6. ait: *Neque fures neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Propria rapina est injusta rei alienæ per violentiam ablatio furtum verò loco violentiæ astutiam adhibet. Utrumque est peccatum lethale nisi materia levis sit, & excludatur voluntas gravis damni inferendi, sola enim parvitas materiæ excusat à gravitate peccati, & olim gravis furti rei à comunione per multum temporis excludebantur, & publicæ pœnitentiæ subjiciebantur, de quibus D. Basilius epist. ad Philochium ait: *Qui furatus est, si ex se quidem pœnitentia motus se ipsum accusaverit anno à sola Sacramentorum communione arcebitur. Si autem convictus fuerit, duobus annis tempus illi ad substrationem dividetur & consistentiam & tunc communione dignus habeatur.* Et ratio cur furtum sit peccatum grave assignatur à D. Thoma 2. 2. quæst. 66. art. 6. ubi ait: *Peccatum mortale est quod contrariatur charitati secundum quod est spiritualis animæ vita. Charitas autem consistit principaliter quidem in dilectione Dei. Secundario verò in dilectione proximi ad quam pertinet, ut proximo bonum velimus & operemur. Per furtum autem homo infert nocumentum proximo in suis rebus; & si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana societas. Unde furtum tanquam contrarium charitati est peccatum mortale.*

Quanta verò requiratur materia, ut furtum sit grave peccatum, solet responderi à Theologis, furti gravitatem æstimandam esse ex pretio rei, vel summa pecuniæ, quæ surripitur, quæ si ad diurnum unius hominis victum sufficiat mortale peccatum esse videtur, furtum illius sive pecunia vel res alia surripiatur divitiis affluenti sive pauperi indigenti. Fieri tamen potest, ut spectatis circumstantiis personarum, & locorum major quantitas requiratur ad constituendum furtum lethale, quod prudentum arbitrio æstimandum est. Hinc major summa desideratur, si filius Patri surripiat pecunias vel uxor viro, quàm si extraneo invito, quia filius plus juris habet ad bona patris, & uxor ad bona communitatis, quorum maritus est administrator, quàm ad bona extranei, unde examinandum est, an quod surripitur notabile sit habita ratione personarum, & locorum. Hinc qui per plura furta leviora notabilem summam totalem surripiunt, sive in eadem, sive in diversis personis sive ab initio voluntatem habuerint notabilem summam per plura furta minima congregandi, sive non, rei sunt peccati mortalis; cum primum plura furta minima pervenerint ad materiam gravem; non enim refert, quòd à diversis quis clanculo accipiat, & nulli grave damnum inferat, neque velit inferre, quia omnibus simul consideratis reipublicæ graviter fur nocet.

Unde mercatores qui ponderibus, & stateris, ac mensuris inæqualibus, & dolosis utuntur, aut plus justo pretio merces suas vendunt lethale peccatum per singulas vices committunt ob pravam voluntatem iterandi leviora furta, resque suas hisce fraudibus augendi, quamvis leve sit, quod singulis vicibus injustè accipitur, quapropter Deuteron. 15. dicitur: *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus, & minus, nec erit in domo tua modius major, & minor. Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam.* Et Proverb. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Qui verò non habet voluntatem accipiendi aliquid notabile, nec inferendi proximo grave damnum, & tamen paulatim notabilem quantitatem, seu summam accipit mortaliter peccat, non in singulis furtis levioribus, sed tunc tantùm quando summa notabilis completur. Furtum enim illud postremum cum præcedentibus habet moralem connexionem, qua fur fit reus gravis quantitatis invitis Dominis sublatæ. Ut etiam qui die jejunii pluries extra horam refectionis leve aliquid comedit, si hæc parva comestio pluries, & pluries fiat peccatum est lethale, quia per illam frangitur jejunium, & ex illis parvis quantitatibus conflatur summa, quæ notabilis est. Perinde qui plura furta leviora committit, fit tunc peccati lethalis reus, cum furta illa minima ad summam notabilem ascendunt, tametsi ab initio fur non habuerit voluntatem auferendi summam notabilem, & tantùm sensim ad illam pervenerit.

Hinc Innocentius XI. damnavit illam propositionem, quæ est ordine trigesima octava: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.* Furti rei sunt etiam servi, & ancillæ, qui res suorum Dominorum surripiunt sub titulo compensationis, eò quia suo labori, & obsequiis stipendium, de quo cum Dominis convenerunt, non respondeat, & ita dicendum de artificibus, quia ex quo de mercede cum Domino convenerunt, Dominus illis non facit injuriam, si mercedem ampliorem non præbeat, & ubi nulla infertur injuria, nullus est compensationi locus, unde famuli, & ancillæ non possunt titulo compensationis, eò quia stipendium pactum cum Dominis non respondeat laboribus, & obsequiis, quæ ab ipsis præstantur, quidquam surripere, nec possunt quid amplius exigere, & si quid ultra acci-

# CAP. XVIII.

## De reliquis quatuor Decalogi Præceptis.

SEptimum Decalogi præceptum prohibet rem alienam invito Domino ſurripere: *Non furtum facies.* Quod præceptum in duas bipartitur partes, quarum altera furtum prohibet, & altera jubemur liberales eſſe in proximos, & hæc ſecunda implicitè involvitur in prima. Unde hoc præceptum violant, non ſolum fures, & raptores rei alienæ; ſed etiam illi, qui neceſſitates pauperum, ac inopum pro modo ſuarum facultatum non ſublevant, ac indigentibus non opitulantur. Moris olim in eccleſia fuit, ut per parochos ratio hujus præcepti populis inculcaretur, non ſolum ut corrigerentur peccata contra hoc præceptum; verùm etiam ut tumultus ac lites ſedarentur in populo, & aliæ plures malorum cauſæ extinguerentur, quæ ex furtis tolerent commoveri. Cùm enim bona temporalia, ac eorum dominium, poſſeſſio, & uſus, quæ materia ſunt hujus præcepta data ſint homini à Deo Geneſ. 1. *Dominamini piſcibus maris, volatilibus cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram*, & jure Gentium diſtincta fuit poſſeſſio horum bonorum, quam hoc ſeptimo præcepto Deus confirmat, non prohibet, ne quis rem alienam invito Domino ſurripiat, ideo qui illam ſibi uſurpat, violat hoc præceptum, & peccat contra humanam ſocietatem contra particulares proximos, quæ omnia non ſolum ſunt contra charitatem, ſed etiam juſtitiæ adverſantur plura alia itidem ſequuntur ex furto incommoda; ſiquidem illi, quibus res fuit occultè ablata plura concipiunt judicia temeraria, & ſuſpicantur perperam de proximo innocente, hinc oriuntur inimicitiæ, odia & plura alia contra proximi charitatem.

Definitur furtum à D. Thoma *occulta rei alienæ acceptio*, quo nomine intelligitur injuſta detentio; ſiquidem detinere, quod alteri debetur eandem habet nocumenti rationem, cum injuſta ſurreptione Rurſus per rem alienam ea intelligitur, quæ penes alterum eſt, tanquam ejus poſſeſſio, ſive ille rei proprietatem habeat ac dominium, ſive uſumfructum, ſive hujus rei cuſtodia ei concredita ſit, vel eam titulo depoſiti, vel quocunque alio apùd ſe retineat, adeo ut qui rem propriam quam alius tenet velut pignus vel ut depoſitum, vel ut furto ſubtractam clanculo, & occultè ſurripit, furti reus eſt, ut docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 66. art. 3. ad reſponſionem illam: *Homo poteſt furtim ab alio accipere etiam quod ſuum eſt, puta rem quam apud alium depoſuit, vel quæ eſt ab eo injuſtè oblata*; ad quam reſpondet: *Nihil prohibet, id quod non eſt ſimpliciter unius ſecundum quid, eſſe alterius; ſicut res depoſita eſt ſimpliciter quidem deponentis, ſed eſt & ejus apud quem deponitur, quantum ad cuſtodiam. Et id quod eſt per rapinam ablatum, eſt rapientis non ſimpliciter; ſed quantum ad intentionem*; & art. 5. ejuſdem quæſt. in reſponſ. ad 3. ait: *Ille qui furtum accipit rem ſuam apud alium depoſitam gravat depoſitarium, qui tenetur ad reſtituendum vel ad oſtendendum ſe eſſe innoxium. Unde manifeſtum eſt quod peccat, ac tenetur ad relevandum gravamen depoſitarii, qui verò furtim accipit rem ſuam apud alium injuſtè detentam, peccat quidem, non quia illum gravet, quia detinet (ideoque non tenetur ad reſtituendum aliquid vel compenſandum) ſed peccat contra communem juſtitiam, eò quia ſibi uſurpat ſuæ rei judicium juris ordine prætermiſſo, idcoque tenetur Deo ſatisfacere, & operam dare, ut ſcandalum proximorum, ſi inde exortum fuerit, ſedetur.* Ut igitur committatur furtum debet res aliena ſurripi invito Domino, præter jus & rationem; qui enim authoritate Judicis rem alienam accipit à furti labe immunis eſt, qua ratione Iſraelitæ, qui juſſu Dei acceperunt invitis Dominis vaſa argentea, & aurea in Ægypto non fuerunt furti rei, quia voluit Deus compenſare labores eorum, quapropter Sapient. 10. dicitur: *Juſti tulerunt ſpolia impiorum.* Vel quia cum ſit Deus ſupremus, ac deſpoticus Dominus rerum omnium, habeatque pleniſſimum Dominium in res illas, transtulit Dominium illud, quod Ægyptii habebant in vaſa illa, & alia ſpolia, ab Ægyptiis in Iſraelitas, qui propterea acceperunt res ſuas, ſeu in quas ipſi ex Dei conceſſione habebant Dominium. Neque furti reus eſt, qui bona fide, & præſumpto conſenſu Domini non temerè, ſed cum fundamento re aliena utitur. Vel animi gratia rem alienam occultat, ut ejus conſervationi Dominus cautiùs, & ſtudioſiùs invigilet. Verum hæc occultatio innoxia non eſt, ſi blaſphemiis, juramentis, imprecationibus, judiciis temerariis, occaſionem exhibeat; quia ratione blaſphemiæ &c. occultatio illa vitiatur, quia eſt cauſa talis blaſphemiæ &c. Neque furti reus eſt, qui rem alienam aufert vel occultat, ut ſervet eam Domino, & ne fures eam ſurripiant, imò neque eſt furti rea uxor, quæ in neceſſarios, honeſtoſque familiæ uſus clam marito ſubtrahit pecunias, quas in popinis vel ludis ſolet abſumere, non ſine gravi detrimento uxoris, & filiorum.

Cæterum ſpecies furti plures ſunt pro varietate rerum, quæ invitis, & inſciis Dominis ſurripiuntur. Prima ſpecies eſt furtum ſimplex, quô privata perſona alteri privatæ invitæ rem ſuam clanculum adimit. Secunda dicitur peculatus, quo pecuniæ pertinentes ad Rempublicam intervertuntur, & hujus criminis rei dicuntur, qui publicam pecuniam in uſus alios particulares retinuerunt, vel erogarunt, vel qui in tabulis publicis numerum pecuniarum deleverunt, immutârunt, vel minorem adnotarunt. Ut etiam qui prædam ab hoſtibus captam ſurripiunt, ut etiam qui quod fiſco debetur, accipit, ſimulans ſe fiſci creditorem, tametſi privatam pecuniam ſurripuerint. Peculatus ſunt etiam rei, qui iniquas exactiones imponunt, ſuggerunt, vel juſta vectigalia inæqualiter diſtribuunt, qui publica vectigalia, & tributa defraudant, ut etiam Publicani, qui plus exigunt, quàm quod à Principe fuerit conſtitutum. Tertia furti ſpecies eſt Plagium, quo homo liber, vel ſervus alienus in ſervitutem abducitur, ac venditur, donatur, vel permutatur, de quo crimine habetur Exodi 21. v. 16. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit, eum convictus noxæ morte moriatur.* Quarta ſpecies furti eſt Sacrilegium, quo res ſacra ſurripitur, imò etiam profana, ſed in loco ſacro injuſtè aufertur.

Hinc D. Auguſtinus Tractat. 50. in Joan. ait: *Ecce fur Judas, fur, & ſacrilegus: Non qualiſcunque fur. Fur loculorum, ſed Dominicorum loculorum, ſed ſacrorum. Si crimina diſcernuntur in foro qualiſcunque furti, & peculatus (peculatus enim dicitur furtum de Republica, & non ſic judicatur furtum rei privatæ,*

*privata, quomodo publica) quanto vehementius judicandus est fur sacrilegus, qui ausus fuit, non undecunque tollere, sed de ecclesia tollere? qui aliquid de ecclesia furatur, Juda perdito comparatur.* Quinta species furti est abigeatus, qui avium, equorum, & aliarum id genus pecudum injusta, & dolosa est abductio, quod tamen crimen leges civiles peculiari pœna plectunt, eò quia hujusmodi pecora ea facilitate, qua res aliæ non possunt custodiri, cum per campos, montes, & prata divagentur, hinc Abigei propriè dicuntur, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subtrahunt, ac abigendi studium quasi artem exercent, abducentes equos de gregibus, & boves de armentis; qui verò bovem errantem in solitudine, vel equos relictos abduxerit propriè non est abigeus, sed fur; est tamen hujus furti vel maximè reus, qui à stabulo abegit domitum pecus, non à sylva nec grege ut habetur *ff. lib. 47. tit. 14. de Abigeis.* Sexta furti species est rapina, quam D. Thomas 2.2. *quæst.* 66. *art.* 4. distinguit à furto inquiens: *Furtum, & rapina ex hoc habent rationem peccati, quia acceptio est involuntaria ex parte ejus, cui aliquid subtrahitur. Involuntarium autem dupliciter dicitur per ignorantiam, & violentiam. Primum est furtum, secundum rapina, fur enim clam aliquid surripit Domino nescienti. Raptor verò scienti, & repugnanti; siquidem raptor vult per propriam potestatem obtinere, & fur per astutiam, ideoque aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum.* Unde rapina est peccatum gravius furto ratione violentiæ quam infert Domino, & propter ignominiam, quam patitur persona, cui violenter res propria subtrahitur. Quia verò nomen furti latius patet, ideo in septimo Decalogi præcepto solum furtum exprimitur, quo intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ, ait enim D. Augustinus quæst. 71. in Exod. *Furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ (non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit) sed utique à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur.* Et Apostolus 1. ad Corinth. 6. ait: *Neque fures neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Propria rapina est injusta rei alienæ per violentiam ablatio furtum verò loco violentiæ astutiam adhibet. Utrumque est peccatum lethale nisi materia levis sit, & excludatur voluntas gravis damni inferendi, sola enim parvitas materiæ excusat à gravitate peccati, & olim gravis furti rei à comunione per multum temporis excludebantur, & publicæ pœnitentiæ subjiciebantur, de quibus D. Basilius epist. ad Philochium ait: *Qui furatus est, si ex se quidem pœnitentia motus se ipsum accusaverit anno à sola Sacramentorum communione arcebitur. Si autem convictus fuerit, duobus annis tempus illi ad substrationem dividetur & consistentiam & tunc communione dignus habeatur.* Et ratio cur furtum sit peccatum grave assignatur à D. Thoma 2. 2. quæst. 66. art. 6. ubi ait: *Peccatum mortale est quod contrariatur charitati secundum quod est spiritualis animæ vita. Charitas autem consistit principaliter quidem in dilectione Dei. Secundario verò in dilectione proximi ad quam pertinet, ut proximo bonum velimus & operemur. Per furtum autem homo infert nocumentum proximo in suis rebus; & si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana societas. Unde furtum tanquam contrarium charitati est peccatum mortale.*

Quanta verò requiratur materia, ut furtum sit grave peccatum, solet responderi à Theologis, furti gravitatem æstimandam esse ex pretio rei, vel summa pecuniæ, quæ surripitur, quæ si ad diurnum unius hominis victum sufficiat mortale peccatum esse videtur, furtum illius sive pecunia vel res alia surripiatur divitiis affluenti sive pauperi indigenti. Fieri tamen potest, ut spectatis circumstantiis personarum, & locorum major quantitas requiratur ad constituendum furtum lethale, quod prudentum arbitrio æstimandum est. Hinc major summa desideratur, si filius Patri surripiat pecunias vel uxor viro, quàm si extraneo invito, quia filius plus juris habet ad bona patris, & uxor ad bona communitatis, quorum maritus est administrator, quàm ad bona extranei, unde examinandum est, an quod surripitur notabile sit habita ratione personarum, & locorum. Hinc qui per plura furta leviora notabilem summam totalem surripiunt, sive in eadem, sive in diversis personis sive ab initio voluntatem habuerint notabilem summam per plura furta minima congregandi, sive non, rei sunt peccati mortalis; cum primum plura furta minima pervenerint ad materiam gravem; non enim refert, quòd à diversis quis clanculo accipiat, & nulli grave damnum inferat, neque velit inferre, quia omnibus simul consideratis reipublicæ graviter fur nocet.

Unde mercatores qui ponderibus, & stateris, ac mensuris inæqualibus, & dolosis utuntur, aut plus justo pretio merces suas vendunt lethale peccatum per singulas vices committunt ob pravam voluntatem iterandi leviora furta, resque suas hisce fraudibus augendi, quamvis leve sit, quod singulis vicibus injustè accipitur, quapropter Deuteron. 15. dicitur: *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus, & minus, nec erit in domo tua modius major, & minor. Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam.* Et Proverb. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Qui verò non habet voluntatem accipiendi aliquid notabile, nec inferendi proximo grave damnum, & tamen paulatim notabilem quantitatem, seu summam accipit mortaliter peccat, non in singulis furtis levioribus, sed tunc tantùm quando summa notabilis completur. Furtum enim illud postremum cum præcedentibus habet moralem connexionem, qua fur fit reus gravis quantitatis invitis Dominis sublatæ. Ut etiam qui die jejunii pluries extra horam refectionis leve aliquid comedit, si hæc parva comestio pluries, & pluries fiat peccatum est lethale, quia per illam frangitur jejunium, & ex illis parvis quantitatibus conflatur summa, quæ notabilis est. Perinde qui plura furta leviora committit, fit tunc peccati lethalis reus, cum furta illa minima ad summam notabilem ascendunt, tametsi ab initio fur non habuerit voluntatem auferendi summam notabilem, & tantùm sensim ad illam pervenerit.

Hinc Innocentius XI. damnavit illam propositionem, quæ est ordine trigesima octava: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.* Furti rei sunt etiam servi, & ancillæ, qui res suorum Dominorum surripiunt sub titulo compensationis, eò quia suo labori, & obsequiis stipendium, de quo cum Dominis convenerunt, non respondeat, & ita dicendum de artificibus, quia ex quo de mercede cum Domino convenerunt, Dominus illis non facit injuriam, si mercedem ampliorem non præbeat, & ubi nulla infertur injuria, nullus est compensationi locus, unde famuli, & ancillæ non possunt titulo compensationis, eò quia stipendium pactum cum Dominis non respondeat laboribus, & obsequiis, quæ ab ipsis præstantur, quidquam surripere, nec possunt quid amplius exigere, & si quid ultra acci-

# CAP. XVIII.

## De reliquis quatuor Decalogi Præceptis.

Septimum Decalogi præceptum prohibet rem alienam invito Domino surripere: *Non furtum facies.* Quod præceptum in duas bipartitur partes, quarum altera furtum prohibet, & altera jubemur liberales esse in proximos, & hæc secunda implicitè involvitur in prima. Unde hoc præceptum violant, non solum fures, & raptores rei alienæ; sed etiam illi, qui necessitates pauperum, ac inopum pro modo suarum facultatum non sublevant, ac indigentibus non opitulantur. Moris olim in ecclesia fuit, ut per parochos ratio hujus præcepti populis inculcaretur, non solum ut corrigerentur peccata contra hoc præceptum; verum etiam ut tumultus ac lites sedarentur in populo, & aliæ plures malorum causæ extinguerentur, quæ ex furtis tolerent commoveri. Cùm enim bona temporalia, ac eorum dominium, possessio, & usus, quæ materia sunt hujus præcepta data sint homini à Deo Genes. 1. *Dominamini piscibus maris, volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram*, & jure Gentium distincta fuit possessio horum bonorum, quam hoc septimo præcepto Deus confirmat, non prohibet, ne quis rem alienam invito Domino surripiat, ideo qui illam sibi usurpat, violat hoc præceptum, & peccat contra humanam societatem contra particulares proximos, quæ omnia non solum sunt contra charitatem, sed etiam justitiæ adversantur plura alia itidem sequuntur ex furto incommoda; siquidem illi, quibus res fuit occultè ablata plura concipiunt judicia temeraria, & suspicantur perperam de proximo innocente, hinc oriuntur inimicitiæ, odia & plura alia contra proximi charitatem.

Definitur furtum à D. Thoma *occulta rei alienæ acceptio*, quo nomine intelligitur injusta detentio; siquidem detinere, quod alteri debetur eandem habet nocumenti rationem, cum injusta surreptione Rursus per rem alienam ea intelligitur, quæ penes alterum est, tanquam ejus possessio, sive ille rei proprietatem habeat ac dominium, sive usumfructum, sive hujus rei custodia ei concredita sit, vel eam titulo depositi, vel quocunque alio apud se retineat, adeo ut qui rem propriam quam alius tenet velut pignus vel ut depositum, vel ut furto subtractam clanculo, & occultè surripit, furti reus est, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 66. art. 3. ad responsionem illam: *Homo potest furtim ab alio accipere etiam quod suum est, puta rem quam apud alium deposuit, vel quæ est ab eo injustè oblata*; ad quam respondet: *Nihil prohibet, id quod non est simpliciter unius secundum quid, esse alterius; sicut res deposita est simpliciter quidem deponentis, sed est & ejus apud quem deponitur, quantum ad custodiam. Et id quod est per rapinam ablatum, est rapientis non simpliciter; sed quantum ad intentionem*; & art. 5. ejusdem quæst. in respons. ad 3. ait: *Ille qui furtum accipit rem suam apud alium depositam gravat depositarium, qui tenetur ad restituendum vel ad ostendendum se esse innoxium. Unde manifestum est quod peccat, ac tenetur ad relevandum gravamen depositarii, qui verò furtim accipit rem suam apud alium injustè detentam, peccat quidem, non quia illum gravet, qui detinet (ideoque non tenetur ad restituendum aliquid vel compensandum) sed peccat contra communem justitiam, eò quia sibi usurpat suæ rei judicium juris ordine prætermisso, ideoque tenetur Deo satisfacere, & operam dare, ut scandalum proximorum, si inde exortum fuerit, sedetur.* Ut igitur committatur furtum debet res aliena surripi invito Domino, præter jus & rationem; qui enim authoritate Judicis rem alienam accipit à furti labe immunis est, qua ratione Israelitæ, qui jussu Dei acceperunt invitis Dominis vasa argentea, & aurea in Ægypto non fuerunt furti rei, quia voluit Deus compensare labores eorum, quapropter Sapient. 10. dicitur: *Justi tulerunt spolia impiorum.* Vel quia cum sit Deus supremus, ac despoticus Dominus rerum omnium, habeatque plenissimum Dominium in res illas, transtulit Dominium illud, quod Ægyptii habebant in vasa illa, & alia spolia, ab Ægyptiis in Israelitas, qui propterea acceperunt res suas, seu in quas ipsi ex Dei concessione habebant Dominium. Neque furti reus est, qui bona fide, & præsumpto consensu Domini non temerè, sed cum fundamento re aliena utitur. Vel animi gratia rem alienam occultat, ut ejus conservationi Dominus cautiùs, & studiosiùs invigilet. Verum hæc occultatio innoxia non est, si blasphemiis, juramentis, imprecationibus, judiciis temerariis, occasionem exhibeat; quia ratione blasphemiæ &c. occultatio illa vitiatur, quia est causa talis blasphemiæ &c. Neque furti reus est, qui rem alienam aufert vel occultat, ut servet eam Domino, & ne fures eam surripiant, imò neque est furti rea uxor, quæ in necessarios, honestosque familiæ usus clam marito subtrahit pecunias, quas in popinis vel ludis solet absumere, non sine gravi detrimento uxoris, & filiorum.

Cæterum species furti plures sunt pro varietate rerum, quæ invitis, & insciis Dominis surripiuntur. Prima species est furtum simplex, quô privata persona alteri privatæ invitæ rem suam clanculum adimit. Secunda dicitur peculatus, quo pecuniæ pertinentes ad Rempublicam intervertuntur, & hujus criminis rei dicuntur, qui publicam pecuniam in usus alios particulares retinuerunt, vel erogarunt, vel qui in tabulis publicis numerum pecuniarum deleverunt, immutârunt, vel minorem adnotarunt. Ut etiam qui prædam ab hostibus captam surripiunt, ut etiam qui quod fisco debetur, accipit, simulans se fisci creditorem, tametsi privatam pecuniam surripuerint. Peculatus sunt etiam rei, qui iniquas exactiones imponunt, suggerunt, vel justa vectigalia inæqualiter distribuunt, qui publica vectigalia, & tributa defraudant, ut etiam Publicani, qui plus exigunt, quàm quod à Principe fuerit constitutum. Tertia furti species est Plagium, quo homo liber, vel servus alienus in servitutem abducitur, ac venditur, donatur, vel permutatur, de quo crimine habetur Exodi 21. v. 16. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit, eum convictus noxæ morte moriatur.* Quarta species furti est Sacrilegium, quo res sacra surripitur, imò etiam profana, sed in loco sacro injustè aufertur.

Hinc D. Augustinus Tractat. 50. in Joan. ait: *Ecce fur Judas, fur, & sacrilegus: Non qualiscunque fur. Fur loculorum, sed Dominicorum loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in foro qualiscunque furti, & peculatus (peculatus enim dicitur furtum de Republica, & non sic judicatur furtum rei privatæ,*

*privata, quomodo publica) quanto vehementius judicandus est fur sacrilegus, qui ausus fuit, non undecunque tollere, sed de ecclesia tollere? qui aliquid de ecclesia furatur, Juda perdito comparatur.* Quinta species furti est abigeatus, qui avium, equorum, & aliarum id genus pecudum injusta, & dolosa est abductio, quod tamen crimen leges civiles peculiari pœna plectunt, eò quia hujusmodi pecora ea facilitate, qua res aliæ non possunt custodiri, cum per campos, montes, & prata divagentur, hinc Abigei propriè dicuntur, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subtrahunt, ac abigendi studium quasi artem exercent, abducentes equos de gregibus, & boves de armentis; qui verò bovem errantem in solitudine, vel equos relictos abduxerit propriè non est abigeus, sed fur; est tamen hujus furti vel maximè reus, qui à stabulo abegit domitum pecus, non à sylva nec grege ut habetur *ff. lib. 47. tit. 14. de Abigeis.* Sexta furti species est rapina, quam D. Thomas 2. 2. *quæst. 66. art. 4.* distinguit à furto inquiens: *Furtum, & rapina ex hoc habent rationem peccati, quia acceptio est involuntaria ex parte ejus, cui aliquid subtrahitur. Involuntarium autem dupliciter dicitur per ignorantiam, & violentiam. Primum est furtum, secundum rapina, fur enim clam aliquid surripit Domino nescienti. Raptor verò scienti, & repugnanti; siquidem raptor vult per propriam potestatem obtinere, & fur per astutiam, ideoque aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum.* Unde rapina est peccatum gravius furto ratione violentiæ quam infert Domino, & propter ignominiam, quam patitur persona, cui violenter res propria subtrahitur. Quia verò nomen furti latius patet, ideo in septimo Decalogi præcepto solum furtum exprimitur, quo intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ, ait enim D. Augustinus quæst. 71. in Exod. *Furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ (non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit) sed utique à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur.* Et Apostolus 1. ad Corinth. 6. ait: *Neque fures neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Propria rapina est injusta rei alienæ per violentiam ablatio furtum verò loco violentiæ astutiam adhibet. Utrumque est peccatum lethale nisi materia levis sit, & excludatur voluntas gravis damni inferendi, sola enim parvitas materiæ excusat à gravitate peccati, & olim gravis furti rei à cōmunione per multum temporis excludebantur, & publicæ pœnitentiæ subjiciebantur, de quibus D. Basilius epist. ad Philochium ait: *Qui furatus est, si ex se quidem pœnitentia motus se ipsum accusaverit anno à sola Sacramentorum communione arcebitur. Si autem convictus fuerit, duobus annis tempus illi ad substrationem dividetur & consistentiam & tunc communione dignus habeatur.* Et ratio cur furtum sit peccatum grave assignatur à D. Thoma 2. 2. quæst. 66. art. 6. ubi ait: *Peccatum mortale est quod contrariatur charitati secundum quod est spiritualis animæ vita. Charitas autem consistit principaliter quidem in dilectione Dei. Secundario verò in dilectione proximi ad quam pertinet, ut proximo bonum velimus & operemur. Per furtum autem homo infert nocumentum proximo in suis rebus; & si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana societas. Unde furtum tanquam contrarium charitati est peccatum mortale.*

Quanta verò requiratur materia, ut furtum sit grave peccatum, solet responderi à Theologis, furti gravitatem æstimandam esse ex pretio rei, vel summa pecuniæ, quæ surripitur, quæ si ad diurnum unius hominis victum sufficiat mortale peccatum esse videtur, furtum illius sive pecunia vel res alia surripiatur divitiis affluenti sive pauperi indigenti. Fieri tamen potest, ut spectatis circumstantiis personarum, & locorum major quantitas requiratur ad constituendum furtum lethale, quod prudentum arbitrio æstimandum est. Hinc major summa desideratur, si filius Patri surripiat pecunias vel uxor viro, quàm si extraneo invito, quia filius plus juris habet ad bona patris, & uxor ad bona communitatis, quorum maritus est administrator, quàm ad bona extranei, unde examinandum est, an quod surripitur notabile sit habita ratione personarum, & locorum. Hinc qui per plura furta leviora notabilem summam totalem surripiunt, sive in eadem, sive in diversis personis sive ab initio voluntatem habuerint notabilem summam per plura furta minima congregandi, sive non, rei sunt peccati mortalis; cum primum plura furta minima pervenerint ad materiam gravem; non enim refert, quòd à diversis quis clanculo accipiat, & nulli grave damnum inferat, neque velit inferre, quia omnibus simul consideratis reipublicæ graviter fur nocet.

Unde mercatores qui ponderibus, & stateris, ac mensuris inæqualibus, & dolosis utuntur, aut plus justo pretio merces suas vendunt lethale peccatum per singulas vices committunt ob pravam voluntatem iterandi leviora furta, resque suas hisce fraudibus augendi, quamvis leve sit, quod singulis vicibus injustè accipitur, quapropter Deuteron. 15. dicitur: *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus, & minus, nec erit in domo tua modius major, & minor. Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam.* Et Proverb. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Qui verò non habet voluntatem accipiendi aliquid notabile, nec inferendi proximo grave damnum, & tamen paulatim notabilem quantitatem, seu summam accipit mortaliter peccat, non in singulis furtis levioribus, sed tunc tantùm quando summa notabilis completur. Furtum enim illud postremum cum præcedentibus habet moralem connexionem, qua fur fit reus gravis quantitatis invitis Dominis sublatæ. Ut etiam qui die jejunii pluries extra horam refectionis leve aliquid comedit, si hæc parva comestio pluries, & pluries fiat peccatum est lethale, quia per illam frangitur jejunium, & ex illis parvis quantitatibus conflatur summa, quæ notabilis est. Perinde qui plura furta leviora committit, fit tunc peccati lethalis reus, cum furta illa minima ad summam notabilem ascendunt, tametsi ab initio fur non habuerit voluntatem auferendi summam notabilem, & tantùm sensim ad illam pervenerit.

Hinc Innocentius XI. damnavit illam propositionem, quæ est ordine trigesima octava: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.* Furtirei sunt etiam servi, & ancillæ, qui res suorum Dominorum surripiunt sub titulo compensationis, eò quia suo labori, & obsequiis stipendium, de quo cum Dominis convenerunt, non respondeat, & ita dicendum de artificibus, quia ex quo de mercede cum Domino convenerunt, Dominus illis non facit injuriam, si mercedem ampliorem non præbeat, & ubi nulla infertur injuria, nullus est compensationi locus, unde famuli, & ancillæ non possunt titulo compensationis, eò quia stipendium pactum cum Dominis non respondeat laboribus, & obsequiis, quæ ab ipsis præstantur, quidquam surripere, nec possunt quid amplius exigere, & si quid ultra acci-

# CAP. XVIII.

## De reliquis quatuor Decalogi Præceptis.

SEptimum Decalogi præceptum prohibet rem alienam invito Domino ſurripere: *Non furtum facies.* Quod præceptum in duas bipartitur partes, quarum altera furtum prohibet, & altera jubemur liberales eſſe in proxim..., & hæc ſecunda implicitè involvitur in prima. Unde hoc præceptum violant, non ſolum fures, & raptores rei alienæ; ſed etiam illi, qui neceſſitates pauperum, ac inopum pro modo ſuarum facultatum non ſublevant, ac indigentibus non opitulantur. Moris olim in eccleſia fuit, ut per parochos ratio hujus præcepti populis inculcaretur, non ſolum ut corrigerentur peccata contra hoc præceptum; verùm etiam ut tumultus ac lites ſedarentur in populo, & aliæ plures malorum cauſæ extinguerentur, quæ ex furtis tolerent commoveri. Cùm enim bona temporalia, ac eorum dominium, poſſeſſio, & uſus, quæ materia ſunt hujus præcepta data ſint homini à Deo Geneſ. 1. *Dominamini piſcibus maris, volatilibus cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram*, & jure Gentium diſtincta fuit poſſeſſio horum bonorum, quam hoc ſeptimo præcepto Deus confirmat, non prohibet, ne quis rem alienam invito Domino ſurripiat, ideo qui illam ſibi uſurpat, violat hoc præceptum, & peccat contra humanam ſocietatem contra particulares proximos, quæ omnia non ſolum ſunt contra charitatem, ſed etiam juſtitiæ adverſantur plura alia itidem ſequuntur ex furto incommoda; ſiquidem illi, quibus res fuit occultè ablata plura concipiunt judicia temeraria, & ſuſpicantur perperam de proximo innocente, hinc oriuntur inimicitiæ, odia & plura alia contra proximi charitatem.

Definitur furtum à D. Thoma *occulta rei alienæ acceptio*, quo nomine intelligitur injuſta detentio; ſiquidem detinere, quod alteri debetur eandem habet nocumenti rationem, cum injuſta ſurreptione Rurſus per rem alienam ea intelligitur, quæ penes alterum eſt, tanquam ejus poſſeſſio, ſive ille rei proprietatem habeat ac dominium, ſive uſumfructum, ſive hujus rei cuſtodia ei concredita ſit, vel eam titulo depoſiti, vel quocunque alio apud ſe retineat, adeo ut qui rem propriam quam alius tenet velut pignus vel ut depoſitum, vel ut furto ſubtractam clanculo, & occultè ſurripit, furti reus eſt, ut docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 66. art. 3. ad reſponſionem illam: *Homo poteſt furtim ab alio accipere etiam quod ſuum eſt, puta rem quam apud alium depoſuit, vel quæ eſt ab eo injuſtè oblata*; ad quam reſpondet: *Nihil prohibet, id quod non eſt ſimpliciter unius ſecundum quid, eſſe alterius; ſicut res depoſita eſt ſimpliciter quidem deponentis, ſed eſt & ejus apud quem deponitur, quantum ad cuſtodiam. Et id quod eſt per rapinam ablatum, eſt rapientis non ſimpliciter; ſed quantum ad intentionem*; & art. 5. ejuſdem quæſt. in reſponſ. ad 3. ait: *Ille qui furtum accipit rem ſuam apud alium depoſitam gravat depoſitarium, qui tenetur ad reſtituendum vel ad oſtendendum ſe eſſe innoxium. Unde manifeſtum eſt quod peccat, ac tenetur ad relevandum gravamen depoſitarii, qui verò furtim accipit rem ſuam apud alium injuſtè detentam, peccat quidem, non quia illum gravet, quia detinet (ideoque non tenetur ad reſtituendum aliquid vel compenſandum) ſed peccat contra communem juſtitiam, eò quia ſibi uſurpat ſuæ rei judicium juris ordine prætermiſſo, ideoque tenetur Deo ſatisfacere, & operam dare, ut ſcandalum proximorum, ſi inde exortum fuerit, ſedetur.* Ut igitur committatur furtum debet res aliena ſurripi invito Domino, præter jus & rationem; qui enim authoritate Judicis rem alienam accipit à furti labe immunis eſt, qua ratione Iſraelitæ, qui juſſu Dei acceperunt invitis Dominis vaſa argentea, & aurea in Ægypto non fuerunt furti rei, quia voluit Deus compenſare labores eorum, quapropter Sapient. 10. dicitur: *Juſti tulerunt ſpolia impiorum.* Vel quia cum ſit Deus ſupremus, ac deſpoticus Dominus rerum omnium, habeatque pleniſſimum Dominium in res illas, tranſtulit Dominium illud, quod Ægyptii habebant in vaſa illa, & alia ſpolia, ab Ægyptiis in Iſraelitas, qui propterea acceperunt res ſuas, ſeu in quas ipſi ex Dei conceſſione habebant Dominium. Neque furti reus eſt, qui bona fide, & præſumpto conſenſu Domini non temerè, ſed cum fundamento re aliena utitur. Vel animi gratia rem alienam occultat, ut ejus conſervationi Dominus cautiùs, & ſtudioſiùs invigilet. Verum hæc occultatio innoxia non eſt, ſi blaſphemiis, juramentis, imprecationibus, judiciis temerariis, occaſionem exhibeat; quia ratione blaſphemiæ &c. occultatio illa vitiatur, quia eſt cauſa talis blaſphemiæ &c. Neque furti reus eſt, qui rem alienam aufert vel occultat, ut ſervet eam Domino, & ne fures eam ſurripiant, imò neque eſt furti rea uxor, quæ in neceſſarios, honeſtosque familiæ uſus clam marito ſubtrahit pecunias, quas in popinis vel ludis ſolet abſumere, non ſine gravi detrimento uxoris, & filiorum.

Cæterum ſpecies furti plures ſunt pro varietate rerum, quæ invitis, & inſciis Dominis ſurripiuntur. Prima ſpecies eſt furtum ſimplex, quô privata perſona alteri privatæ invitæ rem ſuam clanculum adimit. Secunda dicitur peculatus, quo pecuniæ pertinentes ad Rempublicam intervertuntur, & hujus criminis rei dicuntur, qui publicam pecuniam in uſus alios particulares retinuerunt, vel erogarunt, vel qui in tabulis publicis numerum pecuniarum deleverunt, immutârunt, vel minorem adnotarunt. Ut etiam qui prædam ab hoſtibus captam ſurripiunt, ut etiam qui quod fiſco debetur, accipit, ſimulans ſe fiſci creditorem, tametſi privatam pecuniam ſurripuerint. Peculatus ſunt etiam rei, qui iniquas exactiones imponunt, ſuggerunt, vel juſta vectigalia inæqualiter diſtribuunt, qui publica vectigalia, & tributa defraudant, ut etiam Publicani, qui plus exigunt, quàm quod à Principe fuerit conſtitutum. Tertia furti ſpecies eſt Plagium, quo homo liber, vel ſervus alienus in ſervitutem abducitur, ac venditur, donatur, vel permutatur, de quo crimine habetur Exodi 21. v. 16. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit, cum convictus noxæ morte moriatur.* Quarta ſpecies furti eſt Sacrilegium, quo res ſacra ſurripitur, imò etiam profana, ſed in loco ſacro injuſtè aufertur.

Hinc D. Auguſtinus Tractat. 50. in Joan. ait: *Ecce fur Judas, fur, & ſacrilegus: Non qualiscunque fur. Fur loculorum, ſed Dominicorum loculorum, ſed ſacrorum. Si crimina diſcernuntur in foro qualiscunque furti, & peculatus (peculatus enim dicitur furtum de Republica, & non ſic judicatur furtum rei privatæ,*

*privata, quomodo publica) quanto vehementius judicandus est fur sacrilegus, qui ausus fuit, non undecunque tollere, sed de ecclesia tollere? qui aliquid de ecclesia furatur, Juda perdito comparatur.* Quinta species furti est abigeatus, qui avium, equorum, & aliarum id genus pecudum injusta, & dolosa est abductio, quod tamen crimen leges civiles peculiari pœna plectunt, eò quia hujusmodi pecora ea facilitate, qua res aliæ non possunt custodiri, cum per campos, montes, & prata divagentur, hinc Abigei propriè dicuntur, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subtrahunt, ac abigendi studium quasi artem exercent, abducentes equos de gregibus, & boves de armentis; qui verò bovem errantem in solitudine, vel equos relictos abduxerit propriè non est abigeus, sed fur; est tamen hujus furti vel maximè reus, qui à stabulo abegit domitum pecus, non à sylva nec grege ut habetur *ff. lib. 47. tit. 14. de Abigeis.* Sexta furti species est rapina, quam D. Thomas 2. 2. *quæst. 66. art. 4.* distinguit à furto inquiens: *Furtum, & rapina ex hoc habent rationem peccati, quia acceptio est involuntaria ex parte ejus, cui aliquid subtrahitur. Involuntarium autem dupliciter dicitur per ignorantiam, & violentiam. Primum est furtum, secundum rapina, fur enim clam aliquid surripit Domino nescienti. Raptor verò scienti, & repugnanti; siquidem raptor vult per propriam potestatem obtinere, & fur per astutiam, ideoque aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum.* Unde rapina est peccatum gravius furto ratione violentiæ quam infert Domino, & propter ignominiam, quam patitur persona, cui violenter res propria subtrahitur. Quia verò nomen furti latius patet, ideo in septimo Decalogi præcepto solum furtum exprimitur, quo intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ, ait enim D. Augustinus quæst. 71. in Exod. *Furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ (non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit) sed utique à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur.* Et Apostolus 1. ad Corinth. 6. ait: *Neque fures neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Propria rapina est injusta rei alienæ per violentiam ablatio furtum verò loco violentiæ astutiam adhibet. Utrumque est peccatum lethale nisi materia levis sit, & excludatur voluntas gravis damni inferendi, sola enim parvitas materiæ excusat à gravitate peccati, & olim gravis furti rei à comunione per multum temporis excludebantur, & publicæ pœnitentiæ subjiciebantur, de quibus D. Basilius epist. ad Philochium ait: *Qui furatus est, si ex se quidem pœnitentia motus se ipsum accusaverit anno à sola Sacramentorum communione arcebitur. Si autem convictus fuerit, duobus annis tempus illi ad substrationem dividetur & consistentiam & tunc communione dignus habeatur.* Et ratio cur furtum sit peccatum grave assignatur à D. Thoma 2. 2. quæst. 66. art. 6. ubi ait: *Peccatum mortale est quod contrariatur charitati secundum quod est spiritualis animæ vita. Charitas autem consistit principaliter quidem in dilectione Dei. Secundario verò in dilectione proximi ad quam pertinet, ut proximo bonum velimus & operemur. Per furtum autem homo infert nocumentum proximo in suis rebus; & si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana societas. Unde furtum tanquam contrarium charitati est peccatum mortale.*

Quanta verò requiratur materia, ut furtum sit grave peccatum, solet responderi à Theologis, furti gravitatem æstimandam esse ex pretio rei, vel summa pecuniæ, quæ surripitur, quæ si ad diurnum unius hominis victum sufficiat mortale peccatum esse videtur, furtum illius sive pecunia vel res alia surripiatur divitiis affluenti sive pauperi indigenti. Fieri tamen potest, ut spectatis circumstantiis personarum, & locorum major quantitas requiratur ad constituendum furtum lethale, quod prudentum arbitrio æstimandum est. Hinc major summa desideratur, si filius Patri surripiat pecunias vel uxor viro, quàm si extraneo invito, quia filius plus juris habet ad bona patris, & uxor ad bona communitatis, quorum maritus est administrator, quàm ad bona extranei, unde examinandum est, an quod surripitur notabile sit habita ratione personarum, & locorum. Hinc qui per plura furta leviora notabilem summam totalem surripiunt, sive in eadem, sive in diversis personis sive ab initio voluntatem habuerint notabilem summam per plura furta minima congregandi, sive non, rei sunt peccati mortalis; cum primum plura furta minima pervenerint ad materiam gravem; non enim refert, quòd à diversis quis clanculo accipiat, & nulli grave damnum inferat, neque velit inferre, quia omnibus simul consideratis reipublicæ graviter fur nocet.

Unde mercatores qui ponderibus, & stateris, ac mensuris inæqualibus, & dolosis utuntur, aut plus justo pretio merces suas vendunt lethale peccatum per singulas vices committunt ob pravam voluntatem iterandi leviora furta, resque suas hisce fraudibus augendi, quamvis leve sit, quod singulis vicibus injustè accipitur, quapropter Deuteron. 15. dicitur: *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus, & minus, nec erit in domo tua modius major, & minor. Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam.* Et Proverb. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Qui verò non habet voluntatem accipiendi aliquid notabile, nec inferendi proximo grave damnum, & tamen paulatim notabilem quantitatem, seu summam accipit mortaliter peccat, non in singulis furtis levioribus, sed tunc tantùm quando summa notabilis completur. Furtum enim illud postremum cum præcedentibus habet moralem connexionem, qua fur fit reus gravis quantitatis invitis Dominis sublatæ. Ut etiam qui die jejunii pluries extra horam refectionis leve aliquid comedit, si hæc parva comestio pluries, & pluries fiat peccatum est lethale, quia per illam frangitur jejunium, & ex illis parvis quantitatibus conflatur summa, quæ notabilis est. Perinde qui plura furta leviora committit, fit tunc peccati lethalis reus, cum furta illa minima ad summam notabilem ascendunt, tametsi ab initio fur non habuerit voluntatem auferendi summam notabilem, & tantùm sensim ad illam pervenerit.

Hinc Innocentius XI. damnavit illam propositionem, quæ est ordine trigesima octava: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.* Furti rei sunt etiam servi, & ancillæ, qui res suorum Dominorum surripiunt sub titulo compensationis, eò quia suo labori, & obsequiis stipendium, de quo cum Dominis convenerunt, non respondeat, & ita dicendum de artificibus, quia ex quo de mercede cum Domino convenerunt, Dominus illis non facit injuriam, si mercedem ampliorem non præbeat, & ubi nulla infertur injuria, nullus est compensationi locus, unde famuli, & ancillæ non possunt titulo compensationis, eò quia stipendium pactum cum Dominis non respondeat laboribus, & obsequiis, quæ ab ipsis præstantur, quidquam surripere, nec possunt quid amplius exigere, & si quid ultra acci-

piunt invitis Dominis sunt furti rei. Hinc merito in Evangelio Paterfamilias rejecit excusationem illorum operariorum, qui conducti in vineam per totam diem laborarunt, & non acceperunt nisi unicum denarium, seu æqualem mercedem illis, qui circa undecimam horam laborare cœperant, cùm ipsi portâssent pondus diei est æstûs, plusque laboraverint, quàm ultimi, qui nonnisi per horam in vinea Domini suum impenderunt laborem. Respondit enim Paterfamilias eorum uni: *Amice non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum? tolle; quod tuum est, & vade.* Perinde dicendum est de famulis, & ancillis asserentibus plus ab ipsis impendi laboris, & obsequii, quàm alii; semel enim quòd pactum inierunt cum Dominis de tanta mercede accipienda, debent contenti esse eadem. Hinc ab Innocentio XI. damnata fuit hæc alia propositio: *Famuli & famulæ Domesticæ possunt occultè Heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant Salario, quod recipiant.*

Operarii itidem, & artifices qui totam & integram mercedem ab iis exigunt, quibus ipsi justam, ac debitam operam non dederunt; item servi infidi rerum illarum, quæ eorum custodiæ fuerunt concreditæ, sive aliquid clanculo invito Domino accipiunt, sunt furti rei, imò eo sunt detestabiliores reliquis furibus, qui clavibus excluduntur, quia isti domestici nil habent sibi occlusum, propterea tenentur fidelitatem servare Dominis. Hinc Apostolus ad Tit. cap. 2. scribit: *Ut admoneat Servos, ut subditi sint Dominis suis, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes.* Pauperes etiam rustici ligna cædentes, vel cæsa auferentes ex sylvis suorum dominorum sive sicca, & emortua, sive virentia fuerint, rei etiam sunt furti, nisi extrema necessitate urgeantur, quia isti rem alienam auferunt invitis Dominis, si tamen hujusmodi ligna cæsa sint damno gravi Domino, si à paupere surripiantur, qui extrema necessitate non urgetur; siquidem si fuerint exigua ligna, & arida, quæ leve damnum inferant, si surripiantur à paupere, tunc non censetur peccatum grave. Cæterum unicus titulus excusans à furto, est extrema necessitas urgens, ut docet D. Thomas, quia in illa pauperum extrema necessitate invitus non debet esse Dominus, alioquin violaret præceptum de dilectione proximi.

Sunt etiam furti rei, quicunque jussu, suasione, consilio, consensu conniventia, silentio, patrocinio, approbatione, & adulatione furta cooperantur, ut etiam qui furti sunt participes, quia ut scribit Apostolus ad Roman. 1. *Digni sunt morte non solum, qui faciunt sed etiam qui consentiunt facientibus.* Tum quia is peccat, qui causa est peccati, sed suadentes aliis furtum, sunt causa illius furti, consequenter illius peccati.

Qui res alienas invito Domino surripiunt tenentur eas restituere ex vi septimi præcepti, est enim restitutio rei ablatæ positio in pristinum statum, suntque materia restitutionis quatuor bona hominis, scilicet animæ, corporis, famæ, & facultatum, hæc enim sunt vel offensa, vel injustè retenta, vel aliquo modo alienata, & restitutioni subjecta. Forma restitutionis est justa compensatio, qua satisfit offensæ, & indebitæ retentioni. Finis restitutionis est justitia, quæ unicuique tribuit, quod suum est; ut inter homines unio pax & charitas adsit, ut tollantur inimicitiæ, & alia mala, quæ ex retentione rei alienæ consequi solent. Causa efficiens est quicunque tenetur ad restitutionem, quia ipse revera restituit, & qui detrectet restituere cum possit, non potest absolvi, quia injustè res alienas retinet; hinc Augustinus epistol. 54. ad Macedon. ait: *Si res aliena propter quam peccatum est reddi possit, & non reddatur pœnitentia non agitur, sed simulatur; si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum; nisi restituatur ablatum, si restitui possit.* Hinc Abachuch. 2. *Væ ei qui multiplicat non sua usquequo aggravat contra se densum lutum?* & Christus tunc tantùm dixit Zachæo: *Hodie huic domui salus à Deo facta est*, postquam promisit restituere & extant plura exempla eorum, qui ex defectu restitutionis æternam damnationem incurrerunt. Creditoris tamen condonatio liberat debitorem ab obligatione restituendi, quia semel quod creditor debitum condonat non fit amplius debitor, nec detinetur amplius ab illo res aliena invito Domino. Verum ut condonatio creditoris in foro conscientiæ liberet debitorem ab obligatione solvendi, tres requiruntur conditiones, quarum prima est, ut condonatio sit facta ab eo, qui poterat condonare defectu hujus conditionis invalida est condonatio, quam faciunt filiifamilias, pupilli, minorrennes, religiosi professi, stulti, & alii, qui donandi, & condonandi potestatem legitimam non habent; hinc si vir religiosus alicui ex consanguineis suis vel amicis condonaverit debitum, ex contractu pensionis vitalitiæ, donationis, aut fundationis inscio superiore, non liberantur consanguinei ab obligatione solvendi conventui, quia Monachus nil habet proprium, nilque potest donare, imò neque Clericus non habens alia bona nisi ecclesiastica remittere potest consanguineo suo vel alteri, qui solvendo est debita ex illis bonis provenientia, aut restitutionem condonare, quia non habet dominium bonorum ecclesiasticorum, sed tantùm dispensationem can. *Episcopi.* causa 12. quæst. 1. can. *Placuit.* ead. caus. quæst. 3. Secunda conditio ad condonationem legitimam necessaria est, ut sit spontanea, non dolo, non fraude, nec vi, nec minis extorta, quapropter si quis ad condonationem debitorum, aut restitutionis obtinendam paupertatem simulet, solvendo non esse, aut asserat multa graviora se passum, quàm revera passus sit, aut creditores totum debitum omissuros minetur, nisi partem non donet, non est liber à restitutionis onere, quia illa condonatio non est spontanea, sed dolo extorta. Tertia conditio est, ut condonatio non sit jure vetita, seu ne debitor positiva lege declaratus sit incapax condonationis. Hinc Visitator ecclesiarum, si ab eis, quas visitat, vel quorum vice sacram visitationem obit, aliquid accipiat, præter sumptus necessarios duplum tenetur restituere, etiam ante sententiam Judicis. Nulla ei in hoc damnum remissione, liberalitate, seu gratia valitura, ut habetur cap. *Exigit.* tit. *de censibus* in 6.

Hoc tamen decalogi præceptum, & quintum secundæ tabulæ est, non falsum testimonium dices, quod præceptum est prima regula omnium verborum, & locutionum respectu sui & proximorum, cujus materia remota sunt homo ipse, & proximus illius; minus remota fama, honor illorum, & adhuc minus remota sunt actus seu verba, ac locutiones linguæ de ipso, & de proximis; & tandem materia proxima sunt virtutes, & vitia circa illa. Nomine proximi intelligitur homo ille, de quo loquitur, & omnes de quibus loquitur, sive defuncti sint sive viventes. Et præceptum istud perinde ac reliqua duas continet partes, quarum una est negativa expressa, prohibens vitia linguæ, ne scilicet malè, seu vitiosè loquatur homo contra se ipsum, & proximum, secunda est, affirmativa inclusivè, & præcipit virtutem veritatis in dictis, & fa-

& factis, & obligat ad bene, verè, & virtuosè loquendum, ut scribit Apostolus ad Ephes. 4. *Veritatem facientes in charitate crescamus in Christo per omnia.* Exigit justitia non solùm ut nulla fiat injuria proximo, sed etiam ut pro illata injuria satisfiat, ad quam satisfactionem imperandam, & exigendam tribunalia erecta sunt, ac Judices constituti, sed quia hominum malitia publica etiam judicia prævertit, ideo Deus octavo hoc præcepto sanxit, nè quis publici judicii perversioni cooperetur; quia quamvis quilibet homo esse Judex nequeat, hæc omnibus dicatur, ne injustè jud ces (quod ad publica pertinet judicia) potest nihilominus quilibet perversioni judicii cooperari falsum dicendo testimonium, quod prohibetur octavo decalogi præcepto, quo prohibentur testium vanitas, mendacia, & perjuria, hinc hoc præcepto prohibetur etiam omne mendacium extra judicium, & maximè quod alteri potest incommodum, & detrimentum inferre, de quo Levit 19. dicitur: *Non facietis furtum, non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum*; & David Psal. 5. *Non perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

Triplex autem partitur mendacium, scilicet officiosum, jocosum, & perniciosum, officiosum est, quod sine alterius injuria profertur pro salute, & commodo alicujus. Jocosum quod sola placendi, seu delectandi voluntate. Perniciosum, quod grande detrimentum infert proximo, cujusmodi sunt mendacia calumniatorum, & obtectatorum, quæque in contractibus, pactis, forensi judicio, doctrina, ea maximè quæ ad religionem pertinet committuntur; & de hoc triplici mendacii genere loquens D. Augustinus in Psal. 5. ait: *Ideo perdes omnes qui loquuntur mendacium, quia recedentes ab eo, quod est, ad id quod non est, declinatur*; & infra subdit: *Duo sunt omnino genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa, cum aut jocamur, aut ut prodesse possimus mentimur. Illud primum in jocando ideo non est perniciosissimum, quia non fallit, novit enim ille, cui dicitur joci causa esse dictum. Secundum autem ideo mitius est, quia retinet nonnullam benevolentiam, & tale fuit Exod. 1. v. 19. Mendacium Ægyptiarum obstetricum, quæ Pharaoni falsum enuntiarunt, ut infantes filiorum Israel ab internecione servarent. Sed ista non re, sed indole laudantur, quoniam qui tantùm hoc modo mentiuntur, merebuntur aliquando ab omni mendacio liberari. Nam in iis qui perfecti sunt nec ista mendacia inveniuntur. Quibus dictum est, sit in ore vestro est est, non non, quid amplius est, à malo est*; hinc liquet mendacium quodvis etiam officiosum per se & natura sua esse peccatum perinde ac furtum, & adulterium, adeo ut mentiri non liceat pro salute alterius, sicut nec furari licet, nec adulterium committere, hinc qui laudati, & temporaliter remunerati leguntur in scripturis, à quibus mendacium officiosum legitur, in iis laudatur benignitas mentis, non iniquitas mentientis, adeo ut remunerata fuerit benevolentia, non fallacia, quæ propter bonitatem indolis excusatur non approbatur, quo pacto Ægyptiis obstetricibus ob affectum benevolentiæ in Judæos Deique reverentiam, & timorem, Deus benefecit, ac domos ædificavit, ut legitur Exod. 1. v. 20. In causa obstetricum duo sunt consideranda factum misericorditer, & factum fallaciter: primum quod bonum erat, remuneravit Deus; & propter hoc bonum alterum quod malum erat condonavit, sic ut etiam de Rachab dicendum quæ mentiri maluit, quàm Israelitas Exploratores prodere, ut habetur Josue 6. Quo pacto etiam Judith Holoferno mentita est Judic. 15. & laudatur quidem sed non propter mendacium, sed propter affectum ad salutem populi Dei, pro quo periculo se exposuit.

Cæterum mendacium, quod dicitur perniciosum, lethale est peccatum juxta illud Psal. 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*; & illud Sapient. 1. *Os quod mentitur occidit animam.* Mendacium verò officiosum est tantùm peccatum veniale ut etiam jocosum, hinc erant, qui putant Abraham & Isaac Patriarchas esse mentitos *Genes. 2. & 26.* Cum ille Saram, iste Rebeccam *Genes. 27. & 42. ac* 44. uxorem suam Sororem suam esse dixit, & Jacob cum Patri suo Isaac dixit, Ego sum primogenitus tuus Esau, & Joseph cum fratribus suis dixit: Exploratores estis, & Sciphum sibi ablatum esse, in quo augurari consueverat, hæc enim, & alia proferuntur ex sacris scripturis testimonia quibus probari, & approbari solet mendacium, ac non esse peccatum, quibus omnibus respondet D. Augustinus in sacris scripturis, nonnulla quæ putantur esse, mendacia, talia non esse, si rectè intelligantur, quòd si ibi mendacia manifesta sint, non propterea imitari debet, quia referuntur tantùm historicè, non laudantur, nec approbantur, ut nec alia, quæ in iisdem scripturis narrantur peccata. Abrahami enim responsio asserentis Saram esse sororem suam, mendacium non fuit, tacuit enim quòd uxor esset; & verum dixit, quòd soror esset, ut & vitæ suæ, & illius pudicitiæ consuleret, siquidem erat Sara illius Neptis ex fratre Aran, & in scripturis fratres, & sorores generali nomine solent consanguinei appellari. Eodem sensu Isaac Rebeccam consanguineam suam sororem vocavit. Quòd verò Jacob dixerit Isaac Patri suo se esse Esau variæ sunt Patrum sententiæ, quorum aliqui textui sacræ scripturæ magis inhærentes asserunt, Jacob tunc mentitum fuisse; alii verò ut S. Augustinus, & Thomas ipsum à mendacio excusant, adeo ut secundùm hanc opinionem fuerit mendacium tantum specie tenus, cùm revera fuerit mysterium: *Nam si non est mendacium quando ad intelligentiam veritatis, aliud ex alio significantia referuntur, profectò non solùm id quod fecit, aut dixit Jacob Patri, ut benediceretur; sed neque illud, quod Joseph velut illudendis fratribus locutus est, neque quod David simulavit insaniam, nec cætera hujusmodi mendacia judicanda sunt, sed locutiones, actionesque prophetica, ad ea quæ vera sunt intelligenda, referenda, quæ propterea figuratis velut amictibus obteguntur, ut sensum piè quærentis exerceant, & ne nuda ac prompta vilescant. Tamen vera, non falsa dicuntur, quoniam vera, non falsa significantur seu verbo, seu facto. Putantur mendacia quoniam non ea, quæ vera significantur dicta intelliguntur, sed ea quæ falsa sunt dicta esse creduntur*; ut loquitur D. Augustinus lib. contra mendac. cap. 10. & infra loquens de Jacob ait: *Nam cum ei Pater dixisset: Quis es tu, fili, ille respondit: Ego sum Esau primogenitus tuus. Hoc si referatur ad duos illos genitos mendacium videbitur. Si autem ad illud, propter quod significandum ista gesta & dicta conscripta sunt ille hic est intelligendus in corpore suo, quod est ejus Ecclesia, qui de hac loquens ait: Cum videritis Abraham, Isaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras, & venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno; & ecce sunt novissimi, qui erant primi, & sunt primi, qui erant novissimi. Sic enim quodammodo minor majoris primatum frater abstulit, atque in se transtulit jura. Cum igitur tam vera; tamque significentur veraciter, quid hic debet*

*putari factum, dictumve mendaciter.* Non igitur mentitus est Jacob cùm se primogenitum Esau asseruit; erat enim primogenitus si jus spectetur, non autem si persona, quemadmodum Christus Matth. 11. v. 14. de Joanne Baptista dixit: *Ipse est Elias, qui venturus est*, quia in spiritu Elias esset, quamvis in persona Elias non esset, ut explicat D. Augustinus. Quæ verò dixit Joseph in Ægypto ad probandum fratres id fecit, non ad fallendum, consequenter non fuit mentitus. Nulla enim in scripturis veteris testamenti scripta sunt, quæ tantùm figuratè gesta sunt, hinc ait Augustinus lib. contra mendacium cap. 12. *Cum ea sive dicta sive facta referuntur ad eas res, propter quas significandas, ita facta, & dicta sunt reperiuntur significationes esse veraces, ac per hoc nullô modò esse mendacia. Mendacium est quippe falsa significatio, cum voluntate fallendi. Non est autem falsa significatio, ubi & si aliud ex alio significatur; verum est tamen, quod significatur, si rectè intelligatur.* Talia sunt plura quæ habentur in Evangelio, ubi Christus de muliere, quæ fluxum sanguinis patiebatur, ait: *Quis me tetigit?* & de Lazaro, *ubi posuistis eum*; sic enim interrogavit, quasi nesciens, quod utique sciebat, ac per hoc nescire se finxit, ut aliquid aliud illa velut ignorantia sua significaret; quæ significatio, quoniam verax erat, mendacium profectò non erat; sic etiam Dominus cum duobus discipulis post suam resurrectionem ambulans cum appropinquaret castellum Emmaus propheticè, & figuratè, *finxit, se longius ire*, quisquis autem vult intelligere, quid præfiguraverit, id fingendo attendat, quid agendo perfecerit; ait enim Augustinus loc. cit. *Longius namque postea profectus super omnes cœlos, non tamen deseruit Discipulos suos. Propter hoc significandum futurum divinitus factum ad præsens illud est humanitus fictum, & ideo significatio verax in illa est significatione præmissa, quia in hac profectione illius est significationis veritas subsecuta. Ille igitur contendat Christum mentitum esse fingendo, qui negat eum, quod significavit, implevisse faciendo.* Finxit igitur se longius ire, ait Augustinus, ut significaret, quòd ipse ab eorum fide longè erat. Unde Discipuli apertis oculis mentis tandem cognoverunt Christum, non ad fallendum, sed ad erudiendum ita finxisse, seu externam longius ire volentis speciem præ se tulisse. Quamobrem nullus scripturæ textus mendacio suffragatur, ut probetur, aliquando licitum esse, quòd enim aliqui adferant illud Marci 13. *De die autem illo vel hora nemo scit, nec Angeli in cœlo, neque filius nisi pater.* Et quod Joan. 7. ait: *Ego non ascendam ad diem festum istum*, quod asseritur primo loco, est præcisa veritas, nullis involuta ambagibus, nulla tecta æquivocatione, ac in nulla mentali restrictione enuntiata; siquidem Christus diem extremi judicii nesciebat ut homo, seu humanâ scientiâ, quamvis optimè sciret scientia infusa, ac divina revelatione. Dixit autem se nescire figurate, quia Discipulos nescientes faciebat diem illum ipsis utiliter occultando, & Patrem solum scire dixit, quia filium scire faceret, non autem homines, nec ipsos Angelos in cœlo. Alius textus desumptus ex Joan. 7. verus est; dixit enim Christus: Ego non ascendo modo vobiscum palam ad diem festum, sed ascendam opportuno tempore absque propinquorum comitatu, ut explicant Sancti Patres, præsertim Gregorius Nazianzenus orat. 4. Cyrillus lib. 9. thesaur. Epiphanius in Anchorato; Unde non dixit, non ascendam, in futuro, sed non ascendo, de præsenti, quod non erat futurum, hinc ex scripturis nullum potest patrocinium quæri pro mendacio, quod quandoque liceat illud proferre.

Ratio, cur mendacium sit per se intrinsecè malum, adeo ut pro nullo eventu possit luctum esse, ex eo petitur, quia abusus signorum, & usus eorum contra naturalem institutionem, & fidem, in quo sita est malitia mendacii, est magna deordinatio; quia cùm signa non sint data nisi ad exprimendum judicium mentis, illis utimur, contra mentis judicium, adeo ut sit contradictio inter mentem, & linguam, quia quod lingua affirmat, mens negat; è contra, sed per se turpe, & vituperabile est, ut in uno eodemque homine inter interiora, & exteriora sit contradictio, cùm exteriora debeant interioribus confirmari. Tum quia per mendacium proximus decipitur, quapropter offendit amicitiam, & humanam conversationem, & falsa ingeneratur audienti opinio. Quando verò hæc inordinatio neminem graviter lædit, non est peccatum lethale, sed tantùm veniale, & deceptio proximi, quando nil interest, an res sic vel aliter se habeat, est parvi momenti, & non evertit vitam socialem, hinc nec summus Pontifex potest dispensare in mendacio, quia cùm sit hoc intrinsecè malum, & Papa non possit mutare rerum naturas, ideo sequitur, non posse dispensare. Neque obstat, quòd in scripturis mendacium subinde fuerit licitum; nam, ut paulò superius diximus, plura, quæ visa sunt fuisse mendacia, talia non fuerunt, sed potius mysteria. Cæterum scriptura sacra semper prohibet, ne quis etiam pro alterius vita servanda mentiatur, eò quia omne mendacium sit intrinsecè malum, consequenter peccatum; ut enim observat D. Thomas 2. 2. quæst. 110. duplex est falsitas, materialis una, quæ dicitur esse præter intentionem loquentis, quando scilicet aliquis falsum dicit, & putat esse verum; ur enim ait S. Augustinus cap. 18. in Enchirid. Judicandus est non mentiri, quoniam quantum in se ipso est, non fallit ille, sed fallitur. Altera formalis, quando quis ex intentione fallendi, seu ex intentione significandi falsum, aliquid tanquam verum asseverat, quod putat esse falsum, sive revera id falsum sit, sive contra ejus opinionem verum existat, quia, ut docet D. Thomas: Quidquid sit de illa re, quam asseverat, etiamsi de facto vera sit: *Actus ejus, in quantum est voluntarius, & moralis, habet per se falsitatem & per accidens veritatem.*

Dices etiam furtum esse intrinsecè malum, & tamen in extrema necessitate licitum est, rem alienam etiam invito Domino surripere, ergo etiam licitum ex justa causa erit ad bonum finem mentiri. Sed contra negatur consequentia; est enim discrimen, quia adveniente extrema necessitate omnia fuerunt communia, & Dominus irrationabiliter est invictus, & denegat necessaria alimenta, unde ob bonum finem tollitur quidem gravitas furti, alioquin non tolleretur ejus peccatum, non verò tollitur pravitas mendacii. Præterea negatur surripere rem alienam in casu extremæ necessitatis, & esse furtum; quia in tali causa qui rem alienam surripit, habet jus & dominium in rem illam, & potest illa uti, stante extrema illa necessitate. Cæterum sicut non est licitum furari ad elargiendam eleemosynam, cùm tunc non urgeat extrema necessitas, ita nec est licitum mentiri ob bonum finem; bonum enim est ex integra causa, ut ait D. Dionysius cap. 4. de divin. nominib. Malum verò ex singulis defectibus.

Cæterum per hoc præceptum octavum prohibetur etiam detractio, quæ est injusta, & occulta denigratio alienæ famæ, duo requiruntur ad detractio-

nem.

nem. Primò ut aliquid dicatur, vel eo modo dicatur, ut alicujus famam, & æstimationem, quam habet, in animo alterius extinguere, ac imminuere valeat. Secundò ut fiat occultè, saltem juxta intentionem dicentis, quia si quis in præsentia aliorum famæ alterius detrahat, hæc non est detractio, sed contumelia, & importat majorem contemptum personæ, cujus famæ detrahitur, debet itidem detractio fieri injustè, alioquin si juste fama aliena denigretur, non est detractio, ut si quis ex motivo justitiæ, vel charitatis alicujus crimen, quod vel bono publico maximum damnum infert, vel est proximo nocivum, Superiori aperiat, à quo impediatur, non est detractio.

Quam sit grave peccatum detractio, colligitur ex suo objecto: siquidem violatio famæ, quæ est maximum bonum, & scriptura ait: *Quod melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*, & à Juris peritis definitur illæsæ dignitatis legibus, & moribus status comprobatus; est enim fama multorum existimatio de vita, & moribus alterius, unde detractio est peccatum ex genere suo gravissimum, adeo ut Apostolus ad Roman. 1. scribat: *Detractores Deo odibiles sunt*; Et Ecclesiast. 10. comparatur serpenti, *si enim mordeat serpens in silentio, nihileominus habet, qui occultè detrahit.* Et Proverb. 24. monemur detractores declinare. *Cum Detractoribus non commiscearis, quoniam repentè consurget perditio eorum.* Detractio igitur obligat ad restitutionem, quia damnum infert proximo contra justitiam, cujus famam lædit: quapropter quò majus est bonum famæ, eo est obligatio major eam reparandi, quòd si ablata pecunia restituenda est, multo magis fama, quæ excellentius est bonum pecuniâ; Hinc judicium temerarium, & prava opinio, ac suspicio deliberata de proximo in re gravi sunt lethalia peccata, quia peccatum, quo charitas, & justitia violantur, lethale est, sed judiciis temerariis, ac suspicionibus deliberatis de malitia proximi in re gravi violantur charitas, & justitia, hæc quia unusquisque jus habet, ut de ipso alii rectè sentiant, quamdiu ejus malitia gravibus, & sufficientibus argumentis, sive indiciis non probatur. Charitas verò, quia ex odio, & contemptu proximi judicia illa temeraria, & suspiciones deliberatæ ut plurimum sunt in materia gravi. Quamobrem judicium temerarium; seu definita & firma sententia de malo proximi in re gravi ex levibus indiciis prolata in tribunali mentis interioris, ut etiam dubitatio, ac suspicio ex similibus indiciis concepta peccatum lethale est, eò quia legi adversetur naturæ dictanti: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, & nemo se malum inconsideratè, & absque ratione judicari vult, nemo probitatem suam absque legitima causa in dubium verti peroptat. Imò adversatur etiam præcepto divino de proximo diligendo, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, unde cum in mente oritur cogitatio vel suspicio de malitia proximi in re gravi, ex levibus indiciis, & absque deliberatione, si assensus non sit plenè voluntarius, est peccatum veniale; si verò quis animadvertat, & judicet ex levibus indiciis proximum esse malum, is reus est mortalis peccati. Materia gravis esse potest peccatum mortale, vel veniale pensatis statu, & qualitate personæ; ut si vir religiosus soleat ex prava consuetudine mentiri, negligere in missæ Sacrificio sacros ritus; vel negligere regulares observantias, vel recitare divina officia ac perfunctoriè persolvere breviarium. Si Sanctimonialis nimiam vestium munditiem affectet ad inanem gloriam, vanos in locutorio cum sæcularibus sermones misceat, vel libros persolvat nugis, fabulis, ac vanitate refertos orationi mentali non vacet, hæc omnia esse possunt peccata tantùm venialia, vel etiam mortalia, si vergant in grave detrimentum observantiæ. Quod verò ad indicia pertinet, quibus quispiam movetur ad judicium, vel dubitationem, aut suspicionem de malitia proximi concipiendum, illa censentur levia, quæ spectata facti, & personæ qualitate, aliisque circumstantiis non sufficiunt ad movendum virum prudentem, & probum, ut de proximo ita judicet, probet ac suspicetur: illa verò censentur indicia gravia, quæ his omnibus consideratis virum prudentem, ac probum movere possunt ad hujusmodi judicia concipienda, & præter circumstantiam facti consideranda est circumstantia personæ illius, de qua judicatur, & etiam alterius, quæ delictum proximi narrat, siquidem judicium, quod in uno grave est, in alio potest esse leve, ut si vir libidinosus, & carnis voluptatibus deditus clanculo loquatur cum meretrice, grave est argumentum, quo indicetur, illum de libidine cogitare; sin verò vir ille gravis sit vitæ, & famæ integerrimæ, est indicium leve, & insufficiens, quia potest de re seria, & bona, imò & de ipsius conversione loqui cum meretrice, ut ad saniorem frugem revertatur, & resipiscat.

Concupiscentia prohibetur postremis duobus decalogi præceptis, quibus prohibetur uxorem alterius, & rem alienam concupiscere. Prima concupiscentia ad carnis voluptates pertinet, secunda ad fructum, & utilitatem; qui enim alterius uxorem concupiscit, intendit carnis voluptate cum ipsa frui, qui verò concupiscit alienas divitias, agrum, domum, is lucrum potius, quod utile est, consectatur, quam voluptatem. Hinc prima concupiscentia ad impudicitiam pertinet, secunda ad avaritiam, & sicut distincta præcepta sunt, quibus opera ipsa prohibentur, non furaberis, ita sunt distincta præcepta, quibus prohibentur cupiditates respondentes illis operibus, & hæc præcepta videntur distinctè significari Deuter. cap. 5. *Non concupisces uxorem proximi tui*, non domum, non agrũ, *non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa quæ illius sunt.* Hinc versio hebraica Exodi 20. hæc præcepta distinguit, sic enim ad verbum reddi potest: *Non concupisces uxorem proximi tui, & non desiderabis domum proximi tui, non agrum, non servum*, & versio itidem septuaginta interpretum hæc veluti distincta præcepta exprimit, *non concupisces uxorem proximi tui. Non concupisces domum proximi tui, non agrum ejus*; unde prohibemur duo concupiscere, uxorem, & rem alienam, & tametsi hæc duo præcepta implicitè includantur in 6. & 7. magis tamen explicitè hic exprimuntur; etenim per nonum præceptum explicatius id prohibetur. Et rursus desiderium alienæ uxoris etiam post mortem mariti, vel post divortium permissum in lege Moysis ducendæ, quod peccatum apud Judæos frequens erat, quia lex permittebat repudium, quo plures abutebantur, & aliorum uxores sollicitabant, ut marito darent causam petendi divortium, ut soluto priori matrimonio posset mulier alteri nubere, quem deperibat. Septimo præcepto prohibuit Deus, ne quis injustè aliena invito Domino surripere audeat. Et Decimum præceptum, ne ullo modo quis concupiscat de re aliena, ex cujus adeptione grave damnum possit proximo inferri. Hinc concupiscentia per duo præcepta distincta prohibetur, scilicet concupiscentia carnis, seu alienæ uxoris, & rei alienæ. Non enim prohibetur hoc duplici præcepto vis nobis ab Authore naturæ indita; sed pravus illius usus, & effrenata cupiditas, quæ

fines à regula divina, ſeu recta ratione conſtitutos transgreditur: pravus uſus concupiſcentiæ ex duobus præſertim dignoſcitur: ex parte rei concupitæ, & ex parte modi concupiſcendi, qui enim concupiſcit rem alienam, ſeu ex ſe malam, ſeu à Deo prohibitam, habet malam concupiſcentiam ex parte rei, ut cum quis appetit adulteria, vindictam, ebrietatem, rurſus qui appetit licitum, ut lucrum licitum, emere domum, aut agrum alienum, ſed modo illicito, ſeu immoderatè, & cum exceſſu, is malam dicitur habere concupiſcentiam ex parte modi, ut ſi quis diligat, & concupiſcit ea, quæ Deus concupiſcere permittit, ut ſanitatem filii, ſed inordinatè id faciat, vel per ſuperſtitiones, & incantationes, tunc talis concupiſcentia lethale eſt peccatum, quia tunc videtur homo ultimum ſuum finem ponere in re illa, quam propterea diligit plusquàm Deum. His igitur duobus præceptis non prohibentur omnes concupiſcentiæ motus, ſed tantùm illi, quibus aſſentimur: ſiquidem non eſt in noſtra poteſtate carere omni concupiſcentiæ motu, aut cogitatione alliciente ad malum, bene tamen eſt in noſtra poteſtate motus illos compeſcere, iisque non aſſentiri. Plures enim concupiſcentiæ motus, rationem, & libertatem præveniunt nec illi in nobis ſunt peccata, quia non ſunt voluntarii, nec proveniunt à libero arbitrio, nec illis ratio ſuperior aſſentitur, quo pacto ajebat Apoſtolus ad Roman. 7. Non ego illud operor, ſed quod habitat in me peccatum, quatenus concupiſcentiæ appetitus inferioris rebellis ſuperiori eſt effectus peccati, & dicitur peccatum ſumendo cauſam pro effectu; & quia Apoſtolus ei non aſſentiebatur, ideo illud non operabatur; tametſi experiretur in ſe motus concupiſcentiæ, non tamen iis præſtabat aſſenſum, hinc Eccleſiaſt. 18. ait: *Poſt concupiſcentias tuas non eas*, ſeu non præſtes conſenſum, *ne*, ut ſcribit D. Paulus ad Roman. 6. *regnet peccatum in veſtro mortali corpore*, non dicit, ut non ſit vel habitet fomes peccati, ſed non regnet, non dominetur ejus commotioni, & deſideriis, non obediatis, in hoc enim conſiſtit malitia, ſi pravis concupiſcentiis adhæreamus, ac iiſdem præſtetur aſſenſus. Si petas, cur concupiſcentia duobus prohibeatur præceptis? reſpondetur, quia omnis concupiſcentia, licèt conveniat in una communi ratione, cum dicat D. Paulus ad Rom 7. *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces:* attamen quia in ſpeciali diverſæ ſunt rationes concupiſcendi, ideo S. Auguſtinus, & alii diſtinguunt diverſa præcepta de non concupiſcendo, quæ differunt Specie ſecundùm diverſitatem actionum vel concupiſcibilium, ut ait Ariſtoteles lib. 10. Ethic. cap. 3. Hinc eſt reus peccati lethalis, qui pravæ concupiſcentiæ carnis aſſenſitur, vel ejus motibus non repugnat, ac reſiſtit. Hinc Auguſtinus lib. 1. de nuptiis, & concupiſcentia cap. 27. explicans illud Apoſtoli: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus*, ait Auguſtinus, non dicit: *ad habenda deſideria ejus, ſed ad obediendum deſideriis ejus*, quia ea habere non eſt in noſtra poteſtate, cum ut plurimum excitentur in nobis, ſine nobis, bene tamen eſt in noſtra poteſtate illis reſiſtere, quapropter lib. 3. ad Bonifacium cap. 7. ait: *Hic præceptum eſt, ut deſideriis peccati non obediamus: ibi premium ut deſideria peccati non habeamus.* Hinc concupiſcere uxorem alterius peccatum eſt lethale, quamvis non concupiſcatur, ut cum illa adulteretur, ſed ut matrimonio legitimo cum eadem jungatur, quia qui deſiderat alienam uxorem, cupit prioris matrimonii diſſolutionem, conſequenter mortem mariti, quia matrimonium ratione ſacramenti, non poteſt diſſolvi niſi per ſolam mortem conjugis, deſiderare, autem mortem proximi illicitum eſt, & inhumanum, conſequenter concupiſcere alterius uxorem, etiam ut adulterio non contaminandam, ſemper eſt lethale peccatum; hinc David defuncto Nabal marito potuit quidem Abigail ejus uxorem viduam accipere in uxorem, ſed vivente Nabal, ſi ipſam concupiviſſet, etiam ut eam in uxorem duceret, cum ad ipſum acceſſit interpellatura pro ſalute viri nonum violâſſet præceptum decalogi, perinde ac illud fuit transgreſſus, quando concupivit Bethſabæam uxorem Uriæ adhuc viventis, tametſi decreverit ad abſcondendum adulterium illam in uxorem ducere; & ſicut adulterium cum Bethſabæa incitavit Davidem ad procurandam necem Uriæ, perinde concupiſcentia, qua deſideràſſet Abigail in uxorem ducere, eum impuliſſet ad optandam Nabalis mortem. Circa ultimum præceptum peccant graviter, qui rem alienam injuſtis, & non permiſſis apud homines rationibus appetunt, & ſub juris colore conſequi ſatagunt cum incommodo, & damno proximi, quia iſti, ut ſcribit Apoſtolus ad Philipp. *Non quærunt, quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum*, nulla æquitatis habita ratione, ſed duntaxat ob proprium commodum, non curantes, quàm malè ſit conſultum proximo, & quàm grave damnum ei inferatur. Qui enim res alienas modis indebitis concupiſcit, lethaliter peccat ob damnum grave, quod proximo infert, eodem pacto etiam peccant emptores, & venditores, & permutatores, qui ſe mutuo in contractibus decipiunt, etiam intra dimidium juſti pretii, tametſi lex civilis ob id contractum non reſcindant, id enim adverſatur legi naturali, qua prohibemur alteri facere, quod fieri nobis nolumus.

# FINIS.



703

2.1.94

FIRENZE - BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
SEGNATURA - 2.1.94 II° (113)
RESTAURO - 1998
LABORATORIO - RAIMONDO MILIO
RESTAURATORE PROGETTISTA- CLAUDIO MONTELATICI

SINTESI DELLE OPERAZIONI EFFETTUATE:

Controllo della numerazione, pulizia a secco con pannello morbido, risarcimento con montaggio a scarnire con carta giapponese di adeguato spessore e colore, VANGEROW, velatura con velo giapponese 502 e Tylose MH300P, rifilatura del restauro eccedente, carte di guardia Ingres struttura F, cucitura su n. 6 nervi di spago, indorsatura con carta giapponese e pelle di capra neutra scarnita, incartonatura dei quadranti, nuova legatura in piena pelle di capra al vegetale ( fornitore Scaricaciottoli), dorso attaccato, adesivi Tylose MH300P e Vianvil 59 in percentuale (15%).

COLLAUDATORE
DATA DEL COLLAUDO